Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
29 M
10

Digitized by Google

A 111034

Digitized by Google

Digitized by Google

8.29.M.10

THEOLOGIA POLEMICA,

SEU

VINDICIÆ ECCLESIÆ CATHOLICO-ROMANÆ,

CUJUS

PRÆROGATIVÆ, MUNIA, LEGES, DOGMATA, RITUS,

Aſſeruntur & propugnantur

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CONTRA

JUDÆOS, SCHISMATICOS, HÆRETICOS, ATHEOS,

Quorum Errores evincuntur & expugnantur,

AUCTORE

ADM. RDO. DOCTISSIMO ET EXIMIO PATRE,

D. CAJETANO FELICE VERANI,

CLERICO REGULARI, SS. THEOL. AC JURIS CAN. PROFESSORE EMERITO.

OPUS POSTHUMUM.

TOMUS TERTIUS.

Cum facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus GEORGII SCHLÜTER & MARTINI HAPPACH.

ANNO MDCCXIX.

Digitized by

THEOLOGIA
POLEMICA,
SEU
VINDICIÆ
ECCLESIÆ CATHOLICO ROMANÆ,
cujus
PRÆROGATIVÆ, MUNIA, LEGES, DOGMATA, RITUS,
Asseruntur & propugnantur
CONTRA
JUDÆOS, SCHISMATICOS, HÆRETICOS, ATHEOS,
Doctrinæ Errores [illegible]
AUCTORE
ADM. RDO. DOCTISSIMO ET EXIMIO PATRE
D. CAJETANO FELICE VERANI,
CLERICO REGULARI SS. THEOL.
[illegible] PROFESSORE EMERITO
OPUS POSTHUMUM.
TOMUS TERTIUS
Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus GEORGII SCHLÜTER & MARTINI HAPPACH
ANNO MDCCXIX.

Digitized by Google

LICENTIA ORDINARII.

Nos JOANNES FRANCISCUS, *DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Friſingenſis, Sac. Rom. Imp. Princeps.*

CUm Opus, inſcriptum Theologia Polemica in tres Tomos diviſa, à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI p. m. Congregationis Clericorum Regularium S. Cajetani, quondam Theologo conſcriptum, à Patribus ejusdem Congregationis reviſum, approbatúmque fuerit, ut illud prælo quoque ſubjiciatur, facultatem damus per præſentes. In cujus fidem haſce per Vicarium noſtrum in Pontificalibus & Spiritualibus Generalem juſſimus ſubſcribi, ac Sigillo noſtro roborari. Friſingæ d. 17. Junii 1717.

(L.S.) JO. SIGISMUNDUS, Epiſcopus Bellin. ſuff. & Vicarius Generalis &c.

FACULTAS ORDINIS.

HOc Opus, inſcriptum: Theologia Polemica, in tres Tomos diviſa, à R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI p. m. noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſſum fuerat, approbatum, ut Typis mandetur, quo ad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo firmavimus. Romæ die tertio Menſis Aprilis 1717.

(L.S.)

D. PHILIPPUS MARIA TRIGONA, Conſultor Cler. Reg.

D. ANTONIUS MARIA FERRARIUS, Conſultor Cler. Reg.

D. JOSEPHUS MARIA del PEZZO, Conſultor Cler. Reg.

D. PETRUS ab Eccleſia C. R. Secretarius Generalis.

Digitized by Google

INDEX
Librorum & Capitum.

LIBER PRIMUS.
De prædeſtinatione Sanctorum, & reprobatione Impiorum.

CAPUT I.
QUid ſentiendum ſit de hæreſi prædeſtinatiana, quid ſit prædeſtinatio, & quid Calvinus ſenſerit. 1

CAP. II.
Cum Dei decreto, gratia, & præſcientia cohæret libertas arbitrii in negotio prædeſtinationis. 9

CAP. III.
Deus in negotio prædeſtinationis ſuo decreto non ordinavit lapſum primi hominis, & totius humani generis, pro quo toto Chriſtus mortuus eſt, contra Calvinum. 19

CAP. IV.
Proponuntur, & rejiciuntur aliæ propoſitiones Calvini in negotio prædeſtinationis. 28

CAP. V.
An prædeſtinatio ad gratiam ſit ex prævisione alicujus meriti de condigno, vel ſaltem de congruo? 33

CAP. VI.
An, & quomodo decreta divina intrinſecè efficacia cohæreant cum libertate? 41

CAP. VII.
An Chriſtus promeruerit noſtram prædeſtinationem, & an merita viri juſti poſſint eſſe cauſa meritoria prædeſtinationis alterius hominis. 45

CAP. VIII.
Quomodo prædeſtinatio ſit in noſtra poteſtate, & quam certitudinem habeamus de illa? 51

CAP. IX.
De effectibus prædeſtinationis. 59

CAP. X.
De reprobatione impiorum ejusque effectibus. 69

LIBER SECUNDUS.
De peccato, ejúsque Authoritate, & partitione.

CAPUT I.
QUid ſit peccatum, & quomodo dividatur? 77

CAP. II.
Demonſtratur contra Calvinum, Deum non eſſe Authorem peccati. 84

CAP. III.
Oſtenditur contra Calvinum, Deum non prædeſtinâſſe lapſum Adæ, ut haberet occaſionem miſerendi, & puniendi. 92

CAP. IV.
Per quid peccatum mortale differat à veniali? 103

CAP. V.
Quomodo peccata alia dicantur eſſe ex ignorantia, quædam ex cupiditate, ſive infirmitate, & alia eſt malitia. 110

CAP. VI.
An omnis ignorantia juris naturalis ſit cauſa peccati? 113

CAP. VII.
Quomodo moraliter peccans dicatur finem ultimum conſtituere in creatura? 121

CAP. VIII.
An omnia peccata lethalia ſint æqualia in gravitate. 126

Digitized by Google

CAP. IX.
An peccatum ex objecto specificè gravius possit simpliciter excedi in gravitate malitiæ à peccato inferioris speciei: & an eo sint essentialiter graviora, quò dignioribus opponuntur virtutibus? 129
CAP. X.
Quid sit reatus pœnæ debitæ peccato? 134
CAP. XI.
De reatu pœnæ debito pro peccato veniali. 141
CAP. XII.
De altero effectu peccati, qui est macula. 144
CAP. XIII.
Donantur explicatu aliquot assertiones pertinentes ad moralitatem. 152
CAP. XIV.
Proponuntur & explicantur aliquot asserta pertinentia ad gravitatem peccatorum, & ignorantiam. 160
CAP. XV.
Exhibentur & explicantur assertiones pertinentes ad voluntarium per violentiam. 171
CAP. XVI.
Proponuntur, & explicantur aliquot assertiones morales circa metum, & alias animi perturbationes. 178
CAP. XVII.
Exhibentur, & explicantur aliquot assertiones pertinentes ad conscientiam dubiam, erroneam, scrupulosam, & probabilem. 182
CAP. XIIX.
Principia morum directiva unde desumenda? 191

LIBER TERTIUS
De Sacramentis novæ legis.

CAPUT I.
De nomine, & existentia Sacramentorum ante Christi adventum. 203
CAP. II.
De existentia Sacramentorum in lege gratiæ, ac definitione. 208
CAP. III.
De Institutore Sacramentorum novæ legis, deque eorum necessitate. 212
CAP. IV.
An parvulis decedentibus in utero matris provisum semper fuerit à Deo remedium alicujus Sacramenti? 217
CAP. V.
De numero Sacramentorum in lege Evangelica. 221
CAP. VI.
Proponuntur, & diluuntur objectiones, quæ fiunt à Sectariis. 228
CAP. VII.
De ordine, comparatione, & dignitate Sacramentorum novæ legis inter se. 237
CAP. VIII.
Qualia sint signa Sacramenta novæ legis. 240
CAP. IX.
De Physica quidditate Sacramentorum secundum partes essentiales. 244
CAP. X.
An materiæ, & formæ Sacramentorum sint à Christo determinatæ? 248
CAP. XI.
Qualisnam mutatio, in materia, & forma irritet Sacramentum? 251
CAP. XII.
An Sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. 255
CAP. XIII.
Quomodo Sacramenta novæ legis producant gratiam sanctificantem. 260
CAP. XIV.
An possit probabiliter evinci, Sacramenta novæ legis esse tantùm instrumenta moralia causativæ gratiæ. 267
CAP. XV.
Quandonam Sacramenta novæ legis causent gratiam, & quam? 270
CAP. XVI.
An in lege naturæ, & scripta, fuerint Sacramenta, quæ gratiam contulerint? 277

Digitized by Google

LIBER QUARTUS.

De Charactere, & Miniſtro Sacramentorum.

CAPUT I.

Quid ſit character, & quæ Sacramenta novæ legis ipſum imprimant? 282

CAP. II.

De quidditate, & ſubjecto, in quo proximè imprimitur character Sacramentalis? 286

CAP. III.

An, & quomodo character Sacramentalis ſit indelebilis, & quæ ejus proprietates? 289

CAP. IV.

De Inſtitutore, & ſubjecto Sacramentorum novæ legis. 293

CAP. V.

De Sacramentorum Miniſtris, & conditionibus. 297

CAP. VI.

Qualis intentio requiratur in miniſtro ad Sacramenti validitatem. 303

CAP. VII.

Subjiciuntur, & explicantur aliquot aſſertiones ſpectantes ad praxim miniſtrandi Sacramenta. 307

CAP. VIII.

De Cæremoniis adhibendis in Sacramentorum adminiſtratione, & in Eccleſiaſticis functionibus. 316

LIBER QUINTUS.

De Baptiſmo in particulari.

CAPUT I.

De Inſtitutione Baptiſmi. 323

CAP. II.

De Obligatione, & neceſſitate Baptiſmi in ordine ad ſalutem. 327.

CAP. III.

De quidditate, & eſſentia Baptiſmi fluminis, flaminis, & ſanguinis. 333

CAP. IV.

De materia proxima, & remota Sacramenti Baptiſmi. 338

CAP. V.

De Forma, & cæremoniis Baptiſmi. 345

CAP. VI.

Quodnam ſit ſubjectum capax Baptiſmi, & quæ conditiones requirantur in ſuſcipiente Baptiſmum? 350

CAP. VII.

An infantes in utero matris adhuc exiſtentes imminente mortis periculo baptizari poſſint? 355

CAP. VIII.

An recte baptizentur parvuli ante uſum rationis; referuntur & refelluntur aliquot errores Hæreticorum. 358

CAP. IX.

An fœtus præmaturè in lucem editus ſit baptizandus, & quid de monſtris humanam ſpeciem exhibentibus? 366

CAP. X.

De Miniſtro Baptiſmi. 370

CAP. XI.

De Suſceptoribus, ſeu Patrinis parvulorum in Baptiſmo. 373

CAP. XII.

De effectibus Baptiſmi. 379

CAP. XIII.

De aliis effectibus Baptiſmi. 384

CAP. XIV.

Satisfit Hæreticorum objectionibus. 389

CAP. XV.

De cæremoniis, & ritibus adhibendis in Baptiſmo. 393

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTUS.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

AN Confirmatio fit verum, & proprium Sacramentum novæ legis. 401

CAP. II.

De quidditate, & materia Sacramenti Confirmationis. 405

CAP. III.

Quomodo chrifma debeat benedici, ut fit materia Confirmationis. [illegible]

CAP. IV.

De fubjecto capace Sacramenti Confirmationis. 411

CAP. V.

De effectibus Sacramenti Confirmationis. 414

CAP. VI.

De donis Spiritus Sancti in particulari, quæ gratiam concomitantur, quæ in Sacramento Confirmationis impertitur. 418

CAP. VII.

De Charactere altero effectu Confirmationis. Et diluuntur, quæ ab Hæreticis objiciuntur contra hoc Sacramentum. 425

LIBER SEPTIMUS.

De Augustiffimo Evchariftiæ Sacramento.

CAP. I.

DE variis nominibus, & figuris Sacramenti Evchariftiæ. [illegible]

CAP. II.

An Evchariftia fit verum Sacramentum novæ legis, & quo tempore à Chrifto inftitutum? [illegible]

CAP. III.

De reali exiftentia corporis Chrifti in Evchariftia. 441

CAP. IV.

Idem fidei dogma evincitur ex certa Apoftolorum traditione, Ecclefiæ confenfu, & Sanctorum Patrum unanimi confenfu. 447

CAP. V.

Solvuntur, à Sectariis Calviniftis objiciuntur contra Sacramentum Evchariftiæ. 453

CAP. VI.

Referuntur, refelluntur alia argumenta quibus Calviniftæ nituntur probare Chriftum nonnifi figurate effe in Evchariftia. 457

CAP. VII.

Demonftratur contra Lutheranos poft confecrationem manere extra ufum fub fpeciebus Evchariftícis corpus, & fanguinem Chrifti quamdiu perfeverant fpecies panis & vini. 460

CAP. VIII.

[illegible] nem non remanet in Evchariftia contra Lutheros. 467

CAP. IX.

Quænam fit quidditas Sacramenti Evchariftiæ? 473

CAP. X.

De materia remota Sacramenti Evchariftiæ. 477

CAP. XI.

Quænam fit materia remota fecundæ confecrationis, feu calicis? 482

CAP. XII.

Quænam fit forma Evchariftiæ, & quibus verbis conftet utraque confecratio? 487

CAP. XIII.

De tranffubftantiatione, feu converfione Panis, & vini in corpus, & fanguinem Chrifti. 494

CAP. XIV.

Referuntur, & refelluntur, quæ contra tranffubftantiationem panis in corpus Chrifti, & vini in fanguinem objiciuntur ab Hæreticis Lutheranis. 497

CAP. XV.

Expenditur, & rejicitur error Calvinistarum circa Eucharistiam. 502

CAP. XVI.

Explicantur, & evertuntur præcipua fundamenta, quibus innititur error Calvinistarum. 509

CAP. XVII.

De usu Sacramenti Eucharistiæ, seu communione, & à quibus sumi possit. 515

CAP. XVIII.

Communio sub utraque specie à Christo Laicis non est præcepta, nec necessaria ad salutem. 524

CAP. XIX.

Ecclesia usum calicis justis de causis Laicis subtraxit citra ullam injuriam, neque hoc Sacramentum majorem gratiam causat sub duplici specie, quàm sub una tantum, 532

LIBER OCTAVUS.

De quidditate, & proprietatibus sacrificii.

CAPUT I.

De Sacrificio legis Naturæ. 537

CAP. II.

De Sacrificiis legis Mosaicæ. 543

CAP. III.

De Sacrificio novæ legis, & an Eucharistia sit verum, & propriè sacrificium. 546

CAP. IV.

Eucharistia, quæ conficitur in Missa, quale sit sacrificium, & in qua actione consistat? 552

CAP. V.

Quis sit principalis offerens in sacrificio Missæ, cui offeratur? 557

CAP. VI.

Pro quibus offerri possit sacrificium incruentum Missæ, præsertim an pro fidelibus animabus in purgatorio rectè offeratur. 560

CAP. VII.

An sacrificium Missæ offerri possit pro omnibus hominibus Viatoribus fidelibus, & infidelibus? 565

CAP. VIII.

Quem effectum, & valorem habeat sacrificium incruentum Missæ. 569

CAP. IX.

Quid senserint Prophetæ, Apostoli, Sancti Patres, Christiani Catholici, & Hæretici de hoc sacrificio incruento Missæ. 573

CAP. X.

De Missis privatis an legitimæ sint, & licitæ? 579

LIBER NONUS.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De Sacramento Pœnitentiæ, divisione, & definitione. 587

CAP. II.

An Pœnitentia exterior sit Sacramentum, & quando à Christo instituta. 593

CAP. III.

Ostenditur contra Hæreticos, pœnitentiæ Sacramentum distingui à baptismo, ac pluries esse repetendum. 599

CAP. IV.

De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ. 603

CAP. V.

De materia Sacramenti Pœnitentiæ. 607

CAP. VI.

De materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, seu de contritione. 609

CAP. VII.

An quælibet perfecta contritio in quocunque gradu perfectionis justificet extra Sacramentum? 612

CAP. VIII.

An ad contritionem perfectam requiratur recogitatio omnium peccatorum, & detestatio singulorum in speciali; quomodo expellat peccatum, & sit sub præcepto? 619

CAP. IX.

An attritio adnexa Sacramento pœnitentiæ, ut justificet, debeat procedere ex metu gehennæ vel ex consideratione turpitudinis peccati. 625

CAP. X.

An attritio justificativa intra Sacramentum debeat necessario habere adnexam formalem, & expressam dilectionem desuper omnia propter se, vel sufficiat dispositiva, & inchoativa? 629

CAP. XI.

Quid sit confessio, & quomodo necessaria? 640

CAP. XII.

An confessio auricularis, quia pœnitens distinctè confitetur omnia sua peccata lethalia sacerdoti Confessario, & absolutio ejusdem sit de jure divino? 644

CAP. XIII.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, seu absolutione, & an moribundo eam non petenti impertiri possit? 651

CAP. XIV.

De Satisfactione Sacramentali, ejusque necessitate. 656

CAP. XV.

De satisfactionis utilitate, & aliis requisitis. 663

CAP. XVI.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. 667

CAP. XVII.

An Sacerdos in sua consecratione, seu Ordinatione accipiat aliquam jurisdictionem. 670

CAP. XIIX.

Quales debeant esse dotes, & obligationes Ministri hujus Sacramenti? 673

LIBER DECIMUS.

De Sacramentis Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.

CAPUT I.

Ostenditur Extremam Unctionem esse verum Sacramentum contra Sectarios. 680

CAP. II.

De materia, & forma Extremæ Unctionis. 685

CAP. III.

De effectu, & Ministro hujus Sacramenti. 689

CAP. IV.

Quid sit in Ecclesia militante Ordo, & an sit Sacramentum? 693

CAP. V.

Quod sint Ordines, quando instituti, & an singuli sint sacramenta? 696

CAP. VI.

De Materia, & forma singulorum Ordinum, eorumque Ministro. 702

CAP. VII.

De cœlibatu ut sacris adnexo Ordinibus. 704

CAP. VIII.

An lex cœlibatus sit in Ecclesia utilis, ac consultius sit, ut sacris initiati Ordinibus perpetuam servent castitatem. 709

CAP. IX.

Referuntur, & refelluntur, quæ ab Hæreticis objiciuntur contra legem cœlibatus. 713

CAP. X.

De Institutione Matrimonii, quid sit, & quotuplex? 718

CAP. XI.

De Matrimonio ut elevato à Christo ad rationem Sacramenti. 722

CAP. XII.

De quidditate metaphysica, & physica Matrimo-

 trimo,

LIBER PRIMUS.

De Prædestinatione Sanctorum, & Reprobatione Impiorum.

QVia Sectarii in gravissimos impingunt errores, eo quia, qui prædestinati sint, non possit fieri quin salutem consequantur æternam, quidquid illi bene, vel male egerint, cum Dei voluntas immutabilis sit; ut etiam, qui reprobi à Deo habentur, impossibile sit, ut æterna declinent supplicia quidquid sint acturi sive bene, sive male; ideo docent indulgendum esse sensui, quia tametsi peccata cumulent, si sint prædestinati semper erunt æternam salutem consecuturi; ut etiam suppliciis æternis addicendi, si sint reprobati à Deo; ut præ cæteris docet Calvinus de prædestinatione, quam ipse pluribus implicat ambagibus, ut plerumque videatur incertum, & dubium quid ipse sentiat, cujus sententia viros pios ad desperationem adigit nescientes, an non obstantibus bonis operibus sint salutem æternam consecuturi, vel æternum cruciandi in gehenna.

CAPUT I.

Quid sentiendum sit de hæresi Prædestinatiana, & quid sit Prædestinatio & quid Calvinus senserit?

CErtum est hæresin prædestinatianorum suam traxisse Originem sub Pontificatu Cœlestini, eo ferme tempore, quo in Oriente Nestoriana hæresis foras erumpere cœpit, quod contigit circa annum 430. Et hujus hæresis Authorem fuisse quemdam, Jacobus Sirmondus, eumque in monasterio Adrumetino Bizanzenæ Provinciæ docuisse, & à Div. Augustino statim rejectam, quamvis iterum germinare ex recisa radice cœperit. Hinc huic sententiæ adhærentes Prædestinatianorum sunt sortiti nomenclaturam; eo quia differentes de divina gratia assererent pie viventibus non prodesse bonorum operum laborem, si à Deo reprobati fuerint, seu ad æternam mortem destinati, nec impiis obesse quæcunque flagitia perpetrarent, si Deus eosdem ad vitam æternam prædestinaverit, in quam hæresim Lucidus Presbyter lapsus fuisse dicitur, qui tamen in suo opere, quod direxit ad Episcopos Galliæ errores à Fausto Lirinensi primo Abbate, postea Rheginensi Episcopo, ac demum Coriphæo Semipelagianorum sibi attributos damnavit, inquiens: *Damno vobiscum 1. qui dicit primum laborem humanæ obedientiæ divinæ gratiæ non esse jungendum. 2. Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto voluntatis arbitrium extinctum. 3. Qui dicit quod Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salutem subierit. 4. Qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod Dei pereant voluntate, qui pereunt. 5. Qui dicit quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriantur, quicunque deliquerint. 6. Qui dicit, alios positive ad mortem deputatos, & alios ad vitam prædestinatos.* Quos errores refert etiam Gennadius Presbyter Masiliensis, & discipulus Cassiani. Et quamvis hæc hæresis suis in incunabulis Augustiniana falce amputata fuerit, cœpit tamen repullulare, ac revirescere à Calvino aliisque Sectariis exculta. Docet enim Calvinus quosdam homines æterno Dei decreto ad vitam, & alios ad mortem, & interitum prædestinatos esse citra ullum ipsorum meritum; ita habet Calvinus *lib. 3. Instit. cap. 21. §. 5.* inquiens: *Prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de uno quoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus* Et §. 7. circa fin. ait: *Quod ergo scriptura clare ostendit, dicimus æterno, & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutem, & quos rursum exitio devovere. Hoc consilium quoad electos in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus nullo humanæ dignitatis respectu, quos vero damnationi addicit iis justo quidem, & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius judicio vitæ aditum*

Digitized by Google

præcludit, & rursus cap. 22. §. 3. *Ubicunque vero hoc regnat Dei placitum nulla in considerationem veniunt opera.* Et §. 11. *Si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi ita placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem.* Hinc duas continet partes propositio Calvini, quarum altera est de æterna electione prædestinatorum ad vitam ante prævisa merita, & altera de prædestinatione reproborum ad supplicia æterna itidem ante prævisa peccata, & utraque pars propositionis dupliciter potest intelligi; primo ut unus sit Deus ab æterno ante prævisum peccatum originale, qui ex toto humano genere adhuc integro, & nondum corrupto quosdam elegerit ad vitam, & alios ad mortem, ac interitum destinasse absque ulla illorum vel primi parentis culpa. Et alius quod Deus post prævisionem peccati originalis cum jam corruptum esset humanum genus velut ex massa quadam perdita, quosdam ex sola sua misericordia elegerit ad gloriam & fecerit vasa in honorem; alios vero reliquerit in massa suæ perditionis, ut essent vasa in contumeliam sine ulla propria ipsorum culpa, quamvis non sine culpa originali. Et propositio in priori sensu intelligitur à Calvino, & suis Asseclis.

Priusquam hic error impugnetur, ut clarius procedamus explicanda est notio prædestinationis. Oritur prædestinatio ex verbo destino, prædestinatio enim idem est ac præcedens destinatio; & quamvis verbum destino plures habeat significationes; hic tamen sumitur pro decernere, eligere, ut solet in sacris scripturis usurpari, ubi prædestinatio vocatur decretum, electio, vel consilium D. Paulus ad Ephes. vocat *æternum illud propositum*, *seu decretum*, quo Deus homines quosdam ordinat, ac dirigit in beatitudinem supernaturalem per media supernaturalia re ipsa consequendam, & qui hoc pacto ordinati sunt ad beatitudinem dicuntur prædestinati, quatenus Deus apud se statuit, ut tales homines consequantur beatitudinem, ad quam veluti ad finem destinantur: quamobrem prædestinatio componitur ex verbo destino, & præpositione *præ*, quæ significat antecessionem durationis, seu æternitatis ad tempus, adeo ut prædestinatio idem sit, ac æterna destinatio antecedens omne tempus. Et verbum destino significet mittere, vel constituere, ordinare, quia ut docet D. Thomas prædestinati ad beatitudinem, quasi transmittuntur ad ipsam, perinde ac solet sagitta alieno impetu transmitti ad scopum quem ipsa non posset vi sua naturali attingere, ut explicat D. Thomas *quæst. 23. art. 1.* & in hoc sensu usurpavit prædestinationem D. Paulus ad Roman. 8. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*, ubi prædestinationem vocat propositum. Theologi vero per verbum prædestino proprie intelligunt constituere & ordinare; siquidem qui mittuntur prius destinantur ut eant. Quamobrem nomen prædestinationis solet dupliciter ab Authoribus usurpari primo laxe pro æterna prædestinatione sive ad vitam sive ad mortem, quo pacto usurpant prædestinationem Augustinus *lib. 10. de civit. cap. 1.* S. Prosper *in respons. 14. & 15. ad capitula Gallor.* S. Fulgentius *lib. 1. ad Monimum cap. 14.* & Concilium Valentinum sub Lothario *cap. 3.* ubi habetur: *Confitemur prædestinationem electorum ad vitam & prædestinationem impiorum ad mortem.* Secundo sumitur pressius, ac strictius pro æterna tantum prædestinatione ad vitam, in quo sensu ait Apostolus ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis filii sui*, & ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum*, in eodem sensu Augustinus *lib. de prædestinat. Sanctor.* usurpat hoc nomen. Quia vero nomen prædestinationis in tota scriptura non habetur nisi in epistolis D. Pauli, qui hoc nomen semper sumit pro prædestinatione, & electione ad gloriam, ideo Theologi communiter per nomen prædestinationis intelligunt ordinationem, & destinationem ad gloriam, ut & reprobationem, ordinationem, seu destinationem ad mortem æternam, & in hoc sensu definitur prædestinatio *actus æternus providentiæ divinæ, quo statuit intellectuales aliquas creaturas efficaciter ordinare, ac deducere ad gloriam per media efficacia ac infallibilia divinæ gratiæ.* Dicitur prædestinatio actus æternus divinæ providentiæ quia est certa, & infallibilis scientia, quam Augustinus vocat præscientiam, & immobile decretum, quod Augustinus vocat præparationem beneficiorum Dei, etenim lib. 1. de bono perseverantiæ, cap. 14. sub init. Definit prædestinationem, quod sit *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.* Præparare autem beneficia ad liberandum proprie pertinet ad liberalitatem liberæ voluntatis decernentis præstare beneficium, & liberare. Quod autem hoc decretum sit immobile, ac infallibile significat idem Augustinus cap. 17. sub init. inquiens: *In sua quæ falli, mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est nisi prædestinare.* Tota autem prædestinatio est ipsa salus, & vita bona prædestinati prout existens in decreto, & præscientia Dei cujus executio est vocatio, justificatio, & glorificatio. Additur, *quo statuit creaturas quasdam intellectuales deducere efficaciter ad gloriam*, quia prædestinatio ad beatitudinem non pertinet ad omnes, sed ad quosdam tantum restringitur eximie dilectos, qui propterea vocantur electi, & prædestinatio dicitur electio adeo ut electio hic non significet voluntatem mediorum quorum unum præferatur alteri, sed dilectionem unius personæ, quæ præfertur aliis pluribus, qua propter D. Thomas ait: Quod prædestinatio supponit electionem, & electio dilectionem, eo quia hæc abstrahat ab ea comparatione, quam electio ipsa dicit. Dicitur quo statuit deducere ad gloriam per media efficacia ac infallibilia gratiæ, quia hic terminus est prædestinatio ad finem. Hinc omnes definitiones, quæ solent de prædestinatione tradi, quasi in idem recidunt. D. Thomas 1. part. quæst. 24. art. 1. eam definit, quod *sit ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Utitur nomine transmissionis, quia sicut sagitta ut ipse exemplificat, suis viribus non potest pervenire ad scopum ad quem à sagittario transmittitur, & dirigitur, ita etiam creatura rationalis non potest suis viribus pervenire ad vitam æternam, sed tantum per impulsus divinæ gratiæ, & per media supernaturalia à Deo creaturis impressa, & concessa. Hinc quatuor in prædestinatione distinguuntur, quorum primum est, Deus prædestinans ad finem beatitudinis, secundum, est objectum scilicet homo, & Angelus. Tertium est actus ipse qui prædestinatio dicitur, & est scientia, ac decretum divinum. Quartum est terminus ad quem est prædestinatio, & est ipsa gloria, & terminus proximior est gratia.

An vero prædestinatio sit actus intellectus, vel voluntatis, non conveniunt Theologi. D. Thomas *quæst. 6. de veritate art. 1. & in corp. præs. art.* & alii plures volunt prædestinationem esse formaliter actum intellectus divini, quo prædestinatus efficaciter ordinatus in finem super naturalem per media superna-

naturalia, volunt tamen hunc actum intellectus connotare actum divinæ voluntatis, quo præſtinatus à Deo diligitur, & eligitur. Et nituntur quia Apoſtolus ſcribens ad Roman. 8. ait: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*: & cap. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit*, in quibus locis Apoſtolus vocat prædeſtinationem præſcientiam quæ pertinet ad intellectum. Tum quia prædeſtinatio eſt pars providentiæ, & providentia eſt actus prudentiæ; ſed prudentia pertinet ad intellectum ergo etiam prædeſtinatio. Alii vero ut Scotus in *1. diſt. 40. quæſt. 1.* D. Bonaventura *part. 2.* Aureolus *quæſt. 4.* & plures alii volunt prædeſtinationem de ſuo formali importare tantum actum voluntatis, & nituntur eo quia ad *Epheſ. 1.* & *Matth. 20.* prædeſtinati dicuntur electi. Et ad Roman. 8. *Prædeſtinatio eſt Dei propoſitum*, hinc quia prædeſtinatio circa electos vocatur in ſcripturis decretum, propoſitum, electio, qui ſunt actus voluntatis, debet prædeſtinatio de ſuo formali includere ſolum actum voluntatis. Tum quia prædeſtinatio eſt cauſa efficax mediorum ad finem in ordine ad aſſecutionem finis. Sed hæc efficacitas pertinet ad divinam voluntatem conſequenter prædeſtinatio ex vi ſui conceptus formalis dicit ſolum actum voluntatis. Verum videtur dicendum prædeſtinationem ex vi proprii conceptus formalis utrumque actum intellectus, & voluntatis includere, quia ſcriptura prædeſtinationem vocat propoſitum ad Epheſ 1. *æternum illud propoſitum ſeu decretum*, ſed decretum pertinet ad voluntatem decernentem. Interdum vocat electionem, quæ pertinet etiam ad voluntatem. Subinde etiam vocat conſilium, & præſcientiam, qui ambo actus pertinent ad intellectum: Cum igitur ſcriptura utrumque actum intellectus, & voluntatis includat in ipſa prædeſtinatione ſequitur hanc de ſuo formali utrumque actum importare, & ſuffragatur huic ſententiæ Auguſtinus lib. de bono perſever. cap. 14. ubi definit prædeſtinationem per utrumque actum: quæ autem includuntur in definitione rei ſunt de conceptu formali illius, conſequenter uterque actus intellectus, & voluntatis eſt de conceptu formali prædeſtinationis ait enim Auguſtinus, *Prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quam præſcientia, ſcilicet præparatio beneficiorum Dei quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.* Præſcientia autem eſt actus intellectus, quia præſcire ſicut ſcire ad intellectum pertinet. Præparare autem beneficia ad liberandum proprie ſpectat ad liberalitatem voluntatis libere decernentis præſtare beneficia, & liberare, ergo ex D. Auguſtino prædeſtinatio de ſuo formali dicit utrumque actum intellectus, & voluntatis. Tum quia quamvis prædeſtinatio ſi nominis ſpectemus etymologiam actum videatur ſignificare intellectus, & quaſi ſolum connotare actum voluntatis adnexum conſequenter ſtando in pura nominis etymologia probabilior eſt ſententiæ D. Thomæ aſſerentis prædeſtinationem de ſuo formali dicere ſolum actum intellectus in recto, ut connotantem in aliquo actum voluntatis: nihilominus, quia quoad rem ſignificatam includit utrumque actum, & ſcripturæ ſubinde vocent prædeſtinationem propoſitum, decretum, & electionem quæ pertinent ad voluntatem, & interdum conſilium, quod eſt actus intellectus ideo ſatius duco, congruentius eſſe juxta modum loquendi ſcripturæ prædeſtinationem ex vi proprii conceptus formalis utrumque actum intellectus, & voluntatis formaliter includere. Ratio itidem ſuffragatur, quia prædeſtinatio eſt diſpoſitio ordinis creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem, & non eſt diſpoſitio utcunque, ſed ut ſe habet communicativo modo, quia prædeſtinatio, cum ſit efficax debet inferre ſuum effectum ad extra, & ponere in rebus illum eundem ordine quem in ſe dicit formaliter: hoc autem non ſalvatur, niſi ſe habeat communicativo modo, atqui ſe habere communicativo modo includit formaliter actum voluntatis, ſiquidem vis communicativa eſt ipſum decretum efficax divinæ voluntatis: ergo cum prædeſtinatio præter ordinem illum, quo creaturæ rationales diſponuntur, & ordinantur ad finem ſupernaturalem, dicat etiam formaliter vim communicativam ejuſdem ordinis ad extra, ſequitur, quod de ſuo conceptu formali juxta modum loquendi ſcripturarum dicat utrumque actum intellectus, & voluntatis, illum ut diſponentem, & ordinantem per media ſupernaturalia creaturam rationalem ad finem ſupernaturalem, & ut oſtendentem talem diſpoſitionem, & ordinem voluntatis, & hunc ut ponentem ad extra talem diſpoſitionem, & ordinem: etenim prædeſtinatio, ſi efficax ſit, ponit ſuum effectum ad extra, quia per prædeſtinationem, ut loquitur Auguſtinus *certiſſime liberantur, quicunque liberantur*, quod non contingeret niſi poneretur effectus ad extra per actum voluntatis ſiquidem efficax & ultima determinatio de aliquo effectu eſt à ſola voluntate ponente effectum ad extra.

Quod ſi dicas ex ſcripturis tantum ſequi utrumque actum intellectus, & voluntatis tantum pertinere ad integritatem prædeſtinationis, quo fit, ut etiam Sancti Patres nulla adhibita diſtinctione explicent, ac definiant prædeſtinationem per actum voluntatis non per rationem formalem, ſed tantum per connotatum ex quo inferunt prædeſtinationem tantum connotative includere actum voluntatis non vero de ſuo formali. Contra eſt, quia cum ſcripturæ definiant per utrumque actum prædeſtinationem debet uterque eſſe de formali conſtitutivo prædeſtinationis, ſiquidem per definitionem tantum explicantur prædicata conſtitutiva rei definitæ: res autem definita, & conſtituta dicit in recto, & de ſuo formali prædicata, quibus conſtituitur, unde ex eo, quod ſcripturæ definiant prædeſtinationem per utrumque actum uterque eſt in recto de conceptu formali prædeſtinationis, quo pacto D. Auguſtinus conſideratis modis loquendi ſcripturarum definivit prædeſtinationem per utrumque actum, ut ſuperius oſtendimus. Præterea prædeſtinatio dicit ordinem, quo creaturæ rationales diſponuntur, & ordinantur ad finem ſupernaturalem non utcunque, ſed dicit ordinem efficacem, ſe habentem communicativo modo, quatenus ponit effectum ad extra; & non poſſet ita ſe habere formaliter, niſi formaliter includeret actum voluntatis, quia efficax, & ultima determinatio de effectu, qui ponitur ad extra eſt actus voluntatis, ſeu ejus decretum efficax. Inſtant tamen quia tametſi efficacia operationis agentis liberi ſit à ſola voluntate, non tamen inde ſequitur ſolos actus voluntatis eſſe efficaces, quia etiam actus cæterarum potentiarum quatenus imperantur à voluntate ſunt efficaces, & id ſufficit, ad rationem prædeſtinationis quod ſumpta ſecundum ſe, & præciſe, quantum ad propriam rationem formalem ſit extrinſece efficax ſcilicet efficacitate proveniente ab actu divinæ voluntatis, quod talis prædeſtinatio fuit volita: ex quo tantum inferri poteſt actum voluntatis pertinere quidem aliquo pacto ad eſſentiam prædeſtinationis non tamen formaliter, & in recto, ſed ut quid neceſſarium præſuppoſitum in obliquo ſed contra: quia prædeſtinatio eſt intrinſece efficax, alioquin non recte definiretur

Digitized by Google

finiretur ab Auguſtino *præſcientia præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur:* ſed non poteſt eſſe intrinſece efficax niſi intrinſece, & formaliter includat actum voluntatis; Siquidem efficacia prædeſtinationis in eo præciſe conſiſtit, quod ratione illius ponatur ad extra ille idem ordo, quem dicit in ſe formaliter: ponere autem ordines ad extra eſt communicare bonitatem creaturis, quæ communicatio non habetur niſi per formalem vim communicativam, quæ eſt formaliter actus voluntatis. Præterea quia ſcripturæ nulla adhibita diſtinctione æque definiunt prædeſtinationem per actum intellectus, & voluntatis? & Sancti Patres eam etiam definiunt per utrumque actum; & ex eo, quod prædeſtinatio includat in ſuo conceptu formali utrumque actum, nullum, inde ſequitur incommodum, quapropter concludendum eſt prædeſtinationem de ſuo formali utrumque actum intellectus, & voluntatis includere. Non tamen actus intellectus, quem formaliter importat prædeſtinatio eſt imperium monarchicum, ſed ſola judicium practicum proponens voluntati divinæ hæc, vel illa media hic & nunc eligenda, quæ de facto eliguntur, adeo ut hoc judicium antecedat decretum liberum. Ratio eſt, quia hoc imperium monarchicum non datur in intellectu creato, quo quis imperet ſuis propriis potentiis, exercitium alicujus actus conſequenter, neque datur in Deo, in cujus intellectu diſtinguimus actus per reſpectum ad eos, quos intellectus creatus elicit, quod non detur hoc imperium monarchicum in intellectu creato liquet, quia intellectus eſt eſſentialiter, & adæquate potentia cognoſcitiva: conſequenter nullum poteſt actum elicere, qui non ſit cognitio: ſed imperium monarchicum ut diſtinctum à judicio practico non eſt cognitio, ſed tantum quidam impulſus, vel motio explicata per verbum modi imperativi fac hoc, ergo cum imperium monaſticum tantum formaliter dicat impulſum, & non cognitionem non poteſt ad intellectum pertinere. Si dicas intellectum ſpeculativum nullum poſſe elicere actum, qui non ſit cognitio, & pertineat ad aliquam ex tribus intellectus operationibus ſimplicem apprehenſionem, judicium, & diſcurſum: bene tamen intellectum practicum poſſe haberi hunc impulſum diſtinctum formaliter à cognitione eo quia pertineat ad intellectum practicum non ſolum cognoſcere, ſed etiam cauſare & producere. Contra eſt, quia potentia cognoſcitiva cujusmodi eſt intellectus nequit alios actus elicere niſi cognoſcitivos; ſiquidem de ratione intellectus eſt cognoſcere per omnem actum quem elicit: quilibet enim actus, eſt exercitium potentiæ cognoſcitivæ conſequenter debet eſſe ipſa actualis cognitio ſicut exercitium potentiæ viſcivæ non impeditæ non poteſt quid aliud eſſe, quam ipſa viſio, ut etiam exercitium potentiæ auditivæ nil aliud quam auditio. Præterea quia hoc imperium monarchicum, quod explicatur per impulſum, & motionem indicatam per verbum modi imperativi fac hoc, licet daretur, non tamen eſſet ex ſe efficax ad extra, ſed ad ſummum ratione voluntatis, quia faceret ut voluntas communicativo modo ſe haberet, conſequenter prædeſtinatio efficax, de cujus ratione eſt ponere effectum ad extra, adhuc non poſſet de ſuo formali importare tantum hoc imperium monarchicum; ſed ulterius deberet formaliter includere actum voluntatis, quo prædeſtinatio conſtitueretur formaliter efficax. Præterea quia hoc imperium monarchicum ſi daretur nullum poſſet in Deo habere uſum: ſiquidem non poſſet præſtare, ut voluntas abſolute quid vellet, quia ad hoc ſufficit, ſi voluntati repræſentetur bonum per judicium practicum, vel ſcientiam poſſibilium, quatenus judicium dicit hic, & nunc eſſe eligenda hæc, vel illa media: eo enim ipſo quod ita repræſentantur objecta voluntati divinæ, hæc non indiget alio actu impulſivo, ſiquidem ex ſe habet omnia requiſita ad ponenda hæc vel illa media. Neque uſus hujus imperii monarchici poteſt eſſe, ut voluntas magis prompte, & expedite velit ea media, quæ ipſi repræſentantur per judicium intellectus: Siquidem voluntas divina eatenus indigeret impulſu ſuperaddito huic judicio, ut vellet bonum propoſitum, quia ex ſe eſſet quaſi languida, & indigeret aliquo ſtimulo, quo ſe excitaret, ad executionem; ſed in divina voluntate non poteſt dari hæc indigentia, quia languor oritur in nobis ob difficultatem vel incertitudinem, vel obſcuritatem, vel mutabilitatem, vel tarditatem boni propoſiti: ſed voluntati divinæ nihil eſt difficile, nihil incertum, obſcurum, vel tardum, quia depurata eſt ab omni defectu conſequenter non datur hoc imperium monarchicum ſe habens per modum impulſus, & motionis: ſi dicas hoc imperium non eſſe ſimpliciter impulſum, vel motionem, ſed ulterius importare judicium practicum de re facienda, non tamen quod ſit pure oſtenſivum, ſed quia ſit præceptivum, quod propterea ſupra oſtenſivum addit quemdam impulſum, motionem, vel applicationem potentiæ executricis ad ipſum opus. Sed contra quia voluntas divina utpote ex ſe includens totam plenitudinem perfectionum, & excludens omnem defectum, & indigentiam non indiget hoc impulſu, & motione, alioquin eſſet ratio aſſignanda hujus indigentiæ, quæ non poſſet fundari niſi in aliquo defectu, & quia divina voluntas eſſentialiter excludit omnem defectum, ideo debet eſſentialiter excludere hanc indigentiam impulſus, & motionis: eo enim ipſo, quod judicium practicum repræſentet divinæ voluntati hæc, vel illa media, ut eligenda in ordine ad finem ſeu conferendam beatitudinem creaturæ rationali, voluntas ex ſe poteſt talia media velle & communicare ex motivo divinæ bonitatis, quæ eſt objectum primarium motivum, & determinativum ejusdem, quando enim voluntas habet bonum ſibi propoſitum & non habet motivum in contrarium, ut in caſu noſtro, poteſt velle, & de facto vult tale bonum, ſufficit enim ad executionem voluntatis actus approbativus judicii practici per electionem efficacem. Præterea quia ſi ultra hoc judicium practicum, & approbativum per electionem efficacem requireretur aliquis impulſus maxime quia voluntas non deſiſteret ab electione efficaci, atqui ad id non eſt neceſſarius alius impulſus ſuperaditus judicio practico, quia ut voluntas non deſiſtat ab electione efficaci, & applicet potentias executivas ad opus ſufficit judicium practicum, quo intellectus judicet hic, & nunc applicationem talium mediorum eſſe convenientem; & aliunde non repræſentetur voluntati motivum in oppoſitum, quia tunc divina voluntas intelligitur habere omnia requiſita ad non deſiſtendum ab electione efficaci.

His præmiſſis ad neceſſariam Prædeſtinationis notionem reſpondetur ad propoſitionem aſſertam à Calvino, falſum eſſe prædeſtinationem factam, à Deo eſſe ante præviſionem peccati originalis; quia hoc pacto facta fuiſſet ante decretum incarnationis, cum hoc decretum factum fuerit, poſt præviſum peccatum originale, ſiquidem fuit decretum redimendi genus humanum per necem Jeſu Chriſti, & homo non indiguit redimi, niſi poſt lapſum Primi Parentis; tunc enim erigi indiguit, quia cecidit, & redimi quia famulus cacodæmonis per peccatum fa-

ctus

Digitized by Google

ctus fuit, à qua ſervitute peccati & Dæmonis indiguit redimi pretio ſanguinis Jeſu Chriſti. Sed prædeſtinatio non fuit facta in ſigno antecedente ad decretum incarnationis, ſed in ſigno poſteriori, quia facta fuit in Chriſto ut primogenito prædeſtinatorum, & fundatur in Chriſti meritis; ergo falſum eſt, quod aſſerit Calvinus, Prædeſtinationem factam fuiſſe ante prævisionem peccati originalis. Hic Calvinus non poteſt evadere quin pugnet contra ſe ipſum, quia *lib. 3. cap. 24. §. 5.* fatetur nos in Chriſto electos fuiſſe & recte. Sed *lib. 2. cap. 12. §. 4.* docet Chriſtum non fuiſſe venturum in carne, niſi Adam peccaſſet, neque ad alium finem noſtram induiſſe humanitatem; niſi ut genus humanum quod per peccatum originale protoparentis lapſum fuerat, erigeret, eique ſuccurreret perdito, & à ſervitute dæmonis, & peccati redimeret: ex quo ſequitur, prius prævisum fuiſſe Adæ peccatum, quam decretam incarnationem Chriſti. Si ergo prædeſtinatio, ſeu electio ad vitam facta eſt ante prævisum peccatum, multo magis ante decretam incarnationem verbi divini. Quomodo ergo ut fatetur etiam ipſe Calvinus facta eſt in Chriſto, & ex meritis Chriſti in quibus fundatur? hinc patet contradictio, qua ſecum pugnat Calvinus, qui nunquam poterit hæc conciliare. Secundo ſi ex doctrina Calvini electio ad gloriam facta eſt ante prævisionem omnium operum, & meritorum, quomodo Calvinus in pluribus aliis locis docet parvulos decedentes ſine baptiſmo ſalvari in fide parentum? nunquid parvuli infidelium pereunt, & fidelium ſalutem conſequuntur? id enim neceſſe eſt ſequatur in doctrina Calvini & Deum in electione parvulorum aliquem habuiſſe reſpectum ad fidem parentum, quod ſi parvuli decedentes ſine baptiſmo ſalvantur in fide parentum, cum fide, hæc ſit aliquod opus bonum, ſequitur evidenter in ſententia Calvini, electionem ad gloriam factam fuiſſe intuitu bonorum operum.

Præterea quod ad aliam attinet propoſitionis partem, qua aſſerit Calvinus Deum ab æterno decreto ſuo immutabili quosdam deſtinaſſe ad mortem ſine reſpectu, & prævisione peccati originalis, aut actualis; reſpondetur in hoc ſenſu propoſitionem eſſe impiam; & hæreticam; quia Deus quantum eſt ex ſe neminem vult perire, ſed omnes ſalutem conſequi, & propoſitioni Calvini obſtant tria in ſcripturis decreta, quorum primum eſt, quo Deus ſtatuit totum humanum genus condere, & deſtinare ad æternam felicitatem, & omnes eo perducere, quantum in ſe eſt, ſi homines ſuo vitio id non impediant. Alterum eſt, quo decrevit non obligare hominem ad pœnam mortis, niſi præcepto Deo rebellis eſſet. Tertium, quo firmiter propoſuit magis ſuam bonitatem, & miſericordiam, quam juſtitiam, & ſeveritatem in homines, quamvis rebelles, & peccatores exercere: ex hoc triplici decreto conſtat falſum eſſe aſſertum Calvini. Ut enim docet D. Auguſtinus hæc regula ſervanda eſt, nos, quæ Deus ab æterno decrevit agere circa homines, optime poſſe cognoſcere ex iis, quæ in tempore circa eosdem exercet, eo quia Deus nec temere quidquam facit, nec ſua decreta mutat, unde ſi quid facit, hoc immutabili, & æterno conſilio decrevit facere: ſed Deus in tempore creat omnes homines ad eum finem, ut quantum eſt ex ſe æternam conſequantur ſalutem, ergo Deus ab æterno hoc idem decrevit, etenim Deum creaſſe hominem ad eum finem ut æternam conſequeretur ſalutem, & non periret, habetur Geneſ. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Si quæras, quid ſit imago, & ſimilitudo Dei, plures ex ſanctis Patribus ita diſtinguunt, ut per imaginem intelligantur dona naturæ, ſeu tres animæ potentiæ intellectus voluntas memoria, liberum arbitrium: & per ſimilitudinem dona gratiæ, & juſtitiæ, cujusmodi ſunt ſanctitas, charitas, juſtitia, innocentia, & Calvinus etiam eodem modo intelligit, unde utroque vocabulo non ſolum comprehenduntur dona naturæ, ſed etiam gratiæ, adeo ut aliud non ſit hominem creatum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quam in prima ſua creatione præditum fuiſſe intellectu, voluntate, ſeu libero arbitrio, & memoria, ut etiam ornatum donis ſupernaturalibus gratia, virtute & ſanctitate, ut hiſce præſidiis inſtructus poſſet ſe promovere ad aſſecutionem vitæ æternæ. Neque id putes verum eſſe de ſolo Protoparente, verum etiam de tota ejus poſteritate, quæ in Adamo ut in capite, ac radice totius humani generis continebatur, unde tota Adami poſteritas in prima ſui origine fuit à Deo deſtinata ad æternam felicitatem, adeo ut Deus nullum ad mortem, & interitum ante lapſum primi parentis divina voluntate mancipatus fuerit. Hæc eſt communis ratiocinatio ſanctorum Patrum, quæ adeo perſpicua eſt, ut vel ipſe Calvinus non potuerit non aſſentiri, ait enim ipſe cap. 15. §. 4. contra Oſiandrum: *Sub imagine ad quam conditus eſt homo, comprehendi quidquid ad ſpiritualem, & æternam vitam ſpectat,* & §. 5. contra Servetum id etiam evincit ex D. Paulo inquiens: *Non ſubſtantiæ influxu, ſed ſpiritus gratia, & virtute fuiſſe hominem Deo conformem,* & §. 6. ait: *Hominem ad cæleſtis vitæ meditationem conditum eſſe,* & §. 8. *Hominem in illo ſtatu, & integritate præditum fuiſſe libero arbitrio quo ſi vellet poſſet adipiſci vitam æternam.* Quod vero eadem dona non ſoli Adæ, ſed etiam toti ejus poſteritati data fuerint ipſemet Calvinus lib. 2. inſtit. cap. 1. perſpicue aſſerit; cum enim plura dixiſſet de fine, ad quem conditus à Deo eſſet homo, ſeu de æterna beatitudine poſtea. §. 7. ait: *Ornamenta illa, quibus præditus fuit Adam non uni homini data fuiſſe, ſed univerſæ hominis naturæ attributa.* Unde vel ex ipſo Calvino neceſſe eſt inferamus veriſſimum eſſe totum humanum genus in Adamo conditum fuiſſe propter æternam ſalutem ob cæleſtem felicitatem, unde quod poſtea Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 22. aperte docuerit, Deum primaria, & antecedente voluntate quosdam ad interitum deſtinaſſe minime poteſt cohærere, cum iis, quæ antea dixerat; ſed quia priori loco Calvinus diſputaret contra Servetum quem convincere non poterat niſi ex vera doctrina Catholicorum, ideo adactus fuit volens, nolens eidem aſſentiri: & quia in poſteriori loco Catholicos impugnaret, & id præſtare nequiret niſi ex falſis principiis ac perverſe intellectis, ideo contraria effutivit, & ſibi ipſi contradixit. Idque ut clarius evincatur corroborandum eſt ex doctrina D. Pauli ſerio monentis ut per Chriſtum reformemur juſtitia, & ſanctitate in vitam æternam; unde talis fuit ſtatus hominis ante prævaricationem Adæ, ait D. Paulus ad Epheſ. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem: qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Renovari autem ſi proprie velimus loqui aliud non eſt, quam ad priſtinam novitatem redire: & prima noſtra novitas in ſtatu fuit innocentiæ. Tunc enim in primo parente eramus novi, & corpore, & anima: corpore quia immortales, & incorruptibiles, & animo quia ſancti, & innocentes, ac divinæ participes amicitiæ: & quia hanc novitatem perdidimus per peccatum primi parentis, & cum illo in vetuſtatem, ſeu caducitatem peccati lapſi ſumus, ideo Apoſtolus Paulus

Digitized by Google

nos adhortatur, ut illam primævam novitatem recuperemus non quæ fuit in corpore, ſed quæ in anima inquiens; *Renovamini ſpiritu mentis veſtra:* ſiquidem non poſſumus corpore renovari niſi in reſurrectione mortuorum, *quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem:* ſpiritu tamen mentis poſſumus imo debemus etiam in hac vita renovari, quia ſi per peccatum amiſimus dona ſupernaturalia participationem divinæ amicitiæ, filiationem adoptivam filii Dei, & partem æternæ hæreditatis poſſumus hæc omnia beneficio reſipiſcentiæ, ac divinæ gratiæ recuperare, ac mente renovari, proinde quærit Apoſtolus, & ait: *Induite novum hominem*, nec quid aliud eſt induere hunc novum hominem niſi dona ſupernaturalia, quæ peccando amiſimus, reſipiſcendo recuperare, præſcribit enim Apoſtolus modum, quo debeamus renovari, ſcilicet ut induamus novum hominem abjicientes veterem hominem ſeu peccatum quod ex Adami corruptione contraximus, & vitam ſectemur novam, quæ ſit, ſecundum Chriſtum in juſtitia, & ſanctitate. Id enim ſi præſtemus, revertimur ad primævam illam novitatem ſpiritus quæ fuit in ſtatu innocentiæ. Hoc idem etiam explicat Apoſtolus ad Coloſ. 3. *Nolite mentiri invicem expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum, qui renovatur: in agnitionem ſecundum imaginem ejus qui creavit illum*: quid per veterem hominem intelligitur niſi Adam, & quid per novum niſi ipſe Chriſtus, veterem igitur exuimus hominem, quando in noſtris operationibus non amplius aſpicitur ſimilitudo Adami peccantis. Novum induimus, quando ita vivimus, ut Chriſtus in noſtris actibus, verbis, & converſatione manifeſte appareat. Hinc ex utroque textu D. Pauli poteſt argumentum conſici. Quoties per Chriſtum renovamur, id reparatur, quod in Adamo perdidimus: Sed reparamus gratiam, & ſanctitatem, ergo illam perdidimus in Adamo conſequenter antequam Adam peccaret omnes homines juſti, & ſancti erant coram Deo, & tales perſeveraſſent, ſi Adam non peccaſſet.

Ex his patet ex ſcripturis, & ratione hominem fuiſſe à Deo conditum propter ſalutem æternam & gloriam cœleſtem. Ut autem appareat, quomodo poſt hanc deſtinationem ad vitam æternam mors irrepſerit indicat ſcriptura. Geneſ. cap. 2. *Tulit Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, præcepitque ei dicens ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientia boni, & mali ne comedas in quocunque enim die comederis ex eo morte morieris.* Conſtat autem ex ſcripturis triplex dari mortis genus, eſt enim mors corporis conſiſtens in ſeparatione animæ à corpore corruptibili, ſeu in amiſſione vitæ temporalis, aliud eſt mortis genus, quod infligitur per peccatum lethale, & tandem tertium genus eſt æterna damnatio conſiſtens in privatione vitæ æternæ, & quamvis non deſint, qui cenſeant præfatum textum Geneſeos intelligendum eſſe duntaxat de morte animæ, Pelagiani referente D. Auguſtino Lib. 1. de peccat. merit. cap. 2. & alii de morte corporis ut ſancti Patres præſertim Auguſtinus loc. cit. & D. Hieronymus in quæſtionib. Hebra. Alii etiam intelligunt textum de triplici mortis genere ut Auguſtinus lib. 13. de civit. cap. 12. ſcilicet de morte animæ per amiſſionem gratiæ de morte corporis per amiſionem vitæ, & de morte æternæ damnationis per amiſſionem cœleſtis gloriæ. Sunt enim hæc tria mortis genera ita inter ſe connexa, ut unum inferatur ex alio hinc ſenſus præfatæ ſcripturæ eſt: Ego præcipio tibi Adam, ne comedas de hoc ligno, ſi obſecutus fueris, manebis apud me in gratia, & amicitia cum tuis poſteris, nullique eris corruptioni obnoxius, & hæreditatem adibis vitæ æternæ. Sin vero meum fueris transgreſſus præceptum omnia contraria tibi contingent, privaberis hæreditate æterni regni, amittes divinam gratiam, reverteris in pulverem, & à regni poſſeſſione excluderis: datur ergo tibi optio eligendi utrumlibet, vitam, vel mortem, bonum, & malum eſt enim utrumque in poteſtate liberi tui arbitrii, teque propterea relinquo in manu conſilii tui. Hinc quia Adam in perſona totius poſteritatis potuit ſervare præceptum Dei, & potuit illud transgredi, ideo ſicuti libere fuit illud transgreſſus, & ſecum traxit in ſententiam mortis totum humanum genus, totamque ſuam poſteritatem, ita potuit libere obtemperare ac injunctum ſibi præceptum ſervare, quo pacto ſe, & poſteros omnes vindicaſſet à morte. Non igitur Deus, ut aſſeruit Calvinus pro ſuo libitu deſtinavit hominem, ad mortem, ſed mors ex peccato ſecuta fuit, ut paſſim repetit ſcriptura Sapient. 1. *Deus mortem non fecit.* Sapient. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem. Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*, Ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* I. Corinth. 16. *In Adam omnes moriuntur*, ſunt enim hi textus adeo perſpicui, ut nullo modo eludi poſſint. Hinc Auguſtinus Lib. de prædeſtinat. Dei Cap. 1. ait: *Creavit Deus hominem, & prædeſtinavit, ut ſi obediens eſſet, ac à guſtu vetiti pomi ſe abſtineret, in vita permaneret ſin autem inobediens eſſet, mortis ſententiam ſubiret*, & nonnullis interjectis ſubdit. *Quia ergo peccavit homo, juſtum erat, ut mereretur: ſi non peccaret, nullo vinculo prædeſtinationis divinæ mortis ligaretur.* Hinc in ſtatu innocentiæ perſpicuum eſt, non fuiſſe locum pro morte incurrenda, antequam peccaret Adam, ſed ex ejus libera prævaricatione, fuiſſe debitum mortis ſecutum, & non ex mera Dei voluntate; ut ſomniavit Calvinus aſſerens: Deum creaſſe quoſdam ad mortem, & interitum, ſine præviſione ullius culpæ, quæ propoſitio ab Auguſtino hæretica habita eſt, diſputabat enim Auguſtinus contra Semi-pelagianos de prædeſtinatione, & quia iſti ſancto Doctori, ut labem aliquam aſpergerent, congeſſerunt quoſdam articulos aperte hæreticos, quoſque falſo attribuerunt, quos tamen Auguſtinus Lib. ad art. ſibi falſo impoſ. art. 5. Ut ſpurios rejicit, & condemnat; tertius articulus erat, quod Deus majorem partem humani generis ad hoc creet, ut illam perdat in æternum qui articulus poſtea fuit proprius Calvini, & ab Auguſtino refutatur his verbis: *Omnium quidem hominum Deus creator eſt, ſed nemo ab eo ita creatus eſt ut pereat, quia alia cauſa eſt naſcendi, alia pereundi. Ut enim naſcantur homines, eſt beneficium, ut autem pereant, prævaricatoris eſt vitium.* Calvinus vero hoc vitium refundit in Deum, cum aſſerit, *quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.* Quod igitur homo æternis condemnetur ſuppliciis cauſa non eſt Deus, qui eum condidit propter æternam ſalutem & cœleſtem gloriam, ſed vitium eſt ipſius hominis negligentis ſtudia virtutum, & adhærentis indulgentiæ carnis, & mundi voluptatum.

Oſtenditur itidem contra Calvinum, & ejus aſſeclas Deum decreviſſe magis ſuam bonitatem, & miſericordiam in nos exercere, quam juſtitiam, & ſeveritatem oſtendere, ait enim David Pſal. 24. *Univerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas*, & Pſal. 32. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Pſal. 135. *Confitemini*

Digitized by Google

Fomini domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Psal. 144. *Suavis dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Quòd si miserationes Dei sunt super omnia opera ejus, proculdubio, excedunt justitiam, severitatem, adeo ut magis propendeat ex sua clementia ad miserendum quam ex sua justitia ad puniendum. Hinc Deus non solum circa prædestinatos, verum etiam circa reprobos est magis clemens magisque misericors, quam justus, & severus respectu termini in obliquo, seu creaturarum, quatenùs hæ uberiores experiuntur effectus misericordiæ, quam justitiæ, quia in Deo omnia attributa in recto, sunt æque infinita in propriis lineis: ergo qui negat effectus misericordiæ uberiores esse in homines, quam illos justitiæ, negat sacras scripturas: sed Calvinus, id negat, ergo inficiatur sacras scripturas: siquidem in sententia Calvini nonnisi paucissimi sunt prædestinati, scilicet ipse tantum & ejus asseclæ, reliqui omnes reprobi sunt. Præterea ex illius sententia Deus tantum circa prædestinatos suam exercet misericordiam, & super reprobos tantum justitiam & severitatem, quos propterea destinat æternis cruciatibus in gehenna eosque incitat ad peccatum, ut inde ansam desumat eos puniendi, eosque deserit, ac destituit omni auxilio supernaturali, ne possint resipiscere, nullumque benevolentiæ signum illis exhibet, hæc enim omnia expresse asserit Calvinus, quod repugnat sacris scripturis, in quibus dicitur: terra plena esse misericordia Domini, quod negat Calvinus asserens Deum circa nos magis exercere severitatem quam misericordiam. Quinimo ex Calvini sententia sequitur Deum injustum esse, & crudelem, quam blasphemiam horrent ipsæ aures, eo quia hominem innocentem æternis destinat cruciatibus torquendum, si enim Princeps aliquis plures vellet ex suis subditis damnare ad mortem subeundam in tormentis, & cruciatibus, tametsi nulla essent flagitii noxa infecti, & eorum innocentia aliis perspicua esset, proculdubio Princeps ille injustus, & crudelis esset, quia tantam severitatem exerceret in innocentes nullius criminis labe intectos: sed in sententia Calvini perinde se gerit Deus in homines, quos ante omne flagitium, & peccatum destinat ad æterna suplicia, & ad mortem subeundam æternam. Præterea Christus Luc, 6. nos hortatur, ut benigni, & misericordes simus non tantum erga eos, qui nobis benevoli sunt, & amici, verum etiam erga inimicos, & ad id suadendum duplici utitur argumento, quorum primum est, quia si nostra benignitas, & misericordia ad solos amicos se extendit, nihil discrepamus à Gentilibus, eo quia isti suos benefactores, & amicos etiam benevolentia, & amore prosequuntur. Secundo quia cum simus filii Dei tenemur imitari Patrem nostrum, qui etiam super ingratos, & malos benignus est. Modo quærendum est ex Calvino in quo sita sit hæc Dei benignitas circa malos, protervos, & ingratos, & an ex eo benignus sit, quia ad mortem & damnationem æternam eos condiderit, nulla ipsorum offensa provocatus? vel quia eos impellit, ut peccando laqueum sibi præparent, quo suspendantur aut ignem suscitent, quo æternum crucientur? si hæc est illa benignitas, quam debemus imitari, debemus asserere Calvini asseclas in hac Schola egregie profecisse. Sed scriptura longe aliter hanc misericordiam explicat: nimirum quia Deus toti humano generi dedit Redemptorem, & cum posset totum humanum genus perdere, eo quia peccaverit in primo homine, & dignum se constituerit æterna morte, voluit potius omnes ab eadem morte liberare, & à servitute diaboli, & à famulitio peccati totum humanum genus redimere pretio sui sanguinis; voluit enim potius omnes ad se invitare, hortari, ad pœnitentiam, patienter expectare & offerre gratiam, ac æternam promittere gloriam, ac omnes amoris, & benignitatis effectus exercuit, ut homines perditos ad viam salutis perduceret, & hæc Dei circa omnes misericordia maxime ad spem, & fiduciam in eum habendam nos excitat, quia tanta est Dei benignitas, & misericordia, ut neminem quamtumvis flagitiis occupatur patiatur de venia desperare. Calviniana autem misericordia in Deo aliud non est, quam præcipitium desperationis; non enim potest homo in spem erigi, nec fiduciam concipere cum audierit à Calvino se jam ab æterno esse morti destinatum, nullumque à Deo subsidium sperare posse, & omnes labores à se suspectos irritos, ac inanes esse, omnia bona opera frustranea, eo quia decretum divinum, quo quis ad supplicia destinatus est æterna ante prævisa peccata, ante prævisionem bonorum operum, sit immutabile, neque possit amplius revocari. An non est laxissimam vitiis sternere viam audire à Calvino, si Deus quempiam ante prævisa bona opera destinaverit ad cœlestem gloriam tam decreto intentivo, quam executivo, quicquid egerit sive boni, sive mali ætrnam erit consequuturus salutem quia divinum decretum nulli sit amplius mutationi obnoxium: & cum nesciat quis, an de numero sit prædestinatorum, vel reproborum, ita secum discurrat: si sim præscitis, & damnatis ex divino decreto adscitus, quidquid egero sive boni, sive mali semper damnandus ero, quia Dei decretum est immutabile: ergo saltem in præsenti seculo debeo mundi voluptatibus, & corporis commodis indulgere, cum in futuro sim tormentis gehennæ æternum torquendus, sin vero prædestinavit me Deus ad gloriam quidquid agam nemo poterit de numero delere prædestinatorum; & cum mihi non constet, nec fuerit revelatum, quod sim de numero prædestinatorum; satius mihi est si in prætensi vita carnis indulgeam deliciis sensuumque voluptatibus, meisque satisfaciam concupiscentis, quia si Deus suo æterno decreto me prædestinavit ad gloriam quidquid egero sive boni sive mali, non poterit aliter fieri, quin sim cœlesti beatitate donandus. Ecce quomodo Calviniana prædestinatio ad vitia, & desperationem viam aperiat. Aliter igitur discurrunt Catholici asserentes, Deum neminem damnare ante prævisa illus peccata, & demerita; ac propterea docentes causam æternæ damnationis esse ipsa mala opera damnati. An vero aliqui reprobati sint propter solum peccatum originale, ac in massa æternæ perditionis derelicti. Si de parvulis quæratur, constat, eos reprobari ob solum peccatum originale, cum quo ex hac vita decedunt ante usum rationis, ut alibi tom. 5. Theologiæ scholasticæ de Peccato originali Disp. 30. per plures sectiones probavi. Sin vero sermo sit de adultis, an isti deserantur in massa perditionis ob solum peccatum originale, & absque ullo respectu, ac prævisione peccatorum actualium, quæ propria voluntate sint patraturi, id controvertitur inter Theologos Catholicos: sed putarim neque post lapsum primi parentis Deum ab solum originale peccatum adultos cruciatibus addicere æternis siquidem sacræ scripturæ passim testantur Deum, quantum est in se, & ex parte suæ voluntatis omnes velle salvos fieri, & neminem perire, ut. 1. ad Tit. 2. *Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

nire 2. Petri 3. *Patienter expectat propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti* Ezechiel 18. *Nolo mortem morientis dicit Dominus Deus convertimini, & vivite.* Unde quantum est ex parte Dei vult ipse omnes homines salvos fieri, quapropter falsum est ante prævisionem peccati velle aliquos ad supplicia æterna damnari, sed potius vult omnes salvos fieri, quod si plures postea damnentur id non provenit ex parte Dei, sed ex parte hominum, qui indulgentes vitio per prava opera damnari volunt sibique viam per peccata ad perditionem æternam aperiunt, ac sternunt, hinc Deus per Oseam Prophetam. 13. ait: *Perditio tua ex te Israel, ex me tantummodo salus.* Sed quidquid de hoc sit, satis est nos reiecisse Calvini errorem, qui ante prævisum peccatum originale docuit quosdam ad mortem prædestinatos esse, quod sacræ scripturæ adversatur.

Quamobrem asserendum est, Deum ex se & sua bonitate creasse hominem, & totam ejus posteritatem ad eum finem, ut omnes homines æternam consequerentur salutem, & ut hunc finem possent assequi iisdem dedisse omnia ea præsidia naturæ, & gratiæ, quæ ad finem illum consequendum necessaria erant. Quod vero plures exciderint à tali fine, ac reprobentur, id non accidit ex Dei ordinatione, sed ex propria vitiata voluntate hominum, qui salutem non consequuntur, qua si voluissent potiri, potuissent, quapropter Deus voluntate tantum secundaria, & consequente, quæ occassionem sumit ex peccatis hominum, eos reprobat, quos voluntate primaria, & antecedente prædestinaverat, ut enim docet D. Thomas I. *part. quest. 19. art. 6. ad 2.* duplex distinguitur in Deo voluntas primaria una, quæ antecedens dicitur, & ex sola Dei bonitate provenit, & prævenit opera hominum, seu antecedit in signo priori opera hominum: & altera secundaria, & consequens, quæ consequitur ad prævisionem operum hominum. Et prima volutas à D. Chrysostomo *homil. 3. in Genes.* dicitur voluntas bonitatis, sicut & posterior voluntas justitiæ; Deus igitur voluntate antecedente quantum est ex se vult omnes homines salvos fieri, qui non supplicii, aut cruciatus causa, sed ut ipsius bonitatis participes essemus nos condidit: sed voluntate consequente, quæ consequitur opera hominum, seu est in signo posteriori, & supponit prævisionem meritorum, ac peccatorum, ut aliquos ad supplicia æterna addicit, & alios æterna beatitate donat, istos, quia bona opera egerunt, & illos, quia plura multiplicarunt peccata, ac male egerunt, adeo ut, quod illi æternam consequantur salutem, & isti tormentis puniantur æternis id in eorundem opera refundendum sit, hinc Tertullianus recte dixit in libro de resurrect. carnis: *Deus de suo optimus, de nostro justus.* Quatenus Deus voluntate primaria, seu suæ bonitatis vult omnes homines solvos fieri, & voluntate posteriori, vult iis qui bene egerunt dare gloriam, & qui male gehennam. (Sed objicit Calvinus epistolam D. Pauli ad Roman. 9. Ex qua infert causam reprobationis non aliam esse, quam Dei voluntatem ait enim Apostolus: *Cum nondum nati fuissent & aliquid boni, egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Unde Apostolus refundit amorem, & odium non in opera hominum, sed in solum Deum. Rursus quod prædestinati salutem consequantur non quia ipsi bene egerunt, sed ex pura Dei misericordia probat ex illo Apostoli dicentis, *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei*, & ex illo alio confirmat: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Tum quia ait Apostolus: *an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam.*) Verum citati textus, quibus innititur Calvinus ad suum corroborandum errorem illi non suffragantur, quia loquuntur de homine corrupto per peccatum originale, ut explicant sancti Patres, unde probandum esset à Calvino Deum ante prævisum peccatum originale aliquos reprobasse, & damnasse ad tormenta gehennæ. Rursus loquuntur de reprobatione à gratia, & tamen Calvinus iisdem verbis utitur, ut probet quosdam excludi à gloria ante prævisa peccata, quapropter citati scripturæ textus non favent errori Calvini. Deus enim circa reprobos quatuor intelligitur actus exercere. Primo cum creaverit hominem unitum libero arbitrio, ut possit bene vel male operari, prout eidem magis placuerit, permittit eum agere juxta liberum proprium arbitrium, & labi in peccatum. Secundo permittit eum perseverare, & ex hac vita decedere in peccato. Tertio ex eo, quod prævideat aliquos morituros in statu peccati lethalis eos excludit à regno, & quarto eosdem suppliciis gehennæ addicit, quanto igitur Calvinus loquitur de reprobatione, utique loquitur de tertio, & quarto actu: siquidem quærit cur Deus aliquos destinaverit ad pœnas æternas, & respondet, non ob aliam causam nisi quia ipse sic voluit, quod falsum est, quia damnantur non quia Deus velit, sed quia velint ipsi male operari, & mori in peccato: etenim D. Paulus scribens ad Roman. Qui mixti erant ex Judæis, & Gentilibus cum Judæi se efferrent propter legem, & circumcisionem D. Paulus conabatur eos rejicere, quapropter Cap. 9. 10. & 11. Ostendit Judæos in nova lege excludi à gratia evangelica, & Gentiles admitti. Poterant quidem objicere Judæi, & conqueri cur paterentur repulsam, cum gentiles admitterentur, & præsertim cum promissio facta fuerit Judæis non Gentibus, nunquid promissio Dei semel facta potest irritari? si enim fidelis est Deus, & ejus promissio vera, & firma Judæi deberent admitti quibus facta est promissio, & Gentiles excludi; sed respondet D. Paulus promissionem Dei firmam esse, si bene intelligatur, etenim Abraham credidit Deo asserenti, fore, ut in senectute acciperet filium. Propter hanc fidem facta est illi promissio Messiam ex ipso nasciturum. Quæ promissio sicut facta est Abrahamo propter singularem ipsius fidem, ita etiam pertinet ad filios Abrahæ, qui Patris sui fidem sunt imitati. Sed Judæi quando jam natus erat Messias ex posteris Abrahæ, noluerunt credere in Christum Messiam, & ideo ad ipsos non pertinet promissio. Unde possunt salva promissione excludi Judæi à gratia evangelica propter incredulitatem. Hinc Calvinus nihil potest in favorem sui erroris concludere, quia Judæi repulsi sunt a gratia evangelica, & Calvinus loquitur de reprobatione à gloria. Præterea quia Judæi reprobati sunt non ex solo Dei voluntate, sed propter incredulitatem, unde Calvino, probandum est quod reprobatio fiat ex sola Dei voluntate, cum Apostolus Judæorum reprobationem non refundat in solam Dei voluntatem, sed in eorundem incredulitatem. Alia vero quæ citantur ex eodem capite. 9. eo spectant, ut Apostolus ostendat Deum pro suo arbitrio inæqualiter distribuere sua dona, siquidem poterant Judæi objicere non solum ipsos, sed etiam Gentiles esse peccatores, consequenter in pari

causa

Digitized by Google

cauſa non deberi ipſos magis excludi, quam gentes: ſed D. Paolus ſatisfacit objectioni, & reſpondet in pari duorum cauſa poſſe Deum uni plus largiri quam alteri ſicut Princeps poteſt uni dare mille aureos, & alteri centum, imo etiam nihil, eo quia non ex juſtitia ſed ex mero favore, & gratia proveniat talis elargitio; quamvis igitur utriusque fratris Jacobi, & Eſau par eſſet cauſa, tamen unum alteri prætulit in temporali benedictione, quia ipſi ita placuit, cum enim ſit Deus ſupremus Dominus, habeatque pleniſſimum, ac deſpoticum Dominium in res omnes, quas ipſe creavit, & conſervat, poteſt pro ſuo arbitrio eas dare cui magis libuerit abſque ulla injuſtitia, ſed ex ſolo favore, & gratia in illum, cui donantur. Quid ni par erat cauſa Pharaonis, & Nabuchodonoſoris, & nihilominus alterius miſertus eſt Deus, & induravit cor Pharaonis non ob aliam cauſam, quia ſic Deo placuit, miſeretur enim, cui vult, & indurat, quem vult, ſeu permittit obdureſcere in peccato: Ex duobus enim peccatoribus, qui luto ſunt viliores, alterum ex miſericordia aſſumit ad gratiam, & alterum ex juſtitia relinquit in peccato, quia quod uni velit conferre ſuam gratiam, & non alteri ex ſola provenit ejus voluntate, & favore in illum cui confert gratiam, cum ex juſtitia non teneatur dare, huc enim ſpectat illud Apoſtoli ad Roman. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.* Hinc Auguſtinus lib. 1. ad Simplician, quæſt. 2. ait: *Quod Deus non odit Eſau hominem, ſed odit Eſau peccatorem, quapropter illius non miſeretur*, & Ep. 105. ait *Quibus Deus miſericordiam non impertitur, ut non impertiatur, merentur*, quidquid enim boni habet homo, id totum accipit à Deo ex cujus munifica liberalitate provenit, & ſicut Deus poteſt ſua bona concedere uni potius quam alteri, eo quia omnino gratis, & ex ſola libertate ea conferat, nemini injuriam facit, ſi illa bona non elargiatur. Voluit Nabuchodonoſoris miſereri, eique ſuam gratiam conferre, cujus beneficio reſipiſceret, non ex aliqua obligatione, ſed ex ſua mera miſericordia, quam ſi non exercuit in Pharaonem, quem permiſit obdureſcere in peccato, nullam ei fecit injuriam, quia nulla aderat in Deo obligatio eam conferendi.

CAPUT II.

Cum Dei decreto Gratia, & præſcientia cohæret libertas arbitrii in negotio Prædeſtinationis.

Sectarii præſertim Calvinus aſſerunt Dei decretum in materia prædeſtinationis ita eſſe fixum & immutabile, ut tollat omnem noſtri arbitrii libertatem, adeo ut non ſit in noſtra poteſtate ſalutem conſequi, aut tormenta declinare gehennæ, ſed inevitabili neceſſitate ſtante Dei decreto in negotio prædeſtinationis, & reprobationis ſalventur prædeſtinati, & pereant reprobi; ait enim Calvinus lib. 3. cap. 21. §. 7. *Dicimus æterno & immutabili conſilio Deum ſemel conſtituiſſe quos olim aſſumere vellet in ſalutem, quos rurſum exitio devovere*, & cap. 23. §. 8. ait: *Hic ad diſtinctionem voluntatis, & permiſſionis recurritur ſecundum quam obtinere volunt permittente Deo, non autem volente Deo perire impios*, & nonnullis interjectis ſubdit: *Non dubitabo igitur cum Auguſtino ſimpliciter fateri voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem: atque id neceſſario futurum eſſe, quod ille voluerit.* Ex quibus deducitur, decretum Dei in ſententia Calvini ita eſſe immutabile, ut nihil poſſit fieri permittente Deo, ſed volente, adeo ut homo eatenus peccet, non quia Deus permittit peccatum, ſed quia illud velit. Item voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem ex quo ſequitur, quod omnia quæ fiunt, nonniſi Deo volente fiant: atqui Dei voluntas in ſententia Calvini eſt rerum neceſſitas, ergo in ejus ſententia omnia neceſſario fiunt, conſequenter eradicatur à voluntate omnis libertas etiam in negotio prædeſtinationis, & reprobationis, adeo ut qui æternis addicuntur ſuppliciis, ex neceſſitate damnentur, & qui æterna donantur gloria neceſſario ſalventur, ex qua doctrina Calviniana plura ſequuntur abſurda. Primo quod Deus non ſolum permittat fieri peccata, ſed etiam quod velit eadem fieri, quod Calvinus licet concedat, adverſatur tamen aperte Sacris Scripturis. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Quod ſi homo poteſt ex ſua libertate ad vitam ingredi, & ſervare mandata, nullo modo adigitur ad peccatum. Præterea ex eo quod aſſerat voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem ſequitur omnia fieri neceſſario etiam in rebus civilibus, & domeſticis contra ſcripturas Numer. 30. *In arbitrio viri erit ſive faciat, ſive non faciat.* Quod ſi ex arbitrio agit, jam non ex neceſſitate, conſequenter falſum eſt omnia fieri neceſſario. Quod vero Calvinus aſſerat hanc eſſe Auguſtini ſententiam à vero omnino errat, & craſſiſſime decipitur, & licet citet Auguſtinum lib. 6. de Geneſ. ad litter. cap. 15. non tamen illum recte interpretatur, quia Auguſtinus ibi agit de creatione mundi, & primorum parentum, & aſſerit primam illam creationem non fuiſſe in poteſtate creaturæ, ſed in placito creatoris, cujus voluntas ut ipſe ait, rerum eſt neceſſitas. Aliud enim eſt non eſſe in poteſtate hominis antequam creatus ſit, ut hoc, vel illo modo creetur, & aliud non eſſe in poteſtate hominis poſtquam creatus eſt, ut bene, vel male agat. Primum aſſeritur ab Auguſtino, & verum eſt, quia creatura antequam ſit, non poteſt operari, conſequenter non poteſt velle ut hoc potius modo quam alio ſit, volitio enim eſt quædam operatio, quæ præſupponit eſſe, & antequam creatura à Deo creetur, non eſt, & cum non habeat eſſe non poteſt operari, nec velle hoc vel illo modo eſſe. Secundum vero non adſtruitur ab Auguſtino, ſed aſſeritur à Calvino, Auguſtinus enim docet, in poteſtate creaturæ eſſe poſtquam ſuum à Deo habet eſſe bene, vel male agere, prout ipſi magis placuerit, adeo ut ſit in libertate hominis eligere bonum vel malum, & prout ipſi magis placuerit operari Joſue 24. *Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis*, unde quod Calvinus aſſerat in negotio prædeſtinationis non dari in homine liberum arbitrium, ſed omnia ex neceſſitate fieri ob divinum decretum adigens voluntatem ad unum, expreſſe, & aperte adverſatur divinis ſcripturis eſtque aſſertio hæretica olim Auguſtino ab Adverſariis doloſe impoſita, ut patet ex D. Proſpero in libello ad capitulo Gallor. cap. 6. ubi ait: *Quod liberum arbitrium in homine nihil ſit ſed ſive ad bonum ſive ad malum prædeſtinatio Dei in hominibus operatur* huic articulo, qui eſt hæreſis recuſa à Calvino reſpondet pro Auguſtino D. Proſper *Prædeſtinationem Dei ſive ad bonum ſive ad malum in hominibus operari ineptiſſime dicitur:* ex quo liquet decretum in negotio prædeſtinationis non operari

in nobis nec ad bonum, nec ad malum conſequenter ratione talis decreti non neceſſario fieri in homine omnia quæ fiunt, alioquin ſi omnia fierent neceſſario perperam ponerentur à Deo præcepta Decalogi, perperam à Principibus, & ſuperioribus injungerentur mandata inferioribus, fruſtra ſcelera prohiberentur, & injuſte punirentur, neceſſario fierent homicidia, quæ propterea non eſſent punienda, quia quæ fiunt neceſſario non ex malitia propria, ſed ex quodam fatali impulſu fiunt, hinc Reſpublica tota ſus, deque verteretur, Concionatores, & Oratores fruſtra deſudarent hortando populos ad fugam vitiorum, & culturam virtutum, fruſtra ſuaderent adoleſcentibus ſtudia pietatis nilque ab hominibus poſſet ſperari, quia omnia ex neceſſitate fierent, & ſi ab æterno Deus decrevit quid ab unoquoque fieri velit, & hoc neceſſario futurum eſt, tametſi in contrarium adnitatur homo, & oppoſitum moliatur impedire non poterit, quin illud velit, tametſi ſibi in perniciem vertatur: hæc enim abſurda ſequuntur in ſententia Sectariorum, & præſertim Calvini: ſi ita enim omnia fierent ex neceſſitate, projicerent ſe homines in ſentinam omnium vitiorum, ac deploratum in modum ſuis ſatisfacerent concupiſcentiis, nec poſſent puniri adulteria, furta, & homicidia, quia non eſſet in poteſtate hominis ea declinare, cum neceſſario ab illo fierent, nec poſſent vitia hominibus imputari, quorum neceſſitatem Deus decreto ſuæ prædeſtinationis impoſuit. Et quia Calvinum hæc abſurda non latuerunt lib. 3. cap. 23. ſibi objicit hæc argumenta, & nihil aliud reſpondet, niſi quod declamando conatur perſuadere, ut ab hujusmodi cogitationibus animum abducamus, nec hujusmodi res velimus in diſputationem vocare, nimirum vellet Calvinus, ut hæc abſurda non ſcirentur ab aliis.

Catholici vero tametſi fateantur in Deo decretum in negotio prædeſtinationis, & reprobationis, indemnem tamen ſervant libertatem in voluntate, ac poteſtatem in libero arbitrio bene vel male operandi, adeo ut decretum DEI in negotio prædeſtinationis non ſit ita terribile, ut per illud aliis vita, & aliis exitium ſtatuum ſit citra meritum, aut culpam, ſed aſſerunt longe aliter ſe habere, adeo ut bene agentibus præmia ſpondeat, & male operantibus ſupplicia: Unde id intereſt diſcriminis inter Sectarios, & Catholicos in decreto prædeſtinationis, quia Sectarii volunt ſtante tali decreto non poſſe hominem libere operari, ſed tantum ex quadam neceſſitate; Catholici vero volunt cum eodem decreto cohærere libertatem in voluntate, & poteſtatem ad utrumlibet in libero arbitrio. Rurſus concedunt Catholici eſſe hoc decretum quidem immutabile, ſed non per hoc pugnare cum libertate arbitrii, quia cum fuerit homo à Deo conditus cum plena libertate arbitrii, & munitus donis ſupernaturalibus in ſtatu innocentiæ, ſicuti in eo ſtatu in quo creatus fuit, habuit liberum arbitrium, ita etiam nunc habet: ſiquidem illud non amiſit per peccatum originale, neque per actuale, quia licet per peccatum originale fuerint vires liberi arbitrii attenuatæ, quatenus non habet illam pronitatem totalem ſicut in ſtatu innocentiæ ad proſecutionem boni honeſti, non tamen deletum eſt à voluntate, nec extinctum, quia retinuit ſuas vires naturales, & tantum deperdidit ſupernaturales, & illa præſidia, quæ illi obveniebant ab aliis donis ſupernaturalibus; etenim liberum arbitrium in homine nihil aliud eſt, quam ipſa voluntas prædita libertate agendi. Libertas autem triplex eſt, una naturæ, quæ opponitur neceſſitati, altera gratiæ, qua liberamur à ſtatu, & ſervitute peccati, & alia gloriæ, qua liberamur ab omni miſeria, & calamitate animæ, & corporis: ex his tribus prima libertas convenit homini, quatenus eſt homo, ſecunda convenit homini ut juſtificato per gratiam, & tertia homini ut cœleſti beatitate donato. Ex his tribus prima libertas, quæ opponitur neceſſitati, eſt illa à qua denominatur liberum arbitrium non ſecunda vel tertia, unde non eſt quæſtio de libertate gratiæ, quia certum eſt hanc deperdi per peccatum lethale, quo homo deſtituitur gratia ſanctificante: neque eſt quæſtio de libertate gloriæ, quia hæc amitti non poteſt, quia nondum ab homine Viatore poſſidetur. Quæſtio igitur ſupereſt de ipſa libertate naturæ, quæ conſiſtit in vi quadam agendi, & poteſtate operandi, quod homini magis libuerit, adeo ut poſſit bonum vel malum eligere juxta ſuum beneplacitum, excluſa omni neceſſitate; & Catholici communiter docent liberum arbitrium non eſſe ſublatum per peccatum primi hominis ut definitum fuit de fide in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. & expreſſe conſtat ex ſcripturis Deuteron. 30. *Teſtes invoco hodie cœlum, & terram, quod propoſuerim nobis vitam, & mortem benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam ut vivas.* Si in poteſtate eſt hominis eligere propoſitam ſibi vitam, vel mortem benedictionem, vel maledictionem, utique eſt ſui juris, & à nullo adigitur ad electionem unius potius quam alterius; conſequenter eſt liber libertate naturæ, quæ opponitur neceſſitati. Num. 30. *In arbitrio viri erit ſive faciat, ſive non faciat.* Quod ſi eſt in arbitrio hominis agere, vel non agere, & ſicut poteſt agere, ita poteſt non agere ſi velit: ſequitur ipſum eſſe liberum libertate oppoſita neceſſitati. Joſue 24. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis.* 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi.* Eccleſ. 31. *Qui probatus eſt in illo qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, & facere mala, & non fecit.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſub alas, & noluiſti?* Apocal. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo ſi quis aperuerit mihi januam intrabo ad illum.* Rurſus Deus Geneſ. 4. Denuntians eſſe in poteſtate liberi arbitrii humani conſentire aut diſſentire appetitus, & concupiſcentiæ, conſequenter bene, vel male agere in ordine ad merendum, & demerendum reſpective ait. v. 7. *Nonne ſi bene egeris recipies. Sin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit: ſed ſub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Hæc omnia loca ſcripturarum intelligenda ſunt de homine poſt peccatum ab Adamo patratum conſequenter homo in eodem ſtatu habet arbitrium faciendi, & non faciendi, habet electionem vitæ & mortis; poteſtatem transgrediendi, vel ſervandi præcepta, & poteſt Deo vocanti obedire, & reſiſtere ex eo quod Deus, Deuter. 30. dicat: *Elige ergo vitam, ut tu vivas.* D. Cyprianus lib. 3. ad Quirin. cap. 52. probat credendi, vel non credendi libertatem eſſe in hominis arbitrio poſitam, & S. Irenæus lib. 4. cap. 71. ait: *Qui operantur bonum, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cum poſſent illud non operari*, unde contra Calvinum colligitur eum, qui ita operatur ut poſſit non operari, qui ita transgreditur, ut non poſſit transgredi, gaudere libertatis arbitrio, & non ſolum libertate à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Pugnat etiam Calvini ſententia contra Concilia ſiquidem in Conſtantienſi ſub Joanne Papa XXIII. Anno 1414. Seſſ. 8. damnatur articu-

Digitized by Google

articulus Wicleffi aſſerentis *omnia de neceſſitate abſoluta evenire*, cujus damnati articuli ſenſus eſt, ut tradit Waldenſis lib. 1. doctrinæ fidei cap. 23. & ſeq. quia Wicleffiſtæ docebant: Deum non neceſſitare neceſſitate coactionis ad bonum, quia illa ſola tollit arbitrii dignitatem, non autem alia neceſſitas. Rurſus adverſatur Concilio Senonenſi ſub Clemente Papa VII. Anno 1528. quod habetur Tom. 4. Concil. in decretis fidei decret. 15. ubi legitur: *Cum reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui, appoſueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum; ut ad quodcunque voluerit, porrigat manum ſuam; nec abs re beatus ille dicatur qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus & facere mala, & non fecit, quod ſub eo ſit appetitus ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti Sacram Scripturam paſſim obvium ſit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium aſſeveret.* Præterea eandem arbitrii noſtri libertatem ad utrumlibet pleriſque in locis diſerte aſſerit Tridentinum, ſiquidem Seſſ. 6. Can. 4. anathemate percutit, negantes liberum hominis arbitrium motioni divinæ poſſe diſſentire, ſi velit, & ſtudioſe intendit Salvare veram & propriam humani arbitrii libertatem ad merendum, & demerendum neceſſariam, quæ ſtare non poteſt, ſi præveniatur neceſſitate determinante ad unam tantum partem, quia ſic impeditur reſpectu alterius. Rurſus Can. 6. anathematizat negantes *eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere*, & definis voluntatem dum peccat, non ſolum poſſe peccare, ſed etiam habere peccatum in poteſtate, ſeu quod poſſit ita actum peccaminoſum elicere, ut ſimul poſſit, ſi velit, illum coercere, & ſupprimere, quod eſſe non poteſt, ubi adeſt peccandi neceſſitas. Rurſus Can. 32. ait; Hominis juſtificati bona opera ita eſſe Dei dona, ut etiam ſint bona ipſius juſtificati merita: Hinc clare deducitur bonis illis operibus quibus in hoc naturæ lapſæ ſtatu vitam æternam adipiſcimur, meritum aliquod ineſſe non pure naturale, ſed ſupernaturale comparatum beneficio divinæ gratiæ, quod ſufficit, ut Deus non immerito dicatur nobis ſua præmia largiri: atqui meritum ſine libertate ad utrumlibet ſtare nequit, nemo enim prudens credit hominem laudis aliquid vel meriti colligere ex eo poſſe, quod ſponte quidem, ſed naturali neceſſitate bene agit, hinc D. Auguſtinus pleriſque in locis contra Manichæos evincit hominem non agere naturali neceſſitate, alioquin nil laudis nilque meriti ex opere bono conſequeretur.

Diſſentitur etiam Sanctis Patribus præſertim Auguſtino lib. 3. de libero arbitr. cap. 1. ubi probat contra Manichæos voluntatem noſtram non agere naturali neceſſitate, ait enim: *Qui motus, ſi culpa deputatur non eſt utique naturalis, ſeu neceſſarius, ſed voluntarius:* Hoc idem ſubdit in fin. cap. ex confeſſione Adverſarii inquiens: *Motus quo huc atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quendam cardinem voluntatis.* Hoc idem adſtruit Tertullianus adverſus Marcionem lib. 2. cap. 5. poſt. Med. & cap. 6. per tot. ubi inter alia pulchre ait: *Quaſi libripens emancipati à Deo boni libertas, & poteſtas arbitrii*, & paucis interjectis verſibus concludit: *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt illi, ut ſui Dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando*, poſtea ſubdit: *Cæterum nec boni nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus non voluntate.* Hoc idem aſſerunt uterque Clemens Romanus, & Alexandrinus, Ignatius, Dionyſius, Juſtinus, Irenæus, & Cyprianus, ſed ſufficit unius Auguſtini authoritas, qui lib. 2. de natur. & grat. contra Pelagium cap. 65. poſt med. approbat ſententiam D. Hieronymi, *nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt: quis non agnoſcat, quis non toto corde ſuſcipiat:* & lib. de duab. animab. contra Manich. cap. 11. ſub init. ait: *Neminem vituperatione, ſuppliciove dignum qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt, nonne iſta cantant & montibus paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Ergo ad merendum requiritur libertas à neceſſitate, & libertas indeterminationis, & indifferentiæ ad agendum, & non agendum, alioquin nemo eſſet dignus vituperatione, & ſupplicio, & hæc libertas neceſſaria itidem eſt ad coronam, ſeu ad merendum, hinc idem Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. cap. 1. circa med. ait: *Si natura vel neceſſitate iſte motus exiſtit culpabilis eſſe nullo pacto poteſt:* conſequenter qui motum illum elicit reus nequit eſſe demeriti. Rurſus de actis cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 4. per tot. hoc idem adſtruit inquiens: *Habet unuſquiſque in voluntate aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala*, & aliquibus interjectis addit. Hoc ergo Dominus dicens aut facite illud, aut facite illud, Matth. 12. ſcilicet aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam, oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent: & quia ſi bonum eligerent præmium illius acciperent, ſi malum eligerent pœnam illius ſentirent: quia ſicut ad meritum ſequitur præmium, ita ad demeritum pœna ſenſus, & ſupplicium, & utrumque pendet ab electione voluntatis: quæ electio quia circa unicum objectum eſſe non poteſt, non conſiſtet, ubi non adeſt arbitrii libertas ad utrumlibet, quam libertatem determinatio ad unum, ſed neceſſitas penitus delet. Rurſus de libero arbitrio cap. 18. ait: *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccetur*, & paucis interjectis: Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem caveri igitur poteſt. Ex hiſce apparet quam ſtudioſe ac operoſe D. Auguſtinus inculcet ad meritum, vel demeritum requiri neceſſario libertatem à neceſſitate, quod etiam lib. de vera religione cap. 14. poſt med. confirmat inquiens: *Voluntate ergo peccatur: Et quoniam peccari non dubium eſt, nec de hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium, tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus judicabit, ſi ei ſervirent liberaliter quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* & lib. 2. contra Fauſtum ait: *Et nos ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Et lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 5. Cum retuliſſet verba Manichæi de iis, qui legem ſibi à Deo datam ſervare noluerunt, ſubdit. *Vides in his verbis confirmatum eſſe etiam à neſciente, quid loqueretur, liberum arbitrium, non enim dixit, non potuerint, ſed noluerint.* Sed quid immoror in recenſendis authoritatibus D. Auguſtini, quid quærimus teſtimonia Scripturarum, Conciliorum, & ſanctorum Patrum cum id notis & ratio oſtendat, & experimentum quotidianum plene ſuadeat, etenim per peccatum originale non amiſimus naturam, ſed

Digitized by Google

gratiam ſed libertas voluntatis ſequitur naturam cum qua identificatur, ergo per peccatum libertatem non amiſimus, ſed tantum gratiam, conſequenter, quæ agimus, non ex neceſſitate, ſed ex libertate facimus, quod ſi omne liberum eſt in noſtra poteſtate, & nullum neceſſarium eſt in eadem, ſequitur nullum neceſſarium eſſe liberum, quod vero quod agimus libere faciamus experimento deprendit verum adeo, ut non ſit opus alio argumento, quod id perſuadeat, & ut recte dixerat Scotus non verbis, ſed verberibus refutandus eſt, qui arbitrii negat libertatem. Nonne quoties volumus libere ſedemus, vel ſurgimus, vel ambulamus, vel quieſcimus, ſilemus, vel loquimur, aſſentimur alteri dicenti, vel illi repugnamus cum experiamur hæc omnia pro noſtro arbitrio, fieri aſſerendum eſt ex libertate non ex neceſſitate eadem à nobis geri.) Quod ſi dicas liberum arbitrium in homine poſt peccatum non eſſe quidem penitus extinctum, ſed ita enervatum debilitatum, ac labefactatum, ut concupiſcentiis, & appetitu inferiori obſiſtere nequeat. Contra eſt, quia liberum arbitrium poteſt dupliciter conſiderari, primo ut corroboratum donis ſupernaturalibus, & ſecundo ut viribus naturæ tantum munitum, ſi igitur ſpectemus illud cum ſuis viribus naturalibus, nihil in eodem eſt labefactatum nihil diminutum, & enervatum; ſin vero ſpectemus dona ſupernaturalia, quibus in ſtatu innocentiæ erat corroboratum, fatemur per peccatum Adæ fuiſſe donis hiſce ſupernaturalibus ſpoliatum, ac propterea effectum hujus uberioris auxilii non poſſe in ſtatu naturæ lapſæ tam multa præſtare, quam ſi fuiſſet in ſtatu innocentiæ, cum donis illis ſupernaturalibus quibus erat corroboratum, & in hoc ſenſu Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 1. ait: *Liberum arbitrium non quidem extinctum eſſe, ſed tantum viribus attenuatum*, hoc eſt non extinctum, quia adhuc retinet vires ſuas naturales; eſt tamen attenuatum, quia deſtitutum donis ſupernaturalibus. Hinc Catholici hac diſtinctione adhibita differunt à Pelagianis, & Calviniſtis; ab illis quia dicebant liberum arbitrium nullo modo læſum eſſe per peccatum; Catholici enim aſſerunt fuiſſe ejus vires diminutas, eo quia per peccatum deſtitutum fuit donis ſupernaturalibus, quibus corroboratum plura potuit ſaltem facilius, & efficacius, quam nunc poſſit. Calviniani aſſerunt è converſo omnino extinctum eſſe, quod Catholici negant docentes labefactatum eſſe, quoad ſupernaturalia tantum, & integrum manſiſſe quoad naturalia; ſicque eccleſia ut loquitur Tertullianus inter duos Latrones, ſeu Hæretricos media crucifigitur.

Objiciunt tamen Calviniſtæ parabolam de eo, qui Luc. 10. incidit in Latrones, qui non ſolum ſpoliatus fuit veſtibus verum etiam in corpore per inflicta ſibi vulnera debilitatus viribusque naturalibus quaſi deſtitutus, ac ſemivivus relictus, ex quo inferunt, liberum arbitrium non ſolum ſpoliatum fuiſſe per peccatum Adæ donis ſupernaturalibus, quibus veſtiebatur, ornabatur, verum etiam in ſua natura vulneratum, & quaſi ſemivivum relictum, adeo ut D. Thomas. 1. 2. quæſt. 85. art. 3. quatuor enumeret vulnera per peccatum originale inflicta naturæ humanæ ſcilicet ignorantiam, malitiam, infirmitatem, concupiſcentiam. Sed reſpondetur parabolam illam alium habere ſenſum litteralem, & alium myſticum. Et quia myſticus pro argumento ſumitur, ſancti Patres ita intelligunt, ut homo ille, qui ab Jeruſalem in Jericho deſcendebat ſit ipſe Adam cum ſua poſteritate. Jeruſalem erat in monte, & Jericho in valle: Jeruſalem ſignificat viſionem pacis, & Jericho lunam, Adam igitur ab Jeruſalem ſeu à divina gratia, ac ſublimi dignitatis gradu, in quo conditus fuerat per peccatum deſcendit in Jericho, ſeu in abjectum ſtatum miſeriarum, & amiſſa animi pace, & mentis tranquillitate mutationibus factus eſt obnoxius perinde ac luna, quæ continuo mutatur. Latrones, in quos incidit, Dæmones intelliguntur, qui eum primo per ſuggeſtionem pravam qua ei perſuaſerunt eſum pomi vetiti, ſpoliarunt gratia, ac plura eidem inflixerunt vulnera Sacerdos, & Levita qui per eandem viam tranſibant repræſentant legem Moſaicam, quæ hominem à ſua infirmitate, ac vulneribus ſibi inflictis non ſanavit. Samaritanus autem eſt Chriſtus qui miſericordia motus poſuit hominem vulneratum ſuper equum, ſeu ſuam humanitatem, & deduxit eum in hoſpitium, ſeu in eccleſiam, ubi vulnera ejus vino fovit, ſuo ſanguine lavit, & oleo unxit, ſcilicet miſericordia, & charitate. Diſcedens vero ſeu rediens in cœlum conſignavit illum ſtabulario, ſeu Petro ſucceſſori, cui etiam corporis & ſanguinis ſui pretium reliquit diſpenſandum. Hic eſt ſenſus myſticus parabolæ quam Chriſtus proponit Luc. 10. in quem omnes ferme ſancti Patres conſentiunt. Hinc ſi quæramus quomodo Adam non ſolum ſpoliatus fuerit, ſed etiam vulneratus reſpondetur tria fuiſſe dona ſupernaturalia communicata Adamo ſcilicet gratiam, & charitatem, quæ illum conſtituebant juſtum, & gratum Deo; juſtitiam originalem, quæ coercebat concupiſcentiam, & compeſcebat carnis & appetitus ſenſitivi rebellionem, quorum utrumque ſubjiciebat rectæ rationi, & tandem corporis incorruptionem ac immortalitatem excludentem omnem læſionem, & defatigationem corporis. His ſublatis peccatum non potuit non impedire opera ſupernaturalia meritoria quia hæc exigunt fundari in gratia, & charitate, & natura humana hiſce deſtituta, nec potuit tam facile, & commode exercere bona naturalia moralia, & civilia, quia ſublata juſtitia originali cœpit appetitus inferior rebellari ſuperiori, & concupiſcentia adverſari rationi, & ſublata incorruptione, ac immortalitate cœperunt organa corporis deſtrui, & fatigari, & in hoc ſenſu vires naturales liberi arbitrii dicuntur attenuatæ, ac diminutæ, non quod ipſæ fuerint vulneratæ, & læſæ, ſed quia ex defecto virium, quas ipſi ſuppeditabant dona ſupernaturalia factæ fuerunt imbecilliores: & hoc eſt, quod ſignificat D. Thomas per quatuor inflicta vulnera, ſunt enim quatuor potentiæ animæ, intellectus, voluntas, & uterque appetitus ſenſitivus iraſcibilis unus, alter concupiſcibilis. In intellectu erat prudentia. In voluntate charitas, & juſtitia; in iraſcibili fortitudo & in concupiſcibili temperantia. Hæ igitur virtutes ſublatæ fuerunt per peccatum, ideoque potentiæ illæ factæ fuerunt debiliores, ac viribus imbecilliores, non quidem ratione ſui quaſi læſa fuerint in ſuis prædicatis naturalibus, & eſſentialibus, ſed tantum ob privationem illarum virtutum ſupernaturalium, eo enim ipſo, quod ſublata fuit ab intellectu prudentia, & in voluntate charitas, & juſtitia geminæ hæ potentiæ cœperunt deſtitui viribus ſupernaturalibus, conſequenter etiam debiliores fieri in ordine ad operandum bonum morale, & civile. Quia itidem iraſcibilis fortitudinem amiſit, debilior factus eſt, & facile cedit ſibi adverſanti, ut etiam concupiſcibilis ſine temperantia imbecillior eſt ad obſiſtendum deſideriis carnis, quia igitur hæ virtutes ſublatæ ſunt per peccatum, fit, quod potentiæ illæ dicantur factæ infirmiores, unde Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianor. cap. 2. ait: *Quis noſtrum dicat, quod primi*

Digitized by Google

mi hominis peccato perierit arbitrium de humano genere ? Libertas periit quidem per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam. Vult enim Auguſtinus per peccatum perdidiſſe primum hominem libertatem gratiæ, non vero libertatem naturæ.

Neque liberum arbitrium vires ſuas naturales deperdidit per peccata actualia; quæ quis propria voluntate committit, adeo ut poſſit homo peccator libere agere, non quidem opera meritoria ſupernaturalia ſine gratia Dei, ſed moralia, & naturalia. etenim Cain tametſi peccator eſſet, tamen Geneſ.4. dictum illi à Deo fuit: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et David 2. Reg. cap. 24. *Peccato obſtrictus erat, quando illi dictum fuit trium tibi datur optio: elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi*, & quotidie experimur peccatores vitiis indulgentes, & peccata peccatis addentes adhuc libere operari, & nova ſemper peccata committere, quæ ſine libertate fieri non poſſunt, quia ut ait Auguſtinus lib. de vera Religion. cap. 14. *Usque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum ſi non ſit voluntarium.*

Neque divina gratia liberum arbitrium delet in homine: quia gratia ſupernaturalis, quæ à Deo confertur homini triplex eſt, præveniens, quæ & excitans dicitur, adjuvans, & juſtificans: ſed præveniens cohæret cum libero arbitrio, quod ſupponit non tollit, quia ut definitur in Concilio Tridentino Seſſ. 6. c. 5. can. 4. Homo libere aſſentitur, & cooperatur gratiæ excitanti, adeo ut poſſit eidem aſſentiri, vel diſſentiri ſi velit & Deo vocanti reſpondere, vel obſiſtere; Ezech. 18. *Convertimini, & agite pænitentiam.* Jerem. 7. *Vocavi vos & non reſpondiſtis.* Iſaiæ 10. *Vocavi & non erat qui audiret.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti*: ex quibus conſtat ineſſe homini liberum arbitrium, quo poteſt gratiæ excitanti aſſentiri, vel diſſentire prout ipſi magis placuerit: hinc Deus dicitur ſtare ad oſtium cordis noſtri, & pulſare, ut illi aperiamus Apocal. 3. *Sto ad oſtium & pulſo* ipſe pulſat, ſed in noſtra eſt poteſtate illi aperire pulſanti, ut non, quod nequiret eſſe niſi liberum ineſſet homini arbitrium, ac eſſet homo ſui juris in ordine ad præſtandum aſſenſum, vel diſſentiendum. Etenim quando Deus excitat peccatores ut reſipiſcant, & ad ipſum convertantur, vel liberum eſt homini converti; vel non? Si dicatur hoc ſecundum ſequitur fruſtraneas eſſe minas, ac increpationes divinas, quæ habentur in ſcripturis. *Vocavi, & renuiſti, & ego in interitu tuo ridebo, & ſubſanabo te* ſi non erat in libertate hominis reſpondere Deo vocanti ad quid illum ſubſanare, ac punire; etenim quæ neceſſario fiunt, immunia ſunt à culpa, cujus pœna tantum eſt pediſſequa: Si dicatur primum: ergo cum gratia præveniente, ſeu excitante cohæret liberum arbitrium, quod propterea non tollitur à gratia præveniente; quod neque deleatur per gratiam adjuvantem ex eo liquet, quia ſi libere aſſentimur gratiæ excitanti, ſequitur gratiam adjuvantem ſupponere non tollere liberum arbitrium, quia adjuvat liberum arbitrium in elicientia liberi conſenſus; neque eſt aliud gratia adjuvans quam influxus ſupernaturalis, qui una cum libero arbitrio elicit conſenſum liberum, eſt enim gratia adjuvans ſupernaturalis Dei concurſus ad opera noſtra ſupernaturalia, ad quæ perinde ſe habet, ſicut concurſus naturalis ad opera naturalia, qui ſicut non tollit libertatem arbitrii in actionibus naturalibus, ita nec gratia adjuvans in ſupernaturalibus. Quod nec etiam gratia ſanctificans libertatem arbitrii deleat ex eo conſtat, quia gratia ſanctificans non deſtruit, ſed perficit, non enervat, ſed corroborat, non infirmat, ſed ſanat naturam. Quod enim juvat & perficit naturam, eam non deſtruit.

Objiciunt tamen Sectarii illud Joan. 6. ubi Chriſtus ait: *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater traxerit illum*, ex quibus verbis arguunt Sectarii gratiam prævenientem, & excitantem tollere libertatem in homine, eo quia, qui alium trahit, neceſſe eſt aliquam adhibeat vim, & ponat impulſum extrinſecum, quo eum ad ſe trahat: ſed Deus trahit hominem per gratiam prævenientem, & excitantem, ergo per illam gratiam infert illi vim, & neceſſitatem veniendi ad ipſum, adeo ut homo non poſſit vi ſibi factæ, ſeu gratiæ excitanti obſiſtere, proinde per illam gratiam prævenientem, & excitantem tollitur liberum arbitrium. Sed contra quia multipliciter poteſt quiſpiam ab alio trahi: primo per adhibitam violentiam, qua trahens viribus prævalet ei, qui trahitur, adeo ut tametſi nolit, quia vires ei non ſuppetunt ad obſiſtendum neceſſario trahitur. Poteſt etiam alio modo trahi non neceſſitate, ſed voluptate, non violentia ſed complacentia, non vi, ſed affectu, qua propter dixerat Poëta *trahit ſuà quemque voluptas.* Deus igitur non violenter, ſed blande non neceſſario, ſed affectu, non cogendo, ſed ſuadendo: per gratiam prævenientem, & excitantem trahit ad ſe hominem, ut D. Auguſtinus explicat textum *Joan. 6. tract. 26. in Joan.*

Imo nec liberum arbitrium impeditur, & multo minus deletur per Dei præſcientiam, ut pluribus evincit D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. cap. 2. Eſt enim præſcientia duplex conditionata, & abſoluta illa Deus præcognoſcit, quid liberum arbitrium hominis, vel Angeli facturum eſſet ex ſuppoſitione, quod conſtitueretur in tali rerum ordine cum his aut illis auxiliis, & circumſtantiis, quo pacto præcognovit Tyrios, & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi miracula apud illos facta fuiſſent, quæ egerat Bethſaidæ. Præcognovit etiam Saulem obſeſſurum urbem Zeilam, & cives tradituros Davidem Sauli niſi inde aufugeret, ut etiam juſtos lapſuros eſſe in peccata, ſi diutius viverent, ideoque ne cadant, illos eripit ex hac vita dum adhuc juſti ſunt, *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius*, & de hac præſcientia conditionata plura habet D. Auguſtinus *lib. de bono perſeveran. cap. 9. & 10.* & *lib. de corrept. & grat. cap. 8.* generatim conditionata ea dicuntur quæ explicantur per propoſitiones conditionatas, ut ſi Imperator pugnaverit contra Turcam inſignem erit reportaturus victoriam, ſi Petrus interrogabitur ab Ancilla peccabit, unde ſcientia conditionata ea dicitur, qua cognoſcitur aliquid futurum tantum ex ſuppoſitione, ſi ponatur aliqua conditio, & ſcientia horum futurorum dicitur conditionata ſumpta denominatione ab objecto conditionato in quod fertur ſcientia, non vero dicitur conditionata quaſi ipſa ſcientia ſit in ſe conditionata deſumpta denominatione ab ipſa ſcientia: quia hæc eſt verus actus abſolutus de facto exiſtens, quapropter quod hæc ſcientia denominetur conditionata habetur tantum ab ejus objecto non ab actu ſcientiæ. Altera præſcientia dicitur abſoluta qua Deus abſolute præcognoſcit quidquid re ipſa futurum eſt, quo pacto præcognovit, & prædixit in veteri teſtamento quæcunque eventura eſſent in novo, uti & Tertullianus lib. 2. contra Marcion. recte dixit: præſcientiam Dei tot habere teſtes, quot fecit Prophetas. Utramque præſcientiam eſſe certam, & infallibilem certum eſt, quia Deus eſt prima veritas, quæ proinde in cogni-

Digitized by Google

tione non poteſt falli, nec errare. Præterea quia intellectus Dei eſt infinite perfectus, ſeque extendit ad omnem veritatem, conſequenter non poteſt errori, & falſitati eſſe obnoxius, neque ulla poteſt veritas illum latere, alioquin in cognoſcenda veritate non eſſet infinitus ſed utraque præſcientia conditionata, & abſoluta optime cohæret cum libertate liberi arbitrii; ſiquidem per conditionatam Deus non prævidet, quid revera facturus ſit homo, ſed quid facturus eſſet, ſi in tali rerum ſtatu, ac circumſtantiis poneretur, unde tantum cognoſcit, quid eſſet facturus ſub conditione, quod revera facturus non eſt, unde libertas in homine nullum patitur detrimentum, ſed manet cum ſua integritate cum nihil ſit acturus, ſed tantum eſſet facturus, ſi conditio purificaretur, quæ cum non purificetur, relinquit liberum arbitrium, ſicut erat antea. Major difficultas videtur eſſe de præſcientia abſoluta, & hanc itidem cohærere cum libertate creata, ex eo liquet, quia ſi impoſſibile eſt Deum poſſe falli in ſua præſcientia, impoſſibile etiam eſt non ſequi futurum contingens, quod præſcitur. Præterea licet Deus per hanc ſcientiam abſolute prævideat; quid homo facturus ſit, non tamen cogit voluntatem, ſed eam relinquit cum ſua libertate, & tantum cognoſcit quid libere erit facturus, adeo ut præſcientia abſoluta ſupponat in homine libertatem non vero deſtruat. Quod vero tale futurum cognoſcatur certo ab eo futurum, inde non ſequitur non eſſe futurum liberum; quamvis divina præſcientia ſit certa, & non poſſit errare, etenim neceſſarium eſt duplex, antecedens, & conſequens: illud oritur ex cauſa ita determinata ad unum, ut non poſſit facere oppoſitum, & ratione hujus determinationis in cauſa effectus dicitur neceſſarius neceſſitate antecedenti, quæ ſe teneat ex parte cauſæ determinatæ ad unum tantum. Neceſſarium conſequens eſt, quod oritur ex poſitione ipſius effectus non tanquam à cauſa, ſed per optimam conſequentiam hinc propoſitio de futuro contingenti poteſt dupliciter ſumi in ſenſu compoſito, & diviſo. Senſus compoſitus eſt, in quo forma componitur cum ſubſtracto; & diviſus in quo ſubjectum licet ſtet ſub aliqua forma, conſideratur tamen ut ſeparata ab illa, ut Petrus ſedens poteſt currere, hæc propoſitio vera eſt in ſenſu diviſo, quia ſi conſideretur Petrus ſeorſim à ſeſſione poteſt currere: in ſenſu autem compoſito eſt falſa, quia Petrus non poteſt ſimul ſedere, & currere, unde Petrum ſedere in ſenſu compoſito eſt propoſitio neceſſaria neceſſitate conſequenti, ſeu ex ſuppoſitione, quod ſedeat, quia tametſi ſedere ſit Petro contingens, eo tamen ipſo, quod ſedeat, non poteſt ex tali ſuppoſitione non ſedere. Hinc neceſſarium iterum eſt duplex, unum ex propria natura, & ab intrinſeco, alterum ab extrinſeco, & ex aliqua ſppoſitione. Illud eſt quod ex propria natura eſt determinatum adeſſe, adeo ut ipſi repugnat aliter ſe habere, quo pacto dicimus Deum eſſe infinitum hominem eſſe animal rationale. Illud ſeu ab extrinſeco quod ex propria conditione poteſt non eſſe abſolute, & ſimpliciter: attamen ex eo quod ponatur quid aliud, ponitur etiam ipſum futurum neceſſario, quo pacto motus ex propria conditione, & natura eſt homini contingens, ſed poſito, quod homo currat, ponitur etiam motus neceſſario ex tali ſuppoſitione. Itaque neceſſitas ex ſuppoſitione non opponitur contingentiæ: ſiquidem poteſt fieri, ut quod ex natura ſua, & ab intrinſeco eſt contingens, fiat neceſſarium ex aliqua ſuppoſitione, quia hæc conditio extrinſeca non immutat eſſe intrinſecum rei, quapropter motus in eo inſtanti quo eſt, dicitur contingens, ab intrinſeco; & neceſſarius ab extrinſeco, ſeu ex ſuppoſitione, quod homo moveatur, & dicitur etiam neceſſarius in ſenſu compoſito cum tali extrinſeca conditione, unde habetur vulgatum illud axioma philoſophicum: *Quando res eſt, neceſſe eſt eſſe.* Hinc licet neceſſitas antecedens ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito efficiat libertati, non tamen neceſſitas conſequens, quia hæc ſupponit exercitium libertatis. Quod vero ſola libertas antecedens tollat libertatem ex eo oſtenditur quia illud tollit libertatem, quod ponit id, cum quo potentia libera non poteſt ullo modo exercere ſuam libertatem, ſeu cum quo ita determinatur ad unum, ut voluntas non poſſit ſe determinare ad utrumlibet: ſed ita ſe habet neceſſitas antecedens quia hæc opponitur contingentiæ, & ex vi proprii conceptus ponit determinationem ad unum antecedenter ad exercitium libertatis, adeo ut poſita hac neceſſitate antecedente ita ſequatur neceſſario unum, ut non poſſit oppoſitum ſequi, alioquin adhuc remaneret contingentia, quia poſſet actu eſſe, & non eſſe: ergo actus proveniens ex neceſſitate antecedente non eſt liber, quia ita provenit, ut non poſſit non provenire. Secus neceſſarium conſequens ſupponit ipſum exercitium libertatis, ideo enim Petrus neceſſitate conſequenti ſedet, quia libere ſe determinavit ad ſedendum, unde illa ſeſſio, quo dicitur neceſſaria in ſenſu compoſito, & neceſſitate conſequenti ſupponit exercitium liberi arbitrii quo libere ſe determinavit ad ſedendum.

Proinde dicendum eſt per Dei præſcientiam non deſtrui libertatem voluntatis creatæ, & eſt de fide contra Celſum, Mariconem, Manichæum, & Wicleſſum, idque oſtendit D. Anſelmus de concord. præſcien. Cap. 1. ubi oſtendit præſcientiam Dei eſſe neceſſariam neceſſitate conſequenti & in ſenſu compoſito, proinde non lædere libertatem, ait ipſe: *Cum dico. ſi præſcit aliquid neceſſe eſt illud eſſe futurum, idem eſt, ac ſi dicam, ſi erit, ex neceſſitate erit, ſed hæc neceſſitas non cogit, vel prohibet aliquid eſſe, aut non eſſe, ideo enim, quia ponuntur res eſſe, dicuntur ex neceſſitate eſſe, aut quia ponuntur non eſſe, affirmantur non eſſe ex neceſſitate, non quia neceſſitas, cogat, aut prohibeat rem eſſe, aut non eſſe, nam cum dico. Si erit ex neceſſitate erit, hic ſequitur neceſſitas, quæ rei poſitionem non præcedit. Idem valet, ſi ſic pronunciatur, quod erit, ex neceſſitate erit non enim aliud ſignificat, hic neceſſitas, niſi quia quod erit, non poterit ſimul non eſſe.* Ratio, quia poteſt optime cohærere cum libertatis indifferentia, quod non ponit neceſſitatem antecedentem, ſed tantum conſequentem, quia hæc neceſſitas ſupponit potius exercitium libertatis in ſigno antecedente; atqui præſcientia futurorum contingentium non ponit neceſſitatem antecedentem, ſed tantum conſequentem, conſequenter non lædit libertatem. Major ſolo naturali lumine eſt nota, quia ex eo, quod viſio rei actu præſentis, & memoria rei præteritæ ferantur, illa in rem præſentem, & hæc in rem præteritam, neutra tamen tollit contingentiam rei præſentis, aut præteritæ, quamvis neceſſarium omnino ſit, ut quod videtur præſens, ſit præſens, & quod eſt præteritum, ſit præteritum: neque neceſſitas hæc ex ſuppoſitione opponitur libertali, quia eſt tantum neceſſitas conſequens, & ex ſuppoſitione, quod res ſit præſens, vel præterita: ergo quod ponit neceſſitatem ſolum conſequentem non poteſt tollere libertatem. Et firmari poteſt à priori, quia illud non deſtruit libertatem, quod ſequitur ad illam, & neceſſitas conſequens ſequitur ad libertatem, quam ſupponit, ideo enim dicitur conſequens & ex ſuppoſitione, quia ſe habet

conſe-

Digitized by Google

conſecutive ad illam. Minor patet, quia neceſſitas præſcientiæ non ponit, ſed ſupponit exercitium libertatis; eatenus Deus præſcit futurum liberum voluntatis, quatenus voluntas eſt determinatura ſe ipſam ad talem actum liberum ponendum, conſequenter præſcientia Dei non tollit libertatem, quia hæc non tollitur, quando ſupponitur exercere. Oſtenditur ulterius, quia illa ſcientia quæ ſe habet mere terminative reſpectu objecti, ſe habet conſecutive ad ipſum; vera enim eſt hæc cauſalis. Ideo ſcientia terminatur ad objectum, quia hoc habet eſſe, quo poſſit terminare ſcientiam; & quia cauſalitas ſemper præcedit, ideo prius eſt objectum poſſe terminare ſcientiam, & illam de facto terminare, quam ſcientiam terminari ad objectum: ſed divina ſcientia ſecundum ſe quatenus mere terminatur ad futura ſecundario, & non habet adjunctam voluntatem, qua cauſet talia futura ſupponit, & non ponit futura, ergo præſcientia Dei non lædit libertatem. Firmari ex eo itidem poteſt, quia cognitio pure ſpeculativa non ponit ſuum objectum, neque dat illi neceſſitatem, ſed illud ſupponit, ſiquidem ut notat Auguſtinus 4. ad litt. in Geneſ. Cap. 32. fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedant, & loquitur de cognitione ſpeculativa: ſed præſcientia, qua Deus cognoſcit futura libera ſi conſideretur quatenus habet voluntatem adjunctam, & ſub præciſa ratione, qua terminatur ad futurum, eſt cognitio pure ſpeculativa, ſicut eſt cognitio, qua ego cognoſco futuram eclypſim ſolis: non enim mea cognitio eſt cauſa eclypſis, nec ullam imponit neceſſitatem motus planetarum ergo præſcientia Dei non ponit, ſed ſupponit futura libera: unde Petrus non ideo eſt peccaturus, eo quia Deus id cognoſcat, ſed eatenus, Deus cogniſcit Petrum peccaturum, quia Petrus ſe libere determinabit ad peccatum. Hinc Beda Lib. 99. quæſt. 13. ait. *Quid? ergo cogit nos Deus, ut mali ſibi videremur ab æterno? abſit, nos cogimus eum, ut nos males videret.* Hoc idem paſſim docent cæteri ſancti Patres, ſcilicet non ideo rem eſſe futuram, quia ſciatur à Deo, ſed è contra illum ſcire, quia futura eſt & præ cæteris Sanctis Patribus præclarum eſt teſtimonium Auguſtini de libero arbit. Cap. 4. ubi utitur exemplo memoriæ non cogentis facta eſſe, quæ prætererunt ait ipſe: *Sicut tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: Sic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt.*

Sed dices, ſi ideo res futuræ ſciuntur à Deo, quia futura ſunt, non è contra ideo ſunt futuræ quia ſciuntur à Deo, ſequitur, quod futura libera, quæ ſupponuntur cauſent præſcientiam Dei, quia ſunt cauſa, cur Deus ea præcognoſcat: ſed Dei præſcientia non poteſt cauſari ab ullo objecto ſecundario, quale eſt futurum liberum, ergo futura libera non ideo præſciuntur à Deo, quia ſunt futura, ſed ideo ſunt futura, quia præſciuntur, adeo ut præſcientia ſit cauſa futurorum: ſed negatur ſequela majoris, non enim futura libera, ſunt cauſa divinæ præſcientiæ, quaſi phyſice cauſent aliquid Deo intrinſecum: ſed res futuræ dicuntur cauſa præſcientiæ divinæ improprie per modum objecti ſecundarii non moventis, ſed pure terminantis abſque ullo influxu in actum divinæ præſcientiæ, quo pacto eleganter Juſtinus quæſt. 58. ad Orthodoxos. *Non eſt prænotio cauſa ejus, quod futurum erat; ſed quod futurum erat cauſa eſt prænotionis, non enim prænotionem ſequitur res futura, ſed rem futuram prænotio:* hiſce ultimis verbis clare oſtendit quo ſenſu futura dicuntur cauſa divinæ prænotionis. Quod ſi interdum ſancti Patres aſſerant res non cognoſci à Deo, quia ſunt, ſed potius eſſe, quia cognoſcuntur. Tunc fuerunt locuti de ſcientia practica dirigente vim operativam non de ſpeculativa, & pure terminante, quia hæc ſupponit, non ponit rem. Sed dices iterum, voluntas toto illo tempore antecedente antequam actu peccet poteſt, quia libera eſt, ſe determinare ad non peccandum in tali differentia temporis, in qua intendebat prius peccare: ergo ſi Deus præcognoſceret hæc futura ejus ſcientia redderetur incerta, & fallibilis. Reſpond. negando conſequentiam, quia Deus omniſcius ab æterno cognoſcit invariabiliter omnes motus, ac determinationes voluntatis in quacunque differentia temporis, ſcilicet quod in hac differentia temporis ſe determinet ad aliquid exercendum in alia differentia temporis futuri; & quod poſtea in alia differentia temporis mutet propoſitum, omnia enim cognoſcit ſimul ab æterno, nec humana voluntas poteſt reddere fallibilem Dei ſcientiam immutabilem, ac infinitam. Unde Boetius de conſolatione Philoſ. Lib. 5. Proſ. ult. ait: *Deus reſpectu illius nihil eſt præteritum, vel futurum, ſed omnia ſunt præſentia:* unde cum Deus intueatur omnia ut præſentia, certe & infallibiliter illa cognoſcit, nullam iiſdem imponendo neceſſitatem,) Firmatur exemplis quæ à Sanctis Patribus adducuntur. Primo quia non majorem neceſſitatem imponit rebus venturis præſcientia Dei, quàm præſentibus ſpectator, cum fiunt; ex eo enim, quod videam Petrum jacentem poteſt quidem Petrus non jacere, neque mea viſio ad id ipſum adigit, quamvis poſito, quod jaceat neceſſario apertis oculis animoque attento ipſum intueatur jacentem, & eſt exemplum Boetii Lib. 5. de conſolat. proſa 6. ubi ait: *Si video jacentem aliquem neceſſitas ei non infertur, ut jaceat, ſed potius à jacente infertur mihi neceſſitas, ut videam.* Ergo ex eo quod Deus præſciat futura contingentia non tollitur libertas humani arbitrii, quia ſi præſcientia Dei tolleret libertatem, id eſſet, vel quia præſcientia eſt; vel quia Dei eſt. Neutrum dici poteſt: non primum, quia tunc etiam noſtra præſcientia tolleret libertatem, quod eſt falſum, ſi enim Deus revelaret mihi Petrum cras eſſe profecturum Rus, illa mea præſcientia acquiſita per revelationem non imponeret Petro neceſſitatem rus proficiſcendi, ergo præſcientia ſimpliciter non deſtruit libertatem. Neque ſecundum, quod ſit præſcientia Dei, quia ſicut Deus præſcit, quid nos, facturi ſimus, ita etiam præſcit, quid ipſemet facturus ſit; ſed præſcientia Dei non imponit ipſi neceſſitatem, ergo neque nobis. Et firmari etiam poteſt ex ipſo Calvino concedente hominem in ſtatu innocentiæ fuiſſe præditum libero arbitrio, & ex illa libertate aliquid egiſſe, unde ſic juvat argumentari, vel Deus præſcivit hominem in illo ſtatu aliquid libere facturum, vel non præſcivit, & cum Deus ſit omniſcius non potuit ignorare quidquam; conſequenter nec illud futurum. Quod ſi Deus præſcivit, & nihilominus in ſententia Calvini homo fuit libere operatus, ſequitur evidenter præſcientiam Dei non tollere libertatem arbitrii noſtri. Occurrit tamen hic objectio ante Calvinum multo tempore exhibita, ſicque ſe habet: Præſcientia Dei eſt certe infallibilis eo majori infallibilitate, quæ poſſit excogitari, quia eſt ſcientia perfectiſſima ergo vel Deus ab æterno præſcivit Petrum peccaturum in hac differentia temporis, vel præſcivit non peccaturum: ſi dicatur primum: ergo Petrus in hac temporis differentia neceſſario peccat, quia ita peccat, ut non poſſet non peccare, alioquin ſi poſſet non peccare, poſſet reddere fallibilem Dei præſcientiam ex hypotheſi, quod Deus præſciat

Digitized by Google

ab æterno Petrum peccaturum in tali temporis differentia: ut enim hæc Dei præſcientia ſit vera, debet conformis eſſe ſuo objecto; & non poteſt eſſe conformis, niſi in eadem temporis differentia ponatur peccatum Petri; quia ſi Petrus, quem Deus prævidit peccaturum, non peccaret, Deus falleretur & ejus præſcientia non eſſet conformis objecto neque vera: ergo ſicut eſt impoſſibile Dei præſcientiam non eſſe veram, ita eſt impoſſibile non poni peccatum Petri, conſequenter ſi non poteſt aliter contingere, ponitur neceſſario. Si præſcivit ab æterno Petrum non peccaturum neceſſario non peccabit, alioquin præſcientia Dei poſſet falſificari: ergo vel Deus non præſcit ab æterno futura libera, vel ſi præſcit voluntas humana non eſt libera, conſequenter præſcientia Dei deſtruit libertatem liberi arbitrii, & D. Hieronymus Lib. 3. contra Pelagian. poſt Init. proponit ſimile argumentum inquiens: *Qui vetus laniant teſtamentum hujuſmodi ſyllogiſmum texere conſueverunt. Aut ſcivit Deus hominem in paradiſo poſitum prævaricaturum eſſe mandatum illius: vel neſcivit? ſi ſcivit non eſt in culpa is, qui præſcientiam Dei vitare non potuit, ſed ille qui talem condidit, ut Dei non poſſet ſcientiam devitare; Si neſcivit, cui præſcientiam tollis, aufers & divinitatem.* Sed contra quia tametſi præſcientia Dei certiſſima ſit & infallibilis, & ea majori infallibilitate, quæ poſſit excogitari, non tamen inde ſequitur adigi Petrum ad peccatum, eo qui præſcientia Dei non ponit ipſum peccatum ſed tantum ſe habet mere terminative ad ipſum, adeo ut ſupponat, non ponat ipſum peccatum. Quamobrem illa neceſſitas, qua res præſcita dicitur neceſſario futura, non eſt neceſſitas, quæ antecedat rem, ſed quæ ex illa ſequatur, quatenus eſt futura; quia ideo prævidetur eſſe futura, quia ſupponitur eſſe futura ex plena libertate voluntatis, unde diſtinguitur conſequens; ergo neceſſario Petrus peccabit neceſſitate conſequenti, ſeu ex ſuppoſitione, quod ſit libere determinatus ad peccandum, ſeu in ſenſu compoſito cum tali determinatione, conceditur, quia ſi eſt libere determinatus non poteſt non eſſe libere determinatus, alioquin eſſet & non eſſet libere determinatus, quod repugnat. Ex quo manifeſte patet talem neceſſitatem eſſe tantum conſequentem, quæ cohæret cum libertate: Peccabit neceſſario neceſſitate antecedente negatur: hæc autem ſola neceſſitas eſt, quæ deſtruit libertatem, eo quia ſupponit cauſam neneſſario determinatam ad unum tantum. Cæterum quod ſcientia Dei præcedat per totam æternitatem à parte ante actualem præſentiam illius rei, quæ prævidetur futura, id non officit libertati creatæ, quia Dei ſcientia unico intuitu comprehendit ſimul omnes differentias temporis, reſque omnes præſentes, futuras, & præteritas in ſua æternitate præſentes; quia cum æternitas non menſuretur præterito nec futuro, omnes temporum differentias habet in ſe præſentes; quod enim nos cognoſcimus ut futurum; hoc idem præſens eſt Dei æternitati.] Sed dices, quod eſt verum ab æterno fundat propoſitionem æternæ veritatis; unde ſi futurum liberum præcognoſcitur verum ab æterno, fundat propoſitionem æternæ veritatis: ſed propoſitiones æternæ veritatis ſunt neceſſariæ neceſſitate antecedente: ergo ſi futura libera præcognoſcentur à Deo ut vera ab æterno, eſſent neceſſaria neceſſitate antecedente. Sed contra diſtinguitur primum antecedens; quod eſt verum ab æterno veritate eſſentiali, ſeu proveniente ab eſſentia invariabili objecti fundat propoſitionem æternæ veritatis conceditur: quod eſt verum ab æterno veritate contingenti fundat propoſitionem æternæ veritatis, negatur. Siquidem aliud eſt, rem ab æterno eſſe veram, & aliud rem ab æterno veram fundare propoſitionem æternæ veritatis. Ad primum tantum requiritur quod res ſit vera utcunque, adeo ut ſufficiat veritas contingens, qua res denominatur vera contingenter: ut autem quod eſt verum ab æterno fundet propoſitionem æternæ veritatis, non ſufficit, ſi ſit verum utcunque, ſed debet eſſe verum veritate eſſentiali proveniente ab eſſentia invariabili & intrinſecis prædicatis ipſius rei, quæ dicitur eſſentialiter vera propter eſſentialem & inſeparabilem indiſpenſabilemque connexionem inter ipſa, ut ſunt hæ propoſitiones: Deus exiſtit, homo eſt animal rationale ſunt propoſitiones æternæ veritatis. Secus futura libera ſunt tantum vera ab æterno veritate contingenti, qui ita ſunt ut potuerint non eſſe, eo quia prædicata non nectantur inter ſe eſſentialiter.) Sed inſtabis, quod eſt liberum eſt eſſentialiter tale ex vi propriæ eſſentiæ, & naturæ conſequenter in eodem inſtanti quo eſt, debet eſſe liberum quia rerum eſſentiæ ſunt invariabiles, ſed quod eſt liberum poteſt eſſe, & non eſſe, ergo ſi Deus præſciret hæc futura libera, adhuc ejus ſcientia eſſet fallibilis, ſed contra quod eſt liberum, eſt tale ſimpliciter in eodem inſtanti, quo eſt ſpectatum quoad propriam naturam & non alia facta ſuppoſitione, conceditur. Eſt liberum in ſenſu compoſito & ex ſuppoſitione quod cauſa ſit determinata, negatur, quia in ſenſu compoſito cum tali determinatione non poteſt non eſſe determinatum, alioquin eſſet, & non eſſet determinatum conſequenter in ſenſu compoſito eſt neceſſarium. Dupliciter poteſt futurum liberum conſiderari etiam in eodem inſtanti quo eſt. Primo ſecundum ejus naturam, ſeu prædicata intrinſeca præciſe, & ſimpliciter, & in ſenſu diviſo à quovis alio prædicato, & in hoc ſenſu eſt liberum etiam quando actu eſt, quia natura actus liber ſemper eſt præſens ſive in actu ſignato, ſive exercito, quia rerum eſſentiæ ſunt invariabiles. Secundo poteſt conſiderari futurum liberum non ſolum ſecundum ejus naturam præciſe ſumptum ſed etiam cum ipſa actuali determinatione ſeu in ſenſu compoſito cum tali actualitate & in hoc ſenſu dicitur neceſſarium, quatenus quod eſt actu perſeverante actu non poteſt non eſſe actu, alioquin id etiam eſſet, & non eſſet, quod eſt implicatorium. Deus igitur cognoſcit futurum liberum, ut non ſolum præſciat ejus naturam verum etiam omnes alias conditiones ac præſertim determinationem cauſæ: propterea impoſſibile eſt Dei præſcientiam poſſe falſificari, tametſi futurum liberum quoad propriam naturam indifferens ſit ad eſſe vel non eſſe, nihilominus ſemel facta ſuppoſitione quod potentia ſit determinata ad ponendum actum eadem natura actus, quæ ex ſe ſimpliciter & nude ſumpta indifferens eſt, cum tali ſuppoſitione determinationis, ſeu in ſenſu compoſito eſt neceſſaria, & cum Deus ab æterno præſciat non ſolum naturas, ac eſſentias futurorum contingentium, verum etiam determinationes cauſarum eodem modo quo ſunt impoſſibile eſt, hanc Dei præſcientiam poſſe obnoxiam eſſe falſitati.

Objicies Sophiſma Wicleffi: Deus ab æterno præſcivit peccatum futurum Petri, adeo ut hæc præſcientia ſit neceſſaria, quia Deus neceſſario eſt omniſcius, & infinite cognoſcens conſequenter debet cognoſcere omnes veritates præteritas præſentes, & futuras, ergo peccatum futurum Petri eſt neceſſarium, conſequentia eſt legitima, & antecedens eſt neceſſarium ſed cum neceſſitate non poteſt ſtare libertas. Firmatur ex regula Dialecticorum, quia

quando

Digitized by Google

quando conditionalis propoſitio eſt vera, ſi ejus antecedens eſt abſolute neceſſarium etiam conſequens eſt abſolute neceſſarium , alioquin in bona conſequentia poſſet antecedens eſſe verum, & conſequens fallum: atqui hæc conditionalis eſt vera , ſi Deus præſcivit hoc futurum hoc evenit ut præſcitum à Deo, hæc propoſitio eſt neceſſaria , ergo etiam id quod ad illam conſequitur erit neceſſarium; hoc argumentum aiebat Wiccleffus, eſſe adeo efficax ut Armacanus annis viginti in ejus ſolutione inſudaverit, & tandem vi illius coactus dixerit; Deum in ſua præſcientia poſſe errare. Verum in armacano nil de hoc legitur, ex quo conſtat Wiccleffum falſo illi impoſuiſſe ut notat Thomas Waldenſis. Sed contra ad regulam Dialecticorum quod attinet quando conditionalis propoſitio eſt vera, ſi ejus antecedens eſt neceſſarium etiam conſequens eſt neceſſarium , ea tantum vera eſt, quando antecedens eſt neceſſarium ex intrinſeca connexione terminorum ; non vero quando tantum ex accidenti eſt neceſſarium ſeu ex ſuppoſitione. Quod autem Deus præſciat peccatum futurum Petri, non eſt neceſſarium ex intrinſeca connexione terminorum non enim præſcientia Dei habet intrinſecam connexionem cum peccato Petri : unde antecedens eſt tantum neceſſarium ex ſuppoſitione quia poſitó, quod Petrus ſit peccaturus, cum Deus ſit Omniſcius, utique non poteſt ipſum latere futurum Petri peccatum : hinc reſpondetur ad Sophiſma Wiccleffi diſtinguendo antecedens quod Deus præſcivit eventurum non poteſt non evenire antecedenter , negatur ex ſuppoſitione ſeu in ſenſu compoſito, quod ſit eventurum, conceditur. Quod autem Deus præſcivit, eſt neceſſarium tantum neceſſitate conſequenti, & ex ſuppóſitione, quæ cauſatur à ſola futuritione effectus non vero à præſcientia Dei. Unde quando antecedens eſt neceſſarium eſt etiam neceſſarium conſequens ; ſed eodem modo, quo antecedens eſt neceſſarium non vero alio modo quia conſequens non poteſt habere aliam neceſſitatem , niſi quam illi confert antecedens ex quo deducitur : & cum antecedens ſit tantum neceſſarium neceſſitate ex ſuppoſitione conſequens inde illatum eſt tantum neceſſarium neceſſitate ex ſuppoſitione, ſeu in ſenſu compoſitio ut explicuimus. Quamobrem Deus præſcivit Petrum peccaturum libere ex propria determinatione. quatenus Petrus voluit ſe libere determinare ad peccatum, adeo ut hæc neceſſitas ſit tantum conſequens conceditur. Præſcivit Petrum peccaturum neceſſario : ſubdiſtinguo neceſſitate antecedente orta vel ab ipſa Dei præſcientia , vel à potentia operante, negatur, unde non ſequitur ex Dei præſcientia Petrum adigi ad peccatum , quia neceſſitas conſequens tantum abeſt, quod deſtruat libertatem, ut potius ipſam ſupponat. (Sed inſtat Wicleffus, quia præſcientia Dei ita eſt certa, ut non poſſit Deus ullo modo falli, conſequenter objectum illius ſcientiæ nequit aliter evenire quam ſit in divina præſcientia, alioquin ſi Petrus quem Deus præſcivit peccaturum non peccaret, utique falleretur, & ejus ſcientia eſſet falſa: ſed Deus non poteſt falli, nec ejus ſcientia poteſt falſitati obnoxia eſſe: ergo vel Deus non præſcit hæc futura libera, vel Petrus non poteſt non peccare ; conſequenter neceſſario peccat. Sed contra diſtinguitur primum conſequens ergo ejus objectum non poteſt aliter evenire antecedenter negatur, quia ſicut Petrus libere ſe determinavit ad peccatum ita potuiſſet ſe non determinare, adeoque antecedenter ad determinationem potuiſſet aliter evenire. Conſequenter ad talem determinationem ſubdiſtinguo abſolute, & ſimpliciter ſpectata ſola natura, ac eſſentia futuri liberi adhuc negatur in ſenſu compoſito cum tali determinatione conceditur, quia ſicut implicat potentiam eſſe ſimul determinatam, & non eſſe determinatam, ita repugnat Petrum determinatum ad peccatum non eſſe ad illud determinatum : & cum determinatio ad peccatum ſit certa , poſito quod ſit ita, eſt etiam certo cognoſcibilis, quantum eſt ex ſe, proinde poteſt, ac debet eſſe terminus divinæ cognitionis in ipſam infallibiliter tendentis; quia nullum verum poteſt divinum ſubterfugere intellectum conceditur igitur, quod antequam creatura libera ſe determinet ſit in ejus poteſtate facere, ut Dei cognitio non terminetur ad id , ad quod re ipſa terminatur poſt ejus determinationem , quia erat in ejus poteſtate ponere oppóſitum : nihilominus ſi ſemel ſupponatur quod creatura ſe determinaverit ad alterutrum non eſt amplius in ejus poteſtate hoc latere Deum cujus ſcientia eſt infinita, & extenditur ad omne ſcibile, alioquin Deus non eſſet omniſcius , quia aliquod ſcibile ipſum lateret.) Sed dices ex data reſponſione Petrus poſſet abſolute non peccare, ergo poſſet abſolute falſificare Dei præſcientiam, ſed contra negatur conſequentia quia ſi Petrus non peccaret, ſicut abſolute poteſt non peccare, Deus ab æterno præſciviſſet Petrum non peccaturum ; conſequenter divina præſcientia non eſſet obnoxia falſitati, nec repræſentaret objectum aliter ac ſit in ſe, quia ſi Petrus eſt peccaturus Deus ab æterno præſcit ipſum eſſe peccaturum, ſin autem Petrus non eſt peccaturus, Deus ab æterno videt ipſum non eſſe peccaturum. Sed urgebis quod eſt præteritum non poteſt amplius cadere ſub hominis poteſtatem , ſed Deum præſciviſſe Petrum peccaturum eſt aliquid præteritum, ergo peccatum futurum Petri non poteſt a Petro impediri ſicut non eſt amplius ſub ejus poteſtate, quod heri peccaverit, ergo ſi Deus præſciret futura libera abſoluta, præſcientia Dei alligaret homines ad peccatum ; quod cum non poſſit concedi, concludendum eſt futura libera non præcognoſci à Deo. Sed contra diſtinguitur minor Deum præſciviſſe Petrum peccaturum cras , eſt aliquid præteritum in ordine ad nos, & ſecundum noſtrum concipiendi modum, quo concipimus Dei æternitatem per modum cujuſdam infinitæ extenſionis , tranſeat minor. Eſt aliquid præteritum reſpectu Dei, negatur minor , qui cum Dei æternitas ſit indiviſibilis & tota ſimul non datur in ipſo præteritum : nec futurum ſed omnia ſunt ipſi ſemper præſentia. Præterea eſto ſecundum noſtrum modum concipiendi eſſet aliquid præteritum, non tamen abſolute, & ſimpliciter, ſed tantum ex ſuppoſitione , quod Petrus ſit peccaturus, in quo ſenſu præſcientia Dei non ponit, ſed ſupponit peccatum Petri.) Objicitur ulterius illud dilema quod fieri ſolet à Calviniſtis in præſenti materia prædeſtinationis: Si Deus prævidit me peccaturum, infallibiliter peccabo , tametſi omnem adhibeam diligentiam ad occaſiones declinandas, & peccatum vitandum, quia ſcientia Dei non poteſt falſificari : vel Deus non prævidit, & ſic non peccabo. Quod ſi reſpondeas, primum peccatum eſſe quidem neceſſarium neceſſitate tantum conſequenti, non vero antecedente, & neceſſitatem conſequentem non deſtruere, ſed ſupponere libertatem : contra eſt , quia ſi Deus heri præſcivit me peccaturum cras, tam mihi non eſt liberum, & evitabile , ut non peccem cras, quam non eſt liberum & evitabile, ut peccaverim heri, ſed hoc nullo modo eſt liberum & evitabile mihi, ut non peccaverim heri, conſequenter mihi non eſt liberum, ut peccem cras. Major oſtenditur, quia eatenus non eſt mihi liberum nunc heri non peccaſ-

se, quia est necessarium ex suppositione aliqua præterita, sed me peccare cras est necessarium ex suppositione præterita, quia est necessarium ex suppositione, quod Deus heri præsciverit me peccaturum, ut etiam quod heri verum fuerit me peccaturum cras, consequenter meum peccatum crastinum esset necessarium. Sed contra respondetur per varias instantias: vel Deus prævidit futuram messem in agro vel non; si primum ergo inutile est diligentiam adhibere, & labores subire in agro excolendo, quia quod Deus prævidit, non potest non evenire. Secundo laboret quis lethali morbo vel Deus prævidit ipsū moriturū, vel non? si primum ergo frustraneum est accire medicos, pharmacum sumere, & expensas inutiliter facere: si secundum: ergo nulla suboritur necessitas adhibendi remedia, nec ita vivendi medice, quia si Deus prævidit ipsum non moriturum, tametsi curam morbi negligat, non morietur. Tertio existens in apice prælto turris potest, se inculpabiliter deorsum dejicere, quia vel Deus prævidit ipsum hodie moriturum, vel non; si primum, quidquid agat morietur hodie; si secundum: ergo se dejiciendo è turri sine vitæ detrimento singulari potest adstantibus exhibere spectaculum: est enim similis instantia dicere, si Deus prævidit me peccaturum quidquid agam peccabo, vel hæc alia si Deus me prædestinavit ad gloriam, quidquid agam ero illam consecuturus, sin vero me destinavit ad supplicia æterna, quidquid agam damnabor, respondetur igitur directe distinguendo primam partem Dilematis: Quidquid agam, peccabo ex suppositione quod me determinem ad peccatum, & peccabo necessario necessitate consequenti seu ex supposita mea libera determinatione ad peccatum concedo, peccabo necessario necessitate antecedente negatur. Præscientia Dei nullo modo me adigit ad peccatum, quia non ponit, sed supponit meam determinationem ad illud, sicut quod ego videam Petrum peccantem, mea visio non adigit Petrum ad peccatum, quia supponit Petrum se libere determinasse ad peccatum, perinde Deus, qui unico intuitu omnes comprehendit temporum differentias rerumque vicissitudines ab æterno præscivit meam crastinam determinationem, non quia mea determinatio futura sit, quia Deus eam prævidit, sed è contra ideo Deus eam prævidit, quia futura erat. Verum est quod si Deus præsciverit me peccaturum, infallibiliter peccabo, sed non quia Deus præscivit, sed quia me libere determinabo ad peccatum, unde potero absolute non peccare, sicque inutiliter additur frustra esse eam adhibere diligentiam, ut occasiones declinem, tentationi non assentiar, siquidem absolute possum peccatum vitare, & pecco non quia Deus vidit, sed quia occasiones non fugio, & volo me ad peccatum determinare. Ad instantiam de suppositione præterita, respondetur cum distinctione, tam mihi est inevitabile, ut non peccem cras ex suppositione, quod sim peccaturus, quam est inevitabile quod non peccaverim heri concedo, quia sicut repugnat me peccasse & non peccasse heri; sic implicat me esse cras peccaturum, & non esse cras peccaturum: tam est inevitabile simpliciter, & absolute negatur, quia in peccato crastino est aliqua suppositio futura, quam absolute possum tollere, & in peccato præterito nulla est suppositio, quæ de præsenti possit à me tolli.

Objicies quarto quod tempore est posterius non potest impedire, quod est tempore prius: neque quod est tempore prius potest dependere ab eo, quod est tempore posterius, nam quod est posterius non potest efficere, ut non fuerit præteritum, quia ad præteritum non datur potentia: sed mea voluntas non potest impedire illam scientiam Dei, quia fuit ab æterno consequenter etiam tunc cum nondum essem: neque potest illam impedire nunc quando sum, quia præscientia Dei jam est præterita, & fuit, antequam essem: ergo cum præscientia Dei de peccato meo futuro fuerit prior tempore, quam ego extiterim, & quod est posterius nequit impedire, quod est prius tempore, sequitur me nullo pacto posse impedire scientiam Dei de meo peccato, consequenter cum præscientia Dei non sit falsitati obnoxia, si Deus ab æterno præscivisset peccatum meum crastinum, cras peccarem necessario non libere. Sed contra, quia tametsi quod est prius tempore non possit dependere quoad existentiam ab eo, quod est posterius tempore, potest tamen ab ipso dependere tanquam ab objecto, licet sim posterior tempore, iis, quæ evenerunt anteacto sæculo, cognitio tamen mea de rebus illis dependet ab iisdem, tanquam ab objecto, & ita dicendum de rebus pluribus futuris, quæ licet non existant, mea tamen cognitio de iisdem dependet ab ipsis, ut ab objecto. Res igitur quæ tempore posterior est, si sit objectum potest absolute impedire, ne fuerit res præterita: ex suppositione vero non potest quia ad præteritum ex suppositione, quod sit præteritum non amplius est potentia: absolute tamen potest non esse: unde quamvis quando non eram non potuerim impedire scientiam illam quando tamen sunt licet illam non impediam ex suppositione, quod me velim determinare ad peccatum absolute tamen possem illam impedire: unde solum in sensu composito cum ea libera determinatione ad peccatum non possum impedire illam Dei præscientiam ab æterno; quam tamen absolute & in sensu diviso spectata mea libertate possum talem præscientiam ab æterno impedire. Quia vero Deus est ab æterno Omniscius, & unico intuitu omnes comprehendit temporum differentias, & liberas cujusvis voluntatis determinationes ut sibi præsentes in æternitate præscit ab æterno crastinam meam determinationem ad peccatum non quia mea libera determinatio ideo sit futura, quia Deus ipsam prævidit, sed è contra, ideo Deus eam prævidit quia futura erat, unde concludendum est cum Origine apud Eusebium lib. 6. de præparatione cap. 9. *Non ergo præcognitio futurorum causa, nec enim ullo pallo ad peccatum Deus quemquam impellit, ac movet, sed è contra dicam enim, etiamsi absurdum multis forsan videatur, id, quod futurum est, causa est, ut Deus eventurum illud prævideat. Non ideo fit, quia præscitur, sed quia futurum erat, præscitur. Distinctione autem hac res indiget: nam si quis quando futurum aliquod dicimus, sic accipit, quasi necesse sit omnino fore minime ei id dabimus. Non enim dicimus quia proditor Judas præsciebatur, necesse fuisse ipsum prodere, si sic enim esset non vituperaretur ab his qui proditurum praviderunt, vituperatur autem nimirum quoniam potuisset etiam non procedere.* Ex dictis constat, libertatem arbitrii non impediri per providentiam, aut prædestinationem Dei, quia prædestinativo ex parte Dei est præscientia, & voluntas Dei, quarum neutra lædit libertatem arbitrii; & ex parte effectuum est gratia excitans, adjuvans, & sanctificans, & hujusmodi gratiæ etiam cohærent cum libertate. Idque ex principiis Calvini ostenditur; quia juxta illius sententiam prædestinatio etiam fuit in statu innocentiæ; quia in illo statu homine,

Digitized by Google

mines perinde fuissent prædestinati ad gloriam, sicut per Dei decretum nunc prædestinantur: sed certum est in statu innocentiæ hominem habuisse liberum arbitrium, & prædestinationem cum eodem cohæsisse: ergo etiam modo cohæret cum libero arbitrio.

CAPUT III.

Deus in negotio Prædestinationis suo decreto non ordinavit lapsum primi hominis & totius humani generis, pro quo toto Christus mortuus est contra Calvinum.

DOcet Calvinus & cum ipso alii Sectarii, Deum ex vi primi illius decreti, quo alios ad vitam, & gloriam, & alios ad interitum, & æterna supplicia prædestinavit absolute voluisse, ac ordinasse lapsum primi parentis, ac totius humani generis, ut inde occasionem sumeret exercendi suam justitiam circa impios, & suam misericordiam in probos prædestinatos ad gloriam æternam; ait enim Calvinus lib. 3. Instit. c. 23. §. 4. *Fateor sane in hanc, qua nunc illigati sunt conditionis miseriam Dei voluntate decidisse universos filios Adæ: atque id est quod principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium* & §. 7. ait: *Disertis verbis hoc exstare negant: Decretum fuisse à Deo, ut sua defectione periret Adam* ex paucis interjectis subdit. *Decretum quidem, horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet, & idcirco præsciverit, quia decreto suo sic ordinaverat.* Ex hisce Calvini principiis, sequitur omnia fieri volente Deo; & non solum permittente; adeo ut non solum permittat, sed etiam velit peccatum. Secundo Dei voluntatem esse rerum necessitatem, Tertio Deum non alia ratione, quæ futura sunt prævidere, nisi quia voluit ut fierent: ex qua doctrina sequitur Deum voluisse peccatum Adæ, & omnia alia peccata quæcunque fiunt, aut futura sunt non aliter fieri, quam Deo volente, & ordinante, imo & necessitatem imponente, siquidem Deus ab æterno prævidit omnia peccata, quæ unquam futura sunt: sed quidquid prævidet futurum, ideo prævidet, quia voluit, & decrevit, ut fieret: ergo voluit, & decrevit, ut fierent omnia peccata, quæ futura sunt, hinc cum doceat Calvinus Dei voluntatem esse necessitatem rerum, sequitur in ejus sententia peccata necessario committi, & Deum esse Authorem peccati. Dupliciter enim potest intelligi Deum voluisse peccatum primo absolute ut Adam peccaret cum tota sua posteritate, secundo conditionate, ut si Adam peccaret, etiam tota posteritas esset culpæ obnoxia, & in hoc secundo sensu propositio est vera, quia fuit in libertate Adæ transgredi vel non transgredi præceptum à Deo sibi injunctum, & quia voluntas posterorum fuit virtualiter voluntas Adæ, in quo veluti in capite continebatur, ideo tota posteritas facta fuit eidem culpæ obnoxia. In primo autem sensu propositio est impia, & hæretica, quia Deus non adigit ad peccatum, nec est Author peccati, id enim adversatur justitiæ & legi æternæ, quæ est ipse Deus, quia peccatum est aversio à Deo, atque defectio ab ultimo fine, & Deus voluntates hominum tantum abest, quod à se avertat, ut potius ad se ipsum omnia convertat, & ordinet. etenim Deuter. 32. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate justus, & rectus.* Psal. 5. *Non enim Deus volens iniquitatem tu es?* Quod si Deus non vult iniquitatem quomodo voluit peccata Adæ, imo & peccata omnia, quæ à posteris fiunt? Sapient. 11. *Diligis omnia, quæ sunt & nihil odisti eorum quæ fecisti*; Deus autem odio habet peccatum Sapient. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*: si impietas, seu peccatum est Deo odio ergo Deus peccatum noluit, nec fuit Author peccati Adæ, & posterorum, quia peccatum non fecit, nec fuit ejus Author, quia nihil eorum quæ fecit, odio habet, & peccatum dicitur odisse Ecclesiast. 15. *Non dixeris per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris. Non dicas ille me implanavit quia nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi*, seu nemini vitam dedit, vel prorogavit ex intentione, ut peccaret. Habacuch. 7. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Quod si non potest respicere ad iniquitatem à fortiori nec poterit illam velle, neque intendere; consequenter falsum est, assertum Calvini Deum ex eo quod præviderit Adæ peccatum, illud voluisse ut fieret. Rursus Apostolus ad Rom. 5. ait: *Nunquid iniquitas est apud Deum? absit!* si autem Deus per suum decretum vellet peccata, eo quia ea præviderit, ut ait Calvinus, sequeretur inesse Deo iniquitatem. Jacobi. 1. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est ipse autem neminem tentat*, quod si Deus neminem tentat, ut peccet, à fortiori neminem vult peccare, neque urget necessitas, ut peccet, & D. Augustinus lib. de Spiritu & littera cap. 31. observat, nunquam legi in scripturis, *non est voluntas nisi à Deo*, ait Augustinus *& recte non est scriptum, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, Author esset Deus, si non est voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas, jam sola peccatum est etiam si desit defectus, id est, si non habeat potestatem*, & lib. 5. de Civit. Dei, cap. 9. ait: *Sicut omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator non voluntatum. Mala quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt.* Ecce quam perperam contra Sacras Scripturas asserat Calvinus peccatum primi parentis, imo etiam omnia alia peccata posterorum, quæcunque fiunt, aut futura sunt, non aliter fieri, quam Deo volente, & ordinante, imo etiam necessitatem imponente, ait enim ipse Deum ab æterno prævidisse omnia peccata, quæ unquam futura sunt, & eatenus ea prævidisse futura, quia illa voluit, & decrevit, ut fierent, ex quo sequitur in sententia Calvini Deum voluisse, ac decrevisse non solum peccatum Adæ, verum etiam peccata omnium posterorum, consequenter ipsum esse Authorem peccati.

Adversatur etiam Calvino doctrina sanctorum Patrum præsertim Augustini tract. 1. in Joan. ubi expendens verba illa: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* ait: *peccatum quidem non per se factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant*, & lib. 2. de libero arbit. cap. 20. ait: *Omne bonum ex Deo. Nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo. Motum ergo illud aversionis, fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat & ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius in nostra est positus potestate*, Augustino adhærens

rens D. Prosper in responsione ad objectiones Vincentii cap. 10. ait: *Detestanda, & abominanda opinio, quæ Deum cujuspiam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit Authorem.* & nonnullis interjectis subdit: *Non ergo casus ruentium nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei, aut excitavit, aut suasit, aut impulit.* Et S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 6. ait: *Si ut peccatum in Deo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus ejus utique non est, quod autem nunquam est in opere ejus nunquam fuit in prædestinatione ejus,* & cap. 13 subjungit: *Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam: quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Unde Deus neminem vult peccare, nec prædestinat ad peccatum, hinc antequam Calvinus nasceretur hunc errorem fuerunt detestata Concilia præsertim Arausicanum II. *can. 25.* & Valentinum *can. 3.* & anathemate percutiunt asserentes Deum aliquos ad malum prædestinare, quod etiam luculenter confirmavit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 6. ubi ait: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera ita ut bona, Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit:* Ubi Concilium tametsi concedat Deum permittere peccatum, & hominem operari juxta liberum suum arbitrium, prout ipsi magis placuerit, negat tamen absolute proprie, & per se, seu effective velle peccatum, quia aliud est permittere aliquem operari juxta proprium suum arbitrium, & aliud illud idem operari, ad primum enim se habet tantum permissive, & ad secundum se haberet effective, illudque efficeret. Hinc cum in scripturis subinde legitur Deum præcipere malum 2. Reg. 16 *Dominus præcepit Semei ut malediceret David* & cap. 24. *& addidit furor Domini irasci contra Israel, & Judam commovitque David in eis dicentem, vade numera Israel, & Judam,* & Joan. 13. Cum Christus Judæ proditori dixit: *Quod facis fac citius* in hisce, & aliis locis scriptura tantum significat, Deum permittere mala illa, non tamen proprie, & per se eadem effecisse, ac fuisse operatum: siquidem verbum præcipio 2. Reg. 16. proprie non significat mandatum, sed tantum opportunitatem loci, fugæ, & calamitatis Davidis à Deo procuratum: siquidem eorundem occasione Semei proprio vitio depravatus ausus fuit Regi maledicere. Rursus significat ordinationem maledicentiæ, & injuriæ Semei in Davidis punitionem, & pœnam, usus enim fuit Deus mala voluntate Semei ad puniendum Davidem, quamvis Deus malam illam voluntatem non fecerit, sed tantum permiserit, adeo ut Deus tantum permiserit ut Semei malediceret Davidi, non vero quod dederit Semei pravam illam voluntatem, huc aversendus S. Augustinus lib. de gratia, & libero arbit. cap. 20. ubi ait: *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens & intelliget? non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, sed quod ejus voluntatem, proprio vitio suo malam, in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit, ideo dictum est, dixit ei Dominus. Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius, quam puniendus esset; sicut ex hoc peccato postea novimus esse punitum,* hi etiam respondent Deum inclinasse voluntatem Semei tantum ad entitatem, & substantiam actionis, non ad ejus pravitatem, hinc sicut Deus dicitur concurrere ad physicam entitatem peccati, non vero ad ejus malitiam, ita operatus est motum voluntatis Semei quoad entitatem physicam, non vero quoad malitiam moralem, quam tantum permisit quaque eam permittendo usus fuit ad puniendum Davidem, etenim potest Deus concurrere, & esse causa entitatis physicæ actus, non vero ejus malitiæ, perinde ac natura dicitur esse causa oculi, non vero cæcitatis in oculo, ut etiam anima, & facultas motrix causa incessus pedis non vero claudicationis, quia natura non intendit defectum illum obliquitatis in pede, consequenter neque incessus claudicationem, ita Deus fuit quidem causa illius physicæ entitatis in actu, quo Semei maledixit David, non tamen fuit causa illius malitiæ quam tantum permisit ad Davidis exercitationem. Hinc Augustinus lib. de gratia, & libero arbit. cap 21. ait: *Nec causa tacita est, cur ei Dominus justo modo dixerit, maledicere David. hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum miserit, vel dimiserit: ut videat Dominus humilitatem meam & retribuat mihi bonum pro maledicto ejus in die isto. Ecce quomodo probatur Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem atque adjumentum bonorum; sic est usus Juda tradente Christum, sic usus est Judæis crucifigentibus Christum:* Deus igitur non facit malam voluntatem hominis, sed illam tantum permittit, & eadem à se permissa utitur vel ad puniendum, vel ad corrigendum, vel in beneficium aliorum: & cap. 21. nonnullis interjectis ait: *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit,* in quo sensu dicitur Psal. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolos facerent in servos ejus* ad Rom. 1. *Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt,* & 2. Thessal. 2 *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Quibus locis significatur permittere Deum ut homines impii, & protervi graviora committant delicta, illis suam subtrahendo gratiam, & justo judicio ordinare, ut peccata subsequentia pœnæ sint præcedentium, tametsi Deus Author non sit eorundem, nec illa per suum decretum velit, ut asserit Calvinus, sed tantum ea permittat, sinatque hominem operari juxta liberum arbitrium, quod illi indidit: & quia libere voluit homo male agere, & peccatum illud gravissimum patrare; ideo permittit Deus per subtractionem suæ gratiæ subinde ut in alia peccata cadat in pœnam præcedentis. Hinc D. Augustinus loc. cit. ait: *His talibus testimoniis divinorum eloquiorum manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto semper tamen justo. Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in litteris veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum: nolite dubitare fecisse mala merita eorum, ut juste ista paterentur.* Si autem potens est sive per Angelos bonos vel malos, sive quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem. Quid mirum est, si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent

ex

Digitized by Google

ex malis bona. Quod vero Deus indignatione commotus contra populum Iſrael permiſerit, ut David incitaretur à Satana ad numerandum populum. 1. Paralip. cap. 21. *Conſurrexit autem Satan contra Iſrael & concitavit David ut numeraret Iſrael,* Deus malum illud non decrevit, nec voluit, ſed tantum permiſit, & eo permiſſo uſus eſt ad punitionem populi. Ad aliud de Judæ Proditore, cui Chriſtus dixit *Quod facis, fac citius* reſpondit S. Leo Papa ſerm. 7. de paſſione Domini, Chriſtum non juſſiſſe Judæ proditionem, ſed tantum permiſiſſe, & ſtante tali permiſſione ſuaſit, ut citius faceret quo poſſet ſtatim pretium ſui ſanguinis in redemptionem humani generis fundere, & mortem ipſe ſubire ut nobis vitam impertiret, ait S. Leo Papa: *Vox non jubentis eſt, ſed ſinentis, nec trepidi, ſed parati: quia habens omnium temporum poteſtatem oſtendit ſe & moram non facere traditori, & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod à perſequentibus pa abatur nec impelleret, nec timeret.*

Pleraque alia Scripturæ loca, quibus videtur Deus jubere, vel præcipere, vel injungere malum aliquod patrandum non ſunt intelligenda, niſi permiſſive non vero effective, niſi quoad phyſicam entitatem actus mali, non vero ratione malitiæ in eodem actu, ſicut natura intendit quidem oculum non vero defectum cæcitatis, perinde Deus vult quidem entitatem phyſicam actus, non vero ejus defectum, & malitiam in quo ſenſu intelligitur illud. 3. Reg. 22. *Dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab,* & Ezechi. lis 14. *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum,* & Iſaiæ 43. *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis,* hæc inquam & alia Scripturæ teſtimonia intelliguntur, quod Deus permiſerit Prophetas mentiri decipi, & populum errare, quia ut ait Auguſtinus lib. de Spiritu, & litt. cap. 31. *Cum voluntas mala poteſtatem accipit implere, quod intendit, ex judicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas: punit enim etiam illo modo, nec ideo injuſte, quia occulte,* quia ſubinde permittit Deus, ut Diabolus decipiat, tentet ad malum, & à recto tramite abducat, ſicut permiſit etiam vexare S. Jobum, tametſi innocens eſſet ad probandam ejus virtutem, ut inde uberiora meritorum incrementa ſuſciperet, ait enim D. Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 18. *Neque ex Dei potentia intelligendum eſt vel in bonum vel in malum aliquem cogi, ſed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante ſine meritis converti ad bonum.* Quando igitur in ſcripturis dicitur, Deum tradere aliquos in reprobum ſenſum vel inclinare voluntates in malum, id non præſtat poſitive agendo, & movendo, ſed tantum per ſubtractionem ſuæ gratiæ, quatenus illum deſerit, & non impedit malum, quod agit: quia Deus non tenetur ex ulla obligatione impertiri ſemper ſuam gratiam, ac impedire mala omnia, ſed permittit illa evenire, eo quia velit hominem operari libere juxta proprium arbitrium ſibi inditum. Si enim quis cadat in foveam aliquam, & alius lapſum illum non impediat ei porrigendo dexteram, & permittat eum cadere, non tamen ipſe eſt cauſa illius caſus, ad quem nullum dedit impulſum præſertim ſi non teneretur illi manum porrigere, & juſtam haberet cauſam ſubtrahendi manum, & lapſum illam permittendi, is enim non dicitur proprie cauſa reſpectu alicujus effectus quando ad illum nullum præſtat concurſum, ut enim cauſa ſuum efficiat effectum neceſſe eſt influat aliquo modo in ipſum. Hinc cum dicitur Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum,* & Apoſtolus ad Roman. c. 9. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat,* non propterea eſt cauſa mali, quia non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non exhibendo gratiam, eo quia non ſint illa digni, nec fuerint eam promeriti, ſed potius meruerunt, ut illa privarentur. Quod ſi Deus Iſaiæ 45. dicitur creans malum *ſi erit malum in civitate quod Dominus non fecerit,* ut ait Amos 3. id intelligendum eſt non de malitia peccati, ſed de pœna, & ſupplicio ejusdem, ut explicat D. Auguſtinus, qui lib. 14. de civitate Dei Cap. 14. ait: *Ut natura ſit ex eo habet, quod à Deo facta eſt, ut autem ab eo, quod eſt, deficiat, ex hoc quod de nihilo factum eſt,* ex quibus liquet, quam perperam aſſeruerit Calvinus peccatum primi parentis, ut etiam peccata alia omnia quæcunque fiunt, aut futura ſunt, Deo volente & ordinante fieri imo etiam neceſſitatem imponente, eo quia Deus ab æterno ea Præviderit, & quidquid prævidet futurum illud vult, & decernit, ut fiat, ex quo in fert Deum velle, & definire, ut fiant omnia peccata, quæ futura ſunt, & Dei voluntatem eſſe rerum neceſſitatem ſiquidem Deus ita hominem condidit, ut eidem fuerit impertitus liberum arbitrium quo operaretur juxta ſuum beneplacitum, & Deus permittit eum operari male licet nolit malum illud neque illud prædefiniat, ſed quia libere ponitur à creatura, Deus illud præcognoſcit, ac decernit permittere, definitque illud punire. Quod vero aſſerat Deum per decretum prædeſtinationis tollere liberum arbitrium in homine, ut clare ipſe aſſerit. 1. *Inſtit. Cap. 15. §. 8.* id quam falſum ſit, liquet, ex ipſius verbis, docet enim loc. cit. Hominem in ſtatu innocentiæ fuiſſe præditum libero arbitrio, quo, ſi vellet, poſſet conſequi æternam ſalutem, ait enim: *Potuit igitur Adam ſtare, ſi vellet, quando nonniſi propria voluntate cecidit.* Quod ſi pro ſuo libitu potuit Adam ſtare ergo non neceſſario lapſus eſt, ſed quia voluit, quia ſi voluiſſet, potuiſſet ſtare, & ſi ſteuiſſet, ut potuit libere non cecidiſſet, conſequenter ſi cecidit libere, & non neceſſario lapſus eſt, & nihilominus ſui dicti oblitus lib. 15. cap. 23. aſſerit: *Omnia quæ fiunt Dei voluntate fieri, & voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem.*

Neque principia quibus Calvinus nititur ſunt ullius ponderis, ſi enim adhibeamus diſtinctionem inter divinam voluntatem efficientem, & permittentem facile ſolvuntur, quæcunque poſſunt objici, nam quod dicant ſectarii cum Calvino omnia quæ quæ fiunt, fieri Deo volente & non tantum permittente, id repugnat communi ſenſui ſanctorum Patrum docentium peccata fieri Deo permittente, non autem volente, alioquin eſſet Deus author peccati, qui enim vult fieri peccatum & alium ad peccatum impellit, procul dubio eſt cauſa peccati. Rurſus in ſententia Calvini Deus eſſet mendax, quia aliud loqueretur, & aliud in animo ſentiret, quia in ſcripturis clare ait, ſe deteſtari peccata, ſibique ea ſumme diſplicere, ſua voluntate non fieri, ſe præcipere, mandare, injungere, ne fiant: Sin autem Deus in ſententia Calvini vellet peccata fieri, & non tantum ea permitteret, revera vellet ea committi, & ad ea patranda occulto homines impelleret, proinde Deus aliud loqueretur in ſcripturis, & aliud operaretur, qui autem loquitur & aliud in mente ſentit, mendax eſt, proinde ex Calvini ſententia ſequeretur Deum eſſe mendacem, imo & crudelem eo quia hominem innocentem per ſuum decretum, quod in ſententia Calvini non poteſt fruſtrari, eo quia ſit rerum neceſſitas, adigeret ad male operandum ad eum finem ut poſſet illum punire. Quinimo in ſententia Cal-

Digitized by Google

in nobis nec ad bonum, nec ad malum consequenter ratione talis decreti non necessario fieri in homine omnia quæ fiunt, alioquin si omnia fierent necessario perperam ponerentur à Deo præcepta Decalogi, perperam à Principibus, & superioribus injungerentur mandata inferioribus, frustra scelera prohiberentur, & injuste punirentur, necessario fierent homicidia, quæ propterea non essent punienda, quia quæ fiunt necessario non ex malitia propria, sed ex quodam fatali impulsu fiunt, hinc Respublica tota sua, deque verteretur, Concionatores, & Oratores frustra desudarent hortando populos ad fugam vitiorum, & culturam virtutum, frustra suaderent adolescentibus studia pietatis nilque ab hominibus posset sperari, quia omnia ex necessitate fierent, & si ab æterno Deus decrevit quid ab unoquoque fieri velit, & hoc necessario futurum est, tametsi in contrarium adnitatur homo, & oppositum mollatur impedire non poterit, quin illud velit, tametsi sibi in perniciem vertatur: hæc enim absurda sequuntur in sententia Sectariorum, & præsertim Calvini: si ita enim omnia fierent ex necessitate, projicerent se homines in sentinam omnium vitiorum, ac deploratum in modum suis satisfacerent concupiscentiis, nec possent puniri adulteria, furta, & homicidia, quia non esset in potestate hominis ea declinare, cum necessario ab illo fierent, nec possent vitia hominibus imputari, quorum necessitatem Deus decreto suæ prædestinationis imposuit. Et quia Calvinum hæc absurda non latuerunt lib. 3. cap. 23. sibi objicit hæc argumenta, & nihil aliud respondet, nisi quod declamando conatur persuadere, ut ab hujusmodi cogitationibus animum abducamus, nec hujusmodi res velimus in disputationem vocare, nimirum vellet Calvinus, ut hæc absurda non scirentur ab aliis.

Catholici vero tametsi fateantur in Deo decretum in negotio prædestinationis, & reprobationis, indemnem tamen servant libertatem in voluntate, ac potestatem in libero arbitrio bene vel male operandi, adeo ut decretum DEI in negotio prædestinationis non sit ita terribile, ut per illud aliis vita, & aliis exitium statuum sit citra meritum, aut culpam, sed asserunt longe aliter se habere, adeo ut bene agentibus præmia spondeat, & male operantibus supplicia: Unde id interest discriminis inter Sectarios, & Catholicos in decreto prædestinationis, quia Sectarii volunt stante tali decreto non posse hominem libere operari, sed tantum ex quadam necessitate; Catholici vero volunt cum eodem decreto cohærere libertatem in voluntate, & potestatem ad utrumlibet in libero arbitrio. Rursus concedunt Catholici esse hoc decretum quidem immutabile, sed non per hoc pugnare cum libertate arbitrii, quia cum fuerit homo à Deo conditus cum plena libertate arbitrii, & munitus donis supernaturalibus in statu innocentiæ, sicuti in eo statu in quo creatus fuit, habuit liberum arbitrium, ita etiam nunc habet: siquidem illud non amisit per peccatum originale, neque per actuale, quia licet per peccatum originale fuerint vires liberi arbitrii attenuatæ, quatenus non habet illam pronitatem totalem sicut in statu innocentiæ ad prosecutionem boni honesti, non tamen deletum est à voluntate, nec extinctum, quia retinuit suas vires naturales, & tantum deperdidit supernaturales, & illa præsidia, quæ illi obveniebant ab aliis donis supernaturalibus; etenim liberum arbitrium in homine nihil aliud est, quam ipsa voluntas prædita libertate agendi. Libertas autem triplex est, una naturæ, quæ opponitur necessitati, altera gratiæ, qua liberamur à statu, & servitute peccati, & alia gloriæ, qua liberamur ab omni miseria, & calamitate animæ, & corporis: ex his tribus prima libertas convenit homini, quatenus est homo, secunda convenit homini ut justificato per gratiam, & tertia homini ut cœlesti beatitate donato. Ex his tribus prima libertas, quæ opponitur necessitati, est illa à qua denominatur liberum arbitrium non secunda vel tertia, unde non est quæstio de libertate gratiæ, quia certum est hanc deperdi per peccatum lethale, quo homo destituitur gratia sanctificante: neque est quæstio de libertate gloriæ, quia hæc amitti non potest, quia nondum ab homine Viatore possidetur. Quæstio igitur superest de ipsa libertate naturæ, quæ consistit in vi quadam agendi, & potestate operandi, quod homini magis libuerit, adeo ut possit bonum vel malum eligere juxta suum beneplacitum, exclusa omni necessitate; & Catholici communiter docent liberum arbitrium non esse sublatum per peccatum primi hominis ut definitum fuit de fide in Concilio Tridentino sess. 6. & expresse constat ex scripturis Deuteron. 30. *Testes invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim nobis vitam, & mortem benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam ut vivas.* Si in potestate est hominis eligere propositam sibi vitam, vel mortem benedictionem, vel maledictionem, utique est sui juris, & à nullo adigitur ad electionem unius potius quam alterius; consequenter est liber libertate naturæ, quæ opponitur necessitati. Num. 30. *In arbitrio viri erit sive faciat, sive non faciat.* Quod si est in arbitrio hominis agere, vel non agere, & sicut potest agere, ita potest non agere si velit: sequitur ipsum esse liberum libertate opposita necessitati. Josue 24. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis.* 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi.* Eccles. 31. *Qui probatus est in illo qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos sub alas, & noluisti?* Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso si quis aperuerit mihi januam intrabo ad illum.* Rursus Deus Genes. 4. Denuntians esse in potestate liberi arbitrii humani consentire aut dissentire appetitus, & concupiscentiæ, consequenter bene, vel male agere in ordine ad merendum, & demerendum respective ait. v. 7. *Nonne si bene egeris recipies. Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit: sed sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Hæc omnia loca scripturarum intelligenda sunt de homine post peccatum ab Adamo patratum consequenter homo in eodem statu habet arbitrium faciendi, & non faciendi, habet electionem vitæ & mortis; potestatem transgrediendi, vel servandi præcepta, & potest Deo vocanti obedire, & resistere ex eo quod Deus, Deuter. 30. dicat: *Elige ergo vitam, ut tu vivas.* D. Cyprianus lib. 3. ad Quirin. cap. 52. probat credendi, vel non credendi libertatem esse in hominis arbitrio positam, & S. Irenæus lib. 4. cap. 71. ait: *Qui operantur bonum, gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent illud non operari*, unde contra Calvinum colligitur eum, qui ita operatur ut possit non operari, qui ita transgreditur, ut non possit transgredi, gaudere libertatis arbitrio, & non solum libertate à coactione, sed etiam à necessitate. Pugnat etiam Calvini sententia contra Concilia siquidem in Constantiensi sub Joanne Papa XXIII. Anno 1414. Sess. 8. damnatur articu-

articulus Wiceleffi aſſerentis *omnia de neceſſitate abſoluta evenire*, cujus damnati articuli ſenſus eſt, ut tradit Waldenſis lib. 1. doctrinæ fidei cap. 23. & ſeq. quia Wicleffiſtæ docebant: Deum non neceſſitare neceſſitate coactionis ad bonum, quia illa ſola tollit arbitrii dignitatem, non autem alia neceſſitas. Rurſus adverſatur Concilio Senonenſi ſub Clemente Papa VII. Anno 1528. quod habetur Tom. 4. Concil. in decretis fidei decret. 15. ubi legitur: *Cum reliquerit Deus hominem in manu conſilii ſui, appoſueritque coram eo ignem, & aquam, bonum, & malum; ut ad quodcunque voluerit, porrigat manum ſuam; nec abs re beatus ille dicatur qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus & facere mala, & non fecit, quod ſub eo ſit appetitus ejus, & dominetur illius, ac denique percurrenti Sacram Scripturam paſſim obvium ſit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium aſſeveret.* Præterea eandem arbitrii noſtri libertatem ad utrumlibet pleriſque in locis diſerte aſſerit Tridentinum, ſiquidem Seſſ. 6. Can. 4. anathemate percutit, negantes liberum hominis arbitrium motioni divinæ poſſe diſſentire, ſi velit, & ſtudioſe intendit Salvare veram & propriam humani arbitrii libertatem ad merendum, & demerendum neceſſariam, quæ ſtare non poteſt, ſi præveniatur neceſſitate determinante ad unam tantum partem, quia ſic impeditur reſpectu alterius. Rurſus Can. 6. anathematizat negantes *eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere*, & definis voluntatem dum peccat, non ſolum poſſe peccare, ſed etiam habere peccatum in poteſtate, ſeu quod poſſit ita actum peccaminoſum elicere, ut ſimul poſſit, ſi velit, illum coercere, & ſupprimere, quod eſſe non poteſt, ubi adeſt peccandi neceſſitas. Rurſus Can. 32. ait: Hominis juſtificati bona opera ita eſſe Dei dona, ut etiam ſint bona ipſius juſtificati merita: Hinc clàre deducitur bonis illis operibus quibus in hoc naturæ lapſæ ſtatu vitam æternam adipiſcimur, meritum aliquod ineſſe non pure naturale, ſed ſupernaturale comparatum beneficio divinæ gratiæ, quod ſufficit, ut Deus non immerito dicatur nobis ſua præmia largiri: atqui meritum ſine libertate ad utrumlibet ſtare nequit, nemo enim prudens credit hominem laudis aliquid vel meriti colligere ex eo poſſe, quod ſponte quidem, ſed naturali neceſſitate bene agit, hinc D. Auguſtinus pleriſque in locis contra Manichæos evincit hominem non agere naturali neceſſitate, alioquin nil laudis nilque meriti ex opere bono conſequeretur.

Diſſentitur etiam Sanctis Patribus præſertim Auguſtino lib. 3. de libero arbitr. cap. 1. ubi probat contra Manichæos voluntatem noſtram non agere naturali neceſſitate, ait enim: *Qui motus, ſi culpa deputatur non eſt utique naturalis, ſeu neceſſarius, ſed voluntarius:* Hoc idem ſubdit in fin. cap. ex confeſſione Adverſarii inquiens: *Motus quo huc atque illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quendam cardinem voluntatis.* Hoc idem adſtruit Tertullianus adverſus Marcionem lib. 2. cap. 5. poſt. Med. & cap. 6. per tot. ubi inter alia pulchre ait: *Quaſi libripens emancipati à Deo boni libertas, & poteſtas arbitrii*, & paucis interjectis verſibus concludit: *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem conceſſa eſt illi, ut ſui Dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando*, poſtea ſubdit: *Cæterum nec boni nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus non voluntate.* Hoc idem aſſerunt uterque Clemens Romanus, & Alexandrinus, Ignatius, Dionyſius, Juſtinus, Irenæus, & Cyprianus, ſed ſufficit unius Auguſtini authoritas, qui lib. 2. de natur. & grat. contra Pelagium cap. 65. poſt med. approbat ſententiam D. Hieronymi, *nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt: quis non agnoſcat, quis non toto corde ſuſcipiat:* & lib. de duab. animab. contra Manich. cap. 11. ſub init. ait: *Neminem vituperatione, ſuppliciove dignum qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt, nonne iſta cantant & montibus paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Ergo ad merendum requiritur libertas à neceſſitate, & libertas indeterminationis, & indifferentiæ ad agendum, & non agendum, alioquin nemo eſſet dignus vituperatione, & ſupplicio, & hæc libertas neceſſaria itidem eſt ad coronam, ſeu ad merendum, hinc idem Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. cap. 1. circa med. ait: *Si natura vel neceſſitate iſte motus exiſtit culpabilis eſſe nullo pacto poteſt:* conſequenter qui motum illum elicit reus nequit eſſe demeriti. Rurſus de actis cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 4. per tot. hoc idem adſtruit inquiens: *Habet unuſquiſque in voluntate aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala*, & aliquibus interjectis addit. Hoc ergo Dominus dicens aut facite illud, aut facite illud, Matth. 12. ſcilicet aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam, oſtendit eſſe in poteſtate quod facerent: & quia ſi bonum eligerent præmium illius acciperent, ſi malum eligerent pœnam illius ſentirent: quia ſicut ad meritum ſequitur præmium ita ad demeritum pœna ſenſus, & ſupplicium, & utrumque pendet ab electione voluntatis: quæ electio quia circa unicum objectum eſſe non poteſt, non conſiſtet, ubi non adeſt arbitrii libertas ad utrumlibet, quam libertatem determinatio ad unum, ſed neceſſitas penitus delet. Rurſus de libero arbitrio. cap. 18. ait: *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non ei cedatur, & non peccetur*, & paucis interjectis: Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem caveri igitur poteſt. Ex hiſce apparet quam ſtudioſe ac operoſe D. Auguſtinus inculcet ad meritum, vel demeritum requiri neceſſario libertatem à neceſſitate, quod etiam lib. de vera religione cap. 14. poſt med. confirmat inquiens: *Voluntate ergo peccatur: Et quoniam peccari non dubium eſt, nec de hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium, tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus judicabit, ſi ei ſervirent liberalitater quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* & lib. 2. contra Fauſtum ait: *Et nos ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Et lib. 2. de actis cum Felice Manichæo cap. 5. Cum retuliſſet verba Manichæi de iis, qui legem ſibi à Deo datam ſervare noluerunt, ſubdit. *Vides in his verbis confirmatum eſſe etiam à neſciente, quid loqueretur, liberum arbitrium, non enim dixit, non potuerint, ſed noluerunt.* Sed quid immoror in recenſendis authoritatibus D. Auguſtini, quid quærimus teſtimonia Scripturarum, Conciliorum, & ſanctorum Patrum cum id notis & ratio oſtendat, & experimentum quotidianum plene ſuadeat, etenim per peccatum originale non amiſimus naturam, ſed

Digitized by Google

gratiam ſed libertas voluntatis ſequitur naturam cum qua identificatur, ergo per peccatum libertatem non amiſimus, ſed tantum gratiam, conſequenter, quæ agimus, non ex neceſſitate, ſed ex libertate facimus, quod ſi omne liberum eſt in noſtra poteſtate, & nullum neceſſarium eſt in eadem, ſequitur nullum neceſſarium eſſe liberum, quod vero quod agimus libere faciamus experimento deprendit verum adeo, ut non ſit opus alio argumento, quod id perſuadeat, & ut recte dixerat Scotus non verbis, ſed verberibus refutandus eſt, qui arbitrii negat libertatem. Nonne quoties volumus libere ſedemus, vel ſurgimus, vel ambulamus, vel quieſcimus, ſilemus, vel loquimur, aſſentimur alteri dicenti, vel illi repugnamus cum experiamur hæc omnia pro noſtro arbitrio, fieri aſſerendum eſt ex libertate non ex neceſſitate eadem à nobis geri.) Quod ſi dicas liberum arbitrium in homine poſt peccatum non eſſe quidem penitus extinctum, ſed ita enervatum debilitatum, ac labefactatum, ut concupiſcentiis, & appetitu inferiori obſiſtere nequeat. Contra eſt, quia liberum arbitrium poteſt dupliciter conſiderari, primo ut corroboratum donis ſupernaturalibus, & ſecundo ut viribus naturæ tantum munitum, ſi igitur ſpectemus illud cum ſuis viribus naturalibus, nihil in eodem eſt labefactatum nihil diminutum, & enervatum ; ſin vero ſpectemus dona ſupernaturalia, quibus in ſtatu innocentiæ erat corroboratum, fatemur per peccatum Adæ fuiſſe donis hiſce ſupernaturalibus ſpoliatum, ac propterea effectum hujus uberioris auxilii non poſſe in ſtatu naturæ lapſæ tam multa præſtare, quam ſi fuiſſet in ſtatu innocentiæ, cum donis illis ſupernaturalibus quibus erat corroboratum, & in hoc ſenſu Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 1. ait : *Liberum arbitrium non quidem extinctum eſſe, ſed tantum viribus attenuatum*, hoc eſt non extinctum, quia adhuc retinet vires ſuas naturales ; eſt tamen attenuatum, quia deſtitutum donis ſupernaturalibus. Hinc Catholici hac diſtinctione adhibita differunt à Pelagianis, & Calviniſtis ; ab illis quia dicebant liberum arbitrium nullo modo læſum eſſe per peccatum ; Catholici enim aſſerunt fuiſſe ejus vires diminutas, eo quia per peccatum deſtitutum fuit donis ſupernaturalibus, quibus corroboratum plura potuit ſaltem facilius, & efficacius, quam nunc poſſit. Calviniani aſſerunt è converſo omnino extinctum eſſe, quod Catholici negant docentes labefactatum eſſe, quoad ſupernaturalia tantum, & integrum manſiſſe quoad naturalia ; ſicque eccleſia ut loquitur Tertullianus inter duos Latrones, ſeu Hæretricos media crucifigitur.

Objiciunt tamen Calviniſtæ parabolam de eo, qui Luc. 10. incidit in Latrones, qui non ſolum ſpoliatus fuit veſtibus verum etiam in corpore per inflicta ſibi vulnera debilitatus viribusque naturalibus quaſi deſtitutus, ac ſemivivus relictus, ex quo inferunt, liberum arbitrium non ſolum ſpoliatum fuiſſe per peccatum Adæ donis ſupernaturalibus, quibus veſtiebatur, ornabatur, verum etiam in ſua natura vulneratum, & quaſi ſemivivum relictum, adeo ut D. Thomas. 1. 2. quæſt. 85. art. 3. quatuor enumeret vulnera per peccatum originale inflicta naturæ humanæ ſcilicet ignorantiam, malitiam, infirmitatem, concupiſcentiam. Sed reſpondetur parabolam illam alium habere ſenſum litteralem, & alium myſticum. Et quia myſticus pro argumento ſumitur, ſancti Patres ita intelligunt, ut homo ille, qui ab Jeruſalem in Jericho deſcendebat ſit ipſe Adam cum ſua poſteritate. Jeruſalem erat in monte, & Jericho in valle : Jeruſalem ſignificat viſionem pacis, & Jericho lunam, Adam igitur ab Jeruſalem ſeu à divina gratia, ac ſublimi dignitatis gradu, in quo conditus fuerat per peccatum deſcendit in Jericho, ſeu in abjectum ſtatum miſeriarum, & amiſſa animi pace, & mentis tranquillitate mutationibus factus eſt obnoxius perinde ac luna, quæ continuo mutatur. Latrones, in quos incidit, Dæmones intelliguntur, qui cum primo per ſuggeſtionem pravam qua ei perſuaſerunt eſum pomi vetiti, ſpoliarunt gratia, ac plura eidem inflixerunt vulnera Sacerdos, & Levita qui per eandem viam tranſibant repræſentant legem Moſaicam, quæ hominem à ſua infirmitate, ac vulneribus ſibi inflictis non ſanavit. Samaritanus autem eſt Chriſtus qui miſericordia motus poſuit hominem vulneratum ſuper equum, ſeu ſuam humanitatem, & deduxit eum in hoſpitium, ſeq in eccleſiam, ubi vulnera ejus vino fovit, ſuo ſanguine lavit, & oleo unxit, ſcilicet miſericordia, & charitate. Diſcedens vero ſeu rediens in cœlum conſignavit illum ſtabulario, ſeu Petro ſucceſſori, cui etiam corporis & ſanguinis ſui pretium reliquit diſpenſandum. Hic eſt ſenſus myſticus parabolæ quam Chriſtus proponit Luc. 10. in quem omnes ferme ſancti Patres conſentiunt. Hinc ſi quæramus quomodo Adam non ſolum ſpoliatus fuerit, ſed etiam vulneratus reſpondetur tria fuiſſe dona ſupernaturalia communicata Adamo ſcilicet gratiam, & charitatem, quæ illum conſtituebant juſtum, & gratum Deo ; juſtitiam originalem, quæ coercebat concupiſcentiam, & compeſcebat carnis & appetitus ſenſitivi rebellionem, quorum utrumque ſubjiciebat rectæ rationi, & tandem corporis incorruptionem ac immortalitatem excludentem omnem læſionem, & defatigationem corporis. His ſublatis peccatum non potuit non impedire opera ſupernaturalia meritoria quia hæc exigunt fundari in gratia, & charitate, & natura humana hiſce deſtituta, nec potuit tam facile, & commode exercere bona naturalia moralia, & civilia ; quia ſublata juſtitia originali cœpit appetitus inferior rebellari ſuperiori, & concupiſcentia adverſari rationi, & ſublata incorruptione, ac immortalitate cœperunt organa corporis deſtrui, & fatigari, & in hoc ſenſu vires naturales liberi arbitrii dicuntur attenuatæ, ac diminutæ, non quod ipſæ fuerint vulneratæ, & læſæ, ſed quia ex defecto virium, quas ipſi ſuppeditabant dona ſupernaturalia factæ fuerunt imbecilliores : & hoc eſt, quod ſignificat D. Thomas per quatuor inflicta vulnera, ſunt enim quatuor potentiæ animæ, intellectus, voluntas, & uterque appetitus ſenſitivus iraſcibilis unus, alter concupiſcibilis. In intellectu erat prudentia. In voluntate charitas, & juſtitia ; in iraſcibili fortitudo & in concupiſcibili temperantia. Hæ igitur virtutes ſublatæ fuerunt per peccatum, ideoque potentiæ illæ factæ fuerunt debiliores, ac viribus imbecilliores, non quidem ratione ſui quaſi læſa fuerint in ſuis prædicatis naturalibus, & eſſentialibus, ſed tantum ob privationem illarum virtutum ſupernaturalium, eo enim ipſo, quod ſublata fuit ab intellectu prudentia, & in voluntate charitas, & juſtitia geminæ hæ potentiæ cœperunt deſtitui viribus ſupernaturalibus, conſequenter etiam debiliores fieri in ordine ad operandum bonum morale, & civile. Quia itidem iraſcibilis fortitudinem amiſit, debilior factus eſt, & facile cedit ſibi adverſanti, ut etiam concupiſcibilis ſine temperantia imbecillior eſt ad obſiſtendum deſideriis carnis, quia igitur hæ virtutes ſublatæ ſunt per peccatum, ſit, quod potentiæ illæ dicantur factæ infirmiores, unde Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianor. cap. 2. ait : *Quis noſtrum dicat, quod primi*

Digitized by Google

mi hominis peccato perierit arbitrium de humano genere? Libertas periit quidem per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam. Vult enim Auguſtinus per peccatum perdidiſſe primum hominem libertatem gratiæ, non vero libertatem naturæ.

Neque liberum arbitrium vires ſuas naturales deperdidit per peccata actualia; quæ quis propria voluntate committit, adeo ut poſſit homo peccator libere agere, non quidem opera meritoria ſupernaturalia ſine gratia Dei, ſed moralia, & naturalia. etenim Cain tametſi peccator eſſet, tamen Geneſ.4. dictum illi à Deo fuit: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et David 2. Reg. cap. 24. *Peccato obſtrictus erat, quando illi dictum fuit trium tibi datur optio: elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi*, & quotidie experimur peccatores vitiis indulgentes, & peccata peccatis addentes adhuc libere operari, & nova ſemper peccata committere, quæ ſine libertate fieri non poſſunt, quia ut ait Auguſtinus lib. de vera Religion. cap. 14. *Usque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum ſi non ſit voluntarium.*

Neque divina gratia liberum arbitrium delet in homine: quia gratia ſupernaturalis, quæ à Deo confertur homini triplex eſt, præveniens, quæ & excitans dicitur, adjuvans, & juſtificans: ſed præveniens cohæret cum libero arbitrio, quod ſupponit non tollit, quia ut definitur in Concilio Tridentino Seſſ. 6. c. 5. can. 4. Homo libere aſſentitur, & cooperatur gratiæ excitanti, adeo ut poſſit eidem aſſentiri, vel diſſentiri ſi velit & Deo vocanti reſpondere, vel obſiſtere; Ezech.18. *Convertimini, & agite pœnitentiam.* Jerem. 7. *Vocavi vos & non reſpondiſtis.* Iſaiæ 10. *Vocavi & non erat qui audiret.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti:* ex quibus conſtat ineſſe homini liberum arbitrium, quo poteſt gratiæ excitanti aſſentiri, vel diſſentire prout ipſi magis placuerit: hinc Deus dicitur ſtare ad oſtium cordis noſtri, & pulſare, ut illi aperiamus Apocal. 3. *Sto ad oſtium & pulſo* ipſe pulſat, ſed in noſtra eſt poteſtate illi aperire pulſanti, ut non, quod nequiret eſſe niſi liberum ineſſet homini arbitrium, ac eſſet homo ſui juris in ordine ad præſtandum aſſenſum, vel diſſentiendum. Etenim quando Deus excitat peccatores ut reſipiſcant, & ad ipſum convertantur, vel liberum eſt homini converti; vel non? Si dicatur hoc ſecundum ſequitur fruſtraneas eſſe minas, ac increpationes divinas, quæ habentur in ſcripturis. *Vocavi, & renuiſti, & ego in interitu tuo ridebo, & ſubſanabo te* ſi non erat in libertate hominis reſpondere Deo vocanti ad quid illum ſubſanare, ac punire; etenim quæ neceſſario fiunt, immunia ſunt à culpa, cujus pœna tantum eſt pediſſequa: Si dicatur primum: ergo cum gratia præveniente, ſeu excitante cohæret liberum arbitrium, quod propterea non tollitur à gratia præveniente; quod neque deleatur per gratiam adjuvantem ex eo liquet, quia ſi libere aſſentimur gratiæ excitanti, ſequitur gratiam adjuvantem ſupponere non tollere liberum arbitrium, quia adjuvat liberum arbitrium in elicientia liberi conſenſus; neque eſt aliud gratia adjuvans quam influxus ſupernaturalis, qui una cum libero arbitrio elicit conſenſum liberum, eſt enim gratia adjuvans ſupernaturalis Dei concurſus ad opera noſtra ſupernaturalia, ad quæ perinde ſe habet, ſicut concurſus naturalis ad opera naturalia, qui ſicut non tollit libertatem arbitrii in actionibus naturalibus, ita nec gratia adjuvans in ſupernaturalibus. Quod nec etiam gratia ſanctificans libertatem arbitrii deleat ex eo conſtat, quia gratia ſanctificans non deſtruit, ſed perficit, non enervat, ſed corroborat, non infirmat, ſed ſanat naturam. Quod enim juvat & perficit naturam, eam non deſtruit.

Objiciunt tamen Sectarii illud Joan. 6. ubi Chriſtus ait: *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater traxerit illum*, ex quibus verbis arguunt Sectarii gratiam prævenientem, & excitantem tollere libertatem in homine, eo quia, qui alium trahit, neceſſe eſt aliquam adhibeat vim, & ponat impulſum extrinſecum, quo eum ad ſe trahat; ſed Deus trahit hominem per gratiam prævenientem, & excitantem, ergo per illam gratiam infert illi vim, & neceſſitatem veniendi ad ipſum, adeo ut homo non poſſit vi ſibi factæ, ſeu gratiæ excitanti obſiſtere, proinde per illam gratiam prævenientem, & excitantem tollitur liberum arbitrium. Sed contra quia multipliciter poteſt quiſpiam ab alio trahi: primo per adhibitam violentiam, qua trahens viribus prævalet ei, qui trahitur, adeo ut tametſi nolit, quia vires ei non ſuppetunt ad obſiſtendum neceſſario trahitur. Poteſt etiam alio modo trahi non neceſſitate, ſed voluptate, non violentia ſed complacentia, non vi, ſed affectu, qua propter dixerat Poëta *trahit ſuà quemque voluptas.* Deus igitur non violenter, ſed blande non neceſſario, ſed affectu, non cogendo, ſed ſuadendo: per gratiam prævenientem, & excitantem trahit ad ſe hominem, ut D. Auguſtinus explicat textum *Joan. 6. tract. 26. in Joan.*

Imo nec liberum arbitrium impeditur, & multo minus deletur per Dei præſcientiam, ut pluribus evincit D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbit, cap. 2. Eſt enim præſcientia duplex conditionata, & abſoluta illa Deus præcognoſcit, quid liberum arbitrium hominis, vel Angeli facturum eſſet ex ſuppoſitione, quod conſtitueretur in tali rerum ordine cum his aut illis auxiliis, & circumſtantiis, quo pacto præcognovit Tyrios, & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi miracula apud illos facta fuiſſent, quæ egerat Bethſaidæ. Præcognovit etiam Saulem obſeſſurum urbem Zeilam, & cives tradituros Davidem Sauli niſi inde aufugeret, ut etiam juſtos lapſuros eſſe in peccata, ſi diutius viverent, ideoque ne cadant, illos eripit ex hac vita dum adhuc juſti ſunt, *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius*, & de hac præſcientia conditionata plura habet D. Auguſtinus *lib. de bono perſeveran. cap. 9. & 10.* & *lib. de corrept. & grat. cap, 8.* generatim conditionata ea dicuntur quæ explicantur per propoſitiones conditionatas, ut ſi Imperator pugnaverit contra Turcam inſignem erit reportaturus victoriam, ſi Petrus interrogabitur ab Ancilla peccabit, unde ſcientia conditionata ea dicitur, qua cognoſcitur aliquid futurum tantum ex ſuppoſitione, ſi ponatur aliqua conditio, & ſcientia horum futurorum dicitur conditionata ſumpta denominatione ab objecto conditionato in quod fertur ſcientia, non vero dicitur conditionata quaſi ipſa ſcientia ſit in ſe conditionata deſumpta denominatione ab ipſa ſcientia: quia hæc eſt verus actus abſolutus de facto exiſtens, quapropter quod hæc ſcientia denominetur conditionata habetur tantum ab ejus objecto non ab actu ſcientiæ. Altera præſcientia dicitur abſoluta qua Deus abſolute præcognoſcit quidquid re ipſa futurum eſt, quo pacto præcognovit, & prædixit in veteri teſtamento quæcunque eventura eſſent in novo, uti & Tertullianus lib. 2. contra Marcion. recte dixit; præſcientiam Dei tot habere teſtes, quot fecit Prophetas. Utramque præſcientiam eſſe certam, & infallibilem certum eſt, quia Deus eſt prima veritas, quæ proinde in cogni-

Digitized by Google

tione non poteſt falli, nec errare. Præterea quia intellectus Dei eſt infinite perfectus, ſeque extendit ad omnem veritatem, conſequenter non poteſt errori, & falſitati eſſe obnoxius, neque ulla poteſt veritas illum latere, alioquin in cognoſcenda veritate non eſſet infinitus ſed utraque præſcientia conditionata, & abſoluta optime cohæret cum libertate liberi arbitrii: ſiquidem per conditionatam Deus non prævidet, quid revera facturus ſit homo, ſed quid facturus eſſet, ſi in tali rerum ſtatu, ac circumſtantiis poneretur, unde tantum cognoſcit, quid eſſet facturus ſub conditione, quod revera facturus non eſt, unde libertas in homine nullum patitur detrimentum, ſed manet cum ſua integritate cum nihil ſit acturus, ſed tantum eſſet facturus, ſi conditio purificaretur, quæ cum non purificetur, relinquit liberum arbitrium, ſicut erat antea. Major difficultas videtur eſſe de præſcientia abſoluta, & hanc itidem cohærere cum libertate creata, ex eo liquet, quia ſi impoſſibile eſt Deum poſſe falli in ſua præſcientia, impoſſibile etiam eſt non ſequi futurum contingens, quod præſcitur. Præterea licet Deus per hanc ſcientiam abſolute prævideat; quid homo facturus ſit, non tamen cogit voluntatem, ſed eam relinquit cum ſua libertate, & tantum cognoſcit quid libere erit facturus, adeo ut præſcientia abſoluta ſupponat in homine libertatem non vero deſtruat. Quod vero tale futurum cognoſcatur certo ab eo futurum, inde non ſequitur non eſſe futurum liberum; quamvis divina præſcientia ſit certa, & non poſſit errare, etenim neceſſarium eſt duplex, antecedens, & conſequens: illud oritur ex cauſa ita determinata ad unum, ut non poſſit facere oppoſitum, & ratione hujus determinationis in cauſa effectus dicitur neceſſarius neceſſitate antecedenti, quæ ſe teneat ex parte cauſæ determinatæ ad unum tantum. Neceſſarium conſequens eſt, quod oritur ex poſitione ipſius effectus non tanquam à cauſa, ſed per optimam conſequentiam hinc propoſitio de futuro contingenti poteſt dupliciter ſumi in ſenſu compoſito, & diviſo. Senſus compoſitus eſt, in quo forma componitur cum ſubſtracto: & diviſus in quo ſubjectum licet ſtet ſub aliqua forma, conſideratur tamen ut ſeparata ab illa, ut Petrus ſedens poteſt currere, hæc propoſitio vera eſt in ſenſu diviſo, quia ſi conſideretur Petrus ſeorſim à ſeſſione poteſt currere: in ſenſu autem compoſito eſt falſa, quia Petrus non poteſt ſimul ſedere, & currere, unde Petrum ſedere in ſenſu compoſito eſt propoſitio neceſſaria neceſſitate conſequenti, ſeu ex ſuppoſitione, quod ſedeat, quia tametſi ſedere ſit Petro contingens, eo tamen ipſo, quod ſedeat, non poteſt ex tali ſuppoſitione non ſedere. Hinc neceſſarium iterum eſt duplex, unum ex propria natura, & ab intrinſeco, alterum ab extrinſeco, & ex aliqua ſppoſitione. Illud eſt quod ex propria natura eſt determinatum adeſſe, adeo ut ipſi repugnat aliter ſe habere, quo pacto dicimus Deum eſſe infinitum hominem eſſe animal rationale. Iſtud ſeu ab extrinſeco quod ex propria conditione poteſt non eſſe abſolute, & ſimpliciter; attamen ex eo quod ponatur quid aliud, ponitur etiam ipſum futurum neceſſario, quo pacto motus ex propria conditione, & natura eſt homini contingens, ſed poſito, quod homo currat, ponitur etiam motus neceſſario ex tali ſuppoſitione. Itaque neceſſitas ex ſuppoſitione non opponitur contingentiæ: ſiquidem poteſt fieri, ut quod ex natura ſua, & ab intrinſeco eſt contingens, fiat neceſſarium ex aliqua ſuppoſitione, quia hæc conditio extrinſeca non immutat eſſe intrinſecum rei, quapropter motus in eo inſtanti quo eſt, dicitur contingens, ab intrinſeco; & neceſſarius ab extrinſeco, ſeu ex ſuppoſitione, quod homo moveatur, & dicitur etiam neceſſarius in ſenſu compoſito cum tali extrinſeca conditione, unde habetur vulgatum illud axioma philoſophicum: *Quando res eſt, neceſſe eſt eſſe.* Hinc licet neceſſitas antecedens ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito efficiat libertati, non tamen neceſſitas conſequens, quia hæc ſupponit exercitium libertatis. Quod vero ſola libertas antecedens tollat libertatem ex eo oſtenditur quia illud tollit libertatem, quod ponit id, cum quo potentia libera non poteſt ullo modo exercere ſuam libertatem, ſeu cum quo ita determinatur ad unum, ut voluntas non poſſit ſe determinare ad utrumlibet: ſed ita ſe habet neceſſitas antecedens quia hæc opponitur contingentiæ, & ex vi proprii conceptus ponit determinationem ad unum antecedenter ad exercitium libertatis, adeo ut poſita hac neceſſitate antecedente ita ſequatur neceſſario unum, ut non poſſit oppoſitum ſequi, alioquin adhuc remaneret contingentia, quia poſſet actu eſſe, & non eſſe: ergo actus proveniens ex neceſſitate antecedente non eſt liber, quia ita provenit, ut non poſſit non provenire. Secus neceſſarium conſequens ſupponit ipſum exercitium libertatis, ideo enim Petrus neceſſitate conſequenti ſedet, quia libere ſe determinavit ad ſedendum, unde illa ſeſſio, quo dicitur neceſſaria in ſenſu compoſito, & neceſſitate conſequenti ſupponit exercitium liberi arbitrii quo libere ſe determinavit ad ſedendum.

Proinde dicendum eſt per Dei præſcientiam non deſtrui libertatem voluntatis creatæ, & eſt de fide contra Celſum, Mariconem, Manichæum, & Wicleffum, idque oſtendit D. Anſelmus de concord. præſcien. Cap. 1. ubi oſtendit præſcientiam Dei eſſe neceſſariam neceſſitate conſequenti & in ſenſu compoſito, proinde non lædere libertatem, ait ipſe: *Cum dico. ſi preſcit aliquid neceſſe eſt illud eſſe futurum, idem eſt, ac ſi dicam, ſi erit, ex neceſſitate erit, ſed hæc neceſſitas non cogit, vel prohibet aliquid eſſe, aut non eſſe, ideo enim, quia ponuntur res eſſe, dicuntur ex neceſſitate eſſe, aut quia ponuntur non eſſe, affirmantur non eſſe ex neceſſitate, non quia neceſſitas, cogat, aut prohibeat rem eſſe, aut non eſſe, nam cum dico, Si erit ex neceſſitate erit, hic ſequitur neceſſitas, quæ rei poſitionem non præcedit. Idem valet, ſi ſic pronunciatur, quod erit, ex neceſſitate erit non enim aliud ſignificat, hic neceſſitas, niſi quia quod erit, non poterit ſimul non eſſe.* Ratio, quia poteſt optime cohærere cum libertatis indifferentia, quod non ponit neceſſitatem antecedentem, ſed tantum conſequentem, quia hæc neceſſitas ſupponit potius exercitium libertatis in ſigno antecedente; atqui præſcientia futurorum contingentium non ponit neceſſitatem antecedentem, ſed tantum conſequentem, conſequenter non lædit libertatem. Major ſolo naturali lumine eſt nota, quia ex eo, quod viſio rei actu præſentis, & memoria rei præteritæ ferantur, illa in rem præſentem, & hæc in rem præteritam, neutra tamen tollit contingentiam rei præſentis, aut præteritæ, quamvis neceſſarium omnino ſit, ut quod videtur præſens, ſit præſens, & quod eſt præteritum, ſit præteritum: neque neceſſitas hæc ex ſuppoſitione opponitur libertali, quia eſt tantum neceſſitas conſequens, & ex ſuppoſitione, quod res ſit præſens, vel præterita: ergo quod ponit neceſſitatem ſolum conſequentem non poteſt tollere libertatem. Et firmari poteſt à priori, quia illud non deſtruit libertatem, quod ſequitur ad illam, & neceſſitas conſequens ſequitur ad libertatem, quam ſupponit, ideo enim dicitur conſequens & ex ſuppoſitione, quia ſe habet conſe-

Digitized by Google

conſecutive ad illam. Minor patet, quia neceſſitas præſcientiæ non ponit, ſed ſupponit exercitium libertatis: eatenus Deus præſcit futurum liberum voluntatis, quatenus voluntas eſt determinatura ſe ipſam ad talem actum liberum ponendum, conſequenter præſcientia Dei non tollit libertatem, quia hæc non tollitur, quando ſupponitur exercere. Oſtenditur ulterius, quia illa ſcientia quæ ſe habet mere terminative reſpectu objecti, ſe habet conſecutive ad ipſum; vera enim eſt hæc cauſalis. Ideo ſcientia terminatur ad objectum, quia hoc habet eſſe, quo poſſit terminare ſcientiam; & quia cauſalitas ſemper præcedit, ideo prius eſt objectum poſſe terminare ſcientiam, & illam de facto terminare, quam ſcientiam terminari ad objectum: ſed divina ſcientia ſecundum ſe quatenus mere terminatur ad futura ſecundario, & non habet adjunctam voluntatem, qua cauſet talia futura ſupponit, & non ponit futura, ergo præſcientia Dei non lædit libertatem. Firmari ex eo itidem poteſt, quia cognitio pure ſpeculativa non ponit ſuum objectum, neque dat illi neceſſitatem, ſed illud ſupponit, ſiquidem ut notat Auguſtinus 4. ad litt. in Geneſ. Cap. 32. fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedant, & loquitur de cognitione ſpeculativa: ſed præſcientia, qua Deus cognoſcit futura libera ſi conſideretur quatenus habet voluntatem adjunctam, & ſub præciſa ratione, qua terminatur ad futurum, eſt cognitio pure ſpeculativa, ſicut eſt cognitio, qua ego cognoſco futuram eclypſim ſolis: non enim mea cognitio eſt cauſa eclypſis, nec ullam imponit neceſſitatem motus planetarum ergo præſcientia Dei non ponit, ſed ſupponit futura libera: unde Petrus non ideo eſt peccaturus, eo quia Deus id cognoſcat, ſed eatenus, Deus cogniſcit Petrum peccaturum, quia Petrus ſe libere determinabit ad peccatum. Hinc Beda Lib. 99. quæſt. 13. ait. *Quid? ergo coegit nos Deus, ut mali ſibi videremur ab æterno? abſit, nos coegimus eum, ut nos malos videret.* Hoc idem paſſim docent cæteri ſancti Patres, ſcilicet non ideo rem eſſe futuram, quia ſciatur à Deo, ſed è contra illum ſcire, quia futura eſt & præ cæteris Sanctis Patribus præclarum eſt teſtimonium Auguſtini de libero arbit. Cap. 4. ubi utitur exemplo memoriæ non cogentis facta eſſe, quæ præterierunt ait ipſe: *Sicut tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: Sic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt.*

Sed dices, ſi ideo res futuræ ſciuntur à Deo, quia futura ſunt, non èeontra ideo ſunt futuræ quia ſciuntur à Deo, ſequitur, quod futura libera, quæ ſupponuntur cauſent præſcientiam Dei, quia ſunt cauſa, cur Deus ea præcognoſcat: ſed Dei præſcientia non poteſt cauſari ab ullo objecto ſecundario, quale eſt futurum liberum, ergo futura libera non ideo præſciuntur à Deo, quia ſunt futura, ſed ideo ſunt futura, quia præſciuntur, adeo ut præſcientia ſit cauſa futurorum; ſed negatur ſequela majoris, non enim futura libera, ſunt cauſa divinæ præſcientiæ, quaſi phyſicæ cauſent aliquid Deo intrinſecum: ſed res futuræ dicuntur cauſa præſcientiæ divinæ improprie per modum objecti ſecundarii non moventis, ſed pure terminantis abſque ullo influxu in actum divinæ præſcientiæ, quo pacto eleganter Juſtinus quæſt. 58. ad Orthodoxos. *Non eſt prænotio cauſa ejus, quod futurum erat; ſed quod futurum erat cauſa eſt prænotionis, non enim prænotionem ſequitur res futura, ſed rem futuram prænotio:* hiſce ultimis verbis clare oſtendit quo ſenſu futura dicuntur cauſa divinæ prænotionis. Quod ſi interdum ſancti Patres aſſerant res non cognoſci à Deo, quia ſunt, ſed potius eſſe, quia cognoſcuntur. Tunc fuerunt locuti de ſcientia practica dirigente vim operativam non de ſpeculativa, & pure terminante, quia hæc ſupponit, non ponit rem. Sed dices iterum, voluntas toto illo tempore antecedente antequam actu peccet poteſt, quia libera eſt, ſe determinare ad non peccandum in tali differentia temporis, in qua intendebat prius peccare: ergo ſi Deus præcognoſceret hac futura ejus ſcientia redderetur incerta, & fallibilis. Reſpond. negando conſequentiam, quia Deus omniſcius ab æterno cognoſcit invariabiliter omnes motus, ac determinationes voluntatis in quacunque differentia temporis, ſcilicet quod in hac differentia temporis ſe determinet ad aliquid exercendum in alia differentia temporis futuri; & quod poſtea in alia differentia temporis mutet propoſitum, omnia enim cognoſcit ſimul ab æterno, nec humana voluntas poteſt reddere fallibilem Dei ſcientiam immutabilem, ac infinitam. Unde Boetius de conſolatione Philoſ. Lib. 5. Proſ. ult. ait: *Deus reſpectu illius nihil eſt præteritum, vel futurum, ſed omnia ſunt præſentia:* unde cum Deus intueatur omnia ut præſentia, certe & infallibiliter illa cognoſcit, nullam iiſdem imponendo neceſſitatem.) Firmatur exemplis quæ à Sanctis Patribus adducuntur. Primo quia non majorem neceſſitatem imponit rebus venturis præſcientia Dei, quàm præſentibus ſpectator, cum fiunt; ex eo enim, quod videam Petrum jacentem poteſt quidem Petrus non jacere, neque mea viſio ad id ipſum adigit, quamvis poſito, quod jaceat neceſſario apertis oculis animoque attento ipſum intueatur jacentem, & eſt exemplum Boetii Lib. 3. de conſolat. proſa 6. ubi ait: *Si video jacentem aliquem neceſſitas ei non infertur, ut jaceat, ſed potius à jacente infertur mihi neceſſitas, ut videam.* Ergo ex eo quod Deus præſciat futura contingentia non tollitur libertas humani arbitrii, quia ſi præſcientia Dei tolleret libertatem, id eſſet, vel quia præſcientia eſt; vel quia Dei eſt. Neutrum dici poteſt: non primum, quia tunc etiam noſtra præſcientia tolleret libertatem, quod eſt falſum, ſi enim Deus revelaret mihi Petrum cras eſſe profecturum Rus, illa mea præſcientia acquiſita per revelationem non imponeret Petro neceſſitatem rus proficiſcendi, ergo præſcientia ſimpliciter non deſtruit libertatem. Neque ſecundum, quod ſit præſcientia Dei, quia ſicut Deus præſcit, quid nos, facturi ſimus, ita etiam præſcit, quid ipſemet facturus ſit; ſed præſcientia Dei non imponit ipſi neceſſitatem, ergo neque nobis. Et firmari etiam poteſt ex ipſo Calvino concedente hominem in ſtatu innocentiæ fuiſſe præditum libero arbitrio, & ex illa libertate aliquid egiſſe, unde ſic juvat argumentari, vel Deus præſcivit hominem in illo ſtatu aliquid libere facturum, vel non præſcivit, & cum Deus ſit omniſcius non potuit ignorare quidquam; conſequenter nec illud futurum. Quod ſi Deus præſcivit, & nihilominus in ſententia Calvini homo fuit libere operatus, ſequitur evidenter præſcientiam Dei non tollere libertatem arbitrii noſtri. Occurrit tamen hic objectio ante Calvinum multo tempore exhibita, ſicque ſe habet: Præſcientia Dei eſt certe infallibilis eo majori infallibilitate, quæ poſſit excogitari, quia eſt ſcientia perfectiſſima ergo vel Deus ab æterno præſcivit Petrum peccaturum in hac differentia temporis, vel præſcivit non peccaturum: ſi dicatur primum; ergo Petrus in hac temporis differentia neceſſario peccat, quia ita peccat, ut non poſſet non peccare, alioquin ſi poſſet non peccare, poſſet reddere fallibilem Dei præſcientiam ex hypotheſi, quod Deus præſciat

ab

Digitized by Google

ab æterno Petrum peccaturum in tali temporis differentia: ut enim hæc Dei præſcientia ſit vera, debet conformis eſſe ſuo objecto; & non poteſt eſſe conformis, niſi in eadem temporis differentiâ ponatur peccatum Petri; quia ſi Petrus, quem Deus prævidit peccaturum, non peccaret, Deus falleretur & ejus præſcientia non eſſet conformis objecto neque vera: ergo ſicut eſt impoſſibile Dei præſcientiam non eſſe veram, ita eſt impoſſibile non poni peccatum Petri, conſequenter ſi non poteſt aliter contingere, ponitur neceſſario. Si præſcivit ab æterno Petrum non peccaturum neceſſario non peccabit, alioquin præſcientia Dei poſſet falſificari: ergo vel Deus non præſcit ab æterno futura libera, vel ſi præſcit voluntas humana non eſt libera, conſequenter præſcientia Dei deſtruit libertatem liberi arbitrii, & D. Hieronymus Lib. 3. contra Pelagian. poſt init. proponit ſimile argumentum inquiens: *Qui vetus laniant teſtamentum hujuſmodi ſyllogiſmum texere conſueverunt. Aut ſcivit Deus hominem in paradiſo poſitum prævaricaturum eſſe mandatum illius: vel neſcivit? ſi ſcivit non eſt in culpa is, qui præſcientiam Dei vitare non potuit, ſed ille qui talem condidit, ut Dei non poſſet ſcientiam devitare; Si neſcivit, cui præſcientiam tollis, aufers & divinitatem.* Sed contra quia tametſi præſcientia Dei certiſſima ſit & infallibilis, & ea majori infallibilitate, quæ poſſit excogitari, non tamen inde ſequitur adigi Petrum ad peccatum, eo qui præſcientia Dei non ponit ipſum peccatum ſed tantum ſe habet mere terminative ad ipſum, adeo ut ſupponat, non ponat ipſum peccatum. Quamobrem illa neceſſitas, qua res præſcita dicitur neceſſario futura, non eſt neceſſitas, quæ antecedat rem, ſed quæ ex illa ſequatur, quatenus eſt futura; quia ideo prævidetur eſſe futura, quia ſupponitur eſſe futura ex plena libertate voluntatis, unde diſtinguitur conſequens; ergo neceſſario Petrus peccabit neceſſitate conſequenti, ſeu ex ſuppoſitione, quod ſit libere determinatus ad peccandum, ſeu in ſenſu compoſito cum tali determinatione, conceditur, quia ſi eſt libere determinatus non poteſt non eſſe libere determinatus, alioquin eſſet & non eſſet libere determinatus, quod repugnat. Ex quo manifeſte patet talem neceſſitatem eſſe tantum conſequentem, quæ cohæret cum libertate: Peccabit neceſſario neceſſitate antecedente negatur: hæc autem ſola neceſſitas eſt, quæ deſtruit libertatem, eo quia ſupponit cauſam neceſſario determinatam ad unum tantum. Cæterum quod ſcientia Dei præcedat per totam æternitatem à parte ante actualem præſentiam illius rei, quæ prævidetur futura, id non officit libertati creatæ, quia Dei ſcientia unico intuitu comprehendit ſimul omnes differentias temporis, reſque omnes præſentes, futuras, & præteritas in ſua æternitate præſentes; quia cum æternitas non menſuretur præterito nec futuro, omnes temporum differentias habet in ſe præſentes; quod enim nos cognoſcimus ut futurum; hoc idem præſens eſt Dei æternitati.] Sed dices, quod eſt verum ab æterno fundat propoſitionem æternæ veritatis; unde ſi futurum liberum præcognoſcitur verum ab æterno, fundat propoſitionem æternæ veritatis: ſed propoſitiones æternæ veritatis ſunt neceſſariæ neceſſitate antecedente: ergo ſi futura libera præcognoſcentur à Deo ut vera ab æterno, eſſent neceſſaria neceſſitate antecedente. Sed contra diſtinguitur primum antecedens; quod eſt verum ab æterno veritate eſſentiali, ſeu proveniente ab eſſentia invariabili objecti fundat propoſitionem æternæ veritatis conceditur: quod eſt verum ab æterno veritate contingenti fundat propoſitionem æternæ veritatis, negatur. Siquidem aliud eſt, rem ab æterno eſſe veram, & aliud rem ab æterno veram fundare propoſitionem æternæ veritatis. Ad primum tantum requiritur quod res ſit vera utcunque, adeo ut ſufficiat veritas contingens, qua res denominatur vera contingenter: ut autem quod eſt verum ab æterno fundet propoſitionem æternæ veritatis, non ſufficit, ſi ſit verum utcunque, ſed debet eſſe verum veritate eſſentiali proveniente ab eſſentia invariabili & intrinſecis prædicatis ipſius rei, quæ dicitur eſſentialiter vera propter eſſentialem & inſeparabilem indiſpenſabilemque connexionem inter ipſa, ut ſunt hæ propoſitiones: Deus exiſtit, homo eſt animal rationale ſunt propoſitiones æternæ veritatis. Secus futura libera ſunt tantum vera ab æterno veritate contingenti, qui ita ſunt ut potuerint non eſſe, eo quia prædicata non nectantur inter ſe eſſentialiter.) Sed inſtabis, quod eſt liberum eſt eſſentialiter tale ex vi propriæ eſſentiæ, & naturæ conſequenter in eodem inſtanti quo eſt, debet eſſe liberum quia rerum eſſentiæ ſunt invariabiles, ſed quod eſt liberum poteſt eſſe, & non eſſe, ergo ſi Deus præſciret hæc futura libera, adhuc ejus ſcientia eſſet fallibilis, ſed contra quod eſt liberum, eſt tale ſimpliciter in eodem inſtanti, quo eſt ſpectatum quoad propriam naturam & non alia facta ſuppoſitione, conceditur. Eſt liberum in ſenſu compoſito & ex ſuppoſitione quod cauſa ſit determinata, negatur, quia in ſenſu compoſito cum tali determinatione non poteſt non eſſe determinatum, alioquin eſſet, & non eſſet determinatum conſequenter in ſenſu compoſito eſt neceſſarium. Dupliciter poteſt futurum liberum conſiderari etiam in eodem inſtanti quo eſt. Primo ſecundum ejus naturam, ſeu prædicata intrinſeca præciſe, & ſimpliciter, & in ſenſu diviſo à quovis alio prædicato, & in hoc ſenſu eſt liberum etiam quando actu eſt, quia natura actus liber ſemper eſt præſens ſive in actu ſignato, ſive exercite, quia rerum eſſentiæ ſunt invariabiles. Secundo poteſt conſiderari futurum liberum non ſolum ſecundum ejus naturam præciſe ſumptum ſed etiam cum ipſa actuali determinatione ſeu in ſenſu compoſito cum tali actualitate & in hoc ſenſu dicitur neceſſarium, quatenus quod eſt actu perſeverante actu non poteſt non eſſe actu, alioquin id etiam eſſet, & non eſſet, quod eſt implicatorium. Deus igitur cognoſcit futurum liberum, ut non ſolum præſciat ejus naturam verum etiam omnes alias conditiones ac præſertim determinationem cauſæ: propterea impoſſibile eſt Dei præſcientiam poſſe falſificari, tametſi futurum liberum quoad propriam naturam indifferens ſit ad eſſe vel non eſſe., nihilominus ſemel facta ſuppoſitione quod potentia ſit determinata ad ponendum actum eadem natura actus, quæ ex ſe ſimpliciter & nude ſumpta indifferens eſt, cum tali ſuppoſitione determinationis, ſeu in ſenſu compoſito eſt neceſſaria, & cum Deus ab æterno præſciat non ſolum naturas, ac eſſentias futurorum contingentium, verum etiam determinationes cauſarum eodem modo quo ſunt impoſſibile eſt, hanc Dei præſcientiam poſſe obnoxiam eſſe falſitati.

Objicies Sophiſma Wiccleffi: Deus ab æterno præſcivit peccatum futurum Petri, adeo ut hæc præſcientia ſit neceſſaria, quia Deus neceſſario eſt omniſcius, & infinite cognoſcens conſequenter debet cognoſcere omnes veritates præteritas præſentes, & futuras, ergo peccatum futurum Petri eſt neceſſarium, conſequentia eſt legitima, & antecedens eſt neceſſarium ſed cum neceſſitate non poteſt ſtare libertas. Firmatur ex regula Dialecticorum, quia

quando

Digitized by Google

quando conditionalis propoſitio eſt vera, ſi ejus antecedens eſt abſolute neceſſarium etiam conſequens eſt abſolute neceſſarium, alioquin in bona conſequentia poſſet antecedens eſſe verum, & conſequens falſum: atqui hæc conditionalis eſt vera, ſi Deus præſcivit hoc futurum hoc evenit ut præſcitum à Deo, hæc propoſitio eſt neceſſaria, ergo etiam id quod ad illam conſequitur erit neceſſarium: hoc argumentum aiebat Wiccleffus, eſſe adeo efficax ut Armacanus annis viginti in ejus ſolutione inſudaverit, & tandem vi illius coactus dixerit; Deum in ſua præſcientia poſſe errare. Verum in armacano nil de hoc legitur, ex quo conſtat Wiccleffum falſo illi impoſuiſſe ut notat Thomas Waldenſis. Sed contra ad regulam Dialecticorum quod attinet quando conditionalis propoſitio eſt vera, ſi ejus antecedens eſt neceſſarium etiam conſequens eſt neceſſarium, ea tantum vera eſt, quando antecedens eſt neceſſarium ex intrinſeca connexione terminorum; non vero quando tantum ex accidenti eſt neceſſarium ſeu ex ſuppoſitione. Quod autem Deus præſciat peccatum futurum Petri, non eſt neceſſarium ex intrinſeca connexione terminorum non enim præſcientia Dei habet intrinſecam connexionem cum peccato Petri: unde antecedens eſt tantum neceſſarium ex ſuppoſitione quia poſito, quod Petrus ſit peccaturus, cum Deus ſit Omniſcius, utique non poteſt ipſum latere futurum Petri peccatum: hinc reſpondetur ad Sophiſma Wicleffi diſtinguendo antecedens quod Deus præſcivit eventurum non poteſt non evenire antecedenter, negatur ex ſuppoſitione ſeu in ſenſu compoſito, quod ſit eventurum, conceditur. Quod autem Deus præſcivit, eſt neceſſarium tantum neceſſitate conſequenti, & ex ſuppoſitione, quæ cauſatur à ſola futuritione effectus non vero à præſcientia Dei. Unde quando antecedens eſt neceſſarium eſt etiam neceſſarium conſequens; ſed eodem modo, quo antecedens eſt neceſſarium non vero alio modo quia conſequens non poteſt habere aliam neceſſitatem, niſi quam illi confert antecedens ex quo deducitur: & cum antecedens ſit tantum neceſſarium neceſſitate ex ſuppoſitione conſequens inde illatum eſt tantum neceſſarium neceſſitate ex ſuppoſitione, ſeu in ſenſu compoſitio ut explicuimus. Quamobrem Deus præſcivit Petrum peccaturum libere ex propria determinatione, quatenus Petrus voluit ſe libere determinare ad peccatum, adeo ut hæc neceſſitas ſit tantum conſequens conceditur. Præſcivit Petrum peccaturum neceſſario: ſubdiſtinguo neceſſitate antecedente orta vel ab ipſa Dei præſcientia, vel à potentia operante, negatur, unde non ſequitur ex Dei præſcientia Petrum adigi ad peccatum, quia neceſſitas conſequens tantum abeſt, quod deſtruat libertatem, ut potius ipſam ſupponat. (Sed inſtat Wiccleffus, quia præſcientia Dei ita eſt certa, ut non poſſit Deus ullo modo falli, conſequenter objectum illius ſcientiæ nequit aliter evenire quam ſit in divina præſcientia, alioquin ſi Petrus quem Deus præſcivit peccaturum non peccaret, utique falleretur, & ejus ſcientia eſſet falſa: ſed Deus non poteſt falli, nec ejus ſcientia poteſt falſitati obnoxia eſſe: ergo vel Deus non præſcit hæc futura libera, vel Petrus non poteſt non peccare; conſequenter neceſſario peccat. Sed contra diſtinguitur primum conſequens ergo ejus objectum non poteſt aliter evenire antecedenter negatur, quia ſicut Petrus libere ſe determinavit ad peccatum ita potuiſſet ſe non determinare, adeoque antecedenter ad determinationem potuiſſet aliter evenire. Conſequenter ad talem determinationem ſubdiſtinguo abſolute, & ſimpliciter ſpectata ſola natura, ac eſſentia futuri liberi adhuc negatur in ſenſu compoſito cum tali determinatione conceditur, quia ſicut implicat potentiam eſſe ſimul determinatam, & non eſſe determinatam, ita repugnat Petrum determinatum ad peccatum non eſſe ad illud determinatum: & cum determinatio ad peccatum ſit certa, poſito quod ſit ita, eſt etiam certo cognoſcibilis, quantum eſt ex ſe, proinde poteſt, ac debet eſſe terminus divinæ cognitionis in ipſam infallibiliter tendentis; quia nullum verum poteſt divinum ſubterfugere intellectum conceditur igitur, quod antequam creatura libera ſe determinet ſit in ejus poteſtate facere, ut Dei cognitio non terminetur ad id, ad quod re ipſa terminatur poſt ejus determinationem, quia erat in ejus poteſtate ponere oppoſitum: nihilominus ſi ſemel ſupponatur quod creatura ſe determinaverit ad alterutrum non eſt amplius in ejus poteſtate hoc latere Deum cujus ſcientia eſt infinita, & extenditur ad omne ſcibile, alioquin Deus non eſſet omniſcius, quia aliquod ſcibile ipſum lateret.) Sed dices ex data reſponſione Petrus poſſet abſolute non peccare, ergo poſſet abſolute falſificare Dei præſcientiam, ſed contra negatur conſequentia quia ſi Petrus non peccaret, ſicut abſolute poteſt non peccare, Deus ab æterno præſciviſſet Petrum non peccaturum; conſequenter divina præſcientia non eſſet obnoxia falſitati, nec repræſentaret objectum aliter ac ſit in ſe, quia ſi Petrus eſt peccaturus Deus ab æterno præſcit ipſum eſſe peccaturum, ſin autem Petrus non eſt peccaturus, Deus ab æterno videt ipſum non eſſe peccaturum. Sed urgebis quod eſt præteritum non poteſt amplius cadere ſub hominis poteſtatem, ſed Deum præſciviſſe Petrum peccaturum eſt aliquid præteritum, ergo peccatum futurum Petri non poteſt a Petro impediri ſicut non eſt amplius ſub ejus poteſtate, quod heri peccaverit, ergo ſi Deus præſciret futura libera abſoluta, præſcientia Dei alligaret homines ad peccatum; quod cum non poſſit concedi, concludendum eſt futura libera non præcognoſci à Deo. Sed contra diſtinguitur minor Deum præſciviſſe Petrum peccaturum cras, eſt aliquid præteritum in ordine ad nos, & ſecundum noſtrum concipiendi modum, quo concipimus Dei æternitatem per modum cujusdam infinitæ extenſionis, tranſeat minor. Eſt aliquid præteritum reſpectu Dei, negatur minor, qui cum Dei æternitas ſit indiviſibilis & tota ſimul non datur in ipſo præteritum: nec futurum ſed omnia ſunt ipſi ſemper præſentia. Præterea eſto ſecundum noſtrum modum concipiendi eſſet aliquid præteritum, non tamen abſolute, & ſimpliciter, ſed tantum ex ſuppoſitione, quod Petrus ſit peccaturus, in quo ſenſu præſcientia Dei non ponit, ſed ſupponit peccatum Petri.) Objicitur ulterius illud dilema quod fieri ſolet à Calviniſtis in præſenti materia prædeſtinationis: Si Deus prævidit me peccaturum, infallibiliter peccabo, tametſi omnem adhibeam diligentiam ad occaſiones declinandas, & peccatum vitandum, quia ſcientia Dei non poteſt falſificari: vel Deus non prævidit, & ſic non peccabo. Quod ſi reſpondeas, primum peccatum eſſe quidem neceſſarium neceſſitate tantum conſequenti, non vero antecedente, & neceſſitatem conſequentem non deſtruere, ſed ſupponere libertatem: contra eſt, quia ſi Deus heri præſcivit me peccaturum cras, tam mihi non eſt liberum, & evitabile, ut non peccem cras, quam non eſt liberum & evitabile, ut peccaverim heri, ſed hoc nullo modo eſt liberum & evitabile mihi, ut non peccaverim heri, conſequenter mihi non eſt liberum, ut peccem cras. Major oſtenditur, quia eatenus non eſt mihi liberum nunc heri non peccaſ-

se, quia est necessarium ex suppositione aliqua præterita, sed me peccare cras est necessarium ex suppositione præterita, quia est necessarium ex suppositione, quod Deus heri præsciverit me peccaturum, ut etiam quod heri verum fuerit me peccaturum cras, consequenter meum peccatum crastinum esset necessarium. Sed contra respondetur per varias instantias: vel Deus prævidit futuram messem in agro vel non: si primum ergo inutile est diligentiam adhibere, & labores subire in agro excolendo, quia quod Deus prævidit, non potest non evenire. Secundo laboret quis lethali morbo vel Deus prævidit ipsũ moriturũ, vel non? si primum ergo frustraneum est accire medicos, pharmacum sumere, & expensas inutiliter facere: si secundum: ergo nulla suboritur necessitas adhibendi remedia, nec ita vivendi medice, quia si Deus prævidit ipsum non moriturum, tametsi curam morbi negligat, non morietur. Tertio existens in opice prælto turris potest, se inculpabiliter deorsum dejicere, quia vel Deus prævidit ipsum hodie moriturum, vel non; si primum, quidquid agat morietur hodie; si secundum: ergo se dejiciendo è turri sine vitæ detrimento singulari potest adstantibus exhibere spectaculum: est enim similis instantia dicere, si Deus prævidit me peccaturum quidquid agam peccabo, vel hæc alia si Deus me prædestinavit ad gloriam, quidquid agam ero illam consecuturus, sin vero me destinavit ad supplicia æterna, quidquid agam damnabor, respondetur igitur directe distinguendo primam partem Dilematis: Quidquid agam, peccabo ex suppositione quod me determinem ad peccatum, & peccabo necessario necessitate consequenti seu ex supposita mea libera determinatione ad peccatum concedo, peccabo necessario necessitate antecedente negatur. Præscientia Dei nullo modo me adigit ad peccatum, quia non ponit, sed supponit meam determinationem ad illud, sicut quod ego videam Petrum peccantem, mea visio non adigit Petrum ad peccatum, quia supponit Petrum se libere determinasse ad peccatum, perinde Deus, qui unico intuitu omnes comprehendit temporum differentias rerumque vicissitudines ab æterno præscivit meam crastinam determinationem, non quia mea determinatio futura sit, quia Deus eam prævidit, sed è contra ideo Deus eam prævidit, quia futura erat. Verum est quod si Deus præsciverit me peccaturum, infallibiliter peccabo, sed non quia Deus præscivit, sed quia me libere determinabo ad peccatum, unde potero absolute non peccare, sicque inutiliter additur frustra esse eam adhibere diligentiam, ut occasiones declinem, tentationi non assentiar, siquidem absolute possum peccatum vitare, & pecco non quia Deus vidit, sed quia occasiones non fugio, & volo me ad peccatum determinare. Ad instantiam de suppositione præterita, respondetur cum distinctione, tam mihi est inevitabile, ut non peccem cras ex suppositione, quod sim peccaturus, quam est inevitabile quod non peccaverim heri concedo, quia sicut repugnat me peccasse & non peccasse heri; sic implicat me esse crās peccaturum, & non esse cras peccaturum: tam est inevitablle simpliciter, & absolute negatur, quia in peccato crastino est aliqua suppositio futura, quam absolute possum tollere, & in peccato præterito nulla est suppositio, quæ de præsenti possit à me tolli.

Objicies quarto quod tempore est posterius non potest impedire, quod est tempore prius: neque quod est tempore prius potest dependere ab eo, quod est tempore posterius, nam quod est posterius non potest efficere, ut non fuerit præteritum, quia ad præteritum non datur potentia: sed mea voluntas non potest impedire illam scientiam Dei, quia fuit ab æterno consequenter etiam tunc cum nondum essem: neque potest illam impedire nunc quando sum, quia præscientia Dei jam est præterita, & fuit, antequam essem: ergo cum præscientia Dei de peccato meo futuro fuerit prior tempore, quam ego extiterim, & quod est posterius nequit impedire, quod est prius tempore, sequitur me nullo pacto posse impedire scientiam Dei de meo peccato, consequenter cum præscientia Dei non sit falsitati obnoxia, si Deus ab æterno præscivisset peccatum meum crastinum, cras peccarem necessario non libere. Sed contra, quia tametsi quod est prius tempore non possit dependere quoad existentiam ab eo, quod est posterius tempore, potest tamen ab ipso dependere tanquam ab objecto, licet sim posterior tempore, iis, quæ evenerunt anteacto sæculo, cognitio tamen mea de rebus illis dependet ab iisdem, tanquam ab objecto, & ita dicendum de rebus pluribus futuris, quæ licet non existant, mea tamen cognitio de iisdem dependet ab ipsis, ut ab objecto. Res igitur quæ tempore posterior est, si sit objectum potest absolute impedire, ne fuerit res præterita: ex suppositione vero non potest quia ad præteritum ex suppositione, quod sit præteritum non amplius est potentia: absolute tamen potest non esse; unde quamvis quando non eram non potuerim impedire scientiam illam quando tamen sunt licet illam non impediam ex suppositione, quod me velim determinare ad peccatum absolute tamen possem illam impedire: unde solum in sensu composito cum ea libera determinatione ad peccatum non possum impedire illam Dei præscientiam ab æterno; quam tamen absolute & in sensu diviso spectata mea libertate possum talem præscientiam ab æterno impedire. Quia vero Deus est ab æterno Omniscius, & uncio intuitu omnes comprehendit temporum differentias, & liberas cujusvis voluntatis determinationes ut sibi præsentes in æternitate præscit ab æterno crastinam meam determinationem ad peccatum non quia mea libera determinatio ideo sit futura, quia Deus ipsam prævidit, sed è contra, ideo Deus eam prævidit quia futura erat, unde concludendum est cum Origine apud Eusebium lib. 6. de præparatione cap. 9. *Non ergo præcognitio futurorum causa, nec enim ullo pacto ad peccatum Deus quemquam impellit, ac movet, sed è contra dicam enim, etiamsi absurdum multis forsan videatur, id, quod futurum est, causa est, ut Deus eventurum illud prævideat. Non ideo fit, quia præscitur, sed quia futurum erat, præscitur. Distinctione autem hac res indiget: nam si quis quando futurum aliquod dicimus, sic accipit, quasi necesse sit omnino fore minime ei id dabimus. Non enim dicimus quia proditor Judas præsciebatur, necesse fuisse ipsum prodere, si sic enim esset non vituperaretur ab his qui proditurum præviderunt, vituperatur autem nimirum quoniam potuisset etiam non procedere.* Ex dictis constat, libertatem arbitrii non impediri per providentiam, aut prædestinationem Dei, quia prædestinativo ex parte Dei est præscientia, & voluntas Dei, quarum neutra lædit libertatem arbitrii; & ex parte effectuum est gratia excitans, adjuvans, & sanctificans, & hujusmodi gratiæ etiam cohærent cum libertate. Idque ex principiis Calvini ostenditur; quia juxta illius sententiam prædestinatio etiam fuit in statu innocentiæ; quia in illo statu homine,

Digitized by Google

mines perinde fuissent prædestinati ad gloriam, sicut per Dei decretum nunc prædestinantur: sed certum est in statu innocentiæ hominem habuisse liberum arbitrium, & prædestinationem cum eodem cohæsisse: ergo etiam modo cohæret cum libero arbitrio.

CAPUT III.

Deus in negotio Prædestinationis suo decreto non ordinavit lapsum primi hominis & totius humani generis, pro quo toto Christus mortuus est contra Calvinum.

DOcet Calvinus & cum ipso alii Sectarii, Deum ex vi primi illius decreti, quo alios ad vitam, & gloriam, & alios ad interitum, & æterna supplicia prædestinavit absolute voluisse, ac ordinasse lapsum primi parentis, ac totius humani generis, ut inde occasionem sumeret exercendi suam justitiam circa impios, & suam misericordiam in probos prædestinatos ad gloriam æternam; ait enim Calvinus lib. 3. Instit. c. 23. §. 4. *Fateor sane in hanc, qua nunc illigati sunt conditionis miseriam Dei voluntate decidisse universos filios Adæ: atque id est quod principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium* & §. 7. ait: *Disertis verbis hoc extare negant: Decretum fuisse à Deo, ut sua defectione periret Adam* ex paucis interjectis subdit. *Decretum quidem, horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet, & idcirco præsciverit, quia decreto suo sic ordinaverat.* Ex hisce Calvini principiis, sequitur omnia fieri volente Deo; & non solum permittente; adeo ut non solum permittat, sed etiam velit peccatum. Secundo Dei voluntatem esse rerum necessitatem, Tertio Deum non alia ratione, quæ futura sunt prævidere, nisi quia voluit ut fierent: ex qua doctrina sequitur Deum voluisse peccatum Adæ, & omnia alia peccata quæcunque fiunt, aut futura sunt non aliter fieri, quam Deo volente, & ordinante, imo & necessitatem imponente, siquidem Deus ab æterno prævidit omnia peccata, quæ unquam futura sunt: sed quidquid prævidet futurum, ideo prævidet, quia voluit, & decrevit, ut fieret: ergo voluit, & decrevit, ut fierent omnia peccata. quæ futura sunt, hinc cum doceat Calvinus Dei voluntatem esse necessitatem rerum, sequitur in ejus sententia peccata necessario committi, & Deum esse Authorem peccati. Dupliciter enim potest intelligi Deum voluisse peccatum primo absolute ut Adam peccaret cum tota sua posteritate, secundo conditionate, ut si Adam peccaret, etiam tota posteritas esset culpæ obnoxia, & in hoc secundo sensu propositio est vera, quia fuit in libertate Adæ transgredi vel non transgredi præceptum à Deo sibi injunctum, & quia voluntas posterorum fuit virtualiter voluntas Adæ, in quo veluti in capite continebatur, ideo tota posteritas facta fuit eidem culpæ obnoxia. In primo autem sensu propositio est impia, & hæretica, quia Deus non adigit ad peccatum, nec est Author peccati, id enim adversatur justitiæ & legi æternæ, quæ est ipse Deus, quia peccatum est aversio à Deo, atque defectio ab ultimo fine, & Deus voluntates hominum tantum abest, quod à se avertat, ut potius ad se ipsum omnia convertat, & ordinet. etenim Deuter. 32. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate justus, & rectus.* Psal. 5. *Non enim Deus volens iniquitatem tu es?* Quod si Deus non vult iniquitatem quomodo voluit peccata Adæ, imo & peccata omnia, quæ à posteris fiunt? Sapient. 11. *Diligis omnia, quæ sunt & nihil odisti eorum quæ fecisti;* Deus autem odio habet peccatum Sapient. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus:* si impietas, seu peccatum est Deo odio ergo Deus peccatum noluit, nec fuit Author peccati Adæ, & posterorum, quia peccatum non fecit, nec fuit ejus Author, quia nihil eorum quæ fecit, odio habet, & peccatum dicitur odisse Ecclesiast. 15. *Non dixeris per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris. Non dicas ille me implanavit quia nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi,* seu nemini vitam dedit, vel prorogavit ex intentione, ut peccaret. Habacuch. 7. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Quod si non potest respicere ad iniquitatem à fortiori nec poterit illam velle, neque intendere; consequenter falsum est, assertum Calvini Deum ex eo quod præviderit Adæ peccatum, illud voluisse ut fieret. Rursus Apostolus ad Rom. 5. ait: *Nunquid iniquitas est apud Deum? absit!* si autem Deus per suum decretum vellet peccata, eo quia ea præviderit, ut ait Calvinus, sequeretur inesse Deo iniquitatem. Jacobi. 1. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est ipse autem neminem tentat,* quod si Deus neminem tentat, ut peccet, à fortiori neminem vult peccare, neque urget necessitas, ut peccet, & D. Augustinus lib. de Spiritu & littera cap. 31. observat, nunquam legi in scripturis, *non est voluntas nisi à Deo,* ait Augustinus *& recte non est scriptum, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, Author esset Deus, si non est voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas, jam sola peccatum est etiam si desit defectus, id est, si non habeat potestatem,* & lib. 5. de Civit. Dei, cap. 9. ait: *Sicut omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator non voluntatum. Mala quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt.* Ecce quam perperam contra Sacras Scripturas asserat Calvinus peccatum primi parentis, imo etiam omnia alia peccata posterorum, quæcunque fiunt, aut futura sunt, non aliter fieri, quam Deo volente, & ordinante, imo etiam necessitatem imponente, ait enim ipse Deum ab æterno prævidisse omnia peccata, quæ unquam futura sunt, & eatenus ea prævidisse futura, quia illa voluit, & decrevit, ut fierent, ex quo sequitur in sententia Calvini Deum voluisse, ac decrevisse non solum peccatum Adæ, verum etiam peccata omnium posterorum, consequenter ipsum esse Authorem peccati.

Adversatur etiam Calvino doctrina sanctorum Patrum præsertim Augustini tract. 1. in Joan. ubi expendens verba illa: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* ait: *peccatum quidem non per se factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant,* & lib. 2. de libero arbit. cap. 20. ait: *Omne bonum ex Deo. Nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo. Motum ergo illud aversionis, fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat & ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius in nostra est positus potestate.* Augustino adhærens

ex malis bona. Quod vero Deus indignatione commotus contra populum Iſrael permiſerit, ut David incitaretur à Satana ad numerandum populum. 1. Paralip. cap. 21. *Conſurrexit autem Satan contra Iſrael & concitavit David ut numeraret Iſrael,* Deus malum illud non decrevit, nec voluit, ſed tantum permiſit, & eo permiſſo uſus eſt ad punitionem populi. Ad aliud de Judæ Proditore, cui Chriſtus dixit *Quod facis, fac citius* reſpondit S. Leo Papa ſerm. 7. de paſſione Domini, Chriſtum non juſſiſſe Judæ proditionem, ſed tantum permiſiſſe, & ſtante tali permiſſione ſuaſit, ut citius faceret quo poſſet ſtatim pretium ſui ſanguinis in redemptionem humani generis fundere, & mortem ipſe ſubire ut nobis vitam impertiret, ait S. Leo Papa: *Vox non jubentis eſt, ſed ſinentis, nec trepidi, ſed parati: quia habens omnium temporum poteſtatem oſtendit ſe & moram non facere traditori, & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod à perſequentibus pa abatur nec impelleret, nec timeret.*

Pleraque alia Scripturæ loca, quibus videtur Deus jubere, vel præcipere, vel injungere malum aliquod patrandum non ſunt intelligenda, niſi permiſſive non vero effective, niſi quoad phyſicam entitatem actus mali, non vero ratione malitiæ in eodem actu, ſicut natura intendit quidem oculum non vero defectum cæcitatis, perinde Deus vult quidem entitatem phyſicam actus, non vero ejus defectum, & malitiam in quo ſenſu intelligitur illud. 3. Reg. 22. *Dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab,* & Ezechi lis 14. *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum,* & Iſaiæ 43. *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis,* hæc inquam & alia Scripturæ teſtimonia intelliguntur, quod Deus permiſerit Prophetas mentiri decipi, & populum errare, quia ut ait Auguſtinus lib. de Spiritu, & litt. cap. 31. *Cum voluntas mala poteſtatem accipit implere, quod intendit, ex judicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas: punit enim etiam illo modo, nec ideo injuſte, quia occulte,* quia ſubinde permittit Deus, ut Diabolus decipiat, tentet ad malum, & à recto tramite abducat, ſicut permiſit etiam vexare S. Jobum, tametſi innocens eſſet ad probandam ejus virtutem, ut inde uberiora meritorum incrementa ſuſciperet, ait enim D. Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 18. *Neque ex Dei potentia intelligendum eſt vel in bonum vel in malum aliquem cogi, ſed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante ſine meritis converti ad bonum.* Quando igitur in ſcripturis dicitur, Deum tradere aliquos in reprobum ſenſum vel inclinare voluntates in malum; id non præſtat poſitive agendo, & movendo, ſed tantum per ſubtractionem ſuæ gratiæ, quatenus illum deſerit, & non impedit malum, quod agit: quia Deus non tenetur ex ulla obligatione impertiri ſemper ſuam gratiam, ac impedire mala omnia, ſed permittit illa evenire, eo quia velit hominem operari libere juxta proprium arbitrium ſibi inditum. Si enim quis cadat in foveam aliquam, & alius lapſum illum non impediat ei porrigendo dexteram, & permittat eum cadere, non tamen ipſe eſt cauſa illius caſus, ad quem nullum dedit impulſum præſertim ſi non teneretur illi manum porrigere, & juſtam haberet cauſam ſubtrahendi manum, & lapſum illam permittendi, is enim non dicitur proprie cauſa reſpectu alicujus effectus quando ad illum nullum præſtat concurſum, ut enim cauſa ſuum efficiat effectum neceſſe eſt influat aliquo modo in ipſum. Hinc cum dicitur Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum,* & Apoſtolus ad Roman. c. 9. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat,* non propterea eſt cauſa mali, quia non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non exhibendo gratiam, eo quia non ſint illa digni, nec fuerint eam promeriti, ſed potius meruerunt, ut illa privarentur. Quod ſi Deus Iſaiæ 45. dicitur creans malum *ſi erit malum in civitate quod Dominus non fecerit,* ut ait Amos 3. id intelligendum eſt non de malitia peccati, ſed de pœna, & ſupplicio ejuſdem, ut explicat D. Auguſtinus, qui lib. 14. de civitate Dei Cap. 14. ait: *Ut natura ſit ex eo habet, quod à Deo facta eſt, ut autem ab eo, quod eſt, deficiat, ex hoc quod de nihilo factum eſt,* ex quibus liquet, quam perperam aſſeruerit Calvinus peccatum primi parentis, ut etiam peccata alia omnia quæcunque fiunt, aut futura ſunt, Deo volente & ordinante fieri imo etiam neceſſitatem imponente, eo quia Deus ab æterno ea Præviderit, & quidquid prævidet futurum illud vult, & decernit, ut fiat, ex quo in fert Deum velle, & definire, ut fiant omnia peccata, quæ futura ſunt, & Dei voluntatem eſſe rerum neceſſitatem ſiquidem Deus ita hominem condidit, ut eidem fuerit impertitus liberum arbitrium quo operaretur juxta ſuum beneplacitum, & Deus permittit eum operari male licet nolit malum illud neque illud prædefiniat, ſed quia libere ponitur à creatura, Deus illud præcognoſcit, ac decernit permittere, definitque illud punire. Quod vero aſſerat Deum per decretum prædeſtinationis tollere liberum arbitrium in homine, ut clare ipſe aſſerit. 1. *Inſtit. Cap.* 15. §. 8. id quam falſum ſit, liquet, ex ipſius verbis, docet enim loc. cit. Hominem in ſtatu innocentiæ fuiſſe præditum libero arbitrio, quo, ſi vellet, poſſet conſequi æternam ſalutem, ait enim: *Potuit igitur Adam ſtare, ſi vellet, quando nonniſi propria voluntate cecidit.* Quod ſi pro ſuo libitu potuit Adam ſtare ergo non neceſſario lapſus eſt, ſed quia voluit, quia ſi voluiſſet, potuiſſet ſtare, & ſi ſtetiſſet, ut potuit libere non cecidiſſet, conſequenter ſi cecidit libere, & non neceſſario lapſus eſt, & nihilominus ſui dicti oblitus lib. 14. cap. 15. aſſerit: *Omnia quæ fiunt Dei voluntate fieri, & voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem.*

Neque principia quibus Calvinus nititur ſunt ullius ponderis, ſi enim adhibeamus diſtinctionem inter divinam voluntatem efficientem, & permittentem facile ſolvuntur, quæcunque poſſunt objici, nam quod dicant ſectarii cum Calvino omnia quæ quæ fiunt, fieri Deo volente & non tantum permittente, id repugnat communi ſenſui ſanctorum Patrum docentium peccata fieri Deo permittente, non autem volente, alioquin eſſet Deus author peccati, qui enim vult fieri peccatum & alium ad peccatum impellit, procul dubio eſt cauſa peccati. Rurſus in ſententia Calvini Deus eſſet mendax, quia aliud loqueretur, & aliud in animo ſentiret, quia in ſcripturis clare ait, ſe deteſtari peccata, ſibique ea ſumme diſplicere, ſua voluntate non fieri, ſe præcipere, mandare, injungere, ne fiant: Sin autem Deus in ſententia Calvini vellet peccata fieri, & non tantum ea permitteret, revera vellet ea committi, & ad ea patranda occulto homines impelleret, proinde Deus aliud loqueretur in ſcripturis, & aliud operaretur, qui autem loquitur & aliud in mente ſentit, mendax eſt, proinde ex Calvini ſententia ſequeretur Deum eſſe mendacem, imo & crudelem eo quia hominem innocentem per ſuum decretum, quod in ſententia Calvini non poteſt fruſtrari, eo quia ſit rerum neceſſitas, adigeret ad male operandum ad eum finem ut poſſet illum punire. Quinimo in ſententia Cal-

nolle peccatum, quia nolle peccatum importat aliquid poſitivum, quod impedit peccatum, & non velle peccatum importat quid negativum, ſeu ſubtractionem gratiæ, qua permittit hominem operari juncta liberum ſuum arbitrium, ac peccare.) Inſtant iterum, inde ſequitur Deum circa peccata negative ſe habere, ſi neque volens eſt, neque nolens, conſequenter ipſo ignorante, vel certo otioſo vel non curante fiunt peccata: ſed Deus non eſt ignorans, quia omniſcius, non eſt otioſus, quia omnium curam, & providentiam gerit. Sed contra, quia ut diximus Deus circa peccatum ſe habet negative in ſenſu expenſo, non enim poſitive vult peccatum hinc David Pſal. 5. *Non Deus. volens iniquitatem tu es.* Non tamen inde ſequitur peccata fieri Deo ignorante, vel otioſo, quia illud repugnaret ejus omniſcientiæ, & hoc ejus providentiæ. Deus igitur, tametſi poſitive dicatur nolle peccata, nec ipſa velle, dicitur tamen ea permittere, & non velle negative, quatenus negat ſua divina auxilia, quibus ſi vellet, poſſet peccata impedire: hanc tamen permiſſionem ordinat Deus ad bonum finem ad fructum aliquem eliciendum ut etiam ipſa punitio peccati ordinatur ad ſervandam, & manifeſtandam divinam juſtitiam, quod eſt quid bonum pertinens ad rationem divinæ providentiæ. Hinc intelligimus quo ſenſu dicatur in ſcholis aliter peccata, aliter res alias ſubeſſe divinæ providentiæ: peccata ſiquidem ad illam pertinent ut materia, & res aliæ, ut effectus, quod ita eſt intelligendum, ut Deus ſua providentia velit res alias eſſe vel tanquam fines à ſe intentos, vel tanquam media ordinata, & præparata ad tales fines. Ex hiſce quæ Deus vult eſſe cum voluntas Dei ſit cauſa rerum procul dubio ſunt effectus Dei, quia vero peccata non vult eſſe neque tanquam fines à ſe intentos, neque ut media à ſe præparata ad aliquem finem, ſequitur peccata non eſſe effectus Dei eſſe tamen materiam, circa quam Dei providentia verſatur,) ſed dices, eo ipſo quod Deus ordinat peccata neceſſe eſt ad aliquem finem ea ordinet, conſequenter peccatum eſt medium ad talem finem, proinde eſt effectus providentiæ ſicut res aliæ. Sed contra Deus ex ſe non præparat, & prævidit peccatum tanquam medium ad alicujus finis aſſecutionem, ſed poſtquam ab alio patratum eſt, illud ordinat ad aliquem bonum finem ſcilicet vel ad fructum uberiorem animæ per pœnitentiam, & reſipiſcentiam, vel ad manifeſtationem divinæ juſtitiæ per punitionem, & in hoc maxime apparet divina bonitas, quia cum ipſe malorum Author non ſit, poſſit nihilominus ex malis ab alio perpetratis bonum aliquod producere. Hinc D. Auguſtinus in Enchir. Cap. 100. ait. *Non fineret bonus fieri male niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene*, & lib. 12. de civit. cap. 1. *Tanta ſapientia tantæque virtutis Deus eſt, ut in eos exitus ſive fines, quos bonos & juſtos ipſe præſcivit, tendant omnia, quæ eius voluntati videntur adverſa.* Sed adhuc ſupereſt ſolvendum argugumentum, quia homo nihil poteſt velle, niſi etiam Deus velit, cum cauſa ſecunda nihil poſſit agere ſine concurſu cauſæ primæ: ſed homo vult peccatum, eſt enim voluntarium, alioquin peccatum non eſſet, & eatenus eſt voluntarium quia ab homine volitum: ergo etiam Deus vult peccatum. Firmatur quia duo conſiderantur in peccato actio peccati, & ejus deformitas, ex quibus actio non minus effective eſt à Deo, quam ab homine; deformitas vero non intenditur à Deo neque ab homine, quis enim eſt ita nequam, ut intendat deformitatem peccati: ergo eadem ratio eſt de Deo, & de homine, quia uterque concurrit effective ad ipſam entitatem phyſicam, & neuter intendit ejus deformitatem, quapropter, ſi homo dicitur velle peccatum etiam Deus dicitur illud velle. Sed contra, quia intereſt maximum diſcrimen Deum inter & hominem ſiquidem concurſus Dei eſt generalis, & ex ſe indifferens, ex cujus vi nulla ſequitur deformitas aut malitia. Secus concurſus hominis eſt particularis, & determinatus ad unum, ex cujus vi ſequitur aliquis defectus in actu peccati, unde actio peccati, quæ à Deo & homine efficitur non habet à concurſu Dei, quod ſit mala, ſed tantum ex parte hominis, & ejus concurſu, ideoque ſolus homo dicitur cauſa peccati, eo quia concurſu determinato, & particulari influat in peccatum ex quo influxu particulari ſequitur aliquis defectus connexus cum peccato, Deus autem quia concurrit tantum indifferenter & generaliter, ex vi talis concurſus nulla ſequitur deformitas nec malitia, conſequenter non eſt Deus cauſa peccati, ſed tantum homo. Ratio eſt quia ſolus homo ſubjacet legi eique injungitur, ut hoc vel illo modo operetur. Quod ſi hoc non faciat, jam deficit à lege, ideoque peccat, Deus autem non ſubjicitur legi, qua prohibeatur concurrere cum cauſis ſecundis exhibendo, influxum ex ſe indifferentem, quin id potius eſt conforme legi naturali, quapropter ſi Deus ita concurrat non deficit à lege, conſequenter non peccat; quo pacto explicatur regula illa Theologorum, qua dicitur, quod quando plures cauſæ concurrunt ad aliquam actionem, in qua eſt deformitas, ſeu privatio: omnes quidem ſunt cauſæ illius actionis, non tamen privationis, ſed illa ſolum, quæ in agendo deficit à ſua regula.

Aliud Calvini principium erat voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, ex quo inferebat peccatum primi hominis commiſſum fuiſſe ex neceſſitate, eo quia antequam committeretur DEUS illud præſcivit futurum, & non potuit præſcire futurum, niſi per decretum ſuæ voluntatis, & quia Dei Decreto non poteſt creatura obſiſtere, ſequitur omnia futura, quæ præſciuntur à DEO, fieri neceſſario, quod ſuperius oſtendimus falſum eſſe, eo quia præſcientia non ſit cauſa peccati futuri, ſed potius peccatum futurum eſſe cauſam præſcientiæ, hinc D. Thomas *quæſt. 1. art. 1.* quærens an voluntas Dei neceſſitatem imponat rebus volitis, reſpondet voluntatem Dei efficaciſſimam eſſe, ac conſequenter non ſolum efficere, ut varii effectus in hoc mundo producantur, verum etiam, ut eo modo producantur, quo ipſe vult: atqui Deus vult quoſdam effectus fieri neceſſario & alios contingenter, & alios omnino libere, hæc enim varietas modorum, quibus res fiant pertinet ad perfectionem, & ordinem hujus univerſi; ex quo fit, quod aliquibus effectibus adoptaverit cauſas neceſſarias, & aliis contingentes, & aliis liberas. Quia vero cauſæ creatæ cujuscunque ſint generis ſine generali Dei concurſu non poſſunt agere, ideo Deus accommodat, & attemperat ſe ad naturam, & conditionem cujuſque cauſæ ut illorum modum agendi non impediat ſuo concurſu, ſed ſinat liberas agere libere, contingentes contingenter, & neceſſario neceſſarias. Cæterum tametſi Deus nolit poſitive peccatum illud tamen permittit, quo vero fine illud permittat, certum eſt nonniſi ob bonum finem, ut ſuperius diximus illud permittit, non enim poteſt Deus alium finem niſi bonum intendere, etenim ſi peccatum puniat etiam ſuppliciis æternis, ordinat hæc ſupplicia ad ſervandam, & manifeſtandam divinam juſtitiam, qui finis bonus eſt, ſin vero peccatum nō puniat pœnis æternis, ſed peccatori conferat ſuam gratiam, ut reſipiſcat, inde uberiores pœniten-

Digitized by Google

pœnitentiæ fructus intendit, & est finis pariter bonus. Difficultas tamen est de peccato primi parentis, de quo in hac quæstione disputat Calvinus: & ex occasione hujus peccati plura in nos derivasse bona certum est, siquidem inde habuimus Verbi divini Incarnationem, sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & alia pleraque bona quæ non fuissent in statu innocentiæ sed in nos derivarunt Deo ita ordinante. Christus enim nostram assumpsit humanitatem, ut totum genus humanum, quod per peccatum Adæ lapsum fuerat, erigeret & quia mortuum erat peccato, illi sua nece vitam impertiret æternam. Hinc fallum est, quod asserit Calvinus, & ejus asseclæ præsertim Iansenius & plures alii Calvini discipuli, Christum pro solis prædestinatis non vero pro reprobis mortuum esse, ait enim Calvinus lib. 3. Institut cap. 22. §. 10. *Si omnes velles salvos, custodem illis præficeret filium, & omnes in ejus corpus sacro fides vinculo insereret. Nunc constat esse paterni amoris pignus filius quos adoptavit reconditum*, quæ propositio hæretica est, & damnata ab Innocentio X. & fuit quinta propositio à Pontifice damnata, ajebat enim Jansenius *semi pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, & sanguinem suum fudisse*, quam propositionem, ut falsam temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu cum Calvino, ut Christus pro salute tantum prædestinatorum mortuus sit, ut impiam contumeliosam & divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaravit, ait enim Jansenius Tom. 3. Colum. 379. & 380. sub init. Cap. 21. argumentum pro gratia sufficiente omnium sumptum ex eo, quod Christus sit Redemptor omnium, & pro omnibus crucifixus, & mortuus, usque ad nauseam à Pelagianis præsertimque Massiliensibus inculcatum fuit: ut mirum sit recentiores tanto studio tuta hæreticorum arma colligere & absoleta recudere. Et Tom. 3. de gratia Salvatoris. lib. 3. cap. 21. colum. 390. ait: *Nullo modo principiis Augustini consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium, æterna salute mortuus esse & sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur.* Ex nonnullis interjectis subdit. *Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit Patrem pro temporalibus quibusdam justitiæ effectibus rogavit, & pro iisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum.* Et eod cap. 21. colum. 386. ante med. ait: *Nec enim juxta doctrinam antiquorum* (scilicet Augustini, Concilii Valentini. S. Remigii cum sua ecclesia Lugdunensi) *pro omnibus omnino Christus passus, aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potius tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum*, Hinc Jansenius rancidam Calvini Doctrinam secutus, ut postea responderet ad id, quod scripturæ inculcant Christum omnium esse redemptorem, explicat Tom. 3. Colum. 381. (quoad sufficientiam adeo ut sufficienter tantum dicatur omnium redemptor quo pacto etiam pro dæmonibus ait Colum. 382. posse dici, se dedisse redemptionem, aut pro omni genere hominum tantum) quæ expositio petita est ex recentioribus hæreticis.

Dicendum est, Christum mortuum fuisse pro omnibus prorsus hominibus sive prædestinati sive reprobi, adeo, ut voluerit pretium sui sanguinis pro toto humano genere. Idque expresse liquet ex sacris Scripturis. Ad Rom. 5. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam justi constituentur multi.* Hæc D. Pauli antithesis eo spectat, ut ostendat, justitiam, seu meritum Christi omnibus omnino hominibus profuisse, quantum fuit in se: Sicut Adæ peccatum omnibus obfuit hominibus: Sed Adæ peccatum totum humanum genus infecit una excepta Deipara ab avita labe immuni, non repugnante Concilio Tridentino, & consentiente potiori ecclesiæ catholicæ parte, quæ piam hanc sententiam tuetur; ergo ex Apostolo Paulo sanguis Christi omnibus omnino hominibus profuit, & Christus pro omnibus prædestinatis, & reprobis mortuus est. Quod etiam pro reprobis mortuus sit Christus clare fatetur D. Paulus 1. Corinth. 8. v. 11. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Ex quo deducitur tale argumentum: Si potest aliquis perire ex illis, pro quibus Christus mortuus est, non est Christus mortuus pro Electis tantum. Sicut enim certum est, nullum electorum esse periturum, ita manifestum erit, cum reprobi tantum sint perituri, etiam pro reprobis Christum esse mortuum: Sed ex allato Apostolo aliquis peribit illorum, pro quibus Christus est mortuus, ergo pro Electis tantum non est mortuus: Sed etiam pro reprobis.

Obsecro igitur primum, omnium fieri obsecrationes, orationes, gratiarum actiones pro universis hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. Unus enim Deus, & unus Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus. Injunxit Apostolus Timotheo preces ad Deum fundere pro omnibus etiam infidelibus, ex quibus aliqui erant reges, & alii in sublimi dignitate constituti; eo quia unus sit omnium Deus, unus omnium mediator: *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* omnino scilicet pro omnibus tam fidelibus, quam infidelibus, etiam regibus, & aliis in dignitate sublimi constitutis: sed constat ex historiis, tunc temporis plures infideles fuisse in sublimitate constitutos, & mortuos in sua infidelitate, Neronem impium Christianorum persecutorem, ac crudelissimum carnificem fuisse imperatorem, Parthos, & Medos reges suos habuisse; & vectigale Romanis provincias ab infidelibus fuisse administrator: & tamen voluit Apostolus etiam pro illis quamvis Ethnicis, preces ad Deum fundi, eo quia etiam pro illis *mortuus sit Christus.* Quod si in sententia Calvini, Jansenii, & aliorum sectariorum, Christus pro iis tantum mortuus est, qui salvantur, suntque prædestinati, omnino frustranea fuisset Paulina ratiocinatio; vel Sanctorum Cathalogo adscribi deberent Nero, Vespasianus, Titus, Galba, Otho, Agrippa, Felix, & alii tunc in sublimitate constituti, quique mortui sunt in sua infidelitate; quia pro illis omnibus voluit Apostolus preces fundi, si non explicite, & nominatim, saltem implicite, & tacite, cum dixerit orandum esse pro regibus, & iis qui in sublimitate sunt, quales fuerunt præreceniti principes, pro quibus Christus dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, ergo fatendum erit Christum fuisse mortuum, & dedisse redemtionem semetipsum etiam pro iis, qui salutem non consequuntur, & in perpetua sua infidelitate persistunt, ac moriuntur, cujusmodi fuerunt prosati Principes. Rursus Apostolus 1. ad Timoth. 4. v. 10. ait: *Qui est Salvator omnium hominum maxime fidelium*, quod si maxime, seu præcipue fidelium sequitur, quod

etiam

etiam ſit Salvator omnium infidelium, pro quibus etiam mortuus fuit, & non ſolum quoad ſufficientiam pretii quod poſſit omnibus applicari, ut diſtinguunt aliqui Sectarii, verum etiam ex voluntate ſincera, ut omnibus (quantum per ſe ſtaret) fructus illius paſſionis proveniet: Siquidem captivi in illum poſſunt redempti dici, pro quibus lytrum, ſeu pretium redemptionis non eſt perſolutum, tametſi datum pretium fuiſſet etiam pro iis ſufficiens, pro quibus de facto non penditur, ergo ex meritis paſſionis Chriſti Salvatoris ipſi etiam infideles ſumpſerunt media neceſſaria, ut credere poſſent, ſi vellent, juſti vero (tametſi ex ſua culpa non perſeverantes,) gratiam & in illa jus ad hæreditatem Dei in cœleſti beatitudine, tametſi horum mediorum applicatio perſæpe impediatur à reprobis per peccata, quæ libera voluntate perpetrant, vel ob defectum cooperationis. Rurſus 2. Petri 1. *fuerunt vero & Pſeudo-Prophetæ in populo, & in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant ſuperinducentes ſibi celebrem perditionem.* Quod ſi Chriſtus eos pretio ſui ſanguinis emit, qui fuerunt Pſeudo-Prophetæ in populo, & Magiſtri Mendaces introducentes ſectas perditionis, utique pro reprobis etiam mortuus fuit Chriſtus, & ſanguinem in ſua paſſione fudit. Rurſus 1. Joann. 2. verſ. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed pro totius mundi.* Expendenda ſunt verba illa *totius mundi*, hoc eſt omnium gentium, quæ ſunt in mundo ſive ſint Judæi ſive infideles, Barbari, & gentiles, omnes enim recipiunt redemptionem, quatenus Chriſtus pretio ſui ſanguinis eos redemit, tametſi ex ipſorum culpa fructum redemptionis non accipiant.

Concilia itidem hanc eandem veritatem definiverunt, etiam Tridentinum Seſſ. 6. cap. 2. ait: *Hunc* (ſcilicet Chriſtum) *propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris. Non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi*, & poſtea incipiens tertium caput, ſubdit. *Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: Sed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Unde ex Tridentino idem Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, & poſitum eſſe propitiationem pro peccatis totius mundi. Hinc perperam aſſerit Calvinus Chriſtum pro electis tantum mortuum eſſe: ſiquidem numero eorum, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, ii etiam comprehenduntur, qui ejus mortis beneficium non recipiunt, ſeu qui recuſant ſibi applicare pretium ejus ſanguinis, mediante uſurpatione Sacramentorum eccleſiæ, fide, & exercitio aliarum virtutum, qui propterea ſi ſalutem non conſequantur, ab ipſis provenit defectus, etenim quotquot ſalutem conſequuntur, recipiunt beneficium ſanguinis & mortis Chriſti: ſed aliqui pro quibus mortuus eſt Chriſtus hoc beneficium non recipiunt, ergo aliqui pro quibus mortuus eſt Chriſtus non ſalvantur, Major, & conſequentia tenent. Minor definitur à Concilio Tridentino de fide. Quamobrem ex Concilio intentio Chriſti de redimendo humano genere latius patet, quam applicatio illius fructus, cui ſola redemptorum cauſſa eſt impedimento. Rurſus cap. 13. de juſtificatis ait Tridentinum, *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent.* Auxilio ſcilicet ad perſeverandum neceſſario, non enim ſpem firmiſſimam omnes haberent in divino auxilio, ſi majori hominum parti illud denegaretur. Quod ſi juſtificatis omnibus ratum eſt, ergo in Deo eſt voluntas ſincera juvandi quantum eſt in ſe omnes juſtificatos ad ſalutem conſequendam, ex quibus nihilominus plures ſunt reprobi ex ſua culpa, quia nolunt fructum redemptionis recipere, proinde Chriſtus etiam pro ipſis mortuus eſt, alioquin quomodo juſtificati conciperent ſpem firmiſſimam? Concilium Valentinum III. ſub Leone Papa IV. contra Prædeſtinatianos Anno Chriſti 855. Can. 5. ait: *Firmiſſime tenendum credimus quod omnis multitudo fidelium ex aqua, & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter eccleſiæ incorporata, &c. in morte Chriſti baptizata, in ejus ſanguine ſit à peccatis ſuis abluta*, poſtea paucis interjectis ſubdit: *Ex ipſa tamen multitudine fidelium, & redemptorum alios ſalvari æterna ſalute, quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent. Alios quia noluerunt permanere in ſalute fidei quam initio acceperunt redemptioniſque gratiam potius irritam facere prava doctrina vel vita, quam ſervare elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.* Aſſerit enim Concilium Chriſtum redemptorem eſſe etiam eorum, qui damnantur; quibus tamen ſalutem æternam ſua morte emerat, & gratiam conſequendæ beatitudinis obtulerat, quam tamen irritam propria electione effecerunt. Rurſus Concilium apud Pariſiacum ſub Carolo Calvo celebratum Anno Chriſti 848. in quo Gotheſcalcus convictus hæreſeos prædeſtinatianorum iterum damnatus fuit: ſiquidem cap. 4. dicitur *Chriſtus Jeſus Dominus Noſter ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit; ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit: licet non omnes paſſionis ejus Myſterio redimantur. Quod vero omnes paſſionis ejus myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem & pretii copioſitatem, ſed ad infidelium, & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem. Quia poculum humanæ ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra, & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur non medetur*, ex quo conſtat eſſe veterem eccleſiæ doctrinam, quod Chriſtus mortuus ſit, pro omnibus omnino hominibus, ſive ipſi gratiam aliquando fuerunt conſecuti, ſive in ſua infidelitate permanſerint, & deceſſerint.

Quia vero Sectarii præſertim Calvinus & Janſenius auſi fuerint aſſerere eſſe doctrinam D. Auguſtini, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortuum fuiſſe, ideo placet hic adferre plures textus D. Auguſtini contrarium expreſſe docentis etenim in Joan. Tract. 4. ſub Init. ait: *Populi autem ſpernentes propter ſuperbiam ſuam humilitatem Dei crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum.* Quod ſi crucifixerunt Chriſtum Salvatorem ſuum, ſequitur quod Chriſtus quantum fuit in ſe erat Salvator eorum, quos poſtea ob ſuam improbitatem, & peccata damnavit; & ipſi quem habuerunt Salvatorem propria malitia ſuum effecerunt damnatorem. Rurſus de Symbolo ad Catechum. lib. 2. cap. 8. ait: *Videtis vulnera, quæ inflixiſtis? agnoſcitis latus, quod pupugiſtis? quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt; nec tamen intrare voluiſtis.* Hanc querelam Auguſtinus dirigit ad reprobos, ſiquidem ipſi ſoli ex redemptis Chriſti latus etiam pro eorum æterna ſalute apertum ingredi beneficio reſipiſcentiæ recuſarunt, aperuit quidem Chriſtus januam ſui pectoris per quam omnes ingrederentur, ac ſalutem conſequerentur beneficio ſui ſanguinis, ſed quia reprobi intrare noluerunt, ideo ſalutem non receperunt, & quem habuerunt redemptorem maluerunt ſibi facere damnatorem. In Pſalm 68. v. 27. ſub initium agens de Juda proditore ait: *Projecit enim pre-*

Digitized by Google

tium agenti, quo ab illo Dominus venditus erat, neque novit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat. Factum est hoc in Juda. Quod si Judam redemerat habuit procul dubio voluntatem illum redimendi. Quod si pro illius redemptione pretium sui sanguinis sincera voluntate persolvit, certe hanc eandem redemtionis gratiam etiam aliis contulit reprobis, cum sit omnium hominum Salvator. Quod si reprobi noluerunt pro se applicari pretium sanguinis Christi, debet iisdem dari caussæ. Idem Serm. 67. de tempor. circa med. introducit Christum Judicem, & in extremo judicio alloquentem reprobos hoc pacto. *Flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti animam in tormentis dimisi,* & paucis interjectis. *Suscepi dolores tuos ut tibi gloriam darem. Suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres, conditus jacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo.* Hinc apparet, quam falso sectarii imposuerunt D. Augustino ipsum docuisse Christum pro solis prædestinatis mortuum fuisse, & non fudisse suum sanguinem pro salute æterna eorum, qui non salvabuntur, sed ad summum pro temporali non perseverantium: siquidem claret ex Augustino Christum passum, mortuum, & sepultum fuisse, ut reprobi in æternum viverent, & regnarent in cœlo. Idem Serm. 114. de tempor. statim ab init. ait: *Hodie Dominus noster in statera crucis pretium nostræ salutis appendit, & una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret:* atqui totus mundus non constituitur ex solis electis, sed etiam ex reprobis, consequenter si redemit totum mundum non solum electos, sed etiam reprobos redemit, & ideo totum mundum redemit, quia pretium sui sanguinis, solvit, & mortem subivit, ergo ex Augustino clare constat Christum non solum pro electis, sed etiam pro reprobis pretium solvit sui sanguinis, & mortuus fuit in ara crucis. Idem Tract. 36. in Joan. post init. expendens verba illa. *Ego non judico quemquam* ait: *Venit Christus sed primo salvare, postea judicare, eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt: eos producendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt.* Quod si Christus erit eos judicaturus in pœnam qui salvari noluerunt, necesse est potuisse mediante adjutorio gratiæ qui salvari noluerunt, æternam salutem consequi, atqui non potuissent æternam salutem adipisci neque habere adjutorium gratiæ ad assecutionem salutis necessarium, nisi Christus pro iisdem mortuus fuisset, ac tale beneficium per sua merita iisdem impetrasset, ergo Christus ex Augustino mortuus est pro iis, qui noluerunt salvari cum potuissent, neque Augustinus aliam profert damnationis eorum causam, quam nequitiam malitiosæ eorum voluntatis. Huc etiam spectat, quod idem Augustinus habet lib. de Spiritu & Littera cap. 33. inquiens: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, & non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur: Quod cum sit infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus evangelio non credunt.* Quod si Christus voluit suo sanguine omnes homines salvos fieri, certum est etiam reprobos esse homines, consequenter velle etiam ipsos salvos fieri, alioquin si excluderentur, falsum esset, quod vellet omnes homines salvos fieri, cum & reprobi homines sint: sed non possunt salvos fieri nisi fuerint redempti pretio sanguinis Christi, & vivificati per ejus mortem, proinde Christus mortuus est etiam pro reprobis, quos voluit salvos fieri, non tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur, hoc est vult Deus salvos fieri infideles, & reprobos, qui male utuntur libero arbitrio, nolentes credere cum possint adjutorio oblatæ gratiæ per Christum promeritæ. Rursus lib. 6. contra Julianum, Pelagianum cap. 4. post. init. ex eo evincit mortuos esse in uno Adamo omnes omnino homines, quia pro omnibus omnino mortuus sit unus Christus, ait Augustinus loc. cit. *Audiretis Apostolum hoc breviter explicantem, qui unum dixit fuisse, in quo omnes peccaverunt, in illo uno mortui sunt omnes, ut moriretur unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est, nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est de contagio peccatorum:* asserit expresse Augustinus meritum passionis, & mortis Christi ad eos omnino homines extendere, quos peccatum Adæ infecit, & corrupit: Sed contagium peccati originalis omnes prorsus homines, una excepta Deipara Virgine, ut fert pia Catholicorum sententia, infecit, & corrupit, sive electi sint, sive reprobi, sive parvuli, sive adulti, consequenter Christus mortuus est pro illis omnibus, subjungit Augustinus: *Quia si Christus pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt, quomodo si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Audis ne Juliane? hac Apostoli verba non mea sunt. Quid à me quæris, quo sit factum modo, cum videas factum esse quocunque modo.* Ex eo, quod asserat Apostolus ad Roman. 5. Omnes mortuos fuisse in Adamo infert, omnes vivificatos fuisse in Christo, & per ejus necem, sed in Adamo mortui fuerunt tam electi, quam reprobi, ergo per mortem Christi vivificati fuerunt & electi, & reprobi, consequenter Christus non pro solis prædestinatis verum etiam pro reprobis mortuus fuit, quos quantum fuit ex se vivificavit, licet noluerit ipsi vitam suscipere. Rursus eod. lib. 6. cap. 6. in fin. ait: *A morte quippe justissima damnationis per unum Mediatorem Dei & hominum liberatur genus humanum, non à morte corporis tantum, sed à morte qua mortui sunt, pro quibus unus mortuus est, & quia pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Hic iterum inculcat, ideo Christum mortuum esse pro omnibus eo quia omnes mortui fuerunt in Adamo: Sed omnes tam electi, quam reprobi mortui fuerunt in Adamo, ergo Christus pro illis omnibus, qui mortui fuerant mortem subivit, ut eos vivificaret. Utitur Augustinus frequenter verbis Apostoli, *Christus mortuus est pro omnibus*, ut Sectarios expugnet, quia ex eo, quod pro omnibus mortuus sit, sequitur mortuum itidem fuisse pro reprobis quia & ipsi homines sunt, & eos infecit peccatum originale, ex quo contra Pelagianos infert, quod nisi pugnare secum ipsi velint, inficiari non possunt, parvulos omnes etiam in Adamo mortuos fuisse, & Christum etiam pro iisdem mortem subiisse, adeo ut mors Christi ad illos omnes se extendat eos vivificando, ad quos peccatum originale pervenit eos mortificando. Hinc Augustinus in opere imperfect. contra Julian. lib. 1. cap. 50. contra Sectarios ait: *Præclari prædicatores sic prædicatis Jesum, ut eum negetis parvulorum esse Jesum: nolite Salvatorem non salvus pueris invidere*, & cap. 51. subdit. *Vos ergo si carere vultis opprobrio, quo ecclesia catholica detestabiles facti estis, sinite Christum parvulis esse Jesum* scilicet Salvatorem. Quod si parvulorum est Jesus, seu Salvator, certum est, multos esse parvulos, quorum Christus dicitur esse Salvator

vator licet ad gratiam baptiſmi nunquam pervenerint, conſequenter non eſſe de numero prædeſtinatorum, ergo non pro ſolis prædeſtinatis vult Auguſtinus mortuum fuiſſe Chriſtum, ſed etiam pro aliis non prædeſtinatis, & lib. 2. ejuſd. operis imperfecti contra Julian. cap. 128. ait: *Unus pro omnibus mortuus eſt Juliane, non hoc Auguſtinus, ſed Apoſtolus dicit, imo ipſe per ſuum Apoſtolum Chriſtus, cohibe te maleloquio, cede Deo, diggere crapulam contentionis, & intellige.* Poſtea oſtendit diſcrimen, quod intereſt inter duas illas voces, *omnes, & multi,* quæ ab Apoſtolo adhibentur. 1. ad Roman. 5. v. 19. *Sicut, per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi,* & 1. ad Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur,* & ſic utrumque locum concilia, multi quippe iſti, ipſi ſunt omnes, de quibus alio loco dicit: *ſicut in Adam omnes moriuntur.* Ex eo igitur, quod omnes mortui fuerint in Adam, infert Auguſtinus, Chriſtum pro iiſdem omnibus mortuum eſſe, adeo ut ad eos omnes ſe extendat mors Chriſti, ad quos Adæ peccatum pervenit, & cum iſtud infecerit omnes omnino homines prædeſtinatos, & reprobos parvulos, & adultos, ad hos omnes ſe extendit mors Chriſti, quos propterea pretio ſui ſanguinis redemit, & morte ſua vivificavit. Hoc argumento oſtendit Auguſtinus contra Pelagianos nullum eſſe hominem, qui in Adam non fuerit mortuus, & nullum eſſe hominem, pro quo Chriſtus mortuus non fuerit, adeo ut Chriſtus mortuus ſit pro omnibus prorſus hominibus citra ullius exceptionem. Rurſus quia Sectarii etiam D. Proſpero, qui floruit eodem ſæculo cum D. Auguſtino, cujus Auditor fuit ac illi familiaris, eundem ipſorum errorem imponunt, contrarium ex Proſpero oſtendendum eſt, etenim lib. 2. de vocatione gent. cap. 16. ſub init. ait: *Nulla ergo ratio dubitandi eſt, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum pro impiis, & peccatoribus mortuum, à quorum numero ſi aliquis liber inventus eſt, non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus, ſed prorſus pro omnibus eſt Chriſtus.* Ait Chriſtum prorſus pro omnibus mortuum eſſe eo, quia omnibus abſolute promeruerit gratiam ſufficientem, ut ipſe probat *lib. 2. de vocat. gent. à cap. 19. uſque ad fin. libri.* Et eod. lib. cap. 31. ait: *Elaboratum eſt enim quantum Dominum adivit, ut non ſolum in noviſſimis diebus; verum etiam in cunctis retro ſæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affluiſſe, quoniam ſive occulte, ſive manifeſte, ipſe eſt (ut ait Apoſtolus) Salvator omnium hominum maxime fidelium. Qua ſententia ſubtiliſſima brevitatis, & validiſſimi roboris ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controverſiam dirimit. Dicendo enim quis eſt Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem.* non poſſet autem affirmari, bonitatem Dei ſuper homines univerſos eſſe diffuſam, ut Chriſtus eſſet Salvator omnium hominum; niſi iiſdem verbis inferatur, pretium ſalutis pro omnibus prorſus hominibus prædeſtinatis, & reprobis ſolutum eſſe. Rurſus lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23. de ipſis parvulis ait: *Non irreligioſe arbitror credi, nec inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, quæ utique ſi bene uterentur eorum parentes etiam ipſi per eoſdem juvarentur.* Ubi non ſolum aſſerit Chriſtum pro parvulis non ſuſcipientibus baptiſmum mortuum eſſe, ſed etiam adfert veram cauſam, cur divina voluntas ſalvandi omnes ſuo in parvulis careat effectu, & ait id non provenire à peccato originali parvulorum, ſed à negligentia parentum, quibus cum vita parvulorum concredita ſit etiam ipſorum ſalus, quia hæc dependet à vita productiore, quam parentes neglexerunt, rurſus in fine capitis ait: *poculum quippe immortalitatis (ſanguis Chriſti) quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute divina habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.*

Ratio etiam hanc evincit Catholicam veritatem, quia ſi Chriſtus non fuiſſet mortuus etiam pro reprobis multum derogaretur ejus liberalitati, & meritis, quinimo Chriſtus aſſeretur mendax, & deceptor etenim, ſi ſolis prædeſtinatis vult benefacere cur omnes indiſcriminatim ad ſe vocat, & invitat Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos,* quibus verbis vocat Chriſtus omnes qui indigent refici, conſequenter non ſolum prædeſtinatos, ſed etiam reprobos. Præterea quia Chriſtus pro omnibus hominibus Sacramenta inſtituit, pro quibus etiam impoſuit præceptum fidei & baptiſmi, & ad hunc finem miſit Apoſtolos prædicare evangelium ad omnes gentes, & eas baptizare. Rurſus præcipit pro omnibus orationes fundi, ut omnes infideles ad agnitionem veritatis veniant. Sin autem Chriſtus mortuus non eſſet pro omnibus etiam reprobis & infidelibus perperam omnes invitaret, quotquot onerati ſunt, ut reficiantur, quomodo enim reficerentur, ſi non poſſent ſalutem conſequi, eo quia Chriſtus pro ipſis non fuerit mortuus nec pro eorundem redemtione pretium ſolverit ſui ſanguinis. Sed dicunt adverſarii, ſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, cur non prodeſt omnibus: ſiquidem Gentiles, Turcæ, Judæi, & parvuli decedentes ante lavacrum baptiſmi expertes meritorum Chriſti, ergo quia pro iſtis non fuit fuſus ſanguis Chriſti, alioquin iiſdem prodeſſet, ſed contra quia dupliciter poſſumus intelligere Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, primo quia ſuſcepit cauſam totius humani generis, ſecundo quia tam cumulata ſunt ipſius merita, & ſatisfactio, ut ſufficiant pro omnibus. Tertio quia ipſe neminem excludit à ſuis meritis, quæ propterea ideo non proſunt omnibus, quia omnibus non applicantur, quia non omnes uti volunt meritis Chriſti, etenim ſi Medicus pharmacum paret pro duobus ægrotis, & id præſentiſſimum ſit ad expellendum humorem vitiatum vel extinguendum ardorem febrilem, adhuc neutri ſanitatem adfert niſi ſumatur, & applicetur, pari pacto aſſerendum eſt de meritis Chriſti, quæ licet efficaciſſima ſint ad delenda omnia peccata, & ad ſanitatem inducendam ſpiritualem, quia tamen plures ea ſibi non applicant, ideo ipſis non proſunt. Applicantur vero Chriſti merita multipliciter. Primo per ſacramenta, ſecundo per gratiam prævenientem, & excitantem; & tertio per exercitia bonorum operum, Hinc contra Calvinum infertur eos omnes fieri participes meritorum Chriſti, qui vel Sacramenta legitime ſuſcipiunt vel non obſiſtunt prævenienti gratiæ, à qua excitantur vel cooperantur gratiæ adjuvanti ac bonis operibus vacant: quod præſtare poſſunt non ſolum electi, ſed etiam reprobi: conſequenter poſſunt etiam reprobi ſi velint fieri participes meritorum Chriſti, unde merita Chriſti poſſent etiam reprobis prodeſſe, dummodo iſti vellent ea ſibi applicare per ſuſceptionem Sacramentorum, per cooperationem gratiæ excitanti, & adjuvanti & per exercitia bonorum operum. Etenim omnes parvuli, qui à parentibus infidelibus, vel hæreticis naſcuntur, & ex inſtituto & intentione Chriſti baptizantur, legitime ſacramentum ſuſcipiunt, tametſi non omnes ſint præ-

Digitized by Google

deſtinati, quia eorum plures cum adoleverint vitiis indulgent, improbi fiunt, & æternam incurrunt damnationem. Præterea plures ſunt, qui in graviſſima lapſi ſcelera adhuc à divina gratia præventi, & excitati reſipiſcunt, & ad pœnitentiam reducuntur, & tamen quia poſtea non perſeverant, & impœnitentes decedunt, minime ſalvantur, hinc Auguſtinus lib. de concept. & gratia cap. 13. ait: *Credendum eſt quoſdam de filiis perditionis non accepto dono perſeverandi usque in finem in fide, quæ per dilectionem operatur incipere fidere, & aliquando fideliter ac juſte, & poſtea cadere.* Quod vero nobis conferatur gratia excitans, & cooperans quod Deus pulſet ad cordis noſtri oſtium & gratiam offerat, id ſane eſt beneficium nobis collatum ex Chriſti meritis, quæ propterea nobis proſunt, quod enim peccator reſipiſcat, vel homo recipiat gratiam ſanctificantem id ex meritis Chriſti ei obvenit. Quod vero non perſeverat in ſtatu gratiæ, & per peccata lethalia ſe avertat à ſummo bono, id vitio dandum eidem homini, etenim Judas à Chriſto evectus fuit ad Apoſtolicam dignitatem, virtutes exercuit, fidem Chriſti habuit, evangelium promulgavit, ac etiam miraculis claruit, quæ omnia beneficia in ipſum derivarunt ex Chriſti meritis, adeo ut Chriſti ſanguis & mors quoad hæc beneficia ſuſcipienda illi profuerit. Sed quod Proditor poſtea factus ſit, id vitio Judæ vertitur, & perditio, ac proditio ipſius, unde Judas quamvis non fuerit æternam ſalutem conſecutus adhuc particeps fuit meritorum Chriſti. Rurſus Nicolaus Antiochenus unus ex ſeptem Diaconis teſte ſcriptura plenus fuit Spiritus ſancti, & ſapientiæ cum cæteris aliis, & nihilominus reprobus fuit, & Author hæreſeos Nicolaitarum, ut refert S. Irenæus *lib. cap. 27.* & cum ipſo etiam Tertullianus *lib. de praeſcript.* ex quibus conſtat, Chriſti gratiam, quæ ex ejus meritis in nos derivatur, non ad ſolos prædeſtinatos, ſed etiam alios ſe extendere, qui æternæ ſalutis minime fiunt participes.

Objiciunt tamen Sectarii Chriſtum non aſſumpſiſſe naturam humanam, & veniſſe in mundum pro omnibus, conſequenter non fuiſſe mortuum pro omnibus, etenim Matth. 9. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores,* & Matth. 9. v. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierant domus Iſrael.* Verum hi textus potius ſunt contra Novatores, quia ſi Chriſtus non venit vocare juſtos, ſed peccatores, ergo etiam reprobis peccatoribus confert aliquando ſuam gratiam vocationis, quæ cum in ipſos derivetur ex paſſione & meritis Chriſti, ſequitur etiam ipſos eſſe participes meritorum Chriſti. Quodſi velit Calvinus eos tantum conſequi æternam ſalutem, & eſſe juſtos, qui à Deo vocantur, jam ſequitur ſolos reprobos, & peccatores eſſe juſtos, & prædeſtinatos eſſe peccatores, quo nil abſurdius. Præterea ſi Chriſtus non fuit miſſus niſi ad Judæos, ergo ſoli Judæi ſunt prædeſtinati, vel ſi alii præter Judæos dicantur prædeſtinati non fuit Chriſtus miſſus ad ſolos prædeſtinatos. Chriſtus igitur, quia venit, ut ſanaret noſtram ægritudinem eos ſanavit qui ſe ægros eſſe fatebantur, & pharmacum eis paratum admittebant: alios vero qui ſe ſanos profitebantur, cujusmodi tempore Chriſti fuerunt Phariſæi, non ſanabat, eo quia medicinam ſibi paratam reſpuebant. Rurſus quia Chriſtus erat Meſſias & ſolis Judæis propter fidem Abrahæ promiſſus fuit, ideo ſe miſſum fuiſſe ad ſolos Judæos, ut iiſdem ſuam præſentiam, prædicationem, & alia beneficia exhiberet, quapropter à D. Paulo vocatur Miniſter circumciſionis, non tamen Gentiles excluſit à ſua gratia, quinimo eos aſſumpſit, quibus voluit evangelium prædicari ab Apoſtolis, & baptizari, ac ſalutem conſequi, Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes Gentes &c.* & Apoſtolus ad Roman. 3. *An Judæorum Deus tantum nonne & Gentium? imo & Gentium, quoniam quidem unus eſt Deus. qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem,* & ad Gal. 3. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, ſi Chriſtum induiſtis, non eſt Judæus, neque Græcus,* quapropter Chriſtus Joan. 12. ait: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra traham omnia ad me ipſum,* quibus verbis oſtendit efficaciam ſuæ paſſionis, loquitur enim de ſe, veluti de milite pugnante contra tartareum adverſarium, & ſignificat ſe ex cruce ſua veluti ex altiſſima, & munitiſſima arce pugnaturum & contra tartara, & omnes homines, qui dæmonis famulitio opprimebantur, è manibus ipſius eripiet, & ad ſe veluti dæmonis ſpolia trahet: quod ſi aliquos tantum traxit, & non omnes, eo quia non fuerint omnes ſalutem conſecuti, id evenit, quia noluerunt ſinere ſe trahi, ſed divinæ gratiæ obſtiterunt. Cæterum quantum eſt ex parte Chriſti mortuus fuit, & pretium ſanguinis ſolvit pro omnibus prorſus hominibus ſive prædeſtinati, ſive reprobi ſint, omnes enim ad ſe traxit, qui voluerunt ſe trahi.

CAPUT IV.

Proponuntur, & rejiciuntur aliæ propoſitiones Calvini in negotio Prædeſtinationis.

Docuit etiam Calvinus ſolos prædeſtinatos, non vero reprobos vocari ad fidem, & juſtitiam quam ſemel habitam non poſſe amplius deperdere, quæ propoſitio duas habet partes, quarum prior aſſeritur à Calvino lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 7. ubi ait: *Quemadmodum autem vocatione, & juſtificatione electos ſuos Dominus ſignat, ita reprobos vel à notitia ſui nominis, vel à Spiritus S. ſanctificatione excludendo, quale maneat eos judicium, iſtis veluti notis aperit,* & cap. 22. §. 10. ait: *Quod ſi electio fidei mater eſt, in eorum caput retorqueo argumentum, ideo non eſſe generalem fidem, quia ſpecialis eſt electio,* & nonnullis interjectis ſubdit: *Si omnes vellet ſalvos cuſtodem illis præficeret filium, & omnes in ejus corpus ſacro fidei vinculo insereret. Hinc conſtat ſingulare paterni amoris pignus filiis, quos adoptavit.* Et cap. 24. §. 80. *Quos in vita contumeliam, & mortis exitium creavit, ut iræ ſuæ organa forent, & ſeveritatis exempla, eos, ut in finem ſuam perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat; nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.* Secunda pars ejusdem propoſitionis aſſeritur etiam à Calvino lib. 3. cap. 21. §. 7. ubi ait: *Quos inſeruit ſemel Chriſtus in corpore ſuo, eorum neminem perire ſinet.* Utraque propoſitionis pars eſt hæretica, & tota propoſitio contra fidem. Prima enim pars, quæ aſſerit ſolos prædeſtinatos vocari ad fidem & gratiam, olim fuit falſo impoſita D. Auguſtino à Sectariis, ut tanti viri authoritate ſuum fulcirent errorem, ut oſtendit D. Proſper reſponſione 4. ad Capit. Gallor. adverſatur

enim

Digitized by Google

enim ſacris ſcripturis Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, atqui non ſolum prædeſtinati, ſed etiam reprobi labore premuntur, & oneribus peccatorum opprimuntur, qui propterea indigent refectione, ergo Chriſtus non ſolum prædeſtinatos, ſed etiam reprobos invitat, ut veniant ad ipſum, ſi velint refici. Præterea conſtat Judam Proditorem, Simonem Magum, Nicolaum Antiochenum habuiſſe veram fidem, quando fuerunt Chriſtum ſecuti, & tamen fuerunt reprobi, unde falſum eſt ſolos prædeſtinatos vocari ad fidem & juſtitiam, alioquin Judas eſſet prædeſtinatus, cum tamen de ipſo dicat D. Hieronymus lib. 3. advers. Pelagian. eſſe reprobum, & æternis addictum ſuppliciis, idque oſtendit ex verbis Chriſti Joan. 17. *Pater quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis periit niſi filius perditionis.* Quod ſi Pater dedit illum filio, tunc certe bonus erat, Si poſtea periit, antequam periret in Chriſti grege numerabatur, ergo Judas qui fuit proditor, & reprobus prius accepit fidem, & juſtitiam, unde falſum eſt, quod aſſerit Calvinus ſolos prædeſtinatos non vero reprobos vocari ad fidem, & juſtitiam. Rurſus de Simone Mago teſtatur D. Lucas in actibus Apoſtolorum cap. 8. ubi ait: *Cum vero credidiſſent Philippo evangelizanti tunc Simon & ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet adhærebat Philippo*, ergo Simon Magus quamvis reprobus fuerit adhuc accepit fidem, & juſtitiam, & licet Calvinus dicat eum non vere crediſiſſe, ſed tantum ſimulaſſe, credendum tamen magis eſt D. Lucæ, quam Calvino aſſerenti ad fidem & juſtitiam vocari ſolos prædeſtinatos non reprobos, contrarium enim conſtat ex ſcripturis Luc. cap. 9. *Congregate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem plenos Spiritu S. & ſapientia, & elegerunt Stephanum, & Philippum Prochorum, & Nichanorem, & Simonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum*; & tamen hi tres poſtremi, qui fidem habuerunt reprobi ſunt, non ergo ſoli prædeſtinati vocantur ad fidem & juſtitiam, ſed etiam reprobi. Præterea nonne Hæreticorum filii cum Baptiſmum ſuſcipiunt, ſi rite proferatur forma fidem ſuſcipiunt, & juſtitiam, & tamen quia adulti veſtigium ſequuntur parentum, in hæreſi, in qua decedunt, reprobi ſunt.

Secundam partem propoſitionis aſſerentem fidem & juſtitiam ſemel habitam non poſſe amplius deperdi, aſſeruit olim Jovinianus, ut teſtatur D. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, & certum eſt adverſari ſacris ſcripturis, ait enim Apoſtolus 1. ad Timoth. 1. *Quidam circa fidem naufragaverunt*, ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander, & 1. Timoth. 4. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide.* Quod ſi fides ſemel habita deperdi amplius non poſſet, inde ſequeretur, quod cum Lutherus, Calvinus, Arius, Neſtorius, & alii Hæreſiarchæ ſemel habuerint fidem, nunquam ab ipſo excidiſſent, & nunquam hæreſes docuiſſent, cum hæreſis fidei opponatur, & tamen ait Apoſtolus loc. cit. *Oppertet hæreſes eſſe.* Præterea aſſignandum eſt diſcrimen inter Paganos & Hæreticos, & eſt, quia Pagani fidem nunquam habuerunt, à qua propterea nunquam exciderunt, Hæretici vero eam habuerunt, & quia à fide defecerunt, Hæretici dicuntur, hinc Apoſtolus Actor. 20. ait: *Ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa.* Tum quia ſi fides ſemel habita deperdi amplius non poteſt, ſequitur, vel Calviniſtarum non eſſe veram fidem, vel quod nullus Calviniſta fiet unquam Catholicus: ſed conſtat plurimos fieri Catholicos, qui propterea deperdunt fidem Calviniſticam, ergo hæc non eſt vera fides, vel ſi erat vera fides jam amittitur conſequenter perperam ajunt, Calviniſtæ veram fidem non poſſe amitti. Quod vero dicant Calviniſtas tranſeuntes ad Catholicos nunquam habuiſſe veram fidem, id deprehenditur falſum, etenim ſi parvulus natus ex parentibus Calviniſtis baptizetur beneficio baptiſmi accipit veram fidem & juſtitiam, & cum ſit adultus, cognita veritate è Calviniſmo tranſit ad Catholiciſmum, ergo iſte antequam perveniret ad uſum rationis habuit veram fidem, quam poſtea infecit adhærendo erroribus parentum, & iterum recuperavit, tranſeundo ad Catholicos, unde falſum eſt fidem ſemel habitam non poſſe amplius deperdi.

Quod etiam juſtitia poſſit amitti, pariter liquet, quia illam amiſit Lucifer quando ex Angelo lucis factus eſt Dœmon tenebrarum. Eam amiſit Adam cum è ſtatu innocentiæ excidit, eam deperdidit David, cum incepit Bethſabæam deperire & adulterio coinquinari. Salomon, quando idolis Fana erexit, Petrus quando Chriſtum ter negavit, denique illi omnes è juſtitia, & gratia ſanctificante excidunt, qui in peccatum lethale delabuntur, & qui ut ait Apoſtolus poſt agnitionem fidei, & juſtitiæ convertuntur retrorſum, de quibus dici poteſt canis reverſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Quod ſi juſtitia amitti non poteſt, cur in oratione dominica quotidie Deum precamur, *& ne nos inducas in tentationem*, cur Paulus corpus ſuum caſtigavit, ac in ſervitutem redegit, veritus ne reprobus fieret, nonne Scriptura monet, *ut qui ſtat videat ne cadat*, *ne coronam ejus accipiat alter, ut in timore, & tremore ſalutem noſtram operemur.* Præterea ſi juſtitia ſemel habita non poſſet amplius deperdi, jam poſſent homines abſque jactura juſtitiæ divinæ gratiæ vitiis indulgere, commeſſationibus, & ebrietatibus vacare, adulteriis alienum thorum contaminare & plura alia ſcelera patrare, & ſimul perſeverare in juſtitia quæ omnia abſurda ſunt.] Objiciunt tamen Calviniſtæ aliquot ſcripturas præſertim Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* Ad Roman. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? certus ſum, quod neque mors neque vita, neque Creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Et illud Apoſtoli 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.* Verum hi textus non proſunt Sectariis, quia tantum docent adeo eſſe efficacem vim charitatis in homine juſto, ut quamdiu is charitate præditus eſt, non poſſit frangi ullis moleſtiis, aut difficultatibus, adeo ut omnia fortiter ſuſtineat & patienter pro Chriſti nomine toleret, hinc Apoſtolus 1. Corinth. 13. ſcribit, *Charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Et nihilominus ſi quis delabetur in peccatum aliquod lethale, certum eſt, tunc è ſtatu gratiæ excidere, & amittere juſtitiam, & habitum charitatis, & cum hoc etiam alias virtutes, patientiam, & fortitudinem, ut illi obtigit; de quo dicitur Apocal. 2. *Habeo adverſum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*] Rurſus objiciunt illud Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Verum nec iſte textus prodeſt Sectariis, ſenſus enim eſt, quod qui ſemel adeptus eſt charitatem, is, quamdiu charitas in ipſo manet, non concupiſcet delicias carnis, nec mundi voluptates, quia habet in ſe fontem vivum, ex quo veræ & ſolidæ conſolationes ſpirituales ad ipſum inebriandum uberrime ſcaturiunt. Sed ſi charitas per peccatum extinguatur, ſi fons ille obſtruatur, vel

exsiccatur, seu si gratia, & charitas per peccatum lethale deperdatur, tunc incipiet iterum sentire carnis delicias, & mundi voluptates.] Deinde objiciunt illud Joan. 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quoniam ex Deo natus*, in quo loco vult Joannes docere, quo signo internosci possint in hac vita filii Dei, ut distincti a filiis Diaboli; & ait illud esse primarium signum, quod filii Dei non peccant, cum filii Diaboli frequenter peccent, & quidem lethaliter: Verum hæc objectio infirma est: aut enim S. Joannes loquitur de confirmatis in gratia, aut loquitur in sensu composito, quod quamdiu permanent per gratiam sanctificantem filii Dei, non possint peccare, quia gratia & peccatum mortale non possunt simul existere; Inde tamen non sequitur, quod justitia, & in ea consistens Dei filiatio non possit deperdi, nec quod verum est in sensu composito verum est in sensu diviso, gratia enim sanctificans non reddit hominem impeccabilem.

Alia Calvini Propositio fuit, solos prædestinatos esse in Ecclesia, siquidem lib. 3. Instit. c. 24. §. 10. ait: *Electi nec statim ab utero, neque eodem omnes tempore, sed prout visum est Deo suam illis gratiam dispensare in ovile Christi per vocationem aggregantur.* Et lib. 4. cap. 1. §. 4. ait: *Soli Deo permittenda est cognitio suæ Ecclesiæ, cujus fundamentum est arcana illius electio.* Sicque asserit Calvinus, Electionem ad gloriam fundamentum esse Ecclesiæ militantis; ex quo sequitur, solos Electos esse in Ecclesia: & quia dicit soli Deo esse cognitam Ecclesiam, sicut illi soli cognitus est numerus Electorum, sequitur etiam in sententia Calvini Ecclesiam esse invisibilem, sicut enim Prædestinatio est occulta & invisibilis, ita si hæc est fundamentum Ecclesiæ, & soli prædestinati formant Ecclesiam, occulta quoque erit Ecclesia, cum sine speciali Dei revelatione nequeamus scire, quinam vere sint prædestinati. Verum quam falsum sit Ecclesiam Dei esse invisibilem, ex primo nostro Tomo satis constat: Ecclesia enim est cœtus fidelium sub uno supremo Sacerdote Christi vices in terris gerente; & illi omnes sunt in Ecclesia, qui habent veram Christi fidem; Porro certum est non omnes fuisse prædestinatos, qui veram professi sunt fidem Christi, nam Judas Proditor, Simon Magus, Nicolaus Antiochenus, pluresque alii veram fidem habuerunt, de quibus tamen magis constat prædestinatos non fuisse; ergo non ex solis prædestinatis constat Ecclesia; id quod clare patet ex ipso Evangelio in qua Ecclesia comparatur versimode, Matth. 13. Agro, in quo zizania superseminata sunt frumento. Item, sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Matth. 20. Convivio Nuptiali ad quod boni & mali vocati sunt. Matth. 25. Decem Virginibus, quarum aliæ prudentes, aliæ fatuæ dicuntur: Sic etiam Gen. 7. Ecclesia figuratur Arca Noetica, in qua non solum animalia munda, sed etiam immunda continebantur. Præterea quicunque Baptismum rite suscipiunt, ii adscribuntur Ecclesiæ, Baptismus enim est janua Ecclesiæ & S. Paulus vocat Ecclesiam corpus Christi, cujus membra sunt fideles, & fiunt ejus membra per susceptionem sacramentorum, præsertim Baptismi, uti 2. Corinth. c. 12. scribit: *Omnes nos in uno spiritu, in unum corpus baptizati sumus.* Et ad Galat. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sed multi etiam reprobi suscipiunt Baptismum; sicque Ecclesiæ aggregantur. Ergo non ex solis prædestinatis & electis constituitur Ecclesia; consequenter Doctrina Calvini non discrepat ab illa Donatistarum, jam olim satis confutata à S. Augustino, & à S. Ecclesia damnata. Rursus esse in Ecclesia peccatores ita in suis sceleribus pertinaces, ut fraterna correctione non emendentur asserit Christus, in qua tamen tolerantur donec per sententiam Prælatorum prævisi sint, & ejecti, Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Quod si non audierit dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, Publicanus.* Unde Ecclesia bonos & malos continet, & reprobos tolerat, quorum tamen criminibus non violatur à quibus ipsa abhorret, & propter quæ ingemiscit. Sed aliter dicuntur esse in Ecclesia boni, & aliter mali, illi enim ita sunt in Domo Dei, ut ipsi sint etiam eadem Domus Dei, sunt enim justi templum Spiritus sancti. Mali vero, & reprobi ita sunt in Ecclesia, ut non pertineant ad illius structuram, nec compagem, nec societatem fructiferæ, ac pacificæ justitiæ, sed sicut palea dicitur esse in frumento, tametsi non constituat frumentum, hinc boni ab Apostolo dicuntur esse in Ecclesia, ut vasa aurea, & argentea in honorem: mali vero ut vasa lignea vel fictitia in contumeliam, ut loquitur D. Augustinus lib. 7. contra Donatistas cap. 2. unde boni, & electi sunt de ecclesia non solum secundum statum quem nunc hæc habet, sed secundum illum, quem in perpetuum habitura est, cum non transibit per illam ultra incircumcisus, & immundus, quia tunc apparebit gloriosa non habet maculam, nec rugam. Secus mali, & reprobi pertinent ad Ecclesiam tantum secundum præsentem statum non secundum illum, quem in futuro sæculo est habitura, quapropter non dicuntur simpliciter, & absolute esse membra ecclesiæ, sed diminutive, secundum præsentem statum, quo pacto peccatores dicuntur membra mortua, quia licet fidei professione, & communione conjungantur cum justis non tamen spiritu gratiæ, & charitatis, unde pertinent ad Ecclesiam secundum corpus sensibile non secundum Spiritum per se spectatum. Rursus non sunt de Ecclesia secundum Dei præscientiam & prædestinationem æternam, quia non pertinent ad Jerusalem cœlestem, ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, ut autem quis dicatur ingredi ecclesiam, & in illa esse secundum corpus, & sensibilem Sacramentorum communionem sufficit baptismus legitime susceptus; & à parvulis censetur legitime suscipi, quando adest vera materia, forma, Minister cum debita intentione, per baptismum enim parvuli vere ingrediuntur Ecclesiam in qua sunt, licet postea in illa non maneant, si hæresim sequantur parentum, quia ut aliquis maneat in Ecclesia requiritur professio veræ fidei, communio Sacramentorum, & subjectio ad legitimum pastorem, Hæretici autem veram fidem non profitentur nec communionem Sacramentorum, nec subjectionem ad supremum Pastorem, qui est Romanus Pontifex. Hinc si quis suscepto baptismo aperte in hæresim vel in excommunicationem, aut in schisma labatur; hoc ipso egreditur, vel ejicitur ex ecclesia, qua de causa omnes infantes legitime baptizati sive sint Catholicorum, sive Hæreticorum, aut Schismaticorum, imo & fidelium ingrediuntur Ecclesiam cujus sunt mera membra. Non tamen in ea manent, si adulti incidant in hæresim, apostasiam, Schisma. Cæterum quod Calvinus asserit infantes fidelium etiam si baptizati non sint, posse salvari, proinde esse prædestinatos ac membra Ecclesiæ, id falsum omnino est, alioquin etiam filii Calvinistarum & aliorum Hæreticorum essent prædestinati nec possent fidem, & justitiam amittere, quod experimento deprehenditur, cum plures convertantur ad fidem Catholicam, vel ad alios Sectas

con-

Digitized by Google

confugiant. Præterea ſi omnes parvuli qui naſcuntur ex parentibus fidelibus ſunt prædeſtinati, inde ſequeretur quod filii Jacob Patriarchæ eſſent prædeſtinati, & tamen eorum filii reprobi facti ſunt cum intromiſſis gentilibus à gratia evangelia excluſi ſunt. Soli igitur parvuli ſive fidelium ſive infidelium, qui ſuſcipiunt baptiſmum eccleſiam ingrediuntur, cujus baptiſmus eſt janua, nemo enim eccleſiam ingreditur, niſi per januam. Rurſus baptiſmus eſt lavacrum regenerationis, quo abluti, & regenerati efficimur membra Chriſti, & nemo eſt in eccleſia niſi ſit membrum Chriſti. Hinc qui re ipſa baptiſmum ſuſcipiunt, re ipſa itidem eccleſiam ingrediuntur, & qui tantum voto eam voto ſolo ingrediuntur, qui vero ſanguine baptizantur per martyrium, quatenus pro fide Chriſti ſanguinem effundunt, ipſi re ipſa ingrediuntur eccleſiam triumphantem, & voto eccleſiam militantem.

Præterea, ſi ut aſſerit Calvinus ſoli prædeſtinati ſunt in eccleſia, omnia eſſent incerta, ac dubia, quis enim poſſet oſtendere, ubi nam eſſet hæc eccleſia, quis poſſet ejus paſtores agnoſcere, cum revelatum non ſit hos vel illos eſſe à Deo prædeſtinatos, unde à quo eſſent ſuſcipienda ſacramenta, quod ſi dixit Eccleſiaſtes 9. Neſcire hominem utrum odio vel amore dignus ſit ſi homo non poteſt ſcire, an ſit ipſe prædeſtinatus, vel reprobus, multo minus poterit id judicare de aliis ſine ſpeciali Dei revelatione, quamvis enim nobis videantur juſti, & ſancti an tamen ſint perſeveraturi, ac morituri in ſtatu gratiæ, ac juſtitiæ, id nobis non conſtat, nec poſſumus ſcire abſque Dei ſpeciali revelatione, conſequenter ſi in eccleſia non eſſent niſi ſoli prædeſtinati, omnia in ipſa dubia, & incerta eſſent.] Dicunt tamen Calviniſtæ Arcam Noëticam fuiſſe figuram eccleſiæ, ut aſſerit Auguſtinus lib. 5. de baptiſmo cap. ult. Sed in arca non fuerunt niſi prædeſtinati, qui ſalvandi erant ex diluvio, conſequenter in eccleſia non ſunt niſi prædeſtinati. Sed contra, quia ſi Arca fuit figura eccleſiæ, ſequitur in eccleſia comprehendi prædeſtinatos, & reprobos, eo quia in Arca continerentur animalia munda, & immunda. Rurſus non videtur hoc argumentum concludere, eo quia deductum à ſimilitudine, niſi id præciſe ſumatur, in quo eſt ſimilitudo, ſed hæc ſimilitudo teſte Auguſtino in eo eſt ſita, quod ſicut nemo ſalvari potuit extra Arcam, ita nemo poteſt ſalutem conſequi extra eccleſiam, in qua ſimilitudine perſiſtendum eſt, reliqua enim ad rem non faciunt, hoc pacto reſpondet Div. Auguſtinus lib. de vanit. eccleſ. cap. 5. ad argumentum Donatiſtarum quod fuit tale: Arca fuit figura eccleſiæ: ſed arca fuit bituminata intrinſecus, ne aquam emitteret ſuam, & extrinſecus, ne admitteret alienam. ergo baptiſmus aquæ non poteſt exire extra eccleſiam; nec qui extra natus eſt in eccleſiam acceptari: vult enim Auguſtinus baptiſmum non poſſe recipi niſi intra eccleſiam, & qui confertur extra eccleſiam, ſeu non prolata vera forma, neque adhibita propria materia, & vera intentione Miniſtri non ſuſcipitur ab eccleſia; unde ex inde non ſequitur, quod non ſint in eccleſia prædeſtinati, & reprobi, ſi legitime ſuſceperunt baptiſmum, & perſeverent in fide Chriſti, ſimulque conjungantur per communionem ſacramentorum, & ſubjiciantur uni ſummo Sacerdoti vices gerenti in terris Chriſti.] Sed inſtant Chriſtus non eſt caput niſi unius eccleſiæ, quam ſalvabit, & exhibebit ſibi in die judicii glorioſam non habentem maculam, aut rugam ut ſcribit Apoſtolus ad Epheſ. 5. Sed ſoli prædeſtinati erunt ſalvi, & glorioſi: ergo ſoli prædeſtinati pertinent ad eccleſiam Chriſti. Sed contra quia Criſtus eſt quidem caput illius eccleſiæ quam ſalvabit, non tamen quoad omnia ipſius membra, ſed quoad aliqua tantum: ſiquidem in die judicii ſeparabit bonos à malis; hædos ab ovibus qui nunc conjuncti ſunt, & tunc mundabit aream, in qua nunc præter triticum etiam paleæ reperiuntur, tunc enim conſtruet menſam nuptialem à qua tamen eos excludet, qui veſtem non habent nuptialem. Chriſtus igitur eſt caput eccleſiæ militantis ſimpliciter, in qua comprehenduntur prædeſtinati, & reprobi, & etiam triumphantis, in qua reperiuntur ſoli prædeſtinati: id enim intereſt diſcrimen inter utramque eccleſiam, quia militans promiſcue continet bonos, & malos, prædeſtinatos, & reprobos, proinde comparatur areæ in qua non tantum eſt triticum, ſed etiam paleæ reperiuntur, Sagenæ miſſæ in mare, in quam ingrediuntur omnia genera piſcium, convivio nuptiali, ad quod boni, & mali vocantur, decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, & totidem fatuæ, ovili in quo ſunt oves, & hædi, & domui in qua ſunt vaſa aurea, argentea, lignea, & fictilia quorum aliqua in gloriam alia in contumeliam facta ſunt: eccleſia vero triumphans continet ſolos juſtos, & prædeſtinatos ad gloriam.] Sed inſtant Sectarii, quia corpus myſticum ſimile eſt corpori vero: ſed corpus Chriſti & ſalvum, & glorioſum quoad omnia ſua membra. Sed contra, quia ſimilitudo in eo tantum eſt ſita, quia ſicut in vero corpore ſunt multa membra officiis diſtincta, quæque ab uno capite influxum recipiunt, ſeu gubernantur, perinde etiam in eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti myſticum, eſt hoc diſcrimen membrorum, & varietas officiorum, quia ut ſcribit Apoſtolus. 1. Corinth. 12. Alii ſunt Apoſtoli, alii Prophetæ, alii Doctores, alii, qui operantur virtutes, & alii habentes gratiam curationum, & linguarum; & hi omnes influxum recipiunt à Chriſto capite. Præterea poteſt etiam ſalvari ſimilitudo, quia ſicut verum Chriſti corpus in hac vita fuit mortale & corruptibile, cujus aliquæ partes materiales defluxerunt, & aliæ ſupervenerunt, & poſt hanc vitam factum eſt omnino glorioſum immortale, & incorruptibile; perinde eccleſia in præſenti ſtatu vitæ mortalis mutationi eſt obnoxia in ſuis membris, quatenus illorum quædam defluunt, alia accedunt, & poſt hanc vitam erit tota glorioſa & immutabilis. Sed adhuc inſtant, & aſſerunt reprobos re ipſa non eſſe nec unquam fuiſſe in eccleſia, ſiquidem 1. Joan. 2. habetur. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis manſiſſent utique nobiſcum*, ex quo inferunt reprobos non contineri in eccleſia, ſed ſolos prædeſtinatos. Sed contra quia reprobi vere ſunt in eccleſia Dei ſecundum præſentem ſtatum, quia ſunt baptizati, fidem habent, Pontificem agnoſcunt, cui etiam obediunt, & ſacramentum cum aliis fidelibus participant, quo pacto etiam Judas proditor, Nicolaus Diaconus, Simon Magus fuerunt in eccleſia ſecundum præſentem ſtatum, non vero ſecundum prædeſtinationem, quia non fuerunt ad vitam æternam prædeſtinati, unde multi ſunt de eccleſia ſecundum præſentem ſtatum & juſtitiam tantum, & alii ſimpliciter, & abſolute, ac proprie dicuntur eſſe de eccleſia ſecundum Dei præſcientiam & prædeſtinationem æternam, hinc D. Auguſtinus Tract. 45. in Joan. ait: *Secundum præſcientiam Dei, & prædeſtinationem, quam multa oves foris, quam multi lupi intus, & quam multa oves intus, & quam multi lupi foris. Quid eſt quod dixi quam multa oves foris. Quam multi modo luxuriantur, caſti futuri, quam multi blaſphemant Chriſtum, credituri in Chriſtum,* quam

Digitized by Google

quam multi se inebriant futuri sobrii, quam multi rapiunt res alienas, donaturi suas: verum tamen modo vocem alienam audiunt, alienoi sequuntur. Item quam multi intus laudant blasphematuri, casti sunt, fornicaturi; Sobrii sunt, se vino postea sepulturi, stant casuri: non sunt ovis. (De prædestinatis enim loquimur: de his loquimur, quos novit Dominus, qui sunt ejus.) Et tamen ipsi quamdiu recte sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt isti, non audiunt illi; & tamen secundum prædestinationem non oves isti, oves illi: Improbi denique sunt ecclesiæ membra, quomodo Judas erat ex Apostolorum collegio, *Numero non merito, specie, non virtute; commixtione corporali non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate. Secundum communionem Sacramentorum sunt ex nobis, secundum suarum proprietatem criminum non ex nobis,* ut ait Augustinus Tractat. 41. in Joan. Unde aliqui sunt in ecclesia tantum secundum præsentem statum, & aliqui secundum prædestinationem, hoc pacto Paulus erat in ecclesia non solum post conversionem, sed etiam cum persequebatur ecclesiam Christi, in quo sensu dixit Joan. 10. alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, nomine ovium gentiles intelligit, qui secundum præsentem statum non erant in ecclesia, & nihilominus secundum prædestinationem erant Christi oves, unde quando Joan, 2. dicitur *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, id debet intelligi non fuisse ex nobis secundum prædestinationem, licet fuerint secundum præsentem statum.

Alia Calvini propositio fuit omnia peccata prædestinatorum esse venialia, & non imputari; reprobos incitari ad peccata, ut possint damnari, & nullum peccatum ipsis unquam remitti, primam partem asserit Calvinus lib. 3. cap. 4. §. 28. inquiens: *Cæterum fidelium peccata venialia esse, non quia non mortem mereantur, sed Dei misericordia nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu, quia non imputantur, quia venia delentur.* Secunda pars asseritur lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. inquiens *absurdum videtur volente, & jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est, tergiversando itaque effugiunt Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri, ipse vero palam se facere pronuntians refugium illud repudiat.* Et §. 2. subdit. *Certe nisi intus operatur in mentibus hominum non recte dictum esset aufferre labium à veracibus, & à senibus prudentiam.* Verum prima pars, quæ asserit peccata prædestinatorum esse tantum venialia & non imputari, hæretica est, & contraria sacris scripturis: siquidem constat peccasse lethaliter Adamum, ac justitiam amisisse in pœnam peccati: atqui Adamum prædestinatum fuisse asserunt sancti Patres Irenæus *lib. 1. cap. 31.* Tertullianus *lib. de præscipt. Hæret.* Epiphanius *hæres. 46.* D. Augustinus *de hæres. cap. 25.* qui hæreseos damnat Tacianum, eo quia negaverit Adamum salvum esse; quod si æternam fuit assecutus salutem, jam prædestinatus est, ergo peccata prædestinatorum non sunt tantum venialia, nec illis non imputantur, ut ait Calvinus, sed sunt etiam lethalia quæ illis imputentur, etenim peccatum Adæ fuisse lethale ex eo constat, quia excidit à Dei gratia & probatur ex illo ad Roman, 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Quod si peccatum Adæ fuit causa mortis totius humani generis, procul dubio fuit & ipsum mortale, præsertim cum Adam in pœnam illius amiserit omnia dona supernaturalia, & exciderit è statu innocentiæ, & hoc docent communiter sancti Patres Tertullianus lib. 2. contra Marcion. inquiens: *Quis dubitabit illud ipsum Adæ delictum hæresim pronuntiare,* unde falsum est peccata commissa à prædestinatis esse tantum venialia, nec ipsis imputari à Deo. Rursus certum est Davidem fuisse & ipsum prædestinatum, cum plurima, ac præclara habeat in scriptura Sacra suæ prædestinationis signa, & nihilominus nulli est dubium, quin peccaverit lethaliter, cum lapsus fuit in adulterium cum Betsabæa, & homicidium, quo interemit Uriam, ejus maritum: Quod enim hæc peccata gravissima fuerint colligitur ex scripturis 2. Reg. 12. *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percusisti gladio & uxorem illius accepisti in uxorem tibi. & interfecisti eum gladio filiorum Ammon, quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua.* Hanc peccati gravitatem confessus est ipsemet David, quem pœnituit, patratorum scelerum Psalm 50. *Tibi soli peccavi & malum coram te feci, cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Hinc D. Augustinus inducens Davidem loquentem ait. *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, subveni gravi vulneri secundum magnam medicinam tuam. Grave est quod habeo, sed ad omnipotentem confugio, de me tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medium reperirem.* In novo testamento certum itidem est D. Petrum Apostolorum principem fuisse prædestinatum: & nihilominus peccavit mortaliter, quando ter Christum in atrio prætorii negavit; ut testantur lacrymæ, quas postea fudit, fletus amarus, & pœnitentia, quam egit unde D. Augustinus Tract. 66. in Joan. alloquens D. Petrum ait: *Timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ, quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum,* & non nullis interjectis subdit. *Petrus ante mortem & resurrectionem Domini, & mortuus est negando, & revixit plorando. Mortuus est, quia superbe præsumpsit, revixit autem, quia benigne illum respexit:* ratio itidem evincit. Vel enim potuit in Adamo, Davide, & Petro cum justitia & gratia sanctificante cohærere peccatum lethale, vel hoc excludit justitiam, & gratiam sanctificantem; si dicatur hoc secundum, ergo qui mortaliter peccat, per peccatum amittit justitiam, & non potest amplius dici justus, quia cessante forma denominante cessat, & ipsa denominatio in subjecto, si dicatur primum, ergo plana & proclivis sternitur via ad scelera omnia patranda, quia tametsi quispiam in enormissima hæc scelera prolabatur, adhuc est justus, & prædestinatus ad gloriam, semel enim quod peccata gravia non obstant gratiæ sanctificanti possunt ea multiplicari, quia non imputantur à Deo in ordine ad expulsionem gratiæ sanctificantis, & acquisitionem æternæ gloriæ.

Secunda pars Calvinianæ assertionis asserens reprobos ad peccatum à Deo incitari hæretica est, & jam supra refutata.

An vero prædestinatio facta fuerit ante prævisionem peccati originalis non conveniunt inter se Theologi, affirmant plures cum Scoto in 1. dist. 41. quæst. unic. Suarez. 1. de prædestinat. c. 11. Molina 1. part. quæst. 23. art. 5. Alii vero negant docentes factam esse post prævisum peccatum originale.

Hinc si Adam non peccasset non fuissent homines prædestinati & reprobati eodem modo quo de facto sunt, quia ut docet D. Thomas quod lib. 3. quæst. 11. art. 25. fuisset tunc alius ordo & dispositio divinæ providen-

Digitized by Google

videntiæ. Si dicas D. Gregorium 4. Moral. cap. 36. asserere quod si Adam non peccasset ii, qui nunc per redemptionem salvantur soli ab illa nascerentur electi. Contra est quia in illo casu nascerentur tantum illi, qui essent prædestinati, & non iidem numero qui nunc sunt prædestinati.

CAPUT V.

An prædestinatio ad gratiam sit ex prævisione alicujus meriti de condigno, vel saltem de congruo.

NOtum est ex Theologia scholastica gratiam, & gloriam esse effectus prædestinationis in qua propterea possunt distingui duo veluti decreta unum circa gratiam, & alterum circa gloriam, non tamen quod sint duo actus distincti adæquate, sed tantum inadæquate secundum nostrum concipiendi modum per ordinem ad objecta ad extra, & inter gratiam, & gloriam detur ordo causalitatis finalis, hinc possumus distinguere unum decretum circa media, & aliud circa finem, & quæritur an decretum terminatum ad gratiam supponat prævisionem alicujus meriti, adeo ut ex parte creaturæ detur aliqua ratio, cujus intuitu Deus ei conferat gratiam, quod perinde est, ac quærere, an ex parte nostra detur aliqua causa, per quam Deus nos prædestinet ad conferendam nobis suam gratiam. Præsens quæstio plures retroactis seculis excitavit errores, & hæreses, quarum prima fuit Manichæorum, docentium ex parte nostra dari causam nostræ prædestinationis, & hanc esse naturalem cujusque dispositionem, propriumque concursum stellarum, ex quarum influxibus diversis asserebant ex hominibus alios bonos esse, alios malos, & illos beatos futuros, hos vero æternum miseros. Secunda hæresis fuit Origenis lib. 1. Periarchon. cap. 7. ubi asserit animas rationales per aliquot tempus vixisse antequam corporibus unirentur, & juxta eorum merita, vel demerita virtutes, & vitia, quæ contraxerunt extra corpora, fuisse postea à Deo electas, vel reprobatas, seu ordinatas ad suam gratiam recipiendam, vel ad illam non recipiendam. Tertia fuit Prisillianistarum docentium animas rationales antequam unirentur in terra suis corporibus fuisse in cœlo creatas, ubi per aliquod tempus habitaverint, & quia aliquæ ibidem peccaverunt, ideo in pœnam commissi sceleris dejectas fuisse in corpora, in quibus quidquid patiuntur, pœna est peccatorum quæ in cœlis perpetrarunt. Quarta fuit Pelagianorum asserentes hominem solius naturæ viribus sine ullo auxilio supernaturali posse bene operari, & quascunque tentationes superare, & vincere, ac meritis naturalibus à Deo conditionate prævisis mereri primam gratiam, remissionem peccatorum, gloriam, & ipsam prædestinationem secundum omnes, & singulos suos effectus. Quinta hæresis fuit Semi-pelagianorum, seu Massiliensium, qui quamvis admiserint pios hominum conatus conducentes ad obtinendam salutem, promoveri, & adjuvari à divina gratia, nihilominus non excitari, nec præveniri asserebant saltem semper, ac necessario à divina gratia: & secundum omnes hos errores prædestinatio ad gratiam fit ex prævisione alicujus meriti ex parte creaturæ.

Ut autem distincte procedamus certum est in ordine ad ultimum effectum prædestinationis, seu glorificationem dari in adultis causam meritoriam sicut de facto in executione iisdē confertur gloria id enim est de fide, quia gloria non confertur adultis in tempore, nisi ut corona, merces, & præmium meritorum, ut liquet ex Apostolo 2. ad Timoth. 4. ***Bonum certamen certavi in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Judex.*** Ad Rom. 2. *Deus reddet unicuique secundum opera sua*, Matth. 5. *Gaudete, & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*, sed quod confertur ut præmium merces, & corona causatur à meritis ad quæ dicit essentialem ordinem, consequenter datur ex parte adultorum causa meritoria prædestinationis ad gloriam prout confertur in executione. Certum est etiam apud omnes catholicos dari causam dispositivam ex parte nostra in ordine ad gratiam habitualem consequenter prædestinationem terminari ad illam, ut colligitur ex Tridentino Sess. 6. de justificat. ubi definitur, *Unumquemque recipere justitiam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem.* Hinc in sententia D. Bonaventuræ & aliorum asserentium solam justificationem, & glorificationem esse effectus prædestinationis, sequitur ex parte nostra dari causam dispositivam prædestinationis secundum terminationem ad primum effectum: quia in hac sententia justificatio est primus effectus prædestinationis, & quia juxta Tridentinum datur in adultis causa dispositjva ad justificationem sequitur dari in nobis causam prædestinationis secundum terminationem ad primum ejus effectum. In sententia vero docentium omne quod ad finem prædestinationis esse prædestinationis effectum, certum est non dari ex parte nostra causam meritoriam prædestinationis, ut terminatæ ad primum effectum. Ratio est, quia etiam Hæretici asserentes initium fidei esse ex nobis propterea veluti meritum conferri nobis gratiam necessariam ad consummationem non negabant nobis dari aliquod principium præveniens à Deo in ordine ad elicientiam actus hujus initii, sed hujus principii causam meritoriam ex parte nostra non asserebant hæretici Pelagius, & Semi-pelagiani: ergo si omne quod ad finem prædestinationis conducit, est prædestinationis effectus certum est non dari ex parte nostra causam meritoriam prædestinationis ut terminatæ ad primum illius effectum.

Quæstio igitur procedit de prædestinatione quoad primum effectum proportionatum, qui dicitur vocatio supernaturalis, & quæritur, an ex parte nostra detur aliqua causa dispositiva, vel meritoria hujus primæ vocationis supernaturalis. Et dicimus prædestinationem ad gratiam nullum supponere meritum ex parte nostra, & id esse definitum in pluribus Conciliis, ut in Palestina can. 7. & sequent. Milevitano can. 4. Arausicano II. can. 2. & 4. & Tridentino Sess. 6. Probatur assertum authoritate sacræ scripturæ dicimur enim ad Roman. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* 2. Timoth. 1. *Vocati vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum.* Ad Ephes. 2. ubi Spiritus Sanctus nos alloquens ait: *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Joan. cap. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater, qui misit me traxerit eum*, & paulo infra: *Nullus est hic sermo &c. propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Ad Rom. 11. *Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Hinc Augusti-

guſtinus de prædeſtinat. Sanctor. cap. ait: *Gratis ergo conſecuta eſt, quod conſecuta eſt electio, non præceſſit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis; pro nihilo enim ſalvos nos fecit.* Ratio eſt, quam tradit Apoſtolus, quia gratia, & donum ex vi proprii conceptus eſſentialiter dependet, à ſola voluntate donatoris, nec quidquam ſupponit meriti ex parte illius, cui donum datur, ſeu gratia tribuitur, alioquin non eſſet gratia ſaltem ex qua parte daretur ex prævio merito dicitur enim gratia, quia omnino gratis datur, & gratis donare eſt nullum ſupponere meritum, cui retribuatur, alioquin eſſet retributio non donatio: atqui prædeſtinatio eſt gratia, & donum Dei ergo non poteſt dari ulla cauſa ſimpliciter meritoria de condigno noſtræ prædeſtinationis. Præterea, quia parvuli non poſſunt prædeſtinari ad gratiam ex aliquo merito proprio, ergo neque adulti, quia in ſcripturis non diſtinguitur prædeſtinatio adultorum ab illa parvulorum, ſed utraque aſſeritur ex Dei bonitate, & miſericordia. Tam quia ſequeretur quod quæ ut abſurda inferebant Pelagiani ex prædeſtinatione ad gratiam ſine meritis; etiam inferrentur ex prædeſtinatione parvulorum ad gratiam, & gloriam: ſiquidem Deus etiam reſpectu illorum eſſet acceptor perſonarum, quia aliquos parvulos prædeſtinaret ſine meritis eos ſcilicet, qui poſt ſuſceptum baptiſmum ſtatim decedunt, & alios reprobaret decedentes ante baptiſmum, ergo cum reſpectu parvulorum id aſſtrui non poſſit, neque dici poterit reſpectu adultorum, ut nervoſe probat Auguſtinus epiſt. 105. Reſpondebant Pelagiani intereſſe diſcrimen, quia parvuli tametſi non prædeſtinentur nulla torquentur pœna poſt obitum; adulti vero æternis traduntur ſuppliciis. Sed contra, quia adulti non traduntur pœnis ex eo, quod non ſint prædeſtinati ad gratiam efficaciter, ſed quia decedunt in peccato actuali. Rurſus quia parvuli ſunt inter ſe æquales, quando prædeſtinantur ad gratiam, ergo ſi reſpectu ipſorum Deus non eſt acceptor perſonarum neque reſpectu adultorum. Præterea falſum eſt parvulos decedentes ſine gratia non puniri ob peccatum originale, quia tametſi non torqueantur pœna ſenſus; puniuntur tamen pœna damni, ut communior fert opinio, privantur enim viſione beatifica. Demum quia ſi gratia conferretur ex prævisis meritis non daretur ut gratia, ſed ut merces, ut efficaciter probat Auguſtinus lib. 4. contra Julian. cap. 3. Sed reſpondebant Pelagiani primam gratiam non conferri ex meritis, eo quia ſit ipſum liberum arbitrium gratis datum à Deo. Contra tamen, quia tametſi liberum arbitrium ſit gratia naturalis perinde, ac reliqua alia bona naturalia quæ gratis illi conferuntur à Deo Creatore; non tamen eſt gratia ſupernaturalis de qua eſt quæſtio in præſenti. Scriptura enim per gratiam non intelligit naturam, ſed id, quod ſuperadditur naturæ ut ipſi indebitum, & ut excedens vires naturæ, eamque elevans ad ſtatum ſupernaturalem, hinc Apoſtolus ad Roman. 4. ſcribit. *Quod ſi gratia eſſet ex operibus gratia non eſſet, ſed meritum,* & loquitur de illa gratia, quæ naturam non ponit, ſed ſupponit quam elevat ad ſtatum ſuperiorem. Hinc alii Pelagiani reſpondebant gratiam eſſe legem & doctrinam nobis à Deo gratis collatam, conſequenter ſupponere naturam, ac eſſe quid ſuperadditum, perinde ac leges à legiſlatore conditæ ſupponunt ſubditos, quos obligant. Verum contra hanc reſponſionem nervoſe inſurgit Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti cap. 8. Quia deficiente auxilio gratiæ tantum abeſt, quod legis cognitio proſit, ut potius ſit pluribus occaſio prævaricationis. Præterea quia plenitudo legis eſt dilectio ex charitate, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum non vero per legem, unde ex parte noſtra non datur cauſa meritoria de condigno ad primam gratiam, ſeu ad primum effectum prædeſtinationis.

Non tamen deſunt etiam ex Catholicis, qui aſſerant dari aliquam cauſam diſpoſitivam primæ gratiæ vel hanc eſſe infallibiliter connexam cum operibus naturalibus ex lege Dei, & pacto inito cum Chriſto de non neganda gratia facienti, quod in ſe eſt, quæ ſententia tribuitur Scoto, qui tamen à pluribus Scotiſtis vindicatur, Durando, Richardo, & aliis. Verum communiſſima Catholicorum ſententia eſt, & cui procul dubio adhærendum, non dari ex parte hominis prædeſtinati ullam cauſam gratiæ, ſeu nullam diſpoſitionem meritoriam primi effectus prædeſtinationis ex lege Dei & pacto inito cum Chriſto infallibiliter cum operibus ex ſolis naturæ viribus elicitis connexam. Et eſt aſſertio conſona divinis ſcripturis Iſaiæ 55. *Inventus ſum à non quærentibus me.* Joan. 3. *Non poteſt homo facere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo,* cap. 15. *Sine me nihil poteſtis facere,* Ad Cor. 4. *Quis enim te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis.* 2. Corinth. 3. *Non quod ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,* & ad Epheſ. 1. *Qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet.* & Joan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat,* unde Deus non eligit homines eo quia videat, ſe ab eis eligi, ac ipſos boni operis fructum allaturos, ſed ipſe homines elegit, ut faciat eos bene operantes? hinc Apoſtolus ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati,* & rurſus, qui prædeſtinavit *nos in adoptionem filiorum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ, & gratiæ ſuæ,* non dicit D. Paulus, elegit nos, quia nos ſanctos vidit futuros, ſed elegit nos ut eſſemus ſancti, neque ait elegit nos propter bonum uſum liberi arbitrii vel gratiæ; ſed ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, & hoc in laudem gloriæ & gratiæ ſuæ, ut nimirum laudaretur, & glorificaretur gratia ipſius, & poſtea eodem capite ſubjungit: *In quo nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus,* ubi oſtendit vocationem electorum reſpectu ipſorum hominum poſſe dici fortuitam, quia homines nihil agebant, ut vocarentur, & nec quidem cogitabant de vocatione ſua, non tamen reſpectu Dei nos ſorte vocati ſumus quia hæc Dei vocatio reſpectu ipſius non eſt fortuita, ſed determinata electio, & propoſitum. Hinc Exodi 33. Et ad Roman. 9. habetur: *Miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor: non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei: Cujus vult miſeretur; & quem vult indurat:* ubi largitio gratiæ refunditur in ſolam gratuitam Dei miſericordiam, non vero in conatus volentis, ſatagentis, currentis hominis.

Accedit etiam authoritas Conciliorum præſertim Valentini cap. 3. ubi ait: *fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum.* Seu gratiam prius homini dari quam quidquam operetur boni ſupernaturalis, quod induat rationem meriti. Concilii Arauſicani II. can. 3. & 4. ubi habetur: *Si quis per invocationem humanam gratiam dicit poſſe conferri non autem ipſam gratiam facere ut invocetur à nobis contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: Inventus ſum à non quærentibus me*

palam

Digitized by Google

palam apparui his qui me non interrogabant, & can. 6. *Si quis ſine gratia, Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus per infuſionem, & inſpirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, neque ut obediens, & humillimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit reſiſtit Apoſtolo dicenti.* 1. *Corinth.* 4. *Quid habes quod non accepiſti? & ibid. Gratia Dei ſum id, quod ſum.*

Hæc eadem veritas etiam definitur in Concilio Tridentino Seſſ. 6. cap. 16. & Seſſ. 14. cap 8. & à S. Pio V. definita fuit de fide, ut etiam à Gregorio XIII. Contra Michaelem Bajum: Ratio itidem hoc ſuadet, & quidem à priori, quia in operibus ordinis naturæ factis ſine gratia, & ſolis liberi arbitrii viribus, quamvis ſint opera heroica inconcuſſæ fortitudinis & adamantinæ conſtantiæ non poteſt eſſe valor proportionatus, & æqualis præmio ordinis ſupernaturalis, ut eſt gratia, & gloria: meritum enim de condigno debet eſſe æquale cum præmio non phyſicè, ſed in æſtimatione morali: hæc autem æqualitas repugnat operibus naturæ cum præmio ſupernaturali, ergo opera bona facta ſine gratia non poſſunt de condigno meritorio eſſe primæ gratiæ ſupernaturalis, minor in qua ſola eſt difficultas oſtenditur, quia res ordinis naturalis ſemper ſunt in ſtatu longe inferiori, & non poſſunt in æſtimatione morali unquam æquare rem ordinis ſuperioris, qualis eſt prima gratia ſupernaturalis & gloria. Quòd verò meritū de condigno exigat hanc æqualitatem cum præmio non phyſicè, ſed in æſtimatione morali, ex eo liquet, quia meritum de condigno inducit obligationem ex juſtitia, conſequenter debet eſſe redditio æqualis, quæ exigi nequit ab operibus factis ſolius liberi arbitrii viribus, ſiquidem ut docet D. Thomas l. 1. 2. quæſt. 21. art. 3. valor meriti eſt paſſio adæquate dimanans à bonitate actus, cui propterea debet proportionari alioquin paſſio excedere eſſentiam & principium à quo metaphyſicè & virtualiter flueret, conſequenter ſecundum exceſſum daretur principiatum metaphyſicè ſine principio, ſed bonitas actus naturalis eliciti à libero arbitrio ſinè gratia longè exceditur à bonitate ſupernaturali primæ gratiæ, ergo totus ejus valor meritorius naturalis exceditur à præmio ſupernaturali,] Quòd ſi dicas opera heroica virtutum moralium intra ordinem naturæ non fieri ſine ſpeciali auxilio Dei non debito, ſolo titulo creationis, conſequentur hæc opera heroica virtutum moralium poſſe inducere æqualitatem cum prima gratia ſupernaturali. Contra eſt, quia hæc opera, quamtumvis heroica, eò ipſo, ſi fiunt ſinè gratia ſupernaturali & ſolius naturæ viribus ſemper manent intra limites naturæ, & eorum bonitas ſemper eſt naturalis, conſequenter valor meriti, qui eſt paſſio adæquatè dimanans à bonitate actus, ſemper eſſet valor interior, ſeu in ordine naturæ, qui propterea non poteſt in morali æſtimatione æquare bonitatem ſupernaturalem primæ gratiæ, ſeu primi effectus prædeſtinationis. Si dicas valorem meriti non eſſe proprietatem intrinſecam, quæ dimanet à bonitate operis; ſed eſſe ſolam æſtimationem extrinſecam, quæ bene poteſt excedere bonitatem operis. Contra eſt, quia valor meriti non poteſt excedere bonitatem operis, etiam ſi extrinſece æſtimetur: & ratio eſt perſpicua, quia cum æſtimatio ſit judicium de valore rei, requiritur ad hoc, ut res ipſa ſit ejuſdem bonitatis, ut exigat judicium illud in quo ſit fundamentum adæquatum talis æſtimationis, ſiquidem debet judicium æſtimationis fundari in bonitate rei, quæ æſtimatur, alioquin non eſſet judicium rectum, neque bene æſtimarentur res: Ergo cùm valor operis naturalis ſit à bonitate ejuſdem, & hæc bonitas ſemper maneat intra limites naturæ, nunquam in æſtimatione morali, & extrinſeca poterit valor naturalis æquari valori gratiæ ſupernaturalis.] Si reſpondes ulterius, hunc valorem operis naturalis fundari tantùm inadæquate in ſola bonitate intrinſeca ipſius operis, non verò adæquatè, eò quia fundetur etiam in extrinſeca Dei ordinatione, qua potuit Deus ita diſponere opera naturalia, ut haberent valorem meriti etiam reſpectu rerum ſupernaturalium. Contra eſt, quia repugnat actum prorſus invariatum intrinſecè in ſua bonitate ex objecto, & circumſtantiis fieri ex non meritorio de condigno, meritorium de condigno, quia ſola Dei extrinſeca ordinatio, aut promiſſio non conſtituit actum meritorium, cum non det illi valorem proportionatum inducentem debitum ex juſtitia, igitur hæc promiſſio à Deo facta ad ſummum eſſet cauſa, ut talis actus eſſet conditio ſinè qua non ratione promiſſionis, à Deo factæ. Si dicas ad meritum de condigno non requiri æqualitatem mathematicam, ſed ſolius proportionis, quam æqualitatem poteſt conſequi ſaltem ſupremum opus naturæ reſpectu infimi doni ſupernaturalis. Contra eſt quia cum opera purè naturalia ſemper maneant intra limites naturæ, ſunt improportionata, & inferiora reſpectu ſupernaturalium, ergo tametſi concederetur hæc æqualitas proportionis, adhuc opera naturalia, quantumvis ſumma, non poſſent æquare infimum donum gratiæ ſupernaturalis. Contra ſecundò, quia ſi hæc æqualitas proportionis ſufficeret, ut operibus naturæ poſſet convenire condignitas reſpectu gratiæ ſupernaturalis, ſequeretur ex eadem ratione poſſe opera ſupernaturalia elicita ab homine juſto, & Sancto mereri de condigno Verbi Incarnationem, quod eſt falſum: Unde hæc æqualitas proportionis cum præmio non ſufficit ad meritum de condigno.] Probatur ulterius aſſertum, quia præſens quæſtio ex Auguſtini doctrina fundata in Apoſtolo Paulo eſt inſolubilis, & inſcrutabilis, cur ex pluribus hominibus unus accipiat primam gratiam, ſive primi prædeſtinationis effectum, & alter eandem non accipiat? cur unus homo liberetur à Deo à maſſa perditionis, & non alius, cur uni ita per Dei illuminationem, & inſpirationes ſuadeatur bonum, ut plenè perſuadeatur; & alteri non ita ſuadeatur, ut perſuadeatur: ſic autem ex parte hominis prædeſtinati daretur aliqua cauſa habita ex ſolis naturæ viribus, quæ eſſet meritoria, aut diſpoſitiva aut aliquo pacto infallibiliter connexa cum gratia, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis, præſens quæſtio non eſſet inſolubilis, & inſcrutabilis, quia facillimè poſſet ſolvi, ergo juxta Doctrinam Auguſtini fundatam in Apoſtolo non datur ex parte hominis prædeſtinati ulla cauſa meritoria, nec diſpoſitiva naturalis primæ gratiæ. Majorem in qua tantùm eſſe poteſt difficultas, oſtendit Auguſtinus lib. 4. ad Bonifac. cap. 6. ubi ſic ait: *Sed quare iſtos homines oves facit, & alios non facit Deus, apud quem non eſt acceptio perſonarum? iſta eſt quæſtio quàm beatus Paulus curioſius, quàm capacius proponentibus ait: O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare ſic me feciſti? Ipſa eſt quæſtio, quæ ad illam pertinet altitudinem, quam proſpicere volens idem Apoſtolus quodamodo expavit, & exclamavit* ad Roman. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus,*

& inveſtigabiles viæ ejus & epiſt. 115. ſubdit Auguſtinus: *Cur autem illum potiùs quàm illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur, quis poteſt, judiciorum ejus tam magnum profundum verumtamen caveat præcipitium.* Minor itidem probatur, quia ſi daretur cauſa primi effectus prædeſtinationis ex parte hominis facilè reſponderi poſſet hunc potiùs quàm illum vocari, & liberari à maſſa perditionis, quia ſe per bona opera diſpoſuit fecitque quantum in ſe fuit non verò alius, quam reſponſionem ſuggerit D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 98. inquiens: *Qua in re ſi futura opera vel bona vel mala illius, quæ Deus utique præſciebat vellet intelligi nullam quàm ſolvi opus eſſet, faceret quæſtionem.*] Præterea ſi daretur in nobis cauſa prædeſtinationis, ſequeretur, quòd initium noſtræ ſalutis eſſet in nobis, ſiquidem noſtra prædeſtinatio eſt noſtra ſalus, & cauſa eſt initium effectus, proinde ſi in nobis cauſa daretur noſtræ prædeſtinationis, utique daretur initium in nobis noſtræ ſalutis, quod adverſatur Concilio Arauſicano II. & Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. ubi ait: Declarat præterea ſancta Synodus ipſius juſtificationis exordium in adulto à Dei per JEſum Chriſtum præveniente gratia, ſumendum eſſe conſequenter nulla ſunt opera naturalia quomodocunque ſint honeſta, quæ poſſint eſſe cauſa & diſpoſitio ad primam gratiam, quæ doctrina adeo fuit firma & certa in Auguſtino ut lib. 1. ad Simplician. quæſt. 1. eos redarguat, qui de hac veritate dubitarunt inquiens. *Non habeo, quid intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, ſi ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, niſi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque, addamus etiam, ſi placet, honeſtas utileſque doctrinas.* & poſtea ſubdit: *Cum hoc ſtatuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, ut eum intuens & pudore correptus ego irrideam multos.* Demum quia Deus perſæpe homines vocat, qui diu in cœno ſe volutarunt vitiorum, qui mundi indulſerunt voluptatibus, ſuiſque pravis per longum tempus ſatisfecerint pravis deſideriis, & non vocat alios, qui ab iſtis vitiis ſe abſtinuerunt, quin imo, & opera bona naturæ exercuerunt: unde liquet opera bona naturalia non movere Deum ad conferendum primum effectum prædeſtinationis, ſeu primam gratiam, alioquin eam procul dubio acciperent, qui exercitiis virtutum naturalium incubuerunt; quia iſti eſſent præferendi aliis, qui hujuſmodi exercitia neglexerunt. Antecedens probat D. Auguſtinus lib. 1. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 22. inquiens: *Unde enim fit, quod homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, & ex magna parte libidinum Victor, qui oderit avaritiam, deteſtetur luxuriam, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit? quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt; quomodo autem audient ſine prædicante. Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, ac facinoribus coopertus ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hic fuerit laudabiliter vivat?* Docet igitur ait S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 31. *Eos quorum miſeretur à ſua miſericordia præveniri, ut credant, & gratis ſalvi fiant per fidem, eorum enim credulitas non ex humana voluntate ſumit initium; ſed ipſi voluntati fides gratuita Dei miſerentis largitate donatur.*

Objiciunt nihilominus Sectarii in oppoſitum Sacras ſcripturas Malach. 1. *Dilexit Deus Jacob, Eſau autem odio habuit:* atqui non poterat Deus diligere Jacob niſi in eodem bonum aliquod prævidiſſet, quod in Eſau non prævidit, alioquin non fuiſſet major ratio, cur deberet diligere Jacob, & non Eſau, præſertim cum hic eſſet natu major. Rurſus Matth. 25. *Talenta dantur unicuique ſecundùm propriam virtutem*, ergo qui plura accipiunt talenta, plus in iiſdem datur virtutis, & ideo Deus iis dat quinque talenta, & non alteri, quia plus in eo videt virtutis naturalis ratione cujus plura impertitur talenta. 1. ad Timoth. 1. *Paulus conſecutus eſt miſericordiam (ſeu primam gratiam congruam) quia ignorans fecit, & in incredulitate*, ideoque ex eo, quia minor illi inerat malitia, accepit gratiam congruam. 2. Petri 1. *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis:* atqui hiſce ſcripturis indicantur opera naturalia tanquam diſpoſitiones ad primam gratiam, ſeu primum effectum prædeſtinationis. Sed contra quia ambo fratres Jacob & Eſau ob peccatum primi parentis, antequam quidquam boni egiſſent digni erant odio; ſed quia Deus ex ſua miſericordia voluit ſuam gratiam conferre Jacob, ideo hanc dilexit Deus in Jacob, & reliquit Eſau in priſtino ſtatu odii ob Adæ peccatum, quo totum humanum genus infectum fuit Deo exoſum. Neque Deus injuriam ullam intulit Eſau, ſi ei non contulit eam gratiam, quam Jacob fratri fuit impertitus, quia poteſt Deus conferre ſuam gratiam cui magis placuerit abſque injuria aliorum; quemadmodum poteſt Princeps uni ex ſuis ſubditis conferre mille aureos, abſque eo quod alii poſſint juſtè conqueri, quia nulla ineſt principi obligatio omnibus illis conferendi, unde nemini ſit injuria ſi non accipiant omnes mille aureos, perinde Deus tametſi Jacob donavit ſuam gratiam, non habuit Eſau, de quo deberet conqueri, quia illi non erat debita. Deus igitur dilexit in Jacob gratiam, quam voluit ei conferre, & in Eſau odio habuit non hominem quem ipſe fecerat, ſed peccatum originale quod à radice corrupta contraxit. Huc accerſendus S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. ubi reſpondet; *Quod Deus dilexerit in Jacob non culpam quam delebat, ſed gratiam quam conferebat*, delebat autem per gratiam quam illi conferebat, & propterea in eo diligebat. Unde Epiſt. 105. ad Sixtum ait idem Auguſtinus, *Quid enim diligebat in Jacob, antequam operatus fuiſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ donum.* Ad ſecundum de talentis impertitis ſecundum propriam virtutem reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. 24. art. 3. ad c. *Nomine virtutis non intelligi naturalem intellectus diſpoſitionem, ac bonam habitudinem; ſed diſpoſitionem, ac inclinationem cujuſque ortam ex præveniente gratia.* Adeo ut propria virtus aliud non ſit, quàm liberum arbitrium non nude ſumptum, ſed conſecutivè operans per gratiam, non antecedenter. Alii reſpondent per talenta non intelligi primam gratiam, ſed gratias gratis datas, quæ conferuntur juxta cujuſque vires, & facultates, quibus adaptantur. Ad aliud petitum ex D. Paulo 1. Timoth. 1. reſpondetur ibi ſignificari; Paulum non peccâſſe ex malitia, propterea non poſuiſſe tale impedimentum removens gratiam; quale ponunt ii, qui ex mera malitia peccant: non autem quod levius peccatum ſit aliqua ratio, ob quam detur gratia. Quis enim dixerit peccatum, quantumvis leve, ob ignorantiam patratum eſſe diſpoſitionem ad gratiam? cum peccatum ex ſe ſit deſtructivum gratiæ; non poteſt eſſe initium noſtræ ſalutis. Ad ultimum petitum ex 2. Petr. 1. reſpondetur verba illa eſſe intelligenda de aliquo requiſito, & quaſi complemento prædeſtinationis, qualis eſt noſter conſenſus,

quem

Digitized by Google

quem damus gratiæ excitanti, vel de aliis notioribus, ac majoribus conjecturis noſtræ ſalutis, quæ ſiunt à perſeverantia in bonis operibus, quia per has certam facimus noſtram vocationem ut ait D. Petrus.

Dices ſecundò non repugnat homines viribus naturæ aliqua elicere opera moralia naturaliter bona ut elargiri eleemoſynam pauperi indigenti, erigere lapſum, defendere innocentem: etenim Actor. 10. Cornelius antequam Chriſti fidem profiteretur, & adhuc Gentilis plura edidit opera moralia naturaliter bona, quæ procul dubio placuerunt Deo, ergo Deus propter talia opera poteſt retribuere gratiam, & gloriam. Sed contra diſtinguitur minor ob opera bona moralia naturaliter, quæ tantùm ſint bona ex ſe, non verò ex fine, eò quia non ordinentur in Deum licèt dicantur Deo placere conplacentia quadam minus propria in ordine ad promerendum bonum aliquod temporale, conceditur, complacentia propriè dicta in ordine ad promerendum bonum aliquod ſupernaturale, negatur minor, & conſequentia. Hinc D. Auguſtinus adfert exemplum Romanorum, quibus Deus contulit imperium in præmium virtutum naturalium. Unde poteſt quidem Deus intuitu operis boni moralis, & naturalis conferre aliud bonum ìtidem naturale, adeo ut opus bonum ſit quædam diſpoſitio ad aliud bonum, ſed intra limites naturæ tantùm, & nunquam ad ſupernaturale, quia quod eſt purè naturale non habet proportionem cum ſupernaturali, quod eſt in ſtatu ſuperiori, & ſine proportione non datur diſpoſitio. Ad aliud quod addebatur de Cornelio reſpondetur eundem elicuiſſe fidem in Deum tanquam in remuneratorem, dependenter tamen à gratia quæ ipſum prævenit, & excitavit ad talem fidem, quam nullis aliis meritis præcedentibus accepit, ut docet D. Auguſtinus *lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 7.* & Concilium Arauſicanum II. can. 25. ubi ait: Fidem illius Centurionis non fuiſſe de natura, ſed divinæ largitatis donum.

Quod hæc opera naturalia facta à ſolo libero arbitrio neque ſint impetratoria aut meritoria de congruo prædeſtinationis ad primam gratiam, ſeu ad ejus primum effectum etiam conſtat ex Concilio Arauſicano II. can. 3. & 6. his verbis: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ & Apoſtolo idem dicenti, inventus ſum à non quærentibus me, & palam apparui his qui non interrogabant me.* Ex his conſtat oppoſitum non poſſe propugnari ſinè nota erroris, & quamvis Concilium Arauſicanum loquatur de gratia, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis virtualiter tamen loquitur de ipſa prædeſtinatione, ac voluntate dandi primam gratiam, quia cum hæc non ſit effectus humanæ invocationis, ut declaravit Concilium, nec voluntas dandi gratiam, erit effectus humanæ invocationis: ratio eſt clara, quia meritum de congruo non poteſt cauſare gratiam, niſi movendo voluntatem præmiantis, unde ſi voluntas dandi gratiam ex Concilio Arauſicano non eſt invocationis humanæ effectus, neque ipſa prima gratia ad quam propterea non poſſunt opera moralia bona, & naturalia eſſe diſpoſitio de congruo. Idque etiam ex ſcripturis conſtat, ait enim Apoſtolus ad Roman. 9. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Sed ſi homo ſolius naturæ viribus poſſet aliquid præſtare quo primam gratiam mereretur de congruo, Salus ſpiritualis, de qua illi loquitur Apoſtolus, non eſſet ſolius Dei miſerentis ſed etiam hominis volentis, & currentis: ſiquidem aliquid reſponderet libero arbitrio ſine gratia, quod eſſet initium vitæ ſpiritualis, & aliquid Deo miſerenti per gratiam, & hoc eſſet conſummatio, cum igitur ex Apoſtolo initium noſtræ ſalutis ſit ſolius Dei miſerentis, & non hominis volentis, nec currentis, ſeu operantis ſecundum vires naturales, ſequitur non poſſe hominem per opera ſolius liberi arbitrii ſine gratia mereri de congruo primum effectum prædeſtinationis, ſeu ipſam gratiam. Præterea, quia ut ſcribit Apoſtolus 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, unde poſſumus argumentari omne opus bonum conducens ad vitam æternam debet præcedi à cogitatione bona, à qua etiam procedat, cum non poſſit liberum arbitrium quidquam agere, niſi à cognitione prævia quid agendum ſit ei oſtendatur: ſed ex Apoſtolo, hanc cogitationem Sanctam conducentem ad vitam æternam non poteſt habere homo ex ſe ſine gratia per Chriſtum, ergo non poteſt homo per opera liberi arbitrii nudè ſumpti ſine gratia mereri de congruo primum effectum prædeſtinationis, ſeu primam gratiam, & hoc argumento uſus fuit D. Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 2. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianor. *cap. 8.* Noſtræ aſſertioni etiam aſſentiuntur cæteri Sancti Patres, Ambroſius lib. 2. in Luc. c. 12. inquiens *Neminem quidquam ſine Domino incipere poſſe* Auguſtinus in lib. de corrept. & grat. cap. 2. *Sinè gratia homines nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo ſivè agendo faciunt bonum.* D. Proſper contra Collator. cap. 32. & lib. de ingratis cap. 19. ubi ait: *Quod non ſit à gratia non ſit bene.* Cyprianus lib. 3. ad quirin. cap. 4. *In nullo eſt gloriandum quando noſtrum nihil eſt*, & paſſim reliqui Sancti Patres hoc idem adſtruunt.

Ratio itidem id ſuadet, quia quod ex ſe non reſpicit finem in aliquo ordine non poteſt in illo eſſe valor reſpectu præmii in illo ordine: ſed opera quæ ſiunt à libero arbitrio ſine gratia non reſpiciunt ex ſe finem ſupernaturalem, ergo nequit illis ineſſe valor aliquis reſpectu præmii ſupernaturalis. Major oſtenditur, quia valor meriti aut impetrationis dicit eſſentialiter ordinem ad præmium, & ad rem impetratam: ſiquidem per hunc ordinem, & reſpectum conſtituitur formaliter valor meriti, qui propterea exigit eſſentialiter reſpicere præmium in eodem ordine, in quo eſt valor meriti ſivè de condigno, ſivè de congruo, adeo ut non poſſit ineſſe valor meritorius operi in ordine ad gratiam, vel aliud donum ſupernaturale, qui non ſit in eodem ordine cum ipſo præmio. Præterea quia valor meriti dicit habitudinem medii ad præmium, ut ad finem, & de ratione medii eſt ut ſit in eodem ordine ac eſt finis, cui debet medium proportionari: & ſi non ſit in eodem ordine nunquam illi proportionatur, proinde non habet rationem medii, nec valoris meritorii. Minor eſt clara quia opera prudentiæ à ſolo libero arbitrio profecta ſinè gratia ſunt à principio purè naturali, conſequenter ex intrinſeca ſua ratione ſunt tantum ordinata ad finem naturalem tanquam media proportionata ad ejus conſecutionem: ergo repugnat ineſſe operi procedenti à ſolo libero arbitrio ſinè gratia valorem meritorium de congruo primæ gratiæ ſupernaturalis. Firmari etiam ex eo poteſt, quia hoc meritum de congruo auffert à prædeſtinatione ad gratiam rationem doni omnino gratuiti, quod eſt contra fidem: ſiquidem gratia eſt donum purè gratuitum, adeo ut prima gratia & prædeſtinatio ad illam nullum præſupponant ex parte noſtra prævium meritum, alioquin ſi prima gratia daretur in remunerationem operis prævii jam non eſſet gratia, ſed merces ejuſdem operis prævii, quia quod non datur purè gratis, non eſt gratia ſimpli-

Digitized by Google

citer, ut loquitur Apoſtolus ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus. alioquin gratia non eſt gratia*, quod etiam expreſſè docet D. Fulgentius lib. de gratia Chriſti cap. 18, inquiens: *ſi autem ſecundum opinionem illorum noſtrum eſt velle credere priùs quam gratia Dei incipiat adjuvare, injuſtè gratia dicitur, quia non gratis datur homini*, quod etiam aſſerit D. Auguſtinus lib. de bono perſeverantiæ cap. 20. & ſequent, & lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 2. Ubi ait: *Ubique non eſt gratia, ſi eam ulla merita præcedunt.* Sed ſi prima gratia datur intuitu operum naturalium præcedentium à ſolo libero arbitrio jam non datur purè gratis, quia rectè Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 6. *Dari aliquid gratis eſt dare pro nihilo*, & rectè quia quod non datur pro nihilo, datur in compenſationem alicujus præſtiti, conſequenter non datur purè gratis; atqui quod confertur ratione operis meritorii de congruo datur in compenſationem ejusdem operis, ergo non datur purè gratis proinde prima gratia non eſſet gratia, quia non datur purè gratis, ſed in compenſationem operis præſtiti.

Dices præfata ſcripturæ Loca, ut etiam coacervatos textus Sanctorum Patrum eſſe intelligenda de merito, de condigno inducente obligationem ex juſtitia, quod meritum pugnat cum pura miſericordia & liberalitate Dei; non verò eſſe intelligenda de merito tantùm impetratorio ſeu de congruo, quòd nullam inducit obligationem ex juſtitia, conſequenter meritum de congruo non tollit, quin gratia gratis detur. Sed contra, quia hoc meritum impetratorium, ſeu de congruo inducit aliquam obligationem, ſi non ex juſtitia, ſaltem ex gratitudine & obſequio, alioquin non eſſet meritum de congruo, ſi nullam prorſus obligationem induceret, de ratione enim formali, & conſtitutiva meriti eſt inducere aliquam obligationem, & ſi illam inducat ex juſtitia, & ad æqualitatem, conſtituitur in ratione meriti de condigno, ſin autem ex gratitudine, & obſequio, conſtituitur in ratione meriti de congruo, unde ſicut repugnat conſtitutum ſinè conſtitutivo, ita etiam repugnat meritum, quod nullam inducat obligationem, alioquin meritum non eſſet: Sed quod datur ex debito gratitudinis non confertur purè gratis: ſiquidem quod datur purè gratis debet excludere omne debitum, ergo eo ipſo, quod prima gratia confertur intuitu operis meritorii de congruo, confertur ex gratitudine, conſequenter non datur purè gratis, quod pugnat cum mera liberalitate & gratia, donum enim debet eſſe purè liberale, & gratioſum, & ex ſolo motivo liberalitatis adeo ut quantum admiſceatur ex alio motivo gratificandi, & remunerandi tantum detrahatur ex liberalitate, ut habetur in lege humana *lib. 1. ff. de donationib.* quapropter D. Bernardus ſerm. 67. in cant. ait: *Non eſt, quo gratia intret, ubi jam meritum occupavit, nam ſi quid de proprio ineſt, in quantum eſt gratiam illi cedere neceſſe eſt, nolo meritum quod gratiam excludat*, ergo ſi voluntas dandi primam gratiam eſt omnino liberalis, & gratioſa debet eſſentialiter excludere omne meritũ non ſolum de condigno, ſed etiam de congruo, & firmari poteſt ex eo, quia ſi homo per opera facta ex ſolo libero arbitrio ſinè gratia mereretur de congruo primum donum gratiæ non verificarentur verba Apoſtoli. 1. Corinth. 4. *Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti quid gloriaris? quaſi non acceperis.* Vult enim Apoſtolus omnem Diſcretionem unius ab alio in ordine ad ſalutem ſpiritualem eſſe ex Dei gratia per Chriſtum, adeo ut non poſſit homo gloriari de ullo per gratiam non accepto, hinc ſequitur, quod homo per opera præſtita à ſolo libero arbitrio ſine gratia non poſſet nec de congruo mereri primam gratiam; alioquin ſi homo ex propriis viribus efficeret aliquid quo mereretur de congruo primam gratiam ſupernaturalem, ſequeretur, quod ſe ab alio, ſic non operante in ordine ad ſpiritualem ſalutem, diſcerneret, & quidem diſcretione non habita ex gratia contra Apoſtolum: ergo cum de fide ſit non poſſe hominem gloriari de aliquo, quod non acceperit, ſequitur manifeſtè non poſſe hominem per opera naturalia procedentia à ſolo libero arbitrio mereri de congruo primam gratiam.

Objicies ſi quid obſtaret, quo minus opera naturalia præſtita à ſolo libero arbitrio poſſent promereri de congruo primam gratiam ſupernaturalem maximè eſſet ex ſuperiùs probatis quia tolleret rationem doni purè gratuiti: ſed hoc eſt falſum, quia petitio non tollit a re impetrata rationem doni omnino gratuiti, ergo cum opera naturalia, ſe habeant tantummodo per modum petitionis non tollunt à prima gratia ſupernaturali rationem doni purè gratuiti, licèt Deus conferat primam gratiam intuitu noſtræ petitionis provenientis à ſolo libero arbitrio ſine auxilio gratiæ. Antecedens probatur, quia petitio non inducit obligationem debiti, quia non innititur juſtitiæ ipſius petentis; ſed ſoli liberalitati largientis, ut liquet in eleemoſyna, quam elargimur pauperi poſcenti ad ejus ſublevandam miſeriam, eſt enim opus miſericordiæ, & liberalitatis, non verò gratitudinis, & retributionis.] Contra eſt, quia dupliciter poteſt beneficium conferri poſcenti, ut etiam pecunia petenti eleemoſynam: ſcilicet vel intuitu ipſius petitionis, qua conferens beneficium, vel eleemoſynam, quaſi obſequio quodam illi à petente præſtito moveatur ad conferendum beneficium. Vel intuitu ſolius indigentiæ petentis beneficium, quatenus petitio eſt tantùm ratio cur ejus indigentia clarius innoteſcat ei, à quo petit beneficium, & quando beneficium datur ex ſolo motivo ſuccurrendi indigentiæ petentis, tunc eſt purè naturale & gratuitum, quia tunc petitio non habet rationem motivi, nec meriti impetratorii, ſed tantùm eſt conditio quædam qua clarius manifeſtatur elargienti indigentia petentis. Quando verò confertur beneficium ex vi petitionis, ut illud conferens moveatur ab obſequio illi à poſtulante præſtito, tunc petitio non eſt ſola conditio manifeſtans indigentiam petentis, ſed habet veram rationem meriti impetratorii, & ideo beneficium collatum non eſt purè gratuitum, verùm etiam quædam gratificatio & retributio pro obſequio à poſtulante illi præſtito, qui beneficium confert. Deus igitur non confert primam gratiam intuitu noſtræ petitionis aut alterius operis præſtiti à libero arbitrio alioquin ſi intuitu illiùs Deus conferret primam gratiam non eſſet donum purè gratuitum, ſed quædam gratificatio, & retributio: quamobrem confert Deus primam gratiam ex ſolo motivo ſuæ bonitatis nulla habita ratione ad opera naturaliter præſtita à libero arbitrio, quinimò ſinè prima gratia præveniente, excitante, & adjuvante non poſſumus quidquam à Deo petere in ordine ſupernaturali, unde Apoſtolus 2. Corinth. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Semi-pelagiani tamen ſecuti Caſſianum Diſcipulum D. Chryſoſtomi *collat. 13. cap. 18. & lib. 12. & inſtit. Cœnob. cap. 14.* quem etiam ſequitur Fauſtus Epiſcopus Reginenſis *lib. 1. & 2. de libero arbit.* docuerunt opera naturalia facta ex ſolo libero arbitrio ſine gratia eſſe impetratoria, & meritoria de congruo prædeſtinationis ad primam gratiam: nitebantur primò, quia ſcriptura Matth. 7. monet nos, ut petamus; *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis,*

ex

ex quo intulerunt per petitionem poſſe hominem de congruo mereri & impetrare primam gratiam. Secundò adferebant parabolam, qua dicitur Dominus dediſſe uni quinque talenta, alii duo, alii vero unum, unicuique ſecundùm propriam virtutem. Tertiò quia gratia promittitur bene operantibus viribus naturæ, ut colligitur ex illo Danielis quarto *redime eleemoſynis peccata tua* Job. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat.* Matth. 5. *Beati miſericordes, quia ipſi miſericordiam conſequentur*: ergo hæc opera, quæ poſſunt fieri ſolis viribus liberi arbitrii ſunt meritoria gratiæ ſaltem de congruo. Adferebant etiam rationem, quia promiſſio ſub conditione onerosa inducit obligationem debiti, & facit opus meritorium præmii. Sed contra ad primam authoritatem petitam ex Matth. 7. reſpondetur verba illa *petite & dabitur vobis* non eſſe intelligenda de prima gratia, quia non poſſumus quidquam petere ſupernaturale niſi ſuppoſita prima gratia, quia ſi petitio eſt ſupernaturalis neceſſe eſt proveniat à ſupernaturali principio, unde intelligitur de gratia poſteriori, quæ ſupponit in nobis primam gratiam, & operationem provenientem ex ipſa. Eodem pacto intelligenda ſunt aliæ ſcripturæ loca, ut illud Pſal. *Et mane oratio mea præveniet te*, & alibi *prævenerunt oculi mei ad te diluculo*, ut etiam illud *præveni in maturitate & clamavi.* Homo enim ratione gratiæ antecedentis dicitur prævenire Deum ad ſubſequentia dona gratiæ non verò ad primam gratiam. Ad ſecundum de talentis deſumptum ex Matth. cap. 25. reſpondet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 23. art. 3.* nomine talentorum intelligi dona gratiæ habitualis, quæ à Deo cuilibet tribuuntur juxta uniuscujusque diſpoſitionem, unde talenta non dantur intuitu virium purè naturalium, ſed diſtribuuntur juxta menſuram virtutis affectæ per gratiam excitantem, prævenientem, & adjuvantem: ſicque ſemper præſupponitur prima gratia cujus beneficio fiant actiones meritoriæ ſupernaturales. Alii reſpondent nomine talentorum intelligi dona ſupernaturalia, quæ ordinantur in aliorum utilitatem cujusmodi ſunt prædicatio, prælatio, doctoratus, & alia ejusmodi, quæ unicuique diſtribuuntur à Deo ſecundum propriam virtutem ſcilicet ſecundum proportionem ad propriam virtutem non verò ſecundum propria opera tanquam merita, & proportiones. Ad aliud deſumptum ex Daniele. *Redime eleemoſyna peccata tua*, & ex Joan. 4. & Matth. 5. reſpondetur in locis illis promiſſionem gratiæ quæ in ſacris ſcripturis fit rectè operantibus, non fieri ex motivo naturali & viribus propriis, quia in nullo ſcripturæ loco habetur talis promiſſio, quapropter eſt tantùm promiſſio, quæ fit bene operantibus ex auxilio gratiæ, & motivo ſupernaturali, in quo ſenſu ſcribit D. Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibum pauperum facultates meas, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et ratio evidens eſt, quia ſemel quod operatio eſt ſupernaturalis exigit fieri a principio connaturali.

Secundò objiciunt authoritatem Sanctorum Patrum præſertim Joan. Chryſoſt. homil. 17. in Joan. *Deus ſuis in nos beneficiis noſtras non prævenit voluntates, ſed à nobis incipiendum eſt* & Homil. *in* 12. epiſt. ad Hebræ. *Non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur arbitrium; cum autem nos elegerimus multam anfert auxiliationem.* D. Auguſtini in propoſitionibus in epiſt. ad Rom. propoſitione 50. ubi ait: *Fidem elegit in præſcientia, ut quem crediturum eſſe præſcivit ipſum elegerit*, & infra, *quod credimus noſtrum eſt, quod autem operamur illius*; & lib. octoginta trium quæſtionum quæſt. 68. ait: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat hæc voluntas de occultiſſimis meritis venit*, & lib. de prædeſtinatione & grat. cap. 15. *Videtur diſcretionem juſtorum ab injuſtis referre tanquam in ultimam cauſam in eorum liberam voluntatem.* D. Ambroſii ſuper epiſt. ad Roman. 8. & 9. ubi explicans illa verba: *Miſerebor cujus miſertus ero* ait: *Miſerebor ejus cujus præſcius ero, qui ei miſericordiam daturus eſſem, ſciens convertendum illum.* D. Hieronymi ad Hebræ. 10. *Sicut ſol licèt ſit unus, tamen ſecundum varias diſpoſitiones diverſos facit effectus; ita Deus non ſalvat irrationabiliter, ſed præcedentibus meritis.* Sed contra ad primum reſpondetur Deum ſuis in nos beneficiis noſtras non prævenire voluntates non reſpectu primi beneficii gratiæ excitantis, ſeu primæ gratiæ, adeo ut in ea conferenda non expectet nos, ſed reſpectu ſubſequentis ad quam homo per primam gratiam ſe poteſt diſponere, & hic ſenſus eſt in illo loco D. Chryſoſtomi, ad ſecundum teſtimonium petitum ex homil. 12. reſpondetur Chryſoſtomum ibi non loqui de gratia vocante, ſeu de prima, ſed de gratia juſtificante, ait enim eodem loco, *noſtrum quidem eſt præeligere, & velle, Dei autem eſt perficere, & ad finem deducere.* & nonnullis interjectis ſubdit: *Non enim ſuum eſſe totum voluit Deus ne videretur nos temere coronare, neque rurſus noſtrum ne incidamus in arrogantiam.* Cæterum advertendum eſt Chryſoſtomum, & alios Patres Græcos in hac materia de gratia eſſe cautè legendos, ſiquidem eo tempore quo ipſi floruerunt, nondum exorta fuit in eccleſia Pelagii hæreſis & propterea nondum controverſia de gratia diſcuſſa fuit ea diligentia, qua poſtea actum fuit, Manichæi itidem, qui eo tempore vigebant liberum negarunt arbitrium, quibus ſancti Patres ſe opponentes plura dixerunt in laudem liberi arbitrii, quæ indigent explicatione. Ad D. Auguſtinum reſpondetur in quæſtione illa 68. non loqui de prædeſtinatione, quæ nullam habet cauſam ex parte hominum, ſed de obduratione, & juſtificatione habentium cauſas, tametſi perſæpe, ut ipſe ait ſecretiſſimas ſiquidem obdurat Deus homines propter peccata, & juſtificat propter merita, ſcilicet propter merita provenientia ex gratia præveniente & adjuvante, quo pacto vocat Auguſtinus Diſpoſitiones ad juſtificationem quæ tamen merita non ſunt ex illis, niſi ex gratia, ait enim epiſt. 106. *Gratia enim meretur augeri ut aucta mereatur & perfici.* Ad aliud petitum ex lib. de prædeſtinat. & gratia, reſpondetur Auguſtinum referre quidem diſcretionem juſti ab impio in hominum voluntates, ſed adjungere ultimam reſolutionem fieri in Dei voluntatem, qui unum miſericorditer adjuvit, & alterum juſtè deſeruit, quod ex ſequenti capite 16. liquet, ait enim. *Hanc divinam electionem non meritis reddi, ſed ſola voluntatis munificentia donari hominibus Moyſes cum jam tunc quamvis carnalem populum doceret, oſtendit.* Ad D. Ambroſium reſpondetur ipſum tantùm loqui concomitanter, & conſecutivè non verò cauſaliter; Prædeſtinatio enim eſt cauſa, ſeu ratio præſcientiæ meritorum, unde ab una ad aliam valet convertibiliter conſequentia, ita tamen ut à præſcientia ad prædeſtinationem fiat illatio à poſteriori & à prædeſtinatione ad præſcientiam à priori. Quòd autem D. Ambroſ. aſſerat primũ effectum prædeſtinationis, ſeu primam gratiam præcedere merita tribus textibus oſtendit, ex quibus unus eſt, ille qui deſumitur ex lib. de dono perſeverantiæ cap 9. ubi Samaritani noluerunt recipere Dominum inquiens: *Si voluiſſet ex indevotis feciſſet devotos. Sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult religioſum facit.* Ad D. Hieronymum reſpondetur illum loqui de exe-

Digitized by Google

executione salutis quatenus prædestinatio ad gloriam in ratione executionis procul dubio dependet à meritis.

Objiciunt tertio illud commune axioma facienti quod in se est Deus non denegat suam gratiam, sed qui bene operatur naturaliter facit, quod in se est, tametsi non habeat gratiam, ergo Deus tenetur illi dare gratiam saltem ex aliquo pacto, propterea datur ex parte hominis causa dispositiva primi effectus prædestinationis, major est vulgatum axioma Theologorum, minor probatur, quia illud axioma intelligendum est de faciente, quod in se est viribus naturæ, ut probant Richardus, Alensis. Ockamus, & alii, sed contra distinguitur major facienti quod in se est ex gratia determinante, & adjuvante Deus non denegat suam gratiam sanctificantem conceditur facienti quod in se est sine ulla gratia præveniente, & adjuvante, seu sine gratia supernaturali determinante negatur major, & ad minorem respondetur, eum qui operatur naturaliter facere tantùm quod in se est intra limites naturæ, & quia opera naturalia non sunt connexa, neque disponunt ad gratiam supernaturalem; ideo Deus licèt facienti quod in se est ex efficientia gratiæ non deneget suam gratiam sanctificantem, non tamen eam confert ex vi operis naturalis unde sensus illius axiomatis est quod homini exequenti actus bonos, seu divinas motiones, quas habet in se ipso à Deo supernaturaliter inspiratas, & eis non resistenti, neque ponenti impedimentum peccati, sed petenti per ipsas à Deo uberiorem gratiam Deus illud non deneget, cum dicat ipse: *Petite, & accipietis, pulsate, & aperietur vobis*, ex hisce enim verbis Domini ortum fuit præfatum axioma, hinc D. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 3. ait: Quòd præparatio hominis ad gratiam sit à Deo sicut à movente, & à libero arbitrio sicut à moto, & secundum quod est à libero arbitrio nullam habeat necessitatem ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutes humanæ.

Objiciunt quartò electionem requirere disparitatem in iis, qui eligendi sunt, quia unusquisque ne erret in eligendo id eligit, quod melius est: ergo electio facta ad gratiam non est sine prævisione operum aut dispositionis ex parte nostri. Et confirmatur ex Augustino qui lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. ait: Nemo eligitur, nisi jam distans ab eo qui rejicitur: Unde dictum, quia elegit nos ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum nisi præscientia. Sed contra respondetur cum distinctione ad electionem requiri disparitatem inter eligendos, quam faciat ipse Deus conceditur, quam antecedenter jam factam inveniat, negatur antecedens, & consequentia, neque D. Augustinus hanc disparitatem refundit in opera naturalia hominum sed in solum Deum elargientem hominibus suam gratiam; ait enim epist. 105. ad Sixtum: *Qui sunt isti, qui respondent Deo? quandoquidem illi Rebecca habenti geminos ex uno concubitu Patris nostri Isaac, cum illi nondum nati nihil egissent boni, vel mali, ut secundùm electionem propositum ejus maneret, electionem scilicet gratia non debiti, electionem qua eligendos facit ipse non invenit, non ex operibus, sed ex vocante dictum est.* Et Epist. 106. ad Paulin. scribit: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum esse intelligatur, ut secundùm electionem propositum Dei maneret non meritum hominis anteiret: non enim dicit electionem voluntatis humanæ sive naturæ cùm par esset in utroque mortis, damnationisque conditio, sed electionem procul dubio gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed facit.* Quòd verò addebatur de præscientia Augustinus non intelligit per illam nisi ipsum decretum prædestinationum, est enim hoc ipsi solemne, hinc lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 10. ait: Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus, seu præscivit in suo decreto prædefiniente.

Objiciunt quintò: si Deus præparando gratiæ suæ dona non expectat voluntatem nostram, sed illam prævenit, est acceptor personarum: siquidem absque ulla causa ex parte earundem personarum quibusdam constitueret dare effectus prædestinationis, & aliis non: sed consequens sustineri non potest, ergo neque antecedens. Sed contra negatur sequela majoris, quia tunc tantùm dicitur quis acceptor personarum, quando non consideratur persona, quæ tenetur considerare, & tantùm considerat aliquid, quod non est considerandum, ut si Judex in judicio hæreditatis non consideret filium, qui per legem præcipitur considerari, ut hæres sui patris, & consideraret alium vel sanguinis necessitudine sibi conjunctum, vel amicitia devinctum, & in favorem hujus judicaret hæreditatem, in hoc casu Judex esset acceptor personarum, quia consideraret in consanguineis, & amicis, quæ non essent consideranda, & in filio negligat considerare, quod vel maximè esset considerandum: quamobrem acceptio personarum est tantùm in iis, quæ tribuuntur ex justitia, non verò quæ ex pura gratia: sicut est prædestinatio.] Tandem objiciunt: Antiqui Patres meruerunt de congruo incarnationem non obstante, quod incarnatio sit principium meriti illorum, ex quo inferunt primam gratiam cadere sub meritum proinde posse purum hominem se disponere, ac præparare ad primam gratiam. Sed contra, quia antiqui Patres non fuerunt promeriti Incarnationem quoad substantiam, sed tantùm quoad aliquam circumstantiam temporis vel alterius circumstantiæ, & incarnationis substantia fuit tantùm principium meriti, quam antiqui Patres non fuerunt promeriti. Circumstantia autem Incarnationis non fuit in illis principium meriti, ut quòd nasceretur ex stirpe Abrahami, & tali tempore ergo prima gratia non cadit sub meritum.

Objiciunt sexto infantes decedentes post baptismum æternam consequuntur salutem, sed non ex meritis, quæ in illa tenera ætate nulla sunt: ergo si in infantibus salvatur prædestinatio efficax ad gloriam ante prævisionem meritorum hoc idem asserendum erit etiam de adultis. Respondent aliqui faventes scientiæ mediæ Deum prævidisse opera bona quæ essent acturi si vixissent, & ex meritis conditionatis eos prædestinâsse efficaciter ad gloriam. Sed contra quia merita exigunt absolutam existentiam, unde merita conditionata non sunt merita. Contra secundò quia inde sequeretur non esse æqualem omnibus infantibus gloriam; sicut enim merita non fuissent æqualia in adulta ætate, si vixissent. Contra tertiò quia ex hac responsione plures infantes decedentes post baptismum deberent damnari, eò quia plures ex tot infantibus, qui nondum septennes ad usum pervenerunt rationis, & decesserunt post susceptum baptismum improbi evasissent, si adultam attigissent ætatem. Respondent alii infantes fuisse prædestinatos ex meritis congruis parentum. Sed contra, quia tametsi hoc verificari posset de aliquibus infantibus non tamen de omnibus, quia constat parentes plurium infantium homines esse perditissimos & non mereri filiorum prædestinationem. Alii respondent infantes decedentes post baptismum salvari ex meritis Christi, quatenus Christus est caput prædesti-

Digitized by Google

prædestinatorum. Sed contra quia tametsi verùm sit omnes salvari ex meritis Christi, quæstio tamen procedit de meritis propriis, alioquin etiam posset dici adultos salvari ex meritis Christi non propriis: unde respondetur exactius ad argumentum infantes illos fuisse prædestinatos ex prævisione quod essent morituri in gratia non verò ex prævisione meritorum, quorum non erant capaces. Quòd si dicas hoc etiam posse dici de adultis respondetur in adultis mori in gratia præsupponit merita proinde eo ipso, quòd prædestinantur ex eo, quod moriantur in gratia jam prædestinantur ex prævisione meritorum, quod non contingit in infantibus.

CAPUT VI.

An, & quomodo decreta divina intrinsecè efficacia cohæreant cum libertate?

Decreta divina dicuntur intrinsecè efficacia, quatenus scientia à qua diriguntur, non dependet, nec ullo modo à libera determinatione voluntatis impedibilis est: adeo ut actus, & effectus efficaciter decreti inimpedibiliter inferantur, eò quia efficaciam & infallibilitatem à nulla scientia Dei contingente participent, sed potius è converso omnis scientia contingens Dei quoad infallibilitatem suam efficaciæ, & infrustrabilitati ac inimpedibilitati, quæ illis ab intrinseco conveniunt, essentialiter innititur, in quo sensu etiam divina decreta dicuntur intrinsece efficacia. Hoc præsupposito dicendum est decretum prædestinationis, & generatim omnia decreta divina esse intrinsece efficacia, & cohærere cum libertate humana.

Prima pars assertionis ostenditur authoritate scripturæ ad Ephes. 2. *Ipsius sumus factura, & creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus* ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* Psal. 134. *Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra* Apocal. 4. *Qui creâsti omnia & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Sapient. 11. *Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses.* Isaiæ 14. *Juravit Dominus exercituum dicens: si non ut putavi ita erit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet ut conteram Assyrium in terra mea*, & postea subdit: *Hoc est consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extensa super omnes gentes. Dominus enim exercituum decretis decrevit, & quis poterit infirmare? & manus ejus extensa & quis avertet eam?* Proverb 8. *Præparatur voluntas à Domino.* & 21. *Cor regis in manu Domini sicut divisiones aquarum, quocunque voluerit inclinavit illud.* Esther. 14. *Domine rex Omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita nec est, qui tuæ possit voluntati resistere, si decreveris salvare Israel.* Hæc enim & plura alia testimonia absolute pronuntiant voluntatem Dei suum sortituram effectum antequam nostra consulatur voluntas, aut quævis causa secunda: nec usquam sacra scriptura mentionem facit de notitia Dei respectu usus nostri liberi arbitrii habita per scientiam mediam indirecte impedibilem à voluntate nostra. Cum dicat Apostolus ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, si autem decerneret post prævisum usum liberi arbitrii operaretur potiùs secundum consilium voluntatis nostræ non suæ, quod adversatur scripturæ.

Sancti Patres itidem suffragantur primæ parti hujus assertionis præsertim Augustinus in Enchirid. cap. 98. ubi expendens verba illa Proverb. cap. 21. *Sicut divisiones aquarum ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud*: ait: *Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit: & ubi voluerit in bonum non posse convertere*, & cap. 97. ait: *Ubi est omnipotentissima voluntas, quæ omnia in cœlo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit? Ubi colligere filios Israel voluit, & non potuit?* Rursus de correpț. & grat. cap. 14. *Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam non impediat, nec superet potestatem:* & nonnullis interjectis subdit: *Non est dubitandum voluntati Dei voluntates humanas non posse resistere, quandoquidem de ipsis etiam volentibus, quod vult & cum vult facit.* S. Athanasius de epist. ad Ephes. c. 2. ait: *Bona opera paravisse Deum electis suis, quæ differri non possunt, neque prætermitti quin peragantur tanquam divinitus præfinita.* S. Leo in illud Luc. 22. *Filius hominis sicut definitum est vadit*, ait: *Nec ulla poterat ratione turbari, quòd ante æterna sæcula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum.* D. Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. Christi. cap. 29. ait: *Itane vero rerum ordo credi putarive permittitur, ut Deus, qui creator est omnis hominis valeat hominem facere non mutare? & qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat; operari tamen quod vult, in hominis voluntate non possit prius quam in homine ipsum velle repererit.* Ratio itidem hoc evincit, quia scientia quam Deus habet de futuris conditionatis, est subnixa divinis decretis, sed non potest iisdem subnixa esse vel saltem infallibilis nisi hæc sint intrinsecè efficacia. Minor est certa, Major probatur, quia ut docet D. Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 14. & 17. super ea quæ habentur de Tyriis, & Sydoniis, & de illo, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus ita concludit; *Si nulla est prædestinatio* (per prædestinationem intelligit decretum prædefinitionis) *quam defendimus, non præsciuntur à Deo; præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus*, & lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 10. ait: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ erat ipse facturus.* Scilicet præscivit in suo decreto prædefiniente. Cæterum quæ Deus fuerat facturus conditionata sunt; futura enim absoluta de facto est facturus nòn tamen erat, seu fuerat facturus, unde patet discrimen inter utrumque futurum absolutum, & conditionatum, quia illud est facturus absolute, istud vero erat vel fuerat facturus, si purificata fuisset conditio. Hinc D. Thomas in 1. *dist. 34. quæst. 1. art. 1.* ait: *Licet esse, & scire in Deo sint idem secundùm rem, tamen scire sequitur voluntatem, ut imperatum ab ipsa, esse autem non; & ideo esse suum non subjacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creaturæ.* Ratio itidem est, quia pertinet ad supremum Dei Dominium, quod habet in creaturas omnes, ut illas sibi perfectissime subjiciat, ut quidem quascunque voluerit, quando voluerit, ubi voluerit & quocunque voluerit,

& quidem omnipotenti ſuæ voluntati, ſeu ut loquitur Auguſtinus lib. 4. contra Julian. cap. 8. Vtatur creaturis omnipotentiſſima, & efficaciſſima voluntate, potentiſſima poteſtate indeclinabiliter, inſuperabiliter, adeo ut nullus poſſit divinæ voluntati obſiſtere: hoc tamen præſtat Deus per ſua decreta intrinſecè efficacia, quæ propterea ſunt intrinſece efficacia, & oſtendunt eſſentialem ſubordinationem libertatis humanæ ad divinam libertatem.

Secundam partem aſſertionis, ſcilicet decreta intrinſecè efficacia recte cohærere cum libertate voluntatis humanæ, ex eo oſtendit Auguſtinus, quia prædeſtinatio, ſeu decretum intrinſecè efficax prædeſtinationis firmat liberum arbitrium in bono: ſiquidem facit voluntatem firmiter, & ſtabiliter velle bonum, conſequenter decretum intrinſecè efficax prædeſtinationis non deſtruit, ſed perficit, non imminuit, ſed corroborat liberum arbitrium: antecedens oſtendit Auguſtinus ex lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 18. ubi expendens illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate prædeſtinans in adoptionem filiorum*, ait: *Ideo quippe tales eramus futuri quia elegit ipſe prædeſtinans, ut tales per gratiam ejus eſſemus*, & cap. 20. ait: *Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum vel adjuvando, vel judicando, ut etiam per eos impleatur, quod manus ejus & conſilium prædeſtinavit fieri*, & nonnullis interjectis addit: *Inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.* Unde ex Auguſtino decretum intrinſecè efficax prædeſtinationis cauſat in nobis non ſolùm ipſum velle bonum per quod efficimur boni, ſancti, & immaculati, verum etiam quatenus eſt liberum, adeo ut non ſolum efficiat ipſum actum quoad entitatem, ſed etiam quoad libertatem, ſeu quoad modum, quo eſt actus liber, nam in epiſt. ad Sixtum. 105. ait: *Quod enim putant auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſinè adjutorio Dei hominem habere conſenſerint, non intelligunt ſe non firmare arbitrium humanum, ſed impellere ut per inania feratur non in Domino tanquam in petra ſtabili collocetur.* Præterea quia efficacia divinæ voluntatis cum ſit univerſaliſſima ab æterno debet ſe extendere ad omnem entitatem realem, ne quidquam producatur caſu, & præter Dei intentionem, ait enim Auguſtinus apud S. Proſperum ſententia 58. *Divina voluntas eſt ſuprema cauſa omnium corporalium, & ſpiritualium motionum, nihil enim fit viſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de inviſibili ſummi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur*, ſed modus operandi libere ſive neceſſario eſt aliquis modus in ipſo actu voluntatis, proinde aliquid reale, conſequenter efficacia divinæ voluntatis ab æterno debet, ſe extendere non ſolum ad ſubſtantiam actuum, ſed etiam ad modum libertatis & neceſſitatis, quem in tempore habent, ſicque ad efficaciam divinam ſpectat non ſolum ut actus noſtri utcunque fiant, ſed etiam ut infallibiliter, & quidem libere fiant: hoc idem etiam docet D. Thomas quæſt. 23. de veritate art. 5. inquiens: *voluntas divina eſt agens fortiſſimum, unde oportet ejus effectum ei omnibus modis aſſimiliari, ut non ſolum fiat id quod Deus vult fieri, quod eſt aſſimiliari ſecundum ſpeciem, ſed ut fiat eo modo, quo Deus vult fieri, id eſt neceſſario, vel contingenter citò vel tarde*, & 1. part. quæſt. 83. art. 1. ad 3. hoc idem repetit, ait enim: *Deus eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas & voluntarias, & ſicut naturalibus cauſis movendo eas non aufert, quin actiones earum ſint naturales, ita movendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potiùs hoc in eis facit, operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem.* Hinc D. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 36. oſtenſurus electionem Dei non tollere orandi ſtudium ex illo Tobiæ 7. *Tibi enim deſtinata eſt ante ſæcula*, deducit hanc illationem. *Quamvis ergo, quod ſtatuit Deus nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per orationis propoſitum liberi arbitrii devotio relaxatur cum implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, ut per laborum operum, & per inſtantiam ſupplicationum, & per exercitia virtutum fiant incrementa virtutum.* Et lib 2. de vocat. Gent. ait: *Deus ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, ut etiam à perſeveraturis illam mutabilitatem, qua poſſunt nolle non auferant.*

Sed objicies primo contra primam partem aſſertionis, Decretum prædeſtinationis intrinſecè efficax & factum ante præviſa merita per ſcientiam mediam cohærere non poteſt cum univerſaliſſima illa Dei voluntate benefica qua ut ait Apoſtolus. 1. ad Timoth. 2. *vult omnes homines ſalvos fieri*, hoc enim pacto Dei voluntas ſincera non eſſet: quia ejus actiones externæ non convenirent, nec correſponderent affectui interno: ſiquidem omnes homines, & maxime fideles per ſuam eccleſiam hortatur indifferenter ut propriam operentur ſalutem; omnibus eadem ſacramenta exponit, & Chriſtum Dominum offert in Euchariſtia, & ſic actiones Dei externæ pro ſalute hominum ſunt pares, conſequenter etiam omnes fideles: & nihilominus in noſtra ſententia interni ejus affectus ſunt erga illos diſpares, & diſſimiles, cum occulto myſterio ſine ullis meritis, vel demeritis præviſis quoſdam efficaciter eligat ad gloriam, & alios excludat, vel ad illam non aſſumat. Sed contra quia voluntas illa generalis qua Deus juxta Apoſtolum. 1. ad Timoth. 2. *vult omnes homines ſalvos fieri* eſt ſinceriſſima, & antecedens, quia ad illam voluntatem ſalvandam ſufficit, ſi Deus omnibus, & ſingulis parare voluerit media ad ſalutem ſufficientia: ſed cum voluntas antecedens effectum non habeat, niſi accedat & conſequens, nec communia hæc adminicula, quæ procurat, efficacia ſint, & infallibilia, non prohibet illa generalis Dei voluntas de ſalvandis omnibus hominibus, quo minus altera ſit ſingularis proficiſcens à voluntate conſequente & ad definitum electorum numerum dirigens illos, quibus per eandem præſidia decernit, ſeu auxilia ad ſalutis conſecutionem infallibiliter neceſſaria. Quamobrem ſufficit, ſi actiones Dei externæ, quibus hortatur homines ad operandam propriam ſalutem, ſint affectus & ſigna ſinceræ voluntatis Dei antecedentis, quæ vult omnes homines ſalvos fieri conſiderata natura humana ſecundum ſe, & quatenus eſt capax beneficio divinæ gratiæ operandi propriam ſalutem. Quod ſi inſtes voluntatem antecedentem ſalvandi omnes eſſe tantùm quandam velleitatem non voluntatem intrinſecè efficacem, quod etiam videtur concedere D. Thomas: atqui velleitas, cum ſit voluntas imperfecta, non datur in Deo, conſequenter, neque voluntas hæc antecedens ſalvandi omnes. Contra eſt, quia licèt videatur eſſe quædam velleitas ex parte objecti, non ita ex parte ſubjecti; quia ex parte ſubjecti eſt volitio efficax mediorum ſufficientium, quæ præparantur omnibus, & ſingulis, etenim qui vult media ſufficientia efficaciter, verè & ſincere vult finem, & quidem eodem modo, quo media connectuntur cum fine, & quia hæc ſi tantum ſint ſufficientia, connectuntur inefficaciter cum fine, ideo quis vult efficaciter illa media,

vult

Digitized by Google

vult inefficaciter finem. Sed inſtabis voluntas inefficax ſalvandi omnes non prodeſt ſingulis, ergo ſaltem reſpectu eorum, qui non ſalvantur eſt otioſa, & inutilis, conſequenter non datur in Deo vel dicendum eſt cum D. Auguſtino lib. 4. contra Julian. cap. 8. Deus cum dicitur velle omnes homines ſalvos fieri ille terminus *omnes* comprehendit ſolum omnes prædeſtinatos. Sed contra reſpondetur negando antecedens; quia quod tribuit poſſe ſalutem conſequi id procul dubio prodeſt, ſed vi hujus voluntatis tribuitur omnibus poſſe ſalutem conſequi, ergo omnibus prodeſt: ſiquidem dantur omnibus, & ſingulis talia auxilia ſufficientia, quibus ſi vellent, poſſent æternam ſalutem conſequi. Quod addebatur de D. Auguſtino quaſi ſentiret Deum non velle omnes ſincere ſalvos fieri oppoſitum ipſe declaravit Tom. 7. ad art. ſibi falſo impoſitos ait enim art. 2. *Sinceriſſime credendum atque profitendum eſt Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant, quia Apoſtolus cujus eſt hæc ſententia ſollicitiſſime præcipit, quod in omnibus eccleſiis piiſſime cuſtoditur ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur; ex quibus quod multi pereunt pereuntium eſt meritum, quod multi ſalventur, ſalvantis eſt donum; ut enim reus damnetur inculpabilis eſt Dei juſtitia, ut autem reus juſtificetur ineffabilis Dei gratia eſt.* Quamobrem Auguſtinus intelligendus eſt, quod in executione non omnes homines ſalventur licet in intentione decreverit Deus ut omnes ſalventur, eſt enim hoc decretum intrinſece efficax, & ponit extrinſece ſuum effectum, ſeu gratiam ſufficientem, quam Deus omnibus, & ſingulis impertit hominibus, qui ſi vellent, poſſent ſalutem conſequi, & conditionatum objective, vult enim Deus omnes homines ſalvos fieri dummodo ipſi purificent conditionem, & non abutantur divinâ gratiâ ac mediis conducentibus ad beatitudinem. Sed adhuc inſtabis, quia vel ſaltem parvulis, qui decedunt ante ſuſceptum baptiſmum, illa generalis voluntas non prodeſt, quia illis non conferuntur media ad ſalutem neceſſaria, imo neq; ſufficientia, conſequenter Deus non videtur habere voluntatem ſeriam, & ſincerã ſalvandi omnes homines. Sed contra negatur antecedens quia generalis Dei voluntas ſalvandi omnes homines etiam prodeſt parvulis decedentibus ante baptiſmum; ſiquidem ex vi illius voluntatis eſt mediũ de ſe efficax inſtitutum, & potens ipſos ſalvare ſi applicaretur, quod autem illud medium hic, & nunc non applicatur, refunditur in incuriam parentum, qui ſi diligentiam adhibuiſſent, parvuli perveniſſent ad ſtatum, quo potuiſſent baptiſmum ſuſcipere; quare vero permiſerit Deus hanc incuriam in parentibus id refunditur in arcana divinæ ſapientiæ, & ſcientiæ, ait enim Apoſtolus: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ.*

Contra ſecundam aſſertionis partem etiam objicitur ſecundò, quia prædeſtinatio intrinſece efficax antecedens omnem conſenſum adigit voluntatem ad operandum conſequenter non eſt componibilis cum libertate. Probant antecedens quia libertas voluntatis conſiſtit in hoc, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, & non agere; ſed voluntas ut efficaciter prædeſtinata ante omnem conſenſum non poteſt non agere, alioquin falleretur prædeſtinatio; unde concludunt prædeſtinationem efficacem antecedentem omnem conſenſum adigere voluntatem ad operandum neceſſario: Sed contra negatur antecedens ad cujus probationem diſtinguitur major, libertas conſiſtit in hoc quod voluntas poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, & non agere proxime potentia antecedente, & in ſenſu diviſo conceditur, remotè, & potentia conſequente, & in ſenſu compoſito negatur major, & ſub eadem diſtinctione minoris negatur conſequentia, cum Deus per decretum prædeſtinationis velit efficaciter ut homo conſequatur gloriam per opera bona libere poſita, & ſic ipſam libertatem humanam pro ſuo objecto habeat, ut docet D. Thomas in 1. Diſt. 47. Quæſt. unic. Art. 4. ubi ait: *Voluntate Dei non ſolum res in eſſe producuntur, ſed etiam rebus producendis modum, quo producantur prædeterminavit.* Spectandus eſt actus primus proprius operandi, & principia intrinſece conſtitutiva operationis proxime liberæ ad operandum bene vel male, quamvis in efficaci prædefinitione in ad bonum finale hoc ipſo ut ponatur efficax non poſſit conjungere malum, quod eſt non poſſe operari male potentia ſolummodo conſequente, & in ſenſu compoſito non tamen in antecedente, & in ſenſu diviſo. Quod ſi dicas voluntatem hominis in tali caſu non poſſe liberam eſſe, alioquin poſſet diſſentire ſaltem in ſenſu diviſo prædefinitionis, & prædeſtinationis: Sed neque in ſenſu compoſito neque diviſo voluntas hominis poteſt diſſentire, ergo non operatur libere. Minor probatur, quia ponere in ſenſu diviſo diſſenſum perinde eſt ac facere, ut non ſit prædefinitio aut prædeſtinatio, ſed eſt impoſſibile ut hoc impediatur. Contra eſt negatur minor, & ad ejus probationem negatur major & ſuppoſitum argumenti, quia ut in ſenſu diviſo prædefinitionis, & prædeſtinationis poſſit quis ponere diſſenſum ſufficit, ſi poſſit proxime actum diſſenſus elicere, ex quo tanquam per argumentationem à priori vel à poſteriori inferatur non exiſtere prædefinitionem aut prædeſtinationem, in utroque enim caſu dividitur diſſenſus à prædefinitione, & prædeſtinatione: Sed ſi homo non poneret conſenſum, aut finalem perſeverantiam, inde inferretur quidem caventia prædefinitionis, aut prædeſtinationis ex diſſenſu, ſed tanquam ex aliquo per argumentationem à poſteriori; ut ex eo quod homo ſit finaliter inconſtans, rite inferretur; ergo Deus finalem ipſius perſeverantiam non prædefinivit: ſiquidem finalis inconſtantia eſt incomponibilis cum prædefinitione finalis perſeverantiæ, & ſupponit non fuiſſe à Deo paritam illam prædefinitionem. Ex quo liquet ad potentiam ponendi diſſenſum in ſenſu diviſo prædefinitionis non eſſe neceſſe, ut poſſit impediri prædefinitio, ſed ſufficit ſi poſſit poni diſſenſus incomponibilis cum prædefinitione ad conſenſum: Sive hæc prædefinitio ſit in mea poteſtate, ſive non.] Sed inſtant ſi Petrus ad gloriam prædeſtinatus finaliter non perſeveraret, ſequeretur aliquod impoſſibile ergo non poteſt aſſeri, quod homo prædeſtinatus poſſit finaliter non perſeverare, quod ſi non poteſt non perſeverare jam neceſſario perſeverat, quia non poteſt oppoſitum, ergo tollitur libertas antecedens liquet, nam ſi non perſeveraret, impediretur effectus prædeſtinationis, quia Deus in executione non confert gloriam niſi propter merita, & finalem perſeverantiam, ſed impedire effectum prædeſtinationis eſt impoſſibile, alioquin impediretur divinum decretum à creatura tam quia non datur potentia realis ad aliquid impoſſibile. Sed contra diſtinguitur primum conſequens non poteſt dici, quod voluntas præmotà poſſit potentia antecedente & in ſenſu diviſo non perſeverare negatur, potentia conſequente, & in ſenſu compoſito conceditur, & ad probationem primæ conſequentiæ itidem diſtinguitur antecedens non datur potentia realis ad aliquid abſolute, & ſimpliciter impoſſibile conceditur non datur ad aliquid impoſſibile ex ſuppoſitione, ſimpliciter vero, & ſecun-

cundum ſe poſſibile negatur antecedens, quod ſi dicas poſitionem, ſeu conjunctionem finalis inconſtantiæ cum prædeſtinatione eſſe ſimpliciter impoſſibilem, adeoque non poſſe ullam dare potentiam realem: Reſpondetur eſſe quidem ſimpliciter impoſſibilem in ſenſu compoſito, quia tunc fruſtraretur ipſum decretum prædeſtinationis, quod propterea eſſet, & non eſſet, & eſt ſimpliciter impoſſibile decretum Dei poſſe fruſtrari à creatura, ſic enim componerentur decretum Dei de danda gloria, & inconſtantia finali, qua decretum Dei fruſtraretur, & ſuum non ſortiretur effectum in ſenſu tamen diviſo poteſt finalis inconſtantia componi cum decreto illo, quatenus à poſteriori inferretur tale decretum non exiſtere, ſitque dividi, ac ſeparari à finali inconſtantia ſiquidem per argumentationem & à poſteriori ex eo, quod homo ſit finaliter inconſtans, ſeu non perſeverans in gratia ſanctificante uſque ad ultimum vitæ rite infertur, quod Deus finalem ipſius perſeverantiam non prædefinivit, eo quia finalis inconſtantia ſit incompoſſibilis cum prædefinitione finalis perſeverantiæ, quæ ſupponitur eſſentialiter connexa cum decreto de danda gloria ut enim dicebamus ad potentiam ponendi diſſenſum in ſenſu diviſo prædefinitionis non eſt neceſſe ut ipſa prædefinitio, ſeu Decretum de danda gloria poſſit impediri à creatura, ſed ſatis eſt ſi hæc poſſit ponere finalem inconſtantiam incompoſſibilem cum prædefinitione ad gloriam, quia tunc à poſteriori arguitur non dari hanc prædefinitionem, quo licet non ſit in mea poteſtate eſt tamen in mea poteſtate finalis inconſtantia, ex qua arguitur per argumentationem à poſteriori non dari, ſeu dividi, ac ſeparari prædefinitionem ad gloriam a mea finali inconſtantia: In hoc ſenſu dicimus in ſenſu diviſo finalem inconſtantiam eſſe cum prædefinitione ad gloriam, non vero in ſenſu compoſito, & voluntatem promotam a decreto divino de danda gloria poſſe potentia antecedente, & in ſenſu diviſo non perſeverare, non vero in ſenſu compoſito.] Sed Urgebis voluntas eatenus eſt libera, quatenus poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis æqualiter, & proxime eſt potens operari vel non operari: atqui voluntas prædefinita ad bonum non eſt æqualiter & proxime potens operari vel non operari, ergo non eſt libera in ſenſu compoſito. Minor probatur quia voluntas prædefinita ad bonum in ſenſu compoſito prædefinitionis poteſt operari bonum & illud conjungere cum prædefinitione, non ita operari malum illudque conjungere cum prædefinitione ad bonum, conſequenter non eſt æqualiter expedita ad utrumque. Sed contra diſtinguitur major eatenus voluntas eſt libera, quatenus poſitis omnibus ad agendum requiſitis proxime eſt potens ſaltem in ſenſu diviſo agere vel non agere: Conceditur major, in ſenſu compoſito negatur, æqualis autem indifferentia voluntatis in hoc conſiſtit, quod voluntas prædefinita æqualiter proxime poſſit utrumque ſcilicet in ipſa poſſibilitate non transferendo hanc ad certum modum poſſibilitatis, ſed ſiſtendo in ſola & ſimplici poſſibilitate, tunc enim in ſenſu diviſo poteſt agere, & non agere, ſi dividatur ab ipſa poſſibilitate modus, quo transfertur ad hunc vel alium actum cum prædefinitione, quia tunc per talem prædefinitionem in ſenſu compoſito determinatur ad unum, & tollitur indifferentia. Voluntas cum prædefinitione ad bonum poteſt conjungere actum bonum non malum, quatenus enim prædefinita eſt ad bonum habet principium ad illud bonum determinans, non autem habet, nec poteſt habere pro tunc ſimul principium determinans & applicans ad malum, conſequenter poteſt voluntas conjungere actum bonum cum hac prædefinitione, non vero actum malum:] Sed reurgebis, tamdiu voluntas non habet potentiam proxime expeditam ad ponendum aliquem actum, quamdiu illum non habet ſimpliciter abſolute ac proxime in ſua poteſtate; ſed quamdiu caret prædeterminatione, & prædefinitione illius tamdiu ſimpliciter, & abſolute ac proxime non habet illum in ſua poteſtate: ergo non habet potentiam proxime expeditam ad ponendum talem actum. Minor oſtenditur, quia homo nequit eluctari, & emergere è ſtatu puræ poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis, niſi per divinum decretum: Sed ſi ſit præfinitus ad unum actum non poteſt ſimul eſſe prædefinitus ad oppoſitum conſequenter ad actum oppoſitum ponendum non poteſt emergere, ex ſtatu puræ poſſibilitatis conſequenter illum non habet proxime in ſua poteſtate: Sed contra negatur minor ad cujus probationem negatur ſuppoſitum, quia ut voluntas ſit libera non requiritur, ut emergat è ſtatu puræ poſſibilitatis, quia per hoc ſufficienter eſt libera, quod proxime poſſit utrumque, ſed intra limites puræ poſſibilitatis eſt ſufficienter libera ad utrumque, quamobrem divina decreta non pertinent ad ſtatum puræ poſſibilitatis, ſed ad ſtatum futuritionis, quam cauſant, & habent pro objecto.

Objicies tertio quando dantur duæ propoſitiones, quarum una infertur ex altera neceſſario vera, illa, quæ deducitur, eſt itidem neceſſario vera cum legitime inferatur ex altera neceſſario vera: Sed hæc propoſitio Deus vult finalem perſeverantiam Petri eſt neceſſario vera, quia divinum decretum non poteſt fruſtrari à creatura, ergo erit etiam neceſſario vera hæc alia quæ ex illa infertur, ergo Petrus finaliter perſeverabit, ergo ſi prima propoſitio ita eſt vera ut ejus veritas à Petro non poſſit impediri, Petrus prædeſtinatus non poteſt non finaliter perſeverare, conſequenter ejus perſeverantia poſita divina prædefinitione eſt neceſſario non libera ſed contra quia efficaciam hujus argumenti olim propoſuerat Petrus de Rivo Doctor Lavanienſis: Sic licet *quod ex inimpedibili per neceſſariam ſequitur conſequentiam, hoc inimpedibile eſt, & neceſſarium:* Sed hæc propoſitio damnata fuit à Sixto IV. ut refert Sylvius in Opuſc. de primo motore I. Part. Quæſt. 19. Art. 3. Hinc ad argumentum diſtinguitur ultimum conſequens, quando propoſitio ex qua infertur altera eſt neceſſario vera: Sequitur quod illata ſit itidem vera, & non poſſit impediri impedibilitate conſequentiæ conceditur; Impedibilitate conſequentis negatur conſequentia. Petrus tametſi non poſſit id efficere, ut hæc conſequentia non ſit legitima *Deus vult, ut perſeveret Petrus, ergo Petrus perſeverabit*; nihilominus quia Deus vult, ut Petrus perſeveret libere per media ſcilicet adaptata ipſius libertati, perſeverabit quidem Petrus, ſed ita ut ſpectatis mediis per quæ poteſt perſeverare proxime poſſit impedire perſeverantiam, ſeu poſſit non uti mediis, potentia antecedente ad determinationem.

Objicies quarto ex poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur inconveniens ut eſt commune axioma, ſed ex hactenus dictis poteſt voluntas prædefinita ad bonum proximè ponere actum malum, ergo poteſt etiam in caſu poni quod eliciat actum malum: Sed hoc eſt impoſſibile: quia decreta divina eo ipſo non eſſent intrinſece efficacia, conſequenter abſolute prædefinitus ad bonum non poteſt ponere actum malum, ſed contra diſtinguitur major; ex poſſibili poſſibilitate tam antecedente, quam conſequente, ſeu in ſenſu diviſo, & compoſito poſito ineſſe nullum ſe-

qui-

quitur inconveniens conceditur major, ſi ſit poſſibile tantum potentia antecedente & in ſenſu diviſo negatur major, ratio eſt, quia tametſi non ſit aliqua impoſſibilitas aut implicantia antecedens in actuali conjunctione actus mali cum prædefinitione ad bonum; eſt tamen in ea conjunctione aliqua impoſſibilitas, & implicantia conſequens, quia tametſi ſpectato quod actum bonum ex parte hominis proximè antecedit, impoſſibile non ſit hominem actu conjungere actum malum; quia tamen ponitur homo efficaciter prædefinitus eſſe ad actum bonum, ideo eſt implicantia conſequens, cum implicet decretum eſſe, & non eſſe ſimul efficax. Quod ſi dicas inde ſequi dari in homine potentiam, quæ nunquam reducitur ad actum ac conſequenter eſſe fruſtraneam, reſpondetur talem potentiam non eſſe fruſtraneam ad actus ſub disjunctione oppoſitos, eò quia ad alterutrum reducitur, & ad oppoſitum etiam potentia ſaltem antecedente poteſt reduci, unde non eſt potentia fruſtranea, cum deſerviat ad actum bonum libere, & meritorie ponendum.

Objicies quinto neceſſitas antecedens deſtruit libertatem voluntatis creatæ: Sed neceſſitas orta ex decreto divino intrinſece efficaci eſt antecedens; ergo deſtruit libertatem. Major eſt communis inter Theologos, & ſanctos Patres, minor probatur præſertim ex D. Auguſtino lib. 5. de civit. cap. 10. Ubi ait: *Neceſſitas noſtra eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate: Sed etiam ſi nolimus efficit quod poteſt.* D. Anſelmus itidem lib. de Concordia libertatis cum prædeſtinatione cap. 1. & 2. & lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. Neceſſitas antecedens eſt, quæ præcedit rem, & facit & hoc pacto loquuntur alii ſancti Patres Ambroſius in Pſal. 51. inquiens: *Negas arbitrii libertatem: ſi dixeris: Deus ſi vult bonus ſum, ſi non vult bonus non ſum*, & Clemens Romanus epiſt. 3. *Si quid eſſet, quod audientes fidem vel ad credendum vel non credendum determinaret extra arbitrium, eorum meritum & libertas tolleretur*, cui aſſentitur D. Thomas in 2. Diſt. 25. Quæſt. unic. Art. 1. ubi docet: *Libertatem non reperiri in illis quorum actiones non determinantur ab ipſis: Sed à quibuſdam aliis cauſis prioribus*: Sed neceſſitas quæ oritur ex decreto intrinſece efficaci non eſt in noſtra poteſtate, præcedit rem & facit, ac determinat ad credendum conſequenter eſt neceſſitas antecedens, quæ tollit libertatem:] Sed contra negatur minor ad cujus probationem diſtinguitur major, quoad priorem partem neceſſitas noſtra eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſi ſit neceſſitas conſequentis conceditur: Si tantum ſit neceſſitas conſequentiæ negatur, quia hæc neceſſitas conſequentiæ non officit libertati. Præterea diſtinguitur minor, neceſſitas orta ex decreto intrinſece efficaci non eſt in noſtra poteſtate, & efficit, quod poteſt & nos nolumus nego, & efficit, quod poteſt, & quod nos libere volumus conceditur. Hinc ad ſecundam probationem diſtinguitur major, neceſſitas antecedens eſt, quæ præcedit rem & facit per modum principii intrinſece inhærentis & in actu primo proximo, aut propriori naturæ ad unum inimpedibiliter determinantis conceditur per modum principii ſolum extrinſece & in actu primo proximo & non propriori naturæ proximè ad unum dicto modo determinantis negatur major, neceſſitas autem orta ex decreto intrinſecè efficaci ſolum hoc poſteriori modo non autem priori, præcedit rem, & facit. Ad tertium reſpondetur ſub eadem diſtinctione, ſi quid eſſet quod audientes fidem ad credendum vel non credendum determinaret. &c. per modum principii intrinſeci, & ex parte actus primi proximi conceditur major per modum principii ſolum extrinſeci, & ex parte actus primi remoti negatur major. Ad quartam authoritatem petitam ex D. Ambroſio reſpondetur ipſum tantum velle libertatem ab eo negari, qui dixerit voluntatem merè paſſive ſe habere in ordine ad actus ſupernaturales, quod veriſſimum eſt, quia ut definitur in Tridentino voluntas non eſt inane inſtrumentum, ſed revera efficit actum. Ad ultimam authoritatem D. Thomæ reſpondetur S. Doctorem, ibi non loqui de determinatione cauſæ primæ ſed ſecundæ, adeo ut actiones agentis non ſint liberæ, ſi præſupponant determinationem alterius cauſæ ſecundæ.

CAPUT VII.

An Chriſtus promeruerit noſtram prædeſtinationem, & an merita viri juſti poſſint eſſe cauſa meritoria prædeſtinationis alterius hominis.

Dicendum eſt Chriſtum promeruiſſe noſtram prædeſtinationem eſt aſſertio communis omnium Catholicorum cum D. Thoma *3. part. quæſt. 24. art. 4. & in 3. diſt. 10. quæſt. 3. quæſtiunc. 3.* & colligitur ex ſcripturis ad Epheſ. 1. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo, ut eſſemus ſancti.* Et infra clarius hoc idem ſignificat Apoſtolus ſubdens: *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Chriſtum*, quatenus merita Chriſti fuerunt cauſa cur Deus nos prædeſtinaverit ad gloriam æternam à qua peccatum nos excluſerat. Communiter ſancti Patres hoc idem etiam aſſerunt præſertim D. Auguſtinus *lib. 1. de prædeſtinat. ſanctor. cap. 17. & ſequent. & lib. corrept. & grat. cap. 4.* D. Athanaſius ſerm. 5. contra Arianos prope finem, Chryſoſtomus, Anſelmus, Theodoretus, D. Thomas, & alii, qui explicant particulas illas, *in ipſo, & per ipſum* at ſignificent cauſam, & aſſerunt Chriſtum Dominum meruiſſe noſtram prædeſtinationem, adeo ut in ipſo, & per ipſum ſimus prædeſtinati. Quod ſi dicas ex verbis Apoſtoli tantùm inferri Chriſtum meruiſſe nobis electionem ad gratiam juſtificantem & ad filiationem adoptivam non vero ad noſtram prædeſtinationem abſolutè, eò quia non meruerit auxilia gratiæ quæ præcedunt juſtificationem. Contra eſt, quia D. Paulus abſolutè loquitur, & aſſerit Chriſtum meruiſſe nobis omnem benedictionem ſpiritualem: Unde cum Apoſtolus non limitet benedictionem non poteſt intelligi de ſola benedictione per gratiam ſanctificantem, quæ conſtituit homines filios Dei adoptivos, ſed intelligenda ſunt verba Apoſtoli de quacunque benedictione, qua diſponimur ad filiationem adoptivam, adeo ut Apoſtolus loquatur de quocunque auxilio gratiæ etiam excitantis, & adjuvantis ut D. Ambroſius explicat locum illum Apoſtoli, ait enim: *Omne donum gratiæ Dei in Chriſto eſt & ſi quis ſpreto Chriſto benedici ſe à Deo putat, errare ſe ſciat.* Præterea ſi Apoſtolus ibi excluderet aliquam diſpoſitionem præcedentem gratiam juſtificantem, maxime excluderet vocationem, quæ eſt prima gratia: Sed hanc non excludit: Quia in eodem capite

expreſſe aſſerit primam vocationem intrinſecam provenire ex meritis Chriſti, ait enim in quo (ſcilicet in Chriſto) etiam ſorte vocati ſumus: hoc idem etiam definivit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. inquiens: declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum JEſum præveniente gratia ſumendum eſſe exordium: hoc eſt ab ejus vocatione.] Ratio itidem hoc evincit: ſiquidem juxta modum naturalem cauſandi cauſarum naturalium illa cauſa, quæ producit formam, producit etiam diſpoſitiones ad illius introductionem: ſed vocatio, & prima gratia eſt diſpoſitio ad quaſi formam prædeſtinationis & ad gratiam ſanctificantem; ergo eo ipſo quod Chriſtus nobis promeruit formam juſtificationis & prædeſtinationis promeruit etiam primam gratiam, ſeu vocationē, quæ eſt diſpoſitio ad talem formam. Non tamen aſſerimus per illas particulas *In Chriſto, & per Chriſtum* eſſe intelligendam cauſam efficientem phyſicam, ſed tantum moralem & meritoriam, adeo ut Chriſtus ſit tantum cauſa meritoria, & moralis noſtræ prædeſtinationis de condigno. Ratio cur non ſit cauſa phyſica ſaltem reſpectu Patrum veteris teſtamenti, ex eo liquet, quia cauſa phyſica ut phyſicè cauſet, debet exiſtere, unde Chriſtus defectu exiſtentiæ ſuæ humanitatis non potuit eſſe cauſa efficiens phyſica prædeſtinationis reſpectu Patrum antiqui teſtamenti.] Quod ſi dicas illas prærecenſitas cauſales *per Chriſtum, & in Chriſto* non eſſe referendas ad Chriſtum ut hominem, ſed ut Deum: eo pacto quo Apoſtolus ad Coloſ. 1. ait: *Conditi, & creati in ipſo, & per ipſum,* quæ verba non poſſunt intelligi de Chriſto ſecundùm humilitatem, quia Chriſtus ut homo non fuit cauſa, ut eſſemus conditi, & exiſteremus in rerum natura, ſed ſolus Deus rerum omnium conditor. Sed contra quia Apoſtolus aperte aſſerit nos eſſe prædeſtinatos per Chriſtum tanquam per Mediatorem, ut communiter aſſerunt ſancti Patres, eo autem ipſo quod ſumus prædeſtinati per Chriſtum tanquam per mediatorem jam ſumus prædeſtinati per Chriſtum ſecundum humanam naturam, quia Chriſtus ſecundùm divinam naturam, & ut eſt Deus nequit eſſe Mediator. Præterea quia paſſim in ſcripturis præmia ſupernaturalia quæ hominibus dantur vocantur præmia, & habent rationem mercedis operum Chriſti ut Iſaiæ 53. *Si poſuerit animam ſuam videbit ſemen longævum:* ergo Chriſtus merito ſuæ paſſionis nobis obtinuit æternam ſalutem ſecundum humanitatem & prout Chriſtus erat homo, ſiquidem ut Deus non erat capax paſſionis, nec meriti.

Probatur ſecundo quia ex eo, quod Deus prædeſtinaverit hominem propter merita Chriſti nullum ſequitur incommodum neque inconveniens: ſiquidem Chriſti merita utpote præſtantiſſima digna erant tali præmio, imo & etiam alio longe majori: & ex alio capite, ex eo quod homines ſint prædeſtinati per Chriſti merita, cedit in majorem Dei gloriam, Chriſti et noſtram; etenim manifeſtantur luculentius divina attributa divinæ juſtitiæ reſpectu Chriſti, & miſericordia reſpectu hominum, unde per hanc prædeſtinationem hominum ob Chriſti merita, habetur major Dei gloria extrinſeca ratione clarioris manifeſtationis divinorum attributorum. Quod etiam cedat in majorem Chriſti gloriam ex eo patet, quia augetur efficacia meritorum illius, & homines fiunt ipſi magis debitores. Rurſus quod etiam decentius ſit reſpectu hominum ex eo claret, quia cedit in majorem honorem hominum, quod ſint prædeſtinati ex meritis tanti capitis, ſeu Chriſti cujus nos membra ſumus.] Sed dices ſi homines eſſent prædeſtinati per Chriſti merita eſſet ipſis debita prædeſtinatio ad gloriam: ſed prædeſtinatio non eſt hominibus debita conſequenter non ſunt homines prædeſtinati propter Chriſti merita. Sequela majoris evincitur, quia ſemel quod unus homo ſolvit pretium alicujus rei pro altero res illa cenſetur alteri debita pro quo fuerat pretium ſolutum: ergo ſi Chriſtus meruit gratiam, & prædeſtinationem noſtram ſequitur poſt exhibitionem meriti Chriſti debitam eſſe nobis prædeſtinationem, & gratiam.] Hinc argumento reſpondent aliqui negando ſequelam majoris, & ejus probationem, quantum ad paritatem, & aſſignant diſcrimen, quia Chriſtus ita exhibuit pretium noſtræ ſalutis, ut tamen Deus ſibi reſervaverit applicare Chriſti merita hominibus, prout ipſi magis placuerit, adeo ut hæc applicatio ſe tenens ex parte Dei ſit pura gratia non ſolum reſpectu noſtri, ſed etiam reſpectu ipſius Chriſti, perinde ac inter homines, ſi unus ſolvat pretium pro re aliqua diſtribuenda uni, vel alteri, aut pluribus, ita tamen ut relinquatur in arbitrio alterius eligere has vel illas perſonas, quibus res illa diſtribuenda ſit, cenſetur gratia diſtributoris electio hujus vel illius perſonæ, quia potuiſſet rem illam aliis diſtribuere, verum hæc ſolutio patitur difficultatem quia Chriſtus ſua paſſione meruit etiam nobis applicationem efficacem ſuorum meritorum, & quidem ad eaſdem perſonas, quæ de facto prædeſtinantur. Unde reſpondetur adeſſe diſcrimen, quia Chriſtus ita ſuis operationibus ſolvit pretium redemptionis noſtræ ut non tranſtulerit in nos dominium, neque ipſe ceſſerit juri ſuo prout erat Deus, & homo quia non poteſt Deus privare ſe dominio aliquo cùm ratione ſupremi Principis creatoris rerum omnium conveniat eſſentialiter diſpoticum, ac pleniſſimum dominium ex quo ſit, quod cum homines non acquiſiverint diſpoticum, & totale dominium ſupra merita Chriſti, non ſit illis debita prædeſtinatio ad gratiam, & gloriam. Secus inter homines eo ipſo quod unus ſolvit pretium pro alio cedit juri ſuo, & transfert dominium rei illius pro qua pretium ſolvit in eum, pro quo ſolvit.

Sed dices ex D. Paulo ad Epheſ. 1. habetur; Nos prædeſtinatos eſſe in Chriſto ſecundum conſilium ſuæ voluntatis, & propoſitum ejus in laudem gloriæ, & gratiæ ſuæ; ex quo ſequitur noſtram prædeſtinationem eſſe omnino gratuitam, & ex ſola liberali Dei voluntate, conſequenter non ſunt homines prædeſtinati propter merita Chriſti. Sed contra negatur hæc ultima conſequentia quia ut homines dicantur prædeſtinati ex benefica Dei voluntate, & gratuita ſufficit, ſi nihil ponatur ex parte hominum, adeo ut homines ſibi non promeruerint prædeſtinationem quamvis ex parte Chriſti ponatur pretium redemptionis noſtræ, & meritum propter quod prædeſtinamur: & hoc explicari poteſt exemplo juſtificationis, qua gratis dicimur juſtificari ex eo ſolum quia nihil eorum, quæ juſtificationem ex parte noſtra anteceſſerunt, meruerit noſtram juſtificationem, ut declarat Concilium Tridentinum Seſſ. 6. can. 8. Quamvis certum ſit homines juſtificari ex meritis Chriſti, ut definit idem Concilium Seſſ. 6. can. 10. Apoſtolus igitur non excludit merita Chriſti, quia cum prius dixiſſet nos prædeſtinatos eſſe in Chriſto, & poſtea Deum nos prædeſtinaſſe ſecundum conſilium ſuæ voluntatis, & ejus propoſitum in laudem, gloriæ, & gratiæ ſuæ, ſequitur quod prædeſtinatio includat utrumque & Chriſti merita, & Dei propoſitum.] Sed inſtabis, quia Chriſtus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, ut explicat D. Auguſtinus lib. de bono perſeverant. cap. ult. Sed Chriſtus ita prædeſtinatus fuit, ut nullum meritum proprium vel alienum

fue-

Digitized by Google

fuerit cauſa ejus prædeſtinationis: ergo ſi Chriſti prædeſtinatio eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, ſequitur noſtram prædeſtinationem non fieri propter merita Chriſti vel noſtra, ſed eſſe merè gratuitam, & ex ſola liberali Dei voluntate, ac non eſſe homines prædeſtinatos propter merita Chriſti. Sed contra, quia cum Chriſti prædeſtinatio dicitur eſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis, ſenſus non eſt, quod ſicut Chriſti prædeſtinatio non eſt propter merita propria aut aliena, ita noſtra prædeſtinatio non ſit propter merita Chriſti ſed tantum dicatur exemplar noſtræ prædeſtinationis, quia ſicut Chriſtus prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem, ita & nos prædeſtinati ſumus per gratiam juſtificantem, & conſummatam in gloria ad filiationem Dei adoptivam, ut infertur ex illo Apoſtoli ad Roman. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Chriſti igitur prædeſtinatio, ut dicatur cauſa exemplaris noſtræ prædeſtinationis non eſt neceſſe, quod præ ſe ferat omnimodam ſimilitudinem, ſed ſufficit quod ſicut Chriſtus prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem, ita & nos ſimus prædeſtinati ad filiationem adoptivam ex meritis Chriſti, quamvis Chriſtus ſit prædeſtinatus abſque ullo merito ad naturalem filiationem.

Dices Deum priùs decreviſſe homines liberare à peccato originali, & illos ad gratiam, & gloriam prædeſtinare, quam verbum aſſumpſerit carnem poſſibilem, quia in omnium ſententia incarnatio Chriſti in carne poſſibili ordinata fuit à Deo in remedium humanæ redemptionis adeo ut redemptio humani generis fuit Deo ratio decernendi Verbi incarnationem, ut conſtat ex ſcripturis ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere factus ſub lege ut eos, qui ſub lege erant, redimeret*; Sed quod eſt volitum propter aliud eſt poſterius illo in intentione, eo quia ſit medium ad illud: volitio enim finis ſemper eſt prior volitione mediorum: unde ſi ex ſcripturis conſtat Deum decreviſſe Verbi incarnationem propter redemptionem hominis lapſi, hæc redemptio fuit finis Incarnationis Verbi, conſequenter priùs intenta, quam Verbi incarnatio: ſicque prædeſtinatio efficax hominum ad gloriam præcedit decretum incarnationis; quod ſi ita eſt, non potuit Chriſtus mereri noſtram prædeſtinationem, quia quod eſt poſterius nequit eſſe cauſa prioris. Sed contrà, quia illa in Deo voluntas efficax redimendi hominem lapſum, quo per modum intentionis intelligitur præcedere decretum Incarnationis non fuit electio illa particularis hominum ad gloriam, & quæ includitur in ipſa prædeſtinatione ratio eſt manifeſta, quia decretum de redimendis hominibus fuit univerſale circa omnes homines tam prædeſtinatos, quam reprobos: Sed hæc electio ſpecialis, & abſolute efficax hominum ad gloriam non reſpicit omnes homines, ſed quoſdam tantum in particulari, qui de facto gloriam conſequuntur: Ad id quod addebatur Verbi incarnationem decretam fuiſſe propter redemptionem hominis lapſi, adeo ut hominum redemptio fuerit finis Incarnationis Verbi reſpondetur, redemptionem hominis lapſi, fuiſſe prius volitam in intentione, quia ſtat, noſtram juſtificationem eſſe finem Incarnationis Verbi, & ſimul eſſe medium ad gloriam Chriſti, & exaltationem Sanctiſſimi ſui nominis: quia cum gloria Chriſti diſtinguatur ab ejus Incarnatione, & morte, nullum ſequitur inconveniens, quia idem reſpectu diverſorum in eodem genere cauſæ poteſt eſſe cauſa & cauſatum: unde Chriſti incarnatio præciſè ſumpta eſt medium noſtræ redemptionis, quæ dicitur finis incarnationis: noſtra verò redemptio, & prædeſtinatio ad gratiam, & gloriam ſunt, media ad exaltationem nominis Chriſti; & quia hæc exaltatio diſtinguitur ab incarnatione, ideo reſpectu diverſorum incarnatio poteſt eſſe medium noſtræ redemptionis, & noſtra redemptio medium exaltationis nominis Chriſti.

Hinc ſi quæras qualis ſit ordo ſecundum noſtrum concipiendi modum, quem Deus ſervaverit in Chriſti prædeſtinatione, & noſtra. Calvinus putat eundem eſſe ordinem utriusque; putat enim Deum in primo inſtanti ante præviſa omnia merita quoſdam efficaciter ad gloriam prædeſtinâſſe, & alios ad æterna ſupplicia. In ſecundo ſigno ordinâſſe peccatum Adæ, & totius humani generis eo fine: ut juſtitiam ſuam erga reprobos & miſericordiam erga prædeſtinatos poſſet exercere. In tertio dediſſe prædeſtinatis Chriſtum redemptorem, fidem; juſtificationem, & perſeverantiam, & reprobos reliquiſſe abſque ullo præſidio gratiæ, imò & inſtigaſſe ad peccatum, ut eos juſtè punire poſſet, quæ Calvini doctrina quam falſa ſit, ſuperius jam oſtendimus.

Ex Catholicis Scotus aſſignat hunc ordinem, vult enim in primo inſtanti Deum ex tota hominum multitudine nondum præviſo peccato originali elegiſſe quoſdam ad gloriam, & inter illos Chriſtum hominem, & circa reliquos ſe habuiſſe negativè. In ſecundo ſigno voluiſſe illis dare media, quibus pervenirent ad gloriam, & circa alios iterum ſe habuiſſe negativè. In tertio ſigno voluiſſe permittere peccatum Adæ, & reliqua cæterorum hominum, quæ inde ſecuta ſunt, ac prævidiſſe illa omnia futura. In quarto ſigno voluiſſe Chriſtum venire in carne poſſibili (venturum alias in carne impoſſibili) ut ſuis meritis obtineret gratiam iis, qui in primo inſtanti erant electi, & prædeſtinati, cæteros autem in eodem inſtanti præviſis jam eorum peccatis reprobâſſe. Qui tamen ordo diſplicet in eo quod aſſerit Chriſtum electum eſſe cum aliis in primo inſtanti ante præviſum peccatum originale quia inde ſequitur electionem aliorum non fundari in meritis Chriſti & Chriſtum fuiſſe venturum, tametſi Adam non peccaſſet, quæ duo difficulter poſſunt concedi. Secundo etiam diſplicet, cum aſſerat Deum in primo & ſecundo inſtanti circa reprobos ſe habuiſſe negative. Etenim habuit quidem ſe negative quoad punitionem, quia non voluit eos punire ante præviſum peccatum; tum quoad efficacem electionem ad gloriam, quia nemini voluit efficaciter eam dare niſi ex præviſis meritis; non tamen quoad ſimplex deſiderium beandi, quia quantum eſt ex ſe vult Deus omnes homines ſalvos fieri & perduci ad æternam beatitudinem.

Ex Thomiſtis plures aſſignant hunc alium ordinem ut Deus in primo inſtanti viderit totum genus humanum veluti maſſam corruptam, & infectam peccato originali. In ſecundo ſigno & quoſdam ex illa maſſa elegerit ad beatitudinem reliquis relictis, & reprobatis propter peccatum originale. In tertio cogitaverit de mediis, quibus electos perduceret ad beatitudinem eique occurrerit Incarnatio Verbi. In quarto ut illi placuerit hoc medium, in quinto imperaverit ut ita fieret. Qui ordo etiam videtur difficultatem pati: primo quia aſſerit Deum in primo inſtanti vidiſſe totum genus humanum quaſi maſſam corruptam, & contaminatam peccato originali antequam ſtatueret de Chriſti Incarnatione, quia inde ſequeretur Beatam Virginem non ſolùm contraxiſſe peccatum originale & cum eo fuiſſe præviſam, verum etiam non potuiſſe Chriſtum eam à tali ma-

cula

Digitized by Google

cula præservare: quia sicut ante Christi prædestinationem omnes fuerunt prævisi cum peccato originali nasci turi, meritum Christi non potuit quidquam illis prodesse, ut ab eo præservarentur; quia prior esset præservatio, si alicui concederetur quam Christi meritum. Secundo quia in hoc ordine asseritur in secundo instanti quosdam esse electos ante prævisam Christi Incarnationem, & alios reprobatos propter peccatum originale, quia ex priori sequitur electionem non fundari in meritis Christi; & ex posteriori multos post peccatum originale per baptismum remissum adhuc damnari propter originale; si propter illud reprobati sunt.

Exactius videtur posse hic ordo assignari, si dicamus, quod Deus in primo signo ab æterno statuit creare totum humanum genus propter æternam beatitudinem decreto absoluto ex parte actus, & conditionato objective adeo ut ex parte Dei velit quidem omnes homines salvos fieri dummodo isti velint bene, uti non abuti mediis ad illam, & si in statu gratiæ perseverent. Unde in secundo signo ex hac voluntate decrevit illis dare gratiam, & condere in statu innocentiæ eisque permittere usum liberi arbitrii, in quo continetur etiam permissio peccati, ut nimirum ostenderet gratiam non fuisse hominibus debitam, sed ex sua mera bonitate collatam. In tertio vidit primum hominem cum tota sua posteritate lapsum in peccatum: & omnes homines in Adamo peccasse, ut in capite, quatenus voluntates posterorum virtualiter comprehendebantur in voluntate Adæ, ut capitis totius humani generis. In quarto signo decrevit liberare hominem mediante satisfactione de condigno. Et in quinto signo statuit Verbi divini Incarnationem, & Christum, ut Medium unicum ad talem satisfactionem exhibendam: In sexto signo statuit merita Christi diverso modo applicare hominibus: siquidem Beatam Virginem & potuit, & voluit præservare à peccato originali per merita Christi; reliquos omnes permisit concipi, & nasci in peccato originali. In septimo signo ex meritis Christi vult omnibus hominibus dare media sufficientia & alia sua dona supernaturalia hominibus, qui si bene illis utantur, velit etiam uberiora auxilia dare, quibus bene operentur: in octavo præscit eos qui rectè utuntur donis supernaturalibus, & perseverant in operibus bonis, & exercitiis virtutum usque ad ultimum vitæ; & alios prævidet, qui iisdem mediis abutuntur, & negligunt studia virtutum, ut indulgeant vitiis, & illos ex prævisione meritorum decreto executivo destinat ad gloriam, & istos ob prævisa demerita & peccata ad æterna supplicia. Hinc dicimus illud generale propositum Dei, quo statuit creare humanum genus, illudque ordinare ad æternam felicitatem in statu intentionis non processisse ex prævisis Christi meritis saltem quoad determinationem personarum vel gradus gloriæ vel bonorum operum, sed ex nudo Dei beneplacito, & simplici misericordia, ratio est quia in illo primo signo nondum intelligitur Christus à Deo prædefinitus in redemptione humani generis, quia nondum fuit in illo signo prævisum Adæ peccatum: in executione tamen hæc omnia decreta sunt ex meritis Christi, adeo ut sit Christus causa moralis, & meritoria nostræ prædestinationis quoad executionem. Cum enim Deus ex suo beneplacito elegisset omnes salvandos ad suum quemque gradum, cæteris negativè reprobatis, & illis prædefinivisset omnia opera bona gratiam congruam, & perseverantiam voluit hoc totum exequi per Christi merita, unde Christi humanitati hæc omnia sua decreta revelavit, vel in se ipso ostendit, ut illis se conformaret, & sua merita ad illorum executionem dirigeret: Scilicet ut singulis electis gratiæ congruæ opera bona & finalis perseverantiæ conferrentur suis temporibus, ut prædefinita decreta ex divino beneplacito.] Neque inde sequitur Christum fuisse merum Executorem eorum, quæ à Deo decreta sunt absque potestate aliquid statuendi, aut alicui gratificandi, quia ex scripturis constat Christum habuisse potestatem plura instituendi, & non tantum exequendi Joan. 13. *Sciens quia Pater dedit ei omnia in manus:* Dare autem omnia in manus perinde est ac dare ipsi omnem potestatem, quod expressius indicatur Matth. 28. Cum dicitur: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes.* Neque verba hæc intelligi debent de sola potestate exequendi, quæ à Deo prædefinita, & decreta erant, non autem de potestate aliquid novi statuendi, quia hoc non videtur conforme usitatæ formæ loquendi, siquidem merus Executor decretorum Principis non dicit, sibi datam omnem potestatem administrandi regni, quia habet tantum illam limitatam, nec potest excedere præscriptos limites de mandato suæ executionis: unde non possunt præfata verba intelligi de nuda executione, sed de plena potestate gubernandi mundum, & ea quæ in cœlo, ac in terra, sicut expedire judicabit (servatis generalibus divinæ providentiæ regulis) ad hominum salutem, nec non ad meritum suæ passionis illis communicandum, quod si Christus merita suæ passionis communicat prædestinatis, jam non est solus executor, sed etiam institutor talis ordinationis, qua vult sua merita ordinari, ad hos vel illos homines, hinc in Psal. 2. inducitur Christus ita loquens: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* Unde non fuit in Christo sola potestas exequendi, verum etiam potestas petendi à Patre, quos voluerit socios in hæreditatem adsciscere: quod insuper Joan. 15. ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat.* Et Joan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus est:* Hisce verbis apertè significat hanc electionem non fuisse simplicem executionem mandati alterius, sed suum beneficium, adeo ut in sua potestate fuerit illis prætermissis alios eligere, si voluisset. Cum igitur Christus debitum totius humani generis pretio sui sanguinis divinæ solverit justitiæ, cui & reconciliationem meruit, decuit ut non esset merus executor decretorũ Patris, sed ut posset etiam de salute hominum plura statuere, uberiora, vel etiam minora auxilia ei tribuendo, quo tempore, loco, & occasione illi consultius visum fuerit, imo & quibus personis ipsi magis placuerit, etenim si in potestate ipsius fuit eligere Apostolos & Discipulos, quos placuit, cur non etiam majorem, vel minorem gratiam his vel illis pro suo arbitrio conferret? Neque refert, quod prædestinatio, & electio tribuatur Patri & divinitati hujus, quia hi actus cum sint æterni non cadunt in Christi humanitatem. Præterea quia sunt actus providentiæ, quæ tribuuntur Patri. Hoc inquam non obstat, quin prædestinatio possit esse ex meritis, & speciali petitione ac effectu præviso Christi, erga hunc vel illum hominem. Etenim etiam trahere ad Christum, revelare filium, & dare filio oves tribuitur Patri, eò quia inspiratio fidei fiat ex virtute divinitatis, quod enim fit ex hac virtute solet Patri tribui, quo pacto miracula Patri tribuuntur, unde ajebat Christus *Pater in me manens ipse facit opera,*

&

Digitized by Google

& tamen ex inde non ſequitur hæc omnia abſoluta voluntate à Patre ante prævisionem petitionis Chriſti fuiſſe decreta vel Chriſtum non potuiſſe de iis aliter ſtatuere, aut Chriſtum non potuiſſe pro ſuo arbitrio miracula facere, quia etiam de Chriſto dicitur, quod elegerit, quos voluerit, quòd vocaverit, & revelaverit Patrem quibus voluerit: ſiquidem virtus divina in Chriſto affectui efficaci humanitatis quodamodo obſequitur, perinde ac ſi humanitati intrinſeca eſſet.] Præterea quia ſi Chriſtus fuiſſet merus executor decretorum Dei, ſeu æterni Patris omnia ipſius opera fuiſſent prædefinita, nec potuiſſet omittere quidquam eorum, quæ fecit, nec alio tempore, loco, modo, vel alia opera facere quàm fecit, quod non videtur aſſerendum, quia id non congruit libertati, & dignitati Chriſti, etenim Chriſtus cùm fuerit Deus & homo clarè intuebatur omnes illas prædefinitiones & decreta abſoluta in mente divina, conſequenter voluntas ipſius neceſſariò ſe illis accommodabat, neque ullo modo poterat ab iiſdem recedere, quia ſicut viſio clara divinæ eſſentiæ intrinſecè determinat voluntatem videntis ad amorem Dei, ita viſio clara talium decretorum determinat illam ad volendum, & faciendum, quod decretum eſt, ita nec voluntas poteſt adhuc non velle vel facere aliter. Voluntas enim Dei abſoluta clarè demonſtrata Beatis de opere aliquo faciendo habet vim præcepti, & non ſine noxa quis eidem diſſentiretur: ſiquidem cognoſcunt eſſe impoſſibile ut id non impleatur, quòd Deus velit adimpleri. Præterea eſſet maxima in Deum irreverentia nolle ſe divinæ voluntati accommodare, ex quibus ſequitur, quòd ſi Chriſtus fuiſſet merus executor, & non plurium inſtitutor nullam in ſuis operibus habuiſſet libertatem.] Neque obſtat, quòd Chriſtus Joan. 12. aſſerat: *Ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*, quia inde non ſequitur Chriſtum fuiſſe merum, & ſimplicem executorem decretorum Patris, quia Joan. 12. loquitur de ſubſtantia doctrinæ ſuæ, erat enim ut ipſum acceptarent in Meſſiam promiſſum, ac in eum crederent; de hoc enim habebat Chriſtus mandatum, non verò de omnibus, & ſingulis, quæ tota vita ſua dixit & fecit; & hunc eſſe ſenſum illius textûs, patet ex eo, quod ſequitur: *Et ſcio quia mandatum ejus vita æterna eſt*, ſeu verba, & doctrina, quam mihi mandavit vobis tradere ducunt ad vitam æternam, qui eam ſuſcipiunt, hinc alibi ait Chriſtus: *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Præterea quia Chriſtum dicitur ex ſe nihil locutum eſſe, ceu qui non ex humana ratione, ſed ex revelatione Patris omnia habuit, quæ aliis revelaret, ſcilicet omnia ex lumine gloriæ, quod acceperat à Patre, hoc enim ad omnia myſteria clarè introſpicienda ſe extendit. Chriſtus igitur non fuit merus executor Paternorum decretorum abſque ulla poteſtate ſtatuendi, ſed potuiſſet multa de hominum ſalute, & gratia illis conferenda pro ſua ſapientia, & arbitrio ſtatuere.] Quinimò valdè credibile eſt ſupremum regimen rerum humanarum conſequenter etiam omnium Angelorum, & totius mundi ſibi commiſſum fuiſſe, quatenus tendit ad ſalutem hominum, id enim videtur colligi ex verbis illis Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra:* Quomodo enim poteſt intelligi habere omnem poteſtatem, ſi non poſſit de omnibus aliquo modo diſponere ſcilicet in ordine ad ſalutem hominum. Præterea quia omnia ſigna, & prodigia, quæ præcedunt univerſale judicium fient imperio Agni, ejuſque virtute; ſiquidem ipſius eſt aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus, ut habetur Apocal. cap. 5. Hæc autem apertio fiet rerum gubernatione, ac immiſſione plagarum, quibus mundus ultimis temporibus ob impietatem moleſtabitur. Inſuper quia Chriſtus eſt caput totius humani generis, & ſicut caput ſuo ſenſu regit omnia membra, ut rex terrenus totum regnum, omneſque ſubditos de quorum functionibus, officiis, dignitatibus, & ſtatu decernit, hinc unus Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, pro omnibus ſolvit pretium ſui ſanguinis, pro omnibus ſatisfecit divinæ juſtitiæ, & auxilia ſufficientia ex parte ſua promeruit omnibus hominibus. Sicque conveniebat, ut propriam haberet libertatem in ſuis meritis applicandis, & ne reſtringeretur in omnibus ad ſolam executionem decretorum æterni Patris. Præterea quia in Chriſto tanta fuit ſapientia, ut in omnibus clarè cognoſceret, quid expediret ad majorem Patris gloriam, & quid ejus voluntati ac ordini providentiæ eſſet magis conſentaneum; ac proinde non fuit conveniens quod omnia in particulari per decreta abſoluta æterni Patris exequeretur. Sicut in regno terreno gubernator generalis eſt inſtrumentum regis, quo ipſe totum regnum adminiſtrat, eique ſolam generalem inſtructionem ad finem à ſe intentum tradit, quam ſequatur: & res particulares juxta varias circumſtantias loci, & temporis, & perſonarum ejus prudentiæ, & arbitrio committuntur: perinde humanitas Chriſti in magna illa totius univerſa republica, & præſertim in eccleſiæ regimine quæ ſpecialiùs dicitur regnum ipſius, & rebus humanis gubernandis eſt univerſale, & immediatum inſtrumentum quo divinitas utitur ad hominum ſalutem, ac proinde habet omnem poteſtatem in res omnes creatas, quatenus conveniens eſt ad hunc finem ſervatis tantum generalibus, quibuſdam divinæ providentiæ regulis, & ſtatutis, ſi quæ alia à divinitate ſint ad bonum univerſale decreta independenter à Chriſti voluntate: in hoc enim regimine Chriſti humanitas ad executionem opera utitur Angelorum & Sanctorum juxta illud eccleſiæ in præfatione: *Per Beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præeſſe Paſtores.*] Credibile itidem eſt applicationem meritorum, & diſtributionem gratiarum magna ex parte ex Chriſti pendere arbitrio, ac proinde ad ipſum eſſe jugiter recurrendum non ſolum ut ad Deum, & Dominum cujus Majeſtatem ut peccatores meritò poſſimus horrere, ſed veluti ad fratrem conſortem naturæ noſtræ, & cohæredem, in cujus manu ſit ſalus & damnatio noſtra, qui ex iis, quæ paſſus eſt didicit compati infirmitati, & miſeriæ fratrum ſuorum.

Quod verò ad aliam attinet quæſtionem, an merita alicujus hominis juſti poſſint eſſe cauſa meritoria prædeſtinationis alterius hominis, certum eſt, quæſtionem non poſſe procedere de cauſa meritoria de condigno, cùm certum ſit nullum purum hominem poſſe mereri alteri prædeſtinationem de condigno, perinde, ac eam nobis Chriſtus meruit. Sed quæſtio de cauſa meritoria ſaltem de congruo, num merita alicujus hominis juſti & ſancti poſſint eſſe cauſa meritoria de congruo prædeſtinationis alterius hominis, an verò bonum illud ſit ſemper effectus hujus prædeſtinationis ut cum D. Stephanus Protomartyr oravit pro Paulo, potuerit oratio illa eſſe cauſa vel effectus prædeſtinationis Sancti Pauli: fuiſſet cauſa ſi illi inſpirata non fuit ex voluntate efficaci ſalvandi Paulum, ſed oratio illa potiùs Deo fuit ratio, ut efficaciter intenderet ſalutem divi Pauli ad

primam ejus vocationem. Fuiſſet eadem oratio effectus prædeſtinationis Sancti Pauli: ſi fuit inſpirata S. Stephano ex efficaci voluntate convertendi D. Paulum quem noluit ſalvare, niſi mediante oratione illa fuſa à S. Stephano. Vasquez diſput. 94. cap. 5. vult opera unius hominis juſti perſæpe eſſe cauſam totius prædeſtinationis alterius quam ſententiam ſequuntur plures recentiores. Verùm communior ſententia docet cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 23. *art.* 3. hujuſmodi opera eſſe tantùm effectus prædeſtinationis alterius. Dicendum eſt bona opera alicujus hominis juſti interdum eſſe primum effectum prædeſtinationis alterius hominis per quem conſequentes omnes effectus cauſentur, & probari ſolet ex Auguſtino lib. de bono perſeverant. cap. 22. ubi ait: *Qui nondum ſunt vocati pro eis ut vocentur oremus, fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, ut noſtris orationibus concedantur; ut accipiant eandem gratiam efficaciter electi:* ergo ſi ex Auguſtino per merita, & preces juſtorum poteſt impetrari aliis hominibus prima vocatio, ſequitur opera meritoria hominis juſti poſſe eſſe primum effectum prædeſtinationis alterius hominis, adeo ut conſequentes omnes effectus ut prima vocatio efficax juſtificatio, & glorificatio cauſetur per ipſum primum effectum. Hoc idem confirmat D. Auguſtinus ad Simplicianum quæſt. 2. ubi ait: *Quod Paulus per orationem S. Stephani primam illam accepit vocationem efficaciſſimam, qua converſus eſt.* Eandem ſententiam docent S. Proſper. D. Gregorius, S. Thomas, & alii communiter aſſerentes prædeſtinationem juvari per preces Sanctorum, adeo ut juſtorum merita ſint media, per quæ Deus intendat exequi effectus prædeſtinationis. Ratio eſt, quia primus effectus prædeſtinationis non eſt neceſſario intrinſecus ipſi prædeſtinato; ſed poteſt eſſe extrinſecus, & præcedere primam vocationem intrinſecam cujus poteſt eſſe cauſa meritoria. Rurſus quia nullum apparet inconveniens in eo quod Deus ex voluntate ſalvandi ullum hominem inſpiret aliis bona opera, quo pacto viris Apoſtolicis inſpirat, ut laborent, & orent pro ſalute multorum, quos per talia bona opera intendit vocare & ſalvare: ſed tunc opera illa bona ſunt effectus prædeſtinationis alterius cauſantque plures alios effectus ejusdem prædeſtinationis: etenim S. Stephanus oravit ex affectu ſalutis Pauli & Deus ex eodem affectu potuit illi inſpirare preces illas fundere; conſequenter bona opera juſtorum poſſunt eſſe primus effectus prædeſtinationis alterius hominis. Præterea quia eccleſia orat pro infidelibus ut convertantur, & ut Deus illos vocet ad fidem, unde oratio illa ab eccleſia fuſa ad Deum pro converſione infidelium eſſe poteſt primus effectus prædeſtinationis infidelium. Ratio itidem eſt quia eo ipſo, quòd preces, & merita ſunt effectus prædeſtinationis illius, ſequitur non eſſe cauſam prædeſtinationis illius; quia non poteſt idem reſpectu ejusdem habere rationem cauſæ, & effectus. Antecedens oſtenditur, quia non repugnat Deum decreviſſe dare gloriam D. Paulo, & decreviſſe etiam ut medium ad illam orationes, & preces S. Stephani: ergo talis oratio ex ſuppoſitione quod Deus ita decreverit, fuit effectus prædeſtinationis D. Pauli. Vaſquez verò cenſens oppoſitum verum ait: poteſt homo juſtus mereri alteri primam gratiam de congruo, & primam vocationem ſed prima vocatio & gratia eſt effectus primus prædeſtinationis alterius, & cauſatur de congruo per bona opera alterius, ergo poteſt homo juſtus mereri alteri prædeſtinationem. Sed contra negatur minor; ſi nomine vocationis intelligatur illa ſola gratia intrinſecè exiſtens in eo qui vocatur: quia nomine primæ gratiæ veniunt etiam omnia alia dona extrinſeca, quæ conducunt ad ipſam vocationem: & ſicut preces hominis juſti impetrant alteri à Deo primam vocationem quæ eſt effectus prædeſtinationis; ita preces illæ quas effundit Deo homo juſtus pro ſalute alterius ſunt etiam effectus prædeſtinationis alterius, cui impetratur à Deo prima vocatio quæ propterea non eſt primus effectus talis prædeſtinationis, quia ſupponit alios effectus priores, & extrinſecos ſcilicet bona opera viri juſti, quæ illi impetrant à Deo primam vocationem intrinſecam.

Inſtabis orationes, & merita Chriſti applicata aliis non fuerunt effectus prædeſtinationis illorum; ſed vera cauſa talis prædeſtinationis, ergo quamvis preces, & merita juſtorum applicentur alteri ut convertatur & impetrent illi à Deo primam vocationem, aliosque effectus prædeſtinationis, adhuc erunt cauſa prædeſtinationis illius, cùm ſit utrinque par ratio. Sed contra, eſt enim diſcrimen inter Chriſti merita & aliorum hominum juſtorum: quia cum Chriſtus fuerit à Deo conſtitutus ut univerſalis hominum redemptor, neceſſum erat, ut ejus merita præcederent electionem efficacem, & in executione hominum ad gloriam, & conſequenter omnes effectus prædeſtinationis, ut poſſent eſſe cauſa illius. Secus alii homines cùm non fuerint à Deo conſtituti, ut Chriſtus, quamvis eorum merita poſſint eſſe primus effectus prædeſtinationis alterius, non ita cauſa. Quamvis potuerit Deus ita res diſponere ut preces tum Chriſti, tum Sanctorum eſſent cauſæ vel effectus prædeſtinationis de facto tamen ita non diſpoſuit, nec ordinavit; quia voluit, ut ſolus Chriſtus eſſet nobis propitiatio, ſanctificatio, & redemptio. Sed urgebis, ſi opera meritoria, & preces hominis juſti poſſunt eſſe primus effectus prædeſtinationis alterius: ſequitur primam vocationem non eſſe primum effectum prædeſtinationis, ut ſuperiùs fuit conceſſum; ſed hoc dici nequit: ſiquidem eo ipſo, quod daretur effectus aliquis prædeſtinationis, qui eſſet prior prima vocatione poſſet aliquis ſibi promereri, beneficio talis effectus præcedentis, primam vocationem, & tamen non mereri ſibi totam prædeſtinationem, quod eſt contra expreſſam doctrinam D. Auguſtini, ergo merita unius juſti non poſſunt eſſe effectus alterius ſed contra, quia prima vocatio eſt ſemper primus effectus prædeſtinationis inter illos, qui intrinſecè inhærent homini electo non verò eſt primus effectus ſimpliciter in ordine ad omnes effectus intrinſecos, & extrinſecos: quia inter effectus, qui poſſunt eſſe extrinſeci ipſi electo, dantur effectus prædeſtinationis, qui præcedunt primam vocationem intrinſecam: ſi enim Petrus mereretur ſibi primam vocationem, utique mereretur etiam ſibi totam prædeſtionem, quia nullum ejus opus bonum præcedens primam ſuam vocationem eſſe poteſt effectus ſuæ prædeſtinationis: ſin autem Petrus mereretur primam vocationem alterius non mereretur totam ejus prædeſtinationem: ſiquidem reperitur in Petro aliquod opus, quod præcedit primam vocationem alterius.

Inſtabis iterum, ratio cur homo juſtus per bona opera nequeat eſſe cauſa prædeſtinationis alterius eſt, quia Chriſtus per ſua merita nobis promeruit prædeſtinationem, adeo ut cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis ſint merita Chriſti, quatenus Deus voluit, ut ſolus Chriſtus nobis eſſet juſtitia, propitiatio, ſanctificatio, & redemtio: ſed hæc ratio non obſtat, quo minus preces, & merita alicujus viri juſti, & ſancti poſſint eſſe cauſa noſtræ prædeſtinationis,

Digitized by Google

tionis, ergo adhuc preces & merita alicujus viri juſti poſſunt eſſe cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis. Major, & conſequentia tenent, oſtenditur minor, quia ſicut poſitio Chriſti meritis ratione quorum habetur tota cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, adhuc cauſata illa eſt per merita Beatiſſimæ Virginis, conſequenter poteſt etiam noſtræ prædeſtinatio cauſari per merita aliorum juſtorum. Sed contra negatur minor ad cujus probationem reſpondetur Beatam Virginem fuiſſe quidem electam in aliquo ſigno ante alios electos, qua ratione dicitur à Sanctis Patribus primogenita Unigeniti filii, & primiceria electionis, quia per Beatiſſimam Virginem Matrem Chriſti parabatur omnibus ſalus, quapropter congruum erat, ut ipſa omnium prima participaret ex pignore fructum ſalutis, ut adſtruit D. Ambroſius in Lucam. Cum igitur Beata Virgo fuerit præelecta; potuerunt per illam ut cauſam conjunctam Chriſto & ſubordinatam eligi poſtea cæteri homines ad gloriam, ac prædeſtinari in ordine executivo; & quia hæc ratio non valet pro aliis hominibus juſtis, ideo ex eo quòd Beatiſſima Virgo ſit quodammodo cauſa prædeſtinationis noſtræ, non ſequitur merita aliorum juſtorum poſſe eſſe cauſam meritoriam noſtræ prædeſtinationis. Hinc nullum opus bonum puri hominis poteſt eſſe cauſa meritoria totius prædeſtinationis alterius hominis, quia ante prævisa merita cujusvis puri hominis Chriſtus meruit ſpecialem electionem omnium prædeſtinatorum: conſequenter non poteſt tota noſtra prædeſtinatio cauſari à meritis ullius puri hominis. Præterea quia ut Chriſtus ſit cauſa totius electionis, ſeu prædeſtinationis etiam ſpecialis, neceſſe eſt, ut ſingulis electis applicuerit ſua merita, adeo ut facta applicatione ſequatur efficax electio, ſed applicatio meritorum Chriſti antecedit merita omnium aliorum hominum: ergo non poteſt meritum puri hominis cauſare totam prædeſtinationem alterius, adeo ut ſit cauſa meritoria illius.

CAPUT VIII.

Quomodo prædeſtinatio ſit in noſtra poteſtate, & quam certitudinem habeamus de illa.

PRædeſtinatio dupliciter ſumi poteſt, ſicut & ſalus juxta uſitatum modum loquendi ſcripturarum complete ſcilicet & incomplete. Sicut igitur ſalus completa eſt viſio beata actu acquiſita; & incompleta eſt gratia juſtificationis, quæ in ſcripturis vocari etiam ſolet ſalus, beatitudo, vita æterna, & juſti in hoc ſenſu dicuntur ſalvati, & ſalutem conſecuti, imò & Beati, ac habere in ſe ipſis vitam æternam: ſiquidem perfecta ſalus, & vita æterna juſtitiæ eſt debita, continetur enim æterna ſalus, ſeu gloria in gratia ſanctificante veluti in ſemine, & ob hanc cauſam omnes juſti dicuntur in ſcripturis prædeſtinati, electi & dilecti ab æterno, quia ſcilicet ad juſtitiam prædeſtinati ſunt, conſequentur quantum ex parte Dei ad cætera omnia neceſſario pro ſalute conſequenda. Perinde prædeſtinatio alia eſt completa, incompleta alia ratione ſeriei objectorum, ad quæ ſe extendit. Completa eſt, quæ ſe extendit ad totam ſeriem mediorum, quibus homo re ipſa ſalutem aſſequitur. Incompleta dicitur, quæ ſe profert tantùm ad aliquam ſeriem beneficiorum, quibus ad ſalutem tenditur, & præſertim ad gratiam juſtificantem: quamvis enim omnis divina providentia ſit in ſe perfectiſſima, & completiſſima, attamen ut ad completam vel incompletam mediorum ſeriem terminatur, poteſt denominari ratione objecti, & affectus, ut per ſe conſtat, hinc D. Auguſtinus lib. de bono perſeverant. cap. 14. deſcribens prædeſtinationem completam aſſerit: *Eam eſſe, quæ eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur* ubi complectitur totam ſeriem gratiarum, quibus perducimur ad ſalutem: & ponit rationem prædeſtinationis in hujus ſeriei præparatione, ſeu in voluntate eam conferendi. Per hanc ſeriem beneficiorum aſſerit nos certiſſimè liberari, eò quia in hac continentur etiam bona opera, & perſeverantia in finem. Hæc enim ſunt beneficia Dei, quibus libertatem gloriæ filiorum Dei certiſſimè aſſequimur, ut docet D. Auguſtinus. Quod ſi loquamur tantùm de auxiliis prævenientibus, per hæc non ita certiſſimè dicimur liberari; nimirum certitudine quæ oriatur præciſè ex vi auxiliorum, ſed certitudine proveniente ex vi ſcientiæ divinæ, illa enim beneficia prævenientia non ſunt hujuſmodi, ut ex nuda illorum efficacia, quàm per ſe, & in actu primo habent, poſſit certo eventus ſalutis præſciri (quia tunc eorum effectus non penderet à concurſu liberi arbitrii, nec poſſet impediri) ſed certitudo talis eventus naſcitur ex vi divinæ ſcientiæ, quæ ad omnes eventus liberos ſive abſolutè, ſive ex hypotheſi futuros ſe extendit. Per eam enim Deus certiſſimè novit, quòd voluntas humana cum tali gratiarum ſerie ſit factura. Sicut igitur prædeſtinatio completa eſt præparatio omnium mediorum, quibus homo liberatur, extendens ſe ab ipſo hominis ortu usque ad extremum vitæ Spiritum, ita prædeſtinatio completa eſt præparatio mediorum à primo ortu usque ad ſtatum gratiæ juſtificantis quocunque tempore in eo fuerit homo, excluſo tamen ultimo vitæ termino, in quo non poteſt amplius à juſtitia excidere ſiquidem quamdiu poteſt excidere, prædeſtinatio ut extendit ſe ad media ſalutis, quæ usque ad illud punctum ſunt illi collata, adhuc cenſetur incompleta, & poteſt quis adhuc deleri de libero vitæ; quando verò non poteſt amplius excidere, tunc cenſetur completa. Ratio eſt, quia cùm prædeſtinatio nihil ſit aliud, quam præparatio mediorum ſalutis, quamdiu ſeries mediorum non eſt completa ipſa quoque prædeſtinatio dicitur incompleta; & ubi illa ſeries terminatur, ibi quoque terminatur prædeſtinatio; ex quo liquet veritas præcedentis aſſerti, neminem poſſe ſuam prædeſtinationem mereri, non quia prædeſtinatio ſit quid æternum, & non diſtinguatur ab ipſa eſſentia divina, hoc pacto nec impii dicuntur mereri propriam reprobationem, quæ ſimiliter æterna ſit, ac divinæ eſſentiæ identificata; loquimur enim non de ipſa ſubſtantia talium actuum, ſed de eorundem terminatione ad aliqua objecta creata, & quæ ſub meritum cadere poſſit, & ratio, cur non poſſimus mereri noſtram prædeſtinationem, eſt, quia non poſſumus mereri primam vocationem, ſeu primam gratiam, ac illuminationem divinam, qua primum elevamur ad ſtatum ſupernaturalem: ſiquidem opera moralia intra naturæ limites, & quæ ſola ante hanc vocationem fieri poſſunt, nullam habent ad hunc ſtatum condignitatis, nec congruentiæ proportionem, quia ſemper opera moralia præcedentia primam gratiam ſunt

Digitized by Google

intra limites naturæ, & in ordine inferiori, & carent proportione cum donis supernaturalibus, ergo est impossibile, quòd possit homo sibi mereri propriam prædestinationem secundum quod hæc terminatur ad illa objecta creata, quæ possunt sub merita cadere: siquidem prædestinatio dependet ab illa serie auxiliorum supernaturalium, quæ nectuntur cum gloria æterna, & hæc series suum ducit initium à prima gratia seu vocatione, à qua dependent reliqua auxilia supernaturalia, & quia per opera moralia intra limites naturæ non potest homo sibi promereri primam gratiam, à qua dependet tota series bonorum operum, sequitur non posse suam mereri prædestinationem, alioquin si posset purus homo sibi mereri primam gratiam, non videretur ratio, cur non posset etiam promereri suam prædestinationem: siquidem habita prima gratia & per illam operando posset de congruo majorem & ulteriorem sibi comparare gratiam & per hanc aliam gratiam usque ad justificationem, qua obtenta posset progredi merendo usque ad mortem, quo pacto tota series gratiarum, quibus perducimur ad salutem caderet sub meritum, consequenter etiam prædestinatio, quæ nihil aliud est, quam præparatio harum gratiarum; & in hoc sensu negant Sancti Patres posse homines esse causam suæ prædestinationis, & præsertim D. Augustinus lib. de prædestinat. Sanctor. Siquidem Semipelagiani contra quos disputat toto illo libro asserebant fidem esse ex nobis, & per fidem nos mereri primam gratiam, consequenter etiam electionem, & prædestinationem; ajebant enim Massilienses, hominem per fidem eligi ac prædestinari: quam sententiam refutat Augustinus negando fidem esse ex nobis, ostenditque esse donum Dei proinde provenire ex gratia, & prædestinatione.

His præmissis certum est prædestinationem sumptam pro ipsa substantia actus divini non esse in nostra potestate, quia quod est in nostra potestate potest à nobis effectivè causari ut per se patet, & cum actus divinus utpote identificatus cum divina substantia, & sumptus quoad substantiam & in recto non possit à nobis causari, non enim actus divinus dependet à creaturis non est in nostra potestate. Rursus certum est, prædestinationem sumptam in recto per modum intentionis non esse in nostra potestate; siquidem prædestinatio per modum intentionis præcedit merita prædestinatorum fit enim ante visionem meritorum, ut fusè ostendimus in præcedentibus: si autem talis prædestinatio esset in nostra potestate non fieret ante visionem meritorum, quia nos non possemus causare illam prædestinationem nisi moraliter, & per merita, quæ forent causa meritoria talis prædestinationis: ergo cum prædestinatio hæc per modum intentionis fiat ante prævisa nostra merita non possunt hæc moraliter illam causare; quia quod est posterius, non potest esse causa prioris. Sin verò sumamus prædestinationem secundùm ordinem executionis, & consideretur speciatim, ut terminata ad aliquem peculiarem prædestinatum, & ad aliquem partialem effectum, potest in hoc sensu dici esse in nostra potestate, quia secundùm hunc ordinem executionis, & qua in tempore confertur gloria prædestinatis in particulari, causatur quoad terminum, seu gloriam à nostris meritis, & confertur à Deo propter nostra merita, adeo ut Deus ab æterno absolutè, & efficaciter decreverit nobis conferre gloriam propter nostra merita. Sed hæc sunt in nostra potestate, quia fundantur in actibus liberis, qui erant in nostra potestate ut elicerentur vel non elicerentur, consequenter prædestinatio per modum executionis, & ut terminata ad gloriam ex prævisis nostris meritis, est in nostra potestate, in quo sensu dicitur Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*, unde cum sit in nostra potestate credere, & non credere, est etiam in nostra potestate prædestinatio per modum executionis, & ut terminata ad gloriam cum hæc non conferatur nisi credentibus. Rursus Matth. 10. dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit*, ubi perseverantia finalis ponitur sub nostra potestate, saltem quoad cooperationem divinæ gratiæ. Secundum enim hunc ordinem executionis intelligitur vulgatum illud effatum, quod tribui solet Augustino: *Si non es prædestinatus fac ut prædestineris*, adeo ut beneficio divinæ gratiæ, quam nobis Deus impertitur, possimus eidem cooperari, ac in bonis operibus perseverare mediante divino auxilio, non enim Deus invitat, ut eos excludat à prandio, ut liquet ex parabola illa de invitatis Matth. 22. ubi cum plurimi diligenti cura, & solertia regis vocati essent ad nuptias, & plerique nollent venire dixit Paterfamilias: *Multi sunt vocati, sed pauci electi*, & non ob aliam causam pauci electi, nisi quia pauci voluerunt venire, quòd si plures venissent, sicut multi erant vocati, sic fuissent & multi electi, hinc Theophylactus expendens hæc verba Matthæi ait: *Vocare enim est Dei, electum autem fieri aut non electum etiam est nostrum*; & illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare*, ubi apertè indicatur regnum cœlorum ab æterno esse præparatum justis ob prævisa eorum opera, ut colligitur ex particula illa causali *enim* hoc est, quia esurivi, & dedistis mihi manducare, ideo possidete paratum vobis regnum, quod propterea in executione non datur nisi propter bona opera, tum quia similiter dicitur reprobis: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, sed hic ignis non est paratus diabolo nisi ob prævisa ejus demerita, consequenter neque regnum est justis paratum nisi ob prævisa eorum merita, habetur enim antithesis electorum, & reproborum; bonorum operum & malorum regni, & ignis æterni. Firmatur etiam ex illo Matth. 20. ubi etiam Scriptura meminit præparationis regni ait enim Christus Discipulis suis: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, ubi Sancti Patres intelligunt hanc præparationem esse ex prævisis meritis, hinc S. Cyrillus lib. 10. Thesaur. cap. 6. ait: *Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in præscientia Patris illis quos excessus certandi commendaverit.* Rursus hoc idem confirmat parabola operariorum Matth. ubi intelligimus quomodo Deus nobiscum in negotio salutis agit, proponit enim operariis mercedem accipiendam non tamen absolutè, sed conditionatè, si voluerint in vineam suam venire, & diurnum laborem ibi præstare: pari pacto æternus Paterfamilias vocat omnes ad gloriam, quam nobis exhibet ut mercedem non tamen absolutè, sed conditionatè si bene fuerimus operati, adeo ut in executione nobis non detur merces seu regnum cœlorum nisi præcesserint opera bona hinc 2 Petri 1. dicitur: *Satagite fratres ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, quasi diceret estis vocati, & electi ad æternam vitam, hæc est vestra electio & vocatio, sed adhuc incerta, quamdiu in hac vita manetis, quia potestis excidere, & destitui gratia justificante, propterea satagite, ut per bona opera

opera eam reddatis in dies certiorem, & firmiorem. Electio enim divina, quamdiù durat hæc vita, non ita firmiter nos ordinat ad ſalutem. quin poſſimus fruſtrari eventu: unde quoad executionem, ſi conſideretur prædeſtinatio ad gloriam, eſt hæc in noſtra poteſtate, quapropter Joan. Apocal. 3. ait: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam,* quòd ſi debemus ſatagare, ut firmiter teneamus quod poſſidemus, ne alius accipiat coronam noſtram, eſt in noſtra poteſtate eam tenere per bona opera, à quibus propterea neminem ceſſandum eſt, ſed firmiter in iiſdem perſeverandum, donec accipiamus coronam.

Sed dices eatenus prædeſtinatio eſt in noſtra poteſtate in ordine executionis, quia per bona opera & perſeverantiam in iiſdem poſſumus eam veluti coronam tenere, ac poſſidere: atqui prædeſtinatio non dependet etiam in ordine executionis à bonis noſtris operibus, ſed ex ſolo Dei beneplacito ergo prædeſtinatio etiam in ordine executionis non eſt in noſtra poteſtate. Minor eſt D. Pauli ad Roman. 9. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ubi Apoſtolus expreſsè ait in electione non haberi rationem operum, quapropter ſubdit: *Ergo non eſt volentis, & currentis, ſed Dei miſerentis,* & nonnullis interjectis vocat *Electos vaſa miſericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam,* hoc eſt electos ex pura Dei miſericordia ad gloriam, quæ propterea, cum non dependeat à noſtris bonis operibus, ſed ex puro, & ſimplici Dei beneplacito, non eſt in noſtra poteſtate in ordine executionis eam tenere vel non tenere:] Contra primo, quia ex textu illo Apoſtoli ad Rom. 9. non infertur electionem ad gloriam non fieri à Deo ex præviſis noſtris meritis cum enim Apoſtolus dicat: *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali* Patres Græci imò & plures Latini ita textum Paulinum intelligunt, ut per verba illa non ex operibus ſolùm excludantur opera jam facta, quæ de facto non erant antequam naſcerentur, non verò excluduntur opera præviſa. Contra ſecundò quia alii Sancti Patres præſertim Auguſtinus interpretantur verba Apoſtoli non de electione ad gloriam nec de dilectione abſoluta, ſed de electione ad gratiam juſtificantem: alioquin, ſi intelligeretur de electione ad gloriam non ad gratiam ſanctificantem, teneremur fateri etiam Eſau & omnes damnandos eſſe reprobatos ante omnem malorum operum præviſionem, quod eſt hæreſis Calviniſtica, Deus enim neminem æternis addicit ſuppliciis niſi ob eorum demerita, & ſcelera. Neque obſtat, quòd Deus dicatur odiſſe Eſau antequam quidquam boni, vel mali egiſſet, quia illud odium non eſt propriè odium, ſed minor benevolentia, & gratia, quæ conferebatur Eſau reſpectivè ad Jacob. Cùm enim nihil boni, vel mali adhuc egiſſent, non potuit Deus in Eſau odiſſe iniquitatem, & peccata jam patrata ab ipſo, nec potuit odiſſe ipſum Eſau ſecundum dona naturalia, & præſidia naturæ, quæ illi ſuppeditavit Deus enim in ſcripturis dicitur amare animas, & nihil odiſſe eorum, quæ fecit, unde verba illa Jacob dilexi & Eſau odio habui dupliciter poſſunt exponi hiſtoricè, primò ut intelligatur id factum non ex operibus, ſed ex ſolo Dei beneplacito, & in hoc ſenſu nomine odii non poteſt intelligi verum odium quo Deus dicatur velle malum Eſau vel ejus poſteris, ſed tantùm minorem amorem in comparatione favoris exhibiti Jacob, in quo ſenſu loquuntur ſcripturæ pluribus in locis præſertim cum Chriſtus Luc. 14. ait: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, vel matrem, uxorem, aut filios adhuc autem & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus,* quorum verborum ſenſus eſt, qui non minus amat iſta quàm me, qui hæc mihi non poſtponit, non poteſt meus eſſe Diſcipulus, unde illud *non odit* ſignificat minori amore eſſe diligendum Patrem vel matrem, uxorem & filios, & majori proſequendum Deum, adeo ut verus Chriſti Diſcipulus præferat amorem Dei amori Patris, matris, uxoris, & filiorum, imò & ſui ipſius, quæ omnia, & ſingula ſunt poſthabenda Deo, quem tenemur impenſiore proſequi amore: & ſupra omnes creaturas: unde illud *odit*, non ſemper in ſcriptura ſignificat velle malum alteri, ſed plerumque velle minus bonum, ſic etiam Geneſ. 29. Cum ſcriptura dixiſſet Jacob magis dilexiſſe Rachelem, quàm Leam, nonnullis interjectis ſubjungit: *Videns Dominus quod odio haberet Liam,* ſeu minus amaret Liam, quæ tamen majori digna videbatur amore, eò quia prior erat, & fœcundior. Cum igitur minora ſigna amoris oſtendimus illi, qui majori videbatur dignus; ita nos gerimus, ac ſi eum odiſſemus. Et ſic, cum Eſau eſſet primo genitus, ac propterea majori videretur amore, & benedictione afficiendus, quàm Jacob frater natu minor, Dominus tamen oppoſitum inſtituit, & in Jacob abundantem benedictionem effundit, & in Eſau longè minorem in quo ſenſu dicitur Eſau odio habitus. Secundus ſenſus Paulini textus eſt ut dilectio quidem ſit ex beneplacito Dei, ſed odium ex peccatis; quo pacto odium accipitur pro vero odio, ſeu voluntate inferendi malum, qui ſenſus videtur conformior ſacræ ſcripturæ: ſiquidem locus Malachiæ, quem hic Apoſtolus adducit expreſsè loquitur de odio illo, quo Deus Idumæos per Chaldæos vaſtari permiſit, & vaſtatos noluit reſtitui; ſicut reſtituit Iſraelem. Illa autem vaſtatio, & non reſtitutio ſtatuta fuit in pœnam peccatorum; Dilectio tamen, qua proſecutus eſt Iſraelem non erat ex meritis ipſorum, ſed ex gratuito Dei beneplacito, unde ex hoc textu Malachiæ vult Apoſtolus oſtendere, hoc teſtimonium congruere cum illa Dei prædictione, Jacob dilexi, Eſau odio habui.] Alii fortaſſis exactiùs exponunt verba D. Pauli de electione ad beneficia hujus vitæ partim temporalia, & partim ſpiritualia. Cum enim Deus elegiſſet Jacob, & poſteritatem ipſius, ut ex illis naſceretur Chriſtus, ſtatuit illos ſingularibus beneficiis proſequi, ac diſponere ad Chriſti adventum, idque non intuitu operum, ſed ex ſuo mero beneplacito: ex hac enim electione proceſſit illa populi intra breve tempus ingens multiplicatio, ut & liberatio ex famulitio Ægyptiaco, protectio, & ſuſtentatio in deſerto, legiſlatio, ſacerdotium, inſtructio, & manuductio in mille difficultatibus, inde enim evenerunt tot divinæ apparitiones, tot exhibitiones præſentis Numinis, quibus inter eos Deus videbatur aſſiduè verſari imò etiam ortæ fuerint plures victoriæ inſignes triumphis præclara trophæa, opima ſpolia, tot proſtrati hoſtes, deleti adverſarii, imò etiam plures ſancti Doctores & Propheta, qui divinam populo voluntatem annunciarunt, & denique ex Jacob ſtirpe ipſe ſanctus Sanctorum cum ſanctiſſima ſua Matre, Præcurſore, & Apoſtolorum Choro, qui omnes ex illa ſtirpe Jacob fuerunt. Eſau verò & ejus poſteris non præparavit tam eximia beneficia tametſi ipſe natu major, id enim factum eſt juxta menſuram donorum Dei, & ordinem divinæ providentiæ, ut ma-

jor

Digitized by Google

jor ſerviet minori, ſeu poſteritas Eſau, qui ſunt Idumæi, poſteris Jacob, qui fuerunt Iſraelitæ, qui propterea majoribus à Deo fuerunt gratiis cumulati, favoribus affecti, ac donis effecti, ut potentiores facti Idumæos debellârunt. Præterea quia ſcopus Apoſtoli fuit oſtendere Deum invocatione ad fidem aut electione ad gratiam juſtificationis non habere ullam rationem operum bonorum, aut malorum etiam internorum ſed omnia facere ex ſimplici, ac nudo ſuo beneplacito ante prævisionem operum concepto, deinde pergit inquiens: *Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum?* ſiquidem cum non habeat operum rationem, & eos qui carent operibus, iis præfert, qui opera habent, poſtea reſpondet, *abſit*, quia ut ipſe ait: poteſt miſereri cui voluerit, ſicut etiam ex his, qui peccarunt cultum exhibentes aureo vitulo pepercit, quibus ipſi placuit, & alios punivit, quos voluit: pari pacto cum Judæi, & gentes peccaverint, poteſt dare ſuam gratiam quibus ipſi placet (placuit autem dare credentibus) & denegare quibus placet ſcilicet Judæis incredulis, tametſi opera habeant, quia ut ſubdit Apoſtolus: *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei:* ſcilicet aſſequi divinas promiſſiones, & veram juſtitiam, id non eſt volentis, nec currentis, Judæi enim & volebant, & currebant, ſcilicet per opera legis, & obſervantias externas, & tamen aſſequi divinas promiſſiones & veram juſtitiam fuit ſolius miſerentis Dei, qui ſtatuit eas implere in credentibus, & hunc locum diſſertè explicat Apoſtolus v. 30. inquiens: *Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam; juſtitiam autem quæ ex fide eſt Iſrael verò ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare quia non ex fide.* Deus ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat, quod tamen non eſt ita intelligendum ut nulla requiratur ex parte hominis ratio, cur Deus miſereatur, vel induret, ſeu à peccatis liberet, vel in peccatis indurari permittat: ſiquidem reſpicit ad Judæos incredulos & Gentes credentes, & illos permiſit in peccatis ſuis ac infidelitate permanere, ſeu obdurari, eò quia tot beneficiis, quibus alliciebantur ad Chriſtum, vidit rebelles eſſe; horum igitur vult miſereri quia fidem Chriſti amplectuntur, pari pacto Pharaonem voluit permittere obdurari, & Iſraelitarum miſereri. Præterea Apoſtolus inducit Judæum objicientem, & accuſantem Deum, quid ergo adhuc quæritur; quaſi injuſtè egerit Deus? ad quòd reſpondet Apoſtolus dupliciter. Primò quia ſummum jus in omnibus Deo ineſt, & non eſt factorum ab ipſo exigenda ratio, cur illud faciat, hoc omittat; Secundò explicando quales, & quomodo induret, & ob quem finem, & reſpondet, perinde ac ſi objectum eſſet Deum non juſtè obduraſſe Judæos, ſed ita reſponſionem moderatur, ut ex ea etiam appareat, quodammodo eum juſtè conquæri de obduratis: dicit ergo *o homo tu, quis es*, qui cum Deo contendas & rationem operum ab ipſo exigas, poteſtne figmentum petere rationem ab Artifice, & conqueri de injuria ſibi facta, quòd talem formam ab eo acceperit, an figulus ex eodem luto non poteſt facere aliud vas ad uſus honoratos, aliud ad infimos? pari pacto poteſt Deus jure ſummi dominii Gentium miſereri, & Judæos ob incredulitatem indurare.

Primus tamen effectus, prædeſtinationis, ſeu prima gratia formaliter ſumpta, & ſecundùm ſe tametſi ſit effectus prædeſtinationis adhuc non eſt ſub noſtra poteſtate ſed tantùm terminativè quatenus terminatur ad liberum noſtrum conſenſum. Siquidem certum eſt de fide primam gratiam dari nobis à Deo omnino gratis, ut in ſuperioribus oſtendimus contra Pelagianos, & Semi-pelagianos quapropter dicitur eſſe in nobis ſine nobis, ſcilicet ſine nobis liberè conſentientibus in quo ſenſu dixerat Apoſtolus ad Roman. 9. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, ergo neque prædeſtinatio ut terminata ad primam gratiam conſideratam formaliter quantum ad ejus productionem, ſeu donationem, & exiſtentiam ſimpliciter cum præciſione à quovis reſpectu ad liberum conſenſum poteſt eſſe in noſtra poteſtate. Secunda pars aſſertionis etiam conſtat, quia prima gratia ſi conſideretur, ut reſpiciens liberum noſtrum conſenſum, & ut talis terminans prædeſtinationem, ſeu actum divinum eſt in noſtra poteſtate, quia tametſi prima gratia ſecundùm ſe formaliter conſiderata non ſit ſub noſtra poteſtate, ut tamen reſpicit liberum noſtrum conſenſum, eſt in noſtra poteſtate inadæquatè ratione talis reſpectus; quia conſenſus cùm ſit liber dependet à noſtra voluntate, quæ poteſt liberè aſſentiri, vel diſſentiri, unde in hoc ſenſu prædeſtinatio dici poteſt inadæquatè eſſe in noſtra poteſtate ratione reſpectus ad actualem conſenſum pendentem eſſentialiter à noſtra libertate. Quinimò etiam prædeſtinatio quoad effectum juſtitiæ finalis & gloriæ eſt ſimpliciter in noſtra poteſtate, quia nemo eſt, qui juſtificari non poſſit, & perſeverare in juſtitia ac ſalvari; ſicut nemo eſt, qui peccare non poſſit, & damnari, ut definitur in Tridentino *ſeſſ. 6. can. 7.* conſequenter prædeſtinatio quoad effectus juſtitiæ finalis, & gloriæ eſt in noſtra poteſtate,] ſed dices: quod eſt præteritum non eſt amplius in noſtra poteſtate; non enim fieri à nobis poteſt, ut quod fuit, non fuerit: ſed decretum divinum cum fuerit factum ab æterno reſpectu noſtri eſt præteritum, ergo cum illud decretum ſit ipſa prædeſtinatio hæc non poteſt eſſe in noſtra libertate, conſequenter qui fuit prædeſtinatus, non poteſt efficere, ut non fuerit prædeſtinatus. Sicut, qui non fuit electus non poteſt efficere ut fuerit electus: ergo prædeſtinatio nullo pacto eſt in noſtra poteſtate.] Sed contra quia tametſi præteritum reduplicativè ut præteritum non ſit in noſtra poteſtate: bene tamen præteritum ſpecificativè ut præteritum, ſeu res ipſa præterita eſt in noſtra poteſtate quamvis non poſſimus nunc facere; ut prædeſtinatio præterita non ſit præterita ex ſuppoſitione, quod ſit præterita: poſſumus nihilominus facere nunc, ut non ſit præterita, quatenus poſſumus nunc non ponere bona opera in ordine ad quæ prædeſtinatio eſt poſita, ſiquidem cùm hæc juxta ordinem executionis fuerit facta ex prævisis noſtris meritis, quæ nos ponimus in tempore: ſicut nos poſſumus in tempore non ponere merita (licet infallibiliter & liberè illa ponamus) ita in hoc ſenſu poſſumus facere nunc, ut prædeſtinatio, quæ dicitur præterita non ſit præterita. Quamobrem abſolutè poteſt quilibet facere nunc ut ab æterno non ſit prædeſtinatus vel reprobatus.

Quòd ſi petas, quomodo prædeſtinatio, & reprobatio ſecundùm doctrinam Catholicam differant à prædeſtinatione, & reprobatione ſecundùm hæreticam Calvini doctrinam? Reſpondetur differre præſertim in tribus. Primò, quia Calvinus docet homines prædeſtinari ad vitam, vel ad mortem ex mero Dei arbitrio, nulla habita ratione ad merita, vel demerita, neque ſecundùm ordinem intentionis, neque executionis, adeo ut Deus ſimpliciter & ex puro ſuo arbitrio deſtinet quoſdam ad gloriam, & alios ad pœnam æternam. Rurſus docet Deum ita ſe gerere circa eos, quos deſtinat ad vitam, ut primò

det

Digitized by Google

det illis fidem & gratiam, à quo excidere nunquam poſſint. Secundò ut eorum peccata quantumlibet gravia illis non imputet, neque ſanct per inhærentem juſtitiam, ſed ſolùm tegat per imputationem juſtitiæ Chriſti. Tertiò ut det illis gratiam ita efficacem ut illi reſiſtere non valeant & quæ ſit ita ſufficiens, ut per eam poſſint ſervare præcepta divina. Circa verò reprobos ait Deum ita ſe gerère, ut primò illis neget omnem gratiam, & fidem, ſecundò ut illos neceſſitet, & omnino adigat ad peccatum. Tertiò ut ita peccantes ad pœnas detrudat æternas, quæ doctrina blaſphema eſt, crudelis, & hæretica contra ſcripturas, & rationem. Catholici verò juxta ſcripturas, & lumen rationis omnino contraria aſſerunt. Primò omnes conveniunt in hoc quòd Deus ſecundùm ordinem executionis neminem velit prædeſtinare ad vitam vel ad mortem niſi ex meritis, & demeritis uniuscujusque, adeo ut Deus nemini det gloriam niſi propter merita, nec ullum æternis addicit ſuppliciis niſi ob demerita, & peccata. Secundò Deus circa electos ita ſe gerit, ut primò ex pura miſericordia & bonitate eos vocet, & alliciat ad ſe per gratiam, adeo ut ſit illis liberum accedere, vel non accedere ad Deum. Tertiò ut det fidem & gratiam in qua ita perſeverent, ut ſit ipſis liberum non perſeverare. Demum ut det illis gloriam partim ex miſericordia, & partim ex juſtitia ratione meritorum. Circa reprobos verò non vult ipſos damnare niſi ob propria demerita, & peccata.

Quod verò ad certitudinem prædeſtinationis attinet, tripliciter poteſt hæc certitudo conſiderari. Primò in ſe ipſa, ſi ita verum ſit & infallibile, quemlibet electum ſalvari, ut repugnat oppoſitum. Secundò reſpectu Dei, an prædeſtinatio ſit ita certa, ut omnino infallibilis ſit cognitio, quam Deus habet de futura gloria prædeſtinatorum, & divinum decretum de danda gloria ſit omnino immutabile, & tertiò an ſit certa reſpectu prædeſtinatorum, adeo ut poſſint prædeſtinati infallibiliter cognoſcere ſuam propriam, & aliorum prædeſtinationem. Certum eſt prædeſtinationem in ſe ipſa eſſe certam, & infallibiliter inferre effectum, idque patet ex ſcripturis Iſaiæ 46. *Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Cum enim actus prædeſtinationis ſit ipſa Dei voluntas qua aliquibus vult dare gloriam, & divina voluntas non poſſit fruſtrari ab ulla creatura, neque dari poſſit quid eidem obſiſtens, ſequitur prædeſtinationem in ſe ipſa ut importantem actum divinæ voluntatis eſſe omnino certam, ac infallibilem, quapropter Joan. 10. ait Chriſtus: *Oves meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Alludit ad creaturam impotentem rapere, vel delere de numero prædeſtinatorum, quos Deus prædeſtinavit. Ad Roman. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*, ubi advertit D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum Apoſtolum propter omnino immutabilem certitudinem non dicere in tempore *glorificat*, ſed in præterito *glorificavit*, & ſubdit, *quid futurum eſt velut factum firmat* juxta illud prophetæ qui *fecit, quæ futura ſunt, in illa quippe immobilitate conſilii ſui ſecundùm beneplacitum ejus in prædeſtinatione jam fecit, quæcunque effectu operis ſui tempore congruo facienda diſpoſuit*, quapropter D. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 11. ait: *Volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle in volentis, & nolentis poſuit poteſtate ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et quamvis in præcitatis locis videatur ſermo eſſe de perſonis ſalvandis, debent adhuc intelligi etiam de mediis: quia prædeſtinatio non poteſt eſſe certa circa perſonas, quin ſimul certa ſit circa media, quibus perſonæ conſequntur gloriam, ut conſtat de gratia finali, quæ eſt unum ex mediis ad aſſecutionem gloriæ, ex cujus certitudine dependet certitudo glorificationis.

Ratio itidem hanc veritatem ſuadet, quia omne Dei decretum abſolutum, & efficax ex parte actus & objectivè neceſſe eſt impleatur, alioquin adeſſet creatura aliqua, quæ poſſet divinæ obſiſtere voluntati; neque providentia divina ſuum aſſequeretur finem ab eadem abſolutè intentum ſed prædeſtinatio in ordine executionis eſt decretum Dei efficax, & abſolutum ex parte actus & objecti; conſequenter neceſſe eſt impleatur, & ſit infallibile, eò quia junctum ſit cum ipſa gloria, quæ infallibiliter ſequitur, ad tale decretum. Illud enim dicitur infallibiliter evenire quod evenit neceſſariò neceſſitate conſequenti, proinde ſi poſito tali decreto gloria evenit neceſſariò neceſſitate conſequenti, ſequitur tale decretum eſſe omnino infallibile, & immutabile.] Sed dices contra aſſertum ex ſcripturis ſatis apertè colligi prædeſtinationem juſtorum non eſſe ita certam, ut ſecum trahat infallibilitatem, quia Apocal. 3. dicitur de prædeſtinatis: *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam:* ſiquidem D. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 13. explicat verba Apocal. de corona gloriæ, quæ eſt effectus prædeſtinationis, conſequenter prædeſtinatio conſiderata ſecundùm ſe non eſt ita certa, ut ſecum trahat omnimodam infallibilitatem. Ruſus hoc idem oſtenditur ex illo Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro viventium.* & Pſalm. 68. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*, unde juvat argumentari: ſcripti in libro vitæ ſunt prædeſtinati: ſed ſcripti in libro vitæ ex ſcripturis poſſunt deleri, ergo prædeſtinati poſſunt non ſalvari, Minor, & conſequentia tenent, oſtenditur major, quia Auguſtinus *lib. de civit. Dei cap.* 15. per librum vitæ intelligit ipſum actum prædeſtinationis: vel ſaltem ut docet D. Thomas 1 part. quæſt. 24. artic. 1. Liber vitæ eſt actus poſterior pertinens ad memoriam, & quod Deus firmiter retinet; ſe aliquos prædeſtinâſſe. Præterea quia 2. Petri 1. hortamur ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, quaſi ipſa de ſe certa non ſit. Sed contra ad primum deſumptum ex Apocal. 3. reſpondet D. Thomas 1. part. quæſt. 23. art. 3. verba illa intelligenda eſſe de corona gloriæ præparata ratione meritorum, ſecundùm præſentem juſtitiam, qua Deus exigit à nobis bona opera ut nobis conferat coronam gloriæ per modum mercedis, & retributionis. Alii verò reſpondent, ibi non eſſe ſermonem de corona gloriæ, ſed de corona dignitatis temporalis ad quam Deus viſibiliter vocat. Ad alia loca Exodi 32. & Pſal. 68. reſpondet D. Thomas loc. cit. art. 3. Scriptum in libro vitæ ratione prædeſtinationis nullo pacto poſſe deleri; bene tamen ſcriptum ſecundùm præſentem juſtitiam temporalem, ſcilicet non per mutationem ipſius libri, quaſi aliquid ſcriptum in illo deleatur, ſed tantùm per mutationem illius, qui ſcriptus erat, quatenus ex juſto ſit injuſtus. Ad aliud deſumptum ex D. Petro reſpondetur D. Petrum non loqui de vocatione, quæ eſt effectus prædeſtinationis neque de electione efficaci æterna, quæ ſupponitur ad prædeſtinatum; ſed tantùm de electione, & vocatione, qua vocamur in tempore, & prout reſpicit conſenſum

Digitized by Google

ſum noſtri liberi arbitrii, qui conſenſus cum ſit in noſtra poteſtate, ideo rectè nos hortatur D. Petrus, ut per bona opera certam noſtram vocationem, & electionem faciamus, eſt ſiquidem in poteſtate liberi arbitrii aſſentiri divinæ gratiæ, vel eidem diſſentiri.] Sed inſtabis, eo ipſo quod prædeſtinatio eſt omnino certa & infallibilis fruſtra prædeſtinatus monetur tenere, quod habet, & hortatur, ut per bona opera certam ſuam vocationem, & electionem faciat: quia quod eſt ab æterno ſimpliciter certum fruſtra dicitur ulterius debere fieri certum: ergo prædeſtinatio non eſt omnino certa infallibilis, & immobilis. Sed contra quia præter datas ſolutiones, quibus ſatis ſit huic inſtantiæ adhuc reſponderi poteſt nos moneri, ut teneamus coronam gloriæ, quam adepti ſumus per bona opera, & poteſt à nobis amitti, non autem monemur, ut teneamus coronam gloriæ ad quam abſolutè ſumus electi & à qua excidere nemo poteſt. Neque D. Auguſtinus per coronam intelligit coronam gloriæ hoc pacto ſumptam. Præterea monet D. Petrus ut per bona opera certam faciam electionem noſtram quia hæc non habetur niſi per poſitionem bonorum operum in ordine executionis, quæ opera etiam dependent à noſtro arbitrio.

Dices ſecundò liberum eſſe prædeſtinato peccare vel non peccare finaliter, conſequenter non eſſe certum quod ſit perſeveraturus in gratia, & conſecuturus vitam æternam. Si enim prædeſtinatus non poſſet liberè peccare vel non peccare, non mereretur declinando peccatum finale: ergo prædeſtinatio non eſt omnino certa, & infallibilis: ſiquidem quamdiu habetur poteſtas ad utrumlibet, tamdiu determinatio ad unum eſt fallibilis, quia poteſt potentia ad oppoſitum ſe determinare. Sed contra quia ut potentia peccandi finaliter cohæreat cum certitudine, & infallibilitate, ſeu immobilitate prædeſtinationis, ſufficit, ſi prædeſtinatus nunquam formaliter de facto peccet, licèt poſſit peccare, quia certitudo prædeſtinationis non eſt certitudo neceſſitatis, quæ deſtruat libertatem; ſed eſt certitudo infallibilitatis, quæ potius adſtruit libertatem: ſiquidem certitudo infallibilitatis in eo præcisè ſimpliciter conſiſtit, quòd prædeſtinatus liberè ſalvetur: ideo autem poteſt liberè ſalvari, quia, quamvis poſſet peccare, non tamen peccat, dum vero non peccat, infallibiliter ſalvatur.] Sed inſtabis contra datam ſolutionem: falſum eſt prædeſtinatum mori in peccato lethali, ergo falſum etiam eſt, poſſe ita mori: probatur conſequentia, quia eo ipſo, quòd alicui repugnat actus, repugnat etiam potentia ad actum, cum potentia conſtituatur per ordinem ad actum, tum quia abſurdum eſt aſſerere prædeſtinatum poſſe de facto damnari, conſequenter non eſt poſſibile prædeſtinatum poſſe damnari: alioquin ſi foret poſſibile, abſurdum non eſſet concedere prædeſtinatum de facto poſſe damnari, quia ex eo, quod poſſibile ponatur in actu nullum inde ſequitur inconveniens. Sed contra quia tametſi verum ſit in ſenſu compoſito cum prædeſtinatione non poſſe mori in peccato lethali, poteſt nihilominus id contingere ſi ſumatur prædeſtinatus ſpecificativè in ſenſu diviſo, quia tunc poteſt mori in peccato lethali. Tametſi alicui repugnet aliquid ex aliqua ſuppoſitione, poteſt tamen illa ſublata hoc idem ei non repugnare. Quòd ſi prædeſtinatus non ſumatur ſpecificativè, ſed reduplicativè, & in ſenſu compoſito conceditur non poſſe mori in peccato lethali: eo enim ipſo, quòd alicui convenit, vel repugnat actus, convenit vel repugnat etiam ipſa potentia: quo pacto propoſitio hæc: Petrus ſedens poteſt ſtare, eſt vera, quia ineſt Petro ſedenti potentia ſurgendi, & ſtandi: ſi tamen illa propoſitio intelligatur in ſenſu reduplicativo & compoſito cum ipſa ſeſſione eſt falſa, quia non ſolum repugnat conjungi ſimul in Petro actus ſtandi, & ſedendi: ſiquidem repugnet Petrum ſimul, & ſemel ſtare, & ſedere, verùm etiam repugnat de poſſibili, quia non eſt poſſibile duo contradictoria ſimul verificari. Quamobrem ſi poſſe ſtare importet poſſibilitatem ſimul & ſemel ſtandi, & ſedendi illa propoſitio eſt falſa reduplicativè, & in ſenſu compoſito. Sin autem propoſitio ſumatur ſpecificativè, & in ſenſu diviſo eſt vera, quia Petro ſpecificativè, ſeu ſecundum ſe conſiderato, & ut præſcindit à ſeſſione non repugnat ſtare actu vel potentia: & ita dicendum eſt de prædeſtinato. Ad aliud quod addebatur eſſe abſurdum concedere prædeſtinatum poſſe de facto damnari reſpondetur, nullum inde ſequi abſurdum, ſi ſumatur prædeſtinatus ſpecificativè quia in ſenſu diviſo poteſt de facto damnari: eo enim ipſo, quòd ponitur hoc eſſe poſſibile, jam tollitur ſuppoſitio, quòd talis homo ſit prædeſtinatus. Quamobrem licèt ſit abſurdum concedere prædeſtinatum reduplicativè, & in ſenſu compoſito poſſe damnari, non tamen abſurdum eſt, hoc idem concedere ſpecificativè.

Quinimò prædeſtinatio etiam reſpectu Dei eſt certiſſima, & omnino immobilis, adeo ut electi omnes qui ſalutem ſunt conſecuti, & quibus Deus eam decrevit dare omnino invariabiliter, & diſtinctè videantur, ac præcognoſcantur à Deo, idque evincitur etiam ex ſcripturis. Numer. 23. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.* Huc etiam pertinet liber ille vitæ. *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita in Jeruſalem*, liber autem vitæ ſignificat cognitionem claram, & diſtinctam Dei, qua poſt decretum ſuæ voluntatis certè, ac diſtinctè cognoſcit eos omnes, quos ad cœlum eſt deſtinaturus, ut docent Theologi cum D. Thoma. 1. *part. quæſt.* 24. imò hoc idem etiam inculcant Sancti Patres, præſertim Auguſtinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 7. ubi ait: *Horum ſi aliquis perit, fallitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Ratio hoc idem etiam ſuadet, quia ſcientia Dei abſoluta & ejus decretum efficax nullo modo poteſt variari, neque enim Deus facere nunc poteſt, ut non decreverit abſolutè eos ſalvare, quos decrevit abſolutè ſalvari; quia omnia motiva & rationes quæ contingunt in tempore, Deus perfectiſſimè cognovit ab æterno, cùm enim ſit omniſcius, cognoſcit etiam ab æterno omnia noſtra opera, tum bona, tum mala, & etiam eos, qui per bona opera ſunt gloriam conſecuturi: conſequenter prædeſtinatio reſpectu Dei eſt certiſſima, & omnino immobilis, ac infallibilis ratione ſuæ infinitæ ſcientiæ qua cognoſcit omnia.] Quòd ſi dicas inde ſecuturum nihil referre, nec prodeſſe homini utrum benè vel malè operetur, nec quòd ſit ſolicitus de propria ſalute. Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis:* ſiquidem poſſet quilibet, ita argumentari vel ſum prædeſtinatus vel reprobus, ſi primum cum ex poſita aſſertione prædeſtinatio ſit ab æterno certiſſima, & immobilis, conſequenter habitura ſit infallibiliter ſuum effectum, quidquid agam ſemper ſalvabor: ſimiliter ſi ſum ex numero reproborum infallibiliter damnabor, eò quia mea ſententia jam data eſt ab æterno, & illa eſt irrevocabilis, & ita argumentantur Calviniſtæ. Secundo ſequeretur fruſtraneas, & inutiles eſſe orationes pro peccatoribus reducendis ad pœnitentiam,

Digitized by Google

quia nihil ipſis prodeſſet pœnitere : ſi irrevocabiliter damnandi eſſent: quo pacto eſſent illuſoriæ ſanctæ inſpirationes , & internæ gratiæ , quibus Deus peccatores ad ſe allicit. Rurſus ſequeretur veras non eſſe illas ſcripturas quæ teſtantur Deum paratum eſſe ad ſalvandum homines ut 2 Reg. 14. *Non vult Deus perire hominem , ſed retractat , ne penitus pereat , quia abjectus eſt ,* non eſſet enim retractare ſi decreto irrevocabili ſtatuiſſet ab æterno id , quo poſito abjectus infallibiliter periret , neque verificaretur illud Iſaiæ 3. *Propterea expectat Deus ut miſereatur veſtri :* fruſtra enim expectaret , ſi immutabiliter decreviſſet non miſereri : ſimiliter non eſſet verum illud 2 Petri 3. *Patienter agit propter vos nolens aliquem perire , ſed omnes ad pœnitentiam reverti,* eſſent enim hæc, & alia plura ſcripturæ verba omnino illuſoria non enim poſſet intelligi quomodo vellet omnes ad pœnitentiam reverti , ſi efficaciter ſtatuiſſet ab æterno non concedere illis pœnitentiam ? Contra eſt , quia ex infallibilitate divinæ prædeſtinationis non ſequuntur prærecenſita abſurda , quia ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 2. Deus per prædeſtinationem non ſolùm prædefinit dare gloriam electis , verùm etiam media imò & merita ipſa ratione quorum dat in executione ipſam gloriam, perinde ac in naturalibus non ſolùm Deus prædefinit abundantiam meſſis, & vindemiæ, verùm etiam ipſa media ad talem finem conſequendum cujuſmodi ſunt pluviæ ſuo tempore , æſtus ſolares, & alia ſimilia , quæ conducunt ad hunc finem , unde ut homines conſequantur gloriam , eſt ipſis neceſſarium adhibere media , ſeu exercere bona opera : perinde ac Agricolæ eſt neceſſarium , ut abundantiam fructuum ſuo tempore percipiat agrum excolere , ſemina jacere, & alia exequi, quæ terræ cultura exigit. Hinc D. Thomas infert debere nos Deo preces effundere eumque enixè exorare non quidem ut noſtris precibus divinas diſpoſitiones immutemus , ſed ut ea impetremus , quæ Deus facere decrevit mediis noſtris orationibus.] Sed inſtabis poſſet quiſpiam adhuc reſpondere : ſi Deus decrevit ab æterno me bene operaturum rectè operabor : ſin autem non ita decreverit , nunquam rectè ero operaturus ergo non eſt neceſſe , ut ſim ſolicitus de bonis operibus. Sed contra , quia omnino inepta eſt hæc illatio, perinde ac ſi quis dicat , vel Deus decrevit ab æterno me eſſe hodie moriturum vel non ſi primum quidquid agam, non poſſum declinare meam mortem hodiernam : ſi ſecundum ergo tametſi ex altiſſima turri me deorſum demittam præcipitem coram populorum frequentiis non moriar , & mirabile de me ipſo ero ſpectaculum exhibiturus : ergo ſi poſſum plures , lucrari pecunias exhibendo tale ſpectaculum non eſt , cur eas non lucrer , quia ſi Deus non decrevit ab æterno meam mortem hæc mihi non obtinget. Ratio hujus ineptæ illationis eſt , quia quamvis certum ſit me non rectè operaturum ; quia tamen non ſum rectè operaturus coactè , ſed liberè , ita Deo diſponente ; ideo teneor rectè operari , & ſolicitum eſſe de bonis operibus cumulandis. Ad ſecundam , & tertiam inſtantiam conſtabit ex infra dicendis reprobationem poſitivam non fuiſſe factam ante viſionem demeritorum , ſed poſt viſionem impœnitentiæ finalis : quamobrem cum certum ſit nullum reprobari , niſi poſt viſionem omnium peccatorum , & finalis impœnitentiæ rectè cum poſitiva reprobatione cohæret voluntas antecedens dandi omnibus ſalutem : hæc enim voluntas ut ſuperiùs explicuimus eſt tantùm abſoluta ex parte actus , & conditionata objectivè , adeo ut nullus hominum ſalutem conſequatur , niſi purificet conditionem per culturam virtutum , & ſtudia bonorum operum , exhibitionem meritorum , & finalem perſeverantiam in gratia : hæc enim omnia exigit Deus à nobis ut per modum executionis nobis conferat ſuam gloriam , quæ propterea dicitur corona juſtitiæ merces retributio , & præmium.

Rurſus eſt etiam prædeſtinatio omnino certa certitudine cauſalitatis ex vi divinæ prædefinitionis , ita docet D. Thomas 1. *part. quæſt.* 23. *art.* 6. & *quæſt.* 6. *de verit. art.* 3. ubi ait : Refundere certitudinem prædeſtinationis ad ſolam præſcientiam , & non in ſolam cauſalitatem , & efficaciam divinæ voluntatis eſſe contra ſacram ſcripturam hoc idem etiam docet Scotus in 1. *diſtinct.* 39. & *diſt.* 41. & deſumitur ex D. Auguſtino *lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap.* 16. & *ſequent.* & *lib. de corrept.* & *gratia. cap.* 7. & *lib. de bono perſeverantiæ cap.* 7. & expreſſiùs *cap.* 17. & *ſeq.* & communiter Sancti Patres hoc idem docent , ratio ex eo etiam petitur , quia prædeſtinatio prout infallibiliter nectitur cum gloria , & de qua in præſenti loquimur includit voluntatem abſolutam , & efficacem , quæ eſſentialiter , & per ſe infert effectum , certè & infallibiliter : ſed quoties certitudo effectus fundatur in certitudine cauſæ, à qua ſequitur infallibiliter talis effectus, eſt certus certitudine etiam cauſalitatis , & non ſolùm præſcientiæ.] Si dicas voluntatem divinam comprehenſam in prædeſtinatione non eſſe abſolutam , & efficacem , niſi habito reſpectu ad conſenſum liberi arbitrii creati , ut præcognitum futurum ante ipſam prædeſtinationem per ſcientiam mediam , in qua ut in prima radice fundatur certitudo prædeſtinationis. Contra eſt, quia auxilia, quæ Deus confert prædeſtinatis in tempore , ut media præparata per prædeſtinationem ad conſecutionem gloriæ, ſunt efficacia in actu primo ante conſenſum liberi arbitrii creati : ergo eodem modo eſt efficax voluntas dandi eadem media & gloriam, quam prædeſtinati conſequuntur per eadem media. Rurſus ſi certitudo prædeſtinationis non ſumeretur ex cauſalitate voluntatis divinæ efficacis ; ſed ex ſola ſcientia media nullo habito reſpectu ad efficacitatem auxiliorum gratiæ inde ſequeretur quod non poſſet aſſignari diſcrimen inter prædeſtinatos , & reprobos in ordine ad auxilia gratiæ , ſed tantùm in ordine ad libertatem eorumdem , hinc radix differentiæ inter prædeſtinatum , & reprobum eſſet propria voluntas ipſius prædeſtinati , contra Apoſtolum 1 ad Cor. 4. *Quis te diſcernit , quid habes quod non accepiſti ; ſi accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis ?*] Si dicas iterum conſenſum liberi arbitrii non eſſe infallibilem, antequam præſciatur , ac proinde prædeſtinationem non eſſe infallibilem , ac certam ante præſcientiam conſenſus liberi arbitrii , quia ut prædeſtinatio conjungatur de facto cum gloria requiritur neceſſariò conſenſus liberi arbitrii ; hic autem conſenſus eſt contingens , utpote oriens à noſtro libero arbitrio, & nequit determinatè præſciri futurus. Contra eſt , quia tametſi conſenſus liberi arbitrii ſit contingens adhuc poteſt eſſe determinatè futurus , & infallibiliter ex vi divini decreti , & auxilii efficacis , quo Deus monet certè , & infallibiliter liberum arbitrium ad præſtandum liberè conſenſum. Sed poſſet quis inſtare : voluntas abſoluta dandi media efficacia ad gloriam ſupponit in Deo , ſcientiam , quâ certè, & infallibiliter cognoſcat, talia media eſſe efficacia : conſequenter certitudo, & efficacitas , quam habet hæc voluntas in cauſando oritur radicaliter à tali ſcientia. Antecedens liquet , quia omnis actus divinæ voluntatis ſupponit actum intellectûs , quia volun-

Digitized by Google

expreſſe aſſerit primam vocationem intrinſecam provenire ex meritis Chriſti, ait enim in quo (ſcilicet in Chriſto) etiam ſorte vocati ſumus: hoc idem etiam definivit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. inquiens: declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum JEſum præveniente gratia ſumendum eſſe exordium: hoc eſt ab ejus vocatione.] Ratio itidem hoc evincit: ſiquidem juxta modum naturalem cauſandi cauſarum naturalium illa cauſa, quæ producit formam, producit etiam diſpoſitiones ad illius introductionem; ſed vocatio, & prima gratia eſt diſpoſitio ad quaſi formam prædeſtinationis & ad gratiam ſanctificantem; ergo eo ipſo quod Chriſtus nobis promeruit formam juſtificationis & prædeſtinationis promeruit etiam primam gratiam, ſeu vocationẽ, quæ eſt diſpoſitio ad talem formam. Non tamen aſſerimus per illas particulas *In Chriſto, & per Chriſtum* eſſe intelligendam cauſam efficientem phyſicam, ſed tantum moralem & meritoriam, adeo ut Chriſtus ſit tantum cauſa meritoria, & moralis noſtræ prædeſtinationis de condigno. Ratio cur non ſit cauſa phyſica ſaltem reſpectu Patrum veteris teſtamenti, ex eo liquet, quia cauſa phyſica ut phyſicè cauſet, debet exiſtere, unde Chriſtus defectu exiſtentiæ ſuæ humanitatis non potuit eſſe cauſa efficiens phyſica prædeſtinationis reſpectu Patrum antiqui teſtamenti.] Quod ſi dicas illas præterecenſitas cauſales *per Chriſtum, & in Chriſto* non eſſe referendas ad Chriſtum ut hominem, ſed ut Deum: eo pacto quo Apoſtolus ad Coloſ. 1. ait: *Conditi, & creati in ipſo, & per ipſum,* quæ verba non poſſunt intelligi de Chriſto ſecundùm humilitatem, quia Chriſtus ut homo non fuit cauſa, ut eſſemus conditi, & exiſteremus in rerum natura, ſed ſolus Deus rerum omnium conditor. Sed contra quia Apoſtolus aperte aſſerit nos eſſe prædeſtinatos per Chriſtum tanquam per Mediatorem, ut communiter aſſerunt ſancti Patres, eo autem ipſo quod ſumus prædeſtinati per Chriſtum tanquam per mediatorem jam ſumus prædeſtinati per Chriſtum ſecundum humanam naturam, quia Chriſtus ſecundum divinam naturam, & ut eſt Deus nequit eſſe Mediator. Præterea quia paſſim in ſcripturis præmia ſupernaturalia quæ hominibus dantur vocantur præmia, & habent rationem mercedis operum Chriſti ut Iſaiæ 53. *Si poſuerit animam ſuam videbit ſemen longævum:* ergo Chriſtus merito ſuæ paſſionis nobis obtinuit æternam ſalutem ſecundum humanitatem & prout Chriſtus erat homo, ſiquidem ut Deus non erat capax paſſionis, nec meriti.

Probatur ſecundo quia ex eo, quod Deus prædeſtinaverit hominem propter merita Chriſti nullum ſequitur incommodum neque inconveniens: ſiquidem Chriſti merita utpote præſtantiſſima digna erant tali præmio, imo & etiam alio longe majori: & ex alio capite, ex eo quod homines ſint prædeſtinati per Chriſti merita, cedit in majorem Dei gloriam, Chriſti et noſtram: etenim manifeſtantur luculentius divina attributa divinæ juſtitiæ reſpectu Chriſti, & miſericordia reſpectu hominum, unde per hanc prædeſtinationem hominum ob Chriſti merita, habetur major Dei gloria extrinſeca ratione clarioris manifeſtationis divinorum attributorum. Quod etiam cedat in majorem Chriſti gloriam ex eo patet, quia augetur efficacia meritorum illius, & homines fiunt ipſi magis debitores. Rurſus quod etiam decentius ſit reſpectu hominum ex eo claret, quia cedit in majorem honorem hominum, quod ſint prædeſtinati ex meritis tanti capitis, ſeu Chriſti cujus nos membra ſumus.] Sed dices ſi homines eſſent prædeſtinati per Chriſti merita eſſet ipſis debita prædeſtinatio ad gloriam: ſed prædeſtinatio non eſt hominibus debita conſequenter non ſunt homines prædeſtinati propter Chriſti merita. Sequela majoris evincitur, quia ſemel quod unus homo ſolvit pretium alicujus rei pro altero res illa cenſetur alteri debita pro quo fuerat pretium ſolutum: ergo ſi Chriſtus meruit gratiam, & prædeſtinationem noſtram ſequitur poſt exhibitionem meriti Chriſti debitam eſſe nobis prædeſtinationem, & gratiam.] Hinc argumento reſpondent aliqui negando ſequelam majoris, & ejus probationem, quantum ad paritatem, & aſſignant diſcrimen, quia Chriſtus ita exhibuit pretium noſtræ ſalutis, ut tamen Deus ſibi reſervaverit applicare Chriſti merita hominibus, prout ipſi magis placuerit, adeo ut hæc applicatio ſe tenens ex parte Dei ſit pura gratia non ſolum reſpectu noſtri, ſed etiam reſpectu ipſius Chriſti, perinde ac inter homines, ſi unus ſolvat pretium pro re aliqua diſtribuenda uni, vel alteri, aut pluribus, ita tamen ut relinquatur in arbitrio alterius eligere has vel illas perſonas, quibus res illa diſtribuenda ſit, cenſetur gratia diſtributoris electio hujus vel illius perſonæ, quia potuiſſet rem illam aliis diſtribuere, verum hæc ſolutio patitur difficultatem quia Chriſtus ſua paſſione meruit etiam nobis applicationem efficacem ſuorum meritorum, & quidem ad eaſdem perſonas, quæ de facto prædeſtinantur. Unde reſpondetur adeſſe diſcrimen, quia Chriſtus ita ſuis operationibus ſolvit pretium redemptionis noſtræ ut non tranſtulerit in nos dominium, neque ipſe ceſſerit juri ſuo prout erat Deus, & homo quia non poteſt Deus privare ſe dominio aliquo cùm ratione ſupremi Principis creatoris rerum omnium conveniat eſſentialiter diſpoticum, ac pleniſſimum dominium ex quo ſit, quod cum homines non acquiſiverint diſpoticum, & totale dominium ſupra merita Chriſti, non ſit illis debita prædeſtinatio ad gratiam, & gloriam. Secus inter homines eo ipſo quod unus ſolvit pretium pro alio cedit juri ſuo, & transfert dominium rei illius pro qua pretium ſolvit in eum, pro quo ſolvit.

Sed dices ex D. Paulo ad Epheſ. 1. habetur; Nos prædeſtinatos eſſe in Chriſto ſecundum conſilium ſuæ voluntatis, & propoſitum ejus in laudem gloriæ, & gratiæ ſuæ: ex quo ſequitur noſtram prædeſtinationem eſſe omnino gratuitam, & ex ſola liberali Dei voluntate, conſequenter non ſunt homines prædeſtinati propter merita Chriſti. Sed contra negatur hæc ultima conſequentia quia ut homines dicantur prædeſtinati ex benefica Dei voluntate, & gratuita ſufficit, ſi nihil ponatur ex parte hominum, adeo ut homines ſibi non promeruerint prædeſtinationem quamvis ex parte Chriſti ponatur pretium redemptionis noſtræ, & meritum propter quod prædeſtinamur: & hoc explicari poteſt exemplo juſtificationis, qua gratis dicimur juſtificari ex eo ſolum quia nihil eorum, quæ juſtificationem ex parte noſtra anteceſſerunt, meruerit noſtram juſtificationem, ut declarat Concilium Tridentinum Seſſ. 6. can. 8. Quamvis certum ſit homines juſtificari ex meritis Chriſti, ut definit idem Concilium Seſſ. 6. can. 10. Apoſtolus igitur non excludit merita Chriſti, quia cum prius dixiſſet nos prædeſtinatos eſſe in Chriſto, & poſtea Deum nos prædeſtinaſſe ſecundum conſilium ſuæ voluntatis, & ejus propoſitum in laudem, gloriæ, & gratiæ ſuæ, ſequitur quod prædeſtinatio includat utrumque & Chriſti merita, & Dei propoſitum.] Sed inſtabis, quia Chriſtus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, ut explicat D. Auguſtinus lib. de bono perſeverant. cap. ult. Sed Chriſtus ita prædeſtinatus fuit, ut nullum meritum proprium vel alienum fue-

Digitized by Google

fuerit cauſa ejus prædeſtinationis; ergo ſi Chriſti prædeſtinatio eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, ſequitur noſtram prædeſtinationem non fieri propter merita Chriſti vel noſtra, ſed eſſe merè gratuitam, & ex ſola liberali Dei voluntate, ac non eſſe homines prædeſtinatos propter merita Chriſti. Sed contra, quia cum Chriſti prædeſtinatio dicitur eſſe exemplar noſtræ prædeſtinationis, ſenſus non eſt, quod ſicut Chriſti prædeſtinatio non eſt propter merita propria aut aliena, ita noſtra prædeſtinatio non ſit propter merita Chriſti ſed tantum dicatur exemplar noſtræ prædeſtinationis, quia ſicut Chriſtus prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem, ita & nos prædeſtinati ſumus per gratiam juſtificantem, & conſummatam in gloria ad filiationem Dei adoptivam, ut infertur ex illo Apoſtoli ad Roman. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Chriſti igitur prædeſtinatio, ut dicatur cauſa exemplaris noſtræ prædeſtinationis non eſt neceſſe, quod præ ſe ferat omnimodam ſimilitudinem, ſed ſufficit quod ſicut Chriſtus prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem, ita & nos ſimus prædeſtinati ad filiationem adoptivam ex meritis Chriſti, quamvis Chriſtus ſit prædeſtinatus abſque ullo merito ad naturalem filiationem.

Dices Deum priùs decreviſſe homines liberare à peccato originali, & illos ad gratiam, & gloriam prædeſtinare, quam verbum aſſumpſerit carnem poſſibilem, quia in omnium ſententia incarnatio Chriſti in carne poſſibili ordinata fuit à Deo in remedium humanæ redemptionis adeo ut redemptio humani generis fuit Deo ratio decernendi Verbi incarnationem, ut conſtat ex ſcripturis ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere factus ſub lege ut eos, qui ſub lege erant, redimeret*: Sed quod eſt volitum propter aliud eſt poſterius illo in intentione, eo quia ſit medium ad illud: volitio enim finis ſemper eſt prior volitione mediorum: unde ſi ex ſcripturis conſtat Deum decreviſſe Verbi incarnationem propter redemptionem hominis lapſi, hæc redemptio fuit finis Incarnationis Verbi, conſequenter priùs intenta, quam Verbi incarnatio: ſicque prædeſtinatio efficax hominum ad gloriam præcedit decretum incarnationis; quod ſi ita eſt, non potuit Chriſtus mereri noſtram prædeſtinationem, quia quod eſt poſterius nequit eſſe cauſa prioris. Sed contrà, quia illa in Deo voluntas efficax redimendi hominem lapſum, quo per modum intentionis intelligitur præcedere decretum Incarnationis non fuit electio illa particularis hominum ad gloriam, & quæ includitur in ipſa prædeſtinatione ratio eſt manifeſta, quia decretum de redimendis hominibus fuit univerſale circa omnes homines tam prædeſtinatos, quam reprobos: Sed hæc electio ſpecialis, & abſolute efficax hominum ad gloriam non reſpicit omnes homines, ſed quoſdam tantum in particulari, qui de facto gloriam conſequuntur: Ad id quod addebatur Verbi incarnationem decretam fuiſſe propter redemptionem hominis lapſi, adeo ut hominum redemptio fuerit finis Incarnationis Verbi reſpondetur, redemptionem hominis lapſi, fuiſſe prius volitam in intentione, quia ſtat, noſtram juſtificationem eſſe finem Incarnationis Verbi, & ſimul eſſe medium ad gloriam Chriſti, & exaltationem Sanctiſſimi ſui nominis: quia cum gloria Chriſti diſtinguatur ab ejus Incarnatione, & morte, nullum ſequitur inconveniens, quia idem reſpectu diverſorum in eodem genere cauſæ poteſt eſſe cauſa & cauſatum: unde Chriſti incarnatio præciſè ſumpta eſt medium noſtræ redemptionis, quæ dicitur finis incarnationis: noſtra verò redemptio, & prædeſtinatio ad gratiam, & gloriam ſunt, media ad exaltationem nominis Chriſti; & quia hæc exaltatio diſtinguitur ab incarnatione, ideo reſpectu diverſorum incarnatio poteſt eſſe medium noſtræ redemptionis, & noſtra redemptio medium exaltationis nominis Chriſti.

Hinc ſi quæras qualis ſit ordo ſecundum noſtrum concipiendi modum, quem Deus ſervaverit in Chriſti prædeſtinatione, & noſtra. Calvinus putat eundem eſſe ordinem utriuſque; putat enim Deum in primo inſtanti ante præviſa omnia merita quoſdam efficaciter ad gloriam prædeſtinâſſe, & alios ad æterna ſupplicia. In ſecundo ſigno ordinâſſe peccatum Adæ, & totius humani generis eo fine: ut juſtitiam ſuam erga reprobos & miſericordiam erga prædeſtinatos poſſet exercere. In tertio dediſſe prædeſtinatis Chriſtum redemptorem, fidem; juſtificationem, & perſeverantiam, & reprobos reliquiſſe abſque ullo præſidio gratiæ, imò & inſtigaſſe ad peccatum, ut eos juſtè punire poſſet, quæ Calvini doctrina quam falſa ſit, ſuperius jam oſtendimus.

Ex Catholicis Scotus aſſignat hunc ordinem, vult enim in primo inſtanti Deum ex tota hominum multitudine nondum præviſo peccato originali elegiſſe quoſdam ad gloriam, & inter illos Chriſtum hominem, & circa reliquos ſe habuiſſe negativè. In ſecundo ſigno voluiſſe illis dare media, quibus pervenirent ad gloriam, & circa alios iterum ſe habuiſſe negativè. In tertio ſigno voluiſſe permittere peccatum Adæ, & reliqua cæterorum hominum, quæ inde ſecuta ſunt, ac prævidiſſe illa omnia futura. In quarto ſigno voluiſſe Chriſtum venire in carne poſſibili (venturum alias in carne impoſſibili) ut ſuis meritis obtineret gratiam iis, qui in primo inſtanti erant electi, & prædeſtinati, cæteros autem in eodem inſtanti præviſis jam eorum peccatis reprobâſſe. Qui tamen ordo diſplicet in eo quod aſſerit Chriſtum electum eſſe cum aliis in primo inſtanti ante præviſum peccatum originale quia inde ſequitur electionem aliorum non fundari in meritis Chriſti & Chriſtum fuiſſe venturum, tametſi Adam non peccaſſet, quæ duo difficulter poſſunt concedi. Secundo etiam diſplicet, cum aſſerat Deum in primo & ſecundo inſtanti circa reprobos ſe habuiſſe negative. Etenim habuit quidem ſe negative quoad punitionem, quia non voluit eos punire ante præviſum peccatum; tum quoad efficacem electionem ad gloriam, quia nemini voluit efficaciter eam dare niſi ex præviſis meritis; non tamen quoad ſimplex deſiderium beandi, quia quantum eſt ex ſe vult Deus omnes homines ſalvos fieri & perduci ad æternam beatitudinem.

Ex Thomiſtis plures aſſignant hunc alium ordinem ut Deus in primo inſtanti viderit totum genus humanum veluti maſſam corruptam, & infectam peccato originali. In ſecundo ſigno & quoſdam ex illa maſſa elegerit ad beatitudinem reliquis relictis, & reprobatis propter peccatum originale. In tertio cogitaverit de mediis, quibus electos perduceret ad beatitudinem eique occurrerit Incarnatio Verbi. In quarto ut illi placuerit hoc medium, in quinto imperaverit ut ita fieret. Qui ordo etiam videtur difficultatem pati: primo quia aſſerit Deum in primo inſtanti vidiſſe totum genus humanum quaſi maſſam corruptam, & contaminatam peccato originali antequam ſtatueret de Chriſti Incarnatione, quia inde ſequeretur Beatam Virginem non ſolùm contraxiſſe peccatum originale & cum eo fuiſſe præviſam, verum etiam non potuiſſe Chriſtum eam à tali macula

Digitized by Google

cula præſervare: quia ſicut ante Chriſti prædeſtinationem omnes fuerunt prævifi cum peccato originali naſcituri, meritum Chriſti non potuit quidquam illis prodeſſe, ut ab eo præſervarentur; quia prior eſſet præſervatio, ſi alicui concederetur quam Chriſti meritum. Secundo quia in hoc ordine aſſeritur in ſecundo inſtanti quosdam eſſe electos ante præviſam Chriſti Incarnationem, & alios reprobatos propter peccatum originale, quia ex priori ſequitur electionem non fundari in meritis Chriſti; & ex poſteriori multos poſt peccatum originale per baptiſmum remiſſum adhuc damnari propter originale; ſi propter illud reprobati ſunt.

Exactius videtur poſſe hic ordo aſſignari, ſi dicamus, quod Deus in primo ſigno ab æterno ſtatuit creare totum humanum genus propter æternam beatitudinem decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato objective adeo ut ex parte Dei velit quidem omnes homines ſalvos fieri dummodo iſti velint bene, uti non abuti mediis ad illam, & ſi in ſtatu gratiæ perſeverent. Unde in ſecundo ſigno ex hac voluntate decrevit illis dare gratiam, & condere in ſtatu innocentiæ eisque permittere uſum liberi arbitrii, in quo continetur etiam permiſſio peccati, ut nimirum oſtenderet gratiam non fuiſſe hominibus debitam, ſed ex ſua mera bonitate collatam. In tertio vidit primum hominem cum tota ſua poſteritate lapſum in peccatum: & omnes homines in Adamo peccaſſe, ut in capite, quatenus voluntates poſterorum virtualiter comprehendebantur in voluntate Adæ, ut capitis totius humani generis. In quarto ſigno decrevit liberare hominem mediante ſatisfactione de condigno. Et in quinto ſigno ſtatuit Verbi divini Incarnationem, & Chriſtum, ut Medium unicum ad talem ſatisfactionem exhibendam: In ſexto ſigno ſtatuit merita Chriſti diverſo modo applicare hominibus: ſiquidem Beatam Virginem & potuit, & voluit præſervare à peccato originali per merita Chriſti; reliquos omnes permiſit concipi, & naſci in peccato originali. In ſeptimo ſigno ex meritis Chriſti vult omnibus hominibus dare media ſufficientia & alia ſua dona ſupernaturalia hominibus, qui ſi bene illis utantur, velit etiam uberiora auxilia dare, quibus bene operentur: in octavo præſcit eos qui rectè utuntur donis ſupernaturalibus, & perſeverant in operibus bonis, & exercitiis virtutum usque ad ultimum vitæ; & alios prævidet, qui iisdem mediis abutuntur, & negligunt ſtudia virtutum, ut indulgeant vitiis, & illos ex præviſione meritorum decreto executivo deſtinat ad gloriam, & iſtos ob præviſa demerita & peccata ad æterna ſupplicia. Hinc dicimus illud generale propoſitum Dei, quo ſtatuit creare humanum genus, illudque ordinare ad æternam felicitatem in ſtatu intentionis non proceſſiſſe ex præviſis Chriſti meritis ſaltem quoad determinationem perſonarum vel gradus gloriæ vel bonorum operum, ſed ex nudo Dei beneplacito, & ſimplici miſericordia, ratio eſt quia in illo primo ſigno nondum intelligitur Chriſtus à Deo prædefinitus in redemptione humani generis, quia nondum fuit in illo ſigno præviſum Adæ peccatum: in executione tamen hæc omnia decreta ſunt ex meritis Chriſti, adeo ut ſit Chriſtus cauſa moralis, & meritoria noſtræ prædeſtinationis quoad executionem. Cum enim Deus ex ſuo beneplacito elegiſſet omnes ſalvandos ad ſuum quemque gradum, cæteris negativè reprobatis, & illis prædefiniviſſet omnia opera bona gratiam congruam, & perſeverantiam voluit hoc totum exequi per Chriſti merita, unde Chriſti humanitati hæc omnia ſua decreta revelavit, vel in ſe ipſo oſtendit, ut illis ſe conformaret, & ſua merita ad illorum executionem dirigeret: Scilicet ut ſingulis electis gratiæ congruæ opera bona & finalis perſeverantiæ conferrentur ſuis temporibus, ut prædefinita decreta ex divino beneplacito.] Neque inde ſequitur Chriſtum fuiſſe merum Executorem eorum, quæ à Deo decreta ſunt absque poteſtate aliquid ſtatuendi, aut alicui gratificandi, quia ex ſcripturis conſtat Chriſtum habuiſſe poteſtatem plura inſtituendi, & non tantum exequendi Joan. 13. *Sciens quia Pater dedit ei omnia in manus:* Dare autem omnia in manus perinde eſt ac dare ipſi omnem poteſtatem, quod expreſſius indicatur Matth. 28. Cum dicitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes.* Neque verba hæc intelligi debent de ſola poteſtate exequendi, quæ à Deo prædefinita, & decreta erant, non autem de poteſtate aliquid novi ſtatuendi, quia hoc non videtur conforme uſitatæ formæ loquendi, ſiquidem merus Executor decretorum Principis non dicit, ſibi datam omnem poteſtatem adminiſtrandi regni, quia habet tantum illam limitatam, nec poteſt excedere præſcriptos limites de mandato ſuæ executionis: unde non poſſunt præfata verba intelligi de nuda executione, ſed de plena poteſtate gubernandi mundum, & ea quæ in cœlo, ac in terra, ſicut expedire judicabit (ſervatis generalibus divinæ providentiæ regulis) ad hominum ſalutem, nec non ad meritum ſuæ paſſionis illis communicandum, quod ſi Chriſtus merita ſuæ paſſionis communicat prædeſtinatis, jam non eſt ſolus executor, ſed etiam inſtitutor talis ordinationis, qua vult ſua merita ordinari, ad hos vel illos homines, hinc in Pſal. 2. inducitur Chriſtus ita loquens: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ:* Unde non fuit in Chriſto ſola poteſtas exequendi, verum etiam poteſtas petendi à Patre, quos voluerit ſocios in hæreditatem adſciſcere: quod inſuper Joan. 15. ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis, & fructum adferatis, & fructus veſter maneat.* Et Joan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus eſt:* Hiſce verbis apertè ſignificat hanc electionem non fuiſſe ſimplicem executionem mandati alterius, ſed ſuum beneficium, adeo ut in ſua poteſtate fuerit illis prætermiſſis alios eligere, ſi voluiſſet. Cum igitur Chriſtus debitum totius humani generis pretio ſui ſanguinis divinæ ſolverit juſtitiæ, cui & reconciliationem meruit, decuit ut non eſſet merus executor decretorũ Patris, ſed ut poſſet etiam de ſalute hominum plura ſtatuere, uberiora, vel etiam minora auxilia ei tribuendo, quo tempore, loco, & occaſione illi conſultius viſum fuerit, imo & quibus perſonis ipſi magis placuerit, etenim ſi in poteſtate ipſius fuit eligere Apoſtolos & Diſcipulos, quos placuit, cur non etiam majorem, vel minorem gratiam his vel illis pro ſuo arbitrio conferret? Neque refert, quod prædeſtinatio, & electio tribuatur Patri & divinitati hujus, quia hi actus cum ſint æterni non cadunt in Chriſti humanitatem. Præterea quia ſunt actus providentiæ, quæ tribuuntur Patri. Hoc inquam non obſtat, quin prædeſtinatio poſſit eſſe ex meritis, & ſpeciali petitione ac effectu præviſo Chriſti, erga hunc vel illum hominem. Etenim etiam trahere ad Chriſtum, revelare filium, & dare filio oves tribuitur Patri, eò quia inſpiratio fidei fiat ex virtute divinitatis, quod enim fit ex hac virtute ſolet Patri tribui, quo pacto miracula Patri tribuuntur, unde ajebat Chriſtus *Pater in me manens ipſe facit opera,*

&

Digitized by Google

& tamen ex inde non ſequitur hæc omnia abſoluta voluntate à Patre ante prævisionem petitionis Chriſti fuiſſe decreta vel Chriſtum non potuiſſe de iis aliter ſtatuere, aut Chriſtum non potuiſſe pro ſuo arbitrio miracula facere, quia etiam de Chriſto dicitur, quod elegerit, quos voluerit, quòd vocaverit, & revelaverit Patrem quibus voluerit: ſiquidem virtus divina in Chriſto affectui efficaci humanitatis quodamodo obſequitur, perinde ac ſi humanitati intrinſeca eſſet.] Præterea quia ſi Chriſtus fuiſſet merus executor decretorum Dei, ſeu æterni Patris omnia ipſius opera fuiſſent prædefinita, nec potuiſſet omittere quidquam eorum, quæ fecit, nec alio tempore, loco, modo, vel alia opera facere quàm fecit, quod non videtur aſſerendum, quia id non congruit libertati, & dignitati Chriſti, etenim Chriſtus cùm fuerit Deus & homo clarè intuebatur omnes illas prædefinitiones & decreta abſoluta in mente divina, conſequenter voluntas ipſius neceſſariò ſe illis accommodabat, neque ullo modo poterat ab iiſdem recedere, quia ſicut viſio clara divinæ eſſentiæ intrinſecè determinat voluntatem videntis ad amorem Dei, ita viſio clara talium decretorum determinat illam ad volendum, & faciendum, quod decretum eſt, ita nec voluntas poteſt adhuc non velle vel facere aliter. Voluntas enim Dei abſoluta clarè demonſtrata Beatis de opere aliquo faciendo habet vim præcepti, & non ſine noxa quis eidem diſſentiretur: ſiquidem cognoſcunt eſſe impoſſibile ut id non impleatur, quòd Deus velit adimpleri. Præterea eſſet maxima in Deum irreverentia nolle ſe divinæ voluntati accommodare, ex quibus ſequitur, quòd ſi Chriſtus fuiſſet merus executor, & non plurium inſtitutor nullam in ſuis operibus habuiſſet libertatem.] Neque obſtat, quòd Chriſtus Joan. 12. aſſerat: *Ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar,* quia inde non ſequitur Chriſtum fuiſſe merum, & ſimplicem executorem decretorum Patris, quia Joan. 12. loquitur de ſubſtantia doctrinæ ſuæ, erat enim ut ipſum acceptarent in Meſſiam promiſſum, ac in eum crederent; de hoc enim habebat Chriſtus mandatum, non verò de omnibus, & ſingulis, quæ tota vita ſua dixit & fecit; & hunc eſſe ſenſum illius textûs, patet ex eo, quod ſequitur: *Et ſcio quia mandatum ejus vita æterna eſt*, ſeu verba, & doctrina, quam mihi mandavit vobis tradere ducunt ad vitam æternam, qui eam ſuſcipiunt, hinc alibi ait Chriſtus: *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Præterea quia Chriſtum dicitur ex ſe nihil locutum eſſe, ceu qui non ex humana ratione, ſed ex revelatione Patris omnia habuit, quæ aliis revelaret, ſcilicet omnia ex lumine gloriæ, quod acceperat à Patre, hoc enim ad omnia myſteria clarè introſpicienda ſe extendit. Chriſtus igitur non fuit merus executor Paternorum decretorum absque ulla poteſtate ſtatuendi, ſed potuiſſet multa de hominum ſalute, & gratia illis conferenda pro ſua ſapientia, & arbitrio ſtatuere.] Quinimò valdè credibile eſt ſupremum regimen rerum humanarum conſequenter etiam omnium Angelorum, & totius mundi ſibi commiſſum fuiſſe, quatenus tendit ad ſalutem hominum, id enim videtur colligi ex verbis illis Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra:* Quomodo enim poteſt intelligi habere omnem poteſtatem, ſi non poſſit de omnibus aliquo modo diſponere ſcilicet in ordine ad ſalutem hominum. Præterea quia omnia ſigna, & prodigia, quæ præcedunt univerſale judicium fient imperio Agni, ejuſque virtute; ſiquidem ipſius eſt aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus, ut habetur Apocal. cap. 5. Hæc autem apertio fiet rerum gubernatione, ac immiſſione plagarum, quibus mundus ultimis temporibus ob impietatem moleſtabitur. Inſuper quia Chriſtus eſt caput totius humani generis, & ſicut caput ſuo ſenſu regit omnia membra, ut rex terrenus totum regnum, omneſque ſubditos de quorum functionibus, officiis, dignitatibus, & ſtatu decernit, hinc unus Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, pro omnibus ſolvit pretium ſui ſanguinis, pro omnibus ſatisfecit divinæ juſtitiæ, & auxilia ſufficientia ex parte ſua promeruit omnibus hominibus. Sicque conveniebat, ut propriam haberet libertatem in ſuis meritis applicandis, & ne reſtringeretur in omnibus ad ſolam executionem decretorum æterni Patris. Præterea quia in Chriſto tanta fuit ſapientia, ut in omnibus clarè cognoſceret, quid expediret ad majorem Patris gloriam, & quid ejus voluntati ac ordini providentiæ eſſet magis conſentaneum; ac proinde non fuit conveniens quod omnia in particulari per decreta abſoluta æterni Patris exequeretur. Sicut in regno terreno gubernator generalis eſt inſtrumentum regis, quo ipſe totum regnum adminiſtrat, eique ſolam generalem inſtructionem ad finem à ſe intentum tradit, quam ſequatur: & res particulares juxta varias circumſtantias loci, & temporis, & perſonarum ejus prudentiæ, & arbitrio committuntur: perinde humanitas Chriſti in magna illa totius univerſa republica, & præſertim in eccleſiæ regimine quæ ſpecialiùs dicitur regnum ipſius, & rebus humanis gubernandis eſt univerſale, & immediatum inſtrumentum quo divinitas utitur ad hominum ſalutem, ac proinde habet omnem poteſtatem in res omnes creatas, quatenus conveniens eſt ad hunc finem ſervatis tantum generalibus, quibuſdam divinæ providentiæ regulis, & ſtatutis, ſi quæ alia à divinitate ſint ad bonum univerſale decreta independenter à Chriſti voluntate: in hoc enim regimine Chriſti humanitas ad executionem opera utitur Angelorum & Sanctorum juxta illud eccleſiæ in præfatione: *Per Beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præeſſe Paſtores.*] Credibile itidem eſt applicationem meritorum, & diſtributionem gratiarum magna ex parte ex Chriſti pendere arbitrio, ac proinde ad ipſum eſſe jugiter recurrendum non ſolum ut ad Deum, & Dominum cujus Majeſtatem ut peccatores meritò poſſimus horrere, ſed veluti ad fratrem conſortem naturæ noſtræ, & cohæredem, in cujus manu ſit ſalus & damnatio noſtra, qui ex iis, quæ paſſus eſt didicit compati infirmitati, & miſeriæ fratrum ſuorum.

Quod verò ad aliam attinet quæſtionem, an merita alicujus hominis juſti poſſint eſſe cauſa meritoria prædeſtinationis alterius hominis, certum eſt, quæſtionem non poſſe procedere de cauſa meritoria de condigno, cùm certum ſit nullum purum hominem poſſe mereri alteri prædeſtinationem de condigno, perinde, ac eam nobis Chriſtus meruit. Sed quæſtio de cauſa meritoria ſaltem de congruo, num merita alicujus hominis juſti & ſancti poſſint eſſe cauſa meritoria de congruo prædeſtinationis alterius hominis, an verò bonum illud ſit ſemper effectus hujus prædeſtinationis ut cùm D. Stephanus Protomartyr oravit pro Paulo, potuerit oratio illa eſſe cauſa vel effectus prædeſtinationis Sancti Pauli: fuiſſet cauſa ſi illi inſpirata non fuit ex voluntate efficaci ſalvandi Paulum, ſed oratio illa potiùs Deo fuit ratio, ut efficaciter intenderet ſalutem divi Pauli ad pri-

Digitized by Google

primam ejus vocationem. Fuiſſet eadem oratio effectus prædeſtinationis Sancti Pauli: ſi fuit inſpirata S. Stephano ex efficaci voluntate convertendi D. Paulum quem noluit ſalvare, niſi mediante oratione illa fuſa à S. Stephano. Vasquez diſput. 94. cap. 5. vult opera unius hominis juſti perſæpe eſſe cauſam totius prædeſtinationis alterius quam ſententiam ſequuntur plures recentiores. Verum communior ſententia docet cum D. Thoma 1. *part. quaſt.* 23. *art.* 3. hujuſmodi opera eſſe tantùm effectus prædeſtinationis alterius. Dicendum eſt bona opera alicujus hominis juſti interdum eſſe primum effectum prædeſtinationis alterius hominis per quem conſequentes omnes effectus cauſentur, & probari ſolet ex Auguſtino lib. de bono perſeverant. cap. 22. ubi ait: *Qui nondum ſunt vocati pro eis ut vocentur oremus, ſortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, ut noſtris orationibus concedantur; ut accipiant eandem gratiam efficaciter electi:* ergo ſi ex Auguſtino per merita, & preces juſtorum poteſt impetrari aliis hominibus prima vocatio, ſequitur opera meritoria hominis juſti poſſe eſſe primum effectum prædeſtinationis alterius hominis, adeo ut conſequentes omnes effectus ut prima vocatio efficax juſtificatio, & glorificatio cauſetur per ipſum primum effectum. Hoc idem confirmat D. Auguſtinus ad Simplicianum quæſt. 2. ubi ait: *Quod Paulus per orationem S. Stephani primam illam accepit vocationem efficaciſſimam, qua converſus eſt.* Eandem ſententiam docent S. Proſper. D. Gregorius, S. Thomas, & alii communiter aſſerentes prædeſtinationem juvari per preces Sanctorum, adeo ut juſtorum merita ſint media, per quæ Deus intendat exequi effectus prædeſtinationis. Ratio eſt, quia primus effectus prædeſtinationis non eſt neceſſario intrinſecus ipſi prædeſtinato; ſed poteſt eſſe extrinſecus, & præcedere primam vocationem intrinſecam cujus poteſt eſſe cauſa meritoria. Rurſus quia nullum apparet inconveniens in eo quod Deus ex voluntate ſalvandi ullum hominem inſpiret aliis bona opera, quo pacto viris Apoſtolicis inſpirat, ut laborent, & orent pro ſalute multorum, quos per talia bona opera intendit vocare & ſalvare: ſed tunc opera illa bona ſunt effectus prædeſtinationis alterius cauſantque plures alios effectus ejuſdem prædeſtinationis: etenim S. Stephanus oravit ex affectu ſalutis Pauli & Deus ex eodem affectu potuit illi inſpirare preces illas fundere; conſequenter bona opera juſtorum poſſunt eſſe primus effectus prædeſtinationis alterius hominis. Præterea quia eccleſia orat pro infidelibus ut convertantur, & ut Deus illos vocet ad fidem, unde oratio illa ab eccleſia fuſa ad Deum pro converſione infidelium eſſe poteſt primus effectus prædeſtinationis infidelium. Ratio itidem eſt quia eo ipſo, quòd preces, & merita ſunt effectus prædeſtinationis illius, ſequitur non eſſe cauſam prædeſtinationis illius; quia non poteſt idem reſpectu ejuſdem habere rationem cauſæ, & effectus. Antecedens oſtenditur, quia non repugnat Deum decreviſſe dare gloriam D. Paulo, & decreviſſe etiam ut medium ad illam orationes, & preces S. Stephani: ergo talis oratio ex ſuppoſitione quod Deus ita decreverit, fuit effectus prædeſtinationis D. Pauli. Vaſquez verò cenſens oppoſitum verum ait: poteſt homo juſtus mereri alteri primam gratiam de congruo, & primam vocationem ſed prima vocatio & gratia eſt effectus primus prædeſtinationis alterius, & cauſatur de congruo per bona opera alterius, ergo poteſt homo juſtus mereri alteri prædeſtinationem. Sed contra negatur minor; ſi nomine vocationis intelligatur illa ſola gratia intrinſecè exiſtens in eo qui vocatur: quia nomine primæ gratiæ veniunt etiam omnia alia dona extrinſeca, quæ conducunt ad ipſam vocationem: & ſicut preces hominis juſti impetrant alteri à Deo primam vocationem quæ eſt effectus prædeſtinationis; ita preces illæ quas effundit Deo homo juſtus pro ſalute alterius ſunt etiam effectus prædeſtinationis alterius, cui impetratur à Deo prima vocatio quæ propterea non eſt primus effectus talis prædeſtinationis, quia ſupponit alios effectus priores, & extrinſecos ſcilicet bona opera viri juſti, quæ illi impetrant à Deo primam vocationem intrinſecam.

Inſtabis orationes, & merita Chriſti applicata aliis non fuerunt effectus prædeſtinationis illorum; ſed vera cauſa talis prædeſtinationis, ergo quamvis preces, & merita juſtorum applicentur alteri ut convertatur & impetrent illi à Deo primam vocationem, aliosque effectus prædeſtinationis, adhuc erunt cauſa prædeſtinationis illius, cùm ſit utrinque par ratio. Sed contra, eſt enim diſcrimen inter Chriſti merita & aliorum hominum juſtorum: quia cum Chriſtus fuerit à Deo conſtitutus ut univerſalis hominum redemptor, neceſſum erat, ut ejus merita præcederent electionem efficacem, & in executione hominum ad gloriam, & conſequenter omnes effectus prædeſtinationis, ut poſſent eſſe cauſa illius. Secus alii homines cùm non fuerint à Deo conſtituti, ut Chriſtus, quamvis eorum merita poſſint eſſe primus effectus prædeſtinationis alterius, non ita cauſa. Quamvis potuerit Deus ita res diſponere ut preces tum Chriſti, tum Sanctorum eſſent cauſæ vel effectus prædeſtinationis de facto tamen ita non diſpoſuit, nec ordinavit; quia voluit, ut ſolus Chriſtus eſſet nobis propitiatio, ſanctificatio, & redemptio. Sed urgebis, ſi opera meritoria, & preces hominis juſti poſſunt eſſe primus effectus prædeſtinationis alterius: ſequitur primam vocationem non eſſe primum effectum prædeſtinationis, ut ſuperiùs fuit conceſſum; ſed hoc dici nequit: ſiquidem eo ipſo, quod daretur effectus aliquis prædeſtinationis, qui eſſet prior prima vocatione poſſet aliquis ſibi promereri, beneficio talis effectus præcedentis, primam vocationem, & tamen non mereri ſibi totam prædeſtinationem, quod eſt contra expreſſam doctrinam D. Auguſtini, ergo merita unius juſti non poſſunt eſſe effectus alterius ſed contra, quia prima vocatio eſt ſemper primus effectus prædeſtinationis inter illos, qui intrinſecè inhærent homini electo non verò eſt primus effectus ſimpliciter in ordine ad omnes effectus intrinſecos, & extrinſecos: quia inter effectus, qui poſſunt eſſe extrinſeci ipſi electo, dantur effectus prædeſtinationis, qui præcedunt primam vocationem intrinſecam: ſi enim Petrus mereretur ſibi primam vocationem, utique mereretur etiam ſibi totam prædeſtionem, quia nullum ejus opus bonum præcedens primam ſuam vocationem eſſe poteſt effectus ſuæ prædeſtinationis: ſin autem Petrus mereretur primam vocationem alterius non mereretur totam ejus prædeſtinationem: ſiquidem reperitur in Petro aliquod opus, quod præcedit primam vocationem alterius.

Inſtabis iterum, ratio cur homo juſtus per bona opera nequeat eſſe cauſa prædeſtinationis alterius eſt, quià Chriſtus per ſua merita nobis promeruit prædeſtinationem, adeo ut cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis ſint merita Chriſti, quatenus Deus voluit, ut ſolus Chriſtus nobis eſſet juſtitia, propitiatio, ſanctificatio, & redemtio: ſed hæc ratio non obſtat, quo minus preces, & merita alicujus viri juſti, & ſancti poſſint eſſe cauſa noſtræ prædeſtinationis,

Digitized by Google

tionis, ergo adhuc preces & merita alicujus viri juſti poſſunt eſſe cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis. Major, & conſequentia tenent, oſtenditur minor, quia ſicut poſitio Chriſti meritis ratione quorum habetur tota cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, adhuc cauſata illa eſt per merita Beatiſſimæ Virginis, conſequenter poteſt etiam noſtræ prædeſtinatio cauſari per merita aliorum juſtorum. Sed contra negatur minor ad cujus probationem reſpondetur Beatam Virginem fuiſſe quidem electam in aliquo ſigno ante alios electos, qua ratione dicitur à Sanctis Patribus primogenita Unigeniti filii, & primiceria electionis, quia per Beatiſſimam Virginem Matrem Chriſti parabatur omnibus ſalus, quapropter congruum erat, ut ipſa omnium prima participaret ex pignore fructum ſalutis, ut adſtruit D. Ambroſius in Lucam. Cum igitur Beata Virgo fuerit prælecta; potuerunt per illam ut cauſam conjunctam Chriſto & ſubordinatam eligi poſtea cæteri homines ad gloriam, ac prædeſtinari in ordine executivo; & quia hæc ratio non valet pro aliis hominibus juſtis, ideo ex eo quòd Beatiſſima Virgo ſit quodammodo cauſa prædeſtinationis noſtræ, non ſequitur merita aliorum juſtorum poſſe eſſe cauſam meritoriam noſtræ prædeſtinationis. Hinc nullum opus bonum puri hominis poteſt eſſe cauſa meritoria totius prædeſtinationis alterius hominis, quia ante præviſa merita cujusvis puri hominis Chriſtus meruit ſpecialem electionem omnium prædeſtinatorum: conſequenter non poteſt tota noſtra prædeſtinatio cauſari à meritis ullius puri hominis. Præterea quia ut Chriſtus ſit cauſa totius electionis, ſeu prædeſtinationis etiam ſpecialis, neceſſe eſt, ut ſingulis electis applicuerit ſua merita, adeo ut facta applicatione ſequatur efficax electio, ſed applicatio meritorum Chriſti antecedit merita omnium aliorum hominum: ergo non poteſt meritum puri hominis cauſare totam prædeſtinationem alterius, adeo ut ſit cauſa meritoria illius.

CAPUT VIII.

Quomodo prædeſtinatio ſit in noſtra poteſtate, & quam certitudinem habeamus de illa.

PRædeſtinatio dupliciter ſumi poteſt, ſicut & ſalus juxta uſitatum modum loquendi ſcripturarum, completè ſcilicet & incompletè. Sicut igitur ſalus completa eſt viſio beata actu acquiſita; & incompleta eſt gratia juſtificationis, quæ in ſcripturis vocari etiam ſolet ſalus, beatitudo, vita æterna, & juſti in hoc ſenſu dicuntur ſalvati, & ſalutem conſecuti, imò & Beati, ac habere in ſe ipſis vitam æternam: ſiquidem perfecta ſalus, & vita æterna juſtitiæ eſt debita, continetur enim æterna ſalus, ſeu gloria in gratia ſanctificante veluti in ſemine, & ob hanc cauſam omnes juſti dicuntur in ſcripturis prædeſtinati, electi & dilecti ab æterno, quia ſcilicet ad juſtitiam prædeſtinati ſunt, conſequenter quantum ex parte Dei ad cætera omnia neceſſario pro ſalute conſequenda. Perinde prædeſtinatio alia eſt completa, incompleta alia ratione ſeriei objectorum, ad quæ ſe extendit. Completa eſt, quæ ſe extendit ad totam ſeriem mediorum, quibus homo re ipſa ſalutem aſſequitur. Incompleta dicitur, quæ ſe profert tantùm ad aliquam ſeriem beneficiorum, quibus ad ſalutem tenditur, & præſertim ad gratiam juſtificantem: quamvis enim omnis divina providentia ſit in ſe perfectiſſima, & completiſſima, attamen ut ad completam vel incompletam mediorum ſeriem terminatur, poteſt denominari ratione objecti, & affectus, ut per ſe conſtat, hinc D. Auguſtinus lib. de bono perſeverant. cap. 14. deſcribens prædeſtinationem completam aſſerit: *Eam eſſe, quæ eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur* ubi complectitur totam ſeriem gratiarum, quibus perducimur ad ſalutem: & ponit rationem prædeſtinationis in hujus ſeriei præparatione, ſeu in voluntate eam conferendi. Per hanc ſeriem beneficiorum aſſerit nos certiſſimè liberari, eò quia in hac contineantur etiam bona opera, & perſeverantia in finem. Hæc enim ſunt beneficia Dei, quibus libertatem gloriæ filiorum Dei certiſſimè aſſequimur, ut docet D. Auguſtinus. Quod ſi loquamur tantùm de auxiliis prævenientibus, per hæc non ita certiſſimè dicimur liberari; nimirum certitudine quæ oriatur præciſè ex vi auxiliorum, ſed certitudine proveniente ex vi ſcientiæ divinæ, illa enim beneficia prævenientia non ſunt hujusmodi, ut ex nuda illorum efficacia, quàm per ſe, & in actu primo habent, poſſit certo eventus ſalutis præſciri (quia tunc eorum effectus non penderet à concurſu liberi arbitrii, nec poſſet impediri) ſed certitudo talis eventus naſcitur ex vi divinæ ſcientiæ, quæ ad omnes eventus liberos ſive abſolutè, ſive ex hypotheſi futuros ſe extendit. Per eam enim Deus certiſſimè novit, quòd voluntas humana cum tali gratiarum ſerie ſit factura. Sicut igitur prædeſtinatio completa eſt præparatio omnium mediorum, quibus homo liberatur, extendens ſe ab ipſo hominis ortu usque ad extremum vitæ Spiritum, ita prædeſtinatio completa eſt præparatio mediorum à primo ortu usque ad ſtatum gratiæ juſtificantis quocunque tempore in eo fuerit homo, excluſo tamen ultimo vitæ termino, in quo non poteſt amplius à juſtitia excidere ſiquidem quamdiu poteſt excidere, prædeſtinatio ut extendit ſe ad media ſalutis, quæ usque ad illud punctum ſunt illi collata, adhuc cenſetur incompleta, & poteſt quis adhuc deleri de libero vitæ; quando verò non poteſt amplius excidere, tunc cenſetur completa. Ratio eſt, quia cùm prædeſtinatio nihil ſit aliud, quam præparatio mediorum ſalutis, quamdiu ſeries mediorum non eſt completa ipſa quoque prædeſtinatio dicitur incompleta; & ubi illa ſeries terminatur, ibi quoque terminatur prædeſtinatio; ex quo liquet veritas præcedentis aſſerti, neminem poſſe ſuam prædeſtinationem mereri, non quia prædeſtinatio ſit quid æternum, & non diſtinguatur ab ipſa eſſentia divina, hoc pacto nec impii dicuntur mereri propriam reprobationem, quæ ſimiliter æterna ſit, ac divinæ eſſentiæ identificata; loquimur enim non de ipſa ſubſtantia talium actuum, ſed de eorundem terminatione ad aliqua objecta creata, & quæ ſub meritum cadere poſſit, & ratio, cur non poſſimus mereri noſtram prædeſtinationem, eſt, quia non poſſumus mereri primam vocationem, ſeu primam gratiam, ac illuminationem divinam, qua primum elevamur ad ſtatum ſupernaturalem: ſiquidem opera moralia intra naturæ limites, & quæ ſola ante hanc vocationem fieri poſſunt, nullam habent ad hunc ſtatum condignitatis, nec congruentiæ proportionem, quia ſemper opera moralia præcedentia primam gratiam ſunt intra

intra limites naturæ, & in ordine inferiori, & carent proportione cum donis supernaturalibus, ergo est impossibile, quòd possit homo sibi mereri proprium prædestinationem secundùm quod hæc terminatur ad illa objecta creata, quæ possunt sub merita cadere: siquidem prædestinatio dependet ab illa serie auxiliorum supernaturalium, quæ nectuntur cum gloria æterna, & hæc series suum ducit initium à prima gratia seu vocatione, à qua dependent reliqua auxilia supernaturalia, & quia per opera moralia intra limites naturæ non potest homo sibi promereri primam gratiam, à qua dependet tota series bonorum operum, sequitur non posse suam mereri prædestinationem, alioquin si posset purus homo sibi mereri primam gratiam, non videretur ratio, cur non posset etiam promereri suam prædestinationem: siquidem habita prima gratia & per illam operando posset de congruo majorem & ulteriorem sibi comparare gratiam & per hanc aliam gratiam usque ad justificationem, qua obtenta posset progredi merendo usque ad mortem, quo pacto tota series gratiarum, quibus perducimur ad salutem caderet sub meritum, consequenter etiam prædestinatio, quæ nihil aliud est, quam præparatio harum gratiarum; & in hoc sensu negant Sancti Patres posse homines esse causam suæ prædestinationis, & præsertim D. Augustinus lib. de prædestinat. Sanctor. Siquidem Semipelagiani contra quos disputat toto illo libro asserebant fidem esse ex nobis, & per fidem nos mereri primam gratiam, consequenter etiam electionem, & prædestinationem; ajebant enim Massilienses, hominem per fidem eligi ac prædestinari; quam sententiam refutat Augustinus negando fidem esse ex nobis, ostenditque esse donum Dei proinde provenire ex gratia, & prædestinatione.

His præmissis certum est prædestinationem sumptam pro ipsa substantia actus divini non esse in nostra potestate, quia quod est in nostra potestate potest à nobis effectivè causari ut per se patet, & cum actus divinus utpote identificatus cum divina substantia, & sumptus quoad substantiam & in recto non possit à nobis causari, non enim actus divinus dependet à creaturis non est in nostra potestate. Rursus certum est, prædestinationem sumptam in recto per modum intentionis non esse in nostra potestate; siquidem prædestinatio per modum intentionis præcedit merita prædestinatorum fit enim ante visionem meritorum, ut fusè ostendimus in præcedentibus: si autem talis prædestinatio esset in nostra potestate non fieret ante visionem meritorum, quia nos non possemus causare illam prædestinationem nisi moraliter, & per merita, quæ forent causa meritoria talis prædestinationis: ergo cum prædestinatio hæc per modum intentionis fiat ante prævisa nostra merita non possunt hæc moraliter illam causare; quia quod est posterius, non potest esse causa prioris. Sin verò sumamus prædestinationem secundùm ordinem executionis, & consideretur speciatim, ut terminata ad aliquem peculiarem prædestinatum, & ad aliquem partialem effectum, potest in hoc sensu dici esse in nostra potestate, quia secundùm hunc ordinem executionis, & quia in tempore confertur gloria prædestinatis in particulari, causatur quoad terminum, seu gloriam à nostris meritis, & confertur à Deo propter nostra merita, adeo ut Deus ab æterno absolutè, & efficaciter decreverit nobis conferre gloriam propter nostra merita. Sed hæc sunt in nostra potestate, quia fundantur in actibus liberis, qui erant in nostra potestate ut elicerentur vel non elicerentur, consequenter prædestinatio per modum executionis, & ut terminata ad gloriam ex prævisis nostris meritis, est in nostra potestate, in quo sensu dicitur Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*, unde cum sit in nostra potestate credere, & non credere, est etiam in nostra potestate prædestinatio per modum executionis, & ut terminata ad gloriam cum hæc non conferatur nisi credentibus. Rursus Matth. 10. dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit*, ubi perseverantia finalis ponitur sub nostra potestate, saltem quoad cooperationem divinæ gratiæ. Secundum enim hunc ordinem executionis intelligitur vulgatum illud effatum, quod tribui solet Augustino: *Si non es prædestinatus fac ut prædestineris*, adeo ut beneficio divinæ gratiæ, quam nobis Deus impertitur, possimus eidem cooperari, ac in bonis operibus perseverare mediante divino auxilio, non enim Deus invitat, ut eos excludat à prandio, ut liquet ex parabola illa de invitatis Matth. 22. ubi cum plurimi diligenti cura, & solertia regis vocati essent ad nuptias, & plerique nollent venire dixit Paterfamilias: *Multi sunt vocati, sed pauci electi*, & non ob aliam causam pauci electi, nisi quia pauci voluerunt venire, quòd si plures venissent, sicut multi erant vocati, sic fuissent & multi electi, hinc Theophylactus expendens hæc verba Matthæi ait: *Vocare enim est Dei, electum autem fieri aut non electum etiam est nostrum*; & illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare*, ubi apertè indicatur regnum cœlorum ab æterno esse præparatum justis ob prævisa eorum opera, ut colligitur ex particula illa causali *enim* hoc est, quia esurivi, & dedistis mihi manducare, ideo possidete paratum vobis regnum, quod propterea in executione non datur nisi propter bona opera, tum quia similiter dicitur reprobis: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo, & angelis ejus*, sed hic ignis non est paratus diabolo nisi ob prævisa ejus demerita, consequenter neque regnum est justis paratum nisi ob prævisa eorum merita, habetur enim antithesis electorum, & reproborum; bonorum operum & malorum regni, & ignis æterni. Firmatur etiam ex illo Matth. 20. ubi etiam Scriptura meminit præparationis regni ait enim Christus Discipulis suis: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, ubi Sancti Patres intelligunt hanc præparationem esse ex prævisis meritis, hinc S. Cyrillus lib. 10. Thesaur. cap. 6. ait: *Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in præscientia Patribus illis quos excessus certandi commendaverit.* Rursus hoc idem confirmat parabola operariorum Matth. ubi intelligimus quomodo Deus nobiscum in negotio salutis agat, proponit enim operariis mercedem accipiendam non tamen absolutè, sed conditionatè, si voluerint in vineam suam venire, & diurnum laborem ibi præstare: pari pacto æternus Paterfamilias vocat omnes ad gloriam, quam nobis exhibet ut mercedem non tamen absolutè, sed conditionatè si bene fuerimus operati, adeo ut in executione nobis non detur merces seu regnum cœlorum nisi præcesserint opera bona hinc 2 Petri 1. dicitur: *Satagite fratres ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*, quasi diceret estis vocati, & electi ad æternam vitam, hæc est vestra electio & vocatio, sed adhuc incerta, quamdiu in hac vita manetis, quia potestis excidere, & destitui gratia justificante, propterea satagite, ut per bona opera

Digitized by Google

opera eam reddatis in dies certiorem, & firmiorem. Electio enim divina, quamdiù durat hæc vita, non ita firmiter nos ordinat ad ſalutem. quin poſſimus fruſtrari eventu: unde quoad executionem, ſi conſideretur prædeſtinatio ad gloriam, eſt hæc in noſtra poteſtate, quapropter Joan. Apocal. 3. ait: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam,* quòd ſi debemus ſatagare, ut firmiter teneamus quod poſſidemus, ne alius accipiat coronam noſtram, eſt in noſtra poteſtate eam tenere per bona opera, à quibus propterea neminem ceſſandum eſt, ſed firmiter in iiſdem perſeverandum, donec accipiamus coronam.

Sed dices eatenus prædeſtinatio eſt in noſtra poteſtate in ordine executionis, quia per bona opera & perſeverantiam in iiſdem poſſumus eam veluti coronam tenere, ac poſſidere: atqui prædeſtinatio non dependet etiam in ordine executionis à bonis noſtris operibus, ſed ex ſolo Dei beneplacito ergo prædeſtinatio etiam in ordine executionis non eſt in noſtra poteſtate. Minor eſt D. Pauli ad Roman. 9. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ubi Apoſtolus expreſsè ait in electione non haberi rationem operum, quapropter ſubdit: *Ergo non eſt volentis, & currentis, ſed Dei miſerentis,* & nonnullis interjectis vocat *Electos vaſa miſericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam;* hoc eſt electos ex pura Dei miſericordia ad gloriam, quæ propterea, cum non dependeat à noſtris bonis operibus, ſed ex puro, & ſimplici Dei beneplacito, non eſt in noſtra poteſtate in ordine executionis eam tenere vel non tenere:] Contra primo, quia ex textu illo Apoſtoli ad Rom. 9. non infertur electionem ad gloriam non fieri à Deo ex prævisis noſtris meritis cum enim Apoſtolus dicat: *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali* Patres Græci imò & plures Latini ita textum Paulinum intelligunt, ut per verba illa non ex operibus ſolùm excludantur opera jam facta, quæ de facto non erant antequam naſcerentur, non verò excluduntur opera præviſa. Contra ſecundò quia alii Sancti Patres præſertim Auguſtinus interpretantur verba Apoſtoli non de electione ad gloriam nec de dilectione abſoluta, ſed de electione ad gratiam juſtificantem: alioquin, ſi intelligeretur de electione ad gloriam non ad gratiam ſanctificantem, teneremur fateri etiam Eſau & omnes damnandos eſſe reprobatos ante omnem malorum operum prævisionem, quod eſt hæreſis Calviniſtica, Deus enim neminem æternis addicit ſuppliciis niſi ob eorum demerita, & ſcelera. Neque obſtat, quòd Deus dicatur odiſſe Eſau antequam quidquam boni, vel mali egiſſet, quia illud odium non eſt propriè odium, ſed minor benevolentia, & gratia, quæ conferebatur Eſau reſpectivè ad Jacob. Cùm enim nihil boni, vel mali adhuc egiſſent, non potuit Deus in Eſau odiſſe iniquitatem, & peccata jam patrata ab ipſo, nec potuit odiſſe ipſum Eſau ſecundum dona naturalia, & præſidia naturæ, quæ illi ſuppeditavit Deus enim in ſcripturis dicitur amare animas, & nihil odiſſe eorum, quæ fecit, unde verba illa Jacob dilexi & Eſau odio habui dupliciter poſſunt exponi hiſtoricè, primò ut intelligatur id factum non ex operibus, ſed ex ſolo Dei beneplacito, & in hoc ſenſu nomine odii non poteſt intelligi verum odium quo Deus dicatur velle malum Eſau vel ejus poſteris, ſed tantùm minorem amorem in comparatione favoris exhibiti Jacob, in quo ſenſu loquuntur ſcripturæ pluribus in locis præſertim cum Chriſtus Luc. 14. ait: *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, vel matrem, uxorem, aut filios adhuc autem & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus,* quorum verborum ſenſus eſt, qui non minus amat iſta quàm me, qui hæc mihi non poſtponit, non poteſt meus eſſe Diſcipulus, unde illud *non odit* ſignificat minori amore eſſe diligendum Patrem vel matrem, uxorem & filios, & majori proſequendum Deum, adeo ut verus Chriſti Diſcipulus præferat amorem Dei amori Patris, matris, uxoris, & filiorum, imò & ſui ipſius, quæ omnia, & ſingula ſunt poſthabenda Deo, quem tenemur impenſiore proſequi amore: & ſupra omnes creaturas: unde illud *odit*, non ſemper in ſcriptura ſignificat velle malùm alteri, ſed plerumque velle minus bonum, ſic etiam Geneſ. 29. Cum ſcriptura dixiſſet Jacob magis dilexiſſe Rachelem, quàm Leam, nonnullis interjectis ſubjungit: *Videns Dominus quod odio haberet Liam,* ſeu minus amaret Liam, quæ tamen majori digna videbatur amore, eò quia prior erat, & fœcundior. Cùm igitur minora ſigna amoris oſtendimus illi, qui majori videbatur dignus; ita nos gerimus, ac ſi eum odiſſemus. Et ſic, cum Eſau eſſet primògenitus, ac propterea majori videretur amore, & benedictione afficiendus, quàm Jacob frater natu minor, Dominus tamen oppoſitum inſtituit, & in Jacob abundantem benedictionem effundit, & in Eſau longè minorem in quo ſenſu dicitur Eſau odio habitus. Secundus ſenſus Paulini textus eſt ut dilectio quidem ſit ex beneplacito Dei, ſed odium ex peccatis; quo pacto odium accipitur pro vero odio, ſeu voluntate inferendi malum, qui ſenſus videtur conformior ſacræ ſcripturæ: ſiquidem locus Malachiæ, quem hic Apoſtolus adducit expreſsè loquitur de odio illo, quo Deus Idumæos per Chaldæos vaſtari permiſit, & vaſtatos noluit reſtitui; ſicut reſtituit Iſraelem. Illa autem vaſtatio, & non reſtitutio ſtatuta fuit in pœnam peccatorum; Dilectio tamen, qua proſecutus eſt Iſraelem non erat ex meritis ipſorum, ſed ex gratuito Dei beneplacito, unde ex hoc textu Malachiæ vult Apoſtolus oſtendere, hoc teſtimonium congruere cum illa Dei prædictione, Jacob dilexi, Eſau odio habui.] Alii fortaſſis exactiùs exponunt verba D. Pauli de electione ad beneficia hujus vitæ partim temporalia, & partim ſpiritualia. Cum enim Deus elegiſſet Jacob, & poſteritatem ipſius, ut ex illis naſceretur Chriſtus, ſtatuit illos ſingularibus beneficiis proſequi, ac diſponere ad Chriſti adventum, idque non intuitu operum, ſed ex ſuo mero beneplacito: ex hac enim electione proceſſit illa populi intra breve tempus ingens multiplicatio, ut & liberatio ex famulitio Ægyptiaco, protectio, & ſuſtentatio in deſerto, legislatio, ſacerdotium, inſtructio, & manuductio in mille difficultatibus, inde enim evenerunt tot divinæ apparitiones, tot exhibitiones præſentis Numinis, quibus inter eos Deus videbatur aſſidue verſari imò etiam ortæ fuerunt plures victoriæ inſignes triumphis præclara trophæa, opima ſpolia, tot proſtrati hoſtes, deleti adverſarii, imò etiam plures ſancti Doctores & Prophetæ, qui divinam populo voluntatem annunciarunt, & denique ex Jacob ſtirpe ipſe ſanctus Sanctorum cum ſanctiſſima ſua Matre, Præcurſore, & Apoſtolorum Choro, qui omnes ex illa ſtirpe Jacob fuerunt. Eſau verò & ejus poſteris non præparavit tam eximia beneficia tametſi ipſe natu major, id enim factum eſt juxta menſuram donorum Dei, & ordinem divinæ providentiæ, ut ma-

Digitized by Google

jor ſerviet minori, ſeu poſteritas Eſau, qui ſunt Idumæi, poſteris Jacob, qui fuerunt Iſraelitæ, qui propterea majoribus à Deo fuerunt gratiis cumulati, favoribus affecti, ac donis effecti, ut potentiores facti Idumæos debellârunt. Præterea quia ſcopus Apoſtoli fuit oſtendere Deum invocatione ad fidem aut electione ad gratiam juſtificationis non habere ullam rationem operum bonorum, aut malorum etiam internorum ſed omnia facere ex ſimplici, ac nudo ſuo beneplacito ante præviſionem operum concepto, deinde pergit inquiens: *Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum?* ſiquidem cum non habeat operum rationem, & eos qui carent operibus, iis præfert, qui opera habent, poſtea reſpondet, *abſit*, quia ut ipſe ait: poteſt miſereri cui voluerit, ſicut etiam ex his, qui peccarunt cultum exhibentes aureo vitulo pepercit, quibus ipſi placuit, & alios punivit, quos voluit: pari pacto cum Judæi, & gentes peccaverint, poteſt dare ſuam gratiam quibus ipſi placet (placuit autem dare credentibus) & denegare quibus placet ſcilicet Judæis incredulis, tametſi opera habeant, quia ut ſubdit Apoſtolus: *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei:* ſcilicet aſſequi divinas promiſſiones, & veram juſtitiam, id non eſt volentis, nec currentis, Judæi enim & volebant, & currebant, ſcilicet per opera legis, & obſervantias externas, & tamen aſſequi divinas promiſſiones & veram juſtitiam fuit ſolius miſerentis Dei, qui ſtatuit eas implere in credentibus; & hunc locum diſſertè explicàt Apoſtolus v. 30. inquiens: *Quid ergo dicemus? quòd gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam; juſtitiam autem quæ ex fide eſt Iſrael verò ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare quia non ex fide.* Deus ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat, quod tamen non eſt ita intelligendum ut nulla requiratur ex parte hominis ratio, cur Deus miſereatur, vel induret, ſeu à peccatis liberet, vel in peccatis indurari permittat: ſiquidem reſpicit ad Judæos incredulos & Gentes credentes, & illos permiſit in peccatis ſuis ac infidelitate permanere, ſeu obdurari, eò quia tot beneficiis, quibus alliciebantur ad Chriſtum, vidit rebelles eſſe; horum igitur vult miſereri quià fidem Chriſti amplectuntur, pari pacto Pharaonem voluit permittere obdurari, & Iſraelitarum miſereri. Præterea Apoſtolus inducit Judæum objicientem, & accuſantem Deum, quid ergo adhuc quæritur, quaſi injuſtè egerit Deus? ad quòd reſpondet Apoſtolus dupliciter. Primò quia ſummum jus in omnibus Deo ineſt, & non eſt factorum ab ipſo exigendà ratio, cur illud faciat, hoc omittat; Secundò explicando quales, & quomodo induret, & ob quem finem, & reſpondet, perinde ac ſi objectum eſſet Deum non juſtè obduràſſe Judæos, ſed ita reſponſionem moderatur, ut ex ea etiam appareat, quodammodo eum juſtè conquæri de obduratis: dicit ergo *o homo tu, quis es*, qui cum Deo contendas & rationem operum ab ipſo exigas, poteſtne figmentum petere rationem ab Artifice, & conqueri de injuria ſibi facta, quòd talem formam ab eo acceperit, an figulus ex eodem luto non poteſt facere aliud vas ad uſus honoratos, aliud ad infimos? pari pacto poteſt Deus jure ſummi dominii Gentium miſereri, & Judæos ob incredulitatem indurare.

Primus tamen effectus, prædeſtinationis, ſeu prima gratia formaliter ſumpta, & ſecundùm ſe tametſi ſit effectus prædeſtinationis adhuc non eſt ſub noſtra poteſtate ſed tantùm terminativè quatenus terminatur ad liberùm noſtrum conſenſum. Siquidem certùm eſt de fide primam gratiam dari nobis à Deo omnino gratis, ut in ſuperioribus oſtendimus contra Pelagianos, & Semi-pelagianos quapropter dicitur eſſe in nobis ſine nobis, ſcilicet ſine nobis liberè conſentientibus in quo ſenſu dixerat Apoſtolus ad Roman. 9. *Non volentis neque currentis, ſed miſerèntis eſt Dei*, ergo neque prædeſtinatio ut terminata ad primam gratiam conſideratam formaliter quantum ad ejus productionem, ſeu donationem, & exiſtentiam ſimpliciter cum præciſione à quovis reſpectu ad liberum conſenſum poteſt eſſe in noſtra poteſtate. Secunda pars aſſertionis etiam conſtat, quia prima gratia ſi conſideretur, ut reſpiciens liberum noſtrum conſenſum, & ut talis terminans prædeſtinationem, ſeu actum divinum eſt in noſtra poteſtate, quia tametſi prima gratia ſecundùm ſe formaliter conſiderata non ſit ſub noſtra poteſtate, ut tamen reſpicit liberum noſtrum conſenſum, eſt in noſtra poteſtate inadæquatè ratione talis reſpectus; quia conſenſus cùm ſit liber dependet à noſtra voluntate, quæ poteſt liberè aſſentiri, vel diſſentiri, unde in hoc ſenſu prædeſtinatio dici poteſt inadæquatè eſſe in noſtra poteſtate ratione reſpectus ad actualem conſenſum pendentem eſſentialiter à noſtra libertate. Quinimò etiàm prædeſtinatio quoad effectum juſtitiæ finalis & gloriæ eſt ſimpliciter in noſtra poteſtate, quia nemo eſt, qui juſtificari non poſſit, & perſeverare in juſtitia ac ſalvari; ſicut nemo eſt, qui peccare non poſſit, & damnari, ut definitur in Tridentino *ſeſſ. 6. can. 7.* conſequenter prædeſtinatio quoad effectus juſtitiæ finalis, & gloriæ eſt in noſtra poteſtate,] ſed dices: quod eſt præteritum non eſt amplius in noſtra poteſtate; non enim fieri à nobis poteſt, ut quod fuit, non fuerit: ſed decretum divinum cum fuerit factum ab æterno reſpectu noſtri eſt præteritum, ergo cum illud decretum ſit ipſa prædeſtinatio hæc non poteſt eſſe in noſtra libertate, conſequenter qui fuit prædeſtinatus, non poteſt efficere, ut non fuerit prædeſtinatus. Sicut, qui non fuit electus non poteſt efficere ut fuerit electus: ergo prædeſtinatio nullo pacto eſt in noſtra poteſtate.] Sed contra quia tametſi præteritum reduplicativè ut præteritum non ſit in noſtra poteſtate: bene tamen præteritum ſpecificativè ut præteritum, ſeu res ipſa præterita eſt in noſtra poteſtate quamvis non poſſimus nunc facere; ut prædeſtinatio præterita non ſit præterita ex ſuppoſitione, quod ſit præterita: poſſumus nihilominus facere nunc, ut non ſit præterita, quatenus poſſumus nunc non ponere bona opera in ordine ad quæ prædeſtinatio eſt poſita, ſiquidem cùm hæc juxta ordinem executionis fuerit facta ex præviſis noſtris meritis, quæ nos ponimus in tempore: ſicut nos poſſumus in tempore non ponere merita (licet infallibiliter & liberè illa ponamus) ita in hoc ſenſu poſſumus facere nunc, ut prædeſtinatio, quæ dicitur præterita non ſit præterita. Quamobrem abſolutè poteſt quilibet facere nunc ut ab æterno non ſit prædeſtinatus vel reprobatus.

Quòd ſi petas, quomodo prædeſtinatio, & reprobatio ſecundùm doctrinam Catholicam differant à prædeſtinatione, & reprobatione ſecundùm hæreticam Calvini doctrinam? Reſpondetur differre præſertim in tribus. Primò, quià Calvinus docet homines prædeſtinari ad vitam, vel ad mortem ex mero Dei arbitrio, nulla habita ratione ad merita, vel demerita, neque ſecundùm ordinem intentionis, neque executionis, adeo ut Deus ſimpliciter & ex puro ſuo arbitrio deſtinet quoſdam ad gloriam, & alios ad pœnam æternam. Rurſus docet Deum ita ſe gerere circa eos, quos deſtinat ad vitam, ut primo

Digitized by Google

det illis fidem & gratiam, à quo excidere nunquam poſſint. Secundò ut eorum peccata quantumlibet gravia illis non imputet, neque ſanet per inhærentem juſtitiam, ſed ſolùm tegat per imputationem juſtitiæ Chriſti. Tertiò ut det illis gratiam ita efficacem ut illi reſiſtere non valeant & quæ ſit ita ſufficiens, ut per eam poſſint ſervare præcepta divina. Circa verò reprobos ait Deum ita ſe gerere, ut primò illis neget omnem gratiam, & fidem, ſecundò ut illos neceſſitet, & omnino adigat ad peccatum. Tertiò ut ita peccantes ad pœnas detrudat æternas, quæ doctrina blaſphema eſt, crudelis, & hæretica contra ſcripturas, & rationem. Catholici verò juxta ſcripturas, & lumen rationis omnino contraria aſſerunt. Primò omnes conveniunt in hoc quòd Deus ſecundùm ordinem executionis neminem velit prædeſtinare ad vitam vel ad mortem niſi ex meritis, & demeritis uniuſcujuſque, adeo ut Deus nemini det gloriam niſi propter merita, nec ullum æternis addicit ſuppliciis niſi ob demerita, & peccata. Secundò Deus circa electos ita ſe gerit, ut primò ex pura miſericordia & bonitate eos vocet, & alliciat ad ſe per gratiam, adeo ut ſit illis liberum accedere, vel non accedere ad Deum. Tertiò ut det fidem & gratiam in qua ita perſeverent, ut ſit ipſis liberum non perſeverare. Demum ut det illis gloriam partim ex miſericordia, & partim ex juſtitia ratione meritorum. Circa reprobos verò non vult ipſos damnare niſi ob propria demerita, & peccata.

Quod verò ad certitudinem prædeſtinationis attinet, tripliciter poteſt hæc certitudo conſiderari. Primò in ſe ipſa, ſi ita verum ſit & infallibile, quemlibet electum ſalvari, ut repugnat oppoſitum. Secundò reſpectu Dei, an prædeſtinatio ſit ita certa, ut omnino infallibilis ſit cognitio, quam Deus habet de futura gloria prædeſtinatorum, & divinum decretum de danda gloria ſit omnino immutabile, & tertiò an ſit certa reſpectu prædeſtinatorum, adeo ut poſſint prædeſtinati infallibiliter cognoſcere ſuam propriam, & aliorum prædeſtinationem. Certum eſt prædeſtinationem in ſe ipſa eſſe certam, & infallibiliter inferre effectum; idque patet ex ſcripturis Iſaiæ 46. *Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Cum enim actus prædeſtinationis ſit ipſa Dei voluntas qua aliquibus vult dare gloriam, & divina voluntas non poſſit fruſtrari ab ulla creatura, neque dari poſſit quid eidem obſiſtens, ſequitur prædeſtinationem in ſe ipſa ut importantem actum divinæ voluntatis eſſe omnino certam, ac infallibilem, quapropter Joan. 10. ait Chriſtus: *Oves meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Alludit ad creaturam impotentem rapere, vel delere de numero prædeſtinatorum, quos Deus prædeſtinavit. Ad Roman. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*; ubi advertit D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum Apoſtolum propter omnino immutabilem certitudinem non dicere in tempore *glorificat*, ſed in præterito *glorificavit*, & ſubdit, *quid futurum eſt velut factum firmat* juxta illud prophetæ qui *fecit, quæ futura ſunt, in illa quippe immobilitate conſilii ſui ſecundùm beneplacitum ejus in prædeſtinatione jam fecit, quæcunque effectu operis ſui tempore congruo facienda diſpoſuit*, quapropter D. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 11. ait: *Volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle in volentis, & nolentis poſuit poteſtate ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et quamvis in præcitatis locis videatur ſermo eſſe de perſonis ſalvandis, debent adhuc intelligi etiam de mediis: quia prædeſtinatio non poteſt eſſe certa circa perſonas, quin ſimul certa ſit circa media, quibus perſonæ conſequuntur gloriam, ut conſtat de gratia finali, quæ eſt unum ex mediis ad aſſecutionem gloriæ, ex cujus certitudine dependet certitudo glorificationis.

Ratio itidem hanc veritatem ſuadet, quia omne Dei decretum abſolutum, & efficax ex parte actus & objectivè neceſſe eſt impleatur, alioquin adeſſet creatura aliqua, quæ poſſet divinæ obſiſtere voluntati; neque providentia divina ſuum aſſequeretur finem ab eadem abſolutè intentum ſed prædeſtinatio in ordine executionis eſt decretum Dei efficax, & abſolutum ex parte actus & objecti; conſequenter neceſſe eſt impleatur, & ſit infallibile, eò quia junctum ſit cum ipſa gloria, quæ infallibiliter ſequitur, ad tale decretum. Illud enim dicitur infallibiliter evenire quod evenit neceſſariò neceſſitate conſequenti, proinde ſi poſito tali decreto gloria evenit neceſſario neceſſitate conſequenti, ſequitur tale decretum eſſe omnino infallibile, & immutabile.] Sed dices contra aſſertum ex ſcripturis ſatis apertè colligi prædeſtinationem juſtorum non eſſe ita certam, ut ſecum trahat infallibilitatem, quia Apocal. 3. dicitur de prædeſtinatis: *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam:* ſiquidem D. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 13. explicat verba Apocal. de corona gloriæ, quæ eſt effectus prædeſtinationis, conſequenter prædeſtinatio conſiderata ſecundùm ſe non eſt ita certa, ut ſecum trahat omnimodam infallibilitatem. Rurſus hoc idem oſtenditur ex illo Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro viventium.* & Pſalm. 68. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*, unde juvat argumentari: ſcripti in libro vitæ ſunt prædeſtinati: ſed ſcripti in libro vitæ ex ſcripturis poſſunt deleri, ergo prædeſtinati poſſunt non ſalvari, Minor, & conſequentia tenent, oſtenditur major, quia Auguſtinus *lib. de civit. Dei cap.* 15. per librum vitæ intelligit ipſum actum prædeſtinationis: vel ſaltem ut docet D. Thomas 1 part. quæſt. 24. artic. 1. Liber vitæ eſt actus poſterior pertinens ad memoriam, & quod Deus firmiter retinet; ſe aliquos prædeſtinâſſe. Præterea quia 2. Petri 1. hortamur ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, quaſi ipſa de ſe certa non ſit. Sed contra ad primum deſumptum ex Apocal. 3. reſpondet D. Thomas 1. part. quæſt. 23. art. 3. verba illa intelligenda eſſe de corona gloriæ præparata ratione meritorum, ſecundùm præſentem juſtitiam, qua Deus exigit à nobis bona opera ut nobis conferat coronam gloriæ per modum mercedis, & retributionis. Alii verò reſpondent, ibi non eſſe ſermonem de corona gloriæ, ſed de corona dignitatis temporalis ad quam Deus viſibiliter vocat. Ad alia loca Exodi 32. & Pſal. 68. reſpondet D. Thomas loc. cit. art. 3. Scriptum in libro vitæ ratione prædeſtinationis nullo pacto poſſe deleri; bene tamen ſcriptum ſecundùm præſentem juſtitiam temporalem, ſcilicet non per mutationem ipſius libri, quaſi aliquid ſcriptum in illo deleatur, ſed tantum per mutationem illius, qui ſcriptus erat, quatenus ex juſto ſit injuſtus. Ad aliud deſumptum ex D. Petro reſpondetur D. Petrum non loqui de vocatione, quæ eſt effectus prædeſtinationis neque de electione efficaci æterna, quæ ſupponitur ad prædeſtinatum; ſed tantùm de electione, & vocatione, qua vocamur in tempore, & prout reſpicit conſen-

ſum

Digitized by Google

quia nihil ipsis prodesset pœnitere: si irrevocabiliter damnandi essent: quo pacto essent illusoriæ sanctæ inspirationes, & internæ gratiæ, quibus Deus peccatores ad se allicit. Rursus sequeretur veras non esse illas scripturas quæ testantur Deum paratum esse ad salvandum homines ut 2 Reg. 14. *Non vult Deus perire hominem, sed retractat, ne penitus pereat, quia abjectus est*, non esset enim retractare si decreto irrevocabili statuisset ab æterno id, quo posito abjectus infallibiliter periret, neque verificaretur illud Isaiæ 3. *Propterea expectat Deus ut misereatur vestri:* frustra enim expectaret, si immutabiliter decrevisset non misereri: similiter non esset verum illud 2 Petri 3. *Patienter agit propter vos nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, essent enim hæc, & alia plura scripturæ verba omnino illusoria non enim posset intelligi quomodo vellet omnes ad pœnitentiam reverti, si efficaciter statuisset ab æterno non concedere illis pœnitentiam? Contra est, quia ex infallibilitate divinæ prædestinationis non sequuntur prærecensita absurda, quia ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 2. Deus per prædestinationem non solum prædefinit dare gloriam electis, verùm etiam media imò & merita ipsa ratione quorum dat in executione ipsam gloriam, perinde ac in naturalibus non solum Deus prædefinit abundantiam messis, & vindemiæ, verum etiam ipsa media ad talem finem consequendum cujusmodi sunt pluviæ suo tempore, æstus solares, & alia similia, quæ conducunt ad hunc finem, unde ut homines consequantur gloriam, est ipsis necessarium adhibere media, seu exercere bona opera: perinde ac Agricolæ est necessarium, ut abundantiam fructuum suo tempore percipiat agrum excolere, semina jacere, & alia exequi, quæ terræ cultura exigit. Hinc D. Thomas infert debere nos Deo preces effundere eumque enixè exorare non quidem ut nostris precibus divinas dispositiones immutemus, sed ut ea impetremus, quæ Deus facere decrevit mediis nostris orationibus.] Sed instabis posset quispiam adhuc respondere: si Deus decrevit ab æterno me bene operaturum rectè operabor: sin autem non ita decreverit, nunquam rectè ero operaturus ergo non est necesse, ut sim solicitus de bonis operibus. Sed contra, quia omnino inepta est hæc illatio, perinde ac si quis dicat, vel Deus decrevit ab æterno me esse hodie moriturum vel non si primum quidquid agam, non possum declinare meam mortem hodiernam: si secundum ergo tametsi ex altissima turri me deorsum demittam præcipitem coram populorum frequentiis non moriar, & mirabile de me ipso ero spectaculum exhibiturus: ergo si possum plures, lucrari pecunias exhibendo tale spectaculum non est, cur eas non lucrer, quia si Deus non decrevit ab æterno meam mortem hæc mihi non obtinget. Ratio hujus ineptæ illationis est, quia quamvis certum sit me non rectè operaturum; quia tamen non sum rectè operaturus coactè, sed liberè, ita Deo disponente; ideo teneor rectè operari, & solicitum esse de bonis operibus cumulandis. Ad secundam, & tertiam instantiam constabit ex infra dicendis reprobationem positivam non fuisse factam ante visionem demeritorum, sed post visionem impœnitentiæ finalis: quamobrem cum certum sit nullum reprobari, nisi post visionem omnium peccatorum, & finalis impœnitentiæ rectè cum positiva reprobatione cohæret voluntas antecedens dandi omnibus salutem: hæc enim voluntas ut superius explicuimus est tantùm absoluta ex parte actus, & conditionata objectivè, adeo ut nullus hominum salutem consequatur, nisi purificet conditionem per culturam virtutum, & studia bonorum operum, exhibitionem meritorum, & finalem perseverantiam in gratia: hæc enim omnia exigit Deus à nobis, ut per modum executionis nobis conferat suam gloriam, quæ propterea dicitur corona justitiæ merces retributio, & præmium.

Rursus est etiam prædestinatio omnino certa certitudine causalitatis ex vi divinæ prædefinitionis, ita docet D. Thomas 1. *part. quæst.* 23. *art.* 6. *& quæst.* 6. *de verit. art.* 3. ubi ait: Refundere certitudinem prædestinationis ad solam præscientiam, & non in solam causalitatem, & efficaciam divinæ voluntatis esse contra sacram scripturam hoc idem etiam docet Scotus in 1. *distinct.* 39. *& dist.* 41. & desumitur ex D. Augustino *lib. de prædestinat. Sanctor. cap.* 16. *& sequent. & lib. de corrept. & gratia. cap.* 7. & *lib. de bono perseverantiæ cap.* 7. & expressiùs *cap.* 17. *& seq.* & communiter Sancti Patres hoc idem docent, ratio ex eo etiam petitur, quia prædestinatio prout infallibiliter nectitur cum gloria, & de qua in præsenti loquimur includit voluntatem absolutam, & efficacem, quæ essentialiter, & per se infert effectum, certè & infallibiliter: sed quoties certitudo effectus fundatur in certitudine causæ, à qua sequitur infallibiliter talis effectus, est certus certitudine etiam causalitatis, & non solùm præscientiæ.] Si dicas voluntatem divinam comprehensam in prædestinatione non esse absolutam, & efficacem, nisi habito respectu ad consensum liberi arbitrii creati, ut præcognitum futurum ante ipsam prædestinationem per scientiam mediam, in qua ut in prima radice fundatur certitudo prædestinationis. Contra est, quia auxilia, quæ Deus confert prædestinatis in tempore, ut media præparata per prædestinationem ad consecutionem gloriæ, sunt efficacia in actu primo ante consensum liberi arbitrii creati: ergo eodem modo est efficax voluntas dandi eadem media & gloriam, quam prædestinati consequuntur per eadem media. Rursus si certitudo prædestinationis non sumeretur ex causalitate voluntatis divinæ efficacis; sed ex sola scientia media nullo habito respectu ad efficacitatem auxiliorum gratiæ inde sequeretur quod non posset assignari discrimen inter prædestinatos, & reprobos in ordine ad auxilia gratiæ, sed tantùm in ordine ad libertatem eorumdem, hinc radix differentiæ inter prædestinatum, & reprobum esset propria voluntas ipsius prædestinati, contra Apostolum 1 ad Cor. 4. *Quis te discernit, quid habes quod non accepisti; si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?*] Si dicas iterum consensum liberi arbitrii non esse infallibilem, antequam præsciatur, ac proinde prædestinationem non esse infallibilem, ac certam ante præscientiam consensus liberi arbitrii, quia ut prædestinatio conjungatur de facto cum gloria requiritur necessariò consensus liberi arbitrii; hic autem consensus est contingens, utpote oriens à nostro libero arbitrio, & nequit determinatè præsciri futurus. Contra est, quia tametsi consensus liberi arbitrii sit contingens adhuc potest esse determinatè futurus, & infallibiliter ex vi divini decreti, & auxilii efficacis, quo Deus movet certè, & infallibiliter liberum arbitrium ad præstandum liberè consensum. Sed posset quis instare: voluntas absoluta dandi media efficacia ad gloriam supponit in Deo, scientiam, quâ certè, & infallibiliter cognoscat, talia media esse efficacia: consequenter certitudo, & efficacitas, quam habet hæc voluntas in causando oritur radicaliter à tali scientia. Antecedens liquet, quia omnis actus divinæ voluntatis supponit actum intellectûs, quia volun-

Digitized by Google

voluntas nequit media eligere efficacia, nisi ut talia eidem proponantur ab intellectu. Confirmari ex eo itidem potest, quia ut intentio efficax finis sit prudens debet supponere scientiam mediorum; ergo ut Deus intendat prudenter conferre hominibus gloriam, debet priùs habere notitiam mediorum, quod etiam monuit Christus Luc. 14. *Quis volens turrim ædificare, non priùs computat sumptus qui necessarii sunt:* ergo intentio efficax finis, ut sit prudens, debet supponere scientiam mediorum efficacium, quibus infallibiliter finis obtineatur. Contra tamen quia hac ratione tantùm probatur, quod voluntas efficax inclusa in prædestinatione sive per modum intentionis vel electionis debeat præsupponere cognitionem mediorum efficacium solum ut possibilium per scientiam simplicis intelligentiæ: siquidem hæc cognitio sufficit, ut Deus dicatur prudenter intendere finem, seu dare gloriam infallibiliter hominibus per media prius scita eo enim ipso, quod Deus eligit talia media hæc sunt infallibiliter futura.] Quòd si urgeas contra hanc responsionem hæc media quamvis efficacia non poni in executione à solo Deo, verùm etiam à libero arbitrio creato, adeo ut ad talem executionem completam requiratur cooperatio liberi arbitrii: sed hæc cooperatio, & executio est contingens, quia dependet à libero arbitrio: ergo non potest intentio Dei esse certa, & efficax ante visionem cooperationis liberi arbitrii, consequenter ut Dei intentio sit certa, & efficax non sufficit, si per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat talia media, sed ulterius requiritur scientia visionis, qua illa cognoscat, ut existentia: siquidem nequit liberum arbitrium operari per media, nisi hæc existant, & cognoscantur à DEO scientiâ visionis. Contra est, quia hæc ratio tantum urget inter homines quorum unus non habet vim supra voluntatem alterius; neque prædefinivit modum, quo liberè operetur. Cæterum quia in potestate Dei est constituere homines dignos gloria, & prædefinire modum, quo liberum arbitrium operetur liberè, tametsi executio completa mediorum dependeat à libero arbitrio creato, nihilominus Deus omniscius ac infinitus certo, & infallibiliter cognita efficacia mediorum ante consensum voluntatis cognoscit connexionem mediorum, & liberi consensus arbitrii creati cum fine. Hinc neque potest quis certus esse de definito numero prædestinatorum, & reproborum, ait enim Apostolus 2 Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, novit Dominus, qui sunt ejus*, unde solus Deus est certus de numero prædestinatorum, & reproborum, ut etiam docet D. Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 13. & hæc certitudo oritur ex præcedente siquidem ex eo, quòd Deus certè, & infallibiliter sciat, quinam sint bene vel malè usuri donis gratiæ sibi concessis, necessario sequitur, ut etiam sciat, quinam in particulari salvandi sint, & qui damnandi, & quantus sit eorum numerus. An verò numerus hominum prædestinatorum excedat numerum Angelorum, seu an plures sint homines prædestinati, quàm Angeli, & an plures homines prædestinati, quàm reprobi, nil certi possumus prædefinire est enim nobis incertum, & soli Deo omniscio cognitum, ut docet D. Augustinus *in Enchirid. cap.* 29. & D. Thomas. 1. *part. quæst.* 23. *art.* 7. Quod enim aliqui asserant tot esse homines prædestinatos quot sunt Angeli, qui cum Lucifero corruerunt, est pura conjectura. Illud verisimilius videtur plures esse reprobos, quàm prædestinatos cum dicat scriptura *arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*, & illud aliud: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, quod de solis fidelibus intelligit D. Gregorius, ex cujus sententia etiam inter ipsos Christianos sequitur, numerum reproborum majorem esse numero prædestinatorum.

Quod verò ad propriam cujusque prædestinationem pertinet, certum est sine speciali revelatione non esse prædestinationem omnino certam, quamvis moralem tantùm de illa possimus sufficientem probabilitatem habere, etiam cum expulsione anxietatis, non verò cum expulsione salutaris timoris, ita enim expresè definitum fuit in Concilio Tridentino sess. 6. can. 11. & can. 15. Contra umbratilem Lutheri, & Calvini securitatem, & desumitur ex scripturis Apocal. 3. *Tene quod habes, & cave ne alius accipiat coronam tuam*, hoc idem etiam communiter docent Sancti Patres, præsertim Augustinus *lib. de bono perseverantia cap.* 13. ubi ait: *Ad hanc vocationem pertinere nullus homo ab hominibus certa asseveratione dicendus est.* Et lib. de correpr. & grat. cap. 13. *Quis inquit ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, electum se esse præsumat?* Ratio itidem id suadet siquidem prædestinatio importat actum divinæ voluntatis liberæ: & hunc actum nemo potest cognoscere nisi per certam revelationem, qua illi reveletur: quia si creatura Angelica non potest penetrare secreta cordis hominis inferioris se, seu actus internos humanæ voluntatis, adeo ut solus Deus dicatur scrutator cordium: à fortiori nulla creatura poterit penetrare Dei consilia, & cognoscere actus divinæ voluntatis antequam ponatur effectus ad extra, siquidem præciso hoc effectu sensibili nullum potest dari medium creatum, quod propter essentialem connexionem cum actibus divinæ voluntatis possit creaturam elevare ad cognitionem divinorum consiliorum, quæ ab Apostolo vocantur inscrutabilia: ergo prædestinatio sine speciali revelatione non potest ulli homini esse omnino certa: siquidem nemo scire potest, an sit in gratia, neque an sit in illa perseveraturus: hinc Divus Bernardus serm. 1. de septuages. ait: *Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, certitudinem utique non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur:* unde ex eo, quod nemo sciat an sit in statu gratiæ sanctificantis, & an sit perseveraturus in eadem: sequitur prædestinationem absque speciali revelatione certam omnino esse non posse respectu hominis viatoris, hinc non possumus habere certitudinem physicam, & absolutam cum qua implicet falsitas de prædestinatione. Neque certitudinem moralem absolutam per quam excludatur omne dubium sicut est certitudo moralis, qua credimus existere Romam, vel Lutetiam Parisiorum, quamvis neutram civitatum viderimus: quamobrem possumus tantùm de nostra prædestinatione habere certitudinem quandam moralem, cum qua stet dubium, & formido de opposito; hujus certitudinis plura solent exempla produci ut etiam signa naturalia, & supernaturalia, ut si homo promptiùs divinis obsequatur vocationibus, si facilè peccata declinet, si constantiùs perseveret in gratia: si mentem possideat tranquillam, & ab omni passionum tumultu liberam, si vocetur ad religionem, & in eadem gaudeat exercitio humilitatis, & reliquarum virtutum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Effectibus Prædestinationis.

Certum est totum ordinem naturæ, rerumque creationem in esse naturali non esse effectum prædestinationis, quia prædestinatio est electio efficax, & specialis prædestinatorum, quibus Deus vult dare donum quoddam accidentale supernaturale, ut sunt gratia, & gloria: sed volitio dandi aliquibus formam accidentalem debet præsupponere subjectum capax talis formæ adeo ut voluntatem dandi formam accidentalem præsupponatur subjectum cui danda sit talis forma accidentalis, sicut enim esse formæ accidentalis, supponit esse subjecti, cui inhæret, perinde volitio ejusdem formæ debet præsupponere volitionem subjecti: ergo cum ordo naturæ & creatio rerum omnium in esse naturali præcedat ordinem gratiæ, nequit esse effectus prædestinationis, quia non conjungitur ex se cum fine prædestinationis. Tum quia, ut ait Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 14. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*, scilicet est præparatio beneficiorum supernaturalium, quæ excedunt ordinem naturæ, rerumque creationem quoad esse simpliciter naturale, consequenter ordo naturæ nequit esse effectus prædestinationis: quia nequit esse connexus cum fine supernaturali: Præterea quia ex eodem Augustino de prædestinatione Sanctorum. cap. 10. Ille est effectus prædestinationis, qui præparatur ab ipsa prædestinatione; sed ordo naturæ, & rerum creatio quoad esse simpliciter naturale non præparatur à prædestinatione, quia hæc est tantùm præparatio gratiæ supernaturalis.] Quod si dicas naturam prærequiri necessariò ad productionem gratiæ, consequenter esse effectum prædestinationis. Contra est, quia tametsi natura prærequiratur, ut subjectum gratiæ, quo producitur, & recipitur in natura non tamen inde sequitur naturam quoad esse simpliciter esse effectum prædestinationis, ratio est, quia ut aliquid dicatur esse effectus alterius debet poni ex vi illius: est enim de ratione effectus, ut ponatur ex vi causæ in cujus virtute continetur: sed ex vi prædestinationis non ponitur natura in esse naturæ simpliciter: quia ex Augustino ex vi prædestinationis ponuntur tantùm beneficia supernaturalia, alioquin prædestinatio non esset præparatio solius gratiæ liberativæ contra Augustinum docentem prædestinationem esse præparationem beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur unde quamvis natura requiratur, ut in ipsa producatur gratia, non tamen inde sequitur esse effectū prædestinationis, cùm non sit quid supernaturale.] Objicies plura scripturæ loca præsertim 1. ad Coloss. 1. ubi D. Paulus loquens de Christo secundùm humanitatem vocat eum primogenitum omnis creaturæ: & ex eo probat, quia in ipso omnia condita sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso, adeo ut Deus priùs decreverit incarnationem Verbi, quam mundi creationem alioquin Christus non diceretur primogenitus omnis creaturæ in ordine intentionis, cùm Christus in ordine executionis non fuerit primo genitus omnis creaturæ, ergo cum omnia sint propter Christum, qui est causa nostræ prædestinationis sequitur ordinem naturæ esse effectum prædestinationis. Secundo quia 8. Proverb. de sapientia incarnata dicitur: *Deus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio*, ergo Deus in æterna sua prædestinatione prius voluit Verbum incarnari, quàm cæteras creaturas condere, seu antequam quidquam faceret à principio, idque in ordine intentionis. Sed contra quia ex eo, quod Christus vocetur primogenitus omnis creaturæ non sequitur Deum prius decrevisse Christum in ordine intentionis, quàm cæteras creaturas: Ratio est, quia Christus vocatur primogenitus omnis creaturæ ratione dignitatis, & excellentiæ, qua præcedit cæteras omnes creaturas, non verò ordine decreti divini circa rerum futuritionem, quod erat probandum. Docet D. Thomas quòd si Adam non peccàsset Verbum non assumpsisset naturam humanam, saltem in carne possibili, ergo ante decretum de Incarnatione Verbi fuerunt à Deo volitæ aliæ creaturæ: unde Christus tantùm dicitur primogenitus omnis creaturæ ratione excellentiæ, & dignitatis. Ad aliud quod addebatur ex 8. Proverb. Respondetur SS. Patres expendentes locum illum de sapientia incarnata, per initium viarum Dei intelligere initium operum redemptionis, adeo ut Christus prædestinatus fuerit initio decretorum Dei circa reparationem generis humani post lapsum primi parentis.] Dices Apostolus ad Corinth. cap. 3. ait: *Omnia vestra sunt, sive mundus, sive vita, sive præsentia, sive futura, vos autem Christi, Christus autem Dei*: loquitur Apostolus cum electis, & ait omnia esse sua, eo quia propter electos sint condita, & electos esse Christi, quia propter ipsum conditi sunt, & Christum esse propter solam Dei gloriam: ergo cum omnia sint propter prædestinatos, bene stat totum ordinem naturæ rerumque creationem esse effectum prædestinationis; Sed contra, quia eatenus omnia dicuntur esse prædestinatorum, non quia ex primaria rerum conditione facta sint propter ipsos: sed quia postquam futura erant ex vi naturalis providentiæ, & prævisо deinde humani generis lapsu ordinavit Deus res esse in eorum reparationem, & Christi gloriam; ex quo tantùm sequitur rerum creationem, & naturæ ordinem esse ad summum effectus prædestinationis secundum ordinationem accidentariam, non vero secundùm entitatem, & substantiam, ut procedit quæstio. Cæterum homines dicuntur esse Christi, non quia propter Christum conditi sint, ut propter finem priùs volitum, sed quia Christus sua passione redemit homines, qui propterea dicuntur esse Christi jure emptionis.

Imò neque ipsa substantia prædestinati, si consideretur secundùm se intra limites puræ naturæ, est effectus prædestinationis: siquidem effectus prædestinationis debet respicere essentialiter finem ejusdem prædestinationis, qui est ipsa gloria supernaturalis, eo enim ipso quod aliquid non dicit ex se ordinem ad aliud, non potest esse effectus illius: siquidem de ratione effectus est dicere ordinem ad causam, cujus est effectus: sed substantia prædestinati considerata secundùm se intra limites puræ naturæ non respicit finem prædestinationis, quia sistit adæquatè intra limites puræ naturæ, consequenter non potest esse effectus suæ prædestinationis. Præterea quia effectus prædestinationis non est indifferens in ordine ad finem prædestinationis, & finem reprobationis, sed

ſed ex ſe debet includere ordinem quo determinetur ad finem prædeſtinationis, & excludat ordinem ad finem reprobationis: atqui ſubſtantia prædeſtinati conſiderata ſecundùm ſe, & intra limites puræ naturæ eſt indifferens ad finem tum prædeſtinationis tum reprobationis, quia ex ſe non habet, per quod determinetur potius ad unum finem, quàm ad alium: & cùm ſola determinatio ſit ablativa indifferentiæ, ſequitur ſubſtantiam prædeſtinati non poſſe eſſe effectum, ſuæ prædeſtinationis.] Imò neque ſubſtantia prædeſtinati imperatur ex intentione finis prædeſtinationis quoad rei primam exiſtentiam, conſequenter neque hoc pacto eſt effectus prædeſtinationis. Ratio à priori eſt, quia Deus per electionem efficacem alicujus hominis ad gloriam vult illi dare donum aliquod accidentale ſupernaturale, ac ſuperadditum ſuæ naturæ, ut eſt gratia, & gloria: ſed voluntas dandi formam accidentalem præſupponit ſubjectum, in quo recipiatur forma hæc accidentalis, quæ cum non ſtet per ſe, ſed exigat inhærere alteri, debet præſupponere ſubjectum cui inhæreat: conſequenter ſi ad volitionem qua Deus vult dare alicui peculiari homini effectus prædeſtinationis, qui ſunt formæ accidentales ſupernaturales, præſupponitur ſubjectum, in quo recipiantur hujuſmodi formæ ſupernaturales, non poteſt ſubſtantia prædeſtinati, quæ eſt ſubjectum vel proximum vel remotum talium formarum ſupernaturalium, eſſe effectus ſuæ prædeſtinationis.] Quòd ſi dicas argumentum tantum urgere ſi ſubjectum gratiæ, & gloriæ deberet præſupponi præſens ſecundum ſcientiam viſionis ſub ratione vel futuri, vel exiſtentis in æternitate; ſed id non requiritur, quia ſufficit, ſi præſupponatur cognitum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſub ratione poſſibilis, vel etiam futuri ſub conditione, quia poſita hac ſcientia poſſibilitatis Petri, nil obſtat, quo minus poſſit Deus velle illi priùs dare gratiam, & gloriam, quàm ei conferre eſſe naturale: unde ex eo quod forma debeat præſupponere ſubjectum, non rectè infertur, non poſſe ſubſtantiam prædeſtinati præcisè conſideratam intra limites puræ naturæ eſſe effectum prædeſtinationis: quia licèt ſit prior effectus prædeſtinationis in ſtatu poſſibilitatis, & per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, poteſt tamen eſſe poſterior, ſi conſideretur in ſtatu exiſtentiæ & ut eſt terminus ſcientiæ viſionis. Sed contra quia eo ipſo quod ponitur electio efficax ad gloriam, debet hæc eſſe volita, ut re ipſa, & in effectu danda ſubjecto; ſiquidem forma ut exiſtens debet præſupponere ſubjectum ut exiſtens, cùm forma non poſſit exiſtere niſi in ſubjecto exiſtente: ſed ſubjectum ut præcisè poſſibile, & ut terminans ſimpliciter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non eſt capax accidentis ut re ipſa inhærentis; quia forma exiſtens, qualis eſt ea, quæ inhæret, non poteſt ſubjectari in ſubjecto non exiſtente, ergo neceſſè eſt, ut hoc ſubjectum præſupponatur vel ut futurum vel ut exiſtens in æternitate, adeo ut non potuerit Deus voluiſſe priùs dare Petro gloriam, quàm ejus naturam in eo ſtatu, in quo intenditur gloria.] Rurſus ex vi divini decreti gloria danda Petro eſt abſolutè, & ſimpliciter futura antecedenter ad decretum dandi eidem eſſe naturale: conſequenter ex vi ejuſdem decreti ſuppoſitur gloria, ut exiſtens in æternitate, & ut cognita per ſcientiam viſionis: ſed hæc gloria intenta nequit cognoſci ut exiſtens per ſe, cum de ratione formæ exiſtentis ſit exiſtere, & inhærere alteri exiſtenti: conſequenter requiritur aliud decretum diſtinctum, quo præſupponitur poſitum ſubjectum ut exiſtens in æternitate, cui inhæreat forma itidem exiſtens in æternitate; adeout gloria non poſſit videri, ut inhærens, & ut exiſtens in æternitate, niſi præſupponatur ſubjectum itidem exiſtens in æternitate, & cui forma inhæreat, quia de ratione formæ eſt ſemper præſupponere ſubjectum.

Hinc nec bona merè naturalia poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, ſiquidem Apoſtolus ad Roman. 8. tres tantùm recenſet effectus prædeſtinationis ſcilicet vocationem, juſtificationem, & glorificationem, ut explicat D. Auguſtinus epiſt. 95. ad Innocentium, in qua excludit à gratia prædeſtinationis bona, quæ pertinet ad naturam: ſed bona naturalia non ſunt ullus ex recenſitis effectibus ab Apoſtolô, & Auguſtino, conſequenter bona merè naturalia non ſunt effectus prædeſtinationis. Firmari ex eo etiam poteſt, quia de ratione effectus prædeſtinationis eſt, eſſe beneficium ſupernaturale Dei, & connexum ex ſe cum gloria, ut docet Auguſtinus de dono perſeverantiæ cap. 14. ubi definit: *Prædeſtinationem eſſe præparationem beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur* bona autem naturalia cùm non ſint beneficia Dei ſupernaturalia, neque connexa eſſentialiter cum gloria, ſed tantùm ſunt beneficia naturalia, non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, alioquin omnes homines, quibus talia bona inſunt, conſequerentur gloriam: Quòd ſi dicas hujuſmodi bona prout inſerviunt fini prædeſtinationis eſſe in ordine ſupernaturali, ac poſſe eſſe effectus prædeſtinationis. Contra eſt, quia hæc bona naturalia, quando dicuntur inſervire fini prædeſtinationis vel acquirunt prædicatum aliquod, quo carebant, priusquam tali munere fungerentur, vel non: ſi primum, ergo illud ſolùm prædicatum ſuperadditum eſt effectus prædeſtinationis, adeo ut bona naturalia non per ſe, ſed tantùm deſumpta denominatione ab hoc prædicato ſuperaddito vocari poſſunt effectus prædeſtinationis. Si ſecundùm ergo cum ſecundùm proprium eſſe nudè ſumptum ſint effectus providentiæ naturalia non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis ſupernaturalis. Quòd ſi inſtes hæc bona naturalia pertinere ad vocationem quatenus juvant gratiam vocantem in ordine ad ejus effectum; Contra eſt, quia hæc dona vel ſunt ſecundùm ſe beneficia, quæ præparantur à prædeſtinante; vel non? Si dicatur hoc ſecundum non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis de cujus ratione formali eſt, ut ſit beneficium ſupernaturale connexum eſſentialiter cum gloria, ex quo certiſſimè liberantur, quicunque liberantur: ſi primum ergo non ſunt bona naturalia, ſed beneficia ſupernaturalia de quibus non procedit quæſtio.

Præterea quia prædeſtinatio cùm ſit in ordine ad liberationem præſupponit peccatum originale, ſiquidè ex Auguſtino loc. cit. *Eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur:* liberare autem ſupponit ſervitutem, & captivitatem ſeu peccatum originale. Atqui peccatum originale præſupponit bona naturalia in homine: ſiquidem ſupponit hominem conſtitutum cum intellectu, & libero arbitrio, ac cæteris potentiis, quæ naturaliter emanant ab eſſentia hominis: conſquenter bona naturalia pertinent ad ordinem providentiæ naturalis, & præſupponuntur ad effectus prædeſtinationis, quod etiam ex eo firmari poteſt: quia nullus homo per bona purè naturalia poteſt liberari; certè non alia ratione niſi quia bona naturalia ſunt tantùm intra limites naturæ, & cùm effectus debeat proportionari ſuæ cauſæ, & prædeſtinatio ſit providentia ſupernaturalis, neceſſe eſt omnes ſuos effectus eſſe in ordine ſupernaturali.

Bona

Digitized by Google

Bona tamen quoad ſubſtantiam naturalia,& quoad modum ſupernaturalia ſunt effectus prædeſtinationis, ſi habeant infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis. Quia illud eſt effectus prædeſtinationis quod eſt medium efficax in ordine ad aſſecutionem finis ejuſdem prædeſtinationis: ſed hujuſmodi bona infallibiliter connexa cum fine prædeſtinationis ſunt media efficacia ad conſecutionem ejuſdem finis, ergo ſunt effectus prædeſtinationis. Quòd ſi hujuſmodi bona non habeant hanc infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis non poſſunt eſſe effectus illius: ratio eſt quia effectus prædeſtinationis debet eſſe ex illo propoſito efficaci, quo Deus vult conferre gloriam prædeſtinationis, & quæ non ſunt eſſentialiter connexa cum fine prædeſtinationis non poſſunt eſſe ex illo propoſito, conſequenter non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Major liquet, quia prædeſtinatio eſt Dei propoſitum, quo vult conferre gloriam prædeſtinatis. Minor oſtenditur, quia Dei propoſitum utpote efficax non poteſt falli, nec fallere,adeo ut ex intrinſeca ſua ratione exigat tantùm terminari ad media infallibiliter coñexa cum fine prædeſtinationis: ergo illa bona, quæ carent hac infallibili connexione nequeunt eſſe effectus prædeſtinationis.] Sed dices omnia inſervientia fini prædeſtinationis ſunt effectus illius: ſed omnia bona naturalia, quæ inſunt prædeſtinatis inſerviunt fini prædeſtinationis, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt:* ergo bona naturalia ſunt effectus prædeſtinationis. Sed contra quià bona naturalia dupliciter poſſunt conſiderari vel ſecundùm ſe præciſè, quatenus ſunt ſimpliciter intra limites naturæ, vel prout à Deo ordinantur ad finem prædeſtinationis, & aſſumuntur ut media, vel occaſiones, vel aliquo alio modo, & priori modo non ſunt effectus prædeſtinationis, ſecundo autem modo, ut ordinata à Deo ad finem prædeſtinationis, tunc deſumpta denominatione à tali ordinatione, quæ præcipuè eſt effectus prædeſtinationis, poſſunt dici, ac denominari effectus prædeſtinationis non ſecundùm ſe, ſed ratione ordinationis ſuperadditæ.] Si dicas bona temporalia eſſe objectum ſpei theologicæ, eò quia juvent hominem ſperantem in ordine ad ſpiritualia, conſequenter eſſe effectus prædeſtinationis: ſed bona temporalia, ſunt bona naturalia, ergo hæc poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Contra eſt, quia bona temporalia non ſunt effectus ſpei theologicæ, ſi ſumantur ſimpliciter ut talia, ſed tantùm prout ſtant ſub formali objecto ejuſdem ſpei theologicæ: alioquin ſi præſcindamus à Dei ordinatione, & conſiderentur bona naturalia, prout ſunt ſimpliciter intra limites naturæ, non poſſunt ſtare ſub ratione formali effectus prædeſtinationis, eò quia non ſint media proportionata finis illius.] Sed dices vocationem externam eſſe effectum prædeſtinationis; ſed externa vocatio exercetur per res merè naturales: ergo iſtæ poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Sed contra negatur major, ſi ſermo ſit de externa vocatione purè naturali, quia non includit quidquam ordinis ſupernaturalis, nec dicit proportionem cum fine prædeſtinationis, de ratione autem effectus eſt, ut ſit proportionatus cauſæ. Vocatio igitur externa poteſt eſſe effectus prædeſtinationis non ex ſe, ſed quatenus intelligitur elevata per internam vocationem ſupernaturalem.] Inſtabis acceleratio mortis naturalis juſti prædeſtinati eſt primò volita per decretum, quo juſtus eſt prædeſtinatus: ergo eſt effectus prædeſtinationis ſecundùm ſubſtantiam; antecedens claret ex ſcripturis Sapient. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, & infra Placita enim erat Deo anima illius propterea properavit educere illum de medio iniquitatum:* ex quibus conſtat, finem propter quem Deus accelerat interdum mortem juſti prædeſtinati, qui aliàs tunc non erat moriturus ſecundum naturalem curſum cauſarum, eſſe quia diligit eum efficaciter in ordine ad gloriam. Contra eſt, quià acceleratio mortis juſti prædeſtinati non eſt ſecundum ſe præciſè effectus prædeſtinationis, ſed tantùm ut recipit ordinationem Dei, qua dirigitur in finem prædeſtinationis, undę non ratione ſui, ſed tantùm ratione hujus ordinationis ſuperadditæ denominari poteſt effectus prædeſtinationis vel prout ſtat ſub finali perſeverantia.

Opera verò moraliter bona, ſi fiant à prædeſtinato exiſtente in gratia, poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, ſecus ſi fiant à prædeſtinato exiſtente in peccato lethali.* Prior pars eſt probata facilis quia hujuſmodi opera poſſunt eſſe extrinſece relata ad Deum finem ſupernaturalem, ſaltem virtualiter, per præcedentem actum charitatis, quo juſtus omnes ſuas operationes in Deum retulit: in hac enim ſuppoſitione hujuſmodi opera ſunt meritoria vitæ æternæ, conſequenter ſunt effectus prædeſtinationis. Quinimò plures docent hujuſmodi opera etiam ſecluſa ordinatione actuali, aut virtuali ad finem ſupernaturalem eſſe meritoria de congruo vitæ æternæ per ſolam ordinationem habitualem ſubjecti exiſtentis in gratia. Ratio ſecundæ partis eſt, quia hujuſmodi opera moraliter bona elicita ab exiſtente in lethali non ſunt meritoria, neque impetratoria, neque ſunt diſpoſitiones ad gratiam: conſequenter non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Si dicas hujuſmodi opera habere hanc utilitatem, quia conducunt, ut prædeſtinatus exiſtens in lethali conſequatur gratiam, eò quia facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam, ac proinde poſſe eſſe effectum prædeſtinationis. Contra eſt negatur antecedens ad cujus probationem reſpondetur illud axioma non eſſe intelligendum de faciente quod in ſe eſt ſolius naturæ viribus, ſed de faciente quod in ſe eſt ex viribus gratiæ, tunc enim Deus non denegat uberiora gratiæ incrementa.

Major difficultas eſt, an permiſſio peccati eſſe poſſit effectus prædeſtinationis? Peccatum in ſe ſpectatum non eſſe effectum prædeſtinationis, eſt certum de fide, quia nequit eſſe effectus Dei ut definitur in Concilio Arauſicano *can. ult.* & Tridentino *ſeſſ. 6. can. 6.* Eo autem ipſo quod peccatum prædeſtinati nequit eſſe effectus Dei, neque eſſe poteſt effectus prædeſtinationis: ſiquidem effectus prædeſtinationis eſt ſimul effectus Dei, ut docet Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 10. ubi ait: *Deum prædeſtinaſſe quæ ipſe erat facturus* & inde eruit diſcrimen inter præſcientiam, & prædeſtinationem, quià Deus præſcivit etiam quæ non facit, cujuſmodi ſunt peccata non verò prædeſtinat, niſi quæ facit. Tum quia prædeſtinatio efficax includit ſaltem in obliquo decretum efficax circa id, quòd ordinatur ad prædeſtinationem, adeo ut res ita ordinata ſit effectus illius decreti, conſequenter, & Dei, qui operatur per voluntatem: & quia Deus non poteſt efficaciter velle peccatum, ita neque eſſe poteſt effectus prædeſtinationis. Rurſus quia peccatum non poteſt eſſe medium utile ad conſecutionem gloriæ quia peccatum ex propria ſua natura potiùs eſt deſtructivum gloriæ, conſequenter non poteſt includere utilitatem ullam in ordine ad conſecutionem illius, proinde repugnat peccatum eſſe effectum prædeſtinationis,

Digitized by Google

de cujus ratione eſt eſſe medium utile ad conſecutionem gloriæ.] Quamobrem difficultas tantum eſſe poterit de ipſa permiſſione peccati: hæc autem permiſſio conſiſtit formaliter in voluntaria negatione, ſeu remotione auxiliorum gratiæ, quæ ſi adeſſent, prædeſtinatus peccatum declinaret: Deus enim voluntariè, & liberè ſubtrahit hæc auxilia, alioquin nullum in mundo peccatum committeretur, cum pluribus, & miris modis poſſit Deus, ſi velit, peccatum quodlibet impedire. Rurſus permiſſio peccati ſumi poteſt activè & paſſivè: permiſſio activa conſiſtit in actione Dei permittentis, & quæſtio non procedit de hac activa permiſſione, ſed tantùm de paſſiva, quæ conſiſtit in carentia gratiæ efficacis, qua poſita prædeſtinatus non peccaret. Et plures cenſent probabiliter poſſe defendi permiſſionem peccati in prædeſtinato eſſe effectum prædeſtinationis præparatum à Deo ex intentione pœnitentiæ: unde non dicimus ipſam permiſſionem peccati nudè ſumptam eſſe effectum prædeſtinationis, quia hæc permiſſio paſſiva, cùm dicat de ſuo formali ſolam, & præciſam carentiam gratiæ efficacis, non poteſt cauſari à Deo: quia Deus cauſando ſe habet benefico modo, & impertitur ſemper aliquod bonum: & quia permiſſio paſſiva peccati præciſè ſumpta tantùm abeſt, quòd ſit aliquod bonum ut potiùs dicat ſubtractionem ejuſdem, ſeu gratiæ efficacia, certum eſt in hoc ſenſu non poſſe à Deo cauſari, unde ſumitur permiſſio paſſiva peccati non nudè & ſimpliciter: ſed cum addito quatenus eſt permiſſio proveniens ex intentione pœnitentiæ, & ita docent plures Thomiſtæ cum Joanne à S. Thoma *diſput. 9. art. 5.* Nazaria, Cajetano & aliis.] Ratio à priori eſt quia permiſſio peccati ex præintenta pœnitentia poteſt à Deo eſſe primò volita ex vi decreti prædeſtinationis, ac voluntatis beatificandi prædeſtinatum, ſiquidem poteſt talis permiſſio eſſe volita ex intentione, & fine, ut prædeſtinatus ex occaſione peccati ferventior, ac humilior reſurgat, majorem gloriam, & gratiam recipiat, & uberiores fructus exhibeat pœnitentiæ, hinc Auguſtinus expendens verba Pſal. 29. *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus,* ait circa finem capitis. *Ideo qui in voluntate ſua præſtiterat decori ejus virtutem, avertit paululum faciem ſuam, ut qui hoc dixerat, fieret conturbatus, quoniam ipſi eſt ille tumor ſanandus doloribus,* ſed ex D. Auguſtino Deum avertere faciem ſuam perinde eſt ac Deum ſubtrahere ſuam gratiam, in cujus carentia conſiſtit paſſiva permiſſio peccati: & quia ex eodem Auguſtino Deus ad hunc finem ſuam ſubinde avertit faciem, ut homo conturbatus fiat humilis, & alacrior reſurgat per pœnitentiam, ſequitur quòd permiſſio peccati in electis ex intentione humiliationis, & pœnitentiæ præparetur à Deo ex fine ſpiritualis ſalutis, & ut in electis proveniat ex intentione beatitudinis, conſequenter permiſſio peccati in electis eſt effectus prædeſtinationis illorum, hinc Auguſtinus lib. de natur. & grat. cap. 28. ſub initium ait: *Non itaque dicitur homini, neceſſe eſt peccare, ſed dicitur homini deſerit aliquantulum Deus, ut ſciat non tuum, ſed ejus eſſe, & diſcat ſuperbus non eſſe,* & lib. 14. de Civit. cap. 13. addit: *Audeo dicere ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum, & manifeſtum peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui ſibi jam placendo ceciderant; ſalubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit quando præſumpſit,* & ut id confirmet, adfert illud Pſal. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine,* & lib. de natur. & grat. cap. 24. expreſsè aſſerit à Deo permiſſum fuiſſe peccatum Davidis, ut illa conturbatio eſſet ei quodammodo medicinalis contra ſuperbiam. *Dixerat enim in abundantia ſua non movebor in æternum, & ſibi tribuebat, quod à Domino habebat, quare oſtendendum ei fuerat, unde haberet, ut reciperet humilis, quod ſuperbus amiſerat.* Hoc idem aſſerunt reliqui Sancti Patres, præſertim Gregorius in Pſal. 2. pœnitentialem. D. Hieronymus in Commentar. ad Roman. 8. Chryſoſtomus lib. 1. de providentia. Ambroſius ſerm. 97. de fide Petri. Bernardus ſerm. 2. in Pſal. *Qui habitat.* Unde ſi ex Sanctis Patribus permiſſio peccati in electis provenit ex intentione majoris fructus ſpiritualis in ordine ad beatitudinem, eſt hæc permiſſio peccati effectus prædeſtinationis, ſiquidem omne id, quod intenditur à Deo, ob fructum ſpiritualem rationalis creaturæ, provenit in electis ex intentione beatitudinis iiſdem conferendæ: ſed quod ita intenditur à Deo eſt effectus prædeſtinationis in ipſis electis: ergo cum permiſſio peccati in electis proveniat à Deo ex intentione, ut electi inde reſurgant humiliores, & per pœnitentiam uberiora recipiant gratiarum incrementa in ordine ad conſecutionem beatitudinis, negari non poteſt hujuſmodi permiſſionem peccati in electis eſſe effectum prædeſtinationis in quo ſenſu explicari etiam poteſt illud Apoſtoli ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*] Firmari etiam ex eo poteſt, quia permiſſio, qua Deus permittit reprobos peccare eſt primariò volita à Deo propter bonum prædeſtinatorum, & ex vi electionis eorundem ad gratiam, & gloriam, ergo etiam permiſſio, qua Deus permittit electos peccare, eſt primariò volita à Deo non propter permiſſionem ſimpliciter ſumptam; ſed propter bonum prædeſtinatorum, & ex vi electionis ad gratiam, & gloriam, conſequenter eſt effectus prædeſtinationis. Conſequentia à paritate rationis valet. Antecedens conſtat ex illo Pauli ad Roman. 11. ubi Apoſtolus loquens de Judæis reprobis & eorum peccato ait: *Nunquid ſic offenderunt, ut caderent? abſit, ſed illorum delicto ſalus eſt gentibus ut illos æmulentur: quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi &c.* quibus verbis D. Paulus expreſſè declarat finem intentum à Deo in permiſſione peccati Judæorum non fuiſſe eorum ruinam: ſed ſalutem populi electi, quo exemplo caſus Judæorum cautior procederet, & in gratia acquiſita proficeret, ut explicat D. Auguſtinus in Pſal. 57. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatorum,* quæ verba expendens Auguſtinus ait: *Juſtus, qui videt vindictam peccatoris, proficit ipſe, & mors unius valet ad vitam alterius.* Si igitur permiſſio peccati conducit ad ſalutem prædeſtinati, aſſerendum eſt ita per modum intentionis fuiſſe ab æterno in mente divina ordinatum.

Sed dices omnis effectus prædeſtinationis debet eſſe beneficium aliquod ſupernaturale, quod conducat ad finem prædeſtinationis, ſeu gloriam: ſed permiſſio peccati non eſt beneficium ſupernaturale Dei, nec gratia, ſed potiùs eſt ſubtractio, & negatio gratiæ, & beneficii: ergo non poteſt eſſe medium præparatum per prædeſtinationem, conſequenter neque effectus illius. Sed contra, quia fit tranſitus in minori de permiſſione in ſenſu compoſito cum ordinatione per pœnitentiam ad majorem humilitatem, & fructum ſpiritualem habentem rationem doni gratuiti, ad permiſſionem peccati nudè ſumptam, & in ſenſu diviſo, ſeu conſideratam ſine tali ordina-

tione;

Digitized by Google

tione ; quapropter negatur minor ; & conſequentia : quia non dicimus ſolam permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis ; ſed permiſſionem ut ordinatam reduplicativè per pœnitentiam ad majorem fructum ſpiritualem, qui cum habeat rationem doni gratuiti eſt beneficium ſupernaturale Dei, conſequenter effectus prædeſtinationis juxta ejus definitionem traditam à D. Auguſtino. Quamvis igitur peccati permiſſio ratione ſui, & intrinſecè non ſit gratia, ſed potiùs carentia gratiæ ; neque ut ſic conſiderata poſſit eſſe effectus prædeſtinationis, prout tamen componitur cum extrinſeca ordinatione, ut prædeſtinatus reſurgat humilior, & per pœnitentiam uberiorem ſuſcipiat fructum ſpiritualem ; ratione hujus extrinſecæ ordinationis includit beneficium Dei ſupernaturale conducens ad finem prædeſtinationis, quo ſit ut in ſenſu compoſito cum hac ordinatione ſit effectus prædeſtinationis dices ex data reſponſione, ſequeretur poſſe prædeſtinatum petere à Deo, ut permittat eum peccare, ſecundùm modum illum, quo per ſuam providentiam diſpoſuit, peccatum ſibi profuturum ad majus gratiæ, & gloriæ incrementum : hoc autem adverſatur orationi Dominicæ quâ Deum rogamus ne permittat nos induci in tentationem, ſin autem liceret prædeſtinato Deum rogare, ut permittat ipſum peccare & inde uberiora gratiæ, & gloriæ incrementa ſuſcipiat, cum peccatum præſupponat tentationem, utique liceret prædeſtinato Deum rogare, ut permittat ipſum induci in tentationem. Firmatur quia licitum eſt nobis Deum orare, ut concedat nobis, quæ nobis Chriſtus promeruit, & quæ conducunt ad majorem fructum ſpiritualem : Sed contra, quia peccatum cum ſit averſivum à Deo ut fine ultimo pro nullo eventu poteſt licitum eſſe, conſequenter neque licitè à Deo peti. Neque poſſumus ea petere, quæ ſine peccato non poſſumus conſequi : adeout non poſſimus petere illam occaſionem majoris boni, ſi hæc occaſio ſit neceſſariò connexa cum peccato, nec poſſimus eam ſine peccato enanciſci. Si dicas nos non petere ipſum peccatum in ſe ; ſed tantum illam permiſſionem peccati, quæ nobis eſt occaſio majoris gratiæ, ſeu permiſſionem peccati non ut averſivam à Deo, ſed ut converſivam ad pœnitentiam : Contra eſt, quia permiſſio peccati, ideo eſt converſiva ad pœnitentiam, quia fuerat averſiva à Deo, adeo ut ratio averſionis ſit eſſentialiter connexa cum peccato : hinc petens formaliter permiſſionem peccati, poſtulat virtualiter ipſum peccatum : quia eo ipſo quod aliquis petit formaliter non prohiberi malum à ſe ipſo perpetrandum ; virtualiter petit ipſum malum.] Inſtabis : ex eo quòd Deus directè velit non prohibere peccatum ; non ſequitur Deum velle virtualiter peccatum, alioquin cum Deus de facto permittat peccata, diceretur virtualiter velle peccata, quod eſt abſurdum ; ergo à paritate rationis ex eo quod aliquis velit permiſſionem peccati, non ſequitur virtualiter velle ipſum peccatum ut averſivum à Deo fine ultimo, ſed potius ut converſivum ad pœnitentiam, & per hanc ad uberiora incrementa gratiæ, & gloriæ. Sed contra negatur conſequentia ; & ratio diſparitatis aſſignatur à D. Thoma. 1. 2. *quaſt.* 6. *art.* 3. ubi docet, Deum non teneri evitare, ac impedire, ne peccata committantur ab hominibus : proinde quamvis Deus non impediat peccata, cum poſſet, non dicitur velle peccata : quia ut defectus omiſſionis ſit voluntarius, non ſolum requiritur ; quod omittens poſſit, ſed etiam teneatur non omittere homines verò quia tenentur prohibere, ne peccata ab iiſdem perpetrentur ; eo ipſo, quòd volunt peccatum ipſis non prohiberi, quinimò potius petunt illius permiſſionem, poſtulant etiam virtualiter ipſum peccatum : proinde non licèt homini velle permiſſionem peccati ob majus gratiæ, & gloriæ incrementum, nec petere à Deo ut permittat ipſum peccare etiam ad eum finem ut inde reſcipiſcat, ac reſurgat ferventior cum uberiori augmento gratiæ, & gloriæ.

Inſtare quis poſſet : eatenus non licet homini petere à Deo permiſſionem peccati ; quia cum tali permiſſione nectitur ipſum peccatum : ſed hæc ratio non videtur ſubſiſtere ; quia poſſumus licitè petere aliquid, cum quo ſit adnexum peccatum : etenim licitùm eſt nobis appetere martyrium, cui ſemper eſt adnexum peccatum tyranni : ergo tametſi permiſſioni peccati adnectatur peccatum, adhuc poterit permiſſio ipſa licitè appeti, ut inde homo uberiora recipiat per pœnitentiam incrementa gratiæ in hac vita, & gloriæ in futura : ſed contra negatur minor : quia non licèt nobis abſolutè appetere martyrium conjunctum cum peccato alieno, niſi præſuppoſita perſecutione tyranni, & eâ priùs cognitâ : hac enim cognitâ poſſumus martyrium appetere quoad paſſivam tantùm tormentorum perpeſſionem, & tolerantiam, præſcindendo à peccato tyranni, quo pacto Chriſtus etiam ſibi complacuit in propria paſſione, & morte.] Si dicas intentionem pœnitentiæ ante prævisionem peccati, & ex ſe inferre amorem ipſius peccati : ſed repugnat Deo virtualis, & formalis amor peccati : ergo repugnat, Deum intendere pœnitentiam ante prævisionem peccati ; adeout non poſſit Deus ex præintenta pœnitentia eligere permiſſionem peccati quia ut ex præintenta pœnitentia permittatur peccatum, debet intendi ante illius prævisionem. Major oſtenditur ; quia intentio efficax finis eſt virtualis amor illorum mediorum, quæ neceſſariò prærequiruntur ad conſecutionem, & exiſtentiam finis : ſed peccati exiſtentia eſt unum ex mediis neceſſariò prærequiſitis, ut pœnitentia exiſtat : ergo intentio pœnitentiæ ante prævisionem peccati eſt virtualis amor peccati, quinimò infert etiam ejus amorem formalem. Secundo quia tametſi exiſtentia panis ad ejus converſionem in corpus Chriſti requiratur neceſſariò ut materia deſtruenda ; adhuc Deus eo ipſo, quod intendit hanc converſionem, intelligitur virtualiter velle exiſtentiam panis, & tenetur illam velle formaliter : ſed peccatum eſt neceſſarium ut pœnitentia exiſtat, cum hæc dicat relationem ad peccatum : ergo tametſi requiratur ut materia deſtruenda ; adhuc intentio pœnitentiæ ante prævisionem peccati includit virtualem amorem peccati, & infert formalem. Sed contra negatur major, & ad ejus probationem proceditur cum diſtinctione, eſt virtualis amor omnium, quæ ſunt neceſſaria ut amata ab intendente finem, conceditur : quæ ſunt neceſſaria, quatenus ſunt tantùm permiſſa, nego majorem ; & ſub eadem diſtinctione minoris, negatur conſequentia : ratio eſt, quia tametſi exiſtentia peccati ſit neceſſaria, quatenus eſt permiſſa ; non tamen eſt neceſſaria, ut amata à Deo intendente pœnitentiam : repugnat enim amorem Dei terminari ad peccatum : quamobrem ex producto argumento ſolùm inferri poteſt, intentionem pœnitentiæ eſſe virtualem amorem permiſſionis peccati, non verò ipſius peccati. Ad ſecundam probationem ejuſdem majoris reſpondetur eſſe diſcrimen inter materiam panis deſtruendam per converſionem ſui in corpus Chriſti ; & peccatum deſtruendum per pœnitentiam : quia exiſtentia panis

Digitized by Google

nis requiritur ad sui conversionem in Christi corpus, & exigit pro causa suæ destructionis voluntatem approbativam Dei, & non tantum permissivam: quo fit ut Deus intendens illam conversionem panis, virtualiter velit existentiam panis, alioquin hic non converteretur: oppositum autem contingit in existentia peccati, quia non exigit pro causa voluntatem Dei approbativam, sed tantum permissivam.

Dices, Deus nequit efficaciter intendere pœnitentiam, quin simul cognoscat peccatum, ut futurum: siquidem pœnitentia futura dicit necessariò ordinem ad peccatum futurum: sed nequit peccatum cognosci ut futurum, nisi cognoscatur se habere determinato modo per causam determinatam, quæ det illi esse determinatum: ergo intentio efficax pœnitentiæ, qua Deus cognoscit peccatum futurum, determinat causam existentiæ peccati, cui etiam dat rationem futuritionis. Firmari ex eo itidem potest, quia ut pœnitentia sit futura ex vi intentionis terminatæ ad determinatam pœnitentiam, necesse est ut peccatum sit ab æterno futurum: sicut ab æterno est futura ipsa pœnitentia includens intrinsecum ordinem ad peccatum: sed peccatum non potest esse ab æterno futurum, nisi ratione intentionis efficacis pœnitentiæ: siquidem futuritio est denominatio extrinseca desumpta à determinatione causarum; sed ab æterno nequit esse determinatio causæ creatæ, quia cum nulla creatura sit æterna: neque ejus determinatio potest esse æterna; inde sequitur peccatum non posse constitui futurum ab æterno, nisi à determinatione voluntatis divinæ, quod repugnat. Sed contra distinguitur minor. Nequit quidquam cognosci ut futurum nisi in causa determinata, à qua habeatur res futura, vel saltem ex illa inferatur, conceditur minor: à qua semper habeatur esse futurum, adeo ut accipiat esse ab illa in ratione futuritionis, negatur minor, & consequentia: ut enim aliquid sit futurum ob causam determinatam, non est semper necesse, quod habeat suum esse à tali causa, sed satis est si infallibiliter inferatur ex illa, quia tunc positâ tali causa determinatâ habetur res futura, quamvis physice non dimanet à tali causa: eo enim ipso quod infallibiliter infertur ex illa, habetur sufficienter res futura. Unde ut in decreto intento, & determinato ad pœnitentiam cognoscatur peccatum futurum, sufficit si ex tali decreto inferatur infallibiliter determinatio causæ ad peccatum, quamvis decretum illud non sit causa talis determinationis: ergo cum decretum efficax intentivum terminatum ad pœnitentiam causet electionem permissionis peccati, licèt ex tali permissione non causetur peccatum; quia tamen ex tali decreto infertur infallibiliter, quod voluntas creata se liberè determinabit ad peccatum; sequitur manifestè Deum in decreto intentivo & efficaci terminato ad pœnitentiam, & causante electionem permissionis peccati cognoscere peccatum, ut remotè futurum in eodem decreto intentivo & efficaci, terminato ad pœnitentiam, & causante electionem permissionis peccati & cognoscere peccatum ut remotè futurum in eodem decreto intentivo; & proximè ut futurum in sequenti decreto permissivo, non tamen ut decretum permissivum det futuritionem peccato; sed quia ex tali decreto infertur infallibiliter in voluntate creata deficiente ipsa futuritio peccati. Ad confirmationem distinguitur major, ut pœnitentia sit futura ex vi intentionis terminatæ ad eandem necesse est quod peccatum sit ab æterno futurum, adeo ut physicè causetur ex tali intentione, negatur major, adeo ut sit tantum futurum, quatenus ex vi consequentiæ infertur ex tali intentione, ut causante electione permissionis, conceditur major, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia.

Sed objicies efficax intentio pœnitentiæ præsupponit necessariò prævisionem peccati: sed peccatum prævidetur in sui permissione, ergo intentio efficax pœnitentiæ non causat electionem permissionis peccati, nec illam ponit, sed præsupponit. Major liquet quia pœnitentia non est aliquod bonum ex primaria intentione, sed tantum ex occasione peccati, ut docent Sancti Patres præsertim Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. Sed bonum occasionatum non potest amari nisi præsupposita sua occasione, ad quam sequitur, & à qua denominatur bonum occasionatum: ergo prævisio pœnitentiæ supponit necessario prævisionem peccati, quod est occasio pœnitentiæ. Firmatur quia pœnitentia non potest amari, nisi ut destructiva peccati, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 85. *art.* 2. ergo supponit necessariò prævisam destructionem peccati, quæ destructio cùm prævideri non possit, nisi prævideatur peccatum, ut destruendum, sequitur quòd non possit intendi pœnitentia ut destructiva peccati, nisi ex prævisione peccati. Contra est quia sicut pœnitentia plures includit formalitates, ac respectus ita sub pluribus rationibus potest intendi primo ut præcisè & simpliciter est destructiva seu remissiva peccati, secundò ut est manifestativa Omnipotentiæ divinæ, quæ parcendo maximè, & miserando nobis per pœnitentiam manifestatur, quatenus ex malis peccatorum infert bonum resipiscentiæ, & gratiæ. Tertio etiam potest intendi, quatenus est utilis ad consecutionem uberioris incrementi gratiæ, cum igitur dicitur in majori producti argumenti, quòd intentio efficax pœnitentiæ præsupponat necessariò prævisionem peccati, debet distingui hæc propositio; si intelligatur de efficaci intentione pœnitentiæ sub pura formalitate, qua est destructiva peccati, conceditur, quod sub hac ratione debeat præsupponere prævisionem peccati: sin autem sermo sit de intentione efficaci pœnitentiæ sub aliis formalitatibus, quibus est manifestativa divinæ omnipotentiæ, & includit utilitatem ad uberiora gratiæ incrementa, negatur & concessâ minore negatur consequentia. Neque Sancti Patres docent oppositum quando asserunt pœnitentiam præsupponere peccatum quia ipsi loquuntur de pœnitentia sub prima formalitate quæ est destructiva peccati; non verò de pœnitentia sub aliis formalitatibus, sub quibus nos in præsenti illam consideramus. Hinc ad confirmationem in qua asserebatur pœnitentiam non posse amari, nisi ex fine destruendi peccatum, negatur major, quia præter hanc bonitatem destructivam peccati, alia consideratur, siquidem pœnitentia includit bonitates ratione quarum potest amari, ut quod sit manifestativa divinæ omnipotentiæ, quæ parcendo maximè & miserando nobis manifestatur per pœnitentiam. Ad aliud quod addebatur de habitu, qui debet amari propter suum actum, tanquam finem, & actum primæ pœnitentiæ esse detestationem destructivam peccati, consequenter non posse efficaciter intendi nec amari pœnitentiam nisi ex prævisione peccati: respondetur habitum amari quidem propter actum, sed negatur inde sequi pœnitentiam non posse aliter amari, nisi propter suum actum ut destructivum peccati etenim sicut in habitu pœnitentiæ tres includuntur formalitates, seu bonitates: ita etiam in ipso actu pœni-

tentiæ

Google

tentiæ includuntur eædem formalitates, est siquidem actus pœnitentiæ destructivus peccati, manifestativus omnipotentiæ divinæ, est utilis ad uberius gratiæ incrementum, & ad perseverantiam: hæ formalitates sicut includuntur in habitu & actu pœnitentiæ; ita habitus pœnitentiæ, si intendatur, ut remissivus peccati, amatur ex intentione sui actus, ut destructivus peccati, ut sub hac formalitate intentio efficax pœnitentiæ supponit prævisionem peccati: Sed si habitus pœnitentiæ intendatur sub aliis formalitatibus prout est manifestativus divinæ omnipotentiæ vel est utilis ad uberius gratiæ incrementum, non est necesse, quod supponat prævisionem peccati, quia sub istis formalitatibus non refertur ad peccatum.

Sed dices non est prudentis Provisoris ex intentione sanitatis permittere morbum: sed peccatum permittere est morbum permittere, licèt sanandum per pœnitentiam, ergo cùm Deus sit prudentissimus provisor, non potest peccatum permittere ad hunc finem, ut sanetur per pœnitentiam: Contra est distinguitur major non est prudentis Provisoris ex intentione solius sanitatis permittere morbum, concedo majorem, ex intentione firmioris, solidioris, ac diuturnioris sanitatis, negatur major, & concessa minori distinguitur consequens: ergo Deus non potest permittere peccatum ex sola intentione, ut sanetur præcisè absque alio uberiori bono, conceditur consequentia: ex intentione ut non solùm præcisè sanetur, verùm etiam ut inde peccator ac spiritualiter infirmus firmiorem acquirat sanitatem, ac diuturniorem, ac conducentem ad perseverantiam finalem, nego consequentiam, tunc enim excessus sanitatis, qui acquiritur per permissionem morbi, est aliquod bonum præferendum non solùm morbo, sed etiam priori sanitati.] Sed instabis non est prudentis provisoris permittere majus malum ex intentione minoris boni: Sed peccatum est majus malum quàm sit bonum ipsa gratia, & Beatitudo, quia peccatum ratione infinitatis, quam secum trahit ab objecto infinito ad quod terminatur, & cui per peccatum infertur injuria, est infinitè odibile: adeo ut peccatum in ratione offensæ objectivæ dicatur esse infinitum, & gratia, ac beatitudo sunt tantùm bona finita, ergo ex eo, quod Deus sit prudentissimus provisor non videtur posse ex intentione pœnitentiæ majoris gratiæ, & gloriæ permittere peccatum. Quod si dicas peccatum in ratione offensæ excedere bonitatem beatitudinis formalis ratione sui non tamen ratione divinæ essentiæ, quam involvit, ut unitam per modum speciei intellectui beatorum: consequenter ex intentione hujus beatitudinis malum peccati non excedere bonitatem beatitudinis, quæ sequitur pœnitentiam, consequenter posse Deum ex intentione pœnitentiæ illud permittere. Contra est, quia quamvis divina essentia sit secundùm se bonitas simpliciter infinita, attamen quia finito modo unitur intellectui beatorum, non est ut sic unita infinitæ æstimabilitatis, alioquin non posset cadere sub meritis de condigno nostrorum operũ secus peccatum in ratione offensæ includit infinitam odibilitatem excedentem finitam bonitatem beatitudinis. Rursus remissio peccati majoris est æstimabilitatis, quàm sit unio divinæ essentiæ per modum speciei cum mentibus Beatorum siquidem hanc unionem promerentur justi de condigno ratione bonorum operum secus remissionem peccati, in sententia communiori Theologorum, nec sibi nec aliis potest homo promereri de condigno: sed remissio offensæ non excedit in ratione æstimabilitatis mensuram odibilitatis ejusdem offensæ: ergo si mensura remissionis offensæ quoad æstimabilitatem excedit mensuram unionis divinæ essentiæ per modum speciei cũ mentibus Beatorum: sequitur mensuram odibilitatis offensæ esse majorem mensurâ æstimabilitatis ejusdem divinæ essentiæ, ut mentibus Beatorum unitæ per modum speciei.] Respondetur igitur ad argumentum distinguendo majorem: non est prudentis prævisoris majus malum permittere ex intentione minoris boni, si sit majus malum ratione ejusdem subjecti, cujus mensura bonitatis, quæ illi desideratur ex intentione mali, est minor, transeat: si sit majus malúm non ratione ejusdem subjecti, sed alterius, negatur major, & ad minorem respondetur peccatum respectu subjecti prædestinati in ratione malitiæ non esse majus malum; seu mensuram malitiæ peccati non excedere mensuram bonitatis inclusæ in divina essentia, ut unita per modum speciei cum mentibus beatorum: sed peccatum est tantùm majus in ratione offensæ, quatenus infert injuriam objecto infinito, ut est Deus: ac exinde non infertur non posse Deum intendere permissionem peccati, ut inde prædestinatus per pœnitentiam recipiat majus gratiæ, & gloriæ incrementum, quia mensura malitiæ peccati non excedit, imò exceditur à bonitate incrementi gratiæ & gloriæ: neque obstat, quod in ratione offensæ peccatum excedat mensuram bonitatis inclusæ in incremento gratiæ, & gloriæ: quia mensura offensæ tantùm attenditur respectu Dei, cui injuria irrogatur, unde cum respectu prædestinati mensura majoris gratiæ & gloriæ in ratione æstimabilitatis excedat mensuram malitiæ peccati bene stat, posse prudentem provisorem intendere permissionem peccati ob majus incrementum gratiæ & gloriæ: quamvis in ratione offensæ excedat bonitatem gratiæ & gloriæ; sub ratione tamen malitiæ mensura malitiæ peccati non excedit mensuram bonitatis, gratiæ, & gloriæ, quia peccatum in ratione malitiæ tantum privat prædestinatum effectivè gratia; & formaliter rectitudine actus; utrumque autem exceditur à mensura bonitatis gratiæ, & gloriæ;] Quòd si contra hanc solutionem instes, eò quia inde sequeretur non posse Deum intendere permissionem peccati ex intentione manifestandi sua attributa; proinde neque ex intentione conferendi beatitudinem, quia hæc subordinatur manifestationi attributorum Dei: etenim ex intentione minoris boni tunc non potest majus malum permitti, quando mensura boni, & mali cadit supra idem subjectum: sed Deus intendens permissionem peccati ad manifestanda sua attributa intendit proprium bonum scilicet manifestationem sui ipsius sed peccatum in ratione offensæ est infinitum quia respicit Deum cui infertur injuria: ergo cum manifestatio attributorum Dei respectu ipsius Dei cujus attributa manifestantur, sit extrinseca, eò quia fiat ipsi creaturæ; & peccatum ratione offensæ, sit infinitum respectu Dei, sequeretur non posse Deum ex intentione manifestandi sua attributa intendere permissionem peccati contra datã responsionem; quia bonitas manifestationis & mensura offensæ cadunt supra idem subjectum quod est Deus; quia utraque mensura manifestationis, & offensæ respicit Deum.] Sed contra negatur sequela, ad cujus probationem respondetur cum distinctione, si majus malum sit in nocumento illato effectivè conceditur: si tantùm sit majus malum in nocumento illato affectivè, & non effectivè negatur, & eodem pacto distinguitur minor: quia peccatum in ratione offensæ, tametsi sit majus malum affectivè quatenus in affectu quantum

est

eſt ex ſe infert deſtructionem Dei, à quo auferret rationem finis ultimi, quæ eſt majus malum quàm ſit bona manifeſtatio attributorum: effectivè tamen non infert tale nocumentum, quia Deus nullius eſt capax nocumenti in effectu: ſecus manifeſtatio attributorum eſt bonitas Deo extrinſeca, quæ non ſolùm affectivè, ſed effectivè etiam eſt bona; proinde ex illius intentione poteſt Deus intendere permiſſionem peccati, quod in ratione mali moralis nullam habet infinitatem, quia ejus gravitas deſumitur ex objecto & circumſtantiis, quæ non valent refundere in actum creaturæ malitiam infinitam, proinde poteſt malitia peccati excedi à bono occaſionato: quo pacto multò major fuit bonitas Incarnationis occaſionatæ ex peccato hominis, quàm fuerit malitia peccati, quia ut ait Apoſtolus: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*] Dices tota ratio, qua in præcedentibus oſtenſum eſt permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis, fuit, quia hæc permiſſio ratione divinæ ordinationis includit utilitatem in ordine ad conſecutionem uberioris gratiæ & gloriæ, hæc autem ratio, ſi vim haberet inde ſequeretur Deum non ſolùm poſſe intendere permiſſionem peccati, verùm etiam ipſam malitiam peccati, quod eſt abſurdum: ergo non poteſt Deus intendere ipſam permiſſionem peccati: probatur ſequela, quia eatenus permiſſio peccati eſt à Deo intendibilis, quià conducit ad finem prædeſtinationis: ſed peccatum etiam in ratione malitiæ conducit ad finem prædeſtinationis quatenus eſt materia pœnitentiæ, conſequenter, ſi malita peccati non eſt effectus prædeſtinationis, neque erit effectus ejuſdem ipſa permiſſio peccati. Sed contra, quia permiſſio peccati non ex eo tantùm eſt effectus prædeſtinationis, quia conducit ad finem ejuſdem; ſed ulteriùs quia poteſt eſſe effectus volitus à Deo ex intentione finis, ut in præcedentibus explicuimus: ſecus malitia peccati, quamvis ut materia pœnitentiæ, vel occaſio humilitatis conducat ad finem prædeſtinationis materialiter, vel occaſionaliter; quia tamen non poteſt eſſe effectus divinæ omnipotentiæ; neque objectum intendibile à Deo, ſequitur, quòd non poſſit eſſe effectus prædeſtinationis & confirmari ex eo poteſt, quia communiter docent Theologi permiſſionem peccati eſſe effectum divinæ providentiæ, quamvis doceant omnes ipſum peccatum non eſſe effectum providentiæ ex quo liquet aliam eſſe rationem de permiſſione peccati, & aliam de ipſo peccato.

Quòd ſi loquamur de beneficiis ſupernaturalibus, certum eſt, aliquam vocationem eſſe effectum prædeſtinationis, eò quia hæc vocatio pertineat ad ordinem gratiæ, ſicut juſtificatio, & glorificatio, quæ propterea ſunt effectus prædeſtinationis ut colligitur ex D. Paulo ad Roman. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit*, & ad Timoth. 1. *Vocavit nos vocatione ſua ſancta non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum.* Ratio deſumitur ex eo, quia vocatio eſt medium neceſſarium ad aſſecutionem finis prædeſtinationis ſiquidem non poteſt creatura rationalis ſolius naturæ viribus tendere ad finem ultimum ſupernaturalem: ſed indiget excitatione, & illuminatione, quæ fit per vocationem; quæ vocatio ſi inferat contritionem, vocatur ſimpliciter efficax, de qua intelligitur illud Cantic. 1. *Trahe me poſt te curremus.* Alia dicitur vocatio inefficax cui prædeſtinatus non reſpondet de qua vocatione intelligitur illud Sapient. 1. *Vocavi, & renuiſti*, & illud Matth. 22. *Vocati ad nuptias venire noluerunt.*] Verùm quia vocatio alia eſt intrinſeca, & alia extrinſeca, dubitari ſolet de vocatione extrinſeca, an ſit effectus prædeſtinationis, & ratio dubitandi deſumitur ex D. Paulo 2 Corinth. 1. *Hac confidentia volui priùs venire ad vos, ut ſecundùm gratiam haberetis*, ubi Apoſtolus ſuppoſuit primam gratiam per epiſtolam, adeo ut præſentia prædicantis ſit gratia extrinſeca, quæ tamen præcisè ſumpta non eſt effectus prædeſtinationis, quia hæc vocatio externa, ſi præcisè ſumatur, non poteſt habere effectum ullum ſupernaturalem, niſi nectatur cum vocatione ſupernaturali interna, ut fuit definitum in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 16. ubi dicitur, quòd gratia antecedens, qua Chriſtus influit in ſingulos homines ſit neceſſaria ad omne opus bonum, conſequenter vocatio externa, præcisè conſiderata ut externa, non eſt effectus prædeſtinationis, quia de ratione hujus effectus eſt ordinari ex natura ſua ad cauſandum illum effectum, conſequenter debet eſſe proportionatus tali cauſationi: ſed vocatio purè externa ex natura ſua ordinatur ad cauſandum conſenſum, & non eſt ex ſe proportionata ad conſenſum ſupernaturalem niſi conjungatur cum vocatione ſupernaturali interna: ergo vocatio externa præcisè ſumpta non eſt effectus prædeſtinationis. Et firmari ex eo poteſt, quia vocatio externa præcisè ſumpta non eſt vera gratia quæ detur per Chriſtum ut docent Patres & Concilia contra doctrinam Pelagii. Sed ſola vera gratia eſt effectus prædeſtinationis: conſequenter vocatio externa præcisè ſumta non eſt effectus prædeſtinationis. Ad aliud deſumptum ex D. Paulo 2. Corinth. 1. reſpondetur verba D. Pauli non eſſe intelligenda de vocatione externa præcisè ſumta, ſed ut conjuncta cum interna, quam Deus confert poſita vocatione externa ut aliqua occaſione, & opportunitate.

Secus vocatio interna efficax, quæque habeat infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis ſive talis vocatio nunquam interrupta ſit, qualis fuit vocatio D. Pauli D. Magdalenæ ſive fuerit interrupta per peccatum, & poſtea reparata per pœnitentiam, cujusmodi fuit vocatio D. Petri eſt effectus prædeſtinationis, quia vocatio quæ eſt effectus prædeſtinationis, debet cauſari ab illo propoſito Dei, quo prædeſtinat creaturam rationalem ad finem prædeſtinationis: ſed vocatio infallibiliter connexa cum fine prædeſtinationis cauſatur ab illo Dei propoſito, quo prædeſtinat creaturam rationalem ad gloriam, conſequenter eſt effectus prædeſtinationis, quia cauſatur ab ipſa prædeſtinatione, quæ conſiſtit in propoſito illo Deo, quo prædeſtinat creaturam rationalem ad gloriam. Firmatur, quia vocatio quæ eſt ſecundum præfatum Dei propoſitum, debet eidem proportionari: ſed propoſitum illud eſt infallibile adèo ut, ſi ſit de vocatione tanquam de medio non poſſit in illam ferri niſi medium infallibile: neque obſtat ſi dicas ſatis eſſe ſi tota collectio mediorum ſit infallibilis non verò neceſſe eſt, quod ſingula media diſtributiva ſumpta ſint infallibilia: nam contra eſt, quia de ratione medii provenientis ab illo propoſito infallibilis eſt, ut conducat infallibiliter ad finem; alioquin non eſſet medium proportionatum intentũ à Deo per tale propoſitum conſequenter debet eſſe medium infallibile. Non tamen vocatio inefficax præcisè conſiderata eſt effectus prædeſtinationis: ſed tantùm ſi in memoriam redacta juvet prædeſtinatum, ut reſpondeat novæ vocationi: ſiquidem vocatio inefficax præcisè ſumpta nullo modo confert ad gloriam, neque ut principium elicitivum converſionis, neque ut occaſio: ſed quod non nectitur infallibiliter cum

Digitized by Google

fine prædestinationis nõ potest esse effectus illius consequenter vocatio inefficax præcisè sumpta non est effectus prædestinationis; bene tamen si in memoriam redacta juvet prædestinatum ut respondeat novæ vocationi, quia tunc quamvis non sit efficax in ordine ad actum proximum ad quem excitat, est nihilominus occasio, cur prædestinatus respondeat secundæ vocationi, quatenus recordatur vocationis neglectæ, quæ est illi occasio majoris gratitudinis erga Deum, qui iterum ipsum vocavit ergo saltem remotè ratione connexionis cum secunda vocatione efficaci potest dici effectus prædestinationis: siquidem ratione hujus connexionis nectitur infallibiliter cum fine prædestinationis.] Firmatur quia prædestinatus quamvis primis non obtemperet vocationibus; nihilominus ex iisdem frequenter relinquitur proclivior ad respondendum aliis vocationibus: unde priores vocationes aliquo pacto nectantur cum posterioribus, quibus prædestinatus respondet. Præterea vocatio est veluti quædam suasio, qua liberum hominis arbitrium incitatur, & allicitur à Deo, ut convertatur, & quamvis per primas vocationes non sinat se allici, ac suaderi, adhuc tamen primæ vocationes relinquunt aliquam dispositionem, qua faciliùs sinit se allici, ac suaderi à posterioribus.

Hinc dicimus gratiam justificantem, & alios habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis nullo pacto interruptos per peccatum esse effectus prædestinationis secundum substantiam, & ita dicendum etiam de operibus bonis meritoriis, & de dono perseverantiæ, unò est de fide & desumitur ex D. Paulo ad Roman. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit*: ubi observandum est, Apostolum dixisse absolutè prædestinatos justificari à Deo, sed ideo justificari, quia sunt prædestinati; illa enim particula *Et* habet vim causalis, ut denotetur, quod prædestinatio sit causa justificationis quæ nectitur cum glorificatione. Imò gratia justificans & merita mortificata per subsequens peccatum, ut restituta, & vivificata per pœnitentiam, sunt defectus prædestinationis, quia hujusmodi dona gratiæ, & merita in prædestinatis sunt infallibiliter connexa cum gloria, & maximè conducunt ad ejus consecutionem: quia quantitas gloriæ non solum datur juxta proportionem ultimæ justificationis verùm etiam juxta mensuram meritorum, quæ fuerant per peccata mortificata, dummodo postea restituantur per pœnitentiam, ergo cùm prima justificatio & merita mortificata per peccata, & restituta per pœnitentiam infallibiliter nectantur cum fine prædestinationis sunt effectus prædestinationis. An verò dona gratiæ, & merita interrupta, & mortificata per peccatum, & quæ postea per pœnitentiam reviviscunt, ac restaurantur sint effectus prædestinationis secundum substantiam, adeo ut non solùm ipsa reparatio, & restitutio sit effectus prædestinationis. Verùm etiam eorundem prima collatio, & productio antequam per peccatum mortificaretur, quamvis plures negent asserendum nihilominus cum aliis est, hujusmodi dona, & merita interrupta, & mortificata per peccatum, & postea instaurata, ac restituta per pœnitentiam esse effectus prædestinationis, quoad substantiam, quia hæc dona, & merita, ut fuerunt primò causata à Deo secundum proprias entitates, dicunt infallibilem connexionem cum fine prædestinationis, & dant jus ad gloriam re ipsa obtinendam: quod autem infallibiliter nectitur cum fine prædestinationis est effectus prædestinationis, à qua causatur, alioquin non conduceret infallibiliter nec daret jus ad ipsam gloriam consequenter præfata dona, & merita sunt effectus prædestinationis secundum substantiam, seu proprias entitates, quibus dant jus ad gloriam re ipsa obtinendam.] Si dicas non dare tale jus nisi ut vivificata, & instaurata per pœnitentiam. Contra est, quia pœnitentia propriè non vivificat gratia & merita mortificata: siquidem positivè non dat illis vitam, & valorem: quamobrem pœnitentia tantùm dicitur vivificare præcedentia dona, & merita, quatenus removet prohibens seu peccatum, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 85. *art.* 5. Causa siquidem per se talis vitæ & valoris est passio Christi applicata ipsis meritis & donis gratiæ, merita enim Christi semper manent in divina acceptione, unde antecedenter ad ipsam reparationẽ per pœnitentiam habent eundem valorem, & dabant idem jus in divina acceptione quamvis eorum efficacia fuerit impedita per peccatum: etenim valor meritorum Christi non deperditur per peccatum, sed tantùm eorundem efficacia impeditur per peccatum, ergo gratia, & merita prædestinati mortificata per peccatum & restaurata per pœnitentiam non dant jus ad gloriam ex vi reparationis per pœnitentiam, sed ex vi meritorum Christi, quæ manent in Dei acceptione etiam cum gratia & merita prædestinati sunt mortificata per peccatum lethale.] Firmatur assertum quia quando gratia reparatur, & merita reviviscunt, non solùm reduplicativè ut instaurata sed etiam specificativè tribuunt prædestinato jus ad gloriam: siquidem tale jus fundatur in gratia qua tali, & in meritis qua talibus: ergo gratia interrupta per peccatum, & merita mortificata sunt effectus prædestinationis in ipsis prædestinatis: præterea quia gloria quæ confertur prædestinatis, commensuratur secundùm quantitatem eorundem meritis non illis tantùm quæ acquiruntur per pœnitentiam, sed iis etiam quæ reviviscunt: consequenter si merita mortificata, & per pœnitentiam vivificata dant jus ad gloriam specificativè ut sunt merita debent esse effectus prædestinationis in ipsis prædestinatis. Rursus quia merita mortificata & gratia interrupta per peccatum retinent in prædestinatis ordinem reparabilitatis consequenter retinent etiam ordinem infallibilem ad gloriam; est sunt effectus prædestinationis.] Si dicas gratiam & merita tantùm reparata per pœnitentiam dari jus ad gloriam non verò ut mortificata per peccatum. Contra est, quia tametsi collatio gratiæ tantùm proveniat ex efficaci intentione gloriæ mediatæ, seu mediante instauratione per pœnitentiam ac mediante ordine quem retinent infallibilem ad reparationem, & finem ultimum, nihilominus adhuc quoad substantiam, & specificativè sunt effectus prædestinationis: siquidem etiam gratia non interrupta usque ad mortem procedit ex intentione gloriæ non solùm ut continuata verùm etiam ut primò infusa adeo ut sit quoad substantiam, & specificativè effectus prædestinationis ut fatentur omnes: sed hujusmodi gratia non conducit ad gloriam, nec dat jus ad ipsam nisi media continuatione & perseverantia finali ergo tametsi gratia, & merita non conducant ad gloriam nisi mediatè, seu mediante reparatione: adhuc quoad substantiam, & specificativè sunt effectus prædestinationis, quia sicut ratio mediationis non obstat, quò minus gratia continuata, seu mediante perseverantia, & continuatione neque ad mortem sit effectus prædestinationis quoad substantiam: ita neque in gratia interrupta ratio mediationis obstabit, quo minus sit effectus

ctus prædeſtinationis quoad ſubſtantiam & firmari ex eo itidem poteſt, quia gratia congrua eſt effectus prædeſtinationis ex intentione gloriæ; & nihilominus non niſi mediante actu elicito dat jus ad gloriam. Præterea quia nulla ratio repugnantiæ aſſignari poteſt, quæ probet gratiam primò collatam & interruptam poſtea per peccatum, reparandam tamen per pœnitentiam non procedere ex intentione efficaci dandi gloriam, & conſequenter hanc eſſe effectum prædeſtinationis.] Si dicas eſſe diſcrimen inter gratiam non interruptam, & interruptam per peccatum lethale, eò quia illa perſeveret eadem numero, & ideo poteſt eſſe effectus prædeſtinationis quoad ſubſtantiam: ſecus gratia interrupta cum non redeat eadem numero, ſed alia æquivalens quia individuum ſemel corruptum non amplius reparatur idem numero, ideo illa eadem gratia, quæ deperditur cùm non maneat ſimul cum gloria non poteſt eſſe effectus prædeſtinationis, ſed tantùm hæc alia, quæ æquivalet priori & perſeverat uſque ad mortem. Verum huic objectioni reſpondent aliqui gratiam per peccatum amiſſam poſſe dupliciter conſidarari primo in ratione entis, & qualitatis ſecundò in ratione principii effectivi, & dicunt priori modo conſideratam per modum entis, & qualitatis non eſſe effectum prædeſtinationis, quia non reperitur ſimul cum gloria. Poſteriori tamen modo in ratione principii effectivi, dicunt eſſe effectum prædeſtinationis, quia tunc ſumitur gratia effectivè quatenus perſeverat in ſuo effectu, ſeu in meritis. Sed contra quia fieri poteſt quod gratia deperdita, ut baptiſmalis non fuerit principium alicujus actus meritorii prius quam per peccatum deperderetur. Contra ſecundò quia dona gratiæ non habent rationem principii actus meritorii niſi immediatè per ſuas entitates. Contra tertiò quia hujusmodi dona non conferuntur nobis à Deo duplici voluntate alia in ratione entis, & alia in ratione principii, ſed una eadèmque voluntate conſequenter ſi perſeverant in ſuo effectu, ſeu meritis ratione principii debent etiam perſeverare in ratione entis.] Reſpondetur exactiùs ad effectum prædeſtinationis non requiri quod perſeveret uſque ad gloriam in ſua propria entitate individuali: alioquin ſequeretur, quod vocatio, & juſtificatio efficax, & omnes actus meritorii virtutum Theologicarum nunquam interrupti non eſſent effectus prædeſtinationis ſiquidem cùm ſint actiones tranſeuntes non perſeverent in ſuis principiis quoad proprias entitates individuales, quamvis non interrumpantur per peccatum lethale, quia eo ipſo quòd ſunt actiones tranſeuntes deficiunt ex propria natura. Unde ut gratia & merita interrupta per peccatum ſint effectus prædeſtinationis in prædeſtinatis ſufficit ſi perſeverent in ſuo effectu ſeu æquivalenti. Præterea quamvis gratia interrupta per peccatum non reparetur eadem numero, nihilominus in virtute illius producitur alia gratia conſequenter gratia præcedens quamvis interrupta per peccatum eſt effectus prædeſtinationis quatenus eſt quodamodo cauſa alterius effectus ſubſequentis, ſeu novæ gratiæ, ad quam gratia præcedens dicit in prædeſtinato infallibilem ordinem, ut ad ſubſequentem, quià gratia interrupta retinet ordinem reparabilitatis, adeo ut in prædeſtinato ſit infallibiliter reparanda. Quòd ſi reſpondeas gratiam ſubſequentem produci ratione pœnitentiæ, & non ratione gratiæ præcedentis amiſſæ per peccatum. Contra eſt, quia alia eſt gratia quæ confertur intuitu pœnitentiæ; & alia quæ datur intuitu operationis.] Dices gratiam interruptam per peccatum eſſe effectum communem tum reprobis tum prædeſtinatis, ut eſt gratia primò collata, ſiquidem etiam reprobi ſunt ſubinde in ſtatu gratiæ, à quò poſtea excidunt ergo gratia interrupta per peccatum non eſt effectus prædeſtinationis, quia per omnes hujusmodi effectum debet prædeſtinatus differre à reprobo, ergo cum gratia interrupta per peccatum ſit quid commune reprobis, & prædeſtinatis nequit eſſe effectus prædeſtinationis. Sed contra quia tametſi gratia ut primo collata ſit communis prædeſtinatis, & reprobis non tamen eſt communis prout ſub eſt intentioni gloriæ; ſiquidem in prædeſtinatis dicit ordinę reparabilitatis per quem differt gratia interrupta per peccatum in prædeſtinatis à gratia quæ interrumpitur in reprobis quià hæc non retinet hunc ordinem reparabilitatis ſicut illa quæ reperitur in prædeſtinatis in quibus eſt infallibiliter reparanda.

Cæterum glorificatio eſt effectus prædeſtinationis, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 23. *art.* 2. & probatur ex illo Apoſtoli ad Roman. 8. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*, unde ex mente Apoſtoli, tres ſunt effectus prædeſtinationis, vocatio, juſtificatio & glorificatio, ex quibus vocatio partim eſt in noſtra poteſtate, & partim non. Ut enim Deus non vocet, præveniat aut excitet eſt pura ſua gratia, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ideo enim dicitur gratia præveniens, quia noſtrum prævenit conſenſum & id olim definitum fuit in eccleſia contra Pelagianos in Concilio Arauſicano can. 3. & 4. & clarè convincitur ex ſcripturis ad Roman. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis*, Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater traxerit eum.* Verùm ut vocationis, & gratiæ prævenienti conſentiamus ac ſinamus nos ſuaderi ac allici à tali gratia eſt in noſtra poteſtate, ut patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 3. & manifeſtè deducitur ex ſcripturis, quæ ſæpe nos monent, hortanturque ut Deo vocanti obſequamur, eosque reprehendunt, qui obedire detrectant Ezech. 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam* Jerem. 7. *vocavi vos & non reſpondiſtis.* Juſtificatio quæ eſt ſecundus effectus prædeſtinationis, eſt in noſtra poteſtate, quia dependet ex propria diſpoſitione, qua quis liberè ſe diſponit ad infuſionem gratiæ juſtificantis aliorumque habituum ſupernaturalium qui cum ipſa connexa ſunt. Loquor de homine adulto, qui jam præventus & excitatus à Deo eſt per auxilium gratiæ actualis. Is enim ſicut liberè conſentire, & cooperari poteſt Deo vocanti, & excitanti; ita poteſt ſe liberè diſponere & præparare, ut paulatim efficiatur capax gratiæ ſanctificantis hoc declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. ubi aſſerit: Juſtificationem fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, & paulò poſt ait: *Unumquemque recipere gratiam, & juſtitiam ſecundùm propriam cujusque diſpoſitionem, & cooperationem.* Glorificatio itidem eſt in noſtra poteſtate quia pendet ex meritis noſtris, quæ liberè in hac vita exercemus: ſiquidem qui poſt acceptam charitatem, & gratiam juſtificantem in bonis operibus ſe exercet juxta illud 2. Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*; is procul dubio, ſi in iiſdem bonis operibus perſeveret, mediante divina ope vitam æternam loco mercedis conſequetur quia cum D. Paulo dicet 2. Timoth. 4. *Bo-*

num

Digitized by Google

num certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi, corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die. Cæterum vocatio, justificatio, & glorificatio, seu consecutio æternæ gloriæ causantur à Deo ex vi prædestinationis, cujus propterea dicuntur esse effectus.

Quòd si dicas cum Durando nomine glorificationis non intelligi ab Apostolo æternam felicitatem, sed gloriosam nominis celebritatem, adeo ut D. Paulus tantùm loquatur de gloria accidentali hujus vitæ per famam & bonum nomen juxta antiquam lectionem, quia locò *glorificavit*, legebatur *magnificavit*. Contra est, quia D. Paulus expressè loquitur de gloria illa quæ præparatur electis per prædestinationem ut explicat etiam D. Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctor. cap. 16. ubi ait: *Glorificavit illo utique fine qui non habet finem:* unde ex mente Augustini nomine glorificationis intelligitur æterna felicitas: sed non est gloria accidentalis hujus vitæ, quæ habeatur per famam, & bonum nomen, sed est mera glorificatio in patria, unde ex mente D. Pauli & Augustini glorificatio causatur à Deo ex vi prædestinationis cujus propterea est verus effectus. Contra secundò quia verba D. Pauli ædificanda sunt de omnibus ac singulis prædestinatis in quibus tamen non semper verificatur nominis celebritas cum possit adultus recens conversus & justificatus statim decedere ex hac vita, & salutem æternam consequi, tametsi nullam in hac vita nominis celebritatem enactus fuerit. Præterea quamvis aliqui ex Sanctis Patribus nomine glorificationis intellexerint etiam celebrem famam in hac vita; non tamen negant verba Apostoli esse intelligenda de gloria æterna. Licet alii etiam Doctores ecclesiæ, ut Chrysostomus, Theophylactus & alii per glorificationem intelligant adoptionem per charismata & dona, nihilominus loquuntur de adoptione perfecta, quæ fit in gloria per gratiam consummatam non verò de adoptione inchoata per gratiam, quæ confertur in præsenti statu viæ: ratio est: quia D. Paulus hanc adoptionem inchoatam jam significaverat per justificationem, cùm dixit: *Quos autem justificavit illos & glorificavit*, ubi Paulus distinguit justificationem à glorificatione: proinde si justificatio est, adoptio inchoata, quæ habetur in hac vita per gratiam nomine glorificationis intelligit adoptionem consummatam, & perfectam, seu ipsam æternam gloriam, unde nulli dubium esse potest, quia glorificatio sit effectus prædestinationis, quia cùm sit effectus gratiæ, & meritorum ut cum D. Thoma docent omnes Theologi debet esse effectus prædestinationis, quia gratia, & merita sunt effectus prædestinationis, ut ostensum fuit: ergo & ipsa glorificatio est effectus prædestinationis, quia juxta vulgatum axioma quod est causa causæ, & causa causati. Rursus glorificatio cùm sit effectus Dei debet cadere sub aliqua illius providentia: sed non est effectus providentiæ naturalis, quia non est à Deo ut Authore naturæ, sed ut supernaturali: rursus nec est effectus providentiæ supernaturalis generalis; quia hæc est communis omnibus hominibus, & tantum est de mediis sufficientibus respectu finis. Præterea neque est effectus reprobationis cujus effectus ultimus non est positio sed negatio gloriæ: ergo glorificatio est effectus prædestinationis supernaturalis particularis. Respondet Durandus in 1. *dist.* 41. *quæst.* 2. glorificationem non esse effectum hujus prædestinationis, & nititur, eò quia prædestinatio non sit de fine, sed mediis conducentibus ad assecutionem finis: sed glorificatio est finis prædestinatorum non verò medium, consequenter concludit non esse effectum prædestinationis. Sed contra quia prædestinatio propriè est præparatio mediorum inferentium efficaciter consecutionem finis, proinde ejus causalitas non solum extenditur ad media, sed transit ulterius ad finem: est enim prædestinatio aliquo pacto de fine in executione, quia non est de mediis utcunque sumptis, sed de ipsis ut inferentibus finem: consequenter etiam ipsa glorificatio est effectus prædestinationis: perinde ac sanitas quæ est finis artis medicæ, & est etiam effectus ejusdem, eò quia ars medica applicet effectivè media, quibus sanitas causatur: perinde quamvis glorificatio sit finis prædestinationis, est etiam ejus effectus, quatenus Deus ex vi prædestinationis dat gratiam & merita, quæ causant glorificationem. Non desunt etiam, qui respondent argumento Durandi sufficere ut glorificatio sit effectus prædestinationis, si non sit finis ultimus objectivus, quamvis habeat rationem finis ultimi formalis, verùm hæc responsio non satisfacit, quia finis formalis non est objectum electionis per modum medii ordinati ad finem objectivum neque causa formalis propriè eligitur propter suum effectum formalem. Vera igitur solutio argumenti Durandi est, quia prædestinatio licèt sit immediatè de mediis, quia tamen hæc in executione sunt causa finis ideo mediatè & in executione est etiam de fine: perinde ex eo, quòd glorificatio sit finis prædestinationis non sequitur non esse etiam effectum ejusdem mediatè & in executione.

CAPUT X.

De Reprobatione Impiorum ejusque effectibus.

Dari reprobationem est certum & colligitur ex pluribus scripturæ locis, quamvis sub expresso verbo reprobationis fortassis non reperiatur. Verùm quia verbum reprobandi idem sonat ac rejicio, abjicio, condemno, ideo quoad rem significatam reprobatio pluribus in locis significatur in scripturis, in quibus exprimitur voluntas Dei projiciendi suos hostes à gloria æterna, in quo sensu explicatur illud scripturæ argentum reprobum *vocate eos, quoniam Deus projecit illos. Ne cùm aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar.* Cæterum reprobi ab Apostolo vocantur vasa iræ vasa in contumeliam, quia Deus congregat super eos mala unde dicuntur etiam projecti, ejecti, expulsi, despecti, oblivioni traditi, foras missi, quæ omnia significant Dei scientiam, & decretum, quo post prævisa eorum peccata separantur ab electis, & excluduntur à regno, sicut explicat Augustinus homil. 5. in Psal. 118, *ut tanquam ignita framea prohibeantur indigni ne manum suam extendant ad arborem vitæ.* Cæterum reprobatio potest dupliciter sumi pro anteriori, & temporali reprobatione, quæ fiet die universalis judicii, aut particularis cujuscunque. Secundò pro interiori & æterna, quæ est in mente Dei: utraque reprobatio est certa: prima significatur Matth. 25. Este maledicti in ignem æternum. Secunda

Digitized by Google

voluntas nequit media eligere efficacia, nisi ut talia eidem proponantur ab intellectu. Confirmari ex eo itidem potest, quia ut intentio efficax finis sit prudens debet supponere scientiam mediorum; ergo ut Deus intendat prudenter conferre hominibus gloriam, debet priùs habere notitiam mediorum, quod etiam monuit Christus Luc. 14. *Quis volens turrim ædificare, non priùs computat sumptus qui necessarii sunt:* ergo intentio efficax finis, ut sit prudens, debet supponere scientiam mediorum efficacium, quibus infallibiliter finis obtineatur. Contra tamen quia hac ratione tantùm probatur, quod voluntas efficax inclusa in prædestinatione sive per modum intentionis vel electionis debeat præsupponere cognitionem mediorum efficacium solum ut possibilium per scientiam simplicis intelligentiæ: siquidem hæc cognitio sufficit, ut Deus dicatur prudenter intendere finem, seu dare gloriam infallibiliter hominibus per media prius scita eo enim ipso, quod Deus eligit talia media hæc sunt infallibiliter futura.] Quòd si urgeas contra hanc responsionem hæc media quamvis efficacia non poni in executione à solo Deo, verùm etiam à libero arbitrio creato, adeo ut ad talem executionem completam requiratur cooperatio liberi arbitrii: sed hæc cooperatio, & executio est contingens, quia dependet à libero arbitrio: ergo non potest intentio Dei esse certa, & efficax ante visionem cooperationis liberi arbitrii, consequenter ut Dei intentio sit certa, & efficax non sufficit, si per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat talia media, sed ulterius requiritur scientia visionis, qua illa cognoscat, ut existentia: siquidem nequit liberum arbitrium operari per media, nisi hæc existant, & cognoscantur à DEO scientiâ visionis. Contra est, quia hæc ratio tantùm urget inter homines quorum unus non habet vim supra voluntatem alterius; neque prædefinivit modum, quo liberè operetur. Cæterum quia in potestate Dei est constituere homines dignos gloria, & prædefinire modum, quo liberum arbitrium operetur liberè, tametsi executio completa mediorum dependeat à libero arbitrio creato, nihilominus Deus omniscius ac infinitus certo, & infallibiliter cognita efficacia mediorum ante consensum voluntatis cognoscit connexionem mediorum, & liberi consensus arbitrii creati cum fine. Hinc neque potest quis certus esse de definito numero prædestinatorum, & reproborum, ait enim Apostolus 2 Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, novit Dominus, qui sunt ejus*, unde solus Deus est certus de numero prædestinatorum, & reproborum, ut etiam docet D. Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap.* 13. & hæc certitudo oritur ex præcedente siquidem ex eo, quòd Deus certè, & infallibiliter sciat, quinam sint bene vel malè usuri donis gratiæ sibi concessis, necessario sequitur, ut etiam sciat, quinam in particulari salvandi sint, & qui damnandi, & quantus sit eorum numerus. An verò numerus hominum prædestinatorum excedat numerum Angelorum, seu an plures sint homines prædestinati, quàm Angeli, & an plures homines prædestinati, quàm reprobi, nil certi possumus prædefinire est enim nobis incertum, & soli Deo omniscio cognitum, ut docet D. Augustinus *in Enchirid. cap.* 29. & D. Thomas. 1. *part. quæst.* 23. *art.* 7. Quod enim aliqui asserant tot esse homines prædestinatos quot sunt Angeli, qui cum Lucifero corruerunt, est pura conjectura. Illud verisimilius videtur plures esse reprobos, quàm prædestinatos cum dicat scriptura *arcta est via qua ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*, & illud aliud: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, quod de solis fidelibus intelligit D. Gregorius, ex cujus sententia etiam inter ipsos Christianos sequitur, numerum reproborum majorem esse numero prædestinatorum.

Quod verò ad propriam cujusque prædestinationem pertinet, certum est sine speciali revelatione non esse prædestinationem omnino certam, quamvis moralem tantùm de illa possimus sufficientem probabilitatem habere, etiam cum expulsione anxietatis, non verò cum expulsione salutaris timoris, ita enim expresè definitum fuit in Concilio Tridentino sess. 6. can. 11. & can. 15. Contra umbratilem Lutheri, & Calvini securitatem, & desumitur ex scripturis Apocal. 3. *Tene quod habes, & cave ne alius accipiat coronam tuam*, hoc idem etiam communiter docent Sancti Patres, præsertim Augustinus *lib. de bono perseverantiæ cap.* 13. ubi ait: *Ad hanc vocationem pertinere nullus homo ab hominibus certa asseveratione dicendus est.* Et lib. de corrept. & grat. cap. 13. *Quis inquit ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, electum se esse præsumat?* Ratio itidem id suadet siquidem prædestinatio importat actum divinæ voluntatis liberæ: & hunc actum nemo potest cognoscere nisi per certam revelationem, qua illi reveletur: quia si creatura Angelica non potest penetrare secreta cordis hominis inferioris se, seu actus internos humanæ voluntatis, adeo ut solus Deus dicatur scrutator cordium: à fortiori nulla creatura poterit penetrare Dei consilia, & cognoscere actus divinæ voluntatis antequam ponatur effectus ad extra, siquidem præciso hoc effectu sensibili nullum potest dari medium creatum, quod propter essentialem connexionem cum actibus divinæ voluntatis possit creaturam elevare ad cognitionem divinorum consiliorum, quæ ab Apostolo vocantur inscrutabilia: ergo prædestinatio sine speciali revelatione non potest ulli homini esse omnino certa: siquidem nemo scire potest, an sit in gratia, neque an sit in illa perseveraturus: hinc Divus Bernardus serm. 1. de septuages. ait: *Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, certitudinem utique non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur:* unde ex eo, quod nemo sciat an sit in statu gratiæ sanctificantis, & an sit perseveraturus in eadem: sequitur prædestinationem absque speciali revelatione certam omnino esse non posse respectu hominis viatoris, hinc non possumus habere certitudinem physicam, & absolutam cum qua implicet falsitas de prædestinatione. Neque certitudinem moralem absolutam per quam excludatur omne dubium sicut est certitudo moralis, qua credimus existere Romam, vel Lutetiam Parisiorum, quamvis neutram civitatum viderimus: quamobrem possumus tantùm de nostra prædestinatione habere certitudinem quandam moralem, cum qua stet dubium, & formido de opposito; hujus certitudinis plura solent exempla produci ut etiam signa naturalia, & supernaturalia, ut si homo promptiùs divinis obsequatur vocationibus, si facilè peccata decliner, si constantiùs perseveret in gratia: si mentem possideat tranquillam, & ab omni passionum tumultu liberam, si vocetur ad religionem, & in eadem gaudeat exercitio humilitatis, & reliquarum virtutum.

CAPUT IX.

De Effectibus Prædestinationis.

CErtum est totum ordinem naturæ, rerumque creationem in esse naturali non esse effectum prædestinationis, quia prædestinatio est electio efficax, & specialis prædestinatorum, quibus Deus vult dare donum quoddam accidentale supernaturale, ut sunt gratia, & gloria: sed volitio dandi aliquibus formam accidentalem debet præsupponere subjectum capax talis formæ adeo ut voluntatem dandi formam accidentalem præsupponatur subjectum cui danda sit talis forma accidentalis, sicut enim esse formæ accidentalis, supponit esse subjecti, cui inhæret, perinde volitio ejusdem formæ debet præsupponere volitionem subjecti: ergo cum ordo naturæ & creatio rerum omnium in esse naturali præcedat ordinem gratiæ, nequit esse effectus prædestinationis, quia non conjungitur ex se cum fine prædestinationis. Tum quia, ut ait Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 14. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*, scilicet est præparatio beneficiorum supernaturalium, quæ excedunt ordinem naturæ, rerumque creationem quoad esse simpliciter naturale, consequenter ordo naturæ nequit esse effectus prædestinationis: quia nequit esse connexus cum fine supernaturali: Præterea quia ex eodem Augustino de prædestinatione Sanctorum. cap. 10. Ille est effectus prædestinationis, qui præparatur ab ipsa prædestinatione; sed ordo naturæ, & rerum creatio quoad esse simpliciter naturale non præparatur à prædestinatione, quia hæc est tantùm præparatio gratiæ supernaturalis.] Quod si dicas naturam prærequiri necessariò ad productionem gratiæ, consequenter esse effectum prædestinationis. Contra est, quia tametsi natura prærequiratur, ut subjectum gratiæ, quo producitur, & recipitur in natura non tamen inde sequitur naturam quoad esse simpliciter esse effectum prædestinationis, ratio est, quia ut aliquid dicatur esse effectus alterius debet poni ex vi illius: est enim de ratione effectus, ut ponatur ex vi causæ in cujus virtute continetur: sed ex vi prædestinationis non ponitur natura in esse naturæ simpliciter: quia ex Augustino ex vi prædestinationis ponuntur tantùm beneficia supernaturalia, alioquin prædestinatio non esset præparatio solius gratiæ liberativæ contra Augustinum docentem prædestinationem esse præparationem beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur unde quamvis natura requiratur, ut in ipsa producatur gratia, non tamen inde sequitur esse effectū prædestinationis, cùm non sit quid supernaturale.] Objicies plura scripturæ loca præsertim 1. ad Coloss. 1. ubi D.Paulus loquens de Christo secundùm humanitatem vocat eum primogenitum omnis creaturæ: & ex eo probat, quia in ipso omnia condita sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso, adeo ut Deus priùs decreverit incarnationem Verbi, quam mundi creationem alioquin Christus non diceretur primogenitus omnis creaturæ in ordine intentionis, cùm Christus in ordine executionis non fuerit primo genitus omnis creaturæ, ergo cum omnia sint propter Christum, qui est causa nostræ prædestinationis sequitur ordinem naturæ esse effectum prædestinationis. Secundo quia 8. Proverb. de sapientia incarnata dicitur: *Deus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio*, ergo Deus in æterna sua prædestinatione prius voluit Verbum incarnari, quàm cæteras creaturas condere, seu antequam quidquam faceret à principio, idque in ordine intentionis. Sed contra quia ex eo, quod Christus vocetur primogenitus omnis creaturæ non sequitur Deum prius decrevisse Christum in ordine intentionis, quàm cæteras creaturas: Ratio est, quia Christus vocatur primogenitus omnis creaturæ ratione dignitatis, & excellentiæ, qua præcedit cæteras omnes creaturas, non verò ordine decreti divini circa rerum futuritionem, quod erat probandum. Docet D. Thomas quòd si Adam non peccasset Verbum non assumpsisset naturam humanam, saltem in carne possibili, ergo ante decretum de Incarnatione Verbi fuerunt à Deo volitæ aliæ creaturæ: unde Christus tantùm dicitur primogenitus omnis creaturæ ratione excellentiæ, & dignitatis. Ad aliud quod addebatur ex 8. Proverb. Respondetur SS. Patres expendentes locum illum de sapientia incarnata, per initium viarum Dei intelligere initium operum redemptionis, adeo ut Christus prædestinatus fuerit initio decretorum Dei circa reparationem generis humani post lapsum primi parentis.] Dices Apostolus ad Corinth. cap. 3. ait: *Omnia vestra sunt, sive mundus, sive vita, sive præsentia, sive futura, vos autem Christi, Christus autem Dei:* loquitur Apostolus cum electis, & ait omnia esse sua, eo quia propter electos sint condita, & electos esse Christi, quia propter ipsum conditi sunt, & Christum esse propter solam Dei gloriam: ergo cum omnia sint propter prædestinatos, bene stat totum ordinem naturæ rerumque creationem esse effectum prædestinationis; Sed contra, quia eatenus omnia dicuntur esse prædestinatorum, non quia ex primaria rerum conditione facta sint propter ipsos: sed quia postquam futura erant ex vi naturalis providentiæ, & prævisο deinde humani generis lapsu ordinavit Deus res esse in eorum reparationem, & Christi gloriam; ex quo tantùm sequitur rerum creationem, & naturæ ordinem esse ad summum effectus prædestinationis secundum ordinationem accidentariam, non vero secundùm entitatem, & substantiam, ut procedit quæstio. Cæterum homines dicuntur esse Christi, non quia propter Christum conditi sint, ut propter finem priùs volitum, sed quia Christus sua passione redemit homines, qui propterea dicuntur esse Christi jure emptionis.

Imò neque ipsa substantia prædestinati, si consideretur secundùm se intra limites puræ naturæ, est effectus prædestinationis: siquidem effectus prædestinationis debet respicere essentialiter finem ejusdem prædestinationis, qui est ipsa gloria supernaturalis, eo enim ipso quod aliquid non dicit ex se ordinem ad aliud, non potest esse effectus illius: siquidem de ratione effectus est dicere ordinem ad causam, cujus est effectus: sed substantia prædestinati considerata secundùm se intra limites puræ naturæ non respicit finem prædestinationis, quia sistit adæquatè intra limites puræ naturæ, consequenter non potest esse effectus suæ prædestinationis. Præterea quia effectus prædestinationis non est indifferens in ordine ad finem prædestinationis, & finem reprobationis, sed

Digitized by Google

ſed ex ſe debet includere ordinem quo determinetur ad finem prædeſtinationis, & excludat ordinem ad finem reprobationis: atqui ſubſtantia prædeſtinati conſiderata ſecundùm ſe, & intra limites puræ naturæ eſt indifferens ad finem tum prædeſtinationis tum reprobationis, quia ex ſe non habet, per quod determinetur potiùs ad unum finem, quàm ad alium: & cùm ſola determinatio ſit ablativa indifferentiæ, ſequitur ſubſtantiam prædeſtinati non poſſe eſſe effectum, ſive prædeſtinationis.] Imò neque ſubſtantia prædeſtinati imperatur ex intentione finis prædeſtinationis quoad rei primam exiſtentiam, conſequenter neque hoc pacto eſt effectus prædeſtinationis. Ratio à priori eſt, quia Deus per electionem efficacem alicujus hominis ad gloriam vult illi dare donum aliquod accidentale ſupernaturale, ac ſuperadditum ſuæ naturæ, ut eſt gratia, & gloria: ſed voluntas dandi formam accidentalem præſupponit ſubjectum, in quo recipiatur forma hæc accidentalis, quæ cùm non ſtet per ſe, ſed exigat inhærere alteri, debet præſupponere ſubjectum cui inhæreat: conſequenter ſi ad volitionem qua Deus vult dare alicui peculiari homini effectus prædeſtinationis, qui ſunt formæ accidentales ſupernaturales, præſupponitur ſubjectum, in quo recipiantur hujuſmodi formæ ſupernaturales, non poteſt ſubſtantia prædeſtinati, quæ eſt ſubjectum vel proximum vel remotum talium formarum ſupernaturalium, eſſe effectus ſive prædeſtinationis.] Quòd ſi dicas argumentum tantùm urgere ſi ſubjectum gratiæ, & gloriæ deberet præſupponi præſens ſecundùm ſcientiam viſionis ſub ratione vel futuri, vel exiſtentis in æternitate; ſed id non requiritur, quia ſufficit, ſi præſupponatur cognitum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſub ratione poſſibilis, vel etiam futuri ſub conditione, quia poſita hac ſcientia poſſibilitatis Petri, nil obſtat, quo minus poſſit Deus velle illi priùs dare gratiam, & gloriam, quàm ei conferre eſſe naturale: unde ex eo quod forma debeat præſupponere ſubjectum, non rectè infertur, non poſſe ſubſtantiam prædeſtinati præcisè conſideratam intra limites puræ naturæ eſſe effectum prædeſtinationis: quia licèt ſit prior effectus prædeſtinationis in ſtatu poſſibilitatis, & per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, poteſt tamen eſſe poſterior, ſi conſideretur in ſtatu exiſtentiæ & ut eſt terminus ſcientiæ viſionis. Sed contra quia eo ipſo quod ponitur electio efficax ad gloriam, debet hæc eſſe volita, ut re ipſa, & in effectu danda ſubjecto; ſiquidem forma ut exiſtens debet præſupponere ſubjectum ut exiſtens, cùm forma non poſſit exiſtere niſi in ſubjecto exiſtente: ſed ſubjectum ut præcisè poſſibile, & ut terminans ſimpliciter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non eſt capax accidentis ut re ipſa inhærentis; quia forma exiſtens, qualis eſt ea, quæ inhæret, non poteſt ſubjectari in ſubjecto non exiſtente, ergo neceſſè eſt, ut hoc ſubjectum præſupponatur vel ut futurum vel ut exiſtens in æternitate, adeo ut non potuerit Deus voluiſſe priùs dare Petro gloriam, quàm ejus naturam in eo ſtatu, in quo intenditur gloria.] Rurſus ex vi divini decreti gloria danda Petro eſt abſolutè, & ſimpliciter futura antecedenter ad decretum dandi eidem eſſe naturale: conſequenter ex vi ejuſdem decreti ſupponitur gloria, ut exiſtens in æternitate, & ut cognita per ſcientiam viſionis: ſed hæc gloria attenta nequit cognoſci ut exiſtens per ſe, cum de ratione formæ exiſtentis ſit exiſtere, & inhærere alteri exiſtenti: conſequenter requiritur aliud decretum diſtinctum, quo præſupponitur poſitum ſubjectum ut exiſtens in æternitate, cui inhæreat forma itidem exiſtens in æternitate; adeout gloria non poſſit videri, ut inhærens, & ut exiſtens in æternitate, niſi præſupponatur ſubjectum itidem exiſtens in æternitate, & cui forma inhæreat, quia de ratione formæ eſt ſemper præſupponere ſubjectum.

Hinc nec bona merè naturalia poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, ſiquidem Apoſtolus ad Roman. 8. tres tantùm recenſet effectus prædeſtinationis ſcilicet vocationem, juſtificationem, & glorificationem, ut explicat D. Auguſtinus epiſt. 95. ad Innocentium, in qua excludit à gratia prædeſtinationis bona, quæ pertinet ad naturam: ſed bona naturalia non ſunt ullus ex recenſitis effectibus ab Apoſtolo, & Auguſtino, conſequenter bona merè naturalia non ſunt effectus prædeſtinationis. Firmari ex eo etiam poteſt, quia de ratione effectus prædeſtinationis eſt, eſſe beneficium ſupernaturale Dei, & connexum ex ſe cum gloria, ut docet Auguſtinus de dono perſeverantiæ cap. 14. ubi definit: *Prædeſtinationem eſſe præparationem beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur* bona autem naturalia cùm non ſint beneficia Dei ſupernaturalia, neque connexa eſſentialiter cum gloria, ſed tantùm ſunt beneficia naturalia, non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, alioquin omnes homines, quibus talia bona inſunt, conſequerentur gloriam: Quòd ſi dicas hujuſmodi bona prout inſerviunt fini prædeſtinationis eſſe in ordine ſupernaturali, ac poſſe eſſe effectus prædeſtinationis. Contra eſt, quia hæc bona naturalia, quando dicuntur inſervire fini prædeſtinationis vel acquirunt prædicatum aliquod, quo carebant, priuſquam tali munere fungerentur, vel non: ſi primum, ergo illud ſolùm prædicatum ſuperadditum eſt effectus prædeſtinationis, adeo ut bona naturalia non per ſe, ſed tantùm deſumpta denominatione ab hoc prædicato ſuperaddito vocari poſſint effectus prædeſtinationis. Si ſecundùm ergo cum ſecundùm proprium eſſe nudè ſumptum ſint effectus providentiæ naturalis non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis ſupernaturalis. Quòd ſi inſtes hæc bona naturalia pertinere ad vocationem quatenus juvant gratiam vocantem in ordine ad ejus effectum; Contra eſt, quia hæc bona vel ſunt ſecundùm ſe beneficia, quæ præparantur à prædeſtinante; vel non: Si dicatur hoc ſecundum non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis de cujus ratione formali eſt, ut ſit beneficium ſupernaturale connexum eſſentialiter cum gloria, ex quo certiſſimè liberantur, quicunque liberantur: ſi primum ergo non ſunt bona naturalia, ſed beneficia ſupernaturalia de quibus non procedit quæſtio.

Præterea quia prædeſtinatio cùm ſit in ordine ad liberationem præſupponit peccatum originale, ſiquidè ex Auguſtino loc. cit. *Eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur:* liberare autem ſupponit ſervitutem, & captivitatem ſeu peccatum originale. Atqui peccatum originale præſupponit bona naturalia in homine: ſiquidem ſupponit hominem conſtitutum cum intellectu, & libero arbitrio, ac cæteris potentiis, quæ naturaliter emanant ab eſſentia hominis: conſequenter bona naturalia pertinent ad ordinem providentiæ naturalis, & præſupponuntur ad effectus prædeſtinationis, quod etiam ex eo firmari poteſt: quia nullus homo per bona purè naturalia poteſt liberari; certè non alia ratione niſi quia bona naturalia ſunt tantùm intra limites naturæ, & cùm effectus debeat proportionari ſuæ cauſæ, & prædeſtinatio ſit providentia ſupernaturalis, neceſſe eſt omnes ſuos effectus eſſe in ordine ſupernaturali.

Bona

Bona tamen quoad ſubſtantiam naturalia, & quoad modum ſupernaturalia ſunt effectus prædeſtinationis, ſi habeant infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis. Quia illud eſt effectus prædeſtinationis quod eſt medium efficax in ordine ad aſſecutionem finis ejuſdem prædeſtinationis: ſed hujuſmodi bona infallibiliter connexa cum fine prædeſtinationis ſunt media efficacia ad conſecutionem ejuſdem finis, ergo ſunt effectus prædeſtinationis. Quòd ſi hujuſmodi bona non habeant hanc infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis non poſſunt eſſe effectus illius: ratio eſt quia effectus prædeſtinationis debet eſſe ex illo propoſito efficaci, quo Deus vult conferre gloriam prædeſtinationis, & quæ non ſunt eſſentialiter connexa cum fine prædeſtinationis non poſſunt eſſe ex illo propoſito, conſequenter non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Major liquet, quia prædeſtinatio eſt Dei propoſitum, quo vult conferre gloriam prædeſtinatis. Minor oſtenditur, quia Dei propoſitum utpote efficax non poteſt falli, nec fallere, adeo ut ex intrinſeca ſua ratione exigat tantùm terminari ad media infallibiliter coñexa cum fine prædeſtinationis: ergo illa bona, quæ carent hac infallibili connexione nequeunt eſſe effectus prædeſtinationis.] Sed dices omnia inſervientia fini prædeſtinationis ſunt effectus illius: ſed omnia bona naturalia, quæ inſunt prædeſtinatis inſerviunt fini prædeſtinationis, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt*: ergo bona naturalia ſunt effectus prædeſtinationis. Sed contra quià bona naturalia dupliciter poſſunt conſiderari vel ſecundùm ſe præciſè, quatenus ſunt ſimpliciter intra limites naturæ, vel prout à Deo ordinantur ad finem prædeſtinationis, & aſſumuntur ut media, vel occaſiones, vel aliquo alio modo, & priori modo non ſunt effectus prædeſtinationis, ſecundo autem modo, ut ordinata à Deo ad finem prædeſtinationis, tunc deſumpta denominatione à tali ordinatione, quæ præcipuè eſt effectus prædeſtinationis, poſſunt dici, ac denominari effectus prædeſtinationis non ſecundùm ſe, ſed ratione ordinationis ſuperadditæ.] Si dicas bona temporalia eſſe objectum ſpei theologicæ, eò quia juvent hominem ſperantem in ordine ad ſpiritualia, conſequenter eſſe effectus prædeſtinationis: ſed bona temporalia, ſunt bona naturalia, ergo hæc poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Contra eſt, quia bona temporalia non ſunt effectus ſpei theologicæ, ſi ſumantur ſimpliciter ut talia, ſed tantùm prout ſtant ſub formali objecto ejuſdem ſpei theologicæ: alioquin ſi præſcindamus à Dei ordinatione, & conſiderentur bona naturalia, prout ſunt ſimpliciter intra limites naturæ, non poſſunt ſtare ſub ratione formali effectus prædeſtinationis, eò quia non ſint media proportionata finis illius.] Sed dices vocationem externam eſſe effectum prædeſtinationis; ſed externa vocatio exercetur per res merè naturales: ergo iſtæ poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Sed contra negatur major, ſi ſermo ſit de externa vocatione purè naturali, quia non includit quidquam ordinis ſupernaturalis, nec dicit proportionem cum fine prædeſtinationis, de ratione autem effectus eſt, ut ſit proportionatus cauſæ. Vocatio igitur externa poteſt eſſe effectus prædeſtinationis non ex ſe, ſed quatenus intelligitur elevata per internam vocationem ſupernaturalem.] Inſtabis acceleratio mortis naturalis juſti prædeſtinati eſt primò volita per decretum, quo juſtus eſt prædeſtinatus: ergo eſt effectus prædeſtinationis ſecundùm ſubſtantiam; antecedens claret ex ſcripturis Sapient. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, & *infra Placita enim erat Deo anima illius propterea properavit educere illum de medio iniquitatum*: ex quibus conſtat, finem propter quem Deus accelerat interdum mortem juſti prædeſtinati, qui aliàs tunc non erat moriturus ſecundum naturalem curſum cauſarum, eſſe quia diligit eum efficaciter in ordine ad gloriam. Contra eſt, quià acceleratio mortis juſti prædeſtinati non eſt ſecundum ſe præciſè effectus prædeſtinationis, ſed tantùm ut recipit ordinationem Dei, qua dirigitur in finem prædeſtinationis, undè non ratione ſui, ſed tantùm ratione hujus ordinationis ſuperadditæ denominari poteſt effectus prædeſtinationis vel prout ſtat ſub finali perſeverantia.

Opera verò moraliter bona, ſi fiant à prædeſtinato exiſtente in gratia, poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis, ſecus ſi fiant à prædeſtinato exiſtente in peccato lethali.* Prior pars eſt probata facilis quia hujuſmodi opera poſſunt eſſe extrinſece relata ad Deum finem ſupernaturalem, ſaltem virtualiter, per præcedentem actum charitatis, quo juſtus omnes ſuas operationes in Deum retulit: in hac enim ſuppoſitione hujuſmodi opera ſunt meritoria vitæ æternæ, conſequenter ſunt effectus prædeſtinationis. Quinimò plures docent hujuſmodi opera etiam ſeclùſa ordinatione actuali, aut virtuali ad finem ſupernaturalem eſſe meritoria de congruo vitæ æternæ per ſolam ordinationem habitualem ſubjecti exiſtentis in gratia. Ratio ſecundæ partis eſt, quia hujuſmodi opera moraliter bona elicita ab exiſtente in lethali non ſunt meritoria, neque impetratoria, neque ſunt diſpoſitiones ad gratiam: conſequenter non poſſunt eſſe effectus prædeſtinationis. Si dicas hujuſmodi opera habere hanc utilitatem, quia conducunt, ut prædeſtinatus exiſtens in lethali conſequatur gratiam, eò quia facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam, ac proinde poſſe eſſe effectum prædeſtinationis. Contra eſt negatur antecedens ad cujus probationem reſpondetur illud axioma non eſſe intelligendum de faciente quod in ſe eſt ſolius naturæ viribus, ſed de faciente quod in ſe eſt ex viribus gratiæ, tunc enim Deus non denegat uberiora gratiæ incrementa.

Major difficultas eſt, an permiſſio peccati eſſe poſſit effectus prædeſtinationis? Peccatum in ſe ſpectatum non eſſe effectum prædeſtinationis, eſt certum de fide, quia nequit eſſe effectus Dei ut definitur in Concilio Arauſicano *can. ult.* & Tridentino *ſeſſ. 6. can. 6.* Eo autem ipſo quod peccatum prædeſtinati nequit eſſe effectus Dei, neque eſſe poteſt effectus prædeſtinationis: ſiquidem effectus prædeſtinationis eſt ſimul effectus Dei, ut docet Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 10. ubi ait: *Deum prædeſtinaſſe quæ ipſe erat facturus* & inde eruit diſcrimen inter præſcientiam, & prædeſtinationem, quià Deus præſcivit etiam quæ non facit, cujuſmodi ſunt peccata non verò prædeſtinat, niſi quæ facit. Tum quia prædeſtinatio efficax includit ſaltem in obliquo decretum efficax circa id, quòd ordinatur ad prædeſtinationem, adeo ut res ita ordinata ſit effectus illius decreti, conſequenter, & Dei, qui operatur per voluntatem: & quia Deus non poteſt efficaciter velle peccatum, ita neque eſſe poteſt effectus prædeſtinationis. Rurſus quia peccatum non poteſt eſſe medium utile ad conſecutionem gloriæ quia peccatum ex propria ſua natura potiùs eſt deſtructivum gloriæ, conſequenter non poteſt includere utilitatem ullam in ordine ad conſecutionem illius, proinde repugnat peccatum eſſe effectum prædeſtinationis,

Digitized by Google

de cujus ratione eſt eſſe medium utile ad conſecutionem gloriæ.] Quamobrem difficultas tantùm eſſe poteſt de ipſa permiſſione peccati: hæc autem permiſſio conſiſtit formaliter in voluntaria negatione, ſeu remotione auxiliorum gratiæ, quæ ſi adeſſent, prædeſtinatus peccatum declinaret: Deus enim voluntariè, & liberè ſubtrahit hæc auxilia, alioquin nullum in mundo peccatum committeretur, cum pluribus, & miris modis poſſit Deus, ſi velit, peccatum quodlibet impedire. Rurſus permiſſio peccati ſumi poteſt activè & paſſivè: permiſſio activa conſiſtit in actione Dei permittentis, & quæſtio non procedit de hac activa permiſſione, ſed tantùm de paſſiva, quæ conſiſtit in carentia gratiæ efficacis, qua poſita prædeſtinatus non peccaret. Et plures cenſent probabiliter poſſe defendi permiſſionem peccati in prædeſtinato eſſe effectum prædeſtinationis præparatum à Deo ex intentione pœnitentiæ: unde non dicimus ipſam permiſſionem peccati nudè ſumptam eſſe effectum prædeſtinationis, quia hæc permiſſio paſſiva, cùm dicat de ſuo formali ſolam, & præciſam carentiam gratiæ efficacis, non poteſt cauſari à Deo: quia Deus cauſando ſe habet benefico modo, & impertitur ſemper aliquod bonum: & quia permiſſio paſſiva peccati præcisè ſumpta tantùm abeſt, quòd ſit aliquod bonum ut potiùs dicat ſubtractionem ejuſdem, ſeu gratiæ efficacis, certum eſt in hoc ſenſu non poſſe à Deo cauſari, unde ſumitur permiſſio paſſiva peccati non nudè & ſimpliciter: ſed cum addito quatenus eſt permiſſio proveniens ex intentione pœnitentiæ, & ita docent plures Thomiſtæ cum Joanne à S. Thoma *diſput. 9. art. 5.* Nazario, Cajetano & aliis.] Ratio à priori eſt quia permiſſio peccati ex præintenta pœnitentia poteſt à Deo eſſe primò volita ex vi decreti prædeſtinationis, ac voluntatis beatificandi prædeſtinatum, ſiquidem poteſt talis permiſſio eſſe volita ex intentione, & fine, ut prædeſtinatus ex occaſione peccati ferventior, ac humilior reſurgat, majorem gloriam, & gratiam recipiat, & uberiores fructus exhibeat pœnitentiæ, hinc Auguſtinus expendens verba Pſal. 29. *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus,* ait circa finem capitis. *Ideo qui in voluntate ſua præſtiterat decori ejus veritatem, avertit paululum faciem ſuam, ut qui hoc dixerat, fieret conturbatus, quoniam ipſi eſt ille tumor ſanandus doloribus,* ſed ex D. Auguſtino Deum avertere faciem ſuam perinde eſt ac Deum ſubtrahere ſuam gratiam, in cujus carentia conſiſtit paſſiva permiſſio peccati: & quia ex eodem Auguſtino Deus ad hunc finem ſuam ſubinde avertit faciem, ut homo conturbatus fiat humilis, & alacrior reſurgat per pœnitentiam, ſequitur quòd permiſſio peccati in electis ex intentione humiliationis, & pœnitentiæ præparetur à Deo ex fine ſpiritualis ſalutis, & ut in electis proveniat ex intentione beatitudinis, conſequenter permiſſio peccati in electis eſt effectus prædeſtinationis illorum, hinc Auguſtinus lib. de natur. & grat. cap. 28. ſub initium ait: *Non itaque dicitur homini, neceſſe eſt peccare, ſed dicitur homini deſerit aliquantulum Deus, ut ſcias non tuum, ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe,* & lib. 14. de Civit. cap. 13. addit: *Audeo dicere ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum, & manifeſtum peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui ſibi jam placendo ceciderant; ſalubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit quando præſumpſit,* & ut id confirmet, adfert illud Pſal. 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine;* & lib. de natur. & grat. cap. 24. expreſsè aſſerit à Deo permiſſum fuiſſe peccatum Davidis, ut illa conturbatio eſſet ei quodammodo medicinalis contra ſuperbiam. *Dixerat enim in abundantia ſua non movebor in æternum, & ſibi tribuebat, quod à Domino habebat, quare oſtendendum ei fuerat, unde haberet, ut reciperet humilis, quod ſuperbus amiſerat.* Hoc idem aſſerunt reliqui Sancti Patres, præſertim Gregorius in Pſal. 2. pœnitentialem. D. Hieronymus in Commentar. ad Roman. 8. Chryſoſtomus lib. 1. de providentia. Ambroſius ſerm. 97. de fide Petri. Bernardus ſerm. 2. in Pſal. *Qui habitat.* Unde ſi ex Sanctis Patribus permiſſio peccati in electis provenit ex intentione majoris fructus ſpiritualis in ordine ad beatitudinem, eſt hæc permiſſio peccati effectus prædeſtinationis, ſiquidem omne id, quod intenditur à Deo, ob fructum ſpiritualem rationalis creaturæ, provenit in electis ex intentione beatitudinis iiſdem conferendæ: ſed quod ita intenditur à Deo eſt effectus prædeſtinationis in ipſis electis: ergo cum permiſſio peccati in electis proveniat à Deo ex intentione, ut electi inde reſurgant humiliores, & per pœnitentiam uberiora recipiant gratiarum incrementa in ordine ad conſecutionem beatitudinis, negari non poteſt hujuſmodi permiſſionem peccati in electis eſſe effectum prædeſtinationis in quo ſenſu explicari etiam poteſt illud Apoſtoli ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*] Firmari etiam ex eo poteſt, quia permiſſio, qua Deus permittit reprobos peccare eſt primariò volita à Deo propter bonum prædeſtinatorum, & ex vi electionis eorundem ad gratiam, & gloriam, ergo etiam permiſſio, qua Deus permittit electos peccare, eſt primariò volita à Deo non propter permiſſionem ſimpliciter ſumptam; ſed propter bonum prædeſtinatorum, & ex vi electionis ad gratiam, & gloriam, conſequenter eſt effectus prædeſtinationis. Conſequentia à paritate rationis valet. Antecedens conſtat ex illo Pauli ad Roman. 11. ubi Apoſtolus loquens de Judæis reprobis & eorum peccato ait: *Nunquid ſic offenderunt, ut caderent? abſit, ſed illorum delicto ſalus eſt gentibus ut illos æmulentur: quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi &c.* quibus verbis D. Paulus expreſſè declarat finem intentum à Deo in permiſſione peccati Judæorum non fuiſſe eorum ruinam: ſed ſalutem populi electi, quo exemplo caſus Judæorum cautior procederet, & in gratia acquiſita proficeret, ut explicat D. Auguſtinus in Pſal. 57. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatorum,* quæ verba expendens Auguſtinus ait: *Juſtus, qui videt vindictam peccatoris, proficit ipſe, & mors unius valet ad vitam alterius.* Si igitur permiſſio peccati conducit ad ſalutem prædeſtinati, aſſerendum eſt ita per modum intentionis fuiſſe ab æterno in mente divina ordinatum.

Sed dices omnis effectus prædeſtinationis debet eſſe beneficium aliquod ſupernaturale, quod conducat ad finem prædeſtinationis, ſeu gloriam: ſed permiſſio peccati non eſt beneficium ſupernaturale Dei, nec gratia, ſed potiùs eſt ſubtractio, & negatio gratiæ, & beneficii: ergo non poteſt eſſe medium præparatum per prædeſtinationem, conſequenter neque effectus illius. Sed contra, quia fit tranſitus in minori de permiſſione in ſenſu compoſito cum ordinatione per pœnitentiam ad majorem humilitatem, & fructum ſpiritualem habentem rationem doni gratuiti, ad permiſſionem peccati nudè ſumptam, & in ſenſu diviſo, ſeu conſideratam ſine tali ordina-

tione;

Digitized by Google

tione; quapropter negatur minor; & conſequentia: quia non dicimus ſolam permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis; ſed permiſſionem ut ordinatam reduplicativè per pœnitentiam ad majorem fructum ſpiritualem, qui cum habeat rationem doni gratuiti eſt beneficium ſupernaturale Dei, conſequenter effectus prædeſtinationis juxta ejus definitionem traditam à D. Auguſtino. Quamvis igitur peccati permiſſio ratione ſui, & intrinſecè non ſit gratia, ſed potiùs carentia gratiæ; neque ut ſic conſiderata poſſit eſſe effectus prædeſtinationis, prout tamen componitur cum extrinſeca ordinatione, ut prædeſtinatus reſurgat humilior, & per pœnitentiam uberiorem ſuſcipiat fructum ſpiritualem; ratione hujus extrinſecæ ordinationis includit beneficium Dei ſupernaturale conducens ad finem prædeſtinationis, quo ſit ut in ſenſu compoſito cum hac ordinatione ſit effectus prædeſtinationis dices ex data reſponſione, ſequeretur poſſe prædeſtinatum petere à Deo, ut permittat eum peccare, ſecundùm modum illum, quo per ſuam providentiam diſpoſuit, peccatum ſibi profuturum ad majus gratiæ, & gloriæ incrementum: hoc autem adverſatur orationi Dominicæ quâ Deum rogamus ne permittat nos induci in tentationem, ſin autem liceret prædeſtinato Deum rogare, ut permittat ipſum peccare & inde uberiora gratiæ, & gloriæ incrementa ſuſcipiat, cum peccatum præſupponat tentationem, utique liceret prædeſtinato Deum rogare, ut permittat ipſum induci in tentationem. Firmatur quia licitum eſt nobis Deum orare, ut concedat nobis, quæ nobis Chriſtus promeruit, & quæ conducunt ad majorem fructum ſpiritualem: Sed contra, quia peccatum cum ſit averſivum à Deo ut fine ultimo pro nullo eventu poteſt licitum eſſe, conſequenter neque licitè à Deo peti. Neque poſſumus ea petere, quæ ſine peccato non poſſumus conſequi: adeout non poſſimus petere illam occaſionem majoris boni, ſi hæc occaſio ſit neceſſariò connexa cum peccato, nec poſſimus eam ſine peccato enanciſci. Si dicas nos non petere ipſum peccatum in ſe; ſed tantum illam permiſſionem peccati, quæ nobis eſt occaſio majoris gratiæ, ſeu permiſſionem peccati non ut averſivam à Deo, ſed ut converſivam ad pœnitentiam: Contra eſt, quia permiſſio peccati, ideo eſt converſiva ad pœnitentiam, quia fuerat averſiva à Deo, adeo ut ratio averſionis ſit eſſentialiter connexa cum peccato: hinc petens formaliter permiſſionem peccati, poſtulat virtualiter ipſum peccatum: quia eo ipſo quod aliquis petit formaliter non prohiberi malum à ſe ipſo perpetrandum; virtualiter petit ipſum malum.] Inſtabis: ex eo quòd Deus directè velit non prohibere peccatum; non ſequitur Deum velle virtualiter peccatum, alioquin cum Deus de facto permittat peccata, diceretur virtualiter velle peccata, quod eſt abſurdum; ergo à paritate rationis ex eo quod aliquis velit permiſſionem peccati, non ſequitur virtualiter velle ipſum peccatum ut averſivum à Deo fine ultimo, ſed potius ut converſivum ad pœnitentiam, & per hanc ad uberiora incrementa gratiæ, & gloriæ. Sed contra negatur conſequentia; & ratio diſparitatis aſſignatur à D. Thoma. 1. 2. *quaſt.* 6. *art.* 3. ubi docet, Deum non teneri evitare, ac impedire, ne peccata committantur ab hominibus: proinde quamvis Deus non impediat peccata, cum poſſet, non dicitur velle peccata: quia ut defectus omiſſionis ſit voluntarius, non ſolùm requiritur; quod omittens poſſit, ſed etiam teneatur non omittere homines verò quia tenentur prohibere, ne peccata ab iiſdem perpetrentur; eo ipſo, quòd volunt peccatum ipſis non prohiberi, quinimò potius petunt illius permiſſionem, poſtulant etiam virtualiter ipſum peccatum: proinde non licèt homini velle permiſſionem peccati ob majus gratiæ, & gloriæ incrementum, nec petere à Deo ut permittat ipſum peccare etiam ad eum finem ut inde reſcipiſcat, ac reſurgat ferventior cum uberiori augmento gratiæ, & gloriæ.

Inſtare quis poſſet: eatenus non licet homini petere à Deo permiſſionem peccati; quia cum tali permiſſione nectitur ipſum peccatum: ſed hæc ratio non videtur ſubſiſtere; quia poſſumus licitè petere aliquid, cum quo ſit adnexum peccatum: etenim licitum eſt nobis appetere martyrium, cui ſemper eſt adnexum peccatum tyranni: ergo tametſi permiſſioni peccati adnectatur peccatum, adhuc poterit permiſſio ipſa licitè appeti, ut inde homo uberiora recipiat per pœnitentiam incrementa gratiæ in hac vita, & gloriæ in futura: ſed contra negatur minor: quia non licèt nobis abſolutè appetere martyrium conjunctum cum peccato alieno, niſi præſuppoſita perſecutione tyranni, & eâ priùs cognitâ: hac enim cognitâ poſſumus martyrium appetere quoad paſſivam tantùm tormentorum perpeſſionem, & tolerantiam, præſcindendo à peccato tyranni, quo pacto Chriſtus etiam ſibi complacuit in propria paſſione, & morte.] Si dicas intentionem pœnitentiæ ante prævifionem peccati, & ex ſe inferre amorem ipſius peccati: ſed repugnat Deo virtualis, & formalis amor peccati: ergo repugnat, Deum intendere pœnitentiam ante præviſionem peccati; adeout non poſſit Deus ex præintenta pœnitentia eligere permiſſionem peccati quia ut ex præintenta pœnitentia permittatur peccatum, debet intendi ante illius præviſionem. Major oſtenditur; quia intentio efficax finis eſt virtualis amor illorum mediorum, quæ neceſſariò prærequiruntur ad conſecutionem, & exiſtentiam finis: ſed peccati exiſtentia eſt unum ex mediis neceſſariò prærequiſitis, ut pœnitentia exiſtat: ergo intentio pœnitentiæ ante præviſionem peccati eſt virtualis amor peccati, quinimò infert etiam ejus amorem formalem. Secundo quia tametſi exiſtentia panis ad ejus converſionem in corpus Chriſti requiratur neceſſariò ut materia deſtruenda; adhuc Deus eo ipſo, quod intendit hanc converſionem, intelligitur virtualiter velle exiſtentiam panis, & tenetur illam velle formaliter: ſed peccatum eſt neceſſarium ut pœnitentia exiſtat, cum hæc dicat relationem ad peccatum: ergo tametſi requiratur ut materia deſtruenda; adhuc intentio pœnitentiæ ante præviſionem peccati includit virtualem amorem peccati, & infert formalem. Sed contra negatur major, & ad ejus probationem proceditur cum diſtinctione, eſt virtualis amor omnium, quæ ſunt neceſſaria ut amata ab intendente finem, conceditur: quæ ſunt neceſſaria, quatenus ſunt tantùm permiſſa, nego majorem; & ſub eadem diſtinctione minoris, negatur conſequentia: ratio eſt, quia tametſi exiſtentia peccati ſit neceſſaria, quatenus eſt permiſſa; non tamen eſt neceſſaria, ut amata à Deo intendente pœnitentiam: repugnat enim amorem Dei terminari ad peccatum: quamobrem ex producto argumento ſolùm inferri poteſt, intentionem pœnitentiæ eſſe virtualem amorem permiſſionis peccati, non verò ipſius peccati. Ad ſecundam probationem ejuſdem majoris reſpondetur eſſe diſcrimen inter materiam panis deſtruendam per converſionem ſui in corpus Chriſti; & peccatum deſtruendum per pœnitentiam: quia exiſtentia panis

Digitized by Google

nis requiritur ad sui conversionem in Christi corpus, & exigit pro causa suæ destructionis voluntatem approbativam Dei, & non tantum permissivam: quo fit ut Deus intendens illam conversionem panis, virtualiter velit existentiam panis, alioquin hic non converteretur: oppositum autem contingit in existentia peccati, quia non exigit pro causa voluntatem Dei approbativam, sed tantum permissivam.

Dices, Deus nequit efficaciter intendere pœnitentiam, quin simul cognoscat peccatum, ut futurum: siquidem pœnitentia futura dicit necessariò ordinem ad peccatum futurum: sed nequit peccatum cognosci ut futurum, nisi cognoscatur se habere determinato modo per causam determinatam, quæ det illi esse determinatum: ergo intentio efficax pœnitentiæ, quâ Deus cognoscit peccatum futurum, determinat causam existentiæ peccati, cui etiam dat rationem futuritionis. Firmari ex eo itidem potest, quia ut pœnitentia sit futura ex vi intentionis terminatæ ad determinatam pœnitentiam, necesse est ut peccatum sit ab æterno futurum: sicut ab æterno est futura ipsa pœnitentia includens intrinsecum ordinem ad peccatum: sed peccatum non potest esse ab æterno futurum, nisi ratione intentionis efficacis pœnitentiæ: siquidem futuritio est denominatio extrinseca desumpta à determinatione causarum; sed ab æterno nequit esse determinatio causæ creatæ, quia cum nulla creatura sit æterna; neque ejus determinatio potest esse æterna; inde sequitur peccatum non posse constitui futurum ab æterno, nisi à determinatione voluntatis divinæ, quod repugnat. Sed contra distinguitur minor. Neque quidquam cognosci ut futurum nisi in causa determinata, à qua habeatur res futura, vel saltem ex illa inferatur, conceditur minor: à qua semper habeatur esse futurum, adeo ut accipiat esse ab illa in ratione futuritionis, negatur minor, & consequentia: ut enim aliquid futurum ob causam determinatam, non est semper necesse, quod habeat suum esse à tali causa, sed satis est si infallibiliter inferatur ex illa, quia tunc posita tali causa determinatâ habetur res futura, quamvis physice non dimanet à tali causâ: eo enim ipso quod infallibiliter infertur ex illa, habetur sufficienter res futura. Unde ut in decreto intento, & determinato ad pœnitentiam cognoscatur peccatum futurum, sufficit si ex tali decreto inferatur infallibiliter determinatio causæ ad peccatum, quamvis decretum illud non sit causa talis determinationis: ergo cum decretum efficax intentivum terminatum ad pœnitentiam causet electionem permissionis peccati, licet ex tali permissione non causetur peccatum; quia tamen ex tali decreto infertur infallibiliter, quod voluntas creata se liberè determinabit ad peccatum; sequitur manifestè Deum in decreto intentivo & efficaci terminato ad pœnitentiam, & causante electionem permissionis peccati cognoscere peccatum, ut remotè futurum in eodem decreto intentivo & efficaci, terminato ad pœnitentiam, & causante electionem permissionis peccati & cognoscere peccatum ut remotè futurum in eodem decreto intentivo; & proximè ut futurum in sequenti decreto permissivo, non tamen ut decretum permissivum det futuritionem peccato; sed quia ex tali decreto infertur infallibiliter in voluntate creata deficiente ipsa futuritio peccati. Ad confirmationem distinguitur major, ut pœnitentia sit futura ex vi intentionis terminatæ ad eandem necesse est quod peccatum sit ab æterno futurum, adeo ut physicè causetur ex tali intentione, negatur major, adeo ut sit tantum futurum, quatenus ex vi consequentiæ infertur ex tali intentione, ut causante electione permissionis, conceditur major, & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia.

Sed objicies efficax intentio pœnitentiæ præsupponit necessariò prævisionem peccati: sed peccatum prævidetur in sui permissione, ergo intentio efficax pœnitentiæ non causat electionem permissionis peccati, nec illam ponit, sed præsupponit. Major liquet quia pœnitentia non est aliquod bonum ex primaria intentione, sed tantum ex occasione peccati, ut docent Sancti Patres præsertim Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. Sed bonum occasionatum non potest amari nisi præsupposita tali occasione, ad quam sequitur, & à qua denominatur bonum occasionatum: ergo prævisio pœnitentiæ supponit necessario prævisionem peccati, quod est occasio pœnitentiæ. Firmatur quia pœnitentia non potest amari, nisi ut destructiva peccati, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 85. *art.* 2. ergo supponit necessariò prævisam destructionem peccati, quæ destructio cum prævideri non possit, nisi prævideatur peccatum, ut destruendum, sequitur quòd non possit intendi pœnitentia ut destructiva peccati, nisi ex prævisione peccati. Contra est quia sicut pœnitentia plures includit formalitates, ac respectus ita sub pluribus rationibus potest intendi primo ut præcisè & simpliciter est destructiva seu remissiva peccati, secundo ut est manifestativa Omnipotentiæ divinæ, quæ parcendo maximè, & miserendo nobis per pœnitentiam manifestatur, quatenus ex malis peccatorum infert bonum resipiscentiæ, & gratiæ. Tertio etiam potest intendi, quatenus est utilis ad consecutionem uberioris incrementi gratiæ, cum igitur dicitur in majori producti argumenti, quòd intentio efficax pœnitentiæ præsupponat necessariò prævisionem peccati, debet distingui hæc propositio; si intelligatur de efficaci intentione pœnitentiæ sub pura formalitate, qua est destructiva peccati, conceditur, quod sub hac ratione debeat præsupponere prævisionem peccati: sin autem sermo sit de intentione efficaci pœnitentiæ sub aliis formalitatibus, quibus est manifestativa divinæ omnipotentiæ, & includit utilitatem ad uberiora gratiæ incrementa, negatur & concessa minore negatur consequentia. Neque Sancti Patres docent oppositum quando asserunt pœnitentiam præsupponere peccatum quia ipsi loquuntur de pœnitentia sub prima formalitate quæ est destructiva peccati; non verò de pœnitentia sub aliis formalitatibus, sub quibus nos in præsenti illam consideramus. Hinc ad confirmationem in qua asserebatur pœnitentiam non posse amari, nisi ex fine destruendi peccatum, negatur major, quia præter hanc bonitatem destructivam peccati, alia consideratur, siquidem pœnitentia includit bonitates ratione quarum potest amari, ut quod sit manifestativa divinæ omnipotentiæ, quæ parcendo maximè & miserando nobis manifestatur per pœnitentiam. Ad aliud quod addebatur de habitu, qui debet amari propter suum actum, tanquam finem, & actum primæ pœnitentiæ esse detestationem destructivam peccati, consequenter non posse efficaciter intendi nec amari pœnitentiam nisi ex prævisione peccati: respondetur habitum amari quidem propter actum, sed negatur inde sequi pœnitentiam non posse aliter amari, nisi propter suum actum ut destructivum peccati etenim sicut in habitu pœnitentiæ tres includuntur formalitates, seu bonitates: ita etiam in ipso actu pœnitentiæ

tentiæ includantur eædem formalitates, eſt ſiquidem actus pœnitentiæ deſtructivus peccati, manifeſtativus omnipotentiæ divinæ, eſt utilis ad uberius gratiæ incrementum, & ad perſeverantiam: hæ formalitates ſicut includuntur in habitu & actu pœnitentiæ; ita habitus pœnitentiæ, ſi intendatur, ut remiſſivus peccati, amatur ex intentione ſui actus, ut deſtructivus peccati, ut ſub hac formalitate intentio efficax pœnitentiæ ſupponit prævisionem peccati: Sed ſi habitus pœnitentiæ intendatur ſub aliis formalitatibus prout eſt manifeſtativus divinæ omnipotentiæ vel eſt utilis ad uberius gratiæ incrementum, non eſt neceſſe, quod ſupponat prævisionem peccati, quia ſub iſtis formalitatibus non refertur ad peccatum.

Sed dices non eſt prudentis Proviſoris ex intentione ſanitatis permittere morbum: ſed peccatum permittere eſt morbum permittere, licet ſanandum per pœnitentiam, ergo cùm Deus ſit prudentiſſimus proviſor, non poteſt peccatum permittere ad hunc finem, ut ſanetur per pœnitentiam: Contra eſt diſtinguitur major non eſt prudentis Proviſoris ex intentione ſolius ſanitatis permittere morbum, concedo majorem, ex intentione firmioris, ſolidioris, ac diuturnioris ſanitatis, negatur major, & conceſſa minori diſtinguitur conſequens: ergo Deus non poteſt permittere peccatum ex ſola intentione, ut ſanetur præcisè abſque alio uberiori bono, conceditur conſequentia: ex intentione ut non ſolùm præcisè ſanetur, verùm etiam ut inde peccator ac ſpiritualiter infirmus firmiorem acquirat ſanitatem, ac diuturniorem, ac conducentem ad perſeverantiam finalem, nego conſequentiam, tunc enim exceſſus ſanitatis, qui acquiritur per permiſſionem morbi, eſt aliquod bonum præferendum non ſolùm morbo, ſed etiam priori ſanitati.] Sed inſtabis non eſt prudentis proviſoris permittere majus malum ex intentione minoris boni: Sed peccatum eſt majus malum quàm ſit bonum ipſa gratia, & Beatitudo, quia peccatum ratione infinitatis, quam ſecum trahit ab objecto infinito ad quod terminatur, & cui per peccatum infertur injuria, eſt infinitè odibile: adeo ut peccatum in ratione offenſæ objectivæ dicatur eſſe infinitum, & gratia, ac beatitudo ſunt tantùm bona finita, ergo ex eo, quod Deus ſit prudentiſſimus proviſor non videtur poſſe ex intentione pœnitentiæ majoris gratiæ, & gloriæ permittere peccatum. Quod ſi dicas peccatum in ratione offenſæ excedere bonitatem beatitudinis formalis ratione ſui non tamen ratione divinæ eſſentiæ, quam involvit, ut unitam per modum ſpeciei intellectui beatorum: conſequenter ex intentione hujus beatitudinis malum peccati non excedere bonitatem beatitudinis, quæ ſequitur pœnitentiam, conſequenter poſſe Deum ex intentione pœnitentiæ illud permittere. Contra eſt, quia quamvis divina eſſentia ſit ſecundùm ſe bonitas ſimpliciter infinita, attamen quia finito modo unitur intellectui beatorum, non eſt ut ſic unita infinitæ æſtimabilitatis, alioquin non poſſet cadere ſub meritis de condigno noſtrorum operũ ſecus peccatum in ratione offenſæ includit infinitam odibilitatem excedentem finitam bonitatem beatitudinis. Rurſus remiſſio peccati majoris eſt æſtimabilitatis, quàm ſit unio divinæ eſſentiæ per modum ſpeciei cum mentibus Beatorum ſiquidem hanc unionem promerentur juſti de condigno ratione bonorum operum ſecus remiſſionem peccati, in ſententia communiori Theologorum, nec ſibi nec aliis poteſt homo promereri de condigno: ſed remiſſio offenſæ non excedit in ratione æſtimabilitatis menſuram odibilitatis ejuſdem offenſæ: ergo ſi menſura remiſſionis offenſæ quoad æſtimabilitatem excedit menſuram unionis divinæ eſſentiæ per modum ſpeciei cũ mentibus Beatorum: ſequitur menſuram odibilitatis offenſæ eſſe majorem menſurâ æſtimabilitatis ejuſdem divinæ eſſentiæ, ut mentibus Beatorum unitæ per modum ſpeciei.] Reſpondetur igitur ad argumentum diſtinguendo majorem: non eſt prudentis proviſoris majus malum permittere ex intentione minoris boni, ſi ſit majus malum ratione ejuſdem ſubjecti, cujus menſura bonitatis, quæ illi deſideratur ex intentione mali, eſt minor, tranſeat: ſi ſit majus malum non ratione ejuſdem ſubjecti, ſed alterius, negatur major, & ad minorem reſpondetur peccatum reſpectu ſubjecti prædeſtinati in ratione malitiæ non eſſe majus malum, ſeu menſuram malitiæ peccati non excedere menſuram bonitatis incluſæ in divina eſſentia, ut unita per modum ſpeciei cum mentibus beatorum: ſed peccatum eſt tantùm majus in ratione offenſæ, quatenus infert injuriam objecto infinito, ut eſt Deus: ac exinde non infertur non poſſe Deum intendere permiſſionem peccati, ut inde prædeſtinatus per pœnitentiam recipiat majus gratiæ, & gloriæ incrementum, quia menſura malitiæ peccati non excedit, imò exceditur à bonitate incrementi gratiæ & gloriæ: neque obſtat, quod in ratione offenſæ peccatum excedat menſuram bonitatis incluſæ in incremento gratiæ, & gloriæ: quia menſura offenſæ tantùm attenditur reſpectu Dei, cui injuria irrogatur, unde cum reſpectu prædeſtinati menſura majoris gratiæ & gloriæ in ratione æſtimabilitatis excedat menſuram malitiæ peccati bene ſtat, poſſe prudentem proviſorem intendere permiſſionem peccati ob majus incrementum gratiæ & gloriæ: quamvis in ratione offenſæ excedat bonitatem gratiæ & gloriæ; ſub ratione tamen malitiæ menſura malitiæ peccati non excedit menſuram bonitatis, gratiæ, & gloriæ, quia peccatum in ratione malitiæ tantum privat prædeſtinatum effectivè gratia; & formaliter rectitudine actus; utrumque autem exceditur à menſura bonitatis gratiæ, & gloriæ;] Quòd ſi contra hanc ſolutionem inſtes, eò quia inde ſequeretur non poſſe Deum intendere permiſſionem peccati ex intentione manifeſtandi ſua attributa; proinde neque ex intentione conferendi beatitudinem, quia hæc ſubordinatur manifeſtationi attributorum Dei: etenim ex intentione minoris boni tunc non poteſt majus malum permitti, quando menſura boni, & mali cadit ſupra idem ſubjectum: ſed Deus intendens permiſſionem peccati ad manifeſtanda ſua attributa intendit proprium bonum ſcilicet manifeſtationem ſui ipſius ſed peccatum in ratione offenſæ eſt infinitum quia reſpicit Deum cui infertur injuria: ergo cum manifeſtatio attributorum Dei reſpectu ipſius Dei cujus attributa manifeſtantur, ſit extrinſeca, eò quia ſiat ipſi creaturæ; & peccatum ratione offenſæ, ſit infinitum reſpectu Dei, ſequeretur non poſſe Deum ex intentione manifeſtandi ſua attributa intendere permiſſionem peccati contra datã reſponſionem; quia bonitas manifeſtationis & menſura offenſæ cadunt ſupra idem ſubjectum quod eſt Deus; quia utraque menſura manifeſtationis, & offenſæ reſpicit Deum.] Sed contra negatur ſequela, ad cujus probationem reſpondetur cum diſtinctione, ſi majus malum ſit in nocumento illato effectivè conceditur: ſi tantùm ſit majus malum in nocumento illato affectivè, & non effectivè negatur, & eodem pacto diſtinguitur minor: quia peccatum in ratione offenſæ, tametſi ſit majus malum affectivè quatenus in affectu quantum

Digitized by Google

eſt ex ſe infert deſtructionem Dei, à quo aufert rationem finis ultimi, quæ eſt majus malum quàm ſit bona manifeſtatio attributorum: effectivè tamen non infert tale nocumentum, quia Deus nullius eſt capax nocumenti in effectu; ſecus manifeſtatio attributorum eſt bonitas Deo extrinſeca, quæ non ſolùm affectivè, ſed effectivè etiam eſt bona; proinde ex illius intentione poteſt Deus intendere permiſſionem peccati, quod in ratione mali moralis nullam habet infinitatem, quia ejus gravitas deſumitur ex objecto & circumſtantiis, quæ non valent refundere in actum creaturæ malitiam infinitam, proinde poteſt malitia peccati excedi à bono occaſionato: quo pacto multò major fuit bonitas Incarnationis occaſionatæ ex peccato hominis, quàm fuerit malitia peccati, quia ut ait Apoſtolus: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*] Dices tota ratio, qua in præcedentibus oſtenſum eſt permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis, fuit, quia hæc permiſſio ratione divinæ ordinationis includit utilitatem in ordine ad conſecutionem uberioris gratiæ & gloriæ, hæc autem ratio, ſi vim haberet inde ſequeretur Deum non ſolùm poſſe intendere permiſſionem peccati, verùm etiam ipſam malitiam peccati, quod eſt abſurdum: ergo non poteſt Deus intendere ipſam permiſſionem peccati: probatur ſequela, quia eatenus permiſſio peccati eſt à Deo intendibilis, quià conducit ad finem prædeſtinationis: ſed peccatum etiam in ratione malitiæ conducit ad finem prædeſtinationis quatenus eſt materia pœnitentiæ, conſequenter, ſi malita peccati non eſt effectus prædeſtinationis, neque erit effectus ejuſdem ipſa permiſſio peccati. Sed contra, quia permiſſio peccati non ex eo tantùm eſt effectus prædeſtinationis, quia conducit ad finem ejuſdem; ſed ulteriùs quia poteſt eſſe effectus volitus à Deo ex intentione finis, ut in præcedentibus explicuimus: ſecus malitia peccati, quamvis ut materia pœnitentiæ, vel occaſio humilitatis conducat ad finem prædeſtinationis materialiter, vel occaſionaliter; quia tamen non poteſt eſſe effectus divinæ omnipotentiæ; neque objectum intendibile à Deo, ſequitur, quòd non poſſit eſſe effectus prædeſtinationis & confirmari ex eo poteſt, quia communiter docent Theologi permiſſionem peccati eſſe effectum divinæ providentiæ, quamvis doceant omnes ipſum peccatum non eſſe effectum providentiæ ex quo liquet aliam eſſe rationem de permiſſione peccati, & aliam de ipſo peccato.

Quòd ſi loquamur de beneficiis ſupernaturalibus, certum eſt, aliquam vocationem eſſe effectum prædeſtinationis, eò quia hæc vocatio pertineat ad ordinem gratiæ, ſicut juſtificatio, & glorificatio, quæ propterea ſunt effectus prædeſtinationis ut colligitur ex D. Paulo ad Roman. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit*, & ad Timoth. 1. *Vocavit nos vocatione ſua ſancta non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum.* Ratio deſumitur ex eo, quia vocatio eſt medium neceſſarium ad aſſecutionem finis prædeſtinationis ſiquidem non poteſt creatura rationalis ſolius naturæ viribus tendere ad finem ultimum ſupernaturalem: ſed indiget excitatione, & illuminatione, quæ fit per vocationem; quæ vocatio ſi inferat contritionem, vocatur ſimpliciter efficax, de qua intelligitur illud Cantic. 1. *Trahe me poſt te curremus.* Alia dicitur vocatio inefficax cui prædeſtinatus non reſpondet de qua vocatione intelligitur illud Sapient. 1. *Vocavi, & renuiſti*, & illud Matth. 22. *Vocati ad nuptias venire nolverunt.*] Verùm quia vocatio alia eſt intrinſeca, & alia extrinſeca, dubitari ſolet de vocatione extrinſeca, an ſit effectus prædeſtinationis, & ratio dubitandi deſumitur ex D. Paulo 2. Corinth. 1. *Hac confidentia volui priùs venire ad vos, ut ſecundùm gratiam haberetis*, ubi Apoſtolus ſuppoſuit primam gratiam per epiſtolam, adeo ut præſentia prædicantis ſit gratia extrinſeca, quæ tamen præcisè ſumpta non eſt effectus prædeſtinationis, quia hæc vocatio externa, ſi præcisè ſumatur, non poteſt habere effectum ullum ſupernaturalem, niſi nectatur cum vocatione ſupernaturali interna, ut fuit definitum in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 16. ubi dicitur, quòd gratia antecedens, qua Chriſtus influit in ſingulos homines ſit neceſſaria ad omne opus bonum, conſequenter vocatio externa, præcisè conſiderata ut externa, non eſt effectus prædeſtinationis, quia de ratione hujus effectus eſt ordinari ex natura ſua ad cauſandum illum effectum, conſequenter debet eſſe proportionatus tali cauſationi: ſed vocatio purè externa ex natura ſua ordinatur ad cauſandum conſenſum, & non eſt ex ſe proportionata ad conſenſum ſupernaturalem niſi conjungatur cum vocatione ſupernaturali interna: ergo vocatio externa præcisè ſumpta non eſt effectus prædeſtinationis. Et firmari ex eo poteſt, quia vocatio externa præcisè ſumpta non eſt vera gratia quæ detur per Chriſtum ut docent Patres & Concilia contra doctrinam Pelagii. Sed ſola vera gratia eſt effectus prædeſtinationis: conſequenter vocatio externa præcisè ſumta non eſt effectus prædeſtinationis. Ad aliud deſumptum ex D. Paulo 2. Corinth. 1. reſpondetur verba D. Pauli non eſſe intelligenda de vocatione externa præcisè ſumta, ſed ut conjuncta cum interna, quam Deus confert poſita vocatione externa ut aliqua occaſione, & opportunitate.

Secus vocatio interna efficax, quæque habeat infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis ſive talis vocatio nunquam interrupta ſit, qualis fuit vocatio D. Pauli D. Magdalenæ ſive fuerit interrupta per peccatum, & poſtea reparata per pœnitentiam, cujuſmodi fuit vocatio D. Petri eſt effectus prædeſtinationis, quia vocatio quæ eſt effectus prædeſtinationis, debet cauſari ab illo propoſito Dei, quo prædeſtinat creaturam rationalem ad finem prædeſtinationis: ſed vocatio infallibiliter connexa cum fine prædeſtinationis cauſatur ab illo Dei propoſito, quo prædeſtinat creaturam rationalem ad gloriam, conſequenter eſt effectus prædeſtinationis, quia cauſatur ab ipſa prædeſtinatione, quæ conſiſtit in propoſito illo Deo, quo prædeſtinat creaturam rationalem ad gloriam. Firmatur, quia vocatio quæ eſt ſecundum præfatum Dei propoſitum, debet eidem proportionari: ſed propoſitum illud eſt infallibile adeo ut, ſi ſit de vocatione tanquam de medio non poſſit in illam ferri niſi medium infallibile: neque obſtat ſi dicas ſatis eſſe ſi tota collectio mediorum ſit infallibilis non verò neceſſe eſt, quod ſingula media diſtributiva ſumpta ſint infallibilia: nam contra eſt, quia de ratione medii provenientis ab illo propoſito infallibilis eſt, ut conducat infallibiliter ad finem; alioquin non eſſet medium proportionatum intentũ à Deo per tale propoſitum conſequenter debet eſſe medium infallibile. Non tamen vocatio inefficax præcisè conſiderata eſt effectus prædeſtinationis: ſed tantùm ſi in memoriam redacta juvet prædeſtinatum, ut reſpondeat novæ vocationi: ſiquidem vocatio inefficax præcisè ſumpta nullo modo confert ad gloriam, neque ut principium elicitivum converſionis, neque ut occaſio; ſed quod non nectitur infallibiliter cum

fine

Digitized by Google

fine prædeſtinationis nō poteſt eſſe effectus illius conſequenter vocatio inefficax præciſè ſumpta non eſt effectus prædeſtinationis; bene tamen ſi in memoriam reducta juvet prædeſtinatum ut reſpondeat novæ vocationi, quia tunc quamvis non ſit efficax in ordine ad actum proximum ad quem excitat, eſt nihilominus occaſio, cur prædeſtinatus reſpondeat ſecundæ vocationi, quatenus recordatur vocationis neglectæ, quæ eſt illi occaſio majoris gratitudinis erga Deum, qui iterum ipſum vocavit ergo ſaltem remotè ratione connexionis cum ſecunda vocatione efficaci poteſt dici effectus prædeſtinationis: ſiquidem ratione hujus connexionis nectitur infallibiliter cum fine prædeſtinationis.] Firmatur quia prædeſtinatus quamvis primis non obtemperet vocationibus; nihilominus ex iiſdem frequenter relinquitur proclivior ad reſpondendum aliis vocationibus: unde priores vocationes aliquo pacto nectantur cum poſterioribus, quibus prædeſtinatus reſpondet. Præterea vocatio eſt veluti quædam ſuaſio, qua liberum hominis arbitrium incitatur, & allicitur à Deo, ut convertatur, & quamvis per primas vocationes non ſinat ſe allici, ac ſuaderi, adhuc tamen primæ vocationes relinquunt aliquam diſpoſitionem, qua faciliùs ſinit ſe allici, ac ſuaderi à poſterioribus.

Hinc dicimus gratiam juſtificantem, & alios habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis nullo pacto interruptos per peccatum eſſe effectus prædeſtinationis ſecundum ſubſtantiam, & ita dicendum etiam de operibus bonis meritoriis, & de dono perſeverantiæ, imò eſt de fide & definitur ex D. Paulo ad Roman. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit*; ubi obſervandum eſt, Apoſtolum dixiſſe abſolutè prædeſtinatos juſtificari à Deo, ſed ideo juſtificari, quia ſunt prædeſtinati; illa enim particula *Et* habet vim cauſalis, ut denotetur, quod prædeſtinatio ſit cauſa juſtificationis quæ nectitur cum glorificatione. Imò gratia juſtificans & merita mortificata per ſubſequens peccatum, ut reſtituta, & vivificata per pœnitentiam, ſunt effectus prædeſtinationis, quia hujuſmodi dona gratiæ, & merita in prædeſtinatis ſunt infallibiliter connexa cum gloria, & maximè conducunt ad ejus conſecutionem: quia quantitas gloriæ non ſolum datur juxta proportionem ultimæ juſtificationis verùm etiam juxta menſuram meritorum, quæ fuerant per peccata mortificata, dummodo poſtea reſtituantur per pœnitentiam, ergo cùm prima juſtificatio & merita mortificata per peccata, & reſtituta per pœnitentiam infallibiliter nectantur cum fine prædeſtinationis ſunt effectus prædeſtinationis. An verò dona gratiæ, & merita interrupta, & mortificata per peccatum, & quæ poſtea per pœnitentiam reviviſcunt, ac reſtaurantur ſint effectus prædeſtinationis ſecundùm ſubſtantiam, adeo ut non ſolùm ipſa reparatio, & reſtitutio ſit effectus prædeſtinationis. Verùm etiam eorundem prima collatio, & productio antequam per peccatum mortificaretur, quamvis plures negent aſſerendum nihilominus cum aliis eſt, hujuſmodi dona, & merita interrupta, & mortificata per peccatum, & poſtea inſtaurata, ac reſtituta per pœnitentiam eſſe effectus prædeſtinationis, quoad ſubſtantiam, quia hæc dona, & merita, ut fuerunt primò cauſata à Deo ſecundum proprias entitates, dicunt infallibilem connexionem cum fine prædeſtinationis, & dant jus ad gloriam re ipſa obtinendam: quod autem infallibiliter nectitur cum fine prædeſtinationis eſt effectus prædeſtinationis, à qua cauſatur, alioquin non conduceret infallibiliter nec daret jus ad ipſam gloriam conſequenter præfata dona, & merita ſunt effectus prædeſtinationis ſecundùm ſubſtantiam, ſeu proprias entitates, quibus dant jus ad gloriam re ipſa obtinendam.] Si dices non dare tale jus niſi ut vivificata, & inſtaurata per pœnitentiam. Contra eſt, quia pœnitentia propriè non vivificat gratia & merita mortificata: ſiquidem poſitivè non dat illis vitam, & valorem: quamobrem pœnitentia tantùm dicitur vivificare præcedentia dona, & merita, quatenus removet prohibens ſeu peccatum, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 5. Cauſa ſiquidem per ſe talis vitæ & valoris eſt paſſio Chriſti applicata ipſis meritis & donis gratiæ, merita enim Chriſti ſemper manent in divina acceptione, unde antecedenter ad ipſam reparationē per pœnitentiam habent eundem valorem, & dabant idem jus in divina acceptione quamvis eorum efficacia fuerit impedita per peccatum: etenim valor meritorum Chriſti non dependitur per peccatum, ſed tantùm eorundem efficacia impeditur per peccatum, ergo gratia, & merita prædeſtinati mortificata per peccatum & reſtaurata per pœnitentiam non dant jus ad gloriam ex vi reparationis per pœnitentiam, ſed ex vi meritorum Chriſti, quæ manent in Dei acceptione etiam cum gratia & merita prædeſtinati ſunt mortificata per peccatum lethale.] Firmatur aſſertum quia quando gratia reparatur, & merita reviviſcunt, non ſolùm reduplicativè ut inſtaurata ſed etiam ſpecificativè tribuunt prædeſtinato jus ad gloriam: ſiquidem tale jus fundatur in gratia qua tali, & in meritis qua talibus: ergo gratia interrupta per peccatum, & merita mortificata ſunt effectus prædeſtinationis in ipſis prædeſtinatis: præterea quia gloria quæ confertur prædeſtinatis, commenſuratur ſecundùm quantitatem eorundem meritis non illis tantùm quæ acquiruntur per pœnitentiam, ſed iis etiam quæ reviviſcunt: conſequenter ſi merita mortificata, & per pœnitentiam vivificata dant jus ad gloriam ſpecificativè ut ſunt merita debent eſſe effectus prædeſtinationis in ipſis prædeſtinatis. Rurſus quia merita mortificata & gratia interrupta per peccatum retinent in prædeſtinatis ordinem reparabilitatis conſequenter retinent etiam ordinem infallibilem ad gloriam, eſt ſunt effectus prædeſtinationis.] Si dicas gratiam & merita tantùm reparata per pœnitentiam dari jus ad gloriam non verò ut mortificata per peccatum. Contra eſt, quia tametſi collatio gratiæ tantùm proveniat ex efficaci intentione gloriæ mediatæ, ſeu mediante inſtauratione per pœnitentiam ac mediante ordine quem retinent infallibilem ad reparationem, & finem ultimum, nihilominus adhuc quoad ſubſtantiam, & ſpecificativè ſunt effectus prædeſtinationis: ſiquidem etiam gratia non interrupta uſque ad mortem procedit ex intentione gloriæ non ſolùm ut continuata verùm etiam ut primò infuſa adeo ut ſit quoad ſubſtantiam, & ſpecificativè effectus prædeſtinationis ut fatentur omnes: ſed hujuſmodi gratia non conducit ad gloriam, nec dat jus ad ipſam niſi media continuatione & perſeverantia finali ergo tametſi gratia, & merita non conducant ad gloriam niſi mediatè, ſeu mediante reparatione: adhuc quoad ſubſtantiam, & ſpecificativè ſunt effectus prædeſtinationis, quia ſicut ratio mediationis non obſtat, quò minus gratia continuata, ſeu mediante perſeverantia, & continuatione uſque ad mortem ſit effectus prædeſtinationis quoad ſubſtantiam: ita neque in gratia interrupta ratio mediationis obſtabit, quo minus ſit effectus

Digitized by Google

num certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi, corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die. Cæterum vocatio, juſtificatio, & glorificatio, ſeu conſecutio æternæ gloriæ cauſantur à Deo ex vi prædeſtinationis, cujus propterea dicuntur eſſe effectus.

Quòd ſi dicas cum Durando nomine glorificationis non intelligi ab Apoſtolo æternam felicitatem, ſed glorioſam nominis celebritatem, adeo ut D. Paulus tantùm loquatur de gloria accidentali hujus vitæ per famam & bonum nomen juxta antiquam lectionem, qua locò *glorificavit*, legebatur *magnificavit*. Contra eſt, quia D. Paulus expreſsè loquitur de gloria illa quæ præparatur electis per prædeſtinationem ut explicat etiam D. Auguſtinus lib. 1. de prædeſtinatione Sanctor. cap. 16. ubi ait: *Glorificavit illo utique fine qui non habet finem:* unde ex mente Auguſtini nomine glorificationis intelligitur æterna felicitas: ſed non eſt gloria accidentalis hujus vitæ, quæ habeatur per famam, & bonum nomen, ſed eſt mera glorificatio in patria, unde ex mente D. Pauli & Auguſtini glorificatio cauſatur à Deo ex vi prædeſtinationis cujus propterea eſt verus effectus. Contra ſecundò quia verba D. Pauli ædificanda ſunt de omnibus ac ſingulis prædeſtinatis in quibus tamen non ſemper verificatur nominis celebritas cum poſſit adultus recens converſus & juſtificatus ſtatim decedere ex hac vita, & ſalutem æternam conſequi, tametſi nullam in hac vita nominis celebritatem adeptus fuerit. Præterea quamvis aliqui ex Sanctis Patribus nomine glorificationis intellexerint etiam celebrem famam in hac vita, non tamen negant verba Apoſtoli eſſe intelligenda de gloria æterna. Licet alii etiam Doctores eccleſiæ, ut Chryſoſtomus, Theophylactus & alii per glorificationem intelligant adoptionem per chariſmata & dona, nihilominus loquuntur de adoptione perfecta, quæ fit in gloria per gratiam conſummatam non verò de adoptione inchoata per gratiam, quæ confertur in præſenti ſtatu viæ: ratio eſt: quia D. Paulus hanc adoptionem inchoatam jam ſignificaverat per juſtificationem, cùm dixit: *Quos autem juſtificavit illos & glorificavit*, ubi Paulus diſtinguit juſtificationem à glorificatione: proinde ſi juſtificatio eſt, adoptio inchoata, quæ habetur in hac vita per gratiam nomine glorificationis intelligit adoptionem conſummatam, & perfectam, ſeu ipſam æternam gloriam, unde nulli dubium eſſe poteſt, quia glorificatio ſit effectus prædeſtinationis, quia cùm ſit effectus gratiæ, & meritorum ut cum D. Thoma docent omnes Theologi debet eſſe effectus prædeſtinationis, quia gratia, & merita ſunt effectus prædeſtinationis, ut oſtenſum fuit: ergo & ipſa glorificatio eſt effectus prædeſtinationis, quia juxta vulgatum axioma quod eſt cauſa cauſæ, & cauſa cauſati. Rurſus glorificatio cùm ſit effectus Dei debet cadere ſub aliqua illius providentia: ſed non eſt effectus providentiæ naturalis, quia non eſt à Deo ut Authore naturæ, ſed ut ſupernaturali: rurſus nec eſt effectus providentiæ ſupernaturalis generalis, quia hæc eſt communis omnibus hominibus, & tantùm eſt de mediis ſufficientibus reſpectu finis. Præterea neque eſt effectus reprobationis cujus effectus ultimus non eſt poſitio ſed negatio gloriæ: ergo glorificatio eſt effectus prædeſtinationis ſupernaturalis particularis. Reſpondet Durandus in 1. *diſt.* 41. *quæſt.* 2. glorificationem non eſſe effectum hujus prædeſtinationis, & nititur, eò quia prædeſtinatio non ſit de fine, ſed mediis conducentibus ad aſſecutionem finis: ſed glorificatio eſt finis prædeſtinatorum non verò medium, conſequenter concludit non eſſe effectum prædeſtinationis. Sed contra quia prædeſtinatio propriè eſt præparatio mediorum inferentium efficaciter conſecutionem finis, proinde ejus cauſalitas non ſolùm extenditur ad media, ſed tranſit ulteriùs ad finem: eſt enim prædeſtinatio aliquo pacto de fine in executione, quia non eſt de mediis utcunque ſumptis, ſed de ipſis ut inferentibus finem: conſequenter etiam ipſa glorificatio eſt effectus prædeſtinationis: perinde ac ſanitas quæ eſt finis artis medicæ, & eſt etiam effectus ejuſdem, eò quia ars medica applicet effectivè media, quibus ſanitas cauſatur: perinde quamvis glorificatio ſit finis prædeſtinationis, eſt etiam ejus effectus, quatenus Deus ex vi prædeſtinationis dat gratiam & merita, quæ cauſant glorificationem. Non deſunt etiam, qui reſpondent argumento Durandi ſufficere ut glorificatio ſit effectus prædeſtinationis, ſi non ſit finis ultimus objectivus, quamvis habeat rationem finis ultimi formalis, verùm hæc reſponſio non ſatisfacit, quia finis formalis non eſt objectum electionis per modum medii ordinati ad finem objectivum neque cauſa formalis propriè eligitur propter ſuum effectum formalem. Vera igitur ſolutio argumenti Durandi eſt, quia prædeſtinatio licèt ſit immediatè de mediis, quia tamen hæc in executione ſunt cauſa finis ideo mediatè & in executione eſt etiam de fine: perinde ex eo, quòd glorificatio ſit finis prædeſtinationis non ſequitur non eſſe etiam effectum ejuſdem mediatè & in executione.

CAPUT X.

De Reprobatione Impiorum ejuſque effectibus.

Dari reprobationem eſt certum & colligitur ex pluribus ſcripturæ locis, quamvis ſub expreſſo verbo reprobationis fortaſſis non reperiatur. Verùm quia verbum reprobandi idem ſonat ac rejicio, abjicio, condemno, ideo quoad rem ſignificatam reprobatio pluribus in locis ſignificatur in ſcripturis, in quibus exprimitur voluntas Dei projiciendi ſuos hoſtes à gloria æterna, in quo ſenſu explicatur illud ſcripturæ argentum reprobum *vocate eos, quoniam Deus projecit illos. Ne cùm aliis prædicaverim ipſe reprobus efficiar.* Cæterum reprobi ab Apoſtolo vocantur vaſa iræ vaſa in contumeliam, quia Deus congregat ſuper eos mala unde dicuntur etiam projecti, ejecti, expulſi, deſpecti, oblivioni traditi, foras miſſi, quæ omnia ſignificant Dei ſcientiam, & decretum, quo poſt prævisa eorum peccata ſeparantur ab electis, & excluduntur à regno, ſicut explicat Auguſtinus homil. 5. in Pſal. 118, *ut tanquam ignita framea prohibeantur indigni ne manum ſuam extendant ad arborem vitæ.* Cæterum reprobatio poteſt dupliciter ſumi pro anteriori, & temporali reprobatione, quæ fiet die univerſalis judicii, aut particularis cujuscunque. Secundò pro interiori & æterna, quæ eſt in mente Dei: utraque reprobatio eſt certa: prima ſignificatur Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Se-

Digitized by Google

cunda inſertur ex prima; quia quod exequitur in tempore, hac idem decernitur ab æterno à Deo ut eveniat in tali temporis differentia. Ratio aſſignatur à D. Thoma, quia ad generalem Dei providentiam pertinet, aliquem permittere defectum in rebus: cum enim vi divinæ providentiæ homines ordinentur ad vitam æternam; ideo ad eandem providentiam pertinet, aliquos deficere. Verùm hæc ratio non eſt neceſſaria; ſed tantum quædam eſt congruentia. Potuiſſet enim Deus aliter diſponere tam Angelos quàm homines. Quia verò Deus liberum hominibus indidit arbitrium congruum erat, ut ſineret eum operari liberè, ac permitteret etiam ipſum deficere ab eo fine, ad quem ordinaverat. Præterea reprobatio non convenit Deo metaphoricè, ſed propriè quia in executione dependet ab actibus divinis; qui propriè ſunt in Deo. Præterea reprobatio eſt quædam providentia, ſiquidem verſatur circa ordinem eorum, qui ob peccatum deordinati ſunt, & quia hic ordo elevat reprobos ut modo quodam ſupernaturali, ſeu per punitionem ordinentur ad finem ſupernaturalem, ſequitur reprobationem eſſe quandam providentiam ſupernaturalem, quæ definitur à Magiſtro in 1. diſt. 4. *Præſcientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem*, ſeu quod ipſe repetit præſcientia malitiæ in quibusdam non finiendæ, & præparatio pœnæ non terminandæ quæ definitio ab omnibus admittitur docentibus formalem impœnitentiam à Deo prævisam eſſe cauſam reprobationis; non tamen hæc conſiſtit in actu intellectus, quo Deus videt in hominibus non electis peccata duratura usque ad finem vitæ: ſiquidem hic actus eſt merè ſpeculativus imò & ſuppoſita permiſſione peccati neceſſarius: reprobatio verò eſt ſimpliciter actus liberè practicus à quo procedit effectus liber damnationis reproborum, conſequenter divina reprobatio non dicit de ſuo formali talem actum, tum quia hic actus non magis attingit peccata duratura usque ad finem vitæ, quam ipſa merita poſſibilia ejusdem reprobi. Neque reprobatio de ſuo formali importat actum illum, quo intellectus divinus proponit talia media, quibus poſſit homo ſalvari ſi vellet, & non ſalvatur ex propria malitia: ſiquidem actus iſte pertinet ad providentiam, quæ confert beneficia, & media ad ſalutem: reprobatio autem licèt ſupponat hanc providentiam non tamen illam formaliter dicit, quia per reprobationem non ordinantur formaliter reprobi ad vitam æternam: ergo neque divina reprobatio poteſt de ſua formali dicere actum illum quo intellectus divinus præcisè proponit alia media, quibus poſſint reprobi ſalvari ſi velint. Si dicas reprobationem opponi prædeſtinationi, & hanc de ſuo formali dicere actum quo proponuntur media infallibilia conſequenter reprobationem importare formaliter actum illum, quo proponuntur media fallibilia conſequenter conſiſtere formaliter in actu illo, quo intellectus divinus proponit talia media, quibus poſſint homines ſalvari, ſi velint. Contra eſt, quia prædeſtinatio, & reprobatio non opponuntur ex eo, quòd illa reſpiciat media infallibilia, & hæc fallibilia, quia hæc media cùm ſint beneficia Dei reſpiciunt beatitudinem; ſed differunt, quia prædeſtinatio reſpiciat beneficia & beatitudinem: reprobatio verò juſtitiam, & pœnam.

Dicendum eſt reprobationem divinam formaliter importare judicium practicum, quo Deus judicat reprobos indignos ſuis beneficiis, ac dignos æternis ſuppliciis, & rurſus actum illum voluntatis, quo Deus decernit, quod per judicium practicum proponitur, adeo ut reprobatio formaliter includat utrumque actum intellectus & voluntatis, ut diximus eum de prædeſtinatione. Ratio eſt, quia hoc judicium practicum ex ſe ſufficit ad cauſandum factum reprobationis ordinem. Quòd verò præter hoc judicium practicum importet etiam actum voluntatis ex eo evincitur facilè, quia cùm divina reprobatio ſit efficax, & ponat ad extra illum eundem ordinem, qui à judicio practico præſcribitur debet ut formaliter efficax includere formaliter actum voluntatis. Hanc verò reprobationem ineſſe Deo per recenſitos actus poſitivos docent communiter Theologi cum D. Thoma, & ratio eſt, quia Deus utpote nulli obnoxius mutationi nihil poteſt de novo velle, ſed quod in tempore vult, ſeu exequitur hoc voluit ab æterno, ut eveniret in tali peculiari temporis differentia: ſed Deus actu poſitivo excludit in tempore aliquos à gloria ergo ab æterno actu poſitivo voluit illos excludere major & conſequentia tenent, minor eſt certa de fide Matth. 25. *Ite malidicti in ignem æternum*, ſignificant enim hæc verba decretum poſitivum, & voluntatem puniendi reprobos. Firmatur quia decretum poſitivum excludendi à gloria homines vel Angelos rebelles propter eorum peccata nullam involvunt imperfectionem, & maximè decet divinam bonitatem, quatenus manifeſtat Dei juſtitiam. Quòd ſi dicas hos actus poſitivos reprobationis eſſe ſuperfluos in Deo, quia ex ſola reprobatione negativa, quæ eſt negatio voluntatis efficacis dandi gloriam ſufficienter intelligitur homo eſſe abſolutè & ſimpliciter reprobus non minus ac ſi per actum poſitivum eſſet poſitivè excluſus à gloria: etenim ut res poſſibilis non ſit futura non eſt neceſſe Deum actu poſitivo velle eum non eſſe, ſed ſufficit ſi Deus non habeat actum poſitivum, quo velit eam eſſe: ergo ut reprobus de facto non conſequatur gloriam non eſt neceſſe Deum habere actum poſitivum non dandi gloriam reprobo ſed ſatis eſt ſi non ſit electus efficaciter ad gloriam quando enim affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt etiam cauſa negationis, ergo cum voluntas poſitiva dandi gloriam ſit cauſa, cur prædeſtinati conſequantur gloriam ita negatio talis voluntatis eſt ſufficiens cauſa, cur reprobus non conſequatur gloriam. Contra eſt negatur antecedens, ad cujus probationem reſpondetur cum diſtinctione: non eſt neceſſe Deum actu poſitivo velle rem poſitivam non eſſe ut non ſit futura abſolutè, & materialiter conceditur; ut non ſit futura formaliter ratione alicujus denominationis deſumptæ ex ipſo actu, & aliis circumſtantiis negatur, quamvis creatura rationalis ex vi ſolius negationis actus poſitivi non conſequeretur gloriam; quia tamen excluſio à gloria habet rationem pœnæ, quæ dicit ordinem ad peccatum anteactum; non poteſt talis excluſio habere denominationem pœnæ niſi præſupponat actum poſitivum Dei quia pœna exigit ex ſe ut ſit deſtinata à ſuperiori in vindictam patrati ſceleris: hæc autem pœna hoc pacto infligenda non poteſt intelligi niſi mediante aliquo actu poſitivo quo ſuperior in vindictam culpæ intimet talem pœnam: ſin autem intelligeremus aliquem non eſſe ordinatum ad pœnam neque electum ad gloriam in hac hypotheſi talis nec præmium conſequeretur, nec pœnam ſubiret, & nihilominus careret ipſa gloria, quæ carentia eſt materiale illius objecti. Dices Chriſtum non velle aliquem perire ut expreſsè habetur Matth. 18. *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, ut pereat unus ex puſillis iſtis*, & 1 Petri 3. *Deus patienter*

agit

agit nolens aliquos perire, ergo Deus ab æterno non habet ullum actum positivum, quo velit aliquos reprobare. Sed contra quia ex allatis scripturis tantùm infertur Deum ex se, & anteprævisum peccatum non habuisse actum positivum, & absolutum damnandi aliquos ad pœnas æternas; non tamen colligitur Deum ab æterno post prævisum peccatum non habere actum positivum, & absolutum excludendi aliquos à gloria.

Cæterum Deus ante omne peccatum prævisum non habet voluntatem ullam efficacem, & positivam excludendi aliquos à gloria, ita communiter Theologi cum D. Thoma 1. *part. quæst.* 23. *art.* 3. & *quæst.* 6. *de veritate art.* 2. *ad ult.* & *art.* 2. *ad* 9. contra Calvinum *lib.* 3. *Instit. cap.* 21. & 22. Ubi asseruit Deum non ex præscientia peccati sive personalis, sive originalis, sed pro solo suo beneplacito, & voluntate ex tota hominum creandorum multitudine aliquos destinâsse ad pœnam, & damnationem sempiternam ut suo illo exitio divinum nomen glorificent, quam sententiam vocat Catherinus intolerabilem, & horribilem & Stapletonius in cap. 9. ad Roman. eam vocat execrabilem, eò quia Deum arguat iniquitatis, & injustitiæ: docuit enim Calvinus Deum primò ex solo suo placito nullo habito respectu ad peccata, & demerita decrevisse ex hominibus aliquos destinare ad pœnas sempiternas. Secundò asseruit Deum hujusmodi reprobos ita impellere ad peccatum ut necesse sit eos peccare, ut fusè explicat Petavius *Tom.* 1. *Theologicor. dogmat. lib.* 10. *cap.* 6. Suadetur assertum Catholicum ex scripturis, & primò ex illo Matth. 25. ubi Christus ut Judex venturus dicet reprobis: *Discedite à me*, (quibus verbis significatur pœna damni, seu exclusio à gloria) *maledicti in ignem æternum* (quibus verbis designatur pœna sensûs) deinde assignans causam prolatæ sententiæ ait: *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare*, quibus denotatur causa damnationis omnino distincta à merò Dei beneplacito; id enim, quod movit Deum, ut hos excluderet à gloria fuit demeritum seu negare esurienti panem, & sitienti potum: quando præceptum ad id urgebat. Firmatur assertum ex illo 2 Reg. 14. *Non vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat, quia abjectus est* quibus verbis clarè constat tantum abesse, ut DEUS ex se, & ante visionem peccati velit aliquos homines æternum perire, ut potiùs quamvis eorum peccatis irritatus adhuc eorum salutem velit, & desideret. Sapient. cap. 1. *Deus mortem non fecit, neque lætatur in perditione vivorum*, cujus sensus ut explicant passim SS. Patres, & Interpretes, est, DEUM quantum ex se nolle mortem nostram, neque perditionem spiritualem, sed solùm ex iniquitate hominum juxta illud Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel tantummodo in me auxilium tuum*, hoc idem etiam significat Isaias 59. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum.* Sed si DEUS ante prævisionem peccatorum vellet absolutè, & efficaciter excludere aliquos à gloria eosque dejicere in pœnas sempiternas nullam haberent vim præfatæ scripturæ verba. Ex sanctis Patribus etiam ostenditur veritas asserti, etenim D. Augustinus Epist. 106. ait: *Cum per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa massa defluxerit, procul dubio, quod ex ea fiant vasa in honorem non ipsius justitiæ, quam gratia nulla præcessit, sed Dei misericordia; quod verò in contumeliam non iniquitati Dei (quæ absit ut sit apud Deum) sed judicio deputandum est*, & lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. ait: *Non igitur Deus Esau hominem odit, sed odit Deus Esau peccatorem*, ex quo liquet peccata hominum esse Deo causam eos reprobandi, ut etiam docent alii Sancti Patres, ratio etiam id suadet, quia exclusio à gloria est pœna damni, & dejectio ad cruciatus æternos est pœna sensûs: atqui de ratione pœnæ est dicere ordinem essentialem ad culpam: ergo neutra pœna potest esse à DEO volita nisi propter culpam; major, & consequentia tenent. Probatur minor, quia sicut præmium non potest esse volitum nisi propter merita, eò quia dicat ordinem essentialem ad ipsa merita; ita quia pœna dicit etiam ordinem essentialem ad culpam, non potest esse volita nisi propter culpam, ex quo sequitur quòd si DEUS vellet pœnam alicui inferre vellet etiam ipsius culpam, cum hæc sit medium omnino necessarium ad pœnam infligendam. Si dicas id non sequi, eò quia culpa non sit medium à Deo ponendum, quia peccatum non est à volibile. Contra est, quia eo ipso, quòd culpa non est volibilis à DEO, neque ab ipso antecedenter ad culpam potest pœna esse volibilis, cùm hæc dicat ordinem essentialem ad culpam ut ad proprium fundamentum in quo fundatur. Præterea quia volitio pœnæ antecedenter ad culpam saltem implicitè continet volitionem culpæ, quia quod essentialiter est connexum cum aliquo non potest esse volitum unum quin saltem implicitè sit etiam volitum aliud, culpa autem non potest à Deo implicitè esse volita consequenter neque pœna antecedenter ad culpam.

Præterea quia DEUS quantum est ex se nulla data occasione per peccatum ex parte nostra antecedenter ad peccatum vult omnes homines salvos fieri: sed cum voluntate dandi omnibus gloriam antecedenter ad prævisionem culpæ non stat voluntas excludendi aliquos à gloria eósque detrudendi in pœnas sempiternas, antecedenter ad culpam: ergo supposita voluntate dandi gloriam omnibus non potuit DEUS in eodem signo, & ante visionem peccati excludere efficaciter aliquos à gloria. Major & consequentia tenent, minor ostenditur, quia hæ duæ voluntates fundant contradictionem sitam in eo quod est dare eidem ante prævisionem culpæ gloriam, & non dare eidem gloriam. Firmari etiam potest, quia voluntas antecedens qua DEUS nondum prævisio peccato Judæ voluit illi dare gloriam est voluntas conditionata dandi gloriam si per ipsum Judam non steterit reddendo se illa indignum per peccatum ergo si per Judam non stat, impossibile est voluntatem DEI de danda gloria Judæ retrocedere, & revocari per voluntatem excludendi illum à gloria: ergo hæc secunda voluntas nequit cohærere cum prima ante visionem peccati. Rursus quia inde sequeretur, quòd Deus priùs desereret homines, quàm ab iisdem desereretur contra Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 11. & contra D. Augustinum lib. de natur. & grat. cap. 16. ubi ait: *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur ab illo*, alioquin Deus illusoriè injungeret præcepta hominibus, & daret auxilia quibus possint illa adimplere, & gloriam assequi, si jam quantum est ex parte sua ante prævisionem peccati vellet eos excludi à gloria: neque verum esset illud Oseæ *perditio tua ex te Israel.* Præterea si voluntas absoluta & efficax excludendi aliquos à gloria

Digitized by Google

gloria eſt independens à peccato, ſequitur reprobum non excludi à gloria propter peccatum commiſſum, quod eſt contra fidem, ergo voluntas excludendi aliquos à gloria non poteſt eſſe independens à peccato. Antecedens oſtenditur quia tunc aliquis non damnatur propter peccatum commiſſum quando damnatio eſt abſolutè futura, quamvis nullum poneretur peccatum: ſed poſita illa voluntate efficaci & abſolute ſimpliciter damnatio reprobi eſſet futura, licèt nullum eſſet ejus peccatum quia damnatio eſſet priùs abſolutè futura, quàm eſſet futurum peccatum: ſiquidem poſito decreto DEI efficaci, & abſoluto de damnatione reprobi repugnat, quod non ſit damnatio reprobi conſequenter eſſet abſolutè, & infallibiliter futura tametſi nullum eſſet peccatum futurum. Firmari etiam ex eo poteſt, quia in illo ſigno eſt futura excluſio à gloria, in quo eſt cauſa talis excluſionis: ſed in illo ſigno ante prævifionem culpæ adeſſet decretum efficax, & abſolutum DEI excludendi à gloria reprobos, quod decretum eſt cauſa efficax talis excluſionis: ergo poſito quòd tale decretum ſit ante viſionem culpæ, ſequitur manifeſtè quòd excluſio à gloria eſſet abſolutè futura, tametſi nullum eſſet futurum peccatum. Rurſus poſito tali decreto efficaci, & abſoluto ante prævifionem culpæ ſequitur verùm eſſe quòd reprobus ſive bene ſive malè agat infallibiliter damnabitur: ratio eſt clara quia cum decreto abſoluto de excluſione à gloria eſt inconjungibilis negatio ejusdem excluſionis, alioquin decretum DEI non eſſet abſolutum & efficax, ſed decretum excludendi reprobos à gloria eſt abſolutum & efficax ante omne peccatum ejusdem reprobi, qui propterea ſive bene ſive malè agat, ſemper verum eſt, quòd infallibiliter damnetur.

Objicit tamen Calvinus illud Apoſtoli ad Roman. 9. ubi de Jacob & Eſau ait: *Cum nondum nati fuiſſent non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ergo antecedenter ad bona vel mala opera DEUS prædeſtinat ad gloriam æternam, vel damnat ad ſupplicia ſempiterna. Sed contra negatur conſequentia, quia Apoſtolus ibi loquitur de reprobatione qua DEUS excludit ab uberiori auxilio gratiæ, quæ excluſio à majori gratia ſolet in ſcripturis nomine odii ſignificari ut Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem & matrem, & uxorem, & filios adhuc autem & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ſeu qui non minùs amat iſta, quàm me, qui hæc mihi non poſtponit, unde odio habere Patrem, & matrem, uxorem & filium, imò & animam ſuam non importat velle malum aliquod Patri, vel matri, ſed tantùm quòd minus ametur quàm Deus, cujus amor propterea præferendus eſt amori in patrem, & matrem, uxorem, filios, imò & animam propriam, quia ſicut Deus eſt ſupra omnes creaturas ita debet ſuper creaturas omnes amari, & diligi, ùnde carentia hæc uberioris amoris vocatur odium, eodem pactò cum dicitur: *Jacob dilexi, Eſau odio habui*, per odium tantùm ſignificatur excluſio majoris amoris, & gratiæ, hinc etiam Geneſ. 29. Cum ſcriptura dixiſſet Patriarcham Jacob magis dilexiſſe Rachaelem, quàm Liam: paulo poſt ſubjungit: *Videns Dominus quòd odio haberet Liam*, quod perinde eſt, quàm minùs amaret Liam, tametſi majore videretur amore digna, eò quia & prior eſſet uxor, & fœcundior, unde minora ſigna amoris in ſcripturis interdum ſignificantur nomine odii, quia cùm minora ſigna amoris oſtendimus ei, qui dignus majori videbatur, ita cum eodem videmur nos gerere, ac ſi eum odio haberemus; cum igitur Eſau eſſet primogenitus, ac majori propterea videretur benedictione afficiendus quàm Jacob, DEUS tamen contrarium præſtitit & in Jacob abundantiam, & cumulatiorem effudit benedictionem, & in Eſau longè minorem, propterea dictus eſt Eſau odio habitus. Præterea volunt alii Apoſtolum ad Roman. 9. loqui de reprobatione à regimine temporali: ſiquidem locus Malachiæ, quem adfert Apoſtolus, loquitur de odio illo, quo DEUS Idumæos per Chaldæos vaſtari permiſit, & vaſtatos noluit reſtitui, ſicut reſtituit Iſraelem: illa autem vaſtatio ſeu non reſtitutio fuit in pœnam peccatorum: ſecus dilectio, qua perſecutus eſt Iſraelem non erat ex meritis ipſorum: ſed ex gratuito DEI beneplacito, quamobrem Apoſtolus tantum voluit oſtendere, quòd teſtimonium Malachiæ congrueret cum illa prædictione. Alii etiam reſpondent, Apoſtolum fuiſſe locutum de illa reprobatione, quæ ſupponit peccatum originale. Sed inſtat Calvinus, quia Apoſtolus adfert exemplum figuli qui ex eadem maſſa argillæ facit aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam, ſed reprobi ſunt vaſa contumeliæ ratione damnationis æternæ, ergo ſicut figulus nullo habito reſpectu ad maſſam argillæ ex ſolo ſuo beneplacito facit vas aliud in honorem, & aliud in contumeliam, ita DEUS ex ſolo ſuo beneplacito nullo habito reſpectu ad merita vel demerita ex hominum multitudine alios prædeſtinat ad gloriam & alios deſtinat ad æternos cruciatus. Sed contra quia Apoſtolus tantùm adfert exemplum illud, ut oſtendat Deum non facere injuriam, ſi eos qui jam ſunt in ſtatu damnationis ratione peccati originalis relinquat in eodem ſtatu non conferendo ipſis auxilia gratiæ quibus reſurgant: hinc ſubdit Apoſtolus quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud DEUM? ut qui operum rationem non habet, ſed eos qui carent operibus iis præfert, qui opera habent? & reſpondet *abſit*, quia ut ipſi Moyſi ait: *Poteſt miſereri cui voluerit.* Sicut enim ex iis qui in cultu vituli peccârunt, pepercit, quibus ipſi placuit, & punivit quos voluit: perinde cum Judæi & Gentes peccaverint poteſt dare ſuam gratiam quibus ipſi magis placet. Sed placet dare credentibus, & denegare Judæis incredulis quamvis opera habeant, quapropter infert Apoſtolus. *Igitur non volentis nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, nimirum aſſequi divinas promiſſiones & veram juſtitiam. Volentis ſiquidem & currentis ſicut Judæi volebant, & currebant, ſcilicet per opera legis & obſervantias æternas ſed miſerentis DEI, quia ſtatuit eas implere in credentibus, & hunc locum explicat Apoſtolus paulò infra ℣. 30. inquiens: *Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſectabantur juſtitiam apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide eſt.* Quod propriè eſt miſerentis DEI. *Iſrael verò ſectando legem juſtitiæ in legem juſtitiæ non pervenit. Quare quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Quia nimirum per opera erant volentes & currentes. Inſtat adhuc, & adfert illud Proverb. 30. *Omnia propter ſe ipſum operatus eſt impium quoque in diem malum*, ex quo infert DEUM punire ex amore ſuæ juſtitiæ, ut illam manifeſtet. Sed contra quia ſenſus eſt, DEUM omnia ordinare ad ſe ipſum, adeo ut etiam ordinet pec-

catores

Digitized by Google

catores quos scivit perseverare in peccato, quia in ipsis etiam ostendit suam justitiam: unde sensus non est, quod absolutè ante visionem cujusvis peccati vellet damnare, ut suam ostendat justitiam. Quòd verò peccatum originale sit sufficiens causa punitionis æternæ in decedentibus cum ipso, est clarum; quia peccatum originale est vera culpa qua homo constituitur DEO inimicus: ubi autem est culpa ibi pedissequa pœna est justa, quapropter Augustinus Epist. 106. ad Bonifacium scribit: ***Per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa massa defluxit.***

Imò neque ante visionem peccati habuit Deus voluntatem efficacem conditionatam excludendi omnes homines vel aliquos à gloria; quia scripturæ expressè excludunt utramque voluntatem absolutam, & conditionatam, eo enim ipso, quòd Deus antecedenter ad culpam vult omnes homines salvos fieri, non potest quærere in eodem signo cum eadem voluntate voluntas excludendi omnes homines vel aliquos à gloria; stante enim eadem cognitione cum iisdem circumstantiis ex parte objecti, illæ duæ voluntates se mutuo destruunt. Rursus exclusio à gloria secundùm se & præcisè sumpta absque ullo respectu ad culpam neque ad justitiam DEI punitivam nullam includit bonitatem consequenter neque est amabilis, ergo neque potest esse à DEO volita: quia quod in se bonum non est, non est amabile; & quod non est amabile non est volitum antecedens patet, quia ut diximus glorificatio alicujus hominis secundùm se sumpta & exclusio ejusdem hominis à gloria secundùm se & præcisè sumpta opponuntur negativè, consequenter quod dicit unum extremum negat aliud, sed glorificatio hominis secundùm se sumpta est amabilis bona ac volita de facto à Deo, ergo exclusio à gloria secundùm se præcisè sumpta dicit negationem bonitatis, & amabilitatis; sed dices Deum de facto excludere impios à gloria adeo ut DEUS ab æterno intelligatur habere tale decretum efficax, & absolutum excludendi impios à gloria: sed Deus ab æterno vult etiam quantum est in se omnes homines salvos fieri: ergo si cum voluntate salvandi omnes homines cohæret voluntas efficax, & consequens damnandi aliquos; à fortiori stabit cum eadem voluntate voluntas antecedens conditionata excludendi aliquos à gloria. Sed contra negatur consequentia ob discrimen inter voluntatem conditionatam & absolutam, ac efficacem excludendi aliquos à gloria: ratio est, quia voluntas efficax damnandi aliquos & voluntas antecedens salvandi omnes non sunt in eodem signo rationis neque habent oppositionem objectivam, quia voluntas antecedens salvandi omnes habetur ante prævisionem culpæ, & voluntas efficax damnandi aliquos post prævisionem culpæ, ex quo liquet has duas voluntates non esse in eodem signo. Rursus voluntas antecedens salvandi omnes habet pro objecto gloriam eorundem secundùm se sumptam: voluntas autem efficax damnandi aliquos habet pro objecto exclusionem eorundem à gloria non secundùm se, & præcisè, sed ut affectam circumstantiis peccati, & fine ostensionis divinæ justitiæ punitivæ: hinc rectè cohærent illæ duæ voluntates, quia Deus viso peccato vult excludere impios à gloria, quibus antecedenter ad visionem peccati & quantum erat ex parte Dei vult conferre gloriam. Voluntas autem antecedens etiam conditionata excludendi aliquos à gloria, & voluntas antecedens salvandi illos versantur circa objecta, quæ fundant contradictionem, quia una terminatur ad glorificationem hominum secundùm se sumptam cum præcisione à circumstantiis peccati, aut meriti; & alia terminatur ad negationem talis glorificationis secundùm se, & in eodem signo rationis, & repugnat idem objectum esse simul volitum, & non volitum.

Quòd verò ad causam reprobationis pertinet certum est causam reprobationis parvulorum quos ante baptismum præmatura mors rapit non esse solam voluntatem Dei, ita enim censent Catholici omnes, siquidem Christus est generalis omnium Redemptor, adeo ut mors Christi etiam profuerit hisce parvulis, sed Deus quantum est ex se vult conferre salutem, & gloriam iis omnibus, quibus mors Christi profuit: ergo causa reprobationis parvulorum non potest esse sola Dei voluntas. Præterea quia ut loquitur D. Paulus Deus quantum est ex se, vult omnes homines salvos fieri, consequenter independenter à peccatis & eorum prævisione Deus non vult ullum efficaciter damnare, consequenter neque parvulos quos præmatura mors rapit ante baptismum hinc Augustinus lib. 4. contra Julian. ait: *Nunquid enim parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est vult omnes homines salvos fieri?* Præterea quia ex eodem Augustino ante prævisionem peccati originalis nulla est in DEO reprobatio efficax, siquidem reprobatio necessè est, sit alicujus reprobatio, adeo ut respiciat personam aliquam particularem, & supponat futuritionem reprobati: sed Deus non cognoscit homines esse futuros nisi ut descendentes ab Adam, quem DEUS constituit Protoparentem totius humani generis, & cum homines ut descendentes ab hac radice infecta contrahant peccatum originale, sequitur, quod si DEUS non cognoscit homines esse futuros nisi ut descendentes ab Adam, seu nisi ut infectos peccato originali, & reprobatio supponat futuritionem reprobati DEUS ante prævisionem peccati originalis non habet reprobationem. Si dicas ante prævisionem peccati originalis convenire Deo reprobationem in confuso & hanc sufficere, ut DEUS dicatur causa reprobationis parvulorum. Contra est quia neque reprobatio in confuso potest DEO convenire ratio est manifesta, quia reprobatio, qua parvuli decedentes ante baptismum excluduntur à gloria est efficax, consequenter non potest concipi in confuso, quia de ratione decreti liberi efficacis est, ut terminetur ad aliquod determinatum in singulari. Unde solum peccatum originale non simpliciter, sed ut perseverans usque ad mortem est causa reprobationis parvulorum sive potuerit illis applicari remedium sive non, quia Deus parvulis omnibus iis etiam quibus per causas naturales applicari non potest baptismus, & etiam iis, quibus applicari potest, voluit applicabilitatem & possibilitatem remedii, ergo est par ratio de omnibus adeo ut peccatum originale sit causa reprobationis omnium parvulorum decedentium ante baptismum antecedens ostenditur quia Deus vult baptismũ esse parvulis applicabilem, si ex parte causarum secundarum non ponatur impedimentum adeo ut DEUS quantum est ex se velit antecedenter, & conditionatè applicabilitatem, & possibilitatem baptismi in remedium peccati originalis, ergo DEUS antecedenter, & conditionatè, si non obstitu-

ſtiterint cauſæ ſecundæ vult remedium illud eſſe applicabile. Præterea quia ex primaria DEI intentione baptiſmus eſt omnibus applicabilis, & ex duplici capite fieri poteſt, ut non ſit applicabilis. Primò ex defectu alicujus cauſæ liberæ, ut eſt mater vel ex defectu alterius, qui neglexit dici immiſſam aliquam Dei inſpirationem, cui ſi fuiſſet obſecutus baptiſmus fuiſſet applicabilis: ſed DEUS quantum eſt ex ſe & antecedenter vult applicabilitatem remedii, quoties aliqua cauſa libera culpabiliter impedit ejus applicabilitatem, quia tunc defectus non provenit ex parte DEI, ſed ex ipſa creatura, ut docent plures Theologi cum D. Proſpero *lib. 2. de vocatione Gent. cap.* 33. Quòd ſi dicas ex Auguſtino DEUM eſſe cauſam reprobationis parvulorum, ſiquidem ait epiſt. 105. & 107. loquendo de reprobatione *Non quia ipſi nolunt, ſed quia DEUS non vult.* Sed contra, quia Auguſtinus communiter intelligitur de voluntaria, & conſequente quatenus hoc impedimentum oritur ex cauſis ſecundis vel liberis, vel ſi ſint naturales ex eorundem curſu, adeo ut impedimentum applicabilitatis baptiſmi ſecundùm ſenſum Auguſtini non proveniat ex voluntate DEI primaria, & antecedente, ſed tantùm ex ſecundaria, & cauſa cauſarum ſecundarum, quatenus iſtæ impediunt primariam DEI voluntatem.

Dari etiam cauſam reprobationis in adultis docent communiter Theologi cum D. Thoma 1. *diſt.* 41. *art.* 3. quia poſitiva excluſio à gloria fuit poſt viſionem peccati, unde cauſa talis reprobationis poſitivæ ex parte reproborum datur, quia peccatum eſt ſufficiens cauſa talis excluſionis. Quòd ſi dicas potuiſſe Deum etiam poſt viſionem peccati non reprobare impios conſequenter viſionem peccati non eſſe cauſam talis poſitivæ reprobationis. Contra eſt, quia viſio peccati non ſe habet omnino impertinenter ad voluntatem damnandi, alioquin non eſſet, cur DEUS deberet reprobare poſt viſionem peccati conſequenter peccatum ut viſum debet aliquo pacto conducere ad reprobationem poſitivam velut cauſa, vel occaſio, vel conditio, alioquin DEUS æquè poſſet pro ſua voluntate damnare Judam ante viſionem peccati, ut de facto poſt ejusdem viſionem eum reprobavit, quod tamen eſt falſum cum DEUS neminem reprobet poſitivè niſi provocatus à peccatis. Præterea quia non poteſt in Deo poni odium poſitivum ergo Judam niſi ſuppoſito ejus peccato: ergo neque poni poteſt in Deo reprobatio poſitiva quia hæc eſt odium poſitivum, & DEUS Sapient. 11. *Nihil odit eorum, quæ fecit* unde ſi nihil eſt in Juda præter peccatum quod DEUS non fecerit non poteſt Deus odio habere Judam niſi ſuppoſito peccato: unde Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. explicans verba Pauli ad Roman. 9. ait: *Non odit DEUS Eſau hominem, ſed odit Eſau peccatorem* juxta illud Pſal. *Iniquos odio habui*, & Sapient. 14. *Odio ſunt DEO impius & impietas ejus.* Neque obſtat, quòd D. Paulus ad Roman. 9. dicat: *Antequam quidquam, aut mali egiſſent Jacob dilexi, Eſau autem odio habui* quià inde non colligitur Deum odiſſe Eſau ante viſionem cujuſcunque peccati etiam originalis, ſed tantùm illum odiſſe ante viſionem peccati actualis, quia D. Paulus non dixit: Antequam quidquam boni, vel mali contraxiſſent, ſed antequam quidquam boni vel mali egiſſent: peccatum autem actuale agitur, & originale contrahitur: ſed quia peccatum originale non fuit de facto cauſa reprobationis in Eſau juxta communiorem ſententiam ideo verba Pauli non ſunt intelligenda de odio poſitivo, ſed tantùm de negativo, ſeu de excluſione à gloria negativè ut in præcedentibus oſtendimus. Præterea poteſt commodè reſponderi D. Paulum fuiſſe locutum de reprobatione ad gratiam ut placet aliis; vel etiam de reprobatione in ordine ad regimen temporale, ut videtur innuere Malachias.

Difficultas igitur eſt, quale nam peccatum ſit cauſa reprobationis adultorum, & dicendum eſt peccatum originàle non eſſè cauſam reprobationis adultorum ſive id conſideretur in capite ſeu Adamo ſive in propriis perſonis ſucceſſorum, quia viſo peccato originali Deus adhuc vult omnes homines ſalvos fieri: ſed in hac voluntate conferendi omnibus ſalutem non cohæret voluntas reprobandi, & excludendi homines, à gloria: ergo repugnat Deum pro eodem ſigno habere voluntatem efficacem damnandi aliquos propter idem peccatum, quia voluntas conferendi gloriam non obſtante originali peccato, & voluntas excludendi à gloria propter idem peccatum originale non poſſunt inter ſe ſimul cohærere. Firmatur à poſteriore quia de fide eſt, peccatum originale deleri, ac remitti per baptiſmum, ut definitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. can. ult. ergo ſaltem in reprobis baptizatis non poteſt peccatum originale eſſe cauſa reprobationis, quia DEUS non punit peccatum ſemel remiſſum & hoc argumentum etiam valet de reprobis circumciſis ante Chriſti adventum: ſi dicas per baptiſmum remitti peccatum originale quoad culpam non verò quoad pœnam eò quia in baptizatis perſeverant fomes, infirmtas, ignorantia, mors, & alia, quæ ſunt pœna peccati originalis. Contra eſt, quia eſt certum de fide per baptiſmum liberari hominem ab omni pœna ſibi debita pro peccatis antea commiſſis etiam actualibus, ut fuit definitum in Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi definitum fuit non eſſe imponenda in baptizatis opera ſatisfactoria propter peccata commiſſa ante baptiſmum, quod etiam habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *can.* 8. ubi explicatur diſcrimen inter baptiſmum & pœnitentiam, quia per baptiſmum remittitur ſemper omnis pœna temporalis aliàs debita peccato non ita in pœnitentia, in quo ſenſu explicare ſolet illud D. Pauli ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt iterum renovari ad pœnitentiam*, intelligitur enim de renovatione quæ habetur in baptiſmo per condonationem peccatorum absque ſatisfactione. Quinimò neque peccatum actuale viſum ante mortem reprobi eſſe cauſam reprobationis, quia in DEO tamdiu perſeverat voluntas ſalvandi omnes homines, quamdiu iſti perſeverant in vita: ſed cùm hac voluntate ſalvandi omnes homines non ſtat voluntas illos efficaciter damnandi conſequenter peccatum actuale viſum ante mortem reprobi non eſt cauſa reprobationis. Minor & conſequentia tenent oſtenditur major; quia viſo quocunque peccato ante mortem reprobi, adhuc DEUS confert illi auxilia ſufficientia quibus poſſet reſipiſcere & ſalutem conſequi, voluntas autem dandi media ſupponit voluntatem concedendi finem: ergo voluntas dandi auxilia ſufficientia peccatori, quamdiu iſte detinetur in vita ſupponit voluntatem illum ſalvandi proinde non poteſt peccatum actuale viſum ante mortem eſſe cauſam reprobationis. Firmatur

mittur quia peccator quamdiu vivit, tenetur semper resipiscere & converti ad Deum, sed nisi haberet auxilia sufficientia quibus posset converti, non teneretur resipiscere, quia sine hisce auxiliis non posset converti, & præceptum non obligat ad impossibile: ergo quamdiu peccator vivit DEUS confert illi auxilia sufficientia, quibus possit converti, & æternam salutem consequi; proinde peccatum actuale visum ante mortem reprobi non potest esse causam ejus reprobationis. Si dicas mortem temporalem esse in aliquibus effectum prædestinationis juxta illud: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* Præterea quia Deus aliquando morte in prævisa punit impios in pœnam peccatorum, quæ commiserunt, ergo saltem in istis reprobatio est ante visionem mortis, & peccatum actuale visum ante mortem est causa reprobationis. Sed contra quia mors improvisa impii non est à DEO volita ex intentione eum damnandi ad supplicia æterna, & excludendi à gloria, quia DEUS non accelerat mortem impii ad hunc finem ut non resipiscat, quod necessariò requirebatur, ut mors illa subitanea esset effectus reprobationis. Quamobrem DEUS tantùm intendit mortem illam ex intentione puniendi impium pœna temporali: & per hoc mors accelerata justo differt à morte accelerata impio, quia illa est à Deo volita ex intentione glorificandi non verò hæc ex intentione ut impius damnetur. Si dicas mortem illam acceleratam impio esse medium ad ejus damnationem proinde Deum eam intendere ex intentione damnandi impium contra est, quia mors illa accelerata impio non est medium ad ejus damnationem, non enim hæc sequitur per se & ex natura rei, neque ex ordinatione divina ad mortem temporalem reprobi, sed tantùm per accidens ratione status peccati, in quo homo impius decedit. Si dicas derelictionem in peccato usque ad mortem esse effectum reprobationis consequenter reprobationem esse prævisam ante mortem; siquidem eo ipso, quòd effectus reprobationis est ante mortem cum causa sit prior suo effectu, erit etiam reprobatio, quæ est causa talis derelictionis prævisa ante mortem. Firmatur quia DEUS subinde denegat aliquibus auxilia sufficientia etiam durante vita, & id in pœnam peccatorum præcedentium, ergo reprobatio impiorum habetur ante eorundem mortem. Sed contra negatur antecedens quia reprobatio nullum habet effectum in hac vita, quamdiu reprobi vivunt, quia DEUS quantum est ex se semper vult ut resipiscant, & convertantur, quapropter ait D. Paulus 1. ad Corinth. 2. *Orandum est pro salute omnium*, eò quia DEUS velit salvare omnes. Ad confirmationem negatur antecedens, quia DEUS nulli tametsi maximo peccatori denegat auxilia sufficientia ad conversionem, cum ipse invitet omnes Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos:* hæc enim verba intelliguntur de iis, qui gravati sunt multitudine peccatorum, Quamobrem dicendum est solum illud peccatum finale cum quo reprobus moritur, sive illud sit originale, sive actuale lethale, sive unum, sive multiplex esse causam reprobationis assertum est commune cum D. Thoma *Opusc. de prædest. art.* 2. & ratio desumitur ex ipsa definitione reprobationis, definitur enim *præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ, & præparatio pœnæ non terminandæ.* Rursus ex parte reprobi concedunt omnes dari causam suæ reprobationis positivæ & quoad executionem, quæ causa est ipsum peccatum: sed ut constat ex hactenus dictis causa hujus reprobationis non est peccatum ullum sive originale sive actuale quod præcedat mortem, quia DEUS vult reprobum resipiscere quamdiu vivit, & conferre illi auxilia sufficientia ad consecutionem salutis: ergo superest, ut causa reprobationis positivæ sit solùm peccatum finale cum quo reprobus decedit ex hac vita sive illud sit originale sive actuale lethale sive unum sive multiplex.

Quod verò ad effectum attinet reprobationis, certum est permissionem peccati originalis non esse effectum reprobationis: siquidem effectus non potest esse prior sua causa: reprobatio autem est posterior peccato originali, consequenter permissio peccati originalis cum præcedat reprobationem, non potest esse effectus illius. Firmatur quia si permissio peccati originalis esset à DEO volita, ut effectus reprobationis, utique esset volita ex complacentia finis reprobationis; consequenter etiam ex complacentia medii conducentis ad finem reprobationis: siquidem non potest esse complacentia finis, sine complacentia medii conducentis ad finem: sed medium hoc conducens ad finem reprobationis est solum peccatum, quod propterea esset à DEO volitum, quod repugnat; imò neque permissio peccati finalis secundum suam substantiam est effectus reprobationis positivæ. Permissio enim peccati actualis duo dicit, unum positivum & est concursus DEI ad actum peccati cum libero arbitrio hominis; & aliud negativum, scilicet carentia auxilii efficacis, quo posito homo non peccaret, quæstio non procedit de permissione ut dicit concursum positivum DEI, quia hic concursus est effectus providentiæ generalis, quâ DEUS ut prima causa est paratus concurrere cum causis secundis juxta proprias exigentias naturales; quæstio igitur procedit de sola permissione peccandi ut præcisè importat negationem auxilii efficacis, & de permissione peccati actualis. Probatur assertum quia permissio est aliquid negativum, quod per se non causatur, sed tantum resultat ex aliquo positivo: sed DEUS reprobando non causat aliquid positivum ex quo oriatur permissio, quia hæc supponit voluntatem ferri extra ordinem finis: & quòd DEUS nolit impedire. Firmatur quia voluntas permittendi peccatum non est ex intentione damnandi, consequenter non potest esse effectus reprobationis secundùm entitatem, & substantiam quia ut effectus reprobationis sit talis, requiritur, ut fiat ex intentione reprobandi: antecedens ostenditur, quia permissio peccati actualis præcedit reprobationem, consequenter non potest procedere ex intentione reprobandi, neque esse potest effectus reprobationis, quia repugnat, effectum præcedere suam causam: quòd autem permissio peccati actualis in reprobo præcedat ejus reprobationem ex eo liquet, quia reprobatio ut in superioribus ostendimus, est post visionem peccati finalis permissio autem peccati est prior peccato, quia catenus est peccatum, quatenus permittitur.

Dices permissionem peccati conducere ad finem reprobationis proinde esse ejusdem effectum. Contra est, quia permissio peccati secundùm se præcisè cum consistat in aliquo negativo non potest conducere ad finem reprobationis, sed solùm ratione peccati, quod ponitur à voluntate. Si instes,

inſtes, DEUM in permiſſione peccati, intendere finem aliquem: ſed non poteſt intendere finem prædeſtinationis: ergo debet intendere finem reprobationis. Contra eſt, quia DEUS per permiſſionem peccati, licèt non intendat finem reprobationis, intendit tamen plura ex quibus integratur finis adæquatus: ſiquidem intendit D E U S relinquere liberum arbitrium creaturæ in ſua diſpoſitione, & ut homo propriam cognoſcat imbecillitatem. Rurſus permittit peccatum in reprobis, ut prædeſtinati cognoſcant DEI miſericordiam erga ipſos. Præterea permittit DEUS peccatum, ut manifeſtetur Dei bonitas & ſapientia eliciendo maxima bona ex peccato, ut incarnationem Verbi divini, redemptionem humani generis; hinc exclamavit D. Ambroſius: *ô felix culpa, quæ talem, & tantum nobis meruit redemptorem*, ex quibus liquet, poſſe Deum intendere permiſſionem peccati abſque eo, quod illam intendat ob finem reprobationis. Urgebis permiſſio peccati reproborum eſt effectus provdientiæ ſupernaturalis, ſed non prædeſtinationis; ergo reprobationis; quia providentia ſupernaturalis dividitur adæquatè in prædeſtinationem, & reprobationem. Sed contra quia præter prædeſtinationem, & reprobationem datur tertia ſpecies providentiæ ſupernaturalis, quæ cum careat proprio nomine ſpecifico retinet tantùm nomen genericum, & hujus providentiæ genericæ ſupernaturalis permiſſio peccati eſt effectus. Alii etiam reſpondent, permiſſionem peccati eſſe effectum prædeſtinationis prædeſtinatorum, eo quia manifeſtet DEI bonitatem ac liberalitatem erga ipſos prædeſtinatos. Sed contra hanc ultimam reſponſionem poſſet reſponderi, ideo permiſſionem peccati in reprobis eſſe effectum prædeſtinationis prædeſtinatorum, quia manifeſtat iisdem Dei bonitatem: ſed manifeſtat etiam reprobis juſtitiam divinam in punitione æterna; ergo eſt effectus reprobationis, quia conducit ad finem reprobationis ſitum in punitione æterna. Sed contra, quia permiſſioni peccati non convenit prima conditio eſſentialiter requiſita ad effectum reprobationis, deberet enim permitti peccatum ex intentione damnandi; & cum Deus hoc pacto non intendat permiſſionem peccati; ideo non poteſt eſſe effectus reprobationis, quamvis conducat ad manifeſtationem juſtitiæ divinæ in punitione æterna. Sed dices, permiſſionem peccati eſſe medium unicum neceſſariò requiſitum ad finem reprobationis; adeo ut non poſſit reprobatio intendi à DEO, niſi eligatur permiſſiò peccati ut medium: ergo permiſſio peccati eſt effectus reprobationis. Sed contra, quia ex eo quòd ad reprobationem requiratur permiſſio peccati, tantùm infertur, hanc permiſſionem eſſe conditionem neceſſariò requiſitam ad peccatum, & reprobationem; non verò eſſe medium, quod per ſe inferat ipſum peccatum, & reprobationem; quia peccatum & reprobatio non ſequuntur ex permiſſione tanquam ex cauſa per ſe, imò neque ex cauſa indirecta, & per accidens; quia permiſſio peccati ſecundùm ſe præcisè eſt aliquid negativum, quod non poteſt cauſare: unde peccatum, & reprobatio ſequuntur tanquam à permiſſione peccati, ut à removente prohibens.

Imò neque derelictio, excæcatio, & induratio ſunt effectus reprobationis poſitivæ. Derelictio differt à permiſſione peccandi, quia præter negationem auxilii efficacis, dicit permanentiam talis negationis auxilii efficacis; permiſſio autem peccati dicit talem negationem auxilii, quod ſi adeſſet non haberetur peccatum, & præſcindit ab illa permanentia negationis. Derelictio itidem diſtinguitur ab excæcatione, & induratione, quia excæcatio ſupra derelictionem addit cæcitatem ex parte intellectus; & induratio duritiem, obſtinationem ex parte voluntatis. Præterea excæcatio de ſuo formali dicit negationem auxiliorum, quibus ſi ponerentur, intellectus facilè illuminaretur; & induratiò negationem auxiliorum, quibus voluntas facilè emolliretur. Unde non quilibet peccator à DEO derelictus eſt, etiam ſemper obcæcatus, & induratus; ſed tantùm illè, qui taliter eſt derelictus, ut facile cognoſcere poſſit, quid agere debeat, & vix emolliri poſſit ad reſipiſcendum: curras derelictio reperitur in omnibus reprobis, non ita induratio, & excæcatio: ſiquidem hæc duo non reperiuntur in parvulis decedentibus cum ſolo peccato originali. Imò neque in adultis qui poſt primum peccatum lethale ſtatim decedunt. Evincitur aſſertum quia excæcatio, & induratio præcedunt in mente divina reprobationem poſitivam: & cum repugnet, effectum præcedere ſuam cauſam, alioquin non eſſet à cauſa; neque eſſet effectus illius: ergo derelictio, excæcatio, & induratio non ſunt effectus reprobationis: minor & conſequentia tenent oſtenditur major: quia permiſſio perſeverandi in peccato uſque ad mortem eſt prior perſeverantiâ in eodem peccato; quia ſicut permiſſio peccati eſt prior ipſo peccato: ita permiſſio perſeverandi in peccato eſt prior ipſa perſeverantia in peccato: ſed perſeverantia in peccato uſque ad mortem eſt prior reprobatione poſitiva, quia hæc ſupponit viſionem permanentiæ in peccato uſque ad mortem: ergo non poſſunt eſſe effectus reprobationis poſitivæ quoad ſubſtantiam.

Dicendum igitur ſupereſt, ſolam executionem punitionis æternæ in alia vita eſſe effectum reprobationis. Ratio eſt quia hæc punitio eſt finis reprobationis, & importat illam ordinationem, quâ reprobi ordinantur ad finem ultimum & habet conditiones effectus reprobationis. Non tamen peccata reproborum ordinantur ad illorum punitionem veluti media ad finem; quia ſi ita eſſet difficulter poſſet explicari, quomodo Deus, qui efficaciter vult reprobos puniri, non vellet etiam illorum peccata; cum voluntas finis non habeatur ſine voluntate mediorum quæ neceſſaria ſunt ad aſſecutionem ejusdem finis: & cum peccata ſint mala ſimpliciter, & punitio bona impoſſibilie eſt, ut tanquam media per ſe ad illam ordinentur. Præſupponuntur igitur peccata ad ipſam punitionem, ſed eveniunt peccata præter intentionem DEI punientis; neque quod ad aliud quovis modo eſt prærequiſitum neceſſe eſt ut cadat ſub ejus voluntatem, qui vult, quod eſt ultimum: alioquin Gubernator civitatis diceretur velle latrocinia, & alia delicta, quæ in eadem committuntur, eò quia efficaciter vellet eadem delicta punire.

LIBER

Digitized by Google

LIBER II.

De peccato ejusque Authore & partitione.

CAPUT I.

Quid ſit peccatum, & quomodo dividatur?

PEccatum quodlibet ſive in natura, ſive in arte, ſive in moribus, ſemper dicit quemdam receſſum à regula præſcribente rectum modum operationis; in quo ſenſu monſtra dicuntur peccata naturæ, quia recedunt à recta regula, quâ natura ſolet operari & producere fœtus intra eamdem ſpeciem ſimiles: defectus, ſeu errores in artefactis quia recedunt à regulis artis dicuntur peccata artis: Peccata moralia quæ retinuerunt nomen peccati deflectunt à recta regula rationis: & de hiſce peccatis in genere moris procedit quæſtio: adeo eſt captu difficilis quidditas peccati, ut Job cum plura de peccati materia ſub figura Behemot propoſuiſſet, cum perveniſſet ad explicandam ejus quidditatem, quaſi anceps hærens dixit: *Quis revelabit faciem ejus? & in medium oris ejus, quis juvabit? portas vultus ejus, quis aperiet?* ſcilicet peccati naturam quis ſufficienter explicabit? hinc D. Auguſtinus loquens de quidditate peccati ait: *Magnus puteus eſt profunditas iniquitatis humanæ.* Solet autem multipliciter ſumi peccatum, primò pro peccato actuali 2 Paralip. 7. *Si confeſſus fuerit populus meus, & egerit pœnitentiam à ſuis viis peſſimis:* interdum pro peccato habituali, ſeu pro conſuetudine peccandi acquiſita ex frequentia peccatorum, quo pacto dicitur Job 20. *Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ.* Subinde ſumitur peccatum pro ipſa concupiſcentia Pſal. 50. *In peccatis concepit me mater mea*, & ad Rom. 7. *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ſcilicet fomes, & concupiſcentia. Nonnunquam ſumitur etiam pro ipſa pœna pediſſequa peccati 2 Reg. 18. *Tranſtulit DEUS peccatum tuum.* 1 Petri 2. *Quia peccata noſtra ipſe pertulit*, ſcilicet pœnam mortis ſubivit, quæ noſtris debebatur peccatis. Plerumque ſumitur pro ipſa hoſtia mactanda pro peccatis. Deuter. 9. *Peccatum veſtrum quod feceratis, igne combuſſi.* Oſeæ cap. 4. *Peccata populi mei comedam*, ſeu victimas pro peccatis oblatas: in hoc ſenſu intelligitur etiam illud D. Pauli ad Corinth. 5. *Pro nobis peccatum fecit* ſeu obtulit ſe hoſtiam Patri æterno pro peccatis hominum. Propriè tamen ſumitur peccatum pro ipſo actu voluntatis contra legem naturalem & divinam in quo ſenſu procedit præſens controverſia. Et multipliciter ſolet à Sanctis Patribus definiri à D. Ambroſio lib. de Parad. cap. 8. *Tranſgreſſio, & cœleſtium inobedientia mandatorum.* A D. Auguſtino tom. 6. lib. 22. contra Fauſtum. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*; hæc definitio quia comprehèndit omnia peccata videtur eſſe magis adæquata; comprehendit enim peccata cordis, oris, & operis, & communiter recipitur, utpote includens totum definitum. Rurſus ab eodem Auguſtino tom. 4. lib. c. ad Simplicianum de ſolutione quarundam quæſtionum ex Epiſtola ad Romanos quæſt. 2. col. 18. *Peccatum eſt à præſtantiori conditore averſio, ad condita inferiora converſio*, in qua definitione includuntur illa duo, quæ Theologi inquirunt ſcilicet averſio à Deo & converſio ad creaturas, quæ duo paſſim in ſcripturis ſignificantur, ut Jeremiæ 2. v. 13. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*, per hæc enim verba ſignificatur averſio peccatoris à DEO & poſtea ſubjungit, *& foderunt ſibi ciſternas*, per quæ verba indicatur converſio ad creaturas, & quia non poteſt peccator averti à DEO, & converti ad creaturas niſi rationem ultimi finis ſoli DEO debitam tribuat creaturæ, fit quòd per peccatum maxima irrogetur DEO injuria, qua ratione ſolet à Theologis definiri peccatum eſſe offenſa, ſeu injuria DEO irrogata. Et duplex eſt originale, & actuale, illud dicitur; quod per originem contrahitur & hoc quod actu proprio, ac voluntate propria perpetratur.

Peccatum originale fuit tranſgreſſio illa, qua Adam præceptum ſibi injunctum non comedendi de fructu ſcientiæ boni, & mali fuit tranſgreſſus, & ob quod propterea deperdidit ſtatum innocentiæ, & cum ipſo dona ſupernaturalia, & quia voluntates poſterorum erant virtualiter infuſæ in voluntate Adæ, ideo illo peccante ſimul peccavit totum genus humanum quod contrahit hoc peccatum, quòd à ſua origine denominatur originale, quod ſecum trahit privationem juſtitiæ originalis per communem originem ſeu propagationem in omnes homines ab uno homine, ſeu Adamo totius humani generis capite, ſeu primo parente derivatam. Imò D. Thomas cum Thomiſtis docet hanc rationem privationis, quam comunem dicit cum peccato actuali eſſe ipſum peccatum cujus natura, & eſſentia non eſt ſubſiſtens, ſed boni privatio, ut etiam docent plures ſancti Patres præſertim D. Dionyſius *lib. de divin. nomin. cap.* 4. Athanaſius *orat. contra Gentes.* Baſilius *homil.* 9. Gregor. Nazian. *orat.* 40. Ambroſius *lib. de fuga ſeculi cap.* 4. & D. Auguſtinus lib. 7. confeſſ. ubi ait: *Quæcunque ſunt bona ſunt malumque illud, quod quærebam unde eſſet, non eſt ſubſtantia, quia ſi ſubſtantia eſſet bonum eſſet:* & cap. 16. ait: *Quæſivi, quid eſſet iniquitas, & non inveni ſubſtantiam ſed à ſumma ſubſtantia te Deo detorta in infimam voluntatis perverſitatem.* Hinc certum eſt peccatum non eſſe ullam ſubſtantiam, & ſecum trahere privationem gratiæ ſanctificantis, ut paſſim contra Manichæos docet Auguſtinus aſſerens nullam eſſe mali naturam. An verò peccatum de ſuo formali dicat rationem aliquam poſitivam in obliquo, quæ non ſit ens in recto, neque ſubſtantia

ulla,

ulla, ſed tantùm quædam relatio ad objectum diſſonum rectæ rationi eſt quæſtio inter Theologos, quamvis omnes conveniant peccatum lethale ſecum trahere carentiam gratiæ ſanctificantis.

Hinc peccatum originale ſecum trahit privationem juſtitiæ originalis, qua primus homo fuit à Deo ornatus, & ſimul corroborantis. Fuit enim juſtitia originalis donum eximium ſupernaturale, quod propterea gratiam, & virtutes complectebatur omnes, quod donum primo homini ſtatim in ipſa prima ſua origine fuit à Deo infuſum, & ratione illius totus homo ſubjiciebatur Deo & vires corporis, animæ, ut etiam totum corpus menti, & rationi, adeo ut anima nullis perturbationibus, quæ Deo repugnarent obnoxia eſſet; nulla aderat in membris corporis contra legem mentis lex concupiſcentiæ, & hoc donum veluti effectus ſuam cauſam ſequebatur impaſſibilitas corporis, & immortalitas, & erat donum ſupernaturale, quo primus homo in ſe ipſo rectus erat, & denominabatur ob ordinem facultatum inter ſe, & ad Deum, & quod Adam non ſibi uni tantum, ſed univerſo hominum generi acceperat à Deo, adeo ut hoc idem donum ſimul cum humano genere propagaretur, ſi Adam fuiſſet obſecutus divino præcepto, ſi enim perſeveraſſet in ſtatu innocentiæ & gratiæ eandem juſtitiam una cum ſuis appendicibus in reliquos omnes poſteros transfudiſſet. Quia verò injunctum ſibi à Deo unicum præceptum transgreſſus fuit, miſerè excidit à ſtatu illo feliciſſimo juſtitiæ originalis, & à latronibus, ſeu malis angelis expoliatus graviſſimis etiam fuit plagis ſauciatus, ignorantia ſcilicet veri, ac difficultate boni operandi hinc ex voluntatis imbecillitate, & perduelli contra mentis legem cœpit inſurgere concupiſcentia, ac oriri moriendi neceſſitas, adeo ut ceciderit ſemivivus relictus, & juſtitiam originalem non ſibi ſoli verùm etiam poſteris omnibus amiſit, eò quia omnes in uno peccaverunt. Hanc juſtitiæ originalis privationem D. Auguſtinus lib. 2. de nuptiis & concupiſ. cap. 5. & alibi paſſim vocat *concupiſcentiæ reatum*, quia non ipſa concupiſcentia eſt peccatum originale, ſed tantùm ejus effectus: ſiquidem manet in baptizatis ad agonem, quamvis nihil ſit damnationis iis, qui ſunt in Chriſto JEſu. Sed vocat reatum concupiſcentiæ quia tametſi maneat concupiſcentia reatus tamen tranſit: ſiquidem per baptiſmum reatus ſeu labes originalis quæ nos reos conſtituit, ac Dei inimicos deletur, ac remittitur, &c. Quod hæc privatio juſtitiæ originalis una cum peccato originali contrahatur ab omnibus hominibus, ad quos derivatur ab uno homine, ſeu Adamo eſt fidei dogma à ſummis Pontificibus Innocentio I. & Zoſimo à Synodis Dioſpolitano, Africanis, Arauſicana II. & Tridentina definitum fuit ſeſſ. 5. can. 2. & 4. ubi ait: *Si quis Ada prævaricationem ſibi ſoli & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam quam perdidit, ſibi ſoli, & non etiam nobis perdidiſſe; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe non autem & peccatum, quod eſt mors animæ, anathema ſit, cum contradicat Apoſtolo dicenti per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Neque imitatione, ſed verà propagatione in omnes homines transfunditur labes iſta originalis, ut ait Apoſtolus ad Roman. cap. 5. ubi id evincit, per antitheſin inter Chriſtum, & Adamum inquiens: *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ſic, & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ: ſicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi*, juſtitiam verò à Chriſto non ſola imitatione nos accipere manifeſtum eſt, ſiquidem veteres Sancti, qui Chriſtum præceſſerunt non potuerunt eum imitari cùm nondum in mundum veniſſet, & nihilominus juſtitiam ſuam acceperunt, imò & in lege Evangelica ipſi parvuli, qui Chriſtum non poſſunt cognoſcere conſequenter nec imitari adhuc per Chriſtum juſtificantur aqua baptiſmi abluti, unde per primum hominem, non imitatione, ſed vera propagatione fuit peccatum in poſteros transfuſum: ſicut enim Chriſtus occulta ſuæ gratiæ inſpiratione juſtos nos efficit, ita & Adam occulta naturæ depravatione corruptela, & tabe peccatores nos conſtituit, & ad hoc evincendum non deſunt pleraque alia ſcripturæ teſtimonia Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, ubi D. Hieronymus vertit *in iniquitate* juxta efficaciam hebraicæ vocis, neque per iniquitates in quibus conceptus eſt parentum peccata actualia intellexit David, quia ipſe ex ſancto conjugio non ex adulterio aut fornicatione progenitus fuerat. Præterea Joannes Baptiſta indigitans Chriſtum ait Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, à Baptiſta Præcurſore peccatum expreſſum commune eſt omnibus hominibus ad quod delendum, ac remittendum unigenitus Dei Filius carnem aſſumpſit, ut teſtatur Apoſtolus Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 5. inquiens: *Si unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed Dei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*: ex qua ſermocinatione colligitur omnes & ſingulos homines etiam ipſos infantes mortuos eſſe morte peccati, quia Chriſtus qui pro mortuis peccato mortuus eſt, pro parvulis etiam mortuus eſt, hinc Apoſtolus Epiſt. ad Epheſ. cap. 2. *Eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri*, ſeu à prima naturæ noſtræ origine ſive ex nativitate non ex conſuetudine, & imitatione eramus iræ DEI, ac vindictæ obnoxii: & nemo eſt obnoxius iræ DEI, niſi per peccatum unde naſcuntur omnes homines labe originali infecti, ut ſemper, & intellexit, & docuit Eccleſia conſentientibus Patrum teſtimoniis. Hoc idem etiam evincit S. Auguſtinus contra Pelagium: ſiquidem ex forma baptiſmi ſacriſque ritibus ab Eccleſia jam ab initio uſurpatis, ſeu antequam naſceretur in mundo Pelagius, probat peccatum originale non imitatione, ſed propagatione contrahi ab hominibus & deleri per baptiſmum: ſiquidem baptiſmus ſemper collatus fuit in remiſſionem peccatorum etiam infantibus, qui nullo actuali peccato ſunt infecti, ſed tantùm originali. Præterea Eccleſia non adhiberet exorciſmum inſufflationem, abrenuntiationem Sathanæ, ſi diabolus illis non dominaretur: & non poſſet ei dominari, ſi ab omni peccato eſſent immunes, & quia infantes carent peccato actuali infecti ſunt non imitatione, ſed propagatione labe originali, à qua purgantur per baptiſmum. Rurſus hoc

idem

Digitized by Google

idem ostendit ex solicitudine parentum Christianorum in procurando filiis suis baptismo, quinimò ex Ecclesiæ traditione derivata ab Apostolis infantes recèns natos semper baptizare consueverat, nec ab æterna vita, & gloria cœlesti excluderentur, cùm dixerit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlorum.* Præterea quia cùm Deus homines condiderit ad suam imaginem, & propter æternam beatitudinem justum erat, ut ab eadem non excluderet immeritos, & insontes: essent autem insontes etiam cum è vita rapiuntur non suscepto baptismo, si peccatum originis in eis nullum esset, quia nulla peccata actualia ipsi adhuc commiserunt. Alia ratio peti etiam solet ex miseriis corporis: siquidem grave illud jugum, quod est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum injustum prorsus esset, si nullius peccati rei essent infantes: siquidem non careret injustitia si tot miseriis creaturæ innocentes addicerentur. Et hoc argumentum adeo est efficax ut ipsos Ethnicos moverit, licèt peccatum primi parentis ignoraverit, ut ex humana naturæ conditione judicaverint innocentem non esse hominem, qui tot ærumnis addiceretur quapropter admissa in superiore aliqua vita commenti sunt peccata ab eo, qui ab ipsis vitæ initiis ad ærumnas molestias videretur damnatus, quapropter D. Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 15. ait: Veteres illos Ethnicos Philosophos, qui errores, ærumniasque humanæ vitæ in justum DEI judicium refuderunt, ad Christianum dogma accedere. Asserit, & profert insigne ex Ciceronis Ortensio testimonium, quo probat, Ethnicos illos Philosophos grave jugum super filios Adam, & DEI potentiam justitiamque vidisse etiam si gratiam, quæ per mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt. Et nos ab aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa dixerunt in mundo hoc natos, & animos nostros corporibus esse adnexos, ut à Prædonibus Ethruscis corpora viva cum mortuis conjungebantur.

Neque ex eo, quod filii non dicuntur portare iniquitates parentum, sequitur peccatum originale non contrahi ab hominibus, qui nascuntur, alioquin portarent iniquitatem parentis, contra illud Ezechiel. 18. siquidem dicitur filius non portare iniquitatem Patris, cujus nullatenus est ipse particeps: secus portat filius iniquitatem patris, quæ facta est de limitatione vel nativitate propria filii, & quia peccatum originale est proprium omnium hominum quatenus voluntates omnium hominum fuerunt virtualiter inclusæ in voluntate Adæ, ideo rectè dicuntur homines, qui nascuntur portare iniquitatem patris, seu Adæ unde licèt Adæ peccatum sit alienum proprietate actionis, est tamen nostrum *contagione propaginis*, ut loquitur D. Augustinus lib. 6. contra Jul. cap. 9. hinc ex verbis Apostoli ad Roman. cap. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi*, perperam colligerent Pelagiani Adami peccatum omnibus hominibus non imputari, sed illis tantùm qui peccatum ipsum imitantur vocabulum illud *multi* in illo loco idem significat ac omnes, ut colligitur ex præcedenti versu. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*, sicut si quis objiceret sine voluntate non posse esse peccatum de cujus ratione est, ut sit voluntarium, & liberum, ergo nùllum esse potest in parvulis peccatum, eò quia careant usu propriæ voluntatis, & liberi arbitrii: siquidem responderetur sine voluntate propria nullum esse peccatum propriæ actionis conceditur sine voluntate aliena nullum esse peccatum originis negatur. Peccatum igitur originale non est sine voluntate primi hominis, quia ab illo patratum est, ut in omnes transiret voluntas enim Adæ virtualiter, & interpretativè fuit voluntas omnium hominum, quorum fuit ipse caput sicut enim voluntates subditorum quoad regimen totius regni dicuntur inclusæ in voluntate Regis ut capitis: ita voluntates omnium hominum in ordine ad participandam justitiam originalem fuerunt inclusæ in voluntate Adæ ut capitis, ait enim Augustinus lib. 2. de nuptiis & concupisc. cap. 28. fuit Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt. Quòd si dicas fieri non posse ut parentes baptizati peccatum originale quod in iisdem deletum est, transfundant in filios, cum enim parentes careant originali labe, non videtur quomodo possint illam in filios recens natos transfundere. Sed contra, quia tametsi videatur id captum excedere humanæ mentis, non minus credendum, quia à Deo, qui summa veritas est, quæque non potest nos fallere, nec falli, ipsa in scripturis sacris & Majorum traditionibus id testificatur. Id autem si non ratione evinci potest, exemplis tamen explicatur: etenim si palea quæ tanta diligentia separatur à tritico manet in fructu, qui depurgato tritico nascitur; si de olea nascitur oleaster; si præputium, quod per circumcisionem aufertur manet in eis quos generant circumcisi homenes, quòd si ex Christianis non Christiani generantur, non mirum, si peccatum, quod per baptismum mundatur in parentibus transfundatur in filios, vi quadam talifica concupiscentiæ, ait enim Augustinus lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 27. *Renovati namque parentes non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt, & filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati damnationem veteri homini debitum Sacramento spirituali regenerationis, & renovationis evadunt.* Quòd si parentes, qui amiserunt pueritiam, & juventutem, hanc transfundunt in parvulos, quos generant. Quid mirum si parentes, quibus remissum est per baptismum peccatum originale illud transfundant in prolem. Anima igitur pura, & innocens à Deo creatur absque ullo peccato sine ulla macula, sed cùm primum creata corpori infunditur in eo veluti incorrupto vase ipsa inficitur, sicut enim anima juncta corpori pluribus affecta doloribus, ac vulneribus etiam ipsa dolet: perinde cum anima à DEO creata pura absque ulla macula peccati cum primum corpori unitur, contrahit ejus miseriam, fitque maculosa, eò quia sit corpus pars hominis suam trahens originem ab Adam, à quo ut in capite, & radice, seu in fonte vitiato statim labem contrahit, & quamvis concupiscentia in baptizatis remanens non sit peccatum, eò quia ejus reatus remissus sit in baptismo, est tamen germen peccati, & per concupiscentiam peccatum originale traducitur quapropter S. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 18. ait: *Qualitas affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit:*

ſit : ſed quodam operante contagio, id eſt concupiſcentiæ affectu, ſicut de parentibus morbidis morbida ſoboles procreatur. Non igitur in baptiſmo infirmitas concupiſcentiæ carnis ſtatim ſanatur, ſicut continuo ejus reatus aboletur, ſiquidem per baptiſmum reatum extinguitur, & deletur, quod habet rationem peccati concupiſcentia verò quamvis ſit effectus peccati, quia tamen ipſa non eſt peccatum, ideo remanet in baptizatis, in quibus cohæret cùm gratia ſanctificante. Cùm igitur peccatum originale derivari in omnes homines ab Adamo nos doceat fides Catholica, ideo per baptiſmum eadem fide credimus deleri in nobis reatum concupiſcentiæ, ſeu quod in concupiſcentia habet rationem culpæ, & maculæ, quæ abſtergitur per aquam baptiſmi : & quamvis omnes Adæ poſteri dicantur peccatum hoc originale contrahere, excipitur tamen Deipara, ſeu Virgo Maria, non quidem à debito illud contrahendi, ſiquidem ex parentis utriuſque commixtione genita eſt, & à Chriſto redempta : ſed excipitur à peccati originalis adhæſione, id eſt, ſpectata communi hominum ex Adamo ſorte per ſexus utriuſque commixtionem propagatorum contrahere quidem vitium originale debuiſſet, ſed illud reverà non contraxit, eò quia per gratiam Redemptoris Chriſti præſervata fuerit, adeo ut Eccleſia illi accommodet verba illa Cant. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*: ſi tota pulchra, ergo nulla labe infecta, nulla macula temerata, peccatum autem originale eſt macula devenuſtans pulchritudinem ſanctitatis, ergo ſi tota pulchra eſt, immunis fuit à peccato originali : neque dicas verba illa, eſſe intelligenda de peccato actuali, à quo etiam veniali fuit immunis Deipara, ut docet Eccleſia in Tridentina Synodo ſeſſ. 6. reſpondetur non ſolùm intelligenda eſſe de peccato actuali, verùm etiam de originali, eò quia illa particula *tota pulchra* omnem excludit maculam, quæ ſanctitatem officit; & quia macula peccati originalis eſt vera macula inficiens pulchritudinem ſanctitatis hæc etiam fuerat à Deipara removenda, in qua dicitur maculam non eſſe, *& macula non eſt in te* unde cùm Beata Virgo nullo peccato actuali vel veniali contaminata fuerit, rectè infertur eam etiam ab originali labe fuiſſe exemptam. Hinc Eccleſia propenſior in immaculatam Deiparæ conceptionem diem feſtum, qui nonniſi pro ſanctis inſtituitur, celebrat de immaculata conceptione, quòd ſi Eccleſia nequit ulli eſſe obnoxia errori : neque poteſt fideles fallere in his quæ pertinent ad mores & cultum Sanctorum ſequitur conceptionem Beatæ Virginis fuiſſe immaculatam, & immunem à quavis macula originali, unde diem conceptioni ejuſdem Beatiſſimæ Virginis ſacrum publico, & ſolemni ritu ubique celebrandum conſtituit Sixtus IV. cui Miſſam, & officium Canonicum proprium decrevit iiſdem attributis indulgentiis, quas Urbanus IV. inſtituto à ſe ſolemni feſto Corporis Chriſti, & ejus officio Eccleſiaſtico conceſſerat, ut conſtat ex illius Conſtitutione edita Anno 1476. & Clemens XI. eundem diem feſtum de præcepto etiam inſtituit proprio ſpeciali decreto anno ſui Pontificatus VIII. Paulus V. Anno 1616. per diploma, cui initium *Regis pacifici*, approbavit, confirmavit, & innovavit Conſtitutiones ſuorum Prædeceſſorum præſertim Sixti IV. & Pii V. in favorem immaculatæ conceptionis Beatæ Virginis imò præter ſupradictarum Conſtitutionum pœnas reſpectivè ipſo facto incurrendas etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & paſſiva, in quibuscunque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione privatum exiſtere ſtatuit, ac decrevit, qui pontificias illas conſtitutiones auſus fuerit violare, nec non perpetuæ inhabilitatis ad concionandum & publicè docendum pœnas incurrere, à quibus ſolus Romanus Pontifex poſſit abſolvere. Gregorius XV. Anno Chriſti 1622. die 24. May decrevit, ac præcepit, ut impoſterum donec articulus hujusmodi à Sancta Sede Apoſtolica fuerit definitus, vel per ſanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuit aliter ordinatum nullus audeat in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & aliiſque quibuſcumque actibus publicis aſſerere Beatiſſimam Virginem conceptam fuiſſe cum peccato originali, ſub pœna incurrendi cenſuras & pœnas expreſſas in Pontificiis Conſtitutionibus. Addit tamen ſe alteram opinionem non reprobare, nec ullum ei præjudicium inferre velle declaravit. Rurſus ſub eiſdem cenſuris & pœnis præcepit, ut negativam opinionem ſcilicet quòd non fuit concepta cum peccato originali in prædictis publicis actibus aſſerentes, aliam opinionem non impugnent, neque de ea aliquo modo agant, ſeu tractent. Rurſus prohibuit ut etiam in ſermonibus privatis & colloquiis nemo audeat aſſerere quòd eadem Beatiſſima Virgo concepta fuerit cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, ſeu tractare iis tamen exceptis, quibus à Sede Apoſtolica conceſſum fuerit. Et demum omnibus & ſingulis perſonis eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quàm Regularibus cujusvis ordinis, & Inſtituti mandavit, ut in ſacrificio Miſſæ, ac divino officio celebrandis tam publicè quàm privatim non alio quàm conceptionis nomine utantur ſub iiſdem cenſuris, ac pœnis. Alexander VII. in Conſtitutione edita Anno 1661. Conſtitutiones, & decreta prædeceſſorum ſuorum præſertim Sixti IV. Pauli V. & Gregorii XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis animam Beatæ Virginis in ſua creatione, & in corpus infuſione Spiritus S. gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe; nec non in favorem feſti ac cultus conceptionis ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundùm piam iſtam ſententiam exhibiti innovat, & ſub pœnis, ac cenſuris in eiſdem conſtitutionibus contentis obſervari mandat, & inſuper omnes & ſingulos, qui præfatas conſtitutiones & decreta ita pergent interpretari ut favores per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundùm illam exhibitis fruſtrentur; vel qui hanc eandem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè quovis prætextu, ſeu occaſione ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tractari, diſputare contra ea quidquam determinando, aut aſſerendo vel argumenta contra ea aſſerendo & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo auſi fuerint præter pœnas, & cenſuras in conſtitutionibus Sixti IV. contentas ipſo facto eos privat concionandi, publicè docendi facultate, ut etiam voce activa, & paſſiva.

Peccatum actuale definiri ſolet eſſe factum, dictum, concupitum contra æternam legem. Eſt autem lex æterna ratio divina, ſeu Dei voluntas jubens ordinem naturalem conſervari, ac prohibens perturbari, & naturalis ordo in eo conſiſtit, ut ſicut

Digitized by Google

ſicut anima corpori, ita ratio animæ cæteris hominis partibus præponatur, ac Deo obtemperet, hinc denominatio peccati duo involvit, quorum primum eſt materia ſeu id, quod denominatur peccatum eſtque ipſe actus humanus; ſecundum eſt forma, quia hujuſmodi actus denominatur peccatum eſtque diſſonantia à lege divina, & natura rationali, qua tali, quæ diſſonantia dicitur formaliter malitia peccati, & ſecum trahit privationem gratiæ ſanctificantis. Requiritur autem ad peccatum eſſentialiter libertas indifferentiæ, quia cùm peccatum ſit contra legem obligantem, & nemo poſſit obligari ad declinandum, quod non eſt in ſua libera poteſtate, ſequitur ad peccatum requiri eſſentialiter libertatem indifferentiæ, & conſecutivè ad peccatum ſe habent meritum pœnæ æternæ ſenſus, & damni privatio gratiæ ſanctificantis, & amicitiæ cum Deo, ac filiationis adoptivæ. Hinc peccatum eſt actus humanus deliberatus, quo fit: vel dicitur, vel concupiſcitur aliquid quibus verbis indicatur materia peccati, quæ vel opus externum eſt, vel verba, aut interni animi motus, qua propter dicitur eſſe factum, dictum, & concupitum contra legem æternam, quibus poſtremis verbis forma, ſeu potiùs deformitas peccati ſignificatur, quæ eſt averſio à Deo, ac defectio ab illius lege.] Peccatum actuale ſubdividitur in mortale, & veniale, illud eſt averſio à Deo tanquam ab ultimo fine, & converſio ad creaturam, ſeu adhæſio creaturæ tanquam ultimo fini, & tunc contingit, quando homo creaturis fruitur, quibus uti duntaxat deberet. *Frui autem eſt amore alicui rei inhærere propter ſe ipſam. Uti verò eſt, quod in uſum venerit ad id, quod amas obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt. Res illæ, quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt. Illis, quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt pervenire, ac his inhærere poſſimus*, ut ait Auguſtinus lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 3. & ſequent. & nonnullis interjectis ſubdit: *Si eis, quibus utendum eſt, frui voluerimus impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis, vel retardemur, vel etiam revocemur inferiorum amore præpediti. Solo Deo fruendum eſt, utendum creaturis, quomodo ergo ſi eſſemus peregrini qui beatè vivere niſi in patria non poſſemus, eaque peregrinatione utique miſeri & miſeriam finire cupientes in patriam redire vellemus, opus eſſet vel terreſtribus, vel marinis vehiculis, quibus utendum eſſet, ut ad patriam qua fruendum erat pervenire valeremus; quod ſi amœnitates itineris, & ipſa geſtatio vehiculorum nos delectaret & converſi ad fruendum iis, quibus uti debuimus nollemus citò viam finire, & perverſa ſuavitate implicati alienaremur à patria, cujus ſuavitas faceret beatos: ſic in hujus mortalitatis vita peregrinantes à Domino ſi redire in patriam volumus, ubi beati eſſe poſſimus utendum eſt hoc mundo, non fruendum ut inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur, ſeu ut de corporalibus temporalibuſque rebus æterna, & ſpiritualia capiamus.*] Conſtat igitur peccatum mortale eſſe averſionem à Deo tanquam ab ultimo fine, & converſionem ad creaturam, ſeu adhæſionem creaturæ tanquam fini ultimo. Peccatum verò veniale non eſt averſio à Deo ut à fine ultimo, ſed tantùm inordinatus affectus ad creaturam ſervato ordine ultimi finis. Quòd tunc contingit, quando homo ita comparatus eſt, ut creaturam Deo præponere nolit, & à Deo velut ab ultimo fine averti neque in re temporali velut in ultimo fine quieſcere neque vult averti à Deo nec ejus amicitiam deperdere, neque ejus legem in re gravi transgredi. Quamobrem peccatum mortale evertit ordinem hominis ad Deum ut ad finem ultimum, ſeu conjunctionem illius cum Deo ut ultimo fine, quæ fit per charitatem ſecus peccatum veniale hunc ordinem non evertit, ſed integrum ſervat, proinde charitatem non extinguit, ſed minuit tantùm ejus fervorem, ſervato ordine ad finem ultimum tantùm perturbat ordinem eorum, quibus ad finem obtinendum utendum eſt, quatenus plus rebus creatis afficitur, quàm deberet, nimiumque illis inhæret non tamen à rectitudine legis aberrat, nec à via penitus deflectit, ſed in ipſa via per aliquas ambages, & circuitus tendens à finis conſecutione tantùm retardatur, quapropter docet D. Thomas peccatum lethale eſt contra legem; & veniale præter legem, non quòd peccatum veniale non ſit etiam divina lege prohibitum, ſed quatenus ita non repugnat legi, ut ejus ordinem, ac finem evertat, ſeu charitatem extinguat, verùm quia in aliquo recedit ab ordine legis, ideo dicitur eſſe præter legem quia verò Deus eſt vita animæ, & ipſi per charitatem conjungitur juxta illud 1. Joan. 4. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in illo.* Ideo peccatum mortale quod hominem à Deo ſejungit, & charitatem extinguit rectè dicitur mors animæ non ita peccatum veniale: hinc peccatum lethale eſt irreparabile habita ratione ſtatus in quo conſtituit peccatorem, cum in eo penitus extinguat vitæ ſpiritualis principium: ſicut mors dicitur malum irreparabile, eo quia nullum in natura ſit principium, quo mortuus ad vitam revocari poſſit, cùm ſolùm Deus ſua virtute omnipotenti poſſit mortuum ſuſcitare. Veniale autem peccatum reparabile eſt, quia principium interius vitæ ſpiritualis ſeu charitas manet in homine cum peccato veniali, quod proptera curari, ac deleri poteſt vel in hoc ſæculo per aquam luſtralem indulgentias, ſacramenta vel in futuro, ſeu purgatorio, ſecus mortale ſi in hoc ſæculo beneficio Sacramenti non dimittitur in futuro non deletur. Præterea adeſt aliud diſcrimen inter peccatum lethale, & veniale, quia illud conſtituit hominem dignum pœna æterna, quæ in ſcripturis vocatur ſecunda mors, ſecus peccatum veniale tantùm conſtituit hominem obnoxium pœnæ temporali.

Rurſus peccatum aliud eſt commiſſionis, aliud omiſſionis illud eſt actio prava, qua homo id agit quod lex inhibet, ſicut cùm occidit, mœchatur, mentitur, quæ omnia lege prohibentur, non falſum teſtimonium dices, non occides, non mœchaberis. Iſtud eſt prætermiſſio boni, quod lex præcipit, ut cum rem alienam quis non reſtituit, eleemoſynam non erogat, ſacro diebus feſtis non adeſt. Peccatum commiſſionis propriè, & ſimpliciter dicitur peccatum; poſterius verò delictum Levit. 7. *Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto*, & cap. 14. *Sicut pro peccato, ita & pro delicto ad ſacerdotem pertinet hoſtia.* Hinc Auguſtinus quæſt. 20. in Levitic. ait: *Fortaſſis peccatum eſt perpetratio mali: delictum autem deſertio boni. Nam ipſum vocabulum, ſi diſcutiatur, quid aliud erit delictum, quam derelictum.*

Digitized by Google

Non tamen desunt, qui promiscuè usurpent peccatum commissionis, & omissionis. Cæterum peccatum commissionis est contra præcepta affirmativa, & peccatum omissionis contra præcepta negantia, quæ sunt, quibus prohibetur malum, ut non occides, non mœchaberis, non furtum facies affirmantia sunt, quæ bonum præcipiunt, ut honora parentes, Deum cole, Sabbathum sanctifices: præcepta negativa obligant semper, & pro semper, affirmativa verò licèt obligent semper non tamen pro semper, ideoque solum pro tempore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 5. *ad* 3. sive quando adest tempus implendi præcepti, quod non impletur deliberata voluntate: etenim si præceptum implendi facultas non adsit, ut si quis ob gravem infirmitatem non possit templum adire non obligatur die festo sacro interesse, & omissio illa non est peccatum, ut etiam si omissio esset omnino involuntaria sin verò volita esset in sua causa, ut si quis multo vino madidus, & ebrietate sepultus, aut operi ex objecto vel circumstantia aliqua illicito vacans aut somno indulgens tempus insumpsit non cogitans de præcepto implendo, ut de sacro audiendo reus est peccati omissionis.] Alia etiam dicuntur peccata spiritualia, & alia carnalia ratione objecti, à quo speciem sumunt, & distinctionem. Peccata spiritualia ea dicuntur, quæ perficiuntur in delectatione spirituali: Carnalia verò, quæ consumantur in carnali delectatione, hinc superbia, ambitio, vana gloria sunt peccata spiritualia, quia homo delectatur propria excellentia gula verò quia consummatur in delectatione ciborum, & luxuria, quæ consummatur in delectatione venereorum carnalia peccata sunt, quapropter septem capitalium peccatorum quinque dicuntur spiritualia superbia, avaritia, invidia, ira, avidia, & duo carnalia luxuria, & gula. Peccata carnalia dicuntur quadam etiam generali ratione, quæ ab homine carnali sive secundùm carnem vivente perpetrantur, tametsi in carnis voluptate non consummentur, dicitur verò homo vivere secundùm carnem, quando vivit secundùm se ipsum quia scriptura hominem nomine carnis vocat, & vivendo secundùm se ipsum peccat, quià propriis adhæret concupiscentiis, quia tenetur homo vivere secundùm Deum ad quem dirigitur, unde ait Augustinus lib. 14. de civit. Dei cap. 4. *Ut non secundùm se ipsum, sed secundùm eum à quo factus est, viveret, id est, ut illius potiùs, quàm suam faceret voluntatem: non autem ita vivere quemadmodum est factus ut viveret, hoc est mendacium. Beatus quippe vult esse etiam non sic vivendo ut possit esse. Quid est ista voluntate mendacius?* paucis interjectis subdit: *Ergo mendacium est, quod cum fiat, ut bene sit nobis, hinc potiùs male est nobis; vel cùm fiat ut meliùs sit nobis, hinc potiùs pejus est nobis. Unde hoc nisi quia de Deo potest bene esse hominis, quem delinquendo deserit non de se ipso secundùm quem vivendo delinquit.* Alio sensu dicuntur etiam peccata carnis, quæ circa res corporeas & externas versantur, qua ratione avaritia inter peccata carnalia recensetur ab Apostolo ad Ephes. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Cæterum magis strictè, & propriè peccatum carnis dicitur luxuria, quia in delectatione carnis omnium maximè consummatur vel quia in hujusmodi peccato ita servit anima corpori, ut nihil aliud homini tunc cogitare liceat, quando delectationibus mergitur carnis, seu sensuum voluptatibus.

Rursus aliud est peccatum in Deum aliud in se ipsum, & aliud in proximum, cùm enim omne peccatum sit defectio ab ordine & triplex in homine ordo esse debeat, scilicet ad Deum, ad se ipsum & ad proximum. Rectè dividitur peccatum in illud quod est contra Deum, contra se ipsum, & contra proximum, & quamvis omnia peccata quadam generali ratione sint contra Deum, eò quia sint transgressiones legis divinæ, & æternæ: nihilominus peccata propriè dicuntur contra Deum quæ directè, & immediatè pugnant contra divinam ejus Majestatem, vel sunt defectiones ab ordine illo superiori quo homo speciatim in Deum ordinatur vel sunt prævaricationes divinæ legis in his, quæ soli Deo debentur, & hujus generis peccata sunt idololatria, hæresis, desperatio, vel præsumptio de misericordia divina odium Dei, blasphemia, sacrilegium, impœnitentia, & generatim omnia peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, religioni, & pœnitentiæ, quæ est justitia quædam hominis ad Deum resarciens injuriam ejus irrogatam Majestati. Peccata contra se ipsum ea dicuntur, quibus violatur ordo rationis, quem quisque tenetur servare erga se ipsum, ut est ebrietas prodigalitas, dissipatio rei propriæ, fornicatio. Peccata in proximum sunt, quibus violatur ordo rationis erga cæteros homines servandos sivè nobis sint superiores sive æquales sive inferiores; sive nobis conjuncti, sive alieni, sive domestici, sive extranei, ut furtum, homicidium, injuria illata, contumelia, calumnia, detractio, & alia quibus verbis vel factis damnum infertur aliis: & triplicem hunc ordinem hominis ad Deum, se ipsum, & proximum complexus est Apostolus ad Tit. 2. inquiens: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo*, ubi D. Fulgentius lib. 1. de remiss. peccat. cap. 28. ait: *Sobrietatem custodit, quisquis mores suos, vitamque componit, & ille justè vivit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, & in quantum potest adjutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè vivit, qui perversum aliquid, nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum vivat sobrius in se metipso justitiam servet proximo, pius perseveret in Deo.*

Dividitur etiam in peccatum cordis, oris, & operis, quæ enim procedunt de ore, exeunt de corde, ut ait Christus Matth. 15. 18. Et ea coinquinant hominem, de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem, & hæc dicuntur peccata cordis. Quæ verò de ore procedunt, sunt per quæ homo facilè prorumpit ad manifestandum conceptum cordis. Tertius gradus comprehendit illa peccata, quæ consistunt in consummatione operis, quo pacto iracundus ex appetitu vindictæ primum perturbatur in corde postea prorumpit in verba contumeliosa, & tandem procedit ad vindictam ad damnum inferendum proximo, quo con-

Digitized by Google

conſummatur peccatum opere, quod priùs fuerat corde conceptum, & ore prolatum, & hæc partitio colligitur ex Pſal. 23. v. 3. & ſequent. *Quis aſcendet in montem Domini? Aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.* Hinc D. Hieronymus in cap. 43. Ezechiel. diſtinguit tria generalia delicta, quibus humanum ſubjacet genus: aut enim cogitatione aut ſermone, aut opere peccamus, & ait hæc tria delictorum genera ſignificari per hircum, vitulum, & arietem, quos offerri pro peccato lex jubebat, ait ipſe cogitatio refertur ad arietem quia prima eſt omnium peccatorum; & ex qua duo alia peccata naſcuntur: hædus autem ſive hircus ad eloquium, ſive ſermonem, qui de excluſioribus diſputat: Opera vitulo deputantur, quoniam vomeri, & labori, & terrenis operibus mancipatus eſt. Cæterum peccatum cordis, tribus gradibus perficitur ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu, ut explicat D. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 12. Tria ſunt, quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione. Suggeſtio ſive per memoriam fit ſive per corporis ſenſus, cum aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel guſtamus, vel tangimus. Quo ſi frui delectaverit, delectatio illicita referenda eſt. Velut cum jejunamus & viſis cibis palati appetitus aſſurgit, non fit niſi delectatione. Sed huic tamen non conſentimus, & eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem conſenſio facta fuerit, plenum peccatum erit notum DEO in corde noſtro, etiam ſi facto non innoteſcat hominibus. Ita ergo ſunt iſti gradus quaſi à ſerpente ſuggeſtio fiat, id eſt lubrico, & volubili, hoc eſt temporali corporum motu. In appetitu autem carnali tanquam in Eva delectatio: in ratione verò tanquam in viro conſenſio: Quibus peractis tanquam de paradiſo, hoc eſt, de beatiſſima luce juſtitiæ in mortem homo expellitur juſtiſſimè omnino. Non enim cogit, qui ſuadet. Verumtamen delectatio ante conſuetudinem vel nulla eſt, vel tam tenuis ut prope nulla ſit: Cui conſentire magnum peccatum eſt, cum illicita eſt. Cum autem quiſque conſenſerit, committit peccatum in corde. Si autem etiam in factum proceſſerit, videtur ſatiari, & extingui cupiditas: ſed poſtea cum ſuggeſtio repetitur major accenditur delectatio, quæ tamen adhuc multò minor & quàm illa quæ aſſiduis factis in conſuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum eſt. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione. Ita ipſius peccati tres ſunt differentiæ in corde, in facto, in conſuetudine tanquam tres mortes. Una quaſi in domo, id eſt, cum in corde conſentitur libidini; altera jam prolata quaſi extra portam, cum in factum procedit aſſenſio: tertia cùm vi conſuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus quaſi in ſepulchro, jam putens, quæ tria genera mortuorum Dominum reſuſcitaſſe, quiſquis evangelium legit, agnoſcit. Et fortaſſe conſiderat quas differentias habeat ipſa vox reſuſcitantis, cum alibi dicit: Puella ſurge Matth. 9. v. 25. & alibi: Juvenis tibi dico ſurge Luc. 7. v. 14. & alibi ſcilicet Joan. 11. v. 33. Infremuit ſpiritu, & flevit, & rurſus fremuit, & poſt deinde voce magna clamavit Lazare veni foras.*

Si quæras quid ſit peccatum in Spiritum S. reſpondetur eſſe lethalium peccatorum graviſſimum, eò quia per ipſum negligatur oblata Dei gratia, quæ Spiritui Sancto, ſeu fonti bonorum omnium tribui ſpecialiter ſolet, adeo ut hoc donum Spiritus Sancti ex malitia objicitur habeaturque contemptui, de quo propterea Chriſtus Matth. 12. ait: *Ideo dico vobis omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, & Marci 3. ait Chriſtus: *Amen dico vobis quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint: qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti, quoniam dicebant Spiritum immundum habet.* Cæterum Sancti Patres peccatum in Spiritum Sanctum variè intellexerunt, & explicârunt, quidam enim dixerunt hoc peccatum propriè eſſe blaſphemiam qua quis divinæ bonitatis opera, quæ Spiritui Sancto ſpeciali ratione tribuuntur ex malitia impiè diabolo tribuit, ut olim Phariſæi, qui primum blaſphemiam, ſeu verba contumelioſa in filium hominis dixerant vocantes Chriſtum voracem vini potatorem, & Publicanorum amatorem, poſtea blaſphemiam protulerunt in Spiritum Sanctum cum divina ejus opera Principi dæmoniorum auſi ſunt tribuere, ut explicant Hieronymus, Hilarius, Ambroſius, Athanaſius, Chryſoſtomus. Alii verò per peccatum in Spiritum Sanctum intellexerunt impœnitentiam finalem, ſeu in qua peccator decedit, quia tunc verificatur, quod peccatum illud impœnitentiæ non fuerit remiſſum in hac vita, nec ſit remittendum in alia, decedentes enim ex hac vita impœnitentes cum peccato lethali æternum damnantur, ac ſuppliciis addicuntur gehennalibus, in quibus nulla amplius eſt redemptio, hinc ut ait Auguſtinus peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remittitur, reliqua verò pœnitentibus condonantur. Alii etiam peccatum in Spiritum Sanctum dixerunt eſſe crimen omne perpetratum ex præcognita malitia, quia id ſingulari quadam ratione divinæ adverſatur bonitati, quia per contemptum abjiciuntur, ac removentur oblata miſericordis Dei munera impedientia peccati electionem, & hoc pacto explicat peccatum in Spiritum Sanctum D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 14. *art.* 1.

Hinc ſex recenſentur peccata in Spiritum S. ſcilicet: Præſumptio de miſericordia DEI, vel de impunitate peccati, Deſperatio, agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ charitatis invidentia, obſtinatio, & impœnitentia, quapropter dicuntur peccare in Spiritum Sanctum, qui fiducia divinæ miſericordiæ freti ad peccandum fiunt procliviores, & audaciores, accumulant peccata peccatis, abjecta omni ratione divinæ juſtitiæ, ac timoris DEI aſſerentes Eccleſ. 5. *Miſeratio Domini magna eſt multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*, ſola fide in Chriſtum ſibi eblandientes, ac æternam ſibi ſpondentes felicitatem, quamvis deſidioſi jaceant in ſordibus peccatorum. Neque curant cum metu, & tremore propriam operari ſalutem. Rurſus peccant in Spiritum Sanctum, qui deſperantes omnem abjiciunt ſpem veniæ impetrandæ à DEO vel ſalutis æternæ conſequendæ inſtar Caini dicentis: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Geneſ. 4. vel inſtar Ju-

dæ Proditoris, qui ſalutis deſperatione commotus laqueo ſe ſuſpendit, & vitam perdidit in patibulo. Iſti, & alii ejuſdem generis à DEO, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, cujus miſerationum non eſt numerus, qui peccatorem quoties ex animo ingemuerit, & ex corde reſipuerit ut indulgentiſſimus Pater filium recipit, qui totam ſubſtantiam ſuam, ſeu divinam gratiam prodegerat, & paſcendis porcis adſcitus meretricibus adhæſerat; à Chriſti ſanguine, ſeu à pretio, quod pro redemptione omnium ſolverat mentis oculos avertentes alienati à vita DEI ob cordis ipſorum cæcitatem deſperantes in omne peccatorum genus miſerè ſe ſe effundunt. Rurſus dicuntur peccare etiam in Spiritum Sanctum qui agnitam veritatem religionis Chriſtianæ non ex ignorantia, ſed ex malitia ſtudioſè oppugnant, de quibus ſcribit Apoſtolus 2. ad Timoth. 3. *Magiſtri mendaces qui introducunt ſectas perditionis*, & 1. Timoth. 4. dicuntur *homines corrupti mente, & reprobi circa fidem*, & ad Tit. 3. de iis ait: *Attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium ſubverſi, & proprio judicio condemnati.* Talis fuit Elymas Magus quem D. Paulus repletus Spiritu Sancto objurgavit Actor. 13. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas.*] Ejuſdem furfuris fuerunt etiam Hæreſiarchæ, qui novas hæreſes introduxerunt, & verum Catholicam veritatem agnitam ab iiſdem oppugnarunt, cujuſmodi fuerunt Arius, Macedonius, Neſtorius, Euthyces, Joannes Wiccleffus, Joannes Huſs, Lutherus, Calvinus, Servetus, & plures alii, qui Catholicam veritatem impugnârunt. Peccant etiam in Spiritum Sanctum qui fraternæ invident charitati, dolentque graviter de ſplendore, vel augmento virtutum, & donorum Dei. Tales fuerunt Judæi, qui invidebant Gentibus converſionem ad Chriſti fidem mediante divina gratia, & Apoſtolorum prædicatione talis fuit Alexander ille Ærarius qui Actor. 12. & 13. plura mala intulit Apoſtolo Paulo, & ejus ſermonibus pertinaciter reſtitit: hæc fraternæ charitatis invidentia peccatum dicitur eſſe ad mortem de quo ait Chriſtus 1. Joan. 5. *Non pro illo dico ut roget quis*, & D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 22. explicans quid ſit hoc peccatum ad mortem ait: *Peccatum fratris ad mortem puto eſſe cum poſt agnitionem Dei per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti quiſque oppugnat fraternitatem & adverſus ipſam gratiam qua reconciliatus eſt Deo invidentiæ facibus agitatur*, unde illud peccatum dicitur eſſe ad mortem, cujus rei ab Eccleſia excluduntur ab orationibus, ſi in ea perverſitate vitam clauſerint, ut explicat idem Auguſtinus lib. 1. retract. cap. 19. *Peccatum autem non ad mortem eſt, ſi quiſquam non amorem à fratre alienaverit, ſed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit, quapropter Dominus in cruce ait Luc. 23. Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciant. Nondum enim gratiæ Spiritus Sancti participes facti ſocietatem ſanctæ fraternitatis inierant. Et S. Stephanus pro iis orat, à quibus lapidabatur, eò quia Chriſto nondum crediderant, neque adverſus illam communem gratiam dimicabant.* Peccant etiam in Spiritum Sanctum, qui animo obſtinato in peccatis perſeverant nolentes reſipiſcere, neque ullis admonitionibus, ſuaſionibus, adhortationibus, & increpationibus, imò nec à DEI flagellis flectuntur: ſed obdurati perſiſtunt in peccatis, cujuſmodi fuit Rex Pharao, cujus cor propterea dicitur induratum, & in malitia obſtinatum, ne populum Dei dimitteret, quamvis pluries à Moyſe monitus fuerit, imò & flagellis multipliciter attritus. Tales itidem fuerunt Judæi, quorum pertinaciam perſtringit S. Stephanus verbis illis: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Tales etiam fuerunt qui falſas profeſſi religiones; & ab Eccleſia Catholica ſeparati detrectant audire Catholicos Prædicatores, & Doctores ut liberiùs propriis poſſint erroribus adhærere. Imò tales etiam ſunt, qui ſuis in criminibus obdurati, & obſtinati, ſi non voce, animo tamen dicunt Deo illud Job. 21. *Recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus*, de quibus omnibus ait Sapiens Proverb. 29. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur.* Hi enim non ſolùm patrata ab ipſis crimina non ſatagunt lachrymis diluere, ſed potiùs iiſdem gloriantur, quæ etiam defendunt, & nolunt ea ſubjicere Eccleſiæ clavibus, hi ſiquidem potentes in iniquitate oblatam ſibi gratiam reſpuunt in profundum prolapſi malorum, de quibus ſcribit Apoſtolus ad Roman. 2. *Impœnitentes theſaurizant ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii DEI.* Demum peccant etiam in Spiritum Sanctum qui finem nolunt propriis ſceleribus imponere, ſibique proponunt nolle unquam pœnitentiam agere, quorum ſicut vita, ita & mors peſſima eſt. Hi enim omnes dicuntur peccare in Spiritum Sanctum eò quia oblatam ſibi à DEO gratiam cujus beneficio poſſint reſipiſcere abjiciunt, & contemnunt, nolentes ea uti in beneficium proprium.

CAPUT II.

Demonſtratur contra Calvinum Deum non eſſe Authorem peccati.

Adeo impius, ac protervus Calvinus extitit, ut aſſerere auſus fuerit DEUM ab æterno non ſolùm prævidiſſe, ac permiſiſſe verùm etiam voluiſſe, ac prædeſtinaſſe, Adæ & totius humani generis lapſum in peccatum, quod ab origine igitur à poſteris omnibus contrahi & originale, ait enim Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. & 3. §. 4. *Fateor ſanè in hanc, qua nunc illigati ſunt, conditionis miſeriam DEI voluntate dediſſe univerſos filios Adæ.* Et §. 5. ſubdit diſertis verbis *hoc extare negat decretum fuiſſe à DEO ut ſua defectione veniret Adam*, & infra: *Decretum quidem horribile fateor inficiari tamen nemo poterit, quin praſciverit Deus, quem exitum eſſet habiturus homo, & ideo praſciverit, quia ſuo decreto ſic ordinaverat.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Nec abſurdum videri debet, quòd dico DEUM non modo primi hominis caſum, & eo poſterorum ruinam prævidiſſe, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe*, quæ Calvini propoſitio falſa eſt,

Digitized by Google

eſt, & hæretica, eò quia divinis repugnat ſcripturis, in quibus habetur Pſal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sapient. 14. *Odio eſt Deo impius & impietas ejus.* Habacuch. 1. *Mundi ſunt oculi tui, ut videant malum & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Ezech. 10. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii dicit Dominus,* & 2 Petri 3. *Deus neminem vult perire,* ex quibus tantùm abeſt, quòd Deus ſit Author peccati, ut aſſerit Calvinus, ut potiùs ipſum nolit, & odio habeat, & quidem Deum non eſſe Authorem peccati oſtenditur ex ipſa definitione peccati, ſiquidem eſt peccatum contra legem ſeu voluntatem DEI, à quo propterea eſt averſio, ut à fine ultimo: ſed DEUS non avertit à ſe voluntates hominum, ſed potiùs eas ad ſe convertit, & ordinat, & ſicut eſt finis ultimus rerum omnium ita & omnia ad ſe ipſum trahit: unde Deuteron. 32. *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis & abſque ulla iniquitate, juſtus & rectus.* Quòd ſi eſt abſque ulla iniquitate juſtus; & rectus non poteſt eſſe Author iniquitatis quæ propterea eidem tribueretur, nec eſſe poſſet abſque iniquitate hinc D. Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Quòd ſi Deus non vult iniquitatem jam non eſt author iniquitatis, ſeu peccati, alioquin ſi author eſſet peccati illud vellet, quia poneret, ac efficeret. Rurſus Sapient. 11. *Diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti,* quòd ſi nihil eorum quæ fecit odio habuit, ergo peccatum non fecit, quia hoc odio habet Sapient. 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus,* ſeu peccatum, quod odio habet, non igitur poteſt Deus eſſe Author peccati. Eccleſ. 15. *Non dixeris per Deum abeſt, quæ enim odit, ne feceris,* & paucis interjectis: *Non dicas ille me implanavit, nemini mandavit impiè agere, nemini dedit ſpatium peccandi,* ſeu nemini vitam prorogavit ea intentione ut peccaret, ex quibus claret, Deum non ſolùm averſari & nolle peccatum, verùm etiam ſpatium concedere peccandi, cùm dicitur homo raptus ne malitia mutaret intellectum illius, hinc D. Paulus ad Roman. 5. *Nunquid iniquitas apud Deum? abſit.* Si autem eſſet Deus Author peccati procul dubio eſſet author iniquitatis, quæ propterea Deo tribueretur; imò neque Deus ullum provocat ad peccatum Jacobi 1. *Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt, ipſe neminem tentat.*

Præterea hæc veritas oſtenditur ex ipſa Calvini doctrina, ait ipſe: Nihil divina fide credendum eſſe niſi quod in Sacris litteris continetur; atqui hæc propoſitio Adam peccavit, & Deus voluit ejus peccatum, quod prædeſtinavit, nullibi continetur in ſacris litteris, ergo ex doctrina Calvini illa propoſitio non eſt credenda, nec vera, Major enim propoſitio eſt ipſius Calvini qui contra Catholicos paſſim inculcat, aſſerens Verbum Dei ſcriptum, quia extra hoc verbum nihil in negotio fidei admittendum eſt, fruſtra enim à Catholicis traditiones obtruduntur, Patres, & rationes adferuntur, ſola enim eſt ſcriptura, quæ controverſias dirimit, unde adhærendo verbis Calvini, hæc propoſitio Deus voluit, & prædeſtinavit Adæ lapſum non eſt vera, cum nullibi in ſacris ſcripturis reperiatur; proinde rejicienda ut falſa, & hæretica cùm ſacris ſcripturis adverſetur, ſiquidem quando ſcriptura loquitur de lapſu primi hominis illum tribuit non Deo, ſed ſerpenti vel diabolo, vel Evæ, vel Adamo, & nunquam Deo Sapient. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Joan. 8. *Ille homicida erat ab initio.* Genel. 3. *Serpens decepit me,* & ibidem: *Mulier quam dediſti mihi ſociam dedit mihi de ligno,* & iterum; *quia audiſti vocem uxoris tuæ,* & demùm Apoſtolus ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Unde peccatum primi hominis ſcriptura non tribuit DEO, ſed vel ſerpenti, vel diabolo, vel Evæ, vel Adamo conſequenter non eſt DEUS Author peccati primi hominis. Neque obſtat, quod ait Beza Calvini diſcipulus lib. de æterna DEI prædeſtinatione contra Caſtallionem ubi poſtquam omnia ſcripturæ loca percurriſſet, nihil aliud ad fulciendam Calvini ſententiam potuit adferre, niſi illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Ex quibus verbis tantùm abeſt, quòd inferatur DEUS Author peccati, ut potiùs inde excludatur à DEO, ſiquidem peccatum non eſt quid poſitivum, quod operetur, quia eſt defectus & carentia rectitudinis in quam non cadit operatio: unde ex hoc textu non poteſt colligi, quòd Deus ſit Author peccati, neque ullus ex Sanctis Patribus unquam cogitavit prædicta verba poſſe detorqueri ad tribuendum Deo peccatum. Præterea quia DEUS in ſcripturis diſſertis verbis ſeriò, ac ſeverè prohibet fieri peccatum, quòd ſi DEUS abſolutè non vult peccatum fieri abſolutè non vult peccatum, & abſolutè voluit, ut Adamus non peccaret. Non enim DEUS mendax eſt, nec nos decipit, ut aliud ſignificet in ſcripturis, & aliud velit intendi, ſi enim abſolutè aliquid vellet fieri, non poſſet ſeriò, & ſeverè illud idem prohibere, niſi ſecum pugnaret, at ex ſcripturis conſtat DEUM ſeverè prohibere peccatum, & illud ſeriò nolle Genel. 2. *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret eum, præcepitque ei dicens. Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas in quocunque enim die comederis ex eo morte morieris,* ex quibus verbis conſtat, non ſolùm Deum præcepiſſe Adamo ne peccaret, verùm etiam gravem pœnam comminatum fuiſſe, ſi injunctum ſibi præceptum auſus fuiſſet transgredi, ergo falſum eſt, quod ſibi imaginatur Calvinus Deum abſolutè voluiſſe ut Adam peccaret.

Quinimò non ſolùm Deus prohibuit Adamo ſub gravi comminatione mortis, ne peccaret, verùm etiam quia peccavit graviſſimè eum punivit, quomodo ergo poteſt eſſe voluntas, & decretum DEI, ut Adam peccaret, ſi præceptum ei injunxit, ne peccaret, & non ſervato præcepto eum ſeveriſſimè punivit? Genel. 3. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta erit terra in opere tuo & in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; ſpinas, & tribulos germinabit tibi in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris,* & nonnullis interjectis ſubditur: *Ejecitque Adam, & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim,* hoc eſt excluſit ob patratum peccatum inobedientiæ è paradiſo, cui addidit Cherubim cuſtodem prohibentem ipſum ampliùs ingredi: ſiſi autem Deus abſolutè voluiſſet Adamum peccare, ejuſque peccatum prædeſtinaſſet,

Digitized by Google

non ita ſeverè in eundem peccantem animadvertiſſet, potuiſſet enim Adam conqueri, ſeque excuſare, eò quia fecerit, quod Deus voluit, & quod ipſe ſuo decreto prædeſtinavit, fuit executus unde quia divinæ fuit obtemperatus voluntati non deberet ipſe puniri, ut argumentantur S. Patres, præſertim Fulgentius, qui ait: *Deus non eſt ultor, cujus eſt Author.* Rurſus præceptum quod Deus injunxit Adamo ita eum reliquit in libera illius poteſtate, ut potuerit juxta ſuum beneplacitum illud vel implere, vel transgredi ex quo ſequitur Deum non voluiſſe, ut abſolutè transgrederetur alioquin eum non reliquiſſet cum illa poteſtate libera ad oppoſitum, ergo neq; voluit abſolutè ut peccaret, quapropter Adam non peccavit Deo abſolutè volente, & decernente. Quòd Deus non obſtante præcepto injuncto primo homini ei reliquerit poteſtatem liberam idem præceptum transgrediendi vel ſervandi poteſt ex illo Eccleſ. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi,* neque poteſt clariùs explicari libera primi hominis poteſtas ad eligendum, quod eidem magis placuerit: unde Tertullianus lib. 2. contra Marcionem ait: *Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate, nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur.* Demum quia nemo prudens, & juſtus poteſt ex amico velle inimicum facere abſque omni alterius culpa præcedente, ſed Adam in ſtatu innocentiæ erat Deo amicus conſequenter non potuit, rectè & prudenter velle, ut peccaret. Major lumine naturali eſt nota ac omnibus ſtatim recepta, quia ut monet ſcriptura Prov. 27. *Amicum tuum ne dimiſeris*, & Eccleſ. 6. *Amicus fidelis protectio fortis, medicamentum vitæ, & immortalitatis*, hinc juxta Calvinum Deus non fuiſſet Adamo amicus fidelis, eò quia non fuit eidem protectio fortis, ſed potius cauſa ruinæ, & perditionis. Non fuit medicamentum vitæ, & immortalitatis, ſed pharmacum mortis, & corruptionis.

Hoc idem aſſerunt S. Patres præſertim Auguſtinus lib. de Spiritu & litt. cap. 31. ubi ait: *Nuſquam legi in ſanctis ſcripturis, non eſt voluntas niſi à Deo:* & rectè inquit *non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, Author eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo: quoniam mala voluntas jam ſola peccatum eſt, & ſi deſit effectus, id eſt, ſi non habet poteſtatem*, & lib. 5. de civit. Dei cap. 9. ait: *Sicut omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum: malæ quippe voluntates ab illo non ſunt quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt*, & lib. 2. de libero arbit. cap. 20. ait: *Omne bonum ex Deo eſt: nulla ergo natura eſt, quæ non ſit ex Deo, motus ergo ille averſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectivus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites. Qui tamen defectus quoniam eſt voluntarius in noſtra eſt poſitus poteſtate*, & in Tractat. 1. in Joan. expendens illa verba: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, ait: *Peccatum quidem non per ipſum factum eſt: & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines, cùm peccant*, vult igitur Deum non eſſe Authorem peccati, quamvis omnia per ipſum facta ſint, quia peccatum, cùm non ſit ens, quod propriam habeat naturam in recto, quamvis dicatur eſſe quid poſitivum in obliquo, non ſit, ſed tantùm illa diſſonantia ad legem, ac rectam rationem reſultat in entitate actus phyſici, unde licèt fiat à Deo etiam concurrente ad entitatem phyſicam actus peccaminoſi non tamen concurrit ad ipſum peccatum, ſeu ad ipſam diſſonantiam actus, quia hæc includit carentiam rectitudinis, quæ non exigit concurſum poſitivum, conſequenter non ſit, nec ponitur à Deo. Hoc idem etiam aſſerit D. Proſper in reſponſ. ad objectiones Vincentianas cap. 10 inquiens: *Deteſtanda & abominanda opinio, quæ Deum cujuſquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem*, & nonnullis interjectis ſubdit: *Non ergo caſus euntium, neque malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit.* Et S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 6. adhærens ſententiæ ſui Magiſtri Auguſtini ait: *Sicut peccatum in Deo non eſt, ita peccatum ex eo non eſt, quod autem ex eo non eſt, opus ejus utique non eſt. Quod autem nunquam eſt in opere ejus, nunquam fuit in prædeſtinatione ejus.* & cap. 13. ait: *Quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam, quos autem prædeſtinavit ad pœnam, hos non prædeſtinavit ad culpam*, & poſtea ſubdit: *Iniquos condemnabit pro impietate, vel injuſtitia, quam in eis ipſe non fecit.* Alii S. Patres exhorrent audire Deum eſſe Authorem peccati, & communiter aſſerunt Deum nolle peccatum neque in ipſum influere, hinc Concilium Arauſicanum II. can. 25. & Valentinum can. 3. deteſtantur errorem illorum, quos etiam anathemate feriunt, qui aſſeruerint Deum aliquos ad malum prædeſtinare, & Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 6. hoc idem confirmat inquiens: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere: ſed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permiſſivè ſolum, ſed etiam propriè, & per ſe; adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli anathema ſit*, & ex hoc canone colligitur explicatio illorum locorum S. Scripturæ 2. Reg. cap. 16. *Dominus præcepit Semei ut malediceret David.* & cap. 24. *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſraël, & Judam, commovitque David in eis dicentem: Vade numera Iſraël, & Judam*, & etiam illud Joan. 13. ubi Chriſtus Judæ Proditori dixit: *Quod facis fac citiùs*, in quibus locis Deus videtur peccata jubere, ac velle reſpondetur enim, hæc peccata non propriè, & per ſe operatus fuit Deus, ſed tantùm ea permiſit: verbum enim *præcepit*, quod habetur in priori textu non ſignificat juſſionem & mandatum propriè dictum, ſed opportunitatem loci, fugæ, & calamitatis Davidis à Deo procuratam, quorum occaſione Semei proprio vitio depravatus Regi maledicere auſus fuit. Rurſus ſignificat ordinationem maledicentiæ, & injuriæ Semei in Regis punitionem, & pœnam quia Deus mala iniqui illius hominis voluntate uſus eſt ad humiliandum Davidem tametſi malam illam voluntatem non fecerit, demum ſignificat Deum permiſiſſe, ut Semei malediceret Davidi non verò Deum operatum fuiſſe illam maledicentiam, in quo ſenſus etiam intelligendus eſt D. Auguſtinus lib. de grat. & libero arbit. cap. 20. inquiens: *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis ſapiens, & intelliget? non enim jubendo dixit ubi obedientia laudaretur, ſed quod ejus voluntatem proprio vitio ſuo malam in hoc peccatum judicio ſuo juſto, & occulto inclinavit, ideo dictum eſt, dixit ei Dominus. Nam ſi jubenti*

jubenti

Digitized by Google

benti obtemperaſſet Deo laudandus potiùs, quam puniendus eſſet, ſicut ex hoc peccato poſtea novimus eſſe punitum. Rurſus Deus voluntatem Semei tantùm inclinavit ad ſubſtantiam actionis, ſeu ad pſiſycam entitatem actus non verò ad pravitatem ejuſdem nec ad malitiam peccati, adeo ut operatus tantùm fuerit motum voluntatis, ſeu ejus phyſicam entitatem, ad quam concurrit concurſu generali non verò ad ejus malitiam, quia hæc nullam dicit entitatem in recto, ut ſuperiùs explicuimus perinde ac natura eſt quidem cauſa oculi, non verò cæcitatis, & in corpore humano anima, ſeu facultas motrix eſt quidem cauſa motus tibiæ, non verò claudicationis, unde Deus tantùm inclinavit ad aliquid quod per ſe malum non erat, ſed tantùm mala ejus voluntas abuti illo voluit ad peccatum externo opere complendo; & Deus id permiſit ad probandum, & exercendum Davidem. In eodem ſenſu explicatur ſecundus textus ex cap. 24. Deus enim adverſus populum Iſrael indignatione commotus permiſit, ut David incitaretur à Sathana ad numerandum populum ut habetur 1. Paralip. cap. 21. *Surrexit autem Sathan contra Iſrael & concitavit David, ut numeraret Iſrael*, Deo ſcilicet permittente non jubente. Ad tertium textum de Juda proditore deſumptum ex Joan. 23. Chriſtum quidem dixiſſe Proditori Judæ, *Quod facis fac citiùs*, non quod juſſerit ipſam proditionem, ſed quia Judas eam ſtatuerit ex ſe ideo Chriſtus non ſolùm illam permiſit verùm etiam ſolicitavit, qùod citiùs genus humanum pretio ſui ſanguinis redimeretur, aliud enim eſt Deum aliquid velle, & aliud permittere id quod vult ipſe producit, & ponit, quod autem permittit, tantùm ſinit, ut creatura illud velit, & operetur juxta proprium beneplacitum ait S. Leo ſerm. 7. de paſſione Domini: *Quod facis fac citiùs: non jubentis eſt, ſed ſinentis; nec trepidi, ſed parati: qui habens omnium temporum poteſtatem oſtendit ſe & moram non facere traditori, & ſic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod à perſequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret.* Unde permiſſivè intelligenda ſunt alia ſcripturarum loca quibus videtur Deus præcipere peccatum. 3. Reg. cap. 22. *Dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab.* Ezech. 14. *Propheta cum erraverit, & locutus fuit verbum ego Dominus decepi Prophetam illum*, hoc eſt permiſi ut Prophetæ Achab mentirentur, & ut Propheta ille deciperetur, ut etiam illud Iſaiæ 63. *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis*, non quòd Deus voluerit eos errare à rectitudine ſed quia permiſerit eos deflectere à viis rectis, unde Auguſtinus lib. de Spiritu & litt. cap. 31. ait: *Cum voluntas mala poteſtatem accipit implere, quod intenditur ex judicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas: punit enim etiam iſto modo, nec ideo injuſtè, quia occultè.* Perinde ac Venator, qui Canem currendi, & mordendi cupidum fune tenet ligatum, ut viſa fera eum ſolvat, quò avidiùs in ipſam feratur, rectè dicitur canem immiſiſſe in feram, eò quia permiſit, ut illam inſequeretur, eodem pacto dicitur Deus decipere Pſeudoprophetas ac ſpiritum mendacii dare in ore eorum, ac facere, ut peccatores errent à viis rectis, quatenus permittit eos propriæ propenſioni, & inclinationi, & ut tartareus hoſtis illos decipiat, & à recta via abducat, quem tamen poſſet legatum tenere, ac illi inhibere, ne damnum ullum inferret. Rurſus cùm peccatores errant, non ex Dei potentia vel in malum, vel in bonum coguntur, ſed Deo deſerente pro meritis permittuntur ire in malum, & Deo adjuvante ſine meritis converti in bonum ut docet D. Auguſtinus lib. 1. ad Boniſac. cap. 18. unde cùm Deus dicitur tradere aliquem in reprobum ſenſum non id intelligitur, quòd Deus agat, & moveat, ſed potiùs, quod deſerat, & non impediat in eodem ſenſu dicitur Deus excæcare oculos, & obdurare cor peccatoris ut dicitur Joan. 12. *Propterea non poterat credere, quia iterum dixit Iſaias excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*, & ad Rom. 9. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, non quòd Deus Author ſit peccator, quia non obdurat impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur: at potius ut non impertiatur hoc digni ſunt, hoc merentur, ait D. Auguſtinus Epiſt. 194. ad Sixtum, quod etiam explicat D. Thomas 1. 2. quæſt. 79. art. 3. inquiens: *Excæcatio, & obduratio duo important quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi à divino lumine. Et quantum ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quòd mens divinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum. Et quantum ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis, & obdurationis. Eſt autem conſiderandum, quòd Deus eſt cauſa univerſalis illuminationis animarum ſecundùm illud Joan. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ſicut ſol eſt univerſalis cauſa illuminationis corporum, aliter tamen & aliter, nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ; Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem licet quantum eſt de ſe omnia corpora illuminet, ſi quòd tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore relinquit illud tenebroſum ſicut patet domo; cujus feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol non enim ſuo judicio agit, ut lumen interius non immittat, ſed cauſa ejus eſt ſolùm ille, qui claudit feneſtram. Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obſtaculum invenit. Unde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt non ſolùm ille, qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus, qui ſuo judicio gratiam non apponit: & per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis.* Verùm hoc pacto ſumpta excæcatio, & obduratio pœna eſt, non culpa. Quandò igitur Deus in ſcripturis dicitur creans malum Iſaiæ 45. & Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*, non peccatum intelligendus feciſſe, ſed tantùm pœnam, ut explicat Auguſtinus lib. contra Adimantum cap. 26. Vel quod tantùm permittat malum.

Calviniſtæ tamen aliquot congerunt ſcripturæ textus, quibus nituntur oſtendere Deum eſſe Authorem peccati, adeo ut peccata fiant aliquandò Deo volente, & prædeſtinante etenim afferunt illud Geneſ. 45. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*, & cap. 50. *Nam Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* & Actor. 2 *Hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum ad gentes interemiſtis*, & c. 4. *Convenerunt vere in civitate iſta facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.* Hinc inferunt Calviniſtæ peccatum quod fratres Joſephi commiſerunt, & peccatum Judæorum crucifigentium Chriſtum facta fuiſſe voluntate, conſilio; & præſcientia Dei, quibus textibus etiam affert Beza illum

Digitized by Google

Apostoli ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Verùm exinde non potest inferri Deum esse Authorem peccati, quia quando scriptura sacra rem aliquam in uno loco asserit, quam in alio negat, tunc regula Sanctorum Patrum est, ut parti illi sit adhærendum, cui magis verba favent, & sensus scripturæ, ut etiam consensus, & explicatio sanctorum Patrum. Sed si in præcitatis locis peccata videntur Calvinistis fieri à Deo volente, & prædestinante, in aliis tamen locis hoc idem apertè negatur, & huic parti negativæ magis favent verba, & sensus scripturæ, ut & consensus sanctorum Patrum, etenim textibus adductis à Calvinistis opponunt Catholici hos alios scripturæ textus Sapient. 14. *Odio est Deo impius, & impietas ejus*, Psal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Quòd si Deus non vult iniquitatem, & ipsi est odio impietas peccatoris clarè & expresè habetur Deum non esse authorem peccati, cum illud nolit, illudque odio habeat. Habacuch. 1. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Quòd si Deus non potest ad iniquitatem respicere multo minùs poterit eam velle, & esse ejus Authorem. Jeremiæ 9. *Ædificaverunt excelsa Baalim quæ non præcepi, neque locutus sum, neque ascenderunt in cor meum*, scilicet cogitaverunt mala, quæ ego non præcepi, neque vobis; quòd si Deus non vult nec præcipit peccatum non potest author esse peccati: siquidem is tantùm est Author peccati, qui illud vult. Ezechiel. 10. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii dixit Dominus:* mors autem impii intelligitur moraliter seu peccatum lethale, quo impius moritur divinæ gratiæ, quæ dicitur vita hominis, quatenus per ipsam vivit homo Deo, cujus est filius adoptivus. 2. Petri 3. *Deus neminem vult perire.* Quod si causa, cur pereat homo, est peccatum, sequitur evidenter Deum non velle peccatum. Demum 1. Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Plura etiam alia possent congeri sacræ scripturæ loca, quibus ostenditur clarè quòd Deus non sit Author peccati. Quòd si textus congesti à Calvinistis conferantur cum allegatis à Catholicis statim apparebit Deum nullo pacto ex scripturis posse dici Authorem peccati, etenim testimonia pro Hæreticis citata nihil aliud asserunt, quàm Josephum Dei voluntate missum fuisse in Ægyptum, & Christum Dei præscientia, & consilio traditum esse Judæis, & omnia quæ à Deo fiunt fieri summo consilio, & non temerè hæc autem si ritè explicentur non obsunt nostræ causæ, quia ex eo, quod Joseph Dei voluntate missus fuerit in Ægyptum ut exaltaretur, inde non sequitur fuisse Deum causam, & Authorem peccati commissi ab ejus fratribus, ut nec etiam ex eo quòd Christus ex Dei præscientia & consilio traditus fuerit Judæis ut nostram operaretur redemptionem, inde sequitur fuisse Authorem peccati à Judæis commissi secus testimonia à Catholicis adducta expresse asserunt, Deum non velle iniquitatem, quam Calvinus asserit velle, Deum odisse iniquitatem, quod si odit, non potest eam velle. Rursus Deum non posse respicere ad iniquitatem peccata non ascendisse in cor Dei, non esse voluntatem Dei, ut homo peccet mortaliter, & tandem Deum non velle quemquam perire, quæ omnia repugnant Deo ut Authori peccati. Verus igitur scripturarum sensus est, quòd Deus ob infinitam suam bonitatem non solùm detestetur mala & nullo modo velit ea fieri, quantum est in se, ut expresè testantur adducta testimonia; verùm etiam, quando prævidet hominem malè acturum velit ob suam infinitam bonitatem ex malo præviso elicere bonum aliquod, ac malum in usum bonum convertere. Præviderat igitur Deus malam voluntatem in fratribus Josephi, & etiam in Judæis volentibus Christum crucifigere, quid ni utramque malam voluntatem ordinavit in bonum exitum illam ad exaltationem Josephi in Ægypto; & hanc ad humani generis redemptionem, & hic est verus sensus scripturarum, quas Calvinistæ adducunt, nam Genes. 50. dixit Joseph fratribus suis *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum ut exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.* Tametsi mala fuerit voluntas fratrum Josephi hanc Deus prævidit quidem non verò prædestinavit, bonus fuit effectus ex ea secutus, quem Deus voluit, & præordinavit, unde Augustinus in Enchir. cap. 100. *non sineret bonos fieri malos, non si omnipotens etiam de malo facere posset bene*, & lib. 12. de civit. Dei cap. 1. ait: *Multa quidem fiunt à malis contra voluntatem Dei; sed tanta est ille sapientiæ, tantæque virtutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos & justos ipse præscivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa.* Hunc esse verum, ac germanum scripturarum sensum asserunt Sancti Patres etenim Augustinus lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 10. ait: *Præscire potens est Deus etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata*, & lib. 1. de ordine cap. 1, *Sequitur aut divinam providentiam non usque ad hæc ima protendi, aut certe omnia Dei voluntate committi utrumque impium, sed magis posterius.* S. Prosper respons. ad Capit. Gallor. cap. 12. *Voluntas Dei nunquam vult nisi bona: præscientia autem & bona noscit, & mala. Sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam ut nos faciamus, imperat: mala autem quæ omnino ipse non faciat nec fieri suasit, aut impulit.* Et cap. 14. *Infidelitas non credentium evangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus Author non malorum.* Et D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 13. *Potuit Deus sicut voluit prædestinare quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnam: sed quos prædestinavit ad gloriam, hos præ destinavit ad justitiam: quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum justè peccare. Nullus autem hominum juste peccat, quamvis eum Deus juste peccare permittat.* D. Leo Papa epist. ad Petrum Antiochenum scribit. *Credo Deum prædestinare sola bona; præscivisse autem bona & mala.*

Deum non esse Authorem peccati non solum sacræ scripturæ expresè testantur. Omnes Sancti Patres luculenter docent, verùm & ipsæ rationes naturales nervosè evincunt, quarum prima ex eo petitur: quia Deus non potest velle, & desiderare quod ipsius naturæ totaliter adversatur, estque contrarium, & quod propterea Deus maximè execratur: sed hujusmodi est peccatum: ergo non potest Deus velle peccatum, nec esse Author illius: non enim idem est sibi inimicum quod velit destructivum sui, unde major propositio est per se nota. Minor quoad primam partem ostenditur: siquidem natura Dei est infinita bonitas, & peccatum cum sit malitia, & malorum summum opponitur divinæ bonitati, cui directè repugnat, & qua repugnantia fit, ut peccatum nullo modo possit Deo attribui, neque ut Authori, neque ut subjecto; imò neque alio

alio modo poteſt ad ipſum referri neque ut finem, neque ut cauſam efficientem, formalem, el exemplarem, nec materialem: quia inter ea, quorum unum refertur ad aliud in aliquo genere cauſæ debet intercedere debita proportio, quæ nequit dari, ubi eſt ſumma repugnantia: unde ſi quæratur, cur Deus non poſſit eſſe cauſa efficiens, & Author peccati; eſt reſponſio; quia inter effectum, & cauſam efficientem dari debet proportio; & tantum abeſt quod inter Deum, & peccatum detur proportio, ut potius ſit ſumma repugnantia; quia peccatum utpote ſummum malum eſt deſtructivum ſummi boni, cui directè opponitur; hinc peccatum ſecum trahit repugnantiam, quia referatur in Deum ut ultimum finem, neque ut cauſam formalem, vel materialem, quia quod refertur ad aliud ut cauſam, debet eſſe perfectivum ejuſdem; & peccatum eſt deſtructivum divinæ bonitatis, à qua removet rationem finis ultimi, quam ponit in creatura, ad quam peccator convertitur per peccatum. Ergo repugnat, infinitam Dei bonitatem poſſe eſſe cauſam peccati: hinc Chriſtus Matth. 7. ait: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*, hinc S. Baſilius homil. 2. in Hexameron ait: *Nil contrarium à contrario ſuo gignitur. Neque enim vita mortem parere ſolet; neque tenebræ principium adferunt luci; neque ſanitatem morbus efficit*; quæ omnia ad noſtrum inſtitutum ſcitè accommodat S. Gregorius Nyſſenus homil. 2. in eccleſiaſtic. inquiens: *Deus qui eſt natura bonus bona quoque præbet omnino, quoniam omnis arbor bona bonos fructus facit, neque ex ſpinis uvæ, neque ex vite ſpina naſcitur. Quod ſua natura bonum eſt, ex theſauris malum non produxerit. Neque enim bonus homo ex abundantia cordis mala loquitur, ſed quæ ſuæ naturæ ſunt convenientia. Quanto ergo magis fons bonorum nihil mali ex ſua natura profuderit?* Quòd verò Deus vel maximè execretur peccatum, & eſt ſecunda pars minoris ex eo eſt probatu facile, quia ſacræ ſcripturæ id expreſsè ſignificant Sapient. 14. *Odio eſt Deo impius, & impietas ejus.* Imò & ipſe Calvinus id non diffitetur cum lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 4. ait: Deus juſtitiam naturaliter amat, & injuſtitiam adverſatur, conſequenter non poteſt velle peccatum deſtructivum ſummæ, ac infinitæ bonitatis: ſiquidem in Deo voluntas re ipſa idem eſt, ac divina natura, unde ex eo, quòd peccatum ſit naturæ Dei contrarium neceſſe eſt itidem adverſetur voluntati divinæ, conſequenter Deus non poteſt velle peccatum, ſed voluntas neceſſariò illud execratur: hinc oritur odium, quo Deus peccatum averſatur, & tale odium in peccatum eſſe naturale, & neceſſarium non liberum, perinde ac amor, quo amat ſe ipſum naturalis eſt ac neceſſarius non liber. Odium enim ſupponit amorem, in quo fundatur, & eatenus Deus peccatum odit, quia contrarium eſt naturæ ſuæ, quam neceſſariò amat: ſicut enim amat ſuam naturam neceſſariò, ita neceſſariò execratur peccatum, quod propterea non poteſt Deus ullo modo velle, nec amare, perinde ac non poteſt ceſſare ab amore ſui ipſius, neque poteſt ſe ipſum odiſſe. Hinc nil refert, quòd peccatum committatur à reprobo vel prædeſtinato, quia à quocunque perpetretur ſemper eſt contrarium naturæ, & voluntati Dei, qui propterea illud ſemper execratur. Firmari hæc ratio ex eo poteſt, quia ut docet Philoſophus; omnis appetitus fertur in aliquod bonum, ſive verum, ſive apparens; & appetitus ſi ſit rectus & ordinatus, ſemper fertur in bonum verum, & honeſtum: atqui Dei voluntas eſt appetitus ordinatiſſimus, ergo non poteſt ferri niſi in bonum verum, & honeſtum, conſequenter nunquam fertur in peccatum ſub ratione peccati. Quòd ſi dicas Deum velle quidem peccatum non tamen ſub ratione peccati, ſed ob bonum aliquem finem, nimirum ut poſſit manifeſtare ſuam juſtitiam in vindicando. Contra eſt, inprimis quia Calvinus aſſerit Deum velle peccatum etiam ſub ratione peccati ſiquidem docet Deum velle, ac prædeſtinare peccatum, ut inde habeat cauſam damnandi reprobos: cauſa autem damnandi reprobos alia non eſt quàm peccatum ſub ratione peccati ſeu averſionis à Deo, conſequenter in ſententia Calvini Deus vult peccatum ſub ratione peccati. Præterea quando objectum voluntatis eſt turpe, bonus finis non excuſat, neque extinguit malitiam voluntatis, non enim poteſt quis appetere, ut rectum mendacium adulterium, homicidium, tametſi dicat ſe bono fine illa peccata appetere, quia ut ſcribit D. Paulus ad Roman. 3. *Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona*: ex eo igitur quòd natura divina ſit re ipſa Dei voluntas, & hæc ſit ordinatiſſima, ſequitur non poſſe appetere nec velle peccatum, ſed tantùm bonum verum, & honeſtum. Præterea quia Deus non poteſt ſincerè velle, ac optare ut id fiat, quod diſertè, expreſsè, ac ſeriò fieri prohibet: ſed ſeriò & ſeverè prohibet peccata patrari, ut liquet paſſim ex tota ſcriptura, ergo non vult neque deſiderat peccata fieri. Major per ſe nota eſt non enim Deus poteſt habere contrarias voluntates cujuſmodi ſunt velle, & nolle peccatum conſequenter non poteſt unum, ac idem velle, ut fiat, & ſimul ſeverè prohibere ne fiat. Hæc ratio proponitur à Calvino lib. 1. Inſtit. cap. 18. §. 3. ubi ait: *Non quod primò objiciunt, ſi nihil eveniat niſi volente Deo duas eſſe in eo contrarias voluntates, quia occulto conſilio decernat, quæ lege ſua palam vetuit, facile diluitur.* Verùm re ipſa argumentum non ſolvit neque difficultatem diluit: ſiquidem non ſubjicit reſponſionem, ſed tantùm digreditur more Concionatoris & ad alia tranſit, & poſt multa verba, quæ non videntur ad pertinere, ait ſe ſolvere objectionem inquiens: *Quomodo idem diverſo modo volit fieri: & velit non capimus*: & per hæc verba diluit totum argumentum, per verbum non intelligere, nec capere difficultatem, ſi difficultas ſolverentur etiam ruſtici poſſent facilè quaſcunque controverſias & argumenta nervoſa, & ſubtilia ſtatim diluere, & ſolvere, reſpondendo ſe non capere non intelligere argumenta illa. Præterea Calvinus præter voluntatem qua Deus expreſsè prohibet in ſcripturis peccata fieri fingit aliam voluntatem Dei occultam, qua vult peccata: & cum fateatur eſſe occultam ſatis oſtendit à ſe contradictam eſſe cum aliis non appareat. Rurſus argumentum difficillimum nititur extenuare quaſi eſſet nullius momenti, ac facillimæ ſolutionis, cùm tamen ab ipſo non diluatur, maliique ad ejus declinandam difficultatem per coacervata verba ad alia diſparata gradum facere, & tandem ubi ſolutio producenda eſſet, reſpondeat ſe non capere vim argumenti, unde ſtat Deum non poſſe id velle, ut fiat, quòd ſeverè prohibet fieri, quia cùm in ſcripturis ſeriò, & ſeverè prohibeat peccata fieri, non poteſt velle, nec deſiderare ut fiant alioquin puniret peccata quæ ipſe vellet fieri, & quamvis tyrannus poſſit id punire, quod ipſius voluntate, & conſilio factum fuit, Deus tamen cùm non ſit tyrannus, & puniat peccata hominum graviſſimis ſuppliciis æquè in hac vita, quàm

in altera sequitur peccata non fieri ab hominibus ex voluntate, & consilio Dei, alioquin perinde ac tyrannus, quo absit, puniret, quod ipse vellet fieri & præciperet ut fieret. Neque obstat, quod respondet Calvinus Deum punire peccata non ad malum, sed bonum finem, scilicet ut manifestet potentiam, & justitiam suam in vindicando, non enim hac responsione solvitur difficultas, quæ magis augetur, quia proprium est tyrannorum eo fine, & consilio velle alios delinquere, ut in iis vindicandis possint propriæ satisfacere crudelitati.

Secunda ratio peti potest ex eo, quia si Deus vellet hominem peccare, inde sequeretur hominem non peccare, quoties peccat, quod est contradictorium: siquidem ille non peccat, qui propriam voluntatem divinæ conformat, & id vult, quod Deus vult ipsum velle, cum enim divina natura sit perfectissima, & ipsa rectitudo; & voluntas divina idem sit, ac natura divina sequitur voluntatem esse itidem rectissimam, & non posse velle nisi quod rectum est. Sed si Deus vellet peccata ab hominibus fieri inde sequeretur, quòd surripientes rem alienam invito Domino innocentes voluntariè interimentes alienum thorum adulteriis contaminantes conformarent suam voluntatem cum divina, quia Deus vellet in sententia Calvini fieri furta, homicidia, adulteria, consequenter comittentes talia scelera non peccarent, quia divinæ se conformarent voluntati, nemo enim peccare dicitur ex eo quòd divinæ se conformet voluntati, quia Dei voluntas est ipsa rectitudo cui qui se conformat in suis operationibus non potest non rectè operari consequenter sequeretur hæc lutulenta contradictio quod peccatum esset, & non esset peccatum, esset ex suppositione, & non esset, quia conforme divinæ voluntati. Respondent Hæretici peccatum nihil aliud esse nisi falsam hominum opinionem, eò quia quod regulæ, ac rectitudini correspondet nequit esse distortum & curvum, & quia peccatum correspondet divinæ voluntati nequit à rectitudine divinæ voluntatis recedere, consequenter non potest peccatum esse, quod semper est quid curvum, & distortum & deflectens à rectitudine. Dicunt enim voluntatem Dei esse regulam, normam, ac legem nostrarum actionum, ut ait Calvinus lib. 3. Instit. cap. 23. §. his verbis, ubi ait: ***Dei voluntas non modo ab omni vitio pura, sed summa perfectionis regula, & legum omnium lex est:*** unde per Calvinum Dei voluntas nostra est regula cum qua tenemur conformare nostras operationes ut ista à rectitudine non deflectant. Hinc duo eruuntur argumenta, quorum primum est, quia si omnis actio peccati est conformis suæ regulæ, seu divinæ voluntati sequitur nullam actionem peccati posse esse curvam & vitiosam ob conformitatem cum sua regula, seu voluntate divina. Præterea ut fatetur Calvinus voluntas Dei est lex nostra, & ut idem asserit, sed voluntas Dei est ut peccemus, ergo peccando non peccamus, eò quia legem Dei non transgredimur, sed servamus; voluntati divinæ non dissentimus, sed assentimur, & eidem conformamur. Hinc peccantes non peccant, quia legem Dei non transgrediuntur, sed servant, & qui legem servat non peccat. Hinc quæri posset à Calvino, an Judæi spoliantes Ægyptios peccaverint nec ne? & an Oseas Propheta sumens sibi uxorem fornicationum, & generans filios fornicationum peccaverit, ut etiam Abraham, cum vellet interficere filium suum Isaac, respondet non peccâsse, eò quia laudabiliter egerunt, & conformiter ad divinam voluntatem siquidem divina voluntas fuit ut Judæi Ægyptios spoliarent, Oseas sibi sumeret uxorem fornicationum, & Abraham filium suum unigenitum Isaac occideret, ergo cum per Calvinum sit etiam Dei voluntas, ut homines committant furta, homicidia, adulteria, qui hæc scelera perpetrant non solùm non peccant verum etiam laudabiliter agant, quia cum divina voluntate se conformant, quod quàm falsum sit, constat ex scripturis, & naturalibus rationibus, quia si Deus ab æterno prædestinasset omnia peccata futura, & ea absolutè fieri vellet tali tempore, loco, & à tali peculiari persona frustra nos docuisset Christus Deum Patrem orare, ut nos non induceret in tentationem, & occasionem peccandi: *Et ne nos inducas in tentationem*, quia si Deus ab æterno voluit, ut Petrus cras vincatur à tali tentatione, & labatur in peccatum, cum ut fatetur ipse Calvinus decretum Dei mutari non possit, quidquid egerit Petrus cras vincetur à tentatione, ac incidet in peccatum, ergo nil prodest, quòd Petrus Deum Patrem oret, ne ipsum inducat in tentationem, quod tamen absurdum est, non enim Christus qui nos edocuit modum illum orandi ignoravit, posse homines per fusas ad Deum Patrem preces divinæ gratiæ auxilia impetrare, ac tentationes vincere. Rursus si Deus vult peccata perpetrari, ut putant Calvinistæ sequitur illos bene semper agere, ac laudabiliter, tametsi aliena diripiant invito Domino, adulteriis alienum thorum maculent, innocentes interimant, pupillos opprimant, templa, & altaria evertant, & eos tantum peccare quia hæc omnia fieri impediunt, prohibentque sive sint Principes Ecclesiastici sive sæculares: siquidem diripientes aliena invitis Dominis, committentes adulteria, homicidia, & alia scelera, se conformant divinæ voluntati; & prohibentes prærecensita scelera, ac directè obsistentes eidem non se conformant Dei voluntati, consequenter isti non illi peccant, eò quia impediant ea fieri, quæ Deus absolutè vult fieri. Hinc adulteri, homicidæ, raptores, fures, & alii protervi, impii, ac scelerati homines sancti sunt, & immaculati. eò quia alieni à peccatis, cùm se divinæ conforment voluntati injungenti hæc peccata fieri: secus Principes Respublicæ, Patresfamilias omnes peccant, suntque scelerati, eò quia scelera prohibeant, ac puniant contra Dei voluntatem, cui propterea obsistunt, & contrarantur.

Tertia ratio ex eo petitur, quia si omnia, quæ ab hominibus fiunt Deo volente, & ea statuente fierent, nullo pacto possent Catholici Hæretici irasci, neque Calvinistæ Catholicis, si ab iisdem aliquid paterentur detrimenti, imò tametsi mortem, & omnia mala, quæ possunt excogitari. Quia sciunt se omnia pati Deo volente, & quia suam voluntatem debent divinæ conformare, unde non habent Calvinistæ, quo debeant succensere aliis damnum aliquod iisdem inferentibus cùm hæc omnia contingant non solùm Deo permittente, sed etiam volente ac præcipiente, quæ omnia cum adversentur rationi satis constat, Deum non esse Authorem peccati, nec illud velle, quamvis illud permittat ob liberum arbitrium homini inditum. Neque ullum facessit negotium illud D. Pauli ad Ephes. 1. ubi ait: ***Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ:*** in hisce enim verbis Apostoli fundatur Beza, ut probet Adamum volente, & prædestinante Deo lapsum fuisse

Digitized by Google

fuisse in peccatum, quod in omnes homines transfunditur, & originale dicitur. Argumentantur enim Hæretici ex verbis Apostoli. Omnia quæ in mundo fiunt tam bona, quàm mala operatur Deus consilio suæ voluntatis, quia ut ait Apostolus *omnia operatur secundùm consilium suæ voluntatis:* sed peccata committuntur in mundo ab hominibus, consequenter Deus ea operatur: secundùm consilium voluntatis suæ. Rursus potest hoc aliud efformari argumentum, omnia quæ Deus operatur, consilio suæ voluntatis operatur: sed Deus peccata operatur, ergo illa operatur consilio suæ voluntatis. Hæc enim argumenta falsa sunt, major enim primi est petitio principii: siquidem cum negemus Deum Authorem esse peccati, Hæretici assumunt pro majori primi argumenti esse Authorem peccati, dicunt enim omnia quæ in mundo fiunt tam bona, quàm mala scilicet peccata operari Deus consilio voluntatis suæ, ac eadem velle, quòd si vult peccata jam est Author peccati cùm divinæ voluntati nulla possit creatura obsistere. Ad aliud argumentum minor est falsa dicitur enim, quòd Deus peccata operetur quod hactenus evicimus falsum: est enim propositio Calvini asserentis Deum nobiscum simul omnia peccata nostra operari, & magis ipsum, quàm nos ea agere, eò quia Deus sit principale agens, & operans & creaturæ tantùm instrumenta, quòd hæc propositio sit Calvini constat lib. 1. Instit. cap. 17. §. 5. ubi ait: *Ego plus concedo, fures homicidas, & alios maleficos divina esse instrumenta providentiæ, quibus Dominus ipse ad exequenda quæ apud se constituit judicia utitur*, & cap. 18. §. 1. subdit: *Ergo quidquid agitent homines vel Sathan ipse, Deus tamen clavum tenet*, & infra subdit: *Absolon incepto coitu Patris thorum polluens detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronuntiat*, & pluribus aliis in locis hoc idem repetit, nimirùm peccata hominum à Deo fieri ut à causa principali, quam blasphemam doctrinam Calvinus visus est accepisse à Zwinglio, Luthero, Melanthone, & aliis Hæreticis, siquidem Zwinglius serm. de provident. ad Cattorum Principem cap. 6. ait: *Quando facimus adulterium, aut homicidium Dei opus est motoris, authoris, impulsoris.* Et Lutherus in assertionibus impressis Wittenbergæ Anno 1520. art. 36. ait: *Mala opera in impiis Deus operatur:* Melanthon itidem ad cap. 8. Epist. ad Roman. ait: *Adulterium Davidis proditio Judæ ita est proprium opus Dei, sicut vocatio, & conversio Pauli.* Hos igitur cùm fuisset imitatus Calvinus dixit detestabile Absolonis scelus opus esse Dei, & Deum in omnibus sceleribus clavum tenere, seu esse causam principalem omnium scelerum, ac peccatorum quæ omnia cum impia sint, & blasphema rejicienda veniunt ut hæretica, cùm scriptura expressè asserat Sapient. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*, & Sapient. 14. *Odio est Deo impius & impietas ejus*, quòd si Deus nihil eorum odit, quæ ipse operatur, & ex scripturis odit peccatum sequitur manifestè non operari peccatum. Hinc D. Augustinus lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. expendens verba illa: *Jacob dilexi; Esau autem odio habui*, & quærens quomodo Deus potuerit odisse Esau, cùm dicatur nihil odisse eorum, quæ fecit, vel cur potiùs dixerit Jacob dilexi, Esau autem odio habui; post plura respondet ad sibi objectam difficultatem: *Qui nodus ita solvitur, ut intelligamus omnium creaturarum esse artificem Deum: Omnis autem creatura Dei bona est, & omnis homo, in quantum homo est, creatura est, non in quantum peccator; est ergo creator Deus & corporis, & animi humani neutrum horum malum, & neutrum odit Deus, nihil enim odit eorum, quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore: Deus vero & animo, & corpore utriusque effector, & conditor; nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum hominis inordinatio, atque perversitas, id est à præstantiore conditore aversio, & ad condita inferiora conversio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem:* hæc Augustini Authoritas, & doctrina funditùs sententiam evertit Calvini.

Quarta ratio sic procedit, quia quidquid Deus operatur, hoc sua voluntate operatur Psal. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit*, & Psal. 148. *Ipse mandavit, & creata sunt*, quibus textibus suffragatur Apostolus ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, atqui Deus certum est non velle peccatum, sed illud odisse, ac detestari, ac prohibere, eò quia divinæ naturæ consequenter & Dei voluntati repugnet, consequenter non potest Deus velle peccatum nec illud operari. Præterea quia si Deus operaretur peccatum, ut agens principale sicut asserunt Hæretici, & homo tantùm ut causa instrumentalis jam peccatum soli Deo potiùs tribueretur, quàm homini quod impiissimum est, siquidem in opere malo non instrumentum, sed operans principale meretur reprehensionem, instrumentum enim operatur in virtute principalis agentis, cui propterea attribuitur opus, ad quod concurrit instrumentum hinc sequeretur hominem perire, ac æternis addici suppliciis ob peccata ipsius Dei ut agentis principalis: hanc sequelam iniquè ferens Zwinglius dixit: *de hoc ipsum Deum interroga, ego enim non fui à consiliis.* Quinimò Calvinus lib. 1. Instit. cap. 10. §. 1. proponit quæstionem *quomodo Deus agens per reprobos nullam ex eorum vitio labem contrahat; imò in opere communi ab omni culpa sit immunis, ministros autem suos justè damnet.* Et ad hanc quæstionem sibi propositam respondet, se id nescire, & ait: *Vix capit sensus carnis:* nimirum ut Deum asserat authorem peccati propriam adfert ignorantiam; non erubuit propriam inscitiam, ut Deum assereret principale peccati agens, seu potiùs noluit veritatem agnoscere, ne Deo ignosceret, cumque desisteret authorem peccati fateri, Producit etiam ipse ad stabiliendam suam hæresin quia persæpe unum peccatum est pœna alterius: atqui certum est Deum velle pœnam peccati, ergo vult & ipsum peccatum, quod assumitur ut pœna peccati, major asseritur ab Augustino lib. 5. contra Julianum cap. 5. & colligitur etiam ex D. Paulo ad Roman. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt:* si enim Deus eos tradit in reprobum sensum ut peccent, peccatum est pœna peccati. Sed contra quia posterius peccatum male dicitur pœna prioris, sed tantùm laxo modo, & impropriè dici potest pœna prioris, quatenus Deus aliquando deserit, ac destituit hominem suo auxilio uberiori in pœnam præcedentis peccati, quo fit ut homo sine hoc uberiori auxilio faciliùs peccet, unde non ipsum peccatum, quod sequitur, est pœna peccati præcedentis, sed desertio quæ præcedit, & negatio uberioris auxilii, in quo sensu intelligitur textus D. Pauli. Secundò quia nonnunquam fit, ut

ut posteriori peccato annexa sit aliqua infamia, aliquis mœror intensus, & aliud simile incommodum, quod sit effectus ipsius peccati, ad quod sequitur, & tunc posterius peccatum non ratione sui, sed ratione mali annexi dicitur esse pœna prioris peccati. Solent tamen Hæretici objicere illud Isaiæ 45. *Ego Dominus & non est alter faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Verum inde non sequitur Deum esse Authorem peccati, quia ut respondent sancti Patres duplex distinguitur malum culpæ unum alterum pœnæ, prius negant esse à Deo, & posterius concedunt. Neque obstat, quod Calvinus asserat adulterium Absolonis fuisse malum culpæ, & tamen fuisse à Deo, siquidem negatur hoc malum esse à Deo, quia tametsi voluerit Deus prævisa mala voluntate Absolonis ea uti ad punitionem Davidis non tamen dedit illi malam voluntatem, sed eam permisit, ut explicat Augustinus lib. 5. de civit. cap. 8. inquiens: *A Deo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates*, & cap. 9. ait: *Sicut omnium creaturarum Creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum: malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt quæ ab illo est.* Et lib. de Spiritu & littera cap. 31. *Nusquam legimus non est voluntas nisi à Deo, & rectè non scriptum est, quia verum non est, alioquin etiam peccatorum quod absit Author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo, quoniam mala voluntas jam sola peccatum est etiam si desit effectus, id est si non habeat potestatem.* Instant Calvinistæ Deus permisit malam voluntatem, non dedit Absoloni: vel igitur volens permisit, aut nolens. Si nolens omnipotens non est, cum ipso nolentes res eveniat, quam potens non est impedire: si volens: ergo Deo volente peccata fiunt, quæ est ipsa Calvini sententia. Sed contra est quia tametsi Deus volens permittat malam voluntatem, & peccata ab illa fieri, non tamen Deo volente fiunt peccata: siquidem aliud est peccatum, & aliud permissio peccati; peccatum per se malum semper est; permissio peccati bona. Deus vult permissionem peccati ut est bona; non verò ipsum peccatum: unde sola permissio peccati fit Deo volente; non verò ipsum peccatum, quod malum semper est. Permissio peccati potest bona esse, ac à Deo volita, quatenus ex ipsa sequitur uberior pœnitentia, ac ferventior resipiscentia, qua qui peccavit ferventiori spiritu se Deo mancipat, cui inservit. Sed instant: Si peccatum non fit Deo volente, sequitur fieri Deo nolente, ac invito, consequenter Deus non est omnipotens, cum non valuerit impedire peccatum quod fit eo nolente, ac invito. Sed contra, quia velle & nolle sunt duo contraria; inter quæ dari medium potest, scilicet non velle: unde distinguenda sunt hæc tria; peccatum fit Deo volente; peccatum fit Deo nolente, & peccatum fit Deo non volente, duo priora falsa sunt; & ultimum admittitur ut verum, quia Deus non vult peccatum, quod tantùm permittit; ut in bonum aliquod eruat; hoc est discrimen inter non volens, & nolens; quia non volens dicit negationem volitionis; & nolens dicit negationem rei, quam quis non vult esse.

CAPUT III.

Ostenditur contra Calvinum, Deum non prædestinasse lapsum Adæ ut haberet occasionem miserendi, & puniendi.

NOn solum asserit Calvinus, Deum esse Authorem peccati, verùm etiam ab æterno decrevisse Adæ lapsum, ac omnium posterorum, eo fine ut inde desumeret occasionem ostendendi hominibus sua attributa, scilicet misericordiam in condonando, & justitiam in puniendo; illam in prædestinatos, qui post peccatum resipiscunt, hanc in reprobos, qui æternis addicuntur in gehenna suppliciis: hæc assertio est præcipuum fundamentum, cui innituntur errores Calvini, qua propter ut bene percipiatur indiget explicatione; etenim Deus ab æterno statuit quos Angelos, & homines vellet creare, & quem finem, ac scopus ipsis præfigeret, & rursus statuit quidquid toto decursus ab orbe condito usque ad consummationem sæculi per se vel per alios vellet agere, & hoc decretum quotidiè mandatur executioni; & quia cuilibet homini liberum indidit arbitrium, voluit omnes operari juxta illud, seu liberè; & quia ita creavit homines, ut eos destinaverit ad suam gloriam participandam voluit etiam iisdem impertiri media, quibus eandem gloriam assequerentur, & hæc media sunt auxilia sufficientia quibus omnes homines si vellent, possent sibi æternam salutem comparare, & quia Deus est omniscius ab æterno prævidit in signo posteriori ad decretum intentivum, quo vult omnibus hominibus suam impertiri gloriam, quinam sint abusuri suis auxiliis, & qui iisdem cooperaturi, ideo quos prævidit ab æterno esse in tempore bene operaturos, ac perseveraturos usque in finem vitæ in bonis operibus eos decreto executivo prædestinavit ab æterno ad gloriam; & quos prævidit abusuros suis auxiliis, & malè operaturos, ac impœnitentes ex hac vita decessuros, eos decreto executivo ab æterno reprobavit, quamvis & ipsos decreto intentivo in signo præcedente voluerit salvos fieri. Calvinus verò in primo signo & independenter à bonis, vel malis operibus asserit DEUM ab æterno ex toto humano genere alios ad vitam prædestinâsse, & alios ad mortem destinâsse ex sola sua voluntate, nullo ipsorum merito, aut demerito, & post hoc decretum ponit aliud, quo ait DEUM prædefinivisse media, quibus prædestinati vitam assequerentur, & præsciti ad æterna supplicia pervenirent. Et hæc sunt duo decreta Calvinistica, quibus innititur præcipua Calvini doctrina: siquidem ait ipse lib. 2. de Institut. cap. 31. §. 1. *Palam est DEI nutu fieri, ut aliis ultro offeratur salus; & alii ab ejus aditu arceantur.* Et infra subdit:

Digitized by Google

ſubdit: *Perplexa ut multis videtur quæſtio, quia nihil minus conſentaneum putant, quàm ex communi hominum turba alios ad ſalutem, & alios ad interitum prædeſtinari*, & §. 5. addit: *Prædeſtinationem vocamus æternum DEI decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: ſed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus eſt, ita vel ad vitam, vel ad mortem eſſe prædeſtinatum dicimus*, & §. 7. addit: *Ubicunque verò regnat hoc DEI placitum nulla in conſideratione veniunt opera.* Et rurſus cap. 23. §. 1. ait: *Minimè conſentaneum eſt præparationem ad interitum alio transferre, quàm ad arcanum conſilium DEI*, & §. 2. ait: *Homines nudo DEI arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædeſtinantur.* Et §. 5. ſubdit: *Dico eſſe à Domino creatos, quos in exitium ituros ſine dubitatione præſciebat, idque ita factum, quia ſic voluit*, & tandem §. 6. ait: *Ecce enim rerum omnium diſpoſitio in manu DEI ſit, cùm penes ipſum reſideat ſalutis, ac mortis arbitrium, conſilio, nutuque ſuo, ita ordinat, ut inter homines naſcantur ab utero certæ morti devoti qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent*, hæc habet Calvinus circa primum decretum, quo aſſerit DEUM ab æterno ex toto humano genere alios ad vitam prædeſtinaſſe, & alios ad mortem deſtinaſſe. De poſteriori verò decreto, quo DEUM vult prædefiniviſſe media, quibus prædeſtinati ad vitam, & præſciti ad ſupplicia æterna pervenirent, ait Calvinus lib. 3. Inſtitut. cap. 24. §. 12. *Quemadmodum ſua erga electos vocationis efficacia ſalutem ad quam eos æterno conſilio deſtinarat, perficit Deus: ita ſua habet adverſus reprobos judicia, quibus conſilium de illis ſuum exequatur. Quos ergo in vitæ contumeliam mortiſque exitium creavit, ut iræ ſuæ organa forent & ſeveritatis exempla, eos ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat: nunc ea prædicatione magis excæcat, & obſtupefacit.* Et paulò infra ſubdit: *Prædeſtinationi ergo ſuæ viam facit ſummus ille arbiter ubi quos ſemel reprobavit, lucis ſuæ communicatione orbatos deſerit in cæcitate*, & §. 14. ait: *Quid igitur prædicato ſibi verbo Dei non obtemperant reprobi, quippe id in malitiam pravitatemque cordis eorum rejicitur, modo ſimul adjiciatur: ideo in hanc pravitatem addictos, quia juſti, ſed inſcrutabili DEI judicio ſuſcitati ſunt ad gloriam ejus ſua damnatione illuſtrandam.* Hæc verò duo à Calvino decreta excogitata partim conveniunt inter ſe, & partim diſcrepant. Conveniunt enim, quia neutrum cauſam habet vel occaſionem ex parte hominis, ſed utrumque à ſolo DEI placito dependeat, quapropter ſi quæratur, quare DEUS alios ad mortem, & alios ad vitam prædeſtinaverit, & quidem ab æterno non aliter reſpondet Calvinus quàm quia ipſi placuit, ut oſtenderet in præſcitis, deſtinatis ad ſupplicia æterna ſuam potentiam, & juſtitiam, & in aliis prædeſtinatis ad gloriam ſuam proderet miſericordiam & oſtenderet bonitatem. Rurſus ſi quæras, cur tam prædeſtinatos, quàm præſcitos prædeſtinaverit ad peccatum omnes ſiquidem homines ceciderunt cum lapſu Adæ; reſpondet, quia ſine peccato exequi non poterat prius decretum. Niſi enim electi ad vitam peccâſſent, non potuiſſet DEUS in illis oſtendere ſuam miſericordiam in condonando iiſdem peccatum; & niſi reprobi pariter peccâſſent, non potuiſſet eos juſtè punire. Hinc ut haberet occaſionem juſtè puniendi reprobos & miſericorditer ſalvandi prædeſtinatos, voluit omnes peccato obnoxios: ex quo liquet quomodo hæc duo decreta diſcrepent: ſiquidem prius eſt cauſa poſterioris in genere cauſæ finalis, in priori enim decernitur finis, & in poſteriori ſtatuuntur media ad finem, nec quid aliud eſt finis in ſententia Calvini, quem DEUS ſibi propoſuit in geminis illis decretis niſi ut oſtenderet ſua attributa ſcilicet miſericordiam in condonando hominibus peccata, & juſtitiam ad illa punienda, neque alia media ad aſſecutionem illius finis poſuit DEUS in ſententia Calvini niſi efficere, ut omnes peccarent, & præſciti manerent in peccatis, ut juſtè illos puniret, & prædeſtinati reſipiſcerent, ut miſericorditer ſalvarentur. Quòd ſi quæratur unde nam Calvinus ſciat hujuſmodi decreta fuiſſe ab æterno à DEO elicita: ſiquidem decreta quæ à Principe ſtatuuntur tripliciter dignoſci poſſunt. Primò ab illis qui conſilio Principis interſunt, ejuſque ſunt Conſiliarii. Secundò ſi quis ab iiſdem qui conſilio Principis interfuerunt privatim illud intellexerit. Tertiò ſi decretum fuit publicè promulgatum, atqui certum eſt Calvinum non cognoviſſe hæc Dei decreta, eò quia ab æterno Dei conſilio aſſederit, neque quia ipſi ſoli privatim revelata hæc decreta Dei illi fuerint, & quia hæc eadem decreta non ſunt publicè promulgata, & affixa ſacris litteris, neque ab eccleſia Catholica declarata, ſequitur eſſe tantùm adinventa ab ipſo Calvino.

Quòd non ſint affixa ſacris ſcripturis fatetur ipſe Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 17. §. 2. ubi proponit hanc quæſtionem, & quærit quænam ſit voluntas Dei in adminiſtratione hujus mundi, & reſpondet illam eſſe nobis occultam. Verùm ipſe duplicem diſtinguit voluntatem unam quæ nobis innoteſcit in ſcripturis; alteram ignotam, qua mundus gubernatur, quam etiam vocat nobis occultam: de priori voluntate intelligit illud Moyſis Deuter. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum nec in cœlo ſitum*, & de poſteriori voluntate intelligit illud Pſal. 35. *Judicia tua abyſſus multa*, & illud ad Roman. 11. *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit?* ait Calvinus verùm niſi admittatur incomprehenſibili Dei conſilio quidquid in mundo accidit gubernari reſpondeant quorum dicat ſcriptura ejus judicia profundam eſſe abyſſum. Nam cum clamet Moyſes voluntatem non procul in nubibus, vel in abyſſis quærendam eſſe, quia familiariter in lege expoſita ſit, ſequitur profundæ abyſſo conferri aliam voluntatem abſconditam de qua etiam D. Paulus: *O profunditatem divitiarum, & ſapientiæ, & cognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini aut Conſiliarius ejus fuit.* Fatetur Calvinus Dei decretum, quo mundum hunc adminiſtrat occultum eſſe, & abſconditum, nec in ſacris literis contineri, ſed unde ſciverit Calvinus hunc eſſe modum gubernandi mundum, & unde ipſi potuerit innoteſcere Deum ab æterno decreviſſe, & voluiſſe ut per peccatum primi pa-

rentis patefieret via manifestandi justitiam in puniendo, & misericordiam in condonando, quia nullo fulcitur scripturæ testimonio, non alia potuit se ratione tueri nisi asserendo Dei decreta occulta esse. Quòd si occulta quomodo ipsi manifesta quomodo tam asseveranter illa asserit, cùm Sacræ Scripturæ nullum eidem suggerant verbum. Asserit Calvinus DEUM ex communi hominum massa suo decreto quosdam ad vitam prædestinâsse nulla ex meritis, & operibus hominum sumpta occasione, sed tantùm ex puro, & solo suo beneplacito, quod falsò & temerè asseritur à Calvino cum ipse alibi asserat parvulos decedentes sine baptismo salvari in fide parentum, ex quo sequitur DEUM in electione parvulorum habuisse respectum ad fidem hanc parentum. Præterea quomodo facta est electio, si Deus nullam ex nobis sumpsit occasionem eligendi unum præ alio, siquidem de ratione electionis est, ut unum præferatur alteri, & ne temerè quis eligat debet rationem aliquam habere ex parte electi, & ratione cujus præferatur alteri.

Secundò si Deus prædestinavit electos ex mero suo beneplacito nullo habito respectu ad nostra opera; oportuit prædestinationem factam fuisse ante prævisum peccatum originale, consequenter ante decretam Christi Incarnationem, ex quo sequitur prædestinationem non potuisse fundari in meritis Christi cùm nondùm intelligatur prævisus, & quia Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 24. §. 1. asserit: Nos in Christo electos esse, & lib. 2. cap. 12. §. 5. asserat Christum non fuisse venturum in carne, si Adam non peccâsset, neque ad alium finem nostram Verbum divinum assumpsisse humanitatem, quàm ut redimeret, homines, qui perierant, sequitur Calvinum non posse hic evadere, quin secum pugnet, & sibi contradicat, cum doceat DEUM ex solo suo beneplacito ex tota hominum multitudine aliquos prædestinâsse ad gloriam, & alios destinâsse ad supplicia æterna.

Quòd si electio ad vitam in sententia Calvini facta fuit ante prævisum peccatum, à fortiori ante decretam Verbi divini Incarnationem consequenter non fuit facta in Christo, nec in illius meritis fundata, quæ à Calvino non possunt conciliari. Rursus asserit, DEUM æterno suo decreto quosdam ad mortem, & damnationem destinâsse sine respectu absque prævisione unius mali operis, & tamen constat ex scripturis Deum statuisse totum humanum genus condere, ut particeps fieret æternæ beatitatis, & omnes eò perduceret, quantum est in se nisi homines ex propria malitia vellent aliò divertere, vult omnes homines salvos fieri quòd si vult omnes salutem consequi, ergo non decrevit obligare hominem ullum ad pœnam mortis. Est enim decretum Dei, quo quantum est ex se vult omnes homines æternam salutem consequi, absolutum ex parte actus, & conditionatum objectivè, nimirum si homines nolint abuti Dei gratia, & velint divinis auxiliis cooperari, alioquin perditio tua ex te Israel. Et tertium Dei decretum est, quo firmiter proposuit magis suam bonitatem, & misericordiam quàm justitiam, & sæveritatem circa nos ostendere.

Præterea asserit Calvinus Deum ideo prædestinâsse lapsum primi parentis, ac omnium posterorum, ut inde haberet occasionem ostendendi suam justitiam in puniendo, & misericordiam in condonando, quòd falsum est, quia si DEUS non sibi præfixit illum finem, quem intendunt Calvinistæ non potuit prædestinare media ad illum finem efficaciter obtinendum. Rursus liquet falsitas Calvinianæ assertionis ex illo Ecclesiastici 14. *Non dicas ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii*, hæc enim verba directè impugnant assertionem Calvinianam, qua asserunt DEUM implanâsse Adamum, eò quia necessarii erant ei homines impii, ut nimirum ostenderet suam justitiam in eorum punitione. Contrarium enim expresè asserit Scriptura Ecclesiastici 14. *Non dicas ille me implanavit*, & postea afferens causam subdit: *Quia non sunt necessarii ei impii*, unde mendacii redarguitur Calvinus asserens DEUM implanâsse Adamum, quia impii ei necessarii erant ad ostendendam ejus justitiam in eorundem punitione. Præterea Adam cùm suis posteris antequam peccaret, fuit justus bonus, & rectus, & constitutus in statu innocentiæ cum ornatu omnium donorum, & habituum supernaturalium, unde ex Calvino prædestinare Adamum ad peccatum nil aliud est, quàm velle ut ex justo fiat injustus ex bono malus, ex recto perversus; atqui non est justitia, non est bonitas, nec misericordia ex justo constituere injustum ex bono malum, ex recto perversum. Unde Fulgentius lib. 8. ad Monimum cap. 22. ait: *Ut ex malis fiant homines boni, & ex impiis justi laudanda est DEI misericordia; sed ut ex bonis fiant mali ex injustis iniqui, si divinæ prædestinationis asseritur causa, erit, quod absit vituperanda justitia. Quinimò nec justitia justa dicetur; si puniendum reum non invenisse dicatur. Major verò erit injustitia si lapso DEUS retri-*

buit

buit pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam. Non enim est exercitium misericordiæ ex justo impium facere, tametsi ad illum finem, ut eundem ab impietate possit liberare, hinc Augustinus lib. 3. confess. cap. 2. ait: *Malevolam benevolentiam omnino futuram, si quis miserum aliquem esse velit, ut illi misereatur.*

Rursus asserit Calvinus ex Adæ peccato duos fuisse effectus secutos scilicet amissionem liberi arbitrii, & peccatum originale, prima pars asseritur à Calvino lib. 2. Instit. cap. 2. ubi asserit *hominem arbitrii libertate nunc esse spoliatum, ac miseræ servituti addictum*, quinimò non solùm liberum arbitrium, sed etiam ejusdem nomen totaliter delere conatur. De peccato originali asserit lib. 2. Institut. cap. 1. §. 5. Postquam ergo in Adamo oblitterata fuit cœlestis imago non solus sustinuit hanc pœnam, ut in locum sapientiæ virtutis, sanctitatis, veritatis, justitiæ (quibus ornamentis vestitus fuerat) deterrimè cederent vestes, cæcitas, impotentia, impuritas, vanitas, injustitia. Sed iisdem quoque miseriis implevit suam progeniem, ac immersit. Hæc est hæreditaria corruptio, quam peccatum originale veteres nuncupàrunt. Quòd verò ad amissionem liberi arbitrii attinet, potest id dupliciter intelligi. Primò quòd amissum sit quoad opera supernaturalia, cujusmodi sunt credere, sperare, diligere, pœnitere. Secundò quoad opera naturalia civilia, qualia sunt comedere, bibere, ambulare, loqui, tacere, & alia id genus, & utroque sensu asseritur à Calvino per peccatum Adæ fuisse liberum arbitrium amissum hinc sequitur omnia, quæ ab hominibus fiunt sive sint opera civilia, naturalia, vel supernaturalia fieri Deo volente, & non tantùm permittente, & voluntatem Dei esse ipsam rerum necessitatem, ex quibus principiis sequitur omnia fieri Deo volente necessario, & non liberè, eò quia Dei voluntas necessitatem imponat rebus.

Hæc tamen Calvini doctrina repugnat scripturæ Sanctis Patribus, & rationi naturali: siquidem scripturæ apertè asserunt per perpetratum Adæ peccatum, hominem non amisisse liberum arbitrium etenim Genes. 4. ℣. 7. Deus ipse denunciat esse in potestate, ac dominio liberi arbitrii humani consentire vel dissentire appetitui, adeóque bene, vel malè agere: *nonne si bene egeris recipies sin autem male statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Deuteron. 30. ℣. 19. *Testes invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, elige ergo vitam ut & tu vivas.* Sin autem liberum arbitrium deletum esset in homine non posset unum eligere præ altero, & ex hoc loco S. Cyprianus lib. 3. ad Quirin. cap. 52. Ostendit credendi vel non credendi libertatem in hominis arbitrio positam esse. Eccles. cap. 21. Manifestè habetur ad meritum requiri libertatem non à coactione tantùm verum etiam à simplici necessitate, & asserit eum esse laudandum, *qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala, & non fecit*, in quem sensum ait Irenæus lib. 4. cap. 71. Qui operantur bonum gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum cùm possent non operari illud.

Hinc Concilium Constantiense anno 1414. sess. 8. damnat articulum Wicleffi docentis omnia de necessitate absoluta evenire, & Concilium Senonense sub Clemente Papa VII. celebratum Anno 1528. Tom. 4. Concilior. decreto. 15. ait: *Cum reliquerit Deus hominem in manu consilii sui apposueritque coram eo ignem, & aquam bonum, & malum: ut ad quodcunque voluerit porrigat manum suam, nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit transgredi & non est transgressus, & facere mala, & non fecit: quod sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius: ac denique percurrenti sacram scripturam passim obvium sit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium asseveret*, & tandem Concilium Tridentinum hanc arbitrii nostri libertatem plerisque in locis asserit, præsertim sess. 6. can. 4. ubi anathema dicens negantibus liberum hominis arbitrium motioni divinæ *posse dissentire si velit*; studiosè intendit salvare veram, & propriam arbitrii libertatem ad merendum necessariam quæ libertas stare non posset, si necessitate præveniretur determinante ad unam partem. Sancti Patres præsertim Augustinus lib. 3. de libero arbit. cap. 1. adstruunt in homine etiam post peccatum originale liberum arbitrium unde Augustinus probans contra Manichæos voluntatem nostram non agere naturali necessitate ait: *Qui motus si culpæ deputatur, non est utique naturalis, sed voluntarius* & paulò post ex confessione adversarii subditur: *Motus quo huc, atque illuc voluntas convertitur nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, neque laudandus cùm ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis.* Et lib. 2. de natura, & gratia contra Pelagium cap. 65. post medium approbans sententiam Divi Hieronymi ait: *Nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas est, ibi corona non est. Quis non agnoscat? Quis toto corde non suscipiat.* Et lib. de duabus Animabus contra Manichæos cap. 11. ait: *Neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest: non ne ista cantant, & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & Antistites in sacris locis; & in orbe terrarum genus humanum?* Tertullianus adversus Marcionem lib. 2. cap. 5. post medium, & cap. 6. per totum ait: *Quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas arbitrii* & paucis interjectis addit. *Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando. Cæterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate.* Hoc idem disertè asserunt, ac evincunt reliqui Sancti Patres præsertim uterque Clemens Romanus, & Alexandrinus, Ignatius, Dionysius, Justinus, Irenæus, Cyprianus, & plures alii. Idque nervosè evincit etiam ratio naturalis: quia vel Adamus antequam peccaret habuit liberum arbitrium, & aliquem illius usum, vel non: si non habuit: ergo per peccatum non potuit illud amittere, nemo enim dicitur illud amittere, quod nunquam possedit, nec habuit: si antequam peccaret habuit liberum arbitrium, & usus est libertate; vel usus est Deo volente, vel permittente: si Deo volente ergo voluntas Dei non est necessitas rerum, cum non necessitaverit Adæ voluntatem ad peccandum. Si Deo permittente: ergo non omnia fiunt Deo volente;

lente; ſed aliquando permittente. Conſequenter non omnia, quæ fiunt ab homine ex neceſſitate fiunt; ſed ex hominis libertate id permittente Deo. Præterea ſi voluntas DEI eſt neceſſitas rerum, liberum arbitrium non peccato primi parentis, ſed decreto DEI adigentis, ac ejus voluntate ſublatum eſſet: conſequenter neque Adamus in paradiſo, nec dæmones ante peccatum habuerunt liberum arbitrium; quod ſi non fuerunt liberi, quomodo dicuntur peccâſſe? cum peccatum ex libertate oriatur, non ex neceſſitate.

Præterea ſequitur, nullibi unquam fuiſſe liberum arbitrium neque in cœlo, neque in terra, quia omnia quæ fiunt in cœlo, & in terra DEO volente fiunt, & cum voluntas DEI in ſententia Calvini ſit neceſſitas rerum, quæ fiunt: ſequitur liberum arbitrium nullibi unquam fuiſſe; quod tamen nequit Calvinus concedere, niſi velit ſibi contradicere. Siquidem verba Calvini ſunt: *Potuit Adamus ſtare, ſi vellet, quando non niſi propria voluntate cecidit*, quod ſi potuit non peccare; jam liberè peccavit; non peccaſſet autem; ſi voluntate Dei adigente ad lapſum cecidiſſet; id enim mihi non datur culpæ ad quod neceſſitor, & quod non poſſum evitare; tametſi velim, & coner effugere. Demum petatur à Calviniſtis ſi pro ſuo arbitratu poſſint ſurgere, ſedere, ambulare, comedere, bibere, loqui, tacere, matrimonium inire, merces diſtrahere, & alia hujusmodi agere pro ſuo beneplacito; ſi id negent, ſibi contradicunt, cum experiantur poſſe ad beneplacitum ſedere, ſurgere, loqui, tacere: ſi concedant: ergo fatentur non omnia ab ipſis fieri ex neceſſitate, ſed plura ex libertate; conſequenter tenentur concedere, liberum arbitrium non fuiſſe in hominibus extinctum per peccatum Adæ. Quod verò ad ſecundam partem propoſitionis attinet certum eſt, & catholici concedunt ex peccato Adæ derivari in omnes homines peccatum originale, qui propterea naſcuntur filii iræ; & David Pſal. 50. ajebat: & in peccatis concepit me mater mea: ſed Calvinus in hac aſſerenda veritate inconſtans, & varius eſt. Interdum docet, infantes fidelium ab utero matris ſanctos eſſe, & in promiſſione fœderis contineri.

Quòd ſi quæratur à Calvino, quomodo poſteri contrahunt originale peccatum ab Adamo; non poteſt aliter reſpondere, niſi ſacris innitendo ſcripturis ad Roman. 5. *In omnes mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Ad Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ, ficut & cæteri:* quæ verba Apoſtoli non ſolum de filiis infidelium, ſed etiam fidelium communiter à S. S. Patribus intelliguntur: & nihilominus non omnes ex utero matris, fuerunt ſancti: etenim Eſau, David, Paulus, filii fuerunt fidelium, & tamen ex utero matris non fuerunt Sancti: etenim de Eſau habetur ad Roman. 2. *Eſau odio habui*; de Davide ait ipſe de ſe Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus, & in peccatis concepit me mater mea.* Et D. Paulus ſcribit ad Epheſ. 2. *Eramus naturâ filii iræ.* Demum ſi fidelium filii ſancti eſſent ex utero, ad quid nati ſuſciperent baptiſmum? & tamen Chriſtus Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Huc ſpectat illud D. Hieronymi epiſt. 7. ad Lætam ubi ſcribit: *Chriſtianos non naſci ſed fieri*; & D. Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiſ. cap. 26. ait. *Non ſolum igitur regnum cælorum, ſed nec vitam parvuli habebunt, quam niſi per baptiſmum ejus habere non poſſunt.* Imo ſibimet contradicit Calvinus aſſerens parvulos fidelium ſanctos eſſe ex utero matris; & poſtea aſſerens originale peccatum manere in nobis, quamdiu in hac vita ſumus, neque per baptiſmum tolli, ut ipſe expreſsè docet lib. 2. Inſtit. cap. 1. §. 8. ubi poſt deſcriptum peccatum originale ait: *Hæc perverſitas nunquam in nobis ceſſat:* & lib. 4. cap. 15. §. 10. ſubdit. *Jam perſpicuum eſt, quam falſum ſit, quod docuerunt pridem nonnulli, in quo alii perſiſtunt, per baptiſmum ſolvi nos, & eximi à peccato originali:* & in Antidoto concilii Tridentini ad ſeſſ. 5. ait: *Perinde manet verè peccatum in nobis, neque per baptiſmum ſtatim uno die extinguitur: ſed quia deletur reatus, imputatione nullum eſt.* Quod à Calvino ita intelligitur, ut peccatum originale, quatenus habet rationem peccati, culpæ, averſionis à Deo, verè maneat in renatis, quamvis iiſdem non imputetur. Quod maneat peccatum ipſe fatetur cum dicit: *Manet verè peccatum in nobis, neque per baptiſmum extinguitur:* neque aliud intelligi poteſt, peccatum remanere, quàm pſum peccatum ut habet rationem peccati perſeverare in nobis? quia ſine ratione peccati non habetur peccatum.

Quòd verò peccatum originale ſub ratione peccati non ampliùs maneat in baptizatis, ſed per aquam baptiſmi totaliter extinguatur, ac deleatur, eſt probatu facile, quia ſcriptura hoc ſatis apertè adſtruit Joan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Scriptura ait peccatum tolli, & Calvinus ait non tolli, propterea contradicit ſcripturæ ſacræ. Rurſus ſcriptura, aſſerit: *eos qui in Chriſto juſtificati ſunt nihil habere in ſe damnationis, eſſe Deo reconciliatos, ſanctos, immaculatos, irreprehenſibiles, mundatos ab omni peccato.* Calvinus verò aſſerit, juſtificatos in Chriſto adhuc eſſe peccatores, ac peccatum in iiſdem revera manere. Demum ſcriptura affirmat, majorem vim & efficaciam habere gratiam Chriſti, quàm peccatum Adæ; Calvinus autem hoc inficiatur; quia in ejus ſententia peccatum Adæ re ipſa potuit perdere totum humanum genus, & juſtitiam delere originalem; & tamen gratia Chriſti non poteſt penitus delere peccatum originale, quod ait permanere in juſtificatis. Rurſus extenuat, infirmatque efficaciam baptiſmi, ac meritorum Chriſti. Non enim homo dici poſſet renaſci ex baptiſmo, ſi poſt baptiſmum adhuc maneret in ſtatu peccati: rurſus ſcriptura & SS. Patres non poſſent aſſerere baptiſmum fuiſſe præfiguratum in circumciſione, mari robro, Jordane ſanante lepram, probatica piſcina, ſi non adſit proportio in effectu: ſiquidem in circumciſione verè abſcindebatur caro; in mari rubro verè ſubmerſi, & ſuffocati perierunt Ægyptii; in aquis Jordanis verè fuit Naaman Syrus mundatus à lepra, & in probatica piſcina verè curabantur infirmi à languoribus, morbisque ſuis: cur ergo per lavacrum baptiſmi non deletur totaliter, ac vere peccatum originale? ſi Naaman Syrus verè aquis ablutus Jordanis mundatus fuit à lepra, cur per aquam baptiſmi non mundantur baptizati à peccato originali? ideo credi-

Digitized by Google

credimus Naaman ſyrum fuiſſe mundatum aquis Iordanis à lepra quia ſcriptura, quæ nos fallere non poteſt, id aſſerit, 4. Reg. 6. *Reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt*: ſed eadem ſcriptura aſſerit per baptiſmum nos mundari totaliter à peccato originali 1. Petri 2. *ſicut modo geniti infantes* 1. Joann. 1. *Sanguis Chriſti mundat nos ab omni peccato.* Præterea aſſerit Calvinus, per baptiſmum deleri reatum; quæritur an deleatur culpa, ſeu ratio peccati, an verò dignitas pœnæ, ſeu obligatio pœnæ ſubeundæ, quæ fundatur in ipſa culpa; utrumque enim poteſt intelligi, & in utroque errat Calvinus: ſi pro reatu, qui deletur per baptiſmum, culpam intelligit: ergo culpa, & ratio peccati originalis per baptiſmum deletur, proinde vera ſunt verba Concilii Tridentini; *Si quis aſſerit non tolli id, quod verum, & proprium rationem peccati habet, anathema ſit*: & falſa ſunt Calvini verba: *manet ergo peccatum in nobis, neque per baptiſmum extinguitur.* Sin verò per reatum, qui deletur, intelligatur dignitas pœnæ, ſeu obligatio ad ſubeundam pœnam: ergo quandò Calvinus aſſerit reatum tolli, & peccatum manere, vult peccatum manere, ſeu culpam perſeverare in homine juſtificato, & tolli dignitatem pœnæ, quod eſt impoſſibile; quia qui verè culpabilis eſt, verè eſt dignus pœna, quæ pediſſequa eſt culpæ; neque fieri poteſt, ut manente culpa non maneat dignitas pœnæ ſeu obligatio pœnæ ſubeundæ. Præterea aſſerit Calv. reatum peccati originalis deleri per baptiſmum: ſed infantes fidelium vere baptizantur: ergo in iiſdem per baptiſmum tollitur reatus peccati originalis, quod ſi tollitur: ergo ante baptiſmi ſuſceptionem aderat in illis reatus peccati, quia ſi non adfuiſſet, non poſſet deleri, nec auferri, illa enim macula dicitur deleri è veſte, quæ veſtem inficiebat, & in ipſa vere aderat; unde ſi reatus peccati originalis per baptiſmum deletur in infantibus fidelium: ergo ante baptiſmum aderat: quando ergo aſſerit Calvinus, infantes fidelium eſſe ſanctos, & juſtos, & jam receptos in fœdere promiſſionis in utero matris.

Præterea falſum eſt, quod ait Calvinus, peccatum originale poſt baptiſmum manere quidem in nobis, ſed à Deo non imputari, Quia ſi perpendamus, quid ſit peccatum nobis non imputari; procul dubio nihil aliud eſt, quam peccatum originale reverâ poſt baptiſmum perſeverare in nobis ſub ratione peccati, alioquin non maneret peccatum; ſed à Deo non cenſeri pro peccato; ideo enim non imputatur nobis, quia non cenſetur nobis ineſſe, innocenti dicitur non imputari ſcelus, quia non cenſetur in ipſo, ſed hoc pacto non poteſt à Deo peccatum non imputari, quia ex ſuppoſitione, quod maneat, non poteſt à Deo judicari niſi ut reverâ eſt in ſe, ac manet poſt baptiſmum: ſicut perperam judicaret medicus, ægritudinem non eſſe imputandam, ſeu non ineſſe ægroto, qui de facto illa laboraret; ait Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 3. ubi agit de imputatione. *Ut pro juſtis à Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus*, vult juſtitiam nobis non ineſſe, & tamen à Chriſto cenſeri, ac ſi eſſet: *ut pro juſtis à Chriſto cenſeamur*, qui in nobis reverâ juſti non ſumus, quod perinde eſt ac aſſerere, nos verè eſſe injuſtos, & peccatores, & tamen à Chriſto cenſemur juſti: unde per Calvinum nihil aliud eſt peccatum non imputari, quam peccatum eſſe quidem in homine, & tamen à DEO cenſeri, ac ſi non eſſet: vel hominem eſſe quidem peccato infectum, ſed tamen à Deo cenſeri mundum, & abſque peccato: An non id perinde eſt, ac aſſerere, DEum non vere judicare res, ut ſunt in ſe? Quod adverſatur ſcripturis ad Roman. 2. Judicium *Dei eſt ſecundum veritatem.* Calvinus autem aſſerit, DEum non judicare ſicut res in ſe ſunt, ſiquidem qui peccatores, & injuſti ſunt, eos judicat, ac cenſet juſtos, & immaculatos. Rurſus ſcriptura expreſsè aſſerit, Deum odiſſe impium, & ejus impietatem, *odio ſunt Deo impius, & ejus impietas*, & Calvinus contrarium fatetur, ſcilicet DEum non odiſſe eos, qui verè in ſe ſunt peccatores, & injuſti, ſed eos ſuo proſequi favore, & gratia, ac habere pro amicis, ac diſſimulare, ac tegere eorum peccata, ne appareant, ac iiſdem imputentur. Præterea ſcriptura aſſerit nullam eſſe ſocietatem luci ad tenebras, nullam participationem juſtitiæ cum iniquitate. Calvinus verò in eodem homine ſimul nectit, & conſociat juſtitiam Chriſti imputativam, & peccati originalis iniquitatem. Demum non ſcripturæ tantum, ſed etiam ſibi ipſi Calvinus contradicit, ſiquidem aſſerit ipſe, baptiſmum tollere peccatum, & hoc efficere, ut peccatum, quod reverâ eſt peccatum, non amplius imputetur poſt baptiſmum, qui ante baptiſmum erat, & cenſebatur injuſtus Deo, poſt baptiſmum cenſeatur juſtus, quod ſi res ita ſe habet, ergo filii fidelium ante baptiſmum erant peccatores, & tales à Deo cenſebantur, & tamen Calvinus expreſsè aſſerit, filios fidelium ante baptiſmum ab utero materno eſſe ſanctos, juſtos, ac in fœdere promiſſionis coram Deo, quapropter ſibi ipſi evidenter contradicit. Præterea Calvini ſententia ex ejuſdem principiis evertitur, ait enim, depravationem, ſeu corruptionem naturæ eſſe peccatum originale, & hanc corruptionem in eo conſiſtere, quod potentiæ hominis præſertim intellectus, voluntas, & appetitus ſenſitivus ob primi parentis peccatum ſpoliatæ fuerint donis ſupernaturalibus, ſeu ſapientia, ſanctitate, juſtitia, virtute, conſequenter pronæ remanſerint ad mala, adeo, ut intellectus tenebris obvolutus ignorantiæ proclivior ſit ad falſitatem, & errorem, voluntas ad odium, & invidiam appetitus concupiſcentiæ pronior ad carnalia, & terrena deſideria, hæc enim proclivitas potentiarum in homine dicitur à Calvino peccatum originale, quod propterea definitur pronitas, & concupiſcentia ad malum, & quia hæc concupiſcentia poſt baptiſmum in nobis manet, ut nos experientia edocet, ideo infert manere in nobis etiam peccatum originale. Secundum fundamentum eſt, quia aſſerit, has potentias non ſanari in juſtificatione per aliquod donum intrinſecum, & inhærens, conſequenter manere in eodem ſtatu poſt juſtificationem, in quo erant ante juſtificationem, & tantum ob externam Chriſti juſtitiam nobis non imputari, quæ duo falſa ſunt; & per ſe corruunt, quia tametſi verum ſit, per Adæ peccatum potentias animæ fuiſſe in hominibus ſpoliatas donis ſupernaturalibus, ut etiam docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 85. art. 3. aſſerens: Quatuor vulnera inflicta per peccatum primi parentis fuiſſe humanæ naturæ, ſcilicet ignorantiam intellectus, malitiam voluntatis, infirmitatem appetitus iraſcibilis, & concupiſcentiam appetitus concupiſcibilis. Et quamvis verum ſit, hanc pronitatem ad illicita perſeverare in iiſdem potentiis poſt baptiſmum, non tamen hæc pronitas potentiarum, & concupiſcentia appetitus, quæ manet in nobis, eſt peccatum originale, quia

est certum de fide, ut superius probavimus, peccatum originale totaliter extingui in ratione peccati per aquam baptismi: Quod si tollitur, & totaliter deletur, & post baptismum experimur in nobis concupiscentiam, sequitur evidenter, hanc non posse esse peccatum originale, sed eius tantum esse effectum, ut notat D. Augustinus *lib. 1. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 13.* Præterea: falsum est, potentias animæ per justificationem non sanari beneficio donorum supernaturalium, quia tametsi appetitus sensitivus deperditam originalem justitiam amplius non acquirat, nec homo iterum restituatur statui innocentiæ, in ipso tamen intellectus & voluntas sanantur; ille per habitum fidei, & hæc per habitus spei & charitatis, quamvis non ita sanentur, ut omnes inordinati actus concupiscentiæ censeantur sublati, sed dicuntur sanari, quatenus possunt obsistere motibus concupiscentiæ, & peccatum fugere, in quo sensu dixit Christus D. Paulo 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*: Nam virtus in infirmitate perficitur. Quod enim voluntas per habitum charitatis sanetur, clarum est ex illo ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quod si voluntas per habitum charitatis, seu justificationem eidem inhærentem sanatur, nequit in voluntate perseverare peccatum, quod non potest simul cohærere cum justificatione, quia hæc constituit hominem filium Dei adoptivum, & illud Deo inimicum, à Deo aversum. Et præterea cum justificati nequit in nobis manere peccatum originale, quia in sententia Calvini tria in nobis efficit, scilicet statuit nos reos iræ divinæ, ac æternæ damnationis, estque origo omnium flagitiorum, & conquinat omnia nostra opera, quæ propterea immunda sunt, quæ tria nequeunt cohærere cum ipsa justificatione. Quod hæc tria asserantur à Calvino, liquet lib. 2. Institut. cap. 1. §. 8. ubi ait: *Videtur ergo peccatum originale hæreditaria naturæ nostræ pravitas, & corruptio in omnes animæ partes diffusa, quæ primum facit nos reos iræ Dei: tum etiam opera in nobis profert, quæ scriptura vocat opera carnis, & lib. 3. cap. 14. §. 9. ait: Habemus nec ullum à sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem.* Et quamvis peccatum originale nos reos constituat, attamen per baptismum justificatos, ac propterea efficiat reos iræ divinæ, & dignos æterna damnatione, quod tamen contradicit Calvino asserenti, filios fidelium ex utero materno esse sanctos ac receptos in fœdere promissionis Abrahæ: & verum etiam sit peccatum originale in eis, in quibus adhuc perseverat, seu in quibus per baptismum nondum est deletum, origo sit plurium scelerum, quod etiam adversatur Calvino alibi asserenti: Omnia, quæ fiunt ab hominibus, fieri Deo volente, consequenter Deum esse causam, & authorem, ac originem nostrorum operum sive bona sint, sive mala, ideo sequitur, peccatum originale non posse esse originem in eius sententia operum, quæ mala sunt, cum originem omnium peccatorum refundat ipse in Deum. Adhuc falsum est, omnia opera nostra conquinari, fœdari, ac fieri à peccato originali: siquidem plura certum est fieri ab hominibus infidelibus opera, quæ tametsi meritoria non sint coram Deo vitæ æternæ, sunt nihilominus moraliter honesta, nec quidquam turpitudinis habent adiunctum, si fiant recta voluntatis intentione. Non enim Ægyptias Obstetrices censendum est male egisse, quando infantes Hebræorum perimere noluerunt; nec credendum est, exercitum Nabuchodonosoris peccâsse, quando fideliter suo Regi inservivit injusto bello contra Tyrum, cum utrumque approbaverit Deus, ac mercedem bonam rependerit, ut ait D. Hieronymus inquiens *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint non absque mercede, Dei judicio præteriri.* Cæterum peccatum originale post baptismum non amplius manet, nec quidquam damnationis relinquit baptizatis, qui beneficio baptismi sunt sancti immaculati, irreprehensibiles, ac sectatores bonorum operum.

Quod etiam Calvinus asserat, ob peccatum originale omnes homines etiam post baptismum esse injustos coram Deo, & omnia eorundem opera esse peccata mortalia, & neminem esse justum justitia intrinsece illi inhærente, & legem divinam esse observatu impossibilem, sunt etiam tria veritate omnino aliena, & opposita sacris scripturis. ait ipse l. 2. Instit. cap. 1. § 8. Omnes homines injustos esse coram Deo inquiens: *Sic omnibus naturæ nostræ partibus vitiati perversique, jam ob talem duntaxat corruptionem damnati merito, convictique coram Deo tenemur, cui nihil est acceptum nisi justitia, innocentia, puritas.* L. 3. 9. *Hinc tantum brevitas attingere [illegible] totum hominem quasi diluvio a capite ad pedes sic [illegible] obrutum, ut nulla pars a peccato sit immunis, proinde quidquid ab eo procedit, in peccatum imputari.* [illegible] *Paulus, omnes affectus carnis, vel cogitationes esse inimicitias adversus Deum, & ideo mortem.* Secunda pars asseritur l. 3. c. 11. § [illegible] *Nos justificationem imponere vice peccatum acceptionem, nempe qua [illegible] in gratiam receptos pro justis habet, eamque [illegible] remissione ac justitiæ Christi imputatione positam esse.* [illegible] 3. *Cum itaque nos Christi intercessione [illegible] justificet Deus, non [illegible] innocentes approbatione, sed justitiæ imputatione [illegible], ut [illegible] pro justis in Christo censeamur, qui non [illegible] sumus.* Tertia pars asseritur lib. 2. cap. 7. § [illegible] *Quod autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul, & confirmandum: solet perinde vulgo absurdissima sententia videri: ut Hieronymus non dubitaverit anathema illi denuntiare. Quid visum sit Hieronymo nihil moror.* Quæ omnia falsa sunt, & opposita scripturis sacris, siquidem Luc. 1. legimus: *Erant autem justi ambo ante Deum*, ergo falsum est, omnes nos coram Deo esse injustos. Præterea Job fuit vir justus, & rectus coram Deo ex ipsa Dei confessione. Rursus falsum est, omnia opera nostra opera esse peccata lethalia, cum Apostolus 1. Corinth. 7. dicat: *Si uxorem acceperis, non peccasti.* Quod si uxorem ducere in sententia Calvinistarum est peccatum, & quidem lethale, non debent ipsi persuadere Monachis, ut uxorem ducere, non igitur omnia opera bonorum sunt peccata lethalia, cum dicat D. Petrus 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Præterea si omnia opera nostra essent peccata, inde sequeretur, quod cum Calvinistæ dicuntur justificari, peccarent lethaliter, & per peccata justificarentur: siquidem fide justificantur, quæ est opus Dei, ut liquet ex illo Ioan. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Præterea asserere cum Calvino, nullum esse justum justitia inhærente, etiam adversatur scripturæ ad Rom. 5. ubi Apostolus scribit: *Sicut per inobedientiam Adami peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam Christi justi constituuntur multi.* Rursus falsum est, quod ait Calvinus, præcepta legis divinæ esse servatu impossibilia, hæc siquidem propositio ut temeraria, impia, blasphema anathemate

dam-

damnata, & hæretica fuit declarata, & damnata ab Innocentio Papa X. ait enim Calvinus lib. 2. Inſtitut. cap. 7. *Sic extra controverſiam impoſſibile eſſe in hac carne legis implementum*, quod, quam falſum ſit, liquet ex ſcripturis, etenim Deuter. 30. v. 7. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neq; procul poſitum, ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, quem textum Apoſtolus Paulus ad Roman. 6. v. 6. applicat poſſibilitati fidei. Rurſus Luc. 1. *Erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini*, Quod ſi incedebant in omnibus mandatis, ergo fideliter obſervabant omnia mandata, & præcepta legis, quæ propterea non ſunt ſervatu impoſſibilia, quia Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & neminem perire, ſuppeditat vires, & auxilia, quibus ſervari ſua præcepta poſſint. Rurſus Luc. 19. v. 21. *Regnum Dei intra vos eſt*, ſcilicet, ut interpretatur Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 35. *In manu, & poteſtate veſtra*, quod ſi regnum Dei eſt in poteſtate hominis jam legis præcepta ſunt ſervatu poſſibilia, cum homo non niſi per legis obſervantiam poſſit regnum Dei poſſidere 1. Joan. 5. v. 3. *Mandata ejus gravia non ſunt*, eſſent autem graviſſima, & intolerabilia, ſi forent obſervatu impoſſibilia Math. 11. v. 8. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, quomodo ergo eſſet ſuave, ſi impoſſibile, quomodo leve, ſi intolerabile: hinc Apoſtolus ad Corinth. 10. v. 13. ſcribit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*: atqui pateretur, nos tentari ſupra vires, imò & ipſe tentaret ſupra id, quod poſſumus, ſi impoſſibilia injungeret ſervanda, & ad quæ vires nobis non ſuppetunt, Adverſatur etiam Conciliis præſertim Arauſicano II. de gratia, & libero arbitrio contra Pelagium, & ejus reliquias celebrato ſub Felice IV. anno Chriſti 529 & poſtea à Bonifacio II. confirmatum an. 530. In hoc igitur Concilio can. 25. poſt medium habetur: *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia omnes baptizati Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint adimplere.* Unde nulli baptizatorum ex Concilio Arauſicano Dei præcepta ſunt obſervatu impoſſibilia, imo neq; iis, qui reprobi ſunt, & obdurati. Hinc etiam Tridentinum ſeſſ. 6. c. 11. vocat propoſitionem Calvini temerariam ſub anathemate prohibitam, ait enim: *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Si igitur Deus adjuvat, ut poſſimus utique præſentem nobis, & expeditam ſuppeditat adjuvantem gratiam, cujus beneficio poſſumus ejus legem adimplere. Rurſus Concilium Tridentinum ibidem can. 18. ait: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Rurſus ſancti Patres hoc idem docent D. Baſil. tom. 1. in orat. *Attende tibi* ſub init. ait: *Impium eſt, aſſerere, præcepta Spiritus S. impoſſibilia eſſe obſervatu.* D. Hieronymus tom 6. in Matth. cap. 5. expreſſe ait in fine: *Sciendum eſt, Chriſtum non impoſſibilia præcepiſſe, ſed perfecta.* Et rurſus in expoſitione fidei ad Damaſ. ait: *Maledictus, qui dicit, Deum impoſſibilia præcepiſſe*: ab hac autem maledictione ſe ſatis exemptum cenſuit Calvinus cum *lib. 2. Inſtit. cap. 7.* frigidè reſpondet, eſſe hominis ſententiam, adeoq; inane fulmen. Rurſus Auguſtinus ſerm. 191. de tempore ſub fin. ait: *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis ſed ab omnibus in commune ſervari poſſe*, & rurſus in Pſal. 56. ſub init. explicans locum Joan. 15. de dilectione proximi ait: *Neq; imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile eſſe judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si conſiderans infirmitatem tuam, deficis ſub præcepto, confortare in exemplo: ſed etiam ſi exemplum ad te multum eſt; adeſt ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat, & auxilium*, Si igitur Deus ſuum nobis ſuppeditat auxilium, ne deficiamus ſub præcepto, ſequitur, mediante Dei auxilio eſſe legis præcepta obſervatu poſſibilia. Hoc idem etiam repetit l. 2. de peccator. merit. & remiſſ. c. 3. ſub init. inquiens: *Quod ſi nolumus, non peccamus; nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati.* Rurſus de natur. & grat. c. 69. ait: *Eo ipſo quod firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*, & Rurſus l. 1. de Geneſ. c. 3. contra Manich ait: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium, ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt, quod omnes homines poſſunt, ſi velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Ex quibus omnibus ſatis expreſſè conſtat contra Calvinum, Dei præcepta non eſſe ſervatu impoſſibilia.

Quinimò aſſerit Calvinus, Deum etiam mandare, urgere, impellere Sathanam, ut homines ad peccandum inducat, ait enim ipſe l. 1. Inſtit. c. 18. §. 1. *Scimus, Sathanam ſe coram Deo ſiſtere ad excipienda juſſa, non minus quam Angelos, qui ſponte obediunt, diverſo quidem id modo, & fine, ſed tamen ne quid aggredi poſſit, niſi volente Deo.* Et infra: *Ergo quidquid agitent homines, vel Sathan ipſe, Deus tamen clavum tenet, ut ad exequenda ſua judicia convertat eorum conatus. Vult Deus perfidum Regem Achab decipi: operam ſuam offert Diabolus ad eam rem mittitur cum certo mandato, ut ſit Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Et infra: *Ridiculum eſſet, Judicem tantum permittere, non etiam decernere, quid fieri velit, & mandare executionem Miniſtris.* Et §. 2. *Fateor quidem interpoſita Sathanæ opera ſæpe Deum agere in reprobis, ſed ut ejus impulſu Sathan ipſe ſuas partes agat, & perficiat, quatenus datum eſt.* Et infra: *Dicitur, Sathan excæcare infidelium mentes; ſed unde hoc niſi quod à Deo ipſo manat efficacia erroris.* Et l. 2. c. 5. §. 2. *Propriè ergo agere dicitur Sathan in reprobis, in quibus regnum ſuum, hoc eſt nequitiæ exercet, dicitur Deus ſuo modo agere, quod Sathan ipſe (inſtrumentum cum ſit iræ ejus) pro ejus nutu, ac imperio huc, atq; illuc ſe inflectit ad exequenda ejus juſta judicia.* Hoc autem Calvini propoſitio impia, & hæretica eſt, & ſacris adverſatur ſcripturis, Eccleſiaſt. 15. 21. dicitur: *Nemini mandavit Deus impiè agere*, unde quæri poteſt ex Calvino, an Diabolus impiè agat ex Dei mandato, hominem incitat ad peccatum: ſi dicatur, quod impiè agat, ſequitur, Deum ei injungere, ut impiè agat, conſequenter citata ſcripturæ verba non ſunt vera: Sin autem impiè non agit, ſequitur Diabolum multa debere Calvino, quem ſuæ iñocentiæ patronum habet, ac defenſorem. Præterea ſcriptura de Diabolo ait Joann. 8. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & Pater ejus*: Sed Calvinus aſſerit, cum loquitur mendacium, non loquitur ex propriis, ſed ex Deo, eo, quia tunc in ejus ſententia loquitur ex Dei mandato, & inſtinctu, & ut ait Calvinus *à Deo ipſo manat efficacia erroris, & mendacii*. Unde in ejus ſententia non Diabolus, ſed Deus eſt Pater mendacii, cujus Deus

eſt cauſa principalis, & Diabolus tantum inſtrumentum. Præterea ex Calvini ſententia ſequitur, mandata Dei eſſe contraria: ſiquidẽ mandat Diabolo, ut inducat hominem ad peccandum; & è converſo mandat homini, ut non peccet, ſed reſiſtat Diabolo, imò ſequitur, mandata Dei, quibus præcipit peccata, ſuam à Deo habere efficaciam, quia ſemper ſuum ſortiuntur effectum, ut aſſerit Calvinus, mandata autem, quibus vetat peccata, & præcipit virtutes, non habere efficaciam à Deo, eo quia non ſemper ſuum ſortiantur effectum: rurſus ſequitur in ſententia Calv. Deũ eſſe promptiorem, ac propenſiorem ad mala, quam ad bona, quia mala, quæ præcipit, ſemper eveniunt; non ita bona, quæ non ſemper contingunt & quod illa eveniant, & hæc non contingant, dependet ex ſola Dei voluntate, ac beneplacito: rurſus ſequitur, Deum plus tribuere Diabolo, quam bonis Angelis: ſiquidem quando mandat Diabolo, ut homines inducat ad peccandũ, efficaciter cum illo concurrit: quando autem mandat Angelis, ut ſuadeant hominibus exercitia virtutum, cum homines non ſemper virtutes exerceant, non concurrit cum Angelis bonis efficaciter, quod ſignificavit Calv. hiſce verbis. *Scimus Sathan ſe coram Deo ſiſtere ad excipienda juſſa non minus quam Angelos: diverſo quidem id modo & fine*, ita ille lib. 1. Inſtit. c. 18. §. 1. cit. Quod ſi petas, qualis ſit hic diverſus modus, reſpondet Calvinus, quia Dæmon non ſolum excipit juſſa divina, ſed etiam ad effectum ea perducit manente efficacia ab ipſo Deo: Angeli verò accipiunt quidem, ſed nonnunquam non ſequitur effectus, ut habetur Ierem. c. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt Sanata, relinquamus eam.* Quinimo in ſententia Calv. ſequitur, Deum cum hominibus omnia agere ſimulatè, quomodo enim poteſt ſincerè, & candidè nos hortari ad reſiſtendum Diabolo, ſi hic à Deo habet efficaciam cor noſtrum ſubvertendi? Hinc fruſtrà nos hortatur Apoſtolus ad Epheſ. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut poſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli.* Neq; quid aliud intelligitur armatura Dei quam ejus efficacia.

Quinimò aſſerit Calv. Deum per ſe occulta quadam vi, & energia incitare, movere, ac neceſſitare ad omnia vitiorum genera perpetranda, hoc aſſerit Calv. *Quantum ad arcanos motus ſpectat, quod de corde Regis prædicat Salomon, flecti huc illuc, prout Deo viſum eſt, ad totum certè genus humanum extenditur, tan* [illegible] *demq; valet, ac ſi dixiſſet, quidquid animis concipimus arcana Dei inſpiratione ad ſuum finem dirigi. Et certè niſi Deus intus operaretur in mentib*[9] *hominum, non rectè dictum eſſet, auferre labium à veracibus, & à ſenibus prudentiam auferre cor Principibus terræ, ut errent per devia.* Et infra loquens de Aſſyriis: *Unde apparet certa deſtinatione Dei impulſos*, & §. 4. *Homo juſto Dei impulſu agit, quod ſibi non licet*: & l. 3. c. 23. §. 9. ait: *Excuſabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi neceſſitatem; præſertim cum ex Dei ordinatione ſibi injiciatur hujuſmodi neceſſitas, Nos verò inde negamus rite excuſari, quandoquidem Dei ordinationi poſſe, qua ſe exitio deſtinatos conqueruntur, ſua conſtat æquitas nobis incognita, ſed illa certiſſima.* Verum hæc Calv. propoſitio expreſsè adverſatur Sacris Scripturis aſſerentibus, Deũ per ſe neminem inſtigare, movere, ac neceſſitare ad patrandũ peccatum, etenim Eccleſiaſt. 15. *Nemini mandavit impiè agere*, quod ſi nemini mandaverit, peccatum nunquam incitavit, movitq; ad peccatum Iacobi 1. *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*, ex quo infert Auguſt. l. 2. Conſenſu Evangeliſtar. c. 3. Deum neminem incitare, movere, ac neceſſitare ad peccatum, ait enim duplex eſſe genus tentationis, unum ad probandum, & alterum ad ſeducendum, & de priori aſſerit, ſcriptum eſſe Gen. 22. *Tentavit Deus Abraham*, ſcilicet ad probandam ejus virtutem, & obedientiam: de poſteriori verò haberi Jacob. 1. *Ipſe autem neminem tentat.* Igitur ex ſententia D. Aug. fundata in ſcripturis, Deus neminem tentat ad ſeducendum ſeu neminem excitat, movet, impellitq; ad peccandum, quinimo addit D. Paul. Deum non pati nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed dat ſemper ſuam gratiam, ut poſſimus peccato reſiſtere, 1. Cor. 1. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*, quaſi dicat, tantùm abeſt, quod Deus vos tentet, ut potius non patiatur vos tentari, propterea vobis ſuppeditat ſua auxilia, ut valeatis tentationi urgenti obſiſtere. Idq; etiam nervosè evincitur ex illo Ierem. 19. *Ædificaverunt excelſa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum*: quæritur enim à Calvino, an Judæi, quando idola erexerunt falſo Deo, fecerint hoc Deo incitante impellente neceſſitante? ſi affirmet, ergo ſcriptura, quæ id negat, falſa eſt, ſi autem negat, jam errat Calv. qui id aſſerit. Præterea ſi Calvini ſententia vera eſſet, Steph. Act. 7. Non dixiſſet Judæis, *dura cervice, & incircumciſis cordib*[9] *& aurib*[9] *vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, & vos*, ſiquidem potuiſſent Judæi reſpondere, nos non reſiſtimus Spiritui S. ſed quæ Spiritus S. nobis ſuggeſſit, & tacitus inſpiravit, ea ſumus executi, & quia ille nos interna motione impulit, incitavitq;, ut interficeremus Prophetas, id præſtitimus, & quia nobis interna inſpiratione ſuggeſſit, ut te lapidibus obrueremus, ideo te ſaxis obruimus, & occidimus. Objicit tamen Calvinus quædam ſcripturæ teſtimonia, quibus videtur probare, poſſe Deum inſtigare hominem, eumq; movere ad peccatum: ſiquidem 2. Reg. 16. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David & 2. Reg. 24. Commovit Dominus David dicens: Vade, numera Iſrael, & Judam, & Ezech. 14. Ego Dominus decepi Prophetam illum, & 2. ad Theſſal. 2. Mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*, & alia congerit, quibus videtur Deus eſſe cauſa peccati. Sed contra, quia ex illis textibus tantùm ſequitur, Deum non impedire conatum hominum, qui parati ſunt ad malè agendum, propterea negat illis ſpeciale auxilium gratiæ, quo deſtituti ad malum proni, ac proclives facilè in peccatum delabuntur. Tum quia Deus ita flectit, & gubernat interius humanas voluntates, ut quamvis vitio proprio malæ ſint, nihilominus à Dei providentia ad unum potiùs malum, quam ad aliud, non quidem poſitivè, & per influxum proprium, ſed tantum permiſſivè ordinentur. Tum quia perſæpe exhibet homini occaſionem boni, quod tamen ipſe abutitur ad malum. Unde quando Deus in ſcripturis dicitur excæcare, & obdurare reprobos, ne credere poſſint Evangelio, ut ait Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 14. §. 2. dupliciter ſumi poteſt excæcatio, & obduratio. Primò pro ipſo peccato, quo Deo vocanti reſiſtitur. Secundò pro ſubtractione divinæ gratiæ, ſeu auxilii uberioris, quo homo obſiſteret tentationi, & non peccaret; & per hanc ſubtractionem gratiæ permittitur homo obdurari, ſeu reſiſtere Deo vocanti, & inſpiranti virtutem & fugam vitii. 1. priori igitur modo Deus non eſt cauſa excæcationis, & obdurationis, alioquin eſſet cauſa peccati, quod hactenus evicimus falſum. Poſteriori autem modo, ſi ſumatur excæcatio, & obduratio pro ſubtractione uberioris auxilii gratiæ, in hoc ſenſu Deus dici poteſt cauſa excæcationis, quatenus in pœnam præcedentis peccati meritò denegat homini ſuam gratiam, non quod homo totaliter à Deo deſeratur: ſed quia ſpeciali, & uberiori auxilio gratiæ deſtituatur, & hac

§. VI. diſtin-

diſtinctione adhibita facilè conciliantur quædam ſcripturæ teſtimonia, quæ videntur inter ſe pugnare, illa enim, quæ homini tribuunt excæcationem, intelliguntur juxta priorem excæcationem, quæ excæcatio ſumitur pro peccato, ſeu pro pravo actû voluntatis, quo homo ſciens & volens reſiſtit divinæ vocationi, in quo ſenſu dixit David Pſal. 99. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ſeu nolite Deo vocanti obſiſtere, ſed potius obedire, & paulò infra: *Semper hi errant corde, ipſi verò non cognoverunt vias meas*, ſeu non ſunt ingreſſi vias mandatorum meorum, hinc Apoſtolus ad Roman. 2. *Secundùm duritiem tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram*; ex quibus conſtat, excæcationem, ſumptam pro peccato, tribuendam eſſe homini, ac eſſe in libera ejus poteſtate. Non enim Deus reprehenderet hominem obduratum: ſi non eſſet ipſe homo cauſa obdurationis, & cùm poſſet emolliri, id negaret, vocat ad ſe Chriſtus omnes Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: non enim invitaret omnes, ſi aliquos obduraret, & excæcaret, ne venire poſſent. Præterea Apocal. 2. ait: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, introibo ad eum.* Qui autem ad oſtium pulſat, ut ingrediatur, ipſe non ponit obicem, nec claudit oſtium, quòd vult potius ſibi aperiri oſtium: quamobrem in hominis eſt poteſtate, vocanti Deo reſpondere, & emolliri, non obdurari, ut explicat D. Auguſtinus exemplo Pharaonis, & Nabuchodonoſoris, quorum primus ſua pertinacia manſit obduratus, & ſecundus ſua voluntate voluit emolliri, ait enim Auguſtinus lib. de prædeſtinat. & grat. cap. 15. *Quantum ad naturam ambo homines erant: quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad cauſam ambo captivum populum Dei poſſidentes, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti, quid ergo ſuos eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero arbitrio contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit.* Secus aliæ ſcripturæ, quæ Deo tribuunt excæcationem, & obdurationem, intelligi debent de ſubtractione gratiæ, & uberioris auxilii, quo homo permittitur obdurare, & reſiſtere Deo vocanti, & interius inſpiranti, adeò ut Deum excæcare, obdurare hominem perinde ſit, ac eidem denegare uberius auxilium, quod per modum pœnæ infligitur à Deo, ut cùm dicitur Exodi 7. *Ego indurabo cor Pharaonis*, ſeu ſubtraham ab ipſo meam gratiam, & permittam, eum ex ſua malitia obdurari, ac perſeverare in malo. Deuter. 2. *Induraverat Dominus Spiritum Sehon.* Iſaiæ 6. *Excæcat cor populi hujus, & aures ejus aggravat.* Iſaiæ 63. *Quare errare feciſti nos Domine de viis tuis, induraſti cor noſtrum, ut non timeremus te*, & Apoſtolus ad Roman. 4. 1. ait: *Tradidit Deus eos in reprobum ſenſum.* An verò hæc ſcripturæ teſtimonia explicari poſſint de ſola ſubtractione gratiæ, ſeu an Deus ex eo præcisè, quòd deneget homini uberius ſuæ gratiæ auxilium, dicatur hominem excæcare, indurare, eſt quæſtio inter Catholicos, pro quo certum, Deum plura circa impios, & eorum obdurationem obire officia, primò non impedit eorum conatum, qui parati, & proni ſunt malè agere, & permittit eos ſatisfacere propriis deſideriis pravis. Secundò negat impiis ſpeciale auxilium gratiæ, quo deſtituti facilè in nova peccata prolabuntur, & in iiſdem perſeverant, indurantúrque, & hoc Deus permittit in pœnam præcedentium peccatorum, quibus impii meruerunt divinis deſtitui auxiliis, quapropter in ſcripturis dicuntur deſpecti, derelicti, & projecti à Deo Pſal. 81. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum*, & Actor. 14. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Eccleſiaſt. 7. *Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit*, & David Pſal. 50. ajebat: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me*, in quo ſenſu dixit Auguſtinus epiſt. 105. *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam*: ſed non obdurat per poſitionem influxus, ſed per ſubtractionem uberioris gratiæ. Non tamen Deus ita hominem deſerit propter præcedentia peccata, ut omnem gratiam illi deneget, ſiquidem Deus ſemper eſt paratus, ſuſcipere reſipiſcentes & venientes ad ipſum, ſed ſolùm denegat majora, & uberiora auxilia gratiæ, quibus faciliùs converterentur, ſi iiſdem auxiliis munirentur. Tertiò Deus etiam patienter, & longanimiter impios tolerat, quaſi diſſimulans eorum peccata, ut non ſtatim procedat ad vindictam, & punitionem, ſed expectat, ut reſipiſcant, & per pœnitentiam ad ipſum revertantur, quo fit, ut magis in ſuis pravis deſideriis obdureſcant juxta illud Apoſtoli ad Roman. 2. *An divitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis: ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: ſecundùm autem duritiem tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & juſti judicii Dei.* Vult enim D. Paulus ob nimiam Dei longanimitatem multos fieri corde duros, & impœnitentes, & ad peccatum confidentiores. Rurſus Deus ita interiùs flectit, regítque impiorum voluntates, ut quamvis vitio proprio malæ ſint, nihilominus à divina providentia ad unum potiùs malum, quàm ad aliud ordinantur, non quidem poſitivè, ſed tantùm permiſſivè, ut ſuperiùs diximus, præſcit enim Deus, hominem paratum ad maledicendum, & permittit Deus, ut maledicat uni, non permittit, ut maledicat aliis, in quo ſenſu dixit Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacrament. part. 5. cap. 29. *Deum malis voluntatibus non dare corruptionem, ſed ordinem*, quia, cùm proprio vitio corruptæ ſint, permittit, eas in uno potiùs, quàm in aliis delinquere. Quinò perſæpe etiam offert Deus homini occaſionem boni, quod tamen non vult amplecti, imò occaſione illa potiùs abutitur ad malum, cùm enim ſit Deus ſummè bonus, omnia vertit in bonum, ita homo malus tam bona, quàm mala vertit in ſuam perniciem: & ſicut de bonis dixit Apoſtolus ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in malum*, ita de malis Sapient. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt: & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulum pedibus inſipientium*, & plura extant in ſcripturis exempla, in quibus legimus, quòd Manna miri ſaporis ſuavitate affecerit bonos, & faſtidio fuerit malis, qui veluti inſipidum obſonium rejiciebant. Pharao factus eſt obduratior poſt tot miracula in Ægypto viſa, cùm Hebræi ad credendum Deo, & Moyſi procliviores effecti fuerint. Sextò tandem utitur Deus peccatis impiorum ad ſalutem, ac profectum electorum inſtar Medici, qui tametſi non faciat ipſe venenum viperæ, illo tamen utitur ad ſanitatem corporum conſervandam, in quo ſenſu dicitur Geneſ. 50. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me.*

Demum aſſerit Calvinus, Deum ſimpliciter eſſe Authorem omnium peccatorum, ait enim Lib. 1. Inſtit. cap. 18. § 3. *etiam ſatis apertè oſtendit, Deum vocari eorum omnium Authorem, quæ iſti cenſores volunt otioſo tantùm ejus permiſſu contingere*, & loquitur de peccatis, & ſpeciatim de cæcitate, & tyrannide

Digitized by Google

Achabi incestu Asalonis, convicio Semei, Apostasia decem Tribuum, & rursus de cædibus, rapinis, & incendiis Chaldæorum in Judæa, de rabie furentium Judæorum in Christum, ac de iniquissimo Pilati judicio, quæ omnia vocat Calvinus fuisse Dei opera, ac Authorem horum omnium, & ridet Catholicos asserentes, hæc omnia tantùm obtigisse Deo permittente, non verò Deo positivè volente, ac concurrente. Hæc autem propositio, quæ facit Deum simpliciter Authorem omnium peccatorum, multò ante Calvinum damnata fuit in Hæreticis, Marcionistis, Priscilianistis, Cerdonistis, Albigensibus, & contra blasphemam hanc propositionem. S. Irenæus integrum opus scripsit referente Eusebio lib. 1. histor. cap. 19 & D. Basilius integram Homiliam, cui titulus est: *Quod Deus non sit author malorum*. D. Augustinus etiam tres libros scripsit de libero arbitrio ex ea potissimum causa, ut demonstraret, Deum non esse authorem peccati, hinc Tertullianus lib. adversus Hermogenem ait: *Nec enim fieri potest, ut sit initiator, aut artifex ullius mali operis, qui nomen sibi perfecti vendicat, & parentis, & judicis.* D. Augustinus lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 17. *Nullam culpa humana in Deum referas causam*, unde S. Prosper in respons. ad capitula Gallor. cap. 14. ait: *Bonorum Deus author est, non malorum.* Imò non solùm omnes Sancti Patres hanc [illegible] veritatem, verum etiam ipsi Ethnici [illegible] naturæ lumine eam viderunt: etenim Mercurius Trismegistus in Pimandro cap. ult. ait: *A Deo factore nihil turpe, nihil malum prodire.* Plato in 2. Dialog. de Republica ait: *Bonorum quidem solus Deus causa est dicendus, malorum autem & quamlibet etiam aliam præter Deum causam quærere docet.* Imo hanc veritatem volens, nolens agnoscere adactus fuit etiam ipse Calvinus, quamvis contrarium docuerit, etenim in lib. de æterna prædestinatione in fine concludit: *Ergo cum justa de causa licèt nobis ignota a Domino procedant, quæ scelerata ab hominibus maleficia perpetrantur, etiam si rerum omnium prima causa [illegible] voluntas; peccati tamen esse authorem nego.* Calvinus enim idem affirmavit, & negavit, prout ipsi magis placuerit, quando enim contra Catholicos, & simplicem Dei permissionem agebat, asseruit, Dei voluntate, & decreto peccata fieri, & Deum authorem esse omnium peccatorum, non verò permissorem; secus quando agebat contra Libertinos, & Hæreticos, Lutheranos, asseruit, Deum non esse peccatorum authorem. Cæterum Calvinum censuisse, Deum esse authorem peccatorum, ex eo evincitur, quia qui physicè & effectivè & tanquam principale agens producit aliquod opus verè & propriè, dicitur causa physica & effectiva illius operis, sic quia ignis comburit lignum physicè & effectivè est vera ac propria causa illius productionis, quia homo scribens efformat characteres physicè & effectivè est vera causa illius scriptionis, atqui Deus, teste Calvino, physicè & effectivè tanquam principale agens producit omnia peccata, adulteria, furta, homicidia, ergo Deus in sententia Calvini est vera physica & effectiva causa eorumdem peccatorum, quinimò non solùm est causa physica & effectiva, verùm etiam moralis: siquidem, qui alium incitat, impellit, & necessitat ad opus aliquod faciendum, est vera moralis causa, & primarius Author illius operis, quod etiam per se notum est, sed in sententia Calvini Deus incitat, impellit, imò & necessitat homines ad omnia perpetranda scelera, ergo in sententia Calvini est etiam causa moralis, & primarius Author omnium peccatorum. Tum quia is qui utitur instrumento in ordine ad opus aliquod efficiendum, est primarius Author illius operis, quod ipse per tale instrumentum efficit, sed Deus ex doctrina Calvini [illegible] utitur homine tanquam instrumento ad perpetranda peccata, ergo Deus est primarius Author peccatorum. Demum qui efficaciter procurat, ut aliquis peccet, illius peccati est author: sed in sententia Calvini Deus æterna sua prædestinatione efficaciter statuit, & procurat omnia peccata, ergo est Author omnium peccatorum. Et licet hæc argumenta deducantur ex ipsis Calvini verbis, conantur tamen Calvinistæ efficaciam eorundem infringere, hac distinctione, qua dicunt, Deum quidem esse Authorem peccatorum furti, adulterii, homicidii, & aliorum, non tamen volunt, eum Authorem peccatorum [illegible] illa non esse peccata, quatenus sunt à Deo, [illegible] concedunt Deum impellere, & cogere [illegible] ad furta, adulteria, & homicidia perpetranda, quinimò [illegible], Deum hæc omnia operari per homines tanquam per sua instrumenta, quamvis negent, Deum operari peccata, ajunt enim, dupliciter posse considerari hæc opera. Primò quatenus sunt à Deo, & hoc pacto ajunt, non esse peccata. Secundò ut procedunt [illegible] hominum voluntate, & hoc pacto asserunt, [illegible] illa opera esse peccata, ut proveniunt [illegible] hominum voluntate, non verò quatenus efficiuntur à Deo. Verum hoc subterfugium nullius est roboris: siquidem etiam alii Hæretici concedebant, Deum reverà esse Authorem peccatorum, putantes, peccatum nihil aliud esse, [illegible] falsam hominum opinionem, sed tantum esse causam adulterii, homicidii, furti. Rursus quæritur ex Calvino, cur mendacium, odium Dei, & homicidium sint peccata, quatenus procedunt ab homine, non verò quatenus procedunt à Deo, qui est agens & causa principalis, si dicat, quia voluntas Dei est bona, & illa hominis mala, iterum quæritur, [illegible] na sit voluntas Dei, & mala [illegible] hic Hæretici hærentes ancipites [illegible] assignant rationes, primò quia natura humana [illegible] potentiis tota corrupta & vitiata est, verum cum [illegible] & vitiata fuerit per peccatum Adæ, hæc ratio [illegible] habet efficaciam in primo peccato Adæ & Luciferi, si enim quæratur, cur voluntas Adæ & Luciferi mala fuerit in primo peccato, & voluntas [illegible] non potest ab ipsis aliter responderi, [illegible] humana & angelica corrupta fuit, [illegible], quia ante primum peccatum [illegible], quàm in Angelo natura non fuit corrupta [illegible] sed pristinè totaliter integra & sana pluribus [illegible] & auxiliis supernaturalibus munita, unde respectu primi peccati in Angelo & homine non potest assignari natura ut corrupta. Secundò dicunt, respectu Dei peccatum non esse attribuendum culpæ, quia Deus non vult peccatum ut culpam, sed tantum ut pœnam alterius peccati. Verùm nec illa ratio potest accommodari primo peccato Luciferi & Adæ, quia cum ad primum peccatum non præcesserit aliud peccatum, non potest primum peccatum Luciferi & Adæ esse pœna alterius peccati. Tertiò alii respondent, Deum habere bonum finem propositum, & homo malum, & Deum velle hominem peccare, ut habeat, quos justè damnet, & puniat, & quorum liberaliter misereatur, ut ostendat sua attributa justitiæ, & misericordiæ. Hominem autem peccare, ut suam expleat libidinem, non ut Dei gloriam manifestet, & hæc est ratio, quam assignat Zwinglius de providentia cap. 6. imò etiam Calvinus lib. 1. Instit. cap. 17. §. 5. & in instructione contra Libertinos c. 14. Sed contra, quia fusè in præcedentibus ostendimus, Deum non ita prædestinasse peccata, ut haberet occasionem ostendendi sua attributa, seu misericordiam in parcendo, & justitiam in puniendo. Rursus bonus finis non sufficit, ut liceat ea facere, quæ intrin-

Digitized by Google

[illegible] non enim sunt facienda mala, ut inde e[illegible] bona. Præterea si in sententia Calvini, Deus [illegible] peccatum, est causa malæ in[illegible], [illegible] peccatum, quia peccatum non est peccatum, nisi ex [illegible] intentione: [illegible] peccatum, [illegible] præde[illegible], ut fieret ex [illegible] debet procedere. [illegible] hominis voluntatem [illegible] vero in Deo, [illegible] Deo non est lex [illegible] proinde Dei [illegible] eodem opere [illegible] voluntas homi[illegible] sit mala, [illegible] potest legem transgredi, cui subjicitur: voluntas verò Dei, quia nulli subjicitur legi, non potest legem transgredi, neque mala esse. Sed contra, quia quamvis Deo non sit lex posita ab alio superiore, tamen ipsa divina natura, & voluntas, lex est etiam ipsi Deo, quæ propterea non potest operari, nisi conformiter ad legem æternam: sicut enim mendacium est contra legem naturæ, & repugnat ipsi naturæ, ac bonitati Dei, ita etiam repugnat legi æternæ, ac divinæ voluntati, cujus lex naturæ est exemplar: unde peccatum, cum repugnet divinæ naturæ, ac voluntati, non potest à Deo prædestinari.

CAPUT IV.

Per quid peccatum mortale differat à veniali.

Certum est, peccatum lethale [illegible] natura differre à veniali, & non ex sola ratione ad misericordiam Dei, [illegible] veniale, quod à venia [illegible] denominatur: discrimen siquidem [illegible] intrinsecum, ut colligitur ex sacris scripturis Matth. cap. 7. ubi quædam peccata comparantur festucæ, & quædam trabi, [illegible] sunt venialia, hæc lethalia: festuca autem, & trabs [illegible] differunt. Rursus cap. 22. illa comparantur [illegible], hæc camelo, quæ duo differunt intrinsecè [illegible] diversa constitutiva. & 1. ad Corinth. 3. Apostolus æquiparat peccata venialia fœno, stipulæ, ligno, quæ [illegible] igne absumuntur, ut ostendatur, peccata venialia facilius remitti, quia super fundamentum [illegible] charitate, quæ est fundamentum [illegible], quo pacto agebat Apostolus: *[illegible] charitatem non habeam, nihil sum*. [illegible] charitate [illegible] tota [illegible], [illegible] peccata [illegible] cohærent cum charitate, [illegible] manere in eodem [illegible] propter Apostolus ibid. [illegible] peccantem venialiter [illegible] vitam, [illegible] stipulis, fœno [illegible] neque levitati com[illegible] patiet aliis, [illegible] habentes [illegible] levi & [illegible] Apostolus: *[illegible] salvus erit, si tamen quasi per ignem*, [illegible] transiens per ignem [illegible] stipulas, seu delebit novos [illegible] purgatorii igne. Secus de peccatis [illegible] ostendat gravitatem peccati [illegible], *[illegible] templum Dei violaverit, [illegible]*: & ad Galat. 3. *Qui talia agunt, regnum [illegible] consequentur*. Non tamen defuerunt ex [illegible], qui [illegible] sunt, omnia peccata [illegible] esse semper mortalia, & tantum fieri [illegible] ex solo Dei decreto; adeò ut omnia peccata inferant mortem animæ, ac secum [illegible] pœnæ æternæ; quòd verò de facto non [illegible] mortem æternam, dicunt, id provenire [illegible] sola Dei intrinseca misericordia, quæ non vult, [illegible] in prædestinatis, vel justificatis ex fide tales effectus producant. Docuerunt Lutherus, & Calvinus, omnia peccata eorum, qui habent fidem, venialia tantum esse; eo quia Deus illa non imputet lethalia, & eorum, qui fidem non habent, mortalia esse. Sed quod non ex fide, [illegible] ex sola Dei voluntate; sed ex ipsa natura [illegible], & intrinsecè quædam peccata [illegible], & alia venialia, est communis sententia omnium Catholicorum.

Probari solet ex sacris scripturis, præsertim Luc. 6. ubi Christus vocat quædam peccata festucas in oculo, & alia trabes, sed festucæ, quia leves, non possunt per se excæcare oculum; consequenter sunt levia quædam peccata, quæ actu non extinguunt gratiam sanctificantem, nec charitatem, quæ lumen est animæ, quinimo nec possunt illam extinguere ex propria intrinseca levitate, consequenter sunt ex natura sua peccata tantum venialia, quæ propterea ab Apostolo æquiparantur fœno, & stipulis superimpositis fundamento; ut explicat D. Augustinus lib. [illegible] de civit. cap. 27. Justi enim plerumque committunt peccata levia, cohærentia cum gratia sanctificante, quæ est fundamentum, cui justus innititur, fœnum vero & stipula ob intrinsecam levitatem non possunt ex se fundamentum destruere, neque [illegible] evertere, consequenter neque peccata venialia possunt ex natura sua gratiam sanctificantem destruere, quapropter sunt ex natura sua levia & venialia. Præterea, quia quodvis peccatum [illegible] est quædam animi infirmitas, quapropter [illegible] David Deum alloquens: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana animam meam, quia peccavi tibi*, sed ex infirmitatibus corporis quædam sunt graves, & mortales, quæ vitam destruunt, mortem corporalem inducentes, & aliæ sunt leves, ut dolore capitis, [illegible] stomachi, torqueri fluxione aliqua, consequenter etiam inter infirmitates animæ, seu peccata [illegible] ex natura sua gravia, quæ evertunt [illegible] vitæ spiritualis, seu gratiam sanctificantem, & alia levia, quæ mortem animæ per [illegible] non inferunt, siquidem justi, tametsi perseverent in gratia sanctificante, dicuntur quotidie peccare, tamen in peccata mortalia quotidie non cadant, & nihilominus justi, sancti, mundi, & [illegible] in sacra scriptura dicuntur. Quod justi quotidie seu frequenter peccent, habetur Proverb. 24. *Septies cadet justus, & resurget*. Ecclesiast. 7. 21. *[illegible] est homo justus in terra, qui faciat bonum, & [illegible] peccet*. Jacob. 3. 2. *In multis offendimus [illegible]*. 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Quod verò non obstantibus hisce peccatis venialibus justi perseverent in statu gratiæ sanctificantis, evincitur itidem ex scripturis Gen. 6. *Nec vir justus atque perfectus fuit*. Job 1. *Erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo*. Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Daniel. 6. *[illegible] justitia inventa est in me*. [illegible]

cha-

charia & Eliſabeth: *Erant juſti ambo ante Deum.* Joan. 13. de Apoſtolis: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes*, at non poſſunt juſti & immaculati dici, quos peccatum lethale coinquinat, cum de ipſis dicat Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt*, & Ezechiel. 14. *Qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo*, & ad Tit. 1. *Inquinata ſunt eorum & mens, & conſcientia.* Hinc procul expellendi ſunt Lutherus, & Calvinus, & eorundem aſſeclæ, aſſerentes, omnia fidelium, ac juſtorum peccata venialia eſſe, & non ſuapte natura: ſed quia ex Dei miſericordia veniam conſequuntur, quem errorem impugnant Sancti Patres, præſertim D. Hieronymus in cap. 2. Jerem. ubi ait: *Qui levi peccatorum ſorde maculatus eſt, levioribus purgatur monitis. Porro peccata graviora, quæ ad mortem trahunt, nec litre, nec herba borith dilui poſſunt, ſed gravioribus tormentis indigent.* S. Ambroſius lib. 2. de pœnit. cap. 10. ait: *Quotidiani nos debet pœnitere peccati, ſed hæc quotidiana pœnitentia delictorum leviorum, illa graviorum, quæ publicè agitur*, & enarrat. in Pſal. 143. expendens verba illa: *Et non ſunt multitudo in commutationibus eorum*, ait ipſe: *Eſt etiam illud, ut non ſit multitudo in commutationibus gravium peccatorum, ſecundum quod ſcriptum eſt 1. ad Timoth. 5. Quia quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia in judicium: quorundam autem & ſubſequuntur. Quæ gravia ſunt, atque manifeſta præcedunt, & ſine ulla dubitatione merguntur: quæ autem leviora ſunt bonis operibus ſequentibus relevantur. Ubi autem æquitas propendet, nulla bonorum operum commutatione revocatur.* Et D. Auguſtinus ſerm. 3. in Pſal. 118. ait: *Quoniam tentatio eſt vita humana ſuper terram, etiam ſi à criminibus longè ſimus, non tamen deeſt, ubi deſideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus; quando adverſus majora vigilantibus quædam incautis minuta ſubrepunt: quæ ſi adverſus nos colligantur, etſi non ſingula ſuis molibus corruunt, omnia tamen acervo nos obruunt. Et propter hæc etiam hi, qui ambulant in viis Domini, dicunt, dimitte nobis debita noſtra, quoniam ad vias Domini & ipſa oratio pertinet; quamvis non ad ea peccata pertineant.*

Præterea nullum eſſe peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum mereri mortem æternam, fuit propoſitio Michaelis Baji à Pio V. & Gregorio XIII. damnata. Ratio itidem à priori eſt, quia peccatum mortale dicitur, eò quia ſit graviſſimum, & adeo Deo diſpliceat, ut ejus diſſolvat amicitiam: veniale verò, quia leviſſimum non diſſolvit Dei amicitiam, atqui peccata ex ſe ipſis habent, ut diſſolvant, vel non diſſolvant Dei amicitiam, etenim etiam inter homines non ſufficit quævis offenſa levis, ut Pater ex vi juris filium exhæredet, & amicus amicum abjiciat, ergo peccata lethalia & venialia ex ſe, & ex propria natura ſunt talia. Præterea, quia peccata venialia non differunt à mortalibus ex ſola conditione perſonæ peccantis, quia fidelis ſit vel prædeſtinata, ut docuerunt Novatores, Lutherus, & Calvinus, & Wicleffus, & conſtat ex Scripturis, in quibus habemus, Adamum, Davidem, Petrum, & alios peccaſſe mortaliter, & tamen certum eſt, illos fuiſſe prædeſtinatos, & fideles, quatenus non peccarunt peccato infidelitatis. Ratio itidem hoc evincit, quia dignitas perſonæ non confert ad incrementum, vel decrementum culpæ, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 21. art. 10. Unde ex eo, quòd qui prædeſtinatus, & fidelis ſit, non ſequitur, peccatum ex mortali fieri veniale, ſed peccata ex natura ſua, & intrinſecè alia ſunt venialia, & alia mortalia, ut aſſerit Auguſtinus Tractat. 12. in Joan. inquiens: *Evigilate, cum dies eſt: Chriſtus eſt dies. In dilectione, & miſericordia ejus, qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus, & grandibus peccatis, qualia ſunt facinora, homicidia, furta, adulteria, propter illa, quæ minuta videntur eſſe peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in rebus conceſſis facit veritatem confeſſionis, & venit ad lucem in operibus bonis: quoniam minuta plura peccata, ſi negligantur, occidunt. Minutæ ſunt guttæ, quæ flumina implent, minuta ſunt grana arenæ, ſed ſi multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit ſentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per ſentinam intrat, ſed diu intrando & non exhauriendo mergit navim. Quid eſt autem exhaurire, niſi bonis operibus agere, ne obruant peccata gemendo, jejunando, tribuendo, ignoſcendo.*

Objiciunt tamen Sectarii illud Matth. 5. *Qui contempſerit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*; hoc eſt, excludetur à regno cælorum, & non vocabitur ad illud, ut explicat D. Thomas, quia ibi non erit, ex quo inferunt, non ſolùm peccata mortalia, quæ ſunt contra maxima mandata, verùm etiam venialia, quæ ſunt contra minima, habent ex ſe, & ex natura ſua excludere à regno cælorum, ac inducere reatum pœnæ æternæ, ſed peccata, quæ ſecum trahunt reatum pœnæ æternæ, ſunt lethalia, proinde omnia peccata ſunt ex natura ſua mortalia, & tantùm in prædeſtinatis, ac fidelibus fiunt venialia ex ſolo Dei decreto, quo Deus vult iiſdem imputare, ut mortalia. Sed contra, reſponderi enim poteſt primò cum Cajetano, quòd, ſicut peccatum veniale non eſt peccatum ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, quatenus non eſt contra, ſed tantùm præter legem: ita mandatum circa venialia non eſt mandatum ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, quapropter, quando Matth. 5. vocantur mandata minima, revera ſunt mandata, quæ obligant ſub lethali, ut docent Chryſoſtomus, Euthimius, & alii, tametſi hujuſmodi mandata ab hominibus imperfectis reputentur minima. Quamobrem nomine mandatorum ea tantùm intelliguntur, quibus prohibentur mortalia, adeo ut ſi violentur, peccator transgrediatur ſimpliciter legem, nihilominus dicebantur mandata minima non re, quatenus talia eſſent, ſed tantum æſtimatione Phariſæorum, qui diligere inimicos, & abſtinere à concupiſcentiis carnis vocabant mandata minima. Reſpondetur ſecundò, in præcitato textu Matth. 5. non ſolùm dici, *qui ſolverit unum ex mandatis iſtis minimis*, ſed ulteriùs ſubdit, & docuerit ſic homines, *minimus vocabitur in regno cælorum*, id eſt, excludetur à regno cælorum, ad quod non vocabitur: docere autem homines tranſgreſſionem mandatorum Dei, non eſt peccatum tantùm veniale, quia id non poteſt provenire, niſi ex contemptu legis, qui contemptus eſt culpa lethalis, tametſi lex præcipiat minima, hinc Chriſtus Matth. 5. loquitur de ſolventibus mandata minima, eo pacto, quo ea ſolverunt Phariſæi, docentes oppoſitum, & adhibentes pravas interpretationes; ſiquidem volebant, lege divina tantùm prohiberi homicidium, vel adulterium re ipſa conſummatum; non verò affectum utriuſque animo conceptum, quapropter Matth. 5. ſubditur: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Ob-

Digitized by Google

Objiciunt ſecundò illud Joan. 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, quod de peccatis venialibus communiter intelligitur, cùm dicat Chriſtus, *qui lotus non eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*, ſed non habere partem cum Chriſto, perinde eſt, ac excludi à regno cœlorum: ergo peccata venialia ex natura ſua excludunt à regno cœlorum, ſed peccata, quæ ex natura ſua excludunt à regno cœlorum, mortalia, & tantùm ſiunt venialia ex ſolo DEI decreto. Sed contra, quia Chriſtus non fuerat comminatus Petro excluſionem à regno cœlorum propter ſola peccata venialia; ſed propter inobedientiam, ſi Petrus noluiſſet obedire Chriſto volenti pedes lavare. Sed dices, quæ Deus præcipit, vel prohibet ſub veniali, potuiſſet præcipere, vel prohibere ſub mortali, ad exercendum virtutem obedientiæ in nobis, & manifeſtandum ſupremum ſuum dominium: ſed in hac hypotheſi omnes tranſgreſſiones eorundem præceptorum forent peccata lethalia: ergo ex eo, quod aliquod peccatum ſit tantùm veniale, non oritur ex natura rei, nec ex intrinſeca ejus veritate: ſed ex divina miſericordia, quæ nolit illud ſub mortali prohibere. Sed contra: quia ad cognoſcendum, an peccatum aliquod ex natura ſua ſit veniale, aut mortale, non eſt attendendum, an Deus poſſit de abſoluta potentia illud prohibere ſub veniali aut mortali, ſed attendendum eſt, an ipſa peccata ex eorundem natura, & materia, circa quam verſantur, exigant ita prohiberi: unde peccata ſemper ex natura ſua ſunt mortalia vel venialia. Quòd ſi inſtes: illud ex ſola Dei voluntate eſt mortale, vel veniale, quod ex ſolo Dei præcepto habet, quòd ſit mortale, vel veniale: ſed ex ſolo Dei præcepto, cui opponuntur actus humani, peccata ſunt mortalia, vel venialia; ergo non ex rei natura: ſed ex ſola Dei voluntate aliqua peccata ſunt venialia, & alia mortalia. Contra eſt, quia cùm dicimus, peccata aliqua eſſe ex ſua natura mortalia, & quædam venialia, non verò ex ſola Dei voluntate nos ſignificamus peccata eſſe mortalia, etiam ſublato Dei præcepto, nam id falſum eſt: ſed ſenſus eſt, quòd peccata ſuppoſito Dei præcepto prohibente ſint ex ſe ipſis mortalia, vel venialia, & non à ſola voluntate Dei deſtinantis ad pœnam æternam, vel liberantis ab eadem, adeo ut per voluntatem Dei non intelligatur divinum præceptum, quo prohibetur peccatum, ſed Dei decretum deſtinans ad pœnam, quia hoc decretum non ponit, ſed ſupponit peccatum lethale: aliud eſt aſſerere illud ex ſola voluntate Dei prohibentis, aut præcipientis peccatum eſſe mortale, aut veniale, quod ex ſolo Dei præcepto habet, quod ſit tale: & aliud illud, quod ex ſolo DEI præcepto habet, quod ſit mortale, eſſe tale ex ſola voluntate Dei deſtinantis ad pœnam, vel ab eo liberantis. Primum enim eſt verum, ſecundum falſum.

Sed adhuc Sectarii objiciunt D. Auguſtinum *lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 3.* ubi ait: *Quis enim aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ ex hac vita migraret, manente illa ſententia, quod quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, niſi poſt paululum ſequeretur, ſuperexaltat autem miſericordia judicio.* Rurſus illud *lib. 9. Confeſſ. cap. 13.* ubi ait: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam.* Sed contra, quia D. Auguſtinus *lib. 2. de peccator. merit. cap. 3.* non loquitur de juſtis tantùm, qui ſolis peccatis venialibus obſtricti ſunt; ſed de omnibus omnino hominibus, quatenus in graviora peccata ruere poſſunt præcipites, niſi præſidio divinæ gratiæ retinerentur, ne caderent, niſi enim divina gratia ex divinæ miſericordiæ fontibus inexhauſtis in nos derivaretur, nemo cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ ex hac vita migraret, eò quia deſtitutus divina gratia, cederet tentationibus, quæ non ſolùm ad venialia, ſed etiam ad lethalia alliciunt; & cum peccato lethali nemo ſperat donari cœleſti gloriæ, hunc eſſe ſenſum Auguſtini, colligitur ex illis verbis, ait enim: *Sunt enim quidam tantùm præſumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum, nec adjuvandos nos divinitus opinentur. Semel ipſi naturæ noſtræ conceſſo libero voluntatis arbitrio. Unde fit conſequens, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc eſt, ne in tentatione vincamur, vel cùm fallit, & præoccupat neſcientes, vel cùm premit, atque urget infirmos. Quam ſit autem noxium & ſaluti noſtræ, quæ in Chriſto eſt, perniciosum, atque contrarium: ipſique religioni, qua imbuti ſumus, & pietati, qua Deum colimus, quam vehementer adverſum, ut pro tali accipiendo beneficio Deum non rogemus, atque in ipſa oratione dominica, ne nos inferas in tentationem, fruſtra poſitum exiſtimemus, verbis explicare non poſſumus.* Hoc igitur probandum ſibi aſſumit contra Pelagianos D. Auguſtinus in eo libro ſcilicet nullum in ſæculo vivere, aut vixiſſe, aut victurum eſſe ſine ullo omninò peccato, excepto uno Mediatore Dei, & hominum homine JESU Chriſto (excipitur Deipara Virgo) & hujus quæſtionis ſolutionem de hominis vita ſine ulla ſubreptione peccati ob quotidianas etiam orationes noſtras maximè neceſſariam eſſe notat, ex quo oritur, quod, cùm ait interrogando, *quis enim ex hac vita cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ migraret &c.* Unde Auguſtinus non loquitur de ſolis juſtis, qui tantùm peccatis ſunt obnoxii venialibus, ſed de omnibus hominibus, quatenus periculo exponuntur, ut gravioribus pulſentur tentationibus, à quibus in peccatum lethale trahantur. Ad aliud deſumptum ex *lib. 9. confeſſ. cap. 13.* reſpondetur per verba illa citata, Auguſtinum non ſignificare, quòd vitæ laudabilis homines pœnas æternas mereantur ob peccata venialia, quæ committunt; ſed quod acerbis ac prolixis purgatorii cruciatibus plerumque digni ſint, quos re ipſa experirentur, niſi DEUS propter Chriſtum eas mitigaret ac remitteret, quapropter ipſi Sancti divina miſericordia maximè indigent, eò quia cùm plurima, quæ hominum judicio levia exiſtimantur, Dei judicio graviora ſint, quapropter pro omnibus fidelibus defunctis illis etiam, qui laudabiliter vixerunt, preces fundendas eſſe monet, Deus illis ignoſcat, & ut ſuam erga illos miſericordiam magis, quàm judicium exerceat. Idque occaſione matris ſuæ piiſſimæ Monicæ dictum à S. Auguſtino, cujus etiam ſenſum explicat inquiens: *Fundo tibi Deus noſter, pro illa famula tua longè aliud lachrymarum genus, quod manat de concuſſo ſpiritu conſideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur. Quamquam illa in Chriſto vivificata, etiam nondum à carne reſoluta ſic vixerit, ut laudetur Nomen tuum in fide, moribusque ejus, non tamen audeo dicere, ex quo eam per Baptiſmum regeneraſti, nullum verbum exiiſſe ab ore ejus contra præceptum tuum. Et dictum eſt à veritate filio tuo:* Si quis dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia*

diſcutias eam. Quia verò non exquiris debita vehementer, fiducialiter ſperamus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. Quiſquis autem tibi enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat, niſi munera tua? Ego itaque, laus mea, & vita mea, DEUS cordis mei, ſepoſitis pauliſper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis Matris meæ, deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum, quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio miſericorditer operatam, & ex corde dimiſiſſe debita debitoribus ſuis; dimitte illi & tu debita ſua, ſi qua etiam contraxit per tot annos poſt aquam ſalutis. Dimitte Domine, dimitte obſecro, ne intres cum ea in judicium. Superexaltet miſericordia judicium, quoniam eloquia tua vera ſunt, & promiſiſti miſericordiam miſericordibus.

Sed adhuc objiciunt Sectarii, quia peccatum veniale non minus eſt dignum pœna æterna, quàm lethale, ſiquidem nulla creatura poteſt ex ſe ſatisfacere pro veniali: quapropter peccatum veniale exigit ex ſe manere in æternum, & in æternum puniri, quia peccatum quodcunque illud ſit tamdiu exigit puniri, quamdiu manet. Præterea, quia minimum bonum opus meretur vitam æternam, proinde etiam minimum opus malum pœnam æternam. Sed contra, negatur enim peccatum veniale eſſe dignum pœnâ æternâ; quia tametſi nulla creatura poſſit ex ſe pro illo adæquatè ſatisfacere, exigit tamen, ut illud tandem deleatur, ſi reperiatur in homine juſtificato, ſeu habente gratiam ſanctificantem, quia cùm tali gratia eſt Filius Dei adoptivus, & habet jus ad hæreditatem gloriæ æternæ, & quia nihil coinquinatum, quamvis leviter, ſit particeps gloriæ æternæ, ſequitur, hominem juſtum exigere, ut peccata in ipſo venialia deleantur. Neque paritas de bono opere minimè urget, quia eſt diſcrimen, etenim opera bona, quamvis minima merentur præmium æternum, quia proveniunt ex charitate & ab homine juſto, qui per gratiam eſt Filius Dei adoptivus: ſecus peccata venialia, quia non excludunt charitatem, ſed cum ipſa cohærent, non merentur pœnam æternam, & exigunt in homine juſto deleri.

Conſtat igitur dari peccata mortalia, & venialia, & hæc eſſe compoſſibilia cum gratia ſanctificante in hominibus juſtis: illa verò cum eadem gratia eſſe incompoſſibilia, ſupereſt inquirendum, per quid peccatum mortale differat à veniali, & reſpondemus, quia lethale dicit affectum ad creaturam involventem implicitè & virtualiter averſionem affectivam à Deo ut fine ultimo: & peccatum veniale hanc averſionem non dicere, ſed tantùm impedire ſententiam, & retardare acceſſum ad finem ultimum, ut docent D. Auguſtinus *lib.* 1. *de doctrin. Chriſt. cap.* 3. D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 88. *art.* 5. & alii Sancti Patres, & ex eo evincitur, quia peccatum ex genere ſuo, cùm ſit malum morale, deordinat creaturam rationalem à fine ultimo; ſed peccatum mortale deordinat totaliter per totalem averſionem à Deo fine ultimo, conſequenter infert mortem animæ, quatenus illam ſeparat à fine ultimo, ſeu Deo, qui eſt principium vitæ, & ipſa vita: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Secus peccatum veniale non deordinat per averſionem totalem à fine ultimo, ſed tantùm per retardationem acceſſus ad finem ultimum, quatenus creatura rationalis, quæ per omnes ſuos actus tenebatur accedere ad Deum finem ultimum; per peccata venialia, quamvis non convertatur totaliter in creaturam, nec avertatur à Deo; non tamen accedit ad Deum finem ultimum; ideóque dicitur creatura rationalis per peccata venialia retardari in acceſſu ad Deum finem ultimum; ergo peccatum lethale, & veniale differunt, quia illud dicit affectum ad creaturam involventem implicitè, & virtualiter averſionem affectivam à Deo, ut fine ultimo: & peccatum veniale hanc non dicit averſionem, ſed tantùm impedit ſententiam, ſeu retardat acceſſum ad Deum finem ultimum. Quòd ſi dicas, peccatum lethale & veniale habere idem objectum, ut liquet in furto gravi & levi, conſequenter habere eandem deordinationem, quia illa peccata dicuntur habere eandem deordinationem, quæ habent eandem ſpeciem; & peccata, quæ habent idem objectum, habent etiam idem eſſe ſpecificum. Sed contra, diſtinguitur antecedens, habent idem objectum ſub eodem modo attingibilitatis negatur; ſub diverſo modo conceditur: & negatur conſequentia: etenim furtum eſt objectum peccati lethalis, eſtque totaliter diverſum fini; & ut eſt objectum peccati venialis, non eſt totaliter averſivum à fine, ſed tantùm eſt impeditivum acceſſus ad finem ultimum; unde peccatum lethale, & veniale, quamvis habeant idem objectum, adhuc eſſentialiter differunt per differentias importantes diverſos modos attingendi idem objectum, & diverſam menſuram malitiæ ſuperadditæ rationi communi, quamvis igitur eſſentialiter non diſtinguantur per differentias importantes diverſos gradus malitiæ, differunt tamen ſecundum diverſam menſuram ejuſdem malitiæ, licet habeant idem objectum, conſequenter ob diverſitatem malitiæ poteſt unum eſſe peccatum mortale, & aliud veniale. Si dicas, peccatum mortale non poſſe differre à veniali, eò quia mortale ſit averſio à fine ultimo, & non poteſt haberi averſio hæc ſine cognitione finis ultimi; ſed qui peccant, plerumque nullo modo cogitant de fine ultimo; ergo peccatum mortale non differt à veniali, eò quia illud ſit averſio à Deo fine ultimo. Præterea ſicut per peccatum lethale creatura profertur Deo, ac tollitur Deo, ratio finis ultimi, quatenus peccator convertitur ad creaturam, ita per peccatum veniale præfertur creatura voluntati, & præcepto Dei, conſequenter peccans venialiter Deum contemnit; ergo aſſignatum diſcrimen non videtur ſufficiens. Sed contra, negatur major, quia non eſt neceſſe, ut qui per peccatum mortale avertitur à Deo ut fine ultimo, cogitet explicitè, Deum eſſe finem ultimum, ſed ſufficit, ſi id præſtet implicitè & hæc implicita cogitatio habetur ex eo, quòd lethaliter peccans ſciat à ſe graviter Deum offendi. Ad aliud quod addebatur, reſpondetur, peccatum veniale includere quidem aliquem Dei contemptum, quatenus peccatum veniale non eſt acceſſus ad Deum, ad quem creatura rationalis tenebatur, tanquam ad finem ultimum, omnes ſuos actus dirigere, ac ſemper accedere per omnes, & ſingulas ſuas operationes, non tamen ita involvit contemptum gravem, ut diſſolvat amicitiam cum Deo; neque per peccatum veniale adimitur Deo ratio finis ultimi, ſicut per peccatum lethale, quo peccans ponit ſuum finem ultimum in creatura, in quam tendit per peccatum lethale, & hoc eſt diſcrimen inter utrumque peccatum, quia lethale adimit Deo rationem finis ultimi, quam ponit in creatura, quam propterea Deo præfert, ideóque gravem injuriam

Deo

Digitized by Google

Deo irrogat, à quo adimit rationem finis ultimi: peccatum autem veniale non ponit rationem finis ultimi in creatura, nec eam adimit DEO, ſed tantùm retardat acceſſum ad ipſum, & non eſt acceſſus ad illum, ſed neque receſſus ab illo; peccatum verò lethale eſt utrumque, & non acceſſus ad Deum, & receſſus à Deo. Hinc peccatum veniale multipliciter differt à mortali, primò à priori, quia mortale ſit totalis receſſus à Deo ut fine ultimo; veniale autem non ſit totalis receſſus, ſed tantùm retardatio acceſſus, vel potius impedimentum ejuſdem ad Deum ut finem ultimum. Secundò quia mortale inducit inordinationem irreparabilem, non ita veniale, quia ultimus finis in moralibus perinde ſe habet, ac primum principium in ſpeculativis; unde ſicut error circa prima principia eſt irreparabilis, & incorrigibilis; ita peccatum lethale avertens totaliter à fine ultimo non poteſt reparari per principium ullum intrinſecum, ſed tantùm per divinam virtutem: è converſo peccatum veniale, quia non importat inordinationem totaliter averſivam à fine, ſed tantùm inordinationem à mediis, poteſt reparari per principium aliquod intrinſecum, ſeu per rectam intentionem finis, perinde ac error circa concluſiones corrigi poteſt ex recta principii cognitione. Tertiò à poſteriori differunt, quia peccatum lethale eſt ita gravis offenſa Deo irrogata, ut ſit contrarium divinæ amicitiæ, quam propterea totam diſſolvit: Secus peccatum veniale eſt levis offenſa, quæ non averſatur charitati, neque Dei amicitiæ, ſed tantùm imminuit fervorem charitatis. Quartò quia peccatum lethale tollit gratiam ſanctificantem, non ita peccatum veniale, quod cum ipſa poteſt cohærere. Quintò quia peccatum lethale ſecum trahit reatum pœnæ æternæ, veniale autem tantùm meretur pœnam temporalem, quia, ut docet D. Thomas, peccatum eatenus inducit reatum pœnæ, quia pervertit ordinem divinæ juſtitiæ, quapropter illud peccatum meretur pœnam æternam, quod, quantum eſt ex ſe, importet ordinationem irreparabilem ex ſe: illud verò meretur pœnam temporalem, quod dicit inordinationem ab intrinſeco reparabilem, proinde tranſitoriam & temporalem.

Quòd ſi quæras, quibus notis dignoſci poſſit peccatum mortale. Certum eſt in omni peccato mortali reperiri neceſſariò materiam ex ſe gravem, ſcilicet objectum, quod ex ſe cenſeatur magnum; quia ſi materia fuerit levis, tunc peccatum eſt tantùm veniale: materia autem peccati dicitur objectum, circa quod verſatur, & tunc dicitur gravis, quando res exiſtimatur ex ſe magna. Ratio, cur in quovis peccato lethali reperiatur materia ex ſe, gravis eſt, quia de ratione cujusvis peccati mortalis eſt, ut repugnet charitati, quam extinguit in ſubjecto, cui advenit peccatum lethale. Sin autem habeat materiam levem, non repugnat charitati, niſi leviter, propterea eam non excludit à ſubjecto, cui advenit veniale cum materia levi, ergo peccatum quodlibet mortale exigit materiam gravem. Sin verò petas, unde deprehendi poſſit objectum eſſe ita grave, ut ſufficiat ad conſtituendum peccatum mortale, reſpondetur cum communi Theologorum ſententia, ex triplici capite poſſe id conjici. Primò ex authoritate Scripturæ, quia ſi hæc ita de peccato aliquo loquatur, ut illud vocet abominabile, dignum morte, & pœna æterna, tunc ejus materia cenſetur gravis, quo pacto adulterium, fornicatio, mollities, & alia id genus peccata gravia ſunt, quia colligitur ex Scripturis; ſcribit enim Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 6. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt*, & ad Epheſ. 5. ait: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habebit hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Secundò conjicitur objectum eſſe grave ex authoritate Eccleſiæ, & Patrum, & communi Theologorum conſenſu: Si enim hi omnes aſſerant, objectum eſſe ita grave, ut ſufficiat ad conſtituendum peccatum lethale, tunc tale peccatum habetur mortale. Tertiò deſumitur ex repugnantia cum charitate Dei aut proximi, adeo ut tunc objectum cenſeatur grave, quando eſt aliquid ſpectans ad charitatem, quæ ſola eſt finis præcepti: ſiquidem quod non conducit ad finem intentum à legiſlatore, eſt procul dubio aliquid grave. Rurſus peccatum lethale præter objectum ex ſe grave, exigit etiam notabilem quantitatem. Nihilominus dantur aliqua peccata, in quibus nulla admittitur materia levis, ſed quælibet ſufficit ad lethale conſtituendum, cujusmodi eſt peccatum luxuriæ, quòd ſi voluntarium fuerit, non admittit levitatem materiæ. Ratio eſt, quia leviter transgredi præceptum grave, perinde ſe habet, ac transgredi præceptum leve, ut liquet in furto, gula, detractione, in quibus certum eſt, peccatum nunquam eſſe mortale, niſi quantitas relativa ad perſonam fuerit notabilis: atqui transgredi præceptum leve, eſt tantùm peccatum veniale: ergo qui transgreditur præceptum grave, ſine quantitate notabili, ut præceptum, non furaberis, habetur tantùm peccatum veniale. Eſt tamen difficultas in aſſignanda quantitate notabili, ut quanta pecunia ſufficiat ad grave furtum, & qualis exceſſus in eſculentis, & potulentis ad grave peccatum gulæ. Eſt regula, quæ aſſignari ſolet, habetur in ordine ad Legiſlatorem, adeo ut gravitas, & levitas materiæ præceptæ deſumatur à fine, quem intendit Legiſlator, etenim ſi materia præcepta graviter conducit ad finem Legiſlatoris, illius transgreſſio eſt peccatum grave, quo pacto Sacerdos omittens notabilem partem officii divini, peccat mortaliter, quia hæc notabilis materia eſt contra finem intentum à Legiſlatore, ſeu contra cultum Deo exhibendum, ac debitum. Solet etiam gravitas materiæ penſari cum omnibus ſuis circumſtantiis, quia quod reſpectu unius eſt materia levis, reſpectu alterius eſt gravis. Quod etiam dentur peccata, in quibus non admittitur materia ulla levis, & quæ excuſat à peccato lethali, eſt certum, quia odium Dei, contemptus formalis ejuſdem, juramentum falſum, infidelitas, ſimonia, irritatio Sacramentorum, homicidium, & deſperatio nullam admittunt materiam levem excuſantem à peccato mortali, quòd ſi quæratur, cur omnem reſpuant levem materiam, reſpondent communiter, rationem deſumi ex natura ipſarum rerum, quatenus omnia illa objecta ita ſunt inordinata, ut in quacunque materia ſemper cenſeantur graviſſima, proinde prærecenſita peccata nunquam ex materia ſunt venialia, ſi peccata illa fuerint completa, circa peccatum luxuriæ, ſi adſit conſenſus, fuit etiam definitum à Clemente VIII. Paulo V. & Alexandro VII. qui juſſerunt, denuntiari inquiſitoribus fidei eum, qui aſſereret, amplexus, oſcula libidinoſa non eſſe peccata lethalia, ſi ſola delectatio venerea in ipſis intendatur ſine alio fine ad copulam: ex quo infertur, non dari materiam levem in materia luxuriæ, quæ excuſet à

Digitized by Google

peccato gravi. Quia ſi in re venerea daretur materia levis, utique eſſent tactus, amplexus, aut oſculum: ſed hæc ſunt peccata lethalia ex ſanctione Pontificum, conſequenter in delectationibus venereis, quæ deliberatè capiuntur, non datur materia levis. Præterea quia nulla eſt venerea delectatio, quæ per ſe ipſam, & ex natura rei non ſit pollutio inchoata, & vera cauſa per ſe ejuſdem, ut docet Gallenus: ſed delectari de cauſa pollutionis eſt peccatum lethale: ergo quævis delectatio, quæ deliberatè ſumitur in re venerea, eſt peccatum grave contra caſtitatem; rurſus, quia voluntariè ſe exponere periculo pollutionis, ac conſenſus in fornicationem eſt peccatum lethale, ſed nemo poteſt voluntariè, ac deliberatè veneream ſuſcipere voluptatem, quin voluntariè ſe exponat huic periculo: ſiquidem per has delectationes vehementer commovetur appetitus, proinde ſemper eſt peccatum lethale. Rurſus ad peccatum grave requiritur etiam ex parte intellectus advertentia malitiæ moralis, adeo ut hæc ſit plena, quia ut aliquis liberè peccet, neceſſe eſt, ut deliberet, an peccet, nec non: ſed non poteſt habere hoc principium deliberandi circa malitiam moralem, ſi actu non advertat ad ipſam, ſaltem dubitando, quia non ſufficit actus partis inferioris, ſed requiritur conſenſus rationis, conſequenter ſine advertentia ad turpitudinem, & malitiam, non habetur peccatum grave, hinc qui carnes comedit die jejunii, ſi non advertat obligationem præcepti, non peccat, quamvis eſculentis illis delectetur: motus itidem primoprimi ſive iracundiæ, ſive libidinis, quia præveniunt omnem conſiderationem, & deliberationem, non imputantur culpæ. Quòd etiam requiratur plena advertentia, ex eo ſuadetur, quia ut aliquis actus ſit peccatum grave, debet eſſe voluntarius etiam ut gravis, quòd ſi ſaltem in confuſo non cognoſcatur gravitas peccati, non poteſt eſſe peccatum voluntarium, & grave; quapropter requiritur plena advertentia, non tamen eſt neceſſe, ut peccator cogitet, ſe peccare lethaliter: ſiquidem peccatum inferre mortem animæ eſt pœna ejuſdem peccati, quæ non neceſſariò eſt voluntaria illi, qui meretur pœnam. Si verò petas, quæ habeatur regula cognoſcendi hanc plenam rationis advertentiam, reſpondetur, ad id requiri, ut advertentia tanta ſit, quanta communiter eſſe ſolet in perfectè vigilantibus, quo pacto etiam cognitio remiſſa poteſt eſſe ſufficiens ad peccatum lethale, dummodo tanta ſit, quanta eſſe ſolet in perfectè vigilantibus, quòd ſi ſimilis tantùm fuerit illi, quam habent ſemiſopiti, & ſemiebrii, non videtur ſufficere ad conſtituendum peccatum lethale, hinc viri timorati, qui poſt aliquam morulam temporis perfectè advertunt operis malitiam, qui omninò ſtatuunt, ſe nunquam fuiſſe conſenſuros pravæ cogitationi, ſi æquè ac nunc advertiſſent ejus malitiam, quapropter ſtatim turpem illam cogitationem excutiunt, perinde ac accenſum carbonem delapſum ſuper veſtes, ne eas comburat, & lædat; & hæc advertentia ſemiplena poteſt etiam in vigilia contingere, vel ex vehementi paſſione, vel ex intenſa aliqua conſideratione ad alia objecta, vel etiam ex mentis ſtupore. Imò ad peccatum requiritur etiam conſenſus, qui eſt actus ille; quo voluntas amplectitur objectum ei propoſitum ab intellectu tanquam utile, vel delectabile, vel honeſtum, & tunc voluntas conſentit, quando ſe accommodat, & adhæret judicio intellectûs: & hic conſenſus tripliciter poteſt contingere. Primò expreſſè, & poſitivè, quando voluntas per actum poſitivum amplectitur talem delectationem, & vocari ſolet conſenſus expreſſus, & formalis. Secundò interpretativè tantùm, & negativè, ut quando quis ſentiens delectationem, eamque plenè advertens merè negativè ſe habet ad ipſam, quatenus nec poſitivè per actum voluntatis illam approbat, nec illam conatur reprimere, ſed purè negativè ſe habet circa illam, quam neque admittit, neque repellit; & hic conſenſus negativus dicitur interpretativus, ac indirectus. Tertiò dicitur voluntas aſſentiri virtualiter, quatenus, licèt nolit illam declarationem appetitus in ſe ipſa liberè tamen ponit cauſam, ex qua conjicit ſecuturam in appetitu talem delectationem. An verò ad peccatum lethale ſufficiat conſenſus interpretativus mihi videtur probabilius: ſiquidem eo ipſo, quòd voluntas tenetur turpem motum coercere, & illum non reprimit, & mavult ſe habere paſſivè in prudentum æſtimatione cenſetur aſſentiri tali motui; præſertim ſi voluntas advertendo ad periculum illum non reprimit, quia tunc ſe exponit periculo conſentiendi poſitivè in illum. Quòd ſi non adſit periculum conſenſus poſitivi, & voluntas motum illum turpem non coerceat, nec illi conſentiat poſitivè, eſt difficultas, an tunc voluntas mortaliter peccet. Sententiam negativam propugnant plures, ſed affirmativa mihi videtur tutior, quam etiam docent plures primæ notæ Theologi. Quia, quoties voluntas prorſus negativè ſe habet circa pravum motum appetitus, quem plenè advertit ſe habere, & illum patitur, ſeu eum non excutit, & coercet, cùm poſſit illum abjicere, toties exponit ſe proximo periculo conſentiendi poſitivè, adeo ut oppoſitum credere ſit potius præſumptio, cùm homo non ita dominetur ſuæ voluntati, ut ſine periculo poſſit ſuſpendere omnem actum circa objectum cognitum, & à quo voluntas maximè allicitur, ergo tunc lethaliter peccat. Præterea quia, quando appetitus vehementer delectatur poſitivè circa aliquod objectum, vix poteſt homo diſcernere, an voluntas ſe habeat purè negativè, an verò etiam ipſa unà cum appetitu ſimul delectetur, conſequenter non poteſt tunc voluntas excuſari à peccato lethali. Præterea, quia ſi motus illi ſunt mali, tenetur voluntas eos abjicere per actum poſitivum, conſequenter ſi illos non excutiat poſitivè cùm poſſit, & teneatur, cenſetur iiſdem præſtare aſſenſum. Demum quia motus illi mali ſunt voluntarii, & liberi, & poſito ſolo conſenſu interpretativo ſunt liberi, quia voluntas determinat ſuam libertatem contradictionis ad non ponendum actum poſitivum, quo abjiciat motus illos, conſequenter, ſi motus illi ſunt voluntarii, & liberi, non poſſunt excuſari à peccato gravi.

Hinc peccata alia ſunt ſpiritualia, & alia carnalia; dicuntur ratione objecti, à quo ſpeciem, & diſtinctionem deſumunt. Peccata ſpiritualia dicuntur, quæ perficiuntur delectatione ſpirituali, & carnalia, quæ conſummantur delectatione carnali: hinc ſuperbia eſt peccatum ſpirituale, quia homo per hoc peccatum delectatur propria excellentia. Gula verò, quia conſummatur in delectatione eſculentorum, & poculentorum, ſicut & luxuria; quæ perficitur delectatione venereorum, dicuntur peccata carnalia, hinc ex ſeptem capitalibus vitiis quinque ſunt ſpiritualia, ſuperbia, avaritia, invidia, ira, acedia, & duo carnalia, luxuria, & gula, ut docet S. Gregorius

lib.

Digitized by Google

lib. 31. *Moral. cap.* 17. & hæc peccatorum diviſio fundatur in Sacris Scripturis; ſcribens enim Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 7. ait: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore DEI.* Carnis ſiquidem inquinamentum eſt peccatum, quod carnali voluptate conſummatur: inquinamentum verò ſpiritus eſt peccatum, cujus conſummatio ſine ſenſuum voluptate conſiſtit. Cæterum dicuntur etiam peccata carnalia, quæ ab homine carnali ſeu vivente ſecundùm carnem perpetrantur, tametſi in carnis voluptate non conſummentur. Dicitur autem homo vivere ſecundùm carnem, quando ſibi ſuisque deſideriis pravis indulget; Scriptura enim hominem carnalem vocat: qui ſuis pravis deſideriis adhæret, & non vivit ſecundùm Deum, unde Auguſtinus *lib.* 14. *de civit. Dei cap.* 4. ait: *Ut non ſecundùm ſe ipſum, ſed ſecundùm eum à quo factus eſt, viveret; id eſt, illius potiùs quàm ſuam faceret voluntatem; non autem ita vivere, quemadmodum factus eſt, ut viveret, hoc eſt mendacium. Beatus quippe vult eſſe, etiam non ſic vivendo, ut poſſit eſſe, quid eſt iſta voluntate mendacius?* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Ergo mendacium eſt, quod cùm fiat, ut benè ſit nobis hinc potius malè eſt nobis, vel cùm fiat, ut melius ſit nobis, hinc potius pejus eſt nobis. Unde hoc, niſi quia de Deo poteſt bene eſſe homini, quem delinquendo deſerit, non de ſe ipſo, ſecundùm quem vivendo delinquit.* In alio ſenſu dicuntur etiam peccata carnis, quæ circa res corporeas, & externas verſantur, quo pacto avaritia inter peccata carnalia recenſetur ab Apoſtolo ad Epheſ. 5. *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem pertinet.* Preſſius tamen ac magis propriè peccatum carnis dicitur luxuria, eò quia in delectatione carnis tota conſummatur, vel quia in hoc peccato ita ſervit anima corpori, ut nihil aliud tunc contingat homini cogitare, quando totus in illa carnis ſpurcitia eſt immerſus.

Dividitur etiam peccatum actuale in peccatum commiſſionis, & omiſſionis, illud eſt prava actio, qua id homo facit, quod lex prohibet, ut quando hominem interimit, thorum alienum coinquinat, & mentitur. Iſtud eſt prætermiſſio boni, quod lex præcipit, ut cùm rem alienam quis non reſtituit, eleemoſynam laboranti extrema neceſſitate non erogat, ſtatas preces non recitat, ſacrum diebus feſtis non audit. Ex his peccatum commiſſionis dicitur ſimpliciter peccatum, & illud omiſſionis dicitur delictum, ut in ſcripturis interdum ſignificatur. Levit. 7. v. 7. *Sicut pro peccato offertur Hoſtia, ita & pro delicto.* Et cap. 14. v. 13. *Sicut pro peccato, ita & pro delicto ad Sacerdotem pertinet hoſtia.* Hinc D. Auguſtinus *quæſt.* 20. *in Levitic.* ait: *Fortaſſis peccatum eſt perpetratio mali: delictum autem deſertio boni. Nam ipſum vocabulum, ſi diſcutiatur, quid aliud erit delictum, quam derelictum, & qui delinquit, quid derelinquit niſi bonum?* Pleriſque in aliis locis uſurpantur promiſcuè peccata & delicta. Peccatum verò commiſſionis eſt contra præceptum affirmativum, & peccatum omiſſionis contra negativum: ſunt autem præcepta negativa, quæ malum prohibent, ut: non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non concupiſces, non falſum teſtimonium dices: affirmativa verò, quæ bonum præcipiunt, ut: memento, ut ſanctifices diem Sabbathi; honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Et hoc eſt diſcrimen inter præcepta negativa, & affirmativa, quia illa obligant ſemper, & pro ſemper, ut loquuntur Theologi cum D. Thoma: Affirmativa verò obligant quidem ſemper, ſed non pro ſemper, & ideo tantùm pro tempore illo aliquis ceſſando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat, ut communio Paſchalis obligat pro tempore Paſchali, & ſi quis non impeditus eo tempore non communicat, transgreditur præceptum affirmativum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 5. *ad* 3. Si enim tempus adſit implendi præceptum, & facultas, ſi non impleatur deliberata voluntate, transgreditur præceptum. Secus ſi facultas non adſit, ut ſi quis propter gravem infirmitatem non poſſit intereſſe Sacro die Feſto, omiſſio illa non eſt peccatum, ut etiam, ſi omiſſio ſit omnino involuntaria, tum in ſe, tum in ſua cauſa, demum peccatum eſt; quòd ſi in ſe ſit involuntaria, & tamen volita in ſua cauſa, tunc effectus, qui ex illa ſequitur, eſt voluntarius in cauſa, propterea peccatum, hinc D. Auguſtinus *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 44. ait: *Quod Loth ſit culpandus, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit*, ut etiam docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 4. ex quo ſequitur, eum peccare, qui ſua culpa uſu rationis deſtitutus aut agit, quod non licet, aut non facit, quod deberet, ſi prævideſit, vel prævidere debuerit.

Rurſus dividitur etiam peccatum, ut aliud ſit in DEUM, & aliud in ſe ipſum, vel proximum, quamvis omne peccatum ſit defectio à rectitudine, ideo triplex debet in homine eſſe ordo, ſcilicet ad Deum, ad ſe ipſum, & ad proximum, propterea tripartita habetur hæc diviſio peccati, in Deum, in ſe ipſum, & in proximum: & quamvis omnia peccata ſint ſemper contra DEUM, eò quia ſunt transgreſſiones legis æternæ, & averſiones ab ipſo ut fine ultimo: nihilominus ea peccata propriè dicuntur contra Deum, quæ directè, & immediatè contra divinam Majeſtatem pugnant, vel ſunt defectiones ab ordine illo humana ratione ſuperiori, & quo bono ſpeciatim ordinatur in Deum, vel ſunt transgreſſiones divinæ legis in his quæ ſoli Deo debentur, ut ſunt idololatria, hæreſis, deſperatio, præſumptio de miſericordia divina, odium Dei, blaſphemia, ſacrilegium, impœnitentia, dicuntur hæc omnia eſſe peccatum in Deum. Peccata contra nos ipſos ea ſunt, quibus violatur ordo rationis, quem quiſque ſervare debet erga ſe ipſum, ut ebrietas, fornicatio, prodigalitas. Peccata in proximum ſunt, quibus violatur ordo rationis erga reliquos homines, ſive ſint nobis ſuperiores, ſive æquales, ſive inferiores, & ſive nobis conjuncti, vel alieni, cujusmodi ſunt homicidium, inobedientia, contumelia, perduellio, calumnia, detractio, & quæcunque verbis, vel factis alteri fit injuria, & hunc triplicem ordinem hominis ad Deum, ad ſe ipſum, & ad proximum complexus eſt Apoſtolus 2. *ad Titum cap.* 2. *v.* 11. 12. inquiens: *Apparuit gratia Dei Salvatoris Noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo.* Hinc S. Fulgentius *lib.* 1. *de remiſſ. peccator. cap.* 28. explicans hunc locum ait: *Sobrietatem cuſtodit, quiſquis mores ſuos, vitamque componit. Et ille juſtè vivit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, & in quantum poteſt, adjutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè vivit, qui*

Digitized by Google

perverſum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum, vivat ſobrius in ſe ipſo, juſtitiam ſervet proximo, & pius perſeveret in Deo. Et D. Bernardus declamat. in evangel. *Ecce nos reliquimus omnia.* §. 37. ait: *Exhibeatur ergo Sobrietas nobis, juſtitia proximo, pietas Deo, pietas enim cultus Dei eſt.* Solemnis etiam eſt diviſio peccati lethalis in ſeptem illa vitia, quæ dicuntur capitalia, & ſunt veluti fontes, è quibus ſcatutiunt putidiſſimi rivuli aliorum peccatorum; ſuntque ſuperbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. Et de hac diviſione fusè loquitur S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 17. ut etiam D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 84. *art.* 5. Ponit tamen S. Gregorius ſuperbiam extra numerum, ut reliquorum vitiorum reginam, & inanem gloriam Principem aſſerit vitiorum, ſiquidem expendens verba Job. cap. 39. *Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululatum exercitus,* ait: *Quia ſpiritualis miles cogitatione omne vitium, priusquam ſubrepere poſſit, aſpicitur, unde rectè de equo Dei dicitur, procul odoratur bellum. Perpendit etiam, quæ turba iniquitatum prorumpat, ſi mala ad ſe ingredi, vel pauca permittat, unde ſequitur exhortationem ducum, & ululatum exercitus, tentantia enim vitia inviſibili contra nos prælio regnanti ſuper ſe ſuperbia militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitûs ſubſequuntur.* Paucis interjectis ſubdit: *Ipſa namque vitiorum regina ſuperbia cum devictum plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis quaſi quibusdam ſubducibus devaſtandum tradit. Quos ſcilicet Duces exercitus ſequitur, quia ex eis proculdubio importunè vitiorum multitudines oriuntur. Radix quippe cuncti mali ſuperbia, de qua ſcriptura atteſtante dicitur initium omnis peccati eſt ſuperbia, cujus ſoboles ſunt principalia vitia, quæ de hac virulenta radice pullulant, ſcilicet inanis gloria, invidia, ira, triſtitia, ſeu acedia, avaritia, mentis ingluvies, luxuria.* Et aſſerit, de inani gloria oriri inobedientiam, jactantiam, hypocriſin, contentiones pertinaciæ, diſcordiæ, & novitatum præſumptiones. De corrupta radice invidiæ pullulare odium, ſuſurrationem, detractionem, exultationem in adverſis proximi, afflictiones in proſperis. De fornace iræ foras erumpere rixas, tumores mentis, contumelias, indignationes, blaſphemias. De ſemine acediæ pullulare malitiam, rancorem, puſillanimitatem, deſperationem, torporem, vagationem mentis erga illicita. De putido avaritiæ fonte ſcaturire proditiones, fraudes, fallacias, perjuria, inquietudines, violentias, & contra miſericordiam obdurationes cordis. De ventris ingluvie veluti de fœtida cloaca foras ſuas emittere fœditates inepta gaudia, ſcurrilitates, immunditias, multiloquia, hebetudines ſenſuum. De immunda luxuria oriri cæcitates mentis, inconſiderationes, inconſtantias, præcipitationes, amorem ſui, odium Dei, affectum ad præſens ſæculum, & horrorem, ac deſperationem circa futurum.

C A P U T V.

Quomodo peccata alia dicantur eſſe ex ignorantia; quædam ex cupiditate, ſive infirmitate, & alia ex malitia.

Dividuntur etiam peccata ratione cauſarum internarum in ea, quæ fiunt ex ignorantia, cupiditate, ſeu infirmitate, & malitia. Eſt ignorantia privatio ſcientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, quatenùs dirigit actus humanos. Ratio enim, quatenus eſt directrix actuum humanorum, duplicem complectitur ſcientiam, univerſalem, & particularem: & peccatum poteſt eſſe vel ex ignorantia alicujus univerſalis principii, quod ſit quædam regula rationis, vel ex ignorantia ſingularis circumſtantiæ, poteſt etiam ignorantia dupliciter ſumi, primò pro neſcientia, & eſt carentia illius ſcientiæ, quam quis non habet, nec tenetur habere, imò nec poteſt illam ſibi comparare, adeo ut ſit tantùm negatio, ſeu carentia formæ in ſubjecto non capaci, proinde non poteſt ſecum trahere rationem mali moralis. Alia eſt ignorantia propriè ſumpta, & dicit carentiam ſcientiæ, quam quis debet, & poteſt ſibi comparare, hinc ignorantia alia eſt vincibilis, & alia invincibilis; illa eſt, quæ adhibita morali diligentia poteſt ſuperari, hæc verò, quæ vinci non poteſt, hinc non quælibet ignorantia eſt cauſa peccati, ſed illa tantùm, quæ vincibilis eſt, quæque tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Hinc ſi quis ita ſit affectus, ut à parricidio non prohiberetur, quamvis cognoſceret hominem, quem interficit, eſſe patrem, ignorantia patris non eſt illi cauſa peccati, ſed concomitanter ad illud ſe habet, ideo non dicitur peccare propter ignorantiam, ſed dicitur peccare ignorans, ut explicat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1. Cæterum ignorantia multiplex eſt, ſi enim ſpectetur ex parte mentis, quam afficit, alia eſt negativa, alia privativa, & alia pravæ diſpoſitionis. Negativa eſt ſimplex negatio ſcientiæ, ſeu eſt neſcientia rerum, quas ſcire aliquis non poteſt, nec debet, & hæc minus propria dicitur ignorantia. Privativa eſt privatio rerum, quas ignorans ſcire poſſet, & deberet. Pravæ diſpoſitionis eſt habitus, vel diſpoſitio ſcientiæ contrariæ, ut cum quis falſis principiis, falſisque opinionibus imbutus eſt. Ex parte objecti alia eſt ignorantia facti, & alia juris; illa eſt reſpectu alicujus particularis contingentis circa materiam vel circumſtantiam actus, quæ facilè poteſt ignorari; cujusmodi fuit ignorantia Jacobi, quando pro Rachele ſuppoſitam ſibi Liam cognovit Geneſ. 29. Ignorantia juris eſt privatio ſcientiæ illarum rerum, quæ lege vel legitima conſuetudine ſunt conſtitutæ, & alia eſt ignorantia juris divini, alia humani, & illa adhuc dividitur in ignorantiam juris divini naturalis, vel juris divini poſitivi. Ignorantia juris humani etiam eſt duplex, ſcilicet juris eccleſiaſtici, & civilis, ſicut enim jus dividitur in naturale & poſitivum, & hoc in divinum, & humanum: & humanum in eccleſiaſticum, & ſæculare; & ſæculare in jus gentium, & civile; ita ignorantia juris in totidē dividitur membra, ſicut jus ipſum, quia omnes

juris

Digitized by Google

juris diviſiones poſſunt ignorari. Ignorantia ex parte hominis dividitur in eam, quæ vincibilis eſt, & quæ invincibilis; illa eſt, quæ humano ſtudio, & diligentia vinci poteſt, cujuſmodi eſt ignorantia rerum, quas homo tenetur ſcire, ſive quia neceſſariæ ſint abſolutè ad aſſecutionem æternæ ſalutis, ſive ad officium, ad quod exercendum divina providentia eum vocavit, quam tamen ſcientiam diſcere non curavit. Ignorantia invincibilis, quæ nulla induſtria, vel diligentia ſuperari poteſt, cujuſmodi eſt illa ignorantia Gentilium circa myſteria noſtræ fidei, cum nihil unquam de illis audierint, & quos propterea Theologi vocant infideles negativè, de quibus ait Apoſtolus ad Roman. 10. v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient ſine prædicante,* & de quibus Chriſtus ait Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Ex parte voluntatis tripartitur ignorantia in antecedentem, concomitantem, & conſequentem, antecedens eſt, quæ quamvis non ſit volita, eſt tamen cauſa volendi aliud, quod alias homo nollet, qui ex tali ignorantia operatur; ut ſi quis ignoret aliquam circumſtantiam actus, quam ſcire non tenebatur, & inde aliquid agat, quod non ageret, ſi illa circumſtantia ei innotuiſſet: ut cum quis adhibita ſufficienti diligentia neſciat aliquem tranſire per plateam; & projiciat e feneſtra vas aliquod, quo percutiat, & interficiat tranſeuntem, quod fit ex illa ignorantia, dicitur involuntarium, unde ignorantia antecedens eſt, quæ præcedit actum, cujus eſt cauſa, & nullo pacto eſt volita, proinde dicitur etiam invincibilis, & inculpabilis. Ignorantia concomitans dicitur, quæ ita conjuncta eſt conſenſui voluntatis, ut etiam ſi abeſſet, adhuc voluntas operi pravo aſſentiretur, ut cum quis adeo vehementer eſt odio accenſus in hoſtem, ut illum deliberet occidere, & ignorans loco hominis cervum occidat, ſi putet non hominem, ſed cervum occidere, talis occiſio fit ex ignorantia concomitante, & hæc occiſio non eſt involuntaria, quia non repugnat voluntati propensè ad illud agendum, ſed potius dicitur ad illam agendam propensè, ſed potius eſt non-voluntaria: ſiquidem non poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratur. Unde ignorantia concomitans eſt, quæ licet non cauſet opus, illud tamen concomitatur, & quia hæc ignorantia nullo modo eſt volita, nec cognita dicitur etiam invincibilis. Ignorantia conſequens ea eſt, quæ judicium rationis, & motum voluntatis ſequitur, adeo ut ſit voluntaria, ſive ſit cauſa operis, ſive non, & dicitur vincibilis, & bipartitur in directè, & indirectè volitam; illa eſt, in quam fertur voluntas, & quam ultro amplectitur, ſicut cum quis ſtudio vult ignorare, quæ ad ſalutem æternam ſpectant, ut inde poſſit liberius peccare, ſuiſque indulgere deſideriis abſque ullo conſcientiæ ſtimulo, quo deterreatur à peccato; velut ignorantiæ ſuffragio à peccato excuſetur juxta illud Job. 21. 13. v. 14. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, qui dixerunt Deo recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus,* quæ verba expendens D. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 25. ait: *Hæc verbis dicere vel ſtulti minimè præſumunt, ſed tamen perverſi omnes Deo: recede non verbis, ſed moribus dicunt, qui ei ad ſe aditum præbere recuſant, cumque pravis actibus impugnant, etiam ſi verbis laudare videantur. Dicunt etiam ſcientiam viarum tuarum nolumus ſe ipſo, quo ejus ſcientiam apprehendere contemnunt: ſunt enim qui ex eo quod veritas dicit Luc. 12. Non cognovit voluntatem Domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit paucis: & ſervus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens juxta eam, vapulabit multis. Nolunt ſcire, quid faciant, & quaſi minus ſe vapulaturos exiſtimant, ut neſciant, quid operari debuerunt, ſed aliud eſt neſciiſſe, & aliud ſcire noluiſſe. Neſcit namque, qui apprehendere vult, & non valet, qui autem, ut neſciat, aurem à voce veritatis avertit, iſte non neſciens, ſed contemptor addicitur.* Et hæc ignorantia dicitur etiam affectata. Ignorantia indirectè volita eſt illa, quæ quamvis non ſit in ſe volita, ratione tamen negligentiæ in illis rebus edicendis, & conſiderandis, quas ediſcere, & conſiderare homo poteſt, & debet, voluntariè cenſetur, & hæc ignorantia dicitur etiam craſſa, ſupina, ſive ignorantia malæ electionis, vel ex animi perturbatione, vel ex habitu proveniens, ut cum quis notitiam, quam deberet, & poſſet habere, non curat acquirere. Et hujus generis ignorantia eſt univerſalium juris naturæ principiorum ac præceptorum Decalogi, quæ ex illis facilè inferuntur, ut etiam ignorantia Symboli Apoſtolorum ac præcipuorum myſteriorum fidei, & orationis Dominicæ in homine chriſtiano, ut docet D. Thomas 1. 2. Dari peccata ex ignorantia conſtat è ſacris litteris, in quibus ſacrificia pro peccatis ex ignorantia commiſſis præſcribuntur, vel pœnitentia exigitur Levit. 4. & cap. 5. Numer. 25. & Pſal. 24. ubi David fatetur, ſua peccata ex ignorantia in juventute perpetrata: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Eccleſiaſt. 13. *Ne accreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent.* Act. 3. 17 *Scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra;* & 1. Timot. 1. v. 13. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Unde nulli dubium, quin dentur peccata ex ignorantia. Præterea quia Levit. cap. 5. *ſtatuuntur ſacrificia offerenda pro iis, qui ex ignorantia deliquerunt:* & Apoſtolus ad Hebr. 9. quot annis ſolum Pontificem ſemel introiviſſe in Sancta Sanctorum, non ſine ſanguine, quem teſtatur D. Paulus obtuliſſe pro ſuis, & populi ignorantiis, ſeu, ut expendit D. Thomas, pro ſuis & populi peccatis ex ignorantia commiſſis. Præterea quia ignorantia conſequens vincibilis eorum, quæ quis tenebatur ſcire vel agere, inducit peccatum, ut ſi quis ignoret, quæ ad proprium pertinent officium, ut Confeſſarius, Medicus, Advocatus, quia ex tali ignorantia grave damnum infertur proximo. Tum quia vel eſt ignorantia eorum, quæ quis tenetur ſcire, & negligit ſcire, ut ſi quis ignoret fidei articulos, talis ignorantia eſt etiam peccatum, quia negligere ſcire, vel facere, quod quis tenetur ſcire, vel facere, peccat, proinde talis ignorantia eſt peccatum grave. Præterea ignorantia tantum per accidens & indirectè eſt cauſa peccati, ut docet D. Thomas *quæſt. 3. de malo art.* 8. quia cum ignorantia ſit privatio, non poteſt directè influere poſitivè in peccatum, ſed tantum indirectè, & per accidens quatenus removet prohibens, ſeu tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, impediret peccatum: unde perinde dicitur ignorantia cauſa peccati, ac ſi quis removens columnam, cui innititur domus, dicitur cauſa delabentis domus, quatenus removet obicem, à quo talis lapſus impediebatur: illa enim eſt cauſa

by Google

cauſa per accidens alicujus effectus, quæ removet aliquid quod effectum impediebat, & quia ignorantia eorum, quæ quis tenebatur agere, removet ſcientiam, qua poſita non ſequeretur peccatum ideo dicitur ignorantia per accidens, & indirectè cauſa peccati; quòd ſi dicas inde ſecutum Deum fore cauſam peccati, cùm ſubinde deneget auxilia uberiora, quæ ſi adeſſent, peccatum impedirent. Contra eſt, ſiquidem eſt diſpar ratio, quia Deus non tenetur auxilia dare, quæ denegat, ſicut tenetur homo ſibi comparare ſcientiam neceſſariam ad declinandum peccatum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt. 76. art.* 2. Tunc tantùm effectus tribuitur removenti prohibens, quando removens tenetur effectum illum impedire. Cæterum ut ignorantia ſit culpabilis tria requiruntur, primò ut ſit vincibilis & volita; ſecundò ut adſit actualis advertentia malitiæ illius. Tertiò ut ſit notabilis negligentia ſciendi ea, quæ quis poteſt, & tenetur ſcire.

Peccatum ex cupiditate, ſeu animi perturbatione eſt, ad quod voluntas inclinatur, & allicitur à concupiſcentia mentis diſtrahente, vel impediente conſiderationem juxta illud Daniel, cap. 13. v. 56. *Species decepit, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum*, & Jacobi 1. v. 14. & 15. *Unusquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit parit peccatum peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem*, hoc autem peccatum oriens ex cupiditate & animi perturbatione, dicitur etiam procedere ex infirmitate, eò quia perturbationes, & cupiditates à Philoſopho dicantur animæ ægritudines, in quo ſenſu ajebat David Pſal. 6. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum*, & talia fuerunt peccata Davidis, & S. Petri, talia etiam, quæ ex metu, ira, vel concupiſcentia, animi, aut alia perturbatione committuntur. Animi perturbatio vel eſt antecedens, vel conſequens; illa dicitur, quæ judicium rationis, & actum voluntatis antevertit, quam nititur trahere, vel inclinare ad conſenſum, hæc verò quæ motum voluntatis ſequitur perinde ac libido, vel ira excitatur, vel ut quis aliena furatur muliere, vel ut inimicum ulciſcatur. Paſſio antecedens quia rationem perturbat, libertatem minuit: ſiquidem ratio perturbata ſingulas operis circumſtantias minus accuratè cognoſcere, & expendere poteſt, quod tamen requiritur ad perfectam libertatem. Paſſio verò conſequens non minuit, ſed auget voluntarium, quia ſignum eſt vehementioris voluntatis, & ad peccatum propenſioris, nemo enim putet concupiſcentiam conſtituere peccatum ex illa votum prorſus voluntarium, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Galat. v. 17. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem, hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Poſtrema enim hæc verba non referuntur ad externum actum, quaſi concupiſcentia cauſa ſit, ut fiat contra voluntatem, ſed referuntur ad primum motum concupiſcentiæ, vellet enim homo juſtus motus illos non experiri, quos tamen velit, nolit experitur, in quo ſenſu ajebat Apoſtolus ad Roman. 7. 15. *Quod odi malum, illud facio*, vel referunt ad voluntatem, quæ præcedit imperium paſſionis, quia plerumque homo paſſione commotus, & abſtractus agit, quæ antea ſe minimè acturum propoſuerat, vel quod reſtincta, ac diminuta cupiditate nollet egiſſe. Hinc D. Auguſtinus ſerm. 30. de verbis Apoſtoli ait: *Non quod volo, ago, carnalis dicit, non legem, ſed ſe accuſans. Nam lex ſpiritualis non habet culpam, carnalis venundatus incurrit in culpam, non agit, quod vult, cùm vult, non poteſt, quia quando poterat, noluit; per malum velle perdidit bonum poſſe; & captivus jam loquitur, & dicit: Non, quod volo, ago, tu non vis, ut concupiſcentia illa, quæ reſiſtit menti tuæ omnino non ſit in te: mali voti homo es, ſi tali adverſarii non vis carere. Ego fateor tibi quidquid in me rebellat adverſus mentem meam, & litigat mecum delectatione contraria, quidquid in me tale eſt, omnino interficere volo. Etſi ei fortè adjuvante Domino non conſentio; nolo habere cum quo litigem. Multo eſt mihi optabilius inimicum non habere quam vincere.* Et nonnullis interjectis expendens verba Apoſtoli: *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem*, ait: *Hæc invicem adverſantur, ut non ea, quæ vultis, faciatis, inde & iſte, non quod volo, ago, concupiſcit enim caro adverſus Spiritum, & nolo, ut concupiſcat, pro magno habeo, ſi non conſentiam, opto tamen ut caream: ergo non quod volo, ago. Volo enim ut non concupiſcat caro adverſus Spiritum, & non poſſum*, & poſt pauca ſubdit: *Tu autem naturæ deſertor vel potius oppugnator, dum quaſi de natura ſana laudas creatorem, excludis à languida Salvatorem*; hactenus Auguſtinus explicans verba illa Apoſtoli: *Quod odi malum, illud facio*, & quomodo peccata ex concupiſcentia & animi perturbatione commiſſa volita ſint, quia deſideriis illicitis homo non cogitur, ſed liberè obedit, & quomodo ipſa cupiditas eſt infirmitas naturæ noſtræ, adeoque peccata ex cupiditate profecta dicuntur eſſe peccata infirmitatis. Hæc autem infirmitas ſicut eſt difficultas, quam experimur operandi bonum, ut etiam ignorantia naturæ peccatricis vulnera ſunt, quæ per peccatum primi hominis fuerunt ipſi inflicta, ait enim Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quisque, quo bene uti noluit, cùm ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire, quod rectum ſit: & qui rectè facere cum poſſet, noluit amittat poſſe cum velit. Nam ſunt revera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.*

Ex hoc concupiſcentiæ fonte omnia ſcaturire peccata, ediſſerit S. Joannes epiſt. 1. cap. 2. inquiens: *Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Ad hæc tria omnes revocantur animi perturbationes motus omnes inordinati appetitus, ſiquidem ad concupiſcentiam carnis revocantur concupiſcentia oculorum, & paſſiones omnes appetitus concupiſcentis; ad ſuperbiam vitæ perturbationes appetitus iraſcentis: ſiquidem per carnis concupiſcentiam intelligitur perverſus appetitus rerum, quæ carnem titillant, & delectant, ut ſunt eſculenta, poculenta, & venerea. Per concupiſcentiam oculorum intelligitur vana curioſitas, qua concupiſcitur, quidquid aſpectu placet, eſtque delectabile, ſive in theatris, ſive in foro, in plateis, & ſpectaculis, & hujus triplicis cupiditatis, ſeu omnium peccatorum radix perverſus eſt amor ſui, ſiquidem omne peccatum procedit ex inordinato appetitu alicujus boni temporalis. Et quod homo inordinatè appetat bonum aliquod temporale, id ex eo proditur, quia ſe ipſum inordinatè amat.

Hinc

Digitized by Google

Hinc Auguſtinus *lib.* 4. *de Civit. DEI cap.* 28. ait: *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui usque ad contemptum Dei, cæleſtem verò amor Dei usque ad contemptum ſui.* Perverſus eſt igitur, & iniquus amor ſui, cùm ſit radix, à qua pullulant omnes iniquitates, propterea evellendus eſt, & omnino excindendus. Hinc Chriſtus ajebat ſuis Diſcipulis: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, ſeu excindat à ſe amorem ſui, quia ut expendit Auguſtinus ſerm. 130. *Amando enim ſe, perdit ſe, negando ſe, invenit ſe*, ait enim Chriſtus *Joan.* 12. *v.* 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam. Nemo eſt, qui non ſe amet; ſed rectus amor eſt quærendus, perverſus cavendus.* Peccatum ex malitia eſt illud, quod ſola perverſitate voluntatis bonum temporale de rationis ordine lege Dei, charitate, adeoque pro ipſo Deo amantis committitur, mavult enim homo eligere pati detrimentum in aliquo ex bonis ſpiritualibus, ut bono aliquo potiatur temporali, quod propterea inverſo ordine præfertur ſpirituali, & hi dicuntur apud Job. 34. 27. *Qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt*, & Proverb. 2. v. 14. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, qui lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Peccatum ex malitia fuit pomorum furtum ab Auguſtino adhuc adoleſcente cum Sodalibus perpetratum: ut ipſe fatetur *lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 4. & demum peccatum omne ex pravo habitu peccatum eſt ex certa malitia, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Cùm enim habitus, ſeu inveterata peccandi conſuetudo in alteram prope naturam converſa ſit, converſio itidem, ſeu pronitas voluntatis ad malum eligendum ſit etiam ipſi quodammodo connaturalis.

CAPUT VI.

An omnis ignorantia juris naturalis ſit cauſa peccati?

DOcuit Janſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. ignorantiam invincibilem juris naturalis eſſe cauſam peccati, & duplicem diſtinguit ignorantiam invincibilem, unam juris poſitivi, quam vult excuſare à culpa, & aliam juris naturalis, quam aſſerit non excuſari à peccato, ſed illud cauſare, eò quia hujusmodi ignorantia fluxerit, ut effectus ab ipſo peccato originali, quod ſicut fuit interpretativè, & virtualiter voluntarium omnibus poſteris, quatenus DEUS voluntates poſterorum incluſit, ſive alligavit voluntati Adæ ut capiti, ideo ſicut peccatum originale fuit voluntarium interpretativè poſteris, ita etiam ignorantia juris naturalis, adeo ut hæc ſufficiat ad inducendum peccatum actuale; non verò ignorantia juris poſitivi, & ait eſſe diſcrimen, quia ſcientia juris naturalis eſt humanæ naturæ connaturalis, & naturaliter debita, & hanc habuiſſent omnes homines in ſtatu innocentiæ, ideoque ejus carentia, ſeu ignorantia invincibilis juris naturalis vitioſa eſt & inflicta in pœnam peccati, ac poteſt eſſe cauſa alterius peccati actualis, non ita ignorantia juris poſitivi, quia ejus ſcientia non eſt naturæ humanæ connaturalis, nec debita cùm lex divina poſitiva oriatur à libera DEI voluntate. Verùm ut clarè in hac controverſia procedatur, ſupponendum eſt eſſe certum de fide dari hoc jus naturale, quod nihil aliud eſt, quàm ipſa lex naturæ, de qua ſcribens Apoſtolus ad Roman. 2. ait: *Ejusmodi legem habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Hinc Auguſtinus 2. *Confeſſ. cap.* 4. ait: *Lex tua Domine in cordibus hominis ſcripta eſt, quam nec ulla unquam delet, nec delebit iniquitas.* Ratio eſt, quia cùm natura rationalis moveatur in finem, neceſſaria erat regula aliqua, quæ motum hunc naturæ rationalis intra debitos terminos ſecundum exigentiam finis dirigeret: & quia motus iſte eſt maximè connaturalis, ab intrinſeco exigebat eidem dari regulam, quæ itidem connaturalis eſſet, & ab intrinſeco, quam regulam Deus munificentiſſimus bonorum omnium largitor omnibus communicavit hominibus, quibus ſuas itidem impertitus eſt perfectiones, ſiquidem cuique [illegible] naturam rationalem vis quædam ineſt ad diſcernendum inter bonum, & malum, ſeu inter operationes naturæ convenientes, vel diſconvenientes; & hæc vis ratio vocatur, in qua Abulenſis in 19. Matth. quæſt. 13. & plures alii cenſent formaliter conſiſtere legem ipſam naturalem. Verùm eorum rationes tantùm evincunt requiri dictamen mentis eſſentialiter tanquam conditionem neceſſariam perinde ac in cæteris legibus, quæ non obligant, niſi ſufficienter promulgentur; hinc quia lex naturalis moraliter obligat, debuit promulgari, & ne illam ignoraremus, donati ſumus lumine rationis, ut nos erudiret, quid proſequi, & quid contemnere, vel fugere debeamus, adeo ut lex naturalis ſit potius natura rationalis, quà talis, ſeu ut participans divinas perfectiones, & ordinatur per media proportionata ad ipſum Deum: & Legislator ſit Deus, & ratio, ſeu lumen naturale illa manifeſtatio, qua lex naturalis nobis promulgatur, ut illam cognoſcamus, idque deſumitur ex D. Auguſtino *lib.* 2. *de ſermon. Domini in monte*, ubi ait: *Nullam animam eſſe, quæ ratiocinari poſſit, in cujus conſcientia non loquatur Deus.* Eſt itaque natura rationalis, ut participans divinas perfectiones tabula, in qua digito DEI vivi ſcribitur lex naturalis, etenim eſt natura rationalis, ut participans divinas perfectiones quoddam idæarum perfecti, & excellentiſſimi artificis: & quia idæatum perfectum eſt uniforme ſuo prototypo; ideo divinæ perfectiones, quatenus ſunt in natura rationali quoddam idæatum divinarum operationum exiſtentium in Deo, non poſſunt non importare perfectionem. Hinc illæ operationes naturæ rationalis, quæ divinis conformantur, & ordinant ad finem ultimum, ſunt independenter à quacunque alia lege extrinſeca intrinſecè moraliter bonæ: ſecus operationes naturæ humanæ, quæ divinis non conformantur, quæ à fine ultimo avertunt, ſunt intrinſecè malæ: Hinc quia Deus eſt eſſentialiter verax, mendacium in homine eſt eſſentialiter, & intrinſecè malum, quia diſforme divinæ perfectioni, ac deordinativum à fine ultimo, quia enim ſimilia quæ proportionata ordinant, ita diſſimilia deordinant, unde illæ operationes in creatura rationali ſunt perfectæ, quæ conformes divinis: ſiqui-

Digitized by Google

dem divinus intellectus Dei attributa, potentiam, æternitatem, ſapientiam, pulchritudinem, & alias divinas perfectiones contemplatur: & divina voluntas vel maximè gaudet Deum eſſe bonum, infinitum, omnium divitiarum fontem, nullius indigum, omnia poſſe, in omnes liberalem, omnibus prodeſſe, obeſſe nulli; ideo omnes iſtæ operationes, ſi eliciantur à creatura rationali, ſunt perfectæ, & juxta legem naturæ: per conformitatem enim cum divinis perfectionibus operationes noſtræ conſtituuntur rectæ, & bonæ: quinimò ſicut nullus amor poteſt eſſe major eo, quo Deus ſe ipſum amat, ſic noſter amor non poteſt eſſe melior, quàm ſi divino amori fiat conformior. Neque aliud eſt amare, ait Ariſtoteles, quàm alicui bonum velle, quo conſtituto ſequitur, ut quo majus bonum alicui volumus, eò impenſius amemus, & quia non poſſumus Deo velle majus bonum, quàm quòd ipſe eſt, cùm ſit pelagus totius bonitatis; nec poſſumus Deum ardentius amare, quàm ſi ſua illi bona velimus.

Hac de cauſa præcepta Decalogi, quibus præcipimur Deum amare ex toto corde, & proximum, ſicut nos ipſos, pertinent ad legem naturalem, quia ſunt operationes conformes divinis; Cùm enim Deus ſe ipſum ut omnium perfectionum ac bonitatum fontem amet; lex naturalis non obligat ad Deum amandum ſuper omnia ex toto corde, totaque anima, & ſicut Deus munifica ſua largitate, & amore benefico communicat ſua bona creaturis, quas propterea amat; ideo & nos tenemur ex vi legis naturalis proximum diligere, eique bene velle: eſt ſiquidem lex naturalis obligativa & præceptiva ex vi judicii intimativi, quia ſicut principia evidentia adigunt intellectum ſuaſivo modo ad ſpeculativum aſſenſum conclusionis, adeo ut aſſentiendo principiis intellectus adigatur etiam aſſentiri concluſioni; ita etiam principia practica naturalia adigunt intellectum ad aſſenſum practicum, & ad inferendam concluſionem practicam, quod perinde eſt, ac obligare voluntatem ad operandum: etenim præcepta naturalia in ſua intimatione continent evidenter veritatem practicam principiorum, conſequenter obligant intellectum ad judicandum hic, & nunc eſſe operandum; & cùm voluntas ſequatur intellectum, obligatur etiam ipſa ad operandum conformiter ad legem naturalem, ad quam propterea pertinent non ſolùm, quæ continentur in primis principiis, verùm etiam, quæ in concluſionibus evidenter deductis ex primis principiis, quæque habent veritatem practicam neceſſariam, ut docet D. Auguſtinus *lib. 1. de libero arbitr. cap. 3.* & ratio ex eo petitur, quia, quæ habent evidentem veritatem practicam, & immutabilem, ſunt ſimpliciter neceſſaria pro recto ordine morali naturæ rationalis, proinde pertinent ad legem naturæ; quia præſcribunt, quid agendum ſit, & quid fugiendum, adeo ut ſi operatio non ſit iiſdem conformis, ſit deficiens, & inordinata, eò quia careat ordine præſcripto à ratione: quamobrem non ſolùm principia, verùm etiam concluſiones ex iiſdem deductæ continent veritatem practicam, & immutabilem, & pertinent ad legem naturæ, per quam Deus ſufficienter providit, pro recto ordine morali: conſequenter lex naturalis complectitur omnes illas regulas, quæ neceſſariæ ſunt ad rectè agendum, & vivendum: Hinc D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 94. *art.* 2. ait: Legem naturalem continere plura præcepta juxta diverſitatem principiorum, & concluſionem ad ipſam pertinentium: etenim lex naturalis prohibet diverſa vitia, ut homicidium, furtum, adulterium, & alia hujusmodi, & etiam præcipit diverſas virtutes, proindecontinet plura præcepta, quia quælibet virtus habet diverſum motivum proprium, ut præcipiatur: ſicut enim vitium ut inhibeatur; & quia præcepta diſtinguuntur ex diverſitate principiorum, ideo lex naturalis plura complectitur præcepta juxta diverſitatem principiorum & concluſionum, quæ ex iiſdem deducuntur, & pertinent ad legem naturalem. Hæc autem plura, ac diverſa præcepta naturalia una nectuntur in unicam legem, & in illud unicum præceptum univerſale, quod indicat Pſaltes: *Declina à malo, & fac bonum*: Siquidem lex naturalis habet pro objecto adæquato ordinem moralem, adeo ut ſingula præcepta aliquid includant ejuſdem ordinis, quo fit, ut omnia præcepta naturalia uniantur in illo præfato, quia ſi fiat bonum, & declinetur à malo, habetur adæquatus moralis ordo. Poſſunt nihilominus ſub hoc univerſali præcepto plura alia univerſalia diſtingui, quia ſub hoc præcepto continentur diverſæ ſeries præceptorum, quæ reſpiciunt certum finem, & uniuntur in unum præceptum eidem fini adæquatum; unde ordo ſervandus eſt in Deo ut fine ultimo, & exprimitur per illud præceptum: *Diliges DEUM tuum ex toto corde tuo*, & ſervandus eſt etiam ordo cum proximo, juxta illud Matth. 10. *Omnia quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, & eſt perinde, ac diligere proximum, ſicut ſe ipſum.

Difficultas igitur eſt, an juris naturalis dari poſſit ignorantia, quæ ſit invincibilis, & quæ excuſet à culpa, an verò ignorantia omnis juris naturalis ſit cauſa peccati, pro quo juvat diſtinguere prima principia legis naturalis, præſertim illa duo: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et quod tibi vis fieri, alteri feceris*, quæ duo recidunt in idem, ſeu facere bonum, & declinare à malo: ex primo principio affirmative, quod eſt facere bonum aliis, quod quis ſibi vellet, deducuntur ut concluſiones proximè, & immediatè illa præcepta Decalogi, quæ ſunt affirmativa, & quæ obligant ſemper, ſed non pro ſemper: ex ſecundo principio, quod eſt declinare à malo, ſeu non facere aliis, quòd nollet quis ſibi fieri, deducuntur alia præcepta Decalogi, quæ ſunt negativa, & quibus prohibemur malum inferre proximo. Præterea aſſumendo tres primas concluſiones ita deductas, tanquam principia, ex eiſdem inferimus alias concluſiones, quæ ad legem naturæ etiam pertinent, & dicuntur concluſiones valdè remotæ, ac diſtantes à primis principiis legis naturæ, eò quia non deducantur immediatè ex duobus illis primis principiis, ſed tantùm mediatè, ſeu mediantibus concluſionibus immediatè ex ipſis deductis: quamvis poſſit quisque facilè concluſiones proximas, & immediatas deducere ex primis principiis; ſiquidem ex eo, quòd mihi innoteſcat non eſſe alteri faciendum, quod nollem mihi fieri, ſtatim infero, ergo non debeo quemquam interficere, nec furari, nec alienum thorum coinquinare, nec quidquam mali proximo inferre: non tamen aſſumendo has concluſiones immediatas poteſt quis facilè ex iiſdem deducere alias concluſiones mediatas, & valdè diſtantes, ſeu remotas à primis principiis: ſiquidem de veritate harum concluſionum dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores etiam doctrinâ, & pietate inſignes, quod

non

Digitized by Google

non contingeret, ſi tales concluſiones mediatæ, & remotæ facilè deducerentur ex principiis, quæ tanquam concluſiones fuerunt immediatè deducta ex primis principiis naturæ lumine notis. Difficultas eſt, an ignorantia invincibilis poſſit cadere ſupra totum hoc jus naturale, prout complectitur prima principia, & concluſiones proximè, & immediatè, imò etiam remotè, & mediatè deductas ex iiſdem. Certum eſt, ignorantiam invincibilem antecedentem ſive juris, ſive facti non eſſe cauſam peccati, ſed ab illo excuſare, ita cum D. Thoma docent Theologi contra Janſenium lib. de ſtatu naturæ lapſæ quodlib. 2. cap. 2. & ſequent. ubi docet, facta cum ignorantia invincibili juris naturalis eſſe imputanda culpæ, quod etiam docuerat Lutherus in cap. 12. Geneſ. cujus hæc ſunt verba: *Scholaſtici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excuſabilem: tanta cæcitas eſt in Papæ Scholis, & Eccleſiis.* Verum non cæci, ſed oculatiſſimi ſunt Eccleſiæ Romanæ Catholicæ Theologi, ut conſtat ex ſacris Scripturis Joan. 9. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum*, & ideo habent, quia cæci non ſunt. Et cap. 15. *Si non feciſſem opera in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et Geneſ. 20. *Domine, num gentem ignorantem, & juſtam interficies.* Hinc à S. Pio V. & Gregorio XIII. in Bullis contra Michaelem Bajum; & ab Innocentio X. & Alexandro VII. in Bullis contra Janſenium damnatur propoſitio aſſerens: ignorantiam antecedentem, & invincibilem eſſe cauſam peccati, quod etiam damnarunt Sancti Patres, Chryſoſtomus in Epiſt. ad Rom. homil. 13. de libero arbitrio ubi ait: *Nemo unquam ignoranter peccabit.* & D. Auguſtinus hoc idem paſſim aſſerit, præſertim lib. 3. de libero arbitrio inquiens: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod quærere negligis, quod ignoras.* Ratio hoc idem ſuadet; quia non poteſt quidquam eſſe voluntarium, niſi ſit cognitum; ſiquidem voluntarium eſſentialiter procedit à principio intrinſeco cognoſcente ſingula; ſed repugnat dari peccatum, quin ſit voluntarium; & ignorantia invincibilis tollit rationem voluntarii, quia tollit ab intellectu cognitionem, ſine qua non habetur voluntarium, ut liquet ex definitione voluntarii: ergo ignorantia antecedens, quæ nullo pacto eſt volita, non poteſt eſſe peccatum; nec cauſa illius; ſed excuſat à peccato. Quamobrem ſtat ignorantiam invincibilem antecedentem ſive juris, ſive facti excuſare à peccato, non eſſe cauſam illius, niſi ſaltem confusè ac dubitativè adverſatur ejus malitia. Non enim Deus præcipit hominibus impoſſibilia: præciperet autem, ſi ignorantia antecedens invincibilis non excuſaret à peccato, quia cùm voluntas noſtra ſit potentia cæca, & non poſſit ferri, niſi in id, quod intellectus ut bonum, & conveniens ipſi proponit: illud tantùm eſt in noſtra poteſtate, quod ab intellectu proponitur voluntati: & quod antecedenter, & invincibiliter ignoratur, non poteſt voluntati proponi, neque poteſt eſſe in noſtra poteſtate, cùm ignorantia antecedens impediat propoſitionem intellectus: unde ſi homo teneretur implere præcepta juris naturalis, aut poſitivi, quæ invincibiliter & antecedenter ignorat, obligaretur ad impoſſibile contra Scripturas, Deuter. 20. *Mandatum hoc, quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* His poſitis,

Dicendum eſt, ignorantiam invincibilem non poſſe cadere ſupra illa duo prima principia generalia legis naturæ, ex quibus in ordine ad praxim deducuntur concluſiones, quæ ſunt præcepta particularia legis naturæ. Ratio eſt: quia illud non poteſt invincibiliter ignorari, quod omnibus utentibus ratione eſt per ſe notum: ſed prima principia generalia legis naturæ ſunt per ſe nota omnibus utentibus ratione; ſiquidem verſantur circa bonitatem, vel malitiam moralem, cujuſmodi ſunt illa duo prima principia. Bonum eſt faciendum; malum eſt vitandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ſunt hæc duo principia legis naturæ, quæ à nemine poſſunt ignorari: eo ipſo quod quis ratione utitur, ſtatim judicat bonum eſſe faciendum, quia conſentaneum naturæ; & malum fugiendum, quia diſſentaneum; ſunt enim hæc duo judicia nobis à natura indita, adeo ut deleri ab homine utente ratione non poſſint: hinc David Pſal. 4. *Quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine,* ſcilicet lumen nobis oſtendens bonum eſſe faciendum, malum fugiendum: quapropter ſcripſerat D. Paulus ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt:* ſcilicet non habentes legem Decalogi, naturaliter faciunt ea, quæ ſunt legis naturæ; & aſſignans rationem ſubjungit: *Ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium in die, cùm judicabit Deus occulta hominum.* Præterea quia jus naturale eſt id, ad quod natura inclinat immediatè; ſed hujuſmodi ſunt duo prærecenſita principia, quæ ſunt per ſe omnibus nota, quatenus natura inclinat immediatè ad ipſa; ex quo ſequitur hæc duo principia eſſe prorſus immutabilia tam ex parte ſui, quàm ex parte hominis; quia non poſſunt ignorari.

Imò neque concluſiones proximè & immediatè deductæ ex primis principiis juris naturæ per ſe poſſunt ſemper invincibiliter ignorari: ſed tantùm per accidens occurrente, ſcilicet nova aliqua circumſtantia, quæ videri poſſit excuſare à peccato. Ratio primæ partis eſt, quia hujuſmodi concluſiones proximè, ac immediatè deductæ ex primis principiis naturæ lumine notis, ſunt præcepta particularia Decalogi, quæ per ſe, ſi nulla occurrat alia circumſtantia; ita ſunt naturæ conſentanea, ut ſtatim quod ipſis adverſatur cenſeatur malum fugiendum, ac eſſe peccatum diſſonum rectæ rationi: etenim ex illo primo principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* ſtatim infertur, furtum, homicidium, & quicquid damnum alteri infert, non eſſe faciendum, eò quia nollet quis eadem damna ſibi inferri. Quamobrem tametſi apud gentes nonnullas aliquid contra has concluſiones immediatè illatas ex primis principiis juris naturæ, judicaretur licitum, ut apud Germanos quoſdam olim furtum, ut teſtatur Julius Cæſar lib. 1. de bello Gall. & apud Lacedæmones adulterium referente Plutarcho in vita Lycurgi; quin etiam apud Scotos homicidium, & apud alias gentes alia, quæ adverſantur juri naturæ, ut refert D. Hieronymus lib. 2. adverſ. Jovinianum paulò infra initium, ubi ait: *Quid loquar de cæteris nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos gentem Britannicam humanis veſci carnibus; & cùm per ſylvas porcorum greges, & armentorum, pecorumque reperiant Paſtorum nates, & fœminarum papillas ſolere abſcindere; & has ſolùm ciborum delicias*

arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet, & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria eſt, ſed ut cuique libitum fuerit, pecorum more laſciviunt. Perſæ, Medi, Indi, & Æthiopes regna non modica, & Romano Imperio paria, cum matribus, & aviis, cum filiabus, & neptibus copulantur. Maſſagetes, & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur: & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam venerint, jugulatos devorant; rectius eſſe ducentes, ut à ſe potius, quam à vermibus comedantur. Deinde nonnullis interjectis concludit; *Pervides igitur, quod non ſolum in eſu, ſed in ſepulturis, & in connubiis, & in omni converſatione unaquaque gens ſuo ritu, & proprietatibus victitet, & in connubiis, & hoc eam naturæ legem putare, quod didicit.* D. Chryſoſtomus non diſſimilia habet *homil. 4. in cap. 1. Epiſt. ad Rom.* ubi expendens, *Deum tradidiſſe aliquos in reprobum ſenſum*, eò quia ex ſua culpa eo devenerint, ut cenſuerint licitum eſſe, quod vel maximè adverſabatur naturæ rationali, eratque illicitum, ait ipſe: *Legislator quidam apud illos ſanxit, ut ſervi nec in ſicco ſe ſe ungerent, nec puerorum amoribus vacarent, hanc ſcilicet prærogativam ingenuis ſolis concedens, ſeu ut verius dicam, hanc turpitudinem; cum tamen nec turpitudinem quidem factum hujuſmodi eſſe crederent; ſed veluti venerandum, honeſtum, ac majus quàm quod ſervorum perſonis conveniret, liberis ipſis permiſerit: idque ſapientiſſimus Athenienſium populus, cum qui magnus apud ipſos habitus eſt Solon, Cum eo quoque multos Philoſophorum libros hocce morbo refertos invenias.* Verùm quamvis gentes interdum cenſuerint, ſibi licitum, quod adverſatur concluſionibus immediatè deductis ex primis principiis juris naturæ, ſeu præceptis Decalogi, non tamen inde ſequitur, hæc præcepta Decalogi poſſe per ſe & pro ſemper invincibiliter ignorari ignorantia excuſante à culpa: ſiquidem poſſunt ignorari, ſed culpabiliter, adeo ut ignorantia ipſis ignorantibus vertatur culpæ; quapropter Apoſtolus ad Rom. 1. vocat gentes inexcuſabiles, eò quia ex prava conſuetudine peccandi in eam devenerint mentis cæcitatem, ut licita putaverint vitia adverſantia naturæ; ait Apoſtolus gentes iſtas eſſe inexcuſabiles, & adferens rationem ait: *Quia, cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum:* hac de cauſa paucis interjectis ſubdit: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Quia culpabiliter ſe injecerunt in eas errorum tenebras, ut exiſtimaverint licita peccata contra naturam; ideo Apoſtolus vocat gentes illas inexcuſabiles, eò quia cæcitas illa ex peccato orta fuerit; & Deus in pœnam peccati tradidit populos illos in reprobum ſenſum, non poſitivè, ſed negativè; quatenus iiſdem denegavit uberiora gratiæ auxilia, quibus alia peccata declinâſſent. Hinc D. Thomas lect. 7. in cap. 1. epiſt. ad Rom. docet, ignorantiam cauſatam ex culpa non poſſe ſubſequentem culpam excuſare: & ſicut cæcitas illa gentilium oriebatur ex perſonali eorum culpa; ignorantia inde exorta, quia fuit voluntaria in cauſa, non potuit eos à culpa excuſare, eò quia neglexerint majorem diligentiam adhibere in veritate perveſtiganda; neque Deum rogarint, ut uberius illis lumen infunderet, quo veritas eis manifeſtaretur, conſequenter eorum error fuit culpabilis; quia, ut ait D. Auguſtinus *lib. de quant. animæ cap. 14.* *Fieri non poteſt quadam divina providentia, ut religioſis animis ſe ipſos, & Deum ſuum, id eſt, veritatem piè, caſtè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas deſit.* Hinc quæ de aliis gentibus ajebat D. Hieronymus exiſtimantibus eſſe licita, quæ contraria erant præceptis Decalogi. In illis non ſupponebatur ignorantia invincibilis, quæ excuſaret à peccato, quia poterant, & ſcire debebant, illa eſſe mala, proinde eorum ignorantia fuit culpabilis.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet poſſe contingere, ut per accidens ratione alicujus circumſtantiæ occurrentis talis ignorantia ſit inculpabilis, quia interdum talis circumſtantia poteſt occurrere, ut videatur excuſare à culpa; tunc enim ratione talis circumſtantiæ poteſt haberi ignorantia invincibilis præcepti juris naturæ, etenim legi naturali adverſatur mendacium, quod proinde prohibetur præcepto naturæ, & nihilominus plures exiſtimarunt, mendacium ſubinde eſſe licitum, ratione circumſtantiæ adjunctæ ad evitandum ſcilicet imminens mortis periculum, vel ad declinandum graviſſimum aliquod damnum. Rurſus præceptum prohibens vindictam ſumere de inimico propriâ authoritate ſecundùm doctrinam Catholicam eſt de jure naturali, & tamen Cicero *lib. de offic. cap. de juſtitia* aſſerit: *Primum munus juſtitiæ eſt, ne quis alium lædat, niſi laceſſitus injuria*, exiſtimavit licitam eſſe vindictam propria authoritate, quando quis ab alio laceſſitur injuria vel contumelia. Præterea certum eſt, non furari eſſe præceptum juris naturalis, & nihilominus autumarunt aliqui, licitum eſſe furari illi viro malo, ac divitiis affluenti ad elevandas miſerias viri boni, pauperis, & indigentis, tametſi non ſit conſtitutus in gravi neceſſitate: tunc enim circumſtantiæ occurrentes ita obſcurant intellectum, ut hic ob innatam ingenii tarditatem non valeat rectè diſcurrere ad inferendum tales actus adverſari præceptis naturæ, ut notat D. Thomas *1. 2. quæſt. 100. art. 1. in corp.* ubi ait: Quædam ſunt in humanis actibus adeo explorata, quòd ſtatim cum modica conſideratione poſſint approbari vel reprobari per illa prima, & communia principia. Quædam verò ſunt, ad quorum judicium requiritur multa conſideratio multarum circumſtantiarum, quas conſiderare diligenter non eſt cujuslibet, ſed ſapientum, ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos.

Hinc poteſt dari ignorantia invincibilis juris naturalis quoad illas concluſiones remotas, ac valde diſtantes à primis principiis practicis, à quibus nonniſi mediatè, ac remotè deducuntur, & quarum veritates controvertuntur, ac proinde dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores pietate, & doctrinâ laudatiſſimos, & hæc ignorantia non eſt cauſa peccati, ut communiter docent Theologi. Ratio primæ partis hujus aſſertionis ex eo deſumitur, quia non omnia, quæ pertinent ad jus naturale, ſunt per ſe nota; quædam enim ſunt prima principia generalia, & univerſalia morum, cujuſmodi ſunt, *honeſtum eſſe proſequendum, & malum declinandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quæ duo ita ſunt pernota, ut ſtatim, cùm objiciuntur intellectui, hic eiſdem aſſentiatur. Alia ſunt principia magis determinata, & coarctata, & non ita univerſalia, ut, juſtitia eſt ſervanda. DEUS eſt colendus, & alia id genus, quæ ſunt itidem per ſe nota. Alia quæ per evidentem illationem ex primis principiis proxi-

Digitized by Google

proximè & immediatè deducuntur, de quibus diximus in præcedente aſſertione. Alia denuum, quæ nonniſi per diſcurſum, ac mediatas conſequentias difficulter deducuntur ex primis principiis juris naturalis, & de his dari poteſt ignorantia invincibilis, etiam poſt diligentem inquiſitionem veritatis; ſiquidem contingit, ut viri licet pientiſſimi, & doctrina inſignes, circa jus naturale doceant ſententias contradictoriè oppoſitas, quæ nequeunt ſimul veræ eſſe: adeo ut neceſſe ſit, ut alter eorum doceat ſententiam falſam, quam tamen Doctor pius docet innocenter & ſine culpa, poſt diligentem inquiſitionem veritatis; & poſtquam à Deo petierit lumen ad videndam veritatem. Viros Sanctos has docuiſſe oppoſitas ſententias claret ex D. Antonino 1. part. Sum. tit. 5. cap. 10. §. 10. ubi ait: Quòd ſint contrariæ opiniones inter Doctores ſanctitate, & ſcientia maximos in materia morali, aliquando etiam ad ſalutem neceſſaria, patet per exempla. Nam Beatus Thomas in 4. tenet, quòd poſt lapſum in mortale non oportet aliquem ſtatim confiteri ſub præcepto, etiam habita copia Confeſſoris, niſi in pauciſſimis caſibus, qui ibi ponuntur diſt. 17. & cum eo tenet Richardus. Sed Hugo de S. Victore, & D. Bonaventura ſunt in hac contrariæ opinionis. Neutra tamen opinio eorum reprobatur, etſi Beati Thomæ opinio communius teneatur, quæ tamen minùs tuta videtur. Raymundus Decretiſta, & S. in ſumma tenet, quod participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquela, cibo, & hujuſmodi in caſu non conceſſo, ſit mortale univerſaliter. Sed Beatus Thomas, & alii contrarium tenent, & ſic exempla innumera poſſunt poni. Quamobrem ex eo, quod viri pientiſſimi doceant circa mores, & jus naturale ſententias contradictoriè oppoſitas, neceſſe eſt alteram earum veram eſſe, & alteram falſam, atqui neuter ita docendo peccat, quia uterque adhibuit ſufficiens ſtudium ac debitam inquiſitionem, & Deum enixè rogavit pro veritate invenienda, & addiſcenda, ex quo fit, quòd error non imputetur illis ad culpam, nec poſſit iiſdem verti vitio, adeo ut eorum ignorantia circa jus naturale cenſeatur invincibilis. Tum quia nullus Doctor quantumvis Sanctus habet privilegium nunquam errandi in iis, quæ docet circa jus naturale, quia plerumque, quando controvertitur, an aliquid jure naturæ ſit licitum, conſueverunt Doctores in varias diſtrahi opiniones, quas inculpabiliter propugnant, & docent; ratio eſt, quia Deus non exigit ab homine, quod excedit ſuam conditionem: hominis autem conditio id habet, ut in rebus moralibus non ſemper poſſit aſſequi evidentia rerum omnium agibilium, neque, ut qui earundem ſemper aſſequatur certitudinem mathematicam, quia, ut docet D. Thomas in cap. 1. lib. 2. Ethic. *Materia moralis talis eſt, ut ei non conveniat certitudo*: quo fit, ut Deus non exigat ab homine, ut ſemper cum certitudine & evidentia mathematica de bonitate ſuæ operationis moralis agat, & operetur, ſed ſufficit, ſi ſibi poſt diligentem inquiſitionem perſuadeat honeſtatem talis operationis: ex quo oritur illa opinandi diverſitas, qua quis poteſt in tuta conſcientia utramlibet ſequi contradictionis partem, huc acceſſendus Auguſtinus lib. 1. contra Academicos cap. 4. ubi ait: *Quiſquis minus inſtanter, quàm oportet veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quiſquis autem tantum, quantum homo eſt, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiam ſi non inveniat, beatus eſt, & excuſatur, ſeu eximitur à peccato, totum enim facit, quod ut faciat, ita natus eſt.* Nulli igitur dubium, quin dari poſſit ignorantia invincibilis juris naturalis, quoad concluſiones remotas, & valde diſtantes à primis principiis practicis juris naturalis, & de quarum veritate dantur ſententiæ oppoſitæ inter Doctores pietate, & doctrina inſignes. Quòd verò hujuſmodi ignorantia non ſit cauſa peccati, ſed excuſet à culpa, ex eo liquet, quia illud excuſat à culpa, quod tollit ab actu rationem voluntarii, & conſtituit actum ſimpliciter involuntarium: Sed hæc ignorantia juris naturalis hoc præſtat, conſequenter non cauſat peccatum, ſed excuſat à culpa. Minor oſtenditur, quia illa ignorantia poſt diligentem inquiſitionem veritatis eſt invincibilis, & antecedit operationem, ergo cauſat involuntarium ſimpliciter; ſiquidem voluntarium eſt: quod provenit à principio intrinſeco cum cognitione, ut docet D. Thomas proinde involuntarium erit, quod procedit ſine cognitione ergo cum ignorantia juris naturalis tollat rationem voluntarii, excuſat à culpa. Hinc D. Chryſoſtomus homil. 13. in epiſt. ad Roman. ait: *Neminem ignoranter peccare; qui enim peccaret, indignus utique eſſet, qui pœnas daret.* Et D. Auguſtinus lib. de natur. & Grat. contra Pelagianos cap. 61. Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras*: ergo cum præfata juris naturalis ignorantia, ſupponat diligentem inquiſitionem, ac prævium ſtudium veritatis inveniendæ non poteſt verti vitio, & culpæ. Unde Auguſtinus lib. de quæſt. vet. teſtam. relatus à Gratiano in decret. diſt. 33. ait: *Ille ignorans poteſt excuſari à pœna, qui à quo diſceret, non invenit*, ſeu ut ibi interpretatur Gloſſa: *poteſt excuſari à peccato, pro quo debetur pœna; vel poteſt excuſari, à pœna æterna, eò quia non ſupponat culpam, ob quam ſolùm infligitur.* Si dicas, ignorantiam excuſare quidem involuntarium, non verò excuſare à culpa, eò quia poſſit aliquid eſſe peccatum actuale, quamvis non ſit voluntarium in actu ſecundo. Contra eſt, quia peccatum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt. 74. art. 1. in corp.* Eſt actus moralis humanus, & de ratione actus moralis, & humani eſt, quod ſit voluntarius, ac deliberatus, quia, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt. 1. art. 1.* & in pluribus aliis locis: *Illæ actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: ſi quæ autem aliæ actiones homini conveniant, poſſunt quidem dici hominis actiones, ſed non propriè humanæ, cùm non ſint hominis in quantum eſt homo.* Præterea, ut actus ſit moralis, & humanus, neceſſe eſt, ſit liber, quia eſt libertas radix, & fundamentum moralitatis, ut docet D. Thomas: Sed actus nequit eſſe liber, niſi voluntarius ſit: ſiquidem ratio voluntarii includitur eſſentialiter in ratione liberi, perinde ac gradus contrahibilis in contractivo: unde peccatum ſupponit eſſentialiter actum liberum, conſequenter etiam voluntarium, ergo cum non poſſit actus eſſe peccaminoſus, quin ſit voluntarius, & non poſſit eſſe voluntarius, quin procedat ex prævia cognitione, ſequitur manifeſtè, ignorantiam invincibilem tollere rationem voluntarii, & excuſare à culpa. Hinc D. Auguſtinus tract. 89. in Joan. expendens verba illa Chriſti Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*, ait Auguſtinus, illos ad quos Chriſtus non venit, & quibus non eſt locutus, excuſationem habere non de omni peccato ſuo, ſed de illo, quo in Chriſtum non crediderunt; eò quòd eum invincibiliter ignoraverint.

Poteſt tamen contra hanc aſſertionem objici D. Thomas in Quodlib. 8. art. 13. ubi expreſsè ait: *Illud*

arbitrare? Scotorum natio uxores proprias non habet, & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria eſt, ſed ut cuique libitum fuerit, pecorum more laſciviunt. Perſæ, Medi, Indi, & Æthiopes regna non modica, & Romano Imperio paria, cum matribus, & aviis, cum filiabus, & neptibus copulantur. Maſſagetæ, & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur: & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam venerint, jugulatos devorant; rectius eſſe ducentes, ut à ſe potius, quàm à vermibus comedantur. Deinde nonnullis interjectis concludit; *Pervides igitur, quod non ſolùm in eſu, ſed in ſepulturis, & in connubiis, & in omni converſatione unaquæque gens ſuo ritu, & proprietatibus vivitat, & in connubiis, & hoc eam naturæ legem putare, quod didicit.* D. Chryſoſtomus non diſſimilia habet *homil. 4. in cap. 1. Epiſt. ad Rom.* ubi expendens, *Deum tradidiſſe aliquos in reprobum ſenſum*, eò quia ex ſua culpa eò devenerint, ut cenſuerint licitum eſſe, quod vel maximè adverſabatur naturæ rationali, eratque illicitum, ait ipſe: *Legumlator quidam apud illos ſanxit, ut ſervi nec in ſicco ſe ſe ungerent, nec puerorum amoribus vacarent, hanc ſcilicet prærogativam ingenuis ſolis concedens, ſeu ut verius dicam, hanc turpitudinem. Cùm tamen nec turpitudinem quidem factum hujuſmodi eſſe crederent; ſed veluti venerandum, honeſtum, ac majus quàm quod ſervorum perſonis conveniret, liberis ipſis permiſerit: tum ſapientiſſimus Athenienſium populus, tum qui magnus apud ipſos habitus eſt Solon, Cum eaquoque multos Philoſophorum libros hocce morbo refertos invenias.* Verùm quamvis gentes interdum cenſuerint, ſibi licitum, quod adverſatur concluſionibus immediatè deductis ex primis principiis juris naturæ, ſeu præceptis Decalogi, non tamen inde ſequitur, hæc præcepta Decalogi poſſe per ſe & pro ſemper invincibiliter ignorari ignorantia excuſante à culpa: ſiquidem poſſunt ignorari, ſed culpabiliter, adeo ut ignorantia ipſis ignorantibus vertatur culpæ; quapropter Apoſtolus ad Rom. 1. vocat gentes inexcuſabiles, eò quia ex prava conſuetudine peccandi in eam devenerint mentis cæcitatem, ut licita putaverint vitia adverſantia naturæ; ait Apoſtolus gentes iſtas eſſe inexcuſabiles, & aſſerens rationem ait: *Quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum;* hac de cauſa paucis interjectis ſubdit: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Quia culpabiliter ſe injecerunt in eas errorum tenebras, ut exiſtimaverint licita peccata contra naturam, ideo Apoſtolus vocat gentes illas inexcuſabiles, eò quia cæcitas illa ex peccato orta fuerit; & Deus in pœnam peccati tradidit populos illos in reprobum ſenſum, non poſitivè, ſed negativè; quatenus iiſdem denegavit uberiora gratiæ auxilia, quibus alia peccata declinâſſent. Hinc D. Thomas lect. 7. in cap. 1. epiſt. ad Rom. docet, ignorantiam cauſatum ex culpa non poſſe ſubſequentem culpam excuſare: & ſicut cæcitas illa gentilium oriebatur ex perſonali eorum culpa; ignorantia inde exorta, quia fuit voluntaria in cauſa, non potuit eos à culpa excuſare, eò quia neglexerint majorem diligentiam adhibere in veritate perveſtiganda; neque Deum rogarunt, ut uberius illis lumen infunderet, quo veritas eis manifeſtaretur, conſequenter eorum error fuit culpabilis, quia, ut ait D. Auguſtinus *lib. de quant. animæ cap. 14.* *Fieri non poteſt quadam divina providentia, ut religioſis animis ſe ipſos, & Deum ſuum, id eſt, veritatem piè, caſtè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas deſit.* Hinc quæ de aliis gentibus ajebat D. Hieronymus exiſtimantibus eſſe licita, quæ contraria erant præceptis Decalogi. In illis non ſupponebatur ignorantia invincibilis, quæ excuſaret à peccato, quia poterant, & ſcire debebant, illa eſſe mala, proinde eorum ignorantia fuit culpabilis.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet poſſe contingere, ut per accidens ratione alicujus circumſtantiæ occurrentis talis ignorantia ſit inculpabilis, quia interdum talis circumſtantia poteſt occurrere, ut videatur excuſare à culpa; tunc enim ratione talis circumſtantiæ poteſt haberi ignorantia invincibilis præcepti juris naturæ, etenim legi naturali adverſatur mendacium, quod proinde prohibetur præcepto naturæ, & nihilominus plures exiſtimarunt, mendacium ſubinde eſſe licitum, ratione circumſtantiæ adjunctæ ad evitandum ſcilicet imminens mortis periculum, vel ad declinandum graviſſimum aliquod damnum. Rurſus præceptum prohibens vindictam ſumere de inimico propriâ authoritate ſecundùm doctrinam Catholicam eſt de jure naturali, & tamen Cicero *lib. de offic. cap. de juſtitia* aſſerit: *Primum munus juſtitiæ eſt, ne quis alium lædat, niſi laceſſitus injuria*, exiſtimavit licitam eſſe vindictam propria authoritate, quando quis ab alio laceſſitur injuria vel contumelia. Præterea certum eſt, non furari eſſe præceptum juris naturalis, & nihilominus autumarunt aliqui, licitum eſſe furari illi viro malo, ac divitiis affluenti ad elevandas miſerias viri boni, pauperis, & indigentis, tametſi non ſit conſtitutus in gravi neceſſitate: tunc enim circumſtantiæ occurrentes ita obſcurant intellectum, ut hic ob innatam ingenii tarditatem non valeat rectè diſcurrere ad inferendum tales actus adverſari præceptis naturæ, ut notat D. Thomas 1. 2. *quæſt. 100. art. 1. in corp.* ubi ait: Quædam ſunt in humanis actibus adeo explorata, quòd ſtatim cum modica conſideratione poſſint approbari vel reprobari per illa prima, & communia principia. Quædam verò ſunt, ad quorum judicium requiritur multa conſideratio multarum circumſtantiarum, quas conſiderare diligenter non eſt cujuslibet, ſed ſapientum; ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos.

Hinc poteſt dari ignorantia invincibilis juris naturalis quoad illas concluſiones remotas, ac valde diſtantes à primis principiis practicis, à quibus nonniſi mediatè, ac remotè deducuntur, & quarum veritates controvertuntur, ac proinde dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores pietate, & doctrinâ laudatiſſimos, & hæc ignorantia non eſt cauſa peccati, ut communiter docent Theologi. Ratio primæ partis hujus aſſertionis ex eo deſumitur, quia non omnia, quæ pertinent ad jus naturale, ſunt per ſe nota: quædam enim ſunt prima principia generalia, & univerſalia morum, cujuſmodi ſunt, *honeſtum eſſe proſequendum, & malum declinandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, quæ duo ita ſunt pernota, ut ſtatim, cùm objiciuntur intellectui, hic eiſdem aſſentiatur. Alia ſunt principia magis determinata, & contracta, & non ita univerſalia, ut, juſtitia eſt ſervanda. DEUS eſt colendus, & alia id genus, quæ ſunt itidem per ſe nota. Alia quæ per evidentem illationem ex primis principiis proxi-

Digitized by Google

proximè & immediatè deducuntur, de quibus diximus in præcedente aſſertione. Alia denium, quæ nonniſi per diſcurſum, ac mediatas conſequentias difficulter deducuntur ex primis principiis juris naturalis, & de his dari poteſt ignorantia invincibilis, etiam poſt diligentem inquiſitionem veritatis; ſiquidem contingit, ut viri licèt pientiſſimi, & doctrina inſignes, circa jus naturale doceant ſententias contradictoriè oppoſitas, quæ nequeunt ſimul veræ eſſe: adeo ut neceſſe ſit, ut alter eorum doceat ſententiam falſam, quam tamen Doctor pius docet innocenter & ſine culpa, poſt diligentem inquiſitionem veritatis; & poſtquam à Deo petierit lumen ad videndam veritatem. Viros Sanctos has docuiſſe oppoſitas ſententias claret ex D. Antonino 2. part. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. ubi ait: Quòd ſint contrariæ opiniones inter Doctores ſanctitate, & ſcientia maximis in materia morali, aliquando etiam ad ſalutem neceſſaria, patet per exempla. Nam Beatus Thomas in 4. tenet, quòd poſt lapſum in mortale non oportet aliquem ſtatim confiteri ſub præcepto, etiam habita copia Confeſſoris, niſi in pauciſſimis caſibus, qui ibi ponuntur diſt. 17. & cum eo tenet Richardus. Sed Hugo de S. Victore, & D. Bonaventura ſunt in hoc contrariæ opinionis. Neutra tamen opinio eorum reprobatur, etſi Beati Thomæ opinio communius teneatur, quæ tamen minùs tuta videtur. Raymundus Decretiſta, & S. in ſumma tenet, quod participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquela, cibo, & hujuſmodi in caſu non conceſſo, ſit mortale univerſaliter. Sed Beatus Thomas, & alii contrarium tenent, & ſic exempla innumera poſſunt poni. Quamobrem ex eo, quod viri pientiſſimi doceant circa mores, & jus naturale ſententias contradictoriè oppoſitas, neceſſe eſt alteram earum veram eſſe, & alteram falſam, atqui neuter ita docendo peccat, quia uterque adhibuit ſufficiens ſtudium ac debitam inquiſitionem, & Deum enixè rogavit pro veritate invenienda, & addiſcenda, ex quo fit, quòd error non imputetur illis ad culpam, nec poſſit iiſdem verti vitio, adeo ut eorum ignorantia circa jus naturale cenſeatur invincibilis. Tum quia nullus Doctor quantumvis Sanctus habet privilegium nunquam errandi in iis, quæ docet circa jus naturale, quia plerumque, quando controvertitur, an aliquid jure naturæ ſit licitum, conſueverunt Doctores in varias diſtrahi opiniones, quas inculpabiliter propugnant, & docent: ratio eſt, quia Deus non exigit ab homine, quod excedit ſuam conditionem: hominis autem conditio id habet, ut in rebus moralibus non ſemper poſſit aſſequi evidentia rerum omnium agibilium, neque, ut qui earundem ſemper aſſequatur certitudinem mathematicam, quia, ut docet D. Thomas in cap. 1. lib. 1. Ethic. *Materia moralis talis eſt, ut ei non conveniat certitudo*: quo fit, ut Deus non exigat ab homine, ut ſemper cum certitudine & evidentia mathematica de bonitate ſuæ operationis moralis agat, & operetur, ſed ſufficit, ſi ſibi poſt diligentem inquiſitionem perſuadeat honeſtatem talis operationis: ex quo oritur illa opinandi diverſitas, qua quis poteſt in tuta conſcientia utramlibet ſequi contradictionis partem, huc acceſſendus Auguſtinus lib. 1. contra Academicos cap. 4. ubi ait: *Quisquis minus inſtanter, quàm oportet veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantum, quantum homo eſt, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiam ſi non inveniat, beatus eſt, & excuſatur, ſeu eximitur à peccato, totum enim facit, quod ut faciat, ita natus eſt.*

Nulli igitur dubium, quin dari poſſit ignorantia invincibilis juris naturalis, quoad concluſiones remotas, & valde diſtantes à primis principiis practicis juris naturalis, & de quarum veritate dantur ſententiæ oppoſitæ inter Doctores pietate, & doctrina inſignes. Quod verò hujuſmodi ignorantia non ſit cauſa peccati, ſed excuſet à culpa, ex eo liquet, quia illud excuſat à culpa, quod tollit ab actu rationem voluntarii, & conſtituit actum ſimpliciter involuntarium: Sed hæc ignorantia juris naturalis hoc præſtat, conſequenter non cauſat peccatum, ſed excuſat à culpa. Minor oſtenditur, quia illa ignorantia poſt diligentem inquiſitionem veritatis eſt invincibilis, & antecedit operationem, ergo cauſat involuntarium ſimpliciter; ſiquidem voluntarium eſt; quod provenit à principio intrinſeco cum cognitione, ut docet D. Thomas proinde involuntarium erit, quod procedit ſine cognitione ergo cum ignorantia juris naturalis tollat rationem voluntarii, excuſat à culpa. Hinc D. Chryſoſtomus homil. 13. in epiſt. ad Roman. ait: *Neminem ignoranter peccare; qui enim peccaret, indignus utique eſſet, qui pœnas daret.* Et D. Auguſtinus lib. de natur. & Grat. contra Pelagianos cap. 67. Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras*: ergo cum præfata juris naturalis ignorantia, ſupponat diligentem inquiſitionem, ac prævium ſtudium veritatis inveniendæ non poteſt verti vitio, & culpæ. Unde Auguſtinus lib. de quæſt. vet. teſtam. relatus à Gratiano in decret. diſt. 33. ait: *Ille ignorans poteſt excuſari à pœna, qui à quo diſceret, non invenit*, ſeu ut ibi interpretatur Gloſſa: *poteſt excuſari à peccato, pro quo debetur pœna: vel poteſt excuſari, à pœna æterna, eò quia non ſupponat culpam, ob quam ſolùm inſligente.* Si dicas, ignorantiam excuſare quidem involuntarium, non verò excuſare à culpa, eò quia poſſit aliquid eſſe peccatum actuale, quamvis non ſit voluntarium in actu ſecundo. Contra eſt, quia peccatum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 1. *in corp.* Eſt actus moralis humanus, & de ratione actus moralis, & humani eſt, quod ſit voluntarius, ac deliberatus, quia, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. & in pluribus aliis locis: *Illæ actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: ſi quæ autem aliæ actiones homini conveniant, poſſunt quidem dici hominis actiones, ſed non propriè humanæ, cùm non ſint hominis in quantum eſt homo.* Præterea, ut actus ſit moralis, & humanus, neceſſe eſt, ſit liber, quia eſt libertas radix, & fundamentum moralitatis, ut docet D. Thomas. Sed actus nequit eſſe liber, niſi voluntarius ſit: ſiquidem ratio voluntarii includitur eſſentialiter in ratione liberi, perinde ac gradus contrahibilis in contractivo; unde peccatum ſupponit eſſentialiter actum liberum, conſequenter etiam voluntarium, ergo cum non poſſit actus, eſſe peccaminoſus, quin ſit voluntarius, & non poſſit eſſe voluntarius, quin procedat ex prævia cognitione, ſequitur manifeſtè, ignorantiam invincibilem tollere rationem voluntarii, & excuſare à culpa. Hinc D. Auguſtinus tract. 89. in Joan. expendens verba illa Chriſti Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*, ait Auguſtinus, illos ad quos Chriſtus non venit, & quibus non eſt locutus, excuſationem habere non de omni peccato ſuo, ſed de illo, quo in Chriſtum non crediderunt: eò quia eum invincibiliter ignoraverint.

Poteſt tamen contra hanc aſſertionem objici D. Thomas in Quodlib. 8. art. 13. ubi expreſſè ait: *Illud*

quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc, quod esset secundùm conscientiam: loquitur D. Thomas de lege naturali, contra quam operari docet malum esse, quamvis operans agat secundùm conscientiam, seu secundùm propriam opinionem, quam putat esse veram, ergo ignorantia juris naturalis ex D. Thoma non excusat à culpa. Sed contra, quia D. Thomas asserens non excusari per hoc, quod est secundùm conscientiam, intelligit, secundùm conscientiam erroneam errore crasso, & affectato non excusante à peccato, eò quia non fuerit adhibita sufficiens inquisitio veritatis; & operans noluerit adhibere diligentiam, quapropter D. Augustinus ad Valentinum ait: *Licèt gravius sit peccare scienter, quàm nescienter; non ideo tantum confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisquam excusationem requirat. Aliud est enim nescisse; aliud scire noluisse; quia in eis, qui intelligere noluerunt, ipsa ignorantia peccatum est, in eis verò, qui non potuerunt, est pœna peccati. Ignorantia vero, quæ non est eorum, qui scire volunt, sed qui tanquam simpliciter nesciervnt, nullum sic excusat, ut æterno igne non ardeat; sed fortasse, ut minus ardeat:* loquitur postremis hisce verbis de illis, qui licèt directè non intendant talem ignorantiam; negligunt tamen adhibere necessarium eisque possibile studium ad ignorantiam illam depellendam, & quam tenebantur à se excutere, & lucem inquirere veritatis. Si instes, D. Augustinum plerisque in locis, & præsertim contra Pelagium asserere: *Ignorantiam eorum, quæ intelligere non potuerunt, seu quæ erat necessitatis, non voluntatis, peccatum esse, ac pœnam peccati:* proinde Augustinum sensisse, ignorantiam vincibilem juris naturalis minimè excusare à culpa. Præterea quia Augustinus lib. de gestis Palæst. cap. 19. inter alia exempla ex libro Cœlestii Hæretici recenset inter alios Cœlestii errores, quos dixerit, ignorantiam non excusare à peccato: etenim unum ex illis assertis, quæ tribuebantur Cœlestio & Pelagio, fuit hoc: oblivio, & ignorantia non subjacent peccato, sed secundùm necessitatem; cui assertioni se opposuit Augustinus, eamque impugnavit, & Cœlestium expugnavit, damnavitque, proinde censuit D. Augustinus, ignorantiam, etiam invincibilem, juris naturalis non excusari à peccato, alioquin non damnâsset præfatam Cœlestii assertionem: Sed contra, quia Pelagiani tunc non fuerunt locuti de ignorantia invincibili juris naturalis; sed de ignorantia facti, & juris positivi, quam volebant excusare à peccato, quod D. Augustinus impugnavit, eò quia si talis ignorantia sit invincibilis, ut fuit illa, de qua tunc erat quæstio, non excusatur à culpa: hinc Levit. 5. & 22. in lege veteri offerebantur sacrificia pro hac ignorantia facti, jurisque positivi. Quòd verò controversia fuerit tunc de hac ignorantia invincibili, ex eo facilè evincitur, quia D. Augustinus ad impugnandum errorem Hæreticorum lib. 1. retract. cap. 2. adfert verba Apostoli, *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*, liquidem, ut explicat D. Thomas 1. 2. *quæst. 56. art.* 4. ignorantia, quæ tantùm indirectè voluntaria est, proinde vincibilis peccatum extenuat: ergo constat Augustinum ibi tantùm asseruisse ignorantiam vincibilem facti, & juris positivi non excusare à peccato. Præterea, ut respondent alii, D. Augustinus interdum omnem ignorantiam vocavit peccatum materialiter tantùm, quatenus est pœna peccati, à quo duxit Originem: sicut etiam in baptizatis concupiscentia vocatur peccatum materialiter, quatenus est effectus peccati, ut docet D. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 3. Hinc D. Thomas quæst. 3. de malo art. 7. ait: *Ignorantia enim & fomes sunt materialia in peccato originali, sicut conversio ad bonum commutabile in peccato actuali*, quòd verò Augustinus in hoc sensu seu materialiter omnem ignorantiam dixerit peccatum, apertè constat ex lib. 5. de libero arbit. cap. 19. ubi ait: *Illud quod ignorans quisque non rectè facit, quod rectè volens facere non potest; ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis Adæ originem ducunt, illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur; id est formam, tenoremque verborum, secundùm quem alia dicitur lingua græca, alia lingua latina: sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate. & à sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est.* Hæc secunda solutio ex eo videtur efficaciam habere, quia Pelagiani negabant peccatum originale ab Adamo in posteros per generationes traduci, consequenter negârunt, concupiscentiam, & ignorantiam ab illo in homines derivari, asserebant enim, esse tantùm naturales defectus, & non peccati supplicia. Asserit enim D. Augustinus lib. de dono perseverant. cap. 1. *Dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem* (seu concupiscentiam, ex qua oritur difficultas ad bonum honestum) *sine quibus homo non nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ*, & hunc errorem Augustinus ut impugnaret, dixit, ignorantiam subjacere peccato, imò esse ipsum peccatum materialiter, quatenus, ut effectus oritur ex peccato originali, cujus est effectus: est enim ignorantia pœna originalis peccati, quatenus ratione illius ejus tenebræ offunduntur per generationes traduces in Adæ posteros. Ab Augustino per peccatum materialiter sumptum intelligitur omne, quod est effectus peccati originalis, in quo ignorantiam quamlibet contra Pelagium malam esse contendebat, & plura etiam adferebat exempla ignorantiæ facti, & juris positivi. Hinc illud Genes. 20. ubi actio Regis Abimelech accipientis in uxorem Saram, quam invincibiliter ignorabat esse uxorem Abrahæ, peccatum asserit, quatenus illa ignorantia quamvis invincibilis erat pœna peccati originalis, quapropter ait, esse peccatum materialiter tantùm non formaliter. Ut etiam illud Numer. 35. ubi, qui fortuitò occiderit hominem, quem venator putat esse cervum, vel aprum, jubetur recurrere ad civitates refugii, & ibi manere, donec Sacerdos moriatur, quamvis hæc ignorantia facti non esset formaliter peccatum. In eodem sensu illud Levitic. 5. & 22. Quoties homo per ignorantiam facti, aut juris positivi aliquid immundum tangebat, vel comedebat, jubeatur sacrificium offerre pro tali peccato. Cæterum Augustinum non existimâsse pœnam peccati esse ipsum peccatum formaliter, clarè constat ex epistola 10. ubi ait: *In illis, qui non audierunt, nec potuerunt, pœna peccati est non credere, non autem peccatum*, unde, cùm ait, ignorantiam, & concupiscentiam esse ipsum peccatum non intelligit esse ipsum peccatum formaliter, sed tantùm materialiter, seu esse effectus peccati originalis.

Major tamen difficultas, qua videtur probari, non dari hanc ignorantiam invincibilem juris naturalis, in eo est sita, quia omnia Dei præcepta, etiam quæ deducuntur ex primis principiis practicis juris naturalis, sunt observatu possibilia, ut contra Jansenium definitum fuit ab Innocentio X. siquidem ex scripturis constat, omnia Dei mandata esse juxta hominis vires, consequenter posse ab homine [illegible] 30. v. 11, *Mandatum hoc, quod ego* [illegible] *non*

supra

ſupra te eſt, neque procul poſitum, ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum, quem locum Apoſtolus ad Roman. 10. v. 6. applicat poſſibilitati fidei, Luc. 19. v. 21. *Regnum Dei intra vos eſt, ſeu in manu, & in poteſtate veſtra*, Tertulliano Interprete lib. 4. contra Marcion. cap. 25. Quod ſi regnum Dei eſt in noſtra poteſtate; eſt etiam in noſtra poteſtate ſervare præcepta, cum dicat Chriſtus: *Si vis regnum cælorum ingredi, ſerva mandata*. Matt. 11. v. 8. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*; ſi ſuave, ergo non eſt impoſſibile; ſi leve, non eſt intolerabile, conſequenter præcepta Dei ſunt ſervatu poſſibilia; 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Si autem præcepta Decalogi & mandata Dei eſſent ſervatu impoſſibilia, utique tentaret ſupra id quod poſſumus, hinc Joan. 8. v. 3. ait *Mandata ejus gravia non ſunt*; eſſent autem graviſſima, & intolerabilia, ſi ſervatu eſſent impoſſibilia. Hinc Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ait; *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*, unde certiſſimum eſt, omnia Dei præcepta etiam ad unumquemque ſpectantia eſſe obſervatu poſſibilia; atqui non poſſunt talia eſſe, quin ſimul ſint cognoſcibilia, & in ipſa poſſibilitate obſervationis legis includatur eorum cognoſcibilitas, ut etiam ipſius legis, alioquin ſi lex non eſſet cognoſcibilis, non poſſet ſervari, & eſſet obſervatu impoſſibilis; quia impoſſibile eſt, ut obſervemus eam legem, quæ noſtram fugit cognitionem: unde eo ipſo, quod omnia Dei præcepta ſunt obſervatu poſſibilia, ſunt etiam cognoſcibilia; & eo ipſo, quod obligant ad eorum obſervantiam, obligant etiam ab eorundem cognitionem, adeo, ut in obligatione adimplendi divinam legem includatur etiam obligatio quærendi, & cognoſcendi eandem legem. Prætetea poteſtas obſervandi Dei præcepta includit etiã ipſam cognitionem, & vires, ſi non ſemper in actu, ſaltem in potentia, adeo ut poſſit quiſque, ſi velit, Deum rogare, ut hanc ſibi impertiatur cognitionem: ſiquidem Deus facienti, quod in ſe eſt ex virtute gratiæ non denegat uberiora gratiæ incrementa, quinimò Chriſtus etiam nos invitat, ut quæramus, & pulſemus; ait enim: *Quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis*; ergo cum omnia Dei præcepta ſint obſervatu poſſibilia, ſunt etiam cognoſcibilia, & in obligatione ea obſervandi includitur etiam obligatio illa quærendi, & cognoſcendi, ut adimpleantur, conſequenter non poteſt dari ignorantia invincibilis juris naturalis; quia eo ipſo, quod omnibus ineſt obligatio quærendi, & cognoſcendi, quæ tenentur, non poſſunt huic ſatisfacere obligationi, quin enixim Deum rogent, ut ipſis hanc communicet cognitionem, quæ eſt donum Dei, ut aſſerit D. Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. inquiens; *Cum voluntate humana, gratia juvante divina ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit? poſſem facillime, & veriſſimè reſpondere, quia homines nolunt, ſed ſi ex me quæritur, cur nolunt? imus in longum. Verum ſine præjudicio longioris inquiſitionis dicam; Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Ignorantia ergo & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum; ut autem innoteſcat, quod latebat, aut ſuave fiat, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum; vel ab opere malo abſtinendum? Ut autem innoteſcat, quod latebat, aut ſuave fiat, quod non delectabat gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntate* [illegible] *ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa* [illegible] Cenſet Auguſtinus unam eandemque [illegible] rantiæ, & infirmitatis, [illegible] hanc eſſe [illegible] nolumus ob eam gratiam petere, ut nobis innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod delectabat: cum igitur teneatur quiſque ad obſervantiam præceptorum Dei, & in hac obligatione includatur etiam illa quærendi, & cognoſcendi, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & homines eatenus non cognoſcant, quia nolunt, ut loquitur Auguſtinus, ſequitur manifeſtè, non poſſe dare ignorantiam invincibilem juris naturalis. Non enim ignorantia invincibilis ex eo habetur, quod naturali virtute, & induſtria, humanoque diſcurſu vinci non poſſit, alioquin ſi ſpectarentur ſolæ naturæ vires, non ſolum eæ quæ communiſſimè conceduntur, verùm etiam ipſa præcepta decalogi viderentur poſſe invincibiliter ignorari, ſeu ex ignorantia, quæ viribus ſolius naturæ à multis vinci non poteſt, præſertim ab educatis inter infideles, quod falſum eſt, quia eorum ignorantia vertitur ipſis vitiis, quia erat abſolutè vincibilis, & poterat ſuperari beneficio divinæ gratiæ, cui gentiles impedimentum opponunt: ſed ſumitur ignorantia invincibilis relativè ad auxilia divinæ gratiæ: ſicut enim cum dicimus mandata Dei eſſe obſervatu poſſibilia, non ſolùm attendimus, quid poſſit homo ſolis naturæ viribus verùm etiam cum adjutorio divinæ gratiæ, ita etiam ignorantia divinæ legis non dicitur invincibilis relativè ad ſolas naturæ vires, verùm etiam cum adjutorio divinæ gratiæ, & auxilio ſpeciali, quod Deus facienti quod in ſe eſt, ex gratia non denegat uberiora auxilia. Homo enim ſolius naturæ viribus in hoc ſtatu naturæ lapſæ abſque ſpeciali Dei auxilio non poteſt cognoſcere omnes veritates morales etiam ſpectantes ad ipſam legem naturæ: ſicut nec ſufficit ſibi ad eandem legem ſervandam, fuit enim definitum in Concilio Arauſicano II. cap. 2. *Tam veritatem quàm juſtitiam eſſe ab illo fonte, quem in eremo ſitire debemus*, quapropter Auguſtinus in Enchirid. cap. 61. ait; *Ille rogandus eſt, cui dicitur in pſalmo Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, ut illuminatio pellat ignorantiam, & ſalus infirmitatem.*

Verùm ad hoc argumentum, quod videtur difficultatem ingerere reſpondetur diſtinguendo minorem omnia Dei præcepta ſunt cognoſcibilia in ſe, & per ſe conceditur: ad concluſiones, quæ ex ipſis deducuntur ſubdiſtinguitur; quoad illas concluſiones quæ facilè, & immediatè deducuntur ex iiſdem principiis conceditur: quoad alias concluſiones, quæ nonniſi difficulter & per longum diſcurſum inferuntur ex iiſdem principiis ſeu præceptis, negatur: ſiquidem quoad has concluſiones remotas, & valdè diſtantes è primis principiis, & de quarum veritate dantur utrinque ſententiæ probabiles inter doctores pietate & doctrina inſignes dari poteſt ignorantia invincibilis ſubjectivè, quamvis non objectivè; quia tametſi veritas illa ſit in ſe cognoſcibilis, & de facto cognoſcatur ab aliquibus contradictoriè diſſidentibus, non tamen eſt neceſſè, ut ſubjectivè ſit in omnibus & ſingulis eam quærentibus: alioquin nulla daretur ſententiarum oppoſitio, & cùm veritas ſit una tantùm, omnes doctores in eandem convenirent. Quapropter contingere poteſt ignorantia vincibilis juris naturalis, ſaltem quoad concluſiones valde remotas à primis principiis, & de quibus poſt utrumque diligens ſtudium adhuc adſunt controverſiæ inter Doctores. Quamvis Deus eo ipſo quod præcipit vel prohibet formaliter, & explicitè aliquid ſibi videatur quodammodo imponere obligationem impertiendi hominibus notitiam eorundem præceptorum vel ſaltem media, quibus poſſunt homines notitiam talium præceptorum ſibi acquirere: non inde tamen ſequitur, teneri Deum communicare etiam notitiam omnium particularium concluſionum, quæ in iiſdem præceptis tanquam principiis implicitè continen-

perverſum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quiſquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum, vivat ſobrius in ſe ipſo, juſtitiam ſervet proximo, & pius perſeveret in Deo. Et D. Bernardus declamat. in evangel. *Ecce nos reliquimus omnia.* §. 37. ait: *Exhibeatur ergo Sobrietas nobis, juſtitia proximo, pietas Deo, pietas enim cultus Dei eſt.* Solemnis etiam eſt diviſio peccati lethalis in ſeptem illa vitia, quæ dicuntur capitalia, & ſunt veluti fontes, è quibus ſcaturiunt putidiſſimi rivuli aliorum peccatorum, ſuntque ſuperbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. Et de hac diviſione fusè loquitur S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 17. ut etiam D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 84. *art.* 5. Ponit tamen S. Gregorius ſuperbiam extra numerum, ut reliquorum vitiorum reginam, & inanem gloriam Principem aſſerit vitiorum, ſiquidem expendens verba Job. cap. 39. *Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululatum exercitus*, ait: *Quia ſpiritualis militis cogitatione omne vitium, priusquam ſubrepere poſſit, aſpicitur, unde rectè de equo Dei dicitur, procul odoratur bellum. Perpendit etiam, quæ turba iniquitatum prorruat, ſi mala ad ſe ingredi, vel pauca permittat, unde ſequitur exhortationem ducum, & ullulatum exercitus, tentantia enim vitia inviſibili contra nos prælio regnanti ſuper ſe ſuperbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitûs ſubſequuntur.* Paucis interjectis ſubdit: *Ipſa namque vitiorum regina ſuperbia cum devictum plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis quaſi quibusdam ſubducibus devaſtandum tradit. Quos ſcilicet Duces exercitus ſequitur, quia ex eis proculdubio importunè vitiorum multitudines oriuntur. Radix quippe cuncti mali ſuperbia, de qua ſcriptura atteſtante dicitur initium omnis peccati eſt ſuperbia, cujus ſoboles ſunt principalia vitia, quæ de hac virulenta radice pullulant, ſcilicet inanis gloria, invidia, ira, triſtitia ſeu acedia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria.* Et aſſerit, de inani gloria oriri inobedientiam, jactantiam, hypocriſin, contentiones pertinaciæ, diſcordiæ, & novitatum præſumptiones. De corrupta radice invidiæ pullulare odium, ſuſurrationem, detractionem, exultationem in adverſis proximi, afflictiones in proſperis. De fornace iræ foras erumpere rixas, tumores mentis, contumelias, indignationes, blaſphemias. De ſemine acediæ pullulare malitiam, rancorem, puſillanimitatem, deſperationem, torporem, vagationem mentis erga illicita. De putido avaritiæ fonte ſcaturire proditiones, fraudes, fallacias, perjuria, inquietudines, violentias, & contra miſericordiam obdurationes cordis. De ventris ingluvie veluti de fœtida cloaca foras ſuas emittere fœditates inepta gaudia, ſcurrilitates, immunditias, multiloquia, hebetudines ſenſuum. De immunda luxuria oriri cæcitates mentis, inconſiderationes, inconſtantias, præcipitationes, amorem ſui, odium Dei, affectum ad præſens ſæculum, & horrorem, ac deſperationem circa futurum.

C A P U T V.

Quomodo peccata alia dicantur eſſe ex ignorantia; quædam ex cupiditate, ſive infirmitate, & alia ex malitia.

DIviduntur etiam peccata ratione cauſarum internarum in ea, quæ fiunt ex ignorantia, cupiditate, ſeu infirmitate, & malitia. Eſt ignorantia privatio ſcientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, quatenùs dirigit actus humanos. Ratio enim, quatenus eſt directrix actuum humanorum, duplicem complectitur ſcientiam, univerſalem, & particularem: & peccatum poteſt eſſe vel ex ignorantia alicujus univerſalis principii, quod ſit quædam regula rationis, vel ex ignorantia ſingularis circumſtantiæ, poteſt etiam ignorantia dupliciter ſumi, primò pro neſcientia, & eſt carentia illius ſcientiæ, quam quis non habet, nec tenetur habere, imò nec poteſt illam ſibi comparare, adeo ut ſit tantùm negatio, ſeu carentia formæ in ſubjecto non capaci, proinde non poteſt ſecum trahere rationem mali moralis. Alia eſt ignorantia propriè ſumpta, & dicit carentiam ſcientiæ, quam quis debet, & poteſt ſibi comparare, hinc ignorantia alia eſt vincibilis, & alia invincibilis; illa eſt, quæ adhibita morali diligentia poteſt ſuperari, hæc verò, quæ vinci non poteſt, hinc non quælibet ignorantia eſt cauſa peccati, ſed illa tantùm, quæ vincibilis eſt, quæque tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Hinc ſi quis ita ſit affectus, ut à parricidio non prohiberetur, quamvis cognoſceret hominem, quem interficit, eſſe patrem, ignorantia patris non eſt illi cauſa peccati, ſed concomitanter ad illud ſe habet, ideo non dicitur peccare propter ignorantiam, ſed dicitur peccare ignorans, ut explicat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 76. *art.* 1. Cæterum ignorantia multiplex eſt, ſi enim ſpectetur ex parte mentis, quam afficit, alia eſt negativa, alia privativa, & alia pravæ diſpoſitionis. Negativa eſt ſimplex negatio ſcientiæ, ſeu eſt neſcientia rerum, quas ſcire aliquis non poteſt, nec debet, & hæc minùs propria dicitur ignorantia. Privativa eſt privatio rerum, quas ignorans ſcire poſſet, & deberet. Pravæ diſpoſitionis eſt habitus, vel diſpoſitio ſcientiæ contrariæ, ut cum quis falſis principiis, falſiſque opinionibus imbutus eſt. Ex parte objecti alia eſt ignorantia facti, & alia juris; illa eſt reſpectu alicujus particularis contingentis circa materiam vel circumſtantiam actus, quæ facilè poteſt ignorari; cujusmodi fuit ignorantia Jacobi, quando pro Rachele ſuppoſitam ſibi Liam cognovit Geneſ. 29. Ignorantia juris eſt privatio ſcientiæ illarum rerum, quæ lege vel legitima conſuetudine ſunt conſtitutæ, & alia eſt ignorantia juris divini, alia humani, & illa adhuc dividitur in ignorantiam juris divini naturalis, vel juris divini poſitivi. Ignorantia juris humani etiam eſt duplex, ſcilicet juris eccleſiaſtici, & civilis, ſicut enim jus dividitur in naturale & poſitivum, & hoc in divinum, & humanum: & humanum in eccleſiaſticum, & ſæculare; & ſæculare in jus gentium, & civile: ita ignorantia juris in totidẽ dividitur membra, ſicut jus ipſum, quia omnes

juris

juris diviſiones poſſunt ignorari. Ignorantia ex parte hominis dividitur in eam, quæ vincibilis eſt, & quæ invincibilis, illa eſt, quæ humano ſtudio, & diligentia vinci poteſt, cujuſmodi eſt ignorantia rerum, quas homo tenetur ſcire, ſive quia neceſſariæ ſint abſolutè ad aſſecutionem æternæ ſalutis, ſive ad officium, ad quod exercendum divina providentia eum vocavit, quam tamen ſcientiam diſcere non curavit. Ignorantia invincibilis, quæ nulla induſtria, vel diligentia ſuperari poteſt, cujuſmodi eſt illa ignorantia Gentilium circa myſteria noſtræ fidei, cum nihil unquam de illis audierint, & quos propterea Theologi vocant infideles negativè, de quibus ait Apoſtolus ad Roman. 10. v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? aut quomodo audient ſine prædicante,* & de quibus Chriſtus ait Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Ex parte voluntatis tripartitur ignorantia in antecedentem, concomitantem, & conſequentem, antecedens eſt, quæ quamvis non ſit volita, eſt tamen cauſa volendi aliud, quod alias homo nollet, qui ex tali ignorantia operatur; ut ſi quis ignoret aliquam circumſtantiam actus, quam ſcire non tenebatur, & inde aliquid agat, quod non ageret, ſi illa circumſtantia ei innotuiſſet: ut cùm quis adhibita ſufficienti diligentia neſciat aliquem tranſire per plateam; & projiciat è feneſtra vas aliquod, quo percutiat, & interficiat tranſeuntem, quod fit ex illa ignorantia, dicitur involuntarium, unde ignorantia antecedens eſt, quæ præcedit actum, cujus eſt cauſa, & nullo pacto eſt volita, proinde dicitur etiam invincibilis, & inculpabilis. Ignorantia concomitans dicitur, quæ ita conjuncta eſt conſenſui voluntatis, ut etiam ſi abeſſet, adhuc voluntas operi pravo aſſentiretur, ut cùm quis adeo vehementer eſt odio accenſus in hoſtem, ut illum deliberet occidere, & ignorans loco hominis cervum occidat, ſi putet non hominem, ſed cervum occidere, talis occiſio fit ex ignorantia concomitante, & hæc occiſio non eſt involuntaria, quia non repugnat voluntati propensè ad illud agendum, ſed potiùs dicitur ad illam agendam propensè, ſed potiùs eſt non-voluntaria; ſiquidem non poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratur. Unde ignorantia concomitans eſt, quæ licèt non cauſet opus, illud tamen concomitatur, & quia hæc ignorantia nullo modo eſt volita, nec cognita dicitur etiam invincibilis. Ignorantia conſequens ea eſt, quæ judicium rationis, & motum voluntatis ſequitur, adeo ut ſit voluntaria, ſive ſit cauſa operis, ſive non, & dicitur vincibilis, & bipartitur in directè, & indirectè volitam; illa eſt, in quam fertur voluntas, & quam ultro amplectitur, ſicut cum quis ſtudio vult ignorare, quæ ad ſalutem æternam ſpectant, ut inde poſſit liberiùs peccare, ſuiſque indulgere deſideriis abſque ullo conſcientiæ ſtimulo, quo deterreatur à peccato; velut ignorantiæ ſuffragio à peccato excuſetur juxta illud Job. 21. 13. v. 14. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, qui dixerunt Deo recede à nobis ſcientiam viarum tuarum nolumus,* quæ verba expendens D. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 25. ait: *Hæc verbis dicere vel ſtulti minimè præſumunt, ſed tamen perverſi omnes Deo: recede non verbis, ſed moribus dicunt, qui ei ad ſe aditum præbere recuſant, eumque pravis actibus impugnant, etiam ſi verbis laudare videantur. Dicunt etiam ſcientiam viarum tuarum nolumus eo ipſo, quo ejus ſcientiam apprehendere contemnunt: ſunt enim qui ex eo quod veritas dicit Luc. 12. Non cognovit voluntatem Domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit paucis: & ſervus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens juxta eam, vapulabit multis. Nolunt ſcire, quid faciant, & quaſi minùs ſe vapulaturos exiſtimant, ut neſciant, quid operari debuerunt, ſed aliud eſt neſciſſe, & aliud ſcire noluiſſe. Neſcit namque, qui apprehendere vult, & non valet, qui autem, ut neſciat, aurem à voce veritatis avertit, iſte non neſciens, ſed contemptor addicitur.* Et hæc ignorantia dicitur etiam affectata. Ignorantia indirectè volita eſt illa, quæ quamvis non ſit in ſe volita, ratione tamen negligentiæ in illis rebus ediſcendis, & conſiderandis, quas ediſcere, & conſiderare homo poteſt, & debet, voluntariè cenſetur, & hæc ignorantia dicitur etiam craſſa, ſupina, ſive ignorantia malæ electionis, vel ex animi perturbatione, vel ex habitu proveniens, ut cùm quis notitiam, quam deberet, & poſſet habere, non curat acquirere. Et hujus generis ignorantia eſt univerſalium juris naturæ principiorum ac præceptorum Decalogi, quæ ex illis facilè inferuntur, ut etiam ignorantia Symboli Apoſtolorum ac præcipuorum myſteriorum fidei, & orationis Dominicæ in homine chriſtiano, ut docet D. Thomas 1. 2. Dari peccata ex ignorantia conſtat è ſacris litteris, in quibus ſacrificia pro peccatis ex ignorantia commiſſis præſcribuntur, vel pœnitentia exigitur Levit. 4. & cap. 5. Numer. 25. & Pſal. 24. ubi David fatetur, ſua peccata ex ignorantia in juventute perpetrata: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Eccleſiaſt. 13. *Ne accreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent.* Act. 3. 17. *Scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra;* & 1. Timot. 1. v. 13. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Unde nulli dubium, quin dentur peccata ex ignorantia. Præterea quia Levit. cap. 5. *ſtatuuntur ſacrificia offerenda pro iis, qui ex ignorantia deliquerunt:* & Apoſtolus ad Hebr. 9. quot annis ſolùm Pontificem ſemel introiviſſe in Sancta Sanctorum, non ſine ſanguine, quem teſtatur D. Paulus obtuliſſe pro ſuis, & populi ignorantiis, ſeu, ut expendit D. Thomas, pro ſuis & populi peccatis ex ignorantia commiſſis. Præterea quia ignorantia conſequens vincibilis eorum, quæ quis tenebatur ſcire vel agere, inducit peccatum, ut ſi quis ignoret, quæ ad proprium pertinent officium, ut Confeſſarius, Medicus, Advocatus, quia ex tali ignorantia grave damnum infertur proximo. Tum quia vel eſt ignorantia eorum, quæ quis tenetur ſcire, & negligit ſcire, ut ſi quis ignoret fidei articulos, talis ignorantia eſt etiam peccatum, quia negligere ſcire, vel facere, quod quis tenetur ſcire, vel facere, peccat, proinde talis ignorantia eſt peccatum grave. Præterea ignorantia tantum per accidens & indirectè eſt cauſa peccati, ut docet D. Thomas *quæſt. 3. de malo art.* 8. quia cum ignorantia ſit privatio, non poteſt directè influere poſitivè in peccatum, ſed tantùm indirectè, & per accidens quatenus removet prohibens, ſeu tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, impediret peccatum: unde perinde dicitur ignorantia cauſa peccati, ac ſi quis removens columnam, cui innititur domus, dicitur cauſa delabentis domus, quatenus removet obicem, à quo talis lapſus impediebatur: illa enim eſt

cauſa

Digitized by Google

cauſa per accidens alicujus effectus, quæ removet aliquid quod effectum impediebat, & quia ignorantia eorum, quæ quis tenebatur agere, removet ſcientiam, qua poſita non ſequeretur peccatum ideo dicitur ignorantia per accidens, & indirectè cauſa peccati; quòd ſi dicas inde ſecutum Deum fore cauſam peccati, cùm ſubinde deneget auxilia uberiora, quæ ſi adeſſent, peccatum impedirent. Contra eſt, ſiquidem eſt diſpar ratio, quia Deus non tenetur auxilia dare, quæ denegat, ſicut tenetur homo ſibi comparare ſcientiam neceſſariam ad declinandum peccatum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt. 76. art.* 2. Tunc tantùm effectus tribuitur removenti prohibens, quando removens tenetur effectum illum impedire. Cæterum ut ignorantia ſit culpabilis tria requiruntur, primò ut ſit vincibilis & volita; ſecundò ut adſit actualis advertentia malitiæ illius. Tertiò ut ſit notabilis negligentia ſciendi ea, quæ quis poteſt, & tenetur ſcire.

Peccatum ex cupiditate, ſeu animi perturbatione eſt, ad quod voluntas inclinatur, & allicitur à concupiſcentia mentis diſtrahente, vel impediente conſiderationem juxta illud Daniel. cap. 13. v. 56. *Species decepit, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum*, & Jacobi 1. v. 14. & 15. *Unusquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem*, hoc autem peccatum oriens ex cupiditate & animi perturbatione, dicitur etiam procedere ex infirmitate, eò quia perturbationes, & cupiditates à Philoſopho dicantur animæ ægritudines, in quo ſenſu ajebat David Pſal. 6. *Miſerere, mei Domine, quoniam infirmus ſum*, & talia fuerunt peccata Davidis, & S. Petri, talia etiam, quæ ex metu, ira, vel concupiſcentia, animi, aut alia perturbatione committuntur. Animi perturbatio vel eſt antecedens, vel conſequens; illa dicitur, quæ judicium rationis, & actum voluntatis antevertit, quam nititur trahere, vel inclinare ad conſenſum, hæc verò quæ motum voluntatis ſequitur perinde ac libido, vel ira excitatur, vel ut quis aliena furatur muliere, vel ut inimicum ulciſcatur. Paſſio antecedens quia rationem perturbat, libertatem minuit: ſiquidem ratio perturbata ſingulas operis circumſtantias minus accuratè cognoſcere, & expendere poteſt, quod tamen requiritur ad perfectam libertatem. Paſſio verò conſequens non minuit, ſed auget voluntarium, quia ſignum eſt vehementioris voluntatis, & ad peccatum propenſioris, nemo enim putet concupiſcentiam conſtituere peccatum ex illa votum prorſus voluntarium, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Galat. v. 17. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem, hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Poſtrema enim hæc verba non referuntur ad externum actum, quaſi concupiſcentia cauſa ſit, ut fiat contra voluntatem, ſed referuntur ad primum motum concupiſcentiæ, vellet enim homo juſtus motus illos non experiri, quos tamen velit, nolit experitur, in quo ſenſu ajebat Apoſtolus ad Roman. 7. 15. *Quod odi malum, illud facio*, vel referunt ad voluntatem, quæ præcedit impetum paſſionis, quia plerumque homo paſſione commotus, & abſtractus agit, quæ antea ſe minimè acturum propoſuerat, vel quod reſtincta, ac diminuta cupiditate noller egiſſe. Hinc D. Auguſtinus ſerm. 30. de verbis Apoſtoli ait: *Non quod volo, ago, carnalis dicit, non legem, ſed ſe accuſans. Nam lex ſpiritualis non habet culpam, carnalis venumdatus incurrit in culpam, non agit, quod vult, cùm vult, non poteſt, quia quando poterat, noluit; per malum velle perdidit bonum poſſe; & captivus jam loquitur, & dicit: Non, quod volo, ago, tu non vis, ut concupiſcentia illa, quæ reſiſtit menti tuæ omnino non ſit in te? mali vois homo es, ſi tali adverſarii non vis carere. Ego fateor tibi quidquid in me rebellat adverſus mentem meam, & litigat mecum delectatione contraria, quidquid in me tale eſt, omnino interficere volo. Etſi ei fortè adjuvante Domino non conſentio; nolo habere cum quo litigem. Multo eſt mihi optabilius inimicum non habere quam vincere.* Et nonnullis interjectis expendens verba Apoſtoli: *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem*, ait: *Hæc invicem adverſantur, ut non ea, quæ vultis, faciatis, inde & iſte, non quod volo, ago, concupiſcit enim caro adverſus Spiritum, & nolo, ut concupiſcat, pro magno habeo, ſi non conſentiam, opto tamen ut careum: ergo non quod volo, ago. Volo enim ut non concupiſcat caro adverſus Spiritum, & non poſſum*, & poſt pauca ſubdit: *Tu autem naturæ deſertor vel potius oppugnator, dum quaſi de natura ſana laudas creatorem, excludis à languida Salvatorem*; hactenus Auguſtinus explicans verba illa Apoſtoli: *Quod odi malum, illud facio*, & quomodo peccata ex concupiſcentia & animi perturbatione commiſſa volita ſint, quia deſideriis illicitis homo non cogitur, ſed liberè obedit, & quomodo ipſa cupiditas eſt infirmitas naturæ noſtræ, adeoque peccata ex cupiditate profecta dicuntur eſſe peccata infirmitatis. Hæc autem infirmitas ſicut eſt difficultas, quam experimur operandi bonum, ut etiam ignorantia naturæ peccatricis vulnera ſunt, quæ per peccatum primi hominis fuerunt ipſi inflicta, ait enim Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque, quo bene uti noluit, cùm ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire, quid rectum ſit: & qui rectè facere cum poſſet, noluit amittat poſſe cum velit. Nam ſunt revera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt naturæ inſtituti hominis, ſed pœna damnati.*

Ex hoc concupiſcentiæ fonte omnia ſcaturire peccata, ediſſerit S. Joannes epiſt. 1. cap. 2. inquiens: *Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Ad hæc tria omnes revocantur animi perturbationes motus omnes inordinati appetitus, ſiquidem ad concupiſcentiam carnis revocantur concupiſcentia oculorum, & paſſiones omnes appetitus concupiſcentis; ad ſuperbiam vitæ perturbationes appetitus iraſcentis: ſiquidem per carnis concupiſcentiam intelligitur perverſus appetitus rerum, quæ carnem titillant, & delectant, ut ſunt eſculenta, poculenta, & venerea. Per concupiſcentiam oculorum intelligitur vana curioſitas, qua concupiſcitur, quidquid aſpectu placet, eſtque delectabile, ſive in theatris, ſive in foro, in plateis, & ſpectaculis, & hujus triplicis cupiditatis, ſeu omnium peccatorum radix perverſus eſt amor ſui, ſiquidem omne peccatum procedit ex inordinato appetitu alicujus boni temporalis. Et quod homo inordinatè appetat bonum aliquod temporale, id ex eo proditur, quia ſe ipſum inordinatè amat.

Hinc

Hinc Auguſtinus *lib.* 4. *de Civit. DEI cap.* 28. ait: *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei, cæleſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui.* Perverſus eſt igitur, & iniquus amor ſui, cùm ſit radix, à qua pullulant omnes iniquitates, propterea evellendus eſt, & omnino excindendus. Hinc Chriſtus ajebat ſuis Diſcipulis: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, ſeu excindat à ſe amorem ſui, quia ut expendit Auguſtinus ſerm. 130. *Amando enim ſe, perdit ſe, negando ſe, invenit ſe*, ait enim Chriſtus *Joan.* 12. *v.* 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam. Nemo eſt, qui non ſe amet, ſed rectus amor eſt quærendus, perverſus cavendus.* Peccatum ex malitia eſt illud, quod ſola perverſitate voluntatis bonum temporale de rationis ordine lege Dei, charitate, adeoque pro ipſo Deo amantis committitur, mavult enim homo eligere pati detrimentum in aliquo ex bonis ſpiritualibus, ut bono aliquo potiatur temporali, quod propterea inverſo ordine præfertur ſpirituali, & hi dicuntur apud Job. 34. 27. *Qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt*, & Proverb. 2. v. 14. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, qui lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Peccatum ex malitia fuit pomorum furtum ab Auguſtino adhuc adoleſcente cum Sodalibus perpetratum: ut ipſe fatetur *lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 4. & demum peccatum omne ex pravo habitu peccatum eſt ex certa malitia, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Cùm enim habitus, ſeu inveterata peccandi conſuetudo in alteram propè naturam converſa ſit, converſio itidem, ſeu pronitas voluntatis ad malum eligendum ſit etiam ipſi quodammodo connaturalis.

CAPUT VI.

An omnis ignorantia juris naturalis ſit cauſa peccati?

DOcuit Janſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. ignorantiam invincibilem juris naturalis eſſe cauſam peccati, & duplicem diſtinguit ignorantiam invincibilem, unam juris poſitivi, quam vult excuſare à culpa, & aliam juris naturalis, quam aſſerit non excuſari à peccato, ſed illud cauſare, eò quia hujuſmodi ignorantia fluxerit, ut effectus ab ipſo peccato originali, quod ſicut fuit interpretativè, & virtualiter voluntarium omnibus poſteris, quatenus DEUS voluntates poſterorum incluſit, ſive alligavit voluntati Adæ ut capiti, ideo ſicut peccatum originale fuit voluntarium interpretativè poſteris, ita etiam ignorantia juris naturalis, adeo ut hæc ſufficiat ad inducendum peccatum actuale; non verò ignorantia juris poſitivi, & ait eſſe diſcrimen, quia ſcientia juris naturalis eſt humanæ naturæ connaturalis, & naturaliter debita, & hanc habuiſſent omnes homines in ſtatu innocentiæ, ideoque ejus carentia, ſeu ignorantia invincibilis juris naturalis vitioſa eſt & inflicta in pœnam peccati, ac poteſt eſſe cauſa alterius peccati actualis, non ita ignorantia juris poſitivi, quia ejus ſcientia non eſt naturæ humanæ connaturalis, nec debita cùm lex divina poſitiva oriatur à libera DEI voluntate. Verùm ut clarè in hac controverſia procedatur, ſupponendum eſt eſſe certum de fide dari hoc jus naturale, quod nihil aliud eſt, quàm ipſa lex naturæ, de qua ſcribens Apoſtolus ad Roman. 2. ait: *Ejuſmodi legem habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Hinc Auguſtinus 2. *Confeſſ. cap.* 4. ait: *Lex tua Domine in cordibus hominis ſcripta eſt, quam nec ulla unquam delet, nec delebit iniquitas.* Ratio eſt, quia cùm natura rationalis moveatur in finem, neceſſaria erat regula aliqua, quæ motum hunc naturæ rationalis intra debitos terminos ſecundùm exigentiam finis dirigeret: & quia motus iſte eſt maximè connaturalis, ab intrinſeco exigebat eidem dari regulam, quæ itidem connaturalis eſſet, & ab intrinſeco, quam regulam Deus munificentiſſimus bonorum omnium largitor omnibus communicavit hominibus, quibus ſuas itidem impertitus eſt perfectiones, ſiquidem cuique habenti naturam rationalem vis quædam ineſt ad diſcernendum inter bonum, & malum, ſeu inter operationes naturæ convenientes, vel diſconvenientes; & hæc vis ratio vocatur, in qua Abulenſis in 19. Matth. quæſt. 13. & plures alii cenſent formaliter conſiſtere legem ipſam naturalem. Verùm eorum rationes tantùm evincunt requiri dictamen mentis eſſentialiter tanquam conditionem neceſſariam perinde ac in cæteris legibus, quæ non obligant, niſi ſufficienter promulgentur: hinc quia lex naturalis moraliter obligat, debuit promulgari, & ne illam ignoraremus, donati ſumus lumine rationis, ut nos erudiret, quid proſequi, & quid contemnere, vel fugere debeamus, adeo ut lex naturalis ſit potius natura rationalis, qua talis, ſeu ut participans divinas perfectiones, & ordinatur per media proportionata ad ipſum Deum: & Legiſlator ſit Deus, & ratio, ſeu lumen naturale illa manifeſtatio, qua lex naturalis nobis promulgatur, ut illam cognoſcamus, idque deſumitur ex D. Auguſtino *lib.* 2. *de ſermon. Domini in monte*, ubi ait: *Nullam animam eſſe, quæ ratiocinari poſſit, in cujus conſcientia non loquatur Deus.* Eſt itaque natura rationalis, ut participans divinas perfectiones tabula, in qua digito DEI vivi ſcribitur lex naturalis, etenim eſt natura rationalis, ut participans divinas perfectiones quoddam ideatum perfecti, & excellentiſſimi artificis: & quia ideatum perfectum eſt uniforme ſuo prototypo; ideo divinæ perfectiones, quatenus ſunt in natura rationali quoddam ideatum divinarum operationum exiſtentium in Deo, non poſſunt non importare perfectionem. Hinc illæ operationes naturæ rationalis, quæ divinis conformantur, & ordinant ad finem ultimum, ſunt independenter à quacunque alia lege extrinſeca intrinſecè moraliter bonæ: ſecus operationes naturæ humanæ, quæ divinis non conformantur, quæ à fine ultimo avertunt, ſunt intrinſecè malæ: Hinc quia Deus eſt eſſentialiter verax, mendacium in homine eſt eſſentialiter, & intrinſecè malum, quia difforme divinæ perfectioni, ac deordinativum à fine ultimo, quia enim ſimilia quæ proportionata ordinant, ita diſſimilia deordinant, unde illæ operationes in creatura rationali ſunt perfectæ, quæ conformes divinis: ſiqui-

Digitized by Google

dem divinus intellectus Dei attributa, potentiam, æternitatem, ſapientiam, pulchritudinem, & alias divinas perfectiones contemplatur: & divina voluntas vel maximè gaudet Deum eſſe bonum, infinitum, omnium divitiarum fontem, nullius indigum, omnia poſſe, in omnes liberalem, omnibus prodeſſe, obeſſe nulli: ideo omnes iſtæ operationes, ſi eliciantur à creatura rationali, ſunt perfectæ, & juxta legem naturæ: per conformitatem enim cum divinis perfectionibus operationes noſtræ conſtituuntur rectæ, & bonæ: quinimò ſicut nullus amor poteſt eſſe major eo, quo Deus ſe ipſum amat, ſic noſter amor non poteſt eſſe melior, quàm ſi divino amori fiat conformior. Neque aliud eſt amare, ait Ariſtoteles, quàm alicui bonum velle, quo conſtituto ſequitur, ut quo majus bonum alicui volumus, eò impenſius amemus, & quia non poſſumus Deo velle majus bonum, quàm quòd ipſe eſt, cùm ſit pelagus totius bonitatis; nec poſſumus Deum ardentius amare, quàm ſi ſua illi bona velimus.

Hac de cauſa præcepta Decalogi, quibus præcipimur Deum amare ex toto corde, & proximum, ſicut nos ipſos, pertinent ad legem naturalem, quia ſunt operationes conformes divinis; Cùm enim Deus ſe ipſum ut omnium perfectionum ac bonitatum fontem amet; lex naturalis non obligat ad Deum amandum ſuper omnia ex toto corde, totaque anima, & ſicut Deus munifica ſua largitate, & amore benefico communicat ſua bona creaturis, quas propterea amat; ideo & nos tenemur ex vi legis naturalis proximum diligere, eique bene velle: eſt ſiquidem lex naturalis obligativa & præceptiva ex vi judicii intimativi, quia ſicut principia evidentia adigunt intellectum ſuaſivo modo ad ſpeculativum aſſenſum conclusionis, adeo ut aſſentiendo principiis intellectus adigatur etiam aſſentiri concluſioni; ita etiam principia practica naturalia adigunt intellectum ad aſſenſum practicum, & ad inferendam concluſionem practicam, quod perinde eſt, ac obligare voluntatem ad operandum: etenim præcepta naturalia in ſua intimatione continent evidenter veritatem practicam principiorum, conſequenter obligant intellectum ad judicandum hic, & nunc eſſe operandum; & cùm voluntas ſequatur intellectum, obligatur etiam ipſa ad operandum conformiter ad legem naturalem, ad quam propterea pertinent non ſolùm, quæ continentur in primis principiis, verùm etiam, quæ in concluſionibus evidenter deductis ex primis principiis, quæque habent veritatem practicam neceſſariam, ut docet D. Auguſtinus *lib. 1. de libero arbitr. cap. 3.* & ratio ex eo petitur, quia, quæ habent evidentem veritatem practicam, & immutabilem, ſunt ſimpliciter neceſſaria pro recto ordine morali naturæ rationalis, proinde pertinent ad legem naturæ; quia præſcribunt, quid agendum ſit, & quid fugiendum, adeo ut ſi operatio non ſit iiſdem conformis, ſit deficiens, & inordinata, eò quia careat ordine præſcripto à ratione: quamobrem non ſolùm principia, verùm etiam concluſiones ex iiſdem deductæ continent veritatem practicam, & immutabilem, & pertinent ad legem naturæ, per quam Deus ſufficienter providit, pro recto ordine morali: conſequenter lex naturalis complectitur omnes illas regulas, quæ neceſſariæ ſunt ad rectè agendum, & vivendum: Hinc D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 94. *art.* 2. ait: Legem naturalem continere plura præcepta juxta diverſitatem principiorum, & concluſionem ad ipſam pertinentium: etenim lex naturalis prohibet diverſa vitia, ut homicidium, furtum, adulterium, & alia hujuſmodi, & etiam præcipit diverſas virtutes, proinde continet plura præcepta, quia quælibet virtus habet diverſum motivum proprium, ut præcipiatur: ſicut enim vitium ut inhibeatur: & quia præcepta diſtinguuntur ex diverſitate principiorum, ideo lex naturalis plura complectitur præcepta juxta diverſitatem principiorum & concluſionum, quæ ex iiſdem deducuntur, & pertinent ad legem naturalem. Hæc autem plura, ac diverſa præcepta naturalia una nectuntur in unicam legem, & in illud unicum præceptum univerſale, quod indicat Pſaltes: *Declina à malo, & fac bonum:* Siquidem lex naturalis habet pro objecto adæquato ordinem moralem, adeo ut ſingula præcepta aliquid includant ejuſdem ordinis, quo fit, ut omnia præcepta naturalia uniantur in illo præfato, quia ſi fiat bonum, & declinetur à malo, habetur adæquatus moralis ordo. Poſſunt nihilominus ſub hoc univerſali præcepto plura alia univerſalia diſtingui, quia ſub hoc præcepto continentur diverſæ ſeries præceptorum, quæ reſpiciunt certum finem, & uniuntur in unum præceptum eidem fini adæquatum: unde ordo ſervandus eſt in Deo ut fine ultimo, & exprimitur per illud præceptum: *Diliges DEUM tuum ex toto corde tuo*, & ſervandus eſt etiam ordo cum proximo, juxta illud Matth. 10. *Omnia quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, & eſt perinde, ac diligere proximum, ſicut ſe ipſum.

Difficultas igitur eſt, an juris naturalis dari poſſit ignorantia, quæ ſit invincibilis, & quæ excuſet à culpa, an verò ignorantia omnis juris naturalis ſit cauſa peccati, pro quo juvat diſtinguere prima principia legis naturalis, præſertim illa duo: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et quod tibi vis fieri, alteri feceris*, quæ duo recidunt in idem, ſeu facere bonum, & declinare à malo: ex primo principio affirmative, quod eſt facere bonum aliis, quod quis ſibi vellet, deducuntur ut concluſiones proximè, & immediatè illa præcepta Decalogi, quæ ſunt affirmativa, & quæ obligant ſemper, ſed non pro ſemper: ex ſecundo principio, quod eſt declinare à malo, ſeu non facere aliis, quòd nollet quis ſibi fieri, deducuntur alia præcepta Decalogi, quæ ſunt negativa, & quibus prohibemur malum inferre proximo. Præterea aſſumendo tres primas concluſiones ita deductas, tanquam principia, ex eiſdem inferimus alias concluſiones, quæ ad legem naturæ etiam pertinent, & dicuntur concluſiones valdè remotæ, ac diſtantes à primis principiis legis naturæ, eò quia non deducantur immediatè ex duobus illis primis principiis, ſed tantùm mediatè, ſeu mediantibus concluſionibus immediatè ex ipſis deductis: quamvis poſſit quiſque facilè concluſiones proximas, & immediatas deducere ex primis principiis; ſiquidem ex eo, quòd mihi innoteſcat non eſſe alteri faciendum, quod nollem mihi fieri, ſtatim infero, ergo non debeo quemquam interficere, nec furari, nec alienum thorum coinquinare, nec quidquam mali proximo inferre; non tamen aſſumendo has concluſiones immediatas poteſt quis facilè ex iiſdem deducere alias concluſiones mediatas, & valdè diſtantes, ſeu remotas à primis principiis: ſiquidem de veritate harum concluſionum dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores etiam doctrinâ, & pietate inſignes, quod

non

Digitized by Google

non contingeret, ſi tales concluſiones mediatæ, & remotæ facilè deducerentur ex principiis, quæ tanquam concluſiones fuerunt immediatè deductæ ex primis principiis naturæ lumine notis. Difficultas eſt, an ignorantia invincibilis poſſit cadere ſupra totum hoc jus naturale, prout complectitur prima principia, & concluſiones proximè, & immediatè, imò etiam remotè, & mediatè deductas ex iiſdem. Certum eſt, ignorantiam invincibilem antecedentem ſive juris, ſive facti non eſſe cauſam peccati, ſed ab illo excuſare, ita cum D. Thoma docent Theologi contra Janſenium lib. de ſtatu naturæ lapſæ quodlib. 2. cap. 2. & ſequent. ubi docet, facta cum ignorantia invincibili juris naturalis eſſe imputanda culpæ, quod etiam docuerat Lutherus in cap. 12. Geneſ. cujus hæc ſunt verba: *Scholaſtici docent, invincibilem ignorantiam reddere excuſabilem: tanta cæcitas eſt in Papæ Scholis, & Eccleſiis.* Verum non cæci, ſed oculatiſſimi ſunt Eccleſiæ Romanæ Catholicæ Theologi, ut conſtat ex ſacris Scripturis Joan. 9. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum,* & ideo habent, quia cæci non ſunt. Et cap. 15. *Si non feciſſem opera in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et Geneſ. 20. *Domine, num gentem ignorantem, & juſtam interficies.* Hinc à S. Pio V. & Gregorio XIII. in Bullis contra Michaelem Bajum; & ab Innocentio X. & Alexandro VII. in Bullis contra Janſenium damnatur propoſitio aſſerens: ignorantiam antecedentem, & invincibilem eſſe cauſam peccati, quod etiam damnarunt Sancti Patres, Chryſoſtomus in Epiſt. ad Rom. homil. 13. de libero arbitrio ubi ait: *Nemo unquam ignoranter peccabit:* & D. Auguſtinus hoc idem paſſim aſſerit, præſertim lib. 3. de libero arbitrio inquiens: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod quærere negligis, quod ignoras.* Ratio hoc idem ſuadet; quia non poteſt quidquam eſſe voluntarium, niſi ſit cognitum; ſiquidem voluntarium eſſentialiter procedit à principio intrinſeco cognoſcente ſingula: ſed repugnat dari peccatum, quin ſit voluntarium; & ignorantia invincibilis tollit rationem voluntarii, quia tollit ab intellectu cognitionem, ſine qua non habetur voluntarium, ut liquet ex definitione voluntarii: ergo ignorantia antecedens, quæ nullo pacto eſt volita, non poteſt eſſe peccatum; nec cauſa illius; ſed excuſat à peccato. Quamobrem ſtat ignorantiam invincibilem antecedentem ſive juris, ſive facti excuſare à peccato, non eſſe cauſam illius, niſi ſaltem confuſè ac dubitativè advertatur ejus malitia. Non enim Deus præcipit hominibus impoſſibilia: præciperet autem, ſi ignorantia antecedens invincibilis non excuſaret à peccato, quia cùm voluntas noſtra ſit potentia cæca, & non poſſit ferri, niſi in id, quod intellectus ut bonum, & conveniens ipſi proponit: illud tantùm eſt in noſtra poteſtate, quod ab intellectu proponitur voluntati; & quod antecedenter, & invincibiliter ignoratur, non poteſt voluntati proponi, neque poteſt eſſe in noſtra poteſtate, cùm ignorantia antecedens impediat propoſitionem intellectus: unde ſi homo teneretur implere præcepta juris naturalis, aut poſitivi, quæ invincibiliter & antecedenter ignorat, obligaretur ad impoſſibile contra Scripturas, Deuter. 30. *Mandatum hoc, quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, ſed juxta te eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* His poſitis,

Dicendum eſt, ignorantiam invincibilem non poſſe cadere ſupra illa duo prima principia generalia legis naturæ, ex quibus in ordine ad praxim deducuntur concluſiones, quæ ſunt præcepta particularia legis naturæ. Ratio eſt: quia illud non poteſt invincibiliter ignorari, quod omnibus utentibus ratione eſt per ſe notum: ſed prima principia generalia legis naturæ ſunt per ſe nota omnibus utentibus ratione; ſiquidem verſantur circa bonitatem, vel malitiam moralem, cujuſmodi ſunt illa duo prima principia. Bonum eſt faciendum; malum eſt vitandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, ſunt hæc duo principia legis naturæ, quæ à nemine poſſunt ignorari: eo ipſo quod quis ratione utitur, ſtatim judicat bonum eſſe faciendum, quia conſentaneum naturæ; & malum fugiendum, quia diſſentaneum; ſunt enim hæc duo judicia nobis à natura indita, adeo ut deleri ab homine utente ratione non poſſint: hinc David Pſal. 4. *Quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine,* ſcilicet lumen nobis oſtendens bonum eſſe faciendum, malum fugiendum: quapropter ſcripſerat D. Paulus ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt:* ſcilicet non habentes legem Decalogi, naturaliter faciunt ea, quæ ſunt legis naturæ; & aſſignans rationem ſubjungit: *Ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium in die, cùm judicabit Deus occulta hominum.* Præterea quia jus naturale eſt id, ad quod natura inclinat immediatè; ſed hujuſmodi ſunt duo prærecenſita principia, quæ ſunt per ſe omnibus nota, quatenus natura inclinat immediatè ad ipſa; ex quo ſequitur hæc duo principia eſſe prorſus immutabilia tam ex parte ſui, quàm ex parte hominis; quia non poſſunt ignorari.

Imò neque concluſiones proximè & immediatè deductæ ex primis principiis juris naturæ per ſe poſſunt ſemper invincibiliter ignorari: ſed tantùm per accidens occurrente, ſcilicet nova aliqua circumſtantia, quæ videri poſſit excuſare à peccato. Ratio primæ partis eſt; quia hujuſmodi concluſiones proximè, ac immediatè deductæ ex primis principiis naturæ lumine notis, ſunt præcepta particularia Decalogi, quæ per ſe, ſi nulla occurrat alia circumſtantia; ita ſunt naturæ conſentanea, ut ſtatim quod ipſis adverſatur cenſeatur malum fugiendum, ac eſſe peccatum diſſonum rectæ rationi: etenim ex illo primo principio: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* ſtatim infertur, furtum, homicidium, & quicquid damnum alteri infert, non eſſe faciendum, eò quia nollet quis eadem damna ſibi inferri. Quamobrem tametſi apud gentes nonnullas aliquid contra has concluſiones immediatè illatas ex primis principiis juris naturæ, judicaretur licitum, ut apud Germanos quondam olim furtum, ut teſtatur Julius Cæſar lib. 1. de bello Gall. & apud Lacedæmones adulterium referente Plutarcho in vita Lycurgi; quin etiam apud Scotos homicidium, & apud alias gentes alia, quæ adverſantur juri naturæ, ut refert D. Hieronymus lib. 2. adverſ. Jovinianum paulò infra initium, ubi ait: *Quid loquar de cæteris nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos gentem Britannicam humanis veſci carnibus; & cùm per ſylvas porcorum greges, & armentorum, pecorumque reperirent Paſtorum nates, & fœminarum papillas ſolere abſcindere; & has ſolùm ciborum delicias*

Digitized by Google

arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet, & quaſi Platonis politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria eſt, ſed ut cuique libitum fuerit, pecorum more laſciviunt. Perſæ, Medi, Indi, & Æthiopes regna non modica, & Romano Imperio paria, cum matribus, & aviis, cum filiabus, & neptibus copulantur. Maſſagetes, & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur: & parentes, cognatos, propinquos, cum ad ſenectam venerint, jugulatos devorant; tolerabilius eſſe ducentes, ut à ſe potius, quam à vermibus comedantur. Deinde nonnullis interjectis concludit; *Pervides igitur, quod non ſolum in eſu, ſed in ſepulturis, & in connubiis, & in omni converſatione unaquaque gens ſuo ritu, & proprietatibus vivitur, & in connubiis, & hæc eam naturæ legem putare, quod didicit.* D. Chryſoſtomus non diſſimilia habet *homil.* 4. *in cap.* 1. *Epiſt. ad Rom.* ubi expendens, *Deum tradidiſſe aliquos in reprobum ſenſum*, eò quia ex ſua culpa eo devenerint, ut cenſuerint licitum eſſe, quod vel maximè adverſabatur naturæ rationali, eratque illicitum, ait ipſe: *Legulator quidam apud illos ſanxit, ut ſervi nec in ſicca ſe ſe ungerent, nec puerorum amoribus vacarent, hanc ſcilicet prærogativam ingenuis ſolis concedens, ſeu ut verius dicam, hanc turpitudinem, cum tamen nec turpitudinem quidem factum hujuſmodi eſſe crederent; ſed veluti venerandum, honeſtum, ac majus quam quod ſervorum perſonis conveniret, liberis ipſis permiſerit: tum ſapientiſſimus Athenienſium populus, tum qui magnus apud ipſos habitus eſt Solon. Cum eo quoque multos Philoſophorum libros hocce morbo refertos invenias.* Verùm quamvis gentes interdum cenſuerint, ſibi licitum, quod adverſatur concluſionibus immediatè deductis ex primis principiis juris naturæ, ſeu præceptis Decalogi; non tamen inde ſequitur, hæc præcepta Decalogi poſſe per ſe & pro ſemper invincibiliter ignorari ignorantia excuſante à culpa: ſiquidem poſſunt ignorari, ſed culpabiliter, adeo ut ignorantia ipſis ignorantibus vertatur culpæ; quapropter Apoſtolus ad Rom. 1. vocat gentes inexcuſabiles, eò quia ex prava conſuetudine peccandi in eam devenerint mentis cæcitatem, ut licita putaverint vitia adverſantia naturæ; ait Apoſtolus gentes iſtas eſſe inexcuſabiles, & adferens rationem ait: *Quia, cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum:* hac de cauſa paucis interjectis ſubdit: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Quia culpabiliter ſe injecerunt in eas errorum tenebras, ut exiſtimaverint licita peccata contra naturam, ideo Apoſtolus vocat gentes illas inexcuſabiles, eò quia cæcitas illa ex peccato orta fuerit; & Deus in pœnam peccati tradidit populos illos in reprobum ſenſum, non poſitivè, ſed negativè; quatenus iiſdem denegavit uberiora gratiæ auxilia, quibus alia peccata declinâſſent. Hinc D. Thomas lect. 7. in cap. 1. epiſt. ad Rom. docet, ignorantiam cauſatam ex culpa non poſſe ſubſequentem culpam excuſare: & ſicut cæcitas illa gentilium oriebatur ex perſonali eorum culpa; ignorantia inde exorta, quia fuit voluntaria in cauſa, non potuit eos à culpa excuſare, eò quia neglexerint majorem diligentiam adhibere in veritate perveſtiganda; neque Deum rogarunt, ut uberius illis lumen infunderet, quo veritas eis manifeſtaretur, conſequenter eorum error fuit culpabilis; quia, ut ait D. Auguſtinus *lib. de quant. animæ cap.* 14. *Fieri non poteſt quadam divina providentia, ut religioſis animis ſe ipſos, & Deum ſuum, id eſt, veritatem piè, caſtè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas deſit.* Hinc quæ de aliis gentibus ajebat D. Hieronymus exiſtimantibus eſſe licita, quæ contraria erant præceptis Decalogi. In illis non ſupponebatur ignorantia invincibilis, quæ excuſaret à peccato, quia poterant, & ſcire debebant, illa eſſe mala, proinde eorum ignorantia fuit culpabilis.

Probatur ſecunda pars, ſcilicet poſſe contingere, ut per accidens ratione alicujus circumſtantiæ occurrentis talis ignorantia ſit inculpabilis, quia interdum talis circumſtantia poteſt occurrere, ut videatur excuſare à culpa; tunc enim ratione talis circumſtantiæ poteſt haberi ignorantia invincibilis præcepti juris naturæ, etenim legi naturali adverſatur mendacium, quod proinde prohibetur præcepto naturæ, & nihilominus plures exiſtimarunt, mendacium ſubinde eſſe licitum, ratione circumſtantiæ adjunctæ ad evitandum ſcilicet imminens mortis periculum, vel ad declinandum graviſſimum aliquod damnum. Rurſus præceptum prohibens vindictam ſumere de inimico propria authoritate ſecundùm doctrinam Catholicam eſt de jure naturali, & tamen Cicero *lib. de offic. cap. de juſtitia* aſſerit: *Primum munus juſtitiæ eſt, ne quis alium lædat, niſi laceſſitus injuria*, exiſtimavit licitam eſſe vindictam propria authoritate, quando quis ab alio laceſſitur injuria vel contumelia. Prætereà certum eſt, non furari eſſe præceptum juris naturalis, & nihilominus autumârunt aliqui, licitum eſſe furari illi viro malo, ac divitiis affluenti ad elevandas miſerias viri boni, pauperis, & indigentis, tametſi non ſit conſtitutus in gravi neceſſitate: tunc enim circumſtantiæ occurrentes ita obſcurant intellectum, ut hic ob innatam ingenii tarditatem non valeat rectè diſcurrere ad inferendum tales actus adverſari præceptis naturæ, ut notat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. *in corp.* ubi ait: Quædam ſunt in humanis actibus adeo explorata, quòd ſtatim cum modica conſideratione poſſint approbari vel reprobari per illa prima, & communia principia. Quædam verò ſunt, ad quorum judicium requiritur multa conſideratio multarum circumſtantiarum, quas conſiderare diligenter non eſt cujuslibet, ſed ſapientum; ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos.

Hinc poteſt dari ignorantia invincibilis juris naturalis quoad illas concluſiones remotas, ac valde diſtantes à primis principiis practicis, à quibus nonniſi mediatè, ac remotè deducuntur, & quarum veritates controvertuntur, ac proinde dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores pietate, & doctrinâ laudatiſſimos, & hæc ignorantia non eſt cauſa peccati, ut communiter docent Theologi. Ratio primæ partis hujus aſſertionis ex eo deſumitur, quia non omnia, quæ pertinent ad jus naturale, ſunt per ſe nota: quædam enim ſunt prima principia generalia, & univerſalia morum, cujuſmodi ſunt, *honeſtum eſſe proſequendum, & malum declinandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; quæ duo ita ſunt pernota, ut ſtatim, cùm objiciuntur intellectui, hic eiſdem aſſentiatur. Alia ſunt principia magis determinata, & coarctata, & non ita univerſalia, ut, juſtitia eſt ſervanda. DEUS eſt colendus, & alia id genus, quæ ſunt itidem per ſe nota. Alia quæ per evidentem illationem ex primis principiis

proxi-

Digitized by Google

proximè & immediatè deducuntur, de quibus diximus in præcedente aſſertione. Alia demum, quæ nonniſi per diſcurſum, ac mediatas conſequentias difficulter deducuntur ex primis principiis juris naturalis, & de his dari poteſt ignorantia invincibilis, etiam poſt diligentem inquiſitionem veritatis; ſiquidem contingit, ut viri licèt pientiſſimi, & doctrina inſignes, circa jus naturale doceant ſententias contradictoriè oppoſitas, quæ nequeunt ſimul veræ eſſe; adeo ut neceſſe ſit, ut alter eorum doceat ſententiam falſam, quam tamen Doctor pius docet innocenter & ſine culpa, poſt diligentem inquiſitionem veritatis; & poſtquam à Deo petierit lumen ad videndam veritatem. Viros Sanctos hat docuiſſe oppoſitas ſententias claret ex D. Antonino 2. part. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. ubi ait: Quòd ſint contrariæ opiniones inter Doctores ſanctitate, & ſcientia maximos in materia morali, aliquando etiam ad ſalutem neceſſaria, patet per exempla. Nam Beatus Thomas in 4. tenet, quòd poſt lapſum in mortale non oportet aliquem ſtatim confiteri ſub præcepto, etiam habita copia Confeſſoris, niſi in pauciſſimis caſibus, qui ibi ponuntur diſt. 17. & cum eo tenet Richardus. Sed Hugo de S. Victore, & D. Bonaventura ſunt in hac contrariæ opinionis. Neutra tamen opinio eorum reprobatur, etſi Beati Thomæ opinio communiùs teneatur, quæ tamen minùs tuta videtur. Raymundus Decretiſta, & S. in ſumma tenet, quod participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquela, cibo, & hujuſmodi in caſu non conceſſo, ſit mortale univerſaliter. Sed Beatus Thomas, & alii contrarium tenent, & ſic exempla innumera poſſunt poni. Quamobrem ex eo, quod viri pientiſſimi doceant circa mores, & jus naturale ſententias contradictoriè oppoſitas, neceſſè eſt alteram earum veram eſſe, & alteram falſam, atqui neuter ita docendo peccat, quia uterque adhibuit ſufficiens ſtudium ac debitam inquiſitionem, & Deum enixè rogavit pro veritate invenienda, & addiſcenda, ex quo fit, quòd error non imputetur illis ad culpam, nec poſſit iiſdem verti vitio, adeo ut eorum ignorantia circa jus naturale cenſeatur invincibilis. Tum quia nullus Doctor quantumvis Sanctus habet privilegium nunquam errandi in iis, quæ docet circa jus naturale, quia plerumque, quando controvertitur, an aliquid jure naturæ ſit licitum, conſueverunt Doctores in varias diſtrahi opiniones, quas inculpabiliter propugnant, & docent; ratio eſt, quia Deus non exigit ab homine, quod excedit ſuam conditionem: hominis autem conditio id habet, ut in rebus moralibus non ſemper poſſit aſſequi evidentia rerum omnium agibilium, neque, ut qui earundem ſemper aſſequatur certitudinem mathematicam, quia, ut docet D. Thomas in cap. 1. lib. 1. Ethic. *Materia moralis talis eſt, ut ei non conveniat certitudo*: quo fit, ut Deus non exigat ab homine, ut ſemper cum certitudine & evidentia mathematica de bonitate ſuæ operationis moralis agat, & operetur, ſed ſufficit, ſi ſibi poſt diligentem inquiſitionem perſuadeat honeſtatem talis operationis: ex quo oritur illa opinandi diverſitas, qua quis poteſt in tuta conſcientia utramlibet ſequi contradictionis partem, huc acceſſendus Auguſtinus lib. 1. contra Academicos cap. 4. ubi ait: *Quiſquis minus inſtanter, quàm oportet veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quiſquis autem tantum, quantum homo eſt, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, etiam ſi non inveniat, beatus eſt, & excuſatur, ſeu eximitur à peccato, totum enim facit, quod ut faciat, ita natus eſt.* Nulli igitur dubium, quin dari poſſit ignorantia invincibilis juris naturalis, quoad concluſiones remotas, & valde diſtantes à primis principiis practicis juris naturalis, & de quarum veritate dantur ſententiæ oppoſitæ inter Doctores pietate, & doctrina inſignes. Quòd verò hujuſmodi ignorantia non ſit cauſa peccati, ſed excuſet à culpa, ex eo liquet, quia illud excuſat à culpa, quod tollit ab actu rationem voluntarii, & conſtituit actum ſimpliciter involuntarium: Sed hæc ignorantia juris naturalis hoc præſtat, conſequenter non cauſat peccatum, ſed excuſat à culpa. Minor oſtenditur, quia illa ignorantia poſt diligentem inquiſitionem veritatis eſt invincibilis, & antecedit operationem, ergo cauſat involuntarium ſimpliciter; ſiquidem voluntarium eſt; quod provenit à principio intrinſeco cum cognitione, ut docet D. Thomas proinde involuntarium erit, quod procedit ſine cognitione ergo cum ignorantia juris naturalis tollat rationem voluntarii, excuſat à culpa. Hinc D. Chryſoſtomus homil. 13. in epiſt. ad Roman. ait: *Neminem ignoranter peccare; qui enim peccaret, indignus utique eſſet, qui pœnas daret.* Et D. Auguſtinus lib. de natur. & Grat. contra Pelagianos cap. 67. Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras*: ergo cum præfata juris naturalis ignorantia, ſupponat diligentem inquiſitionem, ac prævium ſtudium veritatis inveniendæ non poteſt verti vitio, & culpæ. Unde Auguſtinus lib. de quæſt. vet. teſtam. relatus à Gratiano in decret. diſt. 33. ait: *Ille ignorans poteſt excuſari à pœna, qui à quo diſceret, non invenit*, ſeu ut ibi interpretatur Gloſſa: *poteſt excuſari à peccato, pro quo debetur pœna; vel poteſt excuſari, à pœna æterna, eò quia non ſupponat culpam, ob quam ſolùm infligitur.* Si dicas, ignorantiam excuſare quidem involuntarium, non verò excuſare à culpa, eò quia poſſit aliquid eſſe peccatum actuale, quamvis non ſit voluntarium in actu ſecundo, Contra eſt, quia peccatum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 1. *in corp.* Eſt actus moralis humanus, & de ratione actus moralis, & humani eſt, quod ſit voluntarius, ac deliberatus, quia, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. & in pluribus aliis locis: *Illæ actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: ſi quæ autem aliæ actiones homini conveniant, poſſunt quidem dici hominis actiones, ſed non propriè humanæ; cùm non ſint hominis in quantum eſt homo.* Præterea, ut actus ſit moralis, & humanus, neceſſe eſt, ſit liber, quia eſt libertas radix, & fundamentum moralitatis, ut docet D. Thomas. Sed actus nequit eſſe liber, niſi voluntarius ſit: ſiquidem ratio voluntarii includitur eſſentialiter in ratione liberi, perinde ac gradus contrahibilis in contractivo; unde peccatum ſupponit eſſentialiter actum liberum, conſequenter etiam voluntarium, ergo cum non poſſit actus, eſſe peccaminoſus, quin ſit voluntarius, & non poſſit eſſe voluntarius, quin procedat ex prævia cognitione, ſequitur manifeſtè, ignorantiam invincibilem tollere rationem voluntarii, & excuſare à culpa. Hinc D. Auguſtinus tract. 89. in Joan. expendens verba illa Chriſti Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*, ait Auguſtinus, illos ad quos Chriſtus non venit, & quibus non eſt locutus, excuſationem habere non de omni peccato ſuo, ſed de illo, quo in Chriſtum non crediderunt: eò quia eum invincibiliter ignoraverint.

Poteſt tamen contra hanc aſſertionem objici D. Thomas in Quodlib. 8. art. 13. ubi expreſsè ait: *Illud*

Digitized by Google

quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſſet ſecundùm conſcientiam: loquitur D. Thomas de lege naturali, contra quam operari docet malum eſſe, quamvis operans agat ſecundùm conſcientiam, ſeu ſecundùm propriam opinionem, quam putat eſſe veram, ergo ignorantia juris naturalis ex D. Thoma non excuſat à culpa. Sed contra, quia D. Thomas aſſerens non excuſari per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam, intelligit, ſecundùm conſcientiam erroneam errore craſſo, & affectato non excuſante à peccato, eò quia non fuerit adhibita ſufficiens inquiſitio veritatis; & operans noluerit adhibere diligentiam, quapropter D. Auguſtinus ad Valentinum ait: *Licèt gravius ſit peccare ſcienter, quàm neſcienter; non ideo tantum confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quiſquam excuſationem requirat. Aliud eſt enim neſciſſe; aliud ſcire noluiſſe; quia in eis, qui intelligere noluerunt, ipſa ignorantia peccatum eſt, in eis verò, qui non potuerunt, eſt pœna peccati. Ignorantia verò, quæ non eſt eorum, qui ſcire volunt, ſed qui tanquam ſimpliciter neſcierunt, nullum ſic excuſat, ut æterno igne non ardeat; ſed fortaſſe, ut minus ardeat:* loquitur poſtremis hiſce verbis de illis, qui licèt directè non intendant talem ignorantiam; negligunt tamen adhibere neceſſarium eiſque poſſibile ſtudium ad ignorantiam illam depellendam, & quam tenebantur à ſe excutere, & lucem inquirere veritatis. Si inſtes, D. Auguſtinum pleriſque in locis, & præſertim contra Pelagium aſſerere: *Ignorantiam eorum, qui intelligere non potuerunt, ſeu quæ erat neceſſitatis, non voluntatis, peccatum eſſe, ac pœnam peccati:* proinde Auguſtinum ſenſiſſe, ignorantiam vincibilem juris naturalis minimè excuſare à culpa. Præterea quia Auguſtinus lib. de geſtis Palæſt. cap. 19. inter alia exempla ex libro Cœleſtii Hæretici recenſet inter alios Cœleſtii errores, quos dixerit, ignorantiam non excuſare à peccato: etenim unum ex illis aſſertis, quæ tribuebantur Cœleſtio & Pelagio, fuit hoc: oblivio, & ignorantia non ſubjacent peccato, ſed ſecundùm neceſſitatem; cui aſſertioni ſe oppoſuit Auguſtinus, eamque impugnavit, & Cœleſtium expugnavit, damnavitque, proinde cenſuit D. Auguſtinus, ignorantiam, etiam invincibilem, juris naturalis non excuſari à peccato, alioquin non damnâſſet præfatam Cœleſtii aſſertionem. Sed contra, quia Pelagiani tunc non fuerunt locuti de ignorantia invincibili juris naturalis; ſed de ignorantia facti, & juris poſitivi, quam volebant excuſare à peccato, quod D. Auguſtinus impugnavit, eò quia ſi talis ignorantia ſit invincibilis, ut fuit illa, de qua tunc erat quæſtio, non excuſatur à culpa: hinc Levit. 5. & 22. in lege veteri offerebantur ſacrificia pro hac ignorantia facti, juriſque poſitivi. Quòd verò controverſia fuerit tunc de hac ignorantia invincibili, ex eo facilè evincitur, quia D. Auguſtinus ad impugnandum errorem Hæreticorum lib. 1. retract. cap. 2. affert verba Apoſtoli, *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci,* ſiquidem, ut explicat D. Thomas 1. 2. *quæſt. 56. art. 4.* ignorantia, quæ tantùm indirectè voluntaria eſt, proinde vincibilis peccatum exténuat: ergo conſtat Auguſtinum ibi tantùm aſſeruiſſe ignorantiam vincibilem facti, & juris poſitivi non excuſare à peccato. Præterea, ut reſpondent alii, D. Auguſtinus interdum omnem ignorantiam vocavit peccatum materialiter tantùm, quatenus eſt pœna peccati, à quo duxit Originem: ſicut etiam in baptizatis concupiſcentia vocatur peccatum materialiter, quatenus eſt effectus peccati, ut docet D. Auguſtinus lib. 5. contra Julian. cap. 3. Hinc D. Thomas quæſt. 3. de malo art. 7. ait: *Ignorantia enim & fomes ſunt materialia in peccato originali, ſicut converſio ad bonum commutabile in peccato actuali,* quòd verò Auguſtinus in hoc ſenſu ſeu materialiter omnem ignorantiam dixerit peccatum, apertè conſtat ex lib. 3. de libero arbit. cap. 19. ubi ait: *Illud quod ignorans quiſque non rectè facit, quod rectè volens facere non poteſt; ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis Adæ originem ducunt, illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum, quod movemus in ore dum loquimur; ſed etiam illud quod hujus membri motum conſequitur; id eſt formam, tenoremque verborum, ſecundum quem alia dicitur lingua græca, alia lingua latina: ſic non ſolum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate. & à ſciente committitur; ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt.* Hæc ſecunda ſolutio ex eo videtur efficaciam habere, quia Pelagiani negabant peccatum originale ab Adamo in poſteros per generationes tradùci, conſequenter negârunt, concupiſcentiam, & ignorantiam ab illo in homines derivari, aſſerebant enim, eſſe tantùm naturales defectus, & non peccati ſupplicia. Aſſerit enim D. Auguſtinus lib. de dono perſeverant. cap. 1. *Dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem* (ſeu concupiſcentiam, ex qua oritur difficultas ad bonum honeſtum) *ſine quibus homo non naſcitur primordia, non ſupplicia eſſe naturæ,* & hunc errorem Auguſtinus ut impugnaret, dixit, ignorantiam ſubjacere peccato, imò eſſe ipſum peccatum materialiter, quatenus, ut effectus oritur ex peccato originali, cujus eſt effectus: eſt enim ignorantia pœna originalis peccati, quatenus ratione illius ejus tenebræ offunduntur per generationes traducta in Adæ poſteros. Ab Auguſtino per peccatum materialiter ſumptum intelligitur omne, quod eſt effectus peccati originalis, in quo ignorantiam quamlibet contra Pelagium malam eſſe contendebat, & plura etiam adferebat exempla ignorantiæ facti, & juris poſitivi. Hinc illud Geneſ. 20. ubi actio Regis Abimelech accipientis in uxorem Saram, quam invincibiliter ignorabat eſſe uxorem Abrahæ, peccatum aſſerit, quatenus illa ignorantia quamvis invincibilis erat pœna peccati originalis, quapropter ait, eſſe peccatum materialiter tantùm non formaliter. Ut etiam illud Numer. 35. ubi, qui fortuitò occiderit hominem, quem venator putat eſſe cervum, vel aprum, jubetur recurrere ad civitates refugii, & ibi manere, donec Sacerdos moriatur, quamvis hæc ignorantia facti non eſſet formaliter peccatum. In eodem ſenſu illud Levitic. 5. & 22. Quoties homo per ignorantiam facti, aut juris poſitivi aliquid immundum tangebat, vel comedebat, jubeatur ſacrificium offerre pro tali peccato. Cæterum Auguſtinum non exiſtimâſſe pœnam peccati eſſe ipſum peccatum formaliter, clarè conſtat ex epiſtola 10. ubi ait: *In illis, qui non audierunt, nec potuerunt, pœna peccati eſt non credere, non autem peccatum,* unde, cùm ait, ignorantiam, & concupiſcentiam eſſe ipſum peccatum non intelligit eſſe ipſum peccatum formaliter, ſed tantùm materialiter, ſeu eſſe effectus peccati originalis.

Major tamen difficultas, qua videtur probari, non dari hanc ignorantiam invincibilem juris naturalis, in eo eſt ſita, quia omnia Dei præcepta, etiam quæ deducuntur ex primis principiis practicis juris naturalis, ſunt obſervatu poſſibilia, ut contra Janſenium definitum fuit ab Innocentio X. ſiquidem ex ſcripturis conſtat, omnia Dei mandata eſſe juxta hominis vires, conſequenter poſſe ab homine ſervari, Deuter. 30. v. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non*

ſupra

Digitized by Google

ſupra te eſt, atque procul poſitum, ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum, quem locum Apoſtolus ad Roman. 10. v. 6. applicat poſſibilitati fidei, Luc. 19. v. 21. *Regnum Dei intra vos eſt, ſeu in manu, & in poteſtate veſtra*, Tertulliano Interprete lib. 4. contra Marcion. cap. 25. Quod ſi regnum Dei eſt in noſtra poteſtate; eſt etiam in noſtra poteſtate ſervare præcepta, cum dicat Chriſtus: *Si vis regnum cælorum ingredi, ſerva mandata*. Matt. 11. v. 8. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*; ſi ſuave, ergo non eſt impoſſibile; ſi leve, non eſt intolerabile, conſequenter præcepta Dei ſunt ſervatu poſſibilia; 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Sin autem præcepta Decalogi & mandata Dei eſſent ſervatu impoſſibilia, utique tentaret ſupra id quod poſſumus, hinc Joan. 8. v. 3. ait *Mandata ejus gravia non ſunt*: eſſent autem graviſſima, & intolerabilia, ſi ſervatu eſſent impoſſibilia. Hinc Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ait; *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*, unde certiſſimum eſt, omnia Dei præcepta etiam ad unumquemque ſpectantia eſſe obſervatu poſſibilia: atqui non poſſunt talia eſſe, quin ſimul ſint cognoſcibilia, & in ipſa poſſibilitate obſervationis legis includatur eorum cognoſcibilitas, ut etiam ipſius legis, alioquin ſi lex non eſſet cognoſcibilis, non poſſet ſervari, & eſſet obſervatu impoſſibilis; quia impoſſibile eſt, ut obſervemus eam legem, quæ noſtram fugit cognitionem; unde eo ipſo, quod omnia Dei præcepta ſunt obſervatu poſſibilia, ſunt etiam cognoſcibilia; & eo ipſo, quod obligant ad eorum obſervantiam, obligant etiam ab eorundem cognitionem, adeo, ut in obligatione adimplendi divinam legem includatur etiam obligatio quærendi, & cognoſcendi eandem legem. Præterea poteſtas obſervandi Dei præcepta includit etiā ipſam cognitionem, & vires, ſi non ſemper in actu, ſaltem in potentia, adeo ut poſſit quiſque, ſi velit, Deum rogare, ut hanc ſibi impertiatur cognitionem: ſiquidem Deus facienti, quod in ſe eſt ex virtute gratiæ non denegat uberiora gratiæ incrementa, quinimò Chriſtus etiam nos invitat, ut quæramus, & pulſemus; ait enim: *Quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis*; ergo cum omnia Dei præcepta ſint obſervatu poſſibilia, ſunt etiam cognoſcibilia, & in obligatione ea obſervandi includitur etiam obligatio illa quærendi, & cognoſcendi, ut adimpleantur, conſequenter non poteſt dari ignorantia invincibilis juris naturalis; quia eo ipſo, quod omnibus ineſt obligatio quærendi, & cognoſcendi, quæ tenentur, non poſſunt huic ſatisfacere obligationi, quin enixim Deum rogent, ut ipſis hanc communicet cognitionem, quæ eſt donum Dei, ut aſſerit D. Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. inquiens: *Cum voluntate humana, gratia juvante divina ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit? poſſem facillime, & veriſſimè reſpondere, quia homines nolunt, ſed ſi ex me quæritur, cur nolunt? imus in longum. Verum ſine præjudicio longioris inquiſitionis dicam; Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Ignorantia ergo & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum; ut autem innoteſcat, quod latebat, aut ſuave fiat, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum; vel ab opere malo abſtinendum? Ut autem innoteſcat, quod latebat, aut ſuave fiat, quod non delectabat gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, quâ, ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo*. Cenſet Auguſtinus unam eandemque eſſe cauſam ignorantiæ, & infirmitatis. Et hanc eſſe in nobis, quatenus nolumus ob eam gratiam petere, ut nobis innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod delectabat: cum igitur teneatur quiſque ad obſervantiam præceptorum Dei, & in hac obligatione includatur etiam illa quærendi, & cognoſcendi, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, & homines eatenus non cognoſcant, quia nolunt, ut loquitur Auguſtinus, ſequitur manifeſtè, non poſſe dare ignorantiam invincibilem juris naturalis. Non enim ignorantia invincibilis ex eo habetur, quod naturali virtute, & induſtria, humanoque diſcurſu vinci non poſſit, alioquin ſi ſpectarentur ſolæ naturæ vires, non ſolum ea quæ communiſſimè conceduntur, verùm etiam ipſa præcepta decalogi viderentur poſſe invincibiliter ignorari, ſeu ex ignorantia, quæ viribus ſolius naturæ à multis vinci non poteſt, præſertim ab educatis inter infideles, quod falſum eſt, quia eorum ignorantia vertitur ipſis vitio, quia erat abſolutè vincibilis, & poterat ſuperari beneficio divinæ gratiæ, cui gentiles impedimentum opponunt: ſed ſumitur ignorantia invincibilis relativè ad auxilia divinæ gratiæ: ſicut enim cum dicimus mandata Dei eſſe obſervatu poſſibilia, non ſolùm attendimus, quid poſſit homo ſolis naturæ viribus verùm etiam cum adjutorio divinæ gratiæ, ita etiam ignorantia divinæ legis non dicitur invincibilis relativè ad ſolas naturæ vires, verùm etiam cum adjutorio divinæ gratiæ, & auxilio ſpeciali, quod Deus facienti quod in ſe eſt, ex gratia non denegat uberiora auxilia. Homo enim ſolius naturæ viribus in hoc ſtatu naturæ lapſæ abſque ſpeciali Dei auxilio non poteſt cognoſcere omnes veritates morales etiam ſpectantes ad ipſam legem naturæ: ſicut nec ſufficit ſibi ad eandem legem ſervandam, fuit enim definitum in Concilio Arauſicano II. cap. 2. *Tam veritatem quàm juſtitiam eſſe ab illo fonte, quem in eremo ſitire debemus*, quapropter Auguſtinus in Enchirid. cap. 61. ait: *Ille rogandus eſt, cui dicitur in pſalmo Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, ut illuminatio pellat ignorantiam, & ſalus infirmitatem*.

Verùm ad hoc argumentum, quod videtur difficultatem ingerere reſpondetur diſtinguendo minorem omnia Dei præcepta ſunt cognoſcibilia in ſe, & per ſe conceditur: ad concluſiones, quæ ex ipſis deducuntur ſubdiſtinguitur; quoad illas concluſiones quæ facilè, & immediatè deducuntur ex iiſdem principiis conceditur: quoad alias concluſiones, quæ nonniſi difficulter & per longum diſcurſum inferuntur ex iiſdem principiis. ſeu præceptis, negatur: ſiquidem quoad has concluſiones remotas, & valdè diſtantes è primis principiis, & de quarum veritate dantur utrinque ſententiæ probabiles inter doctores pietate & doctrina inſignes dari poteſt ignorantia invincibilis ſubjectivè, quamvis non objectivè; quia tametſi veritas illa ſit in ſe cognoſcibilis, & de facto cognoſcatur ab aliquibus contradictoriè diſſidentibus, non tamen eſt neceſſe, ut ſubjectivè ſit in omnibus & ſingulis eam quærentibus: alioquin nulla daretur ſententiarum oppoſitio, & cùm veritas ſit una tantùm, omnes doctores in eandem convenirent. Quapropter contingere poteſt ignorantia vincibilis juris naturalis, ſaltem quoad concluſiones valde remotas à primis principiis, & de quibus poſt utrumque diligens ſtudium adhuc adſunt controverſiæ inter Doctores. Quamvis Deus eo ipſo quod præcipit vel prohibet formaliter, & explicitè aliquid ſibi videatur quodammodo imponere obligationem impertiendi hominibus noticiam eorundem præceptorum vel ſaltem media, quibus poſſunt homines notitiam talium præceptorum ſibi acquirere: non inde tamen ſequitur, teneri Deum communicare etiam notitiam omnium particularium concluſionum, quæ in iiſdem præceptis tanquam principiis implicitè continen-

tinen-

tinentur, & poſſunt ab iiſdem per mediatas conſequentias deduci, quia cum hoc pacto propemodum infinitè poſſint concluſiones deduci ex præceptis, decalogi, tenetur Deus has omnes edocere quemlibet ruſticum. Quamobrem ſufficit, ſi Deus det notitiam primorum ac principalium præceptorum: & quia Deus expreſsè præcipit omnibus, ut non inferant damnum proximo, neque eum ſpolient propriis bonis; notitiam hujus præcepti omnibus utentibus ratione imprimit: ſciunt enim omnes aliis non eſſe faciendum, quod ſibi ipſis fieri nollent; quia verò ex eodem præcepto ſeu principio plures inferri poſſent concluſiones per diſcurſus, & mediatas conſequentias, quæ non niſi implicitè in eodem includuntur; & ex alio capite hujuſmodi illationes non ſunt per ſe perſpicuæ, claræ, & evidentes, ſed obſcuræ, intricatæ, captuque difficiles, ideo non tenetur Deus veram earundem notitiam omnibus communicare, tametſi faciant cum divino auxilio gratiæ, quantum in ſe eſt, ut valeant notitiam illam aſſequi, etenim illud axioma: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam*, communius explicatur de faciente quod in ſe eſt cum auxilio gratiæ, adeo, ut hinc Deus non deneget ulterius gratiæ incrementum in ordine ad aſſecutionem ſalutis, non verò in ordine ad cognoſcendas omnes concluſiones remotas, & valde diſtantes à primis principiis practicis, in quibus implicitè includebantur, cæteroquin omnes homines, qui facerent quantum in ſe eſt ad cognoſcendas has veritates eſſent æquè docti, & convenirent in eandem ſententiam, quia omnes eandem veritatis notitiam attingerent, cum tamen oppoſitum nos experientia doceat. Quòd ſi Deus non tenetur manifeſtare veritatem Magiſtro diligenter incumbenti ſtudiis, & roganti Deum, ut illuminet in ordine ad controverſias abſtruſas, ut eam teneat partem, quæ vera fuerit, adeo, ut Magiſter poſt diligentem inquiſitionem veritatis, impenſumque ſufficiens ſtudium, fuſaſque ad Deum preces, adhuc eam poſſit controverſiæ partem docere, quæ falſa in ſe eſt, idque inculpabiliter ob ignorantiam invincibilem, certè hoc idem poteſt contingere cuilibet alteri homini quærenti, & facienti, quod in ſe eſt in ordine ad ſibi comparandam veritatis notitiam: ergo ex eo, quod aliquid ſit intrinſecè malum, ac diſſonum legi divinæ, & Deus obligat omnes homines utentes ratione ad illud non faciendum, non tamen inde neceſſariò ſequitur teneri Deum pro quolibet eventu ſemper communicare cuique homini facienti quod in ſe eſt, vel per ſe immediatè vel per alios notitiam illius ſpecialis prohibitionis in ordine ad talem ſpecialem actionem, quæ nonniſi per concluſionem remotam, & valde diſtantem à primis principiis practicis deducitur: Equidem hoc pacto Deus ſibi neceſſitatem imponeret patrandi continua miracula, & per extraordinariam providentiam ſupplendi defectus cauſarum ſecundarum: quamobrem ſufficit, ſi Deus imprimat notitiam omnibus utentibus ratione ſuorum præceptorum in univerſali, non verò quod iiſdem communicet notitiam earum omnium concluſionum remotarum, quæ ex iiſdem præceptis, veluti ex principiis, in quibus implicitè involvebantur, deduci poſſunt. Poteſt hoc explicari per ignorantiam facti: etenim Deus ſuo præcepto, non mœchaberis abſolutè prohibet, ne quis accedat ad non ſuam: & hæc prohibitio ſimpliciter ſumpta abſque acceſſu alterius circumſtantiæ explicata eſt omnibus ratione utentibus: & nihilominus poteſt Deus permittere, ut aliquis inculpabiliter accedat ad non ſuam ex errore invincibili, quod fit ſua adeo, ut error oriatur ex aliqua accedente circumſtantia; quo pacto exploratum fuit Jacob, non eſſe accedendum ad non ſuam, & nihilominus acceſſit ad Lyam, quam putavit ſuam eſſe uxorem, unde quia fuit ſuppoſita loco uxoris, hæc circumſtantia fuit error invincibilis tunc Jacob, cui talis acceſſus non fuit culpæ imputatus. Omnibus innoteſcit, non eſſe licitum mendacium: & nihilominus non defuerunt, qui cenſuerint licitum eſſe mentiri ad declinandum imminens mortis periculum: unde per hanc ignorantiam invincibilem violatur quidem lex, non tamen voluntariè ex defectu præviæ cognitionis requiſitæ ad rationem voluntarii: unde talis tranſgreſſio legis eſt tantùm materialis, non verè formalis, & cum peccato: ſicut igitur ex eo, quod Deus prohibeat acceſſum ad non ſuam, & mendacium, ac ſinceriſſimè velit, ne quis adulterium committat, nec mendacium proferat, ac obligat omnes homines ad hos actus vitandos, nihilominus non adigitur ad illuminandum omnem hominem per extraordinariam, ac miraculoſam ſuam prohibentiam; ſed poteſt permittere hominem incidere abſque propria culpa in ignorantiam invincibilem facti, & alicujus ſpecialis circumſtantiæ, ratione cujus factum ignoratur; & ex errore tunc invincibili lex materialiter violatur. Perinde neque Deus ſemper tenetur illuminare omnem hominem facientem quod in ſe eſt, ut cognoſcat omnia, quæ pertinent ad jus naturale quoad concluſiones remotas, & valde diſtantes, à primis principiis, & quæ inter Doctores controvertuntur.

Si dicas, hanc ignorantiam juris naturalis etiam quoad concluſiones remotas, ac valde diſſitas è primis principiis, & quæ controvertuntur à Doctoribus inductam eſſe ratione culpæ primæ parentis, qui ſi non peccâſſet, ſeu fuiſſet tranſgreſſus præceptum illi injunctum à Deo, nil poſteri ignorarent eorum quæ ad jus naturale pertinent: ſed peccatum Adæ fuit omnibus poſteris virtualiter voluntarium, quatenus voluntates poſterorum fuerunt alligatæ voluntati Adæ, ut Capitis totius humani generis: ergo ſicut peccatum fuit poſteris voluntarium; ita etiam ignorantia orta ex tali peccato, proinde non datur ignorantia juris naturalis, quæ poſſit excuſare à culpa. Contra eſt, quia inde ſequeretur non ſolùm omnem ignorantiam invincibilem juris naturalis eſſe culpabilem: verùm etiam quamlibet aliam ignorantiam invincibilem juris poſitivi, quia hæc eſt etiam effectus peccati Originalis, quod tamen non concedunt adverſarii. Rurſus motus omnes concupiſcentiæ prævenientes conſenſum voluntatis eſſent propriè peccata, cum fomes concupiſcentiæ ſuam ex peccato Adæ originem traxerit; & tamen certum eſt, motus illos prævenientes conſenſum voluntatis non eſſe peccata, ut docet D. Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſt. Pelagii cap. 1. & lib. de Civit. cap. 25. ubi ait: Illa concupiſcentialis inobedientia, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis; quanto magis in corpore non conſentientis. Præterea infidelitas purè negativa iis, quibus Chriſtus non fuit prædicatus peccatum eſſet; quia talis infidelitas provenit ex peccato originali, & ita de cæteris miſeriis, quæ ſunt effectus ejuſdem. Quamvis igitur peccatum originale ſit nobis ſaltem interpretativè voluntarium voluntate capitis, quoad privationem gratiæ, & juſtitiæ originalis, qua ſpoliati ſumus in pœnam ejuſdem; non tamen omnes effectus provenientes ex eodem peccato ſunt nobis voluntarii, nec imputantur nobis culpæ, alioquin omnes miſeriæ, quibus ſumus obnoxii, vitio nobis

Digitized by Google

bis verterentur, quapropter D. Thomas in 2. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. *art.* 2. *in corpore* ait; Sicut eſt quoddam bonum quod reſpicit naturam; & quoddam quod reſpicit perſonam, ita eſt etiam quædam culpa naturæ, & quædam perſonæ; unde ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ: ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur: ad culpam verò naturæ, ſeu ad peccatum originale non requiritur, niſi voluntas in natura illa, atqui ignorantia invincibilis juris naturalis non eſt voluntaria voluntate perſonæ, ſed tantùm naturæ, proinde non eſt peccatum formaliter, ſed tantùm materialiter, quatenus eſt effectus peccati originalis.

CAPUT VII.

Quomodo mortaliter peccans dicatur finem ultimum conſtituere in creatura.

CErtum eſt, lethaliter peccantem finem ſuum ultimum conſtituere in creatura, ſi non expreſſè, & formaliter, ſaltem virtualiter, & interpretativè: Hinc Apoſtolus ad Philipp. 3. de guloſis ſcribit: *Quorum Deus venter eſt*, quia, ut docet D. Thomas: Cùm ſit proprium Dei eſſe primum principium, & finem ultimum: qui pro fine ſuæ operationis habet aliquid præter Deum: hoc aliud eſt ei Deus: rurſus ad Epheſ. 5. *avaritia* ab eodem Apoſtolo dicitur *idolorum ſervitus*, quia ut notat D. Thomas Lect. 5. tunc habetur idololatria, quando honor, qui ſoli Deo debetur, impenditur creaturæ: ſed Deo debetur duplex honor, unus ut in ipſo conſtituamus finem noſtrum, & alius, ut in eo fiduciam noſtram finaliter ponamus, ſed qui impendit hos honores creaturæ reus eſt idololatriæ: & quia avarus finem ſuum in pecuniis, boniſque temporalibus collocat, imo & totam ſuam fiduciam, ideo avaritia rectè dicitur ab Apoſtolo idolorum ſervitus: hinc eleganter notat D. Ambroſius, Judam proditorem triginta argenteos acceptos à Principibus Sacerdotum in pretium ſanguinis juſti projeciſſe in templum, quia cùm Judas avaritiæ ſtimulis Chriſtum prodidiſſet, triginta illi argentei totidem erant Judæ Dii, quibus propterea ſuum devoverat templum, hoc eſt, idola ſua collocata voluit in templo, ut quales fuerint ejus Dii, exploratum hominibus faceret.

Ratio itidem eſt, quia mortaliter peccans appretiativè plus diligit creaturam, quàm Deum, eò quia divinam voluntatem contemnit, & Dei præceptum transgreditur, ut creaturæ adhæreſcat, quod idem eſt, ac præferre creaturam Deo, ſeu appreciativè magis diligere creaturam, quàm Deum, unde Chriſtus Matth. 10. *Qui amat patrem vel matrem plus quàm me, non eſt me dignus*; finis autem eſt id, quod maximè diligitur, quia amor tendit in finem, qui eſt terminus amoris, conſequenter mortaliter peccans avertitur à DEO, & convertitur ad creaturam, ut ad finem ultimum, quod ſignificavit Deus per Jeremiam 2. inquiens: *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*: Per primum malum, quod eſt derelinquere fontem aquæ vivæ, ſeu Deum, explicatur averſio à Deo fine ultimo: quia ſicut aqua fontalis appetitur, ut ſitim extinguat, & appetitum expleat; ita Deus ut ultimus finis perfectè ſatiat, & explet appetitum rationalem, quod eſt proprium finis ultimi: per ſecundum malum, quod eſt fodere ſibi ciſternas diſſipatas ſignificatur converſio ad creaturam ut finem ultimum appreciativè: quia ſicut ciſternæ diſſipatæ non valent aquas ſervare, conſequenter neque ſemper ſitim extinguere, ac appetitum ſatiare: ita tametſi mortaliter peccans ex eo, quòd plus diligat appreciativè creaturam, quàm Deum, ita conſtituit finem ultimum ſuum in creatura, ut tamen nunquam poſſit per ejus poſſeſſionem perfectè ſatiari: ergo mortaliter peccans, cùm plus appreciativè diligat creaturam, quàm Deum, conſtituit finem ſuum ultimum in creatura, ad quam convertitur per peccatum: ſi dicas, peccantem mortaliter non intendere privare ſe beatitudine, nec ſe avertere à Deo ut fine ultimo, quinimo potius deſiderat in Dei amicitia continuare, & nunquam ſeparari à Deo fine ultimo, conſequenter lethaliter peccans non intendit finem ſuum ultimum conſtituere in creatura. Contra eſt, quia tametſi lethaliter peccans non intendat directè, & formaliter avertere ſe à Deo, ut à fine ultimo, benè tamen virtualiter, & interpretativè ab illo, ut fine ultimo ſe avertit: quia quoties voluntas vult directè, & formaliter aliquid, cum quo inſeparabiliter nectitur aliud, vult etiam indirectè, & interpretativè hoc aliud, quia vult ea omnia; quæ inſeparabiliter cum ipſo nectuntur; atqui peccatum lethale habet inſeparabiliter connexam averſionem à Deo, ut fine ultimo, ergo qui vult peccatum lethale, vult etiam virtualiter, & interpretativè averſionem à Deo ut fine ultimo: Rurſus, quia peccatum lethale habet per ſe diſſolvere amicitiam cum Deo, utique lethaliter peccans virtualiter, & interpretativè vult ſolutionem amicitiæ Dei, ſeu non habere Deum ſibi amicum: unde quamvis mortaliter peccans directè, & formaliter non intendat ſe avertere à Deo, ut fine ultimo; ab illo tamen ſe avertit virtualiter, & interpretativè, quapropter avarus, qui Dei præcepta transgreditur ob divitias concervandas finem ſuum ultimum virtualiter, & interpretativè conſtituit in divitiis: hinc eleganter D. Petrus Chryſologus loquens de avaritia ait: *Statera ejus iniquiſſima eſt, plus enim in ea ponderat obolus, quam Deus, plus nummus, quam anima; quia avarus transgrediendo Dei præcepta ob concervandas divitias, & ut affluat opibus, plus appreciativè divitias diligit, quàm Deum, & quia finis eſt, qui maximè diligitur, ideo virtualiter, & interpretativè ponit finem ſuum ultimum in divitiis, quibus affluere cupit.* Sed inſtabis, ſi lethaliter peccans finem ſuum ultimum in bono aliquo commutabili virtualiter, & interpretativè conſtitueret, maximè in eo bono, quod eſt objectum peccati, & à quo voluntas allicitur, & trahitur: ſiquidem bonum illud eſt, quod appreciativè plus amatur, quàm Deus: ſed bonum incluſum in hoc objecto non poteſt eſſe virtualiter, & interpretativè finis ultimus peccantis, ſiquidem de ratione finis ultimi eſt non ſolùm, ut ametur ſuper omnia, verùm etiam ut referatur ad aliud; quia de ratione finis ultimi eſt: ut omnia ad ipſum referantur, & ipſe non referatur in alium finem;

Digitized by Google

quia non ſtat ratio finis ultimi, & ſimul referri ad aliud: peccans autem lethaliter, non ſemper diligit ſuper omnia creaturam illam, ob quam lethaliter peccat, & plerumque etiam refert ad aliam creaturam, ut liquet in eo, qui occidit hominem, ut furetur, & in alio, qui furatur, ut adulterium committat: in hiſce enim caſibus homicidium appetitur, & amatur propter furtum; & furtum propter adulterium, ad quod refertur tanquam medium ad aſſecutionem finis: conſequenter mortaliter peccans non conſtituit ſibi finem ultimum in creatura, ſeu in objecto peccati. Præterea quia ſicut peccans lethaliter poteſt ſimul impendere plura peccata diſparata, ita poſſet ſimul plures fines ultimos intendere, quod eſt falſum, cùm de ratione finis ultimi ſit totaliter, & adæquatè explere appetitum. Verùm huic argumento reſpondent aliqui, ultimum finem peccatoris non eſſe illud ſpeciale bonum, quod involvit objectum peccati lethalis, ſed eſſe bonum inordinatum ut ſic, & ut abſtrahens ab hoc, vel illo bono inordinato: hinc dicunt, peccatorem non poſſe ſibi conſtituere plures fines ſimpliciter ultimos, ſed hæc ſolutio non ſatisfacit, quia de ratione finis ultimi eſt, ut non referatur ad alium finem, ſed omnia ordinentur ad ipſum: atqui peccator ſubinde appetit aliqua, quæ neutiquam refert ad bonum inordinatum, ut cùm appetit fruitionem Dei per actum ſpei informis: ſubinde etiam feratur, ut det eleemoſynam, ergo cùm bonum inordinatum ut ſic præſcindendo ab hoc vel illo in particulari ſit ordinabile ad aliud bonum, non poteſt eſſe finis ultimi mortaliter peccantis. Reſpondent alii, peccatorem non expreſſe, & formaliter, ſed tantum interpretativè, & virtualiter conſtituere finem ſuum ultimum in bono, quod involvitur in objecto cujuslibet peccati mortalis, & aſſignant rationem; quia tunc peccator propter bonum illud ſe avertit à Deo vero fine ultimo; unde cùm non habeat Deum finem ultimum ſuæ operationis, ſequitur, quod virtualiter, & interpretativè conſtituat finem ultimum ſuæ operationis in bono incluſo in objecto peccati; & aſſerunt non repugnare peccatorem ſibi conſtituere interpretativè, & virtualiter plures fines ultimos. Sed contra, quia quod appetitur formaliter, vel interpretativè, aut virtualiter propter aliud, non appetitur ut finis ultimus etiam virtualiter, & interpretativè, quia de ratione finis ultimi eſt, ut cætera alia propter illum appetantur, & ipſe non referatur ad alium finem etiam virtualiter, & interpretativè: ſed mortaliter peccans plerumque non ſolùm interpretativè, & virtualiter; ſed etiam formaliter, & expreſſe appetit objectum, circa quod peccat propter aliud, ut quando peccator furatur, ut poſſit fornicari, ergo tunc non appetit furtum ut finem ultimum etiam virtualiter, & interpretativè; ſed ut medium eligit furtum, ut poſſit fornicari; idque ex eo liquet, quia volitio interpretativa non poteſt cohærere cum oppoſita formali volitione; ſed qui furatur propter fornicationem, appetit furtum, quod formaliter ordinat ad fornicationem, adeo ut hæc formalis directio furti ad fornicationem ſit formalis volitio oppoſita volitioni interpretativæ furti, ut finis ultimi; ergo mortaliter peccans non conſtituit finem ſuum ultimum in objecto peccati. Præterea quia de ratione finis ultimi ſive virtualiter, & interpretativè, ſive formaliter voliti eſt, ut ſit bonum adæquatum: ſed lethaliter peccans interdum appetit objectum peccati, ut bonum inadæquatum, ut qui furatur propter fornicationem, furtum non eſt illi bonum adæquatum; quia per illud non intendit totaliter ſatiari, & quieſcere, cùm referat furtum ad aliud bonum delectabile: ergo bonum, quod includitur in objecto peccati, non poteſt habere rationem finis ultimi virtualiter, & interpretativè.

Reſpondetur igitur ad objectionem, peccantem lethaliter non conſtituere finem ſuum ultimum in ipſo objecto peccati; neque bonum, quod in ipſo includitur, eſt quod à peccatore plus appretiativè diligitur, quàm Deus; quia objectum peccati eſt tantùm finis proximus, & intermedius, qui ordinatur ad ulteriorem finem; ſcilicet ad bonum proprium, & privatum ipſius peccantis lethaliter, non præcisè ſecundùm ſe conſideratum; ſed prout connotat privationem gratiæ ſanctificantis. Ratio eſt, quia finis ultimus peccatoris eſt ille, ratione cujus peccator appetit bona illa particularia, quæ proſequitur; ſed omne quod peccator appetit, ſibi ipſi appetit; & quidem ſub ratione boni privati proprii, quia cùm velit per proſecutionem objecti proprium appetitum explere, ac ſatiare, ſequitur, quod omnia appetat propter ſeipſum, ac proprium privatum bonum: ergo hoc bonum proprium & privatum eſt finis ultimus ipſius lethaliter peccantis; quod etiam docuit D. Thomas in 2. *diſt.* 42. *q.* 2. *a.* 5. ubi ait: *Finis ultimus in amore commutabilium bonorum eſt ipſe homo, propter quem alia quærit: & ideo ſi radix peccati accipiatur ex parte ipſius peccantis, erit una; ſi autem ſumatur ex parte eorum, quæ propter ſe ipſum peccans quærit, erunt plures*; aſſerit D. Thomas finem ultimum peccantis mortaliter non eſſe ipſum bonum incluſum in objecto peccati, ſed eſſe ipſum peccatorem, quatenus hic omnia alia bona particularia ordinat ad ſe ipſum, & propter proprium bonum particulare, adeo ut non ſolùm peccator ſit finis cui ipſius peccati, verùm etiam finis, cujus gratia non in recto, ſed in obliquo, & connotativè, quatenus eſt id, ratione cujus menſuratur bonum proprium, & privatum ipſius peccantis. Et firmari etiam ex eo poteſt, quia omnis operatio hominis fit ex amore beatitudinis, adeo ut operans nonniſi propter beatitudinem operetur, ut eleganter docet D. Auguſtinus concion. 2. in Pſal. 32. expendens verba illa: *Beata gens*, ubi eleganter, & expreſſe oſtendit omnes peccantes malè agendo non aliter operari, niſi ex amore beatitudinis inquiens: *Amant omnes beatitudinem, & ideo perverſi ſunt homines, qui mali eſſe volunt, miſeri eſſe nolunt. Et cùm ſit malitia individua comes miſeriæ, iſti perverſi non ſolùm mali eſſe volunt, & miſeri nolunt; quod fieri non poteſt, ſed ideò mali eſſe volunt, ut miſeri ſint. Quid eſt hoc quod dixi, ideo volunt mali eſſe, ut miſeri ſint? Conſiderate hoc paululum in omnibus hominibus, qui malè faciunt. Beati ſemper eſſe volunt. Furtum quis facit, quæro quare? propter famem, propter neceſſitatem. Ergo ne miſer ſit, malus eſt. Depellendæ ergo miſeriæ cauſa, & acquirendæ beatitudinis cauſa faciunt omnes homines quidquid vel boni faciunt, vel mali: ſemper ergo beati eſſe volunt, ſive benè vivendo, ſive malè operando, beati eſſe volunt.* Ex quo liquet, homines peccare ex amore proprii privati, ſeu propriæ beatitudinis, & propter illam tantùm operari, ſed omnis amor eſt quædam inclinatio fundata in aliqua natura, in qua veluti radicatur, tanquam pondus quoddam, quod advertens D. Auguſtinus dixit: *Amor meus pondus meum, amore feror, quocunque feror*, ex quo loquitur, quòd amor ſemper fertur in bonum na-

turæ conjunctum, alioquin non correſponderet ſuo principio radicali, nec principium, & terminus inclinationis proportionem inter ſe ſervarent, conſequenter homo lethaliter peccans, intendit tanquam finem ultimum ſimpliciter bonum privatum, & proprium, non tamen præcisè, & ſecundùm ſe, ſed ut connotat privationem gratiæ; ratio eſt, quia finis ultimus hominis peccantis lethaliter eſt irreferibilis in Deum, quia apponitur Deo, ut vero fini ſimpliciter ultimo, & bonum proprium, ſi conſideretur ſecundùm ſe, præcisè non dicit hanc irreferibilitatem, & oppoſitionem, ſed abſtrahit ab excluſione irreferibilitatis in Deum finem ſupernaturalem; ut autem connotat privationem gratiæ, quam induit quodlibet peccatum lethale, ſequitur, quod bonum proprium, & privatum peccantis ſit irreferibile in DEUM; proinde peccatum lethale ſiſtit in bono privato; & proprio peccatoris, & in fine ſimpliciter ultimo.

Quòd ſi dicas, peccantem lethaliter referre omnes ſuos actus in proprium, ac privatum bonum, conſequenter ex allata reſponſione ſequeretur, omnes actus peccatoris fore peccata, quod falſum eſt; ſi enim exiſtens in peccato lethali parentes debito honore proſequatur, vel eleemoſynam elargiatur pauperi eam petenti, hujuſmodi actus non ſunt peccata, nec habent pro fine ſimpliciter ultimo bonum proprium peccatoris, ergo tradita doctrina non ſubſiſtit. Sed contra, quia omnes actus peccatoris ratione peccati, & carentiæ gratiæ non ſunt actu referibiles in Deum, conſequenter debent ſaltem per accidens, quamvis non per ſe ſiſtere in bono proprio ipſius exiſtentis in lethali, quia omnis humana actio debet in aliquo fine ſiſtere. Ex eo tamen, quod omnes actus peccatoris ſiſtant in bono proprio, non inde ſequitur, quòd peccator per omnes ſuos actus conſtituat in bono proprio, non inde ſequitur, quòd peccator per omnes ſuos actus conſtituat in bono proprio finem ultimum per ſe, ſed tantùm per illos, qui per ſe inducunt carentiam gratiæ, & propterea ſiſtunt in tali bono privato, ſeu proprio peccatoris privativè, quatenus ſunt talis naturæ, ut, quantum eſt ex ſe, excludant gratiam ſanctificantem, ratione cujus bonum proprium poterat, quantum eſt ex ſe, referri in finem ſupernaturalem: ſiquidem de ratione finis ſimpliciter ultimi eſt excludere relationem ad aliud, adeo ut non ſufficiat, ſi ab hac relatione tantùm præſcindat, quapropter illos tantùm actus peccator conſtituit in proprio bono finem ultimum, qui per ſe excludunt relationem ad alium finem; & non tantùm ab eadem relatione præſcindunt: & hi actus ſunt propriè ipſa peccata mortalia per ſe inducentia carentiam gratiæ, conſequenter excluſionem relationis ad finem ſupernaturalem. Alii autem actus, quos exiſtens in lethali elicit, ſive honeſti ſint, ut debito honore proſequi parentes, & pauperi indigenti elargiri eleemoſynam, ſive etiam venialiter peccaminoſi, quia præcisè ſiſtunt in bono proprio exiſtentis in peccato lethali, non conſtituunt propriè in tali bono proprio peccatoris finem ultimum per ſe, ſed tantùm per accidens, quia hos actus reſpicere tale bonum proprium, ut finem abſolutè ultimum non convenit illis per ſe, ſed tantùm per accidens ratione connotati, ſeu carentiæ gratiæ, quæ per peccata mortalia tantùm inducitur, ex quo patet, non omnes actus, quos exiſtens in peccato lethali elicit, eſſe peccaminoſos, ſed quoſdam eſſe honeſtos per ſe ac moraliter bonos, quamvis per accidens ratione carentiæ gratiæ non referantur ad finem ſupernaturalem, ut proximum diligere, petenti pauperi elargiri eleemoſynam, parentes debito honore proſequi, quia tametſi hi actus ſiſtant in proprio bono exiſtentis in peccato, & nullus elevetur ad ordinem ſupernaturalem, non tamen ſiſtunt in tali bono privativè, quia per ſe, & ex natura ſua non habet excludere gratiam, ratione cujus habetur ordo ad finem ſupernaturalem: ſed tantùm præciſivè, quatenus non excludunt ordinem, ſed tantùm ab illo præſcindunt, neque obſtat, quòd terminentur ad bonum proprium exiſtentis in peccato, quod eſt irreferibile in finem ſupernaturalem; quia non terminantur ad tale bonum, ut formaliter irreferibile, proinde nullam ex ipſo contrahant deformitatem.

Poteſt tamen objici, quia exiſtens in peccato lethali poteſt amicum diligere amore amicitiæ; ſed amor amicitiæ non ſiſtit in bono amantis, ſed in bono amici amati, alioquin eſſet amor concupiſcentiæ, non amicitiæ, conſequenter falſum eſt, exiſtentem in peccato lethali omnes ſuos actus diligere in proprium, ac privatum bonum. Sed contra, negatur minor, quia amor amicitiæ, niſi oriatur ex charitate ſupernaturali, quæ oritur ex Dei amore, ſemper procedit ex amore ſui ipſius, adeo ut omne bonum, quod amico deſiderat, ordinetur ultimatè in bonum proprium amantis, quatenus amicus affectivè eſt idem cum alio amico, à quo amatur amore amicitiæ, hinc Ariſtoteles 9. Ethic. cap. 5. ait: *Amantes amicum id amant, quòd ſibi ipſis eſt bonum; vir enim bonus factus amicus bonum fit ei, cujus jam eſt amicus; uterque igitur eſt id, quod ſibi bonum eſt, amat*: hinc etiam vulgò amicus dicitur alter ego. Si dicas, plerumque peccatorem eligere unum peccatum in ordine ad aliud, quod non poſſet contingere, ſi ex vi peccati conſtitueretur finis ultimus in bono privato peccatoris; qui propterea non refert peccatum ad ſe ipſum ut finem ultimum. Contra eſt, quia quamvis objectum unius peccati poſſit referri ad aliud, id tamen non tollit, quo minus omnia referantur ad proprium, & privatum bonum ipſius peccantis, ſed tantùm ſequitur, objectum peccati non eſſe finem ultimum peccantis. Sed dices, qui lethaliter peccat, plerumque vult delectari pro aliquo tempore in peccato, & poſtea eum pœnitere peccati: ſed hæc voluntas, qua pœnitentiam intendit, poſt delectationem impedit, ne peccator ponat finem ultimum in proprio bono, ſiquidem ex vi pœnitentiæ intendit ſe ordinare ad Deum, ut verum finem ultimum, conſequenter peccator non conſtituit finem ultimum ſuæ actionis in proprio priv-to bono. Contra eſt, negatur minor, quia ex eo, quòd peccans poſt ſuſceptam delectationem in peccato intendat pœnitere, id non intendit ex amore Dei, alioquin non peccaret, ſed tantùm ex proprio commodo, quatenus apprehendit pœnitentiam ſibi utilem, conſequenter ſemper ponit in ſe ipſo finem ultimum. Si dicas, lethaliter peccantem non daturum totam ſuam ſubſtantiam pro delectatione, quam ſuſcipit ex peccato, conſequenter plus illam amat, quàm objectum peccati, proinde non ponit in idem objectum ultimum finem, tum quia multoties plus DEUM amat, qui peccat, quàm propriam ſubſtantiam: ſiquidem paratus eſſet omnia dare Deo, non verò propter objectum peccati, propterea non conſtituit in proprio bono finem ultimum. Contra eſt, quia ex eo, quòd peccator non daret totã ſuam ſubſtantiã pro delectatione, quã ſuſcipit ex objecto peccati, tantùm ſequitur

non ponere finem ſuum ultimum in objecto peccati, quod nos non negamus, non verò ſequitur, non ponere in proprio privato bono finem ultimum ſuæ operationis. Ad aliud, quod addebatur, reſpondetur, peccatorem præferre quidem Deum propriæ ſubſtantiæ intuitu proprii commodi, quia movetur ex amore proprio, non verò ex amore Dei, ſiquidem repugnat peccantem lethaliter amare Deum, à quo ſe actu per peccatum avertit.

Quòd ſi quæras, qualis ſit finis ultimus, quem actu intendit juſtus venialiter peccans; Certum eſt, omnes actus humanos exigere elici propter finem aliquem, conſequenter etiam juſtus venialiter peccans debet finem aliquem ultimum per peccata venialia intendere, quia peccatum veniale, quando fit ex deliberatione, eſt propriè actio humana digna aliqua pœna: quapropter cùm omnis actio humana exigat eſſe propter finem aliquem, ſeu procedere ex motione alicujus finis ultimi oritur difficultas, qualisnam ſit hic finis, quem vir juſtus venialiter peccans intendit. Suarez *diſput. 3. ſect. 4.* & alii aſſerunt, juſtum venialiter actu peccantem habere pro fine ultimo negativè peccati venialis eam creaturam, quam inordinatè diligit, & quæ eſt objectum peccati venialis, verùm hæc doctrina patitur difficultatem, quia finis ultimus negativè eſt, qui ad ulteriorem finem non ordinatur: creatura autem, quam juſtus venialiter peccans inordinatè diligit, ac eſt objectum peccati venialis, plerumque ordinatur ad alium finem, ut ſi vir juſtus furetur unum vel alterum crucigerum, ut det eleemoſynam pauperi, tunc furtum, quod eſt objectum peccati venialis ratione parvitatis materiæ, & finis intrinſecus operis ordinatur ad alium finem, quia eſt dare eleemoſynam indigenti. Præterea quia venialiter peccans refert objectum peccati venialis ad proprium ſui ipſius bonum, quia omnis inclinatio fundatur in natura, in qua veluti radicatur, eſtque quoddam illius pondus, unde ſemper tendit ad bonum proprium, ac perfectivum illius naturæ, in qua fundatur: ergo juſtus venialiter peccans non habet pro fine negativè ultimo ſui actus creaturam illam quam ordinatè diligit, & quæ eſt objectum peccati venialis. Alii putant, virum juſtum venialiter peccantem conſtituere finem ſuum ultimum in creatura eo pacto, quo peccans lethaliter conſtituit finem ſuum ultimum in creatura poſitivè, hoc tamen diſcrimine; quòd finis ultimus peccati venialis ſit levis res, quæ non avertit peccantem venialiter à Deo, neque ejus diſſolvit amicitiam. Verùm hæc ſententia non ſatisfacit, quia juſtus, quando actualiter peccat venialiter, non amat bonum inordinatum, ita quòd peccat, ut plenè ſatiativum, neque amat tale bonum, quod eſt objectum peccati venialis appreciativè ſuper omnia; neque ordinat cætera omnia ad tale bonum: ſed ratione finis poſitivè ultimi eſt perfectè explere, ac ſatiare appetitum, & exigit ut cætera alia referantur ad ipſum: ergo cùm bonum incluſum in objecto venialis non dicat has conditiones, nequit habere rationem finis poſitivè ultimi. Alii cenſent, juſtum venialiter peccantem habere pro fine ultimo ſui peccati venialis bonum in communi, ut ſatiativum appetitus, & ad quos omnes actiones humanæ referri poſſunt. Sed contra, quia qui deliberatè, & advertenter peccat venialibus, præſtituit ſibi ſaltem virtualiter finem aliquem materialem, ac determinatum: ſiquidem debet cognoſcere in particulari bonum illud propter quod operatur, conſequenter juſtus venialiter peccans, non ſolùm habet pro fine bonum in communi, verùm etiam aliquod ſpeciale bonum in particulari, adeo ut non ratione boni ut ſic intendat, verùm etiam bonum ut contractum, ac determinatum in hac, vel illa peculiari ſpecie. Præterea, quia quævis inclinatio fundatur in natura, exigit tendere in bonum proprium illius particularis naturæ, in qua fundetur: & cùm actus voluntatis ſint actuales ejuſdem inclinationes, debent tendere ad bonum ſolum ſatiativum ut ſic, verùm etiam quod ſit bonum particulare, ac proprium talis naturæ, ſeu ſuppoſiti, à quo eliciuntur actus, ſive hujuſmodi bonum ſpeciale ſit, verum & reale, ſive tantùm apparens.

Reſpondetur igitur ad quæſitum, juſtum venialiter peccantem conſtituere finem ultimum non ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid in ratione finis præcisè proprium ac privatum bonum, ut ſubordinatum fini ultimo ſupernaturali. Ratio eſt, quia actus in viro juſto non imperantur à charitate, non procedunt ab ipſa tanquam à principio, conſequenter exigunt aliud principium, in quo actualiter radicentur; ſed hoc principium non poteſt aliud eſſe, quàm propria natura operantis: quia inclinatio debet radicari, vel fundari in illa natura, cujus eſt inclinatio: conſequenter neque poſſunt habere alium finem, in quem actualiter referantur, quàm proprium bonum perfectivum talis naturæ, quia principium, & terminus inclinationis debent inter ſe proportionem ſervare: & cùm inclinatio fundatur in natura, ideo terminus actualis inclinationis debet eſſe bonum ejuſdem naturæ: hinc quia charitas radicatur in gratia ſanctificante, quæ eſt participatio naturæ divinæ, ſemper inclinat juſtum in bonum ipſius Dei, & ſubjicit omnes ejus effectus bono divino, in quo ſenſu dixit D. Paulus: *Charitatem non quærere quæ ſua ſunt, ſed quæ Dei.* Secus inordinatus amor ſui, qui opponitur charitati, cùm procedat à natura vitiata, in qua radicatur, ſemper inclinat peccatorem in bonum proprium, ac privatum, in quo ſenſu dixit Apoſtolus: *Omnes quærere quæ ſua ſunt*: ergo finis ultimus peccati venialis eſt bonum proprium, ac privatum ſuppoſiti venialiter peccantis. Quòd verò hoc bonum privatum ſuppoſiti non ſit finis ſimpliciter ultimus, ex eo conſtat, quia bonum proprium viri juſti, prout terminat relationem peccati venialis; adhuc refertur ad finem ſupernaturalem, ad quem elevatur per habitum charitatis, unde bonum illud, quod in viro juſto terminat habitudinem peccati venialis, non eſt finis ſimpliciter ultimus, quia adhuc tale bonum refertur ad alium finem, ſeu Deum ratione habitus charitatis. Eſt autem de ratione finis ſimpliciter ultimi excludere ordinem ad quemlibet alium ulteriorem finem, unde bonum illud proprium eſt tantùm finis ultimus ſecundùm quid in ratione finis præcisè actualis, adeo ut, licèt tale bonum, ſeu natura per actum peccati venialis excludat relationem actualem ab alio fine, quatenus per peccatum veniale non accedit ad Deum, ſed potius impeditur talis acceſſus; non tamen excludit relationem habitualem ad Deum finem ſupernaturalem; ſiquidem juſtus per habitum charitatis ordinatur habitualiter ad DEUM finem ultimum ſupernaturalem. Quamobrem actus peccati venialis eſt ſemper propter finem aliquem particularem ſubordinatum ulti-

mo

Digitized by Google

mo fini ſupernaturali, ſeu Deo: quia cum peccatum veniale non deſtruat gratiam nec habitum charitatis in ſuppoſito, à quo elicitur; & ratione habitus charitatis ſuppoſitum ordinetur ad Deum finem ſupernaturalem, ſequitur bonum privatum viri juſti venialiter peccantis eſſe tantùm finem ultimum ſecundùm quid, ſcilicet, in ratione finis præcisè actualis, non verò ſimpliciter, & abſolutè. Quòd ſi dicas, virum juſtum ratione habitus charitatis ordinari ad Deum finem ſupernaturalem, non tamen referri ad hunc finem ſupernaturalem, qui exiſtens in peccato lethali venialiter peccat, ergo aſſertum ſaltem non verificatur de omnibus peccatis venialibus: Contra eſt; quia etiam bonum privatum exiſtentis in peccato lethali eſt tantùm finis ſecundùm quid peccati venialis, quia ratio finis ſimpliciter ultimi exigit non ſolùm præſcindere ab ordine ad alium finem, verum etiam poſitivè excludere omnem ordinem ad ulteriorem finem, ſed exiſtens in peccato lethali, ſi venialiter peccet, per talem actum tendit in proprium bonum cum præciſione tantùm ab ordine ad alium finem, non verò cum poſitiva excluſione relationis ad alium finem: ratio eſt, quia peccatum veniale cum per ſe non avertat creaturam à Deo fine ultimo, ſed tantùm impediat acceſſum ad Deum, & poſſit cohærere cum gratia ſanctificante, quæ elevat, ac ordinat creaturam ad finem ſupernaturalem, ideo quantum eſt ex ſe, non excludit ordinem ad alium finem in bono ſuppoſiti, ratione cujus elicitur, ſed tantùm præſcindit à tali ordine, adeo, ut bonum ſuppoſiti quamvis exiſtentis in peccato lethali, non ſit finis ultimus peccati venialis, quatenus formaliter, & poſitivè excludit ordinem ad finem ſupernaturalem; ſed prout tantùm præſcindit ab ordine ad alium finem: quia verò de ratione finis ſimpliciter ultimi eſt formaliter, & poſitivè excludere ordinem ad omnem alium finem, & non tantùm præſcindere, ſequitur bonum illud privatum exiſtentis in peccato lethali eſſe tantùm finem ſecundùm quid, non verò ſimpliciter peccati venialis.

Si quæras, an peccatum veniale elicitum ab homine exiſtente in gratia habituali aliquo modo referatur in Deum. Reſpondetur, peccatum veniale in viro juſto nec actualiter, nec virtualiter poſſe referri in Deum; ratio eſt perſpicua, quia Deus in genere cauſæ finalis non poteſt movere ad peccatum, quia cauſa finalis habet movere propter ſe, & retrahere ad ſe potentiam, quam movet, adeo ut actus potentiæ motæ à cauſa finali ſit acceſſus ad eandem cauſam, & quædam quaſi approximatio: ſed nullum peccatum eſt hujuſmodi acceſſus & approximatio ad Deum, ut finem ultimum, ſiquidem creatura per peccatum lethale tantum abeſt, ut accedat ad Deum, ut potiùs recedat ab ipſo fine ultimo, à quo propterea avertitur: peccatum veniale nec ipſum eſt acceſſus ad Deum, ſed impedimentum acceſſus; quia licèt non ſit receſſus, ut peccatum lethale, impedit tamen acceſſum ad Deum finem ultimum ſupernaturalem, quia peccatum veniale eſt præter Deum, conſequenter liquet, peccatum veniale non poſſe actualiter, & virtualiter referri in Deum. An verò ſaltem habitualiter referri poſſit in Deum, & de facto in viro juſto peccatum veniale referatur habitualiter in Deum, reſpondet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1. *ad* 2. affirmativè, quia peccatum veniale non excludit habitualem ordinem actus humani in gloriam Dei, ſed tantùm actualem, quia non excludit charitatem, quæ habitualiter amet ordinariè ſuppoſitum in Deum. Hoc idem docet in pluribus aliis locis; ut 2. 2. quæſt. 24. art. 10. ad 2. ubi loquens de viro juſto venialiter peccante ait, quod amatur in peccato veniali, amatur propter Deum, etſi non actu quam D. Thomæ ſententiam multipliciter explicant Thomiſtæ, Cajetanus 2. 2. quæſt. 21. art. 10. aſſerit peccatum veniale in viro juſto ex eo præcisè dici ad Deum habitualiter referri, quatenus non deſtruit habitum charitatis; atqui habitus charitatis eſt ex natura ſua efficax ad referendum omnia ad Deum etiam peccatum veniale, ſi foret capax ullius relationis, adeo, ut peccatum veniale de facto non referatur in Deum non ex defectu habitus charitatis, ſed tantùm ex ſola incapacitate hujus relationis in peccato veniali, & ait, in hoc ſenſu eſſe intelligendum D. Thomam, cùm docuit peccatum veniale in viro juſto referri non actu, ſed habitu in Deum; & aſſignat etiam rationem, quia amare habitu non ponit actualem relationem, nec præcedentem intentionem perſeverantem, ſed ſolum habitus concomitantiam, & efficaciam, quantum eſt ex parte habitus importati, & ſicut nihil aliud eſt dicere, amat DEUM habitu, quàm dicere, habet habitum, quo Deus amari poſſit; ita nihil aliud eſt dicere, amatur hoc habitu propter Deum, quàm habere habitum, quo hoc propter Deum amari poteſt, & per hoc patet, quod non oportet amantem habitu hoc propter Deum ordinare illum intentione habituali in ipſum. Alii Thomiſtæ ediſſerunt peccatum veniale in homine juſto, ideo referri habitualiter in Deum, quia refertur in bonum ipſius viri juſti peccantis venialiter; & quia hoc bonum in juſto eſt habitualiter relatum in Deum propter habitum charitatis, ideo quia actiones ſunt ſuppoſitorum, dicitur etiam peccatum veniale non actu, ſed habitu, ſeu ratione habitus charitatis informantis ſuppoſitum ordinari ad Deum, utraque explicatio ſubſiſtit, ac poteſt propugnari. Neque ſequitur non ſolùm peccata venialia, ſed etiam mortalia hac ratione referri habitualiter in Deum per habitum charitatis; eò quia habitus Charitatis, quantum eſt ex ſe, ſit efficax ad deſtruendum peccatum lethale. Nam contra eſt; quia, ut aliquid ratione alterius denominetur referri ad aliud, non ſufficit, ſi poſſit deſtrui ab illo; ſed requiritur, ut cum illo quo exiſtat in eodem ſuppoſito, & quia peccatum lethale non poteſt in eodem ſuppoſito ſimul cohærere cum habitu charitatis, ſequitur quod non poſſit dici habitu referribile in Deum, ſicut peccatũ veniale, quia hoc poteſt ſimul cohærere cum habitu charitatis, rurſus dici poſſet peccatum veniale eſſe habitu referibile in Deum non ratione ſui, ſed ratione ſuppoſiti, quatenus ſuppoſitum quod eſt vir juſtus, à quo elicitur actus venialiter peccaminoſus, per habitum charitatis refertur in Deum, ut finem ultimum ſupernaturalem: & ſi ita dicamus, ſententia D. Thomæ eſt minoribus obnoxia difficultatibus.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

An omnia peccata lethalia ſint æqualia in gravitate.

OMnia peccata lethalia eſſe æqualia, ſeu paria in gravitate poſt Stoicos docuit Jovinianus Hæreticus confutatus à D. Hieronymo duobus libris, de quo ſcribit D. Auguſtinus Epiſt. 167. quam direxit ad ipſum Hieronymum cap. 2. *Hac de paritate peccatorum ſoli Stoici auſi ſunt diſputare contra omnem ſenſum generis humani: quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac ſententia Stoicus erat, in aucupandis autem, & defenſandis voluptatibus Epicureus de ſcripturis Sanctis dilucidiſſime convicisti, in qua tua ſuaviſſima, & præclariſſima diſputatione ſatis evidenter apparuit, non placuiſſe Authoribus noſtris, vel ipſi potius, quæ per eos locuta eſt veritati omnia paria eſſe peccata.* Stoicos, & Jovinianum ſecuti ſunt etiam Sectarii plures noſtri temporis aſſerentes peccata mortalia eſſe omnino paria, & æqualia in gravitate. Contra quos aſſerendum eſt, non omnia peccata mortalia eſſe æqualia, ſeu paria in gravitate, ſed alia eſſe aliis graviora, idque evincitur ex ſcripturis Ezech. 16. *Pene ſceleratiora feciſti illis in omnibus viis tuis.* Hinc Chriſtus Joan. 19. Pilatum compellat: *qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*, quæ verba expendens D. Auguſtinus tract. 116. in Joan. eleganter ait: *Plus peccat ille, qui poteſtati innocentem occidendum livore tradit, quàm poteſtas ipſa, ſi eum timore alterius majoris poteſtatis occidit. Et utique non ait verax Magiſter ipſe habet peccatum tanquam ille non haberet; ſed majus peccatum habet, ut etiam ſe habere intelligeret. Non enim propterea illud nullum eſt, quia hoc majus eſt. Præterea peccatum ad mortem à peccato non ad mortem diſtinguitur.* Rurſus 1. Joan. 5. quædam peccata æquiparantur trabi, & alia comparantur feſtucæ, & ſicut trabi, & feſtuca valde differunt in gravitate, ita ipſa peccata. Præterea Luc. 6. habetur, quod faciliùs remittatur peccatum in filium hominis, quàm in Spiritum Sanctum, Matth. 12. & 11. ait Chriſtus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida*; poſtea ſubjungit: *Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die judicii quàm vobis:* Habetur etiam illud Matth. 18. de ſervo debitore decem millium talentorum, ad quod alludens S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinian. cap. 16. pulchrè ait: *Sunt peccata levia, ſunt gravia, aliud eſt decem millia talenta debere, & aliud quadrantem*: hæc eadem veritas etiam infertur ex veteri teſtamento Geneſ. 4. *Septies ultio dabitur de Cain, de Lamech autem ſeptuagies ſepties.* Jerem. 7. *Pejus operati ſunt, quam Patres eorum.* Threnor. 4. *Major facta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum*, ut etiam illud Ezech. 9. *Iniquitas Domus Iſraël magna eſt nimis valde*, ubi D. Hieronymus pro iniquitatis magnitudine intelligit magnitudinem ſupplicii, inquiens: *Ex quo diſcimus, non, ut plerique æſtimant, & maximè Stoici, paria eſſe peccata, ſed vel magna, vel parva, & pro diverſitate, menſuraque peccantium diverſitatem eſſe judicii puniendi.* D. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 9. diſtinguens peccatum à crimine ait: *Peccatum quidem animam polluit, crimen verò extinguit, & non ſolùm uſque ad inquinationem maculat, ſed uſque ad perditionem vorat.* Hoc totum confirmat D. Auguſtinus epiſt. 104. ad Lectorium, ubi præter alia refellit, quòd ille ex Stoicorum placito dixerat: *Omnia peccata paria eſſe.* Et in aliis ſcripturæ locis paſſim ſignificatur hæc peccatorum inæqualitas, ut cum dicitur: *Auditur fornicatio inter vos, qualis nec inter Gentes.*

Accedit etiam ratio, quia gravitas peccatorum deſumitur ex objecto, fine, & circumſtantiis, ut docent communiter Theologi cum D. Thoma 1. 2. *quæſt. 73. art. 3. & ſequent.* Ratione objecti gravius eſt peccatum, quod immediatè contra Deum committitur, ut infidelitas, blaſphemia, & alia id genus. Rurſus peccatum, quod eſt circa ipſam ſubſtantiam hominis, ut eſt homicidium, eſt gravius peccato, quod eſt circa res exteriores, cujuſmodi eſt furtum, quo invito Domino alienæ pecuniæ ſurripiuntur vel alia bona: & in ordine horum peccatorum unum peccatum eſt gravius altero, ſecundùm quod eſt circa aliquid principalius, vel minus principale. Ut etiam eſt gravius peccatum, quod excellentiori virtuti adverſatur, ſicut odium Dei eſt omnium peccatorum graviſſimum, quia directè opponitur charitati, quæ maxima eſt omnium virtutum, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas.* Rurſus ratione finis eſt etiam unum peccatum alio gravius, quod committitur ob finem pejorem; quo pacto ait D. Thomas 1. 2. quæſt. 73. art. 6. gravius peccat, cujus voluntas ex intentione finis inclinatur ad peccandum: hinc gravius eſt furtum, quo quis rem alienam ſurripit, ut fornicetur, quàm qui rem alienam tantùm furatur, ut propriæ indigentiæ ſuccurrat. Ratione circumſtantiarum unum peccatum eſt etiam gravius altero, ſi circumſtantiæ magis aggravans ei adjungatur: ſunt enim circumſtantiæ humanarum actuum, quæ comprehenduntur hoc verſu: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* *Quis* ſignificat conditionem, ſeu ſtatum perſonæ peccantis circa quam conſiderandum eſt, an ſit laica, vel Deo mancipata, ſeu ſacra, vel religioſa, an matrimonio juncta, vel ſoluta, an privata, vel publica, ſive aliqua dignitate vel munere eccleſiaſtico, aut civili ornata. *Quid* ſignificat conditionem materiæ, vel objecti, vel quantitatem, vel qualitatem, quo pacto in furto ſpectatur, utrum res aliena magni fuerit pretii vel levis, utrum res ablata fuerit pauperi vel divitiis affluenti: quo pacto in quolibet peccato conſideranda eſt dignitas perſonæ, in quam peccatur, ut de peccati gravitate judicetur. *Ubi* ſignificat conditionem loci, circa quem ſpectandum eſt maximè, an ſit ſacer, vel profanus: hinc graviora peccata ſunt percuſſio, homicidium, furtum, fornicatio, & alia peccata perpetrata in loco ſacro, in templo, quàm in proſtibulo, aut privatis ædibus. *Quibus auxiliis*, per hæc verba deſignantur media, & inſtrumenta, quibus aliquis ad patrandum facinus uſus eſt, veluti an falſa clavi, vel violentis quibuſdam inſtrumentis aperta fuerit ſera, an corruptis famulis, vel ancillis domum ingreſſus fuerit ad ſurripiendam rem alienam, quod peccatum eſt gravius, quàm ſi patenter, aut per murum non obſtructum ingreſſus fuiſſet. Rurſus an nuda vel armata manu percuſſerit, an veneno, vel gladio occiderit: an

opera

opera dæmonis, vel aliquo maleficio, ac blanditiis duntaxat, & promiſſis, an vi illata corrumpere tentaverit pudicitiam puellæ. *Cur* finem ſignificat, non illum primarium, & proximum, qui dat ſpeciem actioni, ſed adjunctum & remotum. Ejuſmodi circumſtantia eſt ebrietas, ut cùm quis furatur, ut fornicetur, ut etiam vana gloria, cùm quis eleemoſynam erogat oſtentationis causâ. *Quomodo* ſignificat conditionem pertinentem ad qualitatem actûs, qualis eſt fieri per inſidias, vel aperte ex propoſito deliberato, vel ſubito motu aut remiſſe. Tandem quando exprimit circumſtantiam temporis, ſeu temporis conditionem, & qualitatem, cujus ratio in moralibus eſt magni facienda, ut ſi ſit dies feſtus cùm agitur de auditione Miſſæ, dies jejunii, cùm agitur de pluribus refectionibus: ad hanc eandem circumſtantiam pertinet occaſio, quæ tempus eſt rei gerendæ opportunum. Tripliciter autem contingit ratione circumſtantiæ peccatum aggravari. Primò quatenus circumſtantia transfert actum in aliud genus peccati; ſicut peccatum fornicationis in eo poſitum eſt, quòd fornicator accedat ad non ſuam. Quòd ſi addatur hæc circumſtantia, ut illa, ad quam acceſſerit, fuerit uxor alterius, transfertur ſimplex fornicatio in aliud peccati genus, ſeu adulterium ſecum trahens injuſtitiam, quatenus homo rem alterius ſibi uſurpat, quâ de causâ adulterium gravius eſt peccatum, quàm ſimplex fornicatio. Secundò aggravat circumſtantia peccatum, quando licet non transferat actum in aliud genus peccati, multiplicat tamen rationes peccati, quemadmodum ſi prodigus det, quando non debet, & cui non debet, gravius peccat in eodem genere peccati, quàm ſi det ſolùm, cui non debet. Sicut etiam ægritudo eò dicitur gravior, quò plures partes corporis inficit. Tertiò dicitur circumſtantia peccatum aggravare non ſecundum ſe ſpectata, ſed præſuppoſita alia circumſtantia, ſicut accipere multum auget peccatum ex ſuppoſitione, quòd ſit res aliena, & accipiatur contra voluntatem Domini, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 73. *art.* 7.

Præterea peccata eſſe inæqualia in gravitate ex eo demonſtratur, quia peccatum lethale in ſententia probabiliori conſtituitur per poſitivam converſionem, & tendentiam in objectum ut diſſonum legi, & rationi. Sed hujuſmodi objecta ſunt inæqualia in ratione malitiæ objectivè, ergo conferunt actibus humanis, & peccatis lethalibus inæqualem gravitatem. Firmatur, quia ſicut actus virtutis eo, quòd ſpecificetur ab objecto, quo objectum eſt dignum alio objecto, actus excedit alium actum in bonitate morali, ita juxta exceſſum objecti ad objectum in gravitate malitiæ objectivæ, vel diſſonantiæ ad rectam rationem habetur exceſſus gravitatis ad gravitatem unius peccati ad aliud in malitia formali: ſed non omnia objecta peccatorum ſunt æquè diſſona rationi, ſicut nec omnia objecta virtutum ſunt æquè conſona rectæ rationi, quia in ratione objecti odii plus diſſonat rationi, ſi odio habeatur Deus, quàm homo, & plus eſt difforme rationi patrem occidere, vel Sacerdotem, quàm inimicum laicum, unde ſicut unum objectum eſt ratione malitiæ objectivæ magis diſſonum rationi, quàm aliud; perinde malitia moralis & formalis unius peccati excedit in gravitate aliud etiam intra eandem ſpeciem. Præterea eo ipſo, quòd malitia formalis peccati lethalis conſiſtit in poſitivo juxta majorem hujus poſitivi intentionem debet creſcere gravitas peccati: magis enim eſt diſſonum rationi Deum odio habere per actum intenſum ut ſeptem, quàm per alium actum intenſum tantùm ut duo, adeo ut intra eandem ſpeciem odii Dei ſit gravius peccatum odio habere Deum ut ſeptem, quàm ut duo, ex quo clarè conſtat, peccata lethalia non eſſe paria in gravitate. Rurſus ſpecies rerum, ut docet Philoſophus, ſunt ſicut numeri: & ſicut non dantur duo numeri ſpecificè in ratione numeri diſtincti, & æquales, ita neque dari poſſunt duæ ſpecies æquales peccatorum, quamvis intra eandem ſpeciem poſſint duo peccata eſſe æqualia: ſed dantur plures ſpecies peccatorum, quia ſicut hæc deſumunt ſuum eſſe ſpecificum ab objectis, quæ ſpecificè diſtinguuntur; ita debent & ipſa peccata ſpecie diſtingui, conſequenter negari non poteſt, peccata eſſe inæqualia in gravitate.

A poſteriori poteſt etiam hæc veritas oſtendi, ſiquidem inæqualitas pœnæ præſupponit inæqualitatem culpæ ad gravitatem, adeo ut ſicut pœnæ, quæ ob peccata lethalia infliguntur, ſunt inæquales, ita ipſa peccata ſint inæqualia: ſed non omnibus peccatis reſpondet æqualis pœna, ut liquet ex illo: *Quantùm glorificavit ſe, tantum date illi tormentorum, & luctus.* Ergo ſicut pœnæ, quæ infliguntur propter lethalia, non ſunt pares, ſed inæquales; ita ipſa peccata non ſunt in gravitate paria, ſed inæqualia; hinc qui patrem vel matrem occidit, eſt procul dubio graviori pœna dignus, quàm qui feria ſexta carnes comedit, vel quatuor aureos furatur: ergo cùm pœna exigat commenſurari gravitati delicti, ſequitur manifeſtè, peccata lethalia eſſe in gravitate inæqualia. Quòd ſi dicas, ea peccata eſſe paria, quibus pœna æqualis eſt debita: & omnibus peccatis lethalibus deberi eandem pœnam damni, quæ præcipua eſt, & quaſi eſſentialis: etenim omnia lethalia eandem inducunt gloriæ privationem & excluſionem à viſione beatifica: ergo peccata omnia mortalia paria ſunt in gravitate, eò quia æqualis pœna damni omnibus correſpondeat. Sed contra, negatur, illa peccata debere eſſe in gravitate paria, quibus reſpondet æqualis pœna damni; quia cùm hæc ſita ſit in excluſione viſionis beatificæ, quæ conſiſtit in indiviſibili, ideo non poſſunt peccata lethalia quoad hanc partem inducere pœnas inæquales damni. Præterea quamvis pœna damni æqualis ſit, non propterea inde inferri poteſt, omnia peccata lethalia eſſe paria in gravitate; quia præter pœnam damni debetur etiam ipſis pœna ſenſus, quæ inæqualis eſt, hæc enim pœna cùm ſit inæqualis, arguit inæqualem gravitatem in peccatis: quia pœna ſenſus commenſuratur gravitati culpæ, quapropter ſi pœna ſenſus eſt inæqualis, arguit inæqualem gravitatem in peccatis. Quòd ſi dicas, ibi æqualem debere eſſe culpam quoad gravitatem, ubi eſt æqualis averſio à Deo, ut fine ultimo; ſed hæc averſio à Deo, ut fine ultimo, eſt æqualis in omnibus peccatis mortalibus: quia ſicut veritas, eſſentialis conſiſtit in indiviſibili, quatenus eſt conformitas cognitionis cum objecto, & omnia ſunt æqualiter vera; perinde rectitudo conſiſtit in indiviſibili, quia eſt conformitas actus cum recta ratione: eo autem ipſo quòd rectitudo ſit in indiviſibili, etiam obliquitas, ſeu averſio debet in indiviſibili conſiſtere: ergo cùm omnia peccata mortalia ideo talia ſint, quia avertunt creaturam à DEO, ut fine ultimo, debent omnia eſſe paria, & æqualia in gravitate.

Con-

Contra eſt, negamus enim hanc acceſſionem æqualem eſſe in omnibus, & ſingulis peccatis lethalibus; quia quò gravius contemnitur DEUS per peccatum gravius, eò eſt in peccato graviori major averſio à Deo, ut fine ultimo, etenim gravius contemnit Deum, qui illum odio habet per actum intenſum, ut octo, quàm alius qui Deum odit per actum tantùm intenſum, ut duo. Ad id, quod addebatur de veritate ſita in indiviſibili, reſpondetur, quòd tametſi veritas conſiſtat in conformitate cognitionis cum objecto, non tamen hæc conformitas ſita eſt in indiviſibili, quia cognitio poteſt eſſe magis conformis vel difformis cum objecto, ſicut unus paries albus poteſt eſſe magis ſimilis in albedine alteri, quàm alius; unde Philoſophus docet præmiſſas demonſtrationes eſſe veriores concluſione. Rurſus cum averſio à Deo, ut fine ultimo ſit quidam receſſus, poteſt unus receſſus major eſſe alio, quo enim malitia peccati lethalis eſt major, eò peccator per talem malitiam magis recedit à Deo, conſequenter ſtat, peccata lethalia non eſſe æqualia in gravitate: quod ſi dicas, ſi peccata eſſent in gravitate inæqualia, deberet hæc inæqualitas peti ex circumſtantiis, hoc autem non poteſt aſſeri, quia perſona circa quam peccatur, non auget peccatum, ſi enim quis furetur Principi, minus peccat, quàm qui furatur ruſtico indigenti. Rurſus nec auget peccatum circumſtantia perſonæ peccantis, quia hæc ſubinde minuit peccatum; ſicut Princeps qui excedit in deliciis corporis, quibus diffluit, minus vituperatur, quàm homo plebejus, ergo peccata non ſunt in gravitate inæqualia. Sed contra, quia tametſi peccata ſuas deſumant ſpecies ab objectis, quæ ſunt fines intrinſeci operationum, creſcit nihilominus peccatum accidentaliter ex circumſtantiis, ut expendimus in præcedentibus, quamvis non ſemper circumſtantia quælibet augeat peccatum; circumſtantia tamen perſonæ peccantis vel circa quam peccatur, ſubinde ſe habet per accidens ad peccatum, & tunc illud non auget: interdum tamen non ſe habet per accidens, & tunc auget accidentaliter peccatum, hinc quamvis furari viro nobili, aut ignobili, diviti, vel pauperi ſit idem peccatum per ſe loquendo; nihilominus per accidens eſt majus peccatum furari eandem quantitatem pecuniæ viro pauperi & indigenti, quàm alteri divitiis affluenti, quia majus eſt damnum, quod pauperi infertur. Cæterum non eſt idem peccatum contemnere Principem, & ruſticum, quia quò perſona, cui injuria infertur, eſt dignior, eò culpa eſt gravior, unde quamvis ex circumſtantiis augeatur ſubinde accidentaliter, malitia peccati, non inde ſequitur, peccata non eſſe inæqualia in malitia eſſentiali, quia hanc deſumunt ab inæqualitate objectorum.

Si dicas, omnia peccata lethalia conſiſtere formaliter in privatione rectitudinis debitæ; & inter privationes non dari inæqualitatem, cum privatio non ſuſcipiat magis, aut minus, ut liquet in mortuis, quorum unus non eſt magis mortuus quàm alter, eo quia conſiſtat mors formaliter in privatione vitæ: ergo cum peccatum lethale conſiſtat in privatione rectitudinis debitæ, ſeu privatione gratiæ ſanctificantis, quæ eſt vita animæ, ratione cujus hæc dicitur mortua Deo: ſequitur peccata lethalia non poſſe eſſe inæqualia in gravitate, neque in hac dari in peccatis magis, & minus. Sed contra, quia, ut oſtendimus, peccatum lethale conſtituitur formaliter per poſitivam tendentiam in objectum diſſonum rectæ rationi. Actus enim liberè elicitur, & humanus per hoc, quod tendat in objectum diſſonum rectæ rationi, & legi divinæ, trahit ſecum privationem rectitudinis debitæ; adeo hæc privatio ſequatur tanquam proprietas ad ipſam poſitivam tendentiam in objectum diſſonum, in qua conſiſtit formale conſtitutivum peccati lethalis, ſeu ejus eſſentia. Præterea quamvis peccatum lethale diceretur conſtitui per privationem rectitudinis debitæ, adhuc non ſequeretur omnia lethalia eſſe æqualia in gravitate ſpecifica: quia malitia privationis deſumitur ex dignitate formæ, & ex rectitudine virtutis cui opponitur: rectitudines autem virtutum, quibus peccata privativè opponuntur non ſunt æquales, ſed una aliam in dignitate, & bonitate excedit, ut liquet ex objectorum inæqualitate; quin imo intra eandem virtutem ſpecificam dantur actus, quorum alii ſunt aliis perfectiores in bonitate morali: ergo quamvis peccatum lethale conſiſteret in privatione rectitudinis debitæ, adhuc non ſequeretur, omnia lethalia eſſe paria, & æqualia in gravitate; quia non omnes privationes peccatorum ſunt inter ſe æquales, ſed una eſt pejor alia in ratione malitiæ moralis; proinde cum privatio eſt major aliâ in ratione malitiæ; conſequenter una excedit aliam in gravitate ſpecifica: Quin imò dari etiam intra eandem ſpeciem hunc exceſſum unius peccati ſupra aliud in gravitate malitiæ oſtendit D. Thomas *in 2. diſt. 42. art. 3.* quia quamvis ſimplex privatio ſita in corrupto eſſe, non poſſit intra eandem ſpeciem ſuſcipere magis, & minus, eò quia conſiſtat in indiviſibili; adeo, ut non detur una mors, quæ ſit magis talis aliâ, eò quia mors conſiſtat in omnimoda privatione vitæ: nihilominus privatio non ſimplex, quæ non conſiſtit in corrupto eſſe, ſed in corrumpi, eò quia formam ſibi oppoſitam non omnino expellat à ſubjecto; ſed aliquid illius permittat in eodem ſubjecto, poteſt una eſſe gravior aliâ, quia minus formæ oppoſitæ relinquat in ſubjecto: privatio autem rectitudinis debitæ eſt hujus ſecundi generis, proinde quamvis peccatum lethale conſtitueret per privationem rectitudinis debitæ, adhuc non ſequeretur, omnia peccata lethalia eſſe æqualia in gravitate. Inſtabis privatio ſimplex conſiſtens in corrupto eſſe, ea dicitur, quæ nihil formæ ſibi oppoſitæ permittit in ſubjecto; & privatio non ſimplex dicitur ea, quæ permittit in ſubjecto aliquid formæ oppoſitæ: ſed privatio conſtitutiva peccati lethalis non permittit quidquam formæ oppoſitæ in ſubjecto, ſeu actu, quem conſtituit in genere malitiæ moralis; etenim privatio, cui forma opponitur, eſt privatio moralis rectitudinis; & de hac morali rectitudine per peccatum patratum nil amplius remanet; etenim cum peccato odii Dei nulla poteſt rectitudo moralis cohærere; & ita dicendum de cæteris peccatis lethalibus: ergo cum privatio conſtitutiva peccati nihil rectitudinis moralis relinquat in actu, quem conſtituit peccaminoſum, ſequitur hanc privationem eſſe ſimplicem, & in corrupto eſſe, non vero in corrumpi conſiſtere; conſequenter adhuc ſtat, omnia peccata eſſe æqualia in gravitate. Hoc argumentum, quod in ſententia conſtituentium peccatum in privativo, plurimum videtur roboris præſeferre: & variè reſpondent Thomiſtæ: Aliqui cum Cajetano volunt, in omni peccato permanere rectitudinem moralem communiſſimam, quæ deſumitur ex ordine ad beatitudinem in communi ſumptam, & quia hic ordo reperitur in omni peccato,

Digitized by Google

eò quia omnes peccantes, etiam male agentes non aliud quærant, quam ut beati ſint, ut pulchre tradit D. Auguſtinus conc. 2. in Pſal. 32. inquiens: Conſiderate hoc paululum in omnibus hominibus, qui male faciunt. Beati ſemper eſſe volunt. Furtum quis facit? quæris quare? propter famem, propter neceſſitatem: ergo ne miſer ſit, malus eſt, & ideo miſerior, quia malus eſt. Depellendæ ergo miſeriæ cauſa, & acquirendæ beatitudinis cauſa faciunt omnes homines, quidquid vel boni faciunt, vel mali: igitur cum omne peccatum includat ordinem ad beatitudinem in communi ſumptam, non excluditur à peccato omnis prorſus rectitudo moralis communiſſima; conſequenter privatio conſtitutiva peccati non eſt ſimplex, & in corrupto eſſe, quia aliquid formæ ſibi oppoſitæ relinquit. Sed hæc ſolutio videtur difficultatem pati. Primò, quia beatitudo in communi non eſt bonum honeſtum, & rectæ rationi conforme; ſed eſt ipſum bonum abſtrahens ab honeſto, & delectabili: ſed bonitas moralis deſumitur à ſolo bono honeſto: ergo ex eo, quod omne peccatum includat ordinem ad beatitudinem in communi; non ſequitur, relinqui in ipſo aliquid rectitudinis moralis. Secundò, quia tametſi in peccato relinqueretur aliquid moralis honeſtatis deſumptæ ex beatitudine in communi, ad quam peccatum dicit ordinem; adhuc ex iſta in peccatis relicta non probaretur inæqualitas peccatorum; quia ex illa forma probari hæc peccatorum inæqualitas, quæ, ſi major ſit, minuatur peccati malitia, ſin autem minor, augeatur, ut liquet in cæteris privationibus, quæ conſiſtunt in corrumpi: ſed dato, quod in quolibet peccato relinquatur hæc bonitas moralis, deſumpta ex beatitudine in communi; non tamen quo minor eſſet hujuſmodi bonitas, eò peccati malitia eſſe major: quia ſi actus eſſet bonus, eò quia tendat in beatitudinem in communi, quo intenſior eſſet actus, eo major foret in ipſo moralis bonitas, deſumpta ex intenſiori tendentia in beatitudinem in communi, quod eſt falſum, quia quo actus peccaminoſus intenſiori tendentiâ fertur in objectum, eo eſt pejor: ergo ex majori bonitate morali relicta in objecto & deſumpta ex beatitudine in communi non minuitur malitia peccati, ſed potius augetur, proinde ex tradita ſolutione non probaretur inæqualitas peccatorum. Exactius igitur reſpondent alii Thomiſtæ, privationem in peccato repertam non eſſe ſimplicem, & in corrupto eſſe, ſed eſſe non ſimplicem, & in corrumpi, quia non eſt carentia totius rectitudinis moralis: quia unum peculiare peccatum non conſiſtit in carentia totius rectitudinis moralis; ſed tantum in carentia alicujus peculiaris rectitudinis, quæ pertineat ad aliquam ſpecialem virtutem: non enim odium Dei conſtituitur in eſſe peccati lethalis per carentiam rectitudinis ſpei theologicæ, vel fidei aut caſtitatis: ſed per ſolam carentiam rectitudinis, quæ reperitur in charitate, cui opponitur odium Dei: infidelitas etiam conſiſtit in ſola carentia rectitudinis fidei, non vero ſpei, vel aliarum virtutum: ſicque peccata, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, non conſiſtunt in carentia totius rectitudinis virtuti oppoſitæ, ſed tantum in carentia rectitudinis ſecundum diverſos gradus. Hinc reſpondetur ad argumentum. Quod, tametſi peccatum conſtituatur per privationem rectitudinis debitæ, adhuc unum eſt altero gravius, tam extra, quam intra eandem ſpeciem: ſi enim prives rectitudine perfectioris virtutis, peccatum eſt gravius: ſecus ſi privet rectitudine inferioris virtutis, peccatum eſt minus grave. Rurſus ſi actus peccaminoſus privetur pluribus, vel paucioribus circumſtantiis, eſt magis, vel minus grave; quo pacto actus peccaminoſus intenſus ut duo, non eſt peccatum tam grave ſicut alius actus peccaminoſus intenſus ut ſeptem; hac reſponſione ſalvatur ſententia D. Thomæ.

CAPUT IX.

An peccatum ex objecto ſpecificè gravius poſſit ſimpliciter excedi in gravitate malitiæ à peccato inferioris ſpeciei: & an eo ſint eſſentialiter graviora, quò dignioribus opponuntur virtutibus.

IN peccato lethali duplex conſideratur malitia, una eſſentialis ex objecto deſumpta, & alia accidentalis derivata à circumſtantiis in actum peccaminoſum. Oritur difficultas, an peccatum, quod ratione objecti gravioris, in quod tendit, & excedit in malitia eſſentiali, & ſpecifica aliud peccatum tendens in objectum minus grave, poſſit ab hoc excedi in gravitate malitiæ deſumptæ ex circumſtantiis. Quod non poſſit excedi in ſola malitia eſſentiali, ac ſpecifica, eſt certum, quia quælibet ſpecies infima, de qua in præſenti tantum eſt ſermo, includit actu omnia prædicta eſſentialia pertinentia ad rei conſtitutionem; adeout omne ſuperadditum ſit extra eſſentiam, conſequenter accidentale. Præterea unum peccatum ex objecto ſpecificè gravius poteſt in gravitate tantum malitiæ accidentalis excedi à peccato minus gravi ex objecto in malitia accidentali: quia intenſio peccati minus gravis ex objecto, poteſt intenſione eſſe major illa peccati ex objecto gravioris: ſiquidem circumſtantiæ poſſunt eſſe majores, ut etiam advertentia rationis: unde relativè ad ſolam gravitatem accidentalem ex intenſione, & majori advertentia deſumptam; poteſt unum peccatum ex objecto ſpecificè gravius excedi in malitia accidentali ab alio peccato ex objecto ſpecificè minus gravi. Rurſus ſi circumſtantia mutet ſpeciem, poteſt peccatum ex objecto ſpecificè minus gravi excedere peccatum ſpecificè gravius; hoc pacto furtum, quod ratione ſuæ ſpeciei eſt peccatum minus grave homicidio: ſit ſit furtum rei ſacræ, quia ab hac circumſtantia transfertur furtum ad ſpeciem ſacrilegii, eſt abſolute gravius homicidio, quia ſacrilegium eſt eſſentialiter gravius homicidio. Quæſtio igitur procedit de circumſtantiis non mutantibus ſpeciem, ſed tantum aggravantibus malitiam intra eandem ſpeciem, & quæritur, an peccatū ex objecto ſpecificè minus grave poſſit ita creſcere in malitia accidentali, ut totum conjunctum ex malitia ſpecifica, & augmento malitiæ accidentalis ſit ſimpliciter, & abſolutè gravius conjuncto ex malitia eſſentiali graviori deſumpta ex objecto, & accidentali minori ex circumſtantiis; adeo ut furtum, quod ex vi malitiæ ſpecificæ deſumptæ ex objecto, eſt peccatum minus grave homicidio, poſſit ita creſcere in gravita-

te ex circumſtantiis non mutantibus ſpeciem, ut ſiat gravius ſimpliciter & abſolute ipſo homicidio, à quo exceditur in gravitate malitiæ ſpecifice deſumptæ ex objecto.

Aſſerimus, peccatum ex objecto ſpecificè gravius poſſe in gravitate malitiæ excedi à peccato minus gravi in malitia ſpecifica, ratione adjunctæ malitiæ ex circumſtantiis, ita docent plures Thomiſtæ, & alii. Ratio eſt, quia quod magis Deo diſplicet, & cujus propterea non eſſe eſt rationabiliter eligibilius quovis alio non eſſe alterius peccati, eſt ſimpliciter, & abſolutè gravius in genere moris; quia major diſplicentia divina arguit majorem offenſam, & major offenſa majorem malitiam; & non eſſe eligibilius alio non eſſe, eſt non eſſe pejus, quia eatenus non eſſe eſt bonum, quatenus eſſe, cujus eſt negatio, eſt malum; unde non eſſe, quod eſt magis eligibile, eſt non eſſe melius: ſed peccatum ex objecto ſpecifice minus grave poteſt Deo magis diſplicere, quàm peccatum ex objecto ſpecificè gravius, eſt illius non eſſe poteſt eſſe eligibilius alio non eſſe peccati, & objecto ſpecifice gravioris: etenim magis diſplicent Deo mille furta centum florenorum pro ſingulis furtis, quam furtum rei ſacræ valoris decem florenorum, quod furtum ratione rei ſacræ transfertur ad ſpeciem ſacrilegii, adeo ut ſi optio daretur eligendi, deberet quis potius eligere non committere mille illa furta magnæ quantitatis, quam illud unum rei ſacræ, ratione cujus transfertur furtum ad ſacrilegium, quod ex objecto eſt ſpecificè gravius, atqui dari poteſt unicum peccatum furti, quod in gravitate malitiæ adæquet mille furta magnæ quantitatis ergo tale furtum, quod eſt peccatum ſpecie levius ſacrilegio magis diſplicet Deo, quam unicum ſacrilegium, & illius non eſſe eſt rationabiliter eligibilius præ non eſſe ſacrilegii. Quod autem dari poſſit unicum peccatum furti, quod adæquet in gravitate malitiæ mille furta magnæ quantitatis conſtat: ſiquidem poteſt quis furari unico furto totam illam quantitatem, quam alius per mille furta diſtincta furaretur: proinde ſi magis diſplicent Deo mille furta quam unicum furtum rei ſacræ, ratione cujus furtum transfertur ad ſacrilegium: ſequitur, furtum illud adæquans mille furta magis diſplicere DEO quam ſacrilegium, licet ſit peccatum ſpecificè gravius ex objecto, quam furtum illud unicum, quod in malitia ſpecifica deſumpta ex objecto eſt minus grave: ergo peccatum ſpecificè ex objecto minus grave poteſt in gravitate malitiæ aliud peccatum ſpecificè ex objecto magis pravi excedere. Si dicas, diſplicentiam in hoc peccato furti eſſe tantum majorem extenſive, non verò intenſive, quia peccatum ſacrilegii magis diſplicet Deo intenſive, ſed major gravitas ſimpliciter ſolum arguitur ex majori diſplicentia intenſivè: proinde peccatum ſpecificè ex objecto minus grave non poteſt excedere in gravitate peccatum ſpecificè ex objecto gravius; nec illius non eſſe poteſt eſſe rationabiliter eligibilius præ non eſſe peccati ex objecto ſpecificè gravioris. Contra eſt diſtinguitur major; Eſt major extenſive, & alias hoc augmentum extenſivum non includitur cauſaliter vel eminenter in peccato ſacrilegii, quod ex objecto eſt ſpecificè gravius, concedo majorem, & alias hoc augmentum extenſivum peccati ex objecto minus gravis ſpecificè includitur cauſaliter, vel eminenter in peccato graviori ſpecifice ex objecto, negatur major, & conſequentia, quia tunc major extenſio non arguit exceſſum intenſivum, quando augmentum extenſivum continetur cauſaliter vel eminenter in alio, cum quo fit comparatio; quo pacto Chriſtus, qui eſt verus Deus, & verus homo, non eſt intenſivè perfectior ſolo Deo, quia humanitas, quæ ſuperadditur Chriſto, continetur eminenter in divinitate: neque duo actus meritorii eliciti à Chriſto Domino ſunt intenſive magis meritorii, quam unus ſolus; quia valor totus utriuſque actus continetur eminenter quoad æquivalentiam in uno; cum quilibet actus meritorius Chriſti Domini ſit valoris infiniti: at in caſu noſtro exceſſus furti relative ad ſacrilegium non continetur eminenter in ſacrilegio eminentia cauſalitatis, & æquivalentiæ: ergo illa major diſplicentia non ſolùm eſt major extenſive, ſed etiam intenſive. Neque urget, ſi dicas, divinam diſplicentiam deſumi ex ratione offenſæ illatæ Deo: atqui hæc offenſa in omni lethali eſt infinita ſimpliciter ratione perſonæ offenſæ, & cum unum infinitum non poſſit aliud excedere, ideo diſplicentia divina eſt æqualis reſpectu omnium peccatorum lethalium. Contra eſt, quia gravitas deſumpta ex objecto, & aliis circumſtantiis concurrentibus ad peccatum eſt finita, major, vel minor juxta majorem vel minorem exceſſum tum objecti, tum circumſtantiarum, proinde juxta hunc majorem, vel minorem exceſſum in gravitate offenſæ poteſt unum peccatum magis Deo diſplicere, quam aliud.

Oſtenditur ſecundo aſſertum, quia peccatum, quod meretur majorem pœnam, eſt abſolutè, & ſimpliciter gravius alio, quod talem pœnam non meretur: cum enim pœna, quæ infligitur ex peccato, debeat commenſurari gravitati malitiæ, ſiquidem dignitas pœnæ ſequitur quaſi per modum proprietatis ad gravitatem malitiæ, proinde debet dignitas majoris pœnæ præſupponere in peccato, ad quod ſequitur, majorem gravitatem malitiæ: ſed peccatum ex objecto ſpecifice minus grave poteſt ratione circumſtantiarum eſſe dignum ſimpliciter majori exceſſu pœnæ, quam peccatum ex objecto ſpecifice gravius: etenim homicidium ex objecto eſt ſpecificè peccatum minus grave, quam ſit ſacrilegium: & tamen volitio occidendi mille homines eſt digna majori pœna ſimpliciter, quam unicum peccatum ſacrilegii: ergo peccatum ex objecto ſpecifice minus grave poteſt ratione circumſtantiarũ eſſe dignum majori pœna ſimpliciter, quam peccatum ſpecificè ex objecto gravius, conſequenter, cum ex dignitate pœnæ arguatur gravitas malitiæ, poteſt peccatum ſpecifice ex objecto minus grave ratione circumſtantiarum excedere ſpecificè peccatum ex objecto magis grave. Sed dices, peccatum ſchiſmatis fuiſſe in antiqua lege gravioribus punitum pœnis, quam peccatum infidelitatis; ſed infidelitas eſt peccatum gravius ſpecificè ex objecto, quam peccatum ſchiſmatis, conſequenter ex dignitate majoris pœnæ non infertur major exceſſus gravitatis in malitia morali. Contra eſt, quia pœnæ, quibus in hac vita per leges poſitivas puniuntur delicta, non commenſurantur cum eorundem gravitate, ſed cum damno Reipublicæ illato. Nos autem loquimur de dignitate pœnæ alterius vitæ, quæ commenſuratur cum gravitate peccati, ut colligitur ex illo: *Quantum glorificavit ſe, tantum date illi tormentorum, & luctus*, & ex illo alio: *Juxta menſuram delicti erit & plagarum modus*, unde ex dignitate pœnæ rectè arguitur gravitas malitiæ.

Præter-

Digitized by Google

Præterea varia ſunt exempla, quæ evincunt noſtrum aſſertum, etenim furtum ex objecto eſt peccatum ſpecificè minus grave, quam homicidium, quia bonum vitæ, quod per homicidium aufertur, excedit in bonitate bona fortunæ, quæ per furtum ſurripiuntur; & nihilominus furtum totius ærarii publici eſt ſimpliciter peccatum gravius, quam homicidium unius hominis, idque ratione majoris damni, quod infertur toti Reipublicæ. Præterea homicidium eſt peccatum ex objecto ſpecificè minus grave, quam ſacrilegium, ſiquidem homicidium opponitur injuſtitiæ, & ſacrilegium Religioni: Religio autem eſt ritus perfectior: & nihilominus actus, quo quis intendit mille homines occidere, eſt peccatum ſimpliciter, & abſolutè gravius, quam furtum rei ſacræ, ratione cujus transfertur ad ſacrilegium. Demum detractio eſt peccatum ex objecto minus grave homicidio: & nihilominus infamare totam aliquam familiam illuſtrem, vel plures ſimul, eſt peccatum abſolutè gravius quam homicidium inimici infimæ notæ: conſequenter peccatum ex objecto ſpecificè gravius poteſt à peccato inferioris ſpeciei ſimpliciter excedi in gravitate malitiæ, ratione circumſtantiarum.

Quod ſi dicas, illa prærecenſita peccata eſſe tantum ſpecifice graviora ſecundum communem loquendi modum, non vero re ipſa, & intrinſece, quod eſt idem ac eſſe graviora tantum extrinſece in æſtimatione prudentum, non vero re ipſa intrinſece. Contra eſt, quia vel judicium prudentum æſtimantium eſt falſum, vel verum: ſi primum, ergo illud judicium non eſt prudens, quia prudentia verſatur circa verum, proinde falſum eſt, præfata peccata eſſe tantum graviora ſecundum æſtimationem prudentum. Quod ſi dicatur ſecundum: ergo illa peccata non ſolum extrinſecè, & in æſtimatione prudentum, ſed etiam intrinſece ſunt ex objecto ſpecificè graviora, ergo ſtat, peccatum ex objecto ſpecifice gravius poſſe ſimpliciter & abſolutè excedi in gravitate malitiæ à peccato ex objecto ſpecificè minus gravi, ratione circumſtantiarum, quæ eidem adnectuntur.

Præterea, ſi genus moris deſumitur per ordinem ad prudentum æſtimationem, vel ex illa cognoſcitur: conſequens eſt, ut ſi æſtimatio prudens eſt de exceſſu peccati inferioris ſpecifice ſupra peccatum ſpecifice ſuperius, ratione circumſtantiarum, habeatur etiam exceſſus ille in genere moris.

Objicies primo contra aſſertum: individuum unius ſpeciei inferioris per augmentum perfectionis accidentalis nunquam poteſt taliter creſcere in perfectione, ut excedat, vel adæquet individuum ſpeciei ſuperioris; quia Petrus eſt individuum ſpeciei humanæ, quæ eſt inferior relate ad ſpeciem angelicam, quantumvis Petrus creſcat in perfectione accidentali, nunquam tamen poteſt eò creſcere, ut excedat, vel adæquet unum individuum ſpeciei angelicæ etiam infimæ: ſiquidem individuum ſpeciei inferioris non poteſt phyſice adæquare in perfectione individuum ſpeciei ſuperioris: quantumvis perficiatur leo, vel canis, nunquam tamen poſſint eò devenire, ut adæquent hominem: ratio eſt, quia individuum ſpeciei inferioris, cum non poſſit propria prædicata eſſentialia mutare, quantumvis adjiciantur perfectiones accidentales, ſemper perſeverat inferius individuo ſpeciei ſuperioris quoad perfectionem ſpecificam, & cum malitia deſumpta ex circumſtantiis, & de qua procedit quæſtio, ſit accidentalis, & extra eſſe ſpecificum eſſentiale, ſequitur, peccatum ex objecto ſpecifice nimis grave nunquam poſſe eò devenire, ut adæquet, vel excedat peccatum ex objecto ſpecifice gravius.

Tum quia, quod eſt in ordine inferiori, nunquam poteſt adæquare, quod eſt in ſuperiori, qua ratione docent Theologi, ſatisfactionem puræ creaturæ etiam cum toto augmento perfectionis accidentalis non poſſe adæquare gravitatem offenſæ illatæ DEO per peccatum lethale: ergo à pari individuum ſpeciei inferioris, quantumvis accidentaliter perficiatur, nunquam ad id poterit devenire, ut adæquet individuum alterius ſpeciei ſuperioris.

Sed contra, quia aliud eſt loqui de adæquatione, vel exceſſu in genere phyſico, & aliud in genere moris; quia in eſſe moris non ſolum attenditur rei perfectio, & imperfectio in ſe; ſed etiam damnum, & utilitas, quæ ex actu morali ſequi poſſunt: hinc aurum etiam in minima quantitate, tametſi quoad ſuum eſſe ſpecificum excedat in perfectione argentum in qualibet excedente, quia tamen ad humanos uſus plus commodi & utilitatis adfert magna quantitas argenti quam modium auri, ſequitur, quod moraliter plus appretietur magna argenti quantitas, quam particula auri, quia in genere moris non tam penſatur perfectio intrinſeca rei, quam utilitas, & ſervitium, quod poteſt res illa præſtare.

Igitur quamvis peccatum ex objecto ſpecifice minus grave quoad propria prædicata ſpecifica nunquam poſſit adæquare peccatum ex objecto ſpecifice gravius, nihilominus ſi conſiderentur circumſtantiæ ſuperaddentes malitiam accidentalem, & damnum, quod ex conjuncto in peccato ſpecifice minus gravi ex malitia ſpecifica, & accidentali, ſequitur procul dubio, peccatum inferioris ſpeciei excedere in gravitate malitiæ peccatum ſuperioris ſpeciei: quia cum ex peccato inferioris ſpeciei ratione circumſtantiarum, & malitiæ accidentalis plus poſſit damni inferri creaturæ rationali quam ex peccato ſpeciei ſuperioris cum circumſtantiis minus gravibus, ſequitur, quod ratione hujus malitiæ accidentalis deſumptæ ex circumſtantiis compenſetur in æſtimatione morali in peccato inferiori exceſſus ſuperioris.

Eſt igitur diſcrimen inter genus phyſicum, & morale: eatenus in genere phyſico individuum ſpeciei inferioris nunquam poteſt adæquare, nec excedere individuum ſuperioris, quantumvis adjiciantur perfectiones accidentales, quia in genere phyſico tantum attenditur perfectio rei ut eſt in ſe: in genere autem moris præter hanc perfectionem vel inperfectionem attenditur etiam damnum, vel utilitas ejusdem rei: unde ratione utilitatis in æſtimatione morali plus apretiatur magna quantitas argenti, quam exigua auri particula, licet aurum quoad ſuam perfectionem intrinſecam ſemper excedat perfectionem argenti.

Ad id, quod addebatur, gravitatem omnem accidentalem eſſe ſemper inferiorem gravitate ſpecifica, reſpondetur, id verum eſſe tantum in genere phyſico, & entitativo, in quo accidentia ſunt ſemper infra ſubſtantiam, non ita eſt verum

Digitized by Google

in genere moris, quia ratione damni illati poteſt malitia accidentalis excedere eſſentialem & ſpecificam, ut conſtat ex hactenus dictis.

Ad aliud, quod addebatur de ſatisfactione puræ creaturæ, reſpondetur, rationem, cur creatura pro offenſa lethali, & injuria illata Deo non poſſit de condigno ſatisfacere, non eſſe ordinis ſuperioritatem; ſed infinitatem perſonæ, cui infertur injuria per peccatum lethale.

Inſtabis, peccatum veniale, quia eſt gravitatis inferioris relate ad mortale, nunquam poteſt taliter elevari, ut adæquet gravitatem peccati mortalis, quantumvis minimi. ergo neque peccatum inferioris ſpeciei poteſt ratione malitiæ accidentalis deſumptæ ex circumſtantiis ita creſcere, ut excedat vel adæquet peccatum lethale ſpeciei ſuperioris.

Sed contra negatur conſequentia, eſt enim diſpar ratio, quia, cum peccatum veniale conſtituatur per rationem levitatis, nunquam poteſt fieri, quod peccatum veniale, quà tale adæquet, vel excedat mortale, quia non eſſet amplius leve, ſed grave, ſublata autem levitate tollitur peccatum veniale: hæc autem ratio non militat in peccato lethali inferioris ſpeciei reſpectu alterius lethalis in ſuperiori ſpecie, quia utrumque peccatum jam eſt grave, & in linea gravitatis poſſunt peccata ſuſcipere magis, & minus ratione malitiæ accidentalis deſumptæ ex circumſtantiis, & ratione damni illati.

Objicies ſecundo, præcipua, & principalis gravitas malitiæ peccati deſumitur ex objecto, à quo peccatum ſpecificatur, adeo ut principalis gravitas ſe teneat ex parte rationis ſpecificæ, ſed exceſſus ſpecificus, qui ſumitur ex objecto, poteſt reſarciri nec ſuperari ab exceſſu malitiæ accidentalis deſumptæ ex circumſtantiis: ergo nec gravitas principalis ſe tenens ex parte eſſe ſpecifici poteſt reſarciri, aut excedi à gravitate malitiæ accidentalis.

Sed contra, quia tametſi præcipua gravitas peccatorum ſe teneat ex parte eſſe ſpecifici, non tamen præcipua dicitur, quia ſuperari non poſſit à gravitate malitiæ accidentalis deſumptæ ex circumſtantiis: ſed tantum dicitur eſſe principalis, quia eſt prima, quæ intelligitur in peccato.

Cæterum gravitatem hanc præcipuam deſumptam ex objecto poſſe excedi ab alia gravitate malitiæ, quæ non habeatur ex objecto, liquet in gravitate deſumpta ex circumſtantiis mutantibus ſpeciem, ſi quis enim furetur rem ſacram, objectum hujus peccati eſt furtum, circumſtantia, quæ transfert peccatum furti ad ſacrilegium, eſt res ſacra: ſed ratione hujus circumſtantiæ furtum eſt gravius in ratione malitiæ, quam ex ratione objecti, quia ſacrilegium eſt peccatum gravius furto: ergo ſi præcipua gravitas, quam peccatum deſumit ab objecto, poteſt excedi ab alia gravitate, quam non deſumit ab objecto, poterit etiam excedi à gravitate deſumpta ex circumſtantiis aggravantibus in genere moris ratione damni illati.

Quantum ad alteram hujus capitis quæſtio procedit de gravitate eſſentiali deſumpta ex objecto; & quæritur, an eo ipſo, quod peccatum aliquod opponitur digniori virtuti, excedat in gravitate eſſentiali quodlibet aliud peccatum oppoſitum virtuti inferiori.

Dicendum eſt, peccatum præſtantiori virtuti oppoſitum cæteris paribus excedere in gravitate peccatum oppoſitum virtuti infiriori; non tamen omne peccatum virtuti præſtantiori oppoſitum eſſe eſſentialiter gravius omni alio peccato oppoſito virtuti, ita D. Thomas q. 93. a. 4.

Ratio eſt, quia peccatum eo eſt gravius, quo major eſt oppoſitio cum recta ratione ac natura rationali: ſed major tunc habetur oppoſitio cum natura rationali, ac recta ratione, quando vel eſt oppoſitio, cum majori virtute, vel eſt major oppoſitio cum eadem virtute, quia cum major virtus, ſit major conformitas cum recta ratione, oppoſitio cum digniori virtute eſt major difformitas cum recta ratione: ergo ubi eſt major oppoſitio cum virtute vel cum majori virtute, ibi peccatum eſt majus.

Tum quia, quod ex genere ſuo excedit aliud, ſemper illud excedit, niſi aliunde reſarciatur exceſſus, ſed peccatum, quod opponitur præſtantiori virtuti, ex genere ſuo excedit peccatum oppoſitum virtuti inferiori, unde ſi cætera ſint paria, peccatum oppoſitum præſtantiori virtuti eſt gravius peccato oppoſito virtuti inferiori, hinc D. Thomas docet, peccata ſpiritualia eſſe carnalibus graviora, licet carnalia ſint infamiæ majoris, pari pacto peccata, quæ immediate ſunt contra Deum, graviora ſunt aliis peccatis, quia melioribus opponuntur virtutibus. Dixi, ſi cætera ſint paria, ſeu circumſtantiæ æquales, & virtus æqualiter præcepta, quia ſi circumſtantiæ fuerint inæquales, & virtus inferior magis præcepta, quam virtus ſuperior, poteſt peccatum oppoſitum virtuti minori gravius eſſe peccato, quod opponitur nobiliori virtuti, quia ex circumſtantiis plerumque peccatum tale ſubit malitiæ incrementum, ut tametſi virtuti opponatur minus præſtanti, majus tamen ſit ac gravius, ſi advertentia, & malitia plena fuerit, & quantitas valdè notabilis, tum quia ſubinde virtus nobilior eſt minus præcepta quam virtus minus nobilis: temperantia eſt virtus minus nobilis, quam fortitudo, & juſticia, & tamen fornicatio oppoſita virtuti temperantiæ eſt peccatum gravius, quam timiditas oppoſita fortitudini, & furtum oppoſitum juſtitiæ, ratio eſt: quia non quidquid virtuti opponitur, eſt peccatum, ſed quidquid virtuti opponitur, ut imperatæ, ſiquidem ille ſolus actus eſt malus, qui opponitur rationi præſcribenti aliquid eſſe faciendum vel omittendum.

Probatur ſecunda pars aſſerti, ſcilicet non omne peccatum oppoſitum digniori virtuti eſſe gravius eſſentialiter omni peccato oppoſito virtuti inferiori; quia virtus Religionis nobilior, & præſtantior eſt virtute juſtitiæ, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 81. art. 6. ſed homicidium eſt peccatum eſſentialiter gravius omiſſione ſacri inſtante præcepto audiendi miſſam, & tamen homicidium opponitur juſtitiæ, quæ eſt virtus minus nobilis, quam Religio; & omiſſio ſacri opponitur Religioni, quæ eſt virtus præſtantior juſtitia ſaltem in particulari: ergo non omne peccatum oppoſitum digniori virtuti excedit in gravitate eſſentiali omne peccatum oppoſitum virtuti inferiori.

Neque urget, quod reſpondent aliqui comparationem inter peccata relata ad virtutes oppoſitas debe-

Digitized by Google

debere fieri ſervata æqualitate in ratione oppoſitionis taliter, ut oppoſitio ſit ejuſdem generis, & etiam æquè immediata ac directa: & in allato argumento non ſervari hanc æqualitatem in ratione oppoſitionis ad virtutes, idque ex eo liquet, quia omiſſio ſacri opponitur Religioni privativè, & homicidium opponitur contrariè juſtitiæ. Tùm quia omiſſio ſacri inſtante præcepto non opponitur immediatè objecto virtutis Religionis, ſeu cultui divino, ſed opponitur directè & immediatè tempori ſtatuto, quo præſtandum eſt aliquid cultui Dei: homicidium verò opponitur directè & immediatè objecto juſtitiæ; proinde excedit omiſſionem ſacri in gravitate eſſentiali.

Nam contra eſt, quia ut demonſtravimus in præcedentibus, peccatum omiſſionis, & commiſſionis ex vi propriorum conceptuum præcisè non differunt eſſentialiter: conſequenter ſi peccatum contrariè oppoſitum virtuti juſtitiæ poteſt in gravitate eſſentiali excedere peccatum, quod privativè & omiſſivè opponitur virtuti Religionis, conſequens eſt, ut poſſit etiam excedere peccatum contrariè oppoſitum virtuti Religionis in gravitate eſſentiali.

Tùm quia privatio rectitudinis debitæ, quæ in peccato homicidii ſeu juſtitiæ ſe habet conſecutivè ad formalem rationem conſtitutivam peccati, tantùm privativè opponitur rectitudini debitæ eidem actui; & nihilominus habet tantam gravitatem eſſentialem, quantam ipſa tendentia poſitiva, quæ contrariè opponitur virtuti oppoſitæ: ergo ex privativa oppoſitione ad virtutem non minuitur gravitas eſſentialis in peccato.

Ad id, quod addebatur, omiſſionem ſacri inſtante præcepto objecto virtutis Religionis, ſeu cultui divino, ſed tempori determinato à jure poſitivo Eccleſiaſtico; reſpondetur, id falſum eſſe, quia auditio ſacri, tametſi jure poſitivo Eccleſiaſtico præcipiatur, eſt nihilominus verè & radicaliter cultus, qui Deo debetur ex virtute Religionis: ſed huic cultui, ſeu auditioni ſacri opponitur directè omiſſio ejusdem ſacri, quia eſt carentia cultus: ergo verè opponitur objecto virtutis Religionis.

Probatur ſecundò, quia cùm majore gravitate generica ſtare poteſt gravitas minor ratione differentiæ ſpecificæ eſſentialis: ſed peccatum oppoſitum præſtantiori virtuti tantùm habet ex hac oppoſitione majorem gravitatem genericam, adeò ut facta cooperatione generis ad genus peccatum oppoſitum virtuti præſtantiori ſit tantùm genericè gravius peccato, oppoſito virtuti minus nobili: etenim eidem virtuti poſſunt plura peccata ſpecie infima diſtincta opponi, prodigalitas enim & avaritia, quæ inter ſe diſtinguuntur ſpecie, opponuntur eidem virtuti liberalitatis: rurſus homicidium, detractio, furtum, ſunt peccata ſpecificè diſtincta, & tamen opponuntur eidem juſtitiæ commutativæ: unde conſtat, ex vi oppoſitionis ad aliquam virtutem habere peccatum tantùm oppoſitionem genericam, vel ſubalternam, non verò in ſpecie athoma, proinde convenire peccato ex vi talis oppoſitionis exceſſum gravitatis in ſola ratione generica: ergo cum oppoſitione ad nobiliorem virtutem poteſt cohærere minor gravitas eſſentialis relatè ad peccatum, oppoſitum virtuti minus præſtanti. Probatur major, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, quia in genere phyſico poteſt unum, quod aliud excedit in ratione generica, ab illo excedi in ratione differentiæ ſpecificæ, etenim corpus cœleſte in ratione generica corporis incorruptibilis eſt perfectius homine includente corpus obnoxium corruptioni; & nihilominus in ratione differentiæ ſpecificæ viventis rationalis exceditur corpus cœleſte ſimpliciter ab homine, ratio eſt, quia genus comparatur ad differentias, perinde ac potentia ad actum, ſiquidem ratio generica eſt metaphyſica potentia paſſiva contrahibilis; & differentia eſt metaphyſicè forma contractiva: atqui de ratione potentiæ contrahibilis non eſt, quòd omnes actus perfectioris potentiæ excedant omnes actus alterius potentiæ inferioris, alioquin actus opinativus intellectus perfectior foret in genere phyſico actu charitatis, præſertim in ſententia veriori docente, intellectum eſſe potentiam voluntate præſtantiorem: atqui falſum eſt, actum opinativum eſſe in genere phyſico perfectiorem actu charitatis, ut per ſe liquet; ergo conſtat, non eſſe de ratione generis perfectioris, quòd omnes differentiæ contractivæ ejuſdem ſint præſtantiores omnibus differentiis contractivis ac diviſivis generis minus perfecti: ergo neque eſt de ratione peccati ex vi ſuæ rationis genericæ gravioris, quòd omnes ejus differentiæ excedant in gravitate eſſentiali omnes alias differentias contractivas, ac diviſivas alterius generis minùs perfecti: proinde cum exceſſu in ratione generica poteſt cohærere minor gravitas eſſentialis ratione differentiæ levioris contrahentis genus, & conferentis actui peccaminoſo ſpeciem infimam.

Dices, peccatum, quod ex propria ſpecie infima eſt gravius, non poteſt excedi in gravitate eſſentiali à peccato inferiori ſecundùm ſuam ſpeciem: ſed peccatum, quod digniori opponitur virtuti, gravius eſt ex propria ſpecie infima peccato, quod opponitur virtuti minus nobili, ſiquidem peccatum ex objecto gravius eſt tale in ſpecie infima, quia peccatum deſumit ſuam differentiam ultimam, quæ dat eſſe ſpecificum infimum ab objecto: peccatum autem nobiliori virtuti oppoſitum eſt gravius ex objecto, proinde in ratione ſpeciei infimæ eſt gravius peccato oppoſito virtuti minus præſtanti: ergo non poteſt ab illo excedi in ratione eſſentialis gravitatis.

Sed contra, negatur minor, & ad ejus probationem reſpondetur, peccatum ſpecificari adæquatè in genere moris ab objecto, & quia ſpecies adæquata utramque includit rationem genericam & ſpecificam, ſiquidem ſpecies eſt ipſa ratio generica, ut contracta per differentiam diviſivam generis, unde ex eo, quod actus peccaminoſus ſpecificetur adæquatè ab objecto objectivè diſſono regulis morum, ſequitur, peccatum in genere moris non ſolùm differentiam athomam, ſed etiam rationem genericam deſumere ab objecto, ut ſubſtante regulis morum: ratio eſt, quia hoc objectum perinde habet proprium eſſe morale objectivè, ac actus peccaminoſus habeat eſſe morale formaliter: & ſicut non ſtat ulla eſſentia ſine genere & differentia, cùm de ratione cujusvis eſſentiæ finitæ ſit compoſitio metaphyſica ex genere & differentia ratione contrahibili & contractiva;

unde eo ipſo, quòd objectum actus peccaminoſi habet eſſe morale objectivè, includit eſſentialiter, tum rationem genericam, tum differentialem athomam; proinde ſicut actus peccaminoſus deſumit ab objecti differentia propriam differentiam athomam, ita à ratione generica objecti, debet etiam deſumere propriam rationem genericam, ex quo claret, peccatum deſumere ab objecto utramque rationem genericam, & differentialem athomam: atqui ex oppoſitione ad virtutem præſtantiorem tantùm deſumit peccatum oppoſitionem genericam ſubalternam, non verò differentialem athomam, & ultimam, idque ex eo liquet, quia eidem virtuti opponuntur plura peccata ſpecie diſtincta, ut eidem juſtitiæ commutativæ furtum, homicidium, detractio, & eidem liberalitati prodigalitas, & avaritia: ergo non eſt neceſſe, peccatum oppoſitum præſtantiori virtuti eſſe gravius ratione ſpeciei infimæ peccato oppoſito virtuti minus præſtanti.

Inſtabis, peccatum, quod eſt gravius in ratione generica, non poteſt excedi in gravitate eſſentiali à peccato inferiori in eadem ratione generica: ſed peccatum, quod præſtantiori opponitur virtuti, eſt genericè gravius peccato oppoſito virtuti inferiori: ergo non poteſt ab illo excedi in gravitate eſſentiali. Major liquet, quia genus contrahibile relatè ad differentias contractivas perinde ſe habet ac potentia in ordine ad ſuos actus: atqui quò potentia eſt perfectior, eò ejus actus ſunt excellentiores, proinde ut actus reſpondeat potentiæ, graviori generi differentiæ debentur graviores; ergo peccatum, quod eſt genericè gravius, debet etiam includere differentiam eſſentialem graviorem, conſequenter non poteſt excedi à differentia contractiva generis minus gravis.

Sed contra negatur major, & ad ejus probationem diſtinguitur minor, generi præſtantiori debentur omnes actus, qui ſint etiam præſtantiores, negatur; debetur aliquis actus ſeu ſupremus, qui ſit præſtantior, omitto minorem, & nego conſequentiam: ratio eſt, quia non eſt ſemper neceſſe, ut genus præſtantius contrahatur per actus perfectiores iis, qui contrahunt genus minus perfectum, etenim omnia corpora cœleſtia includunt rationem genericam corporis incorruptibilis, quæ ratio perfectior eſt ratione generica, quæ reperitur in corporibus ſublunaribus, quia in illis ratio corporis corruptibilis eſt; & tamen hæc ratio generica corporis in ſublunaribus contrahitur per rationes differentiales, quæ ſunt longè præſtantiores differentiis contractivis genericæ rationis corporis incorruptibilis: ſiquidem gradus vitæ eſt præſtantior gradu non viventc; & tamen ratio generica corporis corruptibilis contrahitur per plures gradus viventium, ut liquet in plantis, & animantibus: & ratio generica corporis incorruptibilis non contrahitur in corporibus cæleſtibus per gradus vitæ, cùm cœleſtia corpora animata non ſint.

CAPUT X.

Quid ſit reatus pœnæ debitæ peccato.

NUllum eſt peccatum, cujus proprius ac neceſſarius effectus non ſit aliquis reatus pœnæ, ut notavit Auguſtinus Lib. 3. de libero arbit. cap. 18. ubi ait: Omnis pœna, ſi juſta eſt, pœna peccati eſt; & quamvis ex eo, quòd omnis pœna ſit pœna peccati, non ſequatur, quòd omni peccato debitus ſit reatus aliquis pœnæ: nihilominus D. Thomas id probat, quia in rebus omnibus naturalibus ſemper experimur contingere, ut quod inſurgit contra aliud, ut nocumentum ei inferat, admitatur is alius eum deprimere in pœnam temerarii auſus; hinc peccatum pulchrè ab Iſaia cap. 14. comparatur ericio: *Ponam eam in poſſeſſionem ericii*, eſt enim peccatum veluti ericius in corde peccatoris, eò quia utrinque ex qualibet parte pungatur, ſcilicet ex parte Dei, à quo punitur tum in hac, tum in alia vita; ex parte ſui ob remorſum propriæ conſcientiæ, & ex parte omnium hominum propter infamiam, vituperium, & perſæpe ob ſupplicia. Hinc Apoſtolus ad Roman. 2. ſcribit: *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam operantis malum*: hinc reatus pœnæ definitur, quòd ſit dignitas pœnæ propter culpam commiſſam, adeò ut hæc dignitas nihil aliud ſit, quàm peccatum ipſum prætentum moraliter perſeverans: ob negationem retractionis, aut condonationis verſantis circa pœnam. Siquidem is non dicitur reus pœnæ, qui ſimpliciter eſt obligatus ad ferendam pœnam: ſiquidem Chriſtus Dominus, cùm acceptaverit præceptum de morte ſubeunda pro redimendo humano genere pretio ſui Sangvinis, eo pacto, quo præceptum acceptavit, ſe obligavit ad mortem ſubeundam, & tamen licet aſſumpſerit in ſe hanc obligationem mortem ſubeundi, non tamen in ipſo fuit ullus reatus pœnæ, quia non fuit dignus pœna ob culpam propriam, quæ nulla fuit in Chriſto, unde reatus pœnæ non eſt ſola, & ſimplex obligatio ſubeundi pœnam, ſed eſt dignitas pœnæ, quatenus reſpicit anteactam culpam ab eo, in quo eſt dignitas pœnæ, adeò ut hæc dignitas non ſimpliciter, ſed ut reſpicit anteactam culpam propriam, ſit reatus pœnæ. Non tamen ſemper reatus pœnæ temporalis debitæ peccato proprio anteacto ex integro remittitur in hac vita, imò nec in alia; tametſi remittatur integer reatus culpæ: eſt contra Calviniſtas, Lutheranos, & alios Sectarios, negantes uſum ſatisfactionum, indulgentiarum, & ſuffragiorum, idque evincitur ex ſcripturis, in quibus paſſim habemus, Deum pro peccatis etiam remiſſis ſeveriſſimas irrogaſſe pœnas. Etenim Manaſſes etiam poſt converſionem, & poſtquam reſipuerit, graviter à Deo punitur. Davidis familia evertitur propter peccatum, quod Nathan Propheta jam dimiſſum fuiſſe renuntiavit, quapropter, ſi Deus eos punit, quorum peccata jam remiſerat, ſequitur manifeſtè, etiam poſt remiſſa peccata manere in illis dignitatem pœnæ propter anteacta peccata, conſequenter manere reatum pœnæ diſtinctum à reatu

culpæ

culpæ, ut definitum fuit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 14.* Unde reatus pœnæ temporalis, quamvis remittatur quoad culpam adhuc vel in hac vita, vel in altera eſt luendus, adeò ut reatus culpæ diſtinguatur à reatu pœnæ, quia Deus ex commiſſo peccato duplex jus accipit, unum, quo odio habet peccatorem, ut ſuum inimicum ſibi exoſum, eo quia per peccatum lethale ſe averterit à Deo fine ultimo: & aliud, ut peccatorem puniat propter commiſſam culpam, ſequitur, quod quamdiu Deus non condonat jus illud, quod habet ad puniendum peccatorem, perſeveret in illo dignitas pœnæ, quamvis condonaverit primum jus, quod habebat ad odio proſequendum peccatorem, ut inimicum: ſed quoties duo ſunt diſtincta, & utriuſque remiſſio dependet à voluntate alterius, poteſt hic alius unum remittere, non aliud, quia hoc dependet ab ejus libera voluntate, unde poteſt tolli reatus culpæ, perſeverante reatu pœnæ, & id conveniens erat, ut jus utrumque diſtingueretur, & reatus culpæ à reatu pœnæ, ut ſatisfieret divinæ juſtitiæ, & ne peccata, ſi manſiſſent impunita, homines inde occaſionem deſumerent coacervandi peccata.

Dices, ſi remiſſo reatu culpæ perſeveraret reatus aliquis pœnæ, inde ſequeretur, peccatum remitti, & non remitti, quia, ſi remittitur, culpa illa non manet amplius moraliter: ſed ſi manet reatus pœnæ, manet moraliter reatus culpæ: ergo peccatum remitteretur, & non remitteretur: minor probatur, quia reatus pœnæ eſt veluti proprietas reatus culpæ, & ubi eſt proprietas, ibi dari debet principium, à quo metaphyſice, vel moraliter fluit. Præterea ſequeretur, quod non integra fuiſſet Chriſti redemptio pro noſtris peccatis, quia præter ſatisfactionem Chriſti adhuc exiguntur noſtræ ſatisfactiones. Sed contra negatur ſequela, quia reatus pœnæ, licèt reſpiciat anteactam culpam, non tamen eſt ipſa culpa moraliter perſeverans, quia hæc moralis perſeverantia duas includit negationes, ſcilicet carentiam retractationis, & carentiam condonationis: reatus autem pœnæ has negationes non includit eſſentialiter; quia licet culpa fuerit retractata, & à Deo condonata, adhuc manet reatus pœnæ, ut liquet ex ſcripturis, in quibus legimus, Davidem, & Manaſſem fuiſſe punitos poſt retractationem peccati, unde quamvis Deus condonavit reatum culpæ ex vi retractationis, non tamen condonaverit reatum pœnæ, qui propterea diſtinguitur à reatu culpæ: unde negatur, inde ſequi, peccatum remitti, & non remitti, ſi remaneret reatus pœnæ, deleto reatu culpæ. Sunt enim ambo reatus diſtincti, quorum unus poteſt eſſe ſine alio. Ad aliud, quod addebatur de Chriſti ſatisfactione pleniſſima, reſpondetur, Chriſti ſatisfactionem fuiſſe pleniſſimam, imò & ſuperabundantem, & infinitam, tametſi exigantur noſtræ ſatisfactiones, quia iſtæ dignificantur per merita Chriſti, & ejus ſatisfactionem, adeò ut non per ſe, ſed in virtute ſatisfactionis, & meritorum Chriſti dignificetur in ordine ad delendum reatum pœnæ perſeverantem poſt condonationem culpæ.

Quinimò poteſt, & nonnunquam etiam ſolet Deus pœna aliqua temporali punire in filiis peccata parentum; ut & in ſubditis peccata Principum, & peccata alicujus partis communitatis in tota communitate, ut docet D. Thomas quæſt. 87. art. 7. Probatur ex ſcripturis Geneſ. cap. 9. ubi peccatum Cham punitur in ejus filio Chanaam. Numer. cap. 17. Familia Dathan, & Abiron tota punitur, ac interimitur propter peccatum Dathan, & Abiron. Joſue cap. 7. propter furtum Achan totus exercitus debuit pœnas luere: Ægyptii ob peccatum Pharaonis puniuntur, ac in mari rubro ſubmerguntur: & demum Exodi 20. Deus ait: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Ratio eadem eſt, quia Deus, utpote ſupremus, ac deſpoticus Dominus habet pleniſſimum dominium in creaturas omnes, quibus fuit impertitus, illud idem eſſe, quod poſſident, adeò ut nihil ſit in creaturis, quod non ſit à Deo; & ſubjiciatur ejus deſpotico dominio, adeò ut ſit Deus Dominus vitæ, & mortis tam in parentibus peccantibus, quàm in illorum filiis: conſequenter peccantibus parentibus, vel principibus, vitam, & bona alia temporalia filiis, & ſubditis adimere abſque ulla injuria, ut ſi puniantur Parentes, & Principes, quorum filii, & ſubditi ſunt pars aliqua: & tunc reſpectu Parentum, & Principum illa punitio eſt pœna; & reſpectu filiorum, & ſubditorum, qui propter peccata Parentum, & Principum puniuntur, eſt medicina; cùm nemo afficiatur pœna propriè ſumpta pro peccato alterius. Hinc eadem punitio peccatorum eſt pœna relativè ad Parentes, & Principes, qui peccarunt, & eſt medicina reſpectu filiorum, vel ſubditorum, qui non peccarunt.

Non tamen pœnæ, quæ infliguntur ob patrata peccata ſunt æquales, & ejuſdem rationes, quia pœna debet commenſurari gravitati delictorum, quæ cùm ſint inæqualia in gravitate, ut ſuperius oſtendimus; ideò iiſdem diverſæ correſpondent pœnæ, quæ ſemper ſequuntur peccata, etiam in præſenti vita, & ſex ſolent enumerari, quarum prima & præcipua eſt, privatio juſtitiæ habitualis, ſeu gratiæ ſanctificantis animam, ac aliarum virtutum ſupernaturalium exceptis habitibus fidei, & ſpei: ſiquidem in eodem momento, quo quis lethaliter peccat, ſubtrahit Deus totum concurſum, quo conſervabat omnia illa dona in homine juſto, ſiquidem eo ipſo, quod peccat, efficitur indignus prærecenſitis virtutibus ſupernaturalibus, ac meretur iiſdem privari, quapropter cùm primum peccatum lethale animam inficit, extinguitur tota vita ſupernaturalis, marceſcit totus decor animæ, ac vigor divinæ imaginis, & deletur participatio naturæ divinæ, qua fit homo filius Dei adoptivus, & habet jus ad hæreditatem cum Chriſto. Secunda pœna eſt privatio perſonæ Spiritus Sancti, habitantis in anima juſti, eamque adoptantis in filium Dei, & etiam privatio donorum omnium Spiritus Sancti, adeò ut, cùm primum homo lethaliter peccat, deſinat eſſe filius Dei, & incipiat eſſe filius Diaboli, ut ſignificatur 1. Joan. 3. *Omnis, qui facit peccatum, ex Diabolo eſt.* Tertia pœna eſt privatio integra juris ad hæreditatem Dei, quia hoc jus eſt infallibiliter adnexum filiationi adoptivæ Dei, & quia homo per peccatum lethale ceſſat eſſe filius adoptivus Dei, conſequenter ceſſat jus ad hæreditatem Patris cœleſtis. Quarta eſt privatio meritorum omnium acquiſitorum per totam vitam. Quinta eſt privatio ſpecialis divinæ protectionis, & curæ ſingularis, quam Deus habet erga filios ſuos adoptivos & amicos. Sexta demum eſt reatus æternæ damnationis, & omnium malorum, quæ eidem ſunt annexa. Rurſus pœnæ, quæ infallibiliter ſequuntur peccatum mortale in altera vita ſunt itidem

ſex

Digitized by Google

ſex principaliores, quæ tamen revocantur ad duas, ſeu ad pœnam damni, & ſenſus. Prima eſt amiſſio cœleſtis hæreditatis, & bonorum omnium externorum, quæ in illa poſſidentur. Secunda eſt amiſſio gloriæ corporis, ſeu claritatis, impoſſibilitatis, ſubtilitatis, agilitatis, & cujusvis alterius pulchritudinis accidentalis. Tertia eſt amiſſio luminis gloriæ, conſequenter & viſionis beatæ, & poſſeſſionis boni infiniti, quod eſt Deus, conſequenter etiam omnium bonorum animi, quorum plenitudinem beati poſſident in jucundiſſima illa cœleſti patria. Quarta eſt afflictio ex objectis externis ſocietate Dæmonum, & agnatorum in horrendo illo loco. Quinta eſt afflictio ex malis corporis, quæ oritur ex cruciatu omnium ſenſuum, tum internorum, tum externorum. Sexta demum eſt afflictio, quæ oritur ex malis animæ, ut cæcitas, obſtinatio, dolor, & odium Dei. Nihilominus hiſce non obſtantibus pœnis peccata à Deo ſemper puniuntur citra condignum, ſeu minori pœna, quam de facto mereantur, & ita docent omnes Theologi cum D. Thoma, & deſumitur ex ſcripturis Habacuch. 3. *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*: ſeu ita Deus punit peccata, ut in ipſa punitione etiam exerceat miſericordiam. Job. 11. *Et intelligeres, quòd multò minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas ſua.* Pſal. 86. *Aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas.* Neque obſtat, quòd in aliis ſcripturæ locis ſignificetur, quòd menſura pœnæ reſpondeat gravitati delicti, ut Deuter. 25. *Juxta menſuram delicti erit plagarum modus.* Iſaiæ 34. *Extendetur ſuper eam menſura, ut redigatur ad nihil, & perpendiculum in deſolationem.* Apocal. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormenta*: quia in his & aliis ſcripturæ locis tantùm ſignificatur, quòd pœna ſit proportionata culpæ, non verò, quòd ſit omninò æqualis, eſt enim ſemper intra condignum, adeò ut miſericordia in Deo ſemper detineat brachium juſtitiæ, ne totaliter puniat. Hinc

Dicendum eſt, nullum eſſe peccatum lethale, quod poſt hanc vitam non mereatur de condigno puniri pœna æterna, eſtque propoſitio de fide contra Origenem, & Origeniſtas, & alios Hæreticos, qui injuſtum putaverunt, ut pro peccatis, quantumvis magnis, enormibus brevi perpetratis tempore pœna puniuntur æterna, aſſertum evincitur ex ſcripturis: *Nocte, & die non extinguetur; in ſempiternum aſcendet fumus ejus à generatione in generationem, deſolabitur in ſæcula ſæculorum, non erit tranſiens per eam.* Pſal. 91. *Cùm exorti fuerint peccatores, ſicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, ut intereant in ſæculum ſæculi*: ſeu ut explicant Sancti Patres, ut torqueantur in æternum. Apocal. 14. *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* Matth. 25. Chriſtus de ſententia adverſus reprobos ferenda ait: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*, & ſubdit Evangeliſta: *Ibunt in ſupplicium æternum.* Marci 3. *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*, ſeu obnoxius æternæ damnationi. Hinc 2. ad Theſſal. 1. dicitur de impiis, & infidelibus, qui non obediunt Evangelio Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quòd *pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, cùm venerit glorificari in Sanctis ſuis*. Sancti Patres hanc eandem docent veritatem, præſertim Auguſtinus Lib. 21. de Civit. Dei cap. 11. inquiens. *Quaſi ullius id unquam juſtitia legis attendat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur, admiſit damnum, ignominia, exilium, ſervitus, cùm plerumque ſic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vitæ modo ſimilia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna eſſe non poſſunt, quia nec ipſa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum, & tamen peccata, quæ vindicantur longiſſimi temporis pœnis, breviſſimo tempore perpetrantur, nec quiſpiam exſtitit, qui cenſeret tam citò nocentium finienda eſſe tormenta, quàm citò factum eſt homicidium, vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus, non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora, qua occiditur, quæ perbrevis eſt, ejus ſupplicium leges æſtimant, & non quod eum in ſempiternum auferunt de ſocietate viventium? Quod eſt autem de iſta civitate mortali homines ſupplicio primæ mortis, hoc eſt de civitate illa immortali homines ſupplicio ſecundæ mortis auferre, ſicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quisque revocetur occiſus, ſic nec illius, ut in vitam revocetur æternam, ſecunda morte damnatus.* Et cap. 23. ejuſdem libri expendens illud Chriſti Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*, ſubdit: *Si quibus hæc ſententia profertur vel univerſi, vel aliqui eorum non ſemper ibi erunt; quid cauſa eſt, cur Diabolus, & Angeli ſemper ibi futuri eſſe credantur? an forte Dei ſententia, quæ in malos, & homines, & Angelos proferretur, in Angelos vera erit, in homines falſa. Ita plane hoc erit, ſi non quod Deus dixit, ſed quod ſuſpicantur homines, plus valebit. Quod fieri quia non poteſt non argumentari adverſus Deum, ſed divino potius dum tempus eſt, debent parere præcepto, qui ſempiterno cupiunt carere ſupplicio. Deinde quale eſt æternum ſupplicium pro igne diuturni temporis exiſtimare, & vitam æternam credere ſine fine, cùm Chriſtus eodem ipſo loco in una eademque ſententia dixerunt utrumque complexus; Sic ibunt iſti in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam? ſi utrumque æternum, profectò aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque ſine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata ſunt. Hinc ſupplicium æternum, inde vita æterna, dicere autem, in hoc uno eodemque ſenſu vita æterna ſine fine erit, ſupplicium æternum finem habebit, multùm abſurdum eſt. Unde quia vita æterna Sanctorum ſine fine erit, ſupplicium quoque æternum, quibus erit, finem procul dubio non habebit.* D. Gregorius Lib. 34. Moral. cap. 16. ait: *Si quandoque finienda ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo & gaudia Beatorum. Per ſemetipſam namque Veritas dicit: Ibunt hi in ſupplicium æternum: Juſti autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non eſt, quod minatus eſt, neque illud verum eſt, quod promiſit. At inquiunt: Ideo æternam pœnam peccantibus minatus eſt, ut eos à peccatorum perpetratione compeſceret; quia creaturæ ſuæ æterna ſupplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius reſpondemus: Si falſa minatus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiam provocaret. Et quis hanc eorum veſaniam toleret, qui conantur aſtruere, verum non eſſe, quod Veritas de æterno igne minata eſt, & dum ſatagunt, Deum perhibere miſericordiam*

non

Digitized by Google

[illegible] vereatur prædicare fallacem. [illegible] inquiunt: [illegible] sine punire non debet culpa [illegible] tus ne[illegible] est Omnipotens [illegible] peccato [illegible] pœnis ter[illegible] [illegible] dice[illegible] [illegible] non [illegible] enim [illegible] sine [illegible] [illegible] voluissent [illegible] [illegible] [illegible] peccare [illegible] vivere [illegible] vivunt. [illegible] ut nunquam [illegible] in sua vita [illegible] [illegible] terminus [illegible] habe[illegible] [illegible] Patres communiter [illegible] [illegible] lanus homil. 1. [illegible] hos [illegible] in æternum [illegible] [illegible] Irenæus [illegible] di[illegible] Dominus [illegible] erunt in æternum damnati [illegible] apud Damascenum in [illegible] [illegible] animæ sunt [illegible] impiorum, & pœna [illegible] ab igne inex[illegible] [illegible]. Quod si petis, quomodo ignis [illegible] dæmones & animas impiorum [illegible] [illegible] possit, respondet [illegible] lib. 21. de Civitat. DEI cap. 10. [illegible] dicamus, quamvis miris, tamen veris [illegible] pœna cor[illegible] [illegible] hominum etiam ipsi [illegible] potuerunt includi corpo[illegible] [illegible] corporibus suo[illegible] [illegible] adhærebunt ergo [illegible] [illegible] non ut [illegible] quibus [illegible] & animalia [illegible] & corpore, sed ut [illegible] modis adhærendo accipient [illegible] & non dantes ignibus vitam. [illegible] quo corporibus adhærent [illegible] [illegible] omnino mi[illegible] est [illegible] potest. Etiamsi [illegible] quæ sensum doloris [illegible] [illegible]. Erit tamen [illegible] erit [illegible] mors, [illegible]. Non enim vita, sed sempiterna mors erit, quando [illegible] anima pœ[illegible] Deum non habendo, nec [illegible] corporis ca[illegible] [illegible]. Prima mors animam [illegible] pel[illegible] è corpore. Secunda mors animam [illegible] in corpore, ab utraque morte communiter id ha[illegible], ut quando non vult anima, de suo corpore pa[illegible]. [illegible] lib. 13. cap. [illegible] ait: In damna[illegible] [illegible], quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate [illegible], nec quiete salubri, sed dolore pœnalis est, non imme[illegible] mors est potius appellata, quam vita. Ideo autem secunda, quia post illam primam est, qua fit [illegible] diremptio naturarum, sive Dei & animæ, & corporis. Quinimò præter pœnam ignis torquebuntur etiam pluribus aliis, præsertim sti[illegible] conscientiæ, de quibus ait Christus Marci 9. Vermis qui non moritur, seu conscientiæ pec[illegible] [illegible] miseram damnati animam in sempi[illegible] corrodentes, ac discerpentes. An verò sint veri vermes rodentes corpora damnatorum, plures affirmant, quibus favent aliqua S. Scripturæ

loca, Judic. 16. Dominus vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos, dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum, & sermo ibi est de inimicis populi Dei. Similis locus est etiam ille textus Ecclesiast. [illegible] Memento iræ, quoniam non tardabit, humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii ignis, & vermis. Isaiæ ult. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Alii verò censent, proba[illegible] bilius in inferno non esse vermes corporeos, qui cor[illegible] rodant corpora damnatorum, sed afferunt nomine vermis significari conscientiæ remorsum, & per[illegible] petuam accusationem, ut censuit D. Hieronymus in cap. ult. Isaiæ. D. Ambrosius in cap. 14. Luc. in fine. D. Thomas in 4. dist. 50. quæst. 2. art. 3. & D. Augustinus lib. 21. de Civit. cap. 9. ubi [illegible] hanc controversiam [illegible] [illegible] esse probabilem, magis tamen propendet in hanc ultimam sententiam [illegible], nomine vermis indicari conscientiæ remorsum. Ratio verò, cur non videantur vermes [illegible] [illegible] potest, quia omnis [illegible] & mol[illegible] lus ignis [illegible] mortuum, ut potius sit [illegible] lus, & pecus [illegible] opera pro[illegible] tium visibilimas [illegible] [illegible] mortales in acerrimo igne, ut homines torqueant, præsertim cùm morsus vermium [illegible] [illegible], & molestiam potius afferant, quam [illegible]. Unde potius serpentes, & dracones ponendi fuis[illegible] sent, si bestiæ aliquæ ad torquendos damnatos de[illegible] stinarentur. Rursus ignis gehennalis sulphureus est, ut patet Psal. 10. & ex Isaiæ 30. & confirma[illegible] ri solet ex eo, quod Genes. 19. Sodoma, & finiti[illegible] mæ civitates igne sulphureo subversæ fuerunt, de quibus ait S. Judas in sua Epistola: Igne æterni pœnam sustinentes facti sunt exemplum, ubi clare indicat, ignem sulphureum esse æternum, loquitur enim de pœna, quæ [illegible] sunt conspicua, & quæ æterna non fuit: sed ignis sulphureus, cujus pœnam ipsi sustinebant, æternus est, quamvis non idem numero. Præterea quia sulphur est, per[illegible] quam aptum ad puniendos impios, non solum prop[illegible] ter vim igneam, qua facile & vehementer exarde[illegible] scit, verùm etiam propter odoris [illegible], quæ fœtori peccatorum congruit; & quia suffitum sulphuris in expiandis domibus solet adhiberi, & peccatores domos suas, seu animam, & corpus peccando turpiter coinquinarunt, adeoque conve[illegible] niens erat, ut Deus igne sulphureo [illegible], quantum fas est, expiaret, siquidem [illegible] peccatorum quoddam est genus [illegible]. [illegible] ea, quia vis sulphuris videtur quodam [illegible] eò quia partim ardeat, & partim [illegible] ar[illegible] deat, se [illegible], ut ex [illegible] vomis, Ætna, Vesuvio constat, [illegible] sulphur olent, & ignes montium [illegible] & ipsa fulmina, quæ iræ divinæ sunt symbola, con[illegible] stant igne sulphureo, olentque sulphur. Quòd verò damnati torqueantur igne, est de fide, & desum[illegible] tum ex Scripturis utriusque Testamenti. Deuter 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet, est e[illegible] nim sermo de igne, qui accendetur in die judicii, quando Dominus [illegible] suam contra peccatores declarabit, & tempus præteritum sumitur pro futu[illegible] ro, ut moris est apud Prophetas. Judith. 16. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum. Similis locus est Psa-

20. *Pluet super peccatores laqueos; ignis & sulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 20. *Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis*, scilicet eo tempore, quo Dominus iram suam declarabit, hoc est, in die judicii, omnes inimicos suos igne involvet, ut & ipsi instar clibani ardeant. Luc. 16. Dives, qui bucellam panis denegavit Lazaro, ait: *Crucior in hac flamma*, quibus verbis D. Augustinus lib. 21. de civit. absolute definit ignem inferni esse corporeum, ait enim: *At gehenna, quod et stagnum ignis, & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum.* D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.* Febardentius lib. 14. Theomachiæ Calvinisticæ, cap. 13. opponit hunc ignem nostro, quod noster cum corporeus sit, debeat assiduè foveri per additionem novi pabuli, & fomenti; ille verò quamvis non sit incorporeus, non debeat foveri, nec indigeat pabulo, sed semel ab initio conditus perseverat inextinguibilis; neque dissentit Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. ult. ubi ait: *Impios, & peccatores projiciendos in ignem æternum, non materialem qualis est apud nos, sed qualem novit Deus*, ut etiam notavit D. Thomas dist. 44. art. 2. ad 1. *Ignis enim gehennalis corporeus quidem est, sed non qualis apud nos est ignis, quia ille non indiget novo semper pabulo, quo nutriatur, neque absumit corpora, quæ urit, neque lucet, neque potest extingui, ut noster ignis.* Et in hoc sensu dixit Damascenus, ignem gehennæ materialem esse, non tamen qualis est apud nos. Ad suppliciorum cumulum aderunt etiam in gehenna tenebræ, fumus, fletus, & stridor dentium. De tenebris Job. 10. vocat infernum: *Terram miseriæ, & tenebrarum opertam mortis caligine, ubi sempiternus horror inhabitat.* Ecclesiast. 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine eorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Matth. 8. *Filii regni* (scilicet Judæi increduli) *ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium*, & hic infernus denotatur per tenebras exteriores; vocantur enim exteriores, quatenus sunt extra locum convivii, totum regnum cœlorum, & 2. Petri 2. dicitur: *Quibus caligo tenebrarum reservatur*, loquitur enim de seductoribus, qui pœnæ gehennali destinantur, hi enim privantur omni luce corporali, quia lucem spiritualem, ac divinam gratiam contempserunt. Neque obstat, quòd in gehenna erit materialis ignis, quia hic ignis, quamvis corporeus, & sulphureus, parum lucet, & lux sulphuris potius impallescit, & mœstitiam potius quàm lætitiam ingerit, imò & suo repercussu, ut ait Plinius lib. 35. cap. 15. *Pallorem dirum præsentibus suffundit.* Has tenebras augebit fumus sulphureus, & atra nebula, quæ inferni specum opplebit, Apocal. 14. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum*, & idem repetitur Apocal. 19. non tamen novus semper fumus erit ascensurus, sicut contingit apud nos, quia fumus inferni non evanescit, neque corrumpitur, quia Sulphur numquam consumitur, neque proinde ejus fumus, quinimò probabile est, hoc fumo ingentes excitari procellas, de quibus David Psal. 10. *Ignis, sulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorum*, & in epist. Judæ: *Quibus procella tenebrarum servata est.* Hisce igitur suppliciis torquentur damnati, qui in actuali mortali peccato decedunt, pœnis tamen disparibus juxta varia, & multa, vel pauciora peccata, quæ hinc viventes perpetrârunt: ut declaravit Concilium Florentinum in definitione fidei, & præsertim animos damnatorum torquebit attentio sempiterna ad hæc omnia supplicia, ut etiam ad Deum, quem offenderunt, quem contempserunt, quem oderunt, & à quo puniuntur, ut etiam ex consideratione causarum suæ damnationis quas sibi uni imputare debent, ut etiam ex attentione ad peccata omnia & singula, & ad supplicii locum arctissimum, tenebrosissimum, igne, & sulphure flagrantem, fœtidissimum, ut etiam ad pœnas interiores, & exteriores, ad horrendam dæmonum, ac damnatorum hominum societatem, quæ omnia tormenta sunt gravissima, imò torquebuntur itidem ex pugna contrariorum desideriorum, quibus anima desperata æternum cruciabitur, quatenus semper vivere desiderabit juxta naturæ propensionem ad sui conservationem, & desiderabit nihilominus optabit, ut miseriæ ipsius finem habeant: sed quia desiderium suo carebit effectu, inane erit. Rursus Deum desiderabit naturali quadam propensione; quem etiam odio habebit, perversa voluntate pœnitebit eam peccatorum, quæ damnationis ejus causa sunt: amabit nihilominus peccata, eò quia voluntas in malo obfirmata erit, & incapax conversionis: hinc D. Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 12. ait: *Væ oppositis voluntatibus solam sui profectò aversionis referentibus pœnam! quid tam pœnale, quàm semper velle, quod nunquam erit? quid tam damnatum, quam voluntas addicta huic necessitati volendi nolendique, ut ad utrumlibet jam sicut non nisi perversè ita nonnisi miserè moveatur? In æternum non obtinebit, quod vult, & quod non vult in æternum nihilominus sustinebit.*

Difficile tamen est rationem adferre, quæ evincat tantam pœnam, & æternam justè pro peccato mortifero infligi, qua de causa plures circa has pœnas fuerunt hæreses. Athei has pœnas negant, & animam morti obnoxiam esse dicunt, ut etiam plures Hæretici, qui Atheismum profitentur. Hi omnes pœnas, quæ post hanc vitam infliguntur, negant, nec mirum, quia cum etiam tollunt, & inficiantur, qui easdem pœnas infligit, ut etiam plurimæ Anabaptistarum Sectæ hæc supplicia ab impiis subeunda post mortem negant. Imò ex ipsis Gentilibus ad fidem Catholicam convertendis inter mysteria creditu difficilia, hæc itidem supplicia enumerant, quatuor enim ipsis nostræ fidei mysteria videntur captui difficillima, scilicet mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & æternitatis suppliciorum, quæ omnia videntur ipsis abhorrere à recta ratione, & præsertim æternitas suppliciorum ob unum tantum peccatum lethale, quod statim transit, & a benignitate, & misericordia Dei. Hinc Origenes, ut initio hujus capitis dixi, omnes animas impiorum, & dæmones, post aliquot sæcula liberandos, & angelicæ luci restituendos esse docuit, scilicet quando per ignem & supplicia inferorum plenè fuerint expiati. Verùm hanc felicitatem censuit non fore perpetuam, sed rursum post aliquot sæcula iterum in miseriam commutandam. Et rursus longo sæculorum decursu fore, ut tædio divinæ contemplationis affecti peccatis se coinquinent, ob quæ rursus detrudantur in corpora, in quibus si iniquè vixerint, ait iterum demergendos esse in ignem gehennalem, quo expiati rursum cœlo ac divinæ contemplationi restituantur; & hanc vicissitudinem felicitatis, & miseriæ in omni creatura rationali statuebat æternam, ita ut infinities eædem animæ, & iidem dæmones sint futuri, modò beati, & nunc miseri, quem errorem refert S. Hieronymus epist. ad Pammach. contra hæreses Joannis Jerosolymitani. Hinc difficilè visum fuit intellectu Atheis, & Hæreticis, Origenistis, & aliis, qua ratione

tanta

tanta pœna juſtè peccato mortifero reſpondeat, & pro momentanea culpa ſupplicium infligatur æternum. Plures ad id evincendum afferuntur rationes, quorum prima eſt, quia tametſi actus peccati re ipſa brevis ſit, & citò tranſeat, affectu tamen peccantis fuit æternus, quatenus peccans vellet ſemper in ſuavitate, & obſectatione perſeverare, quam peccando percipit, & videtur hanc rationem adſtruere D. Gregorius *lib. 4. dial. cap. 44.* ubi ait: *Vellet ſine fine vivere, ut poſſet ſine fine peccare; diſtrictus autem Judex corda penſat, & affectus, non facta. Ad magnam ergo juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* Verùm hæc ratio, quamvis bonam ac utilem contineat congruentiam, non tamen ſatisfacit intellectui, ſiquidem multi peccant, qui talem affectum non habent, ſed ſolùm ad breve tempus capiunt oblectationem, & commodum ex peccato, cum propoſito tamen impoſterum abſtinendi.

Quòd ſi dicas, ſi ſemper eædem circumſtantiæ permanerent, ſemper vellent peccare: quia ſicut re ipſa eædem circumſtantiæ non perſeverant: ita neque talem voluntatem habet, imò nec de re hac cogitant. Præterea licèt in omnibus, qui peccant, eſſet talis affectus, quo cuperent ſemper vivere, ut ſemper poſſent voluptatibus peccatorum frui: hic tamen affectus eſt inefficax, neque poteſt æquari affectui æterno, nec peccatis, quæ per totam æternitatem committerentur, conſequenter ex hoc capite non poteſt mereri pœnam æternam. Alii cum Durando ex eo probant aſſertum, quia peccatum lethale adeo eſt malum grave, ut nullis creaturæ operibus poſſit compenſari: ſed quod ita eſt malum, ut nullis bonis, quantumvis longo tempore continuatis poſſit æquari, neque compenſari meretur pœnam quovis finito tempore longiorem, eo pacto, quo qui domum emit, cujus principale pretium non poteſt ſolvere, tenetur perpetua penſione ſatisfacere creditori, ſed neque ita ratio videtur ſufficiens: ſiquidem nec etiam pro peccato veniali poteſt ulla creatura ex propriis tantum adæquatam exhibere ſatisfactionem: quapropter ſi argumentum urgeret, æquè probaret peccatum veniale eſſe dignum pœna æterna, quod eſt falſum. Præterea, quia tametſi crimen puniatur, donec reus exhibeat ſatisfactionem, quando ille vult, & poteſt illam exhibere: nulla tamen ratio exigit, ut ſemper puniatur: etiam quando nullo modo poteſt eam exhibere, alioquin qui furatus eſt unum aureum, quem amplius non habet, nec poteſt reſtituere, tamdiu deberet puniri, quamdiu illum non reſtitueret. Alii cum Lugone ex eo probant aſſertum, quia Deus non potuit aliter homines à peccato revocare, niſi determinando pœnam æternam pro peccato lethali. Verùm nec iſta ratio videtur ſufficiens ad evincendum aſſertum, ſiquidem vel ante illam Dei determinationem peccatum includit condignitatem pœnæ æternæ vel non: ſi primum ergo reddenda eſt ratio, cur peccatum adeo breve mereatur de condigno pœnam adeo diuturnam, & æternam. Si dicatur ſecundum, ſequitur, Deum punire ultra condignum, quod eſt abſurdum.

Probatur igitur exactius ex eo, quòd peccatum lethale ſit contemptivum boni æterni, & excellentiſſimi, ac ejus perpetuæ poſſeſſionis, quæ eſt æterna felicitas ſita in Dei viſione, & amore, ſed quod contemnit, & graviter contemnit bonum æternum meretur pœnam æternam, juxta doctrinam D. Auguſtini *lib. 21. de Civit. Dei cap. 12.* ubi ait: *Homo factus eſt dignus malo æterno, quia hoc in ſe evertit bonum, quod poſſet æternum eſſe.* Ratio itidem à priori poteſt eſſe, quia ad quantitatem punitionis non attenditur mora temporis in peccando, ſed quid ſit, contra quod peccatur; proindecùm creatura peccet contra ultimum finem æternum, debet ejus pœna eſſe æterna, ut argumentatur D. Thomas 3. *contra gentes, cap. 144. num. 3.* ubi ait: *Æquum eſt, ut unusquisque privetur bono, contra quod agit, quia reddit ſe illo indignum*, ideoque ſecundùm civilem juſtitiam, qui peccat contra Rempublicam, privatur ſocietate Reipublicæ per mortem, aut exilium perpetuum; eadem autem eſt comparatio totius vitæ præſentis ad Rempublicam terrenam, ac totius æternitatis, ad ſocietatem Beatorum, qui ultimo fine æternaliter potiuntur: ergo peccans contra finem ultimum debet in æternum puniri, ac perpetuò excludi à Beatorum ſocietate. Poteſt etiam alia ratio aſſignari, quia præmium juſtorum eſt æternum, conſequenter debet etiam pœna impiorum eſſe æterna, ut argumentatur D. Thomas 3. *contra Gentes. cap. 144.* ex recto ordine divinæ juſtitiæ, ad quod confirmandum etiam adfert illud Matth. 25. *Ibunt in ſupplicium æternum: Juſti autem in vitam æternam.* Neque urget, quod reſpondent aliqui, poſſe hoc argumentum retorqueri, quia culpa, cùm temporanea ſit, ejus pœna non debet æterna eſſe, alioquin pœna culpam excederet, contra illud Deuter. 25. *Secundùm menſuram delicti erit plagarum modus.* Nam contra eſt, quia neque merito temporaneo reſpondet præmium æternum, & nihilominus meritum temporaneum eſt dignum præmio æterno, quia animæ rationali utpote immortali nonniſi immortale præmium, vel ſupplicium immortale debetur, contrariorum enim eſt eadem ratio. Præterea, quia non ſolùm obſtinatio, verùm etiam macula temporanei peccati eſt æterna, ut docet D. Thomas *quæſt. 1. de malo. art. 5. ad 15.* ubi ait: *Licèt culpa ſit temporalis, quantum ad actum, eſt tamen æterna, quantum ad reatum, & maculam: ſed æternitas culpæ eſt cauſa æternitatis pœnæ.* Præterea, quia etiam in humanis culpa, quamvis momentanea, non ſemper punitur pœna momentanea, ſiquidem homicidium brevi tempore perpetratum, punitur per longam detentionem in carcere, & poſtea per mortem, qua in perpetuum privatur ſocietate viventium, nonnunquam etiam punitur per exilium, vel perpetuam ſervitutem, quibus perpetuò excluditur à patria, & libertate, adeo ut, ſi homo in perpetuum viveret, pœna exilii illata per leges humanas æterna foret: ergo peccatores in altera vita perpetuò exſtitui debent ob peccatum grave, quod inducit inimicitiam perpetuam, & læſionem charitatis, qua beati cives mutuo confœderantur, debent perpetuò ſubire exilium à patria cœleſti, perpetuamque incurrere dæmonis ſervitutem ob lethale peccatum, quamvis momentaneum.

Probari itidem poteſt aſſertum, quia tamdiu debet peccator puniri, quamdiu perſeverat in illo peccatum quoad utrumque reatum culpæ, & pœnæ; cùm enim reatus pœnæ ſit obligatio pœnæ ſubeundæ, ſeu dignitas pœnæ, tamdiu debet puniri, quamdiu perſeverat in homine; ſed peccatum ex ſua natura exigit quoad utrumque reatum culpæ, & pœnæ in æternum manere: ergo meretur ex natura ſua pœnam æternam. Major, & conſequentia tenent, oſtenditur minor, quia pecca-

peccatum ex natura ſua exigit æternum durare, quoad utrumque reatum culpæ, & pœnæ, quia ex natura ſua conſtituit hominem in ſtatu, in quo non poteſt amplius mereri, neque ſatisfacere, etenim homo reus non liberatur à reatu, quamdiu non meretur, nec ſatisfacit: quia tunc ſemper perſeverat in ſtatu, in quo erat prius: unde ſi non ſatisfacit, perſeverat in illo totum debitum, quod prius eidem inerat; ſed peccatum lethale conſtituit hominem in ſtatu, in quo nec meretur, nec ſatisfacit, quia cùm peccatum lethale ſit deſtructivum gratiæ habitualis, & charitatis, ſine quibus nulla poteſt haberi ſatisfactio, neque meritum, ſequitur, peccatum lethale æternum perſeverare, quoad utrumque reatum culpæ, & pœnæ, conſequenter eſſe dignum, ut puniatur pœna æterna, ſiquidem eo ipſo, quòd peccator per peccatum conſtituitur in eo ſtatu, in quo nequit per meritum, & ſatisfactionem tollere, vel reatum pœnæ, vel etiam culpæ, eò quia careat principio meriti, & ſatisfactionis, quod principium eſt gratia ſanctificans, & habitus charitatis, ſequitur, quòd in illo ſtatu nulla poſſit eſſe ſatisfactio, neque ulla ſatiſpaſſio. Quamobrem peccatum ex eo debet perpetuò puniri, non quòd ex natura ſua exigat tantùm quoad reatum culpæ durare, ſed etiam quia ſemper exigit perſeverare quoad reatum pœnæ: & rurſus, quia tollit principium totius ſatisfactionis, & ſatiſpaſſionis, ſeu gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis: hæc enim aria ſunt ratio, cur peccatum debeat perpetuò puniri. Hinc ſatisfit argumento, quod ab aliquibus objicitur, ajunt enim: Poteſt Deus remittere totum reatum culpæ, & retinere totum reatum pœnæ, ſed tunc totum peccatum non duraret, quia quoad reatum culpæ ſupponitur remiſſum; & nihilominus adhuc eſſet dignum pœna æterna: ex quo inferunt rationem, cur peccatum lethale mereatur pœnam æternam, non eſſe ex eo, quia perpetuò duret. Reſpondetur enim, quòd tametſi in data hypotheſi non duraret perpetuò peccatum quoad reatum culpæ; adhuc duraret quoad reatum pœnæ, & excluſionem principii vitæ, ſeu gratiæ ſanctificantis, & habitus charitatis, ſine quo principio nulla eſſe poteſt ſatisfactio, nec ulla ſatiſpaſſio: ſed ut peccatum lethale mereatur puniri pœna æterna, ſatis eſt, ſi perpetuè duret quoad reatum pœnæ, & excluſionem principii ſatisfactionis, & paſſionis. Neque urget, ſi dicas, maculam peccati venialis etiam perpetuò durare, & nihilominus non mereri punitionem æternam. Nam contra eſt, quia peccatum veniale non deſtruit principium ſatisfactionis, & ſatiſpaſſionis, ſeu gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis, proinde eſt ſemper ab intrinſeco reparabile. Præterea quia peccatum veniale, cùm non ſit averſivum à Deo fine ultimo, ſeu à ſummo bono æterno, ſed tantùm ſit præter finem ultimum, quatenus impedit, & retardat acceſſum ad ipſum: neque ponat receſſum; ideo non exigit perpetuò puniri ex natura ſua, unde licèt macula peccati venialis perpetuò duret, non tamen eſt per ſe perpetuò punienda, quia æternitas non competit ex ſe tali maculæ, ſed tantùm per accidens. Præterea quia peccatum veniale non inducit inimicitiam cum Deo, & peccatum lethale ex natura ſua inducit hanc inimicitiam perpetuam, conſequenter meretur pœnam æternam, ac perpetuam disjunctionem à Deo fine ultimo, non ita peccatum veniale. Inſtabis, nulla æquitas videtur exigere, ut peccatum tamdiu puniatur, quamdiu manet, ſi non ſit in poteſtate ſubjecti, ut non maneat, ſed non eſt in poteſtate peccatoris damnati, ut peccatum perpetuò non duret quoad utrumque reatum culpæ, & pœnæ, ergo æquitas, ſeu juſtitia non exigit, ut perpetuò puniatur. Sed contra diſtinguitur major. Nulla æquitas exigit, ut tamdiu puniatur, quamdiu perſeverat reatus pœnæ, ſi peccatum non habeat, ex ſua natura perpetuò durare quoad utrumque reatum, & non conſtituat hominem in ſtatu, in quo non poſſit ullo pacto ſatisfacere, conceditur: ſi peccatum habeat, ex ſua natura in æternum manere quoad utrumque reatum, & conſtituere hominem in ſtatu, in quo non poſſit ullo modo ſatisfacere, ſubdiſtinguitur, ſi talis impotentia non fuerit liberè volita, conceditur, ſi fuerit liberè volita, negatur, quamvis nulla æquitas exigat, ut tamdiu quis puniatur, quamdiu non poteſt ſolvere, quando abſque ulla voluntate libera factus eſt impotens ad ſolvendum, & ſatisfaciendum: ſi tamen voluntariè, & liberè contraxerit debitum, quod ex ſua natura deſtruit principium ſatisfaciendi tunc æquitas, & juſtitia exigit, ut perpetuò puniatur, quia manet ſemper reus.

Objiciunt tamen, quia ex Ariſtotele 3. Ethic. cap. 3. pœna debet eſſe medicina ordinata ad correctionem delinquentis vel aliorum: ſed æternitas ſupplicii, qua damnatus punitur, non poteſt dirigi ad correctionem ipſius damnati exiſtentis in ſtatu, in quo nequit corrigi. Neque poteſt ordinari ad correctionem aliorum; quia poſt diem judicii nullus hominum eſt amplius corrigendus, conſequenter peccatum mortale non exigit puniri pœna æterna. Contra eſt, quia pœna non ſemper eſt medicina reſpectu illius, qui per commiſſum delictum punitur, ſiquidem fures & homicidæ ſuſpenduntur à lege, ac morte puniuntur, non ut ipſi corrigantur, ſed ut metu pœnæ alii avertantur à delicto: & hoc pacto æternum ſupplicium dirigitur ad correctionem hominum exiſtentium in ſtatu viæ, ne in ſimilia prolapſi peccata æternum ſubeant damnationis ſupplicium, in quo ſenſu pœna inflicta pro delicto eſt ſemper medicina per ſe, & ex natura ſua: quòd ſi alii homines non exiſterent, qui per inflicta ſupplicia reis poſſent à culpa deterreri, id per accidens, & extrinſecè ſe haberet. Præterea, ut docet D. Thomas *in 4. diſt. 46. quæſt. 1. art. 3. ad 3.* pœna ſtatuta à lege pro delictis non ſolùm eſt ad correctionem, quando actu infligitur, verùm etiam cùm primum promulgatur per legem, ut irroganda transgreſſoribus, tunc enim juſtum incutit timorem, quo ſubditi ſibi caveant, ne legem transgrediantur, ſi nolint tale ſupplicium incurrere: ratio eſt, quia non ſolùm eſt punitio peccati perpetrati, verùm etiam præſervatio à peccato futuro, & ſub hac ratione eſt medicina, quæ conducit ad conſervandam indemnitatem juſtitiæ: quamobrem pœna æterna, tametſi nequeat infligi, ut medium ad correctionem damnati, qui in illo ſupplicio erit perpetuò manſurus, & pœnis illis torquendus; eſt tamen medium ad correctionem hominum exiſtentium in ſtatu viæ: ſiquidem ne ſubeant hoc æternum ſupplicium, ſe abſtineant à culpis, noxiſque gravioribus, juxta illud vulgatum effatum, *oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Rurſus poſſet etiam reſponderi, pœnam non ſolùm infligi ad correctionem aliorum, & præmium dari, ut ſit ſtimulus rectæ operationis; ſed ut puniatur, qui malè operatur, & præmiis donetur, qui benè agit, quia id exigit rectus juſtitiæ ordo, adeo ut ſi per impoſſibile nonniſi duo homines poſſent exiſtere, & ex iis unus malè, & alter rectè

agerer,

Digitized by Google

ageret, huic deberetur præmium, & illi pœna, ex intrinſeca natura, & exigentia peccati, ac virtutis, quamvis in hac hypotheſi nec pœna, nec præmium ad correctionem aliorum dirigerentur.

Dices, æternum, & temporale infinitè diſtant, ſed nullum peccatum infinitè diſtat ab alio, quia utrumque eſt actus humanus finitus, proinde ſi peccatum veniale non meretur pœnam æternam, nec peccatum lethale, quia hoc ab illo non diſtat infinitè. Sed contra diſtinguitur minor, nullum peccatum diſtat ab alio infinitè ex parte puræ converſionis ad bonum commutabile, & finitum, admittitur minor: ex parte averſionis à ſummo bono, & fine ultimo, negatur minor, & conſequentia, quia cùm peccatum lethale dicat ex natura ſua hanc averſionem à ſummo bono, ut rectè docet D. Thomas, diſtat infinitè à veniali non includente hanc averſionem; ait enim D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 87. *art.* 5. *ad* 1. *Quædam peccata committuntur per averſionem ab ultimo fine, quædam verò per deordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem: finis autem ultimus ab iis, quæ ſunt ad finem infinitum, differt.* Dices ulterius, quod eſt violentum, ex Philoſopho nequit durabile eſſe: atqui omnis pœna eſt violenta, & contra naturam illius, qui punitur, ergo non eſt æternum durabilis, hinc pleriique Patres viſi ſunt negaſſe, ſupplicia damnatorum eſſe æterna, ut Origenes, à quo emanavit ſententia de perpetuo circulo ſalutis, & damnationis, ut refert quinta Synodus. Præterea D. Gregorius Nyſſenus *Orat. Catech. de Incarnat. Verbi*, docet, pœnam damnatorum æternam non eſſe; quod etiam non obſcurè ſignificat Nazianzenus orat. 39. ubi ait: *Supplicia hominum non æterna fore, ſed purgatoria.* D. Hieronymus lib. 1. contra Pelagim, & in calce commentarior. in Iſaiam videtur negare, Chriſtianorum pœnas æternas fore in inferno, cui ſententiæ viſus eſt adhæſiſſe D. Ambroſius in Pſal. 118. ubi ait: *Æterna fore tormenta dæmonum, non hominum.* Præterea ſatis vulgata eſt hiſtoria de Trajani Principis anima, precibus S. Gregorii Magni ab inferis liberata; & quamvis plures hanc hiſtoriam reprobant, ut non innixam ſufficienti fundamento, eam nihilominus refert, nec rejicit Damaſcenus orat. pro mortuis, ubi illius teſtes vocat Orientem totum, & Occidentem; quinimò hanc hiſtoriam etiam approbat Joannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni lib. 2. cap. 44. & plures alii aſſerunt, veram eſſe: ergo pœna homini infligenda pro peccato lethali in altera vita non erit perpetuò duratura. Sed contra, negatur minor, quia pœna per ſe reſpondet maculæ, ſeu ſubjecto ut infecto macula culpæ: quia hujuſmodi macula non eſt violenta, ita nec pœna eidem reſpondens violenta eſt, ſed maximè debita, proinde naturalis, juxta regulam æquitatis, & juſtitiæ. Ad illud, quod addebatur ex Patrum authoritate, reſpondetur, Origenem à pleriſque non infimæ notæ Theologis excuſari, aſſerentibus ſententiam illam non fluxiſſe ab Origene, neque Origenem eidem adhæſiſſe, ut pluribus nititur probare, Merlinus in Apologia, ut etiam Picus in Apolog. quæſt. 7. Aloes in eleganti ſuo Tractatu ſuper ead. controverſ. Verùm communiter Origenes erroris illius damnatur, adeo ut nullo pacto poſſit excuſari. Cæterum Niſſenum plures interpretantur in bonum ſenſum, & oſtendunt, eum non erraſſe. Quòd verò ad alios Patres prærecenſitos attinet, conſtat ex eorundem ſcriptis, Ambroſium, Hieronymum, Nazianzenum, frequenter oppoſitum docuiſſe, & ab hac ſententia longiſſimè diſtaſſe, quapropter in præcitatis locis tantùm fuerunt locuti de pœna, quam ſubeunt homines in purgatorio. Ad ultimum quod addebatur de hiſtoria Trajani Principis, reſpondetur communiter, hanc hiſtoriam reprobari, ut anilem fabulam, ut notat Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 8. & etiam Canus, Sotus, & alii oſtendentes illius impoſſibilitatem. Quòd ſi petas, an cuilibet peccato lethali ſit debita utraque pœna damni, & ſenſus, reſpondetur affirmativè cum D. Thoma 3. contra gentes cap. 145. ubi etiam aſſignat rationem; quia conſentaneum erat, ut qui per peccatum lethale avertitur à ſummo bono, ſeu fine ultimo, & convertitur ad creaturas, quaſi in fine non excluderetur à poſſeſſione finis ultimi, ſeu Dei, verùm etiam ut nocumentum ſubiret ex creaturis, quas inordinatè adamavit, hinc per excluſionem à poſſeſſione finis ultimi, habetur pœna damni: & per nocumentum, quo damnati ex creaturis ſubeunt pœnam ſenſus, & utriuſque pœnæ inflictionem indicant verba à Chriſto in ultimo judicio univerſali proferenda: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*; per priora verba, *diſcedite à me*, ſignificatur pœna damni, ſeu carentia viſionis beatæ; per poſteriora verba, *in ignem æternum*, ſignificatur pœna ſenſûs, ſeu dolor, ac internus cruciatus; quam pœnam expreſſit etiam David Pſal. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*: per calicem ſignificatur hæreditas impiorum accepta à diabolo, ſeu pœna ſenſus ſignificata per ignem, ſulphur, & ſpiritum procellarum.

CAPUT XI.

De reatu pœnæ debito pro peccato veniali.

CErtum eſt, pœnam peccatis venialibus, præſertim deliberatis, ac plenè voluntariis debitam in hac vita, & quæ ſolet à Deo irrogari, multiplicem eſſe. Primò enumerantur dolores, morbi, & interdum etiam ipſa mors temporalis, ac plura alia, quæ hominibus adverſantur, ac eos divexant, idque infertur ex variis Scripturis, in quibus ſignificatur obitus Moyſis, antequam introduceret in terram promiſſionis filios Iſrael, ob peccatum diffidentiæ, adeo leve, ut vix apparuerit. Conſtat etiam uxorem Loth propter levem curioſitatem, qua retrò reſpexit, verſam fuiſſe in ſtatuam ſalis, ut mulieris corriperetur fatuitas, ac nequioris ſexus condiretur inſipientia. Rurſus filii Aaron mortem ſubierunt propter alienum ignem, quem poſuerant in thuribulo, quæ pœna fuit effectus peccati tantùm venialis. Oza itidem interiit in pœnam levis peccati, eò quia tetigerit Arcam, idque non ob irreverentiam, ſed ne caderet ob viæ inæqualitatem. Secunda pœna debita peccato veniali eſt ſubtractio plurium auxiliorum, quibus adjutus homo infallibiliter

Digitized by Google

declinaret peccata graviora ; ſeque ad perfectionem, & æternam ſalutem promoveret : quia Deus in pœnam peccatorum venialium denegat uberiora auxilia, ſine quibus homo pronior eſt, & facilius in lethalia delabitur. Tertia pœna eſt imminutio fervoris, charitatis, & familiaritatis cum Deo, illa ſiquidem tepiditas, & quaſi tædium in exercitiis virtutum, & illa frigiditas in ſtudia charitatis, ut etiam negligentia in debito cultu præſtando Deo, etiam in viris religioſis ſunt effectus peccatorum venialium, à quibus cùm plerumque non ſatagant ſe abſtinere, & ſe ipſos negligunt, nec curant per ſedulum conſcientiæ examen ante actas operationes excutere, cognoſcere, accorrigere, ideo Deus illis ſubtrahit uberiorem influxum ſuæ gratiæ, & permittit eos ob ſuas negligentias indulgere ſuis propriis deſideriis. Rurſus pœna peccatis venialibus debita etiam in altera vita eſt ignis expiatorius in purgatorio.

Pœna enim temporalis reatum vel in hac vita, vel in altera luendum inducit peccatum veniale, quod licèt non pervertat ordinem ad ultimum finem, ſcilicet ad Deum, perturbat tamen ordinem eorum, quæ ſunt ad finem, & ad Deum referuntur, ut cùm homo nimis adhæreſcit negotiis temporalibus, quamvis pro iiſdem nolit Deum offendere, nec quidquam contra Dei legem agere, hic enim affectus nimius ad res temporales perturbat ordinem eorum, quæ ad finem ultimum referuntur, quamvis non pervertat ordinem ad ultimum finem, neque adverſetur charitati, cum qua cohæret peccatum veniale : eſt enim Chriſtus cum charitate fundamentum in viro juſto, ſi tamen, ut loquitur D. Thomas 1.2. *quæſt.* 87. *art.* 5. primum locum in corde hominis Chriſtus cum gratia ſanctificante occupet, ſæcularia verò ſic amentur, ut Chriſto non præponantur, ſed Chriſtus iiſdem, quamvis vir juſtus ſuper hoc fundamentum, quod eſt Chriſtus cum gratia ſanctificante ſuperædificet lignum, fœnum, ſtipulam, ſeu peccata leviora ac venialia, attamen detrimentum patietur, ſed ipſe ſalvus erit, ſic tamen, quaſi per ignem, ut loquitur Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 3. ubi ait : *Uniuſcujusque opus manifeſtum erit ; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale ſit, ignis probabit.* & rurſus : *ſi cujus opus arſerit detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Hæc autem verba eſſe intelligenda de igne purgatorio, aſſerunt Concilia Florentinum, & Tridentinum, ut etiam Sancti Patres, præſertim Auguſtinus, qui ſerm. 362. explicans verba Apoſtoli ait : *Quiſquis ſic habet in corde Chriſtum, ut ei terrena, & temporalia, nec ea, quæ licita ſunt, atque conceſſa, præponat, fundamentum habet Chriſtum : ſi autem præponit, etſi videatur habere fidem Chriſti, non eſt tamen in eo fundamentum Chriſtus, cui talia præponuntur.* Et paucis interjectis aſſerit eſſe quoſdam, qui ſuper hoc fundamentum ſuperædificant lignum, fœnum, ſtipulam, id eſt, leviora peccata, ut ſunt, qui terrenas neceſſitudines ita amant carnaliter : *ut tamen eas Chriſto Domino non præponant, malintque ipſis carere quàm Chriſto*, & ait hos per ignem ſalvos fore. Nomine autem ignis intelligitur omnis tribulatio, *quia earum rerum amiſſione tantùm neceſſe eſt, ut urat dolor, quantum hæſerat homo.* Communius tamen per ignem intelligitur ignis expiatorius in purgatorio : ſiquidem pœna purgatorii duplex eſt, ſcilicet privatio, ſeu potius dilatio beatitudinis, ſeu divinæ viſionis, quæ privatio dicitur pœna damni : & ſecunda eſt pœna ſenſus, ſeu ipſe dolor, quem animæ ibi expiantes experiuntur. Ex his pœnis privatio viſionis intuitivæ DEI, ſeu beatitudinis, quamvis ad tempus graviſſima eſt, & hæc non habetur in ſtatu viæ, ſed cùm anima fuerit in termino conſtituta : amanti enim patriam exilium à Patria ingens eſt cruciatus, & cùm animæ juſtorum ſejunctæ à corporibus, & venialium peccatorum maculis tantùm coinquinatæ, tamdiu debeant in purgatorio illo carcere detineri, donec omnes maculæ fuerint expiatæ per ignem, quo torquentur, ideo procul à cæleſti patria anxiantur inquietæ, donec in Deo requieſcant : hinc graviſſimum ex hac dilatione dolorem patiuntur, ac per ſingula momenta ſibi ipſis repetunt, *ubi eſt Deus meus ?* quòd ſi ſpes, quæ differtur, dicitur animam affligere, multò magis ſpes ſummi boni affligit animam, non jam terrenæ cupiditatis depreſſam pondere, ſed toto amoris impetu in Deum tendentem ? hinc D. Auguſtinus de hiſce pœnis expiatoriis in purgatorio plura habet in enarrat. in Pſal. 27. Et D. Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 39. de iiſdem ait : *De quibuſdam levibus culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis credendus eſt pro eo, quod Veritas dicit, quia ſi quis in Sanctum Spiritum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe laxari. Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur. Sed tamen ut prædixi, hoc de parvis minimiſque peccatis fieri poſſe, credendum eſt, ſicut eſt aſſiduus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix ſine culpa vel ab ipſis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, ſciunt, aut in non gravibus rebus error ignorantiæ. Quæ cuncta etiam poſt mortem gravant, ſi adhuc in hac vita poſitis minimè fuerint relaxata.*

Non tamen peccata venialia, quantumvis multiplicata, unquam per ſe, ſi ſola fuerint, merentur pœnam æternam, eſt aſſertio communis apud Catholicos, & certa de fide. Quia differentia pœnarum debet reſpondere, ac commenſurari differentiis culparum ; ſed per peccatum lethale deſtruitur finis ultimus, & æternus relativè ad lethaliter peccantem, quia per peccatum ſe avertit à ſummo bono, ac fine ſimpliciter ultimo, conſequenter debetur illi pœna æterna, eſt itidem certum de fide ; per peccatum autem veniale homo non avertitur à ſummo bono, & fine ſimpliciter ultimo, nec recedit ab illo, ſed tantùm retardat acceſſum ad illum, adeo ut venialiter peccans per ſuam actionem non accedat, nec recedat, ſeu non avertat ſe à Deo fine ultimo, ſed tantùm ſiſtat ab acceſſu, quem propterea retardat, quapropter peccatum veniale dicitur eſſe præter Deum, quatenus ad ipſum non conducit : hinc venialiter peccans, æquiparatur viatori tendenti quidem in terminum, ſed moranti in aliquo loco, adeo ut neque accedat, neque recedat à termino, ergo peccato veniali non debetur ex natura ſua pœna æterna. Sed dices, eatenus peccatum mortale pœnam meretur æternam, quia ejus macula eſt æterna, & qui lethaliter peccat, vellet in eo peccato ſemper manere : ſed etiam macula peccati venialis eſt æterna, & venialiter peccans vellet in eo ſemper manere, ergo vel utrique debetur pœna æterna, vel neutri. Contra eſt, diſtinguitur major ; peccato lethali debetur pœna æterna, eò quia ejus macula perpetuò durat, quomodocunque negatur major : eò quia ejus macula ex ſe perpetuo durat, cum addito, ſcilicet cum deſtructione principii

Digitized by Google

cipii vitæ, seu gratiæ sanctificantis, ac habitus charitatis, & cum aversione a Deo fine simpliciter ultimo, conceditur major, & sub eadem distinctione negatur minor, & consequentia, quia macula peccati venialis non opponitur Deo fini simpliciter ultimo; nec est ex natura sua æterna, & irreparabilis, ut est ex se irreparabilis macula peccati mortalis, cui propterea respondet pœna æterna. Præterea quia peccatum veniale non destruit principium vitæ, seu gratiam sanctificantem, nec habitum charitatis, propterea non constituit hominem in statu, in quo non possit satisfacere: sed tota ratio, propter quam peccatum lethale pœnam meretur æternam est, quia destruit principium vitæ, seu tollit gratiam sanctificantem, sine qua nulla potest esse satisfactio, nec ulla satispassio; ergo peccatum veniale ex natura sua non meretur pœnam æternam. Neque obstat, si dicas, nullam creaturam ex viribus propriis tantùm posse satisfacere pro peccato veniali; consequenter perinde mereri pœnam æternam, ac lethalis. Nam contra est, quia tametsi pro veniali nequeat creatura ulla satisfacere ex propriis tantùm viribus, quia tamen venialiter peccans adhuc perseverat in Dei amicitia, ideo Christus tanquam causa universalis supplet id, quod per se ipsum non potest venialiter peccans præstare, unde quamvis nemo possit directè condignè satisfacere pro peccato mortali, vel veniali: nihilominus peccatum veniale non tollit jus ad auxilia, & merita Christi, ratione quorum deletur peccatum veniale: secus peccatum lethale totum illud jus aufert, ex quo sequitur, quod peccatum veniale non semper duret, quoad utrumque reatum culpæ, & pœnæ, sicut exigit semper durare peccatum lethale quoad utrumque reatum. Cæterum probabile est peccatum veniale non quidem per se & essentialiter, sed tantùm per accidens, seu, ut conjunctum cum lethali puniri in gehenna pœna æterna, sive remissum fuerit quoad culpam, sive non, & ita docent cum Cajetano plures Theologi. Ratio etiam id evincit, quia peccatum tamdiu debet puniri, quamdiu perseverat reatus culpæ, & pœnæ; sed in damnatis reatus pœnæ ex peccato veniali contractus perpetuo durat, quia damnati ob carentiam principii vitæ, seu gratiæ sanctificantis, & habitus charitatis non possunt satisfacere, consequenter in damnatis peccatum veniale, potest perpetuò puniri, licèt per accidens, seu, ut conjunctum cum peccato mortali, non verò ex se & ex natura sua.

Sed dices peccatum veniale est malum excedens omne malum pœnæ: ergo ex natura sua meretur pœnam omni pœna finita diuturniorem, sed pœna diuturnior omni pœna finita, est pœna æterna: ergo peccatum veniale ex natura sua, & non tantùm per accidens, meretur pœnam æternam. Præterea quia in statu puræ naturæ peccatum veniale pœnam meretur æternam, quia in illo statu venialiter peccans non haberet gratiam sanctificantem, sine qua nulla habetur satisfactio, neç satispassio: ergo veniale ex natura sua meretur pœnam æternam. Præterea quia opus bonum, quantumvis minimum meretur præmium æternum: ergo etiam quodvis peccatum, quantumvis leve meretur pœnam æternam. Tum quia est majus malum privari ad tempus beatifica Dei intuitione, quam semper puniri exiguo malo sensûs: sed peccatum veniale meretur ad tempus privari visione Dei, ergo meretur semper puniri pœna sensûs. Contra est, quia quamvis peccatum veniale sit majus omni malo pœnæ, non tamen inde sequitur mereri ex natura sua pœnam omni pœna finita diuturniorem, quia nunquam peccatum meretur pœnam, quæ sit tantum malum, quantum malum est ipsa culpa; bene tamen meretur pœnam, quæ in ratione pœnæ sit tantum malum, quantum est culpa malum in ratione culpæ: unde peccatum veniale non meretur ex se pœnam æternam, sed ad summum tantum per accidens, eò quia conjungatur cum peccato lethali. Ad id quod addebatur de peccato veniali in statu puræ naturæ, respondetur, veniale in tali statu non mereri pœnam æternam, quia tametsi homo in illo statu non haberet principium vitæ, seu gratiam sanctificantem, & habitum charitatis, proinde non posset satisfacere; nihilominus quia in illo statu non se privasset homo principio illo vitæ; siquidem in statu puræ naturæ nunquam habuisset homo gratiam sanctificantem, qua potuisset se liberè privare: hinc talis status in data hypothesi, quòd homo venialiter peccâsset, exegisset, ut Deus vel ex sua munificentia, & liberalitate, vel per medium aliquod proportionatum statui puræ naturæ remisisset reatum illum. Ad aliud quod addebatur de minimo opere bono, quod meretur pœnam æternam, respondetur, esse discrimen, quia opus bonum quantumvis minimum semper sanctificatur per gratiam, ratione cujus meretur præmium æternum, peccatum verò veniale non accipit ab alio suam infinitatem, qua mereatur pœnam æternam. Ad ultimum respondetur, peccatum veniale mereri pœnam, quæ in ratione pœnæ sit tantum malum, quantum malum est ipsa culpa, in ratione culpæ: sed peccatum veniale in ratione culpæ non privat bono æterno ac fine simpliciter ultimo, quia non avertit à Deo, consequenter non meretur pœnam æternam.

Cæterum inter pœnas peccati non levis est ipsa peccati conscientia, seu stimulus conscientiæ accusantis peccatorem est veluti vermis corrodens animam peccatricem, de qua pœna loquens S. Ambrosius in Psal. 37. ait: *Gravior adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditore vendimur. Unde scriptura ait, peccatis vestris venditi estis. Hæc igitur peccata sunt, quæ contra nos semper sunt, ut dixit Propheta, vendiderunt nos, & dominantur nobis. Servus qui venditur, superiore servitio exit, ut ad Dominum alterum migret: nos nec superiorum jugum deponimus, & admissa peccata cumulamur*; & in Psal. 35. ait: *Quæ pœna major, quam timere, quod vitare non possis, nec quod timueris evadere. Unde præclare David, an quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, Offenditur enim nobis ultrix nostri imago peccati, ut inquietum reum suum esse permittit inferens miseram servitutem atque in sua vincula, ut enodare se non queat, quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat delictorum æra non capere, & libertatem innocentiæ reservare. Itaque dum oramus, peccatum offenditur: ubi somno sensus se corporis relaxaverit, peccatum recurrit, semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator convenit debitorum.* Hanc malæ conscientiæ pœnam eleganter explicat D. Augustinus enarratione in Psal. 45. inquiens: *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod scientia vocatur, ubicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abun-* [illegible]

dan-

dantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est quid facturus est homo, quo confugiet, cùm coperit pati tribulationes? fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo jam quo fugiat, non habet, nisi in interius cubile suum. Porro si ibi tumultus est fumus iniquitatis, si flamma sceleris, nec illuc potest confugere pellitur inde, & cùm inde pellitur, a se ipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quo confugerat, se ipsum, quo fugiturus est? quocunque fugerit, se trahit post se, & quocumque talem traxerit se, cruciat se de se. Ipsæ sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis. Acerbiores enim sunt. Tanto non sunt acerbiores, quanto non sunt interiores. Videte charissimi, cùm ligna deincinuntur, & probantur à fabris, aliquando in superficie videntur quasi læsa, & putrida; faber autem inspicit quasi medullam interiorem ligni, & si sana interius ligna cognoverit, promittit ea in ædificio duratura, nec valde erit de superficie læsa *sollicitus, quando id, quod interiùs est sanum, renuntiat. Porro homini interius conscientia non invenitur: quid igitur prodest, si quod est exterius, sanum est, & putrefacta est medulla conscientiæ? Arikeista, & vehementer omnino, & sicut Psalmus ipse ait: Nimiæ tribulationes sunt: tamen & in his adjutor factus est Dominus dimittendo peccata. Iniquorum enim conscientias non sanat, nisi indulgentia. Si enim magnas tribulationes habere se dicit, aut confitetur confessus, & inveniens angustias rei familiaris suæ, cùm se videt non posse esse solvendo propter imminentes omni anno computationes, tribulationes magnas se pati dicit, nec aliquam se putat, nisi in spe manifestatis rerum terrenarum, quanto magis debitor peccatorum ac abundantia delictorum, quando reddet, quod debet de mala conscientia, quando si reddiderit, ipse perit. hoc enim debitum reddere, pœnas luere est.*

C A P U T XII.

De altero effectu peccati, qui est macula.

EXpendimus effectum peccati, qui est reatus pœnæ; superest ut, tractandus secundus effectus quæ macula dicitur, quam anima contrahit per peccatum, & perseverat in ea, & ob hanc perseverantiam, & permanentiam solet etiam dici peccatum habituale, quia transacto actu peccati adhuc denominat eum, qui peccavit, exosum Deo. Etenim per peccatum quodlibet aliqua semper contrahitur macula major, vel minor juxta gravitatem, vel levitatem peccati, & ab hac macula homo verè & propriè denominatur peccator, ut constat ex Scripturis Jeremiæ 2. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith: tamen maculata es coram me.* Josue 22. *Peccastis in Beelphegor, & usque in hodiernum diem macula hujus sceleris in vobis manet.* Ezechiel. 26. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, quod transacto actu peccati perseveret in eo, qui peccavit, præter reatum pœnæ etiam peccati macula, quæ dicitur reatus culpæ, adeo ut hæc macula distincta sit à reatu pœnæ, fuit definitum à Pio V. & Gregorio XIII. qui propositionem 54. Michaelis Baji inter alias damnarunt, estque: *In peccato duo sunt actus, & reatus: transeunte autem actu nihil remanet, nisi reatus seu obligatio ad pœnam*, adeo ut per reatum intellexerit solam obligationem ad pœnam subeundam: quod adversatur Scripturis, Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion*, & cap. 64. *Facti sumus ut immundus omnes nos*, unde hæc macula perseverans in peccatore transacto actu peccati vocatur in Scripturis immunditia, macula, inquinamentum, Ezech. 14. *Qui posuerit immunditias suas in corde suo*, & cap. 36. *Salvabo vos ex universis inquinamentis vestris.* Jerem. 11. *Maculata es iniquitate tua coram me.* Ad Tit. 1. *Inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.* Jacob. 1. *Abjicientes omnem immunditiam.* Hinc David Psal. 14. *Ingreditur sine macula.* Eccl. 31. *Beatus vir, qui inventus est sine macula.* Josue 22. *An parum est vobis, quòd peccastis in Beelphegor usque in hodiernum diem, macula hujus sceleris in vobis permanet?* Et ad Ephes. 5. scribit Apostolus: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*; sed ut sit sancta & immaculata; ex quo infert D. Hieronymus, quòd peccator, qui aliqua sorde maculatus est, de Ecclesia non est, & meritò dicit, non est de Ecclesia, quamvis sit de illius numero, quia, ut ait ipse: *Sicut omne Indicum fœmininum est, ut quod sordere videtur, abstergant; sic & animæ omnes peccatorum sorde purgatæ sunt.* Quapropter David Psal. 50. ajebat: *Lavabis me, & super nivem dealbabor.* Zachar. 13. *Erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* 1. Joan. 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato:* & tamen hujus maculæ peccatum est Deo exosum. Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Macula igitur peccati coinquinat, corrumpit, fœdatque nitorem animæ, eò quòd ei nitorem supernaturalem, quem habet ex charitate, extorguit, quapropter ait Ezechiel. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*, quæ verba exponens S. Augustinus Tract. 49. in Joann. ait: *Omnis, qui peccat, moritur, sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes, ne veniat. Inde est, quod laborant. Laborat, ne moriatur homo moriturus, & non laborat, ne peccet homo in æternum victurus. Et cùm laborat, ne moriatur, sine causa laborat, id enim agit, ut mortem mors differatur, non ut evadatur. Si autem peccare nolit, non laborabit, & vivet in æternum. O si possemus excitare homines, & cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis. Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? gladio impendente cervicibus prodiderunt homines, quidquid sibi, unde viverent, reservabant. Quis non continuò prodidit, ne trucidaretur. Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non, ut viveret, continuò perdere voluit, unde viveret, eligens vitam mendicantem, quàm celerem mortem? Cui dictum est, naviga, ne moriaris, & distulit? Cui dictum est, laboræ, ne moriaris, & piger fuit? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus, & obedire*

obedire negligimus. Non tibi Deus dicit, perde quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore ſollicitus, ſed da pauperi unde habes, ut vivas ſemper ſine labore ſecurus. Accuſant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cum volunt, nec quamdiu volunt, habent, & nos invicem non accuſamus tam pigri, tam tepidi ad capeſcendam vitam æternam, quam ſi voluerimus, habebimus; cum habuerimus, non amittemus: hanc autem mortem, quam timemus, etiam ſi noluerimus. Et D. Chryſolog. ſerm. 19. explicans verba Chriſti Joan. 14. *Dimitte, mortuos ſepelire mortuos ſuos,* ait: *Quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ CHRISTUS ſine anima corpus non vivit: non vivit anima ſine Chriſto. Recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt: diſcedente Deo confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & ſic in corporis ſepulchro vivo funus animæ jam ſepultæ.* Hinc nulli dubium, mortem animæ eſſe ſeparationem ejus à Deo, ejusque gratia ſanctificante, & habitu charitatis. Iſaiæ 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum: & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Deus enim, quantum eſt ex ſe, omnibus per gratiam ſuam eſt præſens, perinde ac ſol, planetarum princeps, omnia illuminat ſydera; ita Deus omnem illuminat hominem venientem in hunc mundum, adeo ut affulgeat omnibus hominibus, ſed quia peccatores magis diligunt tenebras quam lucem, ideo à Deo ſe dividunt, avertuntque, non enim Deus quemquam deſerit, niſi prius deſeratur, unde longe homo recedit à Deo per peccatum, & abit in regionem diſſimilitudinis in regionem umbræ mortis. Hinc Pſal. 117. *longe à peccatoribus ſalus, quoniam juſtificationes tuas non exquiſierunt.* Et Pſal. 93. *Non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet*: quia ut ait D. Anſelmus in Pſal. 72. *eſt proprium divinæ miſericordiæ ut nulli cauſa ſit mortis, & omnes putet eſſe redimendos, ſed vide, ne ille repellatur, qui ſe elongat à Domino, ſicut dicit David, quoniam ecce qui elongant ſe à te, peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. Quid eſt abs te fornicantur. Quia turpitudinis ſuæ ludibriis te derelinquunt, & à te recedunt, & à præceptis tuis devii ſunt.* Non ſolum animæ nitorem lethale peccatum extinguit, verum etiam omnes ejus divitias deprædatur, ſcilicet merita, & bona opera præterita mortificat, ac debet, adeo ut nullam eorum rationem habeat Deus, quamdiu anima in lethali peccato permanſerit, unde Jeremias Thren. 1. id explicat ſub typo cladis Jeruſalem inquiens: *Egreſſa eſt à filia Sion omnis decor ejus*, & adferens cauſam ſubdit: *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus*: quæ verba expendens S. Hieronymus ait: *Myſtice filia Sion reliquit decorem ſuum, quando anima per injuriam cogitationum virtutum perdidit ornamentum: nec ei ſubveniebant Principes ſui, hoc eſt rationabiles tractatus, cum quibus reſiſtere debuit inimicis perſequentibus, ſed deperdito robore fortitudinis coram hoſte proſequente propulſa eſt in fovea deceptionis, ſordes geſtat in pedibus, qui greſſum converſationis ſuæ malis polluit operibus, nec recordatur finis ſui, & temporis juſti judicii Dei, unde depoſita vehementer & hoſtium manibus tradita nullum conſolatorem habet, quia tempore opportuno cultu pietatis honorare noluit ſuum authorem. Solus in ea dominatur inimicus, quoniam Deus verus eam deſeruit amicus. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus propter peccata populi hoſtilis exercitus, devaſtat templum Domini, & omnem ornatum ejus dejicit, repulit enim Dominus tabernaculum ſuum, in quo habitavit inter homines, & tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulchritudines eorum ſprevit.*

Eſt igitur macula peccati, quæ totam debet animæ pulchritudinem, omnem extinguit ejus decorem, omnique ſpoliat ſupellectili virtutum, præſertim gratiæ, & charitatis, & hæc macula tranſacto actu peccati, certum eſt manere in homine, qui peccavit, & ratione cujus eſt, ac denominatur peccator, quia cum pravæ operationes præteritæ actu non ſint, non poſſunt per ſe ipſas actu, & formaliter maculare ſubjectum, ſed tantum cauſaliter, quatenus relinquunt aliquid, quod ſit quoddam ſui veſtigium, ut enim vulgo dicitur, *ſoboles parentis male fœcundi.* Ratio à priori eſt, quia tranſacto actu adhuc perſeverat moraliter peccatum, quod licet deſierit, quoad eſſe phyſicum adhuc tamen remanet, & perſeverat quoad eſſe morale, quamdiu peccatum commiſſum non retractum, nec condonatum perſeverat moraliter, ideoque datur peccatum habituale ſitum in tali macula, quæ eſt præcipuus & formalis effectus peccati actualis unde tota actualis odibilitas illius, qui peccavit, fundatur in actuali macula relicta à peccato præterito, ratio à priori aſſignatur, quia Deus non poteſt aliquem amare, ut amicum ex motivo ſolius bonæ operationis præteritæ: ſiquidem amor amicitiæ non terminatur ad perſonam quæ fuit: ſed quæ actu eſt bona, alioquin poſſet amare Angelos pravos, & Judam, tum ob actum amoris, quem aliquando elicuerunt, tum ob gratiam, quam ab initio receperunt, unde ſicut ſola bonitas præterita eſt inſufficiens ad terminandum actum amoris, niſi relinquat aliquid ſui in perſona amanda: perinde niſi ex peccato anteacto, & quod deſiit eſſe phyſicè aliquid relinquatur in peccatore, non erit ſufficiens, fundamentum ad odium, & denominationem maculati, unde eatenus movetur creatura ex ſolo motivo bonæ vel pravæ operationis præteritæ ad aliam amandam vel odio habendam, quatenus bona, vel mala operatio præcedens eſt eidem argumento actualis bonitatis, vel malitiæ, quæ niſi prævia notitia innoteſceret, neutiquam poſſet amorem, vel odium excitare, quapropter Ariſtoteles 1. Rhetoric. c. 9. ait: *Judicia virtutis ſunt opera, hinc laudamus eos, qui fecerunt, quoniam facta ſunt ſigna habitus; Tum etiam eum laudaremus, qui non fecit, ſi talem eſſe crederemus*: quibus clare ſignificat, homines actu laudari propter bonos habitus, quorum argumenta ſunt bonæ operationis præteritæ. Quamobrem nulli poteſt dubium eſſe, quin tranſacto phyſicè actu peccati perſeveret in eſſe moris macula quædam relicta ab actuali peccato, quæ dicitur peccatum habituale. Ut autem hujus perſeverantiæ formalis ratio conſtitutiva cognoſcatur, juvat obſervare duas ex actu parvo relinqui deordinationes, unam, per quam peccator inclinat ad iterum repetendum actum jam elicitum, ſeu ad repetendum alium actum ſimilem intra eandem ſpeciem: & alteram, ratione cujus avertitur à ſuo ultimo fine, qui eſt Deus poſſeſſus per viſionem intuitivam, & fit objectum odii DEI, perſe-

perſeverantia, ſeu habitualitas peccati anteacti, de qua in preſenti loquimur, non conſiſtit in permanentia primæ deordinationis, quia ſicut hæc deordinatio non eſt peccatum, ita neque ejus permanentia erit perſeverantia peccati. Præterea quia homo in ſtatu juſtitiæ retinet inclinationem ad peccandum, de qua conquerebatur Apoſtolus, cum dixit: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati.* Sed conſiſtit in permanentia ſecundæ deordinationis, ratione cujus peccator manet averſus à Deo, ut fine ultimo & privatus jure ad hæreditatem debitam filio adoptivo, & amico Dei. Ruſus certum eſt, per quodlibet peccatum lethale cauſari ſemper maculam aliquam negativam, ſitam in privatione gratiæ ſanctificantis: ratio eſt, quia quælibet privatio honoris debiti dici poteſt macula: ſed privatio gratiæ ſanctificantis eſt carentia honoris debiti homini ut elevato ad ſtatum ſupernaturalem: etenim ſi eſſet homo in ſtatu puræ naturæ, quamvis illa carentia gratiæ in genere phyſico eſſet omnino eadem, ac nunc eſt, nihilominus in genere moris non eſſet eadem, quia, cum in ſtatu puræ naturæ non elevetur homo ad finem ſupernaturalem, non eſſet gratia habitualis illi debita, conſequenter illius carentia non poſſet eſſe macula, perinde ac nunc eſt. Tota igitur difficultas in eo eſt ſita, in quo formaliter conſiſtat hæc macula, quam peccatum actuale relinqueret in anima, acutè enim evincit D. Auguſtinus *tom. 7. lib. 1. de nuptiis cap. 26.* ubi argumentatur, & probat hanc maculam ex ſacra ſcriptura: *Si à peccato deſiſtere hoc eſſet, non habere peccatum ſufficeret, ad hoc nos moneret ſcriptura ſacra. Fili, peccaſti, non adjicias iterum: non autem ſufficit, ſed addit, & de præteritis deprecare, ut tibi remittantur.* His præmiſſis

Aſſerendum eſt, maculam peccati non eſſe habitum vitioſum, quem præcedens peccatum actuale produxerat in anima, & qui à nonnullis dicitur morbida qualitas. Ratio eſt, quia actus tantum poſſunt producere habitus inclinantes ad actus ſimiles iis, à quibus fuerunt ipſi habitus producti: ſed habitus, & propenſio, ſeu inclinatio ad peccatum non eſt ipſum peccatum; quia in juſtificatis manet hæc propenſio, & inclinatio ad peccatum; ſicut manet concupiſcentia inclinans imo & excitans ad peccatum, quæ, cum maneat in juſtificatis, non eſt peccatum, alioquin non eſſent juſtificati, neque Filii Dei adoptivi, quia peccatum lethale non cohæret cum gratia ſanctificante, quam expellit à ſubjecto, cui peccatum ineſt: ergo hæc macula, quæ eſt affectus peccati, & tranſacto actu remanet in peccatore, non poteſt eſſe habitus vitioſus, qui dicitur morbida qualitas. Præterea, quia Deus impediret productionem talis habitus ab actu peccaminoſo, adhuc perſeveraret peccatum habituale, ſeu ipſa macula, quæ propterea nequit eſſe habitus vitioſus, ſeu morbida qualitas. Rurſus quia habitus non producitur, niſi ex frequentatione actuū, ut docet Philoſophus, adeo ut requirantur plures actus, & unus non ſufficiat; atqui ab unico tantum peccato lethali relinquitur in anima peccante hæc macula, quæ propterea nequit eſſe habitus vitioſus, nec morbida qualitas. Prætera peccatum omiſſionis cum ſit carentia actus, qui ex DEI præcepto erat eliciendus, non producit ullum poſitivum morbidam qualitatem; non enim, quod non eſt poſitivum, poteſt aliquid poſitivi producere: ſed peccatum omiſſivum, ſeu pura omiſſio lethaliter peccaminoſa relinquit hanc maculam, quæ eſt effectus peccati: ergo non poteſt importare quid poſitivum, neque hanc morbidam qualitatem. Tum quia, ſi Deus impediret productionem hujus morbidæ qualitatis, adhuc perſeveraret in peccatore hæc macula, donec peccatum retractaretur, & homo vere denominaretur peccator, & hac macula infectus, & coinquinatus. Dicens, homo eſt formaliter, & habitualiter ſanctus per gratiam ſanctificantem, quæ eſt quædam qualitas: ergo poteſt eſſe formaliter, & habitualiter maculatus per morbidam qualitatem relictam à peccato actuali. Contra eſt, negatur conſequentia, ſi ſermo ſit de habitualitate peccati; quia actio tam prava, quam honeſta non habet alium effectum poſitivum, quam habitum, & ſpecies compoſſibiles tam cum gratia, quam cum inimicitia, & injuſtitia, alioquin permaneremus ſancti per habitum relictum ab actu honeſto naturali, quod falſum eſt: ergo habitualitas peccati non eſt ulla morbida qualitas. Tum quia peccatum puræ omiſſionis, ſi daretur, relinqueret poſt ſe hanc maculam; ſed pura omiſſio non imprimit habitum poſitivum, nec producit ullam rationem poſitivam: omnis quippe effectus exigit præcontineri in ſua cauſa, & poſitivum non continetur in negativo.

Neque hæc peccati macula poteſt formaliter conſiſtere in reatu pœnæ, ſeu in obligatione pœnæ ſubeundæ, quia S. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt propoſitionem Michaelis Baji, quæ erat. *In peccato duo ſunt actus, & reatus, & tranſacto actu nihil remanet niſi reatus, ſeu obligatio pœnæ*, & inter alias propoſitiones fuit 56. Quia per pœnitentiam tollitur adæquatè culpa non ſublato reatu ad pœnam temporalem, ſiquidem poſt remiſſum per baptiſmum peccatum originale remanet debitum mortis temporalis, quæ eſt pœna illius: ſed ſi macula habitualis peccati conſiſteret in reatu pœnæ, utique remaneret pars aliqua culpæ remanente aliqua obligatione ad pœnam; conſequenter per baptiſmum non tolleretur totaliter peccatum originale, nec deleretur ejus macula; quod eſt falſum, & contra fidem, cum dicat Chriſtus, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: ſed cum macula peccati non cohæret ſalus: ergo per baptiſmum deletur totaliter peccatum originale & ejus macula, quamvis remaneat aliqua obligatio ad pœnam aliquam ſubeundam. Proinde hæc macula peccati non poteſt formaliter conſiſtere in obligatione ſubeundi pœnam. Præterea quia conſtitutivum formale non poteſt ſejungi à ſuo conſtituto: atqui delata culpa remanet ſubinde integer reatus pœnæ, ergo non poteſt reatus pœnæ eſſe formale conſtitutivum culpæ incompoſſibilis cum remiſſione ſui, major, & conſequentia non patiuntur difficultatem. Minor probatur, quia ſi juſtus mereatur pœnam diuturnam per unum vel alterum annum ob peccata venialia, & moriatur abſq; remiſſione talium venialium, tunc habetur poſt mortem remiſſio culpæ non verò remiſſio reatus pœnæ, etiam inadæquatè, præſertim cum in altera vita contritio non ſit ſatisfactoria, nec meritoria: ergo habitualitas peccati nequit conſiſtere in reatu culpæ. Præterea quia reatus pœnæ diſtinguitur ab ipſa culpa, perinde ac effectus à ſua cauſa, & à ſua radice, quia obligatio ad pœnam contrahitur propter culpam. Sed cauſa non poteſt conſtitui per ſuum effectum: ſiquidem ſupponitur conſtituta antecedenter ad effectum: ergo habitualitas peccati,

Digitized by Google

in qua radicatur obligatio ad pœnam, non poteſt formaliter conſtitui per reatum pœnæ, rurſus quia, tametſi Deus non deſtinaret ad pœnam luendam hominem peccantem, adhuc perſeveraret homo peccator, ut ſi quis injuriam regi inferret, tametſi rex non intenderet injuriam ſibi illatam ulciſci, adhuc perſeveraret injuria per modum habitus.

Neque hæc peccati macula conſiſtit in privatione gratiæ adæquatè, vel inadæquatè, quia omnis privatio gratiæ ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, & peccata habitualia ſunt ſpecie diſtincta, ut docent omnes Theologi, alioquin peccata non diſtinguerentur, ergo non poteſt macula peccati conſiſtere formaliter in privatione gratiæ: nec ſufficit, quod reſpondent aliqui, hanc privationem gratiæ procedere à principiis ſpecie diſtinctis: ſiquidem à quocunque principio procedat hæc privatio, ſolum diſtinguitur in ordine ad ipſam gratiam, qua privat, ſed gratia ſanctificans eſt ſemper ejuſdem ſpeciei, adeo ut unica tantum detur ſpecifica privatio illius, perinde ac privatio formæ ligni ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, eò quia forma ligni ſemper ſit eadem in ratione ligni, conſequenter ſi hæc macula conſiſteret in privatione formæ, ſeu gratiæ ſanctificantis, & peccatum lethale, ejuſque macula conſiſteret in hac privatione, inde ſequeretur, omnia peccata lethalia fore ejuſdem ſpeciei, quod non poteſt concedi. Præterea quia commiſſo ſecundo peccato mortali inducitur nova macula peccati, & tamen non datur nova privatio gratiæ, cum per primum lethale homo privetur tali gratia habituali. Præterea quia in omnibus peccatoribus adeſt adæqualis privatio gratiæ, quilibet enim eſt privatus omni gratia; ergo non eſſent plura peccata habitualia in uno quam in altero, tum quia homo in ſtatu puræ naturæ careret gratia ſanctificante, & tamen non maneret intrinſecè maculatus macula peccati ex ſuppoſitione: quod in illo ſtatu puræ naturæ non peccaret, ergo peccatum non conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis ſupernaturalis, nec ejus macula, quæ poſt tranſactũ actũ remanet, in eadem privatione poteſt conſiſtere. Demum quia, ſi Deus poſito ſtatu elevationis produxiſſet Adamum ſine gratia, non tamen ab illa carentia potuiſſe denominari intrinſecè peccator, & habens maculam peccati. Si dicas, hanc carentiam gratiæ ſanctificantis tunc eſſe maculam, quando homini ineſt debitum habendi talem gratiam. Contra eſt, quia debitum non eſt potens, immutare intrinſecè carentiam gratiæ, eamque de non macula intrinſeca conſtituere maculam intrinſecam. Contra ſecundo, quia carentia gratiæ cum debito illam habendi poteſt cohærere in homine abſque peccato actuali vel habituali, ut ſi Deus homini innocenti nollet ſuam gratiam habitualem impertiri, vel homini peccatori vellet infundere donum juſtitiæ naturalis incompoſſibile cum peccato. Demum quia à Deo non eſt peccatum habituale, à quo tamen poteſt eſſe privatio gratiæ, quæ propterea non eſt macula peccati. Si dicas, maculam peccati formaliter conſiſtere in eo, quod formaliter per gratiam excluditur: ſed ſi peccatum habituale non eſt privatio gratiæ, non tollitur formaliter per gratiam; peccatum enim actuale moraliter perſeverans tollitur potius per actum contritionis, quæ eſt actus retractationis, & converſio ad Deum, finem ultimum, ſiquidem peccatum actuale eſt averſio à Deo, ergo peccatũ habituale, ſeu macula peccati eſt privatio gratiæ. Minor liquet, quia privatio non tollitur niſi per formam poſitivam oppoſitam, perinde ac tenebræ non removentur niſi per lucem oppoſitam. Contra eſt, quia tametſi macula peccati lethalis, quæ etiam dicitur peccatum habituale, non ſit privatio gratiæ, ſed peccatum ipſum actuale, prout moraliter perſeverans, expellitur nihilominus formaliter per gratiam vel immediatè propter oppoſitionem cum peccato vel mediatè, quatenus huic entitati gratiæ ſemper eſt connexa condonatio Dei, quæ eſt inſeparabilis à gratia de potentia ordinaria: unde falſum eſt, ſolam privationem gratiæ tolli per ipſam gratiam ut formam. Inſtabis, illud ſolum eſt peccatum habituale, quod eſt mors animæ: atqui ſola privatio gratiæ eſt mors animæ, quia ſola gratia eſt vita animæ, conſequenter ejus privatio eſt mors, ergo ſola privatio gratiæ eſt peccatum habituale. Contra eſt diſtinguo majorem, peccatum habituale eſt mors animæ, formaliter negatur; demeritoriè tantum, effectivè conceditur, & conceſſa minore negatur conſequentia: ſiquidem peccatum habituale ſeu macula lethalis eſt tantum demeritoriè, & effectivè mors animæ, quatenus meretur privationem gratiæ; non verò formaliter eſt mors animæ, quia hæc mors eſt ſola privatio vitæ ſupernaturalis. Quod ſi urgeas, peccatum habituale eſſe averſivum à Deo ut fine ſupernaturali: ſed non eſt averſivum, niſi ſit privatio gratiæ, quia ſola gratia eſt converſio, conſequenter macula lethalis, ſeu peccatum habituale eſt privatio gratiæ. Sed contra, quia tametſi peccatum ſit averſivum à Deo, fine ſupernaturali, & privet hominem jure ad gratiam, & gloriam, non tamen ex hoc ſequitur, non poſſe eſſe averſivum à Deo ut fine ſupernaturali, tametſi formaliter, non conſiſtat in ipſa privatione gratiæ.

Imo nec peccatum habituale, ſeu macula lethalis conſiſtit in privatione gratiæ, non quidem ſimpliciter, ſed ut cauſata à peccato anteacto, eſt contra aliquos recentiores, quorum præcipuum fundamentum eſt, quia illud eſt conſtitutivum peccati habitualis, quo ſolo non poſito, & poſitis quibuſcunque aliis non eſt poſitum peccatum habituale: ſed ſola privatione gratiæ non poſita, & poſitis quibuſcunque aliis non eſt poſitum peccatum habituale, ſeu macula lethalis, ergo ſola privatio gratiæ, ut cauſata à præcedenti peccato, eſt formale conſtitutivum maculæ lethalis, ſeu peccati habitualis. Majorem dicunt eſſe certam, eò quia ſit regula cognoſcendi formalem rationem conſtitutivam rei, minorem probant, quia non poſita privatione gratiæ ponitur formaliter ipſa gratia: atqui poſita gratia & quibuſcunque aliis non poſitis non eſt poſitum peccatum habituale, quia gratia eſt forma adæquatè juſtificans hominem, quem denominat ſanctum, & conſtituit amicum Dei, & dignum ejus amore; ſed poſita forma adæquata in ſubjecto, & quibuſcunque aliis poſitis, vel non poſitis, eſt poſitus effectus formalis; quia repugnat forma in ſubjecto ſine ejus effectu formali. Firmant primò, quia id, quod primò, & per ſe excluditur per juſtificationem, eſt macula peccati ſeu ipſum peccatum habituale: ſed quod primò, & per ſe excluditur per juſtificationem, eſt privatio gratiæ, quia ejus infuſio eſt terminus ad quem juſtificationis: conſequenter peccatum habituale conſtituitur formaliter per privationem gratiæ ut cauſatam à peccato anteacto. Firmant ſecundò, quia per id debet homo peccator habitualiter & cum macula lethali conſtitui, cujus oppoſitũ conſtituit illum habitualiter ſanctũ, & juſtum, ſiquidem denominationes oppoſitæ non aliunde deſumi poſſunt,

quam à formis oppoſitis: ſed gratia ſanctificans immediatè conſtituit hominem ſanctum, & juſtum habitualiter, ergo privatio gratiæ, ut cauſata à peccato anteacto denominat, & conſtituit peccatorem habitualiter. Sed contra, poſſent enim facile docentes, peccatum habituale de potentia Dei abſoluta poſſe cohærere cum gratia ſanctificante, negare minorem, eo quia peccatum habituale, ſeu macula lethalis dicunt tantum contrariè opponi gratiæ ſanctificanti non contradictoriè, & negative, & quæ tantum contrariè opponuntur, poſſunt de potentia Dei abſoluta ſimul cohærere in eodem ſubjecto, quia exinde nulla ſequitur contradictio: ſed quidquid ſit de probabilitate hujus ſententiæ propugnantis, poſſe gratiam habitualem ſimul cohærere cum peccato, ſeu macula lethali, reſpondetur negando eandem minorem, quia poſitio gratiæ expellit peccatum, vel immediatè ob contrariam oppoſitionem cum ipſa, adeo ut peccatum habituale non ſit ipſa privatio gratiæ, vel mediatè, quatenus entitati gratiæ ſemper eſt annexa condonatio Dei, & juſtificatio peccatoris, quæ de potentia ordinaria eſt inſeparabilis à gratia ſanctificante: quamobrem ex eo, quod privatione gratiæ non poſita, non ſit poſitum peccatum habituale, non ſequitur, peccatum habituale conſtitui formaliter per ipſam privationem gratiæ. Ad primam confirmationem negatur major, quia, quod per ſe primò excluditur per juſtificationem, eſt ipſa carentia gratiæ, quæ immediatè, & contradictoriè opponitur ipſi gratiæ: peccatum verò tantum excluditur ratione oppoſitionis contrariæ, vel quia entitati gratiæ ſemper eſt annexa juxta potentiam ordinariam Dei condonatio, & juſtificatio impii, unde peccatum habituale tantum expellitur immediatè per gratiam, quatenus illud poſitivum, quod primò expellitur à gratia, eſt ipſum peccatum habituale ſitum in poſitivo, ſeu eſt ipſa macula lethalis. Cæterum quod forma per ſe immediatè excludit in ſubjecto, eſt carentia ſui in eodem: hæc autem carentia non eſt ipſa macula formaliter, ſed tantum conſecutive. Ad ſecundam confirmationem diſtinguitur major, per id homo conſtituitur peccator, majus oppoſitum contrarium conſtituit illum habitualiter ſanctum conceditur, cujus oppoſitum contradictorium inerat ſubjecto ſubdiſtinguo primario, & per ſe negatur, conſecutivè conceditur, & conceſſa minore negatur conſequentia, quia privatio gratiæ tantum ſe habet conſecutive ad ipſum peccatum habituale ſitum in poſitivo.

Alii probant eò quia carentia gratiæ ſit intenta à Deo, conſequenter non poteſt eſſe peccatum habituale, ſed hæc ratio non ſatisfacit, quia tametſi concedatur, quod carentia gratiæ intendatur à Deo, adhuc poteſt diſtingui conſequens: non eſt peccatum habituale adæquatè ſumptum, conceditur, inadæquatè negatur: ratio à priori eſt, quia tametſi privatio gratiæ non ſit mala in ſe, & dependeat à Deo, eam removere vel non, eſt tamen mala in cauſa, quatenus fuit cauſata à peccato anteacto; conſequenter poteſt Deus illam intendere abſque eo, quod intendat cauſam, à qua oritur: perinde ac intendit pœnam infligendam ob tranſgreſſionem legis, quamvis non intendat ipſam tranſgreſſionem, quæ eſt illius cauſa, quapropter poſſet reſponderi, peccatum habituale non odio haberi à Deo ſecundum omnes ſui partes, ſed tantum ſecundum peccatum anteactum, quod denominatur habituale; ſicut Deus non odit peccatorem propter peccatum præteritum præcisè, aliòquin odio haberet juſtos, qui, antequam juſtificarentur, perpetrarunt peccata lethalia, quorum poſtea ipſos pœnituit perpetraſſe, & per reſipiſcentiam reſtituti ſunt gratiæ ſanctificanti. Si dicas, perſeverantiam peccati eſſe tantum conditionem, qua Deus odio habet peccatorem, non verò eſſe terminum formalem odii, proinde non ſequi, eſſe conſtitutivum peccati habitualis, ſed tantum eſſe conditionem neceſſario requiſitam, contra eſt, negatur conſequentia, quia poteſt aliquid eſſe conditio ad unum effectum, & in ordine ad alium eſſe formale conſtitutivum, quo pacto prohibitio divina eſt conditio, ut odio habeatur actus prohibitus, & tamen conſtituit actum prohibitum in ratione prohibiti. Si dicas ſecundo, partes conſtituentes malum morale debere malas eſſe, conſequenter, ſi carentia gratiæ non eſt mala, non conſtituit malum ipſum peccatum habituale, ſeu maculam lethalem. Contra eſt, negatur antecedens, quia non omnis denominatio, quæ convenit toti, debet ſingulis partibus, ex quibus coaleſcit, convenire, ut per ſe liquet, quamvis paries denominetur albus, non tamen materia prima in pariete eſt alba, nec forma ſubſtantialis: ergo poteſt carentia gratiæ eſſe in ſe bona, & conſtituere peccatum habituale, non ſimpliciter ſed ut cauſata à peccato anteacto. Inſtabis, ibi tribuitur totum concretum, quod ponit ultimam illius partem: atqui Deus ponit ultimam partem peccati habitualis, ſeu carentiæ gratiæ, quæ eſt ultima pars conſtituens peccatum habituale: ergo hoc tribueretur Deo. Sed contra diſtinguitur major, ille tribuitur aliquod concretum, quod de ſe ponit ultimam illius partem independenter ab exigentia alterius conceditur: quod ponit ultimam illius partem ad exigentiam alterius, negatur, in caſu autem noſtro carentia gratiæ ponitur juxta exigentiam peccati, à quo cauſatur, quia ipſa carentia gratiæ non conſtituit ſimpliciter peccatum habituale, ſed cauſatur à peccato præterito.

Alii probant aſſertum, quia ſi peccatum habituale conſtitueretur formaliter per privationem gratiæ, inde ſequeretur, omnia peccata fore æqualia, ſiquidem haberent æqualem privationem gratiæ, ſiquidem quodlibet peccatum excludit totaliter gratiam ſanctificatem, loquimur enim de peccatis lethalibus: atqui peccata ſunt inæqualia, ergo ſi formalis ratio conſtitutiva peccati habitualis eſſet privatio gratiæ, non explicaretur inæqualitas peccatorum, quam tamen omnes Theologi concedunt, conſequenter non poteſt peccatum habituale conſtitui per privationem gratiæ, etiam ut cauſatam à peccato actuali anteacto. Sed contra, quia nec iſta ratio eſt ſufficiens, quia ut docet D. Thomas *in 2. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. ad 2.* tametſi commune ſit omnibus peccatis lethalibus excludere gratiam, non tamen inde ſequitur, eſſe unam, & eandem omnino maculam, ſed diverſas, ſecundum quod privationes gratiæ referuntur ad diverſas cauſas, hinc in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 2. ad. 1. ait: *Quamvis quantum ad ipſam privationem gratiæ non differant maculæ peccatorum, differunt tamen quantum ad cauſam, ex qua macula conſequitur; & ſecundum hoc etiam quodlibet peccatum novam maculam habet, in quantum novum obſtaculum ponit.* Hinc Cajetanus 1. 2. quæſt. 86. art. 1. ait: *Macula non ſignificat puram privationem in ordine ad cauſam, ſeu peccatum, à quo cauſatur, ex hoc enim ſolvuntur omnes difficultates; quia licet privatio ſimilitudinis refulgentiæ gratiæ charitati non ſuſcipiat magis, & minus, quia conſiſtit in facto eſſe, cauſa tamen ejus ſcilicet peccatum*

ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipit magis & minus, ac per hoc macula, quæ ſignificat privationem non abſolutè, ſed ut ex peccato, ſuſcipit magis & minus non in ſe, ſed in cauſa; & ex hoc provenit, quod iſte eſt magis maculatus eadem macula ſpecie altero & magis peccator, hactenus Cajetanus, explicans peccatorum habitualium inæqualitatem in ordine ad ſuas cauſas. Privatio enim gratiæ duplicem includit reſpectum, unum ad gratiam, qua privat, & alium ad actum peccaminoſum, à quo cauſatur. Privatio gratiæ ſub primo reſpectu præciſè non conſtituit maculam lethalem, ſeu peccatum habituale, ſed tantum ſub ſecundo; & quia hic reſpectus eſt ad plures anteactos actus peccaminoſos inæquales ac diſtinctos ſpecie, ideò peccata habitualia ſunt inæqualia, ac differunt ſpecie, quamvis privatio gratiæ ſecundum ſe præciſè conſiderata, ad nullam pertineat determinatam ſpeciem moris. ſi tamen conſideretur in ordine ad ſuam cauſam reductivè, pertinet ad ſpeciem, ad quam ſpectat peccatum actuale, à quo cauſatur: & quia peccata actualia differunt inter ſe ſpecificè, ac ſunt inæqualia, ita etiam peccata habitualia. Quod ſi dicas, privationem gratiæ non aliam habere unitatem, aut diſtinctionem, niſi juxta unitatem vel diſtinctionem formæ, qua privat. Reſpondetur, quòd, tametſi privatio gratiæ materialiter, & quaſi in ſpecie rei ſit unius tantùm ſpeciei, formaliter tamen, & in eſſe rationis conſtitutivæ peccati habitualis multiplicatur, & diſtinguitur ſpecie juxta ſpecificam actualium peccatorum diverſitatem. Sed urgebis, quia eadem ſemper eſt, & omninò æqualis mors corporalis, quamvis à diverſis morbis cauſetur; perinde, ac eſt etiam ſemper eadem umbra, ſeu privatio lucis, quamvis à diverſis corporibus opacis cauſetur, ſicut etiam eſt idem calor ſive à ſole, ſive ab igne proveniat: ergo macula peccati ſuam non deſumit inæqualitatem, ac diverſitatem ex eo, quòd proveniat à peccatis actualibus ſpecie diſtinctis, ac inæqualibus. Contra eſt, negatur paritas, quia ſol, & ignis ſunt puræ cauſæ, efficientes calorem; & dependentia caloris à ſua cauſa non ingreditur, ut conſtitutivum formale caloris in eſſe caloris. Mors autem eſt ſemper eadem, ſeu privatio vitæ, quia non conſtituitur in eſſe mortis per dependentiam ab hoc vel illo morbo. Quòd autem pertinet ad diverſas umbras, reſpondet D. Thomas, diverſa peccata actualia diverſas inducere maculas, idque explicat exemplo umbræ, quæ, tametſi ſit privatio luminis ex objecto alicujus corporis opaci, nihilominus quia ſecundùm diverſitatem corporum opacorum diverſificantur umbræ majores, vel minores juxta quantitatem corporum, ita etiam maculæ peccatorum diverſificantur ex diverſis peccatis actualibus, quapropter exemplum, deſumptum ab umbris, potiùs illuſtrat, & clarificat aſſertum. Cæterùm diſcrimen eſt, quia peccatum actuale, quamvis ſit cauſa efficiens privationis juſtitiæ, eſt tamen cauſa intrinſeca peccati habitualis, quod ſimul conſtituitur ex peccato actuali præterito, & ex carentia gratiæ ſanctificantis, ut dependente ab eodem peccato; quemadmodum intellectus ſit cauſa efficiens intellectionis; eſt nihilominus pars intrinſeca totius concreti intelligentis; concreta autem diverſificantur ex ſola unius partis diverſitate, unde ex eo, quòd privatio gratiæ dicat diverſas dependentias ad diverſa peccata actualia, à quibus cauſatur; ideo hæc diverſitas dependentiæ ſufficit ad conſtituendam diverſitatem peccatorum habitualium, ſeu macularum lethalium, ſicut idem numero compoſitum ſubſtantiale cum calore conſtituit diverſum concretum accidentale, & cum frigore aliud diverſum concretum.

Ratio igitur, cur hæc ſententia conſtituens peccatum habituale per privationem gratiæ ut dependentem, ſeu cauſalem anteacto, & præterito non placet, quia hæc dependentia privationis gratiæ, quæ eſt tota ratio, à qua habetur diverſitas peccatorum habitualium, eſt explicatu difficilis, vel enim ſubjectatur in peccato anteacto, & præterito; & hoc pacto peccatum habituale in recto nil aliud importat, quàm ipſum peccatum præteritum, quod tamen non conceditur. Vel ſubjectatur in ipſa privatione gratiæ, & ſit quæſtio, an hæc dependentia, fundata in privatione gratiæ, ſit aliquid poſitivum, vel negativum, neutrum videtur dicendum, non primum, quia poſitivum non fundatur in negativo; neque ſecundum, quia una privatio non poteſt fundari in alia privatione. Secundò, quia, tametſi peccatum habituale dicat privationem gratiæ, ut cauſatam à peccato anteacto, & præterito; non tamen hæc privatio, ut ſic cauſata, eſt primaria ratio, quæ concipitur in peccato habituali, quia hoc conſiſtit in poſitiva tendentia actus peccaminoſi in objectum diſſonum legi, & regulis rationis, ad quam tendentiam ſequitur privatio gratiæ, ut cauſata ab ipſo peccato. Tertiò, quia, ſi homo in ſtatu puræ naturæ peccaſſet, utique contraxiſſet maculam; ſed tunc non fuiſſet privatio gratiæ ſanctificantis, ſed tantùm negatio, ſiquidem homo in ſtatu puræ naturæ non fuiſſet elevatus ad ordinem gratiæ: ergo peccatum habituale generatim ſumptum, non poteſt conſiſtere in privatione gratiæ, etiam ut cauſata à peccato præterito. Quod autem aliqui reſpondeant, peccatum habituale in ſtatu puræ naturæ fore alterius eſſentiæ, & rationis, quàm modo eſt, conſequenter habiturum aliud conſtitutivum non enervat difficultatem, quia tametſi eſſet alterius rationis, ſemper ſtat peccatum actuale, quà ſimpliciter tale, & generatim ſumptum non conſtitui per privationem gratiæ, ut cauſatam à peccato anteacto. Neque urget, quod reſpondent alii, peccatum actuale in ſtatu puræ naturæ cauſaturum per ſe privationem gratiæ, eò quia peccatum lethale, quantum eſt ex ſe, ſemper habet cauſare privationem gratiæ, & quamvis eam ſubinde non cauſet, id tantùm per accidens ſe habet ratione ſubjecti incapacis, ſicut macula relicta ex ſecundo peccato lethali eſt privatio gratiæ, quia, quamvis per accidens ſecundum peccatum non deſtruat gratiam eò quia illam non invenit in ſubjecto, per ſe tamen, & ex natura ſua eſſe deſtructivum illius. Nam contra eſt, quia inde ſequeretur, nullam dari negationem, ut diſtinctam à privatione, quia eatenus peccatum in ſtatu puræ naturæ dicitur per ſe inducere privationem gratiæ, & tantùm per accidens illam non inducere, quia ſubjectum in tali ſtatu non foret capax gratiæ; atqui carentia formæ in ſubjecto non capaci, ſi eſſet privatio, nulla daretur negatio, ut diſtincta à privatione, quia, ut communiter cum Philoſopho docetur, per hoc privatio diſtinguitur à negatione, quia illa eſt carentia formæ in ſubjecto capaci, negatio verò eſt carentia formæ in ſubjecto non capaci.

Quintò aſſerendum itidem eſt, peccatum habituale non eſſe complexum ex peccato præterito, & negatione condonationis. Quia vel hæc negatio condonationis eſt conditio extrinſeca, vel ratio intrinſeca conſtitutiva peccati: ſed neutrum dici poteſt, ergo peccatum habituale non conſiſtit formaliter in complexo ex peccato actuali præterito, & negatione condonationis. Major eſt certa, quia quod convenit alicui, debet illi convenire vel intrinſecè, vel extrinſecè. Minor probatur, & primò quòd non ſit quid extrinſecum, quia ſi ſolùm peccatum præteritum eſſet eſſentia totalis peccati habitualis, ſeu maculæ lethalis, ſequeretur, quòd quoties verum eſſet dicere, peccatum eſſe præteritum, verum eſſet, perſeverare peccatum habituale, quia ubi eſt totum, quod eſt intrinſecum conſtitutivum peccati, neceſſariò eſt, etiam ipſum peccatum: ſed falſum eſt, peccatum præteritum qua tale ſimpliciter eſſe peccatum habituale, ſeu maculam lethalem, alioquin de juſto, qui ante ſuſceptam juſtitiam peccavit, verum eſſet aſſerere, quod actu eſſet in ſtatu peccati, quod eſt falſum, quia cùm ſit juſtus, ſupponitur in ſtatu gratiæ, & ſine peccato habituali, ſeu macula lethali; ergo hæc negatio condonationis non poteſt eſſe quid extrinſecum, & extra eſſentiam ipſius peccati habitualis. Quòd nec etiam poſſit eſſe quid intrinſecum, ex eo oſtenditur, quia illud totum, quod intrinſecè eſt peccatum habituale, ſeu lethalis macula, odio habetur à Deo, & illi diſplicet: negatio autem condonationis non odio habetur à Deo, ergo non eſt peccatum habituale. Major patet, quia Deus non poteſt odio habere peccatorem ratione peccati habitualis, niſi odio habeat totam maculam peccati habitualis; non enim dici poteſt, quòd Deus odio habeat hominem ratione ſolius peccati præteriti; alioquin ſequeretur, Deum odio habere hominem exiſtentem in ſtatu gratiæ, ſi ante ſuſceptam gratiam lethaliter peccaverit, quia ſemel quod peccavit, ſemper verum eſt, quod peccaverit, & quod peccatum ſit præteritum: repugnat autem, Deum odio habere hominem exiſtentem in gratia. Præterea, quia Deus odit moralem illam perſeverantiam peccati, quæ eſt negatio condonationis, conſequenter Deus odio haberet hanc negationem, quæ tamen ſine dubio eſt bona, & dependet à ſolo Deo, qui eſt cauſa illius, quatenus non vult condonare peccatum, ratione cujus homo voluntariè ſe conſtituit inimicum Dei, conſequenter Deus eſſet ſaltem cauſa inadæquata peccati habitualis.

Quamobrem, ut explicetur propria quidditas hujus maculæ, quæ etiam dicitur peccatum habituale, obſervandum eſt, ex peccato actuali lethali reſultare in Deo jus ad condignè odio habendum peccatorem, ſeu ad rationabilem, & juſtam ab ipſo averſionem, ac indignationem ratione injuriæ ſibi illatæ, cui juri cedit Deus, quando vult peccatum condonare, & per auxilia gratiæ convertere ad ſe peccatorem: & quamvis inter homines jus, quod habet perſona offenſa ratione injuriæ ſibi illatæ juſtè indignandi contra offenſorem, tolli poſſit per condignam ſatisfactionem ipſius offenſoris, qui tot poteſt obſequia præſtare perſonæ offenſæ, ut quamvis iram deponere nolit; non tamen cenſeatur apud prudentes rationabiliter indignari contra offenſorem: non ita purus homo poteſt per obſequia præſtita de condigno ſatisfacere pro gravi offenſa illata Deo, conſequens eſt, ut hoc jus tantùm à Deo tolli poſſit, quatenus per auxilia gratiæ vult ad ſe peccatorem convertere. Hinc aſſerendum eſt, peccatum habituale, vel maculam, quæ tranſacto actuali perſeverat in peccatore, quem conſtituit rationabiliter exoſum Deo, & averſum à fine ultimo, conſiſtit formaliter in termino poſitivo morali, ſeu in perſeverantia converſionis in ultimum finem creatum, ad quem ſe homo converterat per peccatum actuale, idque ex eo evincitur, quia peccatum habituale eſt macula quædam inhærens animæ, per quam ſit exoſa Deo: ſed ipſa perſeverantia converſionis in finem ultimum, ad quem ſe converterat peccator per peccatum actuale morale, eſt macula, per quam peccator conſtituitur rationabiliter exoſus Deo: ergo peccatum habituale conſtituitur formaliter & quidditativè per hanc moralem perſeverantiam in finem ultimum creatum. Major & conſequentia non patiuntur difficultatem. Minor oſtenditur, quia macula eſt quid oppoſitum pulchritudini; ſed pulchritudo conſiſtit in debita Simetria, & ordine, quem exigit unumquodque ex vi ſuæ idealis menſuræ: ergo macula oppoſita pulchritudini animæ debet conſiſtere in deordinatione à propria menſura, & à fine, ſeu in converſione ad finem non debitum, nec ultimum: ergo peccatum habituale, quatenus importat moralem perſeverantiam in finem ultimum creatum, eſt quædam poſitiva deordinatio ad maculam, ratione cujus peccator conſtituitur Deo exoſus; & averſus ab illo, ut fine ultimo, conſequenter formalis ratio quidditativa peccati habitualis eſt converſio moraliter perſeverans in finem ultimum creatum. Firmatur, quia primum diſtinctivum eſt etiam primum conſtitutivum: ſed peccatum habituale, ſeu macula lethalis per hoc, quòd ſit moralis perſeverantia converſionis in finem ultimum creatum, diſtinguitur primariò à peccato lethali actuali; quia per hoc, quod ſit converſio in finem ultimum creatum, convenit cum cæteris peccatis actualibus; & ex eo, quòd ſit moralis perſeverantia converſionis in talem finem ultimum creatum, diſtinguitur primariò ab ipſo peccato actuali: conſequenter quidditas peccati actualis eſt moralis poſitiva perſeverantia in finem ultimum creatum. Firmari etiam poteſt ſecundò, quia quidditas convenit omnibus, & ſolis peccatis habitualibus in quocunque ſtatu, ſive elevationis ad finem ſupernaturalem, ſive puræ naturæ, quia eo ipſo, quòd peccator conſtituit finem ſuum ultimum in creaturam per converſionem ad ipſam, avertitur à Deo vero fine ſimpliciter ultimo, & ad quem creatura rationalis eſt ordinata, conſequenter contrahit deformitatem & maculam ob non ſervatam ſimetriam, & ordinem ipſi debitum: & quia venuſtas, & pulchritudo conſiſtit in hac ſimetria debita, & ordine ad finem proprium juxta exigentiam naturæ rationalis, inde ſequitur, quòd per perſeverantiam converſionis in finem ultimum creatum devenuſtetur, & contrahat maculam, ratione cujus homo conſtituitur exoſus Deo. Eſt enim de ratione peccati mortalis avertere peccatorem à Deo, ac diſſolvere ordinem cum ipſo, adeò ut tranſacto actu peccati, peccator remaneat diſſolutus, ac deſtruatur in ipſo moralis pulchritudo animæ: & quia per converſionem ad finem ultimum creatum diſſolvitur ordo ad finem increatum, ſeu Deum, ideò per hanc converſionem ad finem ultimum creatum contrahit peccator maculam, qua ſit

Deo

Digitized by Google

Deo exoſus, ſiquidem cùm macula ſit quid oppoſitum pulchritudinis, quam coinquinat, & inficit; & pulchritudo conſiſtat in debita diſpoſitione, & ordine, quem exigit unumquodque ex vi ſuæ idealis menſuræ, utique eſt de ratione maculæ tollere aliquid de hac diſpoſitione: & quia converſio in finem ultimum creatum tollit ordinem ad finem ultimum increatum, quia ordo debetur creaturæ rationali, ſequitur, hanc perſeverantiam converſionis in finem ultimum creatum eſſe ipſam maculam peccati, quia ſi pulchritudo conſiſtit in illo ordine, ex quo conſurgit debita diſpoſitio cum fine ultimo, ſeu Deo, ad quem creatura rationalis ordinatur, ideò quòd tollit hunc ordinem, & aufert ſimetriam debitam, ponit hanc maculam peccati.

Probari etiam poteſt ratione D. Thomæ 1.2. quæſt. 80. art. 1. ad 3. ubi ait: *Actus peccati facit diſtantiam à Deo, ad quam ſequitur defectus nitoris, ſicut motus localis facit localem diſtantiam, quamobrem ſicut ceſſante motu locali non tollitur diſtantia localis, ita neque ceſſante actu peccati tollitur macula.* Scilicet peccatum eſt diſtantia à Deo fine ultimo; quæ habetur per converſionem poſitivam, & moraliter perſeverantem in finem ultimum creatum: poſſumus argumentari. Quod conſtituit peccatum habituale, ex D. Thoma eſt diſtantia à Deo vero fine ultimo, quam diſtantiam relinquit peccatum actuale: ſed hæc diſtantia ſeu converſio in finem ultimum creatum eſt, quæ deordinat creaturam rationalem, cui debetur ordo ad Deum, verum finem ſimpliciter ultimum, qui ordo deletur per converſionem ad creaturam, quia tunc ponitur ordo ad ipſam creaturam: & non ad Deum, ergo peccatum habituale, ſeu macula lethalis formaliter conſiſtit in morali perſeverantia poſitivæ converſionis ad finem ultimum creatum: ad quam converſionem, quæ haberi non poteſt ſine averſione à Deo, eò quia acceſſus ad terminum *ad quem* ſecum trahat receſſum à termino *à quo*, conſequitur ipſa privatio gratiæ, quæ propterea ſe habet conſecutivè, non conſtitutivè, reſpectu peccati, quod importat formaliter aliquod poſitivum, antevertens privationem gratiæ. Tum quia ex D. Thoma defectus nitoris ſequitur diſtantiam factam per peccatum actuale, proinde ſupponit peccatum habituale per præfatam diſtantiam, ſeu per perſeverantiam moralem poſitivè converſionis, in finem ultimum creatum conſtitutum in ſuo eſſe. Si dicas, hanc diſtantiam, ſeu converſionem in finem ultimum creatum non eſſe quidquam poſitivum, ſed tantum privativum, ſeu eſſe ipſam averſionem à Deo, quæ in peccatore remanet tranſacto actuali peccato. Contra eſt, quia D. Thomas aſſerit, peccatum actuale facere diſtantiam à Deo perinde ac motus localis facit diſtantiam localem: ſed motus localis non facit diſtantiam à loco, niſi ponendo indiſtantiam ab alio loco, ſed poſitivam approximationem ad aliũ locum; ergo neque actus peccati facit, & relinquit diſtantiam averſivam à Deo fine ſimpliciter ultimo, niſi relinquendo poſitivam approximationem, ſeu converſionem ad finem ultimum creatum: generatim receſſus à termino *à quo* eſt poſitivus acceſſus, ſeu poſitiva approximatio, & converſio ad terminum *ad quem*: adeò ut idem motus, qui eſt acceſſus ad terminum *ad quem* fundet receſſum, ſeu privationem approximationis à termino *à quo*.

Evincitur ulterius aſſertum, quia peccatum actuale commiſſionis non conſiſtit in privatione gratiæ; vel rectitudinis debitæ, ſed in poſitiva converſione, ſeu tendentia ad objectum, ut diſſonum regulis morum: ſed peccatum actuale importat actualiter, quod habitualiter peccatum habituale: conſequenter, ſi peccatum actuale conſtituitur per poſitivam converſionem, ſeu tendentiam actualem in finem ultimum creatum, debet peccatum habituale etiam conſtitui per moralem perſeverantiam converſionis poſitivæ in finem ultimum creatum. Si dicas, peccatum actuale comiſſionis, ideo conſiſtere in poſitivo: quia primum, quod in ipſo intelligitur, eſt poſitiva converſio, ſeu tendentia ad objectum diſſonum regulis morum: & primum, quod in peccato habituali manet tranſacto actu peccati, non eſſe poſitivam tendentiam in finem ultimum creatum, ſed privationem, vel conformitatis debitæ, vel gratiæ habitualis, conſequenter ex eo, quod peccatum actuale comiſſionis conſtituatur per prædicatum poſitivum, non ſequitur, peccatum habituale debere itidem conſtitui per prædicatum poſitivum. Contra eſt, quia in peccato actuali comiſſionis, ut oſtendimus, utrumque reperitur, ſcilicet poſitiva converſio, ſeu tendentia in objectum diſſonum regulis morum, & privatio rectitudinis debitæ, & nihilominus, ut demonſtravimus, peccatum actuale comiſſionis conſtituitur formaliter per poſitivam tendentiam in objectum diſſonum rationi, adeò ut privatio rectitudinis debitæ ſe habeat conſecutivè, & fundetur in tali poſitiva converſione in objectum, ut diſſonum regulis morum: ergo etiam in termino relicto ex tali poſitiva converſione in objectum, ut diſſonum regulis morum, debet includi poſitiva converſio in finem ultimum creatum, ut primum, quod in illo concipitur, conſequenter ut formale conſtitutivum peccati habitualis, adeò ut privatio rectitudinis debitæ, & averſio à Deo fine ultimo ſe habeant etiam conſecutivè ad eſſentiam peccati habitualis: & ratio eſt, quia cauſa comunicat effectui ea prædicata, quæ in ſe continet, & cum illo prorſus ordine, & modo, quo reperiuntur in cauſa. Quod ſi dicas, hoc tantùm verum eſſe, quando prædicata omnia: quæ includuntur in cauſa, poſſunt in effectum tranſire; & poſitivam tendentiam in objectum diſſonum regulis morum non poſſe tranſire ad peccatum habituale, quod per modum termini relinquitur ex actuali. Contra eſt, quia hoc gratis aſſeritur, nec ulla poteſt ſufficiens ratio aſſignari, cur privativum incluſum in peccato actuali comiſſionis poſſit comunicari peccato habituali, ſeu terminò relicto, & non poſitiva tendentia moralis. Quapropter ſi privativum tranſit ad terminum, etiam ad ipſum debet tranſire poſitiva converſio, ratio eſt, quia moralis poſitiva converſio non minus eſt capax exiſtentiæ moralis, quàm privatio rectitudinis debitæ in ipſo actu peccati; ergo etiam in peccato habituali, ſeu in termino æquè erit capax virtualis exiſtentiæ poſitiva converſio, quàm privatio rectitudinis debitæ. Tandem ſuadetur aſſertum, quia non eſt minoris efficaciæ actus peccaminoſus ad referendum peccatorem ad ultimum finem creatum, quàm actus charitatis ad referendum juſtum in finem increatum, ſed actus charitatis relinquit hominem moraliter converſum ad Deum finem ultimum: ergo etiam actus peccaminoſus relinquit hominem non ſolùm averſum à Deo, ſed etiam poſitivè converſum ad finem ultimum creatum. Major claret, quia amor circà finem ultimum eſt maximæ efficaciæ, conſequenter relinquit hominem velut defixum, ac permanenter inclinatum in ipſum moraliter: atqui omne peccatum eſt amor creaturæ ut finis ultimi, proinde actus peccaminoſus non eſt minus efficax ad referendũ peccatorẽ

ad

Digitized by Google

ad finem ultimum creatum, ac ſit actus charitatis ad referendum juſtum ad finem increatum. Minor itidem liquet, quia, poſtquam creatura rationalis per actum charitatis, ſe ſuaque omnia in Deum tranſtulit, omnes operationes, quas eligit, ſi ſint capaces, ordinantur ad Deum ſaltem moraliter, adeò ut hujuſmodi operationes meritoriæ ſint vitæ æternæ: ergo ex vi talis actus manet juſtus poſitivè converſus ad Deum, ut finem ſimpliciter ultimum: eo enim ipſo, quòd omnia ſua detulit in Deum; omnes ejus operationes etiam tranſtulit in ipſum Deum, ut finem ultimum; quapropter manet poſitivè converſus in Deum: ergo cùm actus peccaminoſus non ſit minùs efficax ad referendum peccatorem ad finem ultimum creatum, ſequitur, quòd tranſacto actu peccato adhuc maneat moraliter peccator poſitivè averſus à Deo, & converſus in creaturam, ut finem ultimum.

CAPUT XIII.

Donantur explicatu aliquot aſſertiones, pertinentes ad moralitatem.

VOluntas peccati, conjuncta cum executione, ſeu actu externo, unum eſt numero peccatum, quamvis voluntas, ſejuncta ab illo exteriori actu, ſit peccatum numero diſtinctum. Ratio eſt, quia non datur peccatum, niſi ſit voluntarium, & malitia ex actu interiori refundatur in actum externum, adeò ut ſit eadem malitia in actu voluntatis, ac in exercitio potentiæ exterioris; & quia eſt ipſa malitia, quæ peccatum conſtituit, ſequitur, actum interiorem, & exteriorem cenſeri unum numero peccatum, ſi hi duo actus ſimul conjungantur, & voluntas peccandi demandetur in executionem à potentia exteriori. Ut ſi quis velit furari, & de facto furetur, hoc furtum, ut complectitur utrumque actum internum, & externum, eſt unicum peccatum. Quòd ſi actus internus voluntatis ſejungatur ab opere externo, eſt peccatum, ut, ſi quis velit quidem mœchari, ſed ſtatim non mœchetur ex defectu occaſionis, & opportunitatis, quam ſi acquirat, & de facto mœchetur, habetur duplex numero peccatum, unum in voluntate, & alterum in opere externo, ipſe enim voluntas peccandi peccatum eſt, quamvis deficiente opportunitate non poſſit hæc voluntas expleri per actum externum, ut docet D. Thomas in 2. ſentent. diſt 42. quæſt. 1. art. 1. inquiens: *Quia voluntatis actus multiplicatur, quando enim actum explet exteriorem, actum voluntatis iterat: & ideo oportet, quod ſint duo peccata, non propter diverſitatem actus interioris, & exterioris, ſed propter diverſitatem duorum actuum interiorum.* Ratio eſt, quia de ratione peccati eſt, ut ſit voluntarium, adeò ut non poſſit dari peccatum ſine voluntate, in qua reperitur ratio malitiæ, quæ transfunditur in actum externum peccaminoſum, ideoque cùm actus externus data opportunitate expletur, debet iterari actus voluntatis; & ſicut plures ſunt actus voluntatis, ita & plura peccata numero. Cæterùm, quando actus voluntatis non eſt interruptus moraliter, cenſetur eſſe unus tantùm actus, qui moraliter perſeveret, conſequenter habetur tunc unicum tantùm peccatum, quapropter ſi quis priorem voluntatem fornicandi non retractaverit, donec fornicetur, cenſetur unum peccatum moraliter perſeverans; ſin verò voluntatem illam fornicandi retractaverit, vel diſtractus ab eadem averſus, & converſus ad alia cogitanda & agenda, iterum poſt aliquod tempus deliberaverit ad fornicandum, diſtinctum eſt numero peccatum, quia per illam converſionem ad alia cenſetur moraliter interruptus præcedens actus, ut etiam ſi inter unum, & alterum actum tantùm temporis interceſſerit, vel impedimentum contigerit, ut nullam invicem connexionem ex judicio viri prudentis cenſeantur haberi, duo itidem numero peccata habentur, ſive ceſſatio à priori actu voluntaria fuerit, ſive non. Hinc ſi quis moroſam delectationem in animo gerens ac mente fovens ſomno ſopitus indormiat per unam vel alteram horam, & à ſomno excitatus eandem delectationem foveat, duo habentur moroſæ delectationis peccata. Qui verò manè ſe deliberat ad occidendum inimicum, & in itinere ſæpius eandem voluntatem iterat, odium in inimicum, quem vult occidere, & ſæpe itidem de aliis rebus cogitat, non cenſetur prima voluntas moraliter interrupta, ſed eadem judicatur perſeverare in illa actione iterandi ad finem occidendi inimicum, actio enim exterior continuata indicat, eandem perſeverare in animo intentionem occidendi inimicum. Rurſus intendens furari, & concepta ea voluntate ſtatim iter conficit, ſcalam admovet, eam conſcendit, domum ingreditur, arcam aperit, & pecunias inde furatur, omnes hi actus unicum cenſentur peccatum furti, quamvis voluntas furandi in tota illa ſerie actionum ſæpius fuerit iterata, eò quia ſicut actiones illæ externæ unicum tantùm peccatum externum conſtituunt in morali æſtimatione, ita etiam plures illæ voluntates iteratæ furandi, unicam totalem integrant intentionem furandi; eodem pacto plures actus eliciti ex voluntate ejuſdem peccati, & ad illius conſummationem ordinati, & diſponentes proximè ad idem peccatum, cum quo connectuntur, unum tantùm peccatum numero conſtituunt, ad unum tantùm peccatum numero diſponunt. Alia tamen eſt ratio de verbis obſcœnis, oſculis, aliiſque tactibus impudicis, qui cenſentur eſſe diſpoſitiones ad fornicationem, tametſi quis non fornicetur, & tales actus impudicos exercuerit, ut etiam oſcula dederit, peccat, eò quia in materia luxuriæ non datur proprietas materiæ, & tales actus ſint diſtincti, ideò ſunt etiam diſtincta peccata.

Hinc voluntas efficax committendi peccatum aliquod, ad quod exequendum parata eſt, quamvis defectu opportunitatis illud non exequatur, non minus peccatum eſt, quàm ſi cum opere externo conjuncta eſſet, quia tota malitia actus exterioris in ipſum derivatur à voluntate plenè deliberata, quæ ſi efficax fuerit, nec per illam ſteterit,

terit, quin deduceretur ad opus externum, quo peccatum conſummatur exterius, non minus conſtituit hominem reum coram Deo, quam ſi fuiſſet voluntatem illam executus, quamvis per actum externum intenſive augeatur peccatum, quod propterea eſt gravius eo quia ſupponat iterationem ejusdem actus voluntatis: ſiquidem affectus, ut efficaciter velit peccatum opere externo conſummare, eandem includit malitiam, ac ſi opere externo illud conſummaret, quia tunc voluntas non deeſt operi externo, ſed opus externum deeſt voluntati, licèt opere externo non ſecuto non incurratur infamia, neque conſurgat obligatio ea reſtituendi, quæ erant in animo ſurripiendi invito Domino, quia infamia, & obligatio tantum ingunguntur à legibus Eccleſiaſticis, & civilibus, quæ non judicant de actibus pure internis, ſed tantum de exterioribus, qui cadunt ſub ſenſus, unde talis malitia eſt coram Deo, qui eſt ſcrutator cordium, & cognoſcit omnes voluntatis noſtræ actus, ut etiam modum, quo voluntas affecta erat circa furtum, vel fornicationem, ideoque ſola voluntas apud Deum ſufficit ad peccatum, quamvis opere externo non perficiatur, quapropter Chriſtus Matth. 5. ait: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hinc D. Auguſtinus lib. 1. de libero arbit. cap. 3. ait: *Ut intelligas libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt, quam ſi ipſo facto deprehenderetur.* Quod etiam confirmat D. Bernardus epiſt. 77. in Tractat. ad Hugonem de S. Victore cap. 1. ubi ait: *Quid planius, quod voluntas pro facto reputetur: ubi factum excludit neceſſitas.* Quod opportunitas peccandi adeſſet, & actus exterior non exerceretur, tunc malitia peccati non eſſet conſummata opere externo, quia ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 20. art. 4. Non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ opportunitate data operetur. Si verò poſſibilitas deſit voluntate exiſtente perfecta, ut operaretur, ſi poſſet, defectus perfectionis, quæ eſt ex actu exteriore, eſt ſimpliciter involuntarius. Involuntarium autem, ſicut non meretur pœnam vel præmium operando bonum, vel malum: ita non tollit quid de præmio vel de pœna, ſi homo involuntarie ſimpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum. Eſt tamen interdum gravior malitia voluntatis conjunctæ cum actu externo, vel quia diuturnior eſt, vel quia externi operis delectatione vehementior, & intenſior evadit voluntatis affectus ad peccatum, quia ait D. Thomas *quanto voluntas intenſius tendit in bonum vel malum, tanto eſt melior, vel pejor.* Quia ſicut, ut loquitur Auguſtinus lib. de cura gerenda pro mortuis cap. 5. *Genuflexione, manuum extenſione, proſtratione, pectoris tunſione, aliisque externis actionibus magis ſe ipſum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius, & neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.* Unde opus externum peccati interioris & voluntatis auget malitiam, ut etiam affectum ad peccatum. Interdum tamen opus externum malitiam actus interioris non auget, quando affectus voluntatis æqualis eſt ad peccatum, & hic vehemens, ac diuturnus ſine opere externo, & cum illo, eſt exterior actus peccati clavibus Eccleſiæ aperiendus, ſeu exprimendus in ſacramentali confeſſione ob quatuor cauſas, quarum prima eſt, quia ſacramentalis confeſſio debet eſſe omnino integra, qualis non eſſet, ſi pœnitens actum externum non aperiret in confeſſione, quia unum, & integrum peccatum conſtituit cum actu interiori. Secunda, quia occaſione externi operis & delectatione ipſi adjuncta voluntas ferme ſemper exardeſcit, intenſiusque fertur in peccatum, quia ut notavit Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacrament. part. 14. cap. 6. vix fieri poteſt, ut voluntas opere ſuo non augeatur, & creſcente cordis affectu intenſior ſit peccati malitia, quapropter ſi act⁹ externus non aperiretur in confeſſione, non exprimeretur tota peccati malitia, neq; integrum aperiretur peccatum. Tertia, quia actus externi expreſſo præcepto prohibentur, ut mali ex objecto vel circumſtantiis, unde Chriſtus Matth. 15. ait: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Quarta demum, quia ex operibus externis gravia plerumque ſequuntur incommoda, ingenerantur pravi habitus & proximo detrimenta inferuntur, & graviora damna adferuntur.

hinc eventus, qui ſequitur, præconceptus damnum proximi vel ipſius peccantis, ſi in pluribus & per ſe ſequatur, externi operis auget malitiam, ſi quis enim cogitet, quod ex opere ſuo plura poſſint damna aliis inferri, ſed nihilominus vult præconceptum opus exequi, inde conjicitur, quod ejus voluntas ſit magis inordinata, ut docet D. Thomas quæſt. 20. art. 5. Quod ſi eventus, qui conſequitur, non ſit præcogitatus, ſed tamen per ſe in pluribus ſequatur, ex tali actu malitiam ejus pariter auget, ait enim D. Thomas: *Manifeſtum eſt enim, meliorem actum eſſe ex ſuo genere, ex quo poſſunt plura bona ſequi; & pejorem, ex quo nata ſunt, plura mala ſequi; ſin verò per accidens, & in paucioribus eventus ſequens malitiam actus non auget, quia judicium de re non fertur, ſecundum id, quod eſt per accidens; ſed ſolum ſecundum illud, quod eſt per ſe,* ſicut nec peccatum excuſatur, ſi aliquod bonum contingat ex ipſo ſequi, ut notavit D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 22. *Nec mendacium ideo putandum eſt, non eſſe peccatum, quia poſſumus alicui prodeſſe mentiendo, poſſumus enim & furando aliquando prodeſſe alicui, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non ſentit incommodum. Neque ideo tale furtum quiſque dixerit non eſſe peccatum: poſſumus & adulterando prodeſſe, ſi aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura, & ſi dixerit pœnitendo purganda: neque ideo peccatum tale negabitur adulterium:* ratio eſt, quia tunc bonum, quod conſequitur ex peccato, non ſequitur per ſe, ſed tantum per accidens. Rurſus eventus ſe habens conſecutivè ex peccato præcogitatus, & prævīſus cenſetur interpretativè volitus, quando impediri debuit & noluit peccans eum impedire, unde ſi hujusmodi eventum præviderit peccator, & non impedierit, ſi per ſe in pluribus ſequatur ex actu externo peccati, qui illum elicit in ſua cauſa, cenſetur, eventum illum voluiſſe, ut qui prævidet, quod multo vino madidus, & in ebrietate ſit alium occiſurus, vel aliud detrimentum proximo allaturus, tenetur ab ebrietate abſtinere & à nimio vini hauſtu. Quod ſi non obſtante hoc damno præviſo velit ſe inebriare, tunc in ipſa ebrieate vult etiam

Digitized by Google

etiam interpretativè damnum, quod alteri infert. Cæterum, licet gravius nocumentum aggravet peccatum, non ſequitur, quod ex ſolo nocumento peccatum cenſeatur gravius, quinimo peccatum per ſe eſt gravius propter majorem inordinationem, quo pacto non ſequitur, quod ſi nocumentum maximè locum habeat in peccatis contra proximum, quod illa ſint graviora, ſiquidem eſt multo major inordinatio, quæ ineſt peccatis contra Deum, & quibusdam eorum, quæ ab homine contra ſe ipſum committuntur. Rurſus quamvis Deo nullus poſſit nocere quantum ad ejus ſubſtantiam, poteſt tamen nocumentum intentare in his, quæ Dei ſunt, ut in extirpanda fide evertendis ſacris, ſolo æquandis locis ſacris, & Eccleſiis. Obſervat tamen D. Thomas quæſt. 71. art. 8. gravius peccare homicidam, qui vitam corporis eripit alteri, quam fornicatorem ſuadentem mulierculæ peccatum, tametſi ſpirituale nocumentum cenſeatur gravius corporali, & mors animæ à fornicatore procurata gravior ſit morte corporis ab illo illata proximo: & ratio hujus exceptionis duplex eſt. Prima, quia homicida intendit directè nocumentum proximi: fornicator autem, quia ad turpia provocat puellam, non intendit nocumentum, ſed delectationem carnis. Secunda, quia homicida eſt cauſa per ſe & ſufficiens corporalis mortis: Spiritualis autem mortis nullus poteſt eſſe alteri cauſa per ſe ſufficiens: quia nullus ſpiritualiter moritur, niſi propria voluntate peccando, quapropter puella, quæ aſſentitur ſuaſionibus ad turpia ipſa per ſe & propria voluntate, eſt cauſa, cur ſpiritualiter moriatur. Qui vero occiditur, nullo modo aſſentitur iternecioni ſui ipſius.

Sola autem cogitatio moroſa; ſeu delectatio ac complacentia de re venerea vel alia, quæ ſit mortale peccatum, tametſi non adſit animus perficiendi opus externum peccati, lethale eſt peccatum, niſi delectatio coerceatur, & prava illa cogitatio excutiatur, per diſtrationem mentis ad alia, alioquin cum primum ratio animadvertit periculum, & hoc non obſtante vult ſibi complacere in tali cogitatione, tunc diutius immorando lethaliter peccat, ut docet D. Auguſtinus lib, 12. de Trinit. cap. 12. ubi ait: *Nec ſane in ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen, & volvens libenter, quæ ſtatim, ut attigerunt animum, reſpui debuerunt, negandum eſt eſſe peccatum; ſed longe minus, quam ſi & opere ſtatutum impleretur.* Hoc idem tradit D. Iſidorus lib. 2. de ſum. bono cap. 25. inquiens: *Bipartita eſt cauſa peccandi, id eſt operis & cogitationis, quorum unum iniquitas dicitur, quod opere geritur, aliud injuſtitia quod cogitatione admittitur. Prius autem actio reſecanda eſt, poſtea cogitatio; prius prava opera, poſtmodum deſideria, viciſſim autem, & à cogitatione opera procedunt, & ab opere cogitatio naſcitur. Quamvis enim ab opere malo quisque vacet, pro ſolius tamen pravæ cogitationis malitia non erit innocens: unde & Dominus per Iſaiam ait: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Non enim ſolum factis, ſed & cogitationibus delinquimus, ſi eis illicitè occurrentibus delectemur.* Hinc cogitatio, ſi ſit cum oblectatione de peccato committendo, vel commiſſo eſt peccatum, ſiquidem delectatio de aliqua operatione pertinet ad idem genus, ac ipſa operatio, ſi enim opus, de quo quiſpiam delectatur, & cujus cogitatione vel recordatione, vel narratione animum cum voluptate paſcit, à lethali peccato non excuſatur, ſic ipſa delectatio eſt etiam mortale peccatum, ſive opus illicitum ab ipſo, ſive ab alio commiſſum fuerit, aut erit committendum. Aliud tamen eſt delectari de modo, quo quis ſuum opus perfecit, & aliud delectari, de ipſomet opere, quamvis delectatio de opere illicito ſit grave peccatum, ſi adſit conſenſus, non tamen delectari de modo, quo opus abſolutum fuit, ut de induſtria furis, vel de modo homicidæ, aut de ingenio, ætatibus, quibus quiſpiam alium decipit, ut ad ſuum intentum perveniat, non ſemper eſt peccatum, quia modus eſt quid diſtinctum ab ipſo opere illicito. Imo delectari circa cogitationem operis liciti, quod tamen cogitanti ſit illicitum, eſt itidem peccatum, ut ſi quiſpiam delectetur circa uſum matrimonii inter conjuges diſtinctos à cogitante non excuſatur à peccato, quia delectatio ſequitur operationem, à qua oritur, & quia opus, de quo cogitatur, eſt illicitum cogitanti, & lege prohibitum, ideo cogitatio de ipſo datur culpæ cogitanti, eo quia talis cogitatio commovet Spiritus concupiſcentiæ, & exponit cogitantem periculo committendi peccatum, hinc ſponſus & ſponſa opus conjugale futurum cogitantes cum delectatione, & conſenſu, ut etiam viduus & vidua volventes opus conjugale præteritum, cujus delectatione mentem de præſenti paſcant, non excuſantur à peccato lethali, maximè cum hujuſmodi voluptatis recordatione, licet cogitatione, & affectu tenus, nefarii in ſe libidinis motus excitentur, & cogitantes ſe periculo peccandi, ſeque polluendi exponant. Hoc idem dicendum eſt de marito, cujus uxor, & de uxore, cujus maritus eſt abſens, quia hujuſmodi delectationes non diſponunt ad opus conjugale ob diſtantiam, & abſentiam alterius conjugis, & ſe conjiciunt in periculum, ſe polluendi ob motus concupiſcentiæ, qui ex tali cogitatione excitantur. Conſenſus tamen requiritur in actum peccati, & procedit à ratione ſuperiori advertente turpitudinem cogitationis, in qua nihilominus velit aliquis perſiſtere, ut inde delectationem hauriat, pars enim ſuperior, ſeu mens debet dirigere actus humanos ſecundum legem divinam, ac impedire actum peccati, hinc cenſetur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æterna, ſive non, quia cum teneatur excutere turpem illam cogitationem, quam de facto non expellit, talis negligentia cenſetur conſenſus voluntatis interpretativus, hinc Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 12. ait. *Cum huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus, & corporalibus propter rationis officium ratiocinandi vivacitate verſatur, carnalis ille ſenſus vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi ſe, id eſt, tanquam bono quodam privato, & proprio non tanquam publico atque communi, quod eſt incommutabile bonum, tunc velut ſerpens alloquitur fœminam. Hinc autem illecebra conſentire de ligno prohibito manducare eſt. Sed iſte conſenſus, ſi ſola cogitationis delectatione contentus eſt, ſuperioris vero authoritate conſilii, ita membra retinentur, ut non exhibeantur arma iniquitatis peccato: ſic habendum exiſtimo, velut cibum vetitum mulier ſola comederit. Si autem in conſenſione male utendi rebus, quæ per ſenſum corporis ſentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut, ſi poteſtas ſit, etiam corpore compleatur: intelligenda eſt illa mulier dediſſe viro ſuo ſecum ſimul edendum illicitum cibum. Neque enim poteſt peccatum non ſolum cogitandum ſuaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi & illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt membra in actum*

Digitized by Google

actum movendi, vel ab opere cohibendi, male actionis cedat, & ſervat. Per rationem ſuperiorem intelligitur mens, quatenus legi æternæ adhæreſcit, & per rationem inferiorem intelligitur eadem mens, quatenus ad temporalia, ac inferiora, quibus adhæreſcit, & delectatur, deflectitur, ut explicat D. Auguſtinus cap. 18. lib. 12. de Trinit. Hinc optare furtum vel fornicationem, aut vindictam eſt peccatum lethale, & qui talia cogitat & cogitationi aſſentitur, reus eſt peccati, eò quia delectetur circa objecta, quæ lege divina prohibentur; imo optare, ut liceat ea committere, quæ lex ipſa naturæ hominum cordibus à Deo inſcripta prohibet, perinde eſt ac optare ordinis, & legis naturalis everſionem, quod deterius eſt, quam naturæ legem ſolum violare, perinde ac minus cenſetur peccare in principem, qui ejus legem transgreditur, quam qui cupit principatu ſuo illum ſpoliare ac legum ferendarum authoritate privare; qui autem optat, ut licita ſint, quæ per ſe mala ſunt, ut ſi quis vellet, fornicationem non eſſe illicitam, ſed licitam, non vult Deum ipſum legis naturæ conditorem eſſe, ſiquidem Deus non eſſet, ſi ſummè ſanctus non eſſet, nec eſſet ſummè ſanctus, ſi, quæ per ſe mala ſunt, approbare poſſet, vel quæ per ſe ſunt illicita, permittere ut licita. Cæterum ſola malitia intentionis ſufficit ad malitiam voluntatis, ideoque quantum mala eſt intentio, tantum & prava cenſetur voluntas, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 19. art. 8. ad 4. & in 2. ſentent. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. ubi ait: *Malitia voluntatis ſufficit, ad hoc, quod actus malus eſſe dicatur, quia quod malo fine agitur, malum eſt: non autem bonitas voluntatis intendentis ſufficit ad bonitatem actus, quia actus poteſt eſſe de ſe malus, qui nullo modo poteſt bene fieri.* Hoc idem docuit Chriſtus non dixit: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebroſum erit,* Quæ verba expendens D. Gregorius ait: *Cum perverſa intentione, quid vel rectum agitur, etiam ſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis obſcuratur:* unde in his, quæ mala ſunt: bona intentio peccatum non excuſat ex toto, tametſi interdum in eodem genere ſit levius. Hinc Auguſtinus lib. contra mendacium cap. 7. ait: *Intereſt quidem plurimum qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat: ſed ea, quæ conſtat, eſſe peccata nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla veluti bona intentione facienda ſunt. Ea quippe opera hominum, ſicut cauſas habuerint bonas ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata: ſicut victum præbere pauperibus bonum opus eſt, ſi ſit cauſa miſericordiæ cum recta fide: ſicut concubitus conjugalis, quando fit cauſa generandi ſi ea fide fiat, ut gignantur regenerandi. Hæc atque hujuſmodi ſecundum ſuas cauſas opera ſunt bona vel mala; quia eadem ipſa, ſi habeant malas cauſas, in peccata vertuntur, veluti ſi jactantiæ cauſa pauper paſcitur, aut laſcivia cauſa cum uxore concubitur, aut filii generantur non ut Deo, ſed ut Diabolo nutriantur.*

Quia Deus eſt finis ultimus rerum omnium, ad quem debent res omnes dirigi, ideo omne opus, quod virtuali ſaltem intentione ad DEum non refertur, malum eſt: quia ſicut bonum, ut docent Theologi, habetur ex integra cauſa, ita & malum ex quovis defectu, & quia hæc directio omnium actuum in DEum eſt debita iiſdem actibus exigentibus referri in Deum finem ultimum; ſi non referantur in Deum, deficiunt in aliqua perfectione ſibi debita, propterea habentur actus mali, eò quia malum habeatur ex quovis defectu. Tum quia defectu hujus directionis, & relationis in Deum violatur præceptum, quo omnia noſtra opera ad Deum ut finem ultimum tenemur referre. Hoc autem præceptum eſt charitatis, quo tenemur Deum diligere ex toto corpore, & ad hoc præceptum pertinet, ut omnia referantur in Deum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 10. *ad* 2. & hoc præceptum referendi omnes actus noſtros in Deum colligitur ex Apoſtolo, 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite,* & cap. ult. ſubdit, *omnia veſtra in charitate fiant.* Ad Coloſ. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.* Quibus verbis indicatur eſſe præceptum, ut omnia noſtra opera ex deliberatione facta referantur in Deum, quod etiam confirmat D. Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 5. inquiens: *Niſi pars maxima voluntatis in ſuperioribus atque interioribus habitet ea, quæ ipſa, quæ commodatur ſive foris corporibus, ſive intus imaginibus, eorum, niſi quidquid in eis capit ad meliorem, veramque vitam referat, atque in eo fine, cujus intuitu hæc agenda judicat, acquieſcat, quid aliud facimus, niſi quod nos Apoſtolus facere prohibet dicens: Nolite conformari huic ſæculo.* Quod ſi dicas, inde ſequi, non dari indifferentiam actus, qui non ſit bonus nec malus moraliter, aſſerimus, hanc indifferentiam in genere moris non dari quoad actum in individuo. Differt enim indifferentia quoad individuum ab indifferentia quoad ſpeciem, quia hæc eſt, quam actus humanus deſumit ex objecto præciſè ſumpto, à quo actus ſpecificatur: indifferentia autem quod individuum eſt, quæ competit actui non ſolum ratione objecti, verum etiam ratione cæterorum hominum, quæ ad exercendum actum in ſingulari hic, & nunc interveniunt, ut ſunt circumſtantiæ omnes & finis extrinſecus operantis, & non dari actum indifferentem in individuo docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 9. quia tametſi plures actiones ex objecto materiali, & formali ſint indifferentes, nihilominus ſunt ſemper bonæ vel malæ, ex oppoſito iiſdem fine extrinſeco, adeo ut, quamvis vellet deliberate tollere feſtucam, nullum alium finem intendendo, ſit actus ex ſuo objecto indifferens, eò quia ejus objectum materiale, & formale internum ſit ipſa ſublatio feſtucæ, quæ indifferens eſt, ac propterea non poſſit niſi indifferentiam refundere in volitionem tollendi feſtucam, inclinatur nihilominus actus ille ob prætermiſſam ejus ordinationem in finem debitum, ſeu ex defectu extrinſecæ circumſtantiæ, quæ erat apponenda actui illi, quo fit, quod tametſi actus ille ex vi ſui objecti præciſè, & ſecundum ſuam ſpeciem ſit indifferens; nihilominus ſi attendantur omnia, quæ ad illum exercendum in ſingulari hic, & nunc debuiſſent intervenire, eſt actus in individuo malus quia homo tenetur apponere finem honeſtum omnibus ſuis actibus liberis, hinc Matthæi 12. legimus, hominem redditurum rationem de omni verbo otioſo, quod vix æſtimabatur eſſe peccatum, eò quia verbum otioſum careat juſta neceſſitate, & pia utilitate, unde ſicut verbum hoc pacto prolatum eſt otioſum & malum, & de eò reddenda eſt ratio in ordine ad irrogationem ſupplicii, eò quia careat juſta neceſſitate, &

Digitized by Google

& pia utilitate, ita ex eo, quod homo teneatur apponere omnibus ſuis actibus honeſtum finem: ſi actio fuit deſtituta hac ordinatione ad finem honeſtum, erit actio mala, quia caret alio ordine ſibi debito ad finem honeſtum; ſin autem hunc ordinem habuerit, & ejus objectum malum non ſit, nec alia turpi circumſtantia affectum, actus eſt bonus, unde cum ad actum in individuo attendenda ſint præter ejus objectum materiale, & formale cætera omnia, quæ interveniunt ad illum exercendum hic & nunc, ſequitur, non poſſe dari actum humanum indifferentem in individuo, hinc Auguſtinus lib. de util. cred. cap. 12. ait: *Omne factum ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt, nec rectum factum ullum eſſe poteſt, quod non à recta ratione proficiſcitur.* Et lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. ait: *Voluntas mirum eſt, ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit: aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt, ſi magis diligimus, magis bona: ſi minùs, minus bona, aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt. Quis verò dubitet, dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem non modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem.* D. Hieronymus dialog. 1. contra Pelag. circa init. ait. *Omne quod dicitur, aut eſt, aut non eſt, & aut inter bona, aut inter mala debet numerari*, & epiſt. 89. diſſerens de ceremoniis moſaicis & contendens, eas vel bonas vel malas eſſe, nec poſſe ſtatui indifferentes, probat ex eo, quia inſtituta illa non ſunt indifferentia inter bonum, & malum, ſicut Philoſophi diſputant, bonum eſt continentia, malum eſt luxuria: inter utrumque indifferens ambulare, egerere alvei ſtercora, capitis, naribus purgamenta ejicere, ſputis flegmata jacere, hoc nec bonum nec malum eſt, ſi enim feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam, unde D. Hieronymus, tametſi concedat actus indifferentes quoad ſpeciem præcisè, quam deſumunt ex objectis; negat tamen poſſe dari actus indifferentes quoad individuum.

Oſtenditur ſecundò eadem aſſertio, quia actus in individuo importat omnia, quæ ipſi conveniunt non ſolum ab intrinſeco, ſed etiam ratione circumſtantiarum, & finis extrinſeci operantis, conſequenter in individuo non poteſt dari actus indifferens. Conſequentia evincitur, quia creatura intellectualis eſt ita determinata ex natura ſua, ut non poſſit moraliter operari niſi propter finem: vel igitur operatur propter finem honeſtum, & tunc operatio eſt bona, vel propter finem non honeſtum, & tunc eſt mala, eò quia deſtituta ordine & directione ad proprium finem ultimum, eſt enim hujuſmodi directio rectitudo debita actui, hinc docet D. Thomas loc. cit. cum ſit rationis ordinare actum ad debitum finem, ſi actus à ratione deliberativa procedens non ſit ordinatus ad debitum finem, hoc ipſo repugnat rationi habetque rationem mali: ſin autem ordinetur ad debitum finem, jam convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Firmari ex eo poteſt, quia negare non poſſumus, quin ſit malum non opponere rectum finem operationi: ſi homo teneatur omnes ſuos actus in bonum finem referre, ac dirigere: ſed homo tenetur hac pacto operari, ſeu dirigere omnes ſuos actus in bonum finem, quia creatus propter finem bonum, ſeu propter Deum; & omnia agentia tenentur operari propter illum finem, ad quem fuerunt condita, & ordinata, ergo cum bonum ſit ex integra cauſa, & malum ex quolibet defectu, non datur actus humanus, qui ſit moraliter in individuo indifferens. Firmatur ſecundò, quia omnis operatio humana procedens à deliberatione ordinatur ad finem aliquem: ſed inter hoc, quod eſt actum ordinari, vel non ordinari, ad finem debitum non datur medium, ſiquidem hæc extrema ſunt contradictoria, & opponuntur negativè, ac immediatè: unde non poteſt dari medium inter hoc, quod eſt actum eſſe bonum, vel malum, quia vel actus ordinatur ad finem debitum, & ſic eſt conſonus rationi, & bonus; vel actus caret debito ordine ad finem, & eſt diſſonus rationi, & malus, conſequenter non datur actus, qui in individuo ſit moraliter indifferens.

Oſtenditur ulterius aſſertum, quia agentia naturalia determinantur ad exercitium ſuarum operationum ac propriis inclinationibus, ita agentia libera determinantur ad actus liberos ab obligatione, orta ex præcepto dirigendi tales actus in ſuum finem, quia ſicut agentia naturalia habent ſibi inditas inclinationes à natura, quibus determinantur ad operationes circa fines convenientes propriis naturis, ita etiam agentia libera habent ab authore naturæ præceptum tendendi per proprios actus liberos in finem conſentaneum naturæ rationali, qui eſt bonum morale: non enim minus pertinet ad authorem naturæ dare determinationem moralem agentibus rationalibus ad actiones liberas, quam pertineat ad eundem dare determinationem naturalem agentibus naturalibus ad actiones naturales: cum igitur creatura rationalis operans ex deliberatione teneatur dirigere ſuos actus liberos in finem bonum, & honeſtum, ſeu in ipſum Deum, qui eſt finis ultimus creaturæ rationalis, ideo vel hæc dirigit ſuos actus liberos in finem bonum honeſtum, vel non: ſi primum ex ſuppoſitione, quod non detur alia circumſtantia, à qua actus vitietur, cenſetur actus ille eſſe bonus, ſi autem deſtituatur debito ordine ad finem moraliter bonum, eſt actus malus, quia caret ordine ſibi debito, conſequenter non poteſt dari actus, qui ſit in individuo indifferens, & qui non ſit bonus nec malus, quia vel caret proprio ordine ad finem vel non, ſi primum eſt malus, ſi ſecundum, & non adſit alia circumſtantia, quæ actum illum vitiet, eſt bonus; carere autem, & non carere proprio ordine ad finem opponuntur contradictoriè immediatè, & negativè, proinde excludunt eſſentialiter omne medium. Præterea quia quoties homo agit ex deliberatione, agit ut rationalis, ſeu ut diſtinctus à brutis, cæteriſq; agentibus naturalibus; conſequenter quoties operatur ex deliberatione, debet habere propriũ finem diſtinctum à finibus cæterorum agentium naturalium, ac brutorum: ſed hic finis proprius ſolius hominis operantis cum deliberatione, eſt bonum rationis, quia ratio naturalis eſt, quoddam pondus naturale ad bonum conſonum rationi: ergo vel homo, cum operatur ex deliberatione, dirigit ſuum actum liberum ad hunc finem, & hoc pacto eſt moraliter bonus, quia juxta inclinationem naturæ rationalis ad bonum morale vel non dirigit ſuum actum ad hunc finem, & hic eſt malus, ac difformis inclinationi naturæ rationalis, conſequenter non datur actus humanus elicitus ex deliberatione, qui ſit quoad individuũ indifferens. Præterea quia homo in ordine ad ſuas operationes perinde ſe habet ac arbor frugifera ad ſuos fructus hoc tamen diſcrimine, quia fructus arboris colliguntur ab aliis, & homo percipit ſuos fructus: atqui eo ipſo, quod operatio humana ſe habet ad naturam rationalem, ſicut fructus & ejus germen, debet etiam finis operationis, prodeuntis ab humana natura, eſſe finis ipſius naturæ rationalis: ratio eſt, quia cum natura ſit actus primus, & ejus actio

Digitized by Google

actus secundus, qui est tendentia exercita actus [illegible] in suum finem, sequitur, necessario esse u[illegible] [illegible] prescribere naturæ rationalis [illegible], ex deliberatione [illegible] est solus Deus: ergo etiam [illegible] actus humani debet esse ipse De[us] [illegible] actus humani in [illegible], non haberet pro [fi]ne ipsum De[um] [illegible] Deum, esset revera actus [illegible], sin autem careret ordine ad De[um] [illegible] jam destitueretur aliqua per[fectione] [illegible], seu ordine, & directione ad finem [illegible] naturæ rationalis: quem ordinem deberet actus humanus habere, ergo cum malum sit ex quolibet defectu, & in tali actu deesset ordo ad finem ultimum naturæ rationalis, esset actus malus, consequenter non dari actus humani eliciti ex deliberatione, qui sint indifferentes in individuo. Confirmari etiam ex eo potest, quia cum actus elicitus sit ipsa tendentia naturæ rationalis, se habentis per modum actus secundi: vel actus humanus refertur ultimo ad Deum sive explicite, sive virtualiter ex sua natura, quatenus est conformis rationi, & tunc hujusmodi actus est bonus: vel nullo pacto in Deum tendit, & sic deflectit à proprio fine, & caret ordine sibi debito ad ipsum, consequenter est malus moraliter, quia eo ipso, quod non dirigitur in Deum saltem virtualiter, sistit omnino in bono creato, cujus propterea est fruitio, consequenter actus malus, quia, ut docet D. Augustinus [illegible] Civit. cap. 1. Perversum est [illegible] utendis [illegible] creatis, quæ tantum debent cadere [illegible], ergo actus humani eliciti ex deliberatione, si careant directione ad Deum finem ultimum, [illegible] in aliquo [illegible]. Quod [illegible] præceptum, [illegible] dirigere [illegible] in finem honestum. Contra est, quia adest præceptum universale de bono prosequendo, & malo fugiendo, adeo ut homo teneatur se dirigere in bonum ultimum, seu beatum finem, consequenter tenetur operari propter bonum honestum, quia Deus est bonum [v]el maxime honestum. Præterea quia homo ex sua natura est rationalis, proinde tenetur operari secundum rectam operationem, unde quoties ita [non] operatur carentia ordinis in tali actu ad rectam rationem, inficit actum, qui propterea est malus. Præterea tenemur ex præcepto omnia opera nostra [refe]rre ad Deum, quem tenemur [illegible] amare [ex tot]o corde, & ex tota anima, unde Apostolus 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*: unde ex vi præcepti divini de diligendo Deum ex toto corde tenemur omnia referre in Deum, adeo ut præceptum charitatis impleri non possit, nisi etiam omnia referantur in Deum. Hinc D. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 10. ad 2. & quæst. 102. art. 6. ad 7. ait: *Cœlestis [int]entio omnibus operibus nostris debet adjungi.*

Dices, hominem teneri tantum operari secundum rectam rationem negative, quatenus tenetur [non] facere aliquid, quod sit contrarium rectæ rationi, non verò teneri positive operari juxta rectam rationem. Contra est, quia quoties homo operatur positive, tenetur operari juxta suam naturam, quæ cum sit rationalis, tenetur operari juxta exigentiam naturæ rationalis, sed exigentia naturæ rationalis est, dirigere operationem ad finem honestum, [illegible] ejusdem naturæ rationalis, quævis enim natura operatur, ut tendat in proprium finem, adeo ut actus secundus, & operatio naturæ sit ipsa tendentia exercita ejusdem naturæ in proprium finem, & quia finis naturæ rationalis est solus Deus; quoties actus elicitus ex deliberatione non dirigitur in Deum, nec refertur ad ipsum, destituitur proprio ordine sibi debito, consequenter est malus: ergo non negativè sed positivè tenetur homo operari propter finem honestum, seu Deum. Si urgeas, præceptum hoc impositum naturæ rationali dirigendi suos actus elicitos ex deliberatione in finem honestum asseri absque ullo fundamento, consequenter non dari hanc obligationem dirigendi omnes actus nostros in Deum, proinde possunt dari actus indifferentes, etiam quoad individuum, cujusmodi sunt omnes illi, qui versantur circa objectum indifferens, & non ordinantur ad finem ultimum bonum, vel malum; quia in hisce actibus etiam elicitis ex deliberatione sola carentia boni finis non potest habere rationem mali, quia ex nullo præcepto tenetur voluntas apponere suis actibus hanc directionem ad talem finem bonum, consequenter hæc carentia est pura negatio, non privatio, ideoque non sufficit ad vitiandum actum, quia ut ait Apostolus ad Roman. 4. Ubi non est lex, nec prævaricatio legis esse potest. Quod autem non detur hoc præceptum ex eo suaderi potest, quia si daretur esse naturale, consequenter contineretur inter præcepta Decalogi: sed in Decalogo non legitur hoc præceptum, ergo non datur; præterea, quia non est assignabilis virtus, ad quam pertineat observantia hujus præcepti: ergo neque vitium, ad quod pertineat ejus transgressio. Demum, quia lege supernaturali non obligamur dirigere omnes actus liberos in finem supernaturalem, ergo neque legi naturali obligamur ad hanc directionem. Sed contra negatur antecedens, quia hoc præceptum revera datur, quia natura rationalis tenetur operari juxta propriam exigentiam in ordine ad finem, quod est commune omnibus agentibus naturalibus: sed hæc exigentia se promovendi ad proprium finem, ad quem fuit ordinata natura rationalis ab auctore naturæ, est ipsum præceptum eidem naturale, seu à natura ipsi inditum, quod propterea reducitur ad primum præceptum Decalogi, quia sicut ex vi hujus præcepti tenemur Deum diligere super omnia, ita tenemur Deum habere pro fine nostro ultimo, ex quo oritur in creatura rationali obligatio dirigendi se, & omnes suos actus saltem mediatè & virtualiter in Deum finem ultimum. Nulli enim est dubium, quin opera nostra omnia sint Deo debita, et sicut debemus nos ipsos totos, ita debemus omnes nostras potentias, & actus, idque ex pluribus titulis, primo titulo supremi dominii, quod habet Deus in omnes creaturas, quibus sicut dedit esse, & naturam, quam possident, omnesque ejusdem potentias, ita quidquid creaturæ inest, est sub plenissimo, ac dispotico Dei dominio, alioquin si actus nostri omnes non deberentur Deo, Deus non haberet plenissimum dominium supra omnes actus. dominium enim dicit relationem ad id, quod subjicitur dominio; & sicut actus creaturæ rationalis subjiciuntur eidem, à quo dependent, ideo ex se sunt subjicibiles, consequenter subjiciuntur & ipsi dominio Dei, alioquin hoc non esset plenissimum, quia non se extenderet ad omne subjicibile, ex quo liquet, titulo supremi, dispotici, ac plenissimi Dei dominii esse eidem debitos omnes nostros actus, qui propterea exigunt ad ipsum dirigi,

perſeverantia, ſeu habitualitas peccati anteacti, de qua in preſenti loquimur, non conſiſtit in permanentia primæ deordinationis, quia ſicut hæc deordinatio non eſt peccatum, ita neque ejus permanentia erit perſeverantia peccati. Præterea quia homo in ſtatu juſtitiæ retinet inclinationem ad peccandum, de qua conquerebatur Apoſtolus, cum dixit: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati.* Sed conſiſtit in permanentia ſecundæ deordinationis, ratione cujus peccator manet averſus à Deo, ut fine ultimo & privatus jure ad hæreditatem debitam filio adoptivo, & amico Dei. Rurſus certum eſt, per quodlibet peccatum lethale cauſari ſemper maculam aliquam negativam, ſitam in privatione gratiæ ſanctificantis: ratio eſt, quia quælibet privatio honoris debiti dici poteſt macula: ſed privatio gratiæ ſanctificantis eſt carentia honoris debiti homini ut elevato ad ſtatum ſupernaturalem: etenim ſi eſſet homo in ſtatu puræ naturæ, quamvis illa carentia gratiæ in genere phyſico eſſet omnino eadem, ac nunc eſt, nihilominus in genere moris non eſſet eadem, quia, cum in ſtatu puræ naturæ non elevetur homo ad finem ſupernaturalem, non eſſet gatia habitualis illi debita, conſequenter illius carentia non poſſet eſſe macula, perinde ac nunc eſt. Tota igitur difficultas in eo eſt ſita, in quo formaliter conſiſtat hæc macula, quam peccatum actuale relinqueret in anima, acutè enim evincit D. Auguſtinus *tom. 7. lib. 1. de nuptiis cap. 26.* ubi argumentatur, & probat hanc maculam ex ſacra ſcriptura: *Si à peccato deſiſtere hoc eſſet, non habere peccatum ſufficeret, ad hoc nos moneret ſcriptura ſacra. Fili, peccaſti, non adjicias iterum: non autem ſufficit, ſed addit, & de præteritis deprecare, ut tibi remittantur.* His præmiſſis

Aſſerendum eſt, maculam peccati non eſſe habitum vitioſum, quem præcedens peccatum actuale produxerat in anima, & qui à nonnullis dicitur morbida qualitas. Ratio eſt, quia actus tantum poſſunt producere habitus inclinantes ad actus ſimiles iis, à quibus fuerunt ipſi habitus producti: ſed habitus, & propenſio, ſeu inclinatio ad peccatum non eſt ipſum peccatum; quia in juſtificatis manet hæc propenſio, & inclinatio ad peccatum; ſicut manet concupiſcentia inclinans imo & excitans ad peccatum, quæ, cum maneat in juſtificatis, non eſt peccatum, alioquin non eſſent juſtificati, neque Filii Dei adoptivi, quia peccatum lethale non cohæret cum gratia ſanctificante, quam expellit à ſubjecto, cui peccatum ineſt: ergo hæc macula, quæ eſt affectus peccati, & tranſacto actu remanet in peccatore, non poteſt eſſe habitus vitioſus, qui dicitur morbida qualitas. Præterea, quia Deus impediret productionem talis habitus ab actu peccaminoſo, adhuc perſeveraret peccatum habituale, ſeu ipſa macula, quæ propterea nequit eſſe habitus vitioſus, ſeu morbida qualitas. Rurſus quia habitus non producitur, niſi ex frequentatione actuū, ut docet Philoſophus, adeo ut requirantur plures actus, & unus non ſufficiat; atqui ab unico tantum peccato lethali relinquitur in anima peccante hæc macula, quæ propterea nequit eſſe habitus vitioſus, nec morbida qualitas. Prætera peccatum omiſſionis cum ſit carentia actus, qui ex DEI præcepto erat eliciendus, non producit ullum poſitivum morbidam qualitatem; non enim, quod non eſt poſitivum, poteſt aliquid poſitivi producere: ſed peccatum omiſſivum, ſeu pura omiſſio lethaliter peccaminoſa relinquit hanc maculam, quæ eſt effectus peccati: ergo non poteſt importare quid poſitivum, neque hanc morbidam qualitatem. Tum quia, ſi Deus impediret productionem hujus morbidæ qualitatis, adhuc perſeveraret in peccatore hæc macula, donec peccatum retractaretur, & homo vere denominaretur peccator, & hac macula infectus, & coinquinatus. Dicens, homo eſt formaliter, & habitualiter ſanctus per gratiam ſanctificantem, quæ eſt quædam qualitas: ergo poteſt eſſe formaliter, & habitualiter maculatus per morbidam qualitatem relictam à peccato actuali. Contra eſt, negatur conſequentia, ſi ſermo ſit de habitualitate peccati; quia actio tam prava, quam honeſta non habet alium effectum poſitivum, quam habitum, & ſpecies compoſſibiles tam cum gratia, quam cum inimicitia, & injuſtitia, alioquin permaneremus ſancti per habitum relictum ab actu honeſto naturali, quod falſum eſt: ergo habitualitas peccati non eſt ulla morbida qualitas. Tum quia peccatum puræ omiſſionis, ſi daretur, relinqueret poſt ſe hanc maculam; ſed pura omiſſio non imprimit habitum poſitivum, nec producit ullam rationem poſitivam: omnis quippe effectus exigit præcontineri in ſua cauſa, & poſitivum non continetur in negativo.

Neque hæc peccati macula poteſt formaliter conſiſtere in reatu pœnæ, ſeu in obligatione pœnæ ſubeundæ, quia S. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt propoſitionem Michaelis Baji, quæ erat. *In peccato duo ſunt actus, & reatus, & tranſacto actu nihil remanet niſi reatus, ſeu obligatio pœnæ,* & inter alias propoſitiones fuit 56. Quia per pœnitentiam tollitur adæquatè culpa non ſublato reatu ad pœnam temporalem, ſiquidem poſt remiſſum per baptiſmum peccatum originale remanet debitum mortis temporalis, quæ eſt pœna illius: ſed ſi macula habitualis peccati conſiſteret in reatu pœnæ, utique remaneret pars aliqua culpæ remanente aliqua obligatione ad pœnam; conſequenter per baptiſmum non tolleretur totaliter peccatum originale, nec deleretur ejus macula; quod eſt falſum, & contra fidem, cum dicat Chriſtus, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* ſed cum macula peccati non cohæret ſalus: ergo per baptiſmum deletur totaliter peccatum originale & ejus macula, quamvis remaneat aliqua obligatio ad pœnam aliquam ſubeundam. Proinde hæc macula peccati non poteſt formaliter conſiſtere in obligatione ſubeundi pœnam. Præterea quia conſtitutivum formale non poteſt ſejungi à ſuo conſtituto; atqui delata culpa remanet ſubinde integer reatus pœnæ, ergo non poteſt reatus pœnæ eſſe formale conſtitutivum culpæ incompoſſibilis cum remiſſione ſui, major, & conſequentia non patiuntur difficultatem. Minor probatur, quia ſi juſtus mereatur pœnam diuturnam per unum vel alterum annum ob peccata venialia, & moriatur abſq; remiſſione talium venialium, tunc habetur poſt mortem remiſſio culpæ non verò remiſſio reatus pœnæ, etiam inadæquatè, præſertim cum in altera vita contritio non ſit ſatisfactoria, nec meritoria: ergo habitualitas peccati nequit conſiſtere in reatu culpæ. Præterea quia reatus pœnæ diſtinguitur ab ipſa culpa, perinde ac effectus à ſua cauſa, & à ſua radice, quia obligatio ad pœnam contrahitur propter culpam. Sed cauſa non poteſt conſtitui per ſuum effectum: ſiquidem ſupponitur conſtituta antecedenter ad effectum: ergo habitualitas peccati,

in

Digitized by Google

in qua radicatur obligatio ad pœnam, non poteſt formaliter conſtitui per reatum pœnæ, rurſus quia, tametſi Deus non deſtinaret ad pœnam luendam hominem peccantem, adhuc perſeveraret homo peccator, ut ſi quis injuriam regi inferret, tametſi rex non intenderet injuriam ſibi illatam ulciſci, adhuc perſeveraret injuria per modum habitus.

Neque hæc peccati macula conſiſtit in privatione gratiæ adæquatè, vel inadæquatè, quia omnis privatio gratiæ ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, & peccata habitualia ſunt ſpecie diſtincta, ut docent omnes Theologi, alioquin peccata non diſtinguerentur, ergo non poteſt macula peccati conſiſtere formaliter in privatione gratiæ: nec ſufficit, quod reſpondent aliqui, hanc privationem gratiæ procedere à principiis ſpecie diſtinctis: ſiquidem à quocunque principio procedat hæc privatio, ſolum diſtinguitur in ordine ad ipſam gratiam, qua privat, ſed gratia ſanctificans eſt ſemper ejuſdem ſpeciei, adeo ut unica tantum detur ſpecifica privatio illius, perinde ac privatio formæ ligni ſemper eſt ejuſdem ſpeciei, eò quia forma ligni ſemper ſit eadem in ratione ligni, conſequenter ſi hæc macula conſiſteret in privatione formæ, ſeu gratiæ ſanctificantis, & peccatum lethale, ejuſque macula conſiſteret in hac privatione, inde ſequeretur, omnia peccata lethalia fore ejuſdem ſpeciei, quod non poteſt concedi. Præterea quia commiſſo ſecundo peccato mortali inducitur nova macula peccati, & tamen non datur nova privatio gratiæ, cum per primum lethale homo privetur tali gratia habituali. Præterea quia in omnibus peccatoribus adeſt adæqualis privatio gratiæ, quilibet enim eſt privatus omni gratia; ergo non eſſent plura peccata habitualia in uno quam in altero, tum quia homo in ſtatu puræ naturæ careret gratia ſanctificante, & tamen non maneret intrinſecè maculatus macula peccati ex ſuppoſitione: quod in illo ſtatu puræ naturæ non peccaret, ergo peccatum non conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis ſupernaturalis, nec ejus macula, quæ poſt tranſactũ actũ remanet, in eadem privatione poteſt conſiſtere. Demum quia, ſi Deus poſito ſtatu elevationis produxiſſet Adamum ſine gratia, non tamen ab illa carentia potuiſſe denominari intrinſecè peccator, & habens maculam peccati. Si dicas, hanc carentiam gratiæ ſanctificantis tunc eſſe maculam, quando homini ineſt debitum habendi talem gratiam, Contra eſt, quia debitum non eſt potens, immutare intrinſecè carentiam gratiæ, eamque de non macula intrinſeca conſtituere maculam intrinſecam. Contra ſecundo, quia carentia gratiæ cum debito illam habendi poteſt cohærere in homine abſque peccato actuali vel habituali, ut ſi Deus homini innocenti nollet ſuam gratiam habitualem impertiri, vel homini peccatori vellet infundere donum juſtitiæ naturalis incompoſſibile cum peccato. Demum quia à Deo non eſt peccatum habituale, à quo tamen poteſt eſſe privatio gratiæ, quæ propterea non eſt macula peccati. Si dicas, maculam peccati formaliter conſiſtere in eo, quod formaliter per gratiam excluditur: ſed ſi peccatum habituale non eſt privatio gratiæ, non tollitur formaliter per gratiam; peccatum enim actuale moraliter perſeverans tollitur potius per actum contritionis, quæ eſt actus retractationis, & converſio ad Deum, finem ultimum, ſiquidem peccatum actuale eſt averſio à Deo, ergo peccatũ habituale, ſeu macula peccati eſt privatio gratiæ. Minor liquet, quia privatio non tollitur niſi per formam poſitivam oppoſitam, perinde ac tenebræ non removentur niſi per lucem oppoſitam. Contra eſt, quia tametſi macula peccati lethalis, quæ etiam dicitur peccatum habituale, non ſit privatio gratiæ, ſed peccatum ipſum actuale, prout moraliter perſeverans, expellitur nihilominus formaliter per gratiam vel immediatè propter oppoſitionem cum peccato vel mediatè, quatenus huic entitati gratiæ ſemper eſt connexa condonatio Dei, quæ eſt inſeparabilis à gratia de potentia ordinaria: unde falſum eſt, ſolam privationem gratiæ tolli per ipſam gratiam ut formam. Inſtabis, illud ſolum eſt peccatum habituale, quod eſt mors animæ: atqui ſola privatio gratiæ eſt mors animæ, quia ſola gratia eſt vita animæ, conſequenter ejus privatio eſt mors, ergo ſola privatio gratiæ eſt peccatum habituale. Contra eſt diſtinguo majorem, peccatum habituale eſt mors animæ, formaliter negatur, demeritoriè tantum, effectivè conceditur, & conceſſa minore negatur conſequentia: ſiquidem peccatum habituale ſeu macula lethalis eſt tantum demeritoriè, & effectivè mors animæ, quatenus meretur privationem gratiæ; non verò formaliter eſt mors animæ, quia hæc mors eſt ſola privatio vitæ ſupernaturalis. Quod ſi urgeas, peccatum habituale eſſe averſivum à Deo ut fine ſupernaturali: ſed non eſt averſivum, niſi ſit privatio gratiæ, quia ſola gratia eſt converſio, conſequenter macula lethalis, ſeu peccatum habituale eſt privatio gratiæ. Sed contra, quia tametſi peccatum ſit averſivum à Deo, fine ſupernaturali, & privet hominem jure ad gratiam, & gloriam, non tamen ex hoc ſequitur, non poſſe eſſe averſivum à Deo ut fine ſupernaturali, tametſi formaliter, non conſiſtat in ipſa privatione gratiæ.

Imo nec peccatum habituale, ſeu macula lethalis conſiſtit in privatione gratiæ, non quidem ſimpliciter, ſed ut cauſata à peccato anteacto, eſt contra aliquos recentiores, quorum præcipuum fundamentum eſt, quia illud eſt conſtitutivum peccati habitualis, quo ſolo non poſito, & poſitis quibuſcunque aliis non eſt poſitum peccatum habituale: ſed ſola privatione gratiæ non poſita, & poſitis quibuſcunque aliis non eſt poſitum peccatum habituale, ſeu macula lethalis, ergo ſola privatio gratiæ, ut cauſata à præcedenti peccato, eſt formale conſtitutivum maculæ lethalis, ſeu peccati habitualis. Majorem dicunt eſſe certam, eò quia ſit regula cognoſcendi formalem rationem conſtitutivam rei, minorem probant, quia non poſita privatione gratiæ ponitur formaliter ipſa gratia: atqui poſita gratia & quibuſcunque aliis non poſitis non eſt poſitum peccatum habituale, quia gratia eſt forma adæquatè juſtificans hominem, quem denominat ſanctum, & conſtituit amicum Dei, & dignum ejus amore; ſed poſita forma adæquata in ſubjecto, & quibuſcunque aliis poſitis, vel non poſitis, eſt poſitus effectus formalis; quia repugnat forma in ſubjecto ſine ejus effectu formali. Firmant primò, quia id, quod primò, & per ſe excluditur per juſtificationem, eſt macula peccati ſeu ipſum peccatum habituale: ſed quod primò, & per ſe excluditur per juſtificationem, eſt privatio gratiæ, quia ejus infuſio eſt terminus ad quem juſtificationis: conſequenter peccatum habituale conſtituitur formaliter per privationem gratiæ ut cauſatam à peccato anteacto. Firmant ſecundò, quia per id debet homo peccator habitualiter & cum macula lethali conſtitui, cujus oppoſitũ conſtituit illum habitualiter ſanctũ, & juſtum, ſiquidem denominationes oppoſitæ non aliunde deſumi poſſunt,

Digitized by Google

quam à formis oppoſitis: ſed gratia ſanctificans immediatè conſtituit hominem ſanctum, & juſtum habitualiter, ergo privatio gratiæ, ut cauſata à peccato anteacto denominat, & conſtituit peccatorem habitualiter. Sed contra, poſſent enim facile docentes, peccatum habituale de potentia Dei abſoluta poſſe cohærere cum gratia ſanctificante, negare minorem, eò quia peccatum habituale, ſeu macula lethalis dicunt tantum contrarie opponi gratiæ ſanctificanti non contradictorie, & negative, & quæ tantum contrarie opponuntur, poſſunt de potentia Dei abſoluta ſimul cohærere in eodem ſubjecto, quia exinde nulla ſequitur contradictio: ſed quidquid ſit de probabilitate hujus ſententiæ propugnantis, poſſe gratiam habitualem ſimul cohærere cum peccato, ſeu macula lethali, reſpondetur negando eandem minorem, quia poſitio gratiæ expellit peccatum, vel immediatè ob contrariam oppoſitionem cum ipſa, adeo ut peccatum habituale non ſit ipſa privatio gratiæ, vel mediatè, quatenus entitati gratiæ ſemper eſt annexa condonatio Dei, & juſtificatio peccatoris, quæ de potentia ordinaria eſt inſeparabilis à gratia ſanctificante: quamobrem ex eo, quod privatione gratiæ non poſita, non ſit poſitum peccatum habituale, non ſequitur, peccatum habituale conſtitui formaliter per ipſam privationem gratiæ. Ad primam confirmationem negatur major, quia, quod per ſe primò excluditur per juſtificationem, eſt ipſa carentia gratiæ, quæ immediatè, & contradictorie opponitur ipſi gratiæ: peccatum verò tantum excluditur ratione oppoſitionis contrariæ, vel quia entitati gratiæ ſemper eſt annexa juxta potentiam ordinariam Dei condonatio, & juſtificatio impii, unde peccatum habituale tantum expellitur immediatè per gratiam, quatenus illud poſitivum, quod primò expellitur à gratia, eſt ipſum peccatum habituale ſitum in poſitivo, ſeu eſt ipſa macula lethalis. Cæterum quod forma per ſe immediatè excludit in ſubjecto, eſt carentia ſui in eodem: hæc autem carentia non eſt ipſa macula formaliter, ſed tantum conſecutive. Ad ſecundam confirmationem diſtinguitur major, per id homo conſtituitur peccator, majus oppoſitum contrarium conſtituit illum habitualiter ſanctum conceditur, cujus oppoſitum contradictorium inerat ſubjecto ſubdiſtinguo primario, & per ſe negatur, conſecutivè conceditur, & conceſſa minore negatur conſequentia, quia privatio gratiæ tantum ſe habet conſecutive ad ipſum peccatum habituale ſitum in poſitivo.

Alii probant eò quia carentia gratiæ ſit intenta à Deo, conſequenter non poteſt eſſe peccatum habituale, ſed hæc ratio non ſatisfacit, quia tametſi concedatur, quod carentia gratiæ intendatur à Deo, adhuc poteſt diſtingui conſequens: non eſt peccatum habituale adæquatè ſumptum, conceditur, inadæquate negatur: ratio à priori eſt, quia tametſi privatio gratiæ non ſit mala in ſe, & dependeat à Deo, eam removere vel non, eſt tamen mala in cauſa, quatenus fuit cauſata à peccato anteacto; conſequenter poteſt Deus illam intendere abſque eo, quod intendat cauſam, à qua oritur: perinde ac intendit pœnam infligendam ob tranſgreſſionem legis, quamvis non intendat ipſam tranſgreſſionem, quæ eſt illius cauſa, quapropter poſſet reſponderi, peccatum habituale non odio haberi à Deo ſecundum omnes ſui partes, ſed tantum ſecundum peccatum anteactum, quod denominatur habituale; ſicut Deus non odit peccatorem propter peccatum præteritum præceſſe, alioquin odio haberet juſtos, qui, antequam juſtificarentur, perpetrarunt peccata lethalia, quorum poſtea ipſos pœnituit perpetraſſe, & per reſipiſcentiam reſtituti ſunt gratiæ ſanctificanti. Si dicas, perſeverantiam peccati eſſe tantum conditionem, qua Deus odio habet peccatorem, non verò eſſe terminum formalem odii, proinde non ſequi, eſſe conſtitutivum peccati habitualis, ſed tantum eſſe conditionem neceſſario requiſitam, contra eſt, negatur conſequentia, quia poteſt aliquid eſſe conditio ad unum effectum, & in ordine ad alium eſſe formale conſtitutivum, quo pacto prohibitio divina eſt conditio, ut odio habeatur actus prohibitus, & tamen conſtituit actum prohibitum in ratione prohibiti. Si dicas ſecundo, partes conſtituentes malum morale debere malas eſſe, conſequenter, ſi carentia gratiæ non eſt mala, non conſtituit malum ipſum peccatum habituale, ſeu maculam lethalem. Contra eſt, negatur antecedens, quia non omnis denominatio, quæ convenit toti, debet ſingulis partibus, ex quibus coaleſcit, convenire, ut per ſe liquet, quamvis paries denominetur albus, non tamen materia prima in pariete eſt alba, nec forma ſubſtantialis: ergo poteſt carentia gratiæ eſſe in ſe bona, & conſtituere peccatum habituale, non ſimpliciter ſed ut cauſata à peccato anteacto. Inſtabis, ibi tribuitur totum concretum, quod ponit ultimam illius partem: atqui Deus ponit ultimam partem peccati habitualis, ſeu carentiæ gratiæ, quæ eſt ultima pars conſtituens peccatum habituale: ergo hoc tribueretur Deo. Sed contra diſtinguitur major, illi tribuitur aliquod concretum, quod de ſe ponit ultimam illius partem independenter ab exigentia alterius conceditur: quod ponit ultimam illius partem ad exigentiam alterius, negatur, in caſu autem noſtro carentia gratiæ ponitur juxta exigentiam peccati, à quo cauſatur, quia ipſa carentia gratiæ non conſtituit ſimpliciter peccatum habituale, ſed cauſatur à peccato præterito.

Alii probant aſſertum, quia ſi peccatum habituale conſtitueretur formaliter per privationem gratiæ, inde ſequeretur, omnia peccata fore æqualia, ſiquidem haberent æqualem privationem gratiæ, ſiquidem quodlibet peccatum excludit totaliter gratiam ſanctificatem, loquimur enim de peccatis lethalibus: atqui peccata ſunt inæqualia, ergo ſi formalis ratio conſtitutiva peccati habitualis eſſet privatio gratiæ, non explicaretur inæqualitas peccatorum, quam tamen omnes Theologi concedunt, conſequenter non poteſt peccatum habituale conſtitui per privationem gratiæ, etiam ut cauſatam à peccato actuali anteacto. Sed contra, quia nec iſta ratio eſt ſufficiens, quia ut docet D. Thomas *in 2. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1. ad 1*, tametſi commune ſit omnibus peccatis lethalibus excludere gratiam, non tamen inde ſequitur, eſſe unam, & eandem omnino maculam, ſed diverſas, ſecundum quod privationes gratiæ referuntur ad diverſas cauſas, hinc in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 2. ad. 1. ait: *Quamvis quantum ad ipſam privationem gratiæ non differant maculæ peccatorum, differunt tamen quantum ad cauſam, ex qua macula conſequitur; & ſecundum hoc etiam quodlibet peccatum novam maculam habet, in quantum novum obſtaculum ponit.* Hinc Cajetanus 1. 2. quæſt. 86. art. 1. ait: *Macula non ſignificat puram privationem in ordine ad cauſam, ſeu peccatum, à quo cauſatur, ex hoc enim ſolvuntur omnes difficultates; quia licet privatio ſimilitudinis refulgentis gratiæ charitati non ſuſcipiat magis, & minus, quia conſiſtit in fallo eſſe, cauſa tamen ejus ſcilicet peccatum*

ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipit magis & minus, ac per hoc macula, quæ ſignificat privationem non abſolutè, ſed ut ex peccato ſuſcipit magis & minus non in ſe, ſed in cauſa; & ex hoc provenit, quod iſte eſt magis maculatus eadem macula ſpecie altero & magis peccator, hactenus Cajetanus, explicans peccatorum habitualium inæqualitatem in ordine ad ſuas cauſas. Privatio enim gratiæ duplicem includit reſpectum, unum ad gratiam, quā privat, & alium ad actum peccaminoſum, à quo cauſatur. Privatio gratiæ ſub primo reſpectu præcisè non conſtituit maculam lethalem, ſeu peccatum habituale, ſed tantùm ſub ſecundo; & quia hic reſpectus eſt ad plures anteactos actus peccaminoſos inæquales ac diſtinctos ſpecie, ideo peccata habitualia ſunt inæqualia, ac differunt ſpecie, quamvis privatio gratiæ ſecundùm ſe præcisè conſiderata, ad nullam pertineat determinatam ſpeciem moris, ſi tamen conſideretur in ordine ad ſuam cauſam reductivè, pertinet ad ſpeciem, ad quam ſpectat peccatum actuale, à quo cauſatur: & quia peccata actualia differunt inter ſe ſpecificè, ac ſunt inæqualia, ita etiam peccata habitualia. Quod ſi dicas, privationem gratiæ non alium habere unitatem, aut diſtinctionem, niſi juxta unitatem vel diſtinctionem formæ, qua privat. Reſpondetur, quòd, tametſi privatio gratiæ materialiter, & quaſi in ſpecie rei ſit unius tantùm ſpeciei, formaliter tamen, & in eſſe rationis conſtitutivæ peccati habitualis multiplicatur, & diſtinguitur ſpecie juxta ſpecificam actualium peccatorum diverſitatem. Sed urgebis; quia eadem ſemper eſt, & omninò æqualis mors corporalis, quamvis à diverſis morbis cauſetur; perinde, ac eſt etiam ſemper eadem umbra, ſeu privatio lucis, quamvis à diverſis corporibus opacis cauſetur, ſicut etiam eſt idem calor ſive à ſole, ſive ab igne proveniat: ergo macula peccati ſuam non deſumit inæqualitatem, ut diverſitatem ex eo, quòd proveniat à peccatis actualibus ſpecie diſtinctis, ac inæqualibus. Contra eſt, negatur paritas, quia ſol, & ignis ſunt puræ cauſæ, efficientes calorem; & dependentia caloris à ſua cauſa non ingreditur, ut conſtitutivum formale caloris in eſſe caloris. Mors autem eſt ſemper eadem, ſeu privatio vitæ, quia non conſtituitur in eſſe mortis per dependentiam ab hoc vel illo morbo. Quòd autem pertinet ad diverſas umbras, reſpondet D. Thomas, diverſa peccata actualia diverſas inducere maculas, idque explicat exemplo umbræ, quæ, tametſi ſit privatio luminis ex objectu alicujus corporis opaci, nihilominus quia ſecundùm diverſitatem corporum opacorum diverſificantur umbræ majores, vel minores juxta quantitatem corporum, ita etiam maculæ peccatorum diverſificantur ex diverſis peccatis actualibus, quapropter exemplum, deſumptum ab umbris, potiùs illuſtrat, & clarificat aſſertum. Cæterùm diſcrimen eſt, quia peccatum actuale, quamvis ſit cauſa efficiens privationis juſtitiæ, eſt tamen cauſa intrinſeca peccati habitualis, quod ſimul conſtituitur ex peccato actuali præterito, & ex carentia gratiæ ſanctificantis, ut dependente ab eodem peccato; quemadmodum intellectus ſit cauſa efficiens intellectionis; eſt nihilominus pars intrinſeca totius concreti intelligentis; concreta autem diverſificantur ex ſola unius partis diverſitate, unde ex eo, quòd privatio gratiæ dicat diverſas dependentias ad diverſa peccata actualia, à quibus cauſatur; ideo hæc diverſitas dependentiæ ſufficit ad conſtituendam diverſitatem peccatorum habitualium, ſeu macularum lethalium, ſicut idem numero compoſitum ſubſtantiale cum calore conſtituit diverſum concretum accidentale, & cum frigore aliud diverſum concretum.

Ratio igitur, cur hæc ſententia conſtituens peccatum habituale per privationem gratiæ ut dependentem, ſeu cauſalem anteacto, & præterito non placet, quia hæc dependentia privationis gratiæ, quæ eſt tota ratio, à qua habetur diverſitas peccatorum habitualium, eſt explicatu difficilis, vel enim ſubjectatur in peccato anteacto, & præterito; & hoc pacto peccatum habituale in recto nil aliud importat, quàm ipſum peccatum præteritum, quod tamen non conceditur. Vel ſubjectatur in ipſa privatione gratiæ, & ſic quæro: an hæc dependentia, fundata in privatione gratiæ, ſit aliquid poſitivum, vel negativum, neutrum videtur dicendum, non primum, quia poſitivum non fundatur in negativo: neque ſecundum, quia una privatio non poteſt fundari in alia privatione. Secundò, quia, tametſi peccatum habituale dicat privationem gratiæ, ut cauſatam à peccato anteacto, & præterito; non tamen hæc privatio, ut ſic cauſata, eſt primaria ratio, quæ concipitur in peccato habituali, quia hoc conſiſtit in poſitiva tendentia actus peccaminoſi in objectum diſſonum legi, & regulis rationis, ad quam tendentiam ſequitur privatio gratiæ, ut cauſata ab ipſo peccato. Tertiò, quia, ſi homo in ſtatu puræ naturæ peccaſſet, utique contraxiſſet maculam; ſed tunc non fuiſſet privatio gratiæ ſanctificantis, ſed tantùm negatio, ſiquidem homo in ſtatu puræ naturæ non fuiſſet elevatus ad ordinem gratiæ; ergo peccatum habituale generatim ſumptum, non poteſt conſiſtere in privatione gratiæ, etiam ut cauſata à peccato præterito. Quòd autem aliqui reſpondeant, peccatum habituale in ſtatu puræ naturæ fore alterius eſſentiæ, & rationis, quàm modò eſt, conſequenter habiturum aliud conſtitutivum non enervat difficultatem, quia tametſi eſſet alterius rationis, ſemper ſtat peccatum actuale, quà ſimpliciter tale, & generatim ſumptum non conſtitui per privationem gratiæ, ut cauſatam à peccato anteacto. Neque urget, quod reſpondent alii, peccatum actuale in ſtatu puræ naturæ, cauſaturum per ſe privationem gratiæ, eò quia peccatum lethale, quantum eſt ex ſe, ſemper habet cauſare privationem gratiæ, & quamvis eam ſubinde non cauſet, id tantùm per accidens ſe habet ratione ſubjecti incapacis, ſicut macula relicta ex ſecundo peccato lethali eſt privatio gratiæ, quia, quamvis per accidens ſecundum peccatum non deſtruat gratiam eò quia illam non inveniat in ſubjecto, per ſe tamen, & ex natura ſua eſſe deſtructivum illius. Nam contra eſt, quia inde ſequeretur, nullam dari negationem, ut diſtinctam à privatione, quia eatenus peccatum in ſtatu puræ naturæ dicitur per ſe inducere privationem gratiæ, & tantùm per accidens illam non inducere, quia ſubjectum in tali ſtatu non foret capax gratiæ; atqui carentia formæ in ſubjecto non capaci, ſi eſſet privatio, nulla daretur negatio, ut diſtincta à privatione, quia, ut communiter cum Philoſopho docetur, per hoc privatio diſtinguitur à negatione, quia illa eſt carentia formæ in ſubjecto capaci; negatio verò eſt carentia formæ in ſubjecto non capaci.

Digitized by Google

Quinimò aſſerendum itidem eſt, peccatum habituale non eſſe complexum ex peccato præterito, & negatione condonationis. Quia vel hæc negatio condonationis eſt conditio extrinſeca, vel ratio intrinſeca conſtitutiva peccati: ſed neutrum dici poteſt, ergo peccatum habituale non conſiſtit formaliter in complexo ex peccato actuali præterito, & negatione condonationis. Major eſt certa, quia quod convenit alicui, debet illi convenire vel intrinſecè, vel extrinſecè. Minor probatur, & primò quod non ſit quid extrinſecum, quia ſi ſolum peccatum præteritum eſſet eſſentia totalis peccati habitualis, ſeu maculæ lethalis, ſequeretur, quòd quoties verum eſſet dicere, peccatum eſſe præteritum, verum eſſet, perſeverare peccatum habituale, quia ubi eſt totum, quod eſt intrinſecum conſtitutivum peccati, neceſſariò eſt, etiam ipſum peccatum: ſed falſum eſt, peccatum præteritum qua tale ſimpliciter eſſe peccatum habituale, ſeu maculam lethalem, alioquin de juſto, qui ante ſuſceptam juſtitiam peccavit, verum eſſet aſſerere, quod actu eſſet in ſtatu peccati, quod eſt falſum, quia cùm ſit juſtus, ſupponitur in ſtatu gratiæ, & ſine peccato habituali, ſeu macula lethali; ergo hæc negatio condonationis non poteſt eſſe quid extrinſecum, & extra eſſentiam ipſius peccati habitualis. Quòd nec etiam poſſit eſſe quid intrinſecum, ex eo oſtenditur, quia illud totum, quod intrinſecè eſt peccatum habituale, ſeu lethalis macula, odio habetur à Deo, & illi diſplicet: negatio autem condonationis non odio habetur à Deo, ergo non eſt peccatum habituale. Major patet, quia Deus non poteſt odio habere peccatorem ratione peccati habitualis, niſi odio habeat totam maculam peccati habitualis; non enim dici poteſt, quòd Deus odio habeat hominem ratione ſolius peccati præteriti; alioquin ſequeretur, Deum odiò habere hominem exiſtentem in ſtatu gratiæ, ſi ante ſuſceptam gratiam lethaliter peccaverit, quia ſemel quod peccavit, ſemper verum eſt, quod peccaverit, & quod peccatum ſit præteritum: repugnat autem, Deum odio habere hominem exiſtentem in gratia. Præterea, quia Deus odit moralem illam perſeverantiam peccati, quæ eſt negatio condonationis, conſequenter Deus odio haberet hanc negationem, quæ tamen ſine dubio eſt bona, & dependet à ſolo Deo, qui eſt cauſa illius, quatenus non vult condonare peccatum, ratione cujus homo voluntariè ſe conſtituit inimicum Dei, conſequenter Deus eſſet ſaltem cauſa inadæquata peccati habitualis.

Quamobrem, ut explicetur propria quidditas hujus maculæ, quæ etiam dicitur peccatum habituale, obſervandum eſt, ex peccato actuali lethali reſultare in Deo jus ad condignè odio habendum peccatorem, ſeu ad rationabilem, & juſtam ab ipſo averſionem, ac indignationem ratione injuriæ ſibi illatæ, cui juri cedit Deus, quando vult peccatum condonare, & per auxilia gratiæ convertere ad ſe peccatorem: & quamvis inter homines jus, quod habet perſona offenſa ratione injuriæ ſibi illatæ juſtè indignandi contra offenſorem, tolli poſſit per condignam ſatisfactionem ipſius offenſoris, qui tot poteſt obſequia præſtare perſonæ offenſæ, ut quamvis iram deponere nolit; non tamen cenſeatur apud prudentes rationabiliter indignari contra offenſorem: non ita purus homo poteſt per obſequia præſtita de condigno ſatisfacere pro gravi offenſa illata Deo, conſequens eſt, ut hoc jus tantùm à Deo tolli poſſit, quatenus per auxilia gratiæ vult ad ſe peccatorem convertere. Hinc aſſerendum eſt, peccatum habituale, vel maculam, quæ tranſacto actuali perſeverat in peccatore, quem conſtituit rationabiliter exoſum Deo, & averſum à fine ultimo, conſiſtit formaliter in termino poſitivo morali, ſeu in perſeverantia converſionis in ultimum finem creatum, ad quem ſe homo converterat per peccatum actuale, idque ex eo evincitur, quia peccatum habituale eſt macula quædam inhærens animæ, per quam fit exoſa Deo: ſed ipſa perſeverantia converſionis in finem ultimum, ad quem ſe converterat peccator per peccatum actuale morale, eſt macula, per quam peccator conſtituitur rationabiliter exoſus Deo: ergo peccatum habituale conſtituitur formaliter & quidditativè per hanc moralem perſeverantiam in finem ultimum creatum. Major & conſequentia non patiuntur difficultatem. Minor oſtenditur, quia macula eſt quid oppoſitum pulchritudini; ſed pulchritudo conſiſtit in debita Simetria, & ordine, quem exigit unumquodque ex vi ſuæ idealis menſuræ: ergo macula oppoſita pulchritudini animæ debet conſiſtere in deordinatione à propria menſura, & à fine, ſeu in converſione ad finem non debitum, nec ultimum: ergo peccatum habituale, quatenus importat moralem perſeverantiam in finem ultimum creatum, eſt quædam poſitiva deordinatio ad maculam, ratione cujus peccator conſtituitur Deo exoſus; & averſus ab illo, ut fine ultimo, conſequenter formalis ratio quidditativa peccati habitualis eſt converſio moraliter perſeverans in finem ultimum creatum. Firmatur, quia primum diſtinctivum eſt etiam primum conſtitutivum: ſed peccatum habituale, ſeu macula lethalis per hoc, quòd ſit moralis perſeverantia converſionis in finem ultimum creatum, diſtinguitur primariò à peccato lethali actuali; quia per hoc, quòd ſit converſio in finem ultimum creatum, convenit cum cæteris peccatis actualibus; & ex eo, quòd ſit moralis perſeverantia converſionis in talem finem ultimum creatum, diſtinguitur primariò ab ipſo peccato actuali: conſequenter quidditas peccati actualis eſt moralis poſitiva perſeverantia in finem ultimum creatum. Firmari etiam poteſt ſecundò, quia quidditas convenit omnibus, & ſolis peccatis habitualibus in quocunque ſtatu, ſive elevationis ad finem ſupernaturalem, ſive puræ naturæ, quia eo ipſo, quòd peccator conſtituit finem ſuum ultimum in creaturam per converſionem ad ipſam, avertitur à Deo vero fine ſimpliciter ultimo, & ad quem creatura rationalis eſt ordinata, conſequenter contrahit deformitatem & maculam ob non ſervatam ſimetriam, & ordinem ipſi debitum: & quia venuſtas, & pulchritudo conſiſtit in hac ſimetria debita, & ordine ad finem proprium juxta exigentiam naturæ rationalis, inde ſequitur, quòd per perſeverantiam converſionis in finem ultimum creatum devenuſtetur, & contrahat maculam, ratione cujus homo conſtituitur exoſus Deo. Eſt enim de ratione peccati mortalis avertere peccatorem à Deo, ac diſſolvere ordinem cum ipſo, adeò ut tranſacto actu peccati, peccator remaneat diſſolutus, ac deſtruatur in ipſo moralis pulchritudo animæ; & quia per converſionem ad finem ultimum creatum diſſolvitur ordo ad finem increatum, ſeu Deum, ideò per hanc converſionem ad finem ultimum creatum contrahit peccator maculam, qua fit

Digitized by Google

Deo exoſus, ſiquidem cùm macula ſit quid oppoſitum pulchritudinis, quam coinquinat, & inficit; & pulchritudo conſiſtat in debita diſpoſitione, & ordine, quem exigit unumquodque ex vi ſuæ idealis menſuræ, utique eſt de ratione maculæ tollere aliquid de hac diſpoſitione: & quia converſio in finem ultimum creatum tollit ordinem ad finem ultimum increatum, quia ordo debetur creaturæ rationali, ſequitur, hanc perſeverantiam converſionis in finem ultimum creatum eſſe ipſam maculam peccati, quia ſi pulchritudo conſiſtit in illo ordine, ex quo conſurgit debita diſpoſitio cum fine ultimo, ſeu Deo, ad quem creatura rationalis ordinatur, ideò quod tollit hunc ordinem, & aufert ſimetriam debitam, ponit hanc maculam peccati.

Probari etiam poteſt ratione D. Thomæ 1.2. quæſt. 80. art. 2. ad 3. ubi ait: *Actus peccati facit diſtantiam à Deo, ad quam ſequitur defectus nitoris, ſicut motus localis facit localem diſtantiam, quamobrem ſicut ceſſante motu locali non tollitur diſtantia localis, ita neque ceſſante actu peccati tollitur macula.* Scilicet peccatum eſt diſtantia à Deo fine ultimo; quæ habetur per converſionem poſitivam, & moraliter perſeverantem in finem ultimum creatum: poſſumus argumentari. Quod conſtituit peccatum habituale, ex D. Thoma eſt diſtantia à Deo vero fine ultimo, quam diſtantiam relinquit peccatum actuale: ſed hæc diſtantia ſeu converſio in finem ultimum creatum eſt, quæ deordinat creaturam rationalem, cui debetur ordo ad Deum, verum finem ſimpliciter ultimum, qui ordo deletur per converſionem ad creaturam, quia tunc ponitur ordo ad ipſam creaturam: & non ad Deum, ergo peccatum habituale, ſeu macula lethalis formaliter conſiſtit in morali perſeverantia poſitivæ converſionis ad finem ultimum creatum: ad quam converſionem, quæ haberi non poteſt ſine averſione à Deo, eò quia acceſſus ad terminum *ad quem* ſecum trahat receſſum à termino *à quo*, conſequitur ipſa privatio gratiæ, quæ propterea ſe habet conſecutivè, non conſtitutivè, reſpectu peccati, quod importat formaliter aliquod poſitivum, antevertens privationem gratiæ. Tum quia ex D. Thoma defectus nitoris ſequitur diſtantiam factam per peccatum actuale, proinde ſupponit peccatum habituale per præfatam diſtantiam, ſeu per perſeverantiam moralem poſitivè converſionis, in finem ultimum creatum conſtitutum in ſuo eſſe. Si dicas, hanc diſtantiam, ſeu converſionem in finem ultimum creatum non eſſe quidquam poſitivum, ſed tantùm privativum, ſeu eſſe ipſam averſionem à Deo, quæ in peccatore remanet tranſacto actuali peccato. Contra eſt, quia D. Thomas aſſerit, peccatum actuale facere diſtantiam à Deo perinde ac motus localis facit diſtantiam localem: ſed motus localis non facit diſtantiam à loco, niſi ponendo indiſtantiam ab alio loco, ſed poſitivam approximationem ad aliũ locum; ergo neque actus peccati facit, & relinquit diſtantiam averſivam à Deo fine ſimpliciter ultimo, niſi relinquendo poſitivam approximationem, ſeu converſionem ad finem ultimum creatum: generatim receſſus à termino *à quo* eſt poſitivus acceſſus, ſeu poſitiva approximatio, & converſio ad terminum *ad quem*: adeò ut idem motus, qui eſt acceſſus ad terminum *ad quem* fundet receſſum, ſeu privationem approximationis à termino *à quo*.

Evincitur ulterius aſſertum, quia peccatum actuale commiſſionis non conſiſtit in privatione gratiæ; vel rectitudinis debitæ, ſed in poſitiva converſione, ſeu tendentia ad objectum, ut diſſonum regulis morum: ſed peccatum actuale importat actualiter, quod habitualiter peccatum habituale: conſequenter, ſi peccatum actuale conſtituitur per poſitivam converſionem, ſeu tendentiam actualem in finem ultimum creatum, debet peccatum habituale etiam conſtitui per moralem perſeverantiam converſionis poſitivæ in finem ultimum creatum. Si dicas, peccatum actuale comiſſionis, ideo conſiſtere in poſitivo: quia primum, quod in ipſo intelligitur, eſt poſitiva converſio, ſeu tendentia ad objectum diſſonum regulis morum: & primum, quod in peccato habituali manet tranſacto actu peccati, non eſſe poſitivam tendentiam in finem ultimum creatum, ſed privationem, vel conformitatis debitæ, vel gratiæ habitualis, conſequenter ex eo, quod peccatum actuale comiſſionis conſtituatur per prædicatum poſitivum, non ſequitur, peccatum habituale debere itidem conſtitui per prædicatum poſitivum. Contra eſt, quia in peccato actuali comiſſionis, ut oſtendimus, utrumque reperitur, ſcilicet poſitiva converſio, ſeu tendentia in objectum diſſonum regulis morum, & privatio rectitudinis debitæ, & nihilominus, ut demonſtravimus, peccatum actuale comiſſionis conſtituitur formaliter per poſitivam tendentiam in objectum diſſonum rationi, adeò ut privatio rectitudinis debitæ ſe habeat conſecutivè, & fundetur in tali poſitiva converſione in objectum, ut diſſonum regulis morum: ergo etiam in termino relicto ex tali poſitiva converſione in objectum, ut diſſonum regulis morum, debet includi poſitiva converſio in finem ultimum creatum, ut primum, quod in illo concipitur, conſequenter ut formale conſtitutivum peccati habitualis, adeò ut privatio rectitudinis debitæ, & averſio à Deo fine ultimo ſe habeant etiam conſecutivè ad eſſentiam peccati habitualis: & ratio eſt, quia cauſa comunicat effectui ea prædicata, quæ in ſe continet, & cum illo prorſus ordine, & modo, quo reperiuntur in cauſa. Quod ſi dicas, hoc tantùm verum eſſe, quando prædicata omnia: quæ includuntur in cauſa, poſſunt in effectum tranſire; & poſitivam tendentiam in objectum diſſonum regulis morum non poſſe tranſire ad peccatum habituale, quod per modum termini relinquitur ex actuali. Contra eſt, quia hoc gratis aſſeritur, nec ulla poteſt ſufficiens ratio aſſignari, cur privativum incluſum in peccato actuali comiſſionis poſſit comunicari peccato habituali, ſeu termino relicto, & non poſitiva tendentia moralis. Quapropter ſi privativum tranſit ad terminum, etiam ad ipſum debet tranſire poſitiva converſio, ratio eſt, quia moralis poſitiva converſio non minus eſt capax exiſtentiæ moralis, quàm privatio rectitudinis debitæ in ipſo actu peccati; ergo etiam in peccato habituali, ſeu in termino æquè erit capax virtualis exiſtentiæ poſitiva converſio, quàm privatio rectitudinis debitæ. Tandem ſuadetur aſſertum, quia non eſt minoris efficaciæ actus peccaminoſus ad referendum peccatorem ad ultimum finem creatum, quàm actus charitatis ad referendum juſtum in finem increatum, ſed actus charitatis relinquit hominem moraliter converſum ad Deum finem ultimum: ergo etiam actus peccaminoſus relinquit hominem non ſolùm averſum à Deo, ſed etiam poſitivè converſum ad finem ultimum creatum. Major claret, quia amor circa finem ultimum eſt maximæ efficaciæ, conſequenter relinquit hominem velut defixum, ac permanenter inclinatum in ipſum moraliter: atqui omne peccatum eſt amor creaturæ ut finis ultimi, proinde actus peccaminoſus non eſt minus efficax ad referendũ peccatorẽ

ad

Digitized by Google

ad finem ultimum creatum, ac ſit actus charitatis ad referendum juſtum ad finem increatum. Minor itidem liquet, quia, poſtquam creatura rationalis per actum charitatis, ſe ſuaque omnia in Deum tranſtulit, omnes operationes, quas eligit, ſi ſint capaces, ordinantur ad Deum ſaltem moraliter, adeò ut hujusmodi operationes meritoriæ ſint vitæ æternæ: ergo ex vi talis actus manet juſtus poſitivè converſus ad Deum, ut finem ſimpliciter ultimum; eo enim ipſo, quòd omnia ſua detulit in Deum; omnes ejus operationes etiam tranſtulit in ipſum Deum, ut finem ultimum; quapropter manet poſitivè converſus in Deum: ergo cùm actus peccaminoſus non ſit minus efficax ad referendum peccatorem ad finem ultimum creatum, ſequitur, quod transacto actu peccato adhuc maneat moraliter peccator poſitivè averſus à Deo, & converſus in creaturam, ut finem ultimum.

CAPUT XIII.

Donantur explicatu aliquot aſſertiones, pertinentes ad moralitatem.

Voluntas peccati, conjuncta cum executione, ſeu actu externo, unum eſt numero peccatum, quamvis voluntas, ſejuncta ab illo exteriori actu, ſit peccatum numero diſtinctum. Ratio eſt, quia non datur peccatum, niſi ſit voluntarium, & malitia ex actu interiori refundatur in actum externum, adeò ut ſit eadem malitia in actu voluntatis, ac in exercitio potentiæ exterioris, & quia eſt ipſa malitia, quæ peccatum conſtituit, ſequitur, actum interiorem, & exteriorem cenſeri unum numero peccatum, ſi hi duo actus ſimul conjungantur, & voluntas peccandi demandetur in executionem à potentia exteriori. Ut ſi quis velit furari, & de facto furetur, hoc furtum, ut complectitur utrumque actum internum, & externum, eſt unicum peccatum. Quòd ſi actus internus voluntatis ſejungatur ab opere externo, eſt peccatum, ut, ſi quis velit quidem mœchari, ſed ſtatim non mœchetur ex defectu occaſionis, & opportunitatis, quam ſi acquirat, & de facto mœchetur, habetur duplex numero peccatum, unum in voluntate, & alterum in opere externo, ipſe enim voluntas peccandi peccatum eſt, quamvis deficiente opportunitate non poſſit hæc voluntas expleri per actum externum, ut docet D. Thomas in 2. ſentent. diſt 42. quæſt. 1. art. 1. inquiens: *Quia voluntatis actus multiplicatur, quando enim actum explet exteriorem, actum voluntatis iterat: & ideo oportet, quod ſint duo peccata, non propter diverſitatem actus interioris, & exterioris, ſed propter diverſitatem duorum actuum interiorum.* Ratio eſt, quia de ratione peccati eſt, ut ſit voluntarium, adeò ut non poſſit dari peccatum ſine voluntate, in qua reperitur ratio malitiæ, quæ transfunditur in actum externum peccaminoſum, ideoque cùm actus externus data opportunitate expletur, debet iterari actus voluntatis; & ſicut plures ſunt actus voluntatis, ita & plura peccata numero. Cæterùm, quando actus voluntatis non eſt interruptus moraliter, cenſetur eſſe unus tantùm actus, qui moraliter perſeveret, conſequenter habetur tunc unicum tantùm peccatum, quapropter ſi quis priorem voluntatem fornicandi non retractaverit, donec fornicetur, cenſetur unum peccatum moraliter perſeverans; ſin verò voluntatem illam fornicandi retractaverit, vel diſtractus ab eadem averſus, & converſus ad alia cogitanda & agenda, iterum poſt aliquod tempus deliberaverit ad fornicandum, diſtinctum eſt numero peccatum, quia per illam converſionem ad alia cenſetur moraliter interruptus præcedens actus, ut etiam ſi inter unum, & alterum actum tantùm temporis interceſſerit, vel impedimentum contigerit, ut nullam invicem connexionem ex judicio viri prudentis cenſeantur haberi, duo itidem numero peccata habentur, ſive ceſſatio à priori actu voluntaria fuerit, ſive non. Hinc ſi quis moroſam delectationem in animo gerens ac mente fovens ſomno ſopitus indormiat per unam vel alteram horam, & à ſomno excitatus eandem delectationem foveat, duo habentur moroſæ delectationis peccata. Qui verò manè ſe deliberat ad occidendum inimicum, & in itinere ſæpius eandem voluntatem iterat, odium in inimicum, quem vult occidere, & ſæpe itidem de aliis rebus cogitat, non cenſetur prima voluntas moraliter interrupta, ſed eadem judicatur perſeverare in illa actione iterandi ad finem occidendi inimicum, actio enim exterior continuata indicat, eandem perſeverare in animo intentionem occidendi inimicum. Rurſus intendens furari, & concepta ea voluntate ſtatim iter conficit, ſcalam admovet, eam conſcendit, domum ingreditur, arcam aperit, & pecunias inde furatur, omnes hi actus unicum cenſentur peccatum furti, quamvis voluntas furandi in tota illa ſerie actionum ſæpius fuerit iterata, eò quia ſicut actiones illæ externæ unicum tantùm peccatum externum conſtituunt in morali æſtimatione, ita etiam plures illæ voluntates iteratæ furandi, unicam totalem integrant intentionem furandi; eodem pacto plures actus eliciti ex voluntate ejusdem peccati, & ad illius conſummationem ordinati, & diſponentes proximè ad idem peccatum, cum quo connectuntur, unum tantùm peccatum numero conſtituunt, ad unum tantùm peccatum numero diſponunt. Alia tamen eſt ratio de verbis obſcœnis, oſculis, aliiſque tactibus impudicis, qui cenſentur eſſe diſpoſitiones ad fornicationem, tametſi quis non fornicetur, & tales actus impudicos exercuerit, ut etiam oſcula dederit, peccat, eò quia in materia luxuriæ non detur proprietas materiæ, & tales actus ſint diſtincti, ideò ſunt etiam diſtincta peccata.

Hinc voluntas efficax committendi peccatum aliquod, ad quod exequendum parata eſt, quamvis defectu opportunitatis illud non exequatur, non minus peccatum eſt, quàm ſi cum opere externo conjuncta eſſet, quia tota malitia actus exterioris in ipſum derivatur à voluntate plenè deliberata, quæ ſi efficax fuerit, nec per illam ſteterit,

terit,

terit, quin deduceretur ad opus externum, quo peccatum conſummatur exterius, non minus conſtituit hominem reum coram Deo, quam ſi fuiſſet voluntatem illam executus, quamvis per actum externum intenſive augeatur peccatum, quod propterea eſt gravius eo quia ſupponat iterationem ejusdem actus voluntatis: ſiquidem affectus, ut efficaciter velit peccatum opere externo conſummare, eandem includit malitiam, ac ſi opere externo illud conſummaret, quia tunc voluntas non deeſt operi externo, ſed opus externum deeſt voluntati, licet opere externo non ſecuto non incurratur infamia, neque conſurgat obligatio ea reſtituendi, quæ erant in animo ſurripiendi invito Domino, quia infamia, & obligatio tantum ingunguntur à legibus Eccleſiaſticis, & civilibus, quæ non judicant de actibus pure internis, ſed tantum de exterioribus, qui cadant ſub ſenſus, unde talis malitia eſt coram Deo, qui eſt ſcutator cordium, & cognoſcit omnes voluntatis noſtræ actus, ut etiam modum, quo voluntas affecta erat circa furtum, vel fornicationem, ideoque ſola voluntas apud Deum ſufficit ad peccatum, quamvis opere externo non perficiatur, quapropter Chriſtus Matth. 5. ait: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hinc D. Auguſtinus lib. 1. de libero arbit. cap. 3. ait: *Ut intelligas libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit idem cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt, quam ſi ipſo facto deprehenderetur.* Quod etiam confimat D. Bernardus epiſt. 77. in Tractat. ad Hugonem de S. Victore cap. 2. ubi ait: *Quid planius, quod voluntas pro facto reputetur: ubi factum excludit neceſſitas.* Quod opportunitas peccandi adeſſet, & actus exterior non exerceretur, tunc malitia peccati non eſſet conſummata opere externo, quia ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 20. art. 4. Non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ opportunitate data operetur. Si verò poſſibilitas deſit voluntate exiſtente perfecta, ut operaretur, ſi poſſet, defectus perfectionis, quæ eſt ex actu exteriore, eſt ſimpliciter involuntarius. Involuntarium autem, ſicut non meretur pœnam vel præmium operando bonum, vel malum: ita non tollit quid de præmio vel de pœna, ſi homo involuntarie ſimpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum. Eſt tamen interdum gravior malitia voluntatis conjunctæ cum actu externo, vel quia diuturnior eſt, vel quia externi operis delectatione vehementior, & intenſior eradit voluntatis affectus ad peccatum, quia ait D. Thomas *quanto voluntas intenſius tendit in bonum vel malum, tanto eſt melior, vel peior.* Quia ſicut, ut loquitur Auguſtinus lib. de cura gerenda pro mortuis cap. 5. *Genuflexione, manuum extenſione, proſtratione, pectoris tunſione, aliisque externis actionibus magis ſe ipſum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius, & neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint, eisdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.* Unde opus externum peccati interioris & voluntatis auget malitiam, ut etiam affectum ad peccatum. Interdum tamen opus externum malitiam actus interioris non auget, quando affectus voluntatis æqualis eſt ad peccatum, & hic vehemens, ac diuturnus ſine opere externo, & cum illo, eſt exterior actus peccati clavibus Eccleſiæ aperiendus, ſeu exprimendus in ſacramentali confeſſione ob quatuor cauſas, quarum prima eſt, quia ſacramentalis confeſſio debet eſſe omnino integra, qualis non eſſet, ſi pœnitens actum externum non aperiret in confeſſione, quia unum, & integrum peccatum conſtituit cum actu interiori. Secunda, quia occaſione externi operis & delectatione ipſi adjuncta voluntas ferme ſemper exardeſcit, intenſiusque fertur in peccatum, quia ut notavit Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacrament. part. 14. cap. 6. vix fieri poteſt, ut voluntas opere ſuo non augeatur, & creſcente cordis affectu intenſior ſit peccati malitia, quapropter ſi act⁹ externus non aperiretur in confeſſione, non exprimeretur tota peccati malitia, neq; integrum aperiretur peccatum. Tertia, quia actus externi expreſſo præcepto prohibentur, ut mali ex objecto vel circumſtantiis, unde Chriſtus Matth. 15. ait: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemia, hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Quarta demum, quia ex operibus externis gravia plerumque ſequuntur incommoda, ingenerantur pravi habitus & proximo detrimenta inferuntur, & graviora damna adferuntur.

hinc eventus, qui ſequitur, præconceptus damnum proximi vel ipſius peccantis, ſi in pluribus & per ſe ſequatur, externi operis auget malitiam, ſi quis enim cogitet, quod ex opere ſuo plura poſſint damna aliis inferri, ſed nihilominus vult præconceptum opus exequi, inde conjicitur, quod ejus voluntas ſit magis inordinata, ut docet D. Thomas quæſt. 20. art. 5. Quod ſi eventus, qui conſequitur, non ſit præcogitatus, ſed tamen per ſe in pluribus ſequatur, ex tali actu malitiam ejus pariter auget, ait enim D. Thomas: *Manifeſtum eſt enim, meliorem actum eſſe ex ſuo genere, ex quo poſſunt plura bona ſequi; & pejorem, ex quo nata ſunt, plura mala ſequi; ſin verò per accidens, & in paucioribus eventus ſequens malitiam actus non auget, quia judicium de re non fertur, ſecundum id, quod eſt per accidens; ſed ſolum ſecundum illud, quod eſt per ſe,* ſicut nec peccatum excuſatur, ſi aliquod bonum contingat ex ipſo ſequi, ut notavit D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 22. *Nec mendacium ideo putandum eſt, non eſſe peccatum, quia poſſumus alicui prodeſſe mentiendo, poſſumus enim & furando aliquando prodeſſe alicui, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non ſentit incommodum. Neque ideo tale furtum quisque dixerit non eſſe peccatum: poſſumus & adulterando prodeſſe, ſi aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura, & ſi dixerit pœnitendo purganda: neque ideo peccatum tale negabitur adulterium:* ratio eſt, quia tunc bonum, quod conſequitur ex peccato, non ſequitur per ſe, ſed tantum per accidens. Rurſus eventus ſe habens conſecutivè ex peccato præcogitatus, & prævisus cenſetur interpretativè volitus, quando impediri debuit & noluit peccans eum impedire, unde ſi hujusmodi eventum prævideri peccator, & non impedierit, ſi per ſe in pluribus ſequatur ex actu externo peccati, qui illum eficit in ſua cauſa, cenſetur, eventum illum voluiſſe, ut qui prævidet, quod multo vino madidus, & in ebrietate ſit alium occiſurus, vel aliud detrimentum proximo allaturus, tenetur ab ebrietate abſtinere & à nimio vini hauſtu. Quod ſi non obſtante hoc damno prævisò velit ſe inebritare, tunc in ipſa ebrieate vult etiam

Digitized by Google

etiam interpretativè damnum, quod alteri infert. Cæterum, licet gravius nocumentum aggravet peccatum, non ſequitur, quod ex ſolo nocumento peccatum cenſeatur gravius, quinimo peccatum per ſe eſt gravius propter majorem inordinationem, quo pacto non ſequitur, quod ſi nocumentum maximè locum habeat in peccatis contra proximum, quod illa ſint graviora, ſiquidem eſt multo major inordinatio, quæ ineſt peccatis contra Deum, & quibusdam eorum, quæ ab homine contra ſeipſum committuntur. Rurſus quamvis Deo nullus poſſit nocere quantum ad ejus ſubſtantiam, poteſt tamen nocumentum intentare in his, quæ Dei ſunt, ut in extirpanda fide evertendis ſacris, ſolo æquandis locis ſacris, & Eccleſiis. Obſervat tamen D. Thomas quæſt. 71. art. 8. gravius peccare homicidam, qui vitam corporis eripit alteri, quam fornicatorem ſuadentem mulierculæ peccatum, tametſi ſpirituale nocumentum cenſeatur gravius corporali, & mors animæ à fornicatore procurata gravior ſit morte corporis ab illo illata proximo: & ratio hujus exceptionis duplex eſt. Prima, quia homicida intendit directè nocumentum proximi: fornicator autem, quia ad turpia provocat puellam, non intendit nocumentum, ſed delectationem carnis. Secunda, quia homicida eſt cauſa per ſe & ſufficiens corporalis mortis: Spiritualis autem mortis nullus poteſt eſſe alteri cauſa per ſe ſufficiens: quia nullus ſpiritualiter moritur, niſi propria voluntate peccando, quapropter puella, quæ aſſentitur ſuaſionibus ad turpia ipſa per ſe & propria voluntate, eſt cauſa, cur ſpiritualiter moriatur. Qui vero occiditur, nullo modo aſſentitur iternecioni ſui ipſius.

Sola autem cogitatio moroſa; ſeu delectatio ac complacentia de re venerea vel alia, quæ ſit mortale peccatum, tametſi non adſit animus perficiendi opus externum peccati, lethale eſt peccatum, niſi delectatio coerceatur, & prava illa cogitatio excutiatur, per diſtrationem mentis ad alia, alioquin cum primum ratio animadvertit periculum, & hoc non obſtante vult ſibi complacere in tali cogitatione, tunc diutius immorando lethaliter peccat, ut docet D. Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 12. ubi ait: *Nec ſane in ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen, & volvens libenter, quæ ſtatim, ut attigerunt animum, reſpui debuerunt, negandum eſt eſſe peccatum; ſed longe minus, quam ſi & opere ſtatutum impletum.* Hoc idem tradit D. Iſidorus lib. 2. de ſum. bono cap. 25. inquiens: *Bipartita eſt cauſa peccandi, id eſt operis & cogitationis, quorum unum iniquitas dicitur, quod opere geritur, aliud injuſtitia quod cogitatione admittitur. Prius autem actio reſecanda eſt, poſtea cogitatio; prius prava opera, poſtmodum deſideria, viciſſim autem, & à cogitatione opera procedunt, & ab opere cogitatio naſcitur. Quamvis enim ab opere malo quisque vacet, pro ſolius tamen pravæ cogitationis malitia non erit innocens: unde & Dominus per Iſaiam ait: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Non enim ſolum factis, ſed & cogitationibus delinquimus, ſi eis illicitè occurrentibus delectemur.* Hinc cogitatio, ſi ſit cum oblectatione de peccato committendo, vel commiſſo eſt peccatum, ſiquidem delectatio de aliqua operatione pertinet ad idem genus, ac ipſa operatio, ſi enim opus, de quo quiſpiam delectatur, & cujus cogitatione vel recordatione, vel narratione animum cum voluptate paſcit, à lethali peccato non excuſatur, ſic ipſa delectatio eſt etiam mortale peccatum, ſive opus illicitum ab ipſo, ſive ab alio commiſſum fuerit, aut erit committendum. Aliud tamen eſt delectari de modo, quo quis ſuum opus perfecit, & aliud delectari, de ipſomet opere, quamvis delectatio de opere illicito ſit grave peccatum, ſi adſit conſenſus, non tamen delectari de modo, quo opus abſolutum fuit, ut de induſtria furis, vel de modo homicidæ, aut de ingenio, æ-tatibus, quibus quiſpiam alium decipit, ut ad ſuum intentum perveniat, non ſemper eſt peccatum, quia modus eſt quid diſtinctum ab ipſo opere illicito. Imo delectari circa cogitationem operis liciti, quod tamen cogitanti ſit illicitum, eſt itidem peccatum, ut ſi quiſpiam delectetur circa uſum matrimonii inter conjuges diſtinctos à cogitante non excuſatur à peccato, quia delectatio ſequitur operationem, à qua oritur, & quia opus, de quo cogitatur, eſt illicitum cogitanti, & lege prohibitum, ideo cogitatio de ipſo datur culpæ cogitanti, eo quia talis cogitatio commovet Spiritus concupiſcentiæ, & exponit cogitantem periculo committendi peccatum, hinc ſponſus & ſponſa opus conjugale futurum cogitantes cum delectatione, & conſenſu, ut etiam viduus & vidua volventes opus conjugale præteritum, cujus delectatione mentem de præſenti paſcant, non excuſantur à peccato lethali, maximè cum hujusmodi voluptatis recordatione, licet cogitatione, & affectu tenus, nefarii in ſe libidinis motus excitentur, & cogitantes ſe periculo peccandi, ſeque polluendi exponant. Hoc idem dicendum eſt de marito, cujus uxor, & de uxore, cujus maritus eſt abſens, quia hujusmodi delectationes non diſponunt ad opus conjugale ob diſtantiam, & abſentiam alterius conjugis, & ſe conjiciunt in periculum, ſe polluendi ob motus concupiſcentiæ, qui ex tali cogitatione excitantur. Conſenſus tamen requiritur in actum peccati, & procedit à ratione ſuperiori advertente turpitudinem cogitationis, in qua nihilominus velit aliquis perſiſtere, ut inde delectationem hauriat, pars enim ſuperior, ſeu mens debet dirigere actus humanos ſecundum legem divinam, ac impedire actum peccati, hinc cenſetur ipſa conſentire, ſive cogitet de lege æterna, ſive non, quia cum teneatur excutere turpem illam cogitationem, quam de facto non expellit, talis negligentia cenſetur conſenſus voluntatis interpretativus, hinc Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 12. ait: *Cum huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus, & corporalibus propter rationis officium ratiocinandi vivacitate verſatur, carnalis ille ſenſus vel animalis ingerit quandam illecebram fruendi ſe, id eſt, tanquam bono quodam privato, & proprio non tanquam publico atque communi, quod eſt incommutabile bonum, tunc velut ſerpens alloquitur fœminam. Hinc autem illecebra conſentire de ligno prohibito manducare eſt. Sed iſte conſenſus, ſi ſola cogitationis delectatione contentus eſt, ſuperioris vero authoritate conſilii, ita membra retinentur, ut non exhibeantur arma iniquitatis peccato: ſic habendum exiſtimo, velut cibum vetitum mulier ſola comederit. Si autem in conſenſione male utendi rebus, quæ per ſenſum corporis ſentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut, ſi poteſtas ſit, etiam corpore compleatur: intelligenda eſt illa mulier dediſſe viro ſuo ſecum ſimul edendum illicitum cibum. Neque enim poteſt peccatum non ſolum cogitandum ſuaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, niſi & illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt membra in*

actum

actum movendi, vel ab opere cohibendi, male actioni cedat, & ſerviat. Per rationem ſuperiorem intelligitur mens, quatenus legi æternæ adhæreſcit, & per rationem inferiorem intelligitur eadem mens, quatenus ad temporalia, ac inferiora, quibus adhæreſcit, & delectatur, deflectitur, ut explicat D. Auguſtinus cap. 18. lib. 11. de Trinit. Hinc optare furtum vel fornicationem, aut vindictam eſt peccatum lethale, & qui talia cogitat & cogitationi aſſentitur, reus eſt peccati, eò quia delectetur circa objecta, quæ lege divina prohibentur: imo optare, ut liceat ea committere, quæ lex ipſa naturæ hominum cordibus à Deo inſcripta prohibet, perinde eſt ac optare ordinis, & legis naturalis everſionem, quod deterius eſt, quam naturæ legem ſolum violare, perinde ac minus cenſetur peccare in principem, qui ejus legem transgreditur, quam qui cupit principatu ſuo illum ſpoliare ac legum ferendarum authoritate privare: qui autem optat, ut licita ſint, quæ per ſe mala ſunt, ut ſi quis vellet, fornicationẽ non eſſe illicitam, ſed licitam, non vult Deum ipſum legis naturæ conditorem eſſe, ſiquidem Deus non eſſet, ſi ſummè ſanctus non eſſet, nec eſſet ſummè ſanctus, ſi, quæ per ſe mala ſunt, approbare poſſet, vel quæ per ſe ſunt illicita, permittere ut licita. Cæterum ſola malitia intentionis ſufficit ad malitiam voluntatis, ideòque quantum mala eſt intentio, tantum & prava cenſetur voluntas, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 19. art. 8. ad 4. & in 2. ſentent. diſt. 40. quæſt. 1. art. 2. ubi ait: *Malitia voluntatis ſufficit, ad hoc, quod actus malus eſſe dicatur, quia quod malo fine agitur, malum eſt: non autem bonitas voluntatis intendentis ſufficit ad bonitatem actus, quia actus poteſt eſſe de ſe malus, qui nullo modo poteſt bene fieri.* Hoc idem docuit Chriſtus non dixit: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebroſum erit.* Quæ verba expendens D. Gregorius ait: *Cum perverſa intentione, quid vel rectum agitur, etiam ſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis obſcuratur:* unde in his, quæ mala ſunt: bona intentio peccatum non excuſat ex toto, tametſi interdum in eodem genere ſit levius. Hinc Auguſtinus lib. contra mendacium cap. 7. ait: *Intereſt quidem plurimum quâ cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat: ſed ea, quæ conſtat, eſſe peccata nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla veluti bona intentione facienda ſunt. Ea quippe opera hominum, ſicut cauſas habuerint bonas ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata: ſicut victum præbere pauperibus bonum opus eſt, ſi fit cauſa miſericordiæ cum recta fide: ſicut concubitus conjugalis, quando fit cauſa generandi ſi ea fide fiat, ut gignantur regenerandi. Hæc atque hujuſmodi ſecundum ſuas cauſas opera ſunt bona vel mala; quia eadem ipſa, ſi habeant malas cauſas, in peccata vertuntur, veluti ſi jactantiæ cauſa pauper paſcitur, aut laſciviæ cauſa cum uxore concumbitur, aut filii generantur non ut Deo, ſed ut Diabolo nutriantur.*

Quia Deus eſt finis ultimus rerum omnium, ad quem debent res omnes dirigi, ideo omne opus, quod virtuali ſaltem intentione ad DEum non refertur, malum eſt: quia ſicut bonum, ut docent Theologi, habetur ex integra cauſa, ita & malum ex quovis defectu. & quia hæc directio omnium actuum in DEum eſt debita iiſdem actibus exigentibus referri in Deum finem ultimum; ſi non referantur in Deum, deficiunt in aliqua perfectione ſibi debita, propterea habentur actus mali, eò quia malum habeatur ex quovis defectu. Tum quia defectu hujus directionis, & relationis in Deum violatur præceptum, quo omnia noſtra opera ad Deum ut finem ultimum tenemur referre. Hoc autem præceptum eſt charitatis, quo tenemur Deum diligere ex toto corpore; & ad hoc præceptum pertinet, ut omnia referantur in Deum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 10. *ad* 2. & hoc præceptum referendi omnes actus noſtros in Deum colligitur ex Apoſtolo, 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* & cap. ult. ſubdit, *omnia veſtra in charitate fiant.* Ad Coloſ. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.* Quibus verbis indicatur eſſe præceptum, ut omnia noſtra opera ex deliberatione facta referantur in Deum, quod etiam confirmat D. Auguſtinus lib. 12. de Trinit. cap. 5. inquiens: *Niſi pars maxima voluntatis in ſuperioribus atque interioribus habitet ea, quæ ipſa, quæ commodatur ſive foris corporibus, ſive intus imaginibus, eorum, niſi quidquid in eis capit ad meliorem, veriorem que vitam referat, atque in eo fine, cujus intuitu hæc agenda judicat, acquieſcat, quid aliud facimus, niſi quod nos Apoſtolus facere prohibet dicens: Nolite conformari huic ſæculo.* Quod ſi dicas, inde ſequi, non dari indifferentiam actus, qui non ſit bonus nec malus moraliter, aſſerimus, hanc indifferentiam in genere moris non dari quoad actum in individuo. Differt enim indifferentia quoad individuum ab indifferentia quoad ſpeciem, quia hæc eſt, quam actus humanus deſumit ex objecto præciſè ſumpto, à quo actus ſpecificatur: indifferentia autem quoad individuum eſt, quæ competit actui non ſolùm ratione objecti, verum etiam ratione cæterorum hominum, quæ ad exercendum actum in ſingulari hic, & nunc interveniunt, ut ſunt circumſtantiæ omnes & finis extrinſecus operantis; & non dari actum indifferentem in individuo docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 9. quia tametſi plures actiones ex objecto materiali, & formali ſint indifferentes, nihilominus ſunt ſemper bonæ vel malæ, ex oppoſito iiſdem fine extrinſeco, ideo ut, quamvis vellet deliberate tollere feſtucam, nullum alium finem intendendo, ſit actus ex ſuo objecto indifferens, eò quia ejus objectum materiale, & formale internum ſit ipſa ſublatio feſtucæ, quæ indifferens eſt, ac propterea non poſſit niſi indifferentiam refundere in volitionem tollendi feſtucam, inclinatur nihilominus actus ille ob prætermiſſam ejus ordinationem in finem debitum, ſeu ex defectu extrinſecæ circumſtantiæ, quæ erat apponenda actui illi, quo fit, quod tametſi actus ille ex vi ſui objecti præciſè, & ſecundum ſuam ſpeciem ſit indifferens; nihilominus ſi attendantur omnia, quæ ad illum exercendum in ſingulari hic, & nunc debuiſſent intervenire, eſt actus in individuo malus quia homo tenetur apponere finem honeſtum omnibus ſuis actibus liberis, hinc Matthæi 12. legimus, hominem redditurum rationem de omni verbo otioſo, quod vix æſtimabatur eſſe peccatum, eò quia verbum otioſum careat juſta neceſſitate, & pia utilitate, unde ſicut verbum hoc pacto prolatum eſt otioſum & malum, & de eò reddenda eſt ratio in ordine ad irrogationem ſupplicii, eò quia careat juſta neceſſitate,

actio, actus ſecundus, qui eſt tendentia exercita actus primi in ſuum finem, ſequitur, neceſſario eſſe unum, & eundem finem utriusque ſcilicet naturæ rationalis, & ejus operationis elicitæ, ex deliberatione: ſed finis ultimus humanæ naturæ eſt ſolus Deus: ergo etiam finis ultimus cujusvis actus humani debet eſſe ipſe Deus: ſin autem eſſet poſſibilis actus humani indifferens in individuo, non haberet pro fine ipſum Deum, quia ſi dirigeretur in Deum, eſſet revera actus bonus, & non indifferens, ſin autem careret ordine ad Deum finem ultimum, jam deſtitueretur aliqua perfectione ſibi debita, ſeu ordine, & directione ad finem ultimum naturæ rationalis: quem ordinem deberet actus humanus habere, ergo cùm malum ſit ex quolibet defectu, & in tali actu deeſſet ordo ad finem ultimum naturæ rationalis, eſſet actus malus, conſequenter non dantur actus humani eliciti ex deliberatione, qui ſint indifferentes in individuo. Et firmari etiam ex eo poteſt, quia cùm actus elicitus ſit ipſa tendentia naturæ rationalis, ſe habentis per modum actus ſecundi: vel actus humanus refertur ultimò ad Deum ſive explicitè, ſive virtualiter ex ſua natura, quatenus eſt conformis rationi; & tunc hujusmodi actus eſt bonus: vel nullo pacto in Deum tendit, & ſic deflectit à proprio fine, & caret ordine ſibi debito ad ipſum, conſequenter eſt malus moraliter, quia eo ipſo, quòd non dirigitur in Deum ſaltem virtualiter, ſiſtit omninò in bono creato, cujus propterea eſt fruitio, conſequenter actus malus, quia, ut docet D. Auguſtinus 1. de doct. Chriſt. cap. 1. Perverſum eſt frui utendis, ſeu rebus creatis, quæ tantùm debent cadere ſub noſtrum uſum, ergo actus humani eliciti ex deliberatione, ſi careant directione ad Deum finem ultimum, ſunt moraliter mali, quia deficiunt in aliquo ſibi debito. Quòd ſi dicas, non adeſſe hoc præceptum, quo teneamur, quoties deliberatè agimus dirigere actus in finem honeſtum. Contra eſt, quia adeſt præceptum univerſale de bono proſequendo, & malo fugiendo, adeò ut homo teneatur ſe dirigere in bonum ultimum, ſeu beatitudinem, conſequenter tenetur operari propter bonum honeſtum, quia Deus eſt bonum vel maximè honeſtum. Præterea quia homo ex ſua natura eſt rationalis, proinde tenetur operari ſecundum rectam operationem, unde quoties ita non operatur carentia ordinis in tali actu ad rectam rationem, inficit actum, qui propterea eſt malus. Præterea tenemur ex præcepto omnia opera noſtra referre ad Deum, quem tenemur propterea amare ex toto corde, & ex tota anima, unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*: unde ex vi præcepti divini de diligendo Deum ex toto corde tenemur omnia referre in Deum, adeò ut præceptum charitatis impleri non poſſit, niſi etiam omnia referantur in Deum. Hinc D. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 10. ad 2. & quæſt. 102. art. 6. ad 7. ait: *Cæleſtis intentio omnibus operibus noſtris debet adjungi.*

Dices, hominem teneri tantùm operari ſecundùm rectam rationem negativè, quatenus tenetur non facere aliquid, quod ſit contrarium rectæ rationi: non verò teneri poſitivè operari juxta rectam rationem. Contra eſt, quia quoties homo operatur poſitivè, tenetur operari juxta ſuam naturam, quæ cùm ſit rationalis, tenetur operari juxta exigentiam naturæ rationalis, ſed exigentia naturæ rationalis eſt, dirigere operationem ad finem honeſtum, qui eſt finis ejuſdem naturæ rationalis, quævis enim natura operatur, ut tendat in proprium finem, adeò ut actus ſecundus, & operatio naturæ ſit ipſa tendentia exercita ejuſdem naturæ in proprium finem, & quia finis naturæ rationalis eſt ſolus Deus; quoties actus elicitus ex deliberatione non dirigitur in Deum, nec refertur ad ipſum, deſtituitur proprio ordine ſibi debito, conſequenter eſt malus: ergo non negativè ſed poſitivè tenetur homo operari propter finem honeſtum, ſeu Deum. Si urgeas, præceptum hoc impoſitum naturæ rationali dirigendi ſuos actus elicitos ex deliberatione in finem honeſtum aſſeri absque ullo fundamento, conſequenter non dari hanc obligationem dirigendi omnes actus noſtros in Deum, proinde poſſunt dari actus indifferentes, etiam quoad individuum, cujusmodi ſunt omnes illi, qui verſantur circa objectum indifferens, & non ordinantur ad finem ultimum bonum, vel malum; quia in hiſce actibus etiam elicitis ex deliberatione ſola carentia boni finis non poteſt habere rationem mali, quia ex nullo præcepto tenetur voluntas apponere ſuis actibus hanc directionem ad talem finem bonum, conſequenter hæc carentia eſt pura negatio, non privatio, ideoque non ſufficit ad vitiandum actum, quia ut ait Apoſtolus ad Roman. 4. Ubi non eſt lex, nec præfaricatio legis eſſe poteſt. Quòd autem non detur hoc præceptum ex eo ſuaderi poteſt, quia ſi daretur eſſe naturale, conſequenter contineretur inter præcepta Decalogi: ſed in Decalogo non legitur hoc præceptum, ergo non datur; præterea, quia non eſt aſſignabilis virtus, ad quam pertineat obſervantia hujus præcepti: ergo neque vitium, ad quod pertineat ejus transgreſſio. Demum, quia lege ſupernaturali non obligamur dirigere omnes actus liberos in finem ſupernaturalem, ergo neque legi naturali obligamur ad hanc directionem. Sed contra negatur antecedens, quia hoc præceptum revera datur, quia natura rationalis tenetur operari juxta propriam exigentiam in ordine ad finem, quod eſt commune omnibus agentibus naturalibus: ſed hæc exigentia ſe promovendi ad proprium finem, ad quem ſunt ordinata natura rationalis ab authore naturæ, eſt ipſum præceptum eidem naturale, ſeu à natura ipſi inditum, quod propterea reducitur ad primum præceptum Decalogi, quia ſicut ex vi hujus præcepti tenemur Deum diligere ſuper omnia, ita tenemur Deum habere pro fine noſtro ultimo, ex quo oritur in creatura rationali obligatio dirigendi ſe, & omnes ſuos actus ſaltem mediatè & virtualiter in Deum finem ultimum. Nulli enim eſt dubium, quin opera noſtra omnia ſint Deo debita, cui ſicut debemus nos ipſos totos, ita debemus omnes noſtras potentias, & actus, idque ex pluribus titulis, primo titulo ſupremi dominii, quod habet Deus in omnes creaturas, quibus ſicut dedit eſſe, & naturam, quam poſſident, omnesque ejuſdem potentias, ita quidquid creaturæ ineſt, eſt ſub pleniſſimo, ac diſpotico Dei dominio, alioquin ſi actus noſtri omnes non deberentur Deo, Deus non haberet pleniſſimum dominium ſupra omnes actus, dominium enim dicit relationem ad id, quod ſubjicitur dominio, & ſicut actus creaturæ rationalis ſubjiciuntur eidem, à quo dependent, ideo ex ſe ſunt ſubjicibiles, conſequenter ſubjiciuntur & ipſi dominio Dei, alioquin hoc non eſſet pleniſſimum, quia non ſe extenderet ad omne ſubjicibile, ex quo liquet, titulo ſupremi, diſpotici, ac pleniſſimi Dei dominii eſſe eidem debitos omnes noſtros actus, qui propterea exigunt ad ipſum dirigi,

ac referri, ut in finem ultimum. Rursus debentur etiam nostri actus Deo titulo creationis, & redemptionis. Hinc S. Bernardus in Tractat. de diligendo Deo cap. 5. ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Quod si totum me debeo pro me facto, quid addam jam & pro refecto, & refecto hoc modo: nec enim tam facilè refectus, quàm factus, siquidem non solùm de me, sed de omni quoque, quod factum est, scriptum est: Dixit & facta sunt. At verò qui me tantùm & semel dicendo fecit in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se, nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum.* Quod si mancipium Domino debet, quidquid operis facit, quantum magis nos Dei mancipia, à quo accepimus esse, posse, & ipsum operari, debemus, ut nostro supremo Domino, quidquid agimus, operamur. Rursus servi Christi sumus, non sumus nostri, sed empti sumus pretioso sanguine agni immaculati, ergo quidquid facimus, Christo debemus, & in nomine ipsius, & ad ejus gloriam dirigere omnes nostras operationes & actus. Ex eo igitur, quod omnes actus nostri debeantur Deo titulo supremi dominii, titulo creationis, & redemptionis. Constat, quantum operæ pretium, omnes actiones nostras recta intentione exercere, ac perficere, & actionibus, passionibus, & meritis Christi per affectum pietatis conjunctis Deo offerre, quia non solum nullum earum meritum est absque recta intentione, sed nec absolutè, & ex omni parte bonæ sunt, nisi ad Deum saltem virtualiter referantur, seu vi prioris intentionis elicitæ ante operis initium, nec revocatæ, aut interruptæ. Hinc Ecclesia in primis suis precibus diurnis Deum præcipit ab omnibus fidelibus coli, & ad ipsum dirigi omnes suas operationes, & actus: *Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti: tua nos hodie salva virtute, ut in hac die omne declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera.* Et D. Gregorius Lib. 28. Moral. cap. 6. ait: Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, totam se in soliditate æternitatis figat, ne, si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terra dehiscente solvatur. Unde hic quoque aptè subjungitur, super quo bases illius solidatæ sunt. Bases quippe uniuscujusque sunt animæ intentiones suæ, nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt, & quia ait Apostolus 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, tunc bases in fundamento sunt, cùm intentiones nostræ in Christo roborantur. In cassum vero super se bases ædificia erigunt, si non ipsæ in fundamento solidatæ consistunt, quia munitum quamlibet summa opera inaniter faciunt, si intentiones cordium extra æternitatis certitudinem deflectuntur, & vitæ veræ præmia non requirunt.

Alii etiam hoc præceptum volunt non esse speciale, sed tantum commune, ac veluti genericum, inclusum in omnibus præceptis Decalogi, perinde ac plures asserunt, præceptum diligendi proximum non esse particulare, & distinctum à præceptis secundæ tabulæ, sed quid iisdem commune, hinc potest solutio ad id, quod asserebatur, præceptum hoc adstrui sine fundamento, eo quia non contineatur in præceptis Decalogi, siquidem includitur in primo præcepto, quo tenemur Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, seu potentiis nostris, quia ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 2. ad 2. *Pertinet ad primum illud præceptum, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis impleri non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Ad aliud, quod addebatur, non esse assignabilem virtutem, ad quam pertineat observantia hujus præcepti, respondetur, quod si hoc præceptum reducatur ad primum Decalogi, ejus observantia pertinet ad virtutem charitatis erga Deum, & transgressio ad vitium oppositum. Sin vero cum aliis dicatur non esse præceptum particulare, sed tantùm genericum, tunc ejus transgressio aut observantia non pertinet ad ullam determinatam virtutem aut vitium, quia circa bonum vel malum commune non datur habitus vitii vel virtutis, quia à parte rei ratio generica non datur sine specifica; quapropter verius dicimus, hoc præceptum reduci ad primum Decalogi. Ad aliud, quod addebatur, nos non obligari lege supernaturali ad dirigendos omnes actus liberos in finem supernaturalem, consequenter neque obligari lege naturali ad dirigendum omnem actum in finem honestum, negatur consequentia, quia finis supernaturalis, cùm non destruat naturalem, fit, quod ex supernaturalis, obligans in finem supernaturalem, etiam dirigat ad ordinandos omnes nostros actus in finem supernaturalem, alioquin tolleretur ordo in finem naturalem, neque ratio supernaturalis & gratia non perficeret, sed destrueret naturam. Sed adhuc urgebis, quia dato etiam, quod daretur hoc præceptum, ac reduceretur ad primum Decalogi, adhuc inde non probaretur, non dari actus indifferentes quoad individuum: ratio est, quia si quis habeat ignorantiam invincibilem hujus præcepti, vel operetur cum inadvertentia naturali ad illud, vel saltem habeat errorem invincibilem, quo putet, oppositam sententiam esse probabiliorem, vel saltem æque probabilem, & cum hoc dictamine exerceat actus ex objecto indifferentes, ut ire in campum, levare festucam, egerere alvei superfluitates, naribus purgamenta capitis ejicere, & sputis rheumata jacere, & hos actus exerceat sine aliquo bono, vel malo fine, tunc hi actus sunt omninò indifferentes in individuo, non enim sunt moraliter boni, cùm neque objectum, neque finis habeat rationem honestatis, neque sunt mali, quia operans excusatur à culpa ob ignorantiam, vel inadvertentiam, vel ob dictamen practicum opinionis probabilis, ergo etiam, si detur hoc præceptum, quo creatura rationalis teneatur se, suosque actus dirigere in finem bonum honestum, adhuc dari possunt actus humani indifferentes quoad individuum. Contra est, negatur consequentia, quia in data hypothesi prærecensiti actus non essent indifferentes, sed determinatè mali, saltem materialiter, quia tametsi opinio probabilis alicujus actus mali, aut ignorantia invincibilis de malitia ejusdem excuset à peccato, & demerito non tamen tollit, quin ipse actus sit ex se ipso deficiens, & malus ex singulari aliquo defectu alicujus requisiti. Unde in dato casu, qui exerceret tali modo recensitos actus, ...

pec-

per accidens à culpa ratione bonæ fidei vel ignorantiæ, non tamen ſequeretur, actus illos conſideratos in individuo non eſſe in ſe revera defectuoſos, & malos, ſicut ſi aliquis ex ignorantia invincibili malitiæ furti excuſaretur à culpa, ſi furaretur: non tamen inde ſequeretur, ablationem rei alienæ non eſſe ex ſua ſpecie malam. Quòd ſi dicas, nullam eſſe ſpeciem, quæ ſub ſe non contineat, vel continere poſſit individuum aliquod, in quo ejus ratio ſpecifica conſervetur, ſe ex conceſſis datur actus indifferens ſecundùm ſpeciem, ergo dari etiam debet quoad individuum; contrà eſt, negatur conſequentia, quia dupliciter actus dici poteſt indifferens quoad ſpeciem, primò poſitivè, adeò ut ex ſua ſpecie debeatur illi, quòd ſit indifferens per formam poſitivam; ſecundò negativè, adeò ut non habeat ex ſua ſpecie, quòd ſit bonus vel malus, ſed id aliunde habet, ut etiam, quòd contrahat bonitatem, vel malitiam, ſcilicet à fine operantis, vel ab aliqua prava circumſtantia. Si daretur actus indifferens quoad ſpeciem priori modo ſcilicet poſitivè, utique ſequeretur, poſſe etiam dari aliquem actum indifferentem quoad individuum. Sed nos tantùm dicimus, dari actũ indifferentẽ ſecundùm ſpeciem in ſenſu poſteriori, ſed negativè, ex quo non poteſt colligi, eſſe itidem poſſibilem actũ indifferentem quoad individuum, ratio eſt, quia quoties proceditur ad opus, neceſſe eſt, ut actio alioquin ſecundùm ſe, & ex parte objecti indifferens habeat finem extrinſecum operantis, & alias circumſtantias debitas, vel iiſdem careat, ex quibus ſequitur, quòd operatio ſit moraliter bona vel mala, non quidem ratione objecti, quia relativè ad illud ſemper eſt indifferens, ſed ratione circumſtantiarum, unde cùm dicimus, dari actus indifferentes ſecundùm ſuam ſpeciem, id non eſt intelligendum poſitivè, quaſi ipſa indifferentia ſit aliqua forma poſitiva moralis conſtitutiva, actus in aliqua peculiari ſpecie morali compoſita ex genere, & differentia, quæ rurſus ſit multiplicabilis per alias indifferentias individuales, perinde, ac ſpecies humana, vel leonina: ſed actus indifferentes ſecundùm ſpeciem ſunt intelligendi negativè, quatenus ex ſua natura, & objecto non ſunt determinatè boni aut mali, tametſi determinari poſſint ad utrumque ratione finis extrinſeci operantis, vel alicujus pravæ circumſtantiæ, unde indifferentia: ſecundùm ſpeciem eſt potiùs per intellectum præſcindentem habitudinem, quam dicit actus ad proprium objectum, ſeu finem intrinſecum ab habitudine, quam dicit ad finem extrinſecum, & circumſtantias, quamvis utraque habitudo ſit in objecto, à parte rei, non tamen una eſt ſine alia præciſivè, quia præſcindere eſt opus ſolius intellectus. Dices tertiò, videri nimis rigidum, omnes actus non directos in finem bonum honeſtum eſſe malos, & peccaminoſos, quia inde ſequeretur, quòd innumera ferè peccata venialia ſingulis diebus committerentur, ut eſſet caput tangere, ungves cindere, pedes movere, manus fricare, & cætera hujuſmodi, quæ propterea eſſent materia ſufficiens ſacramentalis, ſi non dirigerentur in bonum finem, & honeſtum: ſed contra, quia ſuppoſita obligatione, qua creatura rationalis tenetur ſe ſuoſque actus in finem ultimum bonum, & honeſtum dirigere benè, ſequitur, omnes præcenſitos actus non ordinatos in ejuſmodi finem eſſe malos, ac peccata venialia, quia ſunt operationes omnes otioſæ, quæ deſtituuntur ordine ſibi debito ad finem. Cæterùm plures ex præcenſitis actionibus plerumque fiunt inadvertenter, & ſine ſufficienti deliberatione, proinde nullam contrahunt malitiam; quòd ſi deliberatè fiant, & non dirigantur ad proprium finem honeſtum, ſunt actiones otioſæ: & malæ, propterea ſufficiens matereria confeſſionis, licèt non ſit opus prædictos actus declarari in particulari, ſed ſufficiat, ſi pœnitens generatim confiteatur, ſe varios actus otioſos edidiſſe, perinde ac fatetur, ſe plura verba otioſa protuliſſe. Dices, poteſt dari objectum, & finis indifferens, ut ſi quis lignum moveat ad removendum lapillum: ergo etiam dari poterit actus indifferens in individuo. Sed contra diſtinguitur antecedens, poteſt dari finis indifferens abſolutè ſecundùm ſe, concedo, relativè, ſeu in ordine ad finem ultimum, negatur antecedens, & conſequentia: remotio lapidis, quamvis ſecundùm ſe ſit indifferens, in ordine tamen ad finem ultimum neceſſe eſt, ut ſit conformis, vel non conformis rectæ rationi, conſequenter bonus, vel malus.

Liquet igitur, non dari actum in individuo indifferentem, ſi eliciatur cùm advertentia & determinatione, quia omnis actus humanus hoc pacto elicitus exigit ordinari, ac dirigi in Deum titulo ſupremi, diſpotici, ac pleniſſimi dominii, titulo creationis, & redemptionis, nec ſufficit, ſi opus virtute cenſeatur referri in Deum, etenim ſi quis in initio anni vel menſis omnia quæ editurus eſt opera generali quadam intentione referat ad Deum, ſed neceſſe eſt, ut illud ipſum opus particulare, quod ſuſcipit propter Deum, aggrediatur, illudque ipſi offeratur, & ad ejus gloriam dirigat, ut docet D. Bonaventura *in 2. ſentent. diſt. 41. quæſt. 3. art. 1.* Unde vir Chriſtianus, qui ita ſe gerit, poteſt repetere in veritate illud Pſal. 34. *Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam.* Quid enim eſt tota die Deum laudare, quàm omnia opera ſua propter Deum facere, hinc D. Auguſtinus enarrat in Pſal. 34. *Quidquid egeris, benè age, & laudaſti Deum.* Et ad omnes Chriſtianos pertinet, quod ipſe ſcribit ad Eudonium Abbatem, & ejus Monachos epiſt. 48. aliàs 81. *Omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus, atque ita fervete Spiritu, ut in Domino laudetur anima veſtra. Ipſa eſt enim actio recti itineris, quæ oculos ſemper habet ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes. Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida eſt otio, nec turbulenta, nec marcida eſt, nec audax, nec fugax, nec præceps, nec jacens.* Quòd ſi dicas, D. Gregorium Nazianzenum orat. 3. contra Julian. cap. 94. aſſerere, dari actus in individuo indifferentes, ait enim ipſe: *Quemadmodum quiſquis ſupplicicio haud dignus eſt, non idem ſtatim laudem & prædicationem meretur: eodem modo nec quiſquis laude & prædicatione dignus eſt, idem confeſtim pœnam quoque meretur: ſed Philoſophia noſtra, viriumque humanarum finibus nos ipſos continere: ſicque id, quod rectè, & ex virtute geritur, exigere debemus.* Sed contra, quia verbis hiſce S. Gregorius Nazianzenus non ſignificat opera plena cum deliberatione edita poſſe eſſe indifferentia, ſeu nec bona, nec mala moraliter, ſed tantùm aſſerit, diſcrimen intercedere inter conſilia evangelica, & præcepta, quod negabat Julianus, inquiens: *Ad hæc quomodo illud non advertis; quod in legibus noſtris alia parendi neceſſitatem imponunt; nec ſine periculo prætermitti poſſunt; alia non neceſſitate conſtringunt, sed in arbitrio & in voluntate poſita ſunt. ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea cuſtodierint honore, & præmiis afficiantur,*

qui

Digitized by Google

qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimeſcant. Imò neque dari poſſunt actus ſupernaturales indifferentes ſecundùm ſpeciem phyſicam; quia actus ſupernaturalis ex vi ſui objecti ordinatur ad finem ultimum, conſequenter ſemper habet objectum honeſtum, & elicitur ex ſpeciali gratia, qua dignificatur.

Si petas, an actus deſervientes indigentiæ naturæ, ut deambulare ad excitationem caloris, & excutionem frigoris, egetere alvei ſuperfluitates, ſputis rheumata ejicere, naribus purgamenta capitis foras emittere, ſi fiant præcisè ob tuendam valetudinem, ſint actus boni, vel mali. Reſpondetur, tales actus elicitos ex deliberatione ob finem tuendæ valetudinis eſſe bonos etiam moraliter, quando ſunt neceſſarii, aut notabiliter utiles ad tuendam valetudinem. Ratio eſt, quam aſſignat D. Thomas in 1. diſt. 41. quæſt. 1. artic. 3. Quia ad virtutem pertinet, non ſolùm intendere bonum animæ, ſed etiam corporis propter animam: ut hæc unita corpori habeat occaſionem majora merita cumulandi. Præterea, quia ſalus corporis eſt præcipuum inſtrumentum ad inſerviendum Deo, & proximo, adeò ut ſanitas ſaltem mediatè ordinetur ad finem bonum & honeſtum. Præterea quia conſervare ſanitatem, & vitam cadit ſub præcepto; adeò ut etiam actus, qui diriguntur ad tuendam valetudinem, & ſanitatem conſervandam, vel reſtaurandam, ſint honeſti.

C A P U T XIV.

Proponuntur, & explicantur aliquot aſſerta, pertinentia ad gravitatem peccatorum, & ignorantiam.

PEccata ſpiritualia cæteris paribus graviora ſunt carnalibus, tametſi hæc ſint majoris infamiæ, ita docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 73. art. 5. Rationes plures id evincunt, quarum prima petitur ex parte ſubjecti; ſiquidem peccata ſpiritualia pertinent ad ſpiritum, qui ad Deum convertitur, vel ab eo avertitur: peccata verò carnalia conſummantur delectatione appetitus carnalis, cujus eſt converti ad bonum commutabile, & temporale; quapropter peccatum carnale majorem converſionem includit ad creaturam, & magis, intentiuſque adhæret creaturæ. Peccatum verò ſpirituale dicit majorem averſionem à Deo, ex qua culpa gravior cenſetur. Alia ratio deſumitur ex parte illius, in quem peccatur: quo pacto peccatum carnale eſt in proprium corpus, ut ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 4. *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*: corpus autem eſt minus diligendum ſecundùm ordinem charitatis, quàm Deus, & proximus, in quos peccatur per peccata ſpiritualia; ideoque peccata ſpiritualia cæteris paribus ſunt graviora carnalibus quoad culpam. Alia itidem ratio petitur ex parte propenſionis, ac impulſûs ad peccatum, quia quantò inclinatio eſt vehementior, & impulſus ad peccatum major, tantò minus peccatum eſt, ac levius; eò quia vehementior, propenſior minuit quodammodo voluntarium; ad peccata autem carnalia pondus eſt gravius, & inclinatio vehementior; ipſa enim concupiſcentia carnis toto niſu fertur in peccatum carnale, obtenebrat quodammodo lumen rationis, ut cæco impetu feratur in peccatum: hinc de peccato luxuriæ dicitur cacodæmon magis gaudere, quia *eſt* (ut ait D. Thomas) *majoris adhærentiæ, & difficile ab eo homo poteſt eripi.* Peccata vero ſpiritualia hanc concupiſcentiæ vehementiam non ſupponunt, & cùm concupiſcentia minuat voluntarium, ſequitur, peccata ſpiritualia eſſe carnalibus graviora. Neque inde peccata carnalia dici poſſunt non curari à Deo: quia ut ait D. Auguſtinus ſerm. 82. de verbis Domini cap. 9. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Quiſquis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Nemo ſe fallat, ſed fortè ait aliquis, templum Dei animus meus eſt, non corpus meum: adjecit etiam teſtimonium, omnis caro fœnum, & omnis charitas carnis, ut flos fœni. Infelix interpretatio, punienda cogitatio, fœnum dicta eſt caro, quia moritur: ſed quod ad tempus moritur, non reſurgat cum crimine. Vis noſſe apertam inde etiam ſententiam? Neſcitis, inquit idem Apoſtolus, quia corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus Sancti, quem habetis à Deo. Jam non contemnatis corporalia peccata. Contemnebas corporale peccatum, contemnis quod peccas in templum? ipſum corpus tuum templum in te eſt Spiritus Sancti. En vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Eccleſia facere adulterium intra iſtos parietes, quid te eſſet ſceleratius? modò autem tu ipſe es templum Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manet, templum ſurgis, vide quod agas. vide ne offendas templi habitatorem, ne deſerat te, & in ruinam vertaris; Neſcitis, inquit, quia corpora veſtra (& hæc de fornicatione loquebatur Apoſtolus, ne contemnerent peccata corporalia) templum in vobis eſt Spiritus Sancti, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri. Empti enim eſtis pretio magno: ſi contemnis corpus tuum, conſidera pretium tuum.*

Gravitas peccati petitur etiam ex conditione perſonæ, in quam, vel cum qua peccatur. Ita docent Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 73. art. 9. quia perſona, in quam peccatur, eſt veluti objectum peccati, & gravitas peccati deſumitur ex objecto. Rurſus perſona, in quam peccatur, poteſt eſſe triplex, ſcilicet Deus, nos ipſi, & proximus, & peccatum, quod committitur contra Deum, ſemper eſt gravius illis, quæ in nos ipſos committimus, vel in proximum, quia Deus eſt dignitate infinitus, infinitè diſtans à creatura, quæ ex ſe eſt nihil; & ſicut in humanis, quò perſona offenſa eſt dignior, & perſona offendens vilior; eò creſcit gravitas injuriæ illatæ, ut ſi ruſticus daret alapam ſuo Principi, gravior eſſet illata injuria, & gravius propterea mereretur puniri, quàm ſi eandem alapam daret alteri ruſtico: ita peccatum contra Deum eſt cæteris ſemper gravius: ut etiam eò eſt gravius, quò perpetratur in perſonam Deo magis conjunctam, ſive ratione virtutis, & ſanctitatis, ſive in aliis prærogativis, ac divinis gratiis, vel officiis, ac dignitatibus, quo pacto injuria irrogata Sacerdoti gravior eſt, quàm illata viro ſæculari, quia ratione Sacerdotii in perſona offenſa magis in Deum redundat: ut etiam injuria irrogata viris Religioſis eſt gravius peccatum, quia

Digitized by Google

quia religioſi proximiùs accedunt ad DEUM, quam non religioſi: Hinc ait DEUS per ſuum Prophetam Zachariam 11. *Qui vos tetigerit tangit pupillam oculi mei.* Et Reg. 19. *Altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio*, dicuntur homines divino cultui addicti *Altaria DEI*, quæ Deo ſunt proximiora in Sacramento altaris. Ex parte ſui tanto aliquis gravius peccat, quanto in perſonam magis conjunctam, vel naturali neceſſitudine, ut in parentes, conſanguineos, affines, vel etiam beneficiis, vel aliis titulis devinctam nobis peccatur. Igitur in ſe ipſum gravius peccat juxta illud Eccleſiaſtici 14. *Qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit?* Hæcque ratio cur in Sacris Scripturis invehatur contra peccantes in perſonas ſibi conjunctas, vel ſanguine proximas. Michææ 7. *Filius contumeliam facit Patri, & filia conſurgit adverſus matrem ſuam, Nurus adverſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici ejus.* Ex parte proximi tantò gravius quis peccat, quanto peccatum ad plures ſe extendit: hinc peccatum quod perpetratur in perſonam publicam, ut in Principem, vel aliam quæ gerit perſonam totius Reipublicæ eſt gravius cæteris paribus illo, quod committitur in perſonam privatam; quapropter Exod. 22. dicitur: *Principi populi tui non maledices.* Injuria itidem illata alicui perſonæ inſigni, ac arte, vel ſcientia celebri eſt itidem gravior præſertim ſi occidatur, quia tunc Reſpublica privatur hoc ornamento, & damnum redundat in plures.

Non ſolum proprio peccato quis graviter peccat; ſed etiam alieno; quatenus fit particeps illius pluribus modis ſcilicet cooperationis, conſilio, conſenſu, juſſione, ſuaſione, adulatione, favore, prava doctrina malo exemplo, imò etiam ſilentio, & amiſſione quatenus cum potuiſſet peccatum illud impedire id non præſtitit hinc Apoſtolus ad Roman. 1. ait: *Qui talia agunt digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus* & ad Epheſ. 5. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis eum redarguite* & Chriſtus Matth. 5. ait: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Va mundo à ſcandalis.* Iſaiæ itidem 56. *Speculatores ejus cæci omnes neſcierunt univerſi canes muti non volentes latrare videntes vana dormientes, & adamantes ſomnia.* Ezech. 13. *Tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde ſuo, & vaticinare ſuper eas, & dic: hæc dicit Dominus DEUS væ, quæ conſuunt pulvillas ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei vivificabant animas eorum. Et violabant me, ac populum meum propter pugillum populi, & fragmen panis ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.*

Hinc aliorum peccatorum participes, quotquot ipſis cooperantur, vel auxilium præbent, aut conſilium, ut qui ad ſingulare certamen ſe provocantes amicos accerſunt comites, & adjutores, qui ſi accedant, ſeque duellantibus adjungant, fiunt peccati participes, quamvis ipſi non pugnent, cum debuiſſent potiùs impedire ſingulare illud certamen. Ut etiam peccant lethaliter, qui nefariis hominibus dant pecunias, ut aliquem occidant, vel verberibus graviter excipiant, vel aliud damnum eidem inferant, ſicque omnes cooperantes, ſuadentes, conſentientes, jubentes peccatum aliquod patrari ab aliis, peccant & ipſi, ut etiam qui ſilentio fuerunt cauſa patrati flagitii, quod potuiſſent impedire, & illis inerat obligatio illud impediendi. Hinc alienorum ſunt etiam criminum participes, qui imperio, conſilio, vel conſenſu ſunt cauſa cur alii peccent graviter: quinimo etiam in bello duces participant de peccatis militum, cum deberent ipſos coërcere, ac eorundem licentiam compeſcere, & præſertim, ſi iiſdem ſuadeant talia peccata, vel furta: ſiquidem qui facit per alium perinde eſt, ac facere per ſe ipſum. Sunt etiam participes peccatorum alienorum, qui dolo, metu, vi, lenocinio, adulatione, vel alio modo alios ad peccatum vel alliciunt, vel impellunt, vel occaſionē ſubminiſtrant peccandi. Imò etiam parentes, qui filios vel filias à Deo non vocatos compellunt ut fiant religioſi, & ad ſubeunda religionis onera, quamvis illis ſint impares, & filias in monaſteria invitas protrudunt. Alienorum etiam peccatorum ſunt participes, qui falſam, erroneam, aut ſcandaloſam doctrinam in materia fidei, vel morum docent, & evulgant, ut etiam Confeſſarii ſi abſolutionem Sacramentalem non rectè diſpoſitis impertiant. Imò etiam mulieres, quæ fucis, & figmentis, ac luxu vani ornatus geſtiunt hominum oculos ad ſe convertere eoſque allicere ad turpia vel iiſdem etiam ſi ſint occaſio peccandi, ut etiam qui pravo exemplo alios ad ſuorum peccatorum imitationem pertrahunt, alliciuntque verbis, vel exemplo, præſertim ſi fuerint authoritate graves vel fama probitatis inſigniores, hi enim pravis ſuis exemplis tribuunt aliis occaſionem itidem agendi ſimilia, ac peccandi. Hinc D. Auguſtinus enar. in Pſal. 50. loquens de lapſu Regis Davidis ait: Multi cadere volunt ut David, & nolunt ſurgere cum David. *Non ergo cadendi exemplum propoſitum eſt, ſed ſi cecideris, reſurgendi. Datur exemplum: Attende ne cadas, non ſit delectatio minorum lapſus majorum: ſed ſit caſus majorum tremor minorum. Ad hoc propoſitum eſt, ad hoc ſcriptum eſt. Ad hoc in Eccleſia ſæpe lectum, atque cantatum, audiant, qui non ceciderunt, ne cadant: audiant, qui ceciderunt, ut reſurgant. Tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in eccleſia, audiunt malè audientes, & quærunt ſibi patrocinia peccandi attendunt unde defendant, quod committere paraverunt, non unde caveant, quod non commiſerunt, & dicunt ſibi, ſi David, cur non ego, inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit, quia David fecit, ideo pejùs quàm David fecit. David nullum ſibi ita ad exemplum propoſuerat, ut tu: ceciderat lapſu cupiditatis non patrocinio ſanctitatis: tu tibi tanquam ſanctum proponis, ut pecces non imitaris ejus ſanctitatem, ſed imitaris ruinam, hoc amas in David, quod in ſe odit David librum DEI ut pecces inſpicis, ſcripturam DEI ad hoc audis, ut facias quod diſplicet Deo: hoc non fecit David. Correptus eſt per Prophetam non lapſus in Propheta*, ſcilicet exemplum non accepit à Propheta ut peccaret, ſed acrem redargutionem, quia peccavit, ac impoſterum à ſcelere abhorreret, & peccandi occaſiones declinaret, cæterum, non ita dicuntur fieri participes alie-

alienorum peccatorum ex eo, quod iisdem tantùm extrinsecè imputentur, ut pro illis puniantur, sed etiam coram Deo, & intrinsecè rei fiunt alienorum peccatorum quatenus aliena peccata auxilio, consilio, cooperatione, consensu, favore, jussione, suasione, adulatione, pravo exemplo, ac silentio propria sibi faciunt, ut notat D. Augustinus in Psal. 129. inquiens: *Quisquis consenserit peccatori non alienis, sed suis gravatur peccatis: consensio enim ad peccatum alterius primum fit peccatum, & non est, quare queraris, quòd peccata aliena te premant. Dicitur enim tibi premunt te, sed tua. Vidisti furem cucurristi cum eo. Quid est hoc pedibus ambulasti ad furtum: imò mente conjunxisti te furi. Quod ipsius solùm erat, factum est & tuum, quia placuit tibi.* Sive igitur quis physicè influat in alienum peccatum, vel moraliter suadendo, consentiendo adulando proprium sibi facit alienum peccatum, & non tam est alienum, quàm suum, quia in illud consentiendo illud ad se attrahit ac proprium facit, ut enim ait D. Augustinus lib. 1. de morib. Manichæor. cap. 17. *Nihil interest utrum ipse scelus admittas, an propter te ab alio admitti velis.* Et lib. 3. de libero arbit. cap. 10. ait: *Cum duæ sunt origines peccatorum una spontanea cogitatione alia persuasione alterius, quo pertinere arbitror, quod Propheta dicit ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo: utrumque voluntarium est quidem: nam sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti non utique nisi voluntate consentit: sed tamen graviùs est non solùm nullo suadente propria cogitatione peccare: sed etiam peccatum alteri per invidentiam dolumque suadere, quam ad peccatum alterius suasione traduci.* Cæterum peccata quæ ob infirmitatem naturæ humanæ proveniunt ex subreptione minus imputantur illis, qui virtute sunt præstantiores, quia ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 27. *art.* 10. Minus negligunt hujusmodi peccata reprimere, quæ omnino vitare infirmitas humana non sint, quod tamen de peccatis venialibus intelligendum est, quapropter Ezechias rex orans pro subditis post celebrationem paschæ ad quam illos ex universis sui regni Provinciis convocaverat 2. Paralip. cap. 30. ajebat: *Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrem suorum: & non imputabitur eis, quod minus sanctificati sunt.*

Peccata verò quæ ex advertentia, ac deliberatione perpetrantur tantò sunt graviora, quantò persona peccans major est: siquidem facilius possunt obsistere peccato, qui cognoscunt ejus turpitudinem, ut etiam qui scientia, & virtute cæteros antecellunt, quapropter Luc. 12. habetur: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Rursus auget gravitatem malitiæ ipsa ingratitudo, quia quo uberioribus donis est homo cumulatus à Deo eò majus beneficium ab eo accepit, propterea injuriam ei irrogando graviùs peccat ex vitio ingrati animi: quapropter etiam in temporalibus bonis quò excellentia est major, eò peccatum est gravius juxta illud Sapient. 6. *Horrende, & cito apparebit vobis quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiat. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur*, quia nimirum peccata quæ perpetrantur à potentioribus, & excellentioribus sunt graviora cæteris. Rursus sunt etiam graviora ob singularem repugnantiam actus peccati cum excellentia, & dignitate personæ peccantis, ut si Princeps suas transgrediatur leges, & justitiam violet, cum deberet, justitiam custodire, cùm sit constitutus à Deo vindex delictorum. Augetur etiam gravitas ob pravum exemplum, quod superiores suis subditis exhibent, hinc S. Isidorus Hispalensis lib. 2. sentent. de summo Bono cap. 18. ait: *Tantò majus cognoscitur peccatum esse, quanto major qui peccat habetur: crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum, & persæpe quod minoribus ignoscitur majoribus imputatur.* Quapropter ad ostendendam gravitatem peccati filii sui Ruben qui paternum cubile violaverat, præviserat Jacob. Genes. 49. *Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major imperio.* Fuit enim peccatum Ruben eò gravius, quò fuit ipse primogenitus Jacob, & uberiori virtute fuerat insignitus, ut observat Origenes homil. 17. in Genes. Eodem pacto ducem de Tribu Simeonis cùm filia Principis Madianitarum indulgentem fornicationi Phinees occidit, ut habetur Numer. 25. *Ut ostenderet carnales illecebras in eminentioribus personis acrius esse puniendas*, ut notat Petrus Damianus lib. 1. Epist. 6. Eandem rationem assignat, cur propter fornicationis scelus, tametsi omnibus commune jusserit Moyses cunctos Principes populi contra solem patibulo suspendere, quia nimirum reatus adulterii in personis insignioribus durius debet vindicari, quapropter Levit. 4. pro peccato solius sacerdotis sacrificium præscribitur, quod institui soleret pro peccato totius populi, quia ut notat D. Joannes Chrysostomus in Psal. 6. *Quo major authoritas, eò majus est eorum, qui peccant supplicium.* Hinc scriptum est per Prophetam *laqueus ruina populi mei Sacerdotes mali*, rationem adfert S. Gregorius Magnus part. 1. Pastor. cap. 2. Quia nemo amplius in Ecclesia nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nemo præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententia sollicita cordis aure pensarent, quæ ait per Oseam 5. & 9. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris.* Per molam quippe asinariam sæcularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur, & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus vel verbo cæteros destruit, vel exemplo. Melius profectò fuerat, ut tunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringere, quàm sacra officia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, utrumque tunc tolerabilior inferni pœna cruciaret. Quò igitur persona est dignior, & deliberatione peccat eo peccatum censetur gravius, quapropter D. Bernardus lib. 2. de consideratione cap. 13. ait: *Inter sæculares nugæ, sunt nugæ, sed in ore Sacerdotum sunt blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangelio. Talibus jam aperire illicitum asuescere sacrilegum est.* Hinc graviora sunt

ſunt peccata, quæ à Chriſtianis perpetrantur poſt ſuſceptum baptiſmum, quàm quæ à Turcis, Judæis, Paganis, imò & Catechumenis fiunt, ut docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. ob triplicem rationem. Primò quia ab infidelibus per ignorantiam fiunt, quæ baptiſmum præcedunt; quæ verò poſt baptiſmum à Chriſtianis committuntur mentem ſupponunt imbutam cogitatione Dei, & illuminatam myſteriis incarnationis, & redemptionis totius humani generis per JEſum Chriſtum æterni Patris Filium unigenitum ob hanc igitur majorem notitiam gravius eſt peccatum commiſſum poſt baptiſmum à viro Chriſtiano, quàm ante baptiſmum à Judæo, Turca, Pagano, quia tempus, quod præcedit baptiſmum à ſanctis Patribus vocatur tempus ignorantiæ, & non baptizatos Dei ignaros: hac de cauſa antequam infideles aqua baptiſmi abſtergerentur in Catechumenatu diutius detinebantur, quàm myſteria noſtræ fidei exactius addiſcerent: & D. Paulus Actor. 17. ait: tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, & ad Epheſ. 3. ſcribit: *datam eſſe ſibi gratiam illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo.* Hinc ſancti Patres conſueverunt vocare baptiſmum illuminationem, & baptizatos illuminatos, unde Tertullianus lib. de pœnit. cap. 5. & 6. ait: *Nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito præceptiſque ejus admiſſis denique pœnitentia delictorum functus (quæ ſit ante baptiſmum) rurſus te in delicta reſtituis. Ita in quantum ignorantia ſegregaris, in tantum contumacia agglutinaris. Nam ſi id circo te deliquiſſe pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia geſſiſti, reſcindere maluiſti, niſi quia metuere deſiſti, neque enim timorem alia res, quàm contumacia ſubvertit: cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna (quia DEUM in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cœleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet.) Quanto cognitum deſpicis periculoſum eſt? deſpicit porro, qui bonorum, ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum; quodque jam fugit reſumens, intellectui ſuo id eſt Dei dono contumeliam facit: reſpuit datorem, cùm datum deſerit; negat beneficium cum beneficium non honorat? quemadmodum ei poteſt placere, cujus munus ſibi diſplicet? ita in Dominum non modo contumax, ſed etiam ingratus apparet.*

Hac ratione aſſeruſt ſancti Patres peccata commiſſa à Catechumenis, aliiſque infidelibus ante baptiſmum, facilius condonari, eò quia in veteri homine videantur deliquiſſe, ut fatentur Patres Synodi Illiberritanæ can. 45. Et Innocentius I. epiſt. 22. id oſtendit ex D. Paulo ad Epheſ. 4. inquiens: Nolite mentiri invicem expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem. Quamobrem vetus homo dicitur ignarus abſque cognitione veritatis, & novus aſſeritur tali cognitione præditus, & propterea facilius remittuntur peccata veteris hominis quàm novi, quia ignorantia minuit voluntarium, & peccatum, quod cognitio aggravat. Secunda ratio, cur peccata poſt baptiſmum patrata ſint graviora, petitur ex eo, quia per baptiſmum baptizatus fit Dei templum, & habitaculum Spiritus Sancti, & Chriſto conſecratur. Hæc autem dona ſeu ſanctitas, conſecratio, dignitas, per peccatum lethale poſt baptiſmum patratum violantur non verò per peccatum commiſſum ante baptiſmum, quo fit ut peccata poſt baptiſmum patrata ſint graviora. Tertia ratio eſt, quia Chriſtiani peccantes, ſunt injurioſi, & contumelioſi Spiritui Sancto, quia gratiam ab eo per baptiſmum acceptam imò & ipſum Spiritum Sanctum habent ludibrio cùm eum à ſe projiciant, ut adhæreſcant bonis temporalibus, & tranſitoriis; & ſanguinem Chriſti cujus pretio redempti ſunt, contemnunt, & dona Spiritus Sancti, ſeu gratiam ſanctificantem conculcant, & pactum in baptiſmo initum, quo mundo ejuſque pompis ſolemniter renunciarunt, transgrediuntur, & frangunt: & has duas poſtremas rationes afferunt ſancti Patres, ut probent peccata, quæ à Chriſtianis perpetrantur poſt baptiſmum eſſe graviora illis, quæ committuntur ab infidelibus ante baptiſmum. Præ cæteris ait D. Gregorius Nazianzenus orat. 40. *Nihil aliud eſſe vim & facultatem baptiſmi exiſtimare debemus, quam ſecundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum & fœdus cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes eſſe, atque omni cuſtodia noſtras animas ſervare debemus, ne hoc pactum violaſſe comperiamur. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi ſoleat, quantum quæſo periculum eſt, ne fœdera cum Deo ipſo contracta perfregiſſe reperiamur: idque cum nulla jam poſt hæc altera regeneratio ſit, nec inſtauratio, nec in veterem ſtatum reſtitutio, quamlibet maximè eam cum multis gemitibus, & lacrymis requiramus, quibus quidem cicatrix ægrè tandem obducatur. Grave enim eſt facilioris medicinæ loco, quæ ſine labore eſt, difficiliorem, & multi laboris adhibere, ac projecta miſericordia gratiâ ſupplicüs ſe ipſum obnoxium reddere. Quantam enim lacrymarum vim impenderemus, ut ea cum baptiſmi fonte exæquari poſſit.* Hinc D. Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 3. ait: *Cæteris paribus gravius peccat fidelis, quàm infidelis; tum propter notitiam veritatis ex fide, tum propter ſacramenta fidei, quibus eſt imbutus, quibus peccando contumeliam facit.* Hanc verò triplicem rationem complectitur D. Paulus ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritûs Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus revocari ad pœnitentiam; rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium DEI, & oſtentui habentes. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem; & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cujus conſummatio in combuſtionem.* Unde Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ait: *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono ſcienter templum, & Spiritum Sanctum contriſtari non formidaverit, & divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur ut occaſione accepta peccata leviora putantes velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in gra-*

viora labamur thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Ignorantia igitur, si revera fuerit invincibilis excusat à peccato, nec illi culpæ vertitur, qui ex tali ignorantia aliquid agit contra legem. Distinguitur ignorantia à nescientia, quia hæc ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 161. art. 1. ad 2. est negatio scientiæ non debitæ, ignorantia verò scientiæ debitæ, quapropter ignorantia alia est privativa, positiva alia; illa dicit præcisè carentiam cognitionis debitæ, hæc verò positivam cognitionem falsam, quæ vocari etiam solet ignorantia pravæ dispositionis. Rursus ignorantia alia est culpabilis, & voluntaria, ut cum quis negligit scire præceptum obligatorium, quod tenetur scire, & hæc dicitur ignorantia prohibita non secundùm se, sed quia privat scientia præcepti, quod deberet innotescere. Alia inculpabilis, & involuntaria, & est ad quam deponendam non datur obligatio. Alia est affectata, seu directè volita; quatenus aliquis non vult scire, quod teneretur scire. Alia est negligens orta ex pura negligentia qua quis scire negligit, quod tenetur scire. Alia demum est ignorantia invincibilis, quæ vinci non potest, eò quia non suppetant media, quæ moraliter possint applicari ad eam depellendam; Quòd si quæras, quanta sit dilgentia adhibenda, ut hæc ignorantia dicatur invincibilis, proinde non sit voluntaria affectata, & crassa, respondetur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 10. art. 1. Sufficere, si adhibeantur ea media, quæ ex se ordinata sunt ad illam vincendam, & quæ morali modo possunt applicari: ratio est, quia adhibens media ad finem aliquem ordinata, vult efficaciter finem, & oppositum censetur illi involuntarium, consequenter adhibens media ad depellendam ignorantiam vult illam depellere proinde si illam non deponat, id est illi involuntarium. Alia est ignorantia vincibilis, quæ potest vinci si adhibeantur media ad eam depellendam. Quod autem ignorantia invincibilis excuset à culpa docet D. Thomas. 1. 2. quæst. 76. art 2. ubi ait: Non imputatur homini ad negligentiam si nesciat ea, quæ scire non potest: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest: & propter hoc talis ignorantia, cùm non sit voluntaria, eò quod non est in potestate nostra eam repellere non est peccatum, & quæst. 90. art. 4. docet, legem non habere vim obligandi nisi quatenus applicatur hominibus & ad eorum notitiam pervenit promulgatione ex quo sequitur eam non obligare, si sit penitus ignota, & ea quidem ignorantia, quæ nullo studio superari possit & quod lib. 1. art. 19. quærens utrum peccet, qui ob ignorantiam constitutionem summi Pontificis non servat, ait Angelicus Doctor *ignorantia est peccatum quando ignorat, quis, quod potest scire, & tenetur; constitutionem autem Papæ omnes suo modo scire tenentur, si ergo aliquis nescit propter negligentiam, non excusatur à culpa si contra constitutionem agat, si verò sufficiens habeat impedimentum propter scire non potuerit puta si fuit in carcere, vel in terris extraneis ad quas constitutio non pervenit, & propter aliquod impedimentum simile talis ignorantia excusat, ut, non peccet contra constitutionem Papæ agens.* Et ratio est perspicua quia nullum est peccatum nisi voluntarium ignorantia autem invincibilis tollit voluntarium quod tale est, eò quia oriatur à principio intrinseco cum cognitione finis, unde claret ignorantiam invincibilem tollere voluntarium & excusare à peccato, hinc habetur vulgatum illud D. Augustini *nemo peccat in eo, quod vitare non potest*, sed qui præceptum vel prohibitionem ignorantiæ quæ nullo studio, nullaque diligentia vinci potest, non potest id agere quod præcipitur, vel prohibetur declinare, consequenter non eidem verti vitio si omittat agere quod præcipitur fieri, vel id agat, quod fieri prohibetur: hæc eadem veritas etiam firmari potest ex scripturis etenim Christus Joan. 15. ait: *Si non venissem & locutus fuissem eis peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de suo peccato*, quibus significat eos à peccato infidelitatis excusari, quos evangelium latet ignorantia invincibili, unde Augustinus tractatu 89. in Joan. explicans hunc locum ait: Nunquid sine peccato erant Judæi antequam Christus ad eos in carne venisset quis hoc vel stultissimus dixerit sed quoddam magnum peccatum non omne peccatum quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat dimittantur ei cuncta peccata. Hoc est autem quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum si non venisset non utique haberent. Quòd si in quibusdam sanctis Patribus dicantur peccata, quæ ex ignorantia invincibili fiunt, id intelligendum est in minus propria significatione sumendo laxè peccatum pro eo omni, quod est contra legem sive fiat ex advertentia ad legem sive ex ignorantia invincibili, hinc Augustinus lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. ait: *Illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum quod movemus in ore dum loquimur etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est formam, ac tenorem verborum, secundum quem modum alia dicitur lingua græca, alia latina, sic non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate, & frustra à sciente committitur, sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est.* Hinc frustra Jansenius objicit dogma Pelagianorum asserentium oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem fuisse damnatum in Palestina Synodo quia per hanc ignorantia quæ secundum necessitatem evenit Jansenius intellexit ignorantiam etiam invincibilem; quod est falsum, ut notat lib. de gestis: siquidem Pelagiani ignorantiam tam juris positivi, quàm naturalis, imò etiam facti tam vincibilem quam invincibilem inficiabantur subjacere peccato, ut liquet ex pluribus exemplis quibus sancti Patres præsertim S. Hieronymus & Augustinus ipsos Pelagianos urgent, ut est illud Regis Abimelech, qui ignorantia facti alienam sibi despondere voluit uxore, & exemplo Apostoli Pauli, qui Christianos persecutus misericordiam consecutus est, quoniam ignorans fecerat in incredulitate, tertiùm est illorum, qui non sponte sed per ignorantiam vel jactu lapidis vel inpulsione manus vel joco magis quam voluntate hominem occiderunt. Quartum est Davidis Deum orantis, ut sibi peccata ex ignorantia commissa condonet: *delicta juventutis meæ, & ignorantias ne memineris.*

Quin-

Quintum eſt Jonatæ in vitæ diſcrimen adducti eò quia paululum mellis extremo virgæ deguſtâſſet ignorans à Patre præceptum ne quiſquam comederet, donec victoria compleretur. Hæc autem exempla ad ignorantiam juris poſitivi, vel ad ignorantiam facti vel ad ignorantiam, quæ induſtria ſtudio, & diligentia ſuperari poterat manifeſtum eſt pertinere. Et hoc confirmat argumentum Patres Paleſtinæ Synodi, & D. Auguſtinus Pelagianos revellunt; ajunt enim cùm in lege ſacrificia pro ignorantia, ſicut pro peccato offerantur, ſequitur evidenter eſſe præfata exempla intelligenda de ignorantia vincibili, quæ ſtudio, ac diligentia ſuperari poterat atqui ſacrificia offerebantur etiam pro ignorantia facti & juris poſitivi, ut couſtat ex Levit. cap. 5. & 22. Neque ullum faceſſunt negotium, quæ in Cœleſtini propoſitione vim habent rationis, *quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*, quibus poſtremis verbis excludit quidem illam ignorantiam cujus voluntas ipſa cauſa eſt, quam Theologi directè volitam vocant, eò quia contingat ſecundun voluntatem eam affectantem, & procurantem: ſed eam non excludit, quæ indirectè tantùm volita eſt, quatenus ad eam propulſandam voluntas nullam adhibet diligentiam, nullum exercet ſtudium, quod tenetur adhibere ad eam expellendam, & poteſt, unde ſecundùm neceſſitatem dicuntur potiùs evenire, quæ ex eo fiunt, quam ſecundum voluntatem: hanc autem ignorantiam non ſubjacere peccato negabant Pelagiani, & in hoc errabant: Janſenius verò aſſerit ignorantiam inſuperabilem, ſeu invincibilem ſubjacere peccato, & non excuſare ab illo.

Imò aſſerebat Janſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 2. ignorantia invincibilem juris naturalis eſſe cauſam peccati duplicem enim ipſe diſtinguit ignorantiam invincibilem alteram juris poſitivi, quam vult excuſari à culpa: aliam juris naturalis, quam cenſent non excuſare à peccato, ſed illud cauſare, eò quia hæc ignorantia orta ſit à peccato originali cum quo eſt annexa: & ſicut peccatum originale fuerit interpretative & virtualiter voluntarium omnibus poſteris, quatenus Deus voluntates poſterorum alligavit voluntati Adæ ut capiti, ideo ſicut peccatum originale fuit voluntarium interpretative poſteris ita etiam ignorantia juris naturalis adeo ut hæc ſufficiat ad inducendum peccatum actuale, non ita ignorantia juris poſitivi, & dat hoc diſcrimen, quia ſcientia juris naturalis eſt humanæ naturæ connaturalis, & naturaliter debita, eamque habuiſſent omnes homines in ſtatu innocentiæ, ideoque carentia hujus ſcientiæ, ſeu ignorantia invincibilis juris naturalis vitioſa eſt, & inflicta in pœnam peccati conſequenter poteſt eſſe cauſa alterius peccati actualis, non ita ignorantia juris poſitivi, quia ejus ſcientia non eſt naturæ humanæ connaturalis, nec debita, cum lex divina poſitiva & eveniat à libera Dei voluntate; ſed aſſerendum eſt in homine nullam eſſe poſſe legis naturalem inſuperabilem ignorantiam quantum ad præcepta univerſalia, & primaria, ut ſunt hæc prima principia: *Quòd tibi non vis fieri alteri ne feceris*, & illa præcepta decalogi Deum cole, & ama, honora patrem, & matrem, non occides, non furtum facies, non mœchaberis, non loqueris contra proximum falſum teſtimonium, quæ fundantur, & ſequuntur veluti concluſiones ex primo illo principio bonum eſt faciendum, malum eſt vitandum, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, ſunt enim hæc principia legis naturæ, quæ à nemine poſſint ignorari, eò quia ſemel quod quis ratione utitur ſtatim judicat bonum eſſe faciendum, & malum vitandum, ſunt enim hæc judicia nobis à natura indita, adeo ut deleri à cordibus noſtris non poſſint: hinc David Pſal. 4. ait: *Quis oſtendit nobis bona?* & ſtatim ſubjungit: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, hoc eſt lumen nobis oſtendens bonum eſſe faciendum, & malum fugiendum, qua de cauſa ſcripſerat D. Paulus ad Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt.* Hoc eſt homines non habentes legem decalogi naturaliter obſervant, quæ in tali lege continentur, & poſtea addens rationem ſubjungit *ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium redente illis conſcientia ipſorum & inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut enim defendentium in die cum judicabit Deus occulta hominum.* Præterea quia jus naturale eſt id, ad quod natura immediatè inclinat & hujuſmodi ſunt prærecenſita duo principia, quæ ſunt per ſe omnibus nota quatenus natura inclinat immediatè ad ipſa, ex quo fit, quòd hæc duo principia ſint prorſus immutabilia tam ex parte ſui, quàm ex parte hominis, eò quia ignorari non poſſint. Hinc Apoſtolus ad Roman cap. 1. ait: *Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles, quia cum cognoviſſent Deum non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt.* Et cap. 11. *Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut ſe defendentibus.* Cæterum dicuntur gentes quæ legis ſunt facere non quia ſinè gratia poſſint legem adimplere fuit enim hæc hæreſis Pelagianorum docentium viribus naturalibus liberi arbitrii poſſe totam legem ſervari; ſed quia lex naturalis eis oſtendit, quid ſit agendum, & hoc ipſo lumine rationis cognoſcant, ac naturalia præcepta quæ in tabulis cordis carnalibus habent inſculpta: quamvis eam legem non habeant, quam in tabulis lapideis ſcriptam Judæis per Moyſem tradidit Deus; natura enim per ſe ipſam diſcendo Factore annuente recipit omnis boni ſcientiam, qua propter Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Julianum Apoſtatam ait: *Per inſitas leges Deus bene commonſtratur, quas omnium cordibus inſculpſit opifex.* Et ante Cyrillum ſcripſit Tertullianus lib. de corona militis cap. 6. *Omne quod contra naturam eſt monſtri meretur notam penes omnes, penes nos verò etiam elogium ſacrilegii in Deum naturæ Dominum, & Authorem. Quæris igitur Dei legem habes communem iſtam in publico mundi in naturalibus tabulis ad quas & Apoſtolus ſolet provocare, ut cum in velamine fœmina, nec natura vos docet? ut cum ad Roman. Natura facere dicens, na-*

tiones, ea quæ sunt legis & legem naturalem suggerit, & naturam legalem. Et D. Augustinus lib. 2. de sermon. Domini in monte cap. 9. ait: *Quando illi valent intelligere nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus? Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem nisi Deus? de qua lege Apostolus ait: Cum gentes quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt, faciunt; hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Et lib. 2. confess. cap. 4. de lege contra furtum agens occasione illius furti quod cum sociis poma adolescens decerpsit, patrarat, ait: *Furtum certè punit lex tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur.*

Conclusiones verò proximè, & immediatè deductæ ex primis principiis juris naturæ per se non possunt semper invincibiliter ignorari, sed tantùm per accidens occurente aliqua nova circumstantia, quæ videri possit excusare à peccato. Ratio primæ partis est, quia hujusmodi conclusiones proximè, & immediatè deductæ ex primis principiis juris naturæ sunt præcepta particularia decalogi, quæ per se, si nulla occurrat alia circumstantia ita sunt naturæ consentanea, ut statim, quod iisdem opponitur judicetur esse peccatum ac dissonum rectæ rationi, etenim ex illo primo principio solo naturæ lumine noto bonum est faciendum, & malum vitandum, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, statim infertur Deum esse diligendum super omnia eò quia hoc bonum sit, ut Creatorem, & benefactorem nostrum diligamus; parentes esse honorandos, & ex eo, quod lumine naturæ nobis innotescat, aliud principium *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris* statim infertur: ergo non occides, non furtum facies, non mœchaberis, non falsum testimonium contra proximum loqueris, non concupisces alienam mulierem, neque aliena bona. Nec quidquam facies, ex quo possit damnum inferri alteri: & quamvis apud nonnullas gentes contra has conclusiones immediatè illatas ex primis principiis juris naturæ, judicaretur licitum, ut teste Julio Cæsare lib. 6. de bello Gallico; & apud Lacedæmones referente Plutarcho in vita Lycurgi adulterium censeretur licitum, & apud Scotos homicidium, & apud alias Gentes furtum, ut etiam refert S. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinian. Paulò infra init. nihilominus quamvis Gentes subinde existimaverint sibi licitum, quod adversabatur conclusionibus immediatè deductis ex primis principiis naturæ, cujusmodi sunt præcepta decalogi, non tamen inde sequitur hæc præcepta decalogi posse per se, & pro semper invincibiliter ignorari ignorantia excusante à culpa. Ignorari quidem possunt, sed culpabiliter, adeo ut ignorantia vertatur ipsis culpæ, qua ratione ab Apostolo ad Rom. 1. vocantur inexcusabiles, & etiam adfert rationem, *quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, quapropter nonnullis interjectis subjungit: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum,* ut faciant ea, quæ non conveniunt, unde cum voluntariè, & culpabiliter, se injecerint in has errorum tenebras, ut existimaverint licita peccata contra naturam, ideo Apostolus vocat homines illos inexcusabiles, eò quia cæcitas illa ex peccato orta fuerit, quatenus cum cognovissent DEUM, non sicut Deum glorificaverunt, hinc D. Thomas lect. 7. in cap. 1. Epist. ad Roman. docet ignorantiam causatam ex culpa non posse subsequentem culpam excusare: sicut cæcitas illa gentilium oriebatur ex personali eorum culpa, ideo ignorantia, inde exorta, quia fuit voluntaria in causa non potuit eos excusare à culpa, quatenus neglexerunt diligenter adhibere inquisitionem ad veritatem inveniendam; nec Deum orârunt, ut lumen ipsis infunderet, quo veritas eis manifestaretur, proinde eorum error semper est culpabilis, quia ut ait D. Augustinus lib. de quantitate animæ cap. 14. fieri non potest, quadam divina providentia, ut religiosis animis, se ipsos & Deum suum, id est veritatem piè, & castè, & diligenter quærentibus inveniendi facultas desit. Hinc quod Gentes existimaverint licita quæ opponuntur præceptis decalogi non supponebatur in ipsis ignorantia invincibilis quæ excusaret à peccato, quia poterant, & debebant scire ea esse mala consequenter eorum ignorantia fuit culpabilis, & non excusabit à culpa. Præcepta particularia, quæ vel per se nota sunt, vel facillimè ex per se notis colliguntur, ignorari quidem possunt, non tamen sine culpa, saltem per longum tempus, quia ut notat Suarez lib. 2. de legib. cap. 8. n. 7. *Facillima diligentia cognosci possunt, & natura ipsa, & conscientia ita pulsat in animis eorum, ut non permittat inculpabiliter ignorari*, & subdit hoc apertè D. Paulum significâsse ad Roman. 2. ubi loquens de hujusmodi Transgressoribus ait: Datos esse in reprobum sensum propter sua peccata; quia ignorantia illa Gentilium, de quibus fuerunt locuti D. Hieronymus, & alii causata fuit ex culpa, nec poterat excusare à culpa. Unde D. Gregorius Magnus lib. 27. Moral. cap. 16. ait: *Creator omnipotens à cunctis insensibilibus irrationalibusque distinctam rationabilem creaturam hominem condidit, quatenus quod egerit, ignorare non possit. Natura enim lege scire compellitur seu pravum sive rectum sit, quod operatur. Nam ad judicium pro actione cur venit, si potuit nescire quod egit? Et ipsi ergo qui præceptis dominicis erudiri contemnunt utrum bona an mala sint, quæ faciunt, sciunt. Nam si bona se facere nesciunt, cur de aliquibus factis in ostentatione gloriantur? Rursum si malè se agere ignorant, cur in eisdem factis alienos oculos declinant? Ipsi enim sibi testes sunt. Quia sciunt malum esse quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum esse non crederent. Unde bene per quendam sapientem dicitur Sap. 17. Cum sit timida nequitia dat testimonium condemnationi, quia dum de facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit, quo contra per Joannem 1 Joan. 2. dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus apud Deum. Fugiant ergo iniqui humanos oculos semetipsos certè fugere non possunt, quia enim malum, quod faciunt noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem suam.* Quod vero possit contingere, ut per accidens ratione alicujus circumstantiæ occurrentis talis ignorantia sit inculpabilis est probatu facilè, quia interdum potest talis ignorantia occurrere, ut videatur excusari à culpa, & tunc ratione talis circumstantiæ potest haberi ignorantia invincibilis præcepti juris naturæ: etenim præceptum prohibens mendacium est vel maximè natu-

naturale, & nihilominus plures exiſtimarunt mendacium eſſe licitum ratione circumſtantiæ adjunctæ ad evitandum imminens mortis periculum, vel aliud graviſſimum damnum: rurſus præceptum prohibens vindictam ſumere de inimico propria authoritate ſecundùm doctrinam Catholicam eſt de jure naturali, & tamen Cicero vir ſapientiſſimus lib. de officiis cap. de juſtitia aſſerit: Primum munus juſtitiæ eſt, ne quis alium lædat, niſi laceſſitus injuria, putavit enim licitam eſſe vindictam propria authoritate, quando quis laceſſitur ab alio. Præterea certum eſt, non furari eſſe præceptum juris naturalis, & nihilominus aliqui exiſtimârunt licitum eſſe furari viro malo locupleti ad ſublevandos viros bonos etiam non conſtitutos in gravi neceſſitate: tunc enim circumſtantiæ occurrentes ita obſcurant intellectum, ut hic ob innatam ingenii tarditatem non valeat rectè diſcurrere ad inferendum tales actus adverſari præceptis naturæ, ut rectè docuit D. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art 1. in corp. ubi ait: Quædam ſunt in humanis actibus adeo explorata, quod ſtatim cum modica conſideratione poſſint approbari, vel reprobari per illa prima, & communia principia. Quædam verò ſunt ad quorum judicium requiritur multa conſideratio multarum circumſtantiarum quas conſiderare diligenter non eſt cujuslibet, ſed ſapientum: ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos Philoſophos.

Præcepta tamen ſecundaria, & minus principalia legis naturæ ignotari ab aliquibus poſſunt invincibiliter cujusmodi ſunt omnium bonorum jactura potiùs ſubeunda eſt, quam vel lève mendacium proferendum, Falſum teſtimonium proferre non licet etiam ad ſervandam hominis vitam, vel ut aliquis à patibulo liberetur, vel etiam ab æterna morte in gehenna, quia non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Ratio eſt, quia non omnia quæ pertinent ad jus naturale ſunt per ſe nota: quædam enim ſunt prima principia generalia, & univerſalia morum, ut ſunt hæc honeſtum eſt faciendum, malum declinandum. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, & hæc ſunt ita per ſe nota, ut cùm primum objiciuntur intellectui hic ejusdem aſſentiatur. Alia ſunt principia magis determinata, & coarctata, ut juſtitia eſt ſervanda. Deus eſt colendus, & hæc ut alia, & hujusmodi ſunt etiam per ſe nota, adeo ut intellectus iisdem propoſitis ſtatim aſſentiatur. Alia ſunt quæ per evidentem illationem ex primis principiis proximè, & immediatè deducuntur, de quibus jam diximus. Et alia quæ nonniſi per diſcurſum, ac mediatas conſequentias difficulter deducuntur ex primis principiis juris naturalis, & de hiſce dari poteſt ignorantia invincibilis, etiam poſt diligentem inquiſitionem veritatis: ſiquidem contingit, ut viri ſancti, & doctiſſimi circa jus naturale docent ſententias contradictoriè oppoſitas, quæ ſimul veræ eſſe non poſſunt, adeo ut neceſſe ſit, ut alter eorum doceat ſententiam falſam, quam tamen doctor ſanctus innocenter docet, & ſine culpa poſt diligentem inquiſitionem veritatis, & poſtquam à Deo petierit lumen ad videndam veritatem, ait enim S. Antonius 1. part. Sum. tit. 3. cap. 10. §. 10. *Quod ſint contrariæ opiniones inter Doctores ſanctitate, & ſcientia inſignes in materia morali aliquando etiam ad ſalutem neceſſaria patet per exempla. Nam D. Thomas in 4. tenet, quòd poſt lapſum in mortale non oportet aliquem ſtatim confiteri ſub præcepto habita copia Confeſſoris niſi in pauciſſimis caſibus. Sed D. Bonaventura oppoſitum docet, & neutra opinio eorum reprobatur.* Unde ex eo, quod viri ſancti pietate, & doctrina inſignes docent circa mores, & jus naturale ſententias contradictoriè oppoſitas neceſsè eſt alteram eorum eſſe veram, & alteram falſam, & neutrum ita docendo peccare, quia uterque adhibuit ſufficiens ſtudium, ac debitam inquiſitionem, imò & Deum enixè rogavit pro veritate invenienda, & docenda, conſequenter error non imputatur illis ad culpam, nec poteſt iisdem verti vitio, proindè eorum ignorantia circa jus naturale eſt invincibilis. Præterea quia nullus Doctor, quantumvis ſanctus habet privilegium nunquam errandi in iis, quæ docet circa jus naturale: ſiquidem plerumque quando controvertitur num aliquid jure naturæ ſit licitum diverſas habent Doctores opiniones, quas inculpabiliter propugnant, docent, & iisdem adhærent. Ratio itidem quia Deus non exigit ab homine, quod excedit ſuam conditionem: hominis autem conditio hoc habet ut in rebus moralibus non poſſit ſemper aſſequi rerum omnium agibilium evidentiam, nec eorundem habere certitudinem mathematicam quia ut docet D. Thomas cap. 1. lib. Ethic. Materia moralis talis eſt ut ei non conveniat certitudo; quo fit, ut Deus non exigat ab homine ut ſemper cum certitudine & evidentia de bonitate ſuæ operationis moralis operetur: ſed ſufficiat, ſi ſibi poſt diligentem inquiſitionem perſuadeat honeſtatem talis operationis ex quo oritur diverſitas illa opinandi, qua quis poteſt in tuta conſcientia utramque ſequi contradictionis partem, quia ut ait D. Auguſtinus lib. 1. contra Academicos cap. 4. *Quisquis minus inſtanter quam oportet veritatem quærit is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantùm quantum homo eſt, ac debet dat operam inveniendæ veritati etiam ſi non inveniat beatus eſt, & excuſatur, ſeu eximitur à peccato, quod ut faciat, ita natus eſt*, unde nulli eſt dubium, quin dari poſſit ignorantia invincibilis juris naturalis quoad concluſiones remotas, & valde diſtantes à primis principiis practicis juris naturalis, & de quarum veritate dantur ſententiæ oppoſitæ inter Doctores pios, & ſapientes. Quamvis enim deleri poſſit ex quorundam hominum cordibus lex naturæ, quantum ad præcepta decalogi, quæ ſecundaria à D. Thoma dicuntur, quia ex univerſaliſſimis pleraque derivantur, quia tamen ſunt in ſuo genere prima ex iisdem veluti quibusdam fontibus alia etiam ſcaturiunt, non tamen ſequitur de iisdem ſemper dari ignorantiam invincibilem, quia hæc deletio legis naturalis, quoad hæc præcepta fit vel malis perſuaſionibus vel pravis conſuetudinibus vel habitibus corruptis, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 94. art. 6. malæ autem perſuaſiones, pravæ conſuetudines, & habitus corrupti poſſunt ſuperari, eò quia oriantur ex voluntate vitiata non attendente ad legem naturæ, ait D. Thomas *ad legem naturalem pertinent primo quædam præcepta communiſſima, quæ ſunt omnibus nota: Secundariò autem quædam præcepta magis propria, quæ ſunt quaſi concluſiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo poteſt è cordibus hominum deleri in univerſali: deletur tamen in particulari operabili ſecundùm quod gratia impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiſcentiam vel aliquam aliam paſſionem. Quantum verò ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter malas*

Digitized by Google

malas perſuaſiones, vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos, ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam. Et quæſt. 100. art. 1. ait: Cum moralia præcepta ſint de his quæ pertinent ad bonos mores; hæc autem ſunt quæ rationi conveniunt: omne autem rationis humanæ judicium aliqualiter à naturali lege derivatur, unde neceſſe eſt, quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diverſimodè quædã enim ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda, vel non facienda ſicut honora Patrem tuum, & matrem tuam, non occides, non furtum facies, & hujusmodi ſunt abſolutè de lege naturæ quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſiderationi rationis à ſapientibus judicantur eſſe obſervanda; eſt iſta ſic ſunt de lege naturæ ut tamen indigeant diſciplina, qua minores à Majoribus inſtruantur ſicut illud coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & alia hujusmodi. Quædam verò ſunt ad quæ judicanda ratio humana indiget inſtructione divina per quam erudimur de divinis ſicut eſt illud, *non facies tibi ſculptile*, neque omnem ſimilitudinem, *ne aſſumes nomen Dei tui in vanum.*

Quòd verò ignorantia invincibilis juris naturalis quoad illas concluſiones remotas, ac valde diſtantes à primis principiis practicis, à quibus non niſi mediatè, & remotè deducuntur, & quarum veritates contravertuntur, & dantur ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores, pietatis & doctrina inſignes, non ſit hæc ignorantia cauſa peccati, ſed excuſare à culpa eſt probatu facile, quia removet ab actu rationem voluntarii, & conſtituit actum ſimpliciter involuntarium: ſed præfata ignorantia juris naturalis hoc præſtat, ergo non cauſat peccatum ſed excuſat à culpa: minor liquet, quia illa ignorantia poſt diligentem inquiſitionem veritatis eſt invincibilis, & antecedit operationem ergo cauſat involuntarium ſimpliciter, ſiquidem voluntarium eſt, quod provenit à principio intrinſeco cum cognitione, ut docet D. Thomas, ita involuntarium eſt, quod procedit ſine cognitione, ergo cùm ignorantia juris naturalis tollat rationem voluntarii excuſat à culpa, ſi ſit ignorantia invincibilis, quæ poſt ſufficiens ſtudium, & diligens examen ſuperari non poſſit: hinc D. Chryſoſtomus homil. 13. in epiſt. ad Roman. dixit: *Neminem ignoranter peccare, qui enim peccaret, indignus utiq; eſſet, qui pœnas daret.* Et Auguſtinus lib. de natur. & grat. cap. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis, quærere, quod ignoras?* *ergo cùm præfata juris naturalis ignorantia ſupponat diligentem inquiſitionem ac pravium ſtudium veritatis inveniendæ non poteſt vitio, & culpa verti.* Si dicas ignorantiam cauſare quidem involuntarium, non verò excuſare à culpa, eò quia poſſit aliquid eſſe peccatum actuale, quamvis non ſit voluntarium in actu ſecundo, contra eſt quia ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 74 art. 1. in corp. *Peccatum eſt actus moralis humanus, & de ratione actus moralis humani eſt, ut ſit voluntarius, ac deliberatus*, quia ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 1. art. 1. *Ille actiones propriè dicuntur humanæ, quæ ex voluntate deliberata procedunt: ſi quæ autem alia actiones homini conveniant poſſunt quidem dici hominis actiones ſed non propriè humanæ, cùm non ſint hominis in quantum homo eſt.* Præterea quia actus ut ſit moralis, & humanus debet eſſe liber; eſt enim libertas radix & fundamentum moralitatis ut docet D. Thomas, & actus nequit liber eſſe, niſi ſit voluntarius: ratio enim voluntarii eſſentialiter includitur in ratione liberi, perinde ac gradus contrahibilis in contractivo: ergo peccatum ſupponit eſſentialiter actum liberum conſequenter etiam voluntarium: ergo cum non poſſit actus eſſe peccaminoſus, quin ſit voluntarius, & non poſſit eſſe voluntarius, quin procedat ex prævia cognitione, ſequitur manifeſtè ignorantiam invincibilem tollere rationem voluntarii, & excuſare à culpa, unde D. Auguſtinus tract. 89. in Joan. expendens verba Chriſti Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*, ait Auguſtinus *illos ad quos Chriſtus non venit, & quibus non eſt locutus excuſationem habere non de omni peccato ſuo ſed de illo, quo in Chriſtum non crediderunt:* quia nimirum invincibiliter ignorârunt. Hinc ignorantia quæ cauſa eſt actus peccati, ſi ſit omnino involuntaria excuſat peccatum. Eſt autem ignorantia cauſa illius actûs quem ſcientia oppoſita prohiberet, qua propter talis actus, ſi ſcientia adeſſet, adverſaretur voluntati. Quamobrem cùm nullum ſit peccatum niſi ſit voluntarium ignorantia illa excuſat peccatum, quatenus reddit actum involuntarium: & talis fuit ignorantia Noe cum ſe le vino madidus inebriavit, cum neſciret ipſe efficaciam, & vim vini, fuit enim hæc ignorantia tunc invincibilis, quæ excuſavit à culpa, talis etiam fuit ignorantia Jacob, quando cognovit Lyam quam putavit eſſe ſuam uxorem, quia neſcivit ſoceri dolum, qui pro Rachele ſubſtituit Lyam. Hinc Noe à peccato ebrietatis & Jacob ab adulterio excuſantur. Ignorantia verò quæ non eſt cauſa peccati, ſed illud conſequitur vel concomitatur, non excuſat à culpa, quia quamvis hujusmodi ignorantia abeſſet, adhuc opus fieret, quapropter opus peccati eidem conjunctum non ſit involuntarium. Talis eſt ignorantia occidentis inimicum quem putaverat feram eſſe, & adhibuit neceſſariam diligentiam ne hominem occideret, & de facto interfecit hoſtem, de quo nil tunc cogitabat, quamvis in voluntate fuerit ipſum occidendi, adeo ut ſi ſciviſſet eſſe inimicum eum interfeciſſet; ut docet D. Thomas. Verùm tamen eſt, quòd hujusmodi ignorantia peccatum non auget, vel minuit, eò quia non ſit ejus cauſa, nec minuat vel augeat voluntarium.

Ignorantia tamen ſolius circumſtantiæ peccatum aggravantis vel etiam ad aliam ſpeciem transferentis non excuſat peccatum, cujus malitia nota eſt; ſed illud ſolùm, quod eſt ex ignorantia circumſtantiæ, idque vel ex toto, ſi ignorantia circumſtantiæ fuerit invincibilis; vel ex parte ſi ſuperari potuerit, quia ignorantia eatenus excuſat peccatum, quatenus ignoratur aliquid eſſe peccatum, & poteſt contingere quòd aliquis ignoret aliquam circumſtantiam peccati, quam ſi cognoſceret, non peccaret, & nihilominus adhuc cognoſcit illud opus, quod aggreditur eſſe peccatum, ut ſi quis alterum percutiens ſciat quidem hominem eſſe, ſufficit ad peccatum, ſed neſcit eſſe patrem, vel ſacerdotem, quæ circumſtantiæ conſtituunt novam ſpeciem peccati, tunc percutiens, quamvis non ſit reus parricidii, nec ſacrilegii, eò quia ignorantia illius circumſtantiæ, quòd homo ille fuerit Pater vel ſacerdos, eſſet tamen reus homicidii, eò quia quem percuſſit hominem eſſe exploratum percutienti fuit. Talis fuit ignorantia Judæ cum Thamarem cognovit reus enim fuit fornicationis, quia acceſſit ad mulierem, quam ſciebat ſuam non eſſe, & exiſtimabat meretricem, ſed reus non fuit inceſtus, quia ignoravit eſſe nurum ſuam, & quidem ignoran-

tia

Digitized by Google

tis invincibilem, cum Thamar faciem ſuam velaverit, ne à Juda poſſet cognoſci, quapropter D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 61. ait: *Et ſi gravius peccaſſet ſi nurum ſciens concumbere cum ea voluiſſet, tamen eum quantum in ipſo erat, deformiter cum meretrice cubaſſe non dubium eſt.* Ignorantia tamen eorum quæ quis ſcire tenetur, & poteſt adhibita aliqua diligentia ſive directè ſive indirectè tantùm volita ſit ejus peccatum omnino non excuſat, quia cum illa ignorantia ſit voluntaria, & eorum eſſe ſupponatur, quæ tenetur ſcire, & poteſt eorundem ſcientiam enanciſci, ſi velit ſtudium adhibere, tantum abeſt, quòd peccatum excuſet, ut potiùs illud aggravet, quia ut ait S. Thomas. 1. 2. quæſt. 71. art. 2. *Quicunque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omiſſionis: unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur eſt peccatum.* Et hæc ignorantia eſt triplicis generis primùm genus eſt ignorantiæ eorum, quæ ſunt myſteria noſtræ fidei, & ſymboli Apoſtolorum, in quo continentur duodecim articuli fidei. Secundum ignorantiæ genus eſt eorum, quæ pertinent ad mores ritè informandos, ut ſunt Dei, & eccleſiæ præcepta generalia: & tertium genus eſt eorum, quæ ſpectant ad uniuſcujuſque ſtatum, ſiquidem alia ſunt, quæ tenetur ſcire Parochus, alia, quæ Epiſcopus, alia quæ Medicus aut Judex, aut Advocatus, nec enim Parochiani tenentur omnia ſcire quæ Parochus, nec Parochus quæ Epiſcopus, nec patiens ægrotus quam Medicus. Hinc D. Thomas ait 1. 2. quæſt. 75. art. 2. *Aliquis ſcire tenetur illa ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum rectè exercere, unde omnes tenentur ſcire communiter ea quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta: ſinguli autem ea quæ ad eorum ſtatum vel officium ſpectant.* Hoc idem etiam docet D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ubi ait: *Cùm ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt, nulli enim homini ablatum eſt ſcire utiliter quæri; quod inutiliter ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec laborat.* Et epiſt. 194. ait: *Ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt*, idque confirmat D. Thomas 1. 2. quæſt. 19. art. 6. inquiens: *Si ratio vel conſcientia erret errore voluntario, vel directè vel propter negligentiam, quia eſt error circa id quod quis ſcire tenetur, tunc talis error rationis vel conſcientiæ non excuſat, quin voluntas concordans rationi, vel conſcientiæ ſic erranti ſit mala. Si autem ſit error, qui cauſat involuntarium proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error rationis vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala: puta ſi ratio errans dicebat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere voluntas concordans huic rationi erranti eſt mala, eò quia error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur. Sin autem ratio erret in hoc quod credat, aliquam mulierem ſummiſſam eſſe ſuam uxorem, & ea petente debitum vult eam cognoſcere excuſatur voluntas ejus ut non ſit mala, quia error iſte ex ignorantia circumſtantiæ provenit, quæ excuſat, & involuntarium cauſat.* Hoc idem etiam docet Innocentius III. in cap. *Per tuas 3. Extra de Simonia*, ubi ait: Reum eſſe Simoniæ Subdiaconus qui certum titulum non habens quemdam Presbyterum rogavit ut ipſum ad eccleſiæ ſuæ titulum præſentaret, quod cum ei ſatisfacere nollet ipſe promiſit ſe nullam portionem unquam petiturum in ejus eccleſia, poſt præſentationem: ſub qua promiſſione præſentatus ſacrum ordine ſuſcepit, nec ſe in hoc illicitum aliquid egiſſe intellexit. Verùm ut Simoniæ Reum ad ſuperiores ordines aſcendere; vel in ordine ſuſcepto miniſtrare Pontifex prohibet, niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum, eò quia tenebatur ſcire hujuſmodi pactum eſſe Simoniacum, & illud facilè ſcire poterat, ſi peritiores interrogaſſet. Hinc ignorantia etiam directè & per ſe volita peccatum non minuit, ſed auget, talis eſt eorum ignorantia, qui ſua ſponte volunt aliquid neſcire, ut liberiùs peccent, hæc enim ignorantia auget voluntarium, quia ex intentione, & affectu vehementi, ac æſtu voluntatis ad peccandum provenit; quod aliquis vult ſubire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi; unde qui vult talem ignorantiam, vult etiam peccatum, quod ad ipſam ſequitur ait enim D. Thomas 1. 2. quæſt. 76. art. 4. & quæſt. 3. de malo art. 8. ait: *Cum aliquis directè vult ignorare, ut à peccato per ſcientiam non retrahatur talis ignorantia non excuſat peccatum: nec in toto nec in parte ſed magis auget. Ex magno enim amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum ſcientiæ pati velit ad hoc quod liberè peccando inhæreat; hinc impius ille in Pſal. 35. ajebat: Ut delinquat in ſemetipſo, hoc eſt apud ſe propoſuerat peccare, ideoque noluit intelligere, ut bene ageret.* Ignorantia tamen indirectè volita peccatum minuit, ut eſt ignorantia illius qui ſtudio incumbere negligit, vel qui vinum largiùs bibit, ex quo ſequitur ebrietas quia hæc ignorantia cum minuat voluntarium minuit etiam peccatum, quia ut docet D. Thomas quando aliquid non cognoſcitur eſſe peccatum non poteſt dici quod voluntas directè, & per ſe feratur in peccatum, ſed per accidens: unde ibi eſt minor contemptus & per conſequens minus peccatum, & de hac ignorantia, quam Theologi dicunt ſimplicem loquens D. Auguſtinus lib. de gratia & libero arbit. ait: *Aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe voluntas quippe in eo arguitur: de quo dicitur, noluit intelligere, ut bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet ſed fortaſſe ut minus ardeat, non enim ſine cauſa dictum eſt, Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt.* Et lib. 6. contra Julian. cap. 16. *Ex hoc inquit concupiſcentia pejor eſt quàm ignorantia; quia ignorantia ſine concupiſcentia minus peccat: concupiſcentia verò ſine ignorantia gravius peccat.*

Non tamen eſt neceſſe ut quando quis peccat advertat ad pravitatem & turpitudinem peccati, unde non eſt neceſſaria prævia peccati cognitio, ut quis peccet, ac ſtimulus excitetur ad vitandum peccatum ſufficit: ſi quis ſimpliciter accedat ad non ſuam, vel rem alienam ſurripiat invito Domino, tametſi cognitio tunc peccati, & advertentia, quod male quis agat mentem peccantis illuſtrat, hinc in ſcripturis non excuſantur à peccato perſecutores Apoſtolorum, qui præviam mentis illuſtrationem circa malitiam illius peccati non habebant, nec illud vitandi deſiderio ſtimulabantur: ſiquidem in hac perſecutione putabant ſe potiùs obſequium præſtare Deum, propterea Magiſter

gister Christus suos alloquens discipulos ajebat: *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo; & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem nec me.* Præterea D. Paulus ante suam conversionem cum persequeretur ecclesiam procul dubio graviter peccasse, ut ipsemet fatetur 1. Timoth. 1. inquiens: *Fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus:* sed tunc præviam illam animi illustrationem & attentionem ad advertentiam ad pravitatem persecutionis non habebat cùm potiùs se laude dignum æstimaret ob eandem persecutionem, ac se abundantius supra coætaneos suos paternarum traditionum æmulatorem agnosceret, quapropter ad Galat. cap. 1. *Audistis conversationem meam aliquando in judaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in judaismo supra multos Coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Ex quo claret non esse necesse ad peccatum, ut peccans attendat ad peccati pravitatem & actionis dissonantiam à regulis rectæ rationis. Hoc idem etiam docent Christi verba, quæ protulit in crucis cathedra, ut nos doceret condonare injurias nobis illatas Luc. 23. *Pater dimitte illis:* non enim sciunt quid faciunt: & tamen tunc Judæi non arbitrabantur, se pravè agere cum justè operari existimarent, eò quia Christum ut seductorem, & malefactorem haberent, & non ut Dominum gloriæ cognoscerent. Et tamen licèt Deicidii pravitatem non agnoscerent gravissimè peccarunt. Rursus certum est, eos itidem peccare, quos Deus dimisit vias suas ingredi, & quos tradidit in desideria cordis eorum, sed hi non solùm ad actionis pravitatem non attendunt neque agitantur stimulis abstinendi à peccato, quod potius cum gaudio complectuntur. Unde non est necesse, ut peccatum alicui imputetur, quod peccari ad ejus pravitatem attendat, ejusque vitandi desiderio moveatur. Hinc D. Bernardus Tractatu ad Hugonem à S. Victore ostendit eos versari in crassissimis ignorantiæ tenebris qui peccari posse per ignorantiam non agnoscunt. Hinc in Psal. 49. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* & Psal. 9. *Non est Deus in conspectu ejus inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus,* & ex eo, quod non attendant, & considerent turpitudinem suæ operationis peccent, colligitur ex Psal. 77. *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt,* ut enim ait D. Augustinus lib. 1. retract. cap. 15. *Qui nesciens peccavit non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum, quæ voluntas utique sicut definita est animi motus fuit nullo cogente ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quòd si noluisset non fecisset non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit etiam si non quia voluit peccavit nesciens peccatum esse, quod fecit: ita nec peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Sin autem necessaria esset attentio & advertentia ad pravitatem actionis nunquam peccaret, qui nescit peccatum esse, quod facit, neque sola facti voluntate, verùm etiam voluntate peccati, quod peccatum voluntarium esset, quapropter hæc propositio, nunquam peccatur nisi prævia peccati cognitione mens peccantis illustretur, ejusque vitandi desiderio excitetur falsa est, contra scripturas, & sanctos Patres, ut etiam falsa est hæc alia propositio, peccatum philosophicum; seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Et Theologicum, ac mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in eo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est quidem grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœnam meretur æternam. Hæc enim propositio non solùm Atheos, & infideles omnes, sed etiam Christianos excæcatos, & obduratos in peccato absolvit, facitque Dei amicos, & à pœna æterna liberat, & felicior esset eorum conditio ex hac parte infidelium, quàm fidelium qui Deum noverunt, eumque coluerunt, & nunquam in illam cœcitatis noctem incurrerunt: siquidem Pagani sedentes in tenebris talis ignorantiæ peccata committentes non essent digni pœna æterna, quod falsum est & contra scripturas cum scribat D. Paulus ad Ephes. 4. *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui tenebris obscuratum habentes intellectum alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cœcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam,* & cap. 5. subdit Apostolus: *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Rursus ad Roman. cap. 2. scribit: *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum; Judæi primum, & Græci. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Et 1. ad Thessal. 4. scribit: *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicut & Gentes quæ Deum ignorant, & nemo supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum quoniam vindex est Dominus de his omnibus sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Hinc Alexander VIII. illam distinctionem peccati philosophici, & theologici, & simul opinionem quæ eidem distinctioni innitebatur damnavit ut scandalosam, temerariam offensivam piarum aurium, & erroneam, & excommunicationem ipso facto incurrendam ac sedi apostolicæ reservatam tulit in eos, qui hanc propositionem, & opinionem promoverint, docuerint, defenderint, vel ediderint, imò & de illa disputationem instituerint publicè vel privatim, nisi fortassis causa eam impugnandi, ac ostendendi illius falsitatem; & in virtute sanctæ obedientiæ ac sub interminatione divini judicii omnibus Christi fidelibus prohibuit, ne damnatam hanc propositionem audeant ad praxin deducere.

Quamvis ignorantia facti si sit invincibilis excuset à culpa non ita ignorantia legis, si debito modo fuerit promulgata, & ejus notitia ad operantem contra ipsam potuerit devenire hinc habetur regula juris 13. in 6. ubi dicitur: *Ignorantia facti non juris excusat.* Quod si lex debito modo non fuerit promulgata vel ejus notitia non potuit pervenire ad eum qui contra ipsam agit, seu illam non observat, tunc excusat a culpa, quia juris ignorantia tunc censetur invincibilis: ut colligitur ex cap. *Cum in tua Extra de his qui matrimonium accusare possunt,* siquidem Innocentius III. asserit ab accusatione matrimonii eum esse repellendum, qui solemnium denuntiationum tempore tacuit, nisi probet denuntiationem ad ipsum potuisse pervenire; ait enim Pontifex: *Si tempore denuntiationis præmissæ is qui jam conjunctos impedit, extra diœcesim existebat, vel aliàs denuntiatio, non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut puta,*

ta, ſi nimiæ infirmitatis fervore laborans ſanæ mentis potiebatur exilium, vel in annis tam teneris conſtitutus quod ad comprehenſionem talium ejus ætas ſufficere non valebat: ſeu alia cauſa legitima fuerit impeditus ejus accuſatio debet audiri: alioquin cum rationabiliter præſumatur, quod denuntiationem publicè factam idem exiſtens in ipſa diœceſi minimè ignoraverit, tanquam ſuſpectus, eſt procul dubio repellendus. Ignorantia tamen juris ſi ſit invincibilis juris cenſuras illo jure ſtatutas non incurrit, ſi contra jus illud ignoranter agat, & colligitur ex cap. ut animarum de conſtitut. in 6. ubi Pontifex ait: *Ut animarum periculis obvietur ſententiis per ſtatuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes.* Ratio eſt eadem ac de juris communis ignorantia, quia nulla pœna infligitur niſi propter peccatum, & ignorantia, ſi fuerit invincibilis à peccato excuſat, & cenſuræ non feruntur niſi in contumaces, & is contumax non poteſt cenſeri, qui laborat ignorantia, quæ humano ſtudio ſuperari non poteſt.

CAPUT XV.

Exhibentur, & explicantur aſſertiones pertinentes ad voluntarium per violentiam.

Ut ratio voluntarii per violentiam explicetur, quid ſignificent hæc quinque nomina neceſſarium, impediens, coactum, violentum, & involuntarium. Præmittendum eſt, quia plerumque inter ſe confunduntur. Neceſſarium dicitur quatenus opponitur contingenti, ſeu indifferenti, & importat determinationem ad unum cum excluſione facultatis ad oppoſitum: ſiquidem neceſſitare perinde eſt, ac determinare ad unum non relinquendo potentiam ad oppoſitum. Hinc quando ſurſum projicitur lapis dicitur neceſſitari ad aſcenſum, eò quia impulſus eidem impreſſus à projiciente eum determinat ad aſcenſum ſurſum. Impediens eſt totaliter auferre exercitium propriæ actionis, ut cùm lapis ſurſum projectus impeditur, & detinetur à tecto ne ulterius aſcendit. Coactum propriè loquendo eſt quod opponitur ſpontaneo, ſeu voluntario, adeò ut reperiatur in ſolis cognoſcentibus, ſiquidem cogere perinde eſt, ac compellere, ac inferre violentiam alicui animali contra ejus elicitam inclinationem, & per hoc differt coactum à violento, quia illud propriè dicitur de cognoſcentibus hoc verò etiam de rebus inanimatis, ut cùm lapis projicitur ſurſum motus ille propriè eſt ei violentus non coactus. Violentum eſt, quod infert violentiam alicui rei ſive animatæ ſive inanimatæ contra inclinationem naturalem illius. Involuntarium quamvis interdum ſumatur pro coacto, vel violento: latius tamen patet, quia poteſt contingere, quod aliquid ſit involuntarium non ſolùm ratione violentiæ, ſeu quia eſt à principio extrinſeco, & etiam ex defectu cognitionis, imò & ratione ignorantiæ: quapropter involuntarium tripliciter ſumi poteſt: primò negativè, eſtque illud, quod nec eſt voluntarium, nec eſt capax voluntarii cujuſmodi ſunt motus rerum omnium inanimatarum, qui laxè, & impropriè dici poſſunt involuntarii. Secundò ſumitur involuntarium quaſi privativè, & dicitur id, quod tametſi poterit eſſe voluntarium; tamen ratione ignorantiæ concomitantis non fuit voluntarium, dicitur enim privativè involuntarium, quia quantum eſt ex ſe, eſt capax ut ſit voluntarium ſi nimirum excluderetur, ignorantia. Tertiò demum dicitur involuntarium poſitivè, & eſt quòd ſit à voluntate per violentiam, & contra inclinationem elicitã voluntatis quod dupliciter poteſt intelligi vel quia ſit contra inclinationem efficacem & dicitur involuntarium ſimpliciter per violentiam, de quo in præſenti eſt ſermo, ut cùm quis vult efficaciter manũ movere, vel pedem, vel totum corpus & ab extrinſeco agente fortiori impeditur: vel intelligitur quòd fiat contra inclinationẽ inefficacem ſive hæc ſit ſimplex affectus, ſive quædã duntaxat velleïtas, & hoc non dicitur ſimpliciter involuntarium, ſed mixtum ex voluntario, & involuntario, ut eſt, quod fit ex metu gravi. Juvat obſervare quod tametſi voluntas efficax divina ſemper, & neceſſariò habeat effectum, voluntas tamen efficax creata poteſt impediri à fortiori agente, & tametſi ita impediatur adhuc dicitur efficax non quidem deſumpta denominatione ab effectu ſecuto, ſed dicitur efficax intrinſecè per modum actus primi, quatenus quantum ex ſe haberet effectum niſi aliunde impediretur.

Hinc aſſerendum eſt violentum propriè eſſe id, quod eſt à principio extrinſeco nil conferente paſſo, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 4. cum Ariſtot. 3. Ethic. cap. 1. ratio eſt quia eo ipſo quod eſt à principio extrinſeco & paſſo nihil confert, eſt contra inclinationem naturalem qua principium intrinſecum inclinatur ad ſuum actum. Violentum enim aliud eſt contra inclinationem naturæ non cognoſcitivæ; & aliud contra inclinationem naturæ ſenſitivæ, & aliud contra inclinationem naturæ rationalis, non enim ad rationem violenti ſufficit, ut notat Scotus in 4. diſt. 19. quæſt. 1. Si paſſum ſe habeat merè negativè ſed requiritur poſitiva reſiſtentia, quia violentum cum non exigat eſſe contra naturalem inclinationem, debet fieri aliqua reſiſtentia, qua naturalis inclinatio reſiſtat violentiam inferenti, conſequenter definitio tradita violenti admittenda eſt, & ex eadem definitione tres conditiones requiruntur, ut alicui violentia inferatur, quarum prima eſt, ut ſit à principio effectivo extrinſeco, ſecunda ut ſubjectum violentiam patiens, quamvis reſiſtat violentiam inferenti, non tamen concurrat effectivè ad ipſam. Tertia ut repugnet inclinationi ſubjecti, cui violentia infertur. Ex his conditionibus duæ primæ exprimuntur in ipſa definitione. Tertia quamvis non explicetur ita clarè, continetur nihilominus implicitè in illis particulis nil conferente paſſo, quia id non debet intelligi negativè ſed contrariè ut notat Scotus in 4. diſt. 29. quæſt. unic. ſiquidẽ ut motus aliquis ſit violentus, non ſufficit, ſi ſubjectum, cui violentia infertur, non habeat inclinationem ad illam vel ulterius quòd habeat inclinationem contrariam alioquin infuſio habituũ ſupernaturalium eſſet nobis violenta, ſiquidem eſt à principio extrinſeco nihil conferente paſſo hoc nimirum non adjuvante effectivè, nec habente naturalem inclinationem ad receptionem habituum ſupernaturalium. Quamobrem eatenus hæc infuſio non eſt violenta, quia anima rationalis non habet eidem oppoſitã inclinationem. His poſitis

Aſſerendum eſt violentiam omnino excuſare à peccato, quia nullum eſſe poteſt peccatum ſine voluntate: ſed violentia involuntarium cauſat, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 5. quia eſt contra voluntatem paſſi, quæ propterea violentiæ ſibi illatæ quantum poteſt reſiſtit. Hinc puella vim patiens à violatore inſons eſt, ſi conſenſum voluntatis non præbeat, & quantum in ſe eſt, aggreſſori reſiſtit, quapropter S. Lucia dicebat tyranno. *ſi invitam juſſeris violari caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*, hinc D. Auguſtinus lib. 1. de civit. Dei cap. 18. ait: *At enim ne vel aliena polluat libido metuitur. Non polluet ſi aliena erit; ſi*

autem polluet aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus ſit animi comitemq́ habeat fortitudinem, qua potiùs qualibet mala tolerare, quàm malo conſentire decernit; nullus autem magnanimus & pudicus in poteſtate habeat quid de ſua carne fiat, ſed tantùm quid annuat mente vel renuat; quis eadem ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam ſi forte in apprehenſa, & oppreſſa carne ſua exerceatur, & expleatur libido non ſua? ſi enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit, ſed pertinebit ad ea bona, quibus bene vivitur ſed in bonis corporis numerabitur, qualia ſunt vires, pulchritudo ſana, integraque valetudo, ac ſi quid hujuſmodi eſt, quæ bona etiam ſi minuantur bonam juſtamq́ vitam omnino non minuant. Quod ſi tale aliquid eſt pudicitia, ut quid pro illa, ne amittatur etiam cum periculo corporis laboratur. Si autem animi bonum eſt etiam oppreſſo corpore non amittitur, quin etiam ſancta concupiſcentia bonum cum immunditia carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificatur & ideo, cum eis non cedere inconcuſſa intentione perſiſtit, nec de ipſo corpore perit ſanctitas, quia eo ſanctè utendi perſeverat voluntas, & quantum in ipſo eſt, etiam facultas. Neque enim eo corpus ſanctum eſt, quod ejus membra ſunt integra aut eo quod nullo contrectantur attactu; cum poſſint diverſis etiam caſibus vulnerata vim perpeti & medice aliquando ſaluti opitulantes hæc tibi faciant quæ horret aſpectus. Obſtetrix virginis cujuſdam integritatem manu velut explorans ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, dum inſpicit, perdidit. Non opinor quemquam tam ſtultè ſapere, ut huic periiſſe aliquid exiſtimet, etiam de ipſius corporis ſanctitate, quamvis membri illius integritate jam perdita. Quo circa propoſito animi permanente per quod etiam corpus ſanctificari meruit nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis aliena, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ. An verò ſit aliqua fœmina mente corrupta, violatoq́ propoſito quod Deo voverat, pergat vitianda ad deceptorem ſuum adhuc eam pergentem ſanctam vel corpore dicimus ea ſanctitate animi per quam corpus ſanctificabatur amiſſa atque deſtructa? abſit hic error. Et hic potiùs admoneamur, ita non amitti corporis ſanctitatem manente animi ſanctitate etiam corpore oppreſſo ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi ſanctitate etiam corpore intacto. Non tamen ſufficit ad perfectam violentiam inducentem involuntarium & à peccato penitus excuſantem ut mens repugnet ſceleri ſed neceſſe eſt, ut homo etiam opere externo renitatur, & quantum poteſt reſiſtat quapropter ſi Virgo per vim opprimeretur animo quidem repugnans facinori, ſi clamore & totis viribus non obſiſteret violatori perfectam violentiam paſſa, non cenſeretur nec à peccato immunis, quia ut ait D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 5. *Voluntarium poteſt aliquid dupliciter dici uno modo ſecundum actionem, puta cum aliquis vult aliquid agere alio modo ſecundum paſſionem cum quis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori manente in eo qui patitur voluntate patiendi non eſt ſimpliciter violentum quia licèt ille qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati, quapropter non poteſt dici involuntarium.* Verùm licèt puella vim patiens à ſtupratore non conſentiat mente ſola non opere externo, & totò conatu non reſiſtit vim inferenti & peccato clamore etiam non reluctatur, licèt non excuſetur à peccato, quia non fecerit quantum potuit, ut reniteretur vim inferenti, minus tamen rea eſt, quàm quæ nec mente repugnat, & plenè conſentit. Tales erant, qui ad profana, & ſacrilega Ethnicorum ſacrificia ducti vel compulſi totis viribus non renitebantur, ſed tantùm repugnantem voluntatem externis ſignis triſtitiæ, & externo habitu obtendebant, quapropter Concilium Ancyranum decrevit mitiorem pœnitentiam eſſe illis injungendam ait enim can. 4. *De his, qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper & cœnaverunt in idolis, quicunque eorum cum ducerentur latiore habitu fuerunt, & veſtimentis pretioſioribus uſi ſunt, ac præparatæ cœnæ indifferentes participes extiterunt. Placuit eos inter audientes uno anno conſtitui, ſuccumbere verò tribus annis in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam* (ſcilicet ad Euchariſtiæ communionem) *pervenire. Quotquot autem aſcenderunt templa veſte lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere diſcubitus, ſi compleverint pœnitentiam triennii temporis ſine oblatione ſuſcipiantur. Si autem non communicaverunt biennio ſubjecti pœnitentia, tertio anno ſine oblatione communicent, ut perfectionem quadriennio conſequantur.*

Hinc aſſerendum ulteriùs eſt agens qua tale non poſſe violentiam pati in agendo, quia eo ipſo, quòd agens agit ſemper effective ſe habet ad talem actionem quia eſt à principio intrinſeco agentis exercentis propriam intrinſecam virtutem, quam ſi non exerceret non ageret quoties autem eſt à principio intrinſeco agentis non eſt illi violenta, quia violentum exigit fieri à principio extrinſeco, quia per id differt violentum à naturali & voluntario, quia naturale eſt à principio intrinſeco juxta inclinationem paſſi: & voluntarium eſt etiam à principio interno & rurſus eſt juxta inclinationem ejus, qui vult, ergo violentum tunc habetur quando agens vel patiens non confert vim, ſed mere paſſivè ſe habet conſequenter ut actio ſit violenta debet neceſſariò eſſe à principio extrinſeco, & nullo modo ab intrinſeco, conſequenter non poteſt agens in agendo violentari, quia repugnat actio agentis, quæ non ſit à principio intrinſeco ejusdem agentis, alioquin non eſſet exercitium talis virtutis quòd ſi dicas poſſe intervenire aliquam violentiam in applicatione agentis, conſequenter poſſe actionem tunc eſſe violentam, & agens violentari in agendo. Contra eſt negatur conſequentia, quia tametſi interveniat aliqua violentia in applicatione agentis eſt tamen ſemper talis actio à principio intrinſeco, ſeu à virtute intrinſeca ipſius agentis conſequenter non poteſt eſſe actio violenta, quia oppoſito modo ſe habet ad violentum, quod exigit eſſe à principio extrinſeco, quapropter neque actio imperata poteſt eſſe violenta reſpectu potentiæ à qua dimanat, quia reſpectu illius non eſt à principio extrinſeco, quòd neceſſariò requiritur, ut actio ſit violenta. Si dicas eſto agens principale non poſſit violentari in agendo non tamen id repugnat agenti inſtrumentali proinde ſaltem agens inſtrumentale poteſt violentari ad agendum. Antecedens liquet, quia poteſt aliquid aſſumi ut inſtrumentum ad effectum contrarium ſuæ naturæ, ut ſi frigiditas aſſumatur, ut inſtrumentum ad calefaciendum, tunc violenter calefaceret ut cauſa inſtrumentalis conſequenter ſaltem agens inſtrumentale poteſt violentiam pati. Sed contra negatur conſequentia, quia tametſi res illa dicatur violentiam pati quatenus aſſumitur, & elevatur ad inſtrumentaliter producendum actum contrarium ſuæ naturæ, nihilominus poſtquam res illa eſt aſſumpta, & elevata ad talem effectum, illam non producit violenter, ſed connaturaliter in ſenſu compoſito cum tali elevatione. Hinc licet elevatio ſit violenta non ita effectus, qui oritur ex tali elevatione: ratio diſcriminis eſt, quia ſubjectum reſpectu elevationis ſolùm ſe habet mere paſſivè, quia tota elevatio

eſſet

Digitized by Google

eſſet à principio extrinſeco contra inclinationem ſubjecti, quod elevatur. Sed ſemel poſita tali elevatione ſubjectum concurreret effectivè ad actionem & effectum, conſequenter nec actio, neque effectus poſſet illi eſſe violentus. Quod luculentiùs explicatur, quia tametſi ſerra in receptione motus artificioſi patiatur violentiam non propterea ipſa ſciſſio artificioſa dicitur violenta eidem ſerræ, eo quia effectivè cauſatur ab illa, ita à pari quamvis frigiditas contra propriam naturam elevata à Deo ad producendum calorem talis elevatio ſit ei violenta, eò quia contra propriam naturalem inclinationem; poſita tamen elevatione productio caloris non eſt illi violenta, quia frigiditas activè concurrit ad illam, perinde ac ſerra violenter mota ab extrinſeco influit activè & effectivè in ſciſſionem.

Dari tamen poteſt violentia quoad carentiam actionis quatenus poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt actio impediri, ut cum lapis detinetur, ne deſcendat deorſum; non tamen tunc agens patitur violentiam in agendo, quia tunc non exercet, ſuam virtutem, ſed quia poſitis omnibus requiſitis ad agendum, ejus actio impeditur ab extrinſeco ut ſi quis velit movere baculum at impediatur à fortiori aliquo principio extrinſeco, tunc ceſſatio à tali actione dicitur violenta, quia agens vim patitur, ne naturalem ſuam producat actionem, unde poteſt dari violentia quoad carentiam actionis, quod tamen ita debet intelligi, ut ſiſtatur intra limites cauſarum ſecundarum, quia ſi cauſa prima ſuſpendat ſuum concurſum non ſequitur violentia quòd cauſa ſecunda non agat, quia tunc cauſa ſecunda non habet vim ad operandum niſi concurrente cauſa prima proinde nec habet inclinationem, unde ſi tunc non ageret talis ceſſatio ab actione non eſſet contra ejus inclinationem, proinde nec violenta. Paſſum tamen qua tale poteſt violentiam pati in ipſa receptione formæ, quia illud propriè eſt violentum, quod eſt à principio extrinſeco contra inclinationem ſubjecti, cui infertur violentia: ſed receptio formæ diſconvenientis eſt à principio extrinſeco, & contra inclinationem ipſius ſubjecti in quo recipitur, conſequenter receptio talis formæ, habent omnia requiſita ad rationem violenti, proinde eſt propriè violenta: hinc tametſi per impoſſibile introduceretur calor in aqua ſine expulſione frigiditatis, adhuc ipſa calefactio eſſet violentia aquæ, quia eſſet à principio extrinſeco, & contra naturalem inclinationem ipſius aquæ. Præterea ſi aliquod ſubjectum ex natura ſua exigeret ſolum calorem ut quatuor, ſi ulteriùs calefieret eſſet hæc calefactio illi violenta, quia eſſet à principio extrinſeco & contra inclinationem naturalem ipſius ſubjecti conſequenter paſſum qua tale poteſt violentiam pati non ex eo, quòd amittat formam ſibi convenientem, & quia recipiat formam ſibi diſconvenientem. Cum igitur violentia ita ſit à principio extrinſeco, ut non ſit ab ullo principio intrinſeco ſubjecti, quod vim patitur, ſequitur quod tollat rationem voluntarii, quod ſemper eſt ab intrinſeco, ſeu ab ipſa voluntate, à qua denominatur voluntaria. Hinc violentia excuſat à peccato ut fuit declaratum in Concilio Ancyrano can. 3. ubi habetur: *Qui fugientes comprehenſi ſunt vel à domeſticis traditi, vel ademptis facultatibus ſuſtinere tormenta, vel in cuſtodiam truſi proclamaverunt ſe Chriſtianos eſſe, & eo uſque adſtricti ſunt, ut manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funeſtis ſacrificiis admoverent, aut aliquid polluti cibi per neceſſitatem ſumere cogerentur confitentes jugiter, ſe Chriſtianos eſſe, & luctum rei, quæ contigit inceſſabiliter oſtendentes omni dejectione, & habitu, & humilitate vitæ: hos veluti extra delictum conſtitutos à communionis gratia non vetamus.* Idque confirmatur *in cap. Majores Extra. de baptiſmo & ejus effectu*, ubi Innocentius III. ait: *Ille verò qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit ſacramenti ſicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens pœnitens & reclamans thurificare idolis cogitur violenter.* Et S. Leo Papa epiſt. 1. ad Epiſcopos Africanos Provinciæ Mauritaniæ Cæſarienſis cap. 8. de virginibus vi barbarica oppreſſis ita ſcribit: *Illæ autem famulæ Dei quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdiderunt laudabiliores erunt in humilitate, ac verecundia, ſi ſe incontaminatis non audeant comparare virginibus: quamvis enim omne peccatum ex voluntate naſcatur, & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui: minus tamen hoc illis oberit ſi quod potuerunt animo non amittere, doleant ſe, vel corpore perdidiſſe.* Et D. Auguſtinus epiſt. 228. Ad Horatum ait: *Violentiâ non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur: quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur; ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur.*

Non tamen poteſt creatura à Deo violentiam pati, adeo ut Deus ut cauſa prima nullo modo poſſit violentiam inferre creaturis carentibus libertate, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 113. art. 8. ad 3. ratio eſt quia creaturæ non infertur violentia, quando operatur, vel patitur juxta propriam naturalem inclinationem: ſed quidquid creatura patitur à Deo operante ut cauſa prima, vel ab eodem aſſumitur ad operandum, patitur, vel operatur juxta propriam naturalem inclinationem conſequenter Deus operans ut cauſa prima non poteſt inferre creaturis non liberis violentiam: ſiquidem controvertitur de qualibet creatura excepta voluntate de qua eſt ſpecialis difficultas. Major liquet, quia cum violentum definiatur eſſe illud, quod eſt à principio extrinſeco, nihil conferente paſſo non poteſt non eſſe contra inclinationem naturalem qua principium intrinſecum inclinatur ad ſuum actum conſequenter, quod eſt juxta inclinationem naturalem creaturæ non poteſt eidem violentum eſſe, major in qua eſt difficultas oſtenditur, quia in quolibet creatura præter particularem inclinationem ad bonum proprium datur alia naturalis inclinatio ad obediendum Deo in omnibus quæ voluerit, proinde quando Deus operatur ut cauſa prima modo ſibi proprio non poteſt inferre violentiam creaturis, ut oſtendit D. Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. ubi ait: *Deus autem creator, & conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit id enim erit utique naturale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis numerus, motus, & ordo naturæ* & D. Thomas. 3. part. quæſt. 43. art. 2. adhærens D. Auguſtino ait: *Deum nihil operari contra naturam, quia hoc eſt natura uniuſcujuſque, quod in eo Deus operatur*, & 1. part. quæſt. 103. art. 8. ait: *Quando movetur aliquid contra inclinationem inditam ab eo, quod non dedit naturam hoc eſt ab illa cauſa ſecunda particulari eſt violentum, minimè verò ſi moveatur à Deo authore naturæ indita.* Præterea quia Deus, ſicut habet eſſentialiter plenum, ac perfectiſſimum dominium in creaturas, ita creaturæ exigunt eſſentialiter eſſe ſub hoc pleno dominio Dei adeo ut eſſe ſub pleno & diſpotico Dei dominio ſit prædicatum eſſentiale conveniens cuilibet creaturæ, proinde non poſſunt creaturæ violentiam à Deo pati, quia ſemper operantur juxta propriam exigentiam, conſequenter non patiuntur violentiam, etenim quidquid creaturæ patiuntur à Deo vel aſſumuntur ab eodem ad operandum vel

Digitized by Google

operantur juxta propriam exigentiã ſiquidem patiuntur, & operantur, ut ſunt ſub pleno ac diſpotico Dei dominio; & ſubeſſe pleno Dei dominio eſt prædicatũ eſſentiale creaturarum, & cum prædicata eſſentialia ſint juxta exigentiam naturalem ſubjecti, cui conveniunt, ſequitur manifeſtè creaturas aſſumptas à Deo ut cauſa prima operante modo ſibi proprio ad aliquid faciendum, vel operandum, pati vel operari juxta exigentiam naturalem, quapropter nulla creatura carens libertate poteſt à Deo violentiam pati. Si dicas creaturas tantum pati à Deo, quatenus ſunt ſub pleno ejus dominio quoad meram capacitatem ſeu non repugnantiam, non verò, ut ſunt ſub pleno Dei dominio quoad naturalem, & poſitivam inclinationem. Contra eſt quia quidquid patitur creatura à Deo, illud patitur, ut eſt ſub pleno Dei dominio; ratio eſt, quia quidquid Deus infert creaturæ, illud infert, ut exercens proprium dominium in illam; & ſicut dominiũ dicit eſſentialiter ordinem ad ſubjectionem, perinde ac dominus ad ſervum, ita exercitium ſubjectionis, quapropter quod infert Deus creaturæ, ut exercens dominium, id facit creatura ut dicit ſubjectionem ac eſt ſub pleno dominio Dei: ſed eſſe ſub pleno dominio Dei, eſt prædicatum eſſentiale ipſi creaturæ conſequenter eſt eidem connaturale, quia prædicata eſſentialia alicui ſubjecto non poſſunt non eſſe eidem connaturalia: ergo quidquid patitur creatura à Deo illud patitur juxta propriam inclinationem poſitivam naturalem, conſequenter non poteſt Deus violentiam inferre creaturæ, quia violentum debet eſſe contra non juxta inclinationem naturalem. Quòd ſi inſtes hanc ſubjectionem non importare in creatura naturalem inclinationem. Contra eſt quia naturalis inclinatio nihil aliud eſt, quam ordinatio congenita ipſi naturæ ad aliud: creatura autem ratione eſſentialis ſubjectionis ad Deum habet ordinem ſibi cõgenitum ad omne id, quod poteſt Deus facere, conſequenter naturalem inclinationem ad omne id, quod poteſt Deus exercere ſupra creaturam, ſed inſtabis, tametſi ſubjectio conveniat creaturis non tamen utcunque, ſed ſervatis regulis ſuæ naturæ conſequenter ſubjectio creaturarum non eſt in ordine ad quodlibet, conſequenter poteſt creatura ſaltem circa aliqua pati violentiam à Deo. Contra eſt, quia creatura eo ipſo, quod habet totum ſuum eſſe à Deo exigit ſubjici plenè, ac totaliter Deo, adeo ut non poſſit in ordine ad ullum effectum ſubtrahi ab hac ſubjectione: alioquin ſi ſubjectio creaturæ non eſſet plena, & totalis, dominium Dei ſupra creaturas non eſſet plenum & totale ſiquidem dominium eſt correlativũ ſubjectionis ad quam dicit ordinem, & non poteſt ullum correlativum excedere aliud quoad menſuram alioquin ſecundùm exceſſum menſuræ daretur ullum correlativum ſine alio, quod repugnat unde ſubjectio debet extendi ſicut dominium, quod ſi plenum erit, etiam ſubjectio debet eſſe plena: cum igitur dominium Dei ſupra creaturas ſit plenum, & totale, ſubjectio in creaturis debet eſſe plena & totalis: ſin autem ſubjectio minor eſſet, quàm ſit potentia Dei non eſſet plena & totalis ſubjectio, quia ſecundùm aliquid ſubtraheretur à pleno Dei dominio, ergo creaturæ naturali modo ſubjiciuntur Deo in ordine ad omne id, quod poteſt facere. Sed urgebis, ſi creaturæ ratione ſubjectionis haberent inclinationem ad omne id quòd poteſt Deus facere, inde ſequeretur, quòd etiam haberent naturalem inclinationem ad dona ſupernaturalia, quæ proinde non eſſent ſupernaturalia, quia eſſent juxta naturalem creaturarum inclinationem: ſed creaturæ ad dona ſupernaturalia non habent naturalem inclinationem conſequenter ratio ſubjectionis non importat in creatura naturalem inclinationem. Contra eſt negatur ſequela, quia aliud eſt creaturam habere naturalem inclinationem ad exercitium dominii Dei, & aliud habere naturalem inclinationem ad ipſa dona ſupernaturalia, quæ nonniſi per accidens & materialiter ſe habent in ordine ad exercitium dominii Dei, quod eſt terminus formalis inclinationis creaturæ. Quando igitur Deus exercet ſuum dominium in creaturas infundendo dona ſupernaturalia, tunc hujuſmodi dona ſe habent materiali modo, & ſubſternuntur dominio Dei veluti termino formali naturalis inclinationis creaturæ conſequenter non ſunt niſi termini materiales talis inclinationis, & veluti per accidens; per ſe ſemper ſunt dona ſupernaturalia, quia elevant creaturam ad ſtatum ſupernaturalem, ex quo ſequitur creaturas non habere naturalem inclinationem ad dona ſupernaturalia tanquam ad terminum formalem ſubjectionis.

Præterea quando alicui ſubjecto inſunt duæ inclinationes quarum una eſt fortior alia; ſi ſubjectũ operetur vel patiatur aliquid juxta inclinationem fortiorem, ſibique connaturalem, tunc talis operatio vel paſſio non eſt eidem objecto violenta, quia eſt juxta ejus fortiorem naturalem inclinationem: atqui creaturis duæ inſunt inclinationes una ad bonum particulare & alia ad bonum cõmune, & a exercitium pleni, ac diſpotici Dei dominii: & hæc ſecunda inclinatio eſt longè fortior prima, perinde ac bonum commune eſt fortius bono particulari; hinc inclinatio in creaturis ad obediendum Deo eſt longè major, ac fortior, quàlibet alia inclinatione, quia creatura magis obſtringitur & obligatur Deo, quàm cuilibet alteri peculiari bono, conſequenter non poteſt creatura violentiã pati à Deo. Major liquet quia eatenus motus, quo grave ſurſum aſcendit ad vitandum vacuum non eſt violentus, quia eſt juxta inclinationem quam habet corpus grave ad bonũ univerſi, cujus eſt pars, adeo ut motus ſurſum ſit tunc juxta fortiorem inclinationem corporis gravis. Minor conſtat, ex hactenus expenſis, ſiquidem creatura præter inclinationem ad bonum particulare, habet etiam inclinationem ad obediendum Deo, cui plenè ſubjicitur; & hæc ſecunda inclinatio eſt longè fortior prima, ergo cùm creatura quidquid patitur, à Deo, id patiatur juxta ejus fortiorem inclinationem naturalem, ſequitur manifeſtè non poſſe creaturam à Deo violentiam pati, quia Dominium Dei eſt bonum procul dubio præferendum cuilibet alteri bono particulari: ſed dices aſcenſus lapidis vel aquæ ad vitandum vacuum eſſe implicitè violentus quamvis conformis inclinationi ad bonum univerſi: ergo etiam aſcenſus lapidis: cauſatur à ſolo Deo erit violentus quamvis conformis inclinationi ad obediendum Deo conſequentia liquet à paritate rationis: antecedens facilè oſtenditur; quia tunc corpus grave aſcendit reſiſtendo motui quantum eſt ex ſe ergo talis motus eſt violentus. Contra eſt negatur antecedens ad cujus probationem reſpondetur: quod tametſi corpus grave aſcendat reſiſtendo motui quantum eſt ex ſe & ratione inclinationis particularis ad locũ proprium nihilominus quia ille aſcenſus eſt conformis alteri inclinationi majori, ac fortiori ad bonum commune quod intenditur, quando impeditur vacuũ, ideo talis aſcenſus non eſt tunc violentus corpori gravi, ſed ei maximè connaturalis: etenim cum animal movetur motu progreſſivo etiam pes aſcendit cum elevetur à terra, & nihilominus hæc elevatio ſeu motus ſurſum non eſt pedi violentus, idque non ob aliam cauſam, niſi quia quamvis ſit contra particularem inclinationem corporis gravis ad proprium locum; eſt nihilominus conformis alteri inclinationi fortiori, quam habet pes ad omnes differentias motus, quatenus eſt pars animalis,

malis, cui motus progressivus est connaturalis: ergo cum inclinatio creaturæ ad obediendum Deo sit fortior quacumque alia inclinatione, sequitur manifeste non posse creaturam à Deo violentiam pati. Sed instabis, quia si Deus se solo projiceret lapidem sursum perinde lapis ascendere gravitando, & resistendo ratione sui innati ponderis, ac si projiceretur à causa secunda, sed si ab hac projiceretur procul dubio talis motus esset lapidi violentus: ergo etiam in prima causa consequenter, potest Deus inferre violentiam creaturæ. Sed contra distinguitur major lapis ascenderet eodem modo gravitando concedo, eodem modo quoad inclinationem negatur, & concessa minori negatur consequentia; quia tametsi ascensus causatur à solo Deo esset contra inclinationem particularem ortam ex gravitate sui ponderis; esset nihilominus juxta inclinationem fortiorem, quam dicit creatura quælibet ad obediendum Deo, sed urgebis motus ille causatus à solo Deo esset à principio extrinseco passo non conferente vim, sed potius activè resistendo, ergo hujusmodi motus verè esset violentus, quia includeret omnes conditiones requisitas ad motum violentum. Sed contra distinguitur antecedens passo non conferente vim ratione inclinationis particularis ad locum proprium conceditur, ratione inclinationis fortioris, quam habet lapis, & creatura quælibet ad obediendum Deo negatur antecedens, & consequentia, quiâ talis motus, semper esset juxta fortiorem inclinationem lapidis consequenter non esset ei violentus. Quòd si dicis inde sequi non posse Deum de potentia absoluta violentiam inferre creaturæ respondetur exinde nullum sequi inconveniens, neque imperfectionem in Deo, quia quod Deus nequeat violentiam inferre creaturæ non oritur ex defectu aliquo aut impotentia Dei, sed oritur ex ipsa creatura, quæ utpote totaliter dependens à Deo, cujus dominio totaliter subjicitur adeo ut hæc plena, ac totalis subjectio sit prædicatum essentiale, ac cõnaturale ipsius creaturæ, quo fit, ut hæc non possit à Deo violentiã pati, quod in majorẽ cedit Dei perfectionem subjicientis sibi perfectè creaturam.

An verò saltem voluntas possit à Deo violentiam pati quoad actus elicitos vel imperatos est major difficultas pro qua solvenda juvat observare voluntatem dupliciter posse sumi primo ut est natura; secundò ut est libera: certum est voluntatem creatam ut naturam non posse violentiam pati à Deo, quia voluntas ut natura habet illam inclinationem, quæ inest reliquis, omnibus creaturis, quatenus istæ magis appetunt bonum Dei, quam bonum proprium: in qualibet enim creatura præter particularem inclinationem ad bonum proprium adest etiam naturalis inclinatio ad obediendum Deo in omnibus quæ voluerit etiam contra peculiarem inclinationem; & hæc inclinatio ad obediendum Deo est in creaturis longè major, & fortior, quam sit alia inclinatiò ad bonum proprium; quia sicut bonum commune est longè majus, & fortius bono particulari: ita inclinatio quam habet quælibet creatura ut natura ad bonum universi, cujus creatura est pars est longè major, ac fortior quàm inclinatio particularis ad bonum proprium, consequenter cùm voluntati sub conceptu naturæ insit hujusmodi inclinatio ad obediendum Deo in omnibus, quæ voluerit; sequitur manifestè non posse voluntatem ut naturam violentiam pati à Deo, quia quidquid voluntas à Deo patitur est juxta inclinationem ejusdem voluntatis, consequenter non potest illi esse violentum unde tota difficultas est an voluntas ut libera possit à Deo violentiam pati; & quia ut libera potest dupliciter considerari quoad actus elicitos, & imperatos procedit controversia in ordine ad utrumque actum. Et primò in ordine ad actus elicitos, an possit Deus voluntatem creatam cogere in actibus elicitis.

Asserendum est, voluntatem creatam non posse à Deo violentiam pati in ordine ad actus elicitos, ita docet D. Thomas 1. 2. *quæst. 6. art. 4. quæst. 22. de potentia art. 5. & 8.* & desumitur ex sanctis Patribus præsertim Anselmo de libero arbitrio cap. 5. ubi ait: *Velle non potest homo invitus, quia non potest velle nolens velle: nam omnis volens ipsum suum velle vult.* Hinc D. Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 10. ait: *Velle si volumus est, si nolumus non est, non enim vellemus, si nollemus*, & D. Bernardus de gratia & libero arbit. ait: *Nemo autem non vult, quod vult, aut vult quod non vult.* Ratio itidem hoc suadet, quia quod fuit à principio intrinseco, & juxta inclinationem agentis non potest eidem esse violentum: sed omnes actus eliciti à voluntate sunt à principio intrinseco ejusdem, & juxta ejus inclinationem ergo non potest voluntas violentiam pati quoad actus elicitos. Major est certa, quia violentum est à principio extrinseco, & contra inclinationem subjecti, quod patitur violentiam, definitur enim ab Aristotele *violentum* 2. Ethic. cap. 9. *quod sit a principio extrinseco passo non conferente vim*; & ut aliquid sit alicui violentum, tres requiruntur conditiones quarum prima est, ut sit à principio effectivo intrinseco. Secunda ut quod patitur violentiam non concurrat effectivè ad ipsam, & tertia ut repugnet inclinationi subjecti recipientis violentiam: unde eo ipso, quòd actus est à principio extrinseco agentis non potest eidem esse violentus. Probatur minor, quia omnis actus elicitus à voluntate est vitalis, & à principio intrinseco ejusdem, siquidem de ratione actus vitalis est immanentia in eodem principio à quo fuit. Præterea quia actus elicitus à voluntate est volitio, vel nolitio: volitio autem est inclinatio actualis voluntatis, & nolitio est ipsa aversio actualis adeo ut uterque actus sit juxta voluntatis inclinationem tam enim voluntas habet inclinationem ad volendum quod est consentaneum naturæ, quam ad nolendum quod est dissentaneum eidem, consequenter sive velit, sive nolit, semper elicit actus juxta inclinationem voluntatis, & naturæ, consequenter non potest violentiam pati: siquidem repugnat unum contrarium esse aliud cui opponitur siquidem illi opponeretur, & non opponeretur, quia idem non opponitur sibi ipsi, sin autem actus elicitus à voluntate posset eidem violentus unum extremum contrarium esset idem cum alio sibi opposito: siquidem actus voluntarius seu violentus, seu coactus opponuntur inter se, quia omnis actus elicitus à voluntate est essentialiter voluntarius & à principio extrinseco, seu à voluntate mediante prævia cognitione: & violentum est essentialiter à principio extrinseco, & cum esse à principio intrinseco, & non esse à principio extrinseco opponuntur negativè in ordine ad principium, sequitur, non posse actum elicitum à voluntate esse eidem violentum, quia inde sequeretur eundem actum ut licitum esse à principio intrinseco, & ut violentum non esse à principio intrinseco, consequenter repugnat eundem actum quoad entitatem esse violentum & voluntarium. Firmatur quia quæ habent secundùm suas rationes formales proprietates contradictorias repugnat posse esse idem: sed actus elicitus voluntatis & actus violentus habent secundùm rationes suas formales proprietates contradictoriè oppositas; siquidem actus elicitus voluntatis exigit ex natura sua esse à principio intrinseco seu ab ipsa voluntate efficienter conferente vim, actus verò violentus postulat ex natura sua esse à principio extrinseco nullam vim conferente subjecto, cui actus est

vio-

violentus; conſequenter non poteſt voluntas quoad actus elicitos violentiam pati. Dices poteſt Deus cogere voluntatem ad eliciendum actum, ad quem voluntas erat ex natura ſua libera: ſed hujusmodi actus utpote contra inclinationem voluntatis liberæ eſſet eidem violentus: ergo poteſt Deus voluntatem cogere & illam violentare in ordine ad actus elicitos. Et firmatur quia perinde ſubditur divino imperio voluntas creata, quam ſubdantur aliæ potentiæ creatæ: ſed Deus poteſt neceſſitare alias potentias ad executionē ſui imperii, quia ſi Deus imperet aquæ, ut calefaciat, neceſſitatur aqua à Deo ad calefaciendum: ergo ſi imperet voluntati, ut eliciat actum aliquem, neceſſitabitur voluntas ad eundem eliciendum conſequenter perinde poteſt voluntas violentiam pati quoad actus elicitos ſicut cæteræ potentiæ, ſed contra negatur minor quia actus ad quem eliciendum voluntas adigeretur à Deo, vel eſſet à principio intrinſeco voluntatis vel non, ſi dicatur hoc ſecundum, ergo non eſſet actus elicitus à voluntate, quia non flueret à principio intrinſeco voluntatis, unde quamvis actus iſte eſſet voluntati violentus non tamē inde ſequeretur voluntatem pati violentiam quoad actus elicitos, cum talis actus non ſupponatur elicitus à voluntate, ſed tantùm eidem ab extrinſeco principio impreſſus. Sin autem dicatur eſſe à voluntate, ut à principio effectivo jam talis actus non eſſet voluntati violentus, quia eſſet à principio intrinſeco ejusdem voluntatis, ſiquidem de ratione violenti eſt eſſe à principio extrinſeco paſſo non conferente vim. Ad confirmationem reſpondetur actum illum neceſſariò elicitum à voluntate non fore violentum, quia eſſet à principio intrinſeco cum prævia cognitione: unde ex allata ratione tantùm ſequitur talem actum fore voluntarium neceſſarium, quia Deus in data hypotheſi id tantùm præſtaret, ut voluntas neceſſariò vellet: eo autem ipſo, quòd voluntas vult ſive liberè, ſive neceſſariò, talis actus non poteſt non eſſe ab intrinſeco, & voluntarius. Inſtabis neceſſitas hæc eliciendi actum eſt omnino ab extrinſeco, ſeu Deo cogente voluntatem, & rurſus eſt contra naturalem inclinationem ejusdem voluntatis, quia hæc ex natura ſua exigit liberè operari: ergo quamvis actus ille quoad ſubſtantiam, & entitativè eſſet voluntarius, eò quia eliceretur à voluntate nihilominus quoad modum neceſſitatis foret violentus, quia eſſet à Deo ut à principio extrinſeco contra inclinationem voluntatis exigentis liberè operari. Sed contra quia voluntas dupliciter intelligi poteſt cogi à Deo, ut eliciat actum; primò ut intelligatur adigi ad eliciendum actum in individuo: ſecundò ut intelligatur neceſſitari ad aliquod genus actus virtutis; quemadmodum intelligimus fuiſſe neceſſitatam voluntatem Chriſti ratione unionis hypoſtaticæ. Si hoc poſteriori modo intelligatur voluntas à Deo adigi ad genus actus virtutis, non poteſt voluntas per hanc neceſſitatem non ſolùm quoad ſubſtantiam, & entitatem, verum etiam nec quoad modum operandi violentiam ullam pati: quia tametſi voluntas intelligatur neceſſitata ad exercitia virtutum in genere, adeo ut non poſſit elicere actum vitiatum oppoſitum virtuti; remanet nihilominus libera in ordine ad quemlibet actum virtutis in particulari; quia adhuc eſt in poteſtate voluntatis hunc vel illum actum in particulari intra genus virtutis exercere, qua ratione voluntas humana Chriſti liberè exercuit actus virtutis, tametſi non potuerit elicere actus vitioſos. Sin autem intelligatur voluntas à Deo neceſſitari quoad actum in particulari adhuc negatur voluntatem tunc violentiam pati, ſiquidem dupliciter poſſumus intelligere Deum neceſſitare voluntatem ad actum aliquem in particulari; primò per motum ſubitum, ſecundò mediante prævia cognitione objecti. Idque etiam dupliciter primò faciendo ut intellectus repræſentet, ac proponat voluntati unum tantum objectum ſub unica tantùm ratione boni vel mali, adeo ut ex parte intellectus nulla reluceat in objecto repræſentato indifferentia objectiva; & hoc pacto voluntas intelligitur adigi ad amplectendum vel reſpuendum objectum ei repræſentatum in intellectu. Alio modo ſi quamvis intellectus proponat voluntati objectum ſub indifferentia objectiva, nihilominus Deus prædeterminat voluntatem ad unam duntaxat partem ponendo in voluntate qualitatem aliquam neceſſariò inclinantem ad actum in particulari: vel ſi intelligatur Deus tribuere voluntati concurſum determinatum ad unam tantùm partem. Si igitur Deus intelligatur adigere voluntatem ad aliquem actum in particulari ſive ille actus fuerat primò primus, ſeu motus ſubitus; ſive procederet à voluntate mediante prævia cognitione perfecta, in neutro caſu voluntas violentiam pateretur, quia ſemper talis actus eliceretur à voluntate & eſſet à principio intrinſeco vim conferente, ſeu efficienter concurrente ad talem actum. Præterea voluntas non habet inclinationem liberam ad motum primo primum, nec ad objectum propoſitum ab intellectu absque indifferentia objectiva ergo adhuc in data hypotheſi voluntas non intelligeretur violentiam pati, quia non eliceret hujusmodi actum in particulari contra propriam inclinationem: quia voluntas non eſt nata ferri liberè niſi per actum deliberatum, & circa objectum ei propoſitum cum indifferentia objectiva. Tum quia ſi Deus adigeret voluntatem ad actum in particulari per ſublationem indifferentiæ ex parte intellectus, voluntas in hac hypotheſi non cogeretur ad oppoſitum actum, neque ad ſuſpenſionem ejusdem, quia non haberet appetitum elicitum ad actum oppoſitum neque in actu ſecundo, neque in primo. Neque ſi Deus intelligatur neceſſitare voluntatem ad actum in particulari, eò quia illam prædeterminat efficaciter ad talem actum aut præbeat concurſum determinatum ad ipſum tantùm, & non ad alium voluntas propterea pateretur violentiam, quia tunc in voluntate nullus eſſet conatus aut inclinatio elicita ad actum oppoſitum, vel ad ſuſpenſionem talis actus in particulari, quia in data hypotheſi ſupponitur voluntati denegatus concurſus Dei ad omnem aliū actum excepto illo ad quem adigeretur: ſiquidem conatus ille contrarius, vel inclinatio elicita deberet eſſe aliquis actus. Neque obſtat, ſi dicas, voluntatem in data hypotheſi habere inclinationem contrariam ad partem oppoſitam per modum actus primi conſequenter pati violentiam contra hujusmodi inclinationem. Nam contra eſt, quia tametſi voluntas haberet hanc inclinationem radicaliter, ſeu inchoativè ex parte ſolius intellectus non propterea eam haberet formaliter, & in ſe ipſo, quia ſupponeretur neceſſariò determinata ad unam tantùm partem eique eſſet denegatus concurſus ad alteram partem: id enim deſiderabatur, quod voluntas diceretur potens in actu primo quia ut cauſa quælibet poſſit agere, debet habere omnia requiſita ad agendum per modum actus primi: concurſus autem cauſæ primæ eſt unum ex requiſitis, ut cauſa ſecunda operetur. Demum quia talis actus ſemper flueret à principio intrinſeco voluntatis conſequenter non eſſet eidem violentus, quia de ratione violenti eſt, ut ſit à principio extrinſeco paſſo non conferente vim, nec concurrente effectivè. Si dicas Deum ſe ſolo poſſe cauſare in noſtra voluntate actum contrarium illi, quem voluntas habet; adeo ut hæc ſe habeat mere paſſivè ad actum cauſatum à ſolo Deo, proinde talem actum eſſe voluntati violen-

tum,

Digitized by Google

tum, eò quia eſſet à principio extrinſeco contra inclinationem elicitam voluntatis: antecedens probatur, quia Deus in voluntate odio habente Petrum poteſt ponere actum amoris Petri, ergo poteſt voluntas ut libera violentia à Deo pati. Sed contra, quia controverſia procedit de actibus elicitis à voluntate actus autem elicitus à ſolo Deo non eſt elicitus à voluntate, alioquin non eſſet à ſolo Deo. Rurſus omnis actus elicitus à voluntate eſt eſſentialiter vitalis, & de ratione actus vitalis eſt eſſe à principio intrinſeco vitali, adeo ut recipiatur in eodem principio à quo fluit. Præterea negatur poſſe Deum ponere in voluntate habente actum odii circa unum objectum, actum amoris circa idem, quia ad poſitionem actûs amoris ceſſat actus odii, & voluntas non patitur violentiam, eò quia habeat actum oppoſitum ei, quem habuit antea. Quòd ſi inſtes poſſe Deum conſervare actum odii cum actu illo amoris eò quia poſſit Deus in eodem ſubjecto conſervare duo contraria etiam in gradu intenſo, quia contraria non opponuntur negativè, ſed tantùm oppoſitivè, & Deus poteſt conſervare duas poſitivas qualitates contrarias in eodem ſubjecto, ut poſitivas entitates, ac qualitates caloris, & frigiditatis. Contra eſt quia ex eo, quòd poſſit duas qualitates phyſicas contrarias conſervare in eodem ſubjecto, ac poſſit idem ſubjectum de potentia abſoluta eſſe ſimul calidum, & frigidum, non tamen inde ſequitur, quòd poſſit ita alia voluntate cum actu amoris conſervare actum odii de eodem ſubjecto ſecundùm eandem rationem: diſparitas eſt, quia amor, & odium de eodem objecto, & ſecundùm eandem rationem, ita ſe habent, ut unus actus includat privationem alterius, ſi non ex parte ſubjecti, ſaltem ex parte objecti: ratio eſt, quia amor eſt circa bonum, & odium circa malum: ſed malum dicit privationem boni, ergo repugnant in voluntate ſimul actus amoris, & odii circa idem objectum, & ſecundùm eandem rationem, eò quia unus actus includat privationem alterius ex parte objecti, & ex eo firmari poteſt, quia ſicut non poteſt intellectus circa idem objectum & per unum ac idem medium habere ſimul aſſenſum verum, & falſum, eò quia falſum includat privationem veri ex parte objecti: ita nec in voluntate poſſunt ſimul eſſe actus amoris, & odii de eodem objecto, & ſecundùm eandem rationem. Præterea quia amor, & odium ſe habent per modum acceſſus, & receſſus, quia voluntas per actum amoris fertur, & accedit ad objectum, quod amat juxta vulgatum illud, *Anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat:* & per actum odii recedit ab objecto, quod fugit: ſed repugnat idem mobile ſimul accedere, & recedere ad eundem terminum, quia acceſſus excludit eſſentialiter receſſum, conſequenter non poſſunt ſimul eſſe in eadem voluntate actus amoris, & odii in eodem objecto ſecundùm eandem rationem licèt poſſint ſimul divinitus cohærere calor, & frigiditas in eodem ſubjecto, quia calor quamvis intenſus non dicit privationem frigiditatis neque viciſſim hæc privationem caloris, unde eſt diſpar ratio. Sed urgebis, quia voluntas poteſt à Deo neceſſitari ad actum ex quo ſequatur triſtitia, ergo poteſt etiam eam adigere ad actum ex quo ſequatur violentia, quia triſtitia eſt violenta voluntati, & contra ejus inclinationem, quia opponitur delectationi, quæ vel maximè eſt juxta inclinationem voluntatis. Contra tamen negatur conſequentia, quia triſtitia cùm proveniat à principio intrinſeco voluntatis non poteſt eidem eſſe violenta. Præterea, quia eſt voluntati naturale triſtari de objecto malo ſibique diſconveniente, ſi objectum illud non poteſt fugere. Unde licèt objectum triſtitiæ ſit contra naturalem inclinationem non ita actus triſtitiæ, quia hic ſemper eſt à principio intrinſeco proinde eſt voluntarius cùm ſit actus elicitus ab ipſa voluntate. Dices dolorem eſſe violentum appetitui ſenſitivo, proinde etiam triſtitiam voluntati. Sed contra negatur antecedens, quia dolor eſt actus elicitus à appetitu, conſequenter eſt eſſentialiter voluntarius. Neque obſtat, ſi dicas dolorem, & triſtitiam advenire nobis nolentibus, quia tametſi nolimus objecta doloris, & triſtitiæ ex quorum apprehenſione, & diſplicentia ſequitur dolor, & triſtitia: actus tamen doloris, & triſtitiæ cùm ſint voluntarii appetitus ſenſitivi, & rationalis non poſſunt eſſe violenti; neque ex eo, quòd objectum triſtitiæ, & doloris ſit nolitum, ſequitur ipſum actum triſtitiæ eſſe nolitum, & involuntarium, quia ſicut ipſa nolitio mali eſt voluntaria, quamvis objectum non ſit volitum perinde actus doloris & triſtitiæ ſunt voluntarii, quamvis ipſum objectum ſit involuntarium ratio eſt, quia actus doloris, & triſtitiæ ſunt actus fugæ, & receſſus perinde ac actus nolitionis, unde ſicut nolitio eſt voluntaria, ita etiam actus triſtitiæ, & doloris.

Hinc neque poteſt voluntas violentiam pati, quoad actus proprios imperatos. Actus imperati à voluntate alii ſunt exerciti ab ipſa voluntate, & imperati per alium actum ejusdem voluntatis. Alii ſunt exerciti ab aliis potentiis diſtinctis à voluntate ſive internis, ſive externis, & tantùm imperantur non eliciuntur à voluntate, & aſſertio procedit de actibus imperatis ſumptis priori modo quatenus exercentur à voluntate, & imperantur ab eadem & ratio eſt, quia non poteſt voluntas qua talis ullum exercere actum niſi ex vi præviæ cognitionis: ſed quod ita elicitur à voluntate eſt à principio intrinſeco, quia voluntas tunc per talem actum formaliter voluntariè ſe habet: ergo non poteſt voluntas violentiam pati quoad actus imperatos exercitos ab eadem voluntate, & firmari etiam poteſt, quia actus omnes, qui eliciuntur à voluntate ſunt eſſentialiter vitales, & à principio vitali cujusmodi eſt voluntas; ſed de ratione actus vitalis eſt eſſe à principio intrinſeco, & in eodem manere principio, à quo elicitur: ergo ex eo, quòd actus omnes eliciti à voluntate ſint à principio intrinſeco voluntatis, ſeu ab ipſa voluntate cujus ſunt vitalia exercitia, ſequitur non poſſe voluntatem violentiam pati quoad actus imperatos, & exercitos ab eadem voluntate, quia hæc concurrit effectivè ad eoſdem actus; & de ratione violenti eſt fieri à principio extrinſeco paſſo non conferente vim, ſeu non adjuvante effectivè, nec habente naturalem inclinationem ad receptionem formæ, quæ illi advenit violenter, ſed dices, eo ipſo, quòd voluntas ſibi imperat actum aliquem eliciendum ceſſat in voluntate actus oppoſitus actui imperato. Sed in ceſſatione à tali actu, voluntas violentiam patitur: ergo non poteſt voluntas quoad actus imperatos violentiam pati, ſed contra, quia actus oppoſitus eſſet voluntario modo ex eo, quòd voluntas eliciat actum incompoſſibilem, proinde non poteſt tunc voluntas ullam pati violentiam; ſi inſtes manente imperio voluntatis poſſe Deum ponere in ipſa actum oppoſitum: ſed in hac hypotheſi, hic actus eſt contra inclinationem voluntatis ergo eſt ipſi violentus. Contra eſt, negatur major, quia ſtante in voluntate imperio de non habendo actu non poteſt Deus ponere in ipſa talem actum niſi immutet voluntatem, faciatque eam recedere à tali imperio ſtante autem hac mutatione voluntas non patitur violentiam quia actus recedit per mutationem factam in voluntate, adeo ut deſinat velle quod nolebat & repugnat voluntatem nolentem actum ipſe velle.

Aſſerendum tamen eſt, voluntatem poſſe violentiam

Digitized by Google

tiam pati in ordine ad actus imperatos exercitos ab aliis potentiis, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst. 6. art. 4.* & probatur, quia homo contra propriam voluntatem formalem potest necessitari ad exercendum aliquem actum alicujus potentiæ subditæ voluntati, sicut etiam ad non exercendum actum; quia tametsi voluntas velit, quod manus moveatur, potest nihilominus motus manus impediri ab alio fortiori volente, quòd non moveatur; & volente voluntate quòd non moveatur, potest moveri ab alio potentiori volente, quòd moveatur: ergo voluntas potest violentiam pati in ordine ad actus imperatos, & exercitos ab aliis potentiis, ut etiam in ordine ad cessationem ab iisdem actibus. Quòd si dicas de ratione actus imperati esse, ut procedat à voluntate tanquam principio imperante consequenter omnem actum imperatum debere essentialiter esse voluntarium, quia quod est à voluntate ut à principio imperante, & à principio intrinseco cum cognitione: sed actus essentialiter voluntarius non potest esse violentus, ergo voluntas, quoad actus imperatos nequit violentiâ pati. Contra est, quia argumentum tantùm procedit de actibus imperatis, & actu elicitis à voluntate, qui actus non sunt coacti, nec violenti, sed controversia non procedit de hisce actibus: sed de illis tantùm, qui possent ac deberent esse imperati à voluntate, & non sunt producti ab aliis potentiis ex voluntatis imperio, sed potius contra ipsum imperium voluntatis & ex coactione ab agente extrinseco illata, ut sunt actus potentiarum, quæ subduntur imperio voluntatis, & ab iisdem potentiis exercentur contra ejusdem voluntatis imperium ex coactione illata ab extrinseco agente: si voluntas imperet manum non moveri; & manus ab agente extrinseco contra imperium voluntatis moveatur, talis motus dicitur violentus voluntati quia est à principio extrinseco contra inclinationem & imperium voluntatis, si dicas motum manus renitente voluntate esse à principio intrinseco, seu ab ipsa voluntate, & potentia motiva intrinseca consequenter talem motum non esse violentum. Contra est, quia tametsi motus violentus membrorum externorum subjectetur in iisdem non propterea est effectivè à voluntate, sed tantùm à causa extrinseca movente: unde cùm hujusmodi actus sit effectivè à principio intrinseco, & contra inclinationem voluntatis est eidem violentus. Quòd si instes, visionem factam renitente voluntate esse à principio intrinseco consequenter non posse esse violentam contra est, quia quamvis visio quæ fit renitente voluntate sit à principio intrinseco elicitivo, seu à potentia visiva est nihilominus à principio extrinseco applicante ipsum sensum visûs ad videndum, non verò à voluntate ut ab alio principio intrinseco: ad visionem enim duo concurrunt principia unum elicitivum, seu efficiens ipsam visionem, & hoc principium est ipsa potentia visiva; aliud est principium applicans eandem potentiam visivam ad exercitium suæ actionis; & hoc principium potest esse voluntas, vel alia causa extrinseca, quæ exhibeat objectum visui, vel aperiat oculos: ut autem visio dicatur violenta sufficit, si sit à principio extrinseco applicante; quia violentia tunc non infertur ipsi potentiæ visivæ, à qua elicitur visio; sed voluntati renuenti talem applicationem potentiæ visivæ ad videndum.

CAPUT XVI.

Proponuntur, & explicantur aliquot assertiones morales circa metum & alias animi perturbationes.

Metus definitur ab Aristotele 2 Rhetoric. cap. 5. *Animi ægritudo, & perturbatio orta ex phantasia & cognitione mali imminentis quod interitum aut grave molestiam afferre possit*; Pressiùs tamen definitur à Cicerone in Tuscul. *Opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur*, & à Ulpiano lib. 2. Quod est causa metus definitur metus esse instantis vel futuri periculi mentis trepidatio, & solet dividi in metum cadentem in constantem virum, & in eum, qui non cadit in virum constantem. Metus cadens in constantem virum est, qui rationabiliter movet voluntatem, ut cum eligitur minus malum ad declinandum majus: metus siquidem, quo quis patitur minorem injuriam, vel jacturam minoris boni ad declinandum majus malum, vel ad fugiendum detrimentum majoris boni vocatur à Theologis metus cadens in virum constantem, ut si Mercator projiciat suas merces in mare, ne patiatur naufragium, talis metus dicitur cadere in virum constantem, quia propter talem metum homines non deperdunt laudem constantiæ. Metus non cadens in virum constantem dicitur, qui est minoris mali, quàm sit illud, quod ex tali metu eligitur, ut si Petrus ex amissione bonorum temporalium mortem subiret. Quæ verò fiunt ex metu mixta sunt ex voluntario, & involuntario, dupliciter enim sumitur metus causaliter, & concomitanter, priori modo est causa movens, & impellens ad actionem, quæ fit ex metu, ut si mercator ex metu imminentis naufragii projiciat merces in mare dicitur metus causa talis projectionis, quatenus movet, & impellit Mercatorem ad projiciendas merces, metus se habens concomitanter non est causa movens, nec impellens ad actionem vel passionem, sed tantùm se habet merè concomitanter ad passionem. Hinc timor mortis in passione Martyrum, & Christi Domini tantùm se habuit concomitanter, quia tametsi passi fuerint cum metu, qui est naturalis naturæ humanæ, non tamen passi fuerunt ex metu; quia talis metus non fuit causa talis passionis, sed tantùm se habuit concomitanter ad passionem, hinc Martyres, quamvis dicantur passi cum metu, non tamen ex metu. Controversia non procedit de iis quæ fiunt cum metu concomitante, quia certum est, hæc non esse mixta ex voluntario, & involuntario: siquidem Christi passio, quamvis fuerit cum metu, non tamen ex metu nec habuit quidquam involuntarium; sed fuit omnino voluntaria: unde controversia procedit tantùm de iis quæ fiunt ex metu, ut ex causa non verò tantùm cum metu se habente concomitanter observandum est, quia quæ fiunt ex metu tanquam ex causa movente alia ita se habent ut secluso metu nullo modo fieret, nec eligerentur, eò quia ex se mala non sint, sed tantùm fiunt propter metum majoris mali imminentis, etenim nisi immineret naufragium, & timor mortis, Mercator urgente maris procella proprias merces non projiceret mergendas fluctibus. Alia sunt quæ etiam secluso metu includunt rationem eligibilitatis, & eligerentur à voluntate quamvis nullus urgeret metus, & hæc sunt voluntaria, unde controversia procedit de his, quæ fiunt ex metu priori modo.

Asserendum est, ea quæ ita fiunt ex metu, ut secluso metu non fierent, eò quia nullam in se includant eligibilitatem esse mixta ex voluntario, & involuntario, ut docet D. Thomas. 1. 2. quæst. 6. art. 6. quia illæ actiones includunt rationem involuntarii, quæ eliciuntur contra inclinationem aliquam voluntatis, &

actum

actum elicitum ab eadem, & rursus includunt rationem voluntarii quatenus eliciuntur à voluntate, & sunt conformes alicui actui elicito ab eadem: sed quæ ita fiunt ex metu ut secluso metu non fierent, eò quia nullam in se includant eligibilitatem sunt juxta inclinationem voluntatis, & conformes alicui actui elicito ab eadem voluntate: & partim sunt contra inclinationem & aliquem actum elicitum voluntatis, consequenter sunt mixta ex voluntario, & involuntario major ex se claret, minor ostenditur, in qua videtur esse tota difficultas: quia si Mercator ex metu imminentis naufragii ad declinandam mortem projiciat merces in mare; talis projectio est partim juxta, & partim contra actum elicitum, & inclinationem voluntatis, siquidem in tali projectione mercium tres intercedunt actus voluntatis, quorum primus est amor, quo Mercator amat suas merces, & hic actus semper manet etiam post mercium projectionem, secundus actus est ipsa nolitio mortis, seu volitio auferendi periculum imminens, quatenus Mercator pluris facit conservationem vitæ propriæ, quam mercium: tertius tandem actus est ipsa volitio projiciendi merces in mare ad evitandum periculum imminentis submersionis: ex his tribus actibus tertius causatur à secundo, eò quia habeat rationem medii respectu illius: siquidem volitio finis est causa electionis mediorum; & cum projectio mercium in mare eligatur à voluntate ut medium ad declinandum periculum naufragii causatur à secundo actu, ut à causa finali consequenter est juxta actum aliquem elicitum à voluntate, quo pacto induit rationem voluntarii. Rursus hic idem tertius actus est contra primum actum elicitum à voluntate, seu contra amorem mercium, siquidem quæ amamus, amplectimur, non rejicimus: & hoc pacto tertius actus relativè ad primum habet rationem involuntarii: ergo quæ ita fiunt ex metu, ut secluso metu non fierent eo quia nullam in se habeant eligibilitatem sunt mixta ex voluntario, & involuntario. Quòd si dicas, actum non posse esse mixtum ex voluntario, & involuntario, si ejus objectum non sit etiam mixtum ex voluntario, & involuntario, sed objectum illius tertii actus projectionis mercium non est mixtum ex voluntario & involuntario objectivo, ergo nec actus voluntatis erit mixtus. Contra est negatur minor, quia in actionibus, quæ fiunt ex metu juxta sensum assertionis potest assignari utraque ratio voluntarii, & inviolentarii non solùm ex parte voluntatis, sed etiam ex parte objecti, etenim projicere, & perdere propria bona est ex se quoddam malum, dignumque ut odio habeatur, quilibet enim amat proprium bonum, consequenter illud perdere ex vi per metum illata, est contra actum amoris, quo voluntas amat, quod sibi est bonum, consequenter ex hac ratione est quid involuntarium ex parte voluntatis elicientis ex vi sibi illata per metum actum oppositum prævio actui amoris: unde actiones ex metu elicitæ sunt involuntariæ ex parte voluntatis quatenus sunt contra alium prævium actum elicitum ab eadem voluntate imò sunt etiam involuntariæ objectivè, quia ex parte objecti jactura proprii boni de se est quoddam malum dignum ut odio habeatur. Præterea tales actiones sunt voluntariæ tam ex parte objecti, quàm voluntatis: ex parte objecti, quia projectio mercium est utilis ad vitandum majus damnum, seu mortem per imminentem submersionem, ex parte voluntatis, quia voluntas pluris facit, & amat propriam vitam, quàm merces: ergo quæ fiunt ex metu in sensu præexpenso sunt mixta ex voluntario, & involuntario tam formaliter ex parte voluntatis, quàm objectivè.

Sed dices, quæ includunt conditiones repugnantes seque vicissim excludentes non possunt simul cohærere in uno eodémque actu: non enim forma, & ejus privatio possunt simul cohærere in eodem subjecto, eò quia unum extremum excludat aliud, sed voluntarium, & involuntarium liberum, & non liberum includunt conditiones omnino repugnantes, & se vicissim excludentes: ergo non possunt hujusmodi rationes voluntarii, & involuntarii simul cohærere in uno eodémque actu, consequenter non potest actus elicitus ex metu esse mixtus ex voluntario, & involuntario. Major, & consequentia tenent. Probatur minor quia voluntarium essentialiter exigit esse à principio intrinseco, ut etiam liberum à principio intrinseco, & indifferenti ad utrumlibet: è converso involuntarium postulat esse à principio extrinseco, ut etiam necessarium à principio determinato ad unum: ergo si idem actus posset esse mixtus ex voluntario, & involuntario posset simul esse à principio intrinseco, & extrinseco, quod repugnat, quia idem actus indivisibilis, eo ipso, quod est à principio intrinseco, debet totus esse à tali principio, proinde repugnat hunc eundem actum esse à principio extrinseco. Sed contra distinguitur major, quæ includunt rationes se vicissim excludentes non possunt simul cohærere in eodem objecto, si oppositio cadat supra unam & eandem rationem conceditur, si supra diversas negatur; quamvis in eadem materia prima non possint simul cohærere forma ligni, & ejus privatio, potest tamen cum forma ligni cohærere privatio formæ ignis, hinc ad minorem conceditur voluntarium esse essentialiter à principio intrinseco, & involuntarium à principio extrinseco; sed ratione diversorum potest idem actus includere utramque rationem voluntarii, & involuntarii: si enim tertius actus, quo voluntas vult projicere merces in mare ad declinandum naufragium cum paretur cum aliis duobus præcedentibus actibus respectu primi, quo Mercator amat, & vult suas merces est involuntarius, respectu secundi, quo vult conservationem propriæ vitæ est voluntarius, etenim actus projectionis mercium respectu nolitionis mortis eligitur ut medium ad hunc finem ut vita conservetur consequenter est à voluntate, ut à principio intrinseco & indifferenti: respectu verò primi actus quo voluntas amat suas merces, ac proinde habet inclinationem ad eas conservandas illa projectio mercium in mare non censetur esse à voluntate, nec à principio perfectè indifferenti idque ratione metus auferentis perfectionem saltem accidentalem libertatis, qua ratione, quæ fiunt ex metu dicuntur involuntaria saltem secundum quid. Quòd si dicas prærecensitos duos actus prævios ad projectionem mercium repugnare inter se, eò quia primus actus sit amor mercium, & secundus volitio projiciendi merces in mare, quæ nectitur cum nolitione mortis; & volitione auferendi imminens periculum submersionis; hi enim actus sunt contrarii, & repugnantes consequenter non possunt simul esse in voluntate. Contra est negatur illos duos actus esse repugnantes, quia non sunt circa idem ac unum objectum: sed circa diversa: etenim objectum amoris seu primi actus sunt merces, quatenus sunt quoddam bonum proprium: objectum alterius actus volitionis projiciendi merces in mare non sunt ipsæ merces sub illa ratione, quatenus sunt quoddam bonum proprium, sed sub hac alia ratione, quatenus sunt quoddam impedimentum ad declinandum imminens naufragium. Quòd si instes præter actum absolutum, quo voluntas ex metu vult projicere merces in mare datur alius actus conditionalis ortus ex amore circa merces quatenus

tenus voluntas nollet merces projicere in mare, si non immineret periculum submersionis: sed actus iste conditionatus est omnino contrarius actui absoluto, consequenter ambo actus non possunt simul cohærere in eodem objecto, quia sunt circa idem objectum. Contra est, negatur minor, quia quamvis ambo actus sint circa idem objectum, quia tamen unus est efficax, & alter inefficax, seu simplex quædam displicentia circa objectum, non ita opponuntur, ut non possint simul cohærere: Quinimò defacto conceduntur à Theologis in Deo duo actus quorum unus sit inefficax, & alius efficax; licèt uterque versetur circa idem objectum, etenim vult Deus per actum inefficacem omnes homines salvos fieri, & neminem damnari; & per alium actum efficacem vult reprobos damnari: ergo actus inefficax & conditionatus, est actus efficax etiam circa idem objectum non ita opponuntur ut non possint simul cohærere in eadem voluntate.

Cæterum actio propriè & simpliciter facta ex metu est voluntaria simpliciter, & involuntaria secundùm quid, ut docet D. Thomas *part. 2. quæst. 6. art. 6.* ratio primæ partis est quia qui operatur ex metu hic & nunc vult simpliciter actionem stantibus circumstantiis præsentibus de malo imminente, quamvis eam nolit sub aliis circumstantiis mali non imminentis: sed illa actio denominatur simpliciter voluntaria, quæ provenit à principio intrinseco, & est conformis voluntati hic, & nunc efficacis, ac prædominanti: siquidem ex philosopho, quo omnibus pensatis volumus simpliciter, & efficaciter magis volumus, quàm nolumus: ergo actio elicita ex metu est simpliciter voluntaria. Firmatur quia talis actio pro tempore quo fit & sedula discussione examinatis omnibus circumstantiis est simpliciter libera. Sed simpliciter liberum est etiam simpliciter voluntarium, quia est simpliciter à principio intrinseco, proinde hæc actio est simpliciter voluntaria minor, & consequentia tenent, ostenditur major, quia projectio mercium in mare, quando imminet periculum submersionis ad declinandam submersionem fit liberè, & simpliciter ab ipso projiciente: quia metus imminentis submersionis non adigit, nec compellit simpliciter voluntatem, nec est causa immediata, & proxima illius projectionis, quia metus illam non causat, nisi mediante consensu libero voluntatis, quia licèt metus urgeat, adhuc voluntas est sui juris & si velit potest nolle mercium projectionem: ergo actio quæ fit ex metu cum sit proximè, & immediatè à principio intrinseco, & libero, fiatque mediante prævio consensu libero voluntatis nequit non esse simpliciter voluntaria. Præterea, quia actio elicita ex metu ad declinandum majus malum est voluntaria voluntate efficaci, & absoluta consequenter est simpliciter voluntaria. Rursus quia in sacris litteris redarguuntur ut mala, & culpabilia, quæ fiunt ex metu Proverb. 18. *Pigrum dejicit timor.* Isaiæ 51. *Oblitus es Domini factoris tui, & formidasti jugiter tota die à facie furoris ejus, qui te tribulabant.* Joan. 12. *Propter Pharisæos non confitebantur, ut ex synagoga non ejicerentur, dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei:* sed actio quæ alicui vertitur culpæ est simpliciter voluntaria, & libera, ergo actu ex metu licita est simpliciter voluntaria. Quod verò sit involuntaria tantùm secundùm quid ex eo ostenditur, quia illi actus sunt involuntarii tantùm secundum quid, qui eliciuntur contra voluntatem duntaxat inefficacem, & conditionatam, quia absolutè eliciuntur à voluntate mediante prævia cognitione, consequenter sunt simpliciter à principio intrinseco, & voluntarii sed actus qui fiunt ex metu taliter ut secluso metu non fierent, tantùm eliciuntur contra voluntatem inefficacem, & conditionatam, quamvis Mercator urgente tempestate ex metu imminentis submersionis projiciat merces in mare tamen talis projectio tantùm opponitur voluntati inefficaci, & conditionatæ, qua mercator nollet merces projicere si non immineret submersionis periculum, absolutè enim & efficaciter stantibus circumstantiis vult projectionem illam mercium, quam nollet nisi periculum immineret, & tales circumstantiæ non adessent, ergo quæ fiunt ex metu sunt involuntaria tantùm secundùm quid.

Hinc metus quamvis gravis non excusat omnino à peccato hominum si eum compotem sui relinquat in iis, quæ sunt per se & intrinsecè mala. Metus alius dicitur levis, alius justus, ille est, quo leve malum timetur, aut grave quidem sed ex causa levi, & non probabili, hoc enim metu personæ leves & meticulosæ præsertim mulieres & pueri percelluntur. Metus justus dicitur, quo ex causa probabili grave malum timetur vel futurum, vel imminens: & quia hoc metu etiam personæ graves, & constantes percelluntur, ideo dicitur metus cadens in constantem virum. Mala gravia, quæ solent cum imminent metum justum incutere, sunt mors, mutilatio membrorum, enormia verbera, carcer, exilium servitus, damnatio ad triremes, proscriptio, vel gravis jactura bonorum, ablatio instrumentorum artis, qua homo se ipsum & familiam sustentat, infamia gravis, quæ non facilè deletur. Metum igitur gravem non excusare omnino à peccato hominem, si eum relinquat sui compotem in iis, quæ sunt per se & intrinsecè mala, ex eo probatur, quia quæ sunt per se mala nullo eventu desinunt esse mala, sed quod fit ex metu est simpliciter voluntarium, quatenus spectatur secundùm accidentia circumfusa, seu juxta circumstantias, tametsi illis seclusis, secundum se involuntarium sit, ut projectio mercium in mare ad vitum conservandam imminente naufragio voluntaria est cum his circumstantiis, quibus seclusis esset involuntaria quatenus voluntas nollet illam projectionem. Hinc D. Thomas. 1. 2. quæst. 6. art. 6. ait: *Illud, quod per metum agitur absque conditione est voluntarium id est secundùm quod actu agitur: sed involuntarium sub conditione hoc est si talis metus non immineret,* & 2. 2. quæst. 125. art. 3. ait: *Si aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcunque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod est præceptum in lege divina talis timor est peccatum mortale.* Præterea certum est supplicia gehennalia non infligi nisi propter peccatum lethale, & nihilominus pœna gehennalis debetur timidis juxta illud Apocal. 21, 21. *Timidis, & incredulis pars erit in stagno ignis, & sulphuris, quod est mors secunda.* Hinc D. August. lib. de agone Christian. cap. 33. docet diabolum per timorem & cupiditatem tanquā per duas januas intrare, ait ipse: *Perfecta charitas nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem sæculi scilicet nec cupiditatem, ut acquirat res temporales, nec timorem ut amittat res temporales. Per quas duas januas intrat, & regnat inimicus, qui primò Dei timore, deinde charitate pellendus est.* Sed per timorem nō intraret, nec regnaret inimicus, si timor à peccato omnino excusaret. Quòd si metus sit adeo vehemens atque gravis, ut hominem sui compotem non relinquat, tunc à peccato penitus excusat, quia quæ ex mentis deliberatione non procedunt, non vertuntur vitio, quia sunt pœnitus involuntaria, & quod est involuntarium non potest culpæ verti.

Hinc metus gravis subinde excuset, vel minuit pec-

Digitized by Google

peccatum etiam in iis, quæ ſunt intrinſecè mala, quia metus gravis minuit voluntarium, & libertatem ejus, qui metu id agit quod alioquin non eſſet facturus, ſi metus excluderetur, unde docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 125. art. 4. *Diminuitur tamen ſecundum aliquid ejus peccatum, quia minus voluntarium eſt, quod ex timore agitur: imponitur enim homini quædam neceſſitas aliquid faciendi propter timorem imminentem*, quapropter S. Leo Papa epiſt. 129. ad Nicetam Epiſcopum Aquileienſem cap. 5. ubi reſpondet iis, qui captivi cum eſſent Idolodytha fame vel metu compellente comederant, leviorem imponendam eſſe pœnitentiam, inquiens: *De iis autem Chriſtianis qui inter eos à quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis aſſeruntur eſſe polluti, conſultatione charitatis tuæ, hoc etiam reſpondendum eſſe credidimus, ut pœnitentia ſatisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda eſt, & ſive hoc terror extorſerit, ſive fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum cum hujuſmodi cibus pro metu aut indigentia non pro religionis veneratione ſit ſumptus.* Et cap. 6. aſſerit etiam humanius agendum eſſe; cum his qui metu & errore ſunt rebaptizati ait ipſe: *His vero de quibus dilectio tua ſimiliter nos credidit conſulendos qui ad iterandum baptiſmum vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſi contra catholicæ fidei ſacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram nonniſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus communionis recipiant unitatem, tempora pœnitudinis tuo conſtituente judicio prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos.* Hoc idem etiam evincitur ex *canone in primis cauſa ſecunda quæſt.* 1. ubi S. Gregorius jubet, ut Epiſcopis qui alterius Epiſcopi depoſitioni metu judicis conſenſerant levior imponatur pœnitentia: *ſi autem Epiſcopi in præjudicium condemnationis vel depoſitionis memorati Stephani ſe metu Judicis conſenſiſſe, & talia feciſſe non ſua ſponte profeſſi fuerint, tempus eis abbreviandum eſt, & modus pœnitentiæ temperandus.* Cæterum cùm dicitur quòd metus interdum minuat cultum id non eſt ita intelligendum, ut de mortali faciat venialem: ſed quod relinquendo peccatum intra limites peccati mortalis, faciat minus grave intra lineam, & ſpeciem peccati mortalis, quam alias eſſet ſecluſo metu, quamobrem à peccato mortali non excuſantur qui metu tormentorum quantumvis gravium, imò etiam mortis pejerant, Chriſtum negant, falſam religionem ſimulant, ſacramenta violant, homicidia committunt, & alia peccata gravia agunt, vel iiſdem conſentiunt; quia quævis atrociſſima ſupplicia potiùs toleranda ſunt, & mors ipſa perferenda, quàm ut Deum offendamus; & in eo vel maximè Chriſtianam fortitudinem exercere debemus, quæ uſque ad mortem certat pro juſtitia, ut habetur eccleſiaſtici 4. Hæc enim fortitudo Martyrum noſtrorum. Animos in bono virtutis confirmavit, ut fidem, & juſtitiam propter metum perſecutionum, & ſuppliciorum, quæ intentabat inferebatque exquiſitiſſima crudelitas, & mortis ipſius non desererent. Primo enim homini dictum eſt, in quacunque die comederis morte morieris, & chriſtiano homini dicitur, morere ne pecces, ait Auguſtinus ſerm. 318. *Mortem comminatus eſt Deus primis parentibus, ne peccarent, mortem Martyribus inimicus comminatus eſt, ut peccarent. Illi ut morerentur, peccaverunt, Martyres mortui ſunt, ne peccarent, unde illis pœna inflicta, inde iſtis gloria ſuſcitata.* Hinc ab Innocentio XI. damnata fuit, hæc propoſitio: *Urgens metus gravius eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*: ut etiam hæc alia: *Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando non peccat mortaliter, ſi id faciat, metu notabilis detrimenti puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.* Et iiſdem principiis ab Alexandro VII. damnata fuit hæc alia propoſitio. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat, ex quibus claret, quòd tametſi metus interdum minuat culpam non tamen ab illa excuſat: nec ita minuit, ut de mortali fiat veniale. Hinc gravius etiam peccant, qui metu futurorum malorum peccant, quàm qui præſentium, quia minus terrent futura mala, quàm præſentia quia futura minus perturbant mentem & libertatem propterea minus minuunt. Unde ſanctus Cyprianus Tract. de lapſis illis, qui metu exilii, aut proſcriptionis bonorum & illis, qui vi tormentorum Chriſtum negaverant, & idolis immolaverant ait: *Nec eſt prô dolor! juxta aliqua & gravis cauſa, quæ tantum facinus excuſet. Relinquenda erat patria, & patrimonii facienda jactura, qui enim naſcenti atque morienti non relinquenda quandoque patria & patrimonii ſui facienda jactura eſt? ut Chriſtus non relinquatur ſalutis ac ſedis æternæ jactura timeatur.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Sed tormenta poſtmodum ventura erant, & cruciatus graves reluctantibus imminebant. Queri de tormentis poteſt, qui per tormenta ſuperatus eſt: excuſationem doloris obtendere, qui victus eſt in dolore, poteſt rogare talis, & dicere: Certare quidem fortiter volui & Sacramenti mei memor, devotionis, ac fidei arma ſuſcepi: ſed me in congreſſione pugnantem cruciamenta varia & ſupplicia longa vicerunt. Stetit mens ſtabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata eſt, ſed cum duriſſimi Judicis recrudeſcente ſævitia, jam fatigatum, jam laſſum corpus, nunc flagella ſcinderent, nunc fuſtes contunderent, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret caro me in colluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit, nec animus, ſed corpus in dolore defecit. Poteſt cito proficere ad veniam cauſa talis: poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis. Sic Caſto, & Æmilo aliquando Dominus ignovit: ſic in prima congreſſione devictos, victores in ſecundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante ceſſiſſent; & unde ſuperati eſſent, inde ſuperarent. Manabat pro fletibus ſanguis, & pro lacrymis cruor ſeminuſtulatis viſceribus defluebat. Nunc vero quæ vulnera oſtendere victi poſſunt? Quas plagas hiantium viſcerum? Quæ tormenta membrorum, ubi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſſionem perfidia prævenit? Nec excuſat oppreſſum neceſſitas criminis, ubi crimen eſt voluntatis.*

Nullus metus, quamvis cadens in virum conſtantem ſivè ſit metus mali, quod ſequatur ex cauſa naturali, ſeu libera, excuſat à culpa operationem factam ex tali metu, ſi talis operatio ſit ex ſe peccaminoſa, ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 125. *art.* 4. Juvat tamen obſervare, quòd timor ſubinde poteſt excitare voluntatem ad operationem bonam, quo pacto timor divinæ iræ excitat hominem ad ſtudia, & exercitia virtutum, & ad obſervantiam divinæ legis, & tunc tali timori cedere laudabile eſt, interdum tamen inducit operationem malam & quia malum aliud eſt culpæ, aliud pœnæ, ſi excitet ad malum culpæ cedere huic timori non eſt laudabile, nec metus excuſat à culpa, ſi

gister Christus suos alloquens discipulos ajebat: *Venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo; & hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem nec me.* Præterea D. Paulus ante suam conversionem cum persequeretur ecclesiam procul dubio graviter peccasse, ut ipsemet fatetur 1. Timoth. 1. inquiens: *Fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus:* sed tunc præviam illam animi illustrationem & attentionem ad advertentiam ad pravitatem persecutionis non habebat cùm potiùs se laude dignum æstimaret ob eandem persecutionem, ac se abundantius supra coætaneos suos paternarum traditionum æmulatorem agnosceret, quapropter ad Galat. cap. 1. *Audistis conversationem meam aliquando in judaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in judaismo supra multos Coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Ex quo claret non esse necesse ad peccatum, ut peccans attendat ad peccati pravitatem & actionis dissonantiam à regulis rectæ rationis. Hoc idem etiam docent Christi verba, quæ protulit in crucis cathedra, ut nos doceret condonare injurias nobis illatas Luc. 23. *Pater dimitte illis:* non enim sciunt quid faciunt: & tamen tunc Judæi non arbitrabantur, se pravè agere cum justè operari existimarent, eò quia Christum ut seductorem, & malefactorem haberent, & non ut Dominum gloriæ cognoscerent. Et tamen licèt Deicidii pravitatem non agnoscerent gravissimè peccarunt. Rursus certum est, eos itidem peccare, quos Deus dimisit vias suas ingredi, & quos tradidit in desideria cordis eorum, sed hi non solùm ad actionis pravitatem non attendunt neque agitantur stimulis abstinendi à peccato, quod potius cum gaudio complectuntur. Unde non est necesse, ut peccatum alicui imputetur, quod peccari ad ejus pravitatem attendat, ejusque vitandi desiderio moveatur. Hinc D. Bernardus Tractatu ad Hugonem à S. Victore ostendit eos versari in crassissimis ignorantiæ tenebris qui peccari posse per ignorantiam non agnoscunt. Hinc in Psal. 49. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* & Psal. 9. *Non est Deus in conspectu ejus inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua à facie ejus,* & ex eo, quod non attendant, & considerent turpitudinem suæ operationis peccent, colligitur ex Psal. 77. *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt,* ut enim ait D. Augustinus lib. 1. retract. cap. 15. *Qui nesciens peccavit non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum, quæ voluntas utique sicut definita est animi motus fuit nullo cogente ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quòd si noluisset non fecisset non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit etiam si non quia voluit peccavit nesciens peccatum esse, quod fecit: ita nec peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Sin autem necessaria esset attentio & advertentia ad pravitatem actionis nunquam peccaret, qui nescit peccatum esse, quod facit, neque sola facti voluntate, verùm etiam voluntate peccati, quod peccatum voluntarium esset, quapropter hæc propositio, nunquam peccatur nisi prævia peccati cognitione mens peccantis illustretur, ejusque vitandi desiderio excitetur falsa est, contra scripturas, & sanctos Patres, ut etiam falsa est hæc alia propositio, peccatum philosophicum; seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Et Theologicum; ac mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in eo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est quidem grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœnam meretur æternam. Hæc enim propositio non solùm Athæos, & infideles omnes, sed etiam Christianos excæcatos, & obduratos in peccato absolvit, facitque Dei amicos, & à pœna æterna liberat, & felicior esset eorum conditio ex hac parte infidelium, quàm fidelium qui Deum noverunt, eumque coluerunt, & nunquam in illam cæcitatis noctem incurrerunt: siquidem Pagani sedentes in tenebris talis ignorantiæ peccata committentes non essent digni pœna æterna, quod falsum est & contra scripturas cum scribat D. Paulus ad Ephes. 4. *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui tenebris obscuratum habentes intellectum alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam,* & cap. 5. subdit Apostolus: *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filio diffidentiæ.* Rursus ad Roman. cap. 2. scribit: *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum; Judæi primum, & Græci. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Et 1. ad Thessal. 4. scribit: *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicut & Gentes quæ Deum ignorant, & nemo supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum quoniam vindex est Dominus de his omnibus sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.* Hinc Alexander VIII. illam distinctionem peccati philosophici, & theologici, & simul opinionem quæ eidem distinctioni innitebatur damnavit ut scandalosam, temerariam offensivam piarum aurium, & erroneam, & excommunicationem ipso facto incurrendam ac sedi apostolicæ reservatam tulit in eos, qui hanc propositionem, & opinionem promoverint, docuerint, defenderint, vel ediderint, imò & de illa disputationem instituerint publicè vel privatim, nisi fortassis causa eam impugnandi, ac ostendendi illius falsitatem; & in virtute sanctæ obedientiæ ac sub interminatione divini judicii omnibus Christi fidelibus prohibuit, ne damnatam hanc propositionem audeant ad praxin deducere.

Quamvis ignorantia facti si sit invincibilis excuset à culpa non ita ignorantia legis, si debito modo fuerit promulgata, & ejus notitia ad operantem contra ipsam potuerit devenire hinc habetur regula juris 13. in 6. ubi dicitur: *Ignorantia facti non juris excusat.* Quod si lex debito modo non fuerit promulgata vel ejus notitia non potuit pervenire ad eum qui contra ipsam agit, seu illam non observat, tunc excusat a culpa, quia juris ignorantia tunc censetur invincibilis: ut colligitur ex cap. *Cum in tua Extra de his qui matrimonium accusare possunt,* siquidem Innocentius III. asserit ab accusatione matrimonii eum esse repellendum, qui solemnium denuntiationum tempore tacuit, nisi probet denuntiationem ad ipsum potuisse pervenire; ait enim Pontifex: *Si tempore denuntiationis præmissæ is qui jam conjunctos impedit, extra diœcesim existebat, vel aliàs denuntiatio, non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut puta,*

Digitized by Google

ta, ſi nimia infirmitatis fervore laborans ſanæ mentis potiebatur exilium, vel in annis tam teneris conſtitutus quod ad comprehenſionem talium ejus ætas ſufficere non valebat: ſeu alia cauſa legitima fuerit impeditus ejus accuſatio debet audiri: alioquin cum rationabiliter præſumatur, quod denuntiationem publicè factam idem exiſtens in ipſa diœceſi minimè ignoraverit, tanquam ſuſpectus, eſt procul dubio repellendus. Ignorantia tamen juris ſi ſit invincibilis juris cenſuras illo jure ſtatutas non incurrit, ſi contra jus illud ignoranter agat, & colligitur ex cap. ut animarum de conſtitut. in 6. ubi Pontifex ait: *Ut animarum periculis obvietur ſententiis per ſtatuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes.* Ratio eſt eadem ac de juris communis ignorantia, quia nulla pœna infligitur niſi propter peccatum, & ignorantia, ſi fuerit invincibilis à peccato excuſat, & cenſuræ non feruntur niſi in contumaces, & is contumax non poteſt cenſeri, qui laborat ignorantia, quæ humano ſtudio ſuperari non poteſt.

CAPUT XV.

Exhibentur, & explicantur aſſertiones pertinentes ad voluntarium per violentiam.

Ut ratio voluntarii per violentiam explicetur, quid ſignificent hæc quinque nomina neceſſarium, impediens, coactum, violentum, & involuntarium. Præmittendum eſt, quia plerumque inter ſe confunduntur. Neceſſarium dicitur quatenus opponitur contingenti, ſeu indifferenti, & importat determinationem ad unum cum excluſione facultatis ad oppoſitum: ſiquidem neceſſitare perinde eſt, ac determinare ad unum non relinquendo potentiam ad oppoſitum. Hinc quando ſurſum projicitur lapis dicitur neceſſitari ad aſcenſum, eò quia impulſus eidem impreſſus à projiciente eum determinat ad aſcenſum ſurſum. Impediens eſt totaliter auferre exercitium propriæ actionis, ut cùm lapis ſurſum projectus impeditur, & detinetur à tecto ne ulterius aſcendat. Coactum propriè loquendo eſt quod opponitur ſpontaneo, ſeu voluntario, adeo ut reperiatur in ſolis cognoſcentibus, ſiquidem cogere perinde eſt, ac compellere, ac inferre violentiam alicui animali contra ejus elicitam inclinationem, & per hoc differt coactum à violento, quia illud propriè dicitur de cognoſcentibus hoc verò etiam de rebus inanimatis, ut cùm lapis projicitur ſurſum motus ille propriè eſt ei violentus non coactus. Violentum eſt, quod infert violentiam alicui rei ſive animatæ ſive inanimatæ contra inclinationem naturalem illius. Involuntarium quamvis interdum ſumatur pro coacto, vel violento: latius tamen patet, quia poteſt contingere, quod aliquid ſit involuntarium non ſolum ratione violentiæ, ſeu quia eſt à principio extrinſeco, & etiam ex defectu cognitionis, imò & ratione ignorantiæ: quapropter involuntarium tripliciter ſumi poteſt: primò negativè, eſtque illud, quod nec eſt voluntarium, nec eſt capax voluntarii cujuſmodi ſunt motus rerum omnium inanimatarum, qui laxè, & impropriè dici poſſunt involuntarii. Secundò ſumitur involuntarium quaſi privativè, & dicitur id, quod tametſi poterit eſſe voluntarium; tamen ratione ignorantiæ concomitantis non fuit voluntarium, dicitur enim privativè involuntarium, quia quantum eſt ex ſe, eſt capax ut ſit voluntarium ſi nimirum excluderetur, ignorantia. Tertiò demum dicitur involuntarium poſitivè, & eſt quòd ſit à voluntate per violentiam, & contra inclinationem elicitã voluntatis quod dupliciter poteſt intelligi vel quia fit contra inclinationem efficacem & dicitur involuntarium ſimpliciter per violentiam, de quo in præſenti eſt ſermo, ut cùm quis vult efficaciter manũ movere, vel pedem, vel totum corpus & ab extrinſeco agente fortiori impeditur: vel intelligitur quòd fiat contra inclinationẽ inefficacem ſive hæc ſit ſimplex affectus, ſive quædã duntaxat velectas, & hoc non dicitur ſimpliciter involuntarium, ſed mixtum ex voluntario, & involuntario, ut eſt, quod ſit ex metu gravi. Juvat obſervare quod tametſi voluntas efficax divina ſemper, & neceſſariò habeat effectum, voluntas tamen efficax creata poteſt impediri à fortiori agente, & tametſi ita impediatur adhuc dicitur efficax non quidem deſumpta denominatione ab effectu ſecuto, ſed dicitur efficax intrinſecè per modum actus primi, quatenus quantum ex ſe haberet effectum niſi aliunde impediretur.

Hinc aſſerendum eſt violentum propriè eſſe id, quod eſt à principio extrinſeco nil conferente paſſo, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 4. cum Ariſtot. 3. Ethic. cap. 1. ratio eſt quia eo ipſo quod eſt à principio extrinſeco & paſſo nihil confert, eſt contra inclinationem naturalem qua principium intrinſecum inclinatur ad ſuum actum. Violentum enim aliud eſt contra inclinationem naturæ non cognoſcitivæ; & aliud contra inclinationem naturæ ſenſitivæ, & aliud contra inclinationem naturæ rationalis, non enim ad rationem violenti ſufficit, ut notat Scotus in 4. diſt. 29. quæſt. 1. Si paſſum ſe habeat merè negativè ſed requiritur poſitiva reſiſtentia, quia violentum cum non exigat eſſe contra naturalem inclinationem, debet fieri aliqua reſiſtentia, qua naturalis inclinatio reſiſtat violentiam inferenti, conſequenter definitio tradita violenti admittenda eſt, & ex eadem definitione tres conditiones requiruntur, ut alicui violentia inferatur, quarum prima eſt, ut ſit à principio effectivo extrinſeco, ſecunda ut ſubjectum violentiam patiens, quamvis reſiſtat violentiam inferenti, non tamen concurrat effectivè ad ipſam. Tertia ut repugnet inclinationi ſubjecti, cui violentia infertur. Ex his conditionibus duæ primæ exprimuntur in ipſa definitione. Tertia quamvis non explicetur ita clarè, continetur nihilominus implicitè in illis particulis nil conferente paſſo, quia id non debet intelligi negativè ſed contrariè ut notat Scotus in 4. diſt. 29. quæſt. unic. ſiquidẽ ut motus aliquis ſit violentus, non ſufficit, ſi ſubjectum, cui violentia infertur, non habeat inclinationem ad illam vel ulterius quòd habeat inclinationem contrariam alioquin infuſio habituũ ſupernaturalium eſſet nobis violenta, ſiquidem eſt à principio extrinſeco nihil conferente paſſo hoc nimirum non adjuvante effectivè, nec habente naturalem inclinationem ad receptionem habituum ſupernaturalium. Quamobrem eatenus hæc infuſio non eſt violenta, quia anima rationalis non habet eidem oppoſitã inclinationem. His poſitis

Aſſerendum eſt violentiam omnino excuſare à peccato, quia nullum eſſe poteſt peccatum ſine voluntate: ſed violentia involuntarium cauſat, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 5. quia eſt contra voluntatem paſſi, quæ propterea violentiæ ſibi illatæ quantum poteſt reſiſtit. Hinc puella vim patiens à violatore inſons eſt, ſi conſenſum voluntatis non præbeat, & quantum in ſe eſt, aggreſſori reſiſtit, quapropter S. Lucia dicebat tyranno, *ſi invitam juſſeris violari caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*, hinc D. Auguſtinus lib. 1. de civit. Dei cap. 18. ait: *At enim ne vel aliena polluat libido metuitur. Non polluet ſi aliena erit; ſi*

Digitized by Google

autem polluet aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus ſit animi comitemq́; habeat fortitudinem, qua potiùs quelibet mala tolerare, quàm malo conſentire decernit; nullus autem magnanimus & pudicus in poteſtate habeat quid de ſua carne fiat, ſed tantùm quid annuat mente vel renuat; quis eadem ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam ſi forte in apprehenſa, & oppreſſa carne ſua exerceatur, & expleatur libido non ſua? ſi enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit, ſed pertinebit ad ea bona, quibus bene vivitur ſed in bonis corporis numerabitur, qualia ſunt vires, pulchritudo ſana, integraque valetudo, ac ſi quid hujuſmodi eſt, quæ bona etiam ſi minuantur bonam juſtamq́; vitam omnino non minuant. Quod ſi tale aliquid eſt pudicitia, ut quid pro illa, ne amittatur etiam cum periculo corporis laboratur. Si autem animi bonum eſt etiam oppreſſo corpore non amittitur, quin etiam ſancta concupiſcentia bonum cum immunditia carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificatur & ideo, cum eis non cedere inconcuſſa intentione perſiſtit, nec de ipſo corpore perit ſanctitas, quia eo ſancte utendi perſeverat voluntas, & quantum in ipſo eſt, etiam facultas. Neque enim eo corpus ſanctum eſt, quod ejus membra ſunt integra aut eo quod nullo contrectantur attactu; cum poſſint diverſis etiam caſibus vulnerata vim perpeti & medice aliquando ſaluti opitulantes hæc tibi faciant quæ horret aſpectus. Obſtetrix virginis cujuſdam integritatem manu velut explorans ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, dum inſpicit, perdidit. Non opinor quemquam tam ſtultè ſapere, ut huic periiſſe aliquid exiſtimet, etiam de ipſius corporis ſanctitate, quamvis membri illius integritate jam perdita. Quo circa propoſito animi permanente per quod etiam corpus ſanctificari meruit nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ. An verò ſit aliqua fœmina mente corrupta, violatoq́; propoſito quod Deo voverat, pergat vitianda ad deceptorem ſuum adhuc eam pergentem ſanctam vel corpore dicimus ea ſanctitate animi per quam corpus ſanctificabatur amiſſa atque deſtructa? abſit hic error. Et hic potiùs admoneamur, ita non amitti corporis ſanctitatem manente animi ſanctitate etiam corpore oppreſſo ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi ſanctitate etiam corpore intacto. Non tamen ſufficit ad perfectam violentiam inducentem involuntarium & à peccato penitus excuſantem ut mens repugnet ſceleri ſed neceſſe eſt, ut homo etiam opere externo renitatur, & quantum poteſt reſiſtat quapropter ſi Virgo per vim opprimeretur animo quidem repugnans facinori, ſi clamore & totis viribus non obſiſteret violatori perfectam violentiam paſſa, non cenſeretur nec à peccato immunis, quia ut ait D. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 5. *Voluntarium poteſt aliquid dupliciter dici uno modo ſecundum actionem, puta cum aliquis vult aliquid agere alio modo ſecundum paſſionem cum quis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori manente in eo qui patitur voluntate patiendi non eſt ſimpliciter violentum quia licèt ille qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati, quapropter non poteſt dici involuntarium.* Verùm licèt puella vim patiens à ſtupratore non conſentiat mente ſola non opere externo, & toto conatu non reſiſtit vim inferenti & peccato clamore etiam non reluctatur, licèt non excuſetur à peccato, quia non fecerit quantum potuit, ut reniteretur vim inferenti, minus tamen rea eſt, quàm quæ nec mente repugnat, & plenè conſentit. Tales erant, qui ad profana, & ſacrilega Ethnicorum ſacrificia ducti vel compulſi totis viribus non renitebantur, ſed tantùm repugnantem voluntatem externis ſignis triſtitiæ, & externo habitu oſtendebant, quapropter Concilium Ancyranum decrevit mitiorem pœnitentiam eſſe illis injungendam ait enim can. 4. *De his, qui ſacrificare coacti ſunt, inſuper & cœnaverunt in idolis, quicunque eorum cum ducerentur latiore habitu fuerunt, & veſtimentis pretioſioribus uſi ſunt, ac præparata cœnæ indifferentes participes extiterunt. Placuit eos inter audientes uno anno conſtitui, ſuccumbere verò tribus annis in oratione autem communicare biennio, & tunc ad perfectionis gratiam* (ſcilicet ad Euchariſtiæ communionem) *pervenire. Quotquot autem aſcenderunt templa veſte lugubri, & recumbentes per omne tempus flevere diſcubitus, ſi compleverint pœnitentiam triennii temporis ſine oblatione ſuſcipiantur. Si autem non communicaverunt biennio ſubjecti pœnitentia, tertio anno ſine oblatione communicent, ut perfectionem quadriennio conſequantur.*

Hinc aſſerendum ulteriùs eſt agens qua tale non poſſe violentiam pati in agendo, quia eo ipſo, quòd agens agit ſemper effective ſe habet ad talem actionem quia eſt à principio intrinſeco agentis exercentis propriam intrinſecam virtutem, quam ſi non exerceret non ageret quoties autem eſt à principio intrinſeco agentis non eſt illi violenta, quia violentum exigit fieri à principio extrinſeco, quia per id differt violentum à naturali & voluntario, quia naturale eſt à principio intrinſeco juxta inclinationem paſſi: & voluntarium eſt etiam à principio interno & rurſus eſt juxta inclinationem ejus, qui vult, ergo violentum tunc habetur quando agens vel patiens non confert vim, ſed mere paſſivè ſe habet conſequenter ut actio ſit violenta debet neceſſariò eſſe à principio extrinſeco, & nullo modo ab intrinſeco, conſequenter non poteſt agens in agendo violentari, quia repugnat actio agentis, quæ non ſit à principio intrinſeco ejuſdem agentis, alioqnin non eſſet exercitium talis virtutis quòd ſi dicas poſſe intervenire aliquam violentiam in applicatione agentis, conſequenter poſſe actionem tunc eſſe violentam, & agens violentari in agendo. Contra eſt negatur conſequentia, quia tametſi interveniat aliqua violentia in applicatione agentis eſt tamen ſemper talis actio à principio intrinſeco, ſeu à virtute intrinſeca ipſius agentis conſequenter non poteſt eſſe actio violenta, quia oppoſito modo ſe habet ad violentum, quod exigit eſſe à principio extrinſeco, quapropter neque actio imperata poteſt eſſe violenta reſpectu potentiæ à qua dimanat, quia reſpectu illius non eſt à principio extrinſeco, quòd neceſſariò requiritur, ut actio ſit violenta. Si dicas eſto agens principale non poſſit violentari in agendo non tamen id repugnat agenti inſtrumentali proinde ſaltem agens inſtrumentale poteſt violentari ad agendum. Antecedens liquet, quia poteſt aliquid aſſumi ut inſtrumentum ad effectum contrarium ſuæ naturæ, ut ſi frigiditas aſſumatur, ut inſtrumentum ad calefaciendum, tunc violenter calefaceret ut cauſa inſtrumentalis conſequenter ſaltem agens inſtrumentale poteſt violentiam pati. Sed contra negatur conſequentia, quia tametſi res illa dicatur violentiam pati quatenus aſſumitur, & elevatur ad inſtrumentaliter producendum actum contrarium ſuæ naturæ, nihilominus poſtquam res illa eſt aſſumpta, & elevata ad talem effectum, illam non producit violenter, ſed connaturaliter in ſenſu compoſito cum tali elevatione. Hinc licet elevatio ſit violenta non ita effectus, qui oritur ex tali elevatione: ratio diſcriminis eſt, quia ſubjectum reſpectu elevationis ſolùm ſe habet mere paſſivè, quia tota elevatio

eſſet

Digitized by Google

eſſet à principio extrinſeco contra inclinationem ſubjecti, quod elevatur. Sed ſemel poſita tali elevatione ſubjectum concurreret effectivè ad actionem & effectum, conſequenter nec actio, neque effectus poſſet illi eſſe violentus. Quod luculentiùs explicatur, quia tametſi ſerra in receptione motus artificioſi patiatur violentiam non propterea ipſa ſciſſio artificioſa dicitur violenta eidem ſerræ, eo quia effectivè cauſatur ab illa, ita à pari quamvis frigiditas contra propriam naturam elevata à Deo ad producendum calorem talis elevatio ſit ei violenta, eò quia contra propriam naturalem inclinationem; poſita tamen elevatione productio caloris non eſt illi violenta, quia frigiditas activè concurrit ad illam, perinde ac ſerra violenter mota ab extrinſeco influit activè & effectivè in ſciſſionem.

Dari tamen poteſt violentia quoad carentiam actionis quatenus poſitis omnibus requiſitis ad agendum poteſt actio impediri, ut cum lapis detinetur, ne deſcendat deorſum; non tamen tunc agens patitur violentiam in agendo, quia tunc non exercet, ſuam virtutem, ſed quia poſitis omnibus requiſitis ad agendum, ejus actio impeditur ab extrinſeco ut ſi quis velit movere baculum at impediatur à fortiori aliquo principio extrinſeco, tunc ceſſatio à tali actione dicitur violenta, quia agens vim patitur, ne naturalem ſuam producat actionem, unde poteſt dari violentia quoad carentiam actionis, quod tamen ita debet intelligi, ut ſiſtatur intra limites cauſarum ſecundarum, quia ſi cauſa prima ſuſpendat ſuum concurſum non ſequitur violentia quòd cauſa ſecunda non agat, quia tunc cauſa ſecunda non habet vim ad operandum niſi concurrente cauſa prima proinde nec habet inclinationem, unde ſi tunc non ageret talis ceſſatio ab actione non eſſet contra ejus inclinationem, proinde nec violenta. Paſſum tamen qua tale poteſt violentiam pati in ipſa receptione formæ, quia illud propriè eſt violentum, quod eſt à principio extrinſeco contra inclinationem ſubjecti, cui infertur violentia: ſed receptio formæ diſconvenientis eſt à principio extrinſeco, & contra inclinationem ipſius ſubjecti in quo recipitur, conſequenter receptio talis formæ, habent omnia requiſita ad rationem violenti, proinde eſt propriè violenta: hinc tametſi per impoſſibile introduceretur calor in aqua ſine expulſione frigiditatis, adhuc ipſa calefactio eſſet violentia aquæ, quia eſſet à principio extrinſeco, & contra naturalem inclinationem ipſius aquæ. Præterea ſi aliquod ſubjectum ex natura ſua exigeret ſolum calorem ut quatuor, ſi ulteriùs calefieret eſſet hæc calefactio illi violenta, quia eſſet à principio extrinſeco & contra inclinationem naturalem ipſius ſubjecti conſequenter paſſum qua tale poteſt violentiam pati non ex eo, quòd amittat formam ſibi convenientem, & quia recipiat formam ſibi diſconvenientem. Cum igitur violentia ita ſit à principio extrinſeco, ut non ſit ab ullo principio intrinſeco ſubjecti, quod vim patitur, ſequitur quod tollat rationem voluntarii, quod ſemper eſt ab intrinſeco, ſeu ab ipſa voluntate, à qua denominatur voluntaria. Hinc violentia excuſat à peccato ut fuit declaratum in Concilio Ancyrano can. 3. ubi habetur: *Qui fugientes comprehenſi ſunt vel à domeſticis traditi, vel ademptis facultatibus ſuſtinere tormenta, vel in cuſtodiam truſi proclamaverunt ſe Chriſtianos eſſe, & eo uſque adſtricti ſunt, ut manus eorum comprehendentes violenter attraherent, & funeſtis ſacrificiis admoverent, aut aliquid polluti cibi per neceſſitatem ſumere cogerentur confitentes jugiter, ſe Chriſtianos eſſe, & luctum rei, quæ contigit inceſſabiliter oſtendentes omni dejectione, & habitu, & humilitate vitæ: hos veluti extra delictum conſtitutos à communionis gratia non vetamus.* Idque confirmatur *in cap. Majores Extra. de baptiſmo & ejus effectu,* ubi Innocentius III. ait: *Ille verò qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit ſacramenti ſicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens pœnitens & reclamans thurificare idolis cogitur violenter.* Et S. Leo Papa epiſt. 1. ad Epiſcopos Africanos Provinciæ Mauritaniæ Cæſarienſis cap. 8. de virginibus vi barbarica oppreſſis ita ſcribit: *Illæ autem famulæ Dei quæ integritatem pudoris oppreſſione barbarica perdiderunt laudabiliores erant in humilitate, ac verecundia, ſi ſe incontaminatis non audeant comparare virginibus: quamvis enim omne peccatum ex voluntate naſcatur, & potuerit corruptione carnis mens invita non pollui: minus tamen hæc illis oberit ſi quod potuerunt animo non amittere, doleant ſe, vel corpore perdidiſſe.* Et D. Auguſtinus epiſt. 228. Ad Horatum ait: *Violentiâ non violatur pudicitia, ſi mente ſervatur: quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis ſua turpiter carne non utitur; ſed ſine conſenſione tolerat, quod alius operatur.*

Non tamen poteſt creatura à Deo violentiam pati, adeo ut Deus ut cauſa prima nullo modo poſſit violentiam inferre creaturis carentibus libertate, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 113. art. 8. ad 3. ratio eſt quia creaturæ non infertur violentia, quando operatur, vel patitur juxta propriam naturalem inclinationem: ſed quidquid creatura patitur à Deo operante ut cauſa prima, vel ab eodem aſſumitur ad operandum, patitur, vel operatur juxta propriam naturalem inclinationem conſequenter Deus operans ut cauſa prima non poteſt inferre creaturis non liberis violentiam: ſiquidem controvertitur de qualibet creatura excepta voluntate de qua eſt ſpecialis difficultas. Major liquet, quia cum violentum definiatur eſſe illud, quod eſt à principio extrinſeco, nihil conferente paſſo non poteſt non eſſe contra inclinationem naturalem qua principium intrinſecum inclinatur ad ſuum actum conſequenter, quod eſt juxta inclinationem naturalem creaturæ non poteſt eidem violentum eſſe, major in qua eſt difficultas oſtenditur, quia in quolibet creatura præter particularem inclinationem ad bonum proprium datur alia naturalis inclinatio ad obediendum Deo in omnibus quæ voluerit, proinde quando Deus operatur ut cauſa prima modo ſibi proprio non poteſt inferre violentiam creaturis, ut oſtendit D. Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. ubi ait: *Deus autem creator, & conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit id enim erit utique naturale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis numerus, motus, & ordo naturæ* & D. Thomas. 3. part. quæſt. 43. art. 2. adhærens D. Auguſtino ait: *Deum nihil operari contra naturam, quia hoc eſt natura uniuſcujuſque, quod in eo Deus operatur,* & 1. part. quæſt. 105. art. 8. ait: *Quando movetur aliquid contra inclinationem inditam ab eo, quod non dedit naturam hoc eſt ab illa cauſa ſecunda particulari eſt violentum, minimè verò ſi moveatur à Deo authore naturæ indita.* Præterea quia Deus, ſicut habet eſſentialiter plenum, ac perfectiſſimum dominium in creaturas, ita creaturæ exigunt eſſentialiter eſſe ſub hoc pleno dominio Dei adeo ut eſſe ſub pleno & deſpotico Dei dominio ſit prædicatum eſſentiale conveniens cuilibet creaturæ, proinde non poſſunt creaturæ violentiam à Deo pati, quia ſemper operantur juxta propriam exigentiam, conſequenter non patiuntur violentiam, etenim quidquid creaturæ patiuntur à Deo vel aſſumuntur ab eodem ad operandum vel

Digitized by Google

operantur juxta propriam exigentiã ſiquidem patiuntur, & operantur, ut ſunt ſub pleno ac diſpotico Dei dominio; & ſubeſſe pleno Dei dominio eſt prædicatũ eſſentiale creaturarum, & cum prædicata eſſentialia ſint juxta exigentiam naturalem ſubjecti, cui conveniunt, ſequitur manifeſtè creaturas aſſumptas à Deo ut cauſa prima operante modo ſibi proprio ad aliquid faciendum, vel operandum, pati vel operari juxta exigentiam naturalem, quapropter nulla creatura carens libertate poteſt à Deo violentiam pati. Si dicas creaturas tantùm pati à Deo, quatenus ſunt ſub pleno ejus dominio quoad meram capacitatem ſeu non repugnantiam, non verò, ut ſunt ſub pleno Dei dominio quoad naturalem, & poſitivam inclinationem. Contra eſt quia quidquid patitur creatura à Deo, illud patitur, ut eſt ſub pleno Dei dominio; ratio eſt, quia quidquid Deus infert creaturæ, illud infert, ut exercens proprium dominium in illam; & ſicut dominiũ dicit eſſentialiter ordinem ad ſubjectionem, perinde ac dominus ad ſervum, ita exercitium ſubjectionis, quapropter quod infert Deus creaturæ, ut exercens dominium, id facit creatura ut dicit ſubjectionem ac eſt ſub pleno dominio Dei: ſed eſſe ſub pleno dominio Dei, eſt prædicatum eſſentiale ipſi creaturæ conſequenter eſt eidem connaturale, quia prædicata eſſentialia alicui ſubjecto non poſſunt non eſſe eidem connaturalia: ergo quidquid patitur creatura à Deo illud patitur juxta propriam inclinationem poſitivam naturalem, conſequenter non poteſt Deus violentiam inferre creaturæ, quia violentum debet eſſe contra non juxta inclinationem naturalem. Quòd ſi inſtes hanc ſubjectionem non importare in creatura naturalem inclinationem. Contra eſt quia naturalis inclinatio nihil aliud eſt, quàm ordinatio congenita ipſi naturæ ad aliud: creatura autem ratione eſſentialis ſubjectionis ad Deum habet ordinem ſibi cõgenitum ad omne id, quod poteſt Deus facere, conſequenter naturalem inclinationem ad omne id, quod poteſt Deus exercere ſupra creaturam, ſed inſtabis, tametſi ſubjectio conveniat creaturis non tamen utcunque, ſed ſervatis regulis ſuæ naturæ conſequenter ſubjectio creaturarum non eſt in ordine ad quodlibet, conſequenter poteſt creatura ſaltem circa aliqua pati violentiam à Deo. Contra eſt, quia creatura eo ipſo, quod habet totum ſuum eſſe à Deo exigit ſubjici plenè, ac totaliter Deo, adeo ut non poſſit in ordine ad ullum effectum ſubtrahi ab hac ſubjectione: alioquin ſi ſubjectio creaturæ non eſſet plena, & totalis, dominium Dei ſupra creaturas non eſſet plenum & totale ſiquidem dominium eſt correlativũ ſubjectionis ad quam dicit ordinem, & non poteſt ullum correlativum excedere aliud quoad menſuram alioquin ſecundùm exceſſum menſuræ daretur ullum correlativum ſine alio, quod repugnat unde ſubjectio debet extendi ſicut dominium, quod ſi plenum erit, etiam ſubjectio debet eſſe plena: cum igitur dominium Dei ſupra creaturas ſit plenum, & totale, ſubjectio in creaturis debet eſſe plena & totalis: ſin autem ſubjectio minor eſſet, quàm ſit potentia Dei non eſſet plena & totalis ſubjectio, quia ſecundùm aliquid ſubtraheretur à pleno Dei dominio, ergo creaturæ naturali modo ſubjiciuntur Deo in ordine ad omne id, quod poteſt facere. Sed urgebis, ſi creaturæ ratione ſubjectionis haberent inclinationem ad omne id quòd poteſt Deus facere, inde ſequeretur, quòd etiam haberent naturalem inclinationem ad dona ſupernaturalia, quæ proinde non eſſent ſupernaturalia, quia eſſent juxta naturalem creaturarum inclinationem: ſed creaturæ ad dona ſupernaturalia non habent naturalem inclinationem conſequenter ratio ſubjectionis non importat in creatura naturalem inclinationem. Contra eſt negatur ſequela, quia aliud eſt creaturam habere naturalem inclinationem ad exercitium dominii Dei, & aliud habere naturalem inclinationem ad ipſa dona ſupernaturalia, quæ nonniſi per accidens & materialiter ſe habent in ordine ad exercitium dominii Dei, quod eſt terminus formalis inclinationis creaturæ. Quando igitur Deus exercet ſuum dominium in creaturas infundendo dona ſupernaturalia, tunc hujuſmodi dona ſe habent materiali modo, & ſubſternuntur dominio Dei veluti termino formali naturalis inclinationis creaturæ conſequenter non ſunt niſi termini materiales talis inclinationis, & veluti per accidens; per ſe ſemper ſunt dona ſupernaturalia, quia elevant creaturam ad ſtatum ſupernaturalem, ex quo ſequitur creaturas non habere naturalem inclinationem ad dona ſupernaturalia tanquam ad terminum formalem ſubjectionis.

Præterea quando alicui ſubjecto inſunt duæ inclinationes quarum una eſt fortior alia; ſi ſubjectũ operetur vel patiatur aliquid juxta inclinationem fortiorem, ſibique connaturalem, tunc talis operatio vel paſſio non eſt eidem objecto violenta, quia eſt juxta ejus fortiorem naturalem inclinationem: atqui creaturis duæ inſunt inclinationes una ad bonum particulare & alia ad bonum cõmune, & a exercitium pleni, ac diſpotici Dei dominii: & hæc ſecunda inclinatio eſt longè fortior prima, perinde ac bonum commune eſt fortius bono particulari; hinc inclinatio in creaturis ad obediendum Deo eſt longè major, ac fortior, qualibet alia inclinatione, quia creatura magis obſtringitur & obligatur Deo, quàm cuilibet alteri peculiari bono, conſequenter non poteſt creatura violentiã pati à Deo. Major liquet quia eatenus motus, quo grave ſurſum aſcendit ad vitandum vacuum non eſt violentus, quia eſt juxta inclinationem quam habet corpus grave ad bonũ univerſi, cujus eſt pars, adeo ut motus ſurſum ſit tunc juxta fortiorem inclinationem corporis gravis. Minor conſtat, ex hactenus expenſis, ſiquidem creatura præter inclinationem ad bonum particulare, habet etiam inclinationem ad obediendum Deo, cui plenè ſubjicitur; & hæc ſecunda inclinatio eſt longè fortior prima, ergo cùm creatura quidquid patitur; à Deo, id patiatur juxta ejus fortiorem inclinationem naturalem, ſequitur manifeſtè non poſſe creaturam à Deo violentiam pati, quia Dominium Dei eſt bonum procul dubio præferendum cuilibet alteri bono particulari: ſed dices aſcenſus lapidis vel aquæ ad vitandum vacuum eſſe implicitè violentus quamvis conformis inclinationi ad bonum univerſi: ergo etiam aſcenſus lapidis: cauſatur à ſolo Deo erit violentus quamvis conformis inclinationi ad obediendum Deo conſequentia liquet à paritate rationis: antecedens facilè oſtenditur, quia tunc corpus grave aſcendit reſiſtendo motui quantum eſt ex ſe ergo talis motus eſt violentus. Contra eſt negatur antecedens ad cujus probationem reſpondetur: quod tametſi corpus grave aſcendat reſiſtendo motui quantum eſt ex ſe & ratione inclinationis particularis ad locũ proprium nihilominus quia ille aſcenſus eſt conformis alteri inclinationi majori, ac fortiori ad bonum commune quod intenditur, quando impeditur vacuũ, ideo talis aſcenſus non eſt tunc violentus corpori gravi, ſed ei maximè connaturalis: etenim cum animal movetur motu progreſſivo etiam pes aſcendit cum elevetur à terra, & nihilominus hæc elevatio ſeu motus ſurſum non eſt pedi violentus, idque non ob aliam cauſam, niſi quia quamvis ſit contra particularem inclinationem corporis gravis ad proprium locum; eſt nihilominus conformis alteri inclinationi fortiori, quam habet pes ad omnes differentias motus, quatenus eſt pars animalis,

Digitized by Google

malis, cui motus progreſſivus eſt connaturalis: ergo cum inclinatio creaturæ ad obediendum Deo ſit fortior quacunque alia inclinatione, ſequitur manifeſte non poſſe creaturam à Deo violentiam pati. Sed inſtabis, quia ſi Deus ſe ſolo projiceret lapidem ſurſum perinde lapis aſcendere gravitando, & reſiſtendo ratione ſui innati ponderis, ac ſi projiceretur à cauſa ſecunda, ſed ſi ab hac projiceretur procul dubio talis motus eſſet lapidi violentus: ergo etiam in prima cauſa conſequenter, poteſt Deus inferre violentiam creaturæ. Sed contra diſtinguitur major lapis aſcenderet eodem modo gravitando concedo, eodem modo quoad inclinationem negatur, & conceſſa minori negatur conſequentia; quia tametſi aſcenſus cauſatur à ſolo Deo eſſet contra inclinationem particularem ortam ex gravitate ſui ponderis; eſſet nihilominus juxta inclinationem fortiorem, quam dicit creatura quælibet ad obediendum Deo, ſed urgebis motus ille cauſatus à ſolo Deo eſſet à principio extrinſeco paſſo non conferente vim, ſed potiùs activè reſiſtendo, ergo hujusmodi motus vere eſſet violentus, quia includeret omnes conditiones requiſitas ad motum violentum. Sed contra diſtinguitur antecedens paſſo non conferente vim ratione inclinationis particularis ad locum proprium conceditur, ratione inclinationis fortioris, quam habet lapis, & creatura quælibet ad obediendum Deo negatur antecedens, & conſequentia, quiâ talis motus, ſemper eſſet juxta fortiorem inclinationem lapidis conſequenter non eſſet ei violentus. Quòd ſi dicas inde ſequi non poſſe Deum de potentia abſoluta violentiam inferre creaturæ reſpondetur exinde nullum ſequi inconveniens, neque imperfectionem in Deo, quia quod Deus nequeat violentiam inferre creaturæ non oritur ex defectu aliquo aut impotentia Dei, ſed oritur ex ipſa creatura, quæ utpote totaliter dependens à Deo, cujus dominio totaliter ſubjicitur adeo ut hæc plena, ac totalis ſubjectio ſit prædicatum eſſentiale, ac coñaturale ipſius creaturæ, quo fit, ut hæc non poſſit à Deo violentiã pati, quod in majorẽ cedit Dei perfectionem ſubjicientis ſibi perfectè creaturam.

An verò ſaltem voluntas poſſit à Deo violentiam pati quoad actus elicitos vel imperatos eſt major difficultas pro qua ſolvenda juvat obſervare voluntatem dupliciter poſſe ſumi primo ut eſt natura; ſecundò ut eſt libera: certum eſt voluntatem creatam ut naturam non poſſe violentiam pati à Deo, quia voluntas ut natura habet illam inclinationem, quæ ineſt reliquis, omnibus creaturis, quatenus iſtæ magis appetunt bonum Dei, quàm bonum proprium: in qualibet enim creatura præter particularem inclinationem ad bonum proprium adeſt etiam naturalis inclinatio ad obediendum Deo in omnibus quæ voluerit etiam contra peculiarem inclinationem; & hæc inclinatio ad obediendum Deo eſt in creaturis longè major, & fortior, quam ſit alia inclinatiò ad bonum proprium; quia ſicut bonum commune eſt longè majus, & fortius bono particulari: ita inclinatio quam habet quælibet creatura ut natura ad bonum univerſi, cujus creatura eſt pars eſt longè major, ac fortior quàm inclinatio particularis ad bonum proprium, conſequenter cùm voluntati ſub conceptu naturæ inſit hujusmodi inclinatio ad obediendum Deo in omnibus, quæ voluerit; ſequitur manifeſtè non poſſe voluntatem ut naturam violentiam pati à Deo, quia quidquid voluntas à Deo patitur eſt juxta inclinationem ejusdem voluntatis, conſequenter non poteſt illi eſſe violentum unde tota difficultas eſt an voluntas ut libera poſſit à Deo violentiam pati; & quia ut libera poteſt dupliciter conſiderari quoad actus elicitos, & imperatos procedit controverſia in ordine ad utrumque actum. Et primò in ordine ad actus elicitos, an poſſit Deus voluntatem creatam cogere in actibus elicitis.

Aſſerendum eſt, voluntatem creatam non poſſe à Deo violantiam pati in ordine ad actus elicitos, ita docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 4. *quæſt.* 22. *de potentia art.* 5. *&* 8. & deſumitur ex ſanctis Patribus præſertim Anſelmo de libero arbitrio cap. 5. ubi ait: *Velle non poteſt homo invitus, quia non poteſt velle nolens velle: nam omnis volens ipſum ſuum velle vult.* Hinc D. Auguſtinus lib. 5. de Civit. cap. 10. ait: *Velle ſi volumus eſt, ſi nolumus non eſt, non enim vellemus, ſi nollemus*, & D. Bernardus de gratia & libero arbit. ait: *Nemo autem non vult, quod vult, aut vult quod non vult.* Ratio itidem hoc ſuadet, quia quod fuit à principio intrinſeco, & juxta inclinationem agentis non poteſt eidem eſſe violentum: ſed omnes actus eliciti à voluntate ſunt à principio intrinſeco ejusdem, & juxta ejus inclinationem ergo non poteſt voluntas violentiam pati quoad actus elicitos. Major eſt certa, quia violentum eſt à principio extrinſeco, & contra inclinationem ſubjecti, quod patitur violentiam, definitur enim ab Ariſtotele *violentum* 2. Ethic. cap. 9. *quod ſit à principio extrinſeco paſſo non conferente vim*; & ut aliquid ſit alicui violentum, tres requiruntur conditiones quarum prima eſt, ut ſit à principio effectivo intrinſeco. Secunda ut quod patitur violentiam non concurrat effectivè ad ipſam, & tertia ut repugnet inclinationi ſubjecti recipientis violentiam: unde eo ipſo, quòd actus eſt à principio extrinſeco agentis non poteſt eidem eſſe violentus. Probatur minor, quia omnis actus elicitus à voluntate eſt vitalis, & à principio intrinſeco ejusdem, ſiquidem de ratione actus vitalis eſt immanentia in eodem principio à quo fuit. Præterea quia actus elicitus à voluntate eſt volitio, vel nolitio: volitio autem eſt inclinatio actualis voluntatis, & nolitio eſt ipſa averſio actualis adeo ut uterque actus ſit juxta voluntatis inclinationem tam enim voluntas habet inclinationem ad volendum quod eſt conſentaneum naturæ, quam ad nolendum quod eſt diſſentaneum eidem, conſequenter ſive velit, ſive nolit, ſemper elicit actus juxta inclinationem voluntatis, & naturæ, conſequenter non poteſt violentiam pati: ſiquidem repugnat unum contrarium eſſe aliud cui opponitur ſiquidem illi opponeretur, & non opponeretur, quia idem non opponitur ſibi ipſi, ſin autem actus elicitus à voluntate poſſet eidem violentus unum extremum contrarium eſſet idem cum alio ſibi oppoſito: ſiquidem actus voluntarius ſeu violentus, ſeu coactus opponuntur inter ſe, quia omnis actus elicitus à voluntate eſt eſſentialiter voluntarius & à principio extrinſeco, ſeu à voluntate mediante prævia cognitione: & violentum eſt eſſentialiter à principio extrinſeco, & cum eſſe à principio intrinſeco, & non eſſe à principio extrinſeco opponuntur negativè in ordine ad principium, ſequitur, non poſſe actum elicitum à voluntate eſſe eidem violentum, quia inde ſequeretur eundem actum ut licitum eſſe à principio intrinſeco, & ut violentum non eſſe à principio intrinſeco, conſequenter repugnat eundem actum quoad entitatem eſſe violentum & voluntarium. Firmatur quia quæ habent ſecundùm ſuas rationes formales proprietates contradictorias repugnat poſſe eſſe idem: ſed actus elicitus voluntatis & actus violentus habent ſecundùm rationes ſuas formales proprietates contradictoriè oppoſitas; ſiquidem actus elicitus voluntatis exigit ex natura ſua eſſe à principio intrinſeco ſeu ab ipſa voluntate efficienter conferente vim, actus verò violentus poſtulat ex natura ſua eſſe à principio extrinſeco nullam vim conferente ſubjecto, cui actus eſt vio-

Digitized by Google

violentus; consequenter non potest voluntas quoad actus elicitos violentiam pati. Dices potest Deus cogere voluntatem ad eliciendum actum, ad quem voluntas erat ex natura sua libera: sed hujusmodi actus utpote contra inclinationem voluntatis liberæ esset eidem violentus: ergo potest Deus voluntatem cogere & illam violentare in ordine ad actus elicitos. Et firmatur quia perinde subditur divino imperio voluntas creata, quam subdantur aliæ potentiæ creatæ: sed Deus potest necessitare alias potentias ad executionē sui imperii, quia si Deus imperet aquæ, ut calefaciat, necessitatur aqua à Deo ad calefaciendum: ergo si imperet voluntati, ut eliciat actum aliquem, necessitabitur voluntas ad eundem eliciendum consequenter perinde potest voluntas violentiam pati quoad actus elicitos sicut cæteræ potentiæ, sed contra negatur minor quia actus ad quem eliciendum voluntas adigeretur à Deo, vel esset à principio intrinseco voluntatis vel non, si dicatur hoc secundum, ergo non esset actus elicitus à voluntate, quia non flueret à principio intrinseco voluntatis, unde quamvis actus iste esset voluntati violentus non tamē inde sequeretur voluntatem pati violentiam quoad actus elicitos, cum talis actus non supponatur elicitus à voluntate, sed tantùm eidem ab extrinseco principio impressus. Sin autem dicatur esse à voluntate, ut à principio effectivo jam talis actus non esset voluntati violentus, quia esset à principio intrinseco ejusdem voluntatis, siquidem de ratione violenti est esse à principio extrinseco passo non conferente vim. Ad confirmationem respondetur actum illum necessariò elicitum à voluntate non fore violentum, quia esset à principio intrinseco cum prævia cognitione: unde ex allata ratione tantùm sequitur talem actum fore voluntarium necessarium, quia Deus in data hypothesi id tantum præstaret, ut voluntas necessariò vellet: eo autem ipso, quòd voluntas vult sive liberè, sive necessariò, talis actus non potest non esse ab intrinseco, & voluntarius. Instabis necessitas hæc eliciendi actum est omnio ab extrinseco, seu Deo cogente voluntatem, & rursus est contra naturalem inclinationem ejusdem voluntatis, quia hæc ex natura sua exigit liberè operari: ergo quamvis actus ille quoad substantiam, & entitativè esset voluntarius, eò quia eliceretur à voluntate nihilominus quoad modum necessitatis foret violentus, quia esset à Deo ut à principio extrinseco contra inclinationem voluntatis exigentis liberè operari. Sed contra quia voluntas dupliciter intelligi potest cogi à Deo, ut eliciat actum; primò ut intelligatur adigi ad eliciendum actum in individuo: secundò ut intelligatur necessitari ad aliquod genus actus virtutis; quemadmodum intelligimus fuisse necessitatam voluntatem Christi ratione unionis hypostaticæ. Si hoc posteriori modo intelligatur voluntas à Deo adigi ad genus actus virtutis, non potest voluntas per hanc necessitatem non solùm quoad substantiam, & entitatem, verum etiam nec quoad modum operandi violentiam ullam pati: quia tametsi voluntas intelligatur necessitata ad exercitia virtutum in genere, adeo ut non possit elicere actum vitiatum oppositum virtuti; remanet nihilominus libera in ordine ad quemlibet actum virtutis in particulari; quia adhuc est in potestate voluntatis hunc vel illum actum in particulari intra genus virtutis exercere, qua ratione voluntas humana Christi liberè exercuit actus virtutis, tametsi non potuerit elicere actus vitiosos. Sin autem intelligatur voluntas à Deo necessitari quoad actum in particulari adhuc negatur voluntatem tunc violentiam pati, siquidem dupliciter possumus intelligere Deum necessitare voluntatem ad actum aliquem in particulari; primò per motum subitum, secundò mediante prævia cognitione objecti. Idque etiam dupliciter primò faciendo ut intellectus repræsentet, ac proponat voluntati unum tantum objectum sub unica tantùm ratione boni vel mali, adeo ut ex parte intellectus nulla reluceat in objecto repræsentato indifferentia objectiva; & hoc pacto voluntas intelligitur adigi ad amplectendum vel respuendum objectum ei repræsentatum in intellectu. Alio modo si quamvis intellectus proponat voluntati objectum sub indifferentia objectiva, nihilominus Deus prædeterminat voluntatem ad unam duntaxat partem ponendo in voluntate qualitatem aliquam necessariò inclinantem ad actum in particulari: vel si intelligatur Deus tribuere voluntati concursum determinatum ad unam tantùm partem. Si igitur Deus intelligatur adigere voluntatem ad aliquem actum in particulari sive ille actus fuerat primò primus, seu motus subitus; sive procederet à voluntate mediante prævia cognitione perfecta, in neutro casu voluntas violentiam pateretur, quia semper talis actus eliceretur à voluntate & esset à principio intrinseco vim conferente, seu efficienter concurrente ad talem actum. Præterea voluntas non habet inclinationem liberam ad motum primo primum, nec ad objectum propositum ab intellectu absque indifferentia objectiva ergo adhuc in data hypothesi voluntas non intelligeretur violentiam pati, quia non eliceret hujusmodi actum in particulari contra propriam inclinationem: quia voluntas non est nata ferri liberè nisi per actum deliberatum, & circa objectum ei propositum cum indifferentia objectiva. Tum quia si Deus adigeret voluntatem ad actum in particulari per sublationem indifferentiæ ex parte intellectus, voluntas in hac hypothesi non cogeretur ad oppositum actum, neque ad suspensionem ejusdem, quia non haberet appetitum elicitum ad actum oppositum neque in actu secundo, neque in primo. Neque si Deus intelligatur necessitare voluntatem ad actum in particulari, eò quia illam prædeterminat efficaciter ad talem actum aut præbeat concursum determinatum ad ipsum tantùm, & non ad alium voluntas propterea pateretur violentiam, quia tunc in voluntate nullus esset conatus aut inclinatio elicita ad actum oppositum, vel ad suspensionem talis actus in particulari, quia in data hypothesi supponitur voluntati denegatus concursus Dei ad omnem aliū actum excepto illo ad quem adigeretur: siquidem conatus ille contrarius, vel inclinatio elicita deberet esse aliquis actus. Neque obstat, si dicas, voluntatem in data hypothesi habere inclinationem contrariam ad partem oppositam per modum actus primi consequenter pati violentiam contra hujusmodi inclinationem. Nam contra est, quia tametsi voluntas haberet hanc inclinationem radicaliter, seu inchoativè ex parte solius intellectus non propterea eam haberet formaliter, & in se ipso, quia supponeretur necessariò determinata ad unam tantùm partem eique esset denegatus concursus ad alteram partem: id enim desiderabatur, quod voluntas diceretur potens in actu primo quia ut causa quælibet possit agere, debet habere omnia requisita ad agendum per modum actus primi: concursus autem causæ primæ est unum ex requisitis, ut causa secunda operetur. Demum quia talis actus semper flueret à principio intrinseco voluntatis consequenter non esset eidem violentus, quia de ratione violenti est, ut sit à principio extrinseco passo non conferente vim, nec concurrente effectivè. Si dicas Deum se solo posse causare in nostra voluntate actum contrarium illi, quem voluntas habet, adeo ut hæc se habeat mere passivè ad actum causatum à solo Deo, proinde talem actum esse voluntati violentum,

Digitized by Google

tum, eò quia eſſet à principio extrinſeco contra inclinationem elicitam voluntatis: antecedens probatur, quia Deus in voluntate odio habente Petrum poteſt ponere actum amoris Petri, ergo poteſt voluntas ut libera violentia à Deo pati. Sed contra, quia controverſia procedit de actibus elicitis à voluntate actus autem elicitus à ſolo Deo non eſt elicitus à voluntate, alioquin non eſſet à ſolo Deo. Rurſus omnis actus elicitus à voluntate eſt eſſentialiter vitalis, & de ratione actus vitalis eſt eſſe à principio intrinſeco vitali, adeo ut recipiatur in eodem principio à quo fluit. Præterea negatur poſſe Deum ponere in voluntate habente actum odii circa unum objectum, actum amoris circa idem, quia ad poſitionem actûs amoris ceſſat actus odii, & voluntas non patitur violentiam, eò quia habeat actum oppoſitum ei, quem habuit antea. Quòd ſi inſtes poſſe Deum conſervare actum odii cum actu illo amoris eò quia poſſit Deus in eodem ſubjecto conſervare duo contraria etiam in gradu intenſo, quia contrarià non opponuntur negativè, ſed tantùm oppoſitivè, & Deus poteſt conſervare duas poſitivas qualitates contrarias in eodem ſubjecto, ut poſitivas entitates, ac qualitates caloris, & frigiditatis. Contra eſt quia ex eo, quòd poſſit duas qualitates phyſicas contrarias conſervare in eodem ſubjecto, ac poſſit idem ſubjectum de potentia abſoluta eſſe ſimul calidum, & frigidum, non tamen inde ſequitur, quòd poſſit in alia voluntate cum actu amoris conſervare actum odii de eodem ſubjecto ſecundùm eandem rationem: diſparitas eſt, quia amor, & odium de eodem objecto, & ſecundùm eandem rationem, ita ſe habent, ut unus actus includat privationem alterius, ſi non ex parte ſubjecti, ſaltem ex parte objecti: ratio eſt, quia amor eſt circa bonum, & odium circa malum: ſed malum dicit privationem boni, ergo repugnant in voluntate ſimul actus amoris, & odii circa idem objectum, & ſecundùm eandem rationem, eò quia unus actus includat privationem alterius ex parte objecti, & ex eo firmari poteſt, quia ſicut non poteſt intellectus circa idem objectum & per unum ac idem medium habere ſimul aſſenſum verum, & falſum, eò quia falſum includat privationem veri ex parte objecti: ita nec in voluntate poſſunt ſimul eſſe actus amoris, & odii de eodem objecto, & ſecundùm eandem rationem. Præterea quia amor, & odium ſe habent per modum acceſſus, & receſſus, quia voluntas per actum amoris fertur, & accedit ad objectum, quod amat juxta vulgatum illud, *Anima magis eſt ubi amat, quàm ubi animat:* & per actum odii recedit ab objecto, quod fugit: ſed repugnat idem mobile ſimul accedere, & recedere ad eundem terminum, quia acceſſus excludit eſſentialiter receſſum, conſequenter non poſſunt ſimul eſſe in eadem voluntate actus amoris, & odii in eodem objecto ſecundùm eandem rationem licèt poſſint ſimul divinitus cohærere calor, & frigiditas in eodem ſubjecto, quia calor quamvis intenſus non dicit privationem frigiditatis neque viciſſim hæc privationem caloris, unde eſt diſpar ratio. Sed urgebis, quia voluntas poteſt à Deo neceſſitari ad actum ex quo ſequatur triſtitia, ergo poteſt etiam eam adigere ad actum ex quo ſequatur violentia, quia triſtitia eſt violenta voluntati, & contra ejus inclinationem, quia opponitur delectationi, quæ vel maximè eſt juxta inclinationem voluntatis. Contra tamen negatur conſequentia, quia triſtitia cùm proveniat à principio intrinſeco voluntatis non poteſt eidem eſſe violenta. Præterea, quia eſt voluntati naturale triſtari de objecto malo ſibique diſconveniente, ſi objectum illud non poteſt fugere. Unde licèt objectum triſtitiæ ſit contra naturalem inclinationem non ita actus triſtitiæ, quia hic ſemper eſt à principio intrinſeco proinde eſt voluntarius cùm ſit actus elicitus ab ipſa voluntate. Dices dolorem eſſe violentum appetitui ſenſitivo, proinde etiam triſtitiam voluntati. Sed contra negatur antecedens, quia dolor eſt actus elicitus à appetitu, conſequenter eſt eſſentialiter voluntarius. Neque obſtat, ſi dicas dolorem, & triſtitiam advenire nobis nolentibus, quia tametſi nolimus objecta doloris, & triſtitiæ ex quorum apprehenſione, & diſplicentia ſequitur dolor, & triſtitia: actus tamen doloris, & triſtitiæ cùm ſint voluntarii appetitus ſenſitivi, & rationalis non poſſunt eſſe violenti; neque ex eò, quòd objectum triſtitiæ, & doloris ſit nolitum, ſequitur ipſum actum triſtitiæ eſſe nolitum, & involuntarium, quia ſicut ipſa nolitio mali eſt voluntaria, quamvis objectum non ſit volitum perinde actus doloris & triſtitiæ ſunt voluntarii, quamvis ipſum objectum ſit involuntarium ratio eſt, quia actus doloris, & triſtitiæ ſunt actus fugæ, & receſſus perinde ac actus nolitionis, unde ſicut nolitio eſt voluntaria, ita etiam actus triſtitiæ, & doloris.

Hinc neque poteſt voluntas violentiam pati, quoad actus proprios imperatos. Actus imperati à voluntate alii ſunt exerciti ab ipſa voluntate, & imperati per alium actum ejuſdem voluntatis. Alii ſunt exerciti ab aliis potentiis diſtinctis à voluntate ſive internis, ſive externis, & tantùm imperantur non eliciuntur à voluntate, & aſſertio procedit de actibus imperatis ſumptis priori modo quatenus exercentur à voluntate, & imperantur ab eadem & ratio eſt, quia non poteſt voluntas qua talis ullum exercere actum niſi ex vi præviæ cognitionis: ſed quod ita elicitur à voluntate eſt à principio intrinſeco, quia voluntas tunc per talem actum formaliter voluntariè ſe habet: ergo non poteſt voluntas violentiam pati quoad actus imperatos exercitos ab eadem voluntate, & firmari etiam poteſt, quia actus omnes, qui eliciuntur à voluntate ſunt eſſentialiter, vitales, & à principio vitali cujuſmodi eſt voluntas; ſed de ratione actus vitalis eſt eſſe à principio intrinſeco, & in eodem manere principio, à quo elicitur: ergo ex eo, quòd actus omnes eliciti à voluntate ſint à principio intrinſeco voluntatis, ſeu ab ipſa voluntate cujus ſunt vitalia exercitia, ſequitur non poſſe voluntatem violentiam pati quoad actus imperatos, & exercitos ab eadem voluntate, quia hæc concurrit effectivè ad eoſdem actus; & de ratione violenti eſt fieri à principio extrinſeco paſſo non conferente vim, ſeu non adjuvante effectivè, nec habente naturalem inclinationem ad receptionem formæ, quæ illi advenit violenter, ſed dices, eo ipſo, quòd voluntas ſibi imperat actum aliquem eliciendum ceſſat in voluntate actus oppoſitus actui imperato. Sed in ceſſatione à tali actu, voluntas violentiam patitur: ergo non poteſt voluntas quoad actus imperatos violentiam pati, ſed contra, quia actus oppoſitus eſſet voluntario modo ex eo, quòd voluntas eliciat actum incompoſſibilem, proinde non poteſt tunc voluntas ullam pati violentiam; ſi inſtes manente imperio voluntatis poſſe Deum ponere in ipſa actum oppoſitum: ſed in hac hypotheſi, hic actus eſt contra inclinationem voluntatis ergo eſt ipſi violentus. Contra eſt, negatur major, quia ſtante in voluntate imperio de non habendo actu non poteſt Deus ponere in ipſa talem actum niſi immutet voluntatem, faciatque eam recedere à tali imperio ſtante autem hac mutatione voluntas non patitur violentiam quia actus recedit per mutationem factam in voluntate, adeo ut deſinat velle quod nolebat & repugnat voluntatem nolentem actum ipſe velle.

Aſſerendum tamen eſt, voluntatem poſſe violen-

Digitized by Google

tiam pati in ordine ad actus imperatos exercitos ab aliis potentiis, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. & probatur, quia homo contra propriam voluntatem formalem potest necessitari ad exercendum aliquem actum alicujus potentiæ subditæ voluntati, sicut etiam ad non exercendum actum; quia tametsi voluntas velit, quod manus moveatur, potest nihilominus motus manus impediri ab alio fortiori volente, quòd non moveatur; & volente voluntate quòd non moveatur, potest moveri ab alio potentiori volente, quòd moveatur: ergo voluntas potest violentiam pati in ordine ad actus imperatos, & exercitos ab aliis potentiis, ut etiam in ordine ad cessationem ab iisdem actibus. Quòd si dicas de ratione actus imperati esse, ut procedat à voluntate tanquam principio imperante consequenter omnem actum imperatum debere essentialiter esse voluntarium, quia quod est à voluntate ut à principio imperante, & à principio intrinseco cum cognitione: sed actus essentialiter voluntarius non potest esse violentus, ergo voluntas, quoad actus imperatos nequit violentiâ pati. Contra est, quia argumentum tantùm procedit de actibus imperatis, & actu elicitis à voluntate, qui actus non sunt coacti, nec violenti, sed controversia non procedit de hisce actibus: sed de illis tantùm, qui possent ac deberent esse imperati à voluntate, & non sunt producti ab aliis potentiis ex voluntatis imperio, sed potius contra ipsum imperium voluntatis & ex coactione ab agente extrinseco illata, ut sunt actus potentiarum, quæ subduntur imperio voluntatis, & ab iisdem potentiis exercentur contra ejusdem voluntatis imperium ex coactione illata ab extrinseco agente: si voluntas imperet manum non moveri; & manus ab agente extrinseco contra imperium voluntatis moveatur, talis motus dicitur violentus voluntati quia est à principio extrinseco contra inclinationem & imperium voluntatis, si dicas motum manus renitente voluntate esse à principio intrinseco, seu ab ipsa voluntate, & potentia motiva intrinseca consequenter talem motum non esse violentum. Contra est, quia tametsi motus violentus membrorum externorum subjectetur in iisdem non propterea est effective à voluntate, sed tantùm à causa extrinseca movente: unde cùm hujusmodi actus sit effective à principio intrinseco, & contra inclinationem voluntatis est eidem violentus. Quòd si instes, visionem factam renitente voluntate esse à principio intrinseco consequenter non posse esse violentam contra est, quia quamvis visio quæ fit renitente voluntate sit à principio intrinseco elicitivo, seu à potentia visiva est nihilominus à principio extrinseco applicante ipsum sensum visûs ad videndum, non verò à voluntate ut ab alio principio intrinseco: ad visionem enim duo concurrunt principia unum elicitivum, seu efficiens ipsam visionem, & hoc principium est ipsa potentia visiva; aliud est principium applicans eandem potentiam visivam ad exercitium suæ actionis; & hoc principium potest esse voluntas, vel alia causa extrinseca, quæ exhibeat objectum visui, vel aperiat oculos: ut autem visio dicatur violenta sufficit, si sit à principio extrinseco applicante; quia violentia tunc non infertur ipsi potentiæ visivæ, à qua elicitur visio; sed voluntati renuenti talem applicationem potentiæ visivæ ad videndum.

CAPUT XVI.

Proponuntur, & explicantur aliquot assertiones morales circa metum & alias animi perturbationes.

Metus definitur ab Aristotele 2 Rhetoric. cap. 5. *Animi ægritudo, & perturbatio orta ex phantasia & cognitione mali imminentis quod interitum aut grave molestiam afferre possit*; Pressiùs tamen definitur à Cicerone in Tuscul. *Opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur*, & à Ulpiano lib. 2. Quod est causa metus definitur metus esse instantis vel futuri periculi mentis trepidatio, & solet dividi in metum cadentem in constantem virum, & in eum, qui non cadit in virum constantem. Metus cadens in constantem virum est, qui rationabiliter movet voluntatem, ut cum eligitur minus malum ad declinandum majus: metus siquidem, quo quis patitur minorem injuriam, vel jacturam minoris boni ad declinandum majus malum, vel ad fugiendum detrimentum majoris boni vocatur à Theologis metus cadens in virum constantem, ut si Mercator projiciat suas merces in mare, ne patiatur naufragium, talis metus dicitur cadere in virum constantem, quia propter talem metum homines non deperdunt laudem constantiæ. Metus non cadens in virum constantem dicitur, qui est minoris mali, quàm sit illud, quod ex tali metu eligitur, ut si Petrus ex amissione bonorum temporalium mortem subiret. Quæ verò fiunt ex metu mixta sunt ex voluntario, & involuntario, dupliciter enim sumitur metus causaliter, & concomitanter, priori modo est causa movens, & impellens ad actionem, quæ fit ex metu, ut si mercator ex metu imminentis naufragii projiciat merces in mare dicitur metus causa talis projectionis, quatenus movet, & impellit Mercatorem ad projiciendas merces, metus se habens concomitanter non est causa movens, nec impellens ad actionem vel passionem, sed tantùm se habet merè concomitanter ad passionem. Hinc timor mortis in passione Martyrum, & Christi Domini tantùm se habuit concomitanter, quia tametsi passi fuerint cum metu, qui est naturalis naturæ humanæ, non tamen passi fuerunt ex metu; quia talis metus non fuit causa talis passionis, sed tantùm se habuit concomitanter ad passionem, hinc Martyres, quamvis dicantur passi cum metu, non tamen ex metu. Controversia non procedit de iis quæ fiunt cum metu concomitante, quia certum est, hæc non esse mixta ex voluntario, & involuntario: siquidem Christi passio, quamvis fuerit cum metu, non tamen ex metu nec habuit quidquam involuntarium; sed fuit omnino voluntaria: unde controversia procedit tantùm de iis quæ fiunt ex metu, ut ex causa non verò tantum cum metu se habente concomitanter observandum est, quia quæ fiunt ex metu tanquam ex causa movente alia ita se habent ut secluso metu nullo modo fieret, nec eligerentur, eò quia ex se mala non sint, sed tantùm fiunt propter metum majoris mali imminentis, etenim nisi immineret naufragium, & timor mortis, Mercator urgente maris procella proprias merces non projiceret mergendas fluctibus. Alia sunt quæ etiam secluso metu includunt rationem eligibilitatis, & eligerentur à voluntate quamvis nullus urgeret metus, & hæc sunt voluntaria, unde controversia procedit de his, quæ fiunt ex metu priori modo.

Asserendum est, ea quæ ita fiunt ex metu, ut secluso metu non fierent, eò quia nullam in se includant eligibilitatem esse mixta ex voluntario, & involuntario, ut docet D. Thomas. 1. 2. quæst. 6. art. 6. quia illæ actiones includunt rationem involuntarii, quæ eliciuntur contra inclinationem aliquam voluntatis, & actum

actum elicitum ab eadem, & rurſus includunt rationem voluntarii quatenus eliciuntur à voluntate, & ſunt conformes alicui actui elicito ab eadem: ſed quæ ita fiunt ex metu ut ſecluſo metu non fierent, eò quia nullam in ſe includant eligibilitatem ſunt juxta inclinationem voluntatis, & conformes alicui actui elicito ab eadem voluntate: & partim ſunt contra inclinationem & aliquem actum elicitum voluntatis, conſequenter ſunt mixta ex voluntario, & involuntario major ex ſe claret, minor oſtenditur, in qua videtur eſſe tota difficultas: quia ſi Mercator ex metu imminentis naufragii ad declinandam mortem projiciat merces in mare; talis projectio eſt partim juxta, & partim contra actum elicitum, & inclinationem voluntatis, ſiquidem in tali projectione mercium tres intercedunt actus voluntatis, quorum primus eſt amor, quo Mercator amat ſuas merces, & hic actus ſemper manet etiam poſt mercium projectionem, ſecundus actus eſt ipſa nolitio mortis, ſeu volitio auferendi periculum imminens, quatenus Mercator pluris facit conſervationem vitæ propriæ, quam mercium: tertius tandem actus eſt ipſa volitio projiciendi merces in mare ad evitandum periculum imminentis ſubmerſionis: ex his tribus actibus tertius cauſatur à ſecundo, eò quia habeat rationem medii reſpectu illius: ſiquidem volitio finis eſt cauſa electionis mediorum; & cum projectio mercium in mare eligatur à voluntate ut medium ad declinandum periculum naufragii cauſatur à ſecundo actu, ut à cauſa finali conſequenter eſt juxta actum aliquem elicitum à voluntate, quo pacto induit rationem voluntarii. Rurſus hic idem tertius actus eſt contra primum actum elicitum à voluntate, ſeu contra amorem mercium, ſiquidem quæ amamus, amplectimur, non rejicimus: & hoc pacto tertius actus relativè ad primum habet rationem involuntarii: ergo quæ ita fiunt ex metu, ut ſecluſo metu non fierent eo quia nullam in ſe habeant eligibilitatem ſunt mixta ex voluntario, & involuntario. Quòd ſi dicas, actum non poſſe eſſe mixtum ex voluntario, & involuntario, ſi ejus objectum non ſit etiam mixtum ex voluntario, & involuntario, ſed objectum illius tertii actus projectionis mercium non eſt mixtum ex voluntario & involuntario objectivo, ergo nec actus voluntatis erit mixtus. Contra eſt negatur minor, quia in actionibus, quæ fiunt ex metu juxta ſenſum aſſertionis poteſt aſſignari utraque ratio voluntarii, & inviolentarii non ſolùm ex parte voluntatis, ſed etiam ex parte objecti, etenim projicere, & perdere propria bona eſt ex ſe quoddam malum, dignumque ut odio habeatur, quilibet enim amat proprium bonum, conſequenter illud perdere ex vi per metum illata, eſt contra actum amoris, quo voluntas amat, quod ſibi eſt bonum, conſequenter ex hac ratione eſt quid involuntarium ex parte voluntatis elicientis ex vi ſibi illata per metum actum oppoſitum prævio actui amoris: unde actiones ex metu elicitæ ſunt involuntariæ ex parte voluntatis quatenus ſunt contra alium prævium actum elicitum ab eadem voluntate imò ſunt etiam involuntariæ objectivè, quia ex parte objecti jactura proprii boni de ſe eſt quoddam malum dignum ut odio habeatur. Præterea tales actiones ſunt voluntariæ tam ex parte objecti, quàm voluntatis: ex parte objecti, quia projectio mercium eſt utilis ad vitandum majus damnum, ſeu mortem per imminentem ſubmerſionem, ex parte voluntatis, quia voluntas pluris facit, & amat propriam vitam, quàm merces: ergo quæ fiunt ex metu in ſenſu præexpenſo ſunt mixta ex voluntario, & involuntario tam formaliter ex parte voluntatis, quàm objectivè.

Sed dices, quæ includunt conditiones repugnantes ſeque viciſſim excludentes non poſſunt ſimul cohærere in uno eodémque actu: non enim forma, & ejus privatio poſſunt ſimul cohærere in eodem ſubjecto, eò quia unum extremum excludat aliud, ſed voluntarium, & involuntarium liberum, & non liberum includunt conditiones omnino repugnantes, & ſe viciſſim excludentes: ergo non poſſunt hujusmodi rationes voluntarii, & involuntarii ſimul cohærere in uno eodémque actu, conſequenter non poteſt actus elicitus ex metu eſſe mixtus ex voluntario, & involuntario. Major, & conſequentia tenent. Probatur minor quia voluntarium eſſentialiter exigit eſſe à principio intrinſeco, ut etiam liberum à principio intrinſeco, & indifferenti ad utrumlibet: è converſo involuntarium poſtulat eſſe à principio extrinſeco, ut etiam neceſſarium à principio determinato ad unum: ergo ſi idem actus poſſet eſſe mixtus ex voluntario, & involuntario poſſet ſimul eſſe à principio intrinſeco, & extrinſeco, quod repugnat, quia idem actus indiviſibilis, eo ipſo, quod eſt à principio intrinſeco, debet totus eſſe à tali principio, proinde repugnat hunc eundem actum eſſe à principio extrinſeco. Sed contra diſtinguitur major, quæ includunt rationes ſe viciſſim excludentes non poſſunt ſimul cohærere in eodem objecto, ſi oppoſitio cadat ſupra unam & eandem rationem conceditur, ſi ſupra diverſas negatur; quamvis in eadem materia prima non poſſint ſimul cohærere forma ligni, & ejus privatio, poteſt tamen cum forma ligni cohærere privatio formæ ignis, hinc ad minorem conceditur voluntarium eſſe eſſentialiter à principio intrinſeco, & involuntarium à principio extrinſeco; ſed ratione diverſorum poteſt idem actus includere utramque rationem voluntarii, & involuntarii: ſi enim tertius actus, quo voluntas vult projicere merces in mare ad declinandum naufragium cum paretur cum aliis duobus præcedentibus actibus reſpectu primi, quo Mercator amat, & vult ſuas merces eſt involuntarius, reſpectu ſecundi, quo vult conſervationem propriæ vitæ eſt voluntarius, etenim actus projectionis mercium reſpectu nolitionis mortis eligitur ut medium ad hunc finem ut vita conſervetur conſequenter eſt à voluntate, ut à principio intrinſeco & indifferenti: reſpectu verò primi actus quo voluntas amat ſuas merces, ac proinde habet inclinationem ad eas conſervandas illa projectio mercium in mare non cenſetur eſſe à voluntate, nec à principio perfectè indifferenti idque ratione metus auferentis perfectionem ſaltem accidentalem libertatis, qua ratione, quæ fiunt ex metu dicuntur involuntaria ſaltem ſecundum quid. Quòd ſi dicas prærecenſitos duos actus prævios ad projectionem mercium repugnare inter ſe, eò quia primus actus ſit amor mercium, & ſecundus volitio projiciendi merces in mare, quæ nectitur cum nolitione mortis; & volitione auferendi imminens periculum ſubmerſionis; hi enim actus ſunt contrarii, & repugnantes conſequenter non poſſunt ſimul eſſe in voluntate. Contra eſt negatur illos duos actus eſſe repugnantes, quia non ſunt circa idem ac unum objectum: ſed circa diverſa: etenim objectum amoris ſeu primi actus ſunt merces, quatenus ſunt quoddam bonum proprium: objectum alterius actus volitionis projiciendi merces in mare non ſunt ipſæ merces ſub illa ratione, quatenus ſunt quoddam bonum proprium, ſed ſub hac alia ratione, quatenus ſunt quoddam impedimentum ad declinandum imminens naufragium. Quòd ſi inſtes præter actum abſolutum, quo voluntas ex metu vult projicere merces in mare datur alius actus conditionalis ortus ex amore circa merces qua-

Digitized by Google

peccatum etiam in iis, quæ ſunt intrinſecè mala, quia metus gravis minuit voluntarium, & libertatem ejus, qui metu id agit quod alioquin non eſſet facturus, ſi metus excluderetur, unde docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 125. art. 4. *Diminuitur tamen ſecundum aliquid ejus peccatum, quia minus voluntarium eſt, quod ex timore agitur: imponitur enim homini quædam neceſſitas aliquid faciendi propter timorem imminentem*, quapropter S. Leo Papa epiſt. 129. ad Nicetam Epiſcopum Aquileienſem cap. 5. ubi reſpondet iis, qui captivi cum eſſent Idolodytha fame vel metu compellente comederant, leviorem imponendam eſſe pœnitentiam, inquiens: *De iis autem Chriſtianis qui inter eos à quibus fuerant captivati, immolatitiis cibis aſſeruntur eſſe polluti, conſultatione charitatis tuæ, hoc etiam reſpondendum eſſe credidimus, ut pœnitentia ſatisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione penſanda eſt, & ſivè hoc terror extorſerit, ſive fames ſuaſerit, non dubitetur abolendum cum hujusmodi cibus pro metu aut indigentia non pro religionis veneratione ſit ſumptus.* Et cap. 6. aſſerit etiam humanius agendum eſſe; cum his qui metu & errore ſunt rebaptizati ait ipſe: *His vero de quibus dilectio tua ſimiliter nos credidit conſulendos qui ad iterandum baptiſmum vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſi contra catholicæ fidei ſacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram nonniſi per pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus communionis recipiant unitatem, tempora pœnitudinis tuo conſtituente judicio prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos.* Hoc idem etiam evincitur ex *canone in primis cauſa ſecunda quæſt.* 1. ubi S. Gregorius jubet, ut Epiſcopis qui alterius Epiſcopi depoſitioni metu judicis conſenſerant levior imponatur pœnitentia: *ſi autem Epiſcopi in præjudicium condemnationis vel depoſitionis memorati Stephani ſe metu Judicis conſenſiſſe, & talia feciſſe non ſua ſponte profeſſi fuerint, tempus eis abbreviandum eſt, & modus pœnitentiæ temperandus.* Cæterum cùm dicitur quòd metus interdum minuat culpam id non eſt ita intelligendum, ut de mortali faciat venialem: ſed quod relinquendo peccatum intra limites peccati mortalis, faciat minus grave intra lineam, & ſpeciem peccati mortalis, quam alias eſſet ſecluſo metu, quamobrem à peccato mortali non excuſantur qui metu tormentorum quantumvis gravium, imò etiam mortis pejerant, Chriſtum negant, falſam religionem ſimulant, ſacramenta violant, homicidia committunt, & alia peccata gravia agunt, vel iisdem conſentiunt; quia quævis atrociſſima ſupplicia potiùs toleranda ſunt, & mors ipſa perferenda, quàm ut Deum offendamus; & in eo vel maximè Chriſtianam fortitudinem exercere debemus, quæ usque ad mortem certat pro juſtitia, ut habetur eccleſiaſtici 4. Hæc enim fortitudo Martyrum noſtrorum. Animos in bono virtutis confirmavit, ut fidem, & juſtitiam propter metum perſecutionum, & ſuppliciorum, quæ intentabat inferebatque exquiſitiſſima crudelitas, & mortis ipſius non deſererent. Primo enim homini dictum eſt, in quacunque die comederis morte morieris, & chriſtiano homini dicitur, morere ne pecces, ait Auguſtinus ſerm. 318. *Mortem comminatus eſt Deus primis parentibus, ne peccarent, mortem Martyribus inimicus cominatus eſt, ut peccarent. Illi ut morerentur, peccaverunt, Martyres mortui ſunt, ne peccarent, unde illis pœna inflicta, inde iſtis gloria ſuſcitata.* Hinc ab Innocentio XI. damnata fuit, hæc propoſitio: *Urgens metus gravius eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*: ut etiam hæc alia: *Famulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam aperiendo jannam, aut quid ſimile cooperando non peccat mortaliter, ſi id faciat, metu notabilis detrimenti puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.* Et iisdem principiis ab Alexandro VII. damnata fuit hæc alia propoſitio. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat, ex quibus claret, quòd tametſi metus interdum minuat culpam non tamen ab illa excuſat: nec ita minuit, ut de mortali fiat veniale. Hinc gravius etiam peccant, qui metu futurorum malorum peccant, quàm qui præſentium, quia minus terrent futura mala, quàm præſentia quia futura minus perturbant mentem & libertatem propterea minus minuunt. Unde ſanctus Cyprianus Tract. de lapſis illis, qui metu exilii, aut proſcriptionis bonorum & illis, qui vi tormentorum Chriſtum negaverant, & idolis immolaverant ait: *Nec eſt prô dolor! juxta aliqua & gravis cauſa, quæ tantum facinus excuſet. Relinquenda erat patria, & patrimonii facienda jactura, qui enim naſcenti atque morienti non relinquenda quandoque patria & patrimonii ſui facienda jactura eſt? ut Chriſtus non relinquatur ſalutis ac ſedis æternæ jactura timeatur.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Sed tormenta poſtmodum ventura erant, & cruciatus graves reluctantibus imminebant. Queri de tormentis poteſt, qui per tormenta ſuperatus eſt: excuſationem doloris obtendere, qui victus eſt in dolore, poteſt rogare talis, & dicere: Certare quidem fortiter volui & Sacramenti mei memor, devotionis, ac fidei arma ſuſcepi: ſed me in congreſſione pugnantem cruciamenta varia & ſupplicia longa vicerunt. Stetit mens ſtabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata eſt, ſed cum duriſſimi Judicis recrudeſcente ſævitia, jam fatigatum, jam laſſum corpus, nunc flagella ſcinderent, nunc fuſtes contunderent, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret caro me in colluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit, nec animus, ſed corpus in dolore defecit. Poteſt cito proficere ad veniam cauſa talis: poteſt ejusmodi excuſatio eſſe miſerabilis. Sic Caſto, & Æmilo aliquando Dominus ignovit: ſic in prima congreſſione devictos, victores in ſecundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante ceſſiſſent; & unde ſuperati eſſent, indè ſuperarent. Manabat pro fletibus ſanguis, & pro lacrymis cruor ſeminuſtulatis viſceribus defluebat. Nunc vero quæ vulnera oſtendere victi poſſunt? Quas plagas hiantium viſcerum? Quæ tormenta membrorum, ubi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſſionem perfidia prævenit? Nec excuſat oppreſſum neceſſitas criminis, ubi crimen eſt voluntatis.*

Nullus metus, quamvis cadens in virum conſtantem ſivè ſit metus mali, quod ſequatur ex cauſa naturali, ſeu libera, excuſat à culpa operationem factam ex tali metu, ſi talis operatio ſit ex ſe peccaminoſa, ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 125. *art.* 4. Juvat tamen obſervare, quòd timor ſubinde poteſt excitare voluntatem ad operationem bonam, quo pacto timor divinæ iræ excitat hominem ad ſtudia, & exercitia virtutum, & ad obſervantiam divinæ legis, & tunc tali timori cedere laudabile eſt, interdum tamen inducit operationem malam & quia malum aliud eſt culpæ, aliud pœnæ, ſi excitet ad malum culpæ cedere huic timori non eſt laudabile, nec metus excuſat à culpa, ſi actio

Digitized by Google

actio ſit ab intrinſeco mala, ſin verò timor inducat ad malum pœnæ, tunc vel oritur ex levi cauſa, & vel minori malo, adeo ut non cadat in virum conſtantem; & tunc cedere huic timori laudabile non eſt, ſed potius vituperabile ſiquidem eſt viri vitioſi ex levi cauſa patrare turpe flagitium, & eligere majus malum ad minus declinandum: vel timor cadit in virum conſtantem, & tollitur ex gravi cauſa: adeo ut malum, quod eligitur ex timore ſit minus illo, ad quod inducit timor, & tunc cedere huic timori poteſt eſſe laude dignum. Cæterum metus cadens in conſtantem virum poteſt dupliciter conſiderari, quia alius eſt metus mortis, vel alterius mali futuri, quod neceſſariò neceſſitate naturæ ſequitur, quo pacto laboranti extrema fame evenit naturali neceſſitate mors, niſi ſe cibo reficiat: alius eſt metus majoris mali futuri, quod tamen non ſequitur ex neceſſitate naturæ, ſed infertur liberè ab extrinſeco agente morali, ut ſi Tirannus minetur mortem ſubdito, niſi alicui obſequatur mandato, & tunc ſi quod ſit ex metu, ſit operatio ex ſe peccaminoſa, dicimus non excuſare à culpa, idque evincitur *ex cap. Sacris de his quæ vi metus fiunt*, ubi dicitur nullo metu eſſe peccatum lethale committendum: Et *ex cap. quiſquis* de pœnitentia 2. quæſt. 3. ubi expreſsè dicitur *qui occultat veritatem, quam tenetur revelare, aut mendacium aliquod profert, metu cujuſlibet poteſtatis dicitur iram Dei ſuper ſe provocare, quia magis timet hominem, quam Deum.* Ratio etiam id ſuadet, quia tunc metus non excuſat niſi quando per electionem minoris mali declinatur majus: ſed non datur majus malum malo peccati lethalis, quia eſt majus malum mors animæ, quàm corporis, ergo eligere ex vi timoris etiam cadentis in virum conſtantem actionem peccaminoſam ad evitandam mortem corporis, non excuſat à culpa: quòd ſi dicas Ariſtotelem 2. Ethicor. cap. 1. aſſerere eſſe aliqua turpia quæ à viro conſtanti ex metu mortis poſſunt licitè fieri, conſequenter ex Ariſtotele metus cadens in virum conſtantem interdum excuſare à culpa operationem aliàs peccaminoſam. Contra eſt, negatur conſequentia, quia Ariſtoteles per turpe non intellexit quod eſt diſſonum rectæ rationi, quod eſt peccatum, quod nullo eventu eſt ex metu perpetrandum, ſed per turpe tantùm intellexit id, quod eſt diſconveniens, & diſſonum corpori, cujuſmodi ſunt plura vilia, & abjecta, adeo ut ſenſus Ariſtotelis ſit virum probum, & conſtantem poſſe interdum ex metu mortis vilia aliquá, & abjecta agere, & nullam incurrere ignominiæ notam, ſed dices non reddere depoſitum petenti, cui debetur eſt procul dubio peccatum, ſiquidem eſt retinere rem alienam invito domino: ſed ex metu mortis poteſt quis denegare depoſitum licitè expoſcenti, & cui debetur etenim ſi furioſus petat ab aliquo depoſitum gladium, ut illum interficiat, poteſt depoſitarius denegare furioſo petenti depoſitum gladium, conſequenter metus cadens in virum conſtantem poteſt excuſare à culpa operationem alias ex ſe peccaminoſam. Contra eſt diſtinguitur major non reddere depoſitum Domino, cui debetur eſt peccatum, ſi Dominus repetat ſuum depoſitum, quando & ſicut oportet, adeo ut ex nulla circumſtantia vitietur talis redditio depoſiti concedo majorem. Sin verò Dominus indebito modo, & quando non oportet repetat ſuum depoſitum, negatur major quia tunc non reddere depoſitum gladium furioſo volenti occidere depoſitarium eſt potiùs bonum: unde conceſſa minori negatur conſequentia, quia non redditio depoſiti gladii in tali circumſtantia non eſt peccaminoſa, conſequenter nec erit talis, tametſi oriatur ex metu cadente in virum conſtantem.

In his tamen quæ non ſunt per ſe & intrinſecè mala, ſed eatenus mala, quia prohibita metus gravis ut plurimũ à peccato excuſat. Leges etenim ſive divinæ ſivè naturales ſpectatæ juxta præcepta poſitiva non ſemper obligant, cum vitæ aut gravis mali periculo, multo minus obligant ſemper vel ut plurimũ leges humanæ, in quibus propterea perſæpe metus gravis excuſat à peccato. De præceptis poſitivis legis naturalis id videtur clarum, lex enim non obligat ad reddendum depoſitũ eum, cui ex redditione depoſiti mors imminet, tametſi obliget ad ſimpliciter reddendum depoſitum petenti, ſi ad ipſum pertineat. Bene tamen non obligat ſi mors immineat reddenti ex tali redditione. Rurſus lex de eleemoſyna eroganda graviter indigenti non obligat eum, qui fame deberet perire, ſi unicum quem poſſidet panẽ alteri graviter indigenti daret; quia mors danti immineret, & ex naturæ præcepto tenetur vitam quantum poteſt conſervare. Præterea lex poſitiva & naturalis de ſervando ſecreto non obligat eum cui mortem, membrorum mutilationem, graviſſima verbera, perpetuam infamiam, vel perpetuum carcerem eſſet talis obſervatio allatura, niſi tale eſſet arcanum, cujus obſervantia eſſet majoris ponderis, & utilitatis, quàm vita, fama, libertas, cujuſlibet mali privati; talia ſunt arcana ad religionem ſpectantia ut ſecretum confeſſionis ſacramentalis, vel ea ex quibus depẽdet rei publicæ commune bonum, vel Principis ſalus quia ex tali revelatione ſecreti in diſcrimen adduceretur Reſpublica. De præceptis itidem legis divinæ habetur in ſacris ſcripturis ſiquidem David urgente neceſſitate comedit panes propoſitionis, ut refertur. 1 Reg. cap. 21. Quos tamen comedere prohibitum erat lege illis qui ex familia ſacerdotali non eſſent, & tamen comeſtionem Davidis Chriſtus ipſe approbavit Matth. 12. Quamvis talis comeſtio prohibita eſſet Levit. 34. fuit tamen licita Davidi ad famem arcendam, qua periiſſet. Eadem ratione etiam excuſat Diſcipulos, quod ſabbatho ſpicas vellerent, ad famem itidem expellendam rurſus ſabbathis ſacerdotes in templis ſabbatum violabant ſine crimine, cum Chriſtus dicat: non ſabbathum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbathum; ut etiam habetur Marci 2. De legibus humanis eccleſiaſticis, & civilibus etiam aſſerunt communiter Theologi metum gravem excuſari à culpa lex enim eccleſiaſtica injungit jejunium in quadrageſima, & privilegiis, & miſſæ intereſſe diebus feſtis & Eccleſiaſticos horas canonicas recitare, & alia pleraque, quæ tamen non ſunt per ſe, & intrinſecè mala, ſed ideo mala, quia prohibita metus gravis ut plurimum excuſat à culpa ſi ſine vitæ periculo vel alio gravi incommodo ſervari non poſſunt hæc præcepta, quapropter D. Thomas 2. 2. quæſt. 147. art. 4. ad 1. ait: *Præcepta Dei ſunt præcepta juris naturalis, quæ ſecundum ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed præcepta eccleſiæ, ſunt de his, quæ non per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed ſolum ex inſtitutione eccleſiæ. Ideoque poſſunt eſſe aliqua impedimenta propter quæ aliqui ad obſervanda jejunia non tenentur*; hoc idem etiam dicendum de legibus civilibus, quia poteſtas legum ferendarum data eſt hominibus propter bonum commune, quod nec ſemper, nec ut plurimum poſtulat, ut ſubditi ad ea, quæ præcipiunt exequenda cum periculo vitæ obligentur. Leges enim ab ipſis conditæ cum tanto periculo non obligant, proinde metus gravis ut plurimum à peccato excuſat: certi tamen ſunt caſus, quibus etiam humanæ leges cum vitæ periculo obligant, ubi de eccleſiæ, vel Reipublicæ communi bono agitur, & quod procurari non poteſt niſi privatorum vita, qui corporis eccleſiaſtici aut politici

Digitized by Google

litici ſunt membra periculo exponatur: hinc Epiſcopus, & Parochus ſæviente perſecutione in ſuum gregem, vel graſſante peſte, vel excidii imminente periculo tenentur in diœceſi, & parochia morari, ac fidem confiteri ac prædicare, & fideles in eadem confirmare, ac Sacramenta adminiſtrare. Epiſcopi quidem ut etiam quidam alii Miniſtri aliquando talibus imminentibus malis fugere poſſunt, ut ſe pro utilitate eccleſiæ ſervent temporibus tranquillioribus, ut ait D. Auguſtinus Epiſt. 228. ad Honoratum. *Tunc enim rectè hoc fit ait ipſe à quibuſdam quando non deſunt alii, per quos ſuppleatur eccleſiaſticum miniſterium ne ab omnibus deſeratur: Quod à S. Athanaſio factum eſt, cum eum apprehendere Conſtantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris Miniſtris deſerta Plebe catholica quæ Alexandriæ commanebat. Sed quando eſt commune periculum, magiſque timendum eſt, ne quis quam id facere credatur, non conſulendi voluntate, ſed timore moriendi, magiſque fugiendi obſit exemplo, quam vivendi proſit officio, nullâ ratione faciendum eſt, Denique ſanctus David ne ſe committeret periculis præliorum, & fortaſſis extingueretur, ſicut ibi dictum eſt, Lucerna Iſraël à ſuis hoc petentibus ſumpſit, non ipſe præſumpſit; alioquin multos imitatores feciſſet ignaviæ, qui eum crederent hoc feciſſe non conſideratione utilitatis aliorum, ſed ſua perturbatione formidinis.* Quòd ſi Epiſcopus, tunc è ſua diœceſi ſecedat id exigente utilitate ejuſdem, vel etiam maneat urgente officio charitatis debent Parochi & alii ſacerdotes ab Epiſcopo conſtitui, ut eccleſiaſtica miniſteria ſuppleant quia cum periculo vitæ obligantur Epiſcopi ad curam gerendam propriæ gregis, perinde ac milites tenentur parere duci præcipienti, ut in ſuis perſeverent ſtationibus ad agendas excubias, Parochi enim, & alii ſacerdotes tenentur tunc Epiſcopo parere, & curam gerere populi iiſdem deſtinati, & nullus metus quantumvis gravis illos excuſat à peccato, ſi proprio non fungantur officio. Alia verò exceptio habetur circà legum humanarum obſervationem cùm periculo vitæ aut graviſſimi cujuſcunque incommodi. In hiſce enim circumſtantiis, quibus tranſgreſſio legis vergeret in contemptum fidei vel religionis, vel eccleſiaſticæ, aut regiæ poteſtatis, lex humana obligat etiam cum periculo vitæ, quia pluris facienda eſt fides, religio, & eccleſia, quàm violatio legis humanæ, hinc ſi alicui metus mortis incutiatur niſi carnes die Jejunii comedat, vel niſi ſacrum coram excommunicatis celebrat, ſi id fiat in contemptum fidei, & religionis, tunc tenetur quiſpiam non tranſgredi præcepta eccleſiaſtica, ſi talis tranſgreſſio dirigatur ad oſtendendam fidem, & religionem Chriſtianam talem non eſſe.

In his verò, quæ ſunt per ſe, & intrinſecè mala, & non quia prohibita metus gravis, ut plurimum à peccato excuſat, adeo ut non poſſit aliquis licitè mentiri ex metu mortis ratio eſt, quia quod eſt diſſonum rectæ rationi pro nullo eventu poteſt licitè fieri etiam ex timore gravi ut mortis, ſed mendacium, quamvis officioſum, eo ipſo quòd eſt mendacium, eſt diſſonum rectæ rationi, conſequenter pro nullo eventu etiam ex metu gravi cadente in virum conſtantem eſt mendacium proferendum Levit. cap. 19. habetur: *Non mentiemini, neque decipiet unuſquiſque proximum ſuum.* Ob eandem rationem neque poteſt ex vi ullius metûs committi licitè peccatum ullum veniale ut rectè probat. D. Auguſtinus lib. contra mendacium cap. 8. Quia cum peccatum quodlibet veniale ſit diſſonum rectè rationi, repugnat etiam eidem rectæ rationi, quod fiat licitè: eo ipſo quod eſt peccatum, quamvis veniale eſt prohibitum lege divina quia eſt Dei offenſa, vel ſaltem eſt præter legem. Si dicas Exodi. 1. Deum fuiſſe remuneratum mendacium Obſtetricum Ægypti, quæ metu mortis infantes Judæorum occultàrunt, conſequenter ex metu mortis poſſe quempiam licitè mentiri. Contra eſt negatur conſequentia, quia Obſtetrices illæ fuerunt à peccato mendacii excuſatæ non ratione metus, ſed ratione ignorantiæ invincibilis eò quia putarent mentiri propter bonum finem, proinde cenſentur ob ignorantiam invincibilem excuſatæ, ut reſpondent plures. Si dicas metum minuere culpam adeo ut quo metus eſt major eo ſit culpa minor, ergo dari poteſt peccatum veniale adeo leve, ut ex vi metus excuſetur à tota culpa. Sed contra negatur conſequentia, quia ex eo, quòd metus minuat culpam non ſequitur poſſe peccatum aliquod lethale ex metu fieri veniale, aut veniale excuſari ab omni culpa quia cum metus dicitur culpa minuere id tantùm intelligitur intra proprios limites culpæ lethalis vel venialis; quòd ſi dicas metum eſſe cauſam, cur voluntas intenſiorem eliciat actum conſequenter non minuere, ſed potiùs augere voluntarium, & peccatum. Contra eſt, quia tametſi metus ſit cauſa cur voluntas intenſiorem eliciat actum adhuc minuit libertatem, conſequenter etiam culpam, quia ad peccatum magis deſideratur libertas, quàm intenſio actus hinc motus, qui dicuntur primo primi, quamvis intenſiſſimi ſint, non tamen ſunt peccaminoſi ex defectu libertatis.

Hinc nullus metus excuſat à culpa illam operationem, quæ eſt prohibita lege naturali. Operationes malæ ſunt in triplici genere, aliæ enim ſunt prohibitæ lege naturali, cujuſmodi ſunt odium Dei, blaſphemiæ, mendacium, & aliæ id genus, quæ non ſunt malæ, quia prohibitæ, ſed potiùs è converſo quia malæ ſunt ab intrinſeco, ideo prohibitæ ſunt. Aliæ ſunt prohibitæ lege divina poſitiva, & hujuſmodi operationes dicuntur malæ quia prohibitæ ut in veteri lege eſus panis propoſitionis à laicis, & comeſtio pomi vetiti in paradiſo. Aliæ ſunt operationes malæ quia prohibitæ lege humana civili, vel canonica, ut frangere jejunia eccleſiæ, non intereſſe ſacro die feſto, & aliæ, quæ ſunt malæ, quia prohibitæ non è contra & controverſia procedit de operationibus malis primi generis. Probatur, quia hujuſmodi operationes, ideo ſunt prohibitæ quia malæ, ſeu quia ex intrinſeco ſui malæ ſunt: ſed quod eſt ex intrinſeco ſui malum, non poteſt ex vi alicujus extrinſeci non eſſe tale, quia prædicata intrinſeca inſeparabilia ſunt à re, cui ſunt intrinſeca, ergo nullus metus poteſt excuſare à culpa operationem prohibitam lege naturali, ſed dices obſervare ſabbathum erat præceptum legis naturalis, & nihilominus 1 Machab. cap. 2. excuſatur Mathadias eò quia in ſabbatho pugnaverit contra inimicos, ſiquidem ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. id præſtitit in propriam defenſionem, & ad vitam tuendam, conſequenter metus cadens in virum conſtantem interdum excuſat à culpa operationem prohibitam legi naturali. Sed contra negatur conſequentia, quia Mathadias pugnavit die ſabbathi ex divina revelatione, & diſpenſatione ſumpta impropriè ut reſpondent plures docentes ob eandem rationem neque peccâſſe Abrahamum volentem interficere filium ſuum Iſaac, neque peccâſſe Iſraëlitas ſecum aſportantes vaſa Ægyptiorum, quia cùm hæc omnia ſint ſub pleno ac diſpotico Dei dominio poteſt Deus iiſdem uti, prout ipſi magis placuerit.

Cæterum metus cadens in virum conſtantem, & qui ſequitur neceſſariò neceſſitate naturæ, excuſat à peccato operationes, quæ ſunt contra legem divinam purè poſitivam, deducitur aſſertum ex 1 Reg. cap. 21. ubi David non peccavit comedendo panes propoſitionis, quæ comeſtio lege divina erat laicis prohibita, & Chriſtus etiam excuſat diſcipulos evellentes ſpicas die Sabbathi ut habetur Matth. 12. Rurſus Judæi ſe abſtinuerunt à circumcidendis pueris per quadraginta annos, quibus fuerunt in deſerto peregrinati, & fuerunt excuſati ob metum imminentis mortis in tali vulnere. Metus tamē mali temporalis etiam gravis vel mortis, quod non ſequitur ex neceſſitate naturæ, ſed tantùm infertur ab extrinſeco non excuſat à culpa operationes, quæ ſunt contra legem divinam purè poſitivam, quia quando prohibetur legis tranſgreſſio ne ſequatur fidei contemptus aut detrimentum religionis, vel ſcandalum, tunc nullus metus excuſat talem tranſgreſſionem à culpa, quia contemptus fidei detrimentum religionis, & proximi ſcandalum ſunt majus malum, quàm propria mors corporalis, & ex duobus malis, quod eſt majus debet impediri ne ſequatur. Hinc Machabæi ſi ob metum mortis fuiſſent obſecuti Antiocho imperanti eſum carnis ſuinæ contra leges non fuiſſent excuſati à culpa propter contemptum religionis & ſcandalum proximi quam ob rem omnes tenentur divina præcepta obſervare etiam imminente mortis periculo, eò quia talis obſervatio neceſſaria ſit ad ſalutem propriæ animæ. Hinc urgente præcepto, ſuſcipiendi baptiſmum vel confitendi peccata, tenetur quiſque confiteri vel baptizari, quamvis tirannus id prohibeat ſub pœna capitis, ſiquidem hæc ſacramenta neceſſaria ſunt ad ſalutem: quòd ſi dicas ſufficere ad ſalutem recipere hujuſmodi ſacramenta vel in

Digitized by Google

re, vel in voto, proinde ex metu mortis poſſe ſuſcipi in voto. Contra eſt, quia ut hujuſmodi Sacramenta ſuſcipiantur in voto requiritur neceſſariò contritio; & quia ſine divina revelatione non ſumus certi an revera habeamus hanc requiſitam contritionem, ideo ut ſimus certiores de noſtra ſalute tenemur hujuſmodi Sacramenta ſuſcipere in re. Cæterum metus mortis ſi cadat in virum conſtantem excuſat à culpa eas operationes quæ tantùm prohibentur lege humana canonica, vel civili, quia nulla lex humana ex ſe ſtrictiùs obligat, quàm lex aliqua naturalis vel divina: ſed leges aliquæ naturales & divinæ obligantes ſub lethali non obligant cum vitæ diſcrimine, adeo ut propter mortis metum cadentem in virum conſtantem, transgreſſio talis legis non cenſeatur peccaminoſa, etenim in lege naturali de reddendo depoſito poteſt quis licitè in aliquo caſu non reddere depoſitum petenti, & cui debetur ſi is ſit furioſus, & petat depoſitum gladium, quo committat homicidium. Præterea in lege divina poſitiva ob metum mortis non peccavit David comedendo panes propoſitionis lege divina prohibitos laicis: neque peccaverunt Diſcipuli evellentes ſpicas die feſto, & comedentes ad expellendam extremam famem: conſequenter ſi nulla lex humana cenſetur ex vi ſua ſtrictius obligare quàm lex aliqua naturalis, vel divina, ſequitur metum mortis cadentem in virum conſtantem excuſare à culpa operationes prohibitas lege humana.

Perturbatio tamen animi ſi ſit antecedens peccatum minuit, ſi verò conſequens illud aggravat. Paſſio animi eſt quædam perturbatio mentis, quæ dicitur antecedere, ſi præcedat judicium rationis, & motum voluntatis, quam inclinat, trahitque ad unam potius partem, quam alteram, quia quo voluntas operatur ex majori paſſionis impulſu minus liberum eſt, quàm quod omnino ex ſe agunt, quia ratio perturbata minùs accuratè perpendit ſingulas operis circumſtantias, & uberiori conatu ac impetu quaſi cæco modo fertur in objectum. Sed quidquid minuit libertatem, minuit etiam peccatum, unde ſi perturbatio antecedat peccatum minuit; è converſo, ſi conſequatur illud aggravat, dicitur perturbatio conſequi, ſi motum, & imperium voluntatis ſequatur, ut cùm quis expetens ultionem de inimico ſuo iram in ſe concitat, ut vehementiori impetu in illum irruat, tunc hæc paſſio, ſeu mentis perturbatio conſequens deliberationem occidendi hoſtem peccatum auget, quod gravius conſtituit, ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 77. art. 6. inquiens: Paſſio ſecundùm quod præcedit actum peccati, ſic neceſſe eſt, quod minuat peccatum: actus enim in tantùm eſt peccatum in quantum eſt voluntarius, & in nobis exiſtens: eſſe autem aliquid in nobis dicitur per rationem, & voluntatem: undè quando ratio, & voluntas ex ſe aliquid agunt, non ex impulſu paſſionis magis eſt voluntarium, & in nobis exiſtens: & ſecundùm hoc paſſio minuit peccatum in quantum minuit voluntarium. Paſſio autem conſequens non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potiùs eſt ſignum magnitudinis ejus, in quantum demonſtrat intentionem, ſeu vehementem affectum voluntatis ad actum peccati: & ſic verum eſt, quòd quanto aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat, eò quia hæc vehementia concupiſcentiæ eſt paſſio conſequens, quæ peccatum aggravat; è contra quantò major eſt tentatio tantò minus eſt peccatum, quia tentatio antecedenter perturbat animum, & quia præceptum divinum faciliùs obſervari poteſt ſi nulla urgeat tentatio, quàm ſi hæc inſurgat, hinc D. Auguſtinus lib. 14. de civit. Dei cap. 12. de præcepto injuncto Adamo ait: *Tam leve præceptum obſervandum tam breve ad memoriam retinendum, ubi præſertim nondum voluntatis cupiditas reſiſtebat, quod de pœna transgreſſionis poſtea ſubſecutum eſt, tantò majore injuſtitia violatum eſt, quanto faciliore poſſet obſervantia cuſtodiri.* Hinc quo tentatio eſt gravior, & concupiſcentia vehementior: eò peccatum minuitur: imò aliquando adeo vehemens eſt paſſio, & animi perturbatio, quæ uſum rationis quoad exercitium totaliter extinguat, & ab omni culpa excuſet niſi fortaſſis eædem perturbationes volitæ fuerint: tunc enim peccata, quæ ex iiſdem ſequuntur, imputantur homini volenti tales perturbationes, quæ cauſa ſunt peccati, & tunc peccatum dicitur eſſe volitum in cauſa, ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 77. art. 7. ubi ait: *Paſſio quandoque eſt tanta quod totaliter aufert uſum rationis, ſicut patet in his, qui propter amorem vel iram inſaniunt, & tunc ſi talis paſſio à principio fuerit voluntaria imputatur actus ad peccatum: quia eſt voluntarius in ſua cauſa ſicut de ebrietate dictum eſt, ſin vero cauſa non fuerit voluntaria, ſed tantum naturalis utputa aliquis ex ægritudine, vel aliqua hujuſmodi cauſa incidit in paſſionem, quæ totaliter aufert uſum rationis, actus omnino redditur involuntarius, & per conſequens totaliter à peccato excuſatur.* Quandoque vero paſſio non eſt, quod totaliter intercipiat uſum rationis, & tunc ratio poteſt paſſionem excludere divertendo ad alias cogitationes vel impedire ne ſuum conſequatur effectum: quia membra non applicantur operi niſi per conſenſum rationis, quapropter talis paſſio non totaliter excuſat à peccato, hinc concupiſcentia non ligat totaliter rationem, ſicut ebrietas, niſi tanta ſit, quod dejiciat hominem totaliter ab uſu rationis, faciatque eum inſanire; & nihilominus paſſio concupiſcentiæ diminuit peccatũ, quia levius eſt ex infirmitate, quàm ex malitia peccare, & regula generalis ut docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 77. art. 7. per hoc tantùm actus de genere ſuo malus totaliter à peccato excuſatur, quia totaliter ſit involuntarius, quapropter ſi ſit talis paſſio, quæ totaliter reddat actum ſequentem involuntarium is totaliter à peccato excuſat, alioquin non totaliter, & niſi actio peccaminoſa prævisa fuerit in cauſa volita, quo pacto qui ſponte multo madeſit vino, & inebriatur, illi imputatur voluntarium quod per ebrietatem committitur, dummodo prævideatur poſſe contingere in ebrietate. Quòd ſi nullo modo prævideatur talis actio non eſt peccaminoſa præſertim ſi cauſa non fuerit volita quo pacto Phreneticus percutiens matrem à peccato excuſatur quia prævioléntia febris in phrenetin incidit. Cæterum peccatum ex animi perturbatione perpetratum, ſi ex genere ſuo mortale ſit, nunquam ita minuitur, ut veniale fiat, dummodo motus primo primi & ſubiti excipiantur, quia ratio peccati lethalis, ſecum trahit averſionem à Deo ſine ultimo, hæc autem averſio oritur à ratione deliberante, & animadvertente, hinc tantùm poteſt contingere ut inclinatio animæ in aliquid oppoſitum ultimo fini non ſit peccatum lethale, quia ratio deliberans non poteſt occurrere atqui in motibus ſubitis ratio hæc deliberans non contingit conſequenter non ſequitur averſio ad rationem deliberantem. Hinc D. Thomas 1. 2. quæſt. 77. art. 8. ait: *Cùm autem ex paſſione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum, hoc non ſit ſubito, unde ratio deliberans poteſt hic occurrere, poteſt enim excludere vel ſaltem impedire paſſionem. Unde ſi non occurrat, eſt peccatum mortale ſicut videmus, quod multa homicidia, & plura adulteria per paſſionem committuntur.* Quapropter Apoſtolus ad Rom. 7. ait: *Paſſiones peccatorum operantur in membris noſtris ad fructificandum morti.* Fructum autem mortis afferre proprium eſt peccati lethalis, ex quo liquet peccatum ex paſſione commiſſum poſſe eſſe lethale, qua de cauſa paſſiones, & cupiditates pravæ frenandæ ſunt & iis pervigil ratio debet ſtatim occurrere, ut frœnum iiſdem injiciat ne limites honeſti transgrediantur; & motus earundem debent omnino coerceri, ne vires acquirant non ſecus ac Deus ſuo præcepto arenas littoris veluti frœnum injecit fluctibus maris è procella erumpentibus ut in exigua arena comprimerentur, & frangerentur, ne terram abſorbeant, unde Job. 38. v. 11. *Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Proinde tumultuante, ac fluctuante paſſionum procella, ac naufragium animæ minitanto tenemur ad Deum confugere, & cum Apoſtolis preces noſtras ad Deum fundere & eum clamare: *Domine ſalva nos perimus*; hoc enim pacto Chriſtus JEſus in puppi navis cordis noſtri dormiens excitatur, qui imperat ventis & mari, ſedatque paſſionum procellam, & ſtatim ſit tranquillitas magna. Quamobrem ſtatim ſub initiis coërcendæ ſunt, quæ in nobis oriuntur paſſiones, & elidendæ pravæ cupiditates, ac præfocandæ cum primum emergunt, ac interdum hominem perturbant. Hinc David loquens de confuſione Babylonis ait: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram,* quæ verba expendens D. Auguſtinus in eod. Pſal.

ait:

Digitized by Google

ait: *Quid ſunt parvuli Babyloniæ? naſcentes malæ cupiditates, quando naſcitur cupiditas antequam robur faciat adverſus te mala conſuetudo, cum parvula eſt cupiditas elide illam: ſed times, ne eliſa non moriatur, ad petram elide. Petra autem erat Chriſtus.* Et enarrat. in Pſal. 143. loquens de pugna rationis ſuperioris cum inferiore concupiſcentia, & de gratia Chriſti adjuvante pulchrè ait: *Trahis concupiſcentiæ propaginem, & traducem mortis habes contra quod pugnes in te, habes quod expugnes in te. Sed habes quem invoces, ut pugnantem adjuvet te & vincentem coronet te, qui non exiſtentem fecit te. Cum confligis aliud eſt opus, cum vincis aliud opus eſt; cùm pacem, & requiem habes, aliud opus eſt. Suggeritur aliquod lucrum, delectat, habet fraudem, ſed magnum eſt lucrum, delectat non conſentis: pugnam vide; adhuc ſuadetur, adhuc inſtatur adhuc deliberatur: ergo qui pugnat periclitatur. Vidimus pugnam cætera videamus. Contempſit juſtitiam ut fraudem faceret victus eſt, contempſit lucrum ut juſtitiæ ſerviret; vicit. In his tribus victum doleo, pugnanti metuo, victori congaudeo, ſed etiam ille qui vicit nunquid omnino egit in ſe, ut prorſus eum pecunia non attentet aut nihil in eo excitet, delectationis quamvis ſuperabilis, quamvis contemptibilis quamvis non ſolum cui non conſentiat, ſed cum qua nec pugnare dignetur. Ineſt tamen aliqua delectationis titilatio, iſta titilatio, & ille hoſtis, jam nec pugnat, nec regnat ineſt tamen, & quaſi moratur in carne mortali, quod non erit, ducetur enim totum in victoriam, ſeu poſtea modo autem corpus quidem mortuum eſt: & propter peccatum, & ideo eidem corpori ineſt peccatum etſi non regnat peccatum, ſpiritus autem vita eſt propter juſtitiam. ſi autem qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis habitat in vobis, vivificabit, & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis. Ibi jam nec quod pugnet, erit, nec quod titillet totum cedet in pace. Non enim contraria natura contra aliam naturam pugnat, ſed tanquam in domo maritus, & uxor, ſi adverſus ſe diſſentiant moleſtus, & periculoſus labor; ſi maritus vincatur, & uxor dominetur pax domeſtica perverſa, ſi autē uxor marito dominanti ſubjiciatur pax recta*, & paulò infra ſubdit: *Agnoſce ordine, quære pacem, tu Deo tibi caro. Quid juſtius quid pulchrius, tu majori, minor tibi, ſervi tu ei, qui fecit te ut tibi ſerviat, quod factum eſt propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendamus tibi caro, & tu Deo: ſed tu Deo, & tibi caro, qui non obtemperas Domino, torqueris à ſervo. Nunquid ſi non prius tu Deo, ut deinde tibi caro poteris dicere hæc verba: Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas in prælium, & digitos meos ad bellum: præliari vis indoctus, dominaberis victus. Primò ergo agnoſce ſubdere te Deo, deinde illo docente te, & adjuvante te prælieris, & dicas, qui docet manus meas in prælium, & digitos meos ad bellum, & cum præliaris, quia dum præliaris periclitaris, dic quæ ſequuntur in præliandi periculo conſtitutus miſericordia tua non vincar.* Hinc peccatum ex malitia commiſſum gravius eſt peccato quod ex animi perturbatione, ſeu paſſione perpetratur, quia ut docet D. Thomas 1.2. quæſt. 78. art. 4. Quanto motus ad peccatum eſt magis proprius voluntati; tanto peccatum eſt gravius cæteris paribus, & quando ex malitia peccatur, motus ad peccatum eſt magis proprius ad peccatum, quia tunc ex ſe ipſo movetur in malum, quando verò ex paſſione quis incidit in peccatum, quaſi ex quodam extrinſeco impulſu ad peccatum. Hinc peccatum eo ipſo quòd fit ex malitia aggravatur, & eò magis, quò malitia fuerit gravior, ex eo autem, quod eſt ex paſſione tanto magis minuitur quantò paſſio fuerit vehementior: quia paſſio inclinat voluntatem ad peccandum citò tranſit; & ſic homo citò revertitur ad bonum propoſitum eumque peccati pœnitet. Sed habitus quo homo ex malitia peccat, eſt qualitas permanens, ideoque qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. Præterea quia peccans ex certa malitia eſt malè diſpoſitus quantum ad ipſum finem, qui eſt principium in moralibus, ſicque ejus defectus eſt periculoſior, quàm ejus, qui ex paſſione peccat, cujus propoſitum ſecundum habitum ſpectatum tendit in bonum finem, quamvis ad horam interrumpatur ob paſſionem ſed defectus principii ſemper eſt peſſimus ut docet D. Thomas *loc. cit.* Præterea quia gravius peccat, qui graviorem pœnam meretur: & peccatum ex induſtria & malitia commiſſum graviorem pœnam meretur juxta illud Job. 34. *Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo*; quæ verba explicans S. Gregorius lib. 25. Moral. cap. 11. ait: *Gravius quidem infirmitate, quam ignorantia, ſed multo gravius ſtudio, quam infirmitate peccatur.*

Peccata tamen ex pravo habitu, & conſuetudine commiſſa graviora ſunt peccatis ex infirmitate patrata, quia ut docet D. Thomas 1.2. quæſt. 78. neceſſe eſt, quod ex certa malitia peccet, qui utitur hàbitu vitioſo. Peccatum autem ex certa malitia gravius eſt peccato ex infirmitate quod tamen de iis habitibus debet intelligi, quibus peccatum non repugnat, neque nititur eos deſtruere, & extirpare per actus bonos oppoſitos. Rurſus quia abſque contemptu peccat, qui in pravā peccandi conſuetudine perſeverat, quapropter S. Iſidorius lib. 11. de ſummo Bono cap. 23. ait: *Peccatum admittere cadere eſt in puteum: conſuetudinem verò peccandi facere os putei, & hoc os perinde eſt ac coanguſtare, ne is qui cecidit, inde valeat exire*, & paulò infra ſubjungit: *Malum eſt peccare, ſed pejus facere conſuetudinem peccandi. Ab illo facilè, ab hoc malo cum labore reſurgitur, dum malæ conſuetudini repugnatur.* Et nonnulllis interjectis ſubdit: *Iteratio peccati gravior eſt, ſicut ſi morbus ſuper morbum veniat, ſicut ſi imber ſuper imbrem occurrat*: quapropter in cap. *Quanto Extra de conſuetudine* Gregorius IX. ait: *Tanto ſunt graviora peccata quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam*, quapropter D. Auguſt. miſerabilem ſtatum hominis diuturna peccandi conſuetudine irretitum ſub Lazari in monumento quatriduani ſymbolo adumbratū exhibet ejuſq; converſionem difficiliorem aſſerit, ut Lazari reſurrectionē, ait ipſe de verbis Domini ſerm. 28. c. 5. *Qui faciendo quod malum eſt, etiam mala conſuetudine ſe implicant, ut ipſa conſuetudo mali non eos ſinat videre, quia malum eſt, fiunt defenſores malorum factorum ſuorum. Iraſcuntur cum reprehenduntur, in tantùm ut Sodomitæ quondam dicerent viro juſto reprehendenti nequiſſimam voluntatem. Habitare veniſti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis conſuetudo erat, ut jam nequitia eſſet juſtitia, & prohibitor potiùs reprehenderetur quàm factor. Tales conſuetudine maligna preſſi, tanquam ſepulti ſunt. Sed quid dicam, fratres? ita ſepulti, ut de Lazaro dictum eſt. Jam putet. Moles illa impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis dura conſuetudinis, qua premitur anima, nec ſurgere nec reſpirare permittitur. Dictum eſt autem Quatriduanus eſt. Revera ad iſtam conſuetudinem quarto quodam progreſſu pervenit anima. Prima eſt enim quaſi titillatio delectationis in corde, ſecunda conſenſio, tertia factum, quarta conſuetudo. Sunt enim qui res illicitas obvias cogitationibus ſuis prorſus ita abjiciunt, ut nec delectentur. Sunt qui delectantur, & non conſentiunt: nondum perfecta mors eſt: ſed quodam modo inchoata. Delectationi accedit conſenſio, jam eſt illa damnatio. Poſt conſenſionem in factum proceditur: factum in conſuetudinem vertitur: & fit quadam deſperatio, ut dicatur: Quatriduanus eſt, jam putet. Venit ergo Dominus, cui utique*

facilia

Digitized by Google

facilia erant omnia & difficultatem quandam ostendit ibi. Infremuit Spiritu, ostendit multo clamore objurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini, rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus vivus. Liberat enim & de mala consuetudine Dominus quatriduanos mortuos. Nam & ipse quatriduanus Christo resuscitare volenti dormiebat. Sed quid ait? Videte genus resuscitationis. Processit de monumento vivus, & ambulare non poterat: & Dominus ad discipulos. Solvite eum, & sinite abire. Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum. Aliquid pertinere videte ad propriam Majestatem Dei suscitantis. Increpatur aliquis in mala consuetudine positus, verbo veritatis. Quàm multi increpantur, & non audiunt, quis ergo agit intus cum illo qui audit, quis vitam inspirat intrinsecus? Quis est qui secretam pellit mortem, secretam dat vitam. Nonne post objurgationes, post increpationes dimittuntur homines cogitationibus suis, & incipiunt secum volvere, quàm malam vitam gerant, quàm pessima consuetudine premantur. Deinde displicentes sibi mutare vitam instituunt. Resurrexerunt, isti, revixerunt, quibus displicet quod fuerunt: sed reviviscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatûs. Opus est ergo ut qui revixit, solvatur, & ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: Quæ solveritis in terra soluta sunt & in cœlo.

CAPUT XVII.

Exhibentur, & explicantur aliquot assertiones pertinentes ad conscientiam dubiam, erroneam, scrupulosam, & probabilem.

CErtum est in moralibus standum esse judicio conscientiæ conformiter ad divinam legem, ut colligitur ex illo Ecclesiastici: *In omni opere tuo crede, & fide anima tua, hoc est enim observatio mandatorum Dei*, unde tenemur conscientiæ judicium sequi, quam recta ratio in Deum, & divinam legem dirigit, quod confirmat Apostolus cap. 14. inquiens: *Omne quod non est in fide peccatum est*, scilicet omne quod est contra veritatem fidei vel contra conscientiam peccatum est, quamvis ex genere suo bonum esse videatur, ut si vir Ethnicus in honorem sui idoli ac falsi Numinis eleemosynam errogget, vel aliud pium opus faciat tale est coinquinatum ut scribit Apostolus ad Tit. 1. dicitur coinquinatis, & infidelibus *nihil esse mundum, sed inquinata sunt eorum mens, & conscientia*, & 2 ad Corinth. 1. *Gloria nostra hac est testimonium conscientiæ nostræ quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo abundantius autem ad vos*, & 1. Joan. 3. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus & ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Est autem conscientia applicatio scientiæ ad ea, quæ agenda sunt, quæ propterea à Damasceno dicitur *lex intellectus nostri*, & ab aliis definitur *habitus mentis boni & mali discretivus*, ut etiam *credulitas intentionis ad aliquid faciendum vel non faciendum animi deliberatione firmata.* Ex quibus infertur conscientiam pertinere ad intellectum ut cum D. Thoma 1. part. quæst. 79. art. 3. docent communiter Theologi & evincitur ex illo Eccles. 7. *scit conscientia tua quia tu crebro maledixisti aliis.* Scire autem ad solùm pertinet intellectum consequenter conscientia propriè ad intellectum pertinet non ad voluntatem, ut docent D. August. *lib. 4. de civit. cap.* 20. D. Ambrosius *lib. 7. epist.* 14. D. Damascenus *lib. 2. de fide cap.* 12. & alii S. Patres expendentes prævatum textum Eccl. 7. Rursus Apostolus ad Rom. 14. Scribit *omne, quod non est ex fide peccatum est*, ubi nomine fidei intelligitur conscientia ut explicat Chrysostomus, Ambrosius, & alii S. Patres, præsertim D. Thomas. 1. 2. quæst. 19. art. 5. Sed fides pertinet ad intellectum, ergo etiam conscientia potest etiam id ratione evinci desumpta ex Ethimologia conscientiæ, quæ derivatur ab ipso verbo conscire, adeo ut cõscientia dicatur concludens scientia; per id enim distinguitur conscientia à synderesi, eò quia synderesis importet judicium practicum principiorum moralisi universalium. Differt etiam à ratione superiori, quæ versatur simpliciter circa particularia: conscientia enim ex præmissis, quarum major sit universalis, & minor particularis infert conclusionem propterea dicitur concludens scientia. Formatur enim conscientia hoc pacto instante occasione vel etiam urgente tentatione fornicandi, fit quædam in mente disputatio, ac syllogismus, cujus majorem propositionem suggerit ipsa synderesis *omne malum est fugiendum*, siquidem hoc principium morale universale pertinet ad synderesin; minorem propositionem exhibet ratio superior dicens *sed fornicatio est mala*, quia à Deo prohibita, quia in se inhonesta, & illicita: mox conscientia ex utraque præmissa concludit, *ergo hic & nunc fornicatio est fugienda, quia mala est*, hoc ultimum quod est illativum dicitur propriè conscientia, eò quia sit concludens scientia: ergo constat conscientiam propriè esse actum solius intellectus hac ratione à D. Bernardo lib. de scient. cap. 8. Conscientia dicitur *cordis scientia*, vel ut loquitur D. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *art.* 13.

Cum alio scientia præterea quia propria munera conscientiæ sunt dirigere in ordine ad prosecutionem boni, & fugam mali, redarguere male operantes judicare testificari, ut habetur 1 Cor. 1. Sed hæc omnia ad solùm pertinent intellectum non ad voluntatem, quia hæc cùm sit potentia cæca, non potest dirigere, cum directio non nisi per cognitionem, & ostensionem agendorum fiat. Præterea neque potest voluntas arguere, id enim importat cognitionem mali, quod reprehenditur, quæ cognitio est propriè actus intellectus, consequenter conscientia est actus solius intellectûs, & nullo pacto voluntatis, quod ex ea firmari etiam potest, quia conscientia dicitur subinde vera, nonnunquam erronea & aliquando probabilis, scientia autem, error, & opinio sunt actus solius intellectus, consequenter conscientia ad solùm pertinet intellectum, & est judicium practicum circa agenda particularia perpensis omnibus circumstantiis, & hoc judicium formatur ex principiis practicis, adeo ut conscientia sit actus intellectus practici judicantis hic, & nunc aliquid agendum esse vel fuisse tanquam bonũ, & honestum, vel fugiendum ut turpe, & inhonestũ ratio est, quia cum conscientia pertineat ad intellectum, & non sit habitus debet necessario esse aliquis actus, sed hic non potest esse purè speculativus, quia hic non instigat nec movet ad operandum conscientia autem dirigit voluntatem circa agenda, & accusat circa jam facta, & eidem suadet bonum ut prosequendum, & ostendit malum ut fugiendum unde superest, ut sit actus intellectus practici, imò & judicium illativum, quod ex eo constat, quia conscientia semper est vera, vel falsa, vel opinativa, vel probabilis: veritas autem, & falsitas sicut etiam opinio in solo reperiuntur judicio intellectus, hinc conscientia est judicium intellectus, pro quo juvat observare aliud esse judicium intellectus de faciendis, & omittendis, & aliud de jam factis, & omissis, etenim intellectus sicut, ea proponit quæ facienda sunt, priùs quàm fiunt: ita postquam facta sunt judicat non quæ fecimus rectè amare fecerimus, & quamvis utrumque judicium ad conscientiam pertineat, quia tamen per primum judicium dictat, quid agendum sit, & stimulat ad illud & ratione

Digitized by Google

ratione poſterioris dicitur conſcientia redarguere, remordere, accuſare, vel abſolvere, ideo primum judiciũ eſt propriè & formaliter conſcientia, & ſecundum proprietas primi eò quia ſe habeat conſecutivè ad ipſam conſcientiam. Id intereſt diſcrimen inter utrumque judicium, quia primum movet voluntatem ad opus, eſtq; practicum, & ſecundum ſpeculativum, ratione cujus dicitur unusquisque eſſe ſibi conſcius de ſuis bonis, vel malis operibus. Cæterum quòd conſcientia non ſolùm ſit judicium practicum, ſed etiam illativum ex eo liquet, quia poſita per ſynderesin in ſyllogiſmo practico majore propoſitione univerſali: & per rationem ſuperiorem minore particulari conſcientia poſtea ex his duabus præmiſſis judicat, ſeu infert, quid hic & nunc agendum ſit, & quid reſpuendum, qua ratione diſtinguitur conſcientia à ſynderesi quia hæc judicat de principiis moralibus, ut ſunt hæc omne malum eſt fugiendum, omne bonum eſt appetendum. Secus conſcientia judicat tantùm de concluſionibus, ut deductis ex hiſce principiis univerſalibus. Differt etiam à ſcientia, quia hæc judicat de concluſionibus univerſalibus ſpeculativis deductis evidenter ex principiis univerſalibus: conſcientia vero judicat de concluſionibus practicis in particulari, quo pacto dicitur conſcientia applicata ſcientiæ ad opus hic, & nunc faciendum. Hinc conſcientia differt à ſynderesi, ſcientia, & opinione morali, quia ſynderesis importat judicium practicum principiorum moralium univerſalium: conſcientia verò electiones practicas circa particularia, ſeu concluſiones deductas ex una præmiſſa univerſali & altera particulari, ut docet D. Thomas. 1. part. quæſt. 67. art. 13. adeo ut ſynderesis nunquam extinguatur, eò quia principia univerſalia congenita ſint lumine naturali: hinc ſinderesis non poteſt eſſe principium peccati, quia ex principiis veris non ſequitur operatio mala. Secus conſcientia extingui poteſt, & aliquando eſt principium peccati, tunc quando culpabiliter recta non eſt: differt etiam conſcientia à ſcientia, & opinione morali, quia ſcientia, & opinio judicant tantum de concluſionibus univerſalibus deductis evidenter, vel probabiliter ex principiis univerſalibus: conſcientia verò judicat de concluſionibus in particulari, ſeu de hoc vel illo hic & nunc in hac occaſione, & cum his circumſtantiis, & concludit in particulari quid hic, & nunc ſit faciendum vel omittendum.

Conſcientiæ ſpecies quinque communiter aſſignantur, ſcilicet recta, vera, probabilis, dubia, eronea, falſa, & ſcrupuloſa, & deſumitur hæc partitio conſcientiæ in quinque membra ab ipſa cognitione, qua nititur, quia cùm ſit conſcientia judicium practicum intellectus dictans quid hic & nunc à nobis agendum ſit, vel omittendum juxta extrinſecas morum regulas, & intellectus ita judicando plerumque ſit certus in ſuo judicio, aliquando erret, & ſubinde probabiliter tantùm judicet, aliquando dubitet, ut neutri parti determinatum præbeat aſſenſum, ac tandem variis interdum agitetur ſcrupulis, ſit quòd conſcientia ſi judicium fuerit rectum dicatur recta, ſi errôneum erronea, ſi probàbile, probabilis, dubia, vel ſcrupuloſa quia ſicut oculus ſi fuerit ſimplex totum corpus erit lucidum, & ſi male affectus totum corpus tenebroſum erit, ita ſi conſcientia ſit recta tota operatio eſt bona ſecus, ſi mala, totum opus corrumpitur & eſt malum, ſicut enim oculum ſimplicem quod totum corpus ſit lucidum, duo hæc faciunt amor boni, & cognitio veri, ita oculum nequam, quo totum corpus ſit tenebroſum hæc alia duo inficiunt cœcitas, qua ſit, ut veritatem non agnoſcat, & perverſitas, qua ſit, ut diligat iniquitatem, quapropter ut loquitur D. Bernardus lib. de præcepto & diſpenſat. cap. 14. *Is vere oculus nequam eſt, qui perverſus pariter, & cæcus bonum agit, & malum credit, utique rectè operando, ſed opinando iniquè bonum ſibi in malum vertit; & tantum malum, quantum crediderit: quandoquidem juxta ſententiam Domini totum corpus tenebroſum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideo ſequitur ut qui è contrario malum facit, & bonum putat juxta ſuam fidem ſimiliter & ipſe inveniat. Quare? non eſt quippe ſimplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat. Neque enim ex toto adhuc tenebræ deſunt, ubi ignorantia veritatis lucem obſcurat bona voluntatis. Et quidem laude dignam dixerim vel ſolam intentionem piam. Nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoq; non bona ipſa voluntas. Attamen ſine malo quocunque non erit decepta ſimplicitas. Cur inquis? nunquid non ex fide? prorſus ex fide, ſed falſa, vel certè potiùs non ex fide quia fides falſa fides non eſt. Denique de fide vera non falſa puto dixiſſe Apoſtolum omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Non autem ex fide vera bonum creditur quod malum eſt: eſt enim falſum, peccatum igitur eſt, utrumque proinde complectitur præſens capitulum, omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, & cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam: quia quod à ſciente ſit, & bonum prorſus condemnat intentio prava ut malum non pænitus excuſat recta. Sive itaque malum putes bonum, quod forte agis, ſive bonum malum, quod operaris utrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide: quamvis ſanè levius admodum peccetur, ubi ſana intentione ſola reprehenſibilis actio foris apparet, quàm ubi maligna latet etiam una mala actione intentio.*

Neque præter has quinque ſpecies datur alia, quia licet nonnulli addant conſcientiam temerariam non tamen eſt ſpecies diſtincta à prærecenſitis, ſiquidem conſcientia temeraria abſque ullo fundamento judicat licitum, quod eſt illicitum conſequenter non importat judicium reſpiciens aliquo modo principia univerſalia neque aliquid verè, & falſo ex ipſis deductum, proinde conſcientia temeraria propriè non eſt conſcientia, ſed merum dictamen proveniens ab habitu vitioſo temeritatis. Conſcientia vera quæ dici etiam ſolet certa, & vera, ea dicitur, quæ conformatur cum rationibus æternis eſtq; etiam conformis voluntati rectæ circa ea quæ ſunt ad finem, ut docet D. Thomas 1. 2. *queſt.* 59. *art.* 3. Quia cum conſcientia ſit dictamen intellectus practici, & verſetur circa particularia habita ratione circumſtantiarum, ideo ut hujuſmodi dictamen ſit rectum, neceſſe eſt, ſit conformis ſuis principiis, ſeu regulis æternis, quatenus hæc participantur à principiis univerſalibus lumini naturali inditis, & etiam à voluntate circa finem, cum intentio finis ſit menſura agendorum. An verò ita teneamur ſemper operari juxta conſcientiam rectam, ut Deus non poſſit diſpenſare, ut quis agat contra conſcientiam veram, & rectam, reſpondetur cum D. Thoma 7. 2. *queſt.* 110. *art.* 1. Deum non poſſe diſpenſare ut quis agat contra conſcientiam veram, & rectam, adeo ut obligatio non agendi contra conſcientiam nullo pacto, nec divinitus ſit diſpenſabilis ſiquidem Deus non poteſt diſpenſare, ut quis licitè peccet, eſt enim implicantia in adjecto, quia eo ipſo, quòd quis peccat, jam operatur contra regulas æternas, quibus conformantur actus boni & ſunt difformes mali, qui propterea ſunt illiciti, quia diſcordant à regulis æternis: ſed ſi Deus poſſet diſpenſare, ut quis agat, contra conſcientiam veram, & certam, utique diſpenſaret, ut quis licitè peccaret, quòd repugnat: etenim diſpenſaret, ut quis ageret contra principia univerſalia, & regulas æternas, quibus conſcientia conformatur: eo enim ipſo, quod quis operatur contra regulas æternas dicitur propriè peccare, & ille verè operatur contra regulas æternas qui agit contra propriam conſcientiam veram, & certam. etenim conſcientia per id eſt vera formaliter, per quod eſt formaliter conformis regulis æternis, conſequenter agere contra conſcientiam veram, & certam eſt propriò operari contra regulas æternas, quod eſt peccare: unde ſicut repugnat Deum poſſe diſpenſare, ut quis licitè peccet, cùm ſit implicantia in terminis ita repugnat poſſe Deum diſpenſare ut quis agat contra conſcientiam veram, & certam. Sed dices agere contra conſcientiam, perinde eſt, ac agere contra illud præceptum in cujus virtute conſcienta obligat: ſed Deus poteſt diſpenſare in præceptis etiam naturalibus, ergo etiam in conſcientia quia hæc non magis obligat, quàm præceptum ipſum naturale, ergo non repugnat poſſe Deum diſpenſare, ut quis agat contra conſcientiam veram & certam. Contra eſt negatur minor, quia ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 110. *art.* 8. præcepta legis naturalis ſunt omnino indiſpenſabilia, & conſcientia obligat virtute præcepti naturalis, conſequenter nequit à Deo diſpenſari, ut quis agat contra conſcientiam certam,

Digitized by Google

Siquis tamen contra conſcientiam erroneam peccat. Pro qua aſſertione juvat obſervare conſcientiam erroneam eam dici, quæ nullo innixa probabili fundamento dictat aliquid eſſe faciendum, quod revera non eſt tale in re, unde differt conſcientia erronea à probabili, quia illa dictat operationem, & ejus emiſſionem abſque fundamento probabili: hæc verò, quamvis ſubinde dictet aliquid eſſe honeſtum, ſeu licitum, proinde appetendum, quod tamen à parte rei non eſt licitum, vel è converſo aliquid eſſe illicitum, quod in re non eſt tale, nihilominus, quia tale dictamen innititur probabilibus motivis, ac perſuadentibus rem ita ſe habere, ſicut exiſtimatur, dicitur conſcientia probabilis, non verò erronea. Rurſus tripartitur conſcientia erronea in invincibilem, & vincibilem, illa eſt, cujus error quavis adhibita diligentia morali vinci ac deponi non potuit, ex quo ſequitur, hunc errorem voluntarium non eſſe, neque culpæ verè. Conſcientia verò erronea vincibilis eſt, cujus error moraliter loquendo vitari potuit, & debuit. Rurſus hic error dicitur indirectè voluntarius, & culpabilis, & hæc diviſio conſcientiæ erroneæ in invincibilem & vincibilem, coincidit cum diviſione ignorantiæ in invincibilem & vincibilem, illa eſt, quæ diligentia humana impediri non potuit, ſeu ſuperari, eò quia nondum in mentem venerit dubitare, aut cogitare de oppoſito: vel etiam ſi in mentem venerit, nihilominus adhibita diligenti inquiſitione diſpelli non potuit; & hæc ignorantia invincibilis re ipſa eſt ignorantia antecedens, excuſans à peccato. Ignorantia vincibilis eſt, quæ adhibita morali diligentia ſuperari potuiſſet, imò & debuiſſet; & hæc ignorantia vincibilis in re coincidit cum ignorantia conſequente, minimè excuſante à peccato. Difficultas eſt, an liceat diſcordare à conſcientia erronea. Dupliciter intelligi poteſt conſcientia erronea, primò, quatenus dicat, aliquid eſſe faciendum aut omittendum ſub præcepto, aut aliquid eſſe licitum, vel malum moraliter. Secundò, quatenus dictat aliquid, non ut præceptum, aut prohibitum, nec ut malum, ſed tanquam præciſe licitum, & honeſtum, ſub nulla tamen obligatione faciendum, vel omittendum, & controverſia non procedit de conſcientia ſumpta hoc ſecundo modo, quia certum eſt, nos non teneri omnia ea velle, quæ licita, & honeſta eſſe indicantur, ſed difficultas procedit de conſcientia erronea in primo ſenſu, & aſſerendum eſt, conſcientiam erroneam, ſive vincibilem, ſive invincibilem, præcipientem aliquid ut agendum, vel fugiendum obligare negativè, adeò ut nullus poſſit licitè, & ſine peccato operari contra talem conſcientiam dictantem aliquid eſſe præceptum, aut prohibitum, ita docet D. Thomas 1. 2. *qu.* 19. *art.* 5. Probatur ex illo D. Pauli ad Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, per fidem Apoſtolus conſcientiam intelligit, ut ſenſus ſit, peccatum eſſe omne id, quod fit contra conſcientiam. Neque urget, quod reſpondent aliqui, præcitatum Apoſtoli textum eſſe intelligendum de conſcientia recta, non erronea, id enim falſum eſt, quia D. Paulus ibi loquitur de Gentilibus converſis ad fidem, & qui in diſcernendis, & comedendis cibis non ſequebantur conſcientiam, eos comedendo, quos prohibitos exiſtimabant, quamvis in lege evangelica nullus cibus ſit immundus, nec prohibitus, hinc ait Apoſtolus: *Scio & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat, quid commune eſſe, & ei commune eſt*, ubi Apoſtolus expreſsè loquitur de conſcientia erronea, ſiquidem docet, nullum cibum debere eſſe Gentilibus recens ad fidem converſis immundum, niſi fortaſſis putent eſſe talem per conſcientiam erroneam: quòd verò operans contra hanc conſcientiam peccet, oſtendit etiam idem Apoſtolus in eodem loco dicens: *Qui autem infirmus eſt, olus manducet*. Senſus eſt, ut debilis in fide, exiſtimans adhuc aliquos cibos immundos eſſe, & prohibitos, debeat ſe abſtinere ab illis, & alios manducare cibos, quos non judicet prohibitos, quia conſcientia reddit talem operationem, qualem dictat eſſe, propterea facit cibos prohibitos, qui non ſunt, & obligat ad eorundem abſtinentiam. Hinc Innocentius III. *in cap. fin. de præſcript. cap. litteras de reſtitut. ſpoliat. cap. 2. & de Simonia cap. Inquiſitionis*, ut etiam de ſententia excommunicationis *cap. omnes* 28. aſſerit: Quòd quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, quamvis conſcientia erronea ſit; quapropter conſtat, conſcientiam erroneam ſive vincibilem, ſive invincibilem, præcipientem aliquid ut agendum vel fugiendum, obligare negativè, ſcilicet ne contra eam operemur, adeo, ut nullus poſſit licitè, & abſque peccato diſcordare à conſcientia erronea, dictante aliquid eſſe præceptum aut probibitum: ratio id etiam evincit, quia nulli eſt licitum, diſcordare à conſcientia recta, dictante aliquid ſub præcepta, ut per ſe perſpicuum eſt, ſed ſi conſcientia erronea non obligaret negativè, poſſet aliquis licitè diſcordare à conſcientia recta dictante aliquid ſub præcepto, quod eſt falſum, quia voluntas, operans contra conſcientiam erroneam, revera conſentit in malum, & habet ſufficientem affectum ad peccatum, quod apprehendit, non enim conſcientiæ erroneæ obſtat, quò minus voluntas aſſentiatur malo, ſiquidem eo ipſo, quod error conſcientiæ non cognoſcitur agere contra talem conſcientiam erroneam, eſt agere contra legem, proinde hæc actio peccaminoſa eſt. Firmatur, quia voluntas eatenus peccat, quia diſcordat à recta regula, atqui regula voluntatis ſunt ipſa dictamina rationis, & conſcientiæ, proinde peccat, quoties quis operatur contra dictamina conſcientiæ, præterea, quia agere contra conſcientiam rectam, dictantem aliquid eſſe præceptum, eſt agere contra leges, ſive ipſa conſcientia lex ſit naturalis, cui voluntas obſequi teneatur, ſive ſit quædam tantùm promulgatio, & manifeſtatio legis, quia ſemper voluntas vel mediatè, vel immediatè agit contra leges præcipientes, quoties diſcordat à conſcientia. Præterea, quia eatenus quis peccat, agendo contra rectam conſcientiam, quia deflectit à regula, & lege, ſed etiam agens contra conſcientiam erroneam deviat, quantum eſt ex ſe, & affectivè à regula exiſtimata vera lege, & recta: ergo ſimiliter peccat; ſiquidem eodem modo ei proponitur per conſcientiam falſam, tanquam prohibitum, quod non eſt prohibitum, ac ſi revera eſſet probibitum ac propoſitum per conſcientiam veram, ergo, qui tunc operatur contra conſcientiam erroneam, agit contra proprium dictamen, conſequenter non minus peccat, quàm ſi tale dictamen verum eſſet. Præterea D Thomas 1. 2. *qu.* 19. *a.* 5. docet, voluntatem cum ratione vel conſcientia errante concordem eſſe malam aliquo modo propter objectum, quod, cùm à ratione proponatur ut malũ, quæ in illud fertur, ſub ea ratione voluntas perverſa eſt, ut ſi conſcientia dictet bonum eſſe abſtinere à fornicatione, at ſi voluntati proponeretur ut malum à ratione errante, & voluntas ferretur in illud ſub ratione mali mala hæc eſſet, & perverſa. Pari pacto credere in Chriſtum eſt per ſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem: ſed ſi à ratione proponatur, ut malum, & voluntas feratur in illud, ut malum, tunc voluntas perverſa erit: unde dicendum, quod ſimpliciter omnis voluntas, diſcordans à ratione ſive recta, ſive errante, ſemper ſit mala. Quamvis enim judicium rationis errantis non derivetur à Deo, attamen ratio errans judicium ſuum proponit, ut verum, & per conſequens, ut à Deo derivatum, & à quo eſt omnis veritas.

Digitized by Google

Si tamen error diſcuti poſſit, ac vinci, ut & conſcientia erronea deponi, tunc erit deponenda, & quod in contrarium agitur, non excuſat à peccato, adeo, ut error, qui vinci poteſt, non excuſet à culpa, ſed peccatum augeat, eò quia ſit cauſa peccati, unde ſiquis ex errore conſcientiæ putaret ſe obligari ad mendacium, furtum, fornicationem, erit hic error deponendus, & fornicatio fugienda, ut etiam mendacium, & furtum. Hinc Joannes Gerſonus in Tract. de natur. & qualitate conſcientiæ ita ſcribit: *Quando conſcientia dictat ea, quæ ſunt contra legem Dei, ipſa etiam ligat, & obligat, non quidem ad faciendum, ſed ad deponendum: quia cùm talis conſcientia erronea errore repugnante legi divinæ, quamdiu ipſa manet, ponit & tenet hominem extra ſtatum ſalutis, & ideo neceſſe eſt, eam deponere, quia ſive tunc homo faciat, quod ipſa conſcientia dictat, ſive oppoſitum, peccat mortaliter. Faciendo enim quod conſcientia dictat in hoc caſu, facit contra legem Dei, quod clarum eſt. Faciendo verò poſitum mortaliter, etiam peccat non ratione operis, quod ex ſe malum non eſt, ſed quia illud facit in contemptum Dei, cùm faciat illud, quod ſua conſcientia ſibi Deo diſplicere dictat.* Quando verò error conſcientiæ eſt invincibilis, non peccat agens ſecundùm conſcientiam erroneam, quinimò tunc ſecundùm illam agendum eſt, ideo enim non peccat, quia error inſuperabilis eum excuſat à culpa mortali, ratio eſt, quia eo ipſo, quod conſcientia eſt invincibiliter errans, & talis, ut nulla morali diligentia vinci aut deponi poſſit, perinde ſe habet in prudenti, ac inculpabili æſtimatione operantis, ac ſi eſſet ſimpliciter, ac abſolutè recta: ſed tenemur poſitivè ſequi conſcientiam rectam, præcipientem aliquid ut agendum, vel fugiendum, ergo tenemur etiam ſequi poſitivè conſcientiam invincibiliter errantem, & præcipientem aliquid ut agendum, vel fugiendum, adeo, ut conſcientia invincibiliter errans non ſolùm obliget negativè, ne contra illam operemur, verùm etiam, ut poſitivè eam ſequamur. Minor & conſequentia tenent, major evincitur, & quidem à priori, quia, cùm voluntas ſit potentia cæca, Deus ut Author naturæ eam ſubdidit ductui ac dictamini intellectus, ut id habeat reputare bonum aut malum, quod ſibi fuerit ab intellectu propoſitum ut tale, hinc oritur, quod voluntas naturali lege teneatur ſequi dictamen conſcientiæ, quodcunq; illud ſit, ſive verum, ſive falſum, ſeu invincibiliter erroneum, quia nón poteſt tunc alia via innoteſcere voluntati, quid agendum ſit, & quid omittendum, niſi per prævia conſcientiæ dictamina. Hinc qui detrectat id agere, quod conſcientia abſolutè & abſque ulla dubitatione dictat eſſe præceptum, repugnat, quantùm eſt ex ſe, præcepto, cui non vult ſe conformare, ergo peccat: conſequentia conſtat, antecedens probat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. *ad* 2. Quia, ſi quis exiſtimaret præceptum nomine Regis promulgatum à prætore eſſe præceptum ipſius Regis illud contemnendo contemneret, quantum eſt ex ſe præceptum Regis, quamvis Rex nunquam tale præceptum mandâſſet promulgandum: ergo à pari, ſi voluntas contemnit, quod conſcientia dictat eſſe à Deo præceptum, cenſebitur contemnere ipſum Dei præceptum: ex quo ſequitur, facientem, quod exiſtimat prohibitũ, perinde peccare, ac ſi revera prohibitum eſſet. Hinc ſiquis mentiatur ad liberandũ proximũ è periculo vitæ ob conſcientiam invincibiliter errantem, eò quia exiſtimet ſe ex miſericordia in proximum ad id teneri, procul dubio cenſeretur bene agere, & ſi non mentiatur, cenſetur peccare contra virtutem miſericordiæ, quia cùm conſcientia invincibiliter errans dictat eſſe mentiendum, & eripiendum proximũ ab imminente periculo, tenetur voluntas ex naturali lege, qua manuducitur ab intellectu ſequi dictamina hujus conſcientiæ invincibiliter errantis. Quod ſi dicas diſcordare à conſcientia dictante mendacium eſſe præceptum, non eſſe diſcordare à recta ratione, neque à lege divina, quinimò potius eſt eidem concordare, ergo diſcordare à conſcientia dictante mendacium eſſe proferendum ad liberandum proximum ab imminente vitæ periculo non eſt peccatum, quia nihil cenſetur eſſe peccatum, niſi adverſetur legi divinæ. Sed contra diſtinguitur antecedens diſcordare à conſcientia dictante mendacium eſſe præceptum, non eſt contra legem Dei, prohibentem mendacium, conceditur, non eſt contra legem Dei, qua præcipimur, ſequi dictamina conſcientiæ, negatur antecedens & conſequentia, quia ad hoc, ut actio ſit peccaminoſa, ſatis eſt, ſi adverſetur alicui divino præcepto, ſive hoc particulare ſit, ſive univerſale. Quòd ſi inſtes inde ſecuturum, quòd una lex divina eſſet alteri contraria, quod cenſendum eſt abſurdum. Contra eſt, negatur ſequela, quia, tametſi lex generalis naturæ ſubjiciens voluntatem dictamini propriæ conſcientiæ obliget contra quaſcunque alias leges particulares invincibiliter ignoratas: hinc tamen non ſequitur, unam legem formaliter, & per ſe adverſari alteri, ſed tantùm quod materialiter, & per accidens, ratione ignorantiæ invincibilis, lex univerſalis obliget, non lex particularis, quæ invincibiliter ignorantur, ex hoc autem nullum ſequitur inconveniens. Quòd ſi dicas, inter leges divinas nullam dari diſcordantiam formalem, nec materialem, conſequenter non poſſe præceptum univerſale obligare contra præceptum particulare de non mentiendo, contra eſt, negatur conſequentia, quia, quamvis inter leges particulares imediatè à Deo lata, nulla ſit repugnantia nec diſcordantia, etiam materialiter, nihilominus inter eas, quæ mediante humana ratione promulgantur, poteſt intereſſe aliqua contrarietas, quatenus pro diverſitate temporum aut circumſtantiarum poteſt humana ratio habere contraria judicia practica, quæ tametſi materialiter opponantur, non tamen formaliter ſunt contraria, quia, quæ dictant alia materialiter oppoſita, conveniunt ſemper in ratione formali, quatenus omnia præcepta in hoc conveniunt, quod bonum ſit appetendum, & faciendum, & malum omittendum, & fugiendum, unde tenetur quis agere ſecundùm conſcientiam, errore invincibili & inſeparabili deluſam, ac deceptam, quia tunc ratio proponit ut præceptum divinum illi, cui abſque hæſitatione parendum eſt. Hinc judicium errantis conſcientiæ præcepto ſuperioris anteponendum eſt, ſi error diſpelli, ſuperari, ac deponi non poſſit, ut ſi ex errore conſcientiæ putet ſubditus id, quod à ſuperiore præcipitur divinæ legi, aut eccleſiaſticæ, vel etiam civili in iis, quæ pertinent ad politicum regimen, aut majoris Prælati præcepto eſſe contrarium, tunc non eſt obediendum homini, eò quia præcipiat Deo contraria. Actor. 4. *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, unde nec ipſi ſuperiori parendum eſt, quando errore invincibili exiſtimat ſubditus ejus præceptum legi divinæ, vel præcepto excellentioris poteſtatis, vel majoris ſuperioris in eodem ordine præcepto contrarium eſſe. Hinc S. Bernardus lib. de præcepto & diſpenſat. cap. 9. ait: *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura pari reverentia deferendum: ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Quod ſi contigerit, pergendum indubitanter conſulo in Petri Apoſtoli ſententiam: quia obedire oportet Deo magis quam hominibus. Aut hoc reſpondendum cum Apoſtolis; aut cum Phariſæis ceriò audiendum, quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram*

ſtras

Digitized by Google

stra? Ego igitur si me angi hoc articulo sentiam, ut aut Deum, aut hominem offendere, necesse sit, Deum potius libenter eligo non offendere, & quidem latius justiusque, & nonnullis interjectis subdit: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haut secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. E contrario si ex judicio conscientiæ quantumvis erroneæ persuasum sit alicui, quod præcipit superior displicere Deo, tenetur non obedire.* Et cap. 7. ejusd. Libri subdit: *Jam vero de eo, qui præcipit, & item de eo, quod præcipitur, hujuscemodi advertenda erit secundam rationem distinctio, ut cujus inter præceptores reverentior nobis imminebit authoritas ejus gravior formidetur offensio, ac majoris cujusque mandati transgressio damnabiliter æstimetur,* igitur si errore invincibili conscientiæ subditus existimet præceptum superioris esse contrarium legi divinæ, vel ecclesiasticæ, aut præcepto excellentioris potestatis, debet illud postponere errantis conscientiæ judicio. Conscientia tamen erronea ut deponatur, ac obligare cesset, necesse est, ut ratione vel authoritate convictus homo contrarium judicet ejus, quod antea judicaverat, vel saltem animadvertat leves esse & invalidas rationes, quibus tale judicium innitebatur, à quo propterea debet recedere. Ad errorem deponendum plurimùm suppeditat auxilii oratio humilis, ad Deum fusa, ut si quispiam cum Davide dicat: *Deus meus illumina tenebras meas,* ut etiam accuratum studium, & examen rei controversæ. viros pios, & doctos consulere, ac ab iisdem edoceri, & eorum doctrinis SS. Patrum firmatis sententia acquiescere: ait Sapiens: *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne sis sapiens apud temetipsum,* docilitas itidem & studium humilitatis ad id præsertim conducunt; unde Ecclesiastici 6. *In multitudine Presbyterorum sta, & Sapientia eorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem possis audire, & proverbia laudis non effugiant à te. Et si videris sensatum evigila apud illum:* & cap. 8. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientum, non te prætereat narratio seniorum. Ipsi etiam didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum,* Quapropter Apostolus captivum cupit nos habere intellectum, quem captivemus in obsequium Christi: Unde Joannes Gersonius Tract. de natura, & qualitate conscientiæ ait. *Quilibet in credendo plus debet consentire fidei, quàm sibi: & in agendis plus credere aliis quàm sibi.*

Cum conscientia practicè dubia non est licitum operari est conscientia dubia, quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed inter utrumque hæret anceps, unde cum importet suspensionem judicii, est potius privatio conscientiæ quam conscientia vera; quia, quamvis intellectus per actum reflexum possit cognoscere, se suspensum hærere, hoc tamen judicium reflexum non est necessarium ad conscientiam dubiam: quia in ordine ad operationem sive adsit judicium reflexum, sive non: intellectus manet semper ita anceps, ut neutri parti determinatum præbeat assensum; nec ullum eliciat judicium, dictans esse benè, vel malè operandum. Hinc distinguitur conscientia dubia à probabili; quia neutri parti assentitur, & hæret anceps non assentiendo, nec dissentiendo rationibus: conscientia verò probabilis innititur alicui rationi, quâ uni potius parti, quàm alteri adhæret, quamvis cum aliqua formidine de opposito. Dubium autem est practicum vel speculativum: illud tunc habetur, quando dubitatur de operatione, an licita vel illicita sit. adeo ut judicium practicum directè & immediatè versetur circa praxin, seu operationem exercendam vel non: unde judicium practicum propriè est illud, in quo directè quæritur de ipsa praxi, seu actione humana, num in his, vel illis circumstantiis licita sit vel illicita; & an ex vi præcepti ponenda sit, vel omittenda; & huic dubio practico respondet conscientia practica. Dubium speculativum habetur, quando præcise, & simpliciter dubitatur de veritate alicujus rei, non quærendo directè de praxi, seu actione humana, an licita sit, nec ne; sed de aliquo alio, scilicet, an res ita se habeat, nec ne; ut an votum emiserit, an non, an baptismus collatus in nomine Christi validus sit, nec ne; hæc dubia dicuntur speculativa, quia non se tenent ex parte operationis, sed tantùm ipsius rei, inquirendo an hoc, vel illo modo se habeat præscindendo ab operatione, & in hoc sensu conscientia speculativè dubia ea dicitur, quæ dubitat de aliquo, non tamen inquirendo directè ac immediatè de praxi, seu actione humana, an licita sit, vel non. Rursus subdividitur dubium practicum in generale, & particulare, illud est, quo quis dubitat in genere; an hæc, vel alia ratio in genere licita sit, vel illicita, ut cùm dubitatur, an licitum sit ad beneficium ecclesiasticum eligere minus dignum relicto digniore. Particulare, quod etiam dicitur dubium practicè practicum, est illud, quo in particulari dubitatur, an hic & nunc perpensis omnibus circumstantiis licita sit talis particularis actio, ut an hodie ob quandam infirmitatem teneatur quis jejunare. Demum aliud est dubium positivum, & aliud negativum; illud est, quando dubitans pro utraque parte habet positivas rationes æquè probabiles, adeo ut intellectus non habeat motivum uni potiùs adhærendi parti, & non alteri, sed hæreat suspensus, an aliquid ita sit, vel non, & huic dubio positivo respondet conscientia, quæ vocatur etiam positivè dubia; & tunc habetur, quando pro utraque parte occurrunt rationes probabiles; adeo ut intellectus in neutram partem propendeat: sed cognoscens rei difficultatem, & utrinque pugnantes rationes hæreat dubius, ac omne suspendat judicium. Dubium negativum est, quo quis pro neutra parte habet rationes probabiles, hæretque suspensus in suo judicio non affirmando, nec negando, de quo dubitat; & huic dubio correspondet conscientia, quæ etiam dicitur negativè dubia, quando, pro neutra parte habet rationes probabiles, quibus judicium eliciat adhærendi alicui parti,

Certum est, neminem posse id licitè agere, de quo practicè dubitat, an hic, & nunc prout ab ipso fit, sit peccatum; ita docent communiter cum D. Thoma; & evincitur ex illo Apostoli ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* seu omne quod non est ex conscientia; sed qui id agit, de quo practicè dubitat, an hic, & nunc sit peccatum, agit contra fidem, seu conscientiam, quia practicè dubitans, id quod agit esse peccatum, agit contra fidem, seu conscientiam; ergo peccat. Tum quia stante tali dubio non credit esse licitum, alioquin si id crederet, non dubitaret: communiter qui dubitat, dicitur nondum credere: sed qui non credit, non operatur ex fide, seu conscientia: ergo, qui dubitat, seu non credit, id licitum quod hic, & nunc agit, non operatur ex fide, & conscientia, consequenter peccat.

Digitized by Google

Operari verò cum conſcientia tantùm ſpeculativè dubia, non ſemper eſt peccatum; adeò ut ſi tale dubium ex rationabili fundamento practicè deponatur, peccatum non ſit, aliquid agere, vel omittere cum dubio ſpeculativo. Quia proxima regula humanarum actionum non eſt judicium ſpeculativum, ſitum in eo, quòd præciſe attingat veritatem objecti, ſeu non eſt cognitio ſpeculativa, quæ conſiſtit in contemplanda ſola veritate objecti: ſed eſt ipſa cognitio practica, conformis rectæ rationi, & regulis æternis: huic enim judicio practico tenemur noſtras conformare operationes, poſt præexpenſas omnes circumſtantias, qualitates, & conditiones rei: objectum autem, quod ſecundùm ſe, & ſpeculativè apparet dubium, accedentibus certis circumſtantiis poteſt reddi practicè certum, quòd ſit honeſtum, & eligibile; ergo operari cum conſcientia tantùm ſpeculativè dubia, non ſemper eſt peccatum. Minor oſtenditur, quia, ſi quis ſpeculativè dubitet, an res, quam poſſidet, ſit ſua, nec ne; poteſt practicè judicare, ſibi licitum eſſe, rem illam retinere; eò quia in dubio *melior eſt conditio poſſidentis*; proinde licitè poteſt illam retinere: etenim miles, ſi ſpeculativè dubitet de duritia belli, poteſt hoc dubium practicè deponere, & acquieſcere mandato ſui Principis, & practicè tutus belligerare, quia in dubiis ſtandum eſt judicio ſuperiorum, ut docet D. Auguſtinus *Lib. 22. contra Fauſtum.*

In dubiis tamen practicis tutior pars eſt eligenda, & id fundatum in jure naturæ, quo prohibemur exponi periculo peccandi, & ſalutem noſtram adducere in diſcrimen, juxta illud Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, neque poteſt aſſeri, id tantùm eſſe de Concilio, non autem de præcepto, puta ibi cenſendum eſt, haberi præceptum, ubi verba ſunt abſoluta, & imperium exprimentia, imò & pœnæ ſtatuuntur contra transgreſſores. Sed illud juris axioma exprimitur verbis ſignificantibus imperium, ſiquidem ſummi Pontifices non aſſerunt melius eſſe eligere tutiorem partem, ſed abſolutè aſſerunt, quod in dubiis ſit pars tutior eligenda, ut in *can. ad audientiam de homicidio.* ubi cum homo quidam fuiſſet à Sacerdote vulneratus, & poſteà mortuus, dubium ortum fuerat, an mors illa ſecuta ſit ex inflicto illo vulnere à Sacerdote. Rurſus in cap. *ſignificaſti eod. tit.* proponitur ſimilis caſus de homine mortuo ex vulnere, & cùm dubium poſtea ſubortum fuerit, & ſacri canones concludant, in hiſce caſibus teneri ſacerdotes abſtinere à ſacris miniſteriis, eò quia, cùm actio aſperſa ſit ſuſpicione homicidii, oriebatur dubium, an forte ſacerdotes illi eſſent irregulares, conſequenter concluſerunt ſacri Canones, tutius fuiſſe, ſi à miniſteriis altarium ſubmoverentur, quàm ut iiſdem temerè ſe ingererent, & cum periculo peccati, quia in dubiis tutior pars eligenda eſt, & illa pars eſt tutior, in qua nullum adeſt periculum peccandi, alia enim, in qua periculum adeſt, eſt minus tuta, conſequenter omittenda, quia, ut Eccleſ. 3. dicitur, *Qui amat periculum, peribit in illo.* Hoc idem etiam colligitur ex *can. ſi quis poſitus. diſt. 7. de pœnit.* ubi ex D. Auguſtino hæc verba referuntur: *Vis ergo à dubio liberari, vis quod incertum eſt evadere, age pœnitentiam, dum ſanus es.* Et can. Si quis autem. ead. diſt. habetur. *Ergo tene certum, dimitte incertum*, & in cap. illud Extra. de Clerico excommunicato jubetur deponi Epiſcopus, qui non abſtinuerit à ſacris miniſteriis in dubio Juris, an ſententia lata, à delegato non præmiſſa præmonitione, & ante ſignificationem liget, idque non ob aliam cauſam, niſi quia cum dubitaſſet, debuiſſet tutiorem partem eligere. Rurſus in Clementina Exivi. tit. de V. S. Summus Pontifex rogantibus fratribus minoribus ſedem Apoſtolicam, an ſub peccati mortalis periculo ad eorum obſervantiam teneantur, quæ in regula S. Franciſci verbis imperativis exprimuntur, reſpondet Pontifex: *In his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda, & ideo, quamvis fratres non ad omnium, quæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in regula, ſicut ad præceptorum, ſeu præceptis æquipollentium obſervantiam teneantur: expedit tamen ipſis fratribus ad obſervandam puritatem regulæ, & rigorem, quod ad ea, ſicut ad æquipollentia præceptis ſe noverint obligatos, quæ inferius annotantur.* Hinc liquet, regulam illam juris canonici non eſſe merum conſilium, ſed verum præceptum, nec ſolius facti, ſed etiam juris, quapropter Author operis imperfecti in evangelium Sancti Matthæi inter opera S. Joannis Chryſoſtomi edita homil. 44. ait: *Si veſtimentum empturus unum gyras negotiatorem & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas: quando non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincerè veritas Jeſu Chriſti venumdatur; & ubi corrupta, & veriorem eligere, plus quàm veſtimentum.* Hinc conſtat, ſtandum eſſe in dubiis doctrinæ tutiori, & eandem cæteris præponendam, ſeu quæ conformior ſit menti eccleſiæ, doctrinæ Canonum, & Sanctorum Patrum, & magis conſona piorum Theologorum ſententiæ, adeò, ut in publicis Academiis rejecta fuerit illa propoſitio: *In dubiis tutius eligendum, perfectionis eſt, non obligationis, ſeu eſt conſilii, non præcepti*, ut etiam in Academia Lovanienſi rejecta hæc alia propoſitio: *Omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æquè tutæ, & ſecuræ benigniores; & ſi aliquando ſint minus probabiles per accidens, ſunt tamen utiliores & ſecuriores.*

Cæterum non tenemur opinionem tutiorem ſequi, quando oppoſita ſententia melior eſt, & probabilior, quia tunc propriè non verſamur in dubio, ſed inclinamus in illam ſententiam, quam judicamus eſſe probabiliorem, & ſumus moraliter certi, quod opinio, quam ſequimur, verior ſit, ac probabilior, quia opinio, & præſumptio vehemens habenda eſt pro certitudine, ut colligitur ex cap. *Veniens. Extra. de Presbytero non baptizato*, & ex Can. *dixit Dominus. cauſa 32. quæſt. 1.* & ex cap. *Afferte. de præſumptionib.* Firmari etiam poteſt ex cap. *Placet. titulo de converſione Conjugator.* ubi exhibetur, & ſolvitur quæſtio de muliere quadam, quæ cum credidiſſet, mortuum eſſe maritum Religionis habitum ſumpſerat, & eo reverſo in patriam de monaſterio educta fuerat. Quæſitum enim fuit à ſummo Pontifice, an poſt obitum viri eſſet compellenda ad iterum ingrediendum monaſterium, & ad regularem obedientiam: & reſpondit Pontifex, *quod tametſi votum ejus uſquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus ſe poterat obligare, promiſit enim intrando monaſterium, ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius: redire verò ad ſæculum in ejus poteſtate non erat, ſed in poteſtate mariti; & ideo, quantum ad ipſam, votum tenuit, quod poſt viri obitum tenere non debuit, cum ad eum caſum, à quo efficax poterat habere principium, perveniſſe noſcatur*, unde Pontifex concluſit, conſultius eſſe, & congruentius mulieri, ſi ad monaſterium

rede-

Digitized by Google

redeat, ubi bona intentione ducta profeſſionem emiſit, ſiquidem tutius erat, ut religioſa viveret: quia tamen probabilius erat, votum illud mulieris irritum fuiſſe, eò quia repugnaret juribus mariti, ſub cujus poteſtate mulier erat, cogi non poterat, ut perſeveraret in monaſterio, petente viro ſuam uxorem, quamvis pro aſſecutione ſalutis tutius fuiſſet in religione perſeverare: unde non tenemur ſemper opinionem tutiorem ſequi: quando oppoſita ſententia verior eſt, & probabilior, ut etiam docet S. Antonius 1. part. tit. 3. de conſcient. cap. 10. §. 10. inquiens: *Eligere viam tutiorem conſilii eſt, non præcepti: aliàs oporteret multos ingredi religionem, in qua tutiùs vivitur, quàm in ſæculo. Non ergo de neceſſitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via poteſt eligi tuta. Sicut enim diverſæ viæ tendunt ad unam civitatem, licet una tutior ſit alia: ſic ad civitatem iſtam alius ſic, alius ſic vadit, & tutè, licet aliquis tutiori modo.*

Conſcientia ſcrupuloſa denominatur à ſcrupulis, quibus ſcrupuloſus angitur. Eſt ſcrupulus propriè & ſtrictè ſumptus, levis quædam ſuſpicio, & exiſtimatio, orta ex levibus fundamentis, & inſufficientibus rationibus, quibus ſcrupuloſus exiſtimat, aliquid eſſe peccatum, quapropter ſcrupulus eſt potius inanis quædam apprehenſio, quam ſequitur timor, & anxietas, qua timetur alicubi peccatum eſſe, ubi nulla adeſt peccati turpitudo, ſigna dignoſcendi ſcrupuloſam conſcientiam plura ſolent recenſeri, quorum primum eſt pertinacia judicii, qua vir ſcrupuloſus, nec rationibus neque conſiliis Confeſſarii acquieſcit, adeo, ut quamvis varios viros doctos conſulat, nullius tamen ſtet judicio, niſi proprio. Secundùm eſt frequens judiciorum mutatio ex levi tantum apparentia, quo fit, ut ſcrupuloſus ſit in agendo valde inconſtans: ſi enim teneatur ad recitationem breviarii in perſolvendis horis Canonicis, paſſim judicium mutat, dubitans, an hunc vel illum recitaverit verſiculum, quem iterum atque iterum repetit. Tertium perturbatè agere, & veluti cæco modo in rebus agendis procedere, oritur enim hæc perturbatio ex anxietate, timore, & pertinacia in proprio judicio. Quartum eſt, non neceſſariò perpendere omnes minutias circumſtantiarum: & in tali examine diutiùs detineri cum anxietate dubitans, an contra ipſas egerit, vel ſit acturus. Quintum vereri in omnibus peccatum, & non acquieſcere Conſiliis Sapientum, ſed perpetuò turbari, & angi, ex quo patet diſcrimen inter conſcientiam dubiam, ſcrupuloſam, & opinativam, quia dubia neutri adhæret parti, ſed hæret anceps, & ſuſpenſa: opinativa innititur rationibus ſufficientis ponderis, & momenti, & alteri parti aſſentitur ob eaſdem: ſcrupuloſa verò, licet aliquo pacto aſſentiatur, uni potiùs quàm alteri parti, id tamen præſtat cum tanta hæſitatione, & formidine de oppoſito, ut facile à tali aſſenſu deſiſtat, ac incipiat vehementiùs dubitare de oppoſito, & ex variis conjecturis, & rationibus, in partes hinc inde agitatur oppoſitas. Hinc licet ſperni debeant ſcrupuli, quando ſunt meri ſcrupuli, ſeu inanes ſuſpiciones, & timores, ubi nulla eſt timendi ratio, nec ulla mali ſpecies: contra conſcientiam tamen ex ſcrupulis ortam agere non licet, niſi prius error deponatur, idque colligitur *ex cap. per tuas* 2. quod eſt Innocentii III. *Extra de Simonia.* Etenim ſpecies facti, de quo rogatus fuerat Pontifex, ut ſuam aperiret ſententiam, erat, quia quidem Monachus Carthuſianus ex relatione quorundam intellexerat, Epiſcopum Diœceſanum, à quo fuerat Subdiaconus ordinatus, Simoniæ vitium pluries commiſiſſe, qua de cauſa idem Monachus in ſuſcepto ordine miniſtrare formidabat, nolens ab eodem Epiſcopo ad ſuperiores ordines promoveri, & Pontifex reſpondit: *Quòd poſſit in ſuſcepto ordine ſecurè miniſtrare: ſed contra conſcientiam ad ſuperiores ordines non debeat aſcendere, ne fortè ædificet ad gehennam, licet ex eo, quod conſcientiam habuerit nimis ſcrupuloſam, in difficultatem hujuſmodi ſit collapſus, quam utique non evadat, niſi deponat errorem.* Nonnunquam tamen licitum eſt agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, ſi ſermo ſit de ſcrupulis propriè ac ſtrictè ſumptis, quia, quamvis ſcrupuli animum perturbent, & mentem agitent, non tamen excludunt firmum aſſenſum, quo ſcrupuloſus huic potiùs quàm alteri parti adhæret, ſed conſcientia conſiſtit in hoc firmo aſſenſu, quo quis exiſtimat aliquid eſſe ſibi licitum, quamvis huic aſſenſui adnectatur levis ſuſpicio partis oppoſitæ, unde quamvis ſcrupuloſus agat contra hanc ſuſpicionem, ſeu ſcrupulum, adhuc operatur juxta conſcientiam, quia agendo oppoſitum operatur juxta primum aſſenſum, quo credit alteram partem eſſe eligibilem, & tunc ſcrupuli laudabiliter contemnuntur. Præterea, quia ſcrupuli perſæpe oriuntur ex naturali complexione, ſeu ex temperamento ad timorem proclivi, vel ex melancholia, vel ex abſtinentia, jejuniorum, vigiliarum, & orationum immoderatione, & interdum etiam ex Dæmonis tentatione, adeò ut interdum etiam corporalibus remediis ſcrupuloſorum hominum quies, & tranquillitas procuranda ſit, ſcrupuloſos ex nimia abſtinentia, & crebrioribus meditationibus, aut vigiliis indicant verba canonis *Mediocriter. diſt. 5. de conſecrat.* ubi habentur hæc verba: *Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigilias præfert integritati, ut per abſtinentiam immoderatam atque indiſcretam Pſalmorum, vel officiorum decantationem aut amentiæ, aut triſtitiæ notam incurrat.* Moleſtum igitur ſcrupuloſis eſſe non debet, ſi eorum Confeſſarii ſuperiores, & conſcientiæ Moderatores corporalia remedia ex Medicorum conſiliis illis adoptent: ſiquidem dicitur Eccleſiaſt. 30. *Altiſſimus de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Præterea, quia ſcrupuloſorũ infirmitas incrementũ ſubit ex ſimilium ſocietate, & frequentatione, conſequenter ſejungendi ſunt ab aliis, qui ſimilibus laborant ſcrupulis, & viris doctis ſimulque piis adjungendi, qui eos veritatem doceant. Ut autem licitum ſit agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, debet conſcientia cognoſci, ut ſcrupuloſa, quia tunc intervenit judicium de honeſtate oppoſiti, & ratione cujus vir ſcrupuloſus cognoſcit propriam conſcientiam ſcrupuloſam niti levibus tantùm & inſufficientibus rationibus, conſequenter ſuum judicium eſſe imperfectum, & imprudens, quo pacto agere contra talem conſcientiam ſcrupuloſam, perinde eſt, ac ſequi judicium prudentiale de honeſtate oppoſitæ ſententiæ. Alioquin, ſi conſcientia non cognoſcatur ut ſcrupuloſa, non videtur licitum agere contra ipſam, antequam deponatur, ut deſumitur ex præcitatis textibus in jure canonico. Ratio eſt, quia ſtante conſcientia ſcrupuloſa abſque judicio ſaltem probabili de oppoſito, quod proponitur voluntati ut contrarium tali conſcientiæ, induit rationem turpitudinis, quia tametſi conſcientia ſcrupuloſa ex levi motivo judicet nonnunquam adeſſe peccatum, ubi revera non eſt, nihilominus ſi nullum adſit judicium de oppoſito ſaltem probabile, quod proponitur, ut contrarium tali conſcientiæ,

Digitized by Google

proponitur tunc abſolutè ut turpe, & ut non eligibile: conſequenter tunc non eſt licitum, agere contra conſcientiam ſcrupuloſam. Qoòd ſi dicas, non poſſe quempiam licitè operari, niſi habeat judicium ſaltem probabile de honeſtate operis: ſed perſeverante ſcrupulo non habet vir ſcrupuloſus hoc judicium intellectus, ergo non eſt ei licitum operari contra conſcientiam ſcrupuloſam. Contra eſt, negatur minor, quia ſcrupulus propriè & ſtrictè ſumptus, quamvis urgeat, non propterea excludit aſſenſum ad partem oppoſitam, alioquin qui excluderet talem aſſenſum, non eſſet amplius ſcrupuloſus, ſed haberet verum dubium: Cùm igitur conſcientia ſcrupuloſa non tollat determinatum aſſenſum alterius partis, licitum erit, viro ſcrupuloſo agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, cujus judicium nonniſi imperfectum, & imprudens eſſe poteſt, cum rationibus innitatur frivolis, ac levibus. Cæterum trepidare, ne fortè Deo diſpliceat, quod à nobis rectum exiſtimatur, non eſt ſcrupuloſitatis indicium, ſed legitimæ cautionis officium, quapropter Proverb. 28. dicitur: *Beatus homo, qui hac ratione ſemper eſt pavidus*, & D. Gregorius Lib. 5. Moral. cap. 6. ait: *Sæpe opus noſtrum cauſa damnationis eſt, quod profectus putatur eſſe virtutis; ſæpe unde placari Judex creditur, inde ad iraſcendum placitus inſtigatur, Salomone atteſtante, qui ait: Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima illius ducunt ad mortem. Unde ſancti viri, cùm mala ſuperant, ſua etiam bene geſta formidant, nec cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, nec peſtifera tabes putredinis ſub boni ſpecie data & coloris; ſciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere gravati, judicare bona ſubtiliter neſciunt, & cum ante oculos extremi examinis regulam deducunt, hæc ipſa in ſe nonnunquam, & quæ approbant metuunt: & tota quidem mente interna deſiderant: ſed tamen de incertitudine operum trepidi, quo gradiuntur, ignorant.* Hinc Job. 9. dicitur: *Verebar omnia opera mea*, ſeu ut interpretatur D. Gregorius Lib. 9. Moral. cap. 17. *Quæ apertè egerim video, ſed quid in his latenter pertulerim, ignoro. Sæpe enim bona noſtra latrocinante fraude depereunt, quia rectis ſe noſtris actibus concupiſcentia terrena ſubjungunt. Sæpe deſidia interveniente deficiunt, quia à fervore, quo cœpta ſunt, frigeſcente amore tabeſcunt. Quia ergo culpa ſubreptio vel in ipſo virtutis actu vix vincitur. Quid ad ſecuritatem ſupereſt, niſi ut ſtudioſè ſemper & in virtute timeatur.* Hinc patet diſcrimen inter conſcientiam timoratam, & inaniter ſcrupuloſam, quia illa non eſt inquieta, nec anxia, ſed gaudet ſtudio virtutum, hæc vero agit ſine timore, & trepidat ſine anxietate. Differt etiam conſcientia timorata timore Dei à ſcrupuloſa ratione effectuum, quia effectus timoris Dei in viris timoratæ conſcientiæ ſunt puritas, firmitas cordis cum vigilantia, ne quidquam agatur contra Deum ſollicitudo, ſed ſine anxietate, apprehenſio mali ſine turbatione, pœnitentia cum ſpe, & amore conſervandæ juſtitiæ, & vindicandæ injuſtitiæ propter Deum, quapropter vir timoratus vero Dei timore declinat omnes occaſiones transgrediendi divina præcepta, nihilque magis cordi eſt illi, quàm obſervantia divinorum mandatorum, & ne Deo diſpliceat, à quavis etiam abſtinet culpa veniali, verboque otioſo imperturbatus incedit via mandatorum Dei, virtutes excolit, pietati unicè ſtudet, & abſque ulla turbatione ad Deum ſemper aſpirat. E converſo effectus conſcientiæ ſcrupuloſæ ſunt turbatio mentis, anxietas cordis, apprehenſio mali cum inquietudine, & mentis inconſtantia, non enim vir ſcrupuloſus eſt ſollicitus in anxietate: ſed potiùs eſt totus anxius & trepidus.

Si quæras, quomodò deponenda ſit conſcientia ſcrupuloſa, S. Antoninus 1. *part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 10. ait: Pluribus modis poſſe deponi ſcrupulos, primò per debitam præparationem ad gratiam. Secundò per ſollicitam ſcripturæ ſacræ indagationem. Tertiò per orationis devotæ continuationem. Quartò per electionem alicujus opinionis tutæ. Quintò per imitationem humilis obedientiæ. Sextò per interpretationem prudentem præceptorum; quapropter Proverb. 2. dicitur: *Si ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ: ſi quæſiveris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies.* Et 2. Paralip. 20. Rex Joſaphat ait: *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te*, & Tob. 4. *Conſilium ſemper à Sapiente perquire, omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia Conſilia tua in ipſo permaneant.* Quòd verò contemnendi ſint ſcrupuli accedenti prudentis viri doctique moderatoris conſcientiæ judicio conſtat ex *cap. Inquiſitioni de ſententi. excommun.* ubi habetur. *Si quis habet conſcientiam ex credulitate levi, & temeraria, conſcientia levis & temerariæ credulitatis, exploſa ad ſui Paſtoris conſilium licet, poteſt accedere.* Hinc D. Bernardus ad quemdam devotum ſuum Diſcipulum, qui ob ſcrupulos nullo pacto accederet, ad celebrandum accedere dixit: Vade frater, & in fide mea celebres. Obedivit Diſcipul⁹, & omnis ſcrupul⁹ perpetuò diſceſſit, unde potiora contra ſcrupuloſũ morbũ alexipharmaca ſunt, ſi ſcrupuli omnes contemnantur, quia cum conſcientia ſcrupuloſa nonniſi frivolis ac inanibus innitatur rationibus, cognita hac inanitate facile contemnuntur ſcrupuli, ſed quia plerùmque vir ſcrupuloſus ſe ipſum juvare neſcit, ideo adhibet aliud remedium, quod eſt, deponere proprium judicium, ſeque ſubmittere judicio viri ſapientis, ac prudentis, vel proprii Confeſſarii, ſiquidem Deus non videtur plus velle exigere ab illo ſcrupuloſo, quàm qui ſe ſubjiciens judicio viri prudentis, operetur juxta ejus conſilia: neque debet confeſſarius cum pœnitente ſcrupuloſo diſputationes inſtituere, neque plures ei aſſignare rationes, ſed authoritativè debet ei imponere, ut deſiſtat à ſuis ſcrupulis, & tali, vel tali modo ſe gerat. Aliud etiam remedium eſt, cauſas removere ſcrupulorum, quorum prima eſt ignorantia, qua qui laborant, cæteris ſunt proclivíores ad excitandos ſcrupulos, quibus intus anguntur, ac decipiuntur. Secunda imbecillitas cerebri ac delibilitas imaginationis, quæ non ſinit res diu conſiderari, & ſicut ſunt in ſe perpendi. Tertia complexio frigida, terreſtris, & melancholiæ obnoxia, qui enim ſunt ita conſtituti, res diutiùs, quàm par ſit, diſcutiunt, & ut vulgò dicitur, illam in ovo inveniunt, & nodum in ſcirpo quærunt. Quarta eſt nimius timor ſervilis, hic enim conſtituit hominem jugi timore correptum, ac perpetuò trepidantem, adeo ut nec ſibi fidere audeat, nec aliis. Quinta eſt conſuetudo, & converſatio cum ſcrupuloſis, quia ex conſuetudine faciliùs imitatur quis mores alterius. Sexta nonnunquam eſt tentatio diabolica: Satagit enim Dæmon bona opera impedire, ac viros præſertim pietati addictos, & virtutum ſtudioſos variis vexare moleſtiis, ut diſtrahantur ab oratione, & à charitatis officiis.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Principia morum directiva unde deſumenda.

Aſſerimus extrinſecam probabilitatem unius vel plurium Scriptorum ex authoritate petitam non eſſe principium directivum morum, à quo moralis ſecuritas poſſit in humanam actionem derivare; quia nonnunquam deſerenda eſt etiam alicujus è SS. Patribus ſententia, quando ſacræ Scripturæ vel canones, aut Apoſtolicæ traditiones deprehenduntur aliter docere. Ergo potiori in re id verum erit de recentioribus Scriptoribus. Hinc D. Auguſtinus epiſt. 82. ad S. Hieronymum ait: *Solis eis ſcripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici, hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum authorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam.* Et paucis interjectis ſubjungit: *Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, ac doctrina perpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi, vel per alios Authores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt.* Et epiſt. 148. cap. 4. ſcribit ad Fortunatianum cap. IV. *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum, ac laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere: ſi fortè invenerimus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.* Hinc unius, vel etiam plurium Scriptorum, vel doctorum authoritas humanam operationem minimè à turpitudine peccati liberat, niſi operatio fuerit divinæ legi conſentanea: idque docet Felix Papa III. epiſt. 7. inquiens: *Scias, quòd te decipit ipſe qui fallit, nihilque per noſtram facilitatem Tribunali excelſi judicio derogari, cui illa ſunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ juſta ſunt*; hoc idem docet D. Thomas Quodlibeto 3. quæſt. 4. art. 2. ubi aſſerit eos, qui opiniones errantis magiſtri ſequuntur, in foveam erroris cadere, *quicunque enim errat, cæcus eſt, in quantum errat, quapropter, ſi cæcus ducatur cæco, præſtet ambo in foveam cadunt, ut dicitur Matth. 15. Ergo, qui ſequitur opinionem errantis Magiſtri, in foveam peccati cadit, & in corpore præfati articuli*, ait: Reſpondeo, dicendum, quot diverſæ opiniones Doctorum ſacræ ſcripturæ, ſi quidem non pertinentes ad fidem, & bonos mores abſque periculo. Auditores utramque opinionem ſequi poſſunt: tunc enim habet locum, quod ait Apoſtolus ad Rom. 14. Unusquisque in ſuo ſenſu abundet: in his verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat, alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſequuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum Hæreſiarcharum. Nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus erroneam opinionem ſequantur: In rebus enim dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus, quinimò, ut ait Auguſtinus Lib. 3. de doctrin. Chriſtian. tenetur quis conſulere regulam fidei, quam de ſcripturarum planioribus locis & eccleſiæ authoritate percepit. Qui ergo aſſentit opinioni alicujus Magiſtri contra manifeſtum ſcripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſiæ authoritatem non poteſt à vitio erroris excuſari. Quapropter Innocentius X. damnavit illas propoſitiones, *generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. Et ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.* Et Academiæ, præſertim Pariſienſis, & Lovanienſis, plures alias rejecerunt propoſitiones, cujusmodi ſunt: *Omnem probabilitatem ſive intrinſecam, ſive extrinſecam, in conſcientia ſatisfacere putamus, nec exemplis urgebimur: abſque enim eodem modo philoſophamur*, ut etiam hanc aliam: *Authoritas unius probi & docti reddit opinionem probabilem, quia hæc poſitio, ſexdecim ad probabilitatem requiruntur, non eſt probabilis, quia ſi ſufficiunt ſexdecim, ſufficiunt quatuor, ſi ſufficiunt quatuor, ſufficit unus. Sed ad probabilitatem ſufficiunt quatuor. Sed quatuor, imò & viginti, & ſupra eſt, teſtantur unum ſufficere, ergo ſufficit unus. Ex Authoritate unius tantùm poteſt quis opinionem amplecti, quamvis à principiis falſam, & probabilem exiſtimet.* Rurſus rejecerunt etiam hanc aliam: *In dubiis de bono vel malo licito, vel illicito jure divino, vel humano nullo præponderante argumento, quo dubitare ceſſemus, licet utramlibet amplecti, nec tenemur anteferre eam, in qua conſtet, nullum eſſe peccatum.* Ut etiam hanc aliam: *Omnes opiniones probabiles ſunt per ſe æquè tutæ, ac ſecuræ benigniores, & ſi aliquando ſint minus probabiles, per accidens ſunt ſemper meliores & ſecuriores*, ut etiam hanc aliam: *Homo non eſt ſuarum opinionum mancipium, ideoque probabiles quasvis ſententias poteſt ad libitum mutare*: Hinc Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem, ſi liber ſit alius junioris ac moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dummodo conſtet, rejectam eſſe à ſede Apoſtolica, tanquam improbabilem.

Hinc probabilitas conſtituit conſcientiam probabilem, & ut diſtincta à ſuſpicione dubio, & errore vincibili, definitur probabilitas aſſenſus intellectus, qui nititur ratione, non quidem certa & metaphyſicè evidente, ſed firma nihilominus, & gravi, adeo ut ratio, qua opinio, ſeu probabilitas nititur, non ſit levis momenti, quamvis eidem ſit adnexa formido de oppoſito, adeo, ut dicatur opinio probabilis, quæ habet rationes aliquas ſuadentes veritatem illius, cum formidine tamen de oppoſito, quapropter definitur à D. Thoma 1. part. quæſt. 79. art. 9. *Actus intellectus in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Hinc conſtat, opinionem probabilem habere eſſentialiter annexam formidinem alterius partis oppoſitæ, adeo, ut non nitatur evidentia aut certitudine, ſed tantùm apparentia & veriſimilitudine, ut notat D. Bernardus Lib. 5. de conſiderat. cap. 3. inquiens: *Intellectus innititur ratio, fides authoritati, opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur. Habent illa duo certam veritatem, ſed fides clauſam & involutam, intelligentia nudam & manifeſtam. Cæterum opinio nihil certi habens, verum per ſimilia quærit potius quàm apprehendit.*

Quam-

Digitized by Google

Quamobrem conſcientia probabilis ſeu opinativa propriè eſt judicium practicum intellectus, quo quis ex gravi fundamento, licet non omninò certo aſſentitur uni parti contradictionis, cui determinatè adhæret, ſed cum formidine de oppoſito, quo pacto differt à conſcientia certa ſeu recta, quia hæc relinquit intellectum certum de una parte contradictionis; non ita conſcientia probabilis, quæ habetur cum formidine de oppoſito: differt etiam conſcientia dubia, quia hæc neutri parti determinatum præbet aſſenſum, ſed hæret anceps, & ſuſpenſa intra utramque partem contradictionis, ſecus conſcientia probabilis determinatè aſſentitur omni parti ex fundamento probabili, quamvis cum formidine de oppoſito, quia, cùm fundamentum, cui innititur, non ſit omnino evidens, ſed tantùm probabile, poteſt ipſi ſubeſſe falſum, & quamvis per hanc formidinē de oppoſito tollatur firmitas aſſenſus, non tamen excluditur ejus determinatio; quia intellectus per opinionem probabilem aſſentitur determinatè uni parti, & quidem non ex levi fundamento, ſed gravi, quamvis non adeo firmiter, ſicut conſcientia certa: Quamobrem ad opinionem probabilem requiritur fundamentum aliquod gravis momenti, alioquin ſi intellectus in genere moris efformaret judicium circa honeſtatem, vel malitiam actus, aut objecti tantùm ex levi conjectura vel ſuſpicione, tunc non habetur conſcientia probabilis, ſed temeraria, ſiquidem conſcientia probabilis perinde ſequitur ad opinionem probabilem, ſicut aſſenſus concluſionis ad aſſenſum præmiſſarum. Hinc probabilitas opinionis alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca, illa eſt, quæ oritur ex principiis intrinſecis, cujuſmodi ſunt prædicata conſtitutiva eſſentiæ, proprietates, imò & rei cauſæ, & effectus ſufficientes ad perſuadendam rei probabilitatem, quia non ſufficit quælibet levis ratio, quæ potiùs eſſet nuda ſuſpicio, & dubitationem ingerit potiùs, quàm veram opinionem, & probabilitatem, quæ exigit inniti rationi, quæ ſit gravis momenti, ac firmiter perſuadet rem, quamvis evidenter eam non demonſtret, qua de cauſa opinio probabilis habet ſemper adnexam formidinem de oppoſito. Probabilitas extrinſeca eſt, quæ oritur ex principiis extrinſecis, ſeu ex authoritate aliorum, id ſentientium, vel facientium, & plerumque annectitur etiam probabilitati intrinſecè, & præſumptivè ſemper cum illa conjungitur, quia, tametſi aliquis, cui nulla occurrit intrinſeca ratio, poſſit moveri per authoritatem aliorum, nihilominus eatenus movetur ad aſſentiendum unitati, ſeu ſententiæ, quia implicitè ſupponit authores eandem docentes, optimis intrinſecis rationibus inniti. Cæterum opinio probabilis ea generatim cenſetur, quæ gravi innititur fundamento, quamvis non penitus certo; & ſimul nullam contra ſe habet rationem convincentem, & deducitur ex Ariſtotele 1. Topic. cap. 1. ubi ait: *Probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, vel ſapientibus omnibus, aut plurimis.* Verùm ad opinionem probabilem requiritur, ut non ſit contra Sacram Scripturam, vel definitionem eccleſiæ, aut traditionem Sanctorum Patrum, aut unanimem Doctorum conſenſum, adeo, ut opinio, quæ in horum aliquo deficit, non ſit cenſenda opinio, ſed temeritas aut error, vel etiam hæreſis. Et quia fundamentum, quo nititur opinio, probabilis poteſt eſſe magis, vel minus grave, ſequitur, inter opiniones probabiles dari latitudinem: eò enim eſt probabilior, quo firmiori fulcitur fundamento, & ea minus probabilis, quæ licet habeat fundamentum ſufficiens ad probabilitatem, non tamen adeò firmum, ſicut altera opinio, quæ propterea probabilior. Rurſus aliud eſt, opinionem aliquam eſſe tutiorem, & aliud eſſe probabiliorem. Opinio enim tutior ea dicitur, quæ magis à periculo peccandi recedit: opinio verò probabilior ea eſt, quæ veritati, & rationi apparet conformior: quapropter poteſt contingere, ut opinio aliqua ſit tutior, non tamen probabilior, imò, & minus probabilis. Hinc Theologi, quærentes, an inſipiens rem proximi in extrema neceſſitate teneatur ad reſtitutionem, cùm primum venerit ad pinguiorem fortunam: in hoc caſu tutius eſt, reſtituere, quia per reſtitutionem nullum poteſt peccatum committi; & nihilominus oppoſita ſententia eſt probabilior, eò quia in extrema neceſſitate omnia cenſentur communia. Rurſus ſententia D. Bonaventuræ, docentis lapſum in peccatum mortale teneri ſtatim ſub præceptum ad confeſſionem ſacramentalem habita copia confeſſariorum, eſt procul dubio tutior in conſcientia, eò quia per acceſſum ad Sacramentum pœnitentiæ remittuntur peccata, & nihilominus ſententia D. Bonaventuræ cenſetur minus probabilis, & oppoſita D. Thomæ probabilior, unde principium directivum ſecuritatis moralis in opinionibus, non eſt deſumenda ex majori, vel minori probabilitate: ſed cenſenda eſt ex carentia periculi offendendi Deum: regula verò probabilitatis deſumitur ex majori vel minori apparentia veritatis.

Hinc principia morum directiva deſumenda ſunt ex ſcripturis, & traditionib⁹, ut infertur ex iiſdem ſcripturis; ait enim Apoſtolus 2. ad Timot. 3. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*, & ad Hebr. 13. ait: *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Quamobrem principia morum directiva deſumenda ſunt ex ſacris ſcripturis, quod etiam docuit Magiſter Chriſtus Joan. 7. cùm teſtatur, id tantùm ſuos Diſcipulos docuiſſe, quod à Patre acceperat: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui mi miſit, Patris*, & Joan. 12. *Ego ex meipſo nihil ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et ſcio, quod mandatum ejus vita æterna eſt: quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.* Hoc idem colligitur ex Apoſtolo ad Epheſ. 4. ubi ait: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Si enim principia directiva morum ſumantur ex hominum opinionibus poſthabitis divinis ſcripturis labuntur in errores, ut Deus de Pſeudo-Prophetis dixit per Ezechielem 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi Vulpes in deſertis Prophetæ tui, Iſrael, erant. Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos: & perſeveraverunt confirmare ſermonem. Numquid non viſionem caſſam vidiſtis, & divinationem mendacem locuti eſtis? & dicitis, ait Dominus: Cum ego non ſim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium: in conſilio populi mei non erunt, & in ſcriptura Domus Iſrael non ſcribentur, nec in terram Iſrael ingredientur, & ſcietis, quia ego Dominus Deus: eò quod deceperint populum meum, dicentes, pax, & non eſt pax, & ipſe*

ædi-

Digitized by Google

Ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis. Ædificatio Dei ſunt fideles juxta illud: *Dei ædificatio eſtis*, quæ verba diriguntur ad juſtos. Pſeudo-Prophetæ ſunt Hæretici & Pſeudo-Theologi, & laxiores conſcientiarum moderatores, qui parietem liniunt luto abſque paleis, quando figmenta & opiniones hominum, quæ Spiritûs Sancti non habent condimentum, eò quia in ſcripturis divinis, & traditione Apoſtolica non fundatè ædificant, quapropter neceſſe eſt, ut totum ædificium corruat, & uſque ad fundamenta diſſolvatur populus, & Prophetæ, qui debent conſummari, ſunt animæ ſignificatæ per Jeruſalem, & cauſa peccati, ac ruinæ eſt opinio malè fundata, qua mores relaxantur, ut explicat S. Hieronymus in Ezech. 13. ſecus ſanioris moralis doctrinæ Magiſtros deſcribit Spiritus Sanctus Eccleſiaſt. 12. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore uno. His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus eſt finis.* Ubi verba ſapientium æquiparantur ſtimulis, ut interpretatur D. Hieronymus, quia pungunt, non palpant, vel molli manu attrahunt laſcivum, ſed errantibus, & tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infligunt. Hinc D. Auguſtinus expendens illud Jacobi 3. *Nolite plures Magiſtri fieri*; in prologo retractationum hæc habet: *Reſtat, ut me ipſe judicem ſub Magiſtro uno cujus de offenſionibus meis judicium evadere cupio. Magiſtros autem plures tunc fieri exiſtimo, cùm diverſa atque inter ſe adverſa ſentiunt. Cùm verò id ipſum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius veri Magiſtri magiſterio non recedunt, offendunt autem non cum illius multa dicunt, ſed cùm addunt ſua: ſic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falſiloquium.*

Hoc ipſum docent alii Sancti Patres etiam ab exordio naſcentis Eccleſiæ, etenim Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 5. ait: *Qui enim ad inventionem miſſi erant errantium Apoſtoli, & ad viſionem eorum, qui non videbant, & ad medicinam languentium, utique non ſecundùm præſentem opinionem colloquebantur eis, ſed ſecundùm veritatis manifeſtationem. Nec enim quilibet homines rectè facient, ſi cæcos, jam jamque per præcipitium ferri incipientes adhortentur, inſiſtere illi periculoſiſſimæ viæ quaſi verè rectæ, & quaſi bene perventuri ſint. Quis autem Medicus volens curare ægrotum, faciet ſecundùm concupiſcentias ægrotantis, & non ſecundùm quod aptum eſt medicinæ? Quoniam autem Dominus medicus venit eorum, qui ſe malè habent, ipſe teſtificatur dicens: Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Quomodo ergo qui male habent, confirmabuntur, & quomodo peccatores pœnitentiam agent? utrum perſeverantes in eiſdem ipſis, an è contrario magnam commutationem & transgreſſionem prioris converſationis accipientes, per quam & ægritudinem non modicam & multa peccata ſibimetipſis importaverunt? ignorantia autem mater horum omnium per agnitionem vacuatur. Agnitionem verò faciebat Dominus ſuis Diſcipulis, per quam & curabat laborantes, & peccatores à peccato coercebat. Non igitur jam ſecundùm priſtinam opinionem loquebatur eis, neque ſecundùm ſuſpicionem interrogantium reſpondebat eis, ſed ſecundùm doctrinam ſalutarem, & ſine hypocriſi, & ſine perſonarum acceptione.* S. Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromatum ait: *Maximum eſt deponere opinionem, conſiſtendo in medio accurata, perfectaque ſcientia, & temerariæ ſapientiæ opinionis, & noſſe, quod qui æternam ſperat quietem, cognoſcit etiam ejus introitum eſſe laborioſum, & arctum.* Et paulò infra ſubdit: *Voce Domini erudimus ad cognitionem veritatis. Non enim abſolutè enuntiantibus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non ſatis eſt ſolum abſolutè dicere quod videtur. Sed oportet etiam probare, quod dictum eſt; non expectamus teſtimonium, quod datur ab hominibus, ſed voce Domini probamus, quod quæritur, quæ eſt magis fide digna, quam quævis demonſtratio: vel potius quæ eſt ſola demonſtratio, per quam ſcientiam, qui ſolùm guſtavere ſcripturas ſunt fideles:* & nonnullis interjectis ſubdit: *Magis declinamus ad ea quæ ſunt opinabilia quàm ad veritatem: eſt enim auſtera graviſque ac ſevera: atque cùm ſint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, ſcientia, qui in ignoratione quidem verſantur, ſunt gentes, qui autem in ſcientia, vera Eccleſia, qui verò in opinione ii, qui ſectantur hæreſes.* Tertullianus lib. de anima cap. 1. *Si quid de anima examinandum eſt, ad DEI regulas dirigat, certè nullum alium potiorem ſalutis demonſtratorem, quàm authorem reperiat, à DEO diſcat, quod à DEO habeat, aut nec ab alio, ſic nec à Deo, quis enim revelabit, quod Deus texit inde ſuſcitandum eſt, unde & ignorare tutiſſimum. Præſtat per Deum neſcire, quia non revelaverit, quàm per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſerit.* D. Auguſtinus lib. 2. de doct. Chriſtiana cap. 9. poſt recenſitos ſcripturæ libros ait: *In his omnibus libris timentes Deum & pietate manſueti, quærunt voluntatem Dei, cujus operis, & laboris prima obſervatio eſt, noſſe iſtos libros, & ſi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ vel omninò incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis apertè poſita ſunt vel præcepta vivendi vel regulæ credendi, ſolertius, diligentiuſque inveſtiganda ſunt, quæ tantò quiſque plura invenit, quantò eſt intelligentiæ capacior. In iis enim quæ apertè in ſcripturis poſita ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moreſque vivendi, ſpem ſcilicet atque charitatem.* Et lib. 3. cap. 10. *Non præcipit ſcriptura niſi charitatem, nec culpat niſi cupiditatem: & eo modo informat mores hominum.* S. Leo Papa epiſt. 24. ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcribit: *Quid iniquius, quam impia ſapere, & ſapientioribus doctioribuſque non cedere? ſed in hanc inſipientiam cadunt, qui cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, nec ad Evangelicas authoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt: ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia Diſcipuli veritatis non fuerunt.* Et epiſt. 135. ad Neonam Ravennatem Epiſcopum ſcribit: *Frequenter quidem in diverſarum ambiguo quæſtionum titubantia fratrum corda ſpiritu Dei inſtruente ſolidavimus: reſponſionis formam, vel ex ſanctarum Scripturarum Diſcipulis, vel ex Patrum regulis colligentes.* Hinc conſtans ſemper fuit Eccleſiæ ſententia non minus Evangelicam vivendi normam quàm ipſam fidem ex traditione petendam, ut docet Innocentius I. epiſt. 1. ad Victricium Protomagenſem Epiſcop. *Non noſtra* (ait) *præcepta imperantur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, & ab omnibus obſervari cupimus, quæ tamen Apoſtolicâ Patrum traditione ſunt conſtituta. Scriptum eſt namque ad Theſſal. Paulo monente: State, & tenete traditiones noſtras, quas tradidimus vobis ſive per verbum, ſive per epiſtolam.* Et Gelaſius I. Papa epiſt. 5.

Digitized by Google

ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum ait : Ubi eſt, quod ſcriptum eſt Deuteronom, 22. terminos Patrum tuorum non transgredieris, interroga Patres tuos, & & annuntiabunt tibi, & ſeniores tuos, & dicent tibi : Quid ergo tendimus ultra definita Majorum, aut cur nobis non ſufficit, ſi quid ignorantes diſcere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis Patribus & ſenioribus ſingula quæque vel vitanda precepta ſunt, vel aptanda Catholicæ veritati, cur non his probantur eſſe decreta ? nunquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſiſtere, ſi ea, quæ ab illis conſtituta ſunt, ſubruamus. Adrianus II. Papa in libello per Legatos lecto in Synodo VIII. Oecumenica ait : Prima ſalus eſt recta Fidei regulam cuſtodire : deinde à conſtitutis DEI, & Patrum nullatenus deviare. Unum quippe eorum adfidem pertinet ; alterum ad opus bonum, ſicut enim ſcriptum eſt, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Sic rurſus legitur, Fides ſine operibus mortua eſt. Et Concilium Conſtantinopolitanum IV. & Oecumenicum VIII. can. 1. ait : Ut rectam, regiamque divinæ juſtitiæ viam ſine erroris offenſa teneamus. Sanctorum Patrum decreta velut inextinctæ quædam, ſempérque lucentes faces ſequenda ſunt. quapropter ſanctiones Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ per traditionem, tum à Sanctis omnique laudis præconio celebrandis Apoſtolis, tum ab Orthodoxis Oecumenicis, ac Provincialibus Conciliis, aut à quovis demum Eccleſiæ Doctore acceptas, ſervandas, cuſtodiendáſque profitemur. Traditiones enim ſcire per ſermonem, ſive per epiſtolam Majorum noſtrorum, qui vitæ ſanctitate nobis præluxerunt, acceptas diſſertè magnus Apoſtolus Paulus tenendas monet. Et S. Petrus Damiani epiſt. 18. lib. 1. ſeu opuſcul. 24. cap. 1. ſcribit : Nos autem, quia Magiſtros habemus Sanctos Apoſtolos, & Apoſtolicos viros non debemus, quod nobis videtur eligere, nec quod ſemel electum eſt, obſtinatè & pervicaciter defenſare, ſed is duntaxat, quæ approbatis Eccleſiæ Doctoribus definita ſunt, fidem irretractabiliter adhibere, & alibi : quoniam ab Apoſtolis Fidem, ab Apoſtolicis autem viris converſandi in Eccleſia percepimus ordinem, ita propemodum non mutamus diſciplinæ modum à Majoribus traditum, ſicut illibatum tenemus ipſum quoque Fidei fundamentum, unde ad Timotheum dicit Apoſtolus : ut ſcias quomodo oporteat in domo Dei converſari. S. Bernardus epiſt. 174. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus ? periculosè præſumimus : quidquid ipſorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriſſe. Gregorius VII. Epiſt. 10. ad Henricum Germaniæ Regem ſcribit : Videntes ordinem Chriſtianæ Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales, ac proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente diabolo conculcatas, concuſſit periculo, & manifeſta perditione dominici gregis ad Sanctorum Patrum decreta, doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione noſtra ſtatuente, ſed primam, & unicam Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam relicto errore petendam, & ſectandam eſſe cenſuimus. Neque enim alium noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ introitum Chriſti ovibus, earúmque Paſtoribus, patere cognovimus, niſi quem ab ipſo monſtratum, qui dicit : Ego ſum oſtium, per me, ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet : & ab Apoſtolis prædicatum, & à Sanctis Patribus obſervatum in Evangelica, & in omni divinarum Scripturarum pagina didicimus.

Sancti Patres, à quibus deſumuntur Apoſtolicæ traditiones, & regulæ morum, præſertim ſunt, qui floruerunt quinque primis ſæculis à Chriſti Adventu. Patres primi ſæculi, quæ poſt Apoſtolos fundamenta Chriſtianæ Religionis poſuerunt, & Chriſti doctrinam docuerunt : ſunt S. Dionyſius Areopagita ab Apoſtolo Paulo Athenis ad Fidem Catholicam converſus, qui Pariſiorum poſtea Epiſcopus in eadem urbe unà cum Eleuterio, & Ruſtico ſociis Martyrii coronam adeptus fuit. Clemens Romanus D. Pauli coadjutor, ut ipſe teſtatur ad Philipp. cap. 4. Et in Pontificatu D. Petri Succeſſor aſcitus, qui plures in diverſis Provinciis Epiſcopos ordinavit, propagavitque Fidem Catholicam, & glorioſum conſummavit martyrium. Sanctus Ignatius Diſcipulus S. Joannis Evangeliſtæ, Patriarcha Antiochenus, qui & ipſe proprio ſanguine purpuratus, pro Chriſti Fide Martyrium eſt paſſus. Sanctus Martialis Epiſcopus Lemonicenſis, & Apoſtolus Galliarum delegatus à D. Petro, ubi mira plura operatus fuit, & plures populos ad Fidem adduxit. Sanctus Polycarpus coætaneus S. Ignatii. Abdias unus ex Chriſti Diſcipulis : Primus Babyloniæ Epiſcopus. Emes frater S. Pii Papæ, qui librum, Paſtor inſcriptum, evulgavit, quibus addendi ſunt Presbyteri Achaiæ, qui martyrium S. Andreæ Apoſtoli, ut teſtes oculati ſcripſerunt.

Patres ſecundi ſæculi ſunt : Juſtinus Samaritanus, Philoſophus Chriſtianus, qui pro Fide Chriſtiana duas ſcripſit Apologias, quas direxit ad Pium Papam, & oblatæ fuerunt Romanis Imperatoribus Marco Aurelio, & Lucio Vero, & ipſe Martyr occubuit Anno Chriſti 165. Egeſippus, qui quinque libros hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à Chriſti Paſſione, uſque ad Anicetum Papam accuratè ſcripſit. Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, qui Apologiam pro Religione Chriſtianorum eleganter, & eruditè edidit. Theophilus Epiſcopus Antiochenus, qui & ipſe plura ſcripſit, Papias Epiſcopus Hieropoleos, Diſcipulus Joannis Evangeliſtæ, unà cum Polycarpo Epiſcopo Smirnæ. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis plures contra Hæreticos ſcripſit græcè libros, quos traditionibus Apoſtolicis, & ſucceſſione Romanorum Pontificum egregiè urget, adeo ut Tertullianus eum vocaverit ſcientiarum exploratorem obſervantiſſimum, & glorioſum Martyrium conſummavit unà cum potiore parte populi Lugdunenſis in perſecutione Severi. Victor Papa Latinorum ſecundus ſcriptor Eccleſiaſticus à Genebrardo dictus ; ſed tertius à Tertulliano. Pantænus Theologus Clementis Alexandrini præceptor, qui publicè Chriſtianam doctrinam promulgavit Alexandriæ, & plures aperuit ſcholas, in quibus Chriſti doctrina edoceretur. Tertullianus Carthaginenſis, quem omnium ſcientiarum peritiſſimum, & cunctorum ſui ævi latinorum diſſertiſſimus ſcriptor fuit, quem omnes deprædicant ob plures ipſius lucubrationes doctas, & elegantes, & qui circa Annum 197. ſcripſit egregium Commentarium contra Hæreticos de præſcriptione, quibus addendi ſunt doctiſſimi Pontifices, qui in hoc ſecundo ſæculo floruerunt ſcientiis, & pietate, & martyrio glorioſi occubuerunt, Evariſtus, Alexander, Sixtus, Teleſphorus.

Inter-

Digitized by Google

In tertio ſæculo recenſentur Clemens Alexandrinus Succeſſor in ſchola S. Pantæni qui & ipſe Chriſtianam Religionem voce, & ſcripto propagavit, propterea Alexandrinus dictus, quamvis origine Athenienſis fuerit; inter alios octo ſtromatum eruditiſſimos libros argumentorum varietate contextos ſcripſit, & quem Caſſiodorus inter illos recenſet, qui totas ſacras Scripturas fuerant interpretati, Hippolitus Epiſcopus, & Martyr Diſcipulus S. Clementis, qui & ipſe celeberrimus fuit inter Scriptores Eccleſiaſticos, ut teſtantur Euſebius, & Hieronymus. Ammonius Philoſophus Chriſtianus præceptor Origenis, qui Alexandriæ ſcholam publicè aperuit Philoſophiæ,& inter alios Ethnicos Auditorem habuit Plotinum Ægyptium, & hic harmoniam Evangelicam edidit. Origenes Diſcipulus Clementis Alexandrini Filius Leonidis Martyris, qui Alexandriæ proprio ſanguine purpuratus evolavit in cœlum. Hic adhuc adoleſcens cœpit profiteri interpretationem divinarum Scripturarum, octodecim enim erat annorum, quando tanto operi manus admovit, & adeo feliciter ut multos ad Fidem Catholicam traxerit, & plures etiam ad martyrium & ipſe pluribus ſuperatis laboribus in ſcribendo, & docendo obiit anno 308. Minutius Felix illuſtris Juris Conſultus Romanus Dialogum pro Chriſtianiſmo, quem Octavium inſcripſit, & plures alios evulgavit libros in favorem Chriſtianæ Religionis. Gregorius Neoceſarienſis Epiſcopus vulgò Thaumaturgus, qui fuit Origenis Diſcipulus, hic enim divinitus accepit regulam fidei, quam accuratiſſimo commentario explicavit. Cyprianus Rhethor, & Senator Chartagienſis ex Neopito,& uxorato creatus jam ſenex ejus urbis Epiſcopus, de cujus laboribus, virtutibus, & ſcriptis pleraque habet Cardinalis Baronius, & oblocutus in Stephanum Papam, qui Baptiſmum Hæreticorum approbavit, poſtea reſipuit, & Pontificis ſententiæ acquievit. Plura hic adverſus gentiles in favorem Chriſtianæ Religionis ſcripſit; & exulavit pro fide, ut demum capitis amputatione glorioſum martyrium conſummavit ſub Valeriano Principe anno 266. Hippolitus Epiſcopus & Martyr Diſcipulus Clementis celeberrimus inter Scriptores Eccleſiaſticos, ut teſtantur Euſebius, & Hieronymus, Methodius Tyri Epiſcopus, qui inter alia monumenta doctrinæ ſuæ libros adverſus Origenem, & Porphyrium reliquit. Pierius Sacerdos Alexandrinus qui ob ſingularem peritiam Scripturarum alter Origenes nuncupatus fuit. Lucianus Martyr Presbyter Antiochenus doctrinâ, & pietate inſignis, ſed martyrio illuſtrior, quibus adduntur Romani Pontifices doctrina & pietate commendati. Pontianus, Fabianus, Dionyſius, Cornelius, Felix.

In quarto ſæculo Patres, qui floruerunt, ſunt, Athanaſius Patriarcha Alexandrinus Fidei columna immobilis, Arianorum infenſiſſimus, & contra Hæreticos invictus Athleta, qui Romæ Symbolum Fidei latino ſermo compoſuit, cùm à Julio Papa citatus anno 340. ut judicaret de fide, quam mirificè ſcriptis ſuis propagavit. Arnobius Rhetor Africanus, qui in maxima Eccleſiæ perſecutione fideliumque diſcrimine Chriſti Fidem amplexus eſt, & plura adverſus gentiles ſcripſit circa annum Chriſti 302. Lactantius Firmianus inſignis Rhetor Arnobii diſcipulus plura eleganter ſcripſit, & Criſpi Cæſaris filii Conſtantini in Galliis directionem habuit. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus doctrina cœlitus infuſa inſignis, qui floruit anno 356. Ephrem Syrus Diaconus Edeſſæ, cujus ſcripta tanti ab antiquis facta ſunt, ut poſt lectionem Scripturarum in pluribus orientalibus Eccleſiis recitarentur, quæ ex Syro ſermone Originali græca, & latina Eccleſia non traducta habuerunt, & floruit anno 378. Optatus Milevitanus in Numidia Epiſcopus eruditione, ac morum ſanctitate clariſſimus, quem D. Hieronymus recenſet inter præclaros eccleſiaſticos tractatores. S. Baſilius Epiſcopus Cæſarienſis in Capadocia, quem Caſſiodorus recenſet inter eos ſcriptores Græcos, qui ab initio ad finem uſque ſacras Scripturas ſunt interpretati. Gregorius dictus Theologus Epiſcopus Nazianzenus Hieronymi in ſacris Scripturis Magiſter, & Baſilio Magno ſanguinis neceſſitudine junctus, qui floruit circa annum 380. Gregorius Niſſenus frater Baſilii Magni. Gregorius Presbyter Cæſarienſis, qui ſcripſit orationem de Patribus Nicenæ Synodi, & ſæpius citatur. Oſius Epiſcopus Cordubenſis, qui præfuit Concilio Nicæno nomine Sylveſtri Papæ, & fuit præcipuus Author Symboli, ſeu formulæ Catholicæ Fidei, qua omnia Arianæ hæreſis capita obtruncantur, quem propterea Athanaſius S. fine in Catholica communione quieviſſe teſtatur, revocata ſcilicet in morte communicatione, quam in conciliabulo Syrmienſi coactus fuerat habere, & ſubſcribere cum Urſacio, & Valente Epiſcopis Arianis. Epiphanius Salominæ in Cypro Epiſcopus qui eleganter ſcripſit anchoratum, & eruditè Pararium libros de gemmis, de menſuris, & ponderibus, & de vita, ac obitu Sanctorum Prophetarum, & hujus Patris meminit Caſſiodorus. Cyrillus Patriarcha Jeroſolymitanus, qui ſingulares ſcripſit Tractatus, & Catecheſes, & obiit anno 384. Pacianus Epiſcopus Parcinonenſis miræ eloquentiæ, qui ſpecimen omnium virtutum fuit, & cultura præſertim caſtitatis illuſtris. Gaudentius Epiſcopus Prixianus doctrina, & ſtudio pietatis illuſtris, qui obiit anno 386. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis aſſertor invictus Eccleſiaſticæ libertatis, clariſſimus Eccleſiæ Doctor, qui plura ſcripſit volumina, in quibus emicat Chriſtiana pietas, & eruditio. Hieronymus linguarum peritiſſimus Eccleſiæ Doctor, & in exponendis ſacris Scripturis maximus, qui inconcuſſa pectoris firmitate inſectatus ſemper fuit Hæreticos, ut ejus effigies addatur hieroglyphicè Leo, quia perinde adverſus Hæreticos irriguit, ſicut leo, quos perterruit, fugavitque, vel proſtravit. Plura ſcripſit, quibus Chriſti religionem firmavit. Dolendum tamen, quod plura ſcriptorum monumenta perierint. Quibus Patribus addendus eſt Damaſus Papa, quem D. Hieronymus enumerat inter ſcriptores eccleſiaſticos.

In quinto ſæculo floruerunt Innocentius I. Papa, qui plura ſcripſit de rebus eccleſiaſticis, & obiit anno 417. Joannes Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ſuis commentariis totam Scripturam illuſtravit, ut referunt Caſſiodorus & Suidas, quorum tamen plurima in conflagratione Conſtantinopolitani Patriarchii igne conſumpta fuerunt, ut ſcribunt Theophanus, & Cedrenus, & hunc habuiſſe in ſacris litteris Magiſtrum, & Doctorem D. Paulum Apoſtolum, imò & ſecum colloquentem aſſerit S. Proclus ejus Succeſſor teſtiſque oculatus. Auguſtinus opera Ambroſii luſtrali Baptiſmi aqua ablutus, Hypponenſis ordinatus Epiſcopus, qui tam multa piè, ac ſubtiliter, & copioſè ſcripſit, ut doctrinam Chriſtianam nervoſiſſimè confirmaverit, explicuerit, ac illuſtraverit, & octogenarius obiit anno Chriſti 430. Paulinus Epiſcopus

Nolanus Diſcipulus Auſonii, & Auguſtino perfamiliaris doctrina, & charitate in proximum conſpicuus, & obiit anno 437. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ob ſingularem doctrinam à Cœleſtino Papa deſtinatus ad extinguendam hæreſim Neſtorianam, qui vicaria donatus fuit præfectura. Joannes Caſſianus Scytha Diſcipulus S. Joannis Chryſoſtomi, qui collationes Patrum exiſtens Monachus in Ægypto ſcripſit, deinde factus presbyter Maſſiliæ de Verbi Incarnatione adverſus Neſtorianos librum edidit. Theodoretus Cyri Epiſcopus qui hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit. Proſper Aquitanus Regienſis Epiſcopus in Gallia Narbonenſi, qui reviviſcentis in occidente Pelagianiſmi extinctor fuit, & propugnator egregius ſcriptorum D. Auguſtini. Sozomenus, & Socrates celebres hiſtoriographi uſque ad annum 439. Eucherius ex nobili Senatore Monachus Lyrinenſis, & inde Epiſcopus Lugdunenſis, qui plures doctè, & eleganter ſcripſit homilias. Vincentius Lirinenſis Gallus, qui ſumma induſtria diſſertiſſimum edidit Commentarium ſub nomine peregrini pro defenſione antiquæ Fidei Patrum contra quoscunque Novatores, & laudibus excipitur à Genadio & Eucherio. Petrus Chryſologus Ravenas Epiſcopus miræ eloquentiæ, doctrinæ, & eruditionis. Sidonius Apollinaris Epiſcopus Claromontanus, inſignis orator, & Poëta. Leo Papa cognomento magnus ob ingentia ejus facta, & ſcripta pietate, & eruditione conſpicua.

Hinc doctrina morum à veteribus, & Sanctis Patribus magis deſumenda eſt, quàm à recentioribus Authoribus petenda. Idque deſumitur etiam ex ſacris Scripturis Eccleſiaſtici 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens.* Eccleſ. 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis.* Job. 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Jeremiæ cap. 6. *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Apoſtolus Paulus ſcribens ad Timotheum ait: *O Timothee depoſitum cuſtodi, devita profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam qui promittentes, circa fidem naufragaverunt!* quæ verba explicans Vincentius Lirinenſis in 1. Commonitorio cap. 23. ait: *Quis eſt hodie Timotheus, niſi vel generaliter Eccleſia univerſa; vel ſpecialiter totum corpus præpoſitorum, qui integram divini cultûs ſcientiam, & habere ipſi debent, & aliis infundere. Depoſitum, inquit, cuſtodi. Quid eſt depoſitum? id eſt quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti, rem non ingenii, ſed doctrinæ: non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis: Rem ad te perductam, non à te prolatam, in qua non Author eſſe debes, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens.* Hinc Hormisdas Pontifex epiſt. 22. ait: *Quid recentia capitis, & priſca deſeritis?* & alibi: *Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenus deviare.* Et ante ipſum Cœleſtinus I. pariter Pontifex Maximus epiſt. 2. *Deſinat inceſſere novitas vetuſtatem.* Et Zoſimus: *Apud nos inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxerunt reverentiam.* Quapropter Sylveſter II. Papa ait: *Sit lex communis Eccleſia, Evangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones ſpiritu Dei conſtituti, & totius mundi reverentia conſecrati, & decreta Sedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia:* & revera opiniones quoad mores dirigendos, quæ non innituntur ſacris Scripturis, neque Eccleſiæ Catholicæ Conciliis, neque ſacris Canonibus, neque SS. Patrum authoritati nullo poſſunt firmo, ac ſolido ſubſiſtere fundamento; & fallaciis, erroribusque ſunt obnoxiæ. Unde S. Auguſtinus lib. de utilitate credendi cap. 11. ait: *Tria ſunt veluti finitima ſibimet in animis hominum diſtinctione digniſſima, intelligere, credere, opinari. Quæ ſi per ſe ipſa conſiderentur, primum ſemper ſine vitio eſt; ſecundum aliquando cum vitio; tertium nunquam ſine vitio. Quod intelligimus, debemus rationi: quod credimus authoritati, quod opinamur, errori.* Quia igitur opiniones ut plurimum niſi firmiſſimis irritantur fundamentis, ſunt fallaciæ, ac errores, ideo plures Academiæ præſertim Pariſienſis, & Lovanienſis has rejecerunt propoſitiones: quarum prima eſt. *Doctrina fidei à veteribus*; doctrina morum magis à junioribus petenda eſt. Secunda. Puto: omnia eſſe hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali juniores, quàm antiquiores lego & ſequor. Tertia. Non ergo opinio improbanda, eò quòd ab antiquioribus non fuerit tradita. Quarta: De ſententia Doctorum antiquorum verum ſciri non poterit, niſi ipſe Thomas, aut Auguſtinus, aut alii, excitentur à mortuis. Præſtat igitur adire vivos, quàm recurrere ad mortuos, qui nequeunt mentem ſuam explicare. Quinta: Hæc objectio. Opinio nova videtur, doctum urgere nequit. Nam tota moralis Theologia nova eſt. Sexta: Liceat ex ſolo rationis lumine dijudicare, quando quis privatus poſſit pro tuenda vita, vel bonis, vel honore, aliquem occidere.

Non tamen à principiis morum directivis intendimus, omnem excludere probabilitatem, quia cùm in genere moris non poſſimus de quacunque re occurrente habere evidentiam metaphyſicam, nec demonſtrationem mathematicam, neque certitudinem phyſicam; ideo neceſſe eſt interdum, ut principium directivum humanarum actionum innitatur probabilitati, quâ in moribus dirigendis vix poſſumus abſtinere, quin totam propemodum evertamus moralem Theologiam, & conſcientias ſcrupulorum preſſas moleſtiis ad extremas adigamur anguſtias. Sed hæc probabilitas morum directrix debet eſſe verè probabilis; & quamvis opinio probabilis habeat ſemper adnexam formidinem de oppoſito, nititur tamen veriſimiliore fundamento, & authoritate, cui operans moraliter acquieſcit. Unde conſcientia probabilis propriè eſt judicium practicum intellectûs, quo quis ex gravi, licèt non omnino certo fundamento aſſentitur uni parti contradictionis, cui determinatè aſſentitur poſt perpenſas omnes circumſtantias, & maturè examinatas omnes rei qualitates, licèt cum aliqua ſemper formidine de oppoſito. Quamobrem aſſerimus, poſſe hominem licitè in rebus ſpectantibus ad mores ſe ſe conformare conſcientiæ, ſeu opinioni verè probabili, ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, ei non occurrat probabilior: ita docent communiter Theologi, adeo ut uſus probabilitatis ſine oppoſitione contrariæ opinionis licitus ſit, & docetur à D. Thom. quodlib. 8. art. 13. ubi ait: *Si aliquis diligentiam adhibet, inquirens an habere plures prabendas ſit licitum, nec ne; & non invenit aliquid, quod ipſum moveat ad hoc quod ſit illicitum, videtur, quod ſine peccato plures poſſit habere prabendas.* Unde D. Thomas approbat uſum veræ probabilitatis poſt adhibitam ſufficientem inquiſitionem, ſi non appareat quid illicitum. Ratio itidem hoc ſuadet, quia res quælibet debet operari juxta propriam naturam, ſeu principia intrinſeca ſibi à Deo indita, ſiquidem operari ſequitur ad eſſe, cui quantum poteſt commenſuratur: propterea nec homines debent aliter operari, quàm humano modo, & juxta illa

Digitized by Google

illa principia intrinſeca ipſis à Deo indita: ſed ad id ſufficit, ſi in rebus moralibus, & actionibus ſe conforment conſcientiæ, ac opinioni verè probabili; quià operari juxta naturam rationalem, perinde eſt, ac operari licitè, & honeſtè, & ita operatur, qui ſe conformat conſcientiæ, ſeu opinioni verè probabili: ſiquidē tunc quis honeſtè, ac licitè operatur, quando elicit operationem conſonam regulis rectæ rationis; & qui ſuis actionibus ſe conformat conſcientiæ, ſeu opinioni verè probabili, adeò ut poſt adhibitam ſufficientem diligentiam non invenit contrariam probabiliorem juxta conditionem rei, & perſonæ ſe conformat in ſua operatione regulis rectæ rationis, conſequenter licitè & honeſtè operatur. Firmatur, quia opinio verè probabilis non innititur levi fundamento, quinimò rationibus magni ponderis, ac momenti, quæ tametſi evidentiam non pariant, extorquent nihilominus conſenſum ab intellectu, quem determinant ad operationem circa unam potiùs partem, quàm aliam oppoſitam; quia intellectur cognovit id eſſe juxta regulas rectæ rationis; quòd ſi ita non judicaret, minimè operaretur nec aſſentiretur tali parti, ut verè probabili, quia opinionem eſſe probabilem perinde eſt, ac apparere conformem regulis rectæ rationis: ergo uſus probabilitatis ſine oppoſitione contrariæ probabilitatis ſic ſimpliciter ſpectatus eſt honeſtus, licitus et utilis juxta modum humanum operandi: quia pro præſenti ſtatu andæ unitæ corpori, ut immerſæ in materia, ac dependentiæ intellectus à phantasmatibus non poſſumus in moralibus ſemper habere omnimodam certitudinem per rei evidentiam, neque humanus operandi modus id exigit, ut rerum ſemper habeamus perfectam, claram, & evidentem notitiam; ergo ut quis juxta principia naturæ rationalis licitè operetur, ſufficit ſi ſeſe conformet conſcientiæ, ſeu opinioni verè probabili, adeò ut poſt ſufficientem adhibitam diligentiam ei non occurrat alia probabilior, non enim deus ab homine plus exigit quàm humana conditio poſſit præſtare; divina ſiquidem ſapientia diſponit omnia ſuaviter: & hominis conditio pro præſenti ſtatu quo intellectus dependet in intelligendo à phantasmatibus non poteſt in rebus moralibus ſemper habere rei evidentiam; neque ut docet Ariſtoteles 1. Ethicor. cap. 3. poteſt habere certitudinem mathematicam ſeu exactam, ac perfectam omnium agibilium: quia ut advertit D. Thomas, materia moralis talis eſt, ut non ſit ei conveniens certitudo mathematica, & perfecta ſicut rebus phyſicis & metaphyſicis: ergo Deus non exigit ab homine, ut ſemper operetur cum evidenti certitudine mathematica de bonitate morali ſuæ operationis, conſequenter poteſt homo ſequi opinionem, quæ verè ſit probabilis, ſi poſt adhibitam ſufficientem diligentiam non appareat oppoſita probabilior.

Præterea quia homo tunc operatur licitè, & honeſtè, quando operatur juxta dictamina prudentiæ, quæ eſt regula agibilium intra genus morum: homo autem ſequens opinionem verè probabilem operatur juxta regulas prudentiæ; proinde licitè operatur, & honeſtè juxta regulas rectæ rationis. Major, & conſequentia tenent; probatur minor; quia leges prudentiæ non exigunt aliud in operatione, ut licita, honeſta, & perfecta ſit, quàm quod conformis ſit regulis rectæ rationis, & talis eſt uſus veræ probabilitatis ſine oppoſitione contrariæ probabilitatis. Hinc ſummus Pontifex in dirigendis rebus eccleſiaſticis, ut in diſpenſationibus concedendis interdum utitur opinione probabili, quando ipſi veritas perſpecta non eſt: ut etiam Principes, & reges in adminiſtrandis regni negotiis utuntur probabilitate, ut etiam judices tum eccleſiaſtici, tum ſæculares juxta regulam juris: *quod veriſimilius eſt præferatur; & ubi ſunt opiniones diſcordes, Judex ſequatur communem.* Præterea etiam Salomon quando intulit judicium, quo judicavit dividendum eſſe puerum ſibi à duabus mulieribus oblatum, quarum utraque ſuum dicebat, non niſi probabilibus conjecturis ducebatur, & nihilominus ſcriptura ejus ſapientiam commendat, & approbat æquitatem; quod nobis eſt argumento aſſerendi, prudenter operari homines in uſu probabilitatis ſine oppoſitione contrariæ probabilitatis. Dices, operari juxta ſententiam probabilem, perinde eſt ac operari cum formidine de oppoſito, conſequenter etiam cum formidine, an operatio licita ſit: non eſt autem licitum operari cum hac formidine: conſequenter neque licitum erit, operari cum tali formidine in opinione probabili. Major eſt certa & deſumitur ex ipſa definitione opinionis probabilis, Definitur enim judicium practicum intellectus, quo quis ex gravi aliquo fundamento aſſentitur, & adhæret uni parti determinatè cum formidine de oppoſito: quia cum fundamentum, cui innititur opinio probabilis, non eſt evidens, ſed tantum probabile, poteſt eidem ſubeſſe falſum. Minor oſtenditur, quia operari cum formidine eſt operari cum conſcientia dubia, & ita operari non eſt licitum: ergo uſus probabilitatis ſine oppoſitione contrariæ probabilitatis non eſt licitus. Contra eſt negatur minor, ad cujus probationem reſponderetur; non ſequi quod operari juxta conſcientiam probabilem ſit operari cum conſcientia dubia; ratio eſt; quia dubietas dicit quòd intellectus neutri parti aſſentiatur, ſed hæreat anceps, ac ſuſpenſus; quoties autem propendet in alteram partem, intellectus non manet amplius dubius, ſed cum aliqua determinatione ad illam partem, in quam propendet: dubium autem propriè ſumptum excludit omnem aſſenſum in unam partem: ſecus per formidinem de oppoſito, quamvis excludatur firmitas aſſenſus; non ita ejus determinatio, quia adhuc intellectus aſſentitur uni parti determinatè ex gravi aliquo fundamento, ſeu ratione magni momenti, licet non ita firmiter ſicut in conſcientia certa. Cæterum quòd liceat ſequi opinionem probabilem cum formidine ſpeculativa oppoſitæ partis, ex eo videtur evinci, quia ſi excluderetur omnis formido illa opinio non eſſet amplius probabilis & certa, in hoc enim differt probabilitas à certitudine, quia illa includit aliquam formidinem ſaltem ſpeculativam de oppoſito, quam certitudo omnino excludit: unde cum ſimul poſſint cohærere probabilitas, & formido de oppoſito, & non obſtante tali formidine opinio probabilis ſit ſufficiens regula honeſtè operandi, ſequitur, quod formido ſpeculativa de oppoſito non obſtet, quo minus uſus probabilitatis licitus ſit, & honeſtus, ſiquidem eo ipſo, quòd operatio eſt conformis conſcientiæ veræ, & probabili, eſt etiam conſona regulis rectæ rationis, quia tunc recta ratio quamvis cum formidine ſpeculativa judicat id licere, quia motivum probabilitatis id præſtat, ut intellectus determinatè aſſentiatur, quamvis cum aliqua formidine ſpeculativa de oppoſito. Præterea, quia ſi ſemper excludenda eſſet omnis formido, etiam ſpeculativa, nonniſi raro poſſemus rectè operari, eò quia rarò habemus judicium certum ſine formidine de oppoſito, quod etiam eſt intelligendum de formidine, in judicio particulari, quia adhuc valet ea-

 dem

dem ratio, cùm intellectus determinatè aſſentiatur uni parti, & cùm hoc judicium determinatum ſit ſecundùm rectam rationem, ſequitur eſſe etiam rectam menſuram operationis.

Hinc conſcientia probabilis dictans aliquid eſſe prohibitum, vel præceptum, obligat in conſcientia, adeo ut docet, qui aliquid facit judicans practicè illud eſſe illicitum prout ab ipſo hic & nunc fit, quamvis tale judicium non ſit omnino certum, & firmum, ſed habeat aliquam formidinem annexam de oppoſito, ratione cujus ſuſpicetur eſſe licitum id, quod judicat eſſe illicitum. Ratio id evincens eſt, quia operans contra hujusmodi conſcientiam non operatur ex fide, qua credat opus ſuum eſſe honeſtum, & licitum, ſed omnis, qui non operatur ex fide, peccat, & ejus operatio eſt peccatum, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Roman. 14. *Omne quod non eſt ex fide* (ſcilicet ex conſcientia) *peccatum eſt*, ergo qui operatur contra conſcientiam probabilem dictantem aliquid prohibitum vel præceptum peccat, quia contradicit conſcientiæ propriæ dictanti oppoſitum, conſequenter non operatur ex fide ſeu conſcientia, ſed contra fidem. Firmatur, quia quamvis operans juxta opinionem probabilem, habeat aliquam formidinem de oppoſito, adhuc ſimpliciter & abſolutè aſſentitur ſuæ opinioni, ſibique perſuadet eam eſſe veram ob fundamentum magni momenti, quo opinio videtur probabilis, proinde ſi ex tali opinione practicè judicat, oppoſitum eſſe illicitum ſimpliciter format conſcientiam de illo, conſequenter malè agit, ſi ſe non conformet tali conſcientiæ probabili dictanti aliquid eſſe prohibitum, vel præceptum. Præterea quia faciens id, de quo practicè dubitat, an ſit illicitum, peccat ob periculum, in quod ſe inijcit, proinde multò magis peccabit, qui non dubitat, quaſi negativè ſe habendo ad utramque partem neutri adhærendo, ſed poſitivè credit illicitum eſſe, quòd facit, prout hîc & nunc ab ipſo fit. Si dicas non expugnare ſimul cum opinione aſſerente eſſe illicitum hoc opus, quod hic, & nunc occurrit faciendum cohærere opinionem probabilem de oppoſito, & quæ aſſerat illud eſſe licitum, & præceptum, ergo ſaltem in hoc caſu conſcientia opinativa dicens aliquid eſſe prohibitum, vel præceptum non obligat, quia ſtantibus duabus opinionibus contrariis, & æque probabilibus nulla apparet ratio, ob quam una eorum ſit potentior ad obligandum, quàm altera ad excuſandum, vel ad obligandum ad oppoſitum: antecedens conſtat, quia poteſt quis exiſtimare probabiliter utramque partem contradictionis eſſe peccatum, ut contingat, ſi quis in die feſto aſſiſtens moribundo vel graviter decumbenti, crederet eſſe peccatum mortale tali die non intereſſe ſacro, & viciſſim crederet probabiliter eſſe peccatum mortale, in extrema illa neceſſitate moribundum deſerere. Contra eſt, quia in tali caſu haberetur conſcientia erronea, quæ ſi vincibilis eſſet, teneretur homo eam deponere, & alterutrum eligere, quià hîc, & nunc judicat eſſe faciendum: hinc in prærecenſito caſu ſi domi eſſent alii, qui poſſent moribundo aſſiſtere, ac inſervire, teneretur eccleſiam adire, ac ſacro intereſſe: quòd ſi non adeſſent alii, qui poſſant commodè agenti animam aſſiſtere, tunc teneretur intra ſe diſcurrere per principia naturalia & illud determinare, ac exequi, quod melius judicaret; & ita agendo non peccaret: quod ſi illud eligeret, quod cenſeret gravius peccatum, tunc non poſſet à peccato excuſari, ut communiter notant doctores, quia ratio naturalis dictat ex duobus malis ſi eorum alterum non poſſit præcaveri, minus eſſe eligendum.

Quòd ſi utraque opinio judicetur æquè probabilis, tunc eligenda eſt neceſſariò quæ eſt tutior, quia enim judicat duas opiniones oppoſitas eſſe æqualiter probabiles non eſt moraliter certus de illarum veritate, ſed dubius, quia opinari eſt ex probabilibus conjecturis credere, ſeu judicare rem veram eſſe, & illi aſſentiri, non quidem adhæſione firmiſſima, & certiſſima, ſed cum formidine partis oppoſitæ, ſeu formidando ne pars oppoſita vera ſit; hinc D. Bernardus lib. 5. de conſiderat. cap. 2. ait: *Opinio certi nihil habens, verum per veriſimilia quæris potiùs, quàm apprehendit*, & nonnullis interjectis ſubdit: *Multi ſuam opinionem intellectum putaverunt, & erraverunt, & quidem opinio poteſt putari intellectus, & intellectus opinio non poteſt. Unde hoc accidit? profectò quia hæc falli poteſt, ille non poteſt, aut ſi falli potuit, intellectus non fuit, ſed opinio: verus enim intellectus certam habet non modò veritatem, ſed notitiam veritatis. Opinio eſt quaſi pro vero habere aliquid quod falſum eſſe neſcias.* Cum igitur homo, qui dubius eſt in quæſtione pertinente ad mores, & in qua periculum ſalutis vertitur, opinionem tutiorem ſequi debet, quia in tali hypotheſi qua utraque opinio judicatur æquè probabilis tutior pars eſt neceſſariò eligenda. Idque etiam probatur ex *cap. Fraternitatis. Extra. De frigidis & maleficiatis.* Lata enim fuerat ſententia ſeparationis thori ex errore probabili, ut conſtat ex verbis illis: *ſententiam divortii per errorem licèt probabilem novimus eſſe prolatam*, & tamen Innocentius III. ait, rem tunc fuiſſe dubiam; ait enim, quamdiu articulus iſte dubitabilis erat, hoc idem etiam colligitur ex cap. Illud de præſumpt. Ubi in quæſt. utrum inter liberam, & ſervum fuiſſet contractum matrimonium nec ne, expendantur rationes pro utraque parte probabiles, & tamen res dubia æſtimatur, ut liquet ex verbis illis. *In hujusmodi dubitatione.* Rurſus colligitur ex cap. veniens. de Presbytero baptizato, ubi quæſtio erat, an ordinatus ante baptiſmum recepiſſet ordinis characterem. Pro parte negante hæc afferebatur ratio, quòd cùm baptiſmus ſit fundamentum omnium Sacramentorum ante illius ſuſceptionem nullum aliud ſacramentum recipiatur: pars affirmans hac ratione nitebatur: Quòd non ſolùm per ſacramentum fidei, ſed per fidem etiam ſacramenti homo Chriſti membrum fiat: & qui Chriſtum habet in corde per fidem, habeat fundamentum, quod eſt Chriſtus Jeſus, utraque pars probabilis erat, & tamen ſummus Pontifex reſpondit: *In hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt ſequentes: mandamus quatenus ipſum per ſingulos ordines uſque ad ſacerdotium promoveri procures*: Unde liquet ex illo capite quæſtionem effici dubiam ex conflictû probabilium opinionum ac. rationum, & in tali dubio non utramlibet opinionem probabilem: ſed tutiorem tantùm eſſe eligendam. Præterea colligitur ex can. Nervi diſt. 13. deſumpto ex S. Gregorio lib. 32. Moral. cap. 18. & ſequent. Ubi explicans verba illa Job: *Nervi teſticulorum Leviathan perplexi ſunt*, ubi ait: Perplexitatem illam ex Diaboli malis artibus oriri: *quia ſuggeſtionem illius argumenta implicatis inventis illigantur, ut pleriſque ita peccare faciant, quatenus ſi fortaſſe fugere peccatum appetant hoc ſine aliquo peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant, ac nequaquam ſe ab una valeant ſolvere, niſi in alia conſentiant ſe ligari.* Quod diverſis exemplis animi contra-

variis opinionibus agitati, & in utramque partem impulſi probat. *Ecce quidam* (inquit) *dum mundi hujus amicitias appetit, cuilibet alteri ſimilem ſibi vitam ducenti, quod ſecreta illius omni ſilentio contegat ſe jure jurando conſtringit. Sed is, cui juratum eſt, adulterium perpetrare cognoſcitur, ita ut etiam maritum adulteræ occidere conetur. Is autem qui jusjurandum præbuit, ad mentem revertitur, & diverſis hinc inde cogitationibus impugnatur atque hoc ſilere formidat, ne ſilentio adulterii ſimul, & homicidii particeps fiat, & prodere trepidat, ne reatu perjurii obſtringatur, perplexis ergo teſticulorum nervis ligatus eſt, quia in quamlibet partem declinet, metuit, ne à tranſgreſſionis cogitatione liber non ſit. Alius cuncta, quæ mundi ſunt deſerens, atque per omnia frangere proprias voluntates quærens alieno ſe ſubdere regimini appetit, ſed eum qui ſibi præeſſe apud Deum debeat, minus tanta inquiſitione diſpernit: Cui fortaſſe is qui ſine judicio eligitur, cum præeſſe jam cœperit, agere quæ Dei ſunt prohibet, quæ mundi ſunt jubet. Penſans itaque ſubditus, vel quæ ſit culpa inobedientia vel quod contagium ſæcularis vitæ, & obedire trepidat, & non obedire formidat, ne aut obediens Deum in ſuis præceptis deſerat, aut rurſus non obediens Deum in electo Priore contemnat. Alius penſare pondus honoris eccleſiaſtici negligens ad locum regiminis præmiis aſcendit, ſed quia omne quod hic eminet, plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet, dum cor tribulationibus premitur ad memoriam culpa revocatur, doletque ſe ad laborem cum culpa perveniſſe, & quàm ſit iniquum quod admiſerit, ex ipſa difficultate cognoſcit.*

An verò ut quis poſſit licitè operari ſecundùm opinionem probabilem, debeat ipſi evidenter conſtare de probabilitate opinionis, adeo ut habeat regulam certam, quod hic & nunc licitè & honeſtè operetur ac judicet talem opinionem non ſolùm eſſe probabilem, ſed etiam eligibilem, ſiquidem aliud eſt judicium de probabilitate opinionis, & aliud de eligibilitate, ſeu uſu ejuſdem, primum enim judicium eſt ſpeculativum, & verſatur circa naturam, & principia intrinſeca opinionis probabilis, conſequenter pertinet ad illum habitum, qui deducit ipſam opinionem: judicium verò de eligibilitate, ſeu uſu opinionis eſt practicum, & pertinet ad conſcientiam; ſiquidem eſt in ordine ad regulandam operationem hic, & nunc, & judicat de ipſa opinione, an poſſit aſſumi hic & nunc tanquam principium directivum humanæ actionis. Aſſerendum eſt operanti ſecundùm opinionem probabilem debere conſtare de certitudine & evidentia probabilitatis, adeo ut requiratur judicium certum de probabilitate, ut poſſit licitè operari, quia non poteſt quiſpiam licitè & honeſtè agere, niſi prudenter agat; eſt enim prudentia regula agendorum, & non poteſt prudenter agere ſine certa, & evidenti regula rectè agendi, alioquin ſine hac regula certè & evidenter cognita, ſe exponeret periculo peccandi, & non ageret prudenter: ſed probabilitas opinionis eſt regula agendi: ſiquidem dirigit actus humanos, ergo hæc probabilitas debet eſſe certa, & evidens, adeo ut requiratur judicium certum, & evidens de tali probabilitate, ut quis poſſit ſecundùm conſcientiam probabilem prudenter, & licitè operari. Tum quia in moralibus operans debet eſſe certus, quòd prudenter agat, quia ſine hac certitudine non eſſet certus, an bene vel malè ageret, proinde ſe exponeret periculo malè agendi: atqui non poteſt eſſe certus, quòd prudenter agat, niſi ſit certus, ſe habere veram regulam agendi; & non poteſt habere certitudinem niſi ſit certus de probabilitate opinionis, quia hæc eſt ipſa regula agendorum, ergo ut quis in moralibus prudenter agat, debet eſſe certus de probabilitate opinionis, quam aſſumit ut regulam agendorum. Rurſus quia ſuppoſita opinione probabili de honeſtate actionis intellectus certum & evidens judicium ſaltem reflexè ſolet formare de probabilitate ejuſdem honeſtatis, ſiquidem cognoſcit intellectus, non omnem opinionem eſſe probabilem, ſed eam tantùm quæ nititur optimis fundamentis, & rationibus magni ponderis, ac momenti, vel authoritatibus plurium doctorum prudentum, ſi probabilitas ſit extrinſeca, ait enim Ariſtoteles: *probabilis opinio eſt, quam aſſerunt viri ſapientes, & confirmant optima argumenta*, quapropter intellectus argumentatur: Omnis ille qui ſecundùm rationem magni momenti, quæ ſit firma & gravis, non verò levis ponderis operatur, prudenter agit, quia habet regulam firmam ſuæ operationis: ſed omnis ille qui ſequitur opinionem probabilem, ſemper egit ſecundùm rationem firmam et gravem ſeu magni, non levis momenti: ergo omnis ille qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter agit. Major hujus ſyllogiſmi non patitur difficultatem, quia in præſenti ſtatu rerum humanarum non poſſumus ſemper habere evidentem demonſtrationem rerum, nec Deus id à nobis exigit, quia non exigit ab homine plus, quàm conditio hominis habet; conditio autem hominis id habet, ut in rebus moralibus non poſſit aſſequi omnem evidentiam, nec habere certitudinem mathematicam ſeu exactam, & perfectam omnium agibilium, conſequenter ut homo intrà genus moris prudenter agat, ſufficit, ſi rationabiliter moveatur ad operandum: quo pacto agit, qui movetur ad operandum propter rationem firmam, & gravem, non levis ponderis. Minor itidem liquet ex ipſa definitione opinionis probabilis; quia opiniones probabiles non ſunt larvæ ratiuncularum, ſed ſunt rationes omnino graves, firmæ, & magni momenti, quæ tametſi non attingant totalem certitudinem ob aliquam formidinem annexam de oppoſito, ſunt tamen tales, quæ meritò virum prudentem movere poſſent ad agendum, adeo ut qui ſecundùm ipſas operantur, non incurrant notam temeritatis, & imprudentiæ ergo evidenter conſtat eum operari prudenter, qui regulam ſuæ operationis aſſumit opinionem probabilem, ſuppoſita igitur hac concluſione deducta evidenter ex præmiſſis certis, ſubjicitur hic alius Syllogiſmus juxta judicium reflexum, quo operans ſecundùm opinionem probabilem certificatur de honeſtate ſuæ actionis, & ſic proceditur: Omnis ille, qui prudenter operatur, eſt certus ſe bene operari, ſiquidem eſt certus ſe operari ex virtute intellectuali, quæ minimè poteſt eſſe falſa aut mala: Sed omnis ille, qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur, ut demonſtravimus in primo ſyllogiſmo, ergo omnis ille, qui ſequitur opinionem probabilem, eſt certus ſe bene operari, & iterum ex majori, & minori certiſſimis certiſſima itidem ſequitur concluſio, juxta quam operans

juxta

Digitized by Google

juxta opinionem probabilem elicit judicium certissimum ac evidens se honestè operari: & certissimè scit absque ullo dubio, & sine specie peccati infallibiliter bene agere: ex quibus liquet operantem secundum opinionem probabilem formare certum & evidens judicium saltem reflexè, quo judicat infallibiliter se bene agere.

Quòd si ex duabus opinionibus oppositis æquè probabilibus certum & exploratum non est, quænam sit tutior, tunc servandæ sunt regulæ à jure præscriptæ, quas in dubiis sequi oportet, & sunt: *In dubio judicandum est, ut actus valeat potius, quàm pereat. leg. quoties & leg. 2. ff. de rebus dubiis.* Secunda: *In dubiis id sequendum, quod in religione, in qua actum est, frequentatur.* leg. semper in stipulationib. ff. de Reg. Jur. Tertia: *Minime mutanda sunt, quæ certam hanc sententiam semper habuerunt.* l. Minimè. ff. de legibus. Quarta: *Ubi contrariæ extant sententiæ pronuntiandum est pro Possessore.* L. res alienas. Cod. de rei vend. [illegible] Quinta: *Potius pro reo quàm pro actore pronunciandum, nisi in causa favorabili*, ut [illegible] Justitiæ & hujusmodi causa favorabiles censentur [illegible] matrimonii, libertatis, dotis, testamenti, ut habetur *in cap. duobus extra de sentent. & re judicata*, & habentur apud Jurisconsultos uno vulgati versu: in quibus continentur, *stat testamentum, libertas, conjugium, dos, si sint æquales, qui producuntur utrimque.* Aliæ tamen sunt opiniones discordes, & tunc Judex tenetur sequi communem, ut colligitur ex *cap. Nominus tit. de V. S. & Can. de judiciis, causa. 3. quæst. 2. Can. in Canonicis dist. 19. & l. 1. de offic. [illegible]* Præterea in dubiis præferendum est, quod benignius esse videtur, & verisimilius quod plerumque fieri solet, ut colligitur ex *l. semper in dubiis. ex l. in obscuris. & l. quoties idem. ff. de reg. juris.*

Cæterum in solvendis [illegible] quæstionibus sacrorum canonum, vel [illegible] habenda est ratio, ut docet Cælestinus I. [illegible] Episcopos Illyrici inquiens: *Dominentur [illegible] regula, non regulis dominemur, simus subjecti canonibus, cum canonum præcepta servamus.* & Leo IV. Epist. 2. ad Episcopos Britanniæ cap. 6. ait: *de libris & Commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, sed sanctorum Conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in canone, & quibus in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis; id est, Apostolorum Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium, & cum illis regula Præsulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. Hi omnino sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul & Clerici judicantur. Non si tale emerserit vel contigerit inusitatum negotium, quod minime posset per istos finiri, tunc si illorum quorum meminimus dicta [illegible], alicui [illegible] Isidori, vel cæterorum similiter [illegible] Doctorum [illegible] reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac [illegible] ad [illegible] de [illegible] [illegible] & [illegible] pronuntiare non timeo, quia qui illa [illegible] Patrum statuta, quæ apud nos canones prætitulantur, sive [illegible] sive [illegible] non indifferenter receperit, ipse convincitur nec catholicam & apostolicam fidem [illegible] evangelia quatuor [illegible] [illegible] Ecclesiam juxta retinere vel credere.* Et [illegible] Leonem IV. Septima Synodus Oecumenica can. 1. hoc idem asseruerat inquiens: *His, qui sacram sortiti sunt dignitatem testimonia & directiones canonicorum præceptionum formæ consistunt, quasi libenter suscipientes cum Deiloquo Davide canimus ad Dominum: In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis, & mandasti justitiam, testimonia tua in æternum. His ita se habentibus exultantes in eis, sicut qui invenit spolia multa divinos canones amplectibiliter in pectore recondimus, & integram illorum præceptionem, ac immobilem tenemus tam scilicet illorum, qui ab aliquis Apostolis sanctis spiritus tubis editi sunt, quàm eorum qui à sex sanctis & universalibus Synodis atque his Conciliis, quæ localiter collecta sunt, in expositionem hujusmodi Decretorum promulgati sunt, nec non & eorum, qui à Sanctis Patribus nostris prolati fuisse probantur. Ab uno enim eodemque spiritu illustrati desinierunt, quæ expediunt.*

Quòd si gravis aliqua quæstio emergat circa morum disciplinam, quæ ob sui novitatem, vel etiam obscuritatem, aut difficultatem solvi à Theologis non possit, tunc recurrendum est ad sedem Apostolicam, & summum sacerdotem, qui suam dicat sententiam, ut habetur Deuter. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & judicum inter portas videris verba variari, venies ad sacerdotes & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus sequeris quæ sententiam eorum, nec declinabis neque ad dextram, neque ad sinistram.* Ex quo textu Innocentius III. cap. *Per venerabilem, tit. Qui filii sint legitimi*, probat, ad judicium sedis Apostolicæ in causis, & quæstionibus difficilibus vel ambiguis esse recurrendum: cujus sententiam, qui superbiens contempserit observare, [illegible] præcipitur, seu anathemate percuti, quia per excommunicationem velut mortuus à communione fidelium separari. Hac de causa mos antiquus inolevit, quo Provincialia Concilia bis in anno celebrarentur, ut præscribunt Nicæni canones, in quibus Conciliis nihil ante proponeretur, quam ea quæ ad emendationem vitæ, morum correctionem, disciplinæ severitatem, & ad animæ remedia pertinerent, quæ omnia per Concilia desigiebantur, imò in causis majoribus ac difficilioribus, sivè spectarant ad fidem, sive ad morum disciplinam sedis Apostolicæ sententia solvebantur, hinc Innocentius I. epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum scribit: *Consulenti tibi frater Charissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem pro captu intelligentiæ meæ, quæ visa sunt, respondi, quod sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel authoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret: & quidem dilectio tua institutum secuta prudentium ad sedem Apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet; potiùs quàm usurpatione præsumpta, quæ sibi videretur de singulis obtinere.* S. Leo epist. 82. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum scribit: *Sollicitudinis quidem tuæ hic ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo [illegible] de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse ignoraret, instrui nos pariter [illegible] [illegible] causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil [illegible] oportet inquiri. Sed ut quoquo modo [illegible] ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu* [illegible]

eccleſiaſtica habeat regula non tacebo. Hinc Ruſticus Narbonenſis Epiſcopus eundem S. Leonem Pontificem variis ſuper quæſtionibus ad diſciplinam ſpectantibus per litteras interrogavit ejusque reſponſa regularum inſtar ſuſcepit, ut etiam Victricius Rothomagenſis Epiſcopus ad Innocentium I. & Himerius Tarraconenſis Epiſcopus ad Syricium Papam dubia circa diſciplinam morum retulerunt. Ut etiam Nicetas Aquileienſis ad S. Leonem, cui Pontifex reſpondit Epiſt. 129. *Regreſſus ad nos filius meus à DEO datus Diaconus ſedis noſtræ dilectionem tuam popoſciſſe memorabit, ut de his authoritatem Apoſtolicæ ſedis acciperes; quæ quidem magnam difficultatem dijudicationis videntur afferre*, & Innocentius I. Epiſt. 4. ad Felicem Lucerianum Epiſcopum ait: *Mirari non poſſumus dilectionem tuam ſequi inſtituta Majorum, omniaque poſſunt aliquam recipere dubitationem ad nos quaſi ad caput atque ad apicem Epiſcopatus referre, ut conſulta videlicet ſedes Apoſtolica ex ipſis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet. Quod & nos libenter accipimus, & dilectionem tuam memorem canonum approbamus.* Et revera potior pars Juris Canonici ex hiſce coaleſcit Romanorum Pontificum reſponſis ad varias ac perdifficiles quæſtiones, quæ Epiſcopis in diverſis Provinciis, & regnis oriebantur, qui omnes ad Romanum Pontificem ac Sedem Apoſtolicam veluti ad oraculum recurrebant.

Quòd ſi Sacræ Scripturæ Sanctorum Patrum, & Sacrorum Canonum authoritate quæſtiones morales ſolvi non poſſunt, tunc ea ſequenda eſt opinio, quæ melioribus rationibus innititur, & à Theologis pietate, doctrina præſtantioribus docetur, & aſſeritur, quia ut ait D. Auguſtinus lib. 3. contra Academicos cap. 20. *Nulli eſt dubium gemino pondere nos impelli ad diſcendum authoritatis, atque rationis. Mihi autem certum eſt nuſquam prorſus à Chriſti authoritate diſcedere, non enim reperio valentiorem.* Quòd verò ei potiùs ſit adhærendum ſententiæ, quam plures doctiores, & ſanctiores Theologi ſequuntur, colligitur ex Can. in Canonicis diſt. 19. & deſumitur ex D. Auguſtino lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. ubi ait: In canonicis ſcripturis Eccleſiarum Catholicarum, quam plurium authoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſint, quæ apoſtolica ſedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt, tenebit igitur hunc modum in ſcripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis præponat eis, quas quædam non accipiunt: in eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt eis quas pauciores minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem aliàs invenerit à pluribus alias à gravioribus haberi æqualis authoritatis eas habendas puto. Hinc Imperator Theodoſius dixit: ubi diverſæ ſententiæ proferuntur, potior numerus vincat authorum, vel ſi numerus ſit æqualis ejus partis præcedat authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papianus emineat, qui ut ſingulos vincit, ita cedit duobus, ut refert Baronius ad annum Chriſti 435. Verum pluris ſunt faciendæ rationes, quæ magis propterea ponderandæ ſunt, quàm numerandi Authores, qui ſæpe more pecudum ſequuntur antecedentem gregem euntes non quo eundum ſit, ſed quo itur. Hinc in cap. *Cum in cunctis de iis quæ fiunt à majore parte capituli.* ſtatuit Alexander III. in Concilio Lateranenſi cap. 16. *Ut niſi à paucioribus, & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & oſtenſum appellatione remota prævaleat ſemper & ſuum conſequatur effectum, quod à majori & ſaniori parte capituli fuerit conſtitutum.* Et in *cap. Sana. diſt. 9.* habetur *Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant; ſed illa quæ tantùm digniora ſunt imitatione, quanto excellentiora pietate.* Et deſumitur ex D. Auguſtino lib. 1. de civit. DEI cap. 23. Adeo ut communis opinio ſemper præferenda ſit, quoties vilioribus nititur argumentis: & ratio etiam eſt, quia communis opinio ad ſummum vim habet inolitæ conſuetudinis, ſed conſuetudo non ſuperat rationem: & hanc regulam ſervat Rota Romana, quæ communem opinionem non ſequitur, quando exploratum habet contrariam eſſe veriorem, ac firmioribus fultam rationibus: hinc Sacra Congregatio Concilii, in caſibus emergentibus ſæpe mandavit, ut expenderetur opinio communis, ut refert Fagnanus in 1. *decret. cap. ne imitaris tit. de conſtitutionibus.*

In adminiſtratione tamen Sacramentorum nunquam licitum eſt ſequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore, eò quia tunc Miniſter ſe exponeret periculo irritandi Sacramentum, & in re tanti momenti ſe exponeret periculo errandi, graviſſimum eſt peccatum, ut etiam contra charitatem, & vel maxime contra reverentiam debitam Sacramento, quapropter ab Innocentio XI. Inter alias damnata fuit hæc propoſitio, non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, niſi id lex prohibeat, conventio vetet, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione baptiſmi, & ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. Hinc neque in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ licitum eſt Sacerdoti, & Confeſſario minus probabilem opinionem ſequi relicta probabiliore, & tutiore, nec tenetur judicium ſuum accommodare opinioni minus probabili pœnitentis: imò graviter peccaret, ac miniſterium ſuum proderet, ſi abſolveret pœnitentem ſecutum opinionem minus probabilem, & in eo perſeverantem, ſiquidem Confeſſarius adminiſtrans Sacramentum pœnitentiæ Judex eſt, & ſacramentalis abſolutio eſt actus judicialis, ut definitur à Tridentino Synodo, & ad Sacerdotem ſeu pœnitentiæ Miniſtrum pertinet diſcernere inter lepram, & lepram, & pœnitentem ſolvere, vel ligare, ac illi pro modo culpæ pœnitentiam injungere. Sed Judex tenetur ſequi opinionem probabiliorem, & ſi ſe accommodaret ſententiæ pœnitentis, cumque abſolveret ſecutum opinionem minus probabilem, non fungeretur amplius officio Judicis, ſed pœnitens ipſe conſcientiæ ſuæ Judex eſſet in pœnitentiæ tribunali, in quo eligeret pro arbitrio ſuo ſententiam ligantem vel ſolventem, nam cum Sacerdos judicat eſſe reſtituendum, negotiationem dimittendam, votum adimplendum, occaſionem peccati relinquendam vel quid ſimile poſſet pœnitens ſtatim objicere, favere ſibi opinionem probabilem, ſecundùm quam non tenetur ad reſtitutionem ad negotiationem dimittendam, ad votum adimplendum, & ad occaſionem peccati relinquendam, quapropter in foro animæ Judex non errans adigeretur ſequi judicium rei errantis, non verò reus judicium ſacerdotis, & ſententiam Judicis.

Hinc neque poteſt Sacerdos conſtitutum in extremis, & jam jam agentem animam viribus deſtitutum abſolvere, ſi loqui non poſſit, nec ul-

lum signum doloris dare neque antea dederit, tametsi piè, ac Christianè vixerit, ratio est, quia hoc Sacramentum pœnitentiæ se habet per modum judicii, in quo Sacerdos est Judex, & pœnitens simul accusator, & reus; & nisi accusator & reus accuset sua delicta, non potest Judex sententiam dare, quapropter semel quod Sacramentum pœnitentiæ fuit à Christo institutum per modum judicii, non potest à sacerdote aliter ministrari, nisi prout institutum fuit à Christo scilicet per modum judicii; & in judicio non potest Judex procedere, nisi reus præcedat, seu nisi præcedat accusatio rei: & si pœnitens ita sit constitutus in vitæ extremis, ut nullum amplius possit signum sensibile dare, nec illud antea dederit, tunc reus in hoc judicio non præcedit, consequenter non potest Judex procedere ad sententiam absolutionis. Neque dicas posse contingere, ut constitutus in mortis articulo eliciat verum dolorem internum, quamvis non possit per signa extrinseca manifestare, & cùm absolutio impertiatur sub conditione, si habeat materiam sufficientem absolutionis non videtur, cur non possit illi sub conditione absolutio impertiri. Nam contra est, quia debet hoc judicium ministrari eo pacto, quo fuit à Christo institutum, & quia Christus illud instituit per modum judicii sensibilis, ideo quæ concurrunt ad formandum hoc judicium debent sensibilia esse, & talis non est internus dolor, nec materia confessionis, quæ à pœnitente sensibiliter non subjicitur clavibus Ecclesiæ, proinde non potest, nec sub conditione hoc Sacramentum ministrari, si pœnitens non det signa sensibilia doloris, & exhibeat materiam sensibilem, supra quam cadat sententia seu absolutio. Si dicas sufficere pœnitentem fuisse virum Christianis virtutibus addictum pium, ac frequentâsse Sacramenta, & in præcedentibus confessionibus habuisse verum dolorem, & exhibuisse sufficientem materiam. Contra est, quia dolor quem eliciuit in præcedentibus confessionibus non habet connexionem cum præsenti ultima confessione, potuit enim contigisse, ut ab ultima sacramentali confessione lethaliter peccaverit, & quod dolor præcedens non amplius perseveret. Præterea quia hæc ultima confessio sacramentalis sicut distinguitur, saltem numericè ab omnibus aliis præcedentibus ita requiruntur in ipsa distincta ea omnia, quæ constituunt hoc judicium sacramentale consequenter novus dolor distinctus à præcedente, sicut & nova absolutio, quæ distinguitur ab aliis præcedentibus.

Non licèt Theologo secundùm opinionem minus probabilem consilium dare, neque secundùm minus tutam, siquidem peccaret contra charitatem & legem Dei, & sicut illicitum est in rebus temporalibus, ubi agitur de bonis fortunæ vel vita tuenda præberet proximo consilium corporis sanitati vel bonis fortunæ probabilius nociturum, quàm profuturum: ita & multo magis illicitum est Theologo in rebus animæ, ac salutis æternæ consilium dare juxta opinionem minus probabilem, minusque tutam: siquidem vir Theologus vel moderator animarum, aut à confessionibus fidelium vices gerunt Christi, qui Magister est omnium nostrûm, Matth. 23. v. 10. *Magister noster unus est Christus*, qui loqui cum hominibus debet, *tanquam Deo per ipsum exhortante*, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. 5. *Et per exhortationem, qua exhortatur & ipse à Deo*, & sicut præcipuus Magistri Christi scopus, cum homines edocuit, fuit eos à noxiis cupiditatibus abstrahere: ita & viri Theologi moderatoris animarum est à rebus perituris & carnis concupiscentiis abstrahere homines, & eos docere exercitia virtutum, vitiorum fugam, motus concupiscentiæ compescere, insurgentibus tentationibus resistere, quapropter D. Paulus Actor. 21. ait: *Non subterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne consilium DEI.* Siquidem vir Theologus non quæ ipsi videntur probabilia, tantùm debet fideles docere, sed quæ sunt juxta consilium DEI, præsertim cùm fideles petentes consilium profiteantur servare doctrinam Christi, tenetur Theologus consilia DEI iisdem manifestare, & non quæ aliqualem probabilitatem videntur præseferre, in qua latet periculum labendi in grave peccatum; non enim propriis concupiscentiis debet Christianus vivere, quin potiùs iisdem mori, & ei tantum adhærere, qui pro omnibus mortuus est, ut scribit Apostolus 2. Corinth. 5. *Jam non sibi vivens, sed ei qui pro ipso mortuus est;* Christianus enim tenetur carnem suam convictis & concupiscentiis crucifigere, ut imitator sit sui Magistri, in id enim debemus incumbere studii, non ut aliquam umbram probabilitatis in actionibus humanis investigemus, sed ut quæ sit voluntas Dei, ut ait Apostolus 2. Corinth. 4. investigemus: non enim Christus nos docuit adhærere opinionibus, quæ vitiis viam sternunt prælucente aliqua tenui probabilitate, sed ut sanctè, ac piè vivamus in hoc sæculo, ut æternam possimus salutem consequi. Ceterum quale sit consilium, quod vir Theologus tenetur dare petentibus, indicat S. Ambrosius Epist. 72. ad Ecclesiam Vercellensem scribens: *Hoc est consilium DEI, habere explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt, suadere: quæ tutiora, demonstrare*, quia igitur vir Theologus vices gerit Christi in dandis consiliis circa res pertinentes ad animam & ad honestatem, ac bonitatem humanarum actionum debet meliora seligere, & probabiliora, & quæ sunt tutiora, aliis suadere, non quæ sunt deteriora, minus probabilia: Hinc non approbantur illæ propositiones, quæ in quibusdam leguntur Authoribus: *licèt consultori consilium dare secundùm illam opinionem, quæ ipsi minus probabilis, minusque tuta esse videtur*, ut etiam hæc alia: *Si quis sibi vult consuli secundùm eam opinionem, quæ sit faventissima, peccat qui non secundùm eam consulit*, ut etiam hæc alia: *Potest etiam ad libitum consulere modo secundùm unam, modo secundùm aliam sententiam: dummodo caveat, ne incurrat levitatis notam.* Quodque dolendum, viri etiam Theologi reperiuntur, qui in dandis consiliis volvunt Authores, & si inveniant aliquid probabilitatis extrinsecæ, statim eidem adhærent, & juxta eandem suum exhibent consilium, & illis tantùm sufficit unum vel alterum invenisse Authorem faventem sententiæ laxiori, non enim est licitum plures legere casuistas ea intentione, ut ex eorum opinionibus ea eligatur, quæ laxitati videtur magis favere, & esse commodior alteri petenti consilium, eò quia inde possit aliquid temporale lucrari, vel propriæ concupiscentiæ indulgere, neque quid aliud esse dixeris ita quærere Authorum sententias laxiores quàm tenebrosum illum cordis oculum, qui totum corpus obscurat, & tenebrosum efficit, est enim hæc intentio, qua non quæritur veritas, sed laxitas, & cupiditas inquiritur, cujus documentum exhibet Balaam in sacra scriptura Num. 22. Cum enim Balach rex Moabitarum quosdam misisset homines, qui Balaam

laam ad maledicendum populo Dei conducerent, monetur ille divinitus, ne impio regi obſequatur, quidni miſſi Oratores revertuntur non expleta voluntate regia. Verum quia rex cenſuit ſibi magis utile, ſi ad ipſum Balaam accerſeret imprecaturus populo Dei, adhuc alios miſit cum amplioribus muneribus, quibus eum allicerent, eique perſuaderent acceſſum ad regem; ſed Balaam conſtans in ſuo propoſito id dedit Legatis reſponſi: *Si dederit mihi Balach plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare Verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Hæc reſponſio videbatur Balaamo recta, ac procedere ex recta intentione, ſed in ſuperficie tantùm, & verbaliter, eò quia ſignificet ſe nullis muneribus ab officio poſſe dimoveri, & nihilominus quia occulta ſordeſcebat avaritia mandatum Dei ad ſuam cupiditatem inflexit, ait enim Auguſtinus quæſt. 48. in Numer. *Ibi ſe victum cupiditate monſtravit, ubi loqui ſibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam, devictamque muneribus permiſit eum ire, hoc ipſo confundens illius dementiam, quòd prohibitionem Dei transgredi aſina non auderet, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eandem cupiditatem timore ſupprimeret. Cur poſt illam permiſſionem Dominum iterum non conſulit, & poſt illam prohibitionem iterum conſulendum putavit, niſi quia ejus maligna cupiditas apparebit, quamvis timore Dei premeretur.* Per iteratas preces nitebatur in ſuo voto Deum flectere, & avaritia captus iter ſuſcepit illectus muneribus Balach, quæ prætulit Dei mandato, quod tamen non vult aſina transgredi, & magiſtra Prophetæ eum docuit non eſſe DEI mandata transgredienda ob principis exhibita munera. Perinde videntur exequi, qui varios evolvunt Doctores ea intentione, ut ex eorum opinionibus eam poſſint ſeligere, quæ petentibus conſilium poſſunt favere, & à quibus aliquid valeant lucri accipere: ſciunt mandatum Dei & conſilium ſanctorum Patrum contrarium eſſe petenti conſilium, ejusque ſententiæ laxiori, ſed ut ejus poſſint cupiditati favere, Doctorum evolvunt volumina inventuri in ipſis aliquid probabilitatis, cui poſſit petens conſilium acquieſcere, ſed iſti viam Balaam ingrediuntur, ſi non aſina, ſaltem propria conſcientia renitente, ſed ait Propheta: *Pluit ſuper peccatores Deus laqueos,* ſeu interprete Auguſtino *lege invariabili ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.* Hinc Iſaias cap. 30. ait: *Populus ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra Sanctus Iſrael;* &, ut ait Apoſtolus, hujusmodi Theologi ſequentes opiniones laxiores, evolventes volumina Doctorum ea intentione, ut quæ eorum opinionibus favent, inveniant, non verò quæ probabiliora ſunt & tutiora, coacervant ſibi Magiſtros prurientes auribus & à veritate auditum avertunt.

LIBER TERTIUS

DE

Sacramentis novæ Legis.

Quamvis circa Sacramenta novæ legis apud Priſcos Patres fuerit aliqua controverſia, an plura ſint, quàm ſeptem, eo quia aliqui confuderint ſacramentalia cum Sacramentis; conſtat tamen ex Conciliis Florentino in decreto Eugenii, & Tridentino ſeſſ. 7. can. 1. ea ſeptem eſſe à Chriſto inſtituta, ſuntque Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium: & ſi quis plura, vel pauciora eſſe dixerit, Tridentina Synodus anathemate percutit. Nilominus ſectarii auſi ſunt hunc ſeptenarium numerum minuere. Tribus ſiquidem modis ſuſtulerunt quinque ſacramenta, & duo tantum retinuerunt, Baptiſmum, & Euchariſtiam. Secundò aſſerunt, Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem; & parvulos nondum ablutos Baptiſmi unda poſſe æternam conſequi ſalutem. Tertiò negant Chriſtum in Euchariſtia eſſe realiter præſentem. Et in hac triplici hæreſi, nec cum antiquis Patribus, nec inter ſe ſectarii conveniunt, adeo ut indigeant nova regula, qua inter ſe concordent, ut infra oſtendemus, cum de numero Sacramentorum agemus.

CAPUT I.

De nomine & Exiſtentia Sacramentorum ante Chriſti Adventum.

HOc nomen Sacramentum à ſacro derivari nulli poteſt dubium eſſe; ejus tamen ſignificatio multiplex eſt ex varia relatione ad rem ſacram, quam violari nefas ſit; hinc aliter apud gentiles Latinos, aliter apud Juriſperitos, aliter apud ſacros ſcriptores, ac demum aliter in uſu

Digitized by Google

S.S. Patrum, Conciliorum, ac Theologorum significari. Notant enim Pamelius de Rescript. cap. 4. & Lanfrancus apud Priscos homines significâsse pecuniam depositam in loco sacro, *ut qui causa caderet, eâ privaretur, cederetque publico ærario.* Unde Sacramentum idem erat ac pignus in loco sacro depositum à litigantibus, eâ conditione, ut illud perderet in pœnam, qui improbus litigator fuisset adjudicatus, & tunc pignus cederet communi ærario, suum verò reciperet, qui causam obtineret,& hoc pignus teste Varrone de lingua Latina Sacramentum dicebatur; & in hac significatione nomen hoc Sacramentum nostris etiam convenit, quatenus per ea nos DEO oppigneramus, ac devovemus. Secundò apud Jurisperitos significat Sacramentum juramentum quodlibet præsertim militum, adeout quicquid jurisjurandi sacratione interposita geritur Sacramentum diceretur ut notat Vegetius lib. 2. hac ratione juramentum per rei sacræ contestationem editum, scilicet DEO vocato in testem promissionis, seu veritatis alicujus Sacramentum appellatum sit, quâ significatione usurpatur hoc nomen Sacramenti non solùm apud profanos Authores, sed etiam in jure canonico causa 22. quæst. 4. cap. qui Sacramento, qu. d ex Canone 7. Concilii Herdensis desumptum est. Ut etiam causa 14. quæst. 8. cap. *Sacramentum* ex cap. *Nos*, primo & secundo. In sacris verò scripturis Sacramentum possim sumitur ad significandum occultum mentis secretum, seu mysterium; etenim Tobiæ 2. ubi græcè habetur *Mysterium regis abscondere bonum est* in vulgata latina legitur *Sacramentum Regis abscondere bonum est*: & ad Ephes. 1. ubi græcè dicitur *ut notum faceret mysterium voluntatis suæ*, latinè legitur: *ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ.* Et Apostolus ad Timoth. 3. vocat *Mysterium* Incarnationis *magnum pietatis Sacramentum* & Sapient. 2. Impii dicuntur nescisse Sacramenta DEI: Hinc sumitur Sacramentum pro re sacra abdita & occulta, perinde ac nomen mysterii, in quo sensu Apostolus ad Ephes. 1. 9. *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*, & ad Ephes. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Interdum etiam significat rei arcanæ quamvis nefariæ signum, Apocal. 13. 7. *Et dixit mihi Angelus: quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam.* Cæterum D. Augustinus usurpat nomen Sacramenti pro signo rei sacræ, & abditæ inquiens lib. X. de civit. Dei cap. 5. *Sacrificium ergo visibile invisibilis Sacramentum Sacrificii, id est, sacrum signum est*; & in hac significatione convenit sacramentis novæ legis. A Patribus itidem, Conciliis, & Theologis sumitur hoc nomen Sacramentum pro signo sensibili rei sacræ, seu pro eo quod sub se continet rem aliquam occultam, & sacram, non utcunque, sed ut consecrantem hominem Deo, quo pacto etiam usurpatur à D. Augustino lib. 15. de civit. cap. 26. ubi de latere Christi lanceâ perfosso ait: *Inde Sacramenta manârunt, quibus credentes initiantur.* Et D. Ambrosius librum, in quo tractat de Sacramentis baptismi, & Eucharistiæ inscripsit de iis, qui mysteriis initiantur; mysterium enim græcè idem significat ac latinè Sacramentum. Et D. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 5. ait: *Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibebantur DEI cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet quodammodo deputabuntur ad cultum Dei.* Sumptum Sacramentum pro eo quod sub se continet rem aliquam occultam, & sacram, idem est etiam, ac mysticum symbolum, in quo sensu orationes, & collectæ vocabantur olim in Ecclesia Sacramenta, ut notat Pamelius Tom. 2. Lythurgiæ & à D. Augustino lib. 8. de Genes. ad lit. cap. 4. lignum vitæ dicitur Sacramentum Christi. Quinimo SS. Patres interdum quælibet sacramentalia, & ceremonias vocant Sacramenta, ea ratione, quia significent aliquid sacrum, & abditum, seu occultum. Hinc ab Augustino definitur Sacramentum *sacrum signum* lib. 11. de civit. DEI cap. 15. & in hoc sensu omnes Catholici sumunt sacramentum pro signo occulto rei sacræ, non tamen cujuslibet, sed solius sanctitatis internæ, & desumitur ex illo Apocal. cap. 1. *Scribe sacramenta septem stellarum quam vidisti in dextera*: & cap. 7. *dicant tibi sacramentum mulieris*, ubi Sacramentum sumitur pro signo rei latentis. Prætérea quia D. Thomas docet in 3. part. art. 1. Sacramentum esse in genere signi; idque non aliter probat quàm ex communi SS. Patrum, & Theologorum sententia, & usurpatione. Tripliciter enim potest aliquid dici sacrum formaliter, effectivè, & significativè, & Theologi hanc ultimam significationem tribuunt Sacramento, adeout Sacramentum significet rem sacram, seu sanctitatem ad quam dicit habitudinem, & cujus est signum. Unde D. Augustinus lib. 10. de civit. cap. 5. ait: *Sacramentum, id est, sacrum signum.* In hoc sensu nomen Sacramentum semper ab initio Ecclesiæ usurpatum fuit, quicquid in contrarium obstrepent Lutherus, Melanchton, Carolstadius, Zvvinglius, Calvinus, & alii sectarii. Siquidem in sacris scripturis hoc nomen Sacramentum non solùm in communi, & generica significatione usurpatur pro ut rei sacræ abditæ, & occultæ est signum, in quo sensu Apocal. 1. habetur *Sacramentum septem stellarum* & per septem stellas significantur totidem Angeli: *Septem stellæ Angeli sunt septem ecclesiarum.* Verùm etiam specifica, & maximè propria significatione, ut ab Ecclesia usurpatur; etenim D. Paulus ad Ephes. 1. loquens de sacramento matrimonii ait: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, & loquitur de conjunctione externa, & sensibili viri, & mulieris, de qua præmiserat. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*, fatetur Apostolus; hoc sacramentum magnum esse, hoc est, signum rei sacræ spiritualis, & latentis, seu conjunctionis Christi & Ecclesiæ, & ex illa sacramenti matrimonii ratione probat viros diligere debere suos uxores, perinde ac Christus dilexit Ecclesiam, hinc Sacra Synodus Tridentina infert matrimonium esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à Christo institutum, sed antiqui Patres Baptismum, Eucharistiam, & alia id genus sacra symbola nomine sacramenti significant, ut Tertullianus *lib. de prescript. Heretic. cap. 40. & lib. 1. contra Marcionem cap. 54.* S. Cyprianus *epist. 72.* S. Augustinus *epist. 54. ad Januarium & lib. 2. de doct. Christ. ad 3.* S. Hilarius in Psal. 121. Unde quamvis in sacris scripturis nomen sacramenti in ea significatione non haberetur, qua illud Ecclesia usurpat, adhuc esset retinendum ob authoritatem traditionis & usu antiquissimo Ecclesiæ, perinde ac alia nomina, quæ ab Ecclesia adhibentur ad fidem explicandam, & declarandam, tametsi in scripturis non habeantur, cujusmodi sunt hæc nomina Trinitas, Consubstantialitas, ingenitus, incarnatio. Cæterum nova vocabula in explicandis mysteriis religionis

ligionis adhibere, & excludere, quæ ab eccleſia fuerunt ſemper recepta, & uſurpata, non vacat periculo, & incurritur ſemper audaciæ nota, unde D. Auguſtinus lib. 10. de civit. Dei cap. 23. act. Liberis enim verbis loquuntur Philoſophi, nec in verbis ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſorum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur impiam gignet opinionem.

Circa vera Sacramenta quæ fuerunt ante Chriſtum, ut ea ſignificemus, plures poſſumus hominum ſtatus diſtinguere, ut ſtatum puræ creaturæ, in quo ad gratiam & finem ſupernaturalem non fuiſſet homo elevatus, potuiſſet enim homo à Deo ita condi, ut intra limites puræ naturæ relinqueretur ſine elevatione ad ſtatum ſupernaturalem. Secundò poſſumus conſiderare ſtatum innocentiæ, qui de facto fuit, & extitit illo brevi tempore, antequam Adam peccaret. Tertiò ſtatum innocentiæ, qui licet non fuerit, fuiſſet tamen, ſi Adam non peccâſſet. Quartò ſtatum legis naturæ, qui viguit ab Adam uſque ad Moyſem, imò uſque ad Chriſtum extra filios Jacob, quia ante Chriſti adventum gentiles lege naturali dirigebantur, & Iſraelitæ per legem, quam Moyſes à Deo acceperat. De primo ſtatu puræ naturæ non poteſt eſſe difficultas, quia in illo non fuiſſet homo ullius gratiæ capax, proinde non fuiſſet neceſſarium ullum ſignum gratiæ: Quamobrem difficultas eſt de aliis ſtatibus, & controverſia eſt, an poſito, quod Adam non peccaſſet, Deus fuiſſet inſtituturus eadem Sacramenta, quæ habemus, vel alia ſimilia. Reſpondetur in ſtatu innocentiæ, qui extitiſſet, ſi Adam non peccaſſet, & perſeveraſſet, in poſteris nulla fuiſſe inſtituta Sacramenta ſaltem ex vi illis decreti, ex quo DEUS illa de facto inſtituit, imò & probabile eſt, neque ex vi alterius decreti, quod poſſit probabiliter colligi ex eo, quod DEUS habuit. D. Thomas hic de Sacramentis art. 2. probat primam partem aſſertionis ex eo, quod Sacramenta omnia ſint medicina: ſed ſanis opus non eſt medicina, & in illo ſtatu innocentiæ omnes fuiſſent ſani, conſequenter non indiguiſſent medicina neque Sacramentis. Præterea quia in eo perfecto ſtatu, in quo nondum pars hominis ſuperior obedierat concupiſcentiæ, non videbatur decere, ut ejus cognitiones ſupernaturales ſignis ſubjicerentur corporeis, demum quia DEUS præſciebat breviſſimum futurum ſtatum illum innocentiæ, unde non oportebat, ut in illo ſtatu pro tam brevi tempore ullum inſtitueret Sacramentum, de cujus ratione eſt, ut ſit ſtabile & permanens. Secunda pars negans futura Sacramenta ex vi ejuſdem decreti, quo fuiſſent, ſi Adam non peccaſſet, conceditur ab iis omnibus, qui negant fuiſſe Chriſtum venturum in illa hypotheſi, quamvis ab aliis affirmetur, qui docent adhuc venturum fuiſſe Chriſtum, ſi Adam non peccâſſet. Ratio eſt, quia ſublato motivo formali alicujus decreti divini, tollitur etiam ipſum decretum, ſed ſublato peccato Adæ tollitur totum motivum, propter quod fuerunt inſtituta Sacramenta, quia primarium motivum hujus decreti inſtituendi Sacramenta fuerunt merita paſſionis Chriſti, atqui ablato Adæ peccato non fuiſſent merita paſſionis Chriſti, quia ſaltem Verbum divinum non fuiſſet incarnatum in carne poſſibili, conſequenter non fuiſſent Sacramenta ex vi ejuſdem decreti: Quòd verò neque fuiſſent Sacramenta ex vi alterius decreti, quod poſſit probabiliter colligi ex eo, quòd de facto DEUS habuit, probatur facile, quia ex decreto, quod DEus habuit, non magis colligi poteſt futura Sacramenta, ſi Adam non peccâſſet, quam futurum Chriſtum ſublato tali peccato: ſed ex decreto, quod DEus habuit, non poteſt colligi futurum Chriſtum, ſi Adam non peccâſſet, ergo neque poteſt colligi futura Sacramenta. Minor oſtenditur, quia cum Chriſtus eo tantum fine venerit, ut populum ſuum redimeret, & ſalvum faceret omnes, qui perierant præſertim per peccatum originale, ideo ex decreto, quod DEus de facto habuit, non poteſt colligi futurum Chriſtum, ſi Adam non peccâſſet, ergo cum nihil poſſimus colligere ex decreto, quod DEUS de facto habuit de futuro Chriſto, ſtante peccato Adæ. Neque poſſumus colligere de Sacramentis, quæ per hoc decretum ſunt inſtituta ex meritis Chriſti in remedium naturæ lapſæ per peccatum.

Dices in ſtatu innocentiæ, qui revera fuit, quamvis breviſſimo tempore lignum vitæ plantatum in medio paradiſi erat ſignum vitæ nobis per gratiam propagandæ, præſertim in Euchariſtia. Rurſus matrimonium in illo ſtatu innocentiæ fuit verum Sacramentum. Apoſtolus enim ad Epheſ. 5. loquens de conjugio Adami, & Evæ, expreſſe illud vocat Sacramentum, inquiens: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, quæ verba explicantes ſancti Patres, aſſerunt tunc, cum ex Adæ coſta formata, & quaſi educta eſt Eva, fuiſſe Adæ revelatam nativitatem eccleſiæ ex vulnerato Chriſti latere, ex quo manavit ſanguis, & aqua in pretium, & lavacrum; ſanguis enim fuit pretium noſtræ redemptionis, & aqua in lavacrum per baptiſmum; imò & connubium Chriſti cum eccleſia, de quo propheticè dixit Adam, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, conſequenter dubitare non poſſumus, qui in ſtatu innocentiæ ante peccatum Adæ extiterint vera Sacramenta. Sed contra, quia neque lignum vitæ, neque primorum parentum conjugium fuerunt Sacramenta, quia tunc non fuerunt inſtituta ut immediata ſigna gratiæ ſanctificantis, lignum quidem vitæ fuit figura Euchariſtiæ, quam ſolam ſignificabat immediatè, & gratiam ad ſummum non niſi mediatè, ſeu mediante Euchariſtia, cujus lignum vitæ erat Symbolum, unde licèt lignum vitæ fuerit figura Euchariſtiæ, non tamen ipſum fuit Sacramentum; pari pacto matrimonium protoparentum fuit figura conjunctionis verbi cum carne, & Chriſti cum eccleſia, adeo ut cœperit matrimonium ex eo tempore eſſe myſterium & Sacramentum in latiori ſignificatione: ſed poſtea ex inſtitutione Chriſti ſignificavit, & contulit gratiam, & propriè fuit Sacramentum, juvat tamen obſervare, quod D. Paulus non dicit, Sacramentum hoc magnum fuit in præterito, ſed Sacramentum hoc magnum eſt in præſenti, ex quo liquet Apoſtolum non fuiſſe locutum de præterito ſtatu innocentiæ.

Aſſerendum eſt ſecundò in lege naturæ [illegible] fuiſſe à DEO inſtitutum remedium aliquod pro parvulis ut mundarentur à peccato originali, & hoc remedium non fuiſſe ſolam internam fidem parentum, ſed verum Sacramentum, quamvis non eſſet certa, ac determinata cæremonia omnibus communis, pro quo obſervandum eſt legem naturalem hic non ſumi pro ea, in quam ſolùm naturale rationis lumen, quæ facienda ſunt dictat: quia erant in lege naturæ præcepta ſupernaturalia & divinæ revelationes, quapropter dicitur lex naturalis eò quia, ut loquitur Auguſtinus, ejus præcepta ſcripta tan-

Digitized by Google

tantum erant in naturalibus cordis nostri tabulis, non atramento, sed Spiritu DEI vivi, & hæc lex duravit à mundi exordio usque ad Moysem, his positis probatur assertum quoad primam partem, quia Innocentius III. in cap. Majores de baptism. ait: *Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire aliquod remedium procuravit ad salutem.* Hinc juvat argumentari, Deus quantum est ex se neminem vult perire voluntate saltem antecedente, sed hoc velle non potest, si non det omnibus media saltem generalia, quorum beneficiis possit quisque salutem consequi, dummodo nulla causa secunda id impediat: ergo posita illa voluntate, qua DEus, quantum est ex se, neminem vult perire, sequitur, quod DEUS debuit omni tempore providere parvulis generale aliquod remedium, quop urgarentur à macula originali, ac æternam consequerentur salutem. Hanc eandem assertionem alia ratione probat D. Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 9. ubi ait: *Non est credendum famulos Dei ante datam circumcisionem, quandoquidem inerat illis Mediatoris fides, nullo sacramento ejus opitulatos esse parvulis suis, quamvis quod illud esset divina scriptura tacere voluerit.* Vult igitur Augustinus, quod sicut propter fidem in Christum circumcisio proderat parvulis ex Abrahamo oriundis, & contritio adultorum ex eadem fide habebat eandem efficaciam; ita quocunque tempore fuerit, eadem fides debuit parvulis esse utilis, viguit autem in lege naturæ fides Mediatoris, ut constat ex S. Job: ergo etiam remedium aliquod datum est infantibus ex ipsius Mediatoris meritis.

Quòd verò hoc remedium non fuerit solus internus actus fidei elicitus à parentibus sine ullo exteriori signo, probatur contra Vasquez. disput. 165. cap. 3. ubi citat D. Thomam *in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 6.* & alios quos vult docuisse, hoc remedium non fuisse nisi fidem parentum, quamvis D. Thomas *quæst. 60. art. 1.* doceat oppositum, quapropter probatur secunda pars, quia illud remedium, per quod constare debuit parvulos ecclesiæ fidelibus aggregatos esse, debuit esse sensibile & externum: sed hujusmodi fuit remedium illud parvulorum in lege naturæ, ergo non fuit sola interna fides parentum, quia hæc non est quid sensibile, & externum. Minor suadetur, quia etiam in lege naturæ aliqua erat fidelium ecclesia omnino visibilis, & sensibilis, consequenter in eo debebat constare sensu, seu extrinsece sensibiliter, quinam essent illi aggregati: quia si ecclesia erat corpus sensibile, & omnes conveniebat in cultu externo fideles debebant cooptari in societatem ecclesiæ modo sensibili, siquidem cooptatio debet esse proportionata cooptantibus: ergo cum cooptarentur per remedium originalis, debuit hoc remedium esse sensibile, quia debuit esse signum cæremoniale sensibile significativum gratiæ, quia tunc parvuli per tale remedium justificabantur: ergo hoc remedium non potuit esse solus actus internus fidei elicitus à parentibus. Præterea quia in lege scripta sicut constare debebat de masculis, qui aggregati erant ecclesiæ, ita constare debebat de fœminis per remedium sensibile, sed fœminis non applicabatur nisi remedium legi naturæ, quia non poterant circumcidi ut masculi, ergo illud remedium erat sensibile. Rursus quia eatenus diceretur hoc remedium fuisse fides interna, quia per illud non conferebatur gratia, nisi ex opere operantis hæc enim est unica & tota ratio, quâ nititur Vasquez. *loc. cit.* quæ tamen ratio non subsistit, quia hæc fides interna, ut esset meritoria, debet esse informata charitate proinde invalidum fuisset remedium, nisi collatum fuisset à peccatore, proinde dubius semper fuisset valor remedii, quod nullo pacto est dicendum. Denique debuisset hæc fides esse supernaturalis, quæ tamen tunc temporis difficillima erat, & nihilominus ratio exigebat, ut applicatio hujus remediis esset facillima: ergo hoc remedium non erat fides illa interna, sed externum aliquod signum sensibile, ac protestativum internæ fidei, & ita intelligendi sunt illi sancti Patres, qui dixerunt pueros fuisse tunc justificatos per solam fidem, quia nomine fidei intelligebant, hanc externam fidei protestationem, ut S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 3. ait: *Quòd verò apud nos valeat aqua baptismatis, hoc apud veteres egit vel sola fides vel pro majoribus virtus sacrificii,* ubi vocat signum hoc fidem, eò quia in signo exteriori significabatur protestatio fidei.

Probatur tertia pars, quia hoc remedium fuit Sacramentum, ut docet D. Thoma 3. *part. quæst. 61. art. 3.* S. Cyprianus *lib. de cardinalibus Christi operibus cap. de circumcisione* D. Augustinus *lib. 5. contra Julian. cap. 6. & lib. 2. de nupt. cap. 11.* ubi expressè vocat hoc remedium Sacramentum. Ratio itidem est, quia remedium illud erat ceremonia sacra sensibilis significans sanctificationem, quæ tunc conferebatur puero: sed hoc sufficit ad veram rationem Sacramenti: ergo remedium illud erat verum Sacramentum. Præterea quia erat signum cæremoniale sensibile significativum gratiæ; quia tunc parvuli justificabantur, quod est de ratione Sacramenti, demum quia cooptatio, quo parvuli cooptabantur in societatem ecclesiæ, sensibili modo erat facienda nomine ecclesiæ consequenter debuit esse aliqua cæremonia publica externa & sensibiiis. Neque ad rationem Sacramenti præcisè requiritur cæremonia determinata in specie, sed sufficit: si Deus illam instituerit in genere, ut homines usurparent actionem aliquam protestativam fidei, cui Deus infallibiliter annecti voluisset justificationem pueri ergo constat hoc remedium in lege naturæ habuisse veram rationem Sacramenti: quòd si dicas ex D. Gregorios lib. 4. Moral. cap. 5. *Id quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egisse apud veteres pro parvulis solam fidem,* consequenter tale remedium non fuisse quid sensibile, nec habuisse rationem Sacramenti. Contra est, quia ut paulo superius diximus, D. Gregorius fuit locutus de fide cum externa professione & sensibiliter declarata. Quod si dicas, in lege naturæ non habuisse locum præceptum positivum: ergo neque Sacramentum; Contra est, quia tametsi in lege naturæ non habuerit locum præceptum positivum, quod non fuit necessarium pro necessaria providentia, habuit tamen locum præceptum positivum hoc pacto necessarium, & hoc Sacramentum fuit ita necessarium, consequenter etiam habuisset locum hoc præceptum, quamvis non fuisset Sacramentum, quia adhuc debuisset à DEO institui remedium aliquod pro originali: si dicas, hoc remedium non fuisse determinatum neque institutum à DEO, consequenter non fuisse Sacramentum. Contra est, quia quamvis non fuerit institutum in specie, fuit tamen à DEO institutum in genere, quatenus fuit institutum signum aliquod externum protestativum fidei internæ, neque fuit necesse hoc signum externum esse specificè determinatum,

sed

ſed ſufficiens fuit, ſi per aliquod ſignum externum, qualecunque id fuerit, ſignificaretur fides interna per habitudinem ad ipſam fidem. Quòd ſi dicas, inde ſequi remedium originalis eſſe magis coarctatum in lege gratiæ, quam fuerit in lege naturæ. Contra eſt, quia inde non ſequitur fuiſſe difficilius, quia major difficultas poteſt eſſe in eliciendo actu fidei ac in determinato ſigno ſenſibili, quàm reperiatur in applicanda aqua pro baptiſmo. Præterea quia hoc idem argumentum etiam valeret, ſi remedium originalis fuiſſet tantum fides interna parentum, ſed dices, ſi fuiſſet à DEO inſtitutum aliquod hujuſmodi remedium, utique deberet conſtare de illius inſtitutione vel ex ſcriptura, vel ev certa traditione, vel ſaltem ex aliqua hiſtoria ſacra vel profana: ſed ante D. Auguſtinum nullus poteſt citari qui meminerit hujus remedii, quod propterea fictitium eſt. Præterea quia ſi fuiſſet aliquod tale remedium inſtitutum vel illud juſtificaſſet puerum ex opere operato vel ex opere operantis. Primum nequit dici, quia hoc ſolis Sacramentis novæ legis fuit reſervatum: neque ſecundum, quia ſi contuliſſet gratiam ex opere operantis, utique neceſſarium fuiſſet, ut Miniſter Sacramenti eſſet in ſtatu gratiæ, quo pacto dubia ſemper fuiſſet de collatio Sacramenti. Sed contra, tale remedium eſſe fictitium quamvis nullus antè Auguſtinum illius meminerit, quia ex his, quæ habentur in ſcripturis & ſanctis Patribus de DEI voluntate generali ſalvandi omnes & de Chriſto univerſali Redemptore ſufficienter & certè ac infallibiliter concluditur illud fuiſſe à DEO inſtitutum. Ad aliud, quod addebatur de opere operato, & operantis, reſpondetur tale remedium nec ex opere operato, nec ex opere operantis contuliſſe gratiam, quia etiam circumciſio eam conferebat, & tamen nec ex opere operato, nec ex opere operantis, ſiquidem erat tantum conditio, qua poſita intuitu meritorum Chriſti DEUS conferebat gratiam: Cauſare gratiam ex opere operato eſt habere ex ſe efficaciam cauſandi gratiam, perinde ac cauſæ naturales vim habent producendi proprios effectus: cauſare verò ex opere operantis eſt cauſare per modum meriti, ac impetrationis, quatenus ſuſcipiens Sacramentum elicit aliquem actum bonum, qui de congruo meretur gratiam, quam impetrat à Deo. Et remedium parvulorum in lege naturæ neutro modo, cauſabat gratiam.

Aſſerendum eſt ulteriùs, in lege ſcripta circumciſionem fuiſſe verum, ac proprium Sacramentum, ut docent communiter cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 3. & evincitur ex illo Apoſtoli ad Roman. 4. *Signum accipit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei*: ſcilicet gratiæ ſanctificantis, vel tunc collatæ ſaltem ex opere operantis vel conferendæ nobis per baptiſmum, quem Apoſtolus vocat circumciſionem non manu factam, ad Coloſſ. 2. *Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis*: quia circumciſio corporalis fuit ſignum circumciſionis ſpiritualis, ut aggregarentur homines eccleſiæ, & populo DEI: præcipuus enim finis, ob quem fuit inſtituta circumciſio fuit tantùm ut ſpecialiter populo DEI aggregarentur poſteri Abrahæ, & à cæteris populis ſegregarentur ii, qui peculiariter DEUM non colerent & crederent venturum Meſſiam, ut docent Sancti Patres, Chryſoſtomus, Irenæus, Cyrillus, & alii. Rurſus fuit inſtituta circumciſio in remedium peccati originalis, non quòd ex opere operato illius deleret, ſed quia ſi nullo remedio legis naturæ priùs adhibito ſublatum eſſet peccatum, circumciſio id præſtaret, & ad juſtificationem parvulorum poſſet totum illud conferre, quòd contuliſſet remedium legis naturæ, ut docent communiter Theologi poſt Sanctum Auguſtinum, ergo cum circumciſio fuerit ſignum ſenſibile, ſignificans gratiam, ſeu ut loquitur Apoſtolus fuit ſignaculum juſtitiæ fidei: ſequitur fuiſſe verum Sacramentum. Verum an circumciſio fuerit inſtituta ad delendum originale, Sancti Patres circa præſens quæſitum non conveniunt. Juſtinus *in Dialog. contra Triphonem poſt init.* Irenæus *lib.* 4. *contra Heret. cap.* 30. Chryſoſtomus *homil.* 27. *in Geneſ.* Cyrillus *lib.* 1. *in Joan. cap.* 22. Epiphanius *hæreſi* 13. Damaſcenus *lib.* 4. *de fide cap.* 26. Ambroſius *in cap.* 4. *epiſt. ad Roman.* & alii negant fuiſſe circumciſionem inſtitutam ad delendum peccatum originale, & aſſerunt ejus inſtitutionem tantum fuiſſe ad conſignandum peculiare populi DEI. E converſo D. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Julianum cap.* 18. *& lib.* 2. *de nuptiis cap.* 15. Beda *lib.* 2. *in Lucam cap.* 8. Cyprianus *de Cardinalib. Chriſt. operib. cap. de circumciſione.* D. Bernardus *ſerm.* 3. *de circumciſione.* D. Proſper *de promiſſ. DEI part.* 1. *cap.* 14. Gregorius *lib.* 4. *Moral. cap.* 2. *&* 3. & Innocentius III. *in cap. Majores de baptiſmo* aſſerunt, fuiſſe circumciſionem inſtitutam ad delendum peccatum originale. Sed mihi videtur probabilior ſententia, ſcilicet quòd circumciſio non fuerit præcisè ordinata ad delendum originale, ſed ad ſegregandum populum electum & ita docet D. Thoma, 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 5. *ad* 1. quia remedium pro peccato originali debuit eſſe commune omnibus tum maribus tum fœminis, & circumciſio non poterat fœminis convenire. Præterea quia remedium pro originali non debuit prætermitti in deſerto. Et circumciſio fuit in deſerto prætermiſſa, conſequenter non potuit circumciſio ordinari ad delendum originale, ſed ad ſegregandum populum electum. Quamobrem circumciſio ex divina inſtitutione ſuperaddita fuit remedio peccati originalis; & hoc remedium, quo originale delebatur, ut commune maribus, & fœminis conſiſtebat in externa proteſtatione fidei, adeo ut circumciſio fuit remedium originalis, quatenus conjuncta cum proteſtatione fidei, quam ſpeciali modo exprimebat. Neque D. Auguſtinus, & alii ſancti Patres adhærentes ſecundæ ſententiæ quid aliud docuerunt, ratio eſt, quia quando fuit inſtituta circumciſio jam aderat remedium peccati originalis, quod remedium debuit eſſe commune etiam fœminis, conſequenter circumciſio non fuit inſtituta, ut præciſum remedium peccati originalis, ſed ut proteſtativa fidei per modum cujuſdam ſolemnitatis, qua circumciſi ſuſcipiebantur ab eccleſia in populum DEI, quapropter circumciſio eatenus fuit neceſſaria ad ſalutem, quatenus externa proteſtatio fidei, quæ erat remedium originalis, & conſequenter neceſſaria ad ſalutem, cui fuit determinata à DEO per illam ſpecialem circumciſionis cæremoniam. Cæterum in lege ſcripta præter circumciſionem fuerunt etiam pro adultis alia Sacramenta, ut docent Theologi, & deſumitur ex Concilio Florentino in decreto unionis, & in Tridentino *ſeſſ.* 3. *can.* 2. & hoc idem etiam docent SS. Patres, Dionyſius *cap.* 5. *de eccleſ. Hierarch. part.* 1. S. Ambroſius *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 4. *&* 6. ſiquidem illæ cæremoniæ, cujuſmodi erant agnus paſchalis, unctio ſacerdotum, aſperſio ſanguinis, & alia ejuſmodi ſanctificabant legaliter, erantque ſigna

publi-

Digitized by Google

publica firma; & stabilis à Deo instituta, ut passim habetur in Exodi & Levit. ac significabant gratiam conferendam per Christum, ut clarè habetur in tota Epist. D. Pauli ad Hebræ. consequenter erant vera Sacramenta, quæ fuerunt triplicis generis: alia enim erant consecrativa Sacerdotum: alia ad usum & participationem rerum Sacrarum, ut esus agni paschalis, & alia expiativa ab immunditiis legalibus, ut probat D. Thomas 1.2. *quæst.* 102. *art.* 5. ratio est, quia ad hæc tria genera reducuntur omnes cæremoniæ, quæ legaliter sanctificabant. Rursus hæc Sacramenta erant necessaria ad salutem necessitate præcepti, adeo ut non omnia fuerint omnibus necessaria, sed aliqua singulis; alia verò certis personis, ut colligitur ex Levit. & ex cap. 12. Exodi.

C A P U T II.

De Existentia Sacramentorum in lege gratiæ, ac definitione.

QUamvis in lege naturæ & scripta fuerint Sacramenta; iis tamen efficaciora sunt, quæ à Christo fuerunt instituta in lege gratiæ, quia, ut explicat Apostolum D. Dionysius, sacramenta in lege gratiæ *sunt virtute major, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora*, siquidem Sacramenta, quæ fuerant instituta à Deo ante Christum, fuerunt infirma, & non habebant efficaciam productivam gratiæ, sed illam tantùm per passionem Christi dandam esse præfigurabant: secus Sacramenta in lege gratiæ continent ipsam gratiam, quam dignè suscipientibus conferunt, cujusmodi sunt baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo & matrimonium, quorum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem ordinantur, & duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen ac multiplicationem pertinent, siquidem per baptismum spiritualiter nascimur per Confirmationem, augemur, stabilimur in gratia, & roboramur in fide, & nunc jam renati, & roborati nutrimur divino Eucharistiæ epulo. Quòd si per peccatum animæ ægritudinem incurrimus, sanamur spiritualiter per pœnitentiam rursus spiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expetit per extremam Unctionem: Præterea per Sacramentum ordinis Ecclesia gubernatur, & spiritualiter multiplicantur ejus Ministri, & per Matrimonium augetur corporaliter, hæc tamen novæ legis Sacramenta plures negârunt, & imprimis Ascodytæ apud Theodoretum *lib.* 1. *hæret. fabul. cap.* 13. Arcontici apud Epiphanium *hæresi* 40. Marchosæi, seu cujusdam Marci Discipuli apud Irenæum *lib.* 3. *cap.* 18. Catharistæ apud Sanderum *lib.* 7. *hæres.* 147. & si non omnia Sacramenta saltem plura recentiores Hæretici apud Staphylum *lib. de concordia Discipulorum Lutheri*, & ratio, qua nitebantur, erat, quia non oportet divina Mysteria, quæ sunt signa invisibilia per res, quæ videntur peragi, neque incorporea, & insensibilia per sensibilia, & corporea ut referente Theodoreto asserebant Ascodytæ, velut loquebantur Marchosæi apud Irenæum, quia non oportet inenarrabilis, & ineffabilis virtutis Mysterium per visibiles, & incorruptibiles perfici creaturas. Demum quia cum perfectissima fuerit Christi Redemptio, & per eam figuræ omnes & umbræ ablatæ absurdum est, ut iterum subelementis & figuris Sacramentorum quasi servi detineamur, ut loquuntur Hæretici nostri temporis.

Asserendum omnino est, in lege gratiæ fuisse vera ac propria Sacramenta instituta, & ita definitum fuit de fide in decreto fidei, & in Trident. *sess.* 7. & ita docent communiter Sancti Patres & Catholici; siquidem congruum omnino erat, ut DEUS media salutis hominibus provideret, quæ consentanea essent eorum naturæ: sed hominibus naturale est, ut ad cognitionem verum spiritualium, ac divinarum nonnisi per sensibilia perveniant, quia, ut ait S. Dionysius de cœlesti Hierarch. *Nam fas erat infirmitati nostræ lucere radium divinum, nisi sacrarum varietate velaminum opertum, & vestitum iis, quæ nobis sunt familiaria.* Et rursus de Eccles. Hierarch. observat, Hierarchiam hanc Ecclesiæ militantis sensibilibus signis constare cœlestem autem intelligibilibus, ut etiam notat D. Chrysostomus homil. 60. ad populum. Rursus quia ut rectè asserit D. Augustinus lib. 19. contra Faust. cap. 1. & epist. 118. ut ex tanta Gentium varietate, & hominum multitudine corpus Ecclesiæ coalesceret necessum fuit eos vinculo aliquo sensibili simul colligari & adunari: & hoc vinculum nihil aliud est, nisi ipsa Sacramenta novæ legis, siquidem, ut ait Augustinus loc. cit. *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis colligavit novi populi societatem.* Demum quia, ut ait Tertullianus lib. de baptismo cap. 2. *Sic Deus sapiens & potens merito in adversariis sapientiæ potentiaque, id est, in stultitia, & impossibilitate materias operationis suæ instituit, quoniam virtus omnis ab his causam accipit, à quibus provocatur.* Unde conveniens erat, ut DEUS ostenderet suam sapientiam, & potentiam assumendo res infimas, & viles ad producendum effectum omnium præstantissimum, seu gratiam ipsam sanctificantem, qua promovemur ad amicitiam Dei, & evehimur ad ejus adoptivam filiationem. Hinc ad rationem, cui innitebantur Hæretici, respondetur decuisse divina mysteria per res sensibiles peragi. Neque hoc est servire sub elementis hujus mundi, ut serviebant Gentiles adorantes elementa: nec sicut Judæi, qui infirmorum, & egenorum elementorum premebantur jugo sacramentali, ut loquitur D. Augustinus *lib.* 3. *de doctrin. Christ. cap.* 9. Sed potiùs, ut ait S. Dionysius per rerum sensibilium involucra, & symbola ad invisibilia divinæ lucis gradum facere.

Quod verò ad Sacramenti attinet definitionem *S.* Thomas 3. *part. quæst.* 60. *art.* 2. definit Sacramentum esse signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines, & Catechismus Concilii Tridentini duplicem exhibet Sacramenti definitionem breviorem unam, & alteram prolixiorem, & magis explicatam, prima est: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.* Et altera: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet*, & est idem sensus definitionis, quam habet *S.* Isidorus *lib.* 6. *Originum cap. de offic.* & refertur in decreto Gratiani cap. multi, & ab aliis sanctis Patribus, præsertim à

S. Gre-

Digitized by Google

S. Gregorio definitur *Sacramentum, quod ſit, in quo ſub tegmento rerum viſibilium divina virtus ſecretius operatur ſalutem.* Ex his autem definitionibus infertur neceſſariò Sacramentum pertinere ad genus ſigni. Quod ut intelligatur, obſervandum eſt rerum omnium quæ ſub ſenſus cadunt, ac ſenſibus percipiuntur, duo eſſe genera. Aliæ enim ob id inventæ ſunt, ut aliquid ſignificent: aliæ non alterius rei ſignificandæ, ſed ſui tantùm cauſa efficiuntur. Hujus generis ſunt res fere omnes quæ natura conſtant, & prioris generis ſunt voces, quibus res alias ſignificamus, ut rerum vocabula ſcripturæ vexilla, imagines, ſymbola, & alia hujusmodi, quia ſi vocabulis detraheretur vis ſignificandi, tolleretur cauſa, propterquam vocabula inſtituuntur. Cæterum Sacramentum dicitur ſignum ex D. Auguſtino Lib. 2. de Doct. Chriſtian. cap. 1. quia ſignum eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, quid aliud ex ſe faciens in cognitionem venire, quemadmodum viſo veſtigio arguimus animal tranſiiſſe, cujus veſtigia cognoſcimus: & fumus eatenus eſt ſignum ignis, quia ipſo fumo cognoſcimus ignem ſubeſſe, & voce audita animalis ejus advertimus animi affectionem, audito latratu cognoſcimus adeſſe canem, audito rugitu leonem. Signorum alia ſunt naturalia, & alia data illa ſunt, quæ ſine voluntate, & ullo appetitu ſignificandi præter ſe aliquid aliud ex ſe cognoſci faciunt, quo pacto ſi fumus eſt ſignum naturale ſignificans ignem, etiam ſi ſolus fumus appareat, non enim fumus ſignificat ignem, eò quia velit ignem ſignificare, ſed quia ignis expellens humiditatem, quæ evaporat in fumum, ideo fumus veluti effectus dicitur naturaliter ſignificare ignem, ac eſſe ſignum naturale ejusdem. Hoc pacto vultus iraſcentis hominis animi affectionem oſtendit, tametſi nil aliud loquatur, & hæc dicuntur ſigna naturalia, quia naturaliter nectuntur cum rebus illis, quas ſignificant. Signa data, quæ etiam ex inſtitutione dici ſolent, ſeu ad placitum ea ſunt, *quæ ſibi quæque viventia invicem dant ad demonſtrandos quantum poſſunt motus animi ſui vel ſenſa, aut intellecta qualibet*, & horum ſignorum quædam pertinent ad ſenſum oculorum, quibus ſolent homines ſua ſenſa communicare, alia ad aures, pauciſſima ad cæteros ſenſus, quia cum innuimus, ſigna non damus niſi per oculos, quo pacto vexilla limitaria per oculos inſinuant voluntatem ducum. Ad aures pertinent tuba, tympana & inſtrumenta muſicalia quæ ſignificant vel milites pertranſeuntes, vel choreas quæ ducuntur. Alia ſunt ſigna ab hominibus, & alia à Deo inſtituta. Rurſus alia ſpeculativa, alia practica: illa ſunt quæ tantùm ſignificandi gratia exhibentur oculis intuentium, ut iris in nube rorida, de qua Geneſ. 9. dicitur: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram*: Practica ſunt, quæ ex Dei inſtitutione aliquid ſignificant, & efficiunt. Notio, & eſſentia ſigni ſenſibilis communis eſt omnibus Sacramentis, quia ut ſcribit D. Auguſtinus: *Epiſt. 137. ad Marcellinum: Signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur: quæ ex ſcripturis eſſe ſigna ſacra manifeſte deprehenditur.* Apoſtolus enim de circumciſione veteris legis Sacramento, quæ Abraham Patri omnium credentium data erat, ſcribit ad Roman. Cap. 4. *Signum accepi circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ, & fidei.* Et Cap. 5. ait: *An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*, & aſſerit hujus rei ſignificationem habere baptiſmum, inquiens: *Nos conſepultos eſſe cum illo per baptiſmum in mortem, ut quando Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rurſus D. Auguſtinus Cap. 26. *Sacramenta novæ legis vocat viſibilia ſignacula, in quibus res divinæ inviſibiles honorantur* Ratio autem, cur Sacramenta ſint ſigna ſenſibilia, eſt, quam adducit D. Thomas 3. part. quæſt. 9. art. 4. quia divina ſapientia unicuique rei providet ſecundùm ſuum modum, ob quam cauſam dicitur Sapient. 8. *Suaviter diſponit omnia*, & Matth. 25. *Dedit unicuique ſecundùm propriam virtutem*, ſed homini eſt connaturale, ut per ſenſibilia perveniat in cognitionem intelligibilium: Signum enim eſt, per quod aliquis devenit in cognitionem alterius: quapropter cùm res ſacræ, quæ per Sacramenta ſignificantur, ſint quædam ſpiritualia & intelligibilia bona, quibus homo ſanctificatur, conſequens eſt, ut per aliquas res ſenſibiles ſignificatio Sacramenti impleatur, ſicut etiam per ſimilitudines ſenſibilium rerum in divina Scriptura res ſpirituales nobis deſcribuntur: & hæc ratio firmatur authoritate S. Chryſoſtomi homil. 83. in Matth. ubi ait: *Quoniam ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectûs id perſpiciamus, nihil enim ſenſibile traditum nobis à Chriſto, ſed rebus quidem ſenſibilibus: omnia verò quæ tradidit inſenſibilia ſunt: Sic & in baptiſmo per aquam quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio ſcilicet, ac renovatio intelligibile quiddam eſt: nam ſi tu incorporeus eſſes, nude ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam verò corpori conjuncta eſt anima tua: in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.* Huc etiam ſpectat egregium illud teſtimonium D. Auguſtini enarrat. 2. in Pſal. 33. *Chriſtus in corpore, & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Unde autem commendavit corpus & ſanguinem ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Reſpice altitudinem ipſius, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Joann. 1. ecce cibus ſempiternus: ſed manducant Angeli, manducant ſupernæ virtutes, manducant cœleſtes ſpiritus, & manducantes ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiet, & lætificat, quis autem homo poſſet ad illum cibum, unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut menſa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret.* Quinimò non ſolùm ratio ſigni ſenſibilis convenit Sacramento novo legis, ſed etiam rei ſignificatæ per quandam proportionem ac ſimilitudinem debet accommodari, ut ſpecie quadam ac ſimilitudine nobis declaret, quod Deus in animis noſtris ſua virtute, quæ ſenſu percipi non poteſt, efficit. Sic baptiſmus miniſtratur per certa, & ſolemnia verba prolata, & per aquam extrinſecus abluentem, & ſignificat, per Spiritus Sancti virtutem omnem peccati maculam, & turpitudinem elui interius in baptiſmum ſuſcipiente, & animas noſtras per gratiam ſanctificantem fieri gratas Deo, imò & per adoptionem filias, unde Tertullianus Lib. de reſurrect. carnis Cap. 8. ait: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur,*

Digitized by Google

ut & anima Spititu illuminetur. Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Quod etiam asserit D. Augustinus epist. 98. ad Bonifacium, ubi ait: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacramenta non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Verùm Sacramenta novæ legis totam vim significandi habent ex Dei institutione; quia cum solus Deus sit author Sacramentorum, ut etiam fidei, ac Religionis, est etiam author virtutis, ac significationis Sacramentorum, quia pertinent ad religionem, ac fidem: unde exigebant Sacramenta institui à Christo; adeò ut Sacramentalia, ut aqua benedicta, signum crucis, pectoris tunsio, benedictio Episcopalis non sint Sacramenta eo, quia non sint res immediatè à Christo institutæ, sed tantùm sint ritus ab Ecclesia instituti immediatè.

Rursus Sacramenta sunt quidem signa non tamen purè speculativa, sed practica & efficacia, eò quia causent gratiam, quæ est res sacra in suscipientibus, dummodo non ponant obicem, & hæc gratia significatur per ipsa Sacramenta. Hinc à definitione Sacramenti excluduntur creaturæ sensibiles, quæ tametsi aliquid sacri significent, scilicet Sapientiam, & bonitatem divinam, quatenus sunt in se ipsis sacræ, non tamen, quatenus nos per ipsa significamur; quapropter Sacramenta dici non possunt, quia Sacramentum debet signum rei sacræ in quantum sanctificant homines, ut notat D. Thomas 3. *Part. quæst.* 60. *art.* 3. qua ratione etiam differunt Sacramenta novæ legis à Sacramentis legis scriptæ, quæ ob illam tantùm rationem à Deo fuerunt hominibus commendata, ut aliquid significarent, & in memoriam revocarent, vel promitterent, ut fuerunt circumcisio, panis azimus, purificationes legis, sacrificia, ac reliquæ cæremoniæ cultus Mosaici, quapropter ait Augustinus enarrat. in Psal. 73. *Si discernimus duo testamenta, vetus & novum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem promissa, eadem tamen pleraque præcepta,* & paucis interjectis subdit: *Præcepta eadem, Sacramenta non eadem, promissa non eadem. Videamus, quare præcepta eadem: quia secundùm hæc Deo servire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, & alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi testamenti dant salutem, Sacramenta veteris testamenti promiserunt salvatorem,* & post aliqua subjungit: *Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, ac feliciora.*

Excluduntur etiam à definitione Sacramenti signa, quæ tantùm sunt speculativa, & quorum usus est in ecclesia, cujusmodi sunt sacræ imagines, quæ significant sanctos æterna beatitate in cœlo donatos cruces, Christi passionem vestes sacerdotales Monachorum, & alia id genus, quæ tametsi significent res sacras, non tamen eas causent. Quòd si scire cupis, quarum rerum sint Sacramenta signa, edisserit S. Augustinus Lib. 3. de doctrina Christian. cap. 5. & 9. inquiens: *Est miserabilis animæ servitus signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream mentis oculum ad hauriendum lumen æternum non posse levare. Sub signo autem servi, qui operatur, & veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui verò aut operatur, aut veneratur utile signum divinitus institutum cujus vim ac significationem intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa revelari: quorum jugo edomandi sunt. Tales autem spiritales erant Patriarchæ, ac Prophetæ omnesque in populo Israel, per quos nobis Spiritus Sanctus ipsa scripturarum, & auxilia, & solatia subministrat. Hoc verò tempore posteaquam resurrectione Domini Nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus; sed quædam pauca pro multis eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est baptismi Sacramentum, & celebratio corporis, & sanguinis Domini. Quæ unusquisque cum percepit, quo referantur, imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spiritali potius libertate veneretur.* Et nonnullis interjectis subjungit: *Qui autem non intelligit, quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute.*

Significatio autem in Sacramentis novæ legis triplex est: Siquidem significant rem aliquam præteritam, scilicet Christi Redemptoris passionem, quæ causa est sanctitatis, & gratiæ, quæ nobis impertitur. Rursus significant rem præsentem, scilicet ipsam gratiam, quam de præsenti operantur in ritè suscipientibus Sacramenta: & etiam significant rem futuram, seu æternam beatitudinem, ad quam sanctitas nostra refertur, ut ad proprium finem, quo pacto ait D. Thomas 3. part. quæst. 9. art. 3. Sacramentum est signum rememorativum ejus, quod præcessit, scilicet passionis Christi; & demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Christi passionem scilicet gratiæ, & prognosticon, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ. Et hæc tria dilucidè nobis exhibet Sacramentum baptismi, cùm enim Apostolus ait ad Romanos capite 6. vers. 3. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Ostendit ideo, baptismum esse dicendum signum, quia Dominicæ passionis & mortis nos admonet: Præterea cùm subjungit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus:* quibus verbis Apostolus significat, baptismum esse signum, quo cœlestis gratia in nos infusa significatur, cujus beneficio nobis datum est ut novam vitam instituamus, & omnia veræ pietatis officia libenti animo adimpleamus. Tandem ait Apostolus, si enim complantati facti sumus similitudinis mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, quibus verbis asserit, baptismum esse signum futuræ resurrectionis, ac æternæ beatitudinis, Neque Sacramenta unicam tantùm rem præsentem significant, sed plures, etenim Eucharistia significat veri Corporis, & Sanguinis Christi præsentiam sub speciebus panis, & vini, & rursus significat gratiam, quæ confertur dignè hoc Sacramentum sumentibus. Neque inde sequitur Sacramenta esse signa æquivoca, eò quia plura significent, quia significant illa plura quatenus ordine quodam sunt quid unum. Sacramentum unum propriè dicitur: quod ordinatur ad significandam nostram sancti-

fica-

Digitized by Google

ficationem, ad quam tria ſpectantur, ſcilicet cauſa ſanctificationis noſtræ, quæ eſt paſſio Chriſti, & forma noſtræ ſanctificationis, quæ eſt gratia cum virtutibus & ultimus finis ejusdem ſignificationis, ſed vita æterna, quæ tria ſignificantur per omnia Sacramenta.

Hinc Sacramenta novæ legis non differunt à Sacramentis antiquæ legis, eo quia in nova lege ſint novæ ceremoniæ, & alii ritus, ſed differunt, eò quia lege evangelica cauſent gratiam, quam continent, & conferunt dignè ſuſcipientibus; & Sacramenta veteris legis non cauſabant gratiam, ſed tantùm eam figurabant dandam ſolum per Chriſti venturi paſſionem: eſt enim dogma fidei definitum in pluribus Conciliis, præſertim Tridentino contra hæreſin Calvini Seſſ. 7. Can 2. ubi ait: *Si quis dixerit, ea ipſa novæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit.* Unde differunt, quia Sacramenta novæ legis gratiam continent, quam etiam dignè ſuſcipientibus conferunt, non verò Sacramenta legis ſcriptæ, unde Eugenius IV. in decreto ad Armenos ait: *Quod illa* (ſcilicet Sacramenta legis ſcriptæ) *non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per Chriſti paſſionem dandam figurabant* (ſcilicet Sacramenta novæ legis) *continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus*, & hoc diſcrimen etiam indicat Apoſtolus ad Hebr. 9. ubi ait: *Poſſe juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem ſolum modo in cibis, & in potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis.* Et cap. 10. ſubdit: *Umbram habens lex futurorum bonorum non ipſam imaginem rerum per ſingulos annos eisdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere: alioquin ceſſaſſent offerri. Ideo quòd nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores, ſemel mundati.* Et poſtea addit: *Impoſſibile eſt enim ſanguine Taurorum, & hircorum auferri peccata*, quæ verba tametſi de ſacrificiis intelligantur, idem tamen judicium ferendum eſt de Sacramentis. Et Galat. 4. Omnia quæ lege Moſaica præcipiebantur, & obſervabantur, vocat infirma, & egena elementa, eò quia non voluerint hominem à peccato expiare, & ad veram ſanctitatem perducere vi ſuæ inſtitutionis & inſita ac congenita virtute & compellans Judæos ait: *Nunc autem cùm cognoveritis Deum, imò cogniti ſitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis.* Idque confirmat D. Auguſtinus Lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. inquiens: *Prima Sacramenta, quæ obſervabantur, & celebrabantur ex lege prænunciativa erant Chriſti venturi, quæ cum ſuo adventu Chriſtus implevisſet, ablata ſunt, & ideo ablata, quia impleta. Et alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Et cap. 14. *Veruntamen ſi antiqui juſti, qui Sacramentis illis intelligebant venturam prænuntiari revelationem fidei, ex qua, licet operta & abſcondita, munere tamen pietatis intellecta, etiam tunc ipſi vivebant: quia in hac vita nemo poteſt eſſe juſtus, niſi qui ex fide vivit, ſi ergo antiqui juſti pro illis prænuntiativis Sacramentis & rerum nondum impletarum figuris omnia dura & horrenda perpeti parati fuerunt, & pleriſque perpeſſi ſunt, ſi tres pueros & Danielem prædicamus, quia de menſa Regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis Sacramentum, ſi Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia eſcas, quibus nunc Chriſtiani licitè utuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat: quantò magis nunc pro baptiſmo Chriſti, pro Eucbariſtia Chriſti, pro ſigno Chriſti ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus, cum illa fuerint promiſſiones rerum complendarum, & hæc ſint indicia completarum.* Quòd ſi dicas, ſacrificiis legis ſcriptæ etiam tribui remiſſionem peccatorum Levit. 1. 4. 5. & 16. & Numer. 15. ubi habetur: *Orabitque pro eo ſacerdos, & dimittetur ei, & propitius erit Dominus, ſanguis pro anima piaculo eſt.* Ex quibus videtur colligi, Sacramenta veteris legis vim etiam habuiſſe remittendi peccata, & conſequenter conferendi gratiam non minus, ac Sacramenta legis evangelicæ. Sed contra, quia ſacrificia veteris legis tantùm habuerunt virtutem expiandi immunditiam legalem & corpoream, quæ homines arcebat à divino cultu, non verò virtutem habuerunt delendi immunditiam peccati. Præterea ſacrificia veteris legis tantùm adferebant remiſſionem legalem peccati id præſtando, ut peccata non imputarentur ad pœnam lege præſcriptam his, pro quibus offerebantur, non verò cauſabant veram, & internam peccatorum remiſſionem, juſtitiam, ſanctitatem, & gratiam; quapropter D. Auguſtinus Tract. 41. in Joan. loquens, de ſacrificiis veteris legis ait: *In illis ſacrificiis non erat expiatio peccatorum, ſed tantùm umbra futurorum*, & qui illis ſacrificiis oblatis, vel Sacramentis ſuſceptis remiſſionem peccatorum ac veram ſanctitatem conſequebantur, eam non obtinebant virtute ſacrificiorum, & Sacramentorum, ſed ex fide Chriſti venturi, quam per ſigna illa à Deo inſtituta profitebantur, tunc homines in lege illa ſcripta: quemadmodum igitur juſtitia & ſanctitas interna non cauſabatur à lege ipſa ſcripta, neque à ſacrificiis oblatis, ac Sacramentis celebratis, ſed ex ſola fide Chriſti venturi, adeò ut juſti veteris teſtamenti ſub lege non eſſent, ſed ſub gratia, ac pertinerent ad novum teſtamentum: perinde remiſſio peccatorum & juſtitia interior per gratiam & charitatem non erat effectus Sacramentorum veteris legis, ſed ſolius fidei in Chriſtum venturum, quem ipſa Sacramenta promittebant, & prænuntiabant. Quamobrem Sacramenta legis Moſaicæ, ut ait Apoſtolus: *Inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis, & non poterant juxta conſcientiam perfectam facere ſervitutem*, hoc eſt, expiabant quidem immunditiam legalem, & corpoream, & ab immunditiis culpæ legalis purgabant, non verò conſcientiam emundabant, nec gratiam ſanctificantem conferebant, quia non delebant peccata, ſed tantùm præſtabant remiſſionem legalem peccati, quatenus non imputabatur ad pœnam, ſecus Sacramenta novæ legis utpote emanantia ex latere Chriſti vim habent abſtergendi non carnis, ſed animæ immunditiam, & conferendi gratiam ſanctificantem, ut ait Apoſtolus ad Hebr. 9. 14. ubi loquens de Chriſto ait: *Qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo emundans conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.* Quamobrem in lege evangelica Sacramenta gratiam, quam continent, & ſignificant, operantur virtute Chriſti & ejus ſanguine.

Digitized by Google

meritò erroris damnetur. Rurſus poſſunt etiam ad id confirmandum afferri optimè congruentiæ, quia ad eum pertinebat inſtitutio omnium Sacramentorum, cujus unius eſt poteſtas excellentiæ; ſed hic fuit ſolus Chriſtus ergo ille ſolus immediatè ſacramenta inſtituit. Major eſt clara, quia ſupremum Eccleſiæ caput decebat prima, & potiſſima eccleſiæ fundamenta jacere per ſe ipſum, præſertim cum illa totum in ſe contineant pretium ſanguinis Chriſti, ſiquidem, ut loquitur D. Thomas: *Congruum etiam fuit ut ne in alio, quam in ipſo Chriſto ſpem locaremus, ſi alterius nomine ſacramenta nobis adminiſtrarentur, ſicut nec redemptionem fieri voluit per alium quam ſe ipſum.* Demum quia congruebat ob ſacramentorum reverentiam, quibus ſine dubio minus deferretur, ſi non à Chriſto, ſed ab homine fuiſſent inſtituta.

Sed dices, quamvis in evangelio habeamus Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum, Euchariſtiam, & pœnitentiam, alia tamen quatuor ſacramenta non leguntur inſtituta fuiſſe à Chriſto, adeo ut merito dixerit Auguſtinus lib. 3. de Doctrin. Chriſtian. cap. 9. & epiſt. 118. *Nonnulla ſacramenta inſtituta eſſe à Chriſto, quorum in ſcriptura mentio eſt, & aliorum inſtitutionem factam eſſe ab eccleſia, vel ab Apoſtolis*; ex quibus videtur Auguſtinus ſenſiſſe, non omnia ſacramenta fuiſſe immediatè inſtituta à Chriſto; hinc Alenſis 4. *part. quæſt. 9. mem. 2. art. 1. & quæſt. 9. membr. 1.* aſſerit confirmationem non fuiſſe inſtitutam à Chriſto, neque ab Apoſtolis, ſed in Concilio Meldenſi inſtinctu Spiritus Sancti. Sed contra; quia tametſi inſtitutio omnium Sacramentorum facta à Chriſto non habeatur in evangelio, conſtat tamen partim ex aliis ſcripturis, & partim ex traditione Apoſtolica; cujus authoritas æquivalet evangelio. Præterea quia omnia ſacramenta ſi non explicitè, ſaltem implicitè continentur in evangelio. Baptiſmus, & Euchariſtia expreſsè habentur Matth. ult. & 26. Marc. 24. Lucæ 22. Pœnitentia colligitur ex Joan 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hinc Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 1. ait: *Ex quibus tam perſpicuis verbis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad conciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Ordo fuit in ultima cœnâ inſtitutus, quando, ut ait Tridentina Synodus ſeſſ. 22. de ſacrificio miſſæ cap. 1. *Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit*; idque apertè deſumitur ex illo Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; & completum fuit hoc ſacramentum quoad poteſtatem in corpus myſticum Joan. 5. quando illis tradita eſt poteſtas retinendi, & remittendi peccata, ut liquet ex Concilio Senonenſi decreto 10. de Sacramento Ordinis. Matrimonium colligitur ex illo Matth. 19. & Marci 10. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*; quibus verbis ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. ult. matrimonialis nexus indiſſolubilitatem ab Adamo tantum ante pronunciatam confirmavit Chriſtus, qui quod anteà fuerat in officium naturæ, in ſacramentum ſanctificativum conjugum evexit. Extremam Unctionem aſſerit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. inſinuatam tantùm fuiſſe apud Marcum 6. *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*; & promulgatam per Apoſtolum Jacobum cap. 5. & inde colligitur materia, & forma hujus ſacramenti, ut & Miniſter: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit illum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Demum ſacramentum confirmationis aſſerit Concilium Senonenſe decreto eo, fuiſſe inſtitutum, quando Matth. 19. oblati ſunt Chriſto parvuli, ut eis manus imponeret. Sed Fabianus Papa in 2. Epiſt. ad Epiſcopos Orientales pag. 47. ait fuiſſe inſtitutum in ultima cœna, inquiens: *In illa die Dominus Jeſus poſtquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit pedes eorum; ſicut à ſanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.* Hinc erravit Alenſis aſſerens Sacramentum Confirmationis inſtitutum fuiſſe in Concilio Meldenſi, cum hoc Concilium celebratum fuerit anno Chriſti 845. ſub Sergio Papa 2. & Fabianus Papa multo ante rexerit eccleſiam, ſcilicet anno Chriſti 288. Præterea quia in præfato Concilio Meldenſi ſupponitur hoc Sacramentum jam pridem inſtitutum. & ibi ſolum præcipitur, ut nonniſi feria 5. Majoris hebdomadæ conficiatur, ut conſtat ex cap. 45. & 46. Præterea quia plura alia Concilia ante Meldenſe citato ab Alenſe meminerunt hujus ſacramenti ut jam inſtituti, ut Concilium Valentinum ſub Damaſo I. anno 314. Carthaginenſe quartum ſub Anaſtaſio I. anno 436. in quibus præcipitur ut Presbyteri à proprio tantum Epiſcopo petant Chriſma ante ſolemnitatem Paſchæ. Quinimo Clemens Romanus, quem S. Petrus ſibi deſignavit ſucceſſorem, expreſsè meminit hujus Sacramenti Confirmationis lib. 3. Apoſtol. Conſtit. cap. 16. ubi ait: *Poſtea Epiſcopus baptizatum chriſmate ungat.* Hinc de Apoſtolica traditione hujus Sacramenti non licet dubitare; ad id quod addebatur ex S. Auguſtino, reſpondetur D. Auguſtinum in illo loco non agere de inſtitutione Sacramentorum, ſed ſola promulgatione facta per eccleſiam, ut manifeſtè apparet ex contextu.

Aſſerendum eſt ſecundò, Chriſtum inſtituiſſe ſacramenta etiam ut hominem per poteſtatem excellentiæ, quæ propria eſt Chriſti Domini; non tamen ut homo fuit cauſa principalis inſtituens Sacramenta, ſed tantùm ex Dei commiſſione, ut docet D. Thomas 3. part. quæſt. 64. art. 3. & 4. & cum ipſo Thomiſtæ, & ferè communiter Theologi, & colligitur ex D. Auguſtino tract. 5. in Joan. ante medium, ubi ait: *Potuit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut daret baptiſmum ſuum, tanquam vice ſua, & transferret à ſe poteſtatem baptizandi, & conſtitueret in loco ſuo, & tantum vim daret baptiſmo translato in ſervum, quantum habet, & ſic baptiſmus datur à Domino*; quòd ſi potuit hoc fieri à pura creatura, potuit etiam à fortiori fieri à Chriſto ut homine, & quia Chriſto concedenda eſt major excellentia, quæ ſit poſſibilis, & illi non repugnat, concludendum eſt factum fuiſſe. Præterea SS. Patres docent, Chriſtum ut Deum poteſtate authoritatis inſtituiſſe ſacramenta; ergo ut hominem poteſtate excellentiæ, quæ ita dicitur, quia reperitur in homine hypoſtaticè unito Deo, qua ratione hæc poteſtas excellentiæ ſoli Chriſto ut homini competit. Eſt enim poteſtas hæc excellentiæ ſupra quædam juriſdictio in omnem eccleſiam, quatenus complectitur dignitatem ſacerdotalem, & regiam; quia ad ipſam eccleſiam pertinet fundare, ferre leges, tribunal eligere ad peccata dijudicanda, animas mediante divina gratia impertita à Deo

Digitized by Google

quæstio est de sola necessitate convenientiæ; quæ rursus duplex est, prima præcepti, alia medii; prima est obligatio à mandato superioris profecta; altera est absoluta obligatio ex institutione medii derivata; omissio illius quod primo tantum modo necessarium est, legitima interveniente causa potest excusari, neque dispendium patitur æternæ salutis, qui legis positivæ præceptum, ut tale, non implet, quando legitimæ causæ impediunt præcepti executionem, quia tunc adimpletio præcepti sit observatu impossibilis, ad quod nemo tenetur; omissio vero illius, quod secundo modo necessarium est, nulla ratione potest excusari; adeout transgressor in æternum pereat; eo quia non adhibeat medium ad salutem necessarium. Præterea necessitas suscipiendi sacramenta potest dupliciter considerari respectivè ad statum innocentiæ, & naturæ lapsæ, & quoad naturam lapsæ possumus tria distinguere tempora, scilicet tempus legis naturæ ab Adamo usque ad Moysem; legis scriptæ à Moyse usque ad Christum; & legis evangelicæ. In statu innocentiæ quod brevissimum fuit, disputant Theologi, an in illo statu fuerint necessaria hominibus sacramenta, quia scriptura sacra, ac Apostolicæ traditiones nihil tradunt, D. Thomas censet probabilius, non fuisse necessaria in statu innocentiæ sacramenta, eo quia hæc sint medicinæ quædam spirituales, quæ tantum adhibentur contra vulnera inflicta animæ à peccato, & quia in statu innocentiæ non fuissent hæc vulnera, neque animæ ægritudines, ideo neque fuissent necessariæ medicinæ sacramentorum, Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Post peccatum in statu naturæ lapsæ fuerunt medicinæ sacramentorum necessariæ, quia per lapsum, & peccatum anima contraxit ægritudinem, propterea indigebat pharmaco, ut sanaretur; & ut populi sub aliquo signo sensibili simul coadunarentur in uno cœtu ejusdem religionis; non enim possent homines in unam coadunari religionem, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum sensibilium consortio simul unirentur; & signa sensibilia sacramentorum in hac colligatione populorum plurimum obtinent roboris; adeo ut habentes contemptui sacramenta sint sacrilegi. Per sacramenta igitur cum homines in unum veræ religionis cœtum, & nomen simul adunentur, ideo necessaria sunt ad salutis assecutionem, cum hæc non nisi in cœtu ecclesiæ consequi possit; sunt enim sacramenta signa sensibilia rerum invisibilium, quibus homines sanctificantur; & post peccatum nullus potest sanctificari, nisi per Christum mediatorem inter Deum, & homines, ut scribit Apostolus ad Rom. cap. 3. v. 25. *Quem constituit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. & ad ostensionem justitiæ, propter remissionem præcedentium delictorum. Ut sit ipse justus, & justificans eum non qui est ex fide Jesu Christi.* Quamobrem etiam ante Christi adventum necessaria fuerunt signa aliqua sensibilia, quibus homines fidem suam protestarentur de futuro Salvatoris adventu; hæc autem signa fuerunt sacramenta, de quibus D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 13. *Prima sacramenta quæ observabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi.* Ut autem superius diximus, signa quibus in lege naturæ utebantur homines in fidem Christi venturi non erant determinata: ait D. Thomas 3. part. quæst. 60, artic. 5. ad 1. *Sicut nulla lege exteriùs datâ, sed solo interiore instinctu movebantur ad Deum colendum; ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur postmodum verò necesse fuit etiam exterius legem dari; tum propter obscurationem legis naturæ ex peccatis hominum; tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis.* Et ante D. Thomam hoc idem docuit S. Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 11. inquiens: *Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid aliud esset aliâ necessariâ causâ scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia legimus eorum, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi.* In lege scripta circumcisio, & alia sacramenta fuerunt à Deo instituta, quibus uteretur populus Judaicus. De circumcisione extat Genes. cap. 14. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Hinc D. Augustinus lib. 2. de Nuptiis, & concupiscentia cap. 11. ait: *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat signaculum justitiæ fidei ad significationem purgationis valebat, & in parvulis originalis veterisque peccati; sicut & baptismus ex illo tempore cepit valere ad innovationem hominis, ex quo est institutus.* Circumcisio plurimùm quidem valebat ad significationem purgationis, non verò ipsa purgabat nec delebat peccatum originale, sed ut superius diximus, tantum distinguebat populum Judaicum ab aliis gentibus, id enim intererat discriminis inter circumcisionem, & baptismum, ut docet D. Thomas; quia in Baptismo gratia confertur ex virtute ipsius baptismi, quatenus est instrumentum passionis Christi jam absolutæ, ac perfectæ deferens, & applicans vim conferendi gratiam delectivam peccati originalis; in circumcisione autem gratia conferebatur ex fide significata per eandem circumcisionem, non ex circumcisione significante; quia circumcisio erat tantum signum sensibile fidei immediatè, & mediante fide etiam gratiæ; sed baptismus est signum immediatè significans gratiam, quam continet, & causat, propterea immediatè significat gratiam, & non mediante fide significata. Masculis verò ante octavum diem morientibus, & fœminis eodem succurrebatur sacramento, quod in lege naturæ consueverant fideles adhibere, quia cum essent veri Dei cultores debuit iisdem occurri per medium aliquod, cujus beneficio deleretur macula peccati originalis, ac possent etiam gentes ex Abrahamo non progenitæ dummodo verum Deum colerent, æternam consequi salutem. Sicut circumcisio figura fuit baptismi, ita agnus Paschalis Eucharistiæ. Fuit enim agnus Paschalis figura Christi, qui in Eucharistia manducatur à fidelibus; esus enim agni Paschalis signum erat carnis Christi in sacramento Eucharistiæ à nobis manducandæ, secundum promissum ab eodem Christo, & præceptum Joan. 6. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Fuerunt in lege scripta plures aliæ figuræ, quæ præsignabant sacramenta legis evangelicæ.

Sacra-

Sacramenta igitur novæ legis neceſſaria ſunt ad ſalutem, quædam ſimpliciter neceſſitate medii, & præcepti; & quædam ſola neceſſitate præcepti: Non tamen omnia ſingulis. Suſceptio enim Sacramentorum dupliciter intelligitur ad ſalutem neceſſaria, ſcilicet neceſſitate medii, & præcepti. Illa enim ſacramenta dicuntur neceſſaria neceſſitate medii ſine quibus vel in re vel in voto non poteſt ſalus obtineri, adeo ut non excuſet impotentia à ſuſceptione horum ſacramentorum, quo pacto Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ dicuntur neceſſaria neceſſitate medii, baptiſmus ad delendam maculam peccati originalis; & Pœnitentia poſt lapſum in lethale peccatum, & poſt ſuſceptum baptiſmum. Neceſſitate præcepti ea Sacramenta dicuntur neceſſaria, ſine quibus ſalus obtineri non poteſt, ſed in ſuſceptione horum Sacramentorum ignorantia & impotentia excuſant, cujuſmodi ſunt Euchariſtia, Confirmatio, Extrema Unctio, in certis caſibus; Ordo, & matrimonium reſpectu totius eccleſiæ ſunt abſolutè etiam neceſſaria, non ita tamen reſpectu cujuslibet ſingularis hominis; ex quo fit, quod nullum Sacramentum in eccleſia ſit ſuperfluum, ut definitum fuit in Concilio Tridentino: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine illis aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit.* Ratio à priori eſt, quia ſi aliqua ita ſunt neceſſaria ad ſalutem, ut hæc nunquam obtineri poſſit ſine illis vel ſine eorum voto, & aliqua ſine quibus vel in re vel in voto ſalus obtineri poteſt, ſequitur quòd aliqua ſint neceſſaria neceſſitate medii, & alia neceſſitate præcepti; Sed Sacramenta ſunt hoc modo neceſſaria; ergo ſtat diſtinctio de neceſſitate medii, & de neceſſitate præcepti, adeo ut aliqua Sacramenta ſint neceſſaria neceſſitate medii ad obtinendam ſalutem & alia ſint neceſſaria neceſſitate præcepti. Hinc baptiſmus, & pœnitentia, quæ à Theologis vocantur Sacramenta mortuorum, eò quia inſtituta ſint ad primam gratiam conferendam, ſeu gratiam ſanctificantem, quæ vita eſt animæ per peccatum mortale mortuæ, unde hæc duo Sacramenta inſtituta ad reſtituendam vitam animæ neceſſaria ſunt non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medii; baptiſmus quidem omnibus, & Pœnitentia iis, qui gratiam regenerationis in baptiſmo perceptam per peccata mortalia à ſe expulerunt ac vitam ſpiritualem ab anima excuſſerunt, hinc nullus homo ſine baptiſmo vel in re vel in voto ſuſcepto poteſt æternam conſequi ſalutem, cum dicat Chriſtus Joan. 7. v. 5. *Amen, amen dico tibi, niſi quis, renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Nemo itidem, ſi poſt baptiſmum lapſus ſit in peccatum lethale ſine pœnitentiæ ſacramento vel in re vel in voto ſuſcepto poteſt æternam conſequi ſalutem, nec ad vitam pervenire æternam juxta illud Chriſti Luc. 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis omnes ſimiliter peribitis.* Juvat obſervare, quòd quamvis contritio eodem modo eſſet votum Baptiſmi, & pœnitentiæ, quo eſt votum aliorum præceptorum, adhuc baptiſmus & Pœnitentia dicerentur Sacramenta neceſſaria neceſſitate medii, non vero alia, quia ſalus nunquam poteſt obtineri ſine baptiſmo, vel in re, vel in voto, vel ſine contritione illius loco poſita, bene tamen ſine reſtitutione. Ratio eſt, quia quoties non poteſt quis baptizari, non obtinet ſalutem, niſi ponat contritionem, & illam quaſi ſubſtituat ejus loco, quo fit, ut baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medii vel in re vel in voto; quoties autem non poteſt quis reſtituere, non tenetur conteri, nec ullum actum poſitivum elicere poſtquam contraxit obligationem reſtituendi, dummodo careat peccato lethali, ut perſæpe contigit, ſi enim quis ignoret inculpabiliter ſe eſſe obligatum ad reſtitutionem, tametſi mere negativè ſe habeat poteſt ſalvari, & illa contritio non eſt neceſſaria ut ſuppleat loco reſtitutionis vel aliorum præceptorum; bene tamen ut vices gerat baptiſmi, & pœnitentiæ, quando hæc duo Sacramenta non poſſunt in re ſuſcipi, ſiquidem per hæc duo recipitur prima gratia ſanctificans, qua recepta, licèt purè negativè ſe habeat, homo circa reſtitutionem poteſt ſalvari, ſi non poſſit reſtituere vel invincibiliter ignorat obligationem, ex quo fit, ut homo ſalvetur poſt contractam obligationem reſtituendi, nec reſtituat, nec conteratur, quapropter juvat argumentari. Per hoc diſtinguitur neceſſitas medii à neceſſitate præcepti, quia nunquam obtinetur ſalus ſine re illa vel illius voto; ſed poteſt obtineri ſalus ſine Sacramentis, quæ tantùm ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, & ſine illorum voto; quæ verò ſunt neceſſaria neceſſitate medii taliter ſe habent, ut ſine illis vel in re vel in voto non poſſit ſalus obtineri, adeo ut nec impotentia, nec ignorantia excuſent, ergo rectè concluditur ex Sacramentis alia eſſe neceſſaria neceſſitate medii, & alia tantùm neceſſitate præcepti. Quòd ſi dicas, non requiri quidem contritionem requiri tamen voluntatem ſervandi omnia præcepta, quæ voluntas eſt etiam votum reſtitutionis, ergo reſtitutio ſemper eſt neceſſaria vel in re vel in voto. Contra eſt, diſtinguitur antecedens: Requiritur voluntas ſervandi præcepta, quæ ſit loco reſtitutionis, & requiratur poſt contractam obligationem reſtituendi, negatur, requiritur voluntas ſervandi præcepta, quæ anteceſſit obligationem reſtituendi, ſi ponatur loco Sacramenti non loco reſtitutionis, conceditur antecedens, & negatur conſequentia. Ratio eſt, quia contritionem poni loco Sacramenti, non loco reſtitutionis, perinde eſt, ac poni debere contritionem, quoties Sacramentum deeſt, quod obliget ſuſcipere; ſed non eſt adhibenda, quando deeſt facultas reſtituendi; quia poteſt contingere, ut quis poſt confeſſionem rem alienam ſurripiat omnino invincibiliter, in quo caſu ille ſalvaretur, quamvis loco illius reſtitutionis nullum alium poneret actum. Hinc liquet, quomodo contritio ſit loco pœnitentiæ, & non loco reſtitutionis,

Aſſerendum eſt ſecundò, contritionem ſpecialiter eſſe votum baptiſmi & pœnitentiæ magis quàm aliorum præceptorum, quia ita eſt propoſitum baptiſmi & pœnitentiæ, ut ſit etiam productiva proprii effectus baptiſmi, & pœnitentiæ, quia utriusque Sacramenti effectus eſt prima gratia omnino neceſſaria ad ſalutem; non verò contritio eſt productiva proprii effectus reſtitutionis. Ratio itidem eſt, quia quando dicitur baptiſmus eſſe neceſſarius vel in re vel in voto, nomine voti non ſignificatur ſolum propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum, ſed propoſitum ordinatum ad producendum proprium illius effectum; qui omnino eſt neceſſarius ad ſalutem, alioquin præcepta eſſent neceſſaria vel in re vel in voto, ex quo fit, ut ſola Sacramenta quæ producunt primam gratiam, dicantur eſſe neceſſaria vel in re vel in voto, quia cum per ſe producant

ducant

Digitized by Google

ducant id, quod neceſſarium eſt ad ſalutem ſeu primam gratiam, ideo ſine illis non poteſt ſalus obtineri, niſi eliciatur actus contritionis habentis vim producendi eundem effectum, quem Baptiſmus produceret; & hoc propriè dicitur eſſe neceſſarium vel in re vel in voto. Si dicas, Euchariſtiam eſſe itidem productivam primæ gratiæ ſaltem per accidens, ergo contritio eſſet itidem votum Euchariſtiæ. Sed contra negatur conſequentia, quia Sacramenta vivorum, cujusmodi eſt Euchariſtia, non producunt per ſe primam gratiam: unde contritio non eſt ordinata, ut producat effectum per ſe Sacramentorum vivorum. Sed dices, ſi Deus inſtituiſſet confeſſionem cum virtute producendi primam gratiam, & illam non præcepiſſet, nemo poſſet ſine contritione vel ejus voto ſalvari, & nihilominus diceretur confeſſio neceſſaria neceſſitate medii, ergo non ideo confeſſio eſt neceſſaria neceſſitate medii, quia ſine illa vel ſine aliquo, quod producat ejus effectum, ſalus non poteſt obtineri. Et firmatur, quia contritio non eſt neceſſaria neceſſitate medii, & nihilominus ſine illa, vel ſine proprio ejus effectu ſalus non poteſt obtineri, ergo ad neceſſitatem medii non videtur id poſſe ſufficere. Contrà eſt, quia neceſſitas medii propriè ſignificat id, quod adjunctam habet neceſſitatem præcepti, vel illi aliquid ſuperaddit. Hinc Baptiſmus non ideo tantum dicitur neceſſarius, eò quia ejus effectus ſit prima gratia, qua homo regeneratur DEO, ſed quia Baptiſmus eſt de præcepto, cujus effectus eſt prima gratia: contritio autem catenus nunc dicitur votum Baptiſmi, quia ponitur ejus loco, & producit ejus effectum, adeo ut ſemper exigat obligationem illius omnino indiſpenſabilem. Quòd ſi Baptiſmus non eſſet de præcepto, & nihilominus produceret primam gratiam, contritio non necteretur cum tali obligatione, conſequenter non diceretur neceſſaria neceſſitate medii, ut nunc dicitur. Ad confirmationem reſpondetur, contritionem non eſſe hoc modo præceptam, quia poſita confeſſione non requiritur neceſſario contritio, ſed ſufficit attritio, atqui poſita contritione, adhuc neceſſaria eſt confeſſio, quando hoc fieri poteſt. Alia verò Sacramenta dicuntur tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti, non verò neceſſitate medii, dicuntur enim Sacramenta vivorum, eò quia vitam ſpiritualem in ſuſcipientibus exigant, ſeu gratiam ſanctificantem, ad quam augendam ſunt inſtituta, ſcilicet confirmatio, Euchariſtia, extrema unctio, ordo, matrimonium, hæc enim Sacramenta neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti affirmativi, ut loquuntur Theologi, ſeu in certis rerum, & temporum circumſtantiis, non tamen omnia ſingulis hominibus neceſſaria ſunt; non enim ſingulos ſacris ordinibus initiari neceſſe eſt, neque matrimonio copulari, quamvis ſint ſimpliciter neceſſaria in ordine ad conſervationem Eccleſiæ, ſcilicet Sacramentum ordinis adminiſtrorum conſecrationem, & matrimonium ad multiplicationem hominum, qui fiant Chriſtiani, & in quibus propterea conſervetur in terris Eccleſia militans, ac propagetur.

Hinc Sacramenta novæ legis non ſunt inſtituta propter ſolam fidem fovendam, & quaſi alendam, ut volunt Acatholici, eſt enim dogma fidei confirmatum definitione Tridentinæ Synodi ſeſſ. 7. Can. 5. ubi ait: *Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtitutam eſſe, anathema ſit.* Siquidem fuerunt inſtituta ad gratiam ſanctificantem virtute paſſionis Chriſti, vel primò conferendam, vel collatam augendam, & parvulis, qui actu credere defectu ætatis non poſſunt, Baptiſmus ab Eccleſia illis confertur, quo purgentur à maculis peccati originalis, & ſuſcipiant etiam ipſi gratiam ſanctificantem, ut definitum fuit in Concilio Africano Can. 2. Ex iis, qui Milevitanæ Synodo ſolent tribui, contra Pelagianos definivit: quamvis adultis, qui his ſunt compotes, neceſſaria omnino ſit fides ad gratiam per Sacramenta recipiendam, quia, ut ait Apoſtolus ad Hebræ. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

CAPUT IV.

An parvulis decedentibus in utero Matris proviſum ſemper fuerit à Deo remedium alicujus Sacramenti?

HÆc difficultas de parvulis, quos vel præmatura mors rapit in utero matris, vel ante Baptiſmum poſt nativitatem ex utero graviſſima ſemper viſa fuit, etiam tempore D. Auguſtini. Quod enim Deus eorum ſalutem omnino voluerit, & quod pro iiſdem mortuus ſit Chriſtus, non videretur dicendum, ſi Deus nullum inſtituiſſet remedium, quod iiſdem per ullam humanam induſtriam potuiſſet applicari, ſed DEUS nullum pro iiſdem remedium Sacramenti inſtituit, quod vel ante Chriſtum, vel poſt poſſit eis applicari, propterea videtur, quòd neque Deus voluerit illorum ſalutem, neque quod Chriſtus pro ipſis mortuus fuerit. Minor oſtenditur, quia non pauci ex iſtis parvulis, ſine ulla prorſus culpa parentum decedunt, antequam baptizari potuerint: & ex alio capite plures ſunt infidelium filii, quià Chriſtianis tempore belli, vel peſtis capti baptizantur, & introducuntur in regnum Dei, quò pervenire nullo modo potuerunt filii fidelium, quod cùm perpenderet Auguſtinus *lib. de dono perſeverantiæ cap. 12. & lib. de corrept. & grat. cap. 6.* Captivans intellectum in fidei obſequium veneratur occultiſſima DEI judicia. Major etiam oſtenditur, quia ut remedium aliquod ſufficiens parvulis Deus providerit, non videtur ſatis eſſe, ſi hoc idem remedium ex ſe ſit conditionatè ſufficiens, ſi nimirum applicetur. Sed rurſus debet eſſe per ſe applicabile, etenim nunquam reſpectu illius dicitur eſſe ſufficiens remedium, reſpectu cujus non poteſt applicari, quia reſpectu illius remedium non eſt ſufficiens, reſpectu cujus eſt impoſſibile: & reſpectu illius remedium eſt impoſſibile, reſpectu cujus eſt inapplicabile: cùm igitur reſpectu parvulorum præſertim decedentium in utero matris remedium hoc non ſit applicabile, non eſt reſpectu eorundem ſufficiens, & hæc eſt tota difficultas, quæ plura ſemper torſit ingenia, & cui Doctores, ut ſatisfacerent, varias excogitarunt ſententias modóſque dicendi. Janſenius fatetur, præfato argumento clariſſimè oſtendi, nullum remedium ſaluti fuiſſe à DEO inſtitutum pro parvulis iſtis, quos præmatura mors rapit in utero matris, & quo poſſit illis ſubveniri, & concludit, Deum antecedenter voluiſſe eorum condemnationem poſt præ-

Digitized by Google

visum Adæ peccatum, & Christum pro infelicibus illis parvulis non fuisse mortuum, neque obtulisse æterno patri sua merita, quam sententiam prius docuerat Calvinus, & indicarunt alii Hæretici. Nititur Jansenius præsertim authoritate D. Augustini asserentis, parentibus persæpe volentibus, & satagentibus, & conantibus, sed DEO nolente præmaturam mortem hos miserrimos parvulos intempestive rapere, antequam possint Baptismi aqua ablui, & abstergi, ut mundentur à macula peccati originalis. Verùm quod Augustinum attinet, infra clarè apparebit, ipsum omnino oppositum docuisse: & Jansenii propositio, quæ erat ista, Semi-pelagianum est dicere: *Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, damnata fuit ab Innocentio X. ut opposita Scripturis, Conciliis, & Sanctis Patribus, consequenter ut falsa, temeraria, scandalosa, impia, blasphema, contumeliosa, derogans divinæ pietati, & hæretica, si quidem ut ait Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Unus est Deus, unus & Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, si pro omnibus, ergo etiam pro parvulis decedentibus in utero matris, qui enim dicit omnes, nullum excludit: hinc etiam D. Petrus ait epist. 2. cap. 2. *Fuerunt verò & Pseudo-Prophetæ in populo, & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent Sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant superinducentes sibi celerem perditionem.* 1. Joan. 2. *Ipse propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi*: sed parvuli quamvis decedentes in utero matris pertinent ad hunc mundum, cùm supponantur veri homines constantes ex anima rationali, & corpore organico, ergo etiam pro ipsis Christus mortuus est. Ex quibus concluditur, mortem Christi Mediatoris esse universale remedium omnium, qui sunt in Adamo mortui, cujusmodi sunt parvuli decedentes in utero matris, quia cum primùm anima rationalis à Deo creata pura, & munda ab omni macula peccati informat corpus, contrahit maculam peccati originalis, consequenter & ipsi mortui sunt in Adamo, & habent Christum Mediatorem, quia ipse est universale remedium omnium, qui in Adamo sunt mortui, ut expressè asserit Apostolus Paulus ad Rom. 5. inquiens: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ; sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Non poterat D. Paulus clarius, & expressius loqui, ut significaret mortem Mediatoris Christi esse universale remedium omnium, qui sunt in Adamo mortui: sed miserrimi parvuli decedentes in utero matris post animationem revera sunt in Adamo mortui, quia cùm primùm anima unitur corpori contrahunt peccatum originale, quod infigitur in anima ex vi unionis ad corpus, tametsi ipsa fuerit munda, & pura à qualibet peccati macula à Deo creata: ergo mors Mediatoris Christi ex Apostolo est etiam remedium eorundem parvulorum, cùm & ipsi mortui sint in Adamo, comprehenduntur enim parvuli illi inter eos, qui in Adamo mortui sunt, quapropter D. Prosper fidelissimus D. Augustini Discipulus lib. 2. de vocatione Gent. cap. 23. loquens de parvulis illis ait: *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod illi paucorum dierum parvuli ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa Nationibus, quâ utique si bene eorum uterentur parentes etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Et D. Augustinus lib. 1. contra Julian. cap. 51. ait: *Vos ergo carere vultis opprobrio, quo Ecclesiæ Catholicæ detestabiles facti estis, sinite Christum parvulis esse Jesum.* & 50. subdit: *Nolite Salvatorem non facere pueris invidere*: Quamobrem quod miserrimi parvuli æternam non consequantur salutem, id non provenit ex eo, quod Deus non instituerit remedium pro ipsis, quia tota vis Paulinæ antithesis in id collimat, ut probet, sic justitiam (seu meritum) Christi omnibus omnino hominibus impensam fuisse, quemadmodum Adæ peccatum omnibus omnino hominibus obfuit, una duntaxat, non repugnante Tridentina Synodo, excipitur Deipara Virgo, quam volumus immunem fuisse ab avita labe omnes, quotquot descendunt ab Adamo, tamen contrahunt labem peccati originalis, consequenter etiam parvuli decedentes in utero Matris, cum sint descendentes ab Adamo, eandem contrahunt maculam, & iisdem prodest Christi remedium, si fuisset iisdem applicatum.

Cæterum omni tempore parvulis in matris utero decedentibus provisum fuerit à Deo remedium alicujus Sacramenti, non conveniunt Doctores: nonnulli asserunt Deum parvulis illis in lege Evangelica abunde providisse sufficiens remedium: eò quia sufficiat ipsis applicatio fidei parentum sine Baptismo suscepto in re per solum signum crucis, aut invocatione Trinitatis, ut docuit Cajetanus 3. *part. quæst. 68. art. 2. & 7.* putabat enim, non aliter dici posse, Deum providisse parvulis decedentibus in utero Matris remedium necessarium saluti, & illud externum signum adhibitum à parentibus dici posse Baptismum in voto, quia sicut pro adultis sufficit, ita censuit posse sufficere pro infantibus, & addebat etiam rationem, quia alioquin sequeretur, parvulos istos in lege gratiæ esse deterioris conditionis, quam in lege naturæ, vel in lege scripta: & id semper putabat verum esse, quoties puero non potest ablutio Baptismi ad abstergendam originalis maculæ applicari. Alii autem, ut Altissiodorensis, Gerson, Gabriel, Alensis, & alii antiqui, quamvis negaverint hoc de lege ordinaria verum esse, fatebantur nihilominus id aliquando ex privilegio, & dispensatione aliquibus saltem parvulis concedi à DEO, ut æternam consequantur sine Baptismo realiter suscepto salutem ex sola parentum fide, & oratione: Verùm hæc sententia negans absolutam necessitatem Baptismi, est falsa, quia contra expressam Christi definitionem, & Pius V. Cajetani propositionem jussit expungi ex ejus Commentario in D. Thomam.

Asserendum igitur est, DEUM revera omnibus infantibus absque ulla exceptione providisse, quantum est ex se remedia necessaria, quibus possent salvari: & rursus voluisse, quantum est ex se, applicationem eorundem remediorum, & ita magis communiter docent Theologi, Suarez *lib. 4. de reprob. cap. 4.* Bellarm. *lib. 2. de gratia, & libero arbit.* & alii, quia ex scripturis constat, Deum velle omnes homines salvos fieri, quantum in se est, & Christum esse generalem Redemptorem omnium, qui in Adam peccaverunt; ait enim Apostolus 1. Tim. 2. v. 1. & 5. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, & orationes, gratiarum actiones pro universis hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, unus enim Deus, & unus Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, si pro omnibus, ergo etiam pro infidelibus, ergo etiam pro parvulis existentibus in utero matris, quia unus est omnium Deus, & unus omnium Mediator, nec plurium Deus, quàm Mediator, qui dedit redemptionem semet ipsum pro omnibus omnino: ergo sicut unus est Deus horum parvulorum existentium materno in utero, ita &

unus

unus Chriſtus eſt Mediator eorundem, conſequenter negari non poteſt, Chriſtum etiam pro ipſis parvulis remedium ſuppeditâſſe. Hinc Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 2. loquens de Chriſto ait: *Hunc propoſuit propitiationem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non autem ſolum pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi:* quapropter juvat argumentari, ſi poſito peccato originali Deus verè, & ſincerè vult omnes homines ſalvos fieri, ut etiam pueros, quos ante ſuſceptum Baptiſmum mors præmatura rapit, ſequitur neceſſario, ut aliquam habeat voluntatem dandi eiſdem media, ſine quibus nullo modo vult eos ſalvari: ſed poſito peccato originali DEUS habet veram & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes, etiam pueros, quibus non poteſt conferri Baptiſmus, conſequenter Deus habuit voluntatem iiſdem dandi media, quibus poſſent ſalvari, & ſine quibus nullo pacto velit eos æternam ſalutem conſequi. Minor eſt certa, quia etiam parvuli decedentes ante ſuſceptum Baptiſma, ſive in utero matris, ſive extra, pertinent ad generalem illam Apoſtoli propoſitionem: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, quapropter D. Auguſt. lib. 4. contra Julian. ait: *Nunquid parvuli homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, vult omnes homines ſalvos fieri*, & lib. 1. contra Julian. cap. 110. ait: *Sinite enim parvulos inveniri ab eo, qui venit quærere, quod perierat, alioquin liberatorem Jeſum, quoniam & ipſi homines ſint, illis prorſus invideatis. quantacunque loquacitate credulitatem veſtram hujus erroris obtegendam eſſe credatis.* Quamobrem expreſsè aſſerit Auguſtinus, Chriſtum eſſe Redemptorem horum parvulorum, non ob aliam cauſam, niſi quia & ipſi homines ſint: ſiquidem eadem ratio in omnibus reperitur hominibus. Quòd ſi dicas, Apoſtolum dixiſſe Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & non tantùm hoc, ſed ulteriùs addidiſſe, *& ad agnitionem veritatis venire:* ſed hæc poſterior pars propoſitionis ad ſolos pertinet adultos, ergo cùm priorem partem ad eoſdem limitet, inde non concluditur, velle Deum parvulos decedentes in utero matris ſalvos fieri. Contra eſt, quia ſecunda propoſitionis pars non limitatur ad ſolos adultos, conſequenter neque prima per ipſam, ſiquidem etiam parvuli, quando ſalvantur, veniunt ad cognitionem veritatis. Præterea quia Apoſtolus expreſsè ad Rom. 5. aſſerit: *Omnes illos per Chriſtum redemptos eſſe, qui per Adæ peccatum mortui erant*, conſequenter Deus hos parvulos, quantum eſt ex ſe, etiam voluit ſalvos fieri. Major, in qua eſt tota vis difficultatis, probatur, quia ſi Deus vellet ſalutem parvulorum, & poſtea vellet directè ex ſe negare omnia media, per quæ redditur iiſdem poſſibilis ſalus; ſequeretur, quòd Deus in uno eodemque ſigno duas haberet voluntates omnino oppoſitas, unam, qua vellet ſalutem parvulorum, & aliam, qua vellet illam eſſe impoſſibilem, quod perinde eſſet, ac velle, & non velle ſalutem parvulorum, ergo cùm conſtet ex ſcripturis, Patribus, & Conciliis Deum, quantum eſt ex ſe, velle ſalutem omnium hominum, etiam parvulorum decedentium in utero matris, ſequitur, quod velit etiam ex ſe media illa, per quæ ſalus iſta poſſibilis efficitur. Præterea repugnat, aliquem velle finem, quin eodem modo, quo vult finem, velit etiam media, ſine quibus non poteſt talis finis obtineri: ſed DEUS antecedenter, & quantum eſt ex ſe, vult ſalutem parvulorum, conſequenter vult etiam ex ſe antecedenter remedium, ſine quo talis ſalus minimè poſſet obtineri. Major liquet, quia quocunque modo aliquis velit finem, ſive illum velit efficaciter, ſive inefficaciter, vult etiam eodem modo exiſtentiam talis finis, ſed qui vult exiſtentiam finis, vult ſaltem inefficaciter media, & cauſas, ſine quibus talis exiſtentia non poſſet haberi: ergo qui vult finem, vult etiam media ad ipſius aſſecutionem.

Quòd ſi dicas, voluntatem efficacem finis eſſe quidem ſemper conjunctam cum voluntate mediorum, non ita voluntatem inefficacem finis, quia hæc non eſt, niſi ſola complacentia: quemadmodum ſi quis urgente procella ob imminens naufragii, & mortis periculum merces projiciat in mare, habet quidem ſimplicem aſſenſum, eas non projiciendi, & tamen ad eas non projiciendas, nullum adhibet medium. Contra eſt, quia vel voluntas illa, quam habet DEUS de ſalute omnium hominum, id præſtat, ut eorum ſalus ſit poſſibilis, vel id non præſtat: ſi primum; ergo DEUS habet voluntatem efficacem mediorum, quia ratione mediorum aſſecutio finis & ſalutis redditur poſſibilis: ſi ſecundum: ergo illa voluntas eſt omnino inutilis, quia adhuc ſalus eſt ſimpliciter impoſſibilis, ac perinde eſſet, Deum velle ſalutem Petri, & ſimul velle ſalutem Petri eſſe abſolutè impoſſibilem: neque DEUS verè & ſincerè vellet illam ſalutem, quam nullo pacto vellet eſſe poſſibilem. Quòd ſi inſtes, DEUM velle ſalutem horum parvulorum, quatenus ſalus eſt in ſe quoddam bonum, de quo propterea DEUS non niſi ſimplicem habet complacentiam: contra eſt, quia inde ſequeretur, DEUM non aliter velle horum parvulorum ſalutem, quam velit ſalutem Dæmonum: ſiquidem hæc ſalus eſt etiam, quantum eſt in ſe aliquod bonum, de quo DEUS ſibi complacet: ſed non poſſumus eodem modo dicere, DEUM velle omnes Dæmones ſalvos fieri, eò quia ſibi complaceat de tali bono: ſicut dicit Apoſtolus, DEUM velle omnes homines ſalvos fieri, unde Apoſtoli propoſitio dicit aliquid ſupra hanc ſimplicem complacentiam. Præterea ſicut ſe habet efficax voluntas finis ad voluntatem efficacem mediorum; ita ſe habet voluntas inefficax finis ad voluntatem inefficacem mediorum: ſed voluntas efficax finis infert neceſſario voluntatem efficacem mediorum: ergo etiam voluntas inefficax finis nectitur neceſſario cum voluntate inefficaci mediorum: hinc in voluntate illa, quam in allato exemplo mercator habet retinendi merces, includitur etiam neceſſario voluntas faciendi, quæcunque neceſſaria ſunt ad eaſdem retinendas; & niſi prævaleret voluntas efficax declinandi imminens naufragium, procul dubio media illa adhiberet.

Rurſus ex eo evincitur aſſertio, quia certum eſt, de fide Chriſtum omnes homines redemiſſe, & meritum Chriſti omnibus hominibus impenſum fuiſſe, quia ſicut Adæ peccatum omnibus obfuit, adeo ut Chriſtus mortuus fuerit pro iis omnibus, quos Adæ peccatum occiderit, ita meritum Chriſti omnibus profuit. Præterea ſequitur, etiam fuiſſe mortuum pro parvulis iſtis, quibus propterea merita Chriſti profuerunt, ac poſſibilem effecerunt eorum ſalutem: ſed merita Chriſti non potuerunt poſſibilem reddere ſalutem horum parvulorum, niſi Chriſtus remedium aliquod promeruerit, ratione cujus ſalus iſta facta eſſet poſſibilis. Neque ſatisfacit, quod reſpondent aliqui, non ideo Chriſtum eſſe Redemptorem horum parvulorum, quia ejus merita iiſdem profuerint, ſed tantùm ex eo, quod ejus pretium etiam pro iiſdem fuerit ſufficiens: & quia cauſa eorum erat cauſa communis cum cauſa reliquorum hominum. Contra eſt, quia ſi Chriſtus dicatur mortuus pro iſtis parvulis, ex eo præcisè,

Digitized by Google

quòd ejus mors fuerit ſufficiens ad eos redimendos, inde ſequeretur, quòd Chriſtus tantùm diceretur eos redemiſſe; eò quia potuit eos redimere: ſiquidem aſſerere mortem Chriſti ſufficientem fuiſſe ad eos redimendos, perinde eſt ac dicere, Chriſtum fuiſſe ſatis divitem ad parvulos illos etiam redimendos, ex quo non ſequitur, quod actu eos redemerit. Præterea certum eſt, Chriſtum aliter eſſe horum parvulorum redemptorem, quàm Dæmonum: ſed quoad ſufficientiam pretii nulli eſt dubium, quin fuerit ſufficiens Redemptor etiam Dæmonum, cum Chriſti meritum fuerit infinitum: ergo Chriſtus non eſt Redemptor horum parvulorum ex eò præcisè, quòd habuerit ſufficientiam pretii.

Aſſerendum ſecundò, Deum voluiſſe media illa ſufficientia, & illorum applicationem in ordine ad ſalutem horum parvulorum voluntate tantum inefficaci antecedente, & conditionata, quæ dici debet voluntas per ſe, & tantùm voluntate conſequente, & per accidens voluiſſe impoſſibilitatem talis applicationis. Ratio eſt, quia tunc Deus per ſe antecedenter, & conditionatè dicitur velle aliquid, quando ex ſe vult illud eſſe, ſi tollatur impedimentum: ſed Deus, quantum eſt ex ſe, vult Baptiſmum applicabilem eſſe parvulis, ſi cauſarum ſecundarum impedimenta non obſtent: quòd ſi obſtent tantùm per accidens, & voluntate conſequente non vult eſſe applicabilem, proinde Deus antecedenter, & conditionatè vult Baptiſmum eſſe applicabilem parvulis. Quòd ſi dicas, conditionem iſtam oppoſitam eſſe curſui cauſarum ſecundarum: ſed DEUS vult ex ſe voluntate antecedente hunc cauſarum curſum: ergo vult etiam voluntate antecedente impoſſibilitatem illius applicationis: etenim quod DEUS antecedenter, & per ſe ordinat, vult voluntate antecedente: ſed DEUS per ſe antecedenter ordinat curſum cauſarum ſecundarum, qui curſus reddit impoſſibilem applicationem Baptiſmi: ergo voluntate antecedente vult Baptiſmum non eſſe applicabilem parvulis decedentibus in utero matris. Contra eſt, quia DEUS nonniſi permiſſivè vult poſitionem illius impedimenti; per quod remedium illud redditur inapplicabile parvulis: quia cùm hoc impedimentum ſemper oriatur ex defectu alicujus cauſæ liberæ, Deus non vult impedimentum illud, niſi permiſſivè; & valde probabile eſt, tale impedimentum ſemper oriri ex defectu culpabili alicujus cauſæ liberæ, ut ex defectu, & incuria matris, vel alterius hominis, qui divinam negligit inſpirationem; quia quoties puer moritur in utero matris, propter ejus imbecillitatem, per quam probabile eſt, illam vel ex ſua, vel ex alterius culpa incidiſſe in morbum, & imbecillitatem, quæ cauſa fuit, cùr parvulus decederet in utero, & non daretur lucis uſuræ. Si dicas, hoc eſſe divinare abſque fundamento; ſiquidem ex parentibus perſæpe ſanis abortivi prodeunt fœtus, quibus nulla diligentia humana poteſt ſubveniri. Contra eſt, quia ita aſſerendum eſſe docet D. Proſper lib. 2. de vocatione Gent. ubi loquens de parvulis ait: *Longè religioſè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa rationibus, quæ utique, ſi bene eorum uterentur parentes, etiam niſi per eoſdem juvarentur.* Deinde ſubdit rationem: *Quia omnium exordia parvulorum, totaque illa principia nondum rationalis infantiæ ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ; & conſequens eſt illos ad illorum pervenire conſortium, quorum vel recto, vel pravo abutuntur affectu.* Loquitur D. Proſper de parvulis omnibus, & non de illis tantùm, quos in lucem editos voluntariè parentes Baptiſmo privant: ſiquidem propoſitio D. Proſperi eſt univerſalis, & ejus ratio æquè probat de omnibus, quia cùm hi homines paucorum dierum, ut ipſe loquitur, ſeu parvuli nondum rationales per ſe ſint, ſub arbitrio jacent alienæ voluntatis, à qua omnino pendet eorum ſalus, & damnatio: unde ratio, cur divina voluntas ſalvandi omnes ſuo in parvulis deſtituatur effectu, id præſtat non peccatum originale parvulorum, ſed negligentia parentum, quibus ſicut vita commiſſa eſt, ita & parvulorum ſalus, quæ dependet à vita productiore. Præterea quia ita de divina bonitate conjicere plane licet, quia per ipſam non ſtat, quò minus omnes ſalventur, cum divina bonitas, quantum eſt ex ſe, neminem velit perire, & Chriſtum conſtituerit generalem omnium Redemptorem; ad id enim requirebatur neceſſariò, ut cauſa aliqua ſecunda libera conſilium illud Dei perturbet defectu proprio, quo nolit eidem cooperari, adeo ut hoc impedimentum non ſit primario, & antecedenter intentum à Deo in ordine ad ſalutem parvulorum, quia DEUS antecedenter non vult, quantum eſt in ſe, niſi ſalutem omnium: & ita diſcurrunt plures Theologi, quia hic dicendi modus videtur perquam rationabilis: verùm quia non videtur cohærere cum doctrina D. Auguſtini, ideo poſſumus aliter reſpondere, & concedere impedimentum remedii parvulorum eſſe curſum cauſarum ſecundarum, etiam ſine ullo defectu alicujus cauſæ liberæ: ita tamen, ut illud impedimentum, quo impoſſibile redditur remedium, quod erat applicandum parvulis nonniſi voluntate conſequenti, & ſecundariâ ſit volitum, ſiquidem hæc ſecundaria voluntas non impedit, quò minus Deus primaria, & antecedente voluntate voluerit tale remedium, & ejus applicationem: ratio itidem eſt, quia in illo decreto poſſumus diſtinguere duo ſigna rationis, in quorum primo intelligamus, DEUM velle ſalutem parvulorum medium ſufficiens, & illius applicationem, dummodo nulla cauſa ſecunda obſtet: in ſecundo ſigno intelligimus, Deum videre talem curſum cauſarum ſecundarum, in quo impeditur applicatio remedii omnino expedire propter altiſſimas rationes providentiæ, & eundem curſum eligere voluntate ſecundaria, & conſequente habente admixtam rationem involuntarii, quatenus ei diſplicet talis cauſarum curſus in ordine ad hoc, quod impediatur parvulorum ſalus: ſed propter alias cauſas ei placet: perinde ac Mercator exorta procella, ac imminente naufragii periculo projicit ſuas merces in mare; tunc enim duas intelligimus voluntates in tali Mercatore, unam primariam, & antecedentem in ordine ad conſervandas merces; alteram conſequentem, & ſecundariam ſuppoſito periculo naufragii in ordine ad projiciendas merces in mare; & quamvis hoc ultimum eligat, nonniſi tamen cum renitentia, ac invitus eligit non deſerens voluntatem merces conſervandi, ſi poſſet ſimul merces & vitam ſervare: unde liquet, has duas voluntates inter ſe non pugnare, nec unam excludere aliam: unde ſecundùm noſtrum concipiendi modum, neque in DEO ſunt duæ voluntates incompoſſibiles.

Sed dices, ſi tota ratio cur parvuli decedentes in utero matris non conſequuntur ſalutem, nec illis applicatur, Baptiſmus eſt, quia DEUS non vult tale remedium eis applicare; nullo modo dici poſſet, Deum providiſſe iiſdem remedium ſufficiens: ſed tota ratio, cur parvulis non applicetur Baptiſmus, revera eſt, quia Deus non vult eis applicari, ut expreſſe docet D. Auguſtinus lib. de dono perſeve-

ſeverantiæ cap. 12. ubi cum negaſſet damnationem parvulorum decedentium in utero matris poſſe tribui fortuito alicui caſui vel parentum negligentiæ poſtea ſubdit: *Quid dicam quod parvulis aliquando antequam illis per miniſterium Baptiſmi ſuccurri poſſit, explicat plerumque, ut feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris Baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in vita non tenuit, ut daretur.* Hoc idem etiam clarè repetit epiſt. 107. ad vitalem inquiens, *Salvos non fieri parvulos illos, non quia ipſi nolunt, ſed quia Deus non vult aliquando cupientibus feſtinantibusque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis Baptiſmum Deo nolente non dari, cum repente pro quo currebatur, expiret.* Sed contra quia licet ex doctrina D. Auguſtini non poſſit carentia remedii pro parvulis refundi in culpam parentum; negatur tamen hanc carentiam debere ex mente Auguſtini referri in aliam Dei voluntatem quam ſecundariam, & conſequentem: ſiquidem de primaria, & antecedente voluntate nunquam explicari debent teſtimonia illa, ſicut nec de Mercatore ſuas projiciente in mare merces, ut paulo ſuperius explicuimus, quod Deo nolente eas projiciat, quamvis de facto eas projiciat: quia hoc tantum præſtat voluntate ſecundaria, & conſequente, quatenus putat non poſſe ſimul ſalvare vitam, & merces: unde ſi poſſet, vellet utrumque ſalvare, & quia non poteſt utrumque, & pluris facit vitam, quàm merces, ideo non niſi invitus elegit merces projicere non deſerens voluntatem conſervandi, ſi ſimul poſſet cum ipſis etiam vitam ſervare: ita à pari docuit D. Auguſtinus, Deum iſtis parvulis non velle remedium applicari voluntate ſecundaria, & conſequente, & habente admixtam rationem involuntariam, quamvis voluntate primaria, & antecedente velit remedium illud ac ejus applicationem. Sed inſtabis, ſi Deus voluntate antecedente, ut dicitur, & conditionata vult remedium illud eſſe applicabile, neceſſe omnino eſt fingere in Deo hoc decretum: Ego volo Baptiſmum poſſe applicari parvulis, ſi ego non conſtituero talem curſum cauſarum, in quo hæc applicatio ſit impoſſibilis: Sed hujuſmodi voluntas non debet in Deo poni, quia abſurda eſſet: ſiquidem perinde foret, ac ſi Deus diceret, ego volo applicationem remedii, ſi ego nolim impedire ante applicationem tam quia ſi Deus non niſi conſequenter vult hunc cauſarum curſum, debet iſte cauſari antecedenter ab aliqua alia cauſa, hoc autem eſt falſum, ergo Deus non cauſat illam tantùm conſequenter; contra eſt, negatur major, quia conditio, cum qua Deus vult antecedenter applicationem remedii, non eſt iſta quæ ſupponitur, ſcilicet ego volo applicationem remedii, ſi nolim impedire illius applicationem, ſed eſt hæc alia, ego quantum eſt ex me, volo remedium hoc applicari parvulis, rationes, urgentes mihi ſuadeant hic, & nunc expedire, ut ego conſtituam curſum illum cauſarum, in quo applicatio illa ſit impoſſibilis; & juxta hunc dicendi modum conditio proximè cadit ſupra rationes illas optimas divinæ providentiæ, ob quas pro hic, & nunc expetit permiſſio talis curſus cauſarum, & remotè reſpicit voluntatem illam Dei, qua decernitur talis cauſarum curſus; in hoc enim non includitur quidquam abſurdi, ſicut ſi Miniſter Imperatoris diceret, ego cùm ſim Viennæ ad ſervitia Cæſareæ Majeſtatis die craſtina, nolo Pragam proficiſci, niſi cras aliquod Cæſaris mandatum me Viennæ detineat: tunc Miniſter haberet quidem voluntatem antecedentem proficiſcendi Pragam, quo tamen non proficiſcitur, eodem modo ſecundùm noſtrum concipiendi modum poſſumus has duas voluntates in Deo concipere, ita tamen ut in ſecundo ſigno non mutet voluntatem, quam in primo habuit, ſed utramque ſervet eò quia una non repugnat alteri. Ad id quod addebatur inde ſequi, hunc cauſarum curſum debere antecedenter cauſari ab aliqua alia cauſa: reſpondetur Deum non dici velle conſequenter hunc curſum cauſarum reſpectu alterius cauſæ, quæ antecedenter illum cauſet, ſed reſpectu earum rationem, ob quas curſum illum decernit, poſtquam voluit ſalutem omnium hominum, & remedia ſufficientia etiam pro parvulis, qui decedunt materno in utero.

CAPUT V.

De Numero ſacramentorum in lege Evangelica.

Præſens controverſia eſt contra ſectarios hujus temporis, qui abhorrentes à ſeptenario ſacramentorum numero eò ſuis collimant ſtudiis, ut pellucidos ſcripturarum fontes luto falſæ interpretationis corrumpant, & duo tantùm eſſe novæ legis ſacramenta, Baptiſmum, & Euchariſtiam contendunt, ut conſtat ex Calvino, & Kemnitio, quos plures alii ſectarii ſequuti ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta inficiantur, Eccleſiæ tamen catholicæ conſtans eſt ſententia, ſacramenta legis evangelicæ eſſe ſeptem numero, nec plura, nec pauciora; idque ex Sacris Scripturis, & traditionibus Eccleſiæ, quæ duo ſunt fidei noſtræ inconcuſſa fundamenta, quibus nititur veritas Catholica, & fides Chriſtiana ſatis exploratum eſt. Sunt igitur ſeptena hæc ſacramenta, *Baptiſmus* quo homines ſpiritualiter regenerantur. *Confirmatio* qua datur ſingulare quoddam gratiæ ſpiritualis robur ad ſuperandos Dæmonis aſſultus, ad coërcendos Carnis ſtimulos, & vincendos tentationes præſertim quæ ſuggeruntur contra fidem. *Euchariſtia*, cujus eſu ſpiritualiter nutrimur, vireſque ſpiritus reficimus, & anima incrementum ſuſcipit gratiæ, ac intimius corroboratur. *Pœnitentia* per quam gratia tribuitur remiſſionis Peccatorum. *Extrema Unctio* in qua delentur peccatorum reliquiæ. *Ordo* in quo confertur Spiritualis quædam gratia, & poteſtas ad Eccleſiaſticas functiones Miniſtrorum Eccleſiæ, & tandem *Matrimonium*, in quo etiam confertur divinitus gratia ſpecialis Conjugibus ad prolem ſanctè tum procreandam, tum etiam educandam in Eccleſia ad Dei cultum: & hæc omnia eſſe verè, ac propriè novæ legis Sacramenta quæ ſunt ſeptem nec plura, nec pauciora, aſſeritur in Cap. *ad abolendam* Extra de Hæreticis, & in Concilio Conſtantienſi, & magis accurate in Conc. Florentino ſub Eugenio IV. ubi plures doctiſſimi, ac ſapientiſſimi Patres tum Græci tum Latini poſt accuratas hac ſuper re Diſceptationes in eam ſententiam, ut planè Orthodoxam unanimi conſenſu convenerunt, ut apparet ex decreto unionis, & demum hunc ſeptenarium Sacramentorum numerum definivit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7.

Digitized by Google

sess. 7. can. 1. ubi anathematizat negantes hunc septenarium numerum. Et hæc catholica assertio clare constat ex divinis scripturis, Baptismus habetur cap. 28. Matth. ubi refertur Christus à mortuis redivivus, qui & Apostolis in Galilæa conspicuus fuit, quibus edixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Sacramenti confirmationis meminit S. Lucas Actor. 8. inquiens: *Cum audissent Apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.* Sacramentum Eucharistiæ constat Matth. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit deditque discipulis suis, & ait, accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Rursus institutio hujus sacramenti expresse habetur Marci 14. & Luc. 22. Sacramentum Pœnitentiæ habetur Joan. 20. ubi Christus Dominus suis discipulis ait: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset insufflavit, & dixit eis accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Sacramentum extremæ Unctionis institutum à Christo promulgavit S. Jacobus Epist. Catholicæ cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittetur ei.* Sacramenti Ordinis meminit S. Paulus 1. Timot. cap. 4. v. 14. inquiens: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et tandem Matrimonii sacramentum commendat, idem Apostolus ad Ephes. 5. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Hinc idem Apostolus, ad Ephes. 5. serio admonet conjuges, *ut uxores suas diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam*, quo satis significat, matrimonium esse in ordinem rerum sacrarum à Christo redactum adeo, ut signum sit sensibile significativum gratiæ quam causat, & à Christo institutum ad fovendam etiam mutuam charitatem inter conjuges, siquidem conjux debet alterum amare, sicut Christus Ecclesiam.

Quod vero spectat ad traditiones Ecclesiæ, certum est Patres ab initio Ecclesiæ semper asseruisse hunc septenarium Sacramentorum numerum, ut institutum à Christo, & assertum ab Apostolis: hinc Tertullianus *lib. de resurrect. Carnis cap. 7.* Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam commemorat: & *lib. de præscrip. Hæreticor. cap. 40. & 41.* meminit Sacramenti Ordinis; & licet antiqui Patres non omnia Sacramenta simul numerent in uno eodemque loco, in pluribus tamen omnia recensent, & septem esse sacramenta novæ legis instituta, à Christo fatentur. Ex eo enim, quod Sancti Patres, non omnia septem sacramenta simul recensuerint, inde inferunt Sectarii, Patres non concessisse septem Ecclesiæ sacramenta, & D. Augustinum tantum fateri duo sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam, ut ait Plesseus Calvinista *lib. 4. de Eucharistia cap. 1. pag. 648. & 654.* quod quam falsum sit, statim apparebit, quia præter illa duo, quæ conceduntur ab Hæreticis, fatetur etiam sacramentum Confirmationis, lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104. ubi ait: *Sacramentum Chrismatis, est in genere visibilium signorum sacramentum, est sacrosanctum sicut ipse Baptismus*, unde Augustinus præter Baptismum, & Eucharistiam expresse fatetur sacramentum Chrismatis, seu confirmationis. Rursus sacramentum Ordinis fatetur Augustinus, lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. ubi confert ordinem cum Baptismo his verbis: *Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare*, ubi vocat expresse ordinem esse sacramentum, & quadam consecratione dari homini. Fatetur itidem sacramentum Pœnitentiæ, lib 1. de adulterinis conjugiis, cap. 26. & 28. inquiens: *Eadem est causa Baptismi, & reconciliationis sine quibus sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* Vocat sacramentum pœnitentiæ reconciliationem, quia per hoc sacramentum remittuntur peccata, confertur gratia sanctificans, & homo reconciliatur Deo. Rursus fatetur sacramentum matrimonii, lib. 1. de nuptiis & concupiscentiis, cap. 10. inquiens: *Hujus sacramenti res est, ut mas, & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent*, ubi expresse vocat connubium sacramentum. Tandem fatetur etiam sacramentum extremæ Unctionis sermone 215. de tempore ubi ait: *quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur. Infirmatur aliquis inducat Presbyteros, & orent super eum ungentes eum oleo.* Hinc licet Augustinus non recensuerit in uno eodemque loco omnia septem Ecclesiæ sacramenta non sequitur, ea negasse cum in aliis locis omnia septem sacramenta divisim recensuerit. Reliqui sancti Patres hanc eandem veritatem asseruerunt; per Baptismum enim Lutherani, & Calvinistæ non dubitant, quia Joan. 5. habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* & ad tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, neque Hæretici Lutherani, & Calvinistæ dubitant de sacramento Eucharistiæ cum Joan. 6. dicatur, *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in Æternum*: unde non est opus authoritate sanctorum Patrum evincere Baptismum, & Eucharistiam esse sacramenta cum Hæretici hoc idem adstruant. Confirmationem propriè & verè esse sacramentum docuerunt communiter Patres, Clemens *epist.* 4. Urbanus *epist. decretali* ad omnes Episcopos, Damasus *epist.* 4. Cyprianus *lib. 2. epist.* & præ cœteris Augustinus, *lib. 2. contra litteras Petiliani cap.* 104. ut superius innuimus, ait enim: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Quod si Baptismus verè, & propriè est sacramentum, ut non diffitentur Hæretici, sequitur manifestè, quod ex Augustino etiam Chrisma seu confirmatio proprie ac verè sit sacramentum. Rursus Pœnitentiam esse sacramentum, asserit itidem Augustinus lib. de Spiritu Sancto cap. 27. ubi pœnitentiam æquiparat Baptismo, inquiens:

Qua

Quæ baptiſmalis eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè pœnitentem ſiniendæ vitæ periculum præoccupaverit, nec ipſe enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia. Ubi Auguſtinus aſſerit Sacramenta baptiſmatis, & reconciliationis impertienda eſſe pœnitenti, ſi in vitæ ſit diſcrimine conſtitutus immineatque vitæ periculum, vult enim Auguſtinus pœnitentiam perinde eſſe neceſſariam poſt lapſum ad ſalutis aſſecutionem, ac ipſe baptiſmus utrumque Sacramentum inter ſe etiam confert S. Ambroſius lib. 2. cap. 10. inquiens: *In baptiſmo remiſſio peccatorum omnium eſt, quid intereſt, utrum per pœnitentiam an per lavacrum hoc jus ſibi datum ſacerdotes vindicent? unum in utroque miniſterium eſt, ſed dices, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitentia, nonne Dei nomen operatur?* aſſerit perinde pœnitentiam eſſe Sacramentum in baptiſmi lavacrum. Extremam Unctionem inter ſacramenta itidem recenſent ſancti Patres, præſertim Auguſtinus Serm. 12. 15. de tempore, ubi loquens de hoc Sacramento ait: *Ejus beneficio corporis ſanitatem recipi, & indulgentiam peccatorum obtineri, hacque ratione poſt ſuſceptam Eucharistiam hortatur fideles, ut hoc extremæ Unctionis Sacramentum devotè uſurpent, quo reliquiæ deleantur peccatorum.* Sacramenti ordinis etiam meminerunt ſancti Patres, præſertim Auguſtinus lib. 2. contra Parmenionem cap. 13. ubi confert ordinationem cum Baptiſmo, ut ſuperiùs citavimus verba Auguſtini, quibus aſſerit, Ordinationem tam propriè, & verè eſſe Sacramentum, ſicut lavacrum baptiſmi demum matrimonium inter fideles initum eſſe itidem verum Sacramentum, docet Auguſtinus in epiſt. ad Epheſ. 5. & lib. 2. in Luc. ad cap. 8. & lib. de bono conjugali cap. 24. ubi ait: *Bonum nuptiarum per omnes gentes in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis, quod autem ad populum Dei pertinet etiam in ſanctitate Sacramenti perquam nefas eſt, etiam repudio intercedente alteri nubere, dum vir ejus vivit,* & lib. de fide ex operibus cap. 17. ait: *In civitate Domini in monte ſancto ejus, id eſt, in Eccleſia nuptiarum non ſolum vinculum, ſed etiam Sacramentum ita commendatur: ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere,* ubi expreſſe vocat matrimonium vinculum ſimul, & Sacramentum & lib. 1. cap. 8. Sacramentum matrimonii comparat cum Sacramento Baptiſmi, ubi ait: *Hoc cuſtoditur in Chriſto, & Eccleſia ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur; cujus Sacramenti tanta obſervatio in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus, ut nec ſterilem conjugem fas ſit, relinquere, ut alia fœcunda ducatur,* & nonnullis interjectis ſubdit: *Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec ſeparatio, nec copulatio illud poſſit auferre, manet autem* (cùm ſe conjuges perperam ſeparant) *ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, ſicut Apoſtata anima veluti de conjugio Chriſti recedens etiam de fide perdita Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Habet autem, hoc qui receſſit ad cumulum ſupplicii, non ad meritum præmii.* Igitur D. Auguſtinus, cujus authoritatem plurimi faciunt Hæretici, aſſerit ſeptenarium Sacramentorum numerum in Eccleſia, ut & reliqui ſancti Patres, præſertim S. Joannes Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerdotio cap. 6.* & non ſolum ſancti Patres ſeptenarium hunc Sacramentorum numerum probant, verùm etiam utraque Eccleſia Latina, & Græca eundem numerum aſſerit, & in eo retinendo perſeverat conſenſus, quamvis inter Proteſtantes, & Sectarios ſit diſcordia in numero Sacramentorum, quorum alii unum, alii duo, alii tria, nonnulli etiam quatuor, vel quinque admittunt Sacramenta, adeò ut nec inter ſeſe conveniant; Calvinus enim tria agnoſcit Sacramenta, Baptiſmum, Cœnam, & Ordinationem, Zvvinglius Baptiſmum, Cœnam, Matrimonium, plures Lutherani Baptiſmum, Cœnam, & Pœnitentiam. Et in Catechiſmo Heidelbergenſi, quem aſſerunt eſſe regulam, & menſuram fidei, morum, ac reformationis, duo tantum conceduntur Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, & Cœna. Rurſus ſeptenarius Sacramentorum numerus approbatur ab Eccleſia Catholica, ut etiam à Lucio III. Romano Pontifice de Hæreticis cap. *ad abolendam* Martino V. in ſua Bulla in Concilio Conſtantienſi edita. Eugenio IV. in decreto ad Armenos & à Synodo Tridentina Seſſ. 7. can. 1. ubi definit: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum, anathema ſit.*

Rurſus definitione Eccleſiæ evincitur hic ſeptenarius numerus Sacramentorum, etenim quod Eccleſia Chriſti de ratione, & numero Sacramentorum tradidit, tametſi hoc idem expreſsè in Scriptura non declaretur, abſque ulla tamen dubitatione eſt credendum cum Eccleſia in declarandis articulis fidei non ſit errori obnoxia; ſed Eccleſia Chriſti docet eſſe ſeptem Sacramenta novæ legis, nec plura, nec pauciora, ergo Sacramenta novæ legis credendum eſt de fide eſſe ſeptem; major evincitur, quia authoritas Eccleſiæ in definiendis his, quæ ſpectant ad fidem, non poteſt errare, neque falſum docere populum Chriſtianum, unde cum definierit in pluribus Conciliis, Conſtantienſi, Florentino, & Tridentino eſſe ſeptem Sacramenta novæ legis à Chriſto inſtituta, tenemur hoc idem nos credere. Rurſus quia in conſtituendo numero aliarum rerum, quæ non minus in Eccleſia ſunt neceſſaria; omnes abſque ulla controverſia nituntur authoritate, & decreto Eccleſiæ, cujus definitioni totaliter acquieſcunt, quamvis res definita in Scripturis non habeatur expreſſa, ergo etiam determinando numero Sacramentorum debent Chriſtiani ſtare definitioni Eccleſiæ eidem totaliter acquieſcere, non enim eſt major ratio, cur acquieſcant Eccleſiæ definitioni, quoad numerum rerum aliarum, & non quoad numerum Sacramentorum. Antecedens eſt manifeſtum, quia numerum librorum Sacræ Scripturæ, ut de aliis rebus nihil loquar, nunquam expreſsè in ſacris continetur Scripturis, & nihilominus propter authoritatem Eccleſiæ firma fide Chriſtiani eidem credunt, & plenè acquieſcunt. Rurſus quia niſi Eccleſia etiam ſine Scripturis expreſſis, quod attinet ad numerum & rationem Sacramentorum fides eſſet adhibenda, neque ipſi Hæretici credere deberent eſſe duo tantum Sacramenta novæ legis verè, & propriè dicta, ſcilicet Baptiſmum, & Euchariſtiam, quæ tamen nobiſcum ſine controverſia confitentur; etenim Scriptura illius operationis, quæ eſt ablutio, atque etiam regenerationis ſpiritualis in illa non meminit, neque exprimit, quod hæc operatio ſuſcipienda ſit cauſa ſignificandi ex divina impoſitione gratiam ſpiritualis regenerationis, & colendi ipſum Deum, & tamen hæc duo ſunt de eſſentia veri Sacramenti, quæ licèt non ſint expreſsè in Scripturis, tamen ita credimus ob authoritatem Eccleſiæ, & traditionem Majorum. Rurſus quamvis expreſsè Scriptura commemoret panem, & vinum, ſeu panis, & vini ſpecies, atque gratiam & vitam ſpiritualem, quæ in corporis, & ſanguinis

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti ſub iiſdem rebus uſu confertur; nullus tamen eſt ſcripturæ locus, ubi expreſſe declaretur, quòd his rebus ex peculiari inſtitutione Dei tanquam ſignis quibuſdam ſignificare vellet, debeamus ipſam gratiam & nutrimentum ſpirituale, quod nobis impertitur in uſu earundem rerum, neque etiam, quòd debeamus item per ejuſmodi res velle Deum colere, tanquam per cæremoniam quandam virtutis religionis. Denique quod obſervatione dignum eſt ob Hæreticorum pertinaciam & improbitatem, qui à nobis res ipſas in ſcripturis expreſſas exigunt, & quaſi ſuo nomine ſignificatas, ubique requirunt, nullibi in ſacra ſcriptura novi teſtamenti baptiſmus, vel Euchariſtia Sacramentum nuncupatur. & tamen Sectarii hæc duo aſſerunt ſacramenta eſſe, & non ob aliam authoritatem, niſi quia eccleſia, traditio Apoſtolica, & ſancti Patres aſſerunt Sacramenta eſſe. Cum igitur neque nomen, nec res ſeu ratio ipſa horum ſacramentorum alicubi in ſcripturis clarè exprimantur, ſi authoritati eccleſiæ in hac controverſia non eſſet acquieſcendum; inde ſequeretur, quòd nec baptiſmus, neque Euchariſtia eſſent ſacramenta, atqui à Sectariis habentur vera, ac propria ſacramenta, ergo velint nolint eccleſiæ authoritate ſine ſcripturis expreſſis circa numerum ſacramentorum debent neceſſariò acquieſcere.

Quamvis hic ſeptenarius ſacramentorum numerus evidenti, ac metaphyſica non demonſtretur ratione, optimè tamen eſt congruentia illa, quam adfert D. Thomas 3. *part. quæſt. 65. art.* 1. quæque uſurpatur etiam in Concilio Florentino, & Catechiſmo Romano, & deſumitur ex proportione, quæ reperitur corpus inter, & ſpiritum, congruum ſiquidem erat, ut tot in lege evangelica inſtituerentur à Chriſto Sacramenta, quot videbantur neceſſaria eſſe ad ponendam, promovendam, & conſervandam vitam ſpiritualem, eamque dirigendam ad finem ſupernaturalem: atqui ad id ſeptem deſiderabantur Sacramenta, ergo totidem fuerant à Chriſto inſtituenda. Major & conſequentia tenent. Suadetur minor, quia ad vitam corporalem primò neceſſe eſt, ut generetur, ut ſuum ſortiatur eſſe: hæc autem ſpiritualis generatio, quâ renaſcimur, ſpiritualiter habetur per Sacramentum baptiſmi. Secundò vita corporalis poſt generationem indiget virium incremento, ut augeatur, & creſcat, & hoc per quandam analogiam præſtat ſpiritualiter Sacramentum Confirmationis, in quo nobis confertur robur gratiæ ſpiritualis. Tertiò vita corporalis indiget nutriri, ut poſſit ſubſiſtere: & vitæ ſpirituali hoc nutrimentum impertitur Sacramentum Euchariſtiæ. Quartò, ſi vita corporalis morbum aliquem contraxerit, indiget opportuno Pharmaco, ut ſanetur, ſanat autem in vita ſpirituali contractas peccatorum infirmitates Sacramentum Pœnitentiæ. Quintò ut depellantur morborum reliquiæ, & inſtaurentur vires, neceſſarium eſt pharmacum, quo vires corporis reficiantur, & hoc præſtat ſpiritualiter Sacramentum extremæ unctionis. Sextò, quia homo non tantùm ſibi, verùm etiam aliis vivere debet, quibus prodeſſe poſſit, ac eſſe reipublicæ commodo, ac utilitati quoad temporalia; ita in uſu ſpirituali inſtitutum eſt ſacramentum ordinis, ut eſſet aliqua poteſtas, & authoritas, qua cæteri regerentur inferiores, ac promoverentur ad majora bona. Septimò, ut vita corporalis conſervaretur, neceſſaria erat propagatio ſobolis: ad vitam etiam ſpiritualem in eccleſia tuendam inſtitutum fuit Sacramentum matrimonii, quod ante legem evangelicam tantùm erat humanus contractus: Et hæc eſt ratio, cur, ut D. Thomas imperat, nec plura, nec pauciora debeant numerari Sacramenta quàm ſeptem.

Cùm enim Sacramentorum duplex ſit finis, primus perfectio hominis in his, quæ pertinent ad cultum Dei; ſecundus curatio peccati, ex utroque fine ſeptenarius ſacramentorum numerus infertur ex D. Thoma ex primo fine, quia Chriſtiana vita, quâ Deus colitur, & quâ homo Deo vivit, ſeptem indiget rebus, perinde ac vita naturalis, ut jam diximus, ſcilicet primò, ut homo ſpiritualis in lucem edatur, ſecundò ut augeatur, tertiò ut alatur, quartò ſi in mortem ſpiritualem incidat, ſanetur, quintò imbecillitas virium reficiatur, ſextò ut magiſtratus ſpirituales nunquam deſint, quorum authoritate regatur eccleſia, & ſacra miniſteria exerceantur. Septimò ut Filii ad Dei cultum, humanique generis conſervationem procreentur, & religioſe educentur; & hæc omnia per ſeptem Sacramenta ſpiritualiter habentur, ſiquidem per baptiſmum Chriſto renaſcimur, quapropter ab Apoſtolo ad Tit. 3. dicitur *lavacrum regenerationis*. Per confirmationem Spiritum Sanctum ad augmentum & robur ſpirituale accipimus, quapropter Chriſtus ſuis jam baptizatis diſcipulis ait: Luc. ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Per Euchariſtiam veluti per cibum verè cœleſtem ſpiritus noſter alitur & ſuſtentatur, ſicut à Salvatore dictum eſt Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Per pœnitentiam ſanitas deperdita reſtituitur, & vulnera, quæ per peccata fuerant nobis inflicta, curantur. Per extremam unctionem reliquiæ peccatorum tolluntur, & animi virtutes reficiuntur ac recreantur. Per ordinem publica ſacramentorum miniſteria perpetuò in eccleſia exercendi, ſacraſque omnes functiones exequendi traditur poteſtas. Et denique per matrimonium vir & mulier legitimè, & ſanctè conjunguntur, ut ex ea conjunctione filii ad Dei cultum, & humani generis conſervationem procreentur, & religioſe educentur. Præterea idem numerus ſeptenarius ſacramentorum etiam ritè infertur ex ſecundo fine allato à D. Thoma, qui eſt curatio peccati; ſunt enim ſacramenta inſtituta à Chriſto in remedium peccati: ſiquidem baptiſmus inſtitutus eſt contra peccatum originale: Confirmatio contra infirmitatem animi, qui in regeneratis invenitur. Euchariſtia contra proclivitatem animi ad peccandum: Pœnitentia contra actuale peccatum. Extrema unctio contra reliquias peccatorum, quæ non ſunt ſufficienter ſublatæ per pœnitentiam, vel ex negligentia, aut ignorantia ſuperfuerunt Ordo contra diſſolutionem multitudinis, & tandem matrimonium inſtitui debuit in remedium contra concupiſcentiam, & contra defectum multitudinis, ſiquidem per mortem ſemper minuitur multitudo hominum, qui propterea debuit reparari, ne totaliter ceſſaret humanum genus. Rurſus ſeptenarius ſacramentorum numerus legis evangelicæ congruenter infertur ex ſeptenario numero virtutum, quæ animam hominis videntur præparare, cujuſmodi ſunt tres Theologales, & quatuor Cardinales: ſiquidem baptiſmus eſt Sacramentum fidei, Confirmatio Spei, Euchariſtia Charitatis, Pœnitentia Juſtitiæ, extrema Unctio perſeverantiæ, quæ eſt perfectio quædam fortitudinis. Ordo providentiæ, matrimonium temperantiæ. Imò adumbrantur itidem ſeptem Sacramenta novæ legis ſeptem ſigillis, quorum meminit vetus teſta-

Digitized by Google

testamentum, & quæ Agnus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, reserabit. Rursus plures sunt in scripturis sacris figuræ hujus septenarii numeri Sacramentorum novæ legis, cujusmodi sunt septem tubæ, quibus Angeli cecinerunt, septem stellæ, quas habebat similis filio hominis in dextera sua: Septem panes, quibus Christus Dominus turbas in deserto pavit: septem oculi super unum lapidem: septem lucernæ tabernaculi positæ super unum candelabrum, & tandem septem lotiones Naaman lepra infecti in Jordane. Hunc perperam Sectarii asserunt septenarium Sacramentorum numerum in sacra scriptura non reperiri, quia tametsi hic numerus nominum non legatur in scriptura, imò nec reperiatur in antiquis Patribus, qui non nisi data opportunitate de hoc vel illo Sacramento, non de omnibus simul egerunt in uno eodemque loco, eò quia recens conversos ad fidem Christi, & baptizatos de illis informarent, ut occasio se offerebat, & quæ statim post baptismum ex ecclesiæ disciplina conferebantur, scilicet confirmatione & Eucharistia, ut liquet ex S. Cyrilli Jerosolymitani Catechesibus, & S. Ambrosii *libris de his, qui mysteriis initiantur, & de Sacramentis*: numerus tamen rerum ipsarum in scriptura, & in Patrum operibus habetur, etenim quamvis in scriptura legantur quatuor evangelia, quatuordecim D. Pauli epistolæ, duodecim articuli Symboli Apostolici, septem Domini verba in cruce; res tamen numeratas scriptura vel traditio, vel etiam utraque continet, & docet, non tamen scriptura recenset expresse nomina quatuor evangeliorum, quatuordecim epistolarum, duodecim articulorum Symboli Apostolici, nec septenarium numerum Verborum Domini in cruce, sufficit enim, si res numeratæ in scripturis continentur: ita quamvis hic numerus septenarius expresse non habeatur sacramentorum, sufficit tamen, si sacramenta numerata, habeantur in scriptura, & quia res, quæ constituunt septem sacramenta, legimus in scripturis, inde ritè inferimus, septenarium numerum sacramentorum: eodem pacto non legimus in scripturis, Patrem esse primam personam Sanctissimæ Trinitatis, Filium secundam, & Spiritum S. tertiam; quia tamen ordo & numerus continetur in sacra scriptura, rectè inferimus, Patrem esse primam personam Sacrosanctæ Trinitatis, Filium secundam, & Spiritum S. tertiam. Huc accersendus S. Basilius, Lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 18. *Cum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum traderet Dominus, non simul cum numero tradidit. Non enim dixit: In nomine primi, secundi, ac tertii. Neque in uno, duobus, aut tribus: sed per sancta nomina, fide ad salutem perducente, cognitionem largitus est. Itaque quòd nos salvos facit, fides est. Numerus verò signum declarans, quantitatem eorum, de quibus loquimur, ab hominibus excogitatus est. Sed qui undequaque sibi ipsis noxas contrahunt, etiam numerandi facultate adversus fidem abusi sunt: qui quidem cum nulla omnino res alia ob numeri accessionem immutetur: tamen in divina natura numerum metuunt, ne per eum honoris Paracleto debiti modum excedant.* Unde ex eo, quod septenarius numerus non continetur in scripturis, inde non potest inferri Sacramenta novæ legis non esse septem, quia res numeratæ continentur in scripturis, quod sufficit, ut superius innuimus, & de sacramentis baptismi, & Eucharistiæ concedunt Sectarii. Confirmatio significatur in actis Apostol. 8. & 19. ubi D. Lucas narrat, Homines accipere per impositionem manuum ab Apostolis Spiritum Sanctum, & quidem hoc ita narratur, ut quædam quasi comparatio in narratione fiat ejus rei cum cæremonia baptismi, ut claret ex illis verbis: Imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant: Eucharistia traditur Joan. 6. & Luc. 22. Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Extrema Unctio promulgatur per Jacobum Apostolum, cap. 5. *Inducat Presbyteros ecclesiæ, qui orent super eum ungentes oleo, & oratio fidei alleviabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur.* Ordo Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata.* Quæ verba expendens D. Augustinus in quæstionibus veteris, & novi testamenti, ait: *Inspirationem illam, de qua illic agit Dominus, gratiam quandam esse, quæ per traditionem potestatis infunditur ordinatis*: & Apostolus Timotheum monet 2. Timoth. 2. *Ut resuscitet in se gratiam Dei, quam*, cùm ordinaretur Presbyter, *acceperit per manuum impositionem.* Denique matrimonium etiam in scripturis continetur ad Ephes. 5. ubi D. Paulus seriò admonet conjuges, ut uxores suas diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Rursus sacramentum matrimonii antiqua evincitur traditione; Omnes enim Orthodoxi, qui unquam de matrimonio, tanquam de Sacramento, locuti sunt sive in Conciliis, sive extra Concilia, de illo, tanquam de re antiquissima, sunt locuti, quod cùm ita sit, ad ipsos Apostolos traditio de sacramento matrimonii referri debet, juxta regulam D. Augustini, præsertim cùm in universa per Orbem Ecclesia matrimonium, veluti unum quoddam Sacramentum, Apostolica traditione acceptum, & à Christo institutum, semper usurpatum fuit, etiam ante Sectarios, & de eo, quod universa frequentat Ecclesia, disputare, insolentissima insania est, ut ait D. Augustinus epist. 118. ad Januarium. Demum quia antiqui etiam Patres absolutè & simpliciter matrimonium quoddam Ecclesiæ sacramentum esse semper censuerunt, ut S. Chrysostomus, Theophylactus & alii Interpretes in epist. 5. ad Ephes. D. Ambrosius in Commentar. in epist. ad Ephes. ut etiam D. Augustinus, qui pluribus in locis ait: *In nostrorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri*, & Lib. de bono conjugali cap. 18. ait: *Bonum nuptiarum per omnes Gentes in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio intercedente, alteri nubere, dum vir ejus vivit.* Præ cæteris insignis est locus Augustini Lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 10. ubi etiam Sacramentum istud matrimonii confert cum Sacramento baptismi, inquiens: *Hoc custoditur in Christo, & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum, nullo divortio separetur, cujus Sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri in monte sancto ejus, ut nec sterilem conjugem possit relinquere, ut alia fœcunda ducatur.* Et paucis interjectis subdit: *Inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec copulatio cum altero possit auferri, Manet autem* (cùm se perperam ipsi separant)

ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis. Quamobrem ex Augustini sententia, quæ procul dubio semper fuit Orthodoxa, sicut baptismus sacramentum est, quod habet effectum perpetuum, & indelebilem scilicet characterem: Ita etiam matrimonium est Sacramentum quoddam, cujus effectus est perpetuus, scilicet illud vinculum inter conjuges indissolubile, ut etiam superius in eodem cap. explicuerat expressiùs Augustinus his verbis: *Hujus Sacramenti res est, ut mas, & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.* Hinc claret, falsum esse, ac solemne mendacium, quod Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 19. asserat, inauditum fuisse ante D. Gregorium, quod matrimonium esset sacramentum, etenim Augustinus, & Ambrosius, ducentis propemodum annis antiquiores fuerunt Gregorio, & expresse asserunt, matrimonium, verè & propriè esse sacramentum: Asseruit etiam hoc sacramentum S. Petrus Damianus. Mendacii etiam redarguitur Lutherus, dum scripsit de his sacramentis in antiquis Patribus nihil haberi, nisi in Dionysio. Et quamvis ante Christum, ut etiam post Christi adventum inter Gentes, Paganos, Turcas extra Ecclesiam, sit tantùm contractus naturalis, Christus tamen hunc contractum elevavit, ut esset sacramentum, in quo gratiam accipiant conjuges ad sanctè procreandam, & educandam prolem, prout expetit ad Dei cultum in Ecclesia tuendum, propagandum, & conservandum.

Contra tamen hunc septenarium sacramentorum numerum objiciunt Sectarii, eò quia distinguunt triplicem baptismum, fluminis, flaminis, sanguinis. Rursus Pœnitentiam duplicem, publicam. & secretam. Ordinem igitur dirigunt in quatuor minores, & tres majores, Professionem monasticam ajunt à Græcis haberi, ut sacramentum, Aquam benedictam & alia sacerdotali benedictione sanctificata, seu consecrationes ipsas, & benedictiones in sacramentorum numero haberi, quinimò asserunt etiam, contra peccata venialia esse instituta sacramenta, quinimò & lotionem pedum ajunt esse novæ legis sacramentum, de qua extat Christi præceptum, & cui gratiæ promissio annexa est, ut probant illa Christi verba ad Petrum: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Et illa Christi verba ad Apostolos: *Scitis, quid fecerim vobis, vos vocatis me Magister & Domine: & bene dicitis, sum enim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Rursus D. Ambrosius Lib. 3. de sacramentis cap. 1. Lotionem pedum vocat mysterium, quod perinde est ac sacramentum, & illam confert cum baptismo, cui etiam tribuit, ut venena serpentis eluat, & abstergat, ac majorem conferat sanctificationem, ait ipse: *Vide omnem justitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem, nisi lavero, inquit, tibi pedes, non habebis partem mecum. Ipse Petrus ait: Domine, non solùm pedes, sed etiam manus, & caput. Vide fidem. Quod ante excusavit, humilitatis fuit, quod postea se obtulit, devotionis & fidei. Respondit illi Dominus, quia dixerat manus & caput: Qui lavit, non necesse habet, iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet. Quare hoc? quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus à Diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis ad humilitatem quoque proficit, ut in ministerio non erubescamus, quod non dedignamur in obsequio.* Et D. Bernardus serm. 1. in Cœna Domini ait: *Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantùm, alia verò prater alia designando, & ipsa dicuntur signa & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hereditate aliqua, & signum est, ita ut jam dicere possit, qui accipit, annulus non valet quidquam, sed hæc hereditas est, quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique baptismus initium Sacramentorum omnium*: ubi ablutionem pedum D. Bernardus inter Sacramenta recenset, quæ proinde non sunt septem. Sed contra, quia baptismus aquæ contritio cordis, & fusio sanguinis, per martyrium non sunt diversa sacramenta baptismi, sed tantùm per analogiam, seu similitudinem vocantur baptismata, quatenus habent eundem effectum baptismi. Cæterum unus tantùm est baptismus aquæ, qui propriè & verè sacramentum; non enim martyrium à Christo fuit institutum, ut actio sacra, siquidem ex parte Carnificum, qui Martyres torquent, ac interficiunt, gravissimum est crimen, propterea Christus tantùm præcepit suis fidelibus, ut potius patiantur Martyrium ac necem, quàm à fide recedere, hac de causa Martyrium non est sacramentum, sed tantùm heroicæ fortitudinis actus. Contritio itidem tantùm includit baptismum in voto, non verò ipsa est verum sacramentum, quia hoc debet essentialiter esse signum sensibile, & contritio cordis potest esse interna, ut nullo signo exteriori sensibili prodatur. Pœnitentia itidem publica & secreta non differunt in prædicatis essentialibus, sed tantùm quoad modum, adeo ut pertineant ad unum, ac idem sacramentum. Ordo itidem, quamvis dividatur in majores, & minores ordines, omnes tamen simul integrant unum totale sacramentum, coalescens ex quatuor minoribus, & ex tribus majoribus. Monastica professio, tametsi ab aliquibus Græcis sacramentum impropriè vocetur, non tamen ab Ecclesia Græca unquam legitur recensita inter sacramenta. Ratio est, quia à Christo non fuit instituta, nec per se sanctificat Monachum, nec sanctimonialem, sed tantùm ratione pietatis, charitatis, fidelitatis in votis adimplendis, & quia Religiosi per Monasticam professionem civiliter moriantur mundo, ejusque operibus, ut etiam sibi ac propriæ voluntati, ac incipiunt novum hominem induere divinis mancipatum obsequiis, ideo sancti Patres professionem vitæ Monasticæ vocant secundum baptisma, non quod sit sacramentum, sed sicut per baptismum homo abrenunciat Sathanæ, & novum hominem induit, ita per Monasticam professionem renuntiat mundo, & se Dei servitio addicit, veluti induens novum hominem, ut scribit D. Hieronymus *epist. 25. ad Paulum de obitu Plesilæ*, & *epist. ad Demetriadem*, ut etiam D. Bernardus *Tract. de præcepto*

cepto & dispensat. cap. 17. Ad aliud quod addebatur de aqua benedicta, de pane benedicto, & aliis rebus, respondetur hæc non esse Sacramenta, sed sacramentalia. & ratio est perspicua, quia omnia Sacramenta fuerunt à Christo instituta, qui tantùm per potestatem excellentiæ potest Sacramenta instituere. Aqua vero benedicta, panis benedictus, & reliquæ benedictiones non fuerunt institutæ à Christo, sed ab Ecclesia, quæ non habet potestatem instituendi Sacramenta. Præterea neque dici possunt Sacramenta, neque obstat, quod remittant peccata venialia, quia id non præstant per se & ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, seu ex fide, pietate, & devotione illius, qui rebus illis utitur. Quamobrem sacramentalia non sunt Sacramenta, *quia*, ut docet D. Thomas *3. part. quæst. 65. art. 1. ad 6. non perducunt ad Sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio: sed sunt dispositiones quædam ad Sacramenta: vel removendo prohibens: sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias Dæmonum, & contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quandam faciendam ad Sacramenti perfectionem, & perceptionem, sicut consecrantur altaria, & vasa, propter reverentiam Eucharistiæ.* Et ad Sextum addit in respons. ad 7. *Ad deletionem venialis peccati non requiri infusionem gratiæ, unde cum in quolibet Sacramento novæ legis gratia infundatur, nullum Sacramentum novæ legis instituitur directè contra veniale, quod tollitur per quædam, sacramentalem puta per aquam benedictam, & alia id generis.* Ad ultimum verò, quod addebatur de lotione pedum, quæ dicebatur esse sacramentum, id negatur, quia verba illa Christi, *si non lavero pedes, non habebis partem mecum*, non significant, quod per lotionem pedum conferatur gratia, & ritum illum fuisse à Christo institutum, ad significandam ac efficiendam gratiam: quamobrem Christus per præfata illa verba fuit Petro in pœnam inobedientiæ comminatus, nisi fineret ipsius pedes ablui, quia, si non se flecteret ad voluntatem Magistri Christi, volentis hunc humilitatis actum exercere, simulque hanc virtutem suos edocere discipulos efficacius exemplo, quàm verbo, non fuisset Petrus humilis, sed contumax, proinde æterna hæreditate indignus, & non fuisset promeritus partem Christi hæreditatis, ut etiam hæc alia Christi verba, *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, non significant, eam lotionem per se valuisse ad remissionem peccatorum venalium: sed significat, eum, qui à lethalibus peccatis mundus fuerit, è levioribus tantùm, quæ terrena conversatione contrahuntur, mundandum esse. Ut etiam verba illa, *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, non significant præceptum hunc ritum lavandi proximo pedes exercendi frequenter, sed tantùm præcipiunt, actus humilitatis & charitatis exercendos in proximum, adeo, ut animo comparati simus ad lotionem pedum, & vilissima quæque ministeria ob imitationem humilitatis Christi, & in fraternæ charitatis testimonium exercenda. Neque aliter censuerunt de illa Christi lotione pedum S. Ambrosius, & Bernardus, qui pedum lotionem Mysterium, & Sacramentum vocant, laxè sumpto nomine Mysterii & Sacramenti pro signo quolibet rei sacræ, quapropter D. Ambrosius asserit, suo tempore consuevisse Romanam Ecclesiam hanc lotionem pedum exercere, non tamen communiter ab omnibus Ecclesiæ Prælatis, sed tantùm ab aliquibus, & tamen dici non potest, quod Ecclesia Romana, licet non frequentaverit hunc ritum, imminuerit aliquod Sacramentum, & numerum Sacramentorum, ait ipse in Joan. 13. *Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, & formam; hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo, ne forte propter multitudinem declinarit. Sunt tamen, qui dicant, & excusare conentur: Quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospitis pedes lavandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi, quia mysterium est & sanctificatio. Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem. Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus: ideo quod alibi rectius servatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhæremus devotioni.* Neque D. Bernardus asserit, hunc ritum abstergendi pedes aquâ, esse verè & propriè Sacramentum; vocat enim pedum lotionem Sacramentum tantùm ex eo, quia sit remissio venialium propter significationem, non propter efficaciam & virtutem, & ejus verba eò tantùm tendunt, ut maximam vigilantiam ad vitanda & eluenda hujusmodi peccata debeant homines adhibere, propterea ait ipse: *Nemo hæc contemnat, aut parvi pendat, quia impossibile est, cum eis salvari, impossibile est, ea dilui, nisi per Christum Jesum, & à Christo: nemo inquam perniciosa securitate dormitet, declinans in verbo malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam (ut audivit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est, nimis esse sollicitos: ignoscet facile, imò & libenter, si modò non agnoscamus. In hujusmodi namque inevitabilibus negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est, quod in oratione, quam ipse instituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. Sicut enim de concupiscentia diximus, quòd licet damnationem abstulerit, quia juxta Apostolum nulla damnatio est his, qui sunt in Christo Jesu: tamen ad humiliandos nos illam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus, quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus: sic & de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non possumus, certi simus, quod non nostris viribus majora superemus, semperque timorati, & omnino solliciti simus, quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.*

)o(

CAPUT VI.

Proponuntur, & diluuntur objectiones, quæ fiunt à Sectariis.

Contra septenarium Sacramentorum numerum plura solent Sectarii objicere. Calvinus enim ait, ex scripturis tantùm posse inferri, dari duo sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam, & nititur ea ratione, quia Sacramenta fluxerunt à latere Christi, quando fluxit sanguis, & aqua, scilicet aqua baptismi, & sanguis Eucharistiæ, & citant Sectarii etiam D. Augustinum de doctrina Christian. cap. 9. & epist. 118. in quibus duo tantùm ponit Sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam, ergo septenarius sacramentorum numerus non subsistit. Sed contra, quia satis apertè ostendimus in præcedenti capite ex scripturis dari revera septem sacramenta: unde falsum est, quod asserit Calvinus ex scripturis, duo tantùm posse inferri sacramenta, Eucharistiam, & baptismum. Neque ratio, cui innititur, est ullius momenti, quia eatenus sacramenta dicuntur fluxisse ex Latere Christi, quatenus habent virtutem ex ipsius sanguine, & duntaxat per sanguinem, & aquam fuisse significata illa duo recensita sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam, utpote magis principalia quæque sunt, veluti fundamenta cæterorum. D. Augustinum quod attinet, respondetur, S. Doctorem in præcitatis locis ponere tantùm illa duo sacramenta per modum exempli, ut liquet ex contextu, cæterum alibi expresse recenset omnia, & singula sacramenta, quæ complent numerum septenarium, etenim præter illa duo sacramenta agnoscit confirmationem Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. ubi ait: *Sacramentum Chrismatis est in genere visibilium signorum: Sacramentum est sacrosanctum, sicut & ipse baptismus.* Rursus inter sacramenta recenset Ordinem Lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 13. ubi confert Confirmationem cum baptismo verbis illis: *Utrumque Sacramentum est, & quadam Consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare*, ut verum sacramentum etiam agnoscit Pœnitentiam Lib. 1. de adulterinis Conjug. cap. 26. & 28. inquiens: *Eadem est causa baptismi & reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt, se non debere exire de corpore.* Rursus agnoscit matrimonium Lib. 1. de nuptiis & concupiscent. cap. 10. ubi ait loquens de matrimonio: *Hujus Sacramenti res est, ut mas, & fœmina, connubio copulati, quam diu vivunt, inseparabiliter perseverent:* Tandem fatetur extremam unctionem esse verum Sacramentum serm. 215. de tempore, inquiens: *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo.* Hinc apparet, quàm mendaciter Calvinus asserat, Augustinum non nisi duo dari Sacramenta docuisse. Sed instant, quia, quòd non omnia, quæ sunt in baptismo, & Eucharistia substantialia, reperiuntur in aliis quinque cæremoniis, cùm non omnes habeant rem aliquam externam præter operationem sensibilem, neque etiam mandatum Dei, quo singuli obligentur ad usum omnium: Sed contra, quia deberent ostendere, has duas conditiones non convenire baptismo, & Eucharistiæ, quatenus sacramenta sunt, & non tantùm ut sunt talia sacramenta, quod nulla ratione possunt evincere. Hinc D. Augustinus Tract. 80. in Joan. ait: *Accedere verbum ad elementum, & fieri Sacramentum*, ubi propriè loquitur de baptismo, alioquin Eucharistia non esset Sacramentum, cùm non constet propriè ex elemento, quamobrem ad rationem communem sacramenti sufficit res aliqua sensibilis, sive illa sit sensibilis distincta ab operatione, sive sit ipsa sensibilis operatio, ut in sacramento Pœnitentiæ. Urgent, quia si res externa sensibilis præter externam operationem ad Sacramenti rationem necessaria non est, petunt: cur non in ratione sacramentorum etiam ponatur externa prædicatio Verbi divini, cùm etiam ipsa significet internam gratiam. Contra est, quia prædicatio non est peculiariter à Deo instituta, ut sit ritus, & cæremonia religionis, sed ut sit medium quoddam per se accommodatum ad propagandam fidem, quamvis generali quadam ratione possit hæc prædicatio evangelii referri ad cultum religionis, perinde ac reliquæ vitutum actiones. Præterea quia non ex peculiari Dei instituto habet, ut gratiam, seu sanctificationem hominis significet, quod ad sacramentum requiritur, sed ex hominum instituto, quatenus verba, ex quibus constat prædicatio, accommodantur ad significandam gratiam.

Objiciunt secundò, quia de ratione sacramenti est, ut præter externam sensibilem actionem comprehendat quid aliud sensibile, distinctum ab ipsa operatione, sed hoc tantùm reperitur in baptismo, & Eucharistia, ex quo inferunt, præter hæc duo non dari alia sacramenta, & firmant ex eo, quia nemo ex antiquis Patribus alicubi enumeraverit septem sacramenta, ait enim Calvinus Lib. 4. instit. cap. 14. *Neque satis constat, quando cœptum sit in Ecclesia de septenario numero Sacramentorum doceri.* Sed contra negatur major, qui comprehendere hanc rem sensibilem, distinctam ab actione sensibili non est de ratione sacramenti genericè sumpti, sed tantùm de ratione talis sacramenti specialis, scilicet baptismi comprehendentis, præter actionem sensibilem, qua sensibiliter confertur baptismus, ipsam aquam, & Eucharistiæ continentis species panis, & vini, quapropter hæ duæ conditiones actionis, & rei non conveniunt baptismo, & Eucharistiæ, prout simpliciter & præcise sunt sacramenta; sed quatenus sunt talia specifica sacramenta. Neque obstat, quod Augustinus Tract. 80. in Joan. dicat: *accedere verbum ad elementum, & fieri sacramentum*, quia tunc Augustinus loquebatur propriè de baptismo, alioquin, ut diximus, Eucharistia cùm non sit elementum, non esset Sacramentum. Igitur ad Sacramentum in genere tantùm sufficit, si sit res aliqua sensibilis, sive hæc sit distincta ab operatione, ut aqua in baptismo, species panis & vini in Eucharistia, sive non sit distincta ab operatione, ut in sacramento Pœnitentiæ. Sed instant contra hanc responsionem, quia si præter externam operationem non esset in sacramento necessa-

Digitized by Google

ceſſaria res ſenſibilis, inde ſequeretur, quod externa prædicatio Verbi divini rationem induceret Sacramenti. Sed jam diximus prædicationem Verbi divini non fuiſſe à Chriſto ſpecialiter inſtitutam, ut eſſet ritus & cæremonia religionis, ſed ut ſit medium quoddam accommodatum ad fidei propagationem, quamvis poſſit etiam referri ad cultum religionis, perinde ac actionis reliquarum virtutum. Quòd ſi aliquando verba prædicationis accommodantur ad gratiam ſignificandam, id non habetur ex Chriſti, ſed hominum inſtituto. Ad aliud quod addebatur, neminem ex antiquis Patribus alicubi commemorâſſe ſeptenarium numerum Sacramentorum. Contra eſt; quia tametſi Sancti Patres non recenſeant ſimul in uno, eodemque loco omnia ſacramenta, neque expreſſe aſſerant ſacramenta eſſe numero ſeptem, ſufficit tamen, quod de iiſdem agant pro ut occaſio ſe ſe offert, ut paulò ante variis ac diverſis locis oſtendimus, D. Auguſtinum omnia recenſuiſſe ſeptem Sacramenta, unde quod Calvinus dicat, non conſtare, quando cœperit ejusmodi doctrina tradi in eccleſia. Id potiùs Catholicorum ſententiam confirmat, ſcilicet id haberi in eccleſia authoritate Apoſtolica; obſervanda ſiquidem eſt regula, quam tradit D. Auguſtinus lib. 2. contra Donatiſtas cap. 7. & lib. 4. cap. 24. *Scilicet quod univerſa per orbem tenet Eccleſia nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum, id nonniſi Apoſtolica authoritate traditum eſſe rectiſſimè creditur.* Hinc apparet, quàm mendaciter Kemnitius primum Authorem hujus ſeptenarii numeri ſacramentorum dixerit Magiſtrum ſententiarum, cùm D. Auguſtinus S. Dionyſius, & alii Sancti Patres, qui floruerunt pluribus ſæculis ante Magiſtrum ſententiarum, aſſeruerint hanc ſeptenarium numerum ſacramentorum, & præſertim Auguſtinus ut paulò ſuperiùs citavimus loca, in quibus meminit omnium ſeptem Sacramentorum. D. Dionyſius ita etiam egit, de quibus Sacramentis ut non excluſerit è numero Sacramentorum Pœnitentiam, & matrimonium, ut nec alii Sancti Patres negarunt ullum ex ſeptem Sacramentis, quamvis de omnibus ſeptem ſimul tractatum non inſtituerint, ut autem objectio Sectariorum vim haberet, eſſent aſſignandi, qui docerent Sacramenta legis evangelicæ non eſſe ſeptem ſuperiùs recenſita, citantur enim tantùm Sancti Patres, qui ex data occaſione de aliquibus ſolùm Sacramentis inſtituerunt ſermonem, & non de omnibus, quaſi non tractare de re aliqua perinde foret ac rem illam negare, quo nil abſurdius. Quinimò ex eo, quòd non ſit certum, ut ajunt Sectarii, quando in eccleſia cœperit edoceri hic numerus ſeptenarius Sacramentorum, inde debemus inferre, fuiſſe ab Apoſtolis hunc numerum ſeptenarium promulgatum eo, quia revera ſeptem fuerint Sacramenta à Chriſto inſtituta, ut univerſa ſemper tenuit eccleſia Catholica, quæ eſt regula D. Auguſtini ad aliquid traditam eſſe rectiſſimè credendum. Præterea quia ipſe ſeptenarius Sacramentorum numerus aſſeritur non ſine firmiſſimo fundamento, eò quia deducitur ex ſacris ſcripturis, & idem numerus fuit ab eccleſia definitus in pluribus Conciliis, & in eccleſia ſemper aſſertus fuit hic numerus, eccleſia autem, teſte Apoſtolo, eſt columna veritatis, quæ ob promiſſam aſſiſtentiam Spiritus Sancti non poteſt errare, nec fideles decipere quoad res fidei. Quòd verò ſeptenarius Sacramentorum numerus habeatur ex traditione Apoſtolorum, liquet ex prærecenſita regula D. Auguſtini: ſiquidem ſeptenarium Sacramentorum numerum ubique terrarum catholica ſemper tenuit eccleſia.

Objiciunt tertiò, non dari in Eccleſia Sacramentum Confirmationis, eò quia de hoc ſacramento dicunt non extare promiſſionem divinam de effectu gratiæ per ejusmodi cæremonias, quod tamen requiritur ad Sacramentum. Præterea aſſerunt nullam extare promiſſionem divinam de effectu gratiæ conferendæ per hanc cæremoniam. Sed contra, quia ex prædictis ſatis conſtat ex ſcripturis ſacris, & traditionibus dari hoc ſacramentum confirmationis; etenim Actor. 8. & 19. habetur: In Confirmatione per manuum impoſitionem impertiri Spiritum Sanctum ſeu gratiam, quæ datur per Spiritum Sanctum. Præterea quamvis ſcripturæ expreſsè non ſignificarent hanc gratiam ut effectum Confirmationis, adhuc ſufficeret ad id concedendum ipſa traditio, & conſuetudo eccleſiæ, quæ ſemper docuit confirmationem eſſe unum ex ſeptem Sacramentis à Chriſto inſtitutis. Sed inſtat Calvinus, & cum ipſo etiam Kemnitius, eò quia aſſerere Sacramentum Confirmationis perinde eſt, ac gravem injuriam inferre Baptiſmo, quia præcipui illi effectus ſunt, ut baptiſmus conferat gratiam ſanctificantem, & Confirmatio eandem gratiam corroboret ad militiam Chriſtianam, ex quo inferunt ita à Catholicis tribui huic cæremoniæ conferre gratiam, ut ſimul quaſi per antitheſin negetur idem effectus baptiſmo, cùm tamen ſcriptura vel maximè baptiſmo ejus effectum adſcribat, Apoſtolus enim ad Roman. 6. ait: *Baptizatos, conſepultos eſſe per baptiſmum in mortem &c. ut deſtruatur corpus peccati*; & ad Galat. 3. dicuntur: *Quotquot ſunt baptizati, Chriſtum induiſſe*, & ad Tit. 3. ſcribit Apoſtolus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè.* Quòd ſi abundè, ergo ad omnes effectus. Sed contra negatur ſuppoſitum, ſupponunt enim Sectarii, nos Catholicos tribuere omnino eosdem effectus Sacramento Confirmationis, ut nulla ratione, ac diverſo modo tribuamus baptiſmo, quod falſum eſt, non enim eadem gratia quæ nobis confertur per baptiſmum, eadem numero nobis iterum datur per Sacramentum confirmationis; quamvis enim gratia nobis beneficio baptismi collata ſit ſufficiens ad ſuperandas tentationes, ſi abſolutè loquamur, & ad omnes effectus gratiæ, qui ſunt ad ſalutem neceſſarii; attamen per Sacramentum Confirmationis nobis confertur alia gratia ſaltem numero diſtincta ab illa nobis per baptismum collata; ſeu per Spiritum Sanctum peculiari quodam modo, quo vobis non confertur per Baptiſmum, ſeu ſecundùm auxilia quædam ſingularia, quæ ſpecialiter valent ad effectum, & finem hujus Sacramenti Confirmationis. Neque inde Catholici ullam irrogant injuriam Sacramento baptiſmi; quamvis per Confirmationem nobis impertiatur gratia propria hujus Sacramenti poſt ſuſceptum baptiſmum, inde non ſequitur, baptiſmum nobis non contuliſſe totum ſuum effectum; etenim Actor. 8. Petrus, & Joannes mittuntur ad Samaritanos jam baptizatos, qui propterea jam acceperant gratiam, quæ eſt proprius effectus baptiſmi, ut daret Spiritum Sanctum. Nam ut Actorum 8. dicitur: *Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini, tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; quinimò Chriſtus ipſe dixit: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Quibus textibus clarè ſignificatur aliqua ratione Spiritum Sanctum non dari per baptiſmum; ſed per confirmationem abſque ulla baptiſmi injuria; hinc D. Hieronymus contra Luciferianos cap. 4. ait: *Si quæris, quare in*

Digitized by Google

eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum Sanctum, diſce hanc obſervationem ex ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſionem Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit. Hoc eſt, diſcipuli & alii fideles baptizati poſt aſcenſionem Domini acceperunt Spiritum Sanctum, qui nondum in quemquam illorum venerat, ex quo conſtat ex ſcripturis, gratiam collatam per baptiſmum non eſſe eandem prorſus, quæ fidelibus confertur per Confirmationem, neque hanc ſecundam gratiam ſupplere aliquem defectum gratiæ collatæ per baptiſmum, tametſi conferat Majores vires, & corroboret contra tentationes fideles ſuſcipientes hoc Sacramentum, quamvis per gratiam ſuſceptam in baptiſmo valeant etiam tentationem ſuperare, etenim plenitudo gratiæ in ſuo proprio genere tribuitur etiam Sacramento baptiſmi ſuo tamen modo, & ratione, ſcilicet ſecundùm auxilia peculiaria quæ valeant, ad proprium effectum illius, & ad finem, ut ſcribit Melchiades epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 2. & de Conſecratione diſt. 5. c. Spiritus S. ait enim: *Spiritus qui ſuper aquas baptiſmi* ſalutifero deſcendit lapſu in fonte *baptiſmatis plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione autem augmentum & perfectionem ad gratiam*, & tamen ibi Melchiades oſtendit diſcrimen inter utramque gratiam collatam in baptiſmo, & Confirmatione, ſubdit enim: *In baptiſmo homo ad militiam concipitur, in Confirmatione coarmamur ad pugnam; in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum ad pugnam confirmamur; in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur.* Neque obſtat quòd Kemnitius part. 4. quæſt. 44. in primo: dicat Alexandrum Alenſem diſputaſſe confirmationem non à Chriſto, ſed ab Eccleſia fuiſſe inſtitutam, etenim falſum eſt, poſt tot eccleſiæ declarationes Sacramentum Confirmationis aſſerere non fuiſſe à Chriſto inſtitutum, cum Actor. 8. & 19. habeamus effectum gratiæ hujus Sacramenti, *tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Neque enim verba hæc poſſunt, nec debent intelligi de impoſitione manuum, quæ fiebat ſupra ſingulos eccleſiæ Miniſtros, cum ordinarentur, ſed de quadam alia, ad quam omnes cujuscunque ſexus admittebantur; ſiquidem promiſcuè applicabatur omnibus Samaritanis, ut colligitur ex illa indefinita ſententia: *Imponebant illis manus*, & verbis ſequentibus: *Et accipiebant Spiritum Sanctum*; illa rurſus Simonis Magi poſtulatio: *Date mihi hanc poteſtatem, ut cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Quamvis igitur ritus & inſtitutio, ac mandatum expreſsè non habeatur in ſcriptura, colligitur tamen evidenter ex locis citatis, alioquin Apoſtoli nunquam ita confidenter & ordinariè manus impoſuiſſent ad gratiam Spiritus Sancti communicandam, niſi Dominus id præcepiſſet, non enim ignorabant non poſſe ullum hominem inſtituere cæremoniam, ad quam ſequeretur gratia Dei, conſequenter oportet aſſerere Apoſtolos habuiſſe Chriſti mandatum. Præterea hæc impoſitio manus conjuncta erat cum Unctione, & ſigno crucis, & hanc cæremoniam fuiſſe ordinariam, & neceſſariam adeo, ut non fuerit ſatis, fundere preces ad Deum pro adventu Spiritus Sancti, & ex eo etiam infertur, quia primarii Apoſtoli Petrus, & Joannes tantùm laboris, & itineris ſuſceperint, ut ex Jeroſolyma Samariam proficiſcerentur ad imponendas manus iis, quos Philippus Diaconus baptizaverat; ſiquidem poterant commodè orare pro illis Jeroſolymæ immorantes. Hinc Alenſem eodem tempore refutavit hac in re Albertus Magnus, imò & D. Thomas *in 4. diſt. 7. art. 2. ad 1. & art. 1. ad 1.* unde tametſi unus vel alter hac in re erraverit, non inde ſequitur Sacramentum Confirmationis non fuiſſe inſtitutum à Chriſto, quamvis de tempore, quo hoc Sacramentum inſtituerit, ſit aliqua quæſtio, & probabilior ſententia aſſerat Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum Confirmationis in ultima Cœna, ut aſſerit Fabianus Papa & Martyr epiſt. 3. & huic ſententiæ favet itidem Eccleſiaſtica traditio aſſerens: Chriſtum docuiſſe Apoſtolos conficere Chriſma, quod eſt, hujus Sacramenti materia. Sed Kemnitius objicit contra traditionem, eò quia illas epiſtolas decretales Pontificum eſſe ſuppoſititias Magdeburgenſes etiam Centuriatores eas inficiantur. Verùm eas epiſtolas de facto conſtare nervosè oſtendit Franciſcus Turrianus adverſus Magdeburgenſes, & Centuriatores, gratis enim dicuntur fictæ illæ epiſtolæ, niſi id probetur. Rurſus aſſerit Patres veteres de Unctione, & Confirmatione fuiſſe locutos, quæ non fuerint diverſum per Sacramentum à baptiſmo, ſed tantùm ritus quidam illius; idque aſſerunt conſtare ex illis locis, ubi Veteres deſcribunt actionem baptiſmi; ſiquidem ad eam referunt quoque hanc Unctionem, ut Dionyſius *cap. 2. de Eccleſ. Hierarch.* Tertullian. *de baptiſmo.* Ambroſius *de myſteriis initiandis.* Sed contra, quia ex veteribus Patribus plures, inter quos Auguſtinus, comparant hanc Unctionem cum baptiſmo, & ſignificant æquè eſſe Sacramentum ac ipſum baptiſmum, idque fere omnes affirmant aſſerentes per ejusmodi actionem dari Spiritum Sanctum, adeoque illi tribuunt planè efficaciam Sacramenti. Cæterum quod aliquo pacto illam cæremoniam aliqui ex Veteribus ad actionem baptiſmi retulerint, id non obſtat, quia eodem tempore conſueverint Catechumeni ſimul & baptizari, ac ſuſcipere Euchariſtiam, & ſimul confirmari, perinde ac etiamnum uno eodemque die utrumque Sacramentum ſolet catechumenis adminiſtrari in paſchate, & Pentecoſte, non tamen nego, quin aliqua teſtimonia veterum poſſint intelligi de illa cæremonia Unctionis, quæ adhibetur etiam per Sacerdotes in ipſo ritu, & adminiſtratione baptiſmi. Sed præterea plura alia habemus teſtimonia de Unctione, quæ per ſe ſit Sacramentum hujus confirmationis, quia in hoc Sacramento, quod adminiſtratur per ſolos Epiſcopos, adhibetur etiam Unctio. Præterea Samaritani illi poſt multum temporis à ſuſcepto baptiſmo acceperunt miniſterio Apoſtolorum effectum hunc proprium Confirmationis, ex quo ſatis apparet non id pertinere omnino ad ipſam actionem baptiſmi. Demum quia Miniſter confirmationis eſt ſolus Epiſcopus, ut notat D. Hieronymus contra Luciferianos cap. 4. & Cyprianus epiſt. ad Jubajanum; Baptiſmi autem Miniſter poteſt eſſe etiam ſimplex Sacerdos, imò & in caſu neceſſitatis etiam ſæcularis, imò & fœmina, unde conjicitur reverà hæc duo Sacramenta differre inter ſe.

Neque officit, quod aſſerit Calvinus loc. cit. impoſitionem illam manuum, cujus meminerunt Veteres, non fuiſſe niſi quandam Catecheſim, qua ſcilicet, qui in infantia baptizati fuerant, ſolerent poſtea illis eccleſiæ temporibus reddere rationem brevem ſuæ fidei, coram Epiſcopo, & inſtrui in his, quæ minus rectè intelligebant, eaque ratione in fide confirmari addita illa cæremonia impoſitionis manuum, per quam oratione facta invocabatur ipſis Spiritus Sanctus ad perſeverandum. Contra eſt, quia id aſſerit Calvinus absque ullo ſufficienti fundamento; ſiquidem quod ipſe adfert ex Leone epiſt. 37. Moris fuiſſe, ut qui Hæretici olim ad eccleſiam reverterentur, non rebaptizentur, ſed reciperentur per impoſitionem manuum, qua illis invocaretur Spiritus Sanctus, id non facit ad rem noſtram, neque enim impoſitio

illa

Digitized by Google

illa manuum erat novus baptismus. Fatemur moris fuisse olim, ut ad hujusmodi impositionem manuum, qua recipiebantur Hæretici, fuisse aliquando adhibitam unctionem Chrismatis, ut etiam colligitur ex Concilio Nicæno, ut refert D. Gregorius lib. 9. Registri cap. 61. Sed hæc unctio adhibita in manuum impositione, per quam recipiebantur resipiscentes Hæretici, non erat Sacramentum confirmationis, sed tantùm signum reconciliationis cum ecclesia Catholica, siquidem adhibebatur hæc cæremonia manuum impositionis cum Unctione, sive Hæretici resipiscentes fuerint antea confirmati sive non; neque enim constat, quod in ea re ad id attenderetur, & quia confirmatio semel suscepta ab aliquo non potest iterari, sicut nec baptismus, sequitur hanc manuum impositionem una cum Unctione adhibitam Hæreticis resipiscentibus jam confirmatis non potuisse esse Sacramentum confirmationis, sed fuisse aliud genus impositionis manuum per modum reconciliationis, quapropter hæc manuum impositio in hac Hæreticorum reconciliatione habuit aliquem modum Catechesis, & fuit omnino distincta ab alia manuum impositione addita Unctione, qua suscipiebatur gratia Spiritus Sancti. Idque testatur etiam D. Leo Papa epist. 88. licèt hunc pro se Calvinus retulerit: refert enim utrumque genus impositionis manuum tanquam omnino diversum nempe illud, quo recipiebantur Hæretici, & illud, quo simpliciter omnes cum Unctione Chrismatis in fronte per solos Episcopos, ut asserit Leo, confirmari oporteret. Constat igitur dari sacramentum confirmationis, ac fuisse institutum à Christo in ultima cœna quoad materiam, & formam, quia tunc Christus consecravit Chrisma, seu oleum balsamo mixtum, qua ratione eo tempore ad imitationem Christi conficitur Chrisma ab Episcopis, & completa postea fuit institutio, ut probabilior fert opinio, cum Christus dedit Apostolis post resurrectionem plenam potestatem ordinationis Sacerdotalis, & Episcopalis sub illis verbis Joan. 20. *Sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos*; tunc enim primum Episcopi creati fuerunt & pro eodem tantùm tempore potuerunt conferre confirmationem.

Objiciunt quartò contra pœnitentiam; negant enim esse Sacramentum licèt non eodem nitantur fundamento, siquidem Novatiani eatenus hoc Sacramentum negarunt, quia censebant nullum esse ministerium reconciliationis per pœnitentiam post baptismum. Recentiores verò concedunt quidem rem ipsam pœnitentiæ post baptismum, idque toties, quoties in peccatum contigerit elabi, non tamen concedunt hanc pœnitentiam esse signum gratiæ remissionis peccatorum post baptismum, nec efficaciter gratiam conferre, propterea negant Deum in hac pœnitentia ullum instituisse Sacramentum. Concedunt Lutherani per ministerium pœnitentiæ applicari singulis evangelii promissionem, seu remissionem peccatorum, sed negant in hoc pœnitentiæ ministerio contineri sacramentum propriè dictum. Docent, non debere homines quærere remissionem peccatorum extra hoc ministerium pœnitentiæ, quo vel in genere omnibus pro concione, vel in particulari singulis annuntiatur evangelium seu promissio gratiæ per Christum, ne conceptis horroribus ex consideratione peccatorum, ac iræ Dei cognitæ per legem impediantur, quò minus statuant sibi omnino remitti peccata per Christi merita, hinc volunt per solam fidem, qua credunt sibi remitti peccata, si ipsos peccatorum pœniteat, gratiam accipere; hinc argumentantur, ut probent pœnitentiam non esse Sacramentum, quia in usu pœnitentiæ nulla res externa à Ministro adhibetur, ad quam cum accesserit verbum, fiat Sacramentum, juxta illud Augustini Tractat. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Secundo quia si Pœnitentia esset Sacramentum avocarentur à Christo pœnitentes, qui putarent se non per Christi merita, sed per proprios actus pœnitentiæ, seu contritionem, confessionem & satisfactionem consequi reconciliationem post baptismum. Tertio quia pœnitentia ante promulgatum evangelium non fuit verè ac propriè Sacramentum, ergo neque post promulgatum evangelium. Sed contra quia Pœnitentia verè & propriè est Sacramentum, adeo ut pœnitentiæ ritus externus & sensibilis, cuilibet Sacramento necessariò adjunctus complectatur tam pœnitentis actum ut tunsionis pectoris, & alia indicia interni doloris, & contritionis, & confessionem, seu propriorum delictorum manifestationem, quam ipsam verbalem Sacerdotis absolutionem; quapropter hoc sacramentum definitur, quod constet ex actibus pœnitentis, & absolventis, institutum à Christo per modum judicii emendativi ad remissionem peccatorum; dixit enim Christus Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Hinc habemus ritum hujus Sacramenti, scilicet externum pœnitentis actum, & judicialem absolutionem, quæ est signum interioris, hinc fit ut à Deo remittantur peccata, dum verba ministerialiter proferuntur absolutionis. Rursus habemus promissionem gratiæ, ait enim Christus Joan. 20. *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos*, hinc D. Paulus 2. Corinth. 5. ait: *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis* & paulò inferiùs subdit: *Pro Christo legatione fungimur*, unde nulli est dubium, quin pœnitentia sit verum Sacramentum ecclesiæ, seu signum sensibile causativum gratiæ, quam continet, hinc communiter Sancti Patres id asserunt. D. Ambrosius 1. de pœnit. cap. 7. ait: *Quid interest, utrum per pænitentiam, an per Lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vendicent? unum in utroque ministerium est*. Quamobrem respondetur cum D. Thoma *part. 3. quæst. 84. art. 1.* ad objectionem Sectariorum non esse de ratione Sacramenti novæ legis, ut res sensibilis externa applicetur per Ministros, sed sufficit si Sacramentum cum verbis formæ sit aliquid sensibile, quòd possit habere rationem materiæ, sive hoc sensibile sit res externa, sive actus sensibilis, cujusmodi in Sacramento Pœnitentiæ sunt ipsi actus pœnitentis, & ipsa confessio. Neque D. Augustinus pro elemento intellexit proprium elementum, sed tantùm genericè rem aliquam sensibilem, sive hæc sit actio sive res sensibilis. Cur autem in aliquibus Sacramentis applicetur ab ipso Ministro res aliqua externa, ut in baptismo aqua, non ita in aliis ut in pœnitentia, & matrimonio à D. Thoma 3. part. quæst. 84. art. 11. adducuntur plures rationes, quarum potissima est voluntas Christi à qua dependet tota institutio, & ratio Sacramenti. Ad secundum respondetur, nil obstare, quò minùs actus illi pœnitentis, ut subjiciuntur absolutioni Sacerdotis concurrant instrumentaliter ad gratiam, & remissionem peccatorum; simulque vim hanc habeant ex meritis, & propter merita Christi, adeo ut Christi merita sint causa principalis gratiæ, quæ confertur per Sacramentum pœnitentiæ, quapropter actus pœnitentis tantùm causant gratiam instrumentaliter, & in virtute meritorum Christi, quorum efficacia confertur principaliter gratiæ. Ad tertium respondetur pœnitentiam ante promulgationem evangelii fuisse tantùm virtutem, & non Sacramentum, secus in lege evangelica Christum addidisse huic virtuti rationem Sacramenti, & in illa instituisse Sacramentum

pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ; sicut nec matrimonium ante legem evangelicam erat Sacramentum, sed simplex contractus humanus, cui in lege evangelica Christus adnexuit rationem Sacramenti. Si pœnitentia sumatur ut virtus, præcisè verum est post evangelium etiam retinere hanc rationem virtutis, sicut etiam matrimonium retinet rationem contractus. Sin autem consideretur pœnitentia in tota sua latitudine, ac integritate, falsum est, non esse verum Sacramentum in lege evangelica. Quòd si dicas, Apostolum Paulum tantùm prædicasse pœnitentiam, quam Prophetæ ante evangelium prædicaverunt, etenim D. Paulus reddens rationem Agrippæ Regi suæ doctrinæ, quam populos edocebat, ait: *Annuntiabam ut converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes*, postea subdit: *Auxilio adjutus Dei usque in hodiernum diem sto testificans majori atque minori nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moyses*, non enim inde sequitur neque ostenditur, pœnitentiam in lege evangelica non esse sacramentum; quia Apostolus non dixit se nihil prædicâsse, quod Prophetæ, & Moyses distinctè, & explicitè non prædicaverint, sed quòd non prædicaverint saltem implicitè ac in genere in iis, quæ de futuro Legislatore Christo Institutore legis evangelicæ prædixerunt Prophetæ, & Moyses etenim eo ipso, quod prædixerunt Christum futurum Institutorem ecclesiæ implicitè prædixerunt etiam omnia Sacramenta, ex quibus constituitur ecclesia. Quòd in hoc sensu fuerit Apostolus locutus, necesse est, ut etiam ipsi Hæretici concedant, cum ipsi fateantur, baptismum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; esse verè ac propriè Sacramentum, & nihilominus Moyses & Prophetæ non prædicârunt explicitè, & distinctè Sacramentum baptismi sub illa forma. Sed instant, quia Ministri Evangelici ita fuerunt à Christo missi ad conciliandam hominibus remissionem peccatorum; sicut ipse Christus fuerat ad eandem rem missus à Patre; siquidem dixit Christus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; sed Christus non per ministerium alicujus Sacramenti pœnitentiæ, sed per enuntiationem evangelii juxta Isaiæ Prophetiam conciliavit hominibus remissionem peccatorum, ergo eodem modo debent Ministri evangelii eam reconciliare, non verò per ullum Sacramentum. Et ex eo firmant, quia doctrina de Sacramento pœnitentiæ incepit ab externis spectaculis publicæ pœnitentiæ, quæ olim fuit in usu in ecclesia; quæ cæremonia sicut ipsi dicunt fuit postea habita ut Sacramentum, & ante talem cæremoniam nullum fuit Sacramentum pœnitentiæ. Firmant secundò, quia tempore quo floruit Gratianus, non erat adhuc certum, an ad salutis assecutionem esset necessaria secreta peccatorum confessio, quia cum Gratianus varias sententias hinc inde recitâsset, postea in can. dist. 1. de pœnit. concludit: *Cui autem harum sententiarum potiùs assentiendum Lectoris judicio reservatur, utraque enim opinio fautores habet sapientes, & religiosos viros.* Sed contra distinguitur major; fuerunt à Christo missi eodem modo, quo Christus fuit à Patre missus, negatur major: eodem modo genericè conceditur major, & concessâ minore, negatur consequentia; etenim sensus verborum Christi non fuit, quod eodem prorsus modo in specie ministri Evangelii id facerent in ordine ad remittenda peccata, quod ipse fecit; sed tantùm significatur ratio quædam generica; ut intelligerent, ita ministros Evangelii à Christo missi cum potestate, & authoritate faciendi suo modo, sicut Christus missus est à Patre etiam cum potestate idem faciendi, in quo habetur convenientia, quoad effectum, & in ratione generica præstandi eundem effectum. Modus verò specificè fuit diversus, Christus enim hoc idem præstitit modo excellentiore extra usum Sacramenti pœnitentiæ, Ministri verò per usum Sacramenti pœnitentiæ; quamobrem licèt effectus fuerit idem, scilicet ipsa peccatorum remissio; modus tamen remittendi fuit diversus specificè; quia ministri non nisi per Sacramentum pœnitentiæ remittebant peccata, ut etiam per sacramentum baptismi; & tamen de Christo scripsit Joannes 4. *Ipse neminem baptizabat*; ergo modus remittendi peccata non potuit esse idem specificè, quia Christus excellentiori modo remittebat peccata extra usum baptismi, & pœnitentiæ. Ad primam confirmationem respondetur falsò omnino asseri, doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ suam traxisse originem à publicis spectaculis. Docet enim D. Augustinus *lib. 4. contra donatistas cap. 24.* sacramentum pœnitentiæ habuisse originem in ipsa traditione Apostolorum secundum Christi institutionem; cæterum difficulter videtur certum determinatum tempus posse determinari, quo in ecclesia incæperit usus hujus sacramenti; quod autem incæperit statim tempore Apostolorum, videtur probabilius; quia Christus instituit hoc Sacramentum; ut Apostoli, & eorum ministri illud ministrarent; ut id enim fuit institutum, ut administraretur, consequenter cum Christi voluntas Apostolis innotesceret, probabilius est illud statum administrarent, ut Christi voluntatem exequerentur. Ad secundam confirmationem respondetur, quòd tametsi dubitatum fuerit, an usus confessionis Sacramentalis necessarius sit ad salutem, & quo tempore inceperit hic usus in ecclesia, nunquam tamen fuit dubitatum, an confessio fuerit à Christo instituta, & Sacramentum. Aliud enim est quærere de necessitate, & initio usus, & aliud de institutione. Etiam Sacramentum confirmationis creditur à Catholicis institutum à Christo, & nihilominus ab iisdem disputatur, an hoc Sacramentum necessarium sit ad salutem. Præterea Gratianus nunquam dubitavit de secreta confessione, an necessaria sit, quoties imminet vitæ discrimen, & adest copia confessariorum; sed tantùm vult posse aliquem ante actualem confessionem factam Sacerdoti consequi remissionem peccatorum, si verum eliciat contritionis actum, & ipsi Deo peccata sua confiteatur. Præterea quidquid dicat Gratianus certum est Sanctos Patres semper docuisse pœnitentiam verum esse in ecclesia Sacramentum à Christo institutum, quando dixit Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Objiciunt adhuc Sectarii, quia si Pœnitentia esset Sacramentum, maximè ob locum illum Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, atqui ex ejusdem Christi sententia vis eorundem verborum est longè alia, consequenter ob illa verba Pœnitentia non debet dici Sacramentum; minorem probant, quia sensus verborum Christi Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, est iste, quibus annuntiatione evangelii proponetis gratiæ promissionem, ut illam fide apprehendant, adeoque quibus remittetis eadem peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, id est, quos proposita etiam ira Dei, & severitate legis ob illorum impœnitentiam terrebitis, & ostendetis eos manere irretitos peccatis, & obnoxios iræ Dei. His peccata non remittentur. Et ajunt hunc

hunc eſſe uſum eccleſiæ clavium in ſolvendo, & ligando, non autem illum judicialem, quem non aſſerimus, ac fatemur exerceri à Sacerdotibus in miniſterio Sacramenti pœnitentiæ. Præterea hoc idem confirmant, primò quia in lege veteri etiam Miniſtri Dei remittebant peccata, neque tamen alia ratione, quam per annunciationem gratiæ, ſicut fecit Nathan Propheta, cum Davidi pœnitenti diceret: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. Secundò quia unum & idem miniſterium remittendi peccata ſignificatur Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* & apud Lucam 24. Cum Chriſtus ait: *Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis, ut prædicaretur in nomine ejus Pœnitentia, & remiſſio peccatorum in omnes gentes*: ſed in textu Lucæ non apparet ſermo de alio miniſterio remittendi peccata, niſi de eo, quòd conſiſtit in prædicatione ipſius remiſſionis peccatorum, & pœnitentiæ: ergo nec in illo alio loco apud Joannem. Minorem oſtendunt: quia debuit illa remiſſio peccatorum, & pœnitentiæ prædicari ad omnes Gentes, adeoque etiam ante uſum baptiſmi, quo tempore uſurpari non debet aliquod Sacramentum pœnitentiæ. Sed contra negatur abſolutè, verba illa: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: eſſe intelligenda juxta ſenſum ſectariorum, quia non eſt ſufficiens interpretatio: quia Chriſtus in eo loco eam poteſtatem remittendi peccata ſignificat, ſuis tradere miniſtris, quam antea iiſdem promiſerit Matth. 18. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveritis, erunt ſoluta.* Sed hæc poteſtas non eſt qualiſcunque, ut falſo opinantur Sectarii: ſed cum authoritate judiciaria conjuncta quatenus cognita cauſa & ſtatu hominis peccatoris ipſi vel remittantur, vel retineantur peccata; eſt enim verum judicium hæc poteſtas ligandi, & ſolvendi in eccleſia: Miniſter enim eſt in hoc pœnitentiæ tribunali Judex: & pœnitens eſt reus, & accuſator, eſt enim reus, quia ſe ſubmittit judicis ſententiæ ob patrata peccata, & eſt accuſator, quatenus illa aperit in confesſione, ſeque accuſat, faterturque ea commiſiſſe, unde ſicut poteſtas ligandi, & ſolvendi Matth. 18. eſt poteſtas, cui eſt annexa authoritas judiciaria, ita etiam poteſtas, quæ ſignificatur Joan. 20. eſt cum authoritate judiciaria conjuncta. Minorem probat D. Auguſtinus lib. 20. de civit. Dei cap. 9. Ubi interpretatur illud Apocalypſis: *Vidi ſedes & ſedentes ſuper eos, & judicium datum eſt*, & ait: *Non hoc putandum eſt de ultimo judicio, ſed per ſedentes ſuper ſedes ipſi præpoſiti ſunt intelligendi, per quos nunc eccleſia gubernatur: judicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt. Quæ ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo.* Et revera textus Matthæi, & Joannis eſſe in hoc ſenſu intelligendos, verba Chriſti, & ipſæ circumſtantiæ clare evincunt: ſiquidem verba Chriſti ſignificant eos authoritatem habituros ſolvendi, & ligandi, ideoque in ſymbolo eius poteſtatis inſufflat, & dat ſpiritum ſanctum. Ad id, quod dicitur de Miniſtris veteris legis, reſpondetur illis adhuc non fuiſſe commiſſum perfectum miniſterium, ut datur Miniſtris novæ legis. Neque adverſarii ullo firmo argumento probant parem debere eſſe rationem Miniſtrorum veteris legis & novæ ſeu evangelicæ. Ad aliam probationem ex collatione textus Joan 20. cum illo Lucæ 24. reſpondetur, nos non adigi ut intelligamus, unam eandémque rem ſeu idem miniſterium ſignificari in utroque loco quoad omnia. Deinde tametſi hoc concedatur, adhuc reſpondemus ad miniſterium conciliandæ remiſſionis peccatorum per prædicationem pœnitentiæ in omnes gentes maximè pertinere doctrinam, de uſu Sacramenti pœnitentiæ poſt baptiſmum ſuſceptum. Hæc enim doctrina omnibus gentibus tradita fuit, non quòd uſus Sacramenti Pœnitentiæ debuerit apud gentes eſſe ante baptiſmum, ſed quia omnia illa etiam, quæ poſt baptiſmum ſecundum Chriſti legem fieri debent, oportuit gentibus prædicari, quapropter dixit Chriſtus Matth. 28. *baptizate omnes gentes, docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*, & certum eſt, plura eſſe, quæ nonniſi poſt baptiſmum ſuſceptum uſurpari debent.

Objiciunt ulterius negantes Extremam Unctionem eſſe Sacramentum. Hic idem ritus Unctionis, cujus meminit D. Jacobus 5. *Ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei*, commemoratur etiam à D. Marco cap. 6. Sed Unctio, de qua fuit Marcus locutus, fuit tantùm ſymbolum quoddam externum miraculoſæ curationis, quæ fiebat per donum ſanitatis impertiendæ ægrotis, & non per ullum Sacramentum, ergo pari pacto Unctio, cujus meminit Jacobus, fuit tantum externum ſymbolum miraculoſæ curationis, ex qua inferunt, ritum illum unctionis non perpetuo, ſed ad tempus tantùm fuiſſe in eccleſia duraturum, hoc eſt, quamdiu in fidei ædificationem fuit, ac ſtabilimentum ſub illis initiis duraturum donum curationis, cujus illa unctio fuit Symbolum. Firmant, quia ſi hæc unctio olei, quæ infirmis adhibebatur, fuiſſet Sacramentum. Pari pacto fuiſſet etiam Sacramentum ablutio in aqua natatoria Siloë: ut etiam unctio oculorum ex luto, ſputum in auricolas, & alia id genus, quæ legimus à Chriſto fuiſſe adhibita ad curandos morbos. Firmant ſecundò, quia unctio, de qua loquitur D. Jacobus, adhibebatur omnibus infirmis, & unctio quæ nunc dicitur eſſe Sacramentum, adhibetur conſtitutis in periculo mortis imminentis, & etiam de quarum morte timetur, ut dicitur in Concilio Florentino. Firmant tertiò, quia unctio, de qua fuit locutus Jacobus, tantùm adhibita fuit propter olei opportunitatem, cum in Palæſtina præſtantiſſimum eſſet, ut etiam ad morbos curandos efficaciſſimum: unde ex præcitato Jacobi textu non poteſt inferri, quòd extrema unctio, quæ imminente mortis periculo confertur ægrotis, ſit Sacramentum. Sed contra, quia unctio, de qua Jacobus & Marcus fuerunt locuti, poteſt dupliciter conſiderari. Primo ut ſimpliciter eſt unctio olei. Secundò quatenus hæc eadem unctio ſignificat gratiam, quam efficaciter cauſat, ſed ſub priori conſideratione eſt eadem unctio, de qua fuerunt locuti Jacobus & Marcus, & ſub poſteriori ratione fuit unctio, de qua fuit locutus Jacobus, quæ non fuit eadem cum illa Marci, ſiquidem illa ſignificat remiſſionem peccatorum & gratiam conferendam per eandem unctionem, quatenus hæc efficaciter illam cauſat. Unctio verò cujus meminit Marcus, non valuit ad remiſſionem peccatorum, ſed fuit tantùm Symbolum curationis miraculoſæ per donum ſanitatum, & non per Sacramentum. Unctio autem cujus meminit Jacobus, non fuit Symbolum hujus doni, vel aliud adminiculum, ſed medium à Chriſto per ſe inſtitutum ad cauſandam gratiam, & reliquias peccatorum remittendas, ac delendas. & hoc ex eo evincitur, quia Jacobus ad hanc unctionem jubet vocari indifferenter Presbyteros, eò quia quilibet Sacerdos poſſit hanc unctionem miniſtrare ex mandato ſaltem ſuperioris, donum autem ſanitatum non fuit commune omnibus Presbyteris, cum dicat Apoſtolus: *Diviſiones enim gratiarum ſunt. Alii per Spiritum S. datur ſermo ſapientiæ, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum*: quapropter unctio, cujus meminit Marcus, tantùm ad tempus debuit durare in eccleſia, ſaltem ita frequens, ſicut fuit olim ſub initiis eccleſiæ. Unctio verò de qua loquitur Jaco-

Digitized by Google

bus, debuit in eccleſia ſemper eadem conſuetudine ac more eſſe perpetua, ut adhiberetur infirmis conſtitutis in periculo mortis imminentis, adeo ut uſus ſit perpetuus perinde ac peccatorum remiſſio, ad quam unctio illa à Chriſto Domino fuit deſtinata. Quamobrem unctiones, de quibus loquuntur Jacobus & Marcus, conveniunt tantùm in ratione generica, quatenus ſimpliciter ſunt unctiones olei, differunt verò quoad modum ſignificandi, & quidem ſpecificè, quia unctio Marci ſignificabat tantùm ſanitatem corporis miraculosè recuperatam, cujus propterea extitit ſymbolum, unctio verò, cujus meminit Jacobus, ſignificat gratiam ſupernaturalem, quam cauſat, & etiam remiſſionem reliquiarum peccatorum. Hinc ad primam confirmationem reſpondetur, eſſe diſcrimen de aliis rebus recenſitis, quia iſtæ non leguntur valuiſſe ad remiſſionem peccatorum, neque ad cauſandam, neque ſignificandam gratiam ſupernaturalem, proinde non ſunt Sacramenta, quia hæc eſſentialiter ſignificant, & cauſant gratiam. Præterea quia uſus Sacramentorum eſt in eccleſia perpetuus, quia Sacramentæ fueruni inſtituta à Chriſto in utilitatem fidelium, proinde quamdiu durant fideles, debent & Sacramenta permanere, quibus fideles promoventur ad ultimum finem ſupernaturalem, ſeu ad ſalutem æternam: ſecus illæ prærecenſitæ res, quæ fuerunt tunc adhibitæ tantum ad morbos ac defectus corporis depellendos, non fuerunt media ad ſalutem, ſicut Sacramenta. Ad ſecundam reſpondetur, infirmos de quibus loquitur Jacobus, eſſe omnes illos conſtitutos in periculo vitæ, qui indigent auxilio ſupernaturali, quod præſtat uſus hujus Sacramenti. Ad tertiam dicimus, D. Jacobum non ad eos tantum qui morabantur in Palæſtina, & copiam olei ejusdem regionis habebant, ſed ad fideles ubique terrarum diſperſos direxiſſe epiſtolam ſuam, in cujus initio ipſe indicat. Demum quia Apoſtolus aſſerit effectum hujus unctionis eſſe peccatorum remiſſionem, quam nullum oleum, licèt præſtantiſſimum, poteſt per ſolam virtutem, quam habet, naturalem cauſare, remiſſionem illam peccatorum: adeo ut oleum nonniſi ut inſtrumentum poſſit uſurpari ad hunc effectum ſupernaturalem, ut defacto fuerit aſſumptum à Chriſto in Sacramento extremæ unctionis. Hinc falſo aſſerit Kemnitius unctionem illam non ad uſum Sacramenti, ſed tantùm propter opportunitatem olei, quod in illis Palæſtinæ locis erat præſtantiſſimum, & ad depellendos morbos efficaciſſimum, quod Kemnitius uſurpavit à Wicleffo, ut etiam habetur apud Thomam Waldenſem, ſiquidem Jacobus non ad eos tantùm, qui in Palæſtina morabantur ſed ad fideles per ſingulas mundi partes ſparſos epiſtolam ſuam direxit. Secundò quia unctio, de qua loquitur Jacobus, valuit ad remiſſionem peccatorum, quam nullum, quantumvis præſtantiſſimum oleum poteſt naturaliter cauſare. Sed inſtat Kemnitius, quia cum Jacobus dixit: *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*, tunc non voluiſſe ſignificare, quòd remiſſio peccatorum ſit ex aliqua certa Divina lege effectus talis unctionis tanquam ex opere operato, ſed tantùm ſignificaviſſe ea re, quemadmodum illa unctio religiosè, & piè adhiberi in eccleſia deberet ad curationem miraculoſam, ita ſcilicet, ut infirmus ſimul admoneretur à Presbytero, morbi cauſam ſolere peccata eſſe, ac excitaretur ad quærendam remiſſionem peccatorum per pœnitentiam & fidem, ut totus homo ſecundùm animam & corpus ſanus fieret. Sed contra, quia inde ſequeretur, quod Apoſtolus tantùm indicaſſet, in illa unctione tribui remiſſionem peccatorum, non inde tamen poſſent Sectarii inferre, talem unctionem non eſſe Sacramentum, quia eo ipſo quod per ipſam habetur remiſſio peccatorum, habetur etiam augmentum gratiæ, & cum unctio hæc ſit externa, & ſenſibilis, ac ſignificativa talis gratiæ & remiſſionis reliquorum peccatorum, jam includit omnia, quæ deſiderantur ad conſtituendum verum Sacramentum. Docent enim illi, neque in baptiſmo, aut Euchariſtia gratiam obtineri ex opere operato, ſed per fidem & pœnitentiam tantùm, quæ ſunt opera operantis, & excitentur hæc in animis per miniſterii evangelici vocem in uſu illorum Symbolorum externorum. Præterea omnino nihil Jacobus dicit de tali Miniſtrorum admonitione, quæ fidem, & pœnitentiam excitet in infirmo, unde gratis, & ſine fundamento in ſcripturis talis admonitio ponitur, ut profecta à D. Jacobo, ſed tanquam de effectu ex parte Dei certo conſequente loquitur eo ipſo, quòd infirmus à Presbytero ungitur adhibita oratione in nomine Domini, niſi adſit obex alicujus noxæ lethalis, peccata enim venialia tunc remittuntur, cum dicat Apoſtolus: *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*: Quòd ſi requireretur admonitio à Sectariis ficta, ut etiam actus fidei, cui tribueretur hæc remiſſio peccatorum, Jacobus non ita abſolutè talem effectum promiſiſſet facta tantùm mentione unctionis, & orationis. Præterea D. Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdot. aſſerit Sacerdotes in hac unctione exercere poteſtatem remittendi peccata quæ iiſdem ſpecialiter à Chriſto fuit tributa. Quod ſi in hac unctione peccata non remitterent ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis, eò quia per admonitionem excitarent ægrotum ad fidem, & pœnitentiam, nullam Sacerdotes in hac unctione exercerent poteſtatem remittendi peccata, quod tamen ipſis propriè à Chriſto tribuitur. Tum quia quilibet homo, etiam laicus, imo & fœmina poteſt more ſectariorum per admonitiones excitare ægrotum ad fidem & pœnitentiam, qua remiſſionem peccatorum obtineat, & tamen unctionem, de qua loquitur Apoſtolus, dirigit ad Sacerdotes, *qui orent ſuper infirmum ungentes oleo in nomine Domini, ut etiam promiſſionem peccatorum remiſſionis, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

Objiciunt negantes Sacramentum ordinis, primò, quia gratia, quæ confertur in baptiſmo & Euchariſtia, ſufficit ad omnia, quæ ad ſalutem neceſſario præſtanda ſunt, ex quo inferunt, omne aliud Sacramentum eſſe ſupervacaneum: Secundo, quia Sacramentum ex D. Auguſtino debet conſtare ex Verbo & aliquo elemento, ait enim Auguſtinus Tractat. 80. in Joan. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* ſed in Sacramento Ordinis nullum aſſignatur elementum, conſequenter non eſt Sacramentum. Sed contra quia talia objicere, eſt centies usque ad ſtomachum movendum eandem crambem recoquere. Ad primam jam diximus, quòd ſi argumentum valeret, probaret contra Hæreticos non ſolum Sacramentum Ordinis, ſed etiam Euchariſtiæ Sacramentum ſupervacaneum eſſe, quia eadem gratia, quæ confertur in baptiſmo, in ordine ad ſalutem ſufficiens eſt, ad conferenda omnia, quæ per Euchariſtiam conferuntur in ordine ad ſimplicem aſſecutionem ſalutis, quia ſi quis poſt ſuſceptum baptiſmum ſtatim decedat, æternam conſequitur ſalutem: perinde ac etiam in ſententia Lutheranorum non obſtante Sacramento baptiſmi, adhuc datur Sacramentum Euchariſtiæ ob peculiares quoſdam effectus gratiæ divinæ, ita etiam poſt baptiſmum, & Euchariſtiam datur Sacramentum ordinis inſtitutum propriè ob quoſdam effectus peculiares divinæ gratiæ. Ad ſecundum etiam ſuperius reſpondimus, elementum propriè ſumptum non acquiri ad omnia Sacramenta, alioquin contra ipſos

Luthe-

Digitized by Google

Lutheranos Eucharistia non esset Sacramentum, cum non constet ex elemento propriè dicto, cum panis, & vinum propriè non sint elementa. Quòd si elementum sumatur in laxa significatione pro signo externo sensibili, in hoc sensu quodlibet Sacramentum constat ex elemento, quia est aliquod signum sensibile gratiæ, quam Sacramentum significat, & causat; Augustinus igitur cum protulit verba illa: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, fuit tantum locutus de solo Sacramento baptismi, in quo habetur verum, & proprium elementum, seu aqua.

Contra Sacramentum matrimonii itidem objiciunt, quia eatenus matrimonium dicitur esse Sacramentum, qui significat unionem Christi cum ecclesia, quæ tamen ratio non evincit esse Sacramentum, siquidem plures aliæ res dicuntur esse in scripturis similes aliis rebus sacris, ut officium Pastoris erga oves, quod est imago curæ Christi in ecclesia: regnum David, quòd imago fuit regni Christi, & alia pleraque, quæ tamen non sunt Sacramenta: ergo matrimonium quamvis significet unionem Christi cum ecclesia, non propterea dicendum erit Sacramentum. Sed contra solum est matrimonium ex eo præcisè dici Sacramentum, quia significat unionem Christi cum ecclesia: sed quia est signum sensibile a Christo institutum, ut significet, & causet gratiam: quia de causa Apostolus loquens de hoc Sacramento peculiari consilio divinitus instituto ait: *Sacramentum hoc magnum est*, scilicet ob efficaciam, quam habet causandi instrumentaliter gratiam. Hinc patet discrimen inter matrimonium, & alias allegatas similitudines, quia ista ideo non sunt Sacramenta, quia non fuerunt a Christo instituta ad significandam, & causandam gratiam sanctificantem, sicut exigunt essentialiter Sacramenta, unde concedimus esse proprium Sacramenti matrimonii significare conjunctionem Christi cum ecclesia; sed ulteriùs affirmamus significare etiam, & causare gratiam. Quòd si dicas etiam conjugium Adæ, & Evæ, & aliorum Patrum veteris testamenti signa fuisse sensibilia futuræ conjunctionis Christi cum ecclesia, & tamen tunc temporis conjugium non fuisse Sacramentum, sed humanum tantum contractum. Contra est, quia tametsi conjugium illud significaverit conjunctionem Christi futuri cum ecclesia non tamen fuit Sacramentum, quia hanc conjunctionem non significaverit ex peculiari institutione Christi: neque significavit actualem Christi conjunctionem cum ecclesia. Sed tantùm futuram. Conjugium autem non fuit assumptum in Sacramentum, donec Christus re ipsa, & actualiter exhiberetur ecclesiæ, ac eidem esset realiter & actualiter conjunctus, quapropter dixit Apostolus. *Sacramentum hoc magnum est*; Ego autem dico in Christo, & ecclesia, seu in Christo jam exhibito, & existenti in terris, ac realiter conjuncto cum ecclesia. Neque obstat, quod respondet Alphonsus à Castro, conjugium sub mundi exordio significasse gratiam, quæ causatur in ejus usu, eò quia DEUS dixerit conjugibus, *crescite, & multiplicamini*, ac eis benedixerit, vi enim hujus benedictionis censet conjugium animæ fuisse gratiam collatam. Contra est, quia illa benedictio solùm significavit facultatem generandi, quam Deus indidit conjugibus, ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 72. art. 2. & ex eo colligitur, quia etiam piscibus maris, & volatilibus cœli DEUS eidem benedixit, & tamen nulla per hanc benedictionem fuit gratia supernaturalis collata, hinc D. Augustinus lib. 13. Confess. cap. 24. ait: Nihil peculiare per illam benedictionem accepisse primos homines, quod non etiam acceperint reliqua animantia, ex quo etiam liquet, ante legem evangelicam conjugium non fuisse Sacramentum, quapropter Concilium Tridentinum definivit, matrimonium in lege evangelica antecellere conjugiis veteris legis, eò quia hæc non causaverint gratiam, quam confert matrimonium novæ legis, quod propterea est Sacramentum. Non tamen diffitemur, Deum dedisse olim conjugibus gratiam necessariam ad cultum Dei, & ut possent in lege utraque naturali, & Mosaica ritè procreare, & liberos educare; sed negamus eam dedisse in ipso contractu conjugii, veluti in signo illius peculiariter ad illam gratiam significandam, & causandam, quod est proprium Sacramenti, de cujus ratione essentiali est, ut sit signum sensibile significativum, & causativum gratiæ. Neque ullum facessit negotium, quod ait Kemnitius, non esse certum inter Catholicos, quæ sit materia, & quæ forma Sacramenti matrimonii, siquidem variæ sunt opiniones, & diversæ referuntur sententiæ a Theologis Catholicis circa materiam, & formam matrimonii: neque circa hoc quidquam Concilium Tridentinum definivit consequentia ostenditur, quia si quis non sit certus de materia, & forma Sacramenti, neque potest esse certus de ipso Sacramento, incertitudo enim de constitutivo est etiam incertitudo de constituto: ergo non potest quis esse certus, quòd sit Sacramentum. Sed contra distinguitur, antecedens non est certum inter Catholicos, quæ sit materia, & forma hujus Sacramenti specificè, transeat antecedens, genericè, negatur antecedens, & sub eadem distinctione negatur consequentia. Alia enim est notitia, qua cognoscimus matrimonium esse Sacramentum constans ex materia aliqua & forma, & alia notitia, quòd hæc potius res quàm alia sit materia, & forma hujus Sacramenti. Potest quis esse certus de primo, quin sit certus de secundò: sufficit enim si quis in genere certo sciat Sacramentum matrimonii coalescere ex materia & forma, & ut validè contrahatur, requiri mutuum consensum personarum legitimarum de præsenti explicitum coram Parocho, & testibus: & in hoc contractu adesse rationem Sacramenti, proinde esse exercendum. Cæterum non est necesse, ut constet contrahentibus, quænam sit ejus materia, & quæ forma. Rustici etiam accedentes ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ nihil sicut de materia, & forma horum Sacramentorum.

Imò neque Theologis necesse est, ut certum sit, quænam res specificè sumpta sit materia hujus Sacramenti, & quæ forma, sed satis est, si genericè sciant, hoc Sacramentum constare ex materia, & forma, quæ probabiliter sit hæc, vel illa res. Cæterum quænam res specificè sumptæ, sint materia, & forma hujus Sacramenti est dissidium inter Theologos convenienter contra Durandum esse assignandum huic Sacramento materiam & formam aliquam, & corpora contrahentium circa quæ in ordine ad copulam conjugalem versatur contractus matrimonii, quatenus reciprocè traditur potestas, & jus illam exigendi esse saltem materiam remotam Sacramenti matrimonii, unde totum dissidium vertitur circa materiam proximam, de qua fusius infra agemus, pro nunc satis est observare utriusque conjugis posse sub diversa ratione fungi munere tam materiæ, quam formæ sub diversa ratione: siquidem possunt verba contrahentium diversimodè considerari, ut habent rationem oblationis, perinde ac ab oblatione rei vendibilis incipit regulariter contractus, Mercator enim offert merces venales pro pretio: eodem pacto qui

matrimonium contrahit, confert se alteri in conjugem, & hæc oblatio præcisè sub conceptu oblationis adhuc est indifferens, ut determinetur vel non ab altero conjuge, quæ determinatio fit per acceptationem ab altero: sicut enim materia est, quæ determinatur, & forma, quæ determinat: ita verba contrahentium sub ratione oblationis habent rationem materiæ hujus Sacramenti, & sub conceptu acceptionis rationem formæ. Cum igitur eadem contrahentium verba ita habent rationem oblationis, ut simul sit acceptatio reciprocæ oblationis (est enim matrimonium contractus mutuus & reciproca obligatio.) ideo sub conceptu obligationis, quatenus unus contrahens se offert alteri in conjugem sunt materia logica matrimonii, & ut includunt acceptationem alterius contrahentis in conjugem habent rationem formæ. Hinc constat matrimonium esse verum Sacramentum, & constare ex materia, & forma, quapropter Apostolus ad Ephes. 5. vocat matrimonium *Sacramentum hoc magnum*, asserit enim ritum illum externum seu contractum sensibilem inter virum, & fœminam esse magnum Sacramentum, ut exponunt Sancti Patres, præsertim D. Chrysostomus, & Hieronymus. Rursus quòd hoc Sacramentum matrimonii fuerit institutum à Christo constat Matthæi 19. *Quod DEUS conjunxit, homo non separet*; & quod eidem sit annexa gratia, colligitur ex epistol. Pauli ad Ephes. 5. *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam*, & 1. Corinth. 11. Viri caput Christus est, *caput autem mulieris vir*. Hæc autem significatio ut vera sit, necesse est conferri gratiam conjugibus dispositis, qua adjuvante possunt mores Christi, & ecclesiæ mores imitari. Et quamvis ante legem evangelicam fuerit matrimonium institutum in officium naturæ ac remedium concupiscentiæ, quando DEUS dixit Protoparentibus: *Crescite, & multiplicamini*, in lege tamen evangelica hic contractus humanus, ac civilis fuit per Christum elevatus, ut esset signum sensibile rei sacræ, seu significativum & causativum gratiæ. Præterea ut esset Sacramentum, ut communiter docent Sancti Patres, inter quos D. Augustinus lib. de Bono conjugali cap. 18. ait: *In nostrorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam fœcunditas uteri*, & lib. de fide & operibus cap. 7. ait: *In monte sancto ejus, hoc est, in ecclesia, non solum vinculum nuptiarum, sed etiam Sacramentum ita commendatur ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.* Et D. Ambrosius cap. 5. Ephes. *Qui alterius mutuam duxerit, peccat in DEUM cujus legem violat, gratiam solvit, & ideo, quia in DEUM peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium.*

Constat igitur ex hactenus præexpensis septenarius numerus Sacramentorum legis evangelicæ, ut definitum fuit in Concilio Florentino sub Eugenio IV. Constantiensi sess. 14. & Tridentino sess. 1. can. 1. & plures etiam congruentiæ hunc septenarium numerum ostendunt, quarum prima & secunda sunt D. Thomæ 3. part. quæst. 65. art. 1. in corpore. Ubi ait: Sacramenta esse instituta propter duo. Primum, ut perficiant hominem in his, quæ pertinent ad cultum DEI. Secundùm ut remedium ipsi præbeant contra defectum per peccatum inductum, ad hoc autem ponuntur rectè septem Sacramenta, quia, ut ait D. Thomas, vita spiritualis habet aliquam conformitatem cum vita corporali, & in vita corporali dupliciter aliquis perficitur, primo modo, ut est persona privata, & secundo ut aliis jungitur vinculo communitatis. Respectu sui ut est persona privata, quinque modis perficitur in vita corporali, primo per generationem, ratione cujus incipit homo esse & vivere, secundò per augmentationem, qua in ampliorem excrescit magnitudinem, ut possit operari. Tertiò per nutritionem, qua vita & virtus operandi conservatur, & proportionaliter ad hæc tria totidem ponuntur Sacramenta; baptismus, quo animæ vita spiritualis seu gratia incipit vivere, cum antea mortua esset peccato; ait enim Christus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum DEI.* Confirmatio, in qua confertur Spiritus S. ad augendas vires & præbendam firmitatem, juxta illud quod dicitur Luc. ult. *Sedete in civitate quousque induamini virtute ex alto.* Eucharistia quæ conservat vitam in gratia Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Præterea quia natura hominis magis est ægritudinibus obnoxia, duobus modis ab iisdem liberatur, primò per præsentissimum aliquod alexipharmacum, quod peccantes humores excutiat, & pristinam restituat sanitatem. Secundò per diætam aliquam quæ reliquias morbi expellat, & duo alia instituuntur Sacramenta, scilicet pœnitentia, qua, remittuntur peccata, Psal. 31. *Ego dixi adversum me injustitiam meam, & tu remisisti omnia peccata mea*, & rursus restituit sanitatem. Psal. 40. Ubi David DEUM alloquens ajebat: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Et extrema Unctio, quæ ut saluberrima dieta expellit reliquias omnes peccatorum, hominemque constituit expeditum ad iter in cœlestem Jerusalem. Hæc quinque Sacramenta respiciunt hominem ut personam privatam in vita spirituali: sed quia aliis etiam consociatur ad constituendam communitatem, ideo duobus aliis modis consideratur, vel ut habens potestatem regendi alios, vel societatem propagatione prolis conservans, & amplificans: & propter primum & ponitur Sacramentum Ordinis, quo Episcopi, Presbyteri, & alii Ecclesiastici ad regendum Christi plebem, & pascendi animas ordinantur, & propter secundum institutum est matrimonium, quo novi filii redduntur ecclesiæ ad implendum locum eorum, qui morte tolluntur. Secundus modus ab eodem D. Thoma assignatur ex defectu per peccatum inducto contra carentiam vitæ spiritualis, quam addu[illegible] peccatum, instituitur enim baptismus & confirmatio contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis seu baptizatis reperitur. Eucharistia instituta est contra labilitatem & propensionem animi ad peccandum. Pœnitentia tollit peccatum actuale, in quod fidelis incidit post baptismum extrema Unctio reliquias peccatorum expellit, quæ vel ex ignorantia, vel negligentia remanserunt. Ordo facit contra dissolutionem & conclusionem multitudinis & matrimonium tandem datur in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem contigit. Tertius modus probandi hunc septenarium numerum Sacramentorum, peraptè sumitur ex comparatione militiæ juxta illud Job. 11. *Militia est vita hominis super terram*; sicut enim in militia septem occurrunt. Primò ut accipiantur, & scribantur nomina eorum, qui volunt militiæ adscribi. Secundò ut legantur eorum nomina, retineantur milites, quibus & arma tribuantur. Tertio ut singuli milites cum accipiant viaticum, ne tempore belli deficiant. Quartò pro infirmis ut habeantur parata pharmaca, & remedia. Quintò ut eligantur Medici, qui congrua morbis adaptent medicamenta. Sextò postquam fortes milites bonum certamen certarunt, ac cursum consummârunt, ut detur illis stipendium [illegible]

quædam futuræ retributionis, & tandem cum militum numerus per mortem minuatur providendum eſt, ut alii in eorum locum ſubrogentur. Et in militia ſpirituali homines per baptiſmum Chriſtianæ militiæ dant ſuum nomen, in confirmatione milites retinentur, quibus dantur arma, ac robur ad pugnam ineundam contra tartareos hoſtes ac propulſandas tentationes, quæ ſunt Dæmonis aſſultus. In Euchariſtia milites ſpirituales habent Sacrum viaticum, in Sacramento pœnitentiæ ſaluberrima pharmaca, quibus qui infirmitates contraxerunt, priſtinæ reſtituuntur valetudini. Sacramentum Ordinis ſtatuit Medicos ſeu Sacerdotes, qui pœnitentibus propria remedia reſcribant. Extrema Unctio tradit arrham futuræ mercedis ſeu beatitudinis, & tandem matrimonium habet pro fine humanum genus propagare, ut aliis morte ſublatis, alii ſufficiantur in eorundem locum, ut nunquam deſerta maneat Chriſti militia. Quartus modus aſſerendi hunc ſeptenarium Sacramentorum numerum petitur ex ſeptem virtutibus, quarum tres ſunt theologales, & aliæ quatuor Cardinales, ſiquidem fides reſpondet baptiſmo, quia per hoc Sacramentum primum infunditur. Spei extrema Unctio, quia homo accipit iſtud Sacramentum in arrham futuræ retributionis. Euchariſtia reſpondet Charitati, quia eſt Sacramentum amoris, ut probat S. Hilarius lib. 3. de Trinit. Fortitudini correſpondet Confirmatio, quia dat robur ad fortiter pugnandum contra hoſtes noſtræ ſalutis. Pœnitentia reſpondet juſtitiæ, quia amplectitur ſatisfactionem pro delictis, quod eſt munus juſtitiæ: Ordo correſpondet prudentiæ, quia dat poteſtatem docendi, & dirigendi alios, quæ duo officia ſunt prudentiæ. Temperantiæ reſpondet matrimonium, quia datur ad coërcendam intemperatam carnis libidinem. Quintus etiam modus petitur per oppoſitionem cum ſeptem peccatis capitalibus. Baptiſmus enim humilians ſuperbiam hominem ad commune aquæ elementum recipiendum adducit, quo gratiæ fiat particeps. Euchariſtia curat invidiam, quia eſt Sacramentum pacis, & concordiæ, ac amoris, quibus invidia repugnat. Confirmatio curat pigritiam, quia datur ad pugnandum ac certandum. Extrema Unctio curat iram, ſiquidem lenitatis ſymbolum eſt, ut ex oleo ſolet deprehendi. Ordo ſordes avaritiæ excutit, quatenus qui ordinatur profitetur, ſe habere ſolùm Deum tanquam portionem, & partem hæreditatis ſuæ, & non quidquam temporale. Matrimonium denique coërcet luxuriam, in cujus remedium inſtitutus eſt. Rurſus in Sacris ſcripturis hic idem ſeptenarius numerus Sacramentorum adumbratur, & licèt non numerent Sacramenta, re ipſa tamen omnia ſeptem vera, & propria in iiſdem ſunt; non enim eſt neceſſe, ut ſcriptura recenſeat numerum, ſed ſufficit, ſi contineat res ipſas; etenim ſcripturæ nunquam numerant, quot ſint miracula Chriſti, & tamen illa refert, quod ſufficit, tradit articulos fidei, & nullibi exprimit, quòt ſint, Apoſtoli poſtea ediderunt ſymbolum duodecim Apoſtolorum: ex ſcripturis nec etiam recenſentur numeri librorum, qui ſunt Canonici, ſed Concilia poſtea Canonem ediderunt, & certum numerum, quem ex traditione didicerant. Quòd ſi dicas ſcripturam nullibi tradere hunc numerum ſeptenarium, bene tamen binarium; ſiquidem Joan. 19. Ex latere Chriſti fluxerunt ſanguis & aqua, ſeu baptiſmus, & Euchariſtia, ut exponunt Chryſoſtomus Theophylactus, Cyrillus, Damaſcenus, & Auguſtinus Tractat. 9. in Joan. Contra eſt, quia ſcriptura neque duo neque tria, neque ſeptem enumerat Sacramenta, quod ſi illa duo dicuntur fluxiſſe à latere Chriſti id intelligitur fluxiſſe non ad aliorum excluſionem, ſed quia principalia ſunt Sacramenta; etenim etiam D. Paulus ad Hebræ. 9. Duo tantùm ponit Sacramenta, Baptiſmum & Confirmationem, inquiens: *Non rurſum jacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum baptiſmatum doctrinæ impoſitionem quoque manuum*, per quam Chryſoſtomus, & Theodoretus intelligunt Confirmationem, quæ dabatur poſt baptiſmum, neque meminit Euchariſtiæ, quæ ſimul etiam diſtribuebatur, ut etiam modo datur, cum baptizantur adulti unà cum baptiſmo, & confirmatione. Præterea alii Sancti Patres, ut Ambroſius, Auguſtinus, Beda, per ſanguinem intelligunt pretium redemptionis, & per aquam baptiſmum, qui habet totam ſuam vim à Chriſti ſanguine, ideoque non dixit: Exivit aqua & ſanguis, ut videbatur ordo poſtulari, ſi ageretur de baptiſmo, & Euchariſtia, cum baptiſmus præcedat, aqua enim baptiſmum ſignificat, & ſanguis Euchariſtiam. Stat igitur contra Sectarios ſeptem eſſe Sacramenta legis Evangelicæ; Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium, hæc enim omnia, ut oſtendimus, ſunt ſigna ſenſibilia ſignificativa, & cauſativa gratiæ, cui enim convenit definitio, convenit & definitum: ſed definitio Sacramenti convenit illis ſeptem Sacramentis recenſitis, conſequenter ſunt omnia vera Sacramenta. Minor oſtenditur, quia definitio Sacramenti eſt, ut ſignum ſenſibile gratiæ inviſibilis formaliter hominem juſtificantis: & hæc definitio convenit illis ſeptem recenſitis; quia nullum eſt, quod non ſit ſignum aliquod externum ſenſibile, & nullum, quod non ſignificet productionem gratiæ in homine.

CAPUT VII.

De Ordine, Comparatione, & dignitate Sacramentorum novæ legis inter ſe.

PRofeſſio fidei cum Concilio Florentino ſervat ordinem inter Sacramenta novæ legis, ut baptiſmus præcedat, ſequatur Confirmatio, & Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, quia Ordo vocatur etiam enumerationis, non dignitatis, quinque enim priſma Sacramenta, quæ ad omnes pertinent ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſe ipſo perfectionem ordinata ſunt, enumerantur; & ultima duo, quia non ſunt omnibus communia, recenſentur loco poſteriori, & pertinent ad totius Eccleſiæ regimen, & multiplicationem, & quidem in quinque primis ſervatur ordo temporis, quo ex natura ſua ſumi debent, primò ſiquidem confertur baptiſmus, ſecundò Confirmatio, tertiò diſtribuitur Euchariſtia; hic ſiquidem ordo ſervatur cum baptizantur adulti, & eſt ordo naturalis. Quartò recenſetur pœnitentia, quia ſi poſt baptiſmum contingat fide-

Digitized by Google

lem probabili in aliquod peccatum poſſit reſurgere. Quintò extrema Unctio, Cùm in fine vitæ imminentis mortis adeſt diſcrimen. Alia duo Sacramenta quia pertinent ad Rempublicam in illis non ſervatur ordo temporis, ſed tantùm dignitatis, adeo ut primò ponatur ordo, & poſtea matrimonium. Quod verò pertinet ad ordinem generationis, D. Thomas 3. *part. quaſt.* 65. *art.* 2. Illa ponit priora, quæ ad unius perſonæ perſectionem pertinent, & inter hæc illa ſunt priora, quæ ad perſectionem vitæ ſpiritualis per ſe ordinantur, & quæ per accidens quatenus removent impedimenta, deſtinantur poſteriora, ut ſunt pœnitentia, & extrema Unctio, atque hæc utpote ſpiritualis conſumatio ſanitatis poſterior eſt ipſa pœnitentia. Inter alia verò tria baptiſmus, quia eſt ſpiritualis quædam regeneratio, confirmationem præcedit, quæ ad incrementum, & robur ſpirituale ordinatur: hæc verò Euchariſtiam, quia hæc eſt cibus perfectorum, & ordinatur ad aſſecutionem finis, & hic ordo, ut loquuntur Theologi, eſt generationis. Quòd ſi in Sacramentis dignitas ſpectetur, quia Euchariſtia ſanctitate, numero myſteriorum, ac magnitudine longè cæteris antecedit, cùm contineat ipſum Chriſtum, ſeu inexhauſtum fontem ſanctitatis, & quidem ſubſtantialiter, ideo dignitate eſt omnium primum, adeo ut cætera Sacramenta ad Euchariſtiam veluti ad finem ordinentur; Sacramentum enim ordinis ordinatur ad illius conſecrationem, quatenus ſacerdotes conſecrant Euchariſtiam beneficio Sacramenti Ordinis, quod ſuſceperunt: baptiſmus ad illius ſuſceptionem ſicut & confirmatio hominem corroborans, ne ſe à tanto Sacramento per verecundiam ſubtrahat: per pœnitentiam itidem, & Extremam Unctionem diſponitur homo, ac præparatur ad dignè ſumendum Chriſti corpus. Matrimonium denique ſignificat conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, cujus Unitas ſignificatur per Euchariſtiæ Sacramentum, juxta illud Apoſtoli: *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Hac de cauſa à D. Dionyſio lib. Eccleſ. Hierarch. cap. 3. Euchariſtia ſacramentum ſacramentorum. Poſt Euchariſtiam inter reliqua ſacramenta baptiſmum præcedit, reliqua ratione neceſſitatis, & ordo, ratione perfectionis, ut docet D. Thomas. Confirmatio medio modo ſe habet. Pœnitentia & Extrema Unctio inferiorem gradum tenent, eò quia ad vitam Chriſtianam non per ſe, ſed quaſi per accidens ſeu in remedium ſupervenientis defectus ordinantur, inter quæ tamen Extrema Unctio eſt majoris perfectionis, quamvis pœnitentia ſit urgentioris neceſſitatis, quod enim quantum attinet ad dignitatis ordinem omnia ſeptem ſacramenta non eſſe paria inter ſe, neque ejuſdem dignitatis, eſt certum de fide, & fuit definitum contra ſectarios in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can, 3. ubi habetur: *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius anathema ſit.* & ſeſſ. 13. cap. 3. ait: *Commune hoc quidem eſſe Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris ſacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem. Verùm illud in eo excellens & ſingulare reperiri, quod reliqua ſacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante uſum eſt, nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe, quod præbebat.* Et firmatur etiam ex cap. Nihil 8. de conſecrat. diſt. 2. ubi habetur: *Nihil in ſacrificiis majus eſſe poteſt, quàm corpus, & ſanguis Chriſti, nec ulla oblatio hac potior eſt; ſed hæc omnes præcellit.* Quoad verò effectum remittendi peccata baptiſmus omnibus excellit, quia remittit etiam originale, quod nullo alio Sacramento remittitur, & rurſus omnia actualia, omnemque pœnam eis debitam, quod non præſtant reliqua Sacramenta. Confirmatio excellit quoad effectum gratiæ actualis ad bene operandum; nam in eo Sacramento confertur plenitudo Spiritus Sancti, eſtque perfectio, & conſummatio baptiſmi, præſupponit ſiquidem totum ejus effectum integrum, & completum, eique ſuperaddit gratiam copioſiorem, quâ vires ſpirituales corroborantur: Unde Apoſtolis Luc. ult. dicitur: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto:* etenim ante Confirmationis effectum, quem acceperunt in die Pentecoſtes, quamvis baptizati eſſent, adhuc timidi, ac pavidi erant, adeo ut tempore paſſionis omnes aufugerint: ſed poſt ſuſceptum Spiritum Sanctum obfirmati in gratia viribus adauctis veluti leones excuſſo quolibet timore exilierunt, ac inconcuſſa pectoris firmitate ſteterunt, ante reges & præſides. Hinc S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 1. & Cornel. epiſt. ad Fabium apud Euſebium lib. 6. Reſt. cap. 33. aſſerunt, eos non eſſe plenè ſanctificatos, nec perfectos Chriſtianos, qui carent Sacramento Chriſmatis, eo quia hoc Sacramentum impertit ſpecialem gratiam, qua fidelis perficitur in ſanctitate. Euchariſtia excellit omnibus quoad ipſam ſubſtantiam Sacramenti, reliqua enim Sacramenta conſtant ex re ſenſibili, & virtute quadam agendi ſibi à DEO communicata per motum, ſed Euchariſtia habet in ſe ipſum authorem virtutis, continet enim veram Chriſti humanitatem. Pœnitentia excellit omnibus neceſſitate, excepto ſolo baptiſmo. Extrema Unctio excellit aliquo modo effectum pœnitentiæ, quia copioſiorem gratiam ſuperaddit, quæ non ſolùm poſſet delere omnia peccata, ſi adeſſent, verùm etiam reliquias tollit. Ordo excellit omnibus excepta confirmatione ratione miniſtri, quia Ordo confertur à ſolo Epiſcopo; Præterea quia Ordo conſtituit hominem in ſublimiori gradu, quam ſint reliqui Chriſti fideles. Ex diſpenſatione tamen etiam ſimplices ſacerdotes in partibus infidelibus confirmant. Matrimonium reliqua excellit Sacramenta ſignificatione, quia ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, qua ratione D. Paulus ad Epheſ. 5. vocat *Magnum Sacramentum*, ſimpliciter tamen loquendo Euchariſtia dignitate, & excellentia excellit cæteris omnibus ſacramentis, quia continet in ſe primarium fontem ſanctitatis, à quo ſcaturiunt ut pellucidi rivuli reliquæ omnes ſanctitates, includitur enim in Euchariſtia Chriſtus verus Deus, & verus homo, conſequenter ab illo reliquæ dimanant ſacramentorum ſanctitates, & alia ſacramenta ad Euchariſtiam ordinantur tanquam ad finem. Ordo enim ordinatur ad confeſſionem Euchariſtiæ, baptiſmus ad eandem ritè ſuſcipiendam; Confirmatio ad publicam frequentationem ſine timore, abſque verecundia. Pœnitentia & extrema Unctio ad dignè illam ſuſcipiendam. Matrimonium ratione ſignificationis, quia ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam Euchariſtia perficit. Neque obſtat, quod Extrema Unctio ex vi ſuæ inſtitutionis ſit ultimum quoad uſum; quia ordinatur ad Euchariſtiam ratione effectus, ac perfectæ munditiei, quæ eſt diſpoſitio ad dignè ſumendum Euchariſtiam; adeo ut ſi quis poſt Extremam Unctionem vellet Euchariſtiam ſumere, vel maximè eſſet diſpoſitus ad illam recipiendam, quia eſſet mundior.

Ex hac dignitate ſacramentum novæ legis colligitur

Digitized by Google

igitur hæc differre à Sacramentis veteris legis; non ratione externorum tantùm rituum, ſed quia Sacramenta novæ legis cauſant in ſuſcipientibus gratiam, quam ſignificant: cum Sacramenta veteris legis gratiam non cauſarent; ſed tantùm ſignificabant, ut explicat Eugenius IV. in decreto ad Armenos, ubi ponit diſcrimen inter Sacramenta novæ, ac veteris legis; quia in lege veteri *non cauſarent gratiam; ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurarent. In lege autem nova Sacramenta continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Unde non differunt tantùm ratione rituum externorum, ſeu ceremoniarum, ut definivit Tridentina Synodus contra hæreſim Calvini ſeſſ. 7. can. 2. inquiens: *Si quis dixerit ea ipſa novæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi anathema ſit.* Et hoc diſcrimen infertur itidem ex ipſis principiis doctrinæ Apoſtolicæ: etenim D. Paulus ſcribens ad Hebræos 9. munera, & hoſtias quæ ſecundùm legem offerebantur, non ſanctificâſſe; & negat, *poſſe juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem ſolummodo in cibis, & potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis.* Ex cap. 10. ait: *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum; per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere: Alioquin ceſſaſſent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel mundati. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Et licèt hæc de ſacrificiis intelligantur, hoc idem de Sacramentis illius legis aſſerendum eſt: huc propterea pertinet illud cap. 7. ubi Apoſtolus ait: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* Rurſus ad Galat. 4. Omnia quæ Moſaica lege præcipiebantur, & obſervabantur, vocat *Infirma, & egena elementa* eo, quia non poſſent homines à peccatis expiare, neque eos ad veram juſtitiam, & ſanctitatem perducere, neque eos juſtificare, cùm non producerent gratiam ſanctificantem, ſed tantum præfigurarent in Chriſto venturo; quatenus Sacramenta veteris legis fuerunt ſacramentorum novæ legis figuræ: Unde D. Auguſtinus epiſt. 54. ad Januarium ſcribit: *Primum itaque, tenere te volo, quod eſt hujus diſputationis caput, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſicut ipſe in Evangelio loquitur, leni jugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ levi: Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione faciliimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit, ſicuti eſt baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis, & ſanguinis; & ſiquid aliud in ſcripturis canonicis commendatur, exceptis iis, quæ ſervitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moyſi leguntur.* Rurſus enarr. in Pſal. 74. ait: Oportunè non ex noſtra, ſed ex Dei diſpenſatione factum eſt, ut modo audiremus ex Evangelio. Quia lex per Moyſem data eſt: Gratia eſt veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, ut habetur Joan. 1. 17. *Si* enim diſcernimus duo teſtamenta vetus, & novum, non ſunt eadem Sacramenta; quia alia ſunt Sacramenta, quæ dant ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi teſtamenti dant ſalutem; Sacramenta veteris legis promiſerunt Salvatorem. Cum ergo jam teneas promiſſa, quid quæris promittentia, habens jam ſalvatorem? Hoc dico, teneas promiſſa, non quod jam acceperimus vitam æternam; ſed quia jam venerit Chriſtus, qui per prophetas pronuntiabatur. Mutata ſunt ſacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, feliciora.

Quod ſi dicas, remiſſionem peccatorum veteribus etiam tribui ſacrificiis Lev. 14, 1. 4. 5. 16. & Num. 15. ubi habetur *orabitque pro eo Sacerdos, & dimittetur ei.* Rurſus: *Et propitius erit Dominus.* Præterea. *Sanguis pro animæ piaculo eſt.* Quibus videtur inferri Sacramenta veteris legis purgâſſe animam, deleviſſe peccata, remiſiſſe culpas, ac conſequenter contuliſſe gratiam juſtificantem, non ſecus ac Sacramenta novæ legis. Sed contra, quia ſacrificia veteris legis tantùm expiarunt immunditiam legalem, quæ corpus inficiebat, carnem extrinſecus deturpabat, & quæ hominem à divino cultu arcebat, & ad profanum trahebat; non verò delebant immunditiam culpæ, nec abſtergebant maculas peccatorum, quibus anima inquinabatur: Sacramenta igitur, & ſacrificia veteris legis præſtiterunt remiſſionem legalem peccati, id efficiendo, ne peccata imputarentur ad pœnam lege præſcriptam iis, pro quibus ſacrificia offerebantur; quod etiam de Sacramentis veteris legis aſſerendum eſt: nunquam tamen præſtiterunt veram internam peccatorum remiſſionem, neque conferebant veram ſanctitatem, nec juſtitiam, nec gratiam ſanctificantem animum. Unde D. Auguſtinus tract. 41. in Joan. ait: *In illis ſacrificiis non erat expiatio peccatorum, ſed umbra futurorum:* & qui ſacrificiis illis oblatis, vel ſacramentis ſuſceptis remiſſionem peccatorum, veram juſtitiam, & gratiam ſanctificantem conſequebantur, non eam obtinebant virtute ſacrificiorum, ac ſacramentorum, quia cum hæc non continerent gratiam, nec potuerunt illam cauſare, nec conferre aliis: ſed veram gratiam, quâ interiùs anima ſanctificabatur, obtinebant ex fide Chriſti venturi, quam his ſignis à DEO inſtitutis profitebantur: fidem enim internam in Chriſtum venturum, quæ cauſabat gratiam per ſigna externa ſacrificiorum, & ſacramentorum juſti veteris legis proteſtabantur per illa ſacrificia, ſacramenta, quæ ab Apoſtolo dicuntur *elementa vacua, & inania,* quia non continerent gratiam; & tunc juſti veteris legis non erant ſub lege, ſed ſub gratia, & proinde pertinebant ad novum teſtamentum: igitur gratia ſanctificans animam, & remiſſio peccatorum, & charitas, non erant effectus ſacramentorum legalium, ſed fidei in Chriſtum venturum, quem promittebant, & præfigurabant. Quamobrem veteris legis ſacramenta inquinatos ſanctificabant, ſed ad emundationem carnis; non ad purgationem Spiritus; quia ut ait Apoſtolus: *Non poterant juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem:* Sacramenta autem legis Evangelicæ, quia emanarunt è latere JESU Chriſti, *qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum DEO, emundant conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum DEO viventi,* ut ſcribit D. Paulus ad Hebræos cap. 9. v. 14. adeo ut gratiam, quam Sacramenta novæ legis ſignificant, eandem cauſent, ac operentur virtute ſanguinis Chriſti, effluxit enim è latere prius ſanguis, & poſtea aqua, quia aqua baptiſmi niſi præceſſiſſet ſanguis Chriſti non deleret peccata.

CAPUT VII.

Qualia ſint ſigna Sacramenta novæ legis.

CUm dixerimus Sacramenta novæ legis eſſe ſigna ſenſibilia ſignificativa, & cauſativa gratiæ, ſupereſt inquirendum, quænam ſint hujusmodi ſigna, & quomodo conveniant omnibus ſacramentis, quæ ut docet D. Thomas 3. part. art. 1. ſunt in genere ſigni, idque evincit ex communi ſanctorum Patrum ſententia, & conſenſu, quia cum aliquid poſſit dupliciter dici ſacrum formaliter, effectivè, & ſignificativè Theologi hanc ultimam acceptionem præcipuè conſiderant, & in eadem ſignificatione uſurpant Sacramentum, prout importat habitudinem ſigni ſanctitatis, in quo ſenſu ſumitur itidem Sacramentum à Sanctis Patribus, qui perſæpe vocant Sacramenta ſymbola, & ſigna, ut S. Dionyſius *lib. de Cæleſt. hierarch. cap. 2. & 3.* D. Ambroſius *lib. 4. de Sacrament.* D. Auguſtinus, *lib. 10. de Civitat. DEI cap. 5.* ubi Etymologia Sacramenti, ait eſſe ſacrum ſignum. Significatio autem vocum nonniſi ex uſu probari poteſt. Hinc aſſerendum eſt Sacramentum, ut hic ſimpliciter ſumptum eſſe prædicatum univocum reſpectu omnium Sacramentorum, ut ſentiunt Antiqui, & recentes Theologi, contra Sectarios. Ratio id etiam evincit, quia dari rationem aliquam genericam, & communem omnibus Sacramentis nihil aliud eſt, quàm intellectum noſtrum poſſe concipere prædicatum aliquod, quò omnia Sacramenta univocè conveniant, & æquè prædicetur de omnibus, & ſingulis, quod prædicatum optimè poteſt concipi in Sacramentis, quæ propterea conveniunt in ratione ſacramenti univoce, quia tunc prædicatum aliquod eſt univocum, & commune pluribus, quando eodem pacto poteſt æque prædicari de pluribus: ſed intellectus noſter poteſt in Sacramentis concipere hoc prædicatum, quod æquè dici poſſit de omnibus & ſingulis, ſiquidem hoc prædicatum eſt ſignum ſenſibile gratiæ, quod æquè prædicatur de ſingulis ſacramentis eſt univocum; perinde enim eſt ſignum ſenſibile gratiæ baptiſmus ac cætera ſacramenta in lege nova; nullum enim poteſt aſſignari ſacramentum quod non ſint ſignum ſenſibile gratiæ, propterea hoc prædicatum, quod eſt eſſe ſignum ſenſibile gratiæ, eſt univocum tranſcendens per omnia, & ſingula ſacramenta novæ legis: perinde enim hoc prædicatum dicitur de omnibus & ſingulis ſacramentis, ſicut ratio animalitatis de homine, leone, equo, & cane, reliquisque brutorum ſpeciebus: ergo ſicut ratio animalitatis eſt prædicatum genericum, & univocum commune omnibus ſpeciebus animalium, ita etiam hoc quod eſt eſſe ſignum gratiæ, eſt prædicatum genericum univocum commune omnibus ſacramentis.

Quòd ſi dicas, non poſſe concipi rationem genericam, quin etiam concipiatur ratio differentialis, cùm hæc identificetur cum generica, adeo ut non poſſit inadæquatè concipi ratio generica objectivè præciſa à ratione differentiali. Contra eſt, quia tunc res aliqua inadæquatè concipitur, & objectivè præſcinditur ab alia, quando ita cognoſcitur ſecundùm unum prædicatũ qua tale, ut non cognoſcatur ſecundùm aliud quatenus formaliter tale: ſed poteſt concipi Sacramentum ſecundum unam perfectionem, quin explicitè concipiatur ſecundum aliam: ſiquidem tunc non cognoſcitur aliqua perfectio ut talis, quando ex vi talis cognitionis perinde ignoratur, ſecundùm propriam formalem rationem, ac ſi eſſet impoſſibilis, ſed cognoſcens Sacramentum eſſe, ſignum gratiæ tam ignorat baptiſmum ſecundum propriam rationem, ac ſi impoſſibile foret, quia ſi non adeſſet baptiſmus & reliqua eſſent ſacramenta, adhuc ratio ſigni conciperetur, ut conveniens reliquis ſacramentis, unde rectè poteſt concipi inadæquatè ſacramentum ſecundùm ſolum prædicatum genericum univocum & commune absque eo, quod concipiatur ratio una differentialis. Præterea quia tunc cognita una perfectione non cognoſcitur altera, ut formaliter talis, quando affirmata una negatur altera, ſed cognita una perfectione generica negari poſſunt plures differentiales; etenim Sectarii conceſſo uno vel altero Sacramento, negant alia, & nihilominus concedunt ſacramenta eſſe ſigna; ergo nil obſtat, quo minus poſſit intellectus concipere rationem genericam non cognita differentiali. Præterea, quia intellectus noſter concipit animalitatem non cognitis differentiis, cum quibus identificatur, alioquin cognita ſemel animalitate infinitas propemodum cognoſceret differentias ſpecificas animalium, quod quam falſum ſit ex eo evincitur, quia plures dantur ſpecies animalium, quarum naturas & eſſentias omnino ignoramus; ergo nihil obſtat, quo minus poſſimus concipere prædicatum aliquod genericum univocum, & commune omnibus ſacramentis. Neque obſtat, ſi dicas cum nominalibus cognoſci, tunc differentias illas ſecundùm, quod dicunt in recto, non verò ſecundùm, quod important in obliquo. Nam contra eſt, quia vel cognoſcere differentias illas ſecundum id, quod dicunt in recto eſt, illas cognoſcere ſecundùm propriam, & formalem rationem, & definitionem; vel eſt illas tantum cognoſcere ſecundùm rationem communem: ſi dicatur primum, inde ſequitur quod cognita ſemel animalitate infinitæ propemodum cognoſcerentur indifferentiæ brutorum ſecundùm proprias rationes: Si concedatur, ſecundum, ſequitur tantum cognoſci rationem, communem & univocam, non verò rationes differentiales. Præterea quia tunc non cognoſcitur formalitas ut talis, quando non cognoſcitur id, quod ut talis formalitas eſſentialiter includit, ſed cognita animalitate, quæ à Nominalibus dicitur eſſe, rectum rationalitatis, non cognoſcitur quidquam tale de rationali, quod includat eſſentialiter, unde ad ſummum tantùm cognoſcitur identicè, non formaliter, & explicitè.

Rurſus Sacramentum de ſua formali ratione dicit, quòd ſanctificando ſignificet gratiam; præſcindimus enim ab hoc, vel alio modo ſanctificandi, ac ſignificandi ſanctitatem, hoc autem totum hæc reperitur in Sacramentis novæ legis, ergo ratio Sacramenti, ut ſic eſt prædicatum commune & univocum omnibus Sacramentis. Præterea quia Sanctitas, quam Sacramenta cauſant, convenit in eo, quòd hominem uniat, ac dedicet Deo: quòd verò hoc vel illo modo dedicet, ad rationes pertinet differentiales: ergo nil obſtat, quo minùs poſſimus concipere prædicatum aliquod genericum, & univocum, quod æquè conveniat omnibus, ac ſingulis ſacramentis. Verùm quamvis omnia ſacramenta conveniant in ratione ſigni ſenſibilis, & ſacramentum definiatur ſignum gratiæ ſanctificantis homines, ut docet D. Thom. hic 3. part. art. 1. adhuc videtur difficile ſtatuere, an illa ratio ſigni gratiæ ſanctificantis homines ita ſit adæquata

generica

Digitized by Google

generica ratio Sacramenti ut nihil ſit ei addendum, an verò exigat etiam rationem cauſæ, adeo ut neceſſe ſit, ut definiatur Sacramentum ſignum cauſativum gratiæ. Et reſpondetur Sacramentum ita eſſe verum ac propriè ſignum, ut ſola ratio ſigni gratiæ ſanctificantis homines ſit adæquatum genus omnium ſacramentorum, & ratio cauſæ ſit accidentalis omnibus ſacramentis utriuſque legis veteris, & novæ. Idque ſuadetur quoad primam partem, quia quodlibet Sacramentum tum veteris tum novæ legis eſt ſignum ſenſibile, adeo ut hæc ratio ſigni ſit genus reſpectu ſacramentorum, ut concedunt communiter Theologi, & id colligitur ex ſcripturis ad Roman. 4. ubi Apoſtolus vocat circumciſionem ſignaculum juſtitiæ, & fidei, & cap. 6. aſſerit: Baptiſmum eſſe ſimilitudinem mortis Chriſti, & reſurrectionis ejus in nobis. Præterea quia Sancti Patres Græci, & Latini hoc idem adſtruunt & ratio eſt, quæ adducitur à S. Gregorio Nazianzeno orat. de Baptiſta, quia medicamentum partim corporale, partim ſpirituale optimè illis congruit ægrotis, quorum natura ex ſpiritu coaleſcit, & corpore. Hinc D. Chryſoſtomus homil. 26. in Matth. ait: *Quoniam anima corpori conſerta eſt, in rebus ſenſibilibus, intelligibilia tibi probet*, & D. Dionyſius cap. 5. de divinis nominibus probat Hierarchiam eccleſiaſticam mediam occupare ſedem inter antiquam & cœleſtem: quo fit, ut aliquid de utraque participet & cum cœleſti communes habeat ſpirituales contemplationes: & cum antiqua ſigna illa, quæ ſenſum movent, & quorum varietate etiam diſtinguitur: ergo non eſt dubium, quin ſola ratio ſigni ſit genus reſpectu omnium Sacramentorum veteris, & novæ legis.

Quod verò ſit ratio generica adæquata, adeo ut ratio cauſæ ſit omnino accidentalis, ex eo evincitur, quia non eſt neceſſe rationi ſigni addere rationem cauſæ, ſi per ſolam rationem ſigni gratiæ ſanctificantis homines omnia ſacramenta ab illis diſtinguuntur, quæ non ſunt ſacramenta: ſicut non eſt opus rationi animalitatis addere quid aliud, ut ſit ratio generica, eò quia per ſolam animalitatem differunt omnia animalia ab omnibus aliis, quæ animalia non ſunt: atqui Sacramenta per ſolam rationem ſigni gratiæ ſanctificantis homines diſtinguuntur ſufficienter ab omnibus aliis, quæ non ſunt ſacramenta, quia ratio ſigni gratiæ ſanctificantis homines, quæ omnibus ſacramentis eſt communis, nullo pacto iis convenit, quæ non ſunt ſacramenta: ergo eſt adæquatum genus omnium ſacramentorum, adeo ut ratio cauſæ ſit accedentalis omnibus ſacramentis novæ, & veteris legis. Præterea quia ratio cauſæ non conveniebat ſacramentis veteris legis, quæ tamen revera erant ſacramenta: ergo ratio cauſæ, ſeu hoc, quod eſt cauſare gratiam, non pertinet ad rationem genericam Sacramentorum. Neque obſtat, quod reſpondent aliqui cum Bellarmino, & Becano Sacramenta veteris legis cauſâſſe ſanctitatem quandam legalem, quam ſacramenta veteris legis cauſabant perinde ac ſacramenta novæ cauſant veram, propriam, & internam ſanctitatem, quam non cauſabant Sacramenta veteris legis, quia hæc tantùm ſanctitatem externam, & legalem ſitam in conſecratione ad divinum cultum cauſabant. Nam contra eſt, quia agnus paſchalis & panis propoſitionis in communi ſententia in veteri lege erant vera Sacramenta, & tamen, non cauſabant munditiam illam legalem, quia eam potiùs præſupponebant, ut colligitur ex ſcripturis. Præterea quia ſicut ſanctitas hæc legalis nonniſi nomine convenit cum vera, & interna ſanctitate, ita ſequeretur, quod Sacramenta nova vel vetera non convenirent niſi nomine, quod tamen non conceditur. Neque ſatisfacit, quod docet Valentia quæſt. 1. puncto 1. Sacramenta omnia tum veteris tum novæ legis ita eſſe ſigna gratiæ, ut hæc conferatur quidem in eorum uſu, ſed cum hoc diſcrimine, quia in Sacramentis novæ legis conferatur gratia per ipſa ſacramenta ut per cauſas vel phyſicas, vel morales ſecundùm diverſa Theologorum placita; in ſacramentis verò veteris legis tantùm à Deo conferatur gratia, non per ipſa ſacramenta. Nam contra eſt, quia quamvis in circumciſione, quando erat remedium legis naturæ collata fuerit à Deo gratia mundans primum à peccato originali: in aliis tamen ſacramentis legis ſcriptæ non conſtat fuiſſe aliter collatam gratiam, quàm ex opere operantis, perinde ac confertur per opera quælibet meritoria. Si dicas illud eſſe eſſentiale Sacramentis novæ legis ut ſic, per quod differunt à Sacramentis veteris legis; Et quod eſt ab illis omnino inſeparabile: ſed ratio cauſæ eſt ejuſmodi, ergo eſt eſſentialis, & non accidentalis Sacramentis novæ legis. Contra eſt, diſtinguitur enim major, illud eſt eſſentiale Sacramentis novæ legis per quod hæc differunt eſſentialiter à Sacramentis veteris legis; concedo majorem, per quod differunt tantùm accidentaliter, nego majorem, & negata minore nego conſequentiam, quia ratio cauſæ non eſt prædicatum eſſentiale quo Sacramenta veteris legis differant eſſentialiter à nobis, non enim omne id per quod unum differt ab alio eſt eidem eſſentiale: etenim albedo eſt ratio qua homo albus differt à nigro, & tamen per albedinem nonniſi accidentaliter differt ab illo. Rurſus nec ratio cauſæ eſt inſeparabilis à Sacramento, quia æquè poſſet Deus nunc inſtituere Sacramenta, quæ eſſent nuda ſigna gratiæ, & non cauſæ ejuſdem, ſicut inſtituit in lege veteri, in qua Sacramenta tantùm fuerunt ſigna gratiæ, non verò eam cauſabant, unde ratio cauſæ non eſt de eſſentia Sacramenti ut ſic. Quòd ſi inſtes, Sacramenta novæ legis non definiri ſine ratione cauſæ, conſequenter ratione cauſæ eſſe prædicatum eſſentiale. Contra eſt, quia definitiones Sacramentorum, quæ vulgò circumferuntur, non dicunt ſola eſſentialia, ſed additamentum etiam accidentale; quapropter licet illud ſit eſſentiale, ſinè quo res non poteſt concipi nec definiri, quæ ſunt illi eſſentialia; ſi tamen res definiatur ſecundùm aliquod additamentum accidentale, tunc rectè poteſt aliquod prædicamentum accidentale includi in definitione tradita per illud additamentum.

Quòd ſi quæras, qualenam ſit ſignum Sacramentum. Diximus enim rationem ſigni eſſe prædicatum genericum univocum & eſſentiale omnibus Sacramentis: Sed quia dantur pleraque alia, quæ ſunt itidem ſigna gratiæ, ideo ſupereſt inquirendum, qualenam ſignum debeat neceſſarium eſſe Sacramentum. Certum eſt Sacramentum eſſe ſignum ſacrum ex parte rei ſignificantis, & rei ſignificatæ adeo ut res illa, quæ eſt ſignum, & ſignificat, ſit aliquid ſacrum quòd ſignificet ſacro modo, ut docent communiter Theologi cum Magiſtro *in 4. diſt.* 1. Quòd verò ſit ſignum ſacrum ex parte rei ſignificantis ex eo liquet, quia Sacramentum eſt aliquid importans aliud, quod in ipſo non intuemur: Sed omne id, quod ita ſigni-

Digitized by Google

ſignificat, eſt propriè ſignum ex parte rei ſignificantis, ergo Sacramentum eſt hujusmodi ſignum; minor oſtenditur, quia ex Chriſti inſtitutione Sacramentum eſt in ordine ad finem ſupernaturalem, & ſignificat aliquid, quod in ipſo Sacramento non intuemur, ergo eſt ſignum ſacrum ex parte rei ſignificantis, omne enim quod dicit ordinem ad ſanctitatem eſt ſacrum. Præterea quia Sacramentum eſt id, quo ſanctificamur, cùm ſit in ordine ad nos uniendum Deo ſpeciali modo, conſequenter pertinet ſpeciali modo ad Deum, unde eſt aliquid ſacrum. Quod etiam ex parte rei ſignificatæ ſit ſignum ſacrum eſt: quia Sacramentum ſignificat aliquam ſpecialem conjunctionem hominis cum Deo, quapropter ad *Roman. 6.* dicimur per baptiſmum uniri in Chriſto, & *ad Epheſ. 5.* Matrimonium dicitur ſignum conjunctionis Chriſti cum eccleſia, ſed omnis ſpecialis conjunctio cum Deo in ordine gratiæ eſt aliquid ſacrum: ergo Sacramentum etiam ex parte rei ſignificatæ per ſignum ſacrum; ſed dices ſacrificium ut tale ſignificat aliquid ſacrum, & tamen non eſt ſacramentum: ergo non eſt proprium Sacramenti eſſe ſignum rei ſacræ; contra eſt, negatur conſequentia, quia tametſi Sacramentum ſit ſignum rei ſacræ, non tamen inde ſequitur quod omne ſignum rei ſacræ ſit Sacramentum, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 2. Sed debet eſſe ſignum exercitium circa hominem, & ordinatum ad ipſum ſanctificandum.

Imò non ſolùm eſt ſignum ſacrum, ſed etiam ſenſibile, ſtabile, non naturale, ſed ad placitum inſtitutum à Deo. Quia Sacramentum eſt ſignum in ordine ad ipſum hominem, conſequenter debet eſſe aptum ad ſignificandum ipſi homini: Sed homo pro præſenti ſtatu viæ cum non niſi dependenter à ſenſibus cognoſcat, non poteſt quidquam eſſe aptum ad ſignificandum ipſi, niſi ſit aliquid ſenſibile, ex quo ſequitur, Sacramentum debere eſſe ſignum humanam ſenſibile. Hinc definitur ab Auguſtino lib. 2. de Doctrin. Chriſtian. cap. 1. *Quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus facit aliquid aliud in cognitionem venire*, & epiſt. 166. ait: *ſi malus Miniſter eſt, operatur per illum Deus viſibilem Sacramenti formam, ſed ipſe operatur inviſibilem gratiam.* Hinc Chriſtus in Euchariſtia non eſt Sacramentum, cùm non ſit ſenſibilis, ſiquidem tantùm ſpecies noſtros cadunt ſub ſenſus. Rurſus quòd hoc ſignum debeat eſſe ſtabile, & permanens ex eo liquet, quia Sacramenta ſunt firmiſſimæ columnæ, quibus tota religio nititur, quapropter quæcunque cæremonia obiter tantùm inſtituta non eſt Sacramentum. Sed dices inde ſequi, non eſſe majorem rationem cur Sacramentum debeat eſſe cæremonia ſtabilis, & non ſacrificium, ſed ſacrificium non eſt ſtabile, & permanens, ſiquidem ſacrificium Abrahæ nec ſtabile fuit nec permanens; ut nec etiam ipſa mors Chriſti, quæ verum fuit ſacrificium, in quo Chriſtus ſe obtulit pro redemptione humani generis. Præterea quia duratio non immutat eſſentiam rei ſicut nec cauſæ, per quam inſtituuntur cæremoniæ: Ergo non eſt de ratione Sacramenti ut ſit ſignum ſtabile, ac permanens. Contra eſt, quia Sacramentum debet eſſe juxta exigentiam diſpoſitionis, quia ſolus Deus diſponit ſalutem hominum, proinde debet eſſe ſignum ſtabile, & permanens; Sacrificium verò, quia non pertinet ad totam eccleſiam, non neceſſariò eſt permanẽs Illud autem ſacrificium quod eſt publicum, & ſpectat ad totum corpus eccleſiæ, debet eſſe permanens: hinc ſacrificium Chriſti fuit permanenter inſtitutum, quia & ratione offerentis, & ratione rei oblatæ ſacrificium miſſæ ab illo non differt, ſed tantùm in modo. Ad aliud quod addebatur de duratione, reſpondetur rei durationem, & cauſam inſtituentem cæremoniam non immutare quidem phyſicè eſſentiam rei, bene tamen moraliter: rurſus quòd Sacramentum non ſit ſignum naturale, ſed tantùm ad placitum à Deo inſtitutum, ut docet D. Thomas 3. *part. 3. quæſt. 60. art. 5.* ex eo etiam oſtenditur, quia Sacramenta dependent ex inſtitutione Chriſti, hinc aqua in baptiſmo nullam habet connexionem cum gratia quam ſignificat, proinde Sacramentum non eſt ſignum naturale: ſed ad placitum inſtitutum à Deo, quapropter Auguſtinus lib. 2. de Doctrin. Chriſt. vocat Sacramentum *datum mandatum.* Demum quia Sacramenta omnia ſunt actiones materiales, & naturales, quæ non poſſunt habere talem connexionem cum gratia, ut ex ſua natura illam ſignificent. Debent tamen Sacramenta in ratione ſigni habere aliquam analogiam cum re ſignificata, adeo ut ſine ipſa non poſſit ſalvari vera ratio ſacramenti, ut docet D. Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium, ubi ait: *Sacramenta quandam habent ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, quam ſi non haberent, omnino Sacramenta non eſſent:* ſeu non eſſent aſſumpta à Deo ad rationem Sacramenti. Hinc Sacramentum illud, quod paſtum animæ ſignificat, Deus non inſtituit in lapide, nec ligno, ſed in pane & vino, quibus nutritur corpus, unde 1. Petri 3. dicitur: *Quod nos nunc ſimiles formæ ſalvos facit baptiſma,* quatenus baptiſmo ita exprimit lavacrum animæ ut cum eodem quaſi videatur de forma certare: ratio itidem eſt, quia ſignum etiam ex ſola inſtitutione debet eſſe proportionatum ſignificato, alioquin non eſſet aptum ad ingerendam cognitionem ipſius proinde Sacramentum in ratione ſigni habet aliquam analogiam cum re ſignificata. Demum quia Sacramenta non ſolum ſignificant aliquid diverſum; verùm etiam habens diverſum modum ſignificandi, ſed non poſſunt habere hunc diverſum modum ſignificandi, quin habeant diverſam analogiã ad res ſignificatas: ergo Sacramenta in ratione ſigni habent aliquam analogiam cum re ſignificata.

Sed dices, Sacramentum non eſſe ſignum ex inſtitutione; ſed potius ſignum naturale: ſiquidem abſolutio poſt Confeſſionem ſignificat naturaliter relaxationem peccati ſecundùm poteſtatem, quam habet Sacerdos, ſed hic habet hanc poteſtatem relaxandi peccata per gratiam, & abſolutè ſignificat hanc poteſtatem & relaxationem: ergo eſt ſignum naturale, & non ex inſtitutione. Sed contra: quia abſolutio ex natura ſua non ſignificat niſi conceptum mentis, conſtat enim ex verbis ſignificantibus mentis conceptum, et id quod ex vi ipſius poteſt naturali modo ſequi; non verò ſignificat ex natura ſua poteſtatem abſolutam & ſupernaturalem abſolvendi, ac effectum abſolutionis. ſi inſtes ſignificare conceptum, ut de facto eſt, conſequenter intentionem abſolvendi per poteſtatem ſupernaturalem; contra eſt, quia tantum ſignificat conceptum ut de facto eſt ex inſtitutione, non autem ex natura ſua. Ratio ex eo potius, quia intentio abſolvendi nonniſi ex vi inſtitutionis per poteſtatem ſupernaturalem habetur; & quia hæc poteſtas dependet ab inſtitutione, ſequitur, quod intentio non conjungatur cum ipſa, niſi inſtante inſtitutione. Si dicas, in Sacramento extremæ unctionis verba ſignificare naturaliter, con-

Digitized by Google

conſequenter Sacramentum eſſe ſignum naturale non ex inſtitutione, Contra eſt, negatur aſſumptum, quia verba, quæ proferuntur in hoc Sacramento nonniſi ex vi inſtitutiones exprimunt id, quod efficit Deus, ſignificatione ſacramentali, & practicè. Sacramenta enim debent eſſe inſtituta à Deo, non ab Apoſtolis, nec ab Eccleſia, quia ad illam pertinet Sacramenta inſtituere, ad quem ſpectat eccleſiam, & religionem fundare, ita ad ipſum ſolum ſpectat Sacramenta inſtituere. Præterea debent Sacramenta eſſe inſtituta per modum cæremoniæ ſeu actionis ſacræ, & religioſæ: quia Sacramenta pertinent ad virtutem religionis, contra quam peccat, qui indignè ſuſcipit Sacramenta.

Hinc Sacramenta debent eſſe ſigna publica, & authoritate publica inſtituta, quia Sacramenta ordinantur ad ſanctificandos homines ut membra eccleſiæ, unde ſicut homines communicant in fide, debent itidem communicare in mediis, ſeu Sacramentis, quæ ſunt media, quibus exercetur divina providentia in ordine ad talem finem, proinde debent eſſe ex authoritate publica, ſiquidem ad ſolam publicam authoritatem pertinet communitatem dirigere: ergo Sacramenta ſunt ſigna publica, & inſtituta authoritate publica ac ſtabilia, ſeu permanentia, eò quia ſint media ad ſanctificandos homines, quapropter eſt de ratione Sacramenti ut ſic, ut ſit ſignum practicum exercens aliquam cauſalitatem, quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ordinatum ad ſignificandum aliquid ſpirituale, & ad conſecrandum hominem Deo aliquo ſpeciali modo, ſaltem conſecratione legali, ſi ſermo ſit de Sacramentis veteris legis; ex quo ſequitur eſſe ſignum practicum, quia cauſat aliquem effectum. Hinc ratio ſigni in Sacramentis non eſt ens rationis, ut docent plures cum Suarez *diſput. 1. de Sacrament. Sect. 3.* Vaſquez. *3. part. diſput. 128. cap. 4.* ratio eſt, quia ſignum eſt, quod facit aliud à ſe in cognitionem venire repræſentando illud potentiæ cognoſcenti, adeo ut tota ratio ſigni in eo conſiſtat, ut repræſentet potentiæ aliud à ſe. Quid verò ſit in re ſignificante, hæc vis repræſentandi aliud à ſe non conveniunt Authores. Alii volunt eſſe relationem realem ſigni ad rem ſignificatam. Alii formam realem, & intrinſecam ipſi voci, ſeu vim quandam ei inexiſtentem, & per quam ſignat notitiam rei ſignificatæ. Plures volunt eſſe relationes rationis; & quidam denominationem extrinſecam. Exactius tamen aſſeritur rationem ſigni naturalis ſemper eſſe aliquam relationem realem ad rem ſignificatam: quia ſignum formale, cujuſmodi eſt ſpecies intentionalis dicit relationem tranſcendentalem ad objectum; & ſignum inſtrumentale relationem categoricam. Ratio verò ſigni ad placitum, & denominatio extrinſeca à voluntate inſtituentis, veluti à forma extrinſeca: ſiquidem ſignificare ad placitum non convenit rei ſignificanti niſi ex mera hominum voluntate deputante ad unum, quod poſſet deputare ad aliud: & deputatio extrinſeca non imprimit quidquam intrinſecum, ſed tantùm denominat extrinſecè: ergo voluntas Dei vel hominum quatenus deputativa rei ad aliquid ſignificandum eſt aliqua forma extrinſeca, ratione cujus habetur ſignum ad placitum, neque hæc extrinſeca denominatio eſt tantùm ens rationis, ut cenſent plures: quia concipimus formam extrinſecam terminari tantùm extrinſecè ad objectum, ut cùm concipimus noſtram cognitionem terminari ad Deum, & non inhærere Deo, ſed in noſtro intellectu, quia eſt actio immanens, tunc enim nihil fingimus, quia hoc totum verum eſt, & reale: ſed quando dicimus hederam ſignificare vinum vendibile, tantùm concipimus hederam deputatam eſſe ab hominibus, ut cognoſcatur caupona, in qua vinum datur vænum, in hoc autem nulla eſt fictio, nullum ens rationis. Ratio igitur, cur Sacramenta ſint ſigna realia, & ratio ſigni in Sacramentis ſit quid reale morale, hæc eſt; quia alioquin Sacramenta non eſſent formaliter aliquid reale, nec realiter moverent ad percipiendam rem ſignificatam, ergo ratio ſigni debet eſſe quid reale in Sacramentis, & in eo conſiſtere, quod habeat ex inſtitutione connexionem cum re ſignificata fundatam in analogia. Ens ſiquidem morale non ſolum eſt actus liber, ſed etiam omne id, quod dicit ordinem ad actum liberum proprium, vel alienum: primariò enim moralitas convenit actui voluntatis, & ſecundariò aliis rebus dependenter à tali actu, & eſt denominatio extrinſeca dependenter ab actibus, quos cauſa. Cæterum de ratione Sacramenti eſt, ut ſignificet ſanctitatem, quia nonniſi per ordinem ad ſanctitatem eſt Sacramentum conſequenter de ratione Sacramenti eſt ordo ad veram ſanctitatem, quia quod eſt tale in aliquo genere per ordinem ad aliud eſt tale per id, quod eſt ſimpliciter tale, & primum in illo genere eſt cæterorum menſura, ſed in genere ſanctitatis ſola gratia eſt vera ſanctitas, hinc in Concilio Florentino in litteris unionis definiuntur Sacramenta *veteris legis fuiſſe* vera Sacramenta, eò quia ſignificarent gratiam dandam per Chriſtum. Sacramentalia verò, ut aqua luſtralis, benedictio Abbatis non ſunt Sacramenta, quia non ſignificant veram ſanctitatem, hinc eſt etiam de ratione Sacramenti, ut aliquo pacto ſignificet gratiam ſupernaturalem, quia cùm Sacramentum ſit quædam ratio ſanctificativa, ſequitur, quòd Sacramentum ut ſic poſſit tantùm aliquo modo ſignificare gratiam, & non eſt neceſſe, ut in ratione Sacramenti eam cauſet, quia Sacramenta veteris legis ſignificabant quidem aliquo modo gratiam, non tamen eam cauſabant. Hæc autem gratia ſignificata per Sacramenta eſt gratia ſanctificans, quia illud tantùm primariò ſignificatur per Sacramentum, quo ſublato tollitur tota ratio Sacramenti: ſed ſublata ſola ſignificatione gratiæ tollitur tota ratio Sacramenti, quia ſacrificium ea tantùm de cauſa non eſt Sacramentum, quia tametſi ſignificet paſſionem Chriſti, non tamen eſt ſignum gratiæ, ut nec etiam plura ſacramentalia, unde gratia ſanctificans eſt id, quod primariò & immediatè ſignificatur per Sacramentum, quo D. Thomas aſſerit eſſe commemorativum paſſionis Chriſti, repræſentativum gratiæ, & prognoſticum gloriæ, quæ tria de baptiſmo expreſſit D. Paulus ad *Roman. 6.* De Euchariſtia *1. ad Corint. 2.* imò etiam ipſe Chriſtus *Joan. 6.* Secundariò verò & minus principaliter Sacramenta ſignificant paſſionem Chriſti, & futuram gloriam, adeo ut propria differentia Sacramenti ſit habitudo ſigni ad gratiam ut ſignificatam, quia ad rationem propriam differentialem requiritur primò, ut ſit contractiva generis, ut ſit propria & adæquata: ſed habitudo ſigni ad gratiam hæc omnia includit, contrahit enim rationem ſigni, quæ eſt ratio generica conveniens omnibus ſignis: Rurſus hæc habitudo eſt propria, quia ita convenit Sacramentis, ut non conveniat alicui alteri, quod non ſit Sacramentum, demum eſt ratio adæquata, quia convenit omnibus, & ſingulis Sacramentis: ergo habitudo ad gratiam eſt propria ratio differentialis, qua Sacramenta differunt ab omnibus iis, quæ non ſunt Sacra-

Digitized by Google

Sacramenta. Si dicas de ratione differentiæ eſſe, ut ſit extra genus, adeo ut præſcindi ab eo poſſit, eò quia differentia non includit genus, ſed habitudo ſigni, ad gratiam includitur in ipſa ratione ſigni, ſeu in ratione generica Sacramenti ut ſic, conſequenter non poteſt eſſe ratio differentialis. Contra eſt, quia ratio ſigni latiùs patet quàm habitudo ad gratiam, ſiquidem ratio ſigni convenit etiam aliis rebus, quæ non ſunt Sacramenta, ergo formaliter habitudo ad gratiam non includitur in ratione ſigni alioquin eadem formalis ratio latiùs, & non latiùs pateret: quod repugnat. Præterea quia habitudo ad gratiam eſt ratio contractiva ſigni; adeo ut ratio ſigni ſit contrahibilis per hanc habitudinem: ſed ratio contractiva formaliter, & explicitè non eſt ratio contrahibilis, quia hæc prædicatur de pluribus, de quibus non prædicatur ratio contractiva, ut liquet in animalitate, quæ prædicatur de homine, & equo: non ita rationalitas, quæ tantùm prædicatur de homine: ergo habitudo ad gratiam non includitur formaliter in ratione ſigni.

Infertur ex dictis Sacramentum eſſe ſignum ſacrum ſenſibile, ſtabile, publicâ authoritate inſtitutum ſanctificando ſignificans gratiam, & conducens ad illius aſſecutionem dicitur ſignum ſenſibile, quia debet homini ſignificare, cujus cognitio dependet à ſenſibus, quid aliud diſtinctùm à ſigno: dicitur ſacrum, quia ſignificat aliquam ſpecialem conjunctionem hominis cum Deo, quæ conjunctio in ordine gratiæ eſt aliquid ſacrum: Dicitur ſtabile, quia debet eſſe ſecundum exigentiam diſpoſitionis: quia cùm Sacramenta ordinentur ad ſanctificandos homines, ut membra ejusdem eccleſiæ, ſicut homines communicant in fine, qui eſt ſtabilis, ita debent communicare in mediis. Rurſus debet Sacramentum eſſe inſtitutum publica authoritate, quia cum ſit ſignum publicum, & commune, debet ab eo inſtitui, qui communitatem adminiſtrat, dicitur etiam ſanctificando ſignificare gratiam, ut diſtinguatur à figuris veteris Sacramenti, quæ ſignificabant gratiam, ſed non ſanctificabant, & ab aliis cæremoniis, quæ non erant ſacramenta, nec ſignificabant gratiam; ſacramenta enim veteris legis conferebant quidem ſanctitatem legalem quam ſignificabant, & qua caro purgabatur, non verò veram ſanctitatem internam, qua anima à peccatorum maculis purificabatur. Demum dicitur Sacramentum conducens ad acquiſitionem gratiæ, quia illam ſignificat, ut ſignum ſignificatum, quod contingere non poſſet, niſi aliquo pacto ad illius acquiſitionem promoveret.

CAPUT IX.

De Phyſica quidditate Sacramentorum ſecundùm partes eſſentiales.

CUm in præcedentibus expenderimus metaphyſicam quidditatem Sacramentorum, nunc deſcendimus ad explicandam phyſicam quidditatem, ratione cujus Sacramentum habet phyſicam analogiam cum compoſito phyſico, in qua phyſica quidditate occurrunt quatuor conſideranda. Primò quæ ſint partes componentes intrinſecè Sacramentum. Secundò quomodo hæ partes Sacramentum componunt. Tertiò quomodo ſint à Deo determinatæ. Et quartò quomodo contingat eas ſubſtantialiter mutari, & tolli Sacramentum. Partes phyſicæ Sacramentorum dicuntur, ex quibus conſtat extrinſece Sacramentum, & duæ ſunt materia & forma; illa eſt res vel actus ſenſibilis; hæc ſunt verba ſolemnia in Sacramentorum conſecratione adhibita. Hic autem loquendi modus non fuit ab antiquis Doctoribus uſurpatus, dicebant enim Sacramenta conſtare ex ſigno, & re ſacra, illo viſibili, hac inviſibili; per ſignum enim intelligebant, quod nunc dicimus materiam, & formam, eò quia utrumque ſit quid ſenſibile, omne enim quod ſub ſenſus cadit, dicebatur ſignum: per rem autem ſacram ſeu inviſibilem intellexerunt effectum Sacramenti, ſeu gratiam ſanctificantem. Præterea aſſerebant in omni Sacramento duo reperiri, Sacramentum, & rem; nomine Sacramenti intelligebant tantum ſignum ſenſibile, quod externis ſenſibus ingeritur, ſub cujus ſpecie Chriſtus Sacramentum inſtituit. Per rem, gratiam quæ confertur, ideo diligenter priſci Theologi inquirebant, quid eſſet Sacramentum, & quod res Sacramenti. Demum aſſerebant Sacramenta conſtare ex elemento, & verbo, unde Auguſtinus Tractat. 80. in Ioan. ait: *verbo baptiſmus conſecratur. Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Recentiores verò Theologi partes phyſicas Sacramentorum vocant materiam, & formam, quod intelligunt metaphoricè per quandam analogiam ad materiam & formam phyſicam, cum quibus conveniunt in eo, quod res ſenſibilis per verba determinetur ſicut materia per formam, & verba Sacramentum compleant, & perficiant perinde, ac in phyſicis forma totum compoſitum phyſicum perficit, & complet, unde non omnes affectiones materiæ, & formæ conveniunt formaliter materiæ, & formæ Sacramentorum. Quamvis autem verba, & aliæ res ſenſibiles ad diverſa genera pertineant, ſecundum naturam, conveniunt tamen in ratione ſigni, quæ ratio perfectior eſt in verbis quàm in aliis rebus. Ideoque ex verbis, & rebus fit quodam modo quid unum in ſacramentis, perinde ac ex forma, & materia, quatenus per verba perficitur ſignificatio rerum: ut loquitur D. Thomas, & fit quid unum moraliter, non phyſicè. Hinc in Sacramentis tria requiruntur, ut ait Eugenius IV. in Decreto ad Armenos, ubi docet: *Omnia Sacramenta tribus perfici, ſcilicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit eccleſia*; quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum. Nomine tamen materiæ non res tantùm, ſed etiam actus ſenſibiles intelliguntur ut ablutio, unctio, & in Sacramento Pœnitentiæ, contritio, confeſſio, ſatisfactio, in matrimonio contrahentium conſenſus verbo, vel nutu expreſſus, quia in his eadem eſt ratio ſignificandi, ac in rebus ſenſibilibus. Quòd verò ad complementum, & perfectionem Sacramentorum verba ſint neceſſaria, colligitur ex Apoſtolo ad Epheſ. cap. 5. v. 26. ubi ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, mundans eam lavacro aqua in verbo vitæ.*

Digitized by Google

vita, & D. Thomas 3. *part. quæst.* 60. *art.* 6. tres assignat rationes convenientiæ, quia cùm Sacramenta adhibeantur, ut signa quædam ad hominum sanctificationem, tripliciter possunt spectari, & cuilibet modo congruit, ut verba rebus adnectantur sensibilibus. Primam rationem desumit ex parte causæ significantis, quæ est verbum nostra humanitate indutum, cui Sacramentum quodammodo conformatur in hoc, quòd rei sensibili verbum adhibeatur, sicut in Mysterio Incarnationis carni sensibili verbum Dei hypostaticè unitur. Secunda est, quia Sacramenta possunt considerari ex parte hominis, qui sanctificatur, qui cùm componatur ex anima, & corpore, cui proportionatur Sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur, ait enim Augustinus Tractat. 8. in Joan. expendens verba illa Christi: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*, ait ipse: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Tertia D. Thomæ ratio est, quia possunt Sacramenta considerari ex parte significationis Sacramentalis, unde cùm verba significandi principatum inter homines obtinuerint, ut loquitur D. Augustinus *lib. 2. de doctrin. Christian. cap.* 2. Ideo D. Thomas ait: *Ideo ad perfectionem significationis Sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest, & ablutionem, & refrigerium: sed cum dicitur: Ego te baptizo; manifestatur, quòd aquâ utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem.*

His præmissis asserendum est, Sacramenta omnia novæ Legis constare saltem æquivalenter, & virtualiter ex rebus, & verbis, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 3. part. quæst. 60. art. 5. quia in Concilio Florentino in decreto Eugenii definitur, Sacramenta novæ legis tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione ministri. Neque id postea limitatur, cùm agens de matrimonio, temperat hanc generalem assertionem dicens, causam Sacramenti esse regulariter consensum mutuum, expressum per verba de præsenti, quia tunc Concilium loquitur de verbis formaliter, quæ ut plurimum, quamvis non semper reperiantur in Sacramento matrimonii. Multi, quamvis non possint verba proferre, solis nutibus consensum produnt, & matrimonium contrahunt. Ratio, quam assignat D. Thomas, est; quia ex parte Christi, sicut verbum unitur humanitati, ita in Sacramento verbum unitur rei, & sanctificat homines. Rursus, quia homo constat ex anima, & corpore; ita res æquiparatur corpori, & non animæ, sed huic æquiparantur verba; sed hæ sunt tantùm congruentiæ. Cæterum ratio à priori est, quia, si nullum sit Sacramentum, in quo non reperiatur aliquid magis indeterminatum, & aliquid magis expresè significans, & determinans aliud; sequitur, quòd nullum sit Sacramentum, in quo non reperiantur res, & verba saltem æquivalenter: Sed de facto nullum est assignabile Sacramentum novæ Legis, in quo non reperiantur hæc duo: ergo nullum est Sacramentum, in quo non sint res, & verba. Præterea, quia omnia Sacramenta novæ legis perficiuntur rebus, & verbis, ut Baptismus, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Eucharistia itidem constat ex rebus, & verbis; de reliquis itidem Sacramentis liquet, constare ex rebus, & verbis. Si dicas, Sacramentum pœnitentiæ constare tantùm ex verbis Sacerdotis absolventis, & pœnitentis, confitentis sua peccata; consequenter non omnia Sacramenta constare ex rebus, & verbis. Contra est, negatur antecedens, quia verba ex parte pœnitentis concurrunt tantùm ut peccata; & internus dolor etiam constituitur in esse sensibili per ipsa verba, & alia signa externa, ut sunt tunsio pectoris, lacrymæ, verba, quæ propterea æquivalent rebus, ex parte pœnitentis, & sunt materia hujus Sacramenti, & verba Sacerdotis absolventis sunt forma. Præterea contritio est vera pars hujus Sacramenti, etiam ut distinguitur à Confessione, ratione cujus fit sensibilis; unde ex hac etiam parte Sacramentum pœnitentiæ constat ex rebus. Sed dices, matrimonium posse perfici solis rebus, non verbis, quia in eo tantùm requiritur consensus mutuus, qui potest haberi sine expressis verbis; præterea muta fœmina potest nubere muto viro, & neuter posset verba proferre: ergo sine verbis potest matrimonium perfici. Quinimo potest matrimonium contrahi per solam copulam carnalem factam affectu maritali: ergo saltem matrimonium constat ex solis rebus sine verbis. Ad hanc difficultatem solvendam variè solent Theologi respondere; Medina, Soto, Vasquez, & alii respondent, corpora contrahentium esse materiam hujus Sacramenti, & mutuum consensum esse formam: sed hæc sententia patitur difficultatem; quia corpora contrahentium sunt tantùm materia remota, perinde ac in Baptismo aqua, non verò materia proxima, quæ in omnibus Sacramentis est cæremonia aliqua. Alii dicunt, consensum mutuum contrahentium esse in hoc Sacramento rem, & externam expressionem mutui consensûs esse formam. Verum nec huic sententiæ putarim adhærendum esse, quia tota materia Sacramenti non potest esse aliquid purè internum, & insensibile; alioquin possemus dicere consensum internum Episcopi ordinantis esse materiam Sacramenti ordinis, & externum esse formam, quod est falsum. Melius videtur dicendum, consensum mutuum conjugum consideratum sub diverso respectu esse materiam, & formam Sacramenti matrimonii, scilicet formam sub uno respectu, & materiam sub alio: siquidem traditio corporum sumpta seorsim ab acceptatione minus expresè significat unionem Dei cum Ecclesia; & materia est mutua traditio corporum; in illo autem actu, quo uxor consentit in matrimonium, possunt distingui duo actus, quorum primus: dico, volo esse tua; secundus volo, ut tu sis meus; posito primo actu non intelligitur unio esse integra; sed posito secundo intelligitur esse integra, seu consummata: unde traditio, seu oblatio corporum est materia; acceptatio autem mutua est forma. Præterea posset responderi, matrimonium posse perfici sine verbis materialiter sumptis, quatenus dicunt sonum vocis; non verò sine verbis sumptis æquivalenter, seu sine forma verborum, scilicet significatione ex animo conceptum: quia hæc significatio non solum reperitur in verbis, sed etiam in Scriptura, & nutibus, proinde rectè possunt succedere loco verborum. Instabis, ex eo, quòd Sacramentum pœnitentiæ constet ex verbis, non possunt loco verborum adhiberi nutus, alioquin non conficeretur Sacramentum: ergo à pari, si Sacramentum matrimonii constaret ex verbis, non possent adhiberi nutus. Sed contra, negatur consequentia, quia in matrimonio contractus humanus elevatus est ad esse Sacramen-

tùm, sed simul conservat rationem humani contractûs naturaliter initi, ac celebrati; & ex vi institutionis potest fieri Sacramentum eo modo, quo potest contractus naturaliter celebrari. Secus in Sacramento pœnitentiæ judicium non est elevatum, sed instituta est nova forma judicii, quæ est omnino servanda, & quia est instituta cum verbis, non possunt hæc in Sacramento pœnitentiæ mutari: unde constat omnia Sacramenta novæ Legis constare ex rebus, & verbis, saltem æquivalenter, & virtualiter; adeo ut Sacramenta componantur ex rebus ut materia, & verbis ut forma, ut fuit declaratum in Concilio Florentino in decreto fidei. Ratio est, quia res, & verba non nisi moraliter uniuntur ad conficiendum unum signum sensibile sanctificativum: & verba ex vi suæ significationis determinant res, quapropter aqua in Baptismo determinatur ex verbis ad significandam ablutionem Sacramentalem: ergo cùm in hac unione verba se habeant, ut determinativa, & ut determinabiles, sequitur manifestè verba habere rationem formæ, & res esse materiam. Quinimò ita Sacramenta componuntur ex rebus ut materia, & verbis ut forma, ut in utrisque fundetur significatio Sacramentalis, quia res, & verba constituunt unicum signum significativum, & causativum gratiæ; propterea significatio Sacramentalis, cùm sit propria totius Sacramenti, fundatur in utrisque. Quòd si dicas materiam, & formam in composito debere esse simul: & in Sacramentis res, & verba plerumque non esse simul, quia in Sacramento Pœnitentiæ potest dolor, seu contritio absolutionem præcedere, ut etiam Confessio peccatorum præcedit: ergo res non sunt materia, nec forma. Sed contra, quia sicut in composito physico materia, & forma debent simul esse physicè; ita in composito morali sufficit, si sint simul moraliter; sed Sacramenta sunt composita tantùm moralia, ergo sufficit, si moraliter sint simul verba, & res. Si dicas, ablutionem Baptismi includere totam significationem; proinde falsum esse omnia Sacramenta constare ex verbis ut forma. Contra est, negatur consequentia, quia infusio aquæ non solùm potest fieri ad abluendum, sed etiam ad refrigerandum, vel ad alios effectus, ut per se liquet: ergo debent adhiberi verba, quæ determinant finem ablutionis, & quòd hæc ablutio ordinetur ad abluendam animam: consequenter in Baptismo præter ablutionem adhuc requiruntur verba, per quæ ablutio determinetur ad abstergendam animam, & ad talem particularem ablutionem. Hinc inter materiam, & formam Sacramenti requiritur necessariò unio quædam moralis, seu talis propinquitas, ut ex modo, quo fit, intelligatur materia per formam determinari, juxta regulas prudenter agendi. Quia tunc in re morali materia, & forma censentur uniti, quando forma juxta communem agendi modum cadit supra talem materiam; sed si adsit hæc propinquitas, forma cadit supra talem materiam: ergo hæc moralis propinquitas est sufficiens, ut ex materia & forma dicatur Sacramentum constitui. Non tamen hæc propinquitas est æqualis in omnibus Sacramentis; quia in Sacramento pœnitentiæ, quod exercetur per modum judicii, potest absolutio post diuturniorem aliquam moram temporis proferri, quæ tamen diuturnitas redderet Baptismum invalidum quia in Baptismo materia est ablutio facta à ministro, quæ ablutio significatur per verba formæ: unde si separentur tempore forma, & ablutio non significaretur; hanc fieri à ministro: Unde in Sacramento Baptismi requiritur major propinquitas, quàm in Sacramento pœnitentiæ. Ratio est, quia in judicio accusatio potest, imo, & debet sententiam judicis præcedere.

Rursus præter res, & verba, seu materiam & formam, requiritur etiam intentio Ministri, quæ tamen non potest dici pars Sacramenti; quia si intentio Ministri esset pars intrinseca Sacramenti, prout hoc dicit quandam analogiam cum composito physico; vel esset materia, vel forma, sed neutrum dici potest, quia ut fuit declaratum in Concilio Florentino, res sunt materia; & verba sunt forma: sed intentio ministri distinguitur à rebus, & verbis: ergo non sunt de ratione intrinseca Sacramenti, quatenus hoc dicit analogiam cum composito physico. Præterea si intentio ministri esset pars componens Sacramentum, intentio adulti suscipientis Sacramentum deberet itidem esse pars intrinseca Sacramenti: quia eatenus intentio ministri est pars Sacramenti, quia illâ sublatâ, & positis omnibus, tollitur Sacramentum, ut asserunt dicentes, intentionem ministri esse partem Sacramenti; sed pari pacto positis omnibus aliis requisitis, & tantùm sublata intentione adulti suscipientis Sacramentum, tollitur ipsum Sacramentum: ergo ex eadem ratione sequeretur, intentionem adulti suscipientis Sacramentum esse partem Sacramenti. Rursus si hæc ratio valeret, inde sequeretur, quòd etiam potestas ordinis esset pars componens Sacramentum Eucharistiæ: ut etiam potestas jurisdictionis esset pars componens Sacramentum pœnitentis, quia sine potestate ordinis non datur Eucharistia, ut nec etiam sine jurisdictione non datur Sacramentum pœnitentiæ, quæ omnia falsa sunt, neque ab Adversariis conceduntur.

Cæterum in omnibus, ac singulis Sacramentis semper reperiuntur hæc tria: Primo Sacramentum tantùm. Secundò res Sacramenti tantùm. Tertiò Sacramentum, & res Sacramenti simul, ut docent communiter Theologi cum D. Thoma 3. part. quæst. 48. art. 1. ad 3. In quolibet enim Sacramento, Sacramentum tantùm est materia, & forma, quæ significant, non significantur: res Sacramenti tantùm est gratia, quæ significatur, & non significat, Sacramentum, & res Sacramenti simul in iis, quæ imprimunt characterem, est ipse character, qui significatur, & non significat: in Eucharistia est Corpus Christi, quia significatur per species, & significat gratiam: in matrimonio indissolubilitas vitæ, seu individua consuetudo vitæ, quia significatur per materiam, & formam, & significat unionem Christi cum Ecclesia: in Sacramento pœnitentiæ est dolor internus, qui significatur per externam Confessionem, vel tunsionem pectoris, vel per alia signa externa; & significat gratiam: In Sacramento extremæ unctionis est interna lætitia, vel sanitas corporis, quæ est effectus hujus Sacramenti, si animæ expedierit, & significatum per formam, & significat animæ sanitatem. Hinc constat, omnia Sacramenta coalescere ex rebus, & verbis, ut ex partibus componentibus, & essentialibus, quia id pertinet intrinsecè ad constitutionem Sacramenti, quod habet significationem gratiæ Sacramentalis, quæ cùm sit practica, dicit esse instrumentum gratiæ, consequenter illud totum constituit intrinsecè Sacramentum

mentum, quod eſt inſtrumentum cauſativum gratiæ: Sed tam res, quàm verba ſunt cauſativa gratiæ per modum inſtrumenti moraliter: ergo ſunt partes eſſentiales Sacramenti. Minor oſtenditur: quia illud totum habet rationem inſtrumenti, quod ex inſtitutione Chriſti eſt ordinatum, ut ſignum ſenſibile ad ſanctificandum: ergo ſunt inſtrumenta cauſativa gratiæ, proinde partes eſſentiales Sacramenti. Præterea intrinſecum conſtitutivum Sacramentorum, quod habetur per verba conſiſtere formaliter in illa morali determinatione, quâ res determinantur, ut ſtant ſub tali ſignificatione Sacramentali, quia verba concurrunt ad Sacramenta in ratione formæ determinantis; & res ut ſint materia Sacramentis determinabilis per formam: ergo verba concurrunt per id, quod eſt formale determinativum: ſed formale determinativum eſt illa determinatio, quæ conſurgit ex verbis, & conjungitur cum rebus: unde conſtitutivum intrinſecum Sacramentorum, quod habetur à verbis, conſiſtit formaliter in illa morali determinatione, quâ res ipſæ determinantur, ut ſint ſub tali determinatione Sacramentali. Quòd ſi dicas, determinationem eſſe effectum formalem formæ, conſequenter verborum, proinde verba ſecundùm ſuum eſſe conſtituere intrinſecè Sacramenta. Contra eſt, quia effectus formalis eſt moralis determinatio, conſequenter non ſunt verba. Si urgeas, hanc determinationem haberi formaliter per verba, eò quia ſit in ratione ſignificationis. Contra, quia determinatio eſt in ratione ſigni ſignificativi, & ſignificationis Sacramentalis, proinde in genere efficientis in ordine ad gratiam; ſignificatio autem verborum eſt in ordine ad objectum: ex quo conſtat eſſe diverſam naturalem ſignificationem verborum, & ſignificationem Sacramentalem: ergo cùm ſignificatio Sacramentalis coaleſcat ex verbis, & ſit magis intrinſeca, ſequitur, quòd per ipſam conſtituatur Sacramentum.

Contra Sectarios, præſertim Calvinum quæri ſolet, an verba Sacramentorum ſint concionanda; vel conſecratoria. Obſervandum eſt, verbum aliud dici concionatorium, & aliud conſecratorium; hoc eſt, quod habet vim ſaltem moraliter ſanctificandi; illud verò, quod ordinatur ad inſtruendum populum. Tametſi populi debeant erudiri circa res fidei; non tamen hæc eruditio eſt pars eſſentialis Sacramenti, alioquin non eſſet unum baptiſma, contra illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Una Fides, unum Baptiſma.* Quapropter aſſerendum eſt verba, quibus conficiuntur Sacramenta, eſſe conſecratoria, non concionatoria, contra errorem Calvini; & hæc veritas Catholica evincitur ex Baptiſmo, qui confertur pueris, qui cùm baptizantur, non ſunt capaces percipere verba concionatoria. Secundò ex doctrina Eccleſiæ, quæ ſemper Baptiſmum probavit à quocunque verbis Evangelicis, ſeu in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti collatum, quamvis nulla concio haberetur. Tertiò etiam probatur ex Baptiſmo Hæreticorum, quem ratum eſſe definivit Eccleſia adverſus Donatiſtas, quamvis Hæretici illud conferentes veram Fidem, & doctrinam, adeoque veram prædicationem non habeant. Quartò quia aliud eſt miniſterium concionandi, & aliud baptizandi, ut declarat Apoſtolus 1. Corinth. 1. Non enim ait: *Miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Quintò quia idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 16. Euchariſtiam vocat calicem Benedictionis, non calicem concionis, quia myſticis verbis Chriſti Sanguis conſecratur. Sextò, quia verba ſolemnia, quibus perficitur Baptiſmus, ſunt verè conſecratoria, non concionatoria, ut docet D. Auguſtinus, licèt ejus authoritate Calvinus abutatur, etenim lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 14. loquens de Catechumeno, qui in cujuſdam Hæretici librum incidens errorem neſciens hauſit contra Fidem, & in ea falſitate Fidei baptizatus fuerat, denuò baptizandum eſſe negat Auguſtinus, eò quia Sacramentum Baptiſmi ſemper conferat ſuam ſanctitatem, volentibus hoc Sacramentum ſuſcipere: ait ipſe lib. 3. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 14. *Quia illa ſanctitas Sacramenti verbis Evangelicis conſecrata ſuper eum integra permanebat, ſicut eam traditam acceperat, quamvis ipſe in carnalis mentis vanitate conſtitutus, aliud cum baptizaretur crederet, quam credere debuiſſet. Quapropter manifeſtum eſt fieri poſſe, ut fide non integra integrum in quoquam maneat Baptiſmi Sacramentum.* Et cap. 15. *Quamobrem ſi Evangelicis verbis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus Fides aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.* Et lib. 6. cap. 25. *Plerumque precis vitium ſuperat precantis affectus, & certa illa Evangelica verba, ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari, tantùm valent, ut per illa ſic evacuentur, quæcunque in prece vitioſa contra Regulam Fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur. DEUS adeſt verbis Evangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt: & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum, ut homini, ſive antequam baptizetur, ſive cùm baptizatur, ſive poſtea quandoque ad ſe veraciter converſo id ipſum valeat ad ſalutem, quod ad perniciem niſi converteretur, valeret. Cæterum quis neſciat, non eſſe Baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica, quibus ſymbolum conſtat illic defuerint, ſed facilius inveniuntur Hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent, ideoque dicimus non omnem Baptiſmum (nam in multis idolorum ſacrilegis ſacris baptizari homines perhibentur) ſed Baptiſmum Chriſti, id eſt, verbis evangelicis conſecratum, ubique eundem eſſe nec hominum quorumlibet, qualibet perverſitate violari,* hactenus Auguſtinus. Ratio itidem eſt, quia Chriſtus Matth. ult. juſſit Baptiſmum conferri in nomine Trinitatis, & quando inſtituit Euchariſtiam, protulit determinata verba, quibus panem effecit ſuum corpus. Tum quia in Sacramento Pœnitentiæ non poſſunt remitti peccata ſine verbis, quibus pronuncietur ſententia remiſſionis, ergo ad conficienda Sacramenta requiruntur verba conſecratoria, quæ non proferantur merè recitativa, & concionatoriè, ſed conſecratoriè. Quòd ſi objicias, D. Auguſtinum Tract. 80. in Joan. ubi videtur docere verbum, quo fit Baptiſmus, eſſe tantùm concionale ait: *Unde eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo: non quia dicitur, ſed quia creditur?* & huc etiam pertinet illud Apoſtoli ad Roman. 10. v. 8. ubi ait: *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus,* ubi etiam Apoſtolus videtur, verba Sacramentorum adhibere concionatoriè, non verò conſecratoriè.

Digitized by Google

toriè, ſed contra, quia ſenſus Auguſtini eſt, ut verba operentur, non quia dicuntur, hoc eſt ſecundùm id, quod habent naturaliter, & auribus inſonat: ſed quia creduntur, vel quia habent virtutem, quam fide attingimus, quapropter Auguſtinus ſubdit, aliud eſſe ſonum, & aliud virtutem manentem, ait enim: non quia dicitur, id eſt, non ſecundùm exteriorem ſonum vocis, ſed quia creditur, id eſt, ſecundùm ſenſum verborum, qui fide tenetur, quapropter ibidem addit: *Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, & aliud virtus manens.* Ad aliud quod addebatur ex Apoſtolo ad Roman. 10. *Hoc eſt verbum Fidei, quod prædicamus*, inde non ſequi verba, quibus perficitur Baptiſmus, verè concionatoria eſſe, ſed conſecratoria: quia probandum ſibi ſumit omnia, quæ ſpiritualiter mundantur; verba mundare vel extra Sacramentum per Fidem prædicationis, vel etiam in Sacramentis per verborum Sacramentalium, quæ loco formæ adhibentur, efficaciam, quæ verbis non convenit ratione ſoni tranſeuntis, ſive prolationis ſenſibilis, ſed ratione ſenſus ſpiritualis, propter quem inſtituta ſunt, & qui objectum eſt Fidei. Mens igitur D. Auguſtini ex toto contextu ſatis clarè conſtat, explicat enim verba Chriſti Joan. 15. 3. *Jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis.* Ait Auguſtinus: Quare non ait: mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis, ſed ait: propter verbum, quod locutus ſum vobis: niſi quia, & in aqua verbum mundat, detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes Diſcipulis lavit, qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus, unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo: non quia dicitur, ſed quia creditur? nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt, verbum Fidei, quod prædicamus, ait Apoſtolus: quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt JESUS, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Unde in actibus Apoſtolorum legitur Actor. 15. 9. *Fide mundans corda eorum*, & in epiſtola ſua 2. Petri 3. v. 21. ait Petrus: *Sic & vos ſalvos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio.* Hoc eſt verbum Fidei, quod prædicamus, quo ſine dubio, ut mundare poſſit, conſecratur, & baptiſmus. Chriſtus quippe nobis vitis cum Patre agricola dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea. Lege Apoſtolum, & vide quid adjungat: ut eam ſanctificaret, inquit: Mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo. Hoc verbum Fidei tantùm valet in Eccleſia Dei, ut per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundat infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis. Hactenus Auguſtinus.

C A P U T X.

An materiæ, & formæ Sacramentorum ſint à Chriſto determinatæ.

NEgant Sectarii, præſertim Calvinus, & Beza materias, & formas omnium Sacramentorum fuiſſe à Chriſto determinatas, ſententia enim Catholicorum eſt, Chriſtum revera ſingulorum Sacramentorum materias, & formas per ſe ipſum determinâſſe, adeo ut, ſi quis aliud uſurpet, quòd Chriſtus non determinaverit, nil prorſus efficiat. Juvat adnotare dupliciter poſſe Chriſtum materias, & formas Sacramentorum determinare. Primò tantùm genericè, ut ſi dixiſſet, volo, ut in tali Sacramento, verbi causâ in pœnitentia, materia ſit dolor de peccatis, ſive actus doloris, forma contritio ſit, ſive attritio; in Sacramento Ordinis ut materia, & forma ſit ſignum aliquod, quo denotetur traditio poteſtatis in reale corpus Chriſti, & in corpus myſticum. Secundò ſpecificativè, ſi dicat, volo, ut aqua elementalis ſit materia Baptiſmi, & oleum materia extremæ Unctionis. Rurſus materia, & forma Sacramentorum à Chriſto inſtitutæ, dupliciter mutari poſſunt; primò proximè, ſi Eccleſia diceret, nolo ut contractus aliquis, tametſi validus, ſit materia Sacramenti matrimonii. Secundò tantùm remotè, ut ſi Eccleſia diceret, ego ſtatuo, ut conſenſus cui talis conditio deerit, ut ſi non adfuerit Parochus & duo teſtes, contractus non ſit validus, conſequenter non ſit ſufficiens materia Sacramenti.

Aſſerendum eſt, nullum eſſe Sacramentum novæ legis, cujus materiam, & formam Chriſtus non determinaverit ſaltem genericè, adeo ut res ſubſtantialiter diverſæ adhibeantur, aut diverſa verba, tollatur totum Sacramentum, ut docet D. Thomas quæſt. 6. art. 5. quia certum eſt, aquam, ſeu materiam Baptiſmi determinatam fuiſſe à Chriſto Joan. 3. ubi ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI:* Materiam Euchariſtiæ etiam Chriſtus determinavit, cùm panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuum conſecrata tradidit Apoſtolis, & præcepit idem fieri in ſui memoriam, Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Rurſus materia extremæ Unctionis determinata explicatur in epiſtola Catholica Sancti Jacobi cap. 5. v. 24. materiam Confirmationis ex parte etiam explicat S. Lucas in Actis Apoſtolorum Actor. 8. 17. ubi Spiritum Sanctum per manûs impoſitionem Apoſtolorum Petri, & Joannis datum teſtatur iis, quos Philippus Diaconus baptizaverat. Determinatam materiam Sacramenti Ordinis, ſeu impoſitionem manuum indicat S. Paulus 1. ad Timoth. 4. 14. Et cæteræ materiæ, & formæ à Chriſto inſtitutæ, habentur ex traditione non ſcripta, & doctrina Eccleſiæ, & uſu inolito. Convenientem hujus determinationis rationem affert S. Thomas 3. part. quæſt. 60. artic. 5. ex eo petitam, quia in uſu

in uſu Sacramentorum duo conſiderari poſſunt, ſcilicet cultus divinus, & hominis ſanctificatio, quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum: alterum pertinet ad Deum per comparationem ad hominem: ſed non pertinet ad aliquem determinare id, quod eſt in alterius poteſtate; ſed ſolùm, quod eſt in ſua poteſtate, ait D. Thomas: *Quia ergo ſanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei ſanctificantis, non pertinet ad hominem ſuo judicio aſſumere res, quibus ſanctificetur; ſed hoc debet eſſe ex divina inſtitutione determinatum, & ideo in Sacramentis novæ legis, quibus homines ſanctificantur ſecundum illud, 1. ad Corinth. 6. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, oportet uti rebus ex divina inſtitutione determinatis.*

Quòd præter materiam ſit etiam à Chriſto determinata forma, ſeu verba determinantia materiam, ex eo liquet, quia determinata verborum forma Chriſtus conferri juſſit Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In Sacramento Euchariſtiæ verba itidem determinata ſunt à Chriſto, cum dixit: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum,* Matth. 26. Rurſus aliorum Sacramentorum formas ex non ſcripta traditione, & Eccleſiæ doctrina, uſſique habemus, Quas paſſim Patres ſcripto prodere noluerunt, ne ſecretiora noſtræ religionis myſteria in notitiam infidelium devenirent, à quibus ignorantibus haberentur ludibrio, ac contemptui: hæc eſt ratio, ait D. Baſilius, cur Apoſtoli arcana noſtræ fidei myſteria plura ſine ſcripto per ſolam traditionem non ſcriptam voluerint in ſucceſſores, & poſteros derivari, ait ipſe libro de Spiritu Sancto cap. 27. *Quia optimè noverant arcanorum venerationem myſteriorum ſilentio conſervari. Nam quæ nec intueri fas eſt, non initiatis, quomodo conveniebat horum doctrinam publicè ſcripto circumferri:* & ut permiſit aditum ad Sancta Sanctorum uni Pontifici apud Hebræos ſemel in anno permiſſum; ad majorem venerationem illis conciliandam; quia res uſu tritæ facilè in contemptum veniunt; quæ verò raræ ſunt in admiratione, & pretio eſſe ſolent, ſubdit: *Ad eumdem profectò modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres in occulto, ſilentióque myſteriis ſuam ſervavere dignitatem. Neque omnino myſterium eſt, quod ad vulgi aures effertur. Hæc eſt ratio, cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgò veniret in contemptum.* Huic conſtantiæ adhæret D. Ambroſius lib. de iis, qui myſteriis initiantur cap. ult. ubi ad rem noſtram ait: *Signatum debere manere myſterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio caſtitatis; ne divulgetur, quibus non convenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Bona debet ergo fidei tua eſſe cuſtodia, ut intemerata vitæ, ac ſilentii integritas perſeveret.*

Ratio itidem ſuadet proprias materias, & formas eſſe à Chriſto determinatas ſaltem genericè: quia inſtitutio eſt menſura Sacramentorum: ſed ex inſtitutione conſtat, determinari certas res pro materia cujuſlibet Sacramenti, ut de Baptiſmo Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.* De Pœnitentia Joannis 20. *Quorum remiſeritis peccata.* De Euchariſtia Matth. 26. *Accepit JESUS panem.* De extrema Unctione Jacobi 5. *Ungentes eum oleo.* De Ordine 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Preſbyterii.* De reliquis Sacramentis etiam liquet, ut paulò ſuperiùs oſtendimus. Præterea Concilia perſæpe judicarunt de veritate, aut falſitate Sacramentorum ab Hæreticis collatorum, & materiis, ac formis, quas uſurpare conſueverant: etenim in Concilio Nicæno Can. 19. reprobatur Baptiſmus Cataphrygorum, & Pauliniſtarum, quia non ſervaretur præſcripta forma à Chriſto. In Concilio Arelatenſi I. jubetur, ut Ariani redeuntes ad Eccleſiam interrogentur, quâ formâ uſi ſint in Baptiſmo. Hæc autem ratio nullius eſſet roboris, ſi formæ Sacramentorum non eſſent à Chriſto determinatæ: ergo nullum eſt Sacramentum, cujus materiam, & formam ſaltem genericè Chriſtus non determinaverit; adeo ut ſi adhibeantur res ſubſtantialiter diverſæ, vel diverſa verba, tollatur totum Sacramentum. Præterea quia hoc idem docuerunt SS. Patres, D. Auguſtinus lib. 6. contra Donatiſtas cap. 25. ubi ait: *Certa ſunt verba Evangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus.* Damaſcenus lib. 4. de fide: *Quæ forma verborum in Sacramento adhibenda ſit, Dominus expoſuit, dicens: Baptizantes eos &c.* D. Dionyſius itidem cap. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ notat materias omnes, & formas Sacramentorum expreſſas haberi partim in ſcripturis, & partim ex traditione. Rurſus hoc idem confirmat uſus Eccleſiæ, quæ in iiſdem materiis, & formis nihil unquam immutavit ſubſtantialiter, ſed ſemper religioſiſſimè, quæ fuerunt ab initio præſcripta, ſervavit; & ſi aliqua accidentalia pro varietate temporum judicavit eſſe immutanda, id ſemper præſtitit ſalvâ Sacramentorum ſubſtantia, ut colligitur ex Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. Ratio itidem eſt, quia ſolus Chriſtus potuit dare rebus, & verbis vim ſignificativam, & cauſativam gratiæ, & figuræ: unde conſultius fuit, ut hoc per ſe ipſum immediate faceret, quàm ut Eccleſiæ hanc impertiret facultatem eligendi, quam voluiſſet materiam, & formam, quibus poſtea ipſe tribueret efficaciam. Quod verò materiæ, & formæ Sacramentorum non fuerint à Chriſto determinatæ, ſecundum rationes accidentales, & ſpecificas; ſed tantùm ſecundùm rationem genericam ex eo liquet; quia in Sacramento Euchariſtico materia eſt panis uſualis, & Eccleſia in Concilio Florentino declaravit ſufficere, ſi ſit panis azymus, vel fermentatus. In matrimonio materia dicitur contractus uſualis; & Eccleſia declaravit talem contractum non eſſe clandeſtinum. In Sacramento pœnitentiæ ſufficere attritionem, vel contritionem. Chriſtus enim inſtituit Euchariſtiam in pane azymo, vel fermentato, & Eccleſia declaravit valide confici in utroque, quamvis Chriſtus in una tantùm ſpecie confecerit: unde Eccleſia poteſt aliquam inducere mutationem accidentalem. Rurſus verba Sacramentorum licet quoad ſignificationem ſint determinata; non tamen quoad modum accidentalem ſignificandi; adeo ut accidentaliter poſſint verba itidem variari, ut liquet in matrimonio, in quo mutuus conſenſus exprimitur diverſis verbis Gallicis, Italicis, Latinis: ut etiam in Baptiſmo, nam Latini dicunt; *Ego te baptizo,* Græci verò: *Baptizetur ſervus Chriſti.* Hinc materia, & forma Sacramenti, quæ alicubi in Eccleſia eſt valida, eſt itidem valida ubique, dummodò non ſit res diverſa ſubſtantialiter. Ratio eſt, quia

Digitized by Google

quia illa materia, & forma sacramentalis valet ubique, quæ vim accepit à Christo significativam, & causativam gratiæ: sed materia, & forma, quæ alicubi valet, est hujusmodi, alioquin nullibi posset causare gratiam, ergo debet ubique valere, hinc non rectè asserunt aliqui, consecrationem fermentati valere apud Græcos, non apud Latinos, nam cum Ecclesia sit unica tantum, & Christus unicam pro tota Ecclesia fecerit institutionem, qua determinavit ea, quæ Sacramentis sunt substantialia, sequitur, quod materia, & forma Sacramenti, quæ alicubi est valida in Ecclesia, valeat etiam ubique, dummodo non sit res substantialiter diversa: quapropter consensus clandestinus est materia valida Sacramenti matrimonii, ubi Tridentinum est promulgatum in sententia plurium, invalida verò, ubi est receptum, quia ubi fuit receptum Tridentinum, talis contractus non est validus. An verò Concilium recipi debeat à tota Ecclesia, putarim recipiendum esse eò, quia Synodus Oecumenica repræsentat totam universalem Ecclesiam.

Quamobrem asserendum est, materiam, & formam omnium Sacramentorum ita esse determinatos à Christo, ut non possint ab Ecclesia mutari proximè, & formaliter, quamvis aliquando mutari possint remote, & materialiter, saltem in aliquo Sacramento, quia Concilium Tridentinum statuit consensum Clandestinum sine præsentia Parochi, & duorum testium, esse invalidam materiam Sacramenti matrimonii, & nihilominus ante Concilium Tridentinum consensus clandestinus erat materia valida matrimonii, sed ex hoc, quod Concilium effecerit, ut consensus clandestinus esset materia invalida Sacramenti matrimonii nonnisi remotè, & materialiter mutavit materiam hujus Sacramenti, non verò formaliter, & proximè, quia tunc materia & forma matrimonii dicerentur mutari formaliter, & proximè, si Ecclesia efficeret, ut contractus legitimus ad translationem juris in corpora utriusque contrahentis non esset materia valida hujus Sacramenti: Ecclesia autem hoc non fecit, nec potuit facere, quia hunc solum consensum voluit Christus esse legitimam materiam hujus Sacramenti, nil aliud statuendo circa eam, tunc verò dicuntur materia & forma mutari tantùm remotè, & materialiter, si consensus præstitus sine hac, vel illa peculiari conditione reddatur contractus omnino invalidus ad obligandum contrahentes: sed hoc solum præstitit Ecclesia, & potuit facere, quia in rebus moralibus, & politicis, potest Princeps ob bonum communitatis, & ad evitanda mala addere conditionem aliquam, huic contractui, cujus defectu redderetur illegitimus, ut passim contingit in aliis contractibus testamentariis, & condonationum: & cùm matrimonium sit verus contractus, potuit Ecclesia matrimonium reddere invalidum ex defectu conditionis, quam statuit esse necessariam, ut contractus sit obligatorius: ergo Ecclesia materialiter tantum, & remotè potest mutare materiam, & formam Sacramenti, non verò formaliter, & proximè.

Dices, in Sacramento ordinis Christus etiam genericè materiam, & formam non determinavit, quia sub primis Ecclesiæ initiis Diaconi per solam manuum impositionem ordinabantur, & id etiam nunc in Ecclesia Græca usurpatur: sed in Ecclesia Latina nunc ordinantur Diaconi per traditionem Libri Evangeliorum, & formam illi correspondentem: hoc autem valere non poterat, antequam Evangelia scriberentur, ac divulgarentur ab Evangelistis. Rursus Presbyteris conferebatur etiam Sacerdotium, ut etiam nunc confertur apud Græcos Catholicos per manuum impositionem supra caput, in Ecclesia verò Latina confertur idem Ordo per traditionem panis, & vini, quæ sunt materiæ substantialiter diversæ, ergo videtur ex hoc sequi, Christum nec genericè determinasse materiam, & formam Sacramenti Ordinis. Sed contra, quia, ut respondet Bellarminus lib. de Ordine cap. 9. Est essentialiter idem ritus Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ in Sacramento Ordinis, in quo Christus non determinavit materiam, & formam materialiter sumptas, sed tantùm formaliter, quia voluit Sacramentum istud conferri per aliquod signum sensibile significativum potestatis, quæ traditur, & per verba hoc ipsum exprimentia. Hoc autem signum sensibile apud Græcos est sola manuum impositio cum verbis significativis hujus potestatis traditæ: apud Latinos est impositio manuum, & traditio panis, ac vini cum verbis proportionatis; non quod hæc materia differat substantialiter ab illa, quam usurpant Græci; sed quia solùm magis explicitè designat eam traditionem potestatis, quam omnino ritus Græcus significat, sed minùs distinctè: quamobrem hæ duæ materiæ nonnisi accidentaliter differunt, quatenus Ecclesia Latina præter impositionem manuum, quæ posset sufficere, voluit, ut integra materia hujus Sacramenti esset primo una manuum impositio cum traditione panis, & vini, & forma significante potestatem sacrificandi: & iterum altera impositio manuum cum potestate absolvendi à peccatis. Si dicas, unam tantùm manuum impositionem apud Græcos esse materiam sufficientem: consequenter hanc eandem etiam sufficere apud Latinos, proinde post primam manuum impositionem esse sufficienter ordinatum Presbyterum etiam secundum utramque potestatem sacrificandi, & remittendi peccata, respondetur, id verum quidem esse, si primæ manuum impositioni applicaretur forma significans utramque potestatem; sed quia id non fit, ideo Presbyter per solam primam manuum impositionem non est adæquatè ordinatus, sed tantùm post secundam, cui applicatur forma significans potestatem remittendi peccata. Pari pacto in ordinatione Diaconi facta manuum impositione, licèt dicatur: *Accipe Spiritum Sanctum ad resistendum Diabolo*, quia verò hæc forma non sufficit, utpote nimis universalis, nec satis determinatè significans potestatem illam, donec tradito libro evangeliorum dicatur: *Accipe potestatem legendi Evangelium*, ideo Ecclesia Latina per traditionem libri Evangeliorum, & formam illi correspondentem vult Diaconos ordinari.

CAPUT XI.

Qualisnam mutatio in materia, & forma irritet Sacramentum.

Quia Christus determinavit materias, & formas Sacramentorum, inde sequitur, quamlibet mutationem factam in illis, scilicet materia, & forma, ut institutis à Christo esse substantialem, ac irritare Sacramentum. Mutatio substantialis materiæ fit, cum alterius speciei res sensibilis ad conficiendum Sacramentum adhibetur, quam à Christo præscripta sit, ut si aqua artificialis, aliusque liquor ad Baptismum; acetum, aut liquor ex uvis, ab herbis expressus, panis horteaceus, vel massa farinæ non cocta ad Eucharistiam conficiendam usurparetur. Mutatio accidentalis materiæ est alteratio, qua species elementi sensibilis à Christo præscripti non solvitur, ut si sol vel cinis in aquam injiciatur, vel fermentum immisceatur farinæ, ex qua conficitur panis, quapropter Baptismus in aqua marina, vel nivea, aquis mineralibus collatus validus est, ut etiam valida panis fermentati consecratio. Mutatio verò substantialis formæ ea est, qua verborum sensus tollitur: talis erat mutatio, quam invexerat Secta quædam Valentinianorum Hæreticorum, à qua adhibebatur in Baptismo hæc forma, ut referunt S. Irenæus lib. 1. cap. 18. & Eusebius lib. 4. histor. Eccles. cap. 11. scilicet: *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium Matre, in eo, qui descendit in Jesum.* Mutatio verò accidentalis, quæ contingit in forma, est, qua verba mutantur, integro tamen sensu remanente, ut si in forma Sacramenti Eucharistiæ, quæ est: Hoc est enim corpus meum, particula illa causalis *enim* omitteretur, vel etiam pronomen *ego* in forma Baptismi, vel si lingua vernacula, aut extranea verba Sacramentalia proferantur: vel si intra eandem linguam verba synonyma, seu ejusdem significationis cum illis, quibus Ecclesia utitur, usurpentur, ut si loco hujus verbi te baptizo, diceretur te abluo, & loco verbi illius in Sacramento pœnitentiæ, *absolvo te*, diceretur, *remitto*, vel *condono tibi peccata tua*. Si tamen non sit eadem verborum significatio explicitè, & distinctè: adeóque ex publico, & communi usu tunc substantialis mutatio censenda est, ut si quis dicat in Baptismo: *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*, illud enim nomen Trinitas trium divinarum personarum distinctam invocationem non exprimit, quæ ad perficiendum Baptismum ex Christi institutione necessaria est: pari pacto, si quis dixerit: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & procedentis ab utroque*, censeretur mutatio substantialis: quia licèt Patris, & genitoris, Filii, & geniti, Spiritus S. & procedentis ab utroque sint synonyma ex parte rei significatæ; non ita ex modo intelligendi, & significandi, neque ex publico, & communi usu, ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 40. art. 2. & 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 1. his prænotatis.

Asserendum est primò mutationem essentialem tam in materia, quàm in forma, irritare Sacramentum, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 3. part. quæst. 60. art. 8. & habetur etiam in cap. retulerunt de consecrat. dist. 2. Ratio est, quia Concilium Nicænum Can. 19. decrevit, irritum fuisse Baptismum, ac nullius valoris Paulianistarum, eo quia mutabant veram formam hujus Sacramenti, ut liquet ex Innocentio I. Epist. 22. cap. 5. ex quo constat, mutationem essentialem in forma irritare Sacramentum: quia quoties non fit, quod Christus instituit, nullum conficitur Sacramentum: sed quoties mutantur substantialiter materia, & forma Sacramentorum, prout Ecclesia eas usurpat, non fit, quod Christus instituit: siquidem Ecclesia facit, quod Christus instituit: ergo illa mutatio irritat Sacramenta, quia faciunt, ut materia, & forma, non Sacramenti, non sint, quas Christus instituit; quia Sacramenta non possunt aliter confici, quàm à Christo fuerunt instituta, quia solus potuit Sacramenta instituere, quia in prudentum existimatione non manet amplius eadem res, quæ à Christo fuit assumpta ad significandam, & causandam gratiam. Quòd hæc prudentum existimatio sufficiat, ut res immutata non censeatur eadem, quæ à Christo fuit instituta, ex eo evincitur, quia mutatio essentialis ex genere suo facit aliud secundum essentiam; accidentalis verò alterum: sed quoties secundum prudens judicium non manet eadem res, aut eadem significatio, res, & significatio est alia essentialiter: consequenter non remanet eadem, nec conficitur Sacramentum.

Quod verò, si mutatio sit accidentalis, notabilis tamen reddit mutationem illicitam, & peccaminosam administrationem Sacramenti, quia si mutatio accidentalis sit notabilis, violat grave præceptum Ecclesiæ, violare autem grave præceptum Ecclesiæ, non excusatur à gravi peccato, consequenter talis administratio Sacramenti redditur peccaminosa. Quando verò mutatio accidentalis dicenda sit notabilis, debet id conjectari ex circumstantiis. Quando verò mutatio est substantialis circa materiam Sacramenti, tunc irritatur Sacramentum. Est autem mutatio substantialis circa materiam, quando id, quod usurpatur, non convenit in re, & nomine, cum materia, quam Ecclesia communiter usurpat; siquidem si materia, quæ usurpatur, conveniat in re, & nomine cum ea, quam Ecclesia usurpat, & est eadem substantialis res, ut vinum album, aut nigrum, aqua calida, vel frigida, panis fermentatus, aut azimus non differunt nomine, nec re, consequenter sunt res aptæ, & validæ ad Sacramentum, secus vinum, quod ex vite non esset, nec ex uvis expressum, sed ex pomis, vel aliis fructibus, ut etiam cerevisia, panis ex castaneis compactus, quia differunt re, & nomine, non sunt materiæ sufficientes Sacramentorum, ut nec etiam massa farinæ nondum cocta, quia non dicitur panis, nec est cibus humanus, tametsi panis, & massa cocta non differant essentialiter.

Quòd verò ad mutationem formæ verborum attinet, si mutatio talis sit, ut corrumpat sensum, & significationem verborum tunc talis mutatio censetur essentialis, & tollere valorem Sacramenti, secus si non corrumpat sensum, tunc censetur tantùm accidentalis. Ratio est, quia sensus, & significatio vocum sunt animæ formæ, unde sublato sensu, & significatione tollitur etiam substantialiter ipsa forma. Verùm quia licèt id sit per se notum, adhuc desideratur, ut specialius explicetur, quandonam ita mutetur sensus vocis, & significatio, ut destruat sensum formæ, id operæ pretium est declarare, & quot modis contingat mutari formas vocales Sacramentorum,

torum, & hi modi septem recensentur, quorum primus est totalis mutatio vocum in voces alterius idiomatis, vel in alio synonymas. Secundus est transpositio vocum; tertiùs interruptio. Quartus additio, quintus detractio, sextus corruptio externa, & septimus corruptio purè interna. Unde mutatio totalis vocum in alias synonymas, vel alterius idiomatis non tollunt valorem Sacramenti, quia non mutatur significatio, sive tota forma pronuntietur alio idiomate, sive misceatur partim ex uno, & partim ex alio idiomate, ut communiter docent Doctores cum Cajetano 3. part. quæst. 60. art. 7. circa solutionem 2. quia tunc mutatio est tantùm materialis, & non secundùm significationem, ergo remanet eadem forma secundùm esse formale. Peccaret tamen, qui absque causa verba usurparet alterius idiomatis, tametsi id aliquando possit esse necessarium, ut notat Sà verbo Baptismus cum victoria quæst. 18. de Baptismo, ut in Obstetricibus, quæ baptizant parvulos in necessitate, tunc enim meliùs censetur, ut eos baptizent vernacula lingua, quàm ut latinè pronuntiando pervertant sensum verborum. Mutatio tamen per transpositionem verborum sacramentalium non irritat Sacramentum, si retineatur idem sensus: secus si transpositio pervertat sensum formæ, ut esset hæc transpositio: *Ego in te Patris baptizo nomine*, quia pervertitur sensus formæ, hinc transpositio verborum sacramentalium, quandoque formam substantialem infert, quandoque tantùm accidentariam, & tunc habetur mutatio substantialis, si transpositio tollat sensum locutionis, & accidentale, si non tollat, & id ex communi hominum sensu est judicandum, ut si Minister Baptismi dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Ego te baptizo*, vel Sacerdos Eucharistiam consecrans dicat: *Hoc corpus meum est*, tunc habetur integra forma sacramentalis, quia sensus manet idem: sin verò baptizans dicat: *Patris te ego baptizo in nomine Filii, & Spiritus S.* aut *Filii ego te baptizo in nomine Patris, & Spiritus S.* in istis transpositionibus verborum corrumpitur substantia formæ, quia sensus, propter quem forma verborum sacramentalium instituta, & præscripta est, tollitur, adeoque non perficitur Sacramentum, ut etiam in hac alia transpositione: *Ego in te Patris nomine*: quia sensus formæ pervertitur. Quòd verò ad interruptionem, & mutationem verborum attinet, docent communiter interruptionem notabilem, per quam moraliter intermittitur oratio, ut etiam non notabilem cum protestatione tamen non persequendi orationem irritum reddit Sacramentum, quia tunc significatio non subsistit sine continuatione orationis: si enim mora sit longior pars posterior formæ, non videtur efficere unam orationem moraliter cum priore antea prolata. Quòd si interruptio sit modica, non tollitur unitas orationis, ut si quis dicat: *Ego te baptizo*, & postea conqueratur, aquam esse frigidiorem pro parvulo abluendo, & postea pergat addere: *In nomine Patris &c.* Hinc interruptio verborum interdum mutationem substantialem, & aliquando tantùm accidentariam invehit in formam sacramentalem: est enim mutatio substantialis, si tanta sit, ut intercipiatur intentio pronuntiantis, ac sensus verborum tollatur, ut si quis post prolationem horum verborum, *hoc est corpus*, Psalmum recitet, vel silens longam moram interponat, & postea proferat *meum*, tollitur sensus, alioquin irritum est Sacramentum. Sin verò parva sit interruptio, *quæ intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert*, mutatio tantùm accidentaria est, nec impedit integritatem Sacramenti, ut si Sacerdos Eucharistiam consecrans, postquam dixit: *Hoc est*, sternutaret, & tussiret, & non subjungeret, *corpus meum*, vel postquam dixit: *Ego te baptizo*, silentium injungeret fabulantibus, dicens, parcite vocibus, silete, & statim subjungeret: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quòd verò ad mutationem per detractionem alicujus vocis, ex qua substantialiter non varietur significatio, ut si in forma Baptismi, vel pœnitentiæ omittatur particula *ego*, tunc non censetur mutatio substantialis, quia verbum baptizo, & absolvo, particulam illam sufficienter includunt, secus si omitteretur particula *te*, esset mutatio substantialis, ut etiam in forma Baptismi, quia forma conficit Sacramentum ratione significationis, & sensus, ergo variatio sensus per omissionem verborum Sacramentum irritat, potest tamen omissionem verborum pertinere ad substantiam formæ sacramentalis: & tunc censetur fieri, cum tollitur debitus verborum sensus, ut si alicujus ex tribus personis Sanctissimæ Trinitatis nomen in forma Baptismi omitteretur, irritum esset Sacramentum, quapropter Didimus lib. 2. de Spiritu S. ait: *Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat*, (scilicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) *sine perfectione baptizabit*: pari pacto, si personam baptizati Minister Baptismi non exprimeret pronomen demonstrativum secundæ vel tertiæ personæ, aut nomen proprium omittens, & tantum diceret: *Ego baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, substantia itidem violatur formæ substantialis: & idem judicium ferendum est de omissione pronominis demonstrativi *hoc*, vel *hic*, vel pronominis *meum*, vel *mei*, in forma consecrationis Eucharistiæ.

Additio itidem aliquarum vocum ad verba formæ aliquando destruit verum sensum formæ, & aliquando non, ut si mutatio fit accidentalis, ut si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii sapientis*, tunc forma est valida, secus si dicat: *Ego te baptizo in nomine Majoris, & Filii minoris, & Spiritus S. minimi*, tunc enim forma non esset valida, quia non invocarentur veræ personæ Trinitatis, sed fictè & verba repugnant cum illis particulis *in nomine*, quibus significatur æqualitas personarum. Additio enim verborum, quæ debitum formæ sacramentalis corrumpunt, tollit veritatem Sacramenti, ut si quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris*: sicut olim Ariani quidam baptizârunt: vel: *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*; hæc enim additio collatum Baptisma corrumperet, idque miraculo comprobatum est, Baptismum ita collatum esse irritum, refert enim Theodorus Lector lib. 2. histor. Eccles. *Quòd quidam Deuterius Arianorum apud Constantinopolim Episcopus, cum Barbam ita dictum baptizaret Domini traditionem respuens, ausus est, inter baptizandum dicere: baptizatur Barba in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, quibus prolatis aquam, quæ in piscina erat, statim evanuit: Barba vero confestim inde effugiens, rem cunctis declaravit*: secus si additio ita fiat, ut non auferat debitum sensum, non tollitur Sacramenti veritas, sive fiat in principio, vel in medio, vel in fine formæ sacramentalis, ut si aliquis dicat: *Ego de baptizo in nomine DEI, Patris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Sancti Paracleti*, est verum Baptisma, ut etiam, si quis dicat: *Ego de baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Beata Virgo te adjuvat. Quòd si quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus*

Spiritus Sancti, *ac Beatæ Virginis Mariæ*, non esset Baptismus, quia Christus non instituit sub illa forma, ut nomen invocetur Beatæ Virginis Mariæ, hinc D. Paulus 1. ad Corinth. 1. ait: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis*: & quidem si eodem modo intelligeretur, in nomine Beatæ Virginis baptizare sicut in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quo Baptismus consecratus, utique talis esset contrarius fidei, & Christi institutioni ac tolleret veritatem sacramenti: sin verò ita intelligeretur, non quasi nomen Beatæ Virginis, aliquid operetur in Baptismo, sed ut ejus intercessio prodesset Baptizato ad conservandam gratiam Baptismalem, tunc ut docet D. Thomas, non tolleretur, sacramenti perfectio; unde cum hæc verba, & in nomine Beatæ Virginis includant æquivocationem consultius esset interrogare Ministrum de sua intentione, in quo sensu intelligat præfata verba, quæ cum patiantur plures sensus ad unum illorum determinatur ex intentione proferentis, quod si de intentione Ministri, à quo præfata verba addita sunt, liquidè non constet, dubius est Baptismus, ideoque sub conditione iterum baptizandus esset, qui sub tali formula baptizatus fuit. Quod si additum formæ sacramenti adversetur veritati fidei, si tamen formam non afficiat, nec in eam refundatur, aut ejus sensum variet non tollit veritatem sacramenti: ut si sacerdos Eucharistiam consecrans post prolata hæc verba. *Hoc est corpus meum*, preces aliquas adderet, quæ hæresim continerent, ut si cum Calvinistis diceret, *& illud in cælis ad dextram Patris positum adoramus*, *cujus figuram tantum in terris nobis præbes*, vel hæc alia adderet verba: *Tribue Domine, ut quod ore manducari non potest, fide sumamus*, vel adiungeret hæc alia verba: Quod de cœlo sumptum est, aut quod ubique est; non quasi partem formæ sacramentalis esse vellet, sed ut errorem secum indicaret, aut alios in eandem hæresim pertraheret, vera esset, & valida consecratio, dummodo intenderet facere quod facit Ecclesia alioquin ex defectu legitimæ intentionis irritum esset sacramentum, ut docet D. Thomas quæst. 6 1. art. 1. inquiens: *Si intendat per hujusmodi additionem vel diminutionem alium inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus non videtur, perfici Sacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia.* Cæterum quod preces additæ, & continentes hæresim non irritent sacramentum, nec ejus formam afficiant, & corrumpant, asserit D. Augustinus lib. 6. de baptismo contra Donatistas cap. 25. ubi ait: *Si non sanctificatur aqua cum aliquo erroris verbo per imperitiam peccator effundit multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si à doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem, nunquid si manifestarentur aliqui baptizati, cum illæ preces dictæ super aquam fuissent, juberentur denuò baptizari? quid ita? Quia plerumque precis vitium superat precantis affectus: & quia certa illa evangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur. Nam utique Hæreticus si afferat precem vitiosam, nec habeat bonum charitatis affectum, quo possit illa imperitia superari.* Et paucis interjectis subdit: *Efferat etiam, ut fieri solet aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei (multi quippe irruunt in preces, non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab Hæreticis compositas, & ignorantiæ simplicitate non eas valentes discernere, utantur eis, arbitrantes quod bonæ sint) nec tamen quod in eis perversum est evacuat illa, quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius evacuatur, sicut in ipso homine bonæ spei, & probabilis fidei, sed tamen homine si quid aliter sapit, non inde evacuantur, quæ rectè sapit, donec ei Deus revelet, & quod aliter sapit.*

Ex corrupta verò prolatione verba variantur, sed si adsit intentio significandi, quod intendit Ecclesia, non irritatur sacramentum, ut constat ex cap. *Retulerunt de consecratione cap. 4.* ubi Zacharias Pontifex ad Bonifacium rescribit, validam fuisse hanc formulam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filia, & Spiritua sancta*, quia talis corruptio non tollit significationem; siquidem verba significant juxta intentionem loquentis, quapropter Pontifex prohibuit eos rebaptizari, qui sub hac forma fuerant baptizati ab imperito sacerdote, eò quia habuit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & noluisset errorem introducere nec hæresim, quapropter mutatio illa fuit tantum materialis, non verò quoad significationem: quia verba fuerunt prolata ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & ex tali intentione fuerunt verba illa determinata ad eandem significationem, tametsi quoad sonum fuerunt corrupta. Hinc qui corruptè profert verba sacramentalia, si id ex industria faciat, non videtur sacramentum administrare cum intentione faciendi quod Ecclesia facit, & ita non videtur sacramentum perfici: sin autem id faciat ex errore, vel lapsu linguæ, & corruptio tanta sit, ut sensus locutionis destruatur, ut si loco horum verborum *in nomine Patris*, Minister dicat *in nomine Matris*, vel pro verbo *baptizo* dicat *baptizor*, nullum pariter sacramentum est. Sin verò non penitus auferatur sensus locutionis per hujusmodi corruptelam perficitur nihilominus sacramentum, ut superius ostendimus, quia licet mutetur sensus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Hinc substantiam formæ sacramentalis non mutavit alias Presbyter, qui rusticè hunc in modum baptizavit, *in nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus sancti mergo*, ut respondit Stephanus II. tom. 2. Concil. ad annum 754. *Infantes verò illi*, ait Pontifex, *quos baptizavit, licèt rusticè, quia in nomine Trinitatis sunt baptizati, in eo permaneant baptismo*: Mutatio etiam per corruptionem mere internam, si sola sit nunquam reddit sacramentum invalidum, adeo ut si Minister exterius quidem integre pronuntiet voces, sed interius in sensu hæretico, & falso eas intelligat, vel putet voces quasdam esse essentiales, quæ revera tales non sunt, vel è contra, si tamen adsit intentio vera faciendi id, quod Christus instituit, non tollit valorem sacramenti, quamvis periculum sæpius sit, ne intentio illa irritetur, quia si non adesset vera intentio faciendi, quod Christus instituit sacramentum, nullius esset valoris non ex defectu formæ, sed intentionis: Idque ex eo convincitur, quia Græci sacerdotes ritu græco ordinati verè baptizant, & consecrant, licet errent putantes formam, qua utuntur Latini esse nullam: ergo licet qui baptizat, existimet interius Spiritum sanctum non procedere à Filio, validè tamen baptizat, si habeat intentionem efficiendi, quod Ecclesia efficit, quia error ille non significatur per verba, quibus administrat sacramentum. Præterea sacerdos verè etiam consecraret, si pronuntiaret verba, quamvis pu-

taret, Chriſtum non eſſe in ſacramento niſi figuratè, dummodò haberet intentionem faciendi hoc idem, quod Chriſtus inſtituit. Pari pacto ſiquis calicem conſecraret, & putaret pronomen *hic* ſumi adverbialiter, non irritaret ſacramentum, niſi fortaſſis intenderet expreſsè, illud ſumere adverbialiter. Rurſus ſi corruptio merè interna ſit tantùm accidentalis, non irritatur ſacramentum, tametſi adeſſet animus introducendi errorem, quia intentio introducendi errorem non poteſt tunc eſſe de errore contra ſubſtantiam ſacramenti, quia mutatio eſt tantum accidentalis: ergo non irritatur ſacramentum, quia remanet forma ſecundum illius ſubſtantiam, & etiam adeſt intentio faciendi hoc idem, quod facit Eccleſia.

Sed dices, ſi quis baptizet cum intentione introducendi Arianiſmum, & diceret: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii creati &c.* non conficeretur ſacramentum, & tamen variatio eſſet tantum accidentalis: ergo mutatio accidentalis irritum reddit ſacramentum, ſi adſit animus introducendi errorem. Sed contra eſt, negatur ſecunda pars antecedentis; quia talis variatio eſſet ſubſtantialis, non accidentalis, quia eſſentialiter variaretur ſignificatum; ſcilicet ſecunda perſona SS. Trinitatis, quæ non exprimeretur, cum ſit de eſſentia formæ in ſacramento baptiſmi, proinde variata eſſentialiter forma, variatur etiam ipſa ſignificatio. Dices *ex capite retulerunt de conſecratione diſt. 4.* declaratur validus baptiſmus ſtante accidentali mutatione formæ, quia non adfuit animus introducendi errorem, & mutatio verborum eſt tantum accidentalis, ergo ſi error adfuiſſet), non fuiſſet baptiſmus validus. Sed contra, quia ille baptiſmus fuit validus, quia non adfuit animus introducendi errorem, quatenus mutatio verborum erat talis, ut de ſe patet eſſet eſſentialis, & accidentalis juxta diverſum intentionem loquentis, conſequenter habita fuit, proinde habita fuit pro accidentali, & ſtante intentione faciendi, quod facit Eccleſia, fuit Baptiſmus validus. Denique mutatio formæ de activa in paſſivam, aut de uno in alium modum, ſi ſervetur idem ſenſus, non irritat ſacramentum: quia eo ipſo, quod manet idem ſenſus, fit tantum mutatio accidentalis. Secus mutatio verborum in nutus extra ſacramentum matrimonii eſt mutatio eſſentialis, quæ propterea irritat ſacramentum. Ratio eſt, quia nutus non ſunt ordinati ad ſignificandum, quod ſignificat forma: tum quia ſunt valde confuſi poſſunt applicari ad ſignificanda diverſa, tum quia tantum arguitive inducunt in cognitionem, ex quibus conſtat, mutationem verborum in nutus eſſe eſſentialem. Rurſus mutationem verborum in ſcripturam irritum facit ſacramentum; quia ſacramenta ex inſtitutione ſui conſtant de verbis, ac habetur ex perpetuo uſu, & traditione Eccleſiæ: ſed ſcriptum eſt in diverſo genere à verbis ore prolatis ſiquidem per ſcripturam verba non proferuntur ore, neque ſono vocis explicantur ſed tantum calamo ſcribuntur, conſequenter verba ſcripta nequeunt eſſe forma ſacramenti. Cæterum mutare formas, & materias ſacramentorum nemini ex hominibus licet ex quavis ratione, adeo ut qui ex induſtria vel craſſa negligentia materiam ſic immutaret, ut ſacramentum irritum redderetur, peccaret lethaliter peccato ſacrilegii, quia hæc mutatio redundaret in maximam incuriam Dei authoris ſacramentorum, cujus inſtitutio, & lex contemneretur. Rurſus gravis itidem ſuſcipienti inferretur injuria; quia ſacramenti fructu omni privaretur. Lethaliter itidem peccarent, qui quacunque materiæ, & formæ mutatione ritus novos aut errores ab Eccleſia damnatos inducere intenderet. Neque enim Miniſtros ſacramentorum excuſare poteſt juris ignorantia quia neceſſario ad proprium miniſterium, & officium ſuum ritè obeundum tenentur ſcire. Poſſet tamen à gravi peccato excuſari laicus, qui in neceſſitate baptizans, & ex ignorantia formam ſacramentalem corrumperet, non ita tamen excuſaretur obſtetrix curata eò quia ad munus obeundum obſtetricis non admittitur, niſi probè ſit edocta, & inſtituta ad Baptiſmum in articulo neceſſitatis ſub præſcripta forma verborum conferendum, ut decretis Eccleſiæ injungitur in pluribus Conciliis citatis à Ludovico Bochello, *lib. 2. decretor. Eccleſ. Gallican. lib. 3. de Baptiſmo.* Neque à lethali culpa excuſari poſſet, qui ex induſtria corruptè proferret, ac mutaret verba formæ ſacramentalis, tametſi ſenſus maneret idem, & accidentaria tantum fieret immutatio, idque ratione gravis negligentiæ contemptus vel ſcandali, idque vel maxime ſi corruptio illa vel mutatio notabilis foret: ut ſi quis volens miniſtrare baptiſmum ſciens diceret in *nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta*: vel in conſecratione Calicis omitteret verba illa novi, & æterni teſtamenti myſterium fidei. Sin autem mutatio levis ſit, & non cum plena conſideratione, & deliberatione facta Miniſter poſſet excuſari à lethali, non tamen ſaltem à veniali: neque excuſatur à peccato mortali, qui in adminiſtrandis ſacramentis utitur materia, aut forma dubia, quando habere poteſt certam, & indubitatam, idque ob periculum non conficiendi ſacramentum, qua de cauſa ſacrilegis, & irriſionis rerum divinarum ſe exponit, & hoc caſu habetur regula D. Auguſtini lib. 1. de baptiſ. cap. 3. ubi ait: *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus ex eo ſolo quod certis incerta proponeret*, neque obſtat Opinionis probabilitas, ſiquidem quidquid ſit de probabilitate ſpeculativè ſumpta quod materiæ quædam, & formæ ſufficientes ac legitimæ videantur in ſcholis non tamen probabilitate practica, quia in praxi non eſt probabile, quia prohibitum, & damnatum ab Innocentio XI. Pontifice Maximo anno 1679. die 2. Martii damnavit enim hanc propoſitionem: *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti relicta tutiore, niſi id vetet lex conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione baptiſmi Ordinis ſacerdotalis aut Epiſcopalis.* Cum igitur hæc propoſitio damnata fuerit, ſequitur, in praxi non eſſe probabile in adminiſtratione ſacramentorum uti materia vel forma dubia. Peccant etiam lethaliter, qui modum materiæ, & formæ notabilem, & ab Eccleſia univerſali vel ſua obſervatam non ſervat, ut ſi ſacerdos ex induſtria in miſſæ ſacrificio non miſceret, quam vino, vel ſacerdos Latinus præſumeret in fermentato conſecrare Euchariſtiam, ut etiam Presbyter Græcus in azymo, quia modum notabilem in materia Euchariſtiæ à ſua Eccleſia obſervatum ipſe non ſervaret. Verùm quia Eccleſia Latina eſt univerſalior, & per ſingulas mundi partes perfuſa, & ubiq; conſecrat in azymo cenſeretur excuſatus ſacerdos, Græcus qui in ſuis regionibus in azymo conſecraret, quia ſe conformaret Eccleſia univerſali, proinde laudabiliter potius ageret.

Quod

Digitized by Google

Quod si quæras, cur Christus instituerit sacramenta in rebus, & verbis respondetur, quia id congruum erat, quia cum Verbum junctum esset carni visibili, ita in sacramentis rebus sensibilibus congruum fuerat, ut verba jungerentur; & id etiam exigebat conditio hominis, qui cum sit compositus ex anima, & corpore, ita materia sensibilis sacramenti esse debuit, quia repræsentat corpus: verba autem animum afficiunt ad credendum, juxta illud D. Augustini Tract. 80. in Joan. ubi ait: *Unde est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur.* Rursus hoc idem exigebat significatio sacramenti, quia cum rerum non sit determinata significatio, sicut vocis, eadem enim aqua in caput injecta potest plura significare, scilicet refrigerium, ob suam frigiditatem, humectationem, ob humiditatem: sic per verba accipiunt res determinatam significationem, ut aqua in caput pueri injecta per hæc verba, *Ego te baptizo*, determinatur ad significandam spiritualem ablutionem, & emundationem à peccato. Hinc Augustinus ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Per hæc verba, & ex rebus simul cum verbis habetur integra significatio sacramenti: quia nec res solæ, seu aqua, neque verba sola, scilicet, ego te baptizo adæquatè significant effectum sacramenti, seu ablutionem à peccato, bene tamen, si res, & verba simul jungantur, res enim quia indifferentes, sortiuntur rationem materiæ, quæ ex se, & natura sua indifferens, est ad varias formas: & verba utpote determinantia res ipsas, habent rationem formæ, de cujus ratione est materiam determinare.

Si quæras, quid sint cæremoniæ sacræ componentes aliquo pacto integraliter sacramentum, & an habeant aliquem proprium effectum. Pro declaratione quæsiti præmittendum est, cæremoniam universim vocari actionem quamlibet externam, qua exhibemus honorem Dei: Hæc enim definitio etiam profanis Authoribus innotescit, qui volunt cæremoniæ nomenclaturam à Cære deductam, eò quia in eo primum Numa Pompilius Romana sacra instituerit. Alii etiam volunt cum D. Augustino lib. retract. cap. 37. Etymologiam cæremoniæ desumi à carendo, eo quia pleræque in abstinentia potius sitæ sint. Ratio est, quia cum actus internus virtutis religionis sit velle cultum, & honores exhibere Deo, ut supremo Domino, actus ejus externus elicitus est, necessario actio externa, qua colitur, & honoratur Deus, ut genuflexio, adoratio, & aliæ id genus actiones externæ, in quo sensu omnes sacræ observantiæ, & sacrificia cæremoniæ vocantur. Ut autem ad nostrum pertinet institutum, cæremonia est, actio externa religiosa instituta ab Ecclesia in honorem Dei ad decentem, & debitum usum sacramentorum, quapropter cæremoniæ vocari etiam solent sacramentalia, quia cæremonia hic vocatur, quod non pertinet ad ipsam essentiam sacramenti, aut sacrilegii, sed tantum, ut est aliqua circumstantia, quæ comitatur actionem sacramentalem, hinc sacramenta conveniunt cum sacramentalibus, quia etiam sunt sacræ cæremoniæ: differunt verò, quia sacramenta per se immediatè referuntur ad cultum Dei, & sanctificationem animarum: sacramentalia verò tantum mediatè, quatenus ordinantur ad decentem usum sacramentorum, & sacrificii, siquidem cæremonia est aliqua circumstantia sacramenti, & distinguitur ab ejus substantia, Præterea quia sacramenta sunt immediatè instituta ab ipso Christo, & sacramentalia ab Ecclesia. Distinguuntur etiam ratione effectus, quia sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, non ita sacramentalia, quæ gratiam non conferunt: verum an possint cæremoniæ habere aliquem effectum proprium ex opere operato, controvertitur in scholis, quia de signo crucis, & de aqua lustrali plures probabiliter affirmant. Alii dicunt, ex opere operato propriè dicto nihil posse fieri per has cæremonias, quæ sententia censetur probabilior, quia Deus non dedit Ecclesiæ hanc facultatem, quæ solius Christi est propria: habent nihilominus hujusmodi cæremoniæ majorem quandam vim quam ex opere operantis, alioqui in superfluæ viderentur orationes Ecclesiæ, quæ recitantur in benedictione aquæ, & aliorum sacrorum vasorum: quapropter hæ actiones non habent impetrandi gratias actuales, quibus mediantibus homo disponitur ad gratiam recipiendam, & remissionem venialium. Tum quia beneficia temporalia, & victoriam de Dæmone immediatè etiam impetrant. Cæterum Ecclesia convenientissimè instituit has cæremonias, quibus in administratione sacramentorum, & in sacrificiis sacerdotes utuntur, quia ex decentissima earundem celebratione impensè honoratur Deus, & sine hisce cæremoniis irreverenter tractarentur sacramenta. Præterea quia per has cæremonias ritè docentur fideles, tum excellentem sacramentorũ præstantiam, tum significationem mysteriorum, quæ in sacramentis continentur.

CAPUT XII.

An sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato non ponentibus obicem?

NEgant sectarii, sacramenta novæ legis causare gratiam, putantes justificationem non esse quidquam intrinsecum animæ, sed tantum extrinsecum Dei favorem vel justitiam Dei, & Christi nobis imputatam, & extrinsecus veluti applicatam. Censent enim, ad justificationem hominis nihil aliud requiri quam fidem, seu fiduciam, qua confidimus, & credimus justitiam Dei, vel Christi nobis prodesse ad condonationem peccatorum, & inde inferunt sacramenta novæ legis aliud non exercere munus nisi quod excitent in nobis, ac fidem, seu fiduciam; vel etiam, ut sint quædam notæ Christianæ professionis, quibus fideles ab infidelibus discernuntur, quæ sententia quam sit falsa, fusè demonstravimus in Theologia in Tractatu de gratia, ubi evidenter ostendimus, gratiam justificantem revera esse aliquam intrinsecam qualitatem inhærentem animæ, & per quam justificamur.

Præterea Hæretici rident modum loquendi Doctorum Catholicorum asserentium sacramenta novæ legis causare gratiam, *ex opere operato*, ajunt enim hanc vocem novam esse, ac barbaram latinitatis corruptricem, & adversantem legibus grammaticæ, ex cujus regulis constat operatum non usurpari passive, quia actionem significat, & non passionem. Hinc Calvinus in antidoto Concilii Tridentini hanc vocem *operatum*, monstrat monstrosam excogitatam tantum à Baptistis ad excludendam fidem, & pœnitentiam, aliosque bonos actus, velati inutiles ad justificationem: quinimo etiam ad excludendam ipsam passionem Christi, quapropter Hæretici Doctores Catholicos calumniantur, dicentes eos vocibus illis nihil aliud significare, nisi quod sacramenta novæ legis gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, & sine alia dispositione sufficiente, sed

quam

quàm injuſtè has calumnias iniiciant in Catholicos, ex eo deprehenditur facile, quia uſurpare verbum deponens in ſignificatione paſſiva non eſt res nova, quia hanc locutionem ante annos 400. invenimus uſurpatam ab Innocentio III. *lib. 3. de Myſterio Miſſæ*, & ejus ſignificatio frequenter reperitur in Auguſtino *lib. 4. contra Creſconium cap. 16. & lib. 4. contra Donatiſtas cap. 34.* Rurſus quamvis nova eſſet vox, non tamen verentur Catholici, ut notat Vincentius Lyrinenſis in Commonitorio voce nova aliquid dicere *novè*. Neque ex eo quòd hæc vox opus operatum adverſetur regulis Grammaticæ, inde Hæretici debent Catholicos ridere, quia ad vitandam [illegible], & magis explicandam veritatem ſolet ſubinde Eccleſia nullo habito reſpectu ad [illegible] aliquas uſurpare voces, [illegible], & quibus [illegible] percipiunt, quapropter D. Auguſtinus in [illegible] intelligentiam [illegible] malo dicere *oſſum eſt, quàm os* [illegible] rationem, *quia melius eſt, ut* [illegible] *grammatici quam ut non intelligant populi*. Præterea etiam Philoſophi [illegible] Grammaticæ minimè [illegible], quia hac voce [illegible] eſſe rei. Philoſophi [illegible] & Theologi cum plus ſint ſolliciti de veritate [illegible] de latinitate, ideo non ex ignorantia, ſed ſtudio voces ſubinde diſſonas grammaticis regulis uſurpant, ut clarius, meliusque intelligantur ſublata omni ambiguitate. Secus quia Hæretici magis ſtudent Latinitati, quam veritati, ideo [illegible] voces ferunt, præſertim [illegible] contra ipſos [illegible] rei veritatem, [illegible] Auguſtinus lib. 1. confeſ. cap. 18. *Sunt enim Hæretici magis ſolliciti de modo loquendi, quam de arte bene vivendi, plus erubeſcentes ſi ſolœciſmum [illegible] pronuncient [illegible] quam ſi [illegible] hominem.* Præterea quia [illegible] in ſacra Scriptura voces, quæ tantum [illegible] Leges Grammaticæ habent ſolam ſignificationem activam uſurpentur paſſivè, ut ad Hebræ. 13. *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus*, verbum enim, *promereor*, juxta regulas grammaticales habet tantum ſignificationem activam, & nihilominus à D. Paulo uſurpatur in ſignificatione paſſiva: unde non eſt quod Theologi [illegible] verſentur vitio, ſi uſurpent paſſivè operatum, aſſerentes ſacramentum novæ legis cauſare gratiam ex opere operato, quia non nitratione [illegible] energiæ & brevitatis cauſa hanc uſurpant [illegible]. Præterea neque alienum omnino videtur à conſvetudine linguæ latinæ [illegible] noluerit, ut verbis quibuſdam deponentibus in participio præteriti [illegible] ſignificatio paſſiva, ut cum dicitur, *interpretatus, meditatus, [illegible], admiratus*, unde non eſt, cur Theologi non poſſint hoc idem extendere ad participium, *operatus*, [illegible] brevitate, energia, & [illegible] rem exprimant, quam ſignificant. Ad id quod addunt Novatores inde incuriam fieri Deo, & meritis Chriſti, eique detrahi hanc eſſe [illegible], quia Theologi omnes fatentur gratiam conferri principaliter à Deo per merita Chriſti: adeo, ut ſacramenta ſint tantum inſtrumenta: ex quo liquet [illegible] objectiones meras eſſe nugas, & calumnias.

Quid vero ſit ſacramenta novæ legis gratiam conferre ex opere operato diverſimodè à Theologis id explicatur, pro quo juvat prænotare, in juſtificatione, quæ per ſacramenta obtinetur plura concurrere ex parte Dei voluntatem utendi re illa ſenſibili. Ex parte Chriſti paſſionem ejus: ex parte Miniſtri poteſtatem, voluntatem, fidem, & probitatem: ex parte ſuſcipientis voluntatem, fidem pœnitentiam: ex parte denique ſacramenti actionem ipſam externam in applicatione debita materiæ, & formæ ſacramentorū, & utrumque ad ſuſcipientem ſacramentum poſitam, quæ vocatur opus operatum paſſive vocabulo in Eccleſia uſurpato. Quid vero propriè ſit ſacramenta cauſare gratiam ex opere operato, non operantis diverſimodè explicant. [illegible] cum Vaſquez dicunt, opus operatum vocari, in quo Miniſtri ſanctitas non attenditur, & opus operantis dici, in quo ſanctitas Miniſtri, & [illegible] ſpectatur. [illegible] de Lugo diſput. 4. ſect. 1, cenſent, tunc gratiam conferri ex opere operato, quando non attenditur ſolum meritum vel congruum, vel condignum, verum etiam ad ipſum opus præſcindendo ab eo, quod ſit etiam meritorium, quia tunc gratia datur ultra meritum etiam congruum operis: ſecus, ut ipſi aiunt, in opere operantis datur quidem ultra meritum condignum, non tamen ultra congruum. Alii vero [illegible] gratiam ex opere operato dari, quando [illegible] ſolius operis præſcindendo ab eo, quod [illegible], adeo, ut nullo pacto detur intuitu honeſtatis, quæ inſit operi. Dari verò gratiam ex opere operantis, quando [illegible] conferri intuitu ſanctitatis, & meriti operantis, ut notat Bellarminus lib. 2 cap. 1. & alii plures. Et hoc tertio modo aſſerimus, gratiam tunc cauſari ex opere operato, quando cauſatur præcisè ab ipſo opere, prout inſtitutum eſt à Chriſto, non vero prout eſt [illegible] ac laudabiliter elicitum, & tunc cauſari ex opere operantis, quando cauſatur ex opere, [illegible], & honeſto ex ſanctitate, & affectu illius à quo elicitur. Ratio eſt, quia in ſacramentis ſignificantib⁹, & cauſantib⁹ gratiam quinque conſiderantur. Primo ex parte Dei voluntas, ut homines ſuſcipiant ſacramenta in talem finem: Secundò ex parte Chriſti paſſio, & ejus fructus: tertiò ex parte Miniſtri ſanctitas, & intentio: quartò ex parte ipſius ſuſcipientis diſpoſitiones, & boni affectus. Quintò ex parte ſacramenti ipſum op⁹ inſtitutum à Deo: ſed ex his quinque, illud quod inſtrumentaliter, & immediatè cauſet gratiam, eſt opus ſacramenti ſeu ipſa actio ſacramentalis operativa, ſeu elicita, non verò ſanctitas ſuſcipientis, vel miniſtrantis: ſiquidem poteſt opus bonum dupliciter conſiderari. Primò prout ab ipſo operante honeſtè elicitur, adeo, ut ipſa honeſtas ſit cauſa gratiæ: ſecundò quatenus ab ipſo Chriſto eſt inſtitutum, adeo, ut honeſtas operis non ſit cauſa gratiæ: ſed tantum conditio, vel diſpoſitio requiſita ex parte ſubjecti, hinc confeſſio ſacramentalis [illegible] cum magna contritione conſideratur primo, quatenus ipſa honeſtas [illegible] exigit cauſare gratiam: ſecundo, ut eſt opus à Chriſto inſtitutum in quo bonitas actus eſt tantum diſpoſitio quædam ſuſcipientis ſacramentum, & hoc eſt ex opere operato cauſare gratiam: in ſententia eadem D. Auguſt. lib. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 18. dicitur: *Hoc totum ſit in parvulis vi ſacramenti, & divinæ legis.* Hic modus explicandi gratiam [illegible] ex opere operato, & ex opere operantis videtur cæteris præferendus, neque aſſentiendum eſt Vaſquez [illegible] in opere operato non attendi ſanctitatem Miniſtri cum in matrimonio requiratur ſanctitas in utroque conjuge, ſunt enim ambo conjuges ſimul ſuſcipientes, & Miniſtri, adeo, ut in hoc ſacramento unum non ſeparetur ab alio: præterea pœnitens in confeſſione partialiter conficit ſacramentum, & nihilominus requiritur ejus bona diſpoſitio.

Dices, in ſacramento pœnitentiæ dolorem non conferre gratiam, niſi ut honeſtum, & ſupernaturalem: ſed dolor iſte confert gratiam ex opere operato, ergo in opere operato attenditur ipſum meritum, & hone-

Sed contra, quia, licet in Sacramento pœnitentiæ requiratur dolor ſupernaturalis. non tamen ejus honeſtas eſt cauſa illius gratiæ, quæ producitur ex opere operato, quia hæc honeſtas eſt tantùm conditio neceſſariò requiſita, ut producatur gratia, non verò eſt cauſa gratiæ. Sed inſtabis, quia ſi opus operatum tantùm ſignificat ipſam actionem, ut elicitam, non verò ut honeſtam eſſe collativam gratiæ, nunquam ſatisfactio dicenda eſſet ex opere operato, quod eſt abſurdum, quia fructus indulgentiarum, & ſacrificii habetur ex opere operato. Præterea quia ſatisfactio per indulgentias non magis eſt ex vi operis, ut eliciti, quàm ſatisfactio per ſuffragia, quæ non eſt niſi ex opere operantis, etenim ſi aliquis applicet alteri ſatisfactionem ſui jejunii, fructus ille acquiritur ab alio ſine merito ullo proprio ejusdem. Tum quia per indulgentias applicantur nobis Chriſti ſatisfactiones absque ullo noſtro bono opere: ergo vel utrinque erit opus operatum, vel in neutro. Sed contra, quia ſatisfactio ex opere operato interdum remittit pœnam, ut in indulgentiis, & ſacrificiis, & aliquando tantùm ex opere operantis, ut in ſuffragiis. Cæterum diſcrimen inter indulgentias, & ſuffragia eſt, quia opus, ratione cujus conceditur indulgentia, ſive ſit aliquod opus meum, ſeu pura Pontificis conceſſio, non requiritur neceſſariò, ut ſit honeſtum, & meritorium, ſiquidem merita Chriſti, è quibus ſumuntur indulgentiæ, poſſunt ſuſpenſa manere; ex quo fit, ut ex opere operato conferatur remiſſio pœnæ, ſecus in ſuffragiis opus ultimum, propter quod datur ſatisfactio debet eſſe illud ipſum opus, quod applicatur, ut in caſu propoſito, quamvis ſub ea tantùm conditione alteri applicetur, ut recitet unum vel alterum Pater, & Ave, alioquin maneret ſuſpenſa applicatio jejunii.

Aſſerendum ſecundò, ſacramenta novæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem, conſequenter non eſſe tantùm ſigna excitativa fidei, vel notas, quibus fideles ab infidelibus diſtinguuntur, eſt de fide, & colligitur ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 6. *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.* Et hæc noſtra aſſertio fuit etiam definita in Concilio Florentino in decreto unionis, ubi conſtituitur differentia inter ſacramenta novæ, & veteris legis: eò quia ſacramenta veteris legis tantùm ſignificaverint, non cauſaverint grariam, & ſacramenta novæ legis eam ſignificent, contineant, conferant, & cauſent, ut colligitur ex ſcripturis ac ſacris Patribus, frequenter docentibus, ſacramenta novæ legis habere vim cauſandi gratiam, & remittendi peccata, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei:* Tribuitur enim generatio ſpiritualis, quæ fit per gratiam, Spiritui Sancto, ut cauſæ principali, & baptiſmo, ut cauſæ inſtrumentali, hinc pulchrè Auguſtinus, expendens verba Joannis, ait epiſt. 23. *Non enim ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex operantium, vel miniſtrantium fide, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* & Tract. 80. in Joan. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat,* ergo cùm baptiſmus abluat, regeneret, & ſalvum faciat, debet habere virtutem cauſandi gratiam immediatè, & non tantùm excitandi fidem, per quam conferatur gratia, Neque obſtat, quod reſpondet Calvinus, nomine aquæ intelligi Spiritum Sanctum, qui eatenus dicitur aqua, quia inſtar aquæ nos emundat, Nam contra eſt, quia per aquam communiter intelligunt baptiſmum, ut Juſtinus *Apologet.* 2. Tertullianus *Lib. de baptiſmo.* Ambroſius *Lib.* 3. *de Spiritu S. cap.* 11. Cyprianus *Lib.* 3. *ad Quirinum cap.* 25. Nazianzenus *orat.* 40. Baſilius *ſerm. de baptiſmo,* & alii Patres. Præterea quia Joan. 3. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu,* ubi ponitur aqua, ut diſtincta à Spiritu Sancto. Reſpondent ſecundò Sectarii, baptiſmum ſalvum facere, eò quia excitet idem. Contra eſt, quia fides præcedit baptiſmum. Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,* tum quia inde ſequeretur, infantes non poſſe baptizari, quia, cùm ipſi nondum ſint capaces rationis, non poteſt in ipſis fides excitari; tum quia baptiſmus non eſſet regeneratio, quia excitare fidem non eſt regenerari. Sed reſpondent tertiò, baptiſmum abluere in remiſſionem peccatorum, quia eſt teſtimonium acceptæ juſtificationis. Sed contra, quia, ſi eſſet teſtimonium, ſupponeret peccata deleta, ergo non ablueret; Demum, quia abluere in remiſſionem peccatorum ſignificat efficaciam ad remittenda peccata: hæc autem efficacia non habetur niſi per vim cauſativam gratiæ. Alia ſacramenta novæ legis itidem conferre gratiam non ponentibus obicem, conſtat ex ſcripturis: nam de ſacramento Confirmationis Act. 8. & 19. dicitur: *Per impoſitionem manuum dari Spiritum Sanctum.* De Eucharistia Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De extrema Unctione Jacob. 5. *Si in peccatis fuerit, remittuntur ei.* De Ordine ad 1. Timot. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Particula illa *per* ſignificat verè ex vi impoſitionis manuum fuiſſe Timotheo collatam gratiam. De ſacramento matrimonii definitum fuit in Conciliis, & præſertim Tridentino ſeſſ. 24. *Si quis dixerit, non eſſe verè, & propriè matrimonium unum ex ſeptem novæ legis ſacramentis, nec gratiam conferre, anathema ſit.* Neque obſtat, quod reſpondent Hæretici, ſcripturas tribuere juſtificationem fidei, non verò ſacramentis, ut conſtat ex illo Apoſtoli ad Hebr. 10. *Juſtus ex fide vivit.* Marci ult. *Qui vero non crediderit condemnabitur.* Nam conta eſt, quia ſcripturæ non ſolum fidei, ſed etiam ſacramentis tribuunt juſtificationem: ſiquidem baptiſmo tribuunt regenerationem, & pœnitentiæ remiſſionem peccatorum: tribuunt autem fidei juſtificationem, ut primæ radici, quia ſine fide non poſſunt haberi ſacramenta.

Ratio autem evincens noſtrum aſſertum, non poteſt alia aſſignari, quam ipſa Dei voluntas, & Chriſti, qui potuit ac voluit mediis ſacramentis ſenſibilibus fructum communicare,, ac pretium noſtræ ſalutis, ut conſtat ex præcitatis ſcripturæ locis; Patrum teſtimoniis, & Eccleſiæ traditione. Siquidem Patres utuntur ſimilitudinibus, & comparationibus, quæ vera & realem ſacramentorum cauſalitatem adſignificant reſpectu gratiæ ſanctificantis, etenim D. Leo Papa ſerm. 4. de Nativit. comparat baptiſmum utero virginali, inquiens: *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis, inſtar eſt uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, qui replevit & virginem, ut peccatum, quod ibi evacuavit ſacra conceptio, hic ſolvat ablutio,* & Tertullianus Lib. de Baptiſmo comparat baptiſmum aquis, in mundi primordiis volucres producentibus, & piſces. Niſſenus virgæ Moyſis, quæ obruit aquis Pharaonem, & exercitum ejus: hæ autem & aliæ id genus ſimilitudines, & comparationes, procul dubio abſurdæ forent, ſi ſacramenta novæ legis ha-

Digitized by Google

tùm, sed simul conservat rationem humani contractûs naturaliter initi, ac celebrati; & ex vi institutionis potest fieri Sacramentum eo modo, quo potest contractus naturaliter celebrari. Secus in Sacramento pœnitentiæ judicium non est elevatum, sed instituta est nova forma judicii, quæ est omnino servanda, & quia est instituta cum verbis, non possunt hæc in Sacramento pœnitentiæ mutari: unde constat omnia Sacramenta novæ Legis constare ex rebus, & verbis, saltem æquivalenter, & virtualiter; adeo ut Sacramenta componantur ex rebus ut materia, & verbis ut forma, ut fuit declaratum in Concilio Florentino in decreto fidei. Ratio est, quia res, & verba non nisi moraliter uniuntur ad conficiendum unum signum sensibile sanctificativum: & verba ex vi suæ significationis determinant res, quapropter aqua in Baptismo determinatur ex verbis ad significandam ablutionem Sacramentalem: ergo cùm in hac unione verba se habeant, ut determinativa, & ut determinabiles, sequitur manifestè verba habere rationem formæ, & res esse materiam. Quinimò ita Sacramenta componuntur ex rebus ut materia, & verbis ut forma, ut in utrisque fundetur significatio Sacramentalis, quia res, & verba constituunt unicum signum significativum, & causativum gratiæ; propterea significatio Sacramentalis, cùm sit propria totius Sacramenti, fundatur in utrisque. Quòd si dicas materiam, & formam in composito debere esse simul: & in Sacramentis res, & verba plerumque non esse simul, quia in Sacramento Pœnitentiæ potest dolor, seu contritio absolutionem præcedere, ut etiam Confessio peccatorum præcedit: ergo res non sunt materia, nec forma. Sed contra, quia sicut in composito physico materia, & forma debent simul esse physicè; ita in composito morali sufficit, si sint simul moraliter; sed Sacramenta sunt composita tantùm moralia, ergo sufficit, si moraliter sint simul verba, & res. Si dicas, ablutionem Baptismi includere totam significationem; proinde falsum esse omnia Sacramenta constare ex verbis ut forma. Contra est, negatur consequentia, quia infusio aquæ non solùm potest fieri ad abluendum, sed etiam ad refrigerandum, vel ad alios effectus, ut per se liquet: ergo debent adhiberi verba, quæ determinant finem ablutionis, & quòd hæc ablutio ordinetur ad abluendam animam: consequenter in Baptismo præter ablutionem adhuc requiruntur verba, per quæ ablutio determinetur ad abstergendam animam, & ad talem particularem ablutionem. Hinc inter materiam, & formam Sacramenti requiritur necessariò unio quædam moralis, seu talis propinquitas, ut ex modo, quo fit, intelligatur materia per formam determinari, juxta regulas prudenter agendi. Quia tunc in re morali materia, & forma censentur uniri, quando forma juxta communem agendi modum cadit supra talem materiam; sed si adsit hæc propinquitas, forma cadit supra talem materiam: ergo hæc moralis propinquitas est sufficiens, ut ex materia & forma dicatur Sacramentum constitui. Non tamen hæc propinquitas est æqualis in omnibus Sacramentis; quia in Sacramento pœnitentiæ, quod exercetur per modum judicii, potest absolutio post diuturniorem aliquam moram temporis proferri, quæ tamen diuturnitas redderet Baptismum invalidum quia in Baptismo materia est ablutio facta à ministro, quæ ablutio significatur per verba formæ: unde si separentur tempore forma, & ablutio non significaretur, hanc fieri à ministro: Unde in Sacramento Baptismi requiritur major propinquitas, quàm in Sacramento pœnitentiæ. Ratio est, quia in judicio accuratio potest, imo, & debet sententiam judicis præcedere.

Rursus præter res, & verba, seu materiam & formam, requiritur etiam intentio Ministri, quæ tamen non potest dici pars Sacramenti; quia si intentio Ministri esset pars intrinseca Sacramenti, prout hoc dicit quandam analogiam cum composito physico; vel esset materia, vel forma, sed neutrum dici potest, quia ut fuit declaratum in Concilio Florentino, res sunt materia; & verba sunt forma: sed intentio ministri distinguitur à rebus, & verbis: ergo non sunt de ratione intrinseca Sacramenti, quatenus hoc dicit analogiam cum composito physico. Præterea si intentio ministri esset pars componens Sacramentum, intentio adulti suscipientis Sacramentum deberet itidem esse pars intrinseca Sacramenti: quia eatenus intentio ministri est pars Sacramenti, quia illâ sublatâ, & positis omnibus, tollitur Sacramentum, ut asserunt dicentes, intentionem ministri esse partem Sacramenti; sed pari pacto positis omnibus aliis requisitis, & tantùm sublata intentione adulti suscipientis Sacramentum, tollitur ipsum Sacramentum: ergo ex eadem ratione sequeretur, intentionem adulti suscipientis Sacramentum esse partem Sacramenti. Rursus si hæc ratio valeret, inde sequeretur, quòd etiam potestas ordinis esset pars componens Sacramentum Eucharistiæ: ut etiam potestas jurisdictionis esset pars componens Sacramentum pœnitentis, quia sine potestate ordinis non datur Eucharistia, ut nec etiam sine jurisdictione non datur Sacramentum pœnitentiæ, quæ omnia falsa sunt, neque ab Adversariis conceduntur.

Cæterum in omnibus, ac singulis Sacramentis semper reperiuntur hæc tria: Primo Sacramentum tantùm. Secundò res Sacramenti tantùm. Tertiò Sacramentum, & res Sacramenti simul, ut docent communiter Theologi cum D. Thoma 3. part. quæst. 48. art. 1. ad 3. In quolibet enim Sacramento, Sacramentum tantùm est materia, & forma, quæ significant, non significantur: res Sacramenti tantùm est gratia, quæ significatur, & non significat, Sacramentum, & res Sacramenti simul in iis, quæ imprimunt characterem, est ipse character, qui significatur, & non significat; in Eucharistia est Corpus Christi, quia significatur per species, & significat gratiam; in matrimonio indissolubilitas vitæ, seu individua consuetudo vitæ, quia significatur per materiam, & formam, & significat unionem Christi cum Ecclesia: in Sacramento pœnitentiæ est dolor internus, qui significatur per externam Confessionem, vel tunsionem pectoris, vel per alia signa externa; & significat gratiam: In Sacramento extremæ unctionis est interna lætitia, vel sanitas corporis, quæ est effectus hujus Sacramenti, si animæ expedierit, & significatum per formam, & significat animæ sanitatem. Hinc constat, omnia Sacramenta coalescere ex rebus, & verbis, ut ex partibus componentibus, & essentialibus, quia id pertinet intrinsecè ad constitutionem Sacramenti, quod habet significationem gratiæ Sacramentalis, quæ cùm sit practica, dicit esse instrumentum gratiæ, consequenter illud totum constituit intrinsecè Sacramentum

mentum, quod eſt inſtrumentum cauſativum gratiæ: Sed tam res, quàm verba ſunt cauſativa gratiæ per modum inſtrumenti moraliter: ergo ſunt partes eſſentiales Sacramenti. Minor oſtenditur: quia illud totum habet rationem inſtrumenti, quod ex inſtitutione Chriſti eſt ordinatum, ut ſignum ſenſibile ad ſanctificandum: ergo ſunt inſtrumenta cauſativa gratiæ, proinde partes eſſentiales Sacramenti. Præterea intrinſecum conſtitutivum Sacramentorum, quod habetur per verba conſiſtere formaliter in illa morali determinatione, quâ res determinantur, ut ſtant ſub tali ſignificatione Sacramentali, quia verba concurrunt ad Sacramenta in ratione formæ determinantis; & res ut ſint materia Sacramentis determinabilis per formam: ergo verba concurrunt per id, quod eſt formale determinativum: ſed formale determinativum eſt illa determinatio, quæ conſurgit ex verbis, & conjungitur cum rebus: unde conſtitutivum intrinſecum Sacramentorum, quod habetur à verbis, conſiſtit formaliter in illa morali determinatione, quâ res ipſæ determinantur, ut ſint ſub tali determinatione Sacramentali. Quòd ſi dicas, determinationem eſſe effectum formalem formæ, conſequenter verborum, proinde verba ſecundùm ſuum eſſe conſtituere intrinſecè Sacramenta. Contra eſt, quia effectus formalis eſt moralis determinatio, conſequenter non ſunt verba. Si urgeas, hanc determinationem haberi formaliter per verba, eò quia ſit in ratione ſignificationis. Contra, quia determinatio eſt in ratione ſigni ſignificativi, & ſignificationis Sacramentalis, proinde iu genere efficientis in ordine ad gratiam; ſignificatio autem verborum eſt in ordine ad objectum: ex quo conſtat eſſe diverſam naturalem ſignificationem verborum, & ſignificationem Sacramentalem: ergo cùm ſignificatio Sacramentalis coaleſcat ex verbis, & ſit magis intrinſeca, ſequitur, quòd per ipſam conſtituatur Sacramentum.

Contra Sectarios, præſertim Calvinum quæri ſolet, an verba Sacramentorum ſint concionanda; vel conſecratoria. Obſervandum eſt, verbum aliud dici concionatorium, & aliud conſecratorium; hoc eſt, quod habet vim ſaltem moraliter ſanctificandi; illud verò, quod ordinatur ad inſtruendum populum. Tametſi populi debeant erudiri circa res fidei; non tamen hæc eruditio eſt pars eſſentialis Sacramenti, alioquin non eſſet unum baptiſma; contra illud Apoſtoli ad Epheſ. 1. *Una Fides, unum Baptiſma.* Quapropter aſſerendum eſt verba, quibus conficiuntur Sacramenta, eſſe conſecratoria, non concionatoria, contra errorem Calvini; & hæc veritas Catholica evincitur ex Baptiſmo, qui confertur pueris, qui cùm baptizantur, non ſunt capaces percipere verba concionatoria. Secundò ex doctrina Eccleſiæ, quæ ſemper Baptiſmum probavit à quocunque verbis Evangelicis, ſeu in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti collatum, quamvis nulla concio haberetur. Tertiò etiam probatur ex Baptiſmo Hæreticorum, quem ratum eſſe definivit Eccleſia adverſus Donatiſtas, quamvis Hæretici illud conferentes veram Fidem, & doctrinam, adeoque veram prædicationem non habeant. Quartò quia aliud eſt miniſterium concionandi, & aliud baptizandi, ut declarat Apoſtolus 1. Corinth. 1. Non enim ait: *Miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Quintò quia idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 16. Euchariſtiam vocat calicem Benedictionis, non calicem concionis, quia myſticis verbis Chriſti Sanguis conſecratur. Sextò, quia verba ſolemnia, quibus perficitur Baptiſmus, ſunt verè conſecratoria, non concionatoria, ut docet D. Auguſtinus, licèt ejus authoritate Calvinus abutatur, etenim lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 14. loquens de Catechumeno, qui in cujuſdam Hæretici librum incidens errorem neſciens hauſit contra Fidem, & in ea falſitate Fidei baptizatus fuerat, denuò baptizandum eſſe negat Auguſtinus, eò quia Sacramentum Baptiſmi ſemper conferat ſuam ſanctitatem, volentibus hoc Sacramentum ſuſcipere: ait ipſe lib. 3. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 14. *Quia illa ſanctitas Sacramenti verbis Evangelicis conſecrata ſuper eum integra permanebat, ſicut eam traditam acceperat, quamvis ipſe in carnalis mentis vanitate conſtitutus, aliud cum baptizaretur crederet, quam credere debuiſſet. Quapropter manifeſtum eſt fieri poſſe, ut fide non integra integrum in quoquam maneat Baptiſmi Sacramentum.* Et cap. 15. *Quamobrem ſi Evangelicis verbis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus Fides aliud opinantis, quàm Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.* Et lib. 6. cap. 25. *Plerumque precis vitium ſuperat precantis affectus, & certa illa Evangelica verba, ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari, tantùm valent, ut per illa ſic evacuentur, quæcunque in prece vitioſa contra Regulam Fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur. DEUS adeſt verbis Evangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt: & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum, ut homini, ſive antequam baptizetur, ſive cùm baptizatur, ſive poſtea quandoque ad ſe veraciter converſo id ipſum valeat ad ſalutem, quod ad perniciem niſi converteretur, valeret. Cæterum quis neſciat, non eſſe Baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica, quibus ſymbolum conſtat illic defuerint, ſed facilius inveniuntur Hæretici, qui omninò non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent, ideoque dicimus non omnem Baptiſmum (nam in multis idolorum ſacrilegis ſacris baptizari homines perhibentur) ſed Baptiſmum Chriſti, id eſt, verbis evangelicis conſecratum, ubique eundem eſſe nec hominum quorumlibet, qualibet perverſitate violari*, hactenus Auguſtinus. Ratio itidem eſt, quia Chriſtus Matth. ult. juſſit Baptiſmum conferri in nomine Trinitatis, & quando inſtituit Euchariſtiam, protulit determinata verba, quibus panem effecit ſuum corpus. Tum quia in Sacramento Pœnitentiæ non poſſunt remitti peccata ſine verbis, quibus pronuntietur ſententia remiſſionis, ergo ad conficienda Sacramenta requiruntur verba conſecratoria, quæ non proferantur merè recitativa, & concionatoriè, ſed conſecratoriè. Quòd ſi objicias, D. Auguſtinum Tract. 80. in Joan, ubi videtur docere verbum, quo fit Baptiſmus, eſſe tantùm concionale ait: *Unde eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo: non quia dicitur, ſed quia creditur?* & huc etiam pertinet illud Apoſtoli ad Roman. 10. v. 8. ubi ait: *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus*, ubi etiam Apoſtolus videtur, verba Sacramentorum adhibere concionatoriè, non verò conſecratoriè.

Digitized by Google

toriè, sed contra, quia sensus Augustini est, ut verba operentur, non quia dicuntur, hoc est secundùm id, quod habent naturaliter, & auribus insonat: sed quia creduntur, vel quia habent virtutem, quam fide attingimus, quapropter Augustinus subdit, aliud esse sonum, & aliud virtutem manentem, ait enim: non quia dicitur, id est, non secundùm exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, id est, secundùm sensum verborum, qui fide tenetur, quapropter ibidem addit: *Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, & aliud virtus manens.* Ad aliud quod addebatur ex Apostolo ad Roman. 10. *Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus*, inde non sequi verba, quibus perficitur Baptismus, verè concionatoria esse, sed consecratoria: quia probandum sibi sumit omnia, quæ spiritualiter mundantur; verba mundare vel extra Sacramentum per Fidem prædicationis, vel etiam in Sacramentis per verborum Sacramentalium, quæ loco formæ adhibentur, efficaciam, quæ verbis non convenit ratione soni transeuntis, sive prolationis sensibilis, sed ratione sensus spiritualis, propter quem instituta sunt, & qui objectum est Fidei. Mens igitur D. Augustini ex toto contextu satis clarè constat, explicat enim verba Christi Joan. 15. 3. *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Ait Augustinus: Quare non ait: mundi estis propter Baptismum, quo loti estis, sed ait: propter verbum, quod locutus sum vobis? nisi quia, & in aqua verbum mundat, detrahe verbum, & quid est aqua. nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes Discipulis lavit, qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur? nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est, verbum Fidei, quod prædicamus, ait Apostolus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est JESUS, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Unde in actibus Apostolorum legitur Actor. 15. 9. *Fide mundans corda eorum*, & in epistola sua 1. Petri 3. v. 21. ait Petrus: *Sic & vos salvos facit baptisma, non carnis depositio cordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.* Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus, quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur, & baptismus. Christus quippe nobis vitis cum Patre agricola dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide quid adjungat: ut eam sanctificaret, inquit: Mundans eam lavacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum Fidei tantùm valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundat infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Hactenus Augustinus.

CAPUT X.

An materiæ, & formæ Sacramentorum sint à Christo determinatæ.

NEgant Sectarii, præsertim Calvinus, & Beza materias, & formas omnium Sacramentorum fuisse à Christo determinatas, sententia enim Catholicorum est, Christum revera singulorum Sacramentorum materias, & formas per se ipsum determinasse, adeo ut, si quis aliud usurpet, quòd Christus non determinaverit, nil prorsus efficiat. Juvat adnotare dupliciter posse Christum materias, & formas Sacramentorum determinare. Primò tantùm genericè, ut si dixisset, volo, ut in tali Sacramento, verbi causâ in pœnitentia, materia sit dolor de peccatis, sive actus doloris, forma contritio sit, sive attritio; in Sacramento Ordinis ut materia, & forma sit signum aliquod, quo denotetur traditio potestatis in reale corpus Christi, & in corpus mysticum. Secundò specificativè, si dicat, volo, ut aqua elementalis sit materia Baptismi, & oleum materia extremæ Unctionis. Rursus materia, & forma Sacramentorum à Christo institutæ, dupliciter mutari possunt; primò proximè, si Ecclesia diceret, nolo ut contractus aliquis, tametsi validus, sit materia Sacramenti matrimonii. Secundò tantùm remotè, ut si Ecclesia diceret, ego statuo, ut consensus cui talis conditio deerit, ut si non adfuerit Parochus & duo testes, contractus non sit validus, consequenter non sit sufficiens materia Sacramenti.

Asserendum est, nullum esse Sacramentum novæ legis, cujus materiam, & formam Christus non determinaverit saltem genericè, adeo ut res substantialiter diversæ adhibeantur, aut diversa verba, tollitur totum Sacramentum, ut docet D. Thomas quæst. 6. art. 5. quia certum est, aquam, seu materiam Baptismi determinatam fuisse à Christo Joan. 3. ubi ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI:* Materiam Eucharistiæ etiam Christus determinavit, cùm panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum consecrata tradidit Apostolis, & præcepit idem fieri in sui memoriam, Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. Rursus materia extremæ Unctionis determinata explicatur in epistola Catholica Sancti Jacobi cap. 5. v. 24. materiam Confirmationis ex parte etiam explicat S. Lucas in Actis Apostolorum Actor. 8. 17. ubi Spiritum Sanctum per manus impositionem Apostolorum Petri, & Joannis datum testatur iis, quos Philippus Diaconus baptizaverat. Determinatam materiam Sacramenti Ordinis, seu impositionem manuum indicat S. Paulus 1. ad Timoth. 4. 14. Et ceteræ materiæ, & formæ à Christo institutæ, habentur ex traditione non scripta, & doctrina Ecclesiæ, & usu inolito. Convenientem hujus determinationis rationem affert S. Thomas 3. part. quæst. 60. artic. 5. ex eo petitam, quia inusi

in uſu Sacramentorum duo conſiderari poſſunt, ſcilicet cultus divinus, & hominis ſanctificatio, quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum: alterum pertinet ad Deum per comparationem ad hominem: ſed non pertinet ad aliquem determinare id, quod eſt in alterius poteſtate; ſed ſolùm, quod eſt in ſua poteſtate; ait D. Thomas: *Quia ergo ſanctificatio hominis eſt in poteſtate Dei ſanctificantis, non pertinet ad hominem ſuo judicio aſſumere res, quibus ſanctificetur; ſed hoc debet eſſe ex divina inſtitutione determinatum, & ideo in Sacramentis novæ legis, quibus homines ſanctificantur ſecundum illud, 1. ad Corinth. 6. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, oportet uti rebus ex divina inſtitutione determinatis.*

Quòd præter materiam ſit etiam à Chriſto determinata forma, ſeu verba determinantia materiam, ex eo liquet, quia determinatam verborum formam Chriſtus conferri juſſit Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In Sacramento Euchariſtiæ verba itidem determinata ſunt à Chriſto, cum dixit: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum,* Matth. 26. Rurſus aliorum Sacramentorum formas ex non ſcripta traditione, & Eccleſiæ doctrina, uſuque habemus. Quas paſſim Patres ſcripto prodere noluerunt, ne ſecretiora noſtræ religionis myſteria in notitiam infidelium devenirent, à quibus ignorantibus haberentur ludibrio, ac contemptui: hæc eſt ratio, ait D. Baſilius, cur Apoſtoli arcana noſtræ fidei myſteria plura ſine ſcripto per ſolam traditionem non ſcriptam voluerint in ſucceſſores, & poſteros derivari, ait ipſe libro de Spiritu Sancto cap. 27. *Quia optimè noverant arcanorum venerationem myſteriorum ſilentio conſervari. Nam quæ nec intueri fas eſt, non initiatis, quomodo conveniebat horum doctrinam publicè ſcripto circumferri:* & ut permiſit aditum ad Sancta Sanctorum uni Pontifici apud Hebræos ſemel in anno permiſſum; ad majorem venerationem illis conciliandam; quia res uſu tritæ facilè in contemptum veniunt; quæ verò raræ ſunt in admiratione, & pretio eſſe ſolent, ſubdit: *Ad eumdem profectò modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres in occulto, ſilentióque myſteriis ſuam ſervavere dignitatem. Neque omnino myſterium eſt, quod ad vulgi aures effertur. Hæc eſt ratio, cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgò veniret in contemptum.* Huic conſtantiæ adhæret D. Ambroſius lib. de iis, qui myſteriis initiantur cap. ult. ubi ad rem noſtram ait: *Signatum debere manere myſterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio caſtitatis; ne divulgetur, quibus non convenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Bona debet ergo fides tua eſſe cuſtodia, ut intemerata vita, ac ſilentii integritas perſeveret.*

Ratio itidem ſuadet proprias materias, & formas eſſe à Chriſto determinatas ſaltem genericè: quia inſtitutio eſt menſura Sacramentorum: ſed ex inſtitutione conſtat, determinari certas res pro materia cujuslibet Sacramenti, ut de Baptiſmo Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.* De Pœnitentia Joannis 20. *Quorum remiſeritis peccata.* De Euchariſtia Matth. 26. *Accepit JESUS panem.* De extrema Unctione Jacobi 5. *Ungentes eum oleo.* De Ordine 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Preſbyteri.* De reliquis Sacramentis etiam liquet, ut paulò ſuperiùs oſtendimus. Præterea Concilia perſæpe judicarunt de veritate, aut falſitate Sacramentorum ab Hæreticis collatorum, & materiis, ac formis, quas uſurpare conſueverant: etenim in Concilio Niceno Can. 19. reprobatur Baptiſmus Cataphrygorum, & Paulianiſtarum, quia non ſervaretur præſcripta forma à Chriſto. In Concilio Arelatenſi I. jubetur, ut Ariani redeuntes ad Eccleſiam interrogentur, quâ formâ uſi ſint in Baptiſmo. Hæc autem ratio nullius eſſet roboris, ſi formæ Sacramentorum non eſſent à Chriſto determinatæ: ergo nullum eſt Sacramentum, cujus materiam, & formam ſaltem genericè Chriſtus non determinaverit; adeo ut ſi adhibeantur res ſubſtantialiter diverſæ, vel diverſa verba, tollatur totum Sacramentum. Præterea quia hoc idem docuerunt SS. Patres, D. Auguſtinus lib. 6. contra Donatiſtas cap. 25. ubi ait: *Certa ſunt verba Evangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus.* Damaſcenus lib. 4. de fide: *Quæ forma verborum in Sacramento adhibenda ſit, Dominus expoſuit, dicens: Baptizantes eos &c.* D. Dionyſius itidem cap. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ notat materias omnes, & formas Sacramentorum expreſſas haberi partim in ſcripturis, & partim ex traditione. Rurſus hoc idem confirmat uſus Eccleſiæ, quæ in iiſdem materiis, & formis nihil unquam immutavit ſubſtantialiter, ſed ſemper religioſiſſimè, quæ fuerunt ab initio præſcripta, ſervavit; & ſi aliqua accidentalia pro varietate temporum judicavit eſſe immutanda, id ſemper præſtitit ſalvâ Sacramentorum ſubſtantia, ut colligitur ex Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. Ratio itidem eſt, quia ſolus Chriſtus potuit dare rebus, & verbis vim ſignificativam, & cauſativam gratiæ, & figuræ: unde conſultiùs fuit, ut hoc per ſe ipſum immediatè faceret, quàm ut Eccleſiæ hanc impertiret facultatem eligendi, quam voluiſſet materiam, & formam, quibus poſtea ipſe tribueret efficaciam. Quod vero materiæ, & formæ Sacramentorum non fuerint à Chriſto determinatæ, ſecundum rationes accidentales, & ſpecificas; ſed tantùm ſecundùm rationem genericam ex eo liquet; quia in Sacramento Euchariſtico materia eſt panis uſualis, & Eccleſia in Concilio Florentino declaravit ſufficere, ſi ſit panis azymus, vel fermentatus. In matrimonio materia dicitur contractus uſualis; & Eccleſia declaravit talem contractum non eſſe clandeſtinum. In Sacramento pœnitentiæ ſufficere attritionem, vel contritionem. Chriſtus enim inſtituit Euchariſtiam in pane azymo, vel fermentato, & Eccleſia declaravit valide confici in utroque, quamvis Chriſtus in una tantùm ſpecie confecerit: unde Eccleſia poteſt aliquam inducere mutationem accidentalem. Rurſus verba Sacramentorum licet quoad ſignificationem ſint determinata; non tamen quoad modum accidentalem ſignificandi; adeo ut accidentaliter poſſint verba itidem variari, ut liquet in matrimonio, in quo mutuus conſenſus exprimitur diverſis verbis Gallicis, Italicis, Latinis: ut etiam in Baptiſmo, nam Latini dicunt; *Ego te baptizo.* Græci verò: *Baptizetur ſervus Chriſti.* Hinc materia, & forma Sacramenti, quæ alicubi in Eccleſia eſt valida, eſt itidem valida ubique, dummodo non ſit res diverſa ſubſtantialiter. Ratio eſt,

Digitized by Google

quia illa materia, & forma sacramentalis valet ubique, quæ vim accepit à Christo significativam, & causativam gratiæ: sed materia, & forma, quæ alicubi valet, est hujusmodi, alioquin nullibi posset causare gratiam, ergo debet ubique valere, hinc non rectè asserunt aliqui, consecrationem fermentati valere apud Græcos, non apud Latinos, nam cum Ecclesia sit unica tantum, & Christus unicam pro tota Ecclesia fecerit institutionem, qua determinavit ea, quæ Sacramentis sunt substantialia, sequitur, quod materia, & forma Sacramenti, quæ alicubi est valida in Ecclesia, valeat etiam ubique, dummodo non sit res substantialiter diversa: quapropter consensus clandestinus est materia valida Sacramenti matrimonii, ubi Tridentinum est promulgatum in sententia plurium, invalida verò, ubi est receptum, quia ubi fuit receptum Tridentinum, talis contractus non est validus. An verò Concilium recipi debeat à tota Ecclesia, putarim recipiendum esse eò, quia Synodus Oecumenica repræsentat totam universalem Ecclesiam.

Quamobrem asserendum est, materiam, & formam omnium Sacramentorum ita esse determinatos à Christo, ut non possint ab Ecclesia mutari proximè, & formaliter, quamvis aliquando mutari possint remotè, & materialiter, saltem in aliquo Sacramento, quia Concilium Tridentinum statuit consensum Clandestinum sine præsentia Parochi, & duorum testium, esse invalidam materiam Sacramenti matrimonii, & nihilominus ante Concilium Tridentinum consensus clandestinus erat materia valida matrimonii, sed ex hoc, quod Concilium effecerit, ut consensus clandestinus esset materia invalida Sacramenti matrimonii nonnisi remotè, & materialiter mutavit materiam hujus Sacramenti, non verò formaliter, & proximè, quia tunc materia & forma matrimonii dicerentur mutari formaliter, & proximè, si Ecclesia efficeret, ut contractus legitimus ad translationem juris in corpora utriusque contrahentis non esset materia valida hujus Sacramenti: Ecclesia autem hoc non fecit, nec potuit facere, quia hunc solum consensum voluit Christus esse legitimam materiam hujus Sacramenti, nil aliud statuendo circa eam, tunc verò dicuntur materia & forma mutari tantùm remotè, & materialiter, si consensus præstitus sine hac, vel illa peculiari conditione reddatur contractus omnino invalidus ad obligandum contrahentes: sed hoc solum præstitit Ecclesia, & potuit facere, quia in rebus moralibus, & politicis, potest Princeps ob bonum communitatis, & ad evitanda mala addere conditionem aliquam, huic contractui, cujus defectu redderetur illegitimus, ut passim contingit in aliis contractibus testamentariis, & condonationum: & cùm matrimonium sit verus contractus, potuit Ecclesia matrimonium reddere invalidum ex defectu conditionis, quam statuit esse necessariam, ut contractus sit obligatorius: ergo Ecclesia materialiter tantùm, & remotè potest mutare materiam, & formam Sacramenti, non verò formaliter, & proximè.

Dices, in Sacramento ordinis Christus etiam genericè materiam, & formam non determinavit, quia sub primis Ecclesiæ initiis Diaconi per solam manuum impositionem ordinabantur, & id etiam nunc in Ecclesia Græca usurpatur: sed in Ecclesia Latina nunc ordinantur Diaconi per traditionem Libri Evangeliorum, & formam illi correspondentem: hoc autem valere non poterat, antequam Evangelia scriberentur, ac divulgarentur ab Evangelistis. Rursus Presbyteris conferebatur etiam Sacerdotium, ut etiam nunc confertur apud Græcos Catholicos per manuum impositionem supra caput, in Ecclesia verò Latina confertur idem Ordo per traditionem panis, & vini, quæ sunt materiæ substantialiter diversæ, ergo videtur ex hoc sequi, Christum nec genericè determinasse materiam, & formam Sacramenti Ordinis. Sed contra, quia, ut respondet Belarminus lib. de Ordine cap. 9. Est essentialiter idem ritus Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ in Sacramento Ordinis, in quo Christus non determinavit materiam, & formam materialiter sumptas, sed tantùm formaliter, quia voluit Sacramentum illud conferri per aliquod signum sensibile significativum potestatis, quæ traditur, & per verba hoc ipsum exprimentia. Hoc autem signum sensibile apud Græcos est sola manuum impositio cum verbis significativis hujus potestatis traditæ: apud Latinos est impositio manuum, & traditio panis, ac vini cum verbis proportionatis; non quod hæc materia differat substantialiter ab illa, quam usurpant Græci; sed quia solùm magis explicitè designat eam traditionem potestatis, quam omnino ritus Græcus significat, sed minùs distinctè: quamobrem hæ duæ materiæ nonnisi accidentaliter differunt, quatenus Ecclesia Latina præter impositionem manuum, quæ posset sufficere, voluit, ut integra materia hujus Sacramenti esset primo una manuum impositio cum traditione panis, & vini, & forma significante potestatem sacrificandi: & iterum altera impositio manuum cum potestate absolvendi à peccatis. Si dicas, unam tantùm manuum impositionem apud Græcos esse materiam sufficientem: consequenter hanc eandem etiam sufficere apud Latinos, proinde post primam manuum impositionem esse sufficienter ordinatum Presbyterum etiam secundum utramque potestatem sacrificandi, & remittendi peccata, respondetur, id verum quidem esse, si primæ manuum impositioni applicaretur forma significans utramque potestatem; sed quia id non fit, ideo Presbyter per solam primam manuum impositionem non est adæquatè ordinatus, sed tantùm post secundam, cui applicatur forma significans potestatem remittendi peccata. Pari pacto in ordinatione Diaconi facta manuum impositione, licèt dicatur: *Accipe Spiritum Sanctum ad resistendum Diabolo*, quia verò hæc forma non sufficit, utpote nimis universalis, nec satis determinatè significans potestatem illam, donec tradito libro evangeliorum dicatur: *Accipe potestatem legendi Evangelium*, ideo Ecclesia Latina per traditionem libri Evangeliorum, & formam illi correspondentem vult Diaconos ordinari.

CAPUT XI.

Qualisnam mutatio in materia, & forma irritet Sacramentum.

QUia Christus determinavit materias, & formas Sacramentorum, inde sequitur, quamlibet mutationem factam in illis, scilicet materia, & forma, ut institutis à Christo esse substantialem, ac irritare Sacramentum. Mutatio substantialis materiæ fit, cum alterius speciei res sensibilis ad conficiendum Sacramentum adhibetur, quam à Christo præscripta sit, ut si aqua artificialis, aliusque liquor ad Baptismum; acetum, aut liquor ex uvis, ab herbis expressus, panis horteaceus, vel massa farinæ non cocta ad Eucharistiam conficiendam usurpaterur. Mutatio accidentalis materiæ est alteratio, qua species elementi sensibilis à Christo præscripti non solvitur, ut si sol vel cinis in aquam injiciatur, vel fermentum immisceatur farinæ, ex qua conficitur panis, quapropter Baptismus in aqua marina, vel nivea, aquis mineralibus collatus validus est, ut etiam valida panis fermentati consecratio. Mutatio verò substantialis formæ ea est, qua verborum sensus tollitur: talis erat mutatio, quam invexerat Secta quædam Valentinianorum Hæreticorum, à qua adhibebatur in Baptismo hæc forma, ut referunt S. Irenæus lib. 1. cap. 18. & Eusebius lib. 4. histor. Ecclesf. cap. 11. scilicet: *In nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium Matre, in eo, qui descendit in Jesum.* Mutatio verò accidentalis, quæ contingit in forma, est, qua verba mutantur, integro tamen sensu remanente, ut si in forma Sacramenti Eucharistiæ, quæ est: Hoc est enim corpus meum, particula illa causalis *enim* omitteretur, vel etiam pronomen *ego* in forma Baptismi, vel si lingua vernacula, aut extranea verba Sacramentalia proferantur: vel si intra eandem linguam verba synonyma, seu ejusdem significationis cum illis, quibus Ecclesia utitur, usurpentur, ut si loco hujus verbi te baptizo, diceretur te abluo, & loco verbi illius in Sacramento pœnitentiæ, *absolvo te*, diceretur, *remitto*, vel *condono tibi peccata mea*. Si tamen non sit eadem verborum significatio explicitè, & distinctè: adeòque ex publico, & communi usu tunc substantialis mutatio censenda est, ut si quis dicat in Baptismo: *Ego te baptizo in nomine Sanctissima Trinitatis*, illud enim nomen Trinitas trium divinarum personarum distinctam invocationem non exprimit, quæ ad perficiendum Baptismum ex Christi institutione necessaria est: pari pacto, si quis dixerit: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & procedentis ab utroque*, censeretur mutatio substantialis: quia licèt Patris, & genitoris, Filii, & geniti, Spiritus S. & procedentis ab utroque sint synonyma ex parte rei significatæ; non ita ex modo intelligendi, & significandi, neque ex publico, & communi usu, ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 40. art. 2. & 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 1. his prænotatis.

Asserendum est primò mutationem essentialem tam in materia, quàm in forma, irritare Sacramentum, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 3. part. quæst. 60. art. 8. & habetur etiam in cap. retulerunt de consecrat. dist. 2. Ratio est, quia Concilium Nicænum Can. 19. decrevit, irritum fuisse Baptismum, ac nullius valoris Paulianistarum, eo quia mutabant veram formam hujus Sacramenti, ut liquet ex Innocentio I. Epist. 22. cap. 5. ex quo constat, mutationem essentialem in forma irritare Sacramentum: quia quoties non fit, quod Christus instituit, nullum conficitur Sacramentum: sed quoties mutantur substantialiter materia, & forma Sacramentorum, prout Ecclesia eas usurpat, non fit, quod Christus instituit: siquidem Ecclesia facit, quod Christus instituit: ergo illa mutatio irritat Sacramenta, quia faciunt, ut materia, & forma, non Sacramenti, non sint, quas Christus instituit; quia Sacramenta non possunt aliter confici, quàm à Christo fuerunt instituta, quia solus potuit Sacramenta instituere, quia in prudentum existimatione non manet amplius eadem res, quæ à Christo fuit assumpta ad significandam, & causandam gratiam. Quod hæc prudentum existimatio sufficiat, ut res immutata non censeatur eadem, quæ à Christo fuit instituta, ex eo evincitur, quia mutatio essentialis ex genere suo facit aliud secundum essentiam; accidentalis verò alterum: sed quoties secundum prudens judicium non manet eadem res, aut eadem significatio, res, & significatio est alia essentialiter: consequenter non remanet eadem, nec conficitur Sacramentum.

Quòd verò, si mutatio sit accidentalis, notabilis tamen reddit mutationem illicitam, & peccaminosam administrationem Sacramenti, quia si mutatio accidentalis sit notabilis, violat grave præceptum Ecclesiæ, violare autem grave præceptum Ecclesiæ, non excusatur à gravi peccato, consequenter talis administratio Sacramenti redditur peccaminosa. Quando verò mutatio accidentalis dicenda sit notabilis, debet id conjectari ex circumstantiis. Quando verò mutatio est substantialis circa materiam Sacramenti, tunc irritatur Sacramentum. Est autem mutatio substantialis circa materiam, quando id, quod usurpatur, non convenit in re, & nomine, cum materia, quam Ecclesia communiter usurpat: siquidem si materia, quæ usurpatur, conveniat in re, & nomine cum ea, quam Ecclesia usurpat, & est eadem substantialis res, ut vinum album, aut nigrum, aqua calida, vel frigida, panis fermentatus, aut azimus non differunt nomine, nec re, consequenter sunt res aptæ, & validæ ad Sacramentum, secus vinum, quod ex vite non esset, nec ex uvis expressum, sed ex pomis, vel aliis fructibus, ut etiam cerevisia, panis ex castaneis compactus, quia differunt re, & nomine, non sunt materiæ sufficientes Sacramentorum, ut nec etiam massa farinæ nondum cocta, quia non dicitur panis, nec est cibus humanus, tametsi panis, & massa cocta non differant essentialiter.

Quòd verò ad mutationem formæ verborum attinet, si mutatio talis sit, ut corrumpat sensum, & significationem verborum tunc talis mutatio censetur essentialis, & tollere valorem Sacramenti, secus si non corrumpat sensum, tunc censetur tantùm accidentalis. Ratio est, quia sensus, & significatio vocum sunt animæ formæ, unde sublato sensu, & significatione tollitur etiam substantialiter ipsa forma. Verùm quia licèt id sit per se notum, adhuc desideratur, ut specialius explicetur, quandonam ita mutetur sensus vocis, & significatio, ut destruat sensum formæ, id operæ pretium est declarare, & quot modis contingat mutari formas vocales Sacramentorum,

torum, & hi modi ſeptem recenſentur, quorum primus eſt totalis mutatio vocum in voces alterius idiomatis, vel in alio ſynonymas. Secundus eſt tranſpoſitio vocum; tertiùs interruptio. Quartus additio, quintus detractio, ſextus corruptio externa, & ſeptimus corruptio purè interna. Unde mutatio totalis vocum in alias ſynonymas, vel alteriùs idiomatis non tollunt valorem Sacramenti, quia non mutatur ſignificatio, ſive tota forma pronuntietur alio idiomate, ſive miſceatur partim ex uno, & partim ex alio idiomate, ut communiter docent Doctores cum Cajetano 3. part. quæſt. 60. art. 7. circa ſolutionem 2. quia tunc mutatio eſt tantùm materialis, & non ſecundùm ſignificationem, ergo remanet eadem forma ſecundum eſſe formale. Peccaret tamen, qui abſque cauſa verba uſurparet alterius idiomatis, tametſi id aliquando poſſet eſſe neceſſarium, ut notat Sà verbo Baptiſmus cum victoria quæſt. 18. de Baptiſmo, ut in Obſtetricibus, quæ baptizant parvulos in neceſſitate, tunc enim meliùs cenſetur, ut eos baptizent vernacula lingua, quàm ut latinè pronuntiando pervertant ſenſum verborum. Mutatio tamen per tranſpoſitionem verborum ſacramentalium non irritat Sacramentum, ſi retineatur idem ſenſus: ſecus ſi tranſpoſitio pervertat ſenſum formæ, ut eſſet hæc tranſpoſitio: *Ego in te Patris baptizo nomine*, quia pervertitur ſenſus formæ, hinc tranſpoſitio verborum ſacramentalium, quandoque formam ſubſtantialem infert, quandoque tantùm accidentariam, & tunc habetur mutatio ſubſtantialis, ſi tranſpoſitio tollat ſenſum locutionis, & accidentale, ſi non tollat, & id ex communi hominum ſenſu eſt judicandum, ut ſi Miniſter Baptiſmi dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Ego te baptizo*, vel Sacerdos Euchariſtiam conſecrans dicat: *Hoc corpus meum eſt*, tunc habetur integra forma ſacramentalis, quia ſenſus manet idem: ſin verò baptizans dicat: *Patris te ego baptizo in nomine Filii, & Spiritus S.* aut *Filii ego te baptizo in nomine Patris, & Spiritus S.* in iſtis tranſpoſitionibus verborum corrumpitur ſubſtantia formæ, quia ſenſus, propter quem forma verborum ſacramentalium inſtituta, & præſcripta eſt, tollitur, adeoque non perficitur Sacramentum, ut etiam in hac alia tranſpoſitione: *Ego in te Patris nomine*: quia ſenſus formæ pervertitur. Quòd verò ad interruptionem, & mutationem verborum attinet, docent communiter interruptionem notabilem, per quam moraliter intermittitur oratio, ut etiam non notabilem cum proteſtatione tamen non perſequendi orationem irritum reddit Sacramentum, quia tunc ſignificatio non ſubſiſtit ſine continuatione orationis: ſi enim mora ſit longior par poſterior formæ, non videtur efficere unam orationem moraliter cum priore antea prolata. Quòd ſi interruptio ſit modica, non tollitur unitas orationis, ut ſi quis dicat: *Ego te baptizo*, & poſtea conqueratur, aquam eſſe frigidiorem pro parvulo abluendo, & poſtea pergat addere: *In nomine Patris &c.* Hinc interruptio verborum interdum mutationem ſubſtantialem, & aliquando tantùm accidentariam invehit in formam ſacramentalem: eſt enim mutatio ſubſtantialis, ſi tanta ſit, ut intercipiatur intentio pronuntiantis, ac ſenſus verborum tollatur, ut ſi quis poſt prolationem horum verborum, *hoc eſt corpus*, Pſalmum recitet, vel ſilens longam moram interponat, & poſtea proferat *meum*, tollitur ſenſus, alioquin irritum eſt Sacramentum. Sin verò parva ſit interruptio, *qua intentionem proferentis, & intellectum verborum non aufert*, mutatio tantùm accidentaria eſt, nec impedit integritatem Sacramenti, ut ſi Sacerdos Euchariſtiam conſecrans, poſtquam dixit: *Hoc eſt*, ſternutaret, & tuſſiret, & non ſubjungeret, *corpus meum*, vel poſtquam dixit: *Ego te baptizo*, ſilentium injungeret fabulantibus, dicens, parcite vocibus, ſilete, & ſtatim ſubjungeret: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quòd verò ad mutationem per detractionem alicujus vocis, ex qua ſubſtantialiter non varietur ſignificatio, ut ſi in forma Baptiſmi, vel pœnitentiæ omittatur particula *ego*, tunc non cenſetur mutatio ſubſtantialis, quia verbum baptizo, & abſolvo, particulam illam ſufficienter includunt, ſecus ſi omitteretur particula *te*, eſſet mutatio ſubſtantialis, ut etiam in forma Baptiſmi, quia forma conficit Sacramentum ratione ſignificationis, & ſenſus, ergo variatio ſenſus per omiſſionem verborum Sacramentum irritat, poteſt tamen omiſſionem verborum pertinere ad ſubſtantiam formæ ſacramentalis: & tunc cenſetur fieri, cum tollitur debitus verborum ſenſus, ut ſi alicujus ex tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis nomen in forma Baptiſmi omitteretur, irritum eſſet Sacramentum, quapropter Didimus lib. 2. de Spiritu S. ait: *Si quis ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat*, (ſcilicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) *ſine perfectione baptizabit*: pari pacto, ſi perſonam baptizati Miniſter Baptiſmi non exprimeret pronomen demonſtrativum ſecundæ vel tertiæ perſonæ, aut nomen proprium omittens, & tantum diceret: *Ego baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ſubſtantia itidem violatur formæ ſubſtantialis: & idem judicium ferendum eſt de omiſſione pronominis demonſtrativi *hoc*, vel *hic*, vel pronominis *meum*, vel *mei*, in forma conſecrationis Euchariſtiæ.

Additio itidem aliquarum vocum ad verba formæ aliquando deſtruit verum ſenſum formæ, & aliquando non, ut ſi mutatio ſit accidentalis, ut ſi quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii ſapientis*, tunc forma eſt valida, ſecus ſi dicat: *Ego te baptizo in nomine Majoris, & Filii minoris, & Spiritus S. minimi*, tunc enim forma non eſſet valida, quia non invocarentur veræ perſonæ Trinitatis, ſed fictè & verba repugnant cum illis particulis *in nomine*, quibus ſignificatur æqualitas perſonarum. Additio enim verborum, quæ debitum formæ ſacramentalis corrumpunt, tollit veritatem Sacramenti, ut ſi quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filii minoris*: ſicut olim Ariani quidam baptizârunt: vel: *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto*; hæc enim additio collatum Baptiſma corrumperet, idque miraculo comprobatum eſt, Baptiſmum ita collatum eſſe irritum, refert enim Theodorus Lector lib. 2. hiſtor. Eccleſ. *Quòd quidam Deuterius Arianorum apud Conſtantinopolim Epiſcopus, cum Barbam ita dictum baptizaret Domini traditionem reſpuens, auſus eſt, inter baptizandum dicere: baptizatur Barba in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, quibus prolatis aquam, quæ in piſcina erat, ſtatim evanuit: Barba verò confeſtim inde effugiens, rem cunctis declaravit*: ſecus ſi additio ita fiat, ut non auferat debitum ſenſum, non tollitur Sacramenti veritas, ſive fiat in principio, vel in medio, vel in fine formæ ſacramentalis, aut ſi aliquis dicat: *Ego de baptizo in nomine DEI, Patris omnipotentis, & Filii ejus unigeniti, & Spiritus Sancti Paracleti*, eſt verum Baptiſma, ut etiam, ſi quis dicat: *Ego de baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Beata Virgo te adjuvat. Quòd ſi quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus*

Digitized by Google

Spiritus Sancti, ac Beatæ Virginis Mariæ, non esset Baptismus, quia Christus non instituit sub illa forma, ut nomen invocetur Beatæ Virginis Mariæ, hinc D. Paulus 1. ad Corinth. 1. ait: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis*: & quidem si eodem modo intelligeretur, in nomine Beatæ Virginis baptizare sicut in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quo Baptismus consecratus, utique talis esset contrarius fidei, & Christi institutioni ac tolleret veritatem sacramenti: sin vero ita intelligeretur, non quasi nomen Beatæ Virginis, aliquid operetur in Baptismo, sed ut ejus intercessio prodesset Baptizato ad conservandam gratiam Baptismalem, tunc ut docet D. Thomas, non tolleretur, sacramenti perfectio; unde cum hæc verba, & in nomine Beatæ Virginis includant æquivocationem consultius esset interrogare Ministrum de sua intentione, in quo sensu intelligat præfata verba, quæ cum patiantur plures sensus ad unum illorum determinatur ex intentione proferentis, quod si de intentione Ministri, à quo præfata verba addita sunt, liquidè non constet, dubius est Baptismus, ideoque sub conditione iterum baptizandus esset, qui sub tali formula baptizatus fuit. Quod si additum formæ sacramenti adversetur veritati fidei, si tamen formam non afficiat, nec in eam refundatur, aut ejus sensum variet non tollit veritatem sacramenti: ut si sacerdos Eucharistiam consecrans post prolata hæc verba. *Hoc est corpus meum*, preces aliquas adderet, quæ hæresim continerent, ut si cum Calvinistis diceret, *& illud in cælis ad dextram Patris positum adoramus, cujus figuram tantum in terris nobis præbes*, vel hæc alia adderet verba: *Tribue Domine, ut quod ore manducari non potest, fide sumamus*, vel adiungeret hæc alia verba: Quod de cœlo sumptum est, aut quod ubique est; non quasi partem formæ sacramentalis esse vellet, sed ut errorem secum indicaret, aut alios in eandem hæresim pertraheret, vera esset, & valida consecratio, dummodo intenderet facere quod facit Ecclesia alioquin ex defectu legitimæ intentionis irritum esset sacramentum, ut docet D. Thomas quæst. 61. art. 1. inquiens: *Si intendant per hujusmodi additionem vel diminutionem aliunm inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus non videtur, perfici Sacramentum: quia non videtur, quod intendat facere id, quod facit Ecclesia.* Cæterum quod preces additæ, & continentes hæresim non irritent sacramentum, nec ejus formam afficiant, & corrumpant, asserit D. Augustinus lib. 6. de baptismo contra Donatistas cap. 25. ubi ait: *Si non sanctificatur aqua cum aliquo erroris verbo per imperitiam peccator effundit multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si à doctioribus fuerint recitata, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem, nunquid si manifestarentur aliqui baptizati, cum illa preces dicta super aquam fuissent, juberentur denuò baptizari? quid ita? Quia plerumque precis vitium superat precantis affectus: & quia certa illa evangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur. Nam utique Hæreticus si afferat precem vitiosam, nec habeat bonum charitatis affectum, quo possit illa imperitia superari.* Et paucis interjectis subdit: *Efferat etiam, ut fieri solet aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei (multi quippe irruunt in preces, non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab Hæreticis compositas, & ignorantiæ simplicitate non eas valentes discernere, utuntur eis, arbitrantes quod bonæ sint) nec tamen quod in eis perversum est evacuat illa, quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius evacuatur, sicut in ipso homine bona spes, & probabilis fidei, sed tamen homine si quid aliter sapit, non inde evacuantur, quæ rectè sapit, donec ei Deus revelet, & quod aliter sapit.*

Ex corrupta verò prolatione verba variantur, sed si adsit intentio significandi, quod intendit Ecclesia, non irritatur sacramentum, ut constat ex cap. *Retulerunt de consecratione cap.* 4. ubi Zacharias Pontifex ad Bonifacium rescribit, validam fuisse hanc formulam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filia, & Spiritua sancta*, quia talis corruptio non tollit significationem; siquidem verba significant juxta intentionem loquentis, qua propter Pontifex prohibuit eos rebaptizari, qui sub hac forma fuerant baptizati ab imperito sacerdote, eò quia habuit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & noluisset errorem introducere nec hæresim, quipropter mutatio illa fuit tantum materialis, non verò quoad significationem: quia verba fuerunt prolata ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & ex tali intentione fuerunt verba illa determinata ad eandem significationem, tametsi quoad sonum fuerunt corrupta. Hinc qui corruptè profert verba sacramentalia, si id ex industria faciat, non videtur sacramentum administrare cum intentione faciendi quod Ecclesia facit, & ita non videtur sacramentum perfici: sin autem id faciat ex errore, vel lapsu linguæ, & corruptio tanta sit, ut sensus locutionis destruatur, ut si loco horum verborum *in nomine Patris*, Minister dicat *in nomine Matris*, vel pro verbo *baptizo* dicat *baptizor*, nullum pariter sacramentum est. Sin verò non penitus auferatur sensus locutionis per hujusmodi corruptelam perficitur nihilominus sacramentum, ut superius ostendimus, quia licet mutetur sensus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Hinc substantiam formæ sacramentalis non mutavit alius Presbyter, qui rusticè hunc in modum baptizavit, *in nomine Patris mergo, & Filio mergo, & Spiritus sancti mergo*, ut respondit Stephanus II. tom. 2. Concil. ad annum 754. *Infantes vero illi*, ait Pontifex, *quos baptizavit, licet rusticè, quia in nomine Trinitatis sunt baptizati, in eo permaneant baptismo*: Mutatio etiam per corruptionem merè internam, si sola sit nunquam reddit sacramentum invalidum, adeo ut si Minister exterius quidem integrè pronuntiet voces, sed interius in sensu hæretico, & falso eas intelligat, vel putet voces quasdam esse essentiales, quæ revera tales non sunt, vel è contra, si tamen adsit intentio vera faciendi id, quod Christus instituit, non tollit valorem sacramenti, quamvis periculum sæpius sit, ne intentio illa irritetur, quia si non adesset vera intentio faciendi, quod Christus instituit sacramentum, nullius esset valoris non ex defectu formæ, sed intentionis: Idque ex eo convincitur, quia Græci sacerdotes ritu græco ordinati verè baptizant, & consecrant, licet errent putantes formam, qua utuntur Latini esse nullam: ergo licet qui baptizat, existimet interius Spiritum sanctum non procedere à Filio, validè tamen baptizat, si habeat intentionem efficiendi, quod Ecclesia efficit, quia error ille non significatur per verba, quibus administrat sacramentum. Præterea sacerdos verè etiam consecraret, si pronuntiaret verba, quamvis pu-

taret, Christum non esse in sacramento nisi figuratè, dummodò haberet intentionem faciendi hoc idem, quod Christus instituit. Pari pacto siquis calicem consecraret, & putaret pronomen *hic* sumi adverbialiter, non irritaret sacramentum, nisi fortassis intenderet expresse, illud sumere adverbialiter. Rursus si corruptio merè interna sit tantùm accidentalis, non irritatur sacramentum, tametsi adesset animus introducendi errorem, quia intentio introducendi errorem non potest tunc esse de errore contra substantiam sacramenti, quia mutatio est tantum accidentalis: ergo non irritatur sacramentum, quia remanet forma secundum illius substantiam, & etiam adest intentio faciendi hoc idem, quod facit Ecclesia.

Sed dices, si quis baptizet cum intentione introducendi Arianismum, & diceret: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii creati &c.* non conficeretur sacramentum, & tamen variatio esset tantum accidentalis: ergo mutatio accidentalis irritum reddit sacramentum, si adsit animus introducendi errorem. Sed contra est, negatur secunda pars antecedentis; quia talis variatio esset substantialis, non accidentalis, quia essentialiter variaretur significatum; scilicet secunda persona SS. Trinitatis, quæ non exprimeretur, cum sit de essentia formæ in sacramento baptismi, proinde variata essentialiter forma, variatur etiam ipsa significatio. Dices *ex capite retulerunt de consecratione dist.* 4. declaratur validus baptismus stante accidentali mutatione formæ, quia non adfuit animus introducendi errorem, & mutatio verborum est tantum accidentalis, ergo si error adfuisset, non fuisset baptismus validus. Sed contra, quia ille baptismus fuit validus, quia non adfuit animus introducendi errorem, quatenus mutatio verborum erat talis, ut de se patet esset essentialis, & accidentalis juxta diversum intentionem loquentis, consequenter habita fuit, proinde habita fuit pro accidentali, & stante intentione faciendi, quod facit Ecclesia, fuit Baptismus validus. Denique mutatio formæ de activa in passivam, aut de uno in alium modum, si servetur idem sensus, non irritat sacramentum: quia eo ipso, quod manet idem sensus, fit tantum mutatio accidentalis. Secus mutatio verborum in nutus extra sacramentum matrimonii est mutatio essentialis, quæ propterea irritat sacramentum. Ratio est, quia nutus non sunt ordinati ad significandum, quod significat forma: tum quia sunt valde confusi possunt applicari ad significanda diversa, tum quia tantum arguitive inducunt in cognitionem, ex quibus constat, mutationem verborum in nutus esse essentialem. Rursus mutationem verborum in scripturam irritum facit sacramentum; quia sacramenta ex institutione sui constant de verbis, ac habetur ex perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ: sed scriptum est in diverso genere à verbis ore prolatis siquidem per scripturam verba non proferuntur ore, neque sono vocis explicantur sed tantum calamo scribuntur, consequenter verba scripta nequeunt esse forma sacramenti. Cæterum mutare formas, & materias sacramentorum nemini ex hominibus licet ex quavis ratione, adeo ut qui ex industria vel crassa negligentia materiam sic immutaret, ut sacramentum irritum redderetur, peccaret lethaliter peccato sacrilegii, quia hæc mutatio redundaret in maximam incuriam Dei authoris sacramentorum, cujus institutio, & lex contemneretur. Rursus gravis itidem suscipienti inferretur injuria; quia sacramenti fructu omni privaretur. Lethaliter itidem peccarent, qui quacunque materiæ, & formæ mutatione ritus novos aut errores ab Ecclesia damnatos inducere intenderet. Neque enim Ministros sacramentorum excusare potest juris ignorantia quia necessario ad proprium ministerium, & officium suum ritè obeundum tenentur scire. Posset tamen à gravi peccato excusari laicus, qui in necessitate baptizans, & ex ignorantia formam sacramentalem corrumperet, non ita tamen excusaretur obstetrix curata eò quia ad munus obeundum obstetricis non admittitur, nisi probè sit edocta, & instituta ad Baptismum in articulo necessitatis sub præscripta forma verborum conferendum, ut decretis Ecclesiæ injungitur in pluribus Conciliis citatis à Ludovico Bochello, *lib.* 2. *decretor. Eccles. Gallican. lib.* 3. *de Baptismo.* Neque à lethali culpa excusari posset, qui ex industria corruptè proferret, ac mutaret verba formæ sacramentalis, tametsi sensus maneret idem, & accidentaria tantum fieret immutatio, idque ratione gravis negligentiæ contemptus vel scandali, idque vel maxime si corruptio illa vel mutatio notabilis foret: ut si quis volens ministrare baptismum sciens diceret in *nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta*; vel in consecratione Calicis omitteret verba illa novi, & æterni testamenti mysterium fidei. Sin autem mutatio levis sit, & non cum plena consideratione, & deliberatione facta Minister posset excusari à lethali, non tamen saltem à veniali: neque excusatur à peccato mortali, qui in administrandis sacramentis utitur materia, aut forma dubia, quando habere potest certam, & indubitatam, idque ob periculum non conficiendi sacramentum, qua de causa sacrilegis, & irrisionis rerum divinarum se exponit, & hoc casu habetur regula D. Augustini lib. 1. de baptis. cap. 3. ubi ait: *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus ex eo solo quod certis incerta proponeret*, neque obstat Opinionis probabilitas, siquidem quidquid sit de probabilitate speculativè sumpta quod materiæ quædam, & formæ sufficientes ac legitimæ videantur in scholis non tamen probabilitate practica, quia in praxi non est probabile, quia prohibitum, & damnatum ab Innocentio XI. Pontifice Maximo anno 1679. die 2. Martii damnavit enim hanc propositionem: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi Ordinis sacerdotalis aut Episcopalis.* Cum igitur hæc propositio damnata fuerit, sequitur, in praxi non esse probabile in administratione sacramentorum uti materia vel forma dubia. Peccant etiam lethaliter, qui modum materiæ, & formæ notabilem, & ab Ecclesia universali vel sua observatam non servat, ut si sacerdos ex industria in missæ sacrificio non misceret, quam vino, vel sacerdos Latinus præsumeret in fermentato consecrare Eucharistiam, ut etiam Presbyter Græcus in azymo, quia modum notabilem in materia Eucharistiæ à sua Ecclesia observatum ipse non servaret. Verùm quia Ecclesia Latina est universalior, & per singulas mundi partes perfusa, & ubiq; consecrat in azymo censeretur excusatus sacerdos, Græcus qui in suis regionibus in azymo consecraret, quia se conformaret Ecclesia universali, proinde laudabiliter potius ageret.

Quod

Digitized by Google

Quod si quæras, cur Christus instituerit sacramenta in rebus, & verbis respondetur, quia id congruum erat, quia cum Verbum junctum esset carni visibili, ita in sacramentis rebus sensibilibus congruum fuerat, ut verba jungerentur; & id etiam exigebat conditio hominis, qui cum sit compositus ex anima, & corpore, ita materia sensibilis sacramenti esse debuit, quia repræsentat corpus: verba autem animam afficiunt ad credendum, juxta illud D. Augustini Tract. 80. in Joan. ubi ait: *Unde est tanta vis in aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo; non quia dicitur, sed quia creditur.* Rursus hoc idem exigebat significatio sacramenti, quia cum rerum non sit determinata significatio, sicut vocis, eadem enim aqua in caput injecta potest plura significare, scilicet refrigerium, ob suam frigiditatem, humectationem, vel humiditatem: sic per verba accipiunt res determinatam significationem, ut aqua in caput pueri infusa per hæc verba, *Ego te baptizo*, determinatur ad significandam spiritualem ablutionem, & emundationem à peccato. Hinc Augustinus ait: *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Per hæc verba, & ex rebus simul cum verbis habetur integra significatio sacramenti: quia nec res solæ, seu aqua, neque verba sola, scilicet, ego te baptizo adæquate significant effectum sacramenti, seu ablutionem à peccato, bene tamen, si res, & verba simul junguntur, res enim quia indifferentes, sortiuntur rationem materiæ, quæ ex se, & natura sua indifferens, est ad varias formas: & verba utpote determinantia res ipsas, habent rationem formæ, de cujus ratione est materiam determinare.

Si quæras, quid sint cæremoniæ sacræ componentes aliquo pacto integraliter sacramentum, & an habeant aliquem proprium effectum. Pro declaratione quæsiti præmittendum est, cæremoniam universim vocari actionem quamlibet externam, qua exhibemus honorem Dei: Hæc enim definitio etiam profanis Authoribus innotescit, qui volunt cæremoniæ nomenclaturam à Cære deductam, eò quia in eo primum Numa Pompilius Romana sacra instituerit. Alii etiam volunt cum D. Augustino lib. retract. cap. 37. Etymologiam cæremoniæ desumi à carendo, eò quia pleræque in abstinentia potius sitæ sint. Ratio est, quia cum actus internus virtutis religionis sit velle cultum, & honores exhibere Deo, ut supremo Domino, actus ejus externus elicitus est, necessario actio externa, qua colitur, & honoratur Deus, ut genuflexio, adoratio, & aliæ id genus actiones externæ, in quo sensu omnes sacræ observantiæ, & sacrificia cæremoniæ vocantur. Ut autem ad nostram pertinet institutum, cæremonia est, actio externa religiosa instituta ab Ecclesia in honorem Dei ad decentem, & debitum usum sacramentorum, quapropter cæremoniæ vocari etiam solent sacramentalia, quia cæremonia hic vocatur, quod non pertinet ad ipsam essentiam sacramenti, aut sacrilegii, sed tantum, ut est aliqua circumstantia, quæ comitatur actionem sacramentalem, hinc sacramenta conveniunt cum sacramentalibus, quia etiam sunt sacræ cæremoniæ. differunt verò, quia sacramenta per se immediatè referuntur ad cultum Dei, & sanctificationem animarum: sacramentalia verò tantum mediatè, quatenus ordinantur ad decentem usum sacramentorum, & sacrificii, siquidem cæremonia est aliqua circumstantia sacramenti, & distinguitur ab ejus substantia, Præterea quia sacramenta sunt immediatè instituta ab ipso Christo, & sacramentalia ab Ecclesia. Distinguuntur etiam ratione effectus, quia sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, non ita sacramentalia, quæ gratiam non conferunt: verum an possint cæremoniæ habere aliquem effectum proprium ex opere operato, controvertitur in scholis, quia de signo crucis, & de aqua lustrali plures probabiliter affirmant. Alii dicunt, ex opere operato propriè dicto nihil posse fieri per has cæremonias, quæ sententia censetur probabilior, quia Deus non dedit Ecclesiæ hanc facultatem, quæ solius Christi est propria: habent nihilominus hujusmodi cæremoniæ majorem quandam vim quam ex opere operantis, alioquin superfluæ viderentur orationes Ecclesiæ, quæ recitantur in benedictione aquæ, & aliorum sacrorum vasorum: quapropter hæ actiones non habent impetrandi gratias actuales, quibus mediantibus homo disponitur ad gratiam recipiendam, & remissionem venialium. Tum quia beneficia temporalia, & victoriam de Dæmone immediatè etiam impetrant. Cæterum Ecclesia convenientissimè instituit has cæremonias, quibus in administratione sacramentorum, & in sacrificiis sacerdotes utuntur, quia ex decentissima earundem celebratione impensè honoratur Deus, & sine hisce cæremoniis irreverenter tractarentur sacramenta. Præterea quia per has cæremonias ritè docentur fideles, tum excellentem sacramentorum præstantiam, tum significationem mysteriorum, quæ in sacramentis continentur.

CAPUT XII.

An sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato non ponentibus obicem?

Negant sectarii, sacramenta novæ legis causare gratiam, putantes justificationem non esse quidquam intrinsecum animæ, sed tantum extrinsecum Dei favorem vel justitiam Dei, & Christi nobis imputatam, & extrinsecus veluti applicatam. Censent enim, ad justificationem hominis nihil aliud requiri quàm fidem, seu fiduciam, qua confidimus, & credimus justitiam Dei, vel Christi nobis prodesse ad condonationem peccatorum, & inde inferunt sacramenta novæ legis aliud non exercere munus nisi quod excitent in nobis, ac fidem, seu fiduciam; vel etiam, ut sint quædam notæ Christianæ professionis, quibus fideles ab infidelibus discernuntur, quæ sententia quam sit falsa fuse demonstravimus in Theologia in Tractatu de gratia, ubi evidenter ostendimus, gratiam justificantem revera esse aliquam intrinsecam qualitatem inhærentem animæ, & per quam justificamur. Præterea Hæretici rident modum loquendi Doctorum Catholicorum asserentium sacramenta novæ legis causare gratiam, *ex opere operato*, aiunt enim hanc vocem novam esse ac barbaram latinitatis corruptricem, & adversantem legibus grammaticæ, ex cujus regulis constat operatum non usurpari passive, quia actionem significat, & non passionem. Hinc Calvinus in antidoto Concilii Tridentini hanc vocem *operatum*, monstrat monstrosam excogitatam tantum à Baptistis ad excludendam fidem, & pœnitentiam, aliosque bonos actus, veluti inutiles ad justificationem: quinimo etiam ad excludendam ipsam passionem Christi, quapropter Hæretici Doctores Catholicos calumniantur, dicentes eos vocibus illis nihil aliud significare, nisi quod sacramenta novæ legis gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, & sine alia dispositione sufficiente, sed

quam

Sed contra, quia, licet in Sacramento pœnitentiæ requiratur dolor ſupernaturalis, non tamen ejus honeſtas eſt cauſa illius gratiæ, quæ producitur ex opere operato, quia hæc honeſtas eſt tantùm conditio neceſſariò requiſita, ut producatur gratia, non verò eſt cauſa gratiæ. Sed inſtabis, quia ſi opus operatum tantùm ſignificat ipſam actionem, ut elicitam, non verò ut honeſtam eſſe collativam gratiæ, nunquam ſatisfactio dicenda eſſet ex opere operato, quod eſt abſurdum, quia fructus indulgentiarum, & ſacrificii habetur ex opere operato. Præterea quia ſatisfactio per indulgentias non magis eſt ex vi operis, ut eliciti, quàm ſatisfactio per ſuffragia, quæ non eſt niſi ex opere operantis, etenim ſi aliquis applicet alteri ſatisfactionem ſui jejunii, fructus ille acquiritur ab alio ſine merito ullo proprio ejuſdem. Tum quia per indulgentias applicantur nobis Chriſti ſatisfactiones abſque ullo noſtro bono opere: ergo vel utrinque erit opus operatum, vel in neutro. Sed contra, quia ſatisfactio ex opere operato interdum remittit pœnam, ut in indulgentiis, & ſacrificiis, & aliquando tantùm ex opere operantis, ut in ſuffragiis. Cæterum diſcrimen inter indulgentias, & ſuffragia eſt, quia opus, ratione cujus conceditur indulgentia, ſive ſit aliquod opus meum, ſeu pura Pontificis conceſſio, non requiritur neceſſariò, ut ſit honeſtum, & meritorium, ſiquidem merita Chriſti, è quibus ſumuntur indulgentiæ, poſſunt ſuſpenſa manere; ex quo fit, ut ex opere operato conferatur remiſſio pœnæ, ſecus in ſuffragiis opus ultimum, propter quod datur ſatisfactio debet eſſe illud ipſum opus, quod applicatur, ut in caſu propoſito, quamvis ſub ea tantùm conditione alteri applicetur, ut recitet unum vel alterum Pater, & Ave, alioquin maneret ſuſpenſa applicatio jejunii.

Aſſerendum ſecundò, ſacramenta novæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem, conſequenter non eſſe tantùm ſigna excitativa fidei, vel notas, quibus fideles ab infidelibus diſtinguuntur, eſt de fide, & colligitur ex Tridentino ſeſſ. 7. can. 6. *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint accepta per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.* Et hæc noſtra aſſertio fuit etiam definita in Concilio Florentino in decreto unionis, ubi conſtituitur differentia inter ſacramenta novæ, & veteris legis: eo quia ſacramenta veteris legis tantùm ſignificaverint, non cauſaverint gratiam, & ſacramenta novæ legis eam ſignificent, contineant, conferant, & cauſent, ut colligitur ex ſcripturis ac ſacris Patribus, frequenter docentibus, ſacramenta novæ legis habere vim cauſandi gratiam, & remittendi peccata, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei*: Tribuitur enim generatio ſpiritualis, quæ fit per gratiam, Spiritui Sancto, ut cauſæ principali, & baptiſmo, ut cauſæ inſtrumentali, hinc pulchrè Auguſtinus, expendens verba Joannis, ait epiſt. 23. *Non enim ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex operantium, vel miniſtrantium fide, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, & Tract. 80. in Joan. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat*, ergo cùm baptiſmus abluat, regeneret, & ſalvum faciat, debet habere virtutem cauſandi gratiam immediatè, & non tantùm excitandi fidem, per quam conferatur gratia, Neque obſtat, quod reſpondet Calvinus, nomine aquæ intelligi Spiritum Sanctum, qui eatenus dicitur aqua, quia inſtar aquæ nos emundat, Nam contra eſt, quia per aquam communiter intelligunt baptiſmum, ut Juſtinus *Apologet*. 2. Tertullianus *Lib. de baptiſmo*. Ambroſius *Lib. 3. de Spiritu S. cap.* 11. Cyprianus *Lib. 3. ad Quirinum cap.* 25. Nazianzenus *orat.* 40. Baſilius *ſerm. de baptiſmo*, & alii Patres. Præterea quia Joan. 3. dicitur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu*, ubi ponitur aqua, ut diſtincta à Spiritu Sancto. Reſpondent ſecundò Sectarii, baptiſmum ſalvum facere, eò quia excitet idem. Contra eſt, quia fides præcedit baptiſmum. Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, tum quia inde ſequeretur, infantes non poſſe baptizari, quia, cùm ipſi nondum ſint capaces rationis, non poteſt in ipſis fides excitari; tum quia baptiſmus non eſſet regeneratio, quia excitare fidem non eſt regenerari. Sed reſpondent tertiò, baptiſmum abluere in remiſſionem peccatorum, quia eſt teſtimonium acceptæ juſtificationis. Sed contra, quia, ſi eſſet teſtimonium, ſupponeret peccata deleta, ergo non ablueret; Demum, quia abluere in remiſſionem peccatorum ſignificat efficaciam ad remittenda peccata: hæc autem efficacia non habetur niſi per vim cauſativam gratiæ. Alia ſacramenta novæ legis itidem conferre gratiam non ponentibus obicem, conſtat ex ſcripturis: nam de ſacramento Confirmationis Act. 8. & 19. dicitur: *Per impoſitionem manuum dari Spiritum Sanctum.* De Evchariſtia Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* De extrema Unctione Jacob. 5. *Si in peccatis fuerit, remittuntur ei.* De Ordine ad 1. Timot. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Particula illa *per* ſignificat verè ex vi impoſitionis manuum fuiſſe Timotheo collatam gratiam. De ſacramento matrimonii definitum fuit in Conciliis, & præſertim Tridentino ſeſſ. 24. *Si quis dixerit, non eſſe verè, & propriè matrimonium unum ex ſeptem novæ legis ſacramentis, nec gratiam conferre, anathema ſit.* Neque obſtat, quod reſpondent Hæretici, ſcripturas tribuere juſtificationem fidei, non verò ſacramentis, ut conſtat ex illo Apoſtoli ad Hebr. 10. *Juſtus ex fide vivit.* Marci ult. *Qui verò non crediderit condemnabitur.* Nam contra eſt, quia ſcripturæ non ſolum fidei, ſed etiam ſacramentis tribuunt juſtificationem: ſiquidem baptiſmo tribuunt regenerationem, & pœnitentiæ remiſſionem peccatorum: tribuunt autem fidei juſtificationem, ut primæ radici, quia ſine fide non poſſunt haberi ſacramenta.

Ratio autem evincens noſtrum aſſertum, non poteſt alia aſſignari, quam ipſa Dei voluntas, & Chriſti, qui potuit ac voluit mediis ſacramentis ſenſibilibus fructum communicare, ac pretium noſtræ ſalutis, ut conſtat ex præcitatis ſcripturæ locis, Patrum teſtimoniis, & Eccleſiæ traditione. Siquidem Patres utuntur ſimilitudinibus, & comparationibus, quæ vera & realem ſacramentorum cauſalitatem adſignificant reſpectu gratiæ ſanctificantis, etenim D. Leo Papa ſerm. 4. de Nativit. comparat baptiſmum utero virginali, inquiens: *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis, inſtar eſt uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, qui replevit & virginem, ut peccatum, quod ibi evacuavit ſacra conceptio, hic ſolvat ablutio*, & Tertullianus Lib. de Baptiſmo comparat baptiſmum aquis, in mundi primordiis volucres producentibus, & piſces. Niſſenus virgæ Moyſis, quæ obruit aquis Pharaonem, & exercitum ejus: hæ autem & aliæ id genus ſimilitudines, & comparationes, procul dubio abſurdæ forent, ſi ſacramenta novæ legis ha-

Digitized by Google

haberent tantùm fidem excitare, non verò gratiam causare. Præterea quia verba sacramentorum debent necessariò suam habere veritatem, sed verba sacramentorum, ut rebus adjuncta, significant interiorem emundationem,& collationē gratiæ, ad augmentum, ut liquet ex verbis uniuscujusque sacramenti: Consequenter omnia sacramenta non solùm continent,& significant gratiam,sed etiam illam causant, unde Tertullianus Lib. de resurrect. carnis: *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur, caro manuum impositione obumbratur, ut anima spiritu illuminetur: caro corpore Christi & sanguine vescitur, ut anima de Deo signetur.*

Asserendum tertiò, sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato, ita communiter Catholici, idque probant omnia Scripturæ sacræ testimonia, quibus gratiam per sacramenta conferri in superioribus ostendimus, siquidem remissionem peccatorum, donationem Spiritus Sancti, sanctificationem animæ, gratiæ infusionem, fidei non tribuunt, nec sanctæ dispositioni suscipientium, sed tantùm ipsi actioni sacramentali, & ipsi sacramento, quatenus à Christo institutum est, etenim Ezech. 36. dicitur: *Effundam super vos aquam mundam,& mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor novum:* ubi luculentissima habetur baptismi commendatio. Zachar. 13. *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, & menstruata.* Joan. 1. contraponitur baptismus Joannis baptismo Christi: *Baptizo vos aqua, ille autem baptizabit vos in Spiritu Sancto.& igne*; sed si sacramenta novæ legis non conferrent gratiam, baptismus Joannis non fuisset inferior baptismo Christi. Tum quia sacramenta novæ legis conferre gratiam, ex opere operato fuit definitum in pluribus Conciliis, præsertim Milevitano *cap.*2. Arausicano II. *cap.*25. Florentino *in decreto Eugenii*, & Tridentino *sess.* 7. *can.*8. ubi ait: *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Patrum itidem testimonia hanc veritatem Catholicam evincunt, etenim ex Patribus Græcis S. Justinus Martyr in Apologia ad Antoninum Imperatorem scribit: *Nos baptizari, ut remissionem ante commissorum peccatorum consequamur aqua.* Origenes homil. 14. in cap. 2. D. Lucæ ait: *Parvulos baptizari in remissionem peccatorum, & per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponi.* Tertullianus Lib. de baptismo cap. 2. pulchrè: *Nonne mirandum, & lavacro dilui mortem? at quin eò magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Ceterum incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia, quasi vana, magnifica, quasi impossibilia. Etsi planè non putas, satis ad utrumque divina prænuntiatio præcucurrit, stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus, & prædifficilia penes homines, facilia penes Deum.* Et cap. 3. subdit: *Ordinato per elementa mundo, cum incolæ darentur, primis aquis præceptum est animas proferre. Primus liquor, quod viveret, edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare noverunt.* S. Cyprianus epist. 1. ad Donatum loquens de baptismo ait: *Difficile prorsus ac durum, pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuò posset, utque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatur, quod prius fuerat, exponeret, & corporea licet manente compage hominem animo ac mente mutaret. Qui possibilis ajebam, est tanta conversio, ut repentè ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit.* Et infra subjungit: *Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius difficile videbatur geri posse, quod impossibile putabatur; ut esset agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret.* S. Basilius Lib. de Spiritu Sancto cap. 15. de Sacramento baptismi ita ait: *Cum duo scopi propositi sint in baptismo, scilicet, ut aboleat corpus peccati, ne postea fructificet mortem, tum ut vivat spiritu, & fructum habeat in sanctificatione, aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulchro recipiens, spiritus verò vim vivificam immittit à morte peccati, renovans animas nostras in novam vitam. Hoc igitur est desuper nasci ex aqua, & spiritu, quasi mortificatio perficiatur in aqua, vitam verò nostram operetur spiritus. Itaque si qua gratia est in aqua, non ex ipsius aquæ natura, sed ex spiritûs præsentia.* D. Gregorius Nissenus orat. in baptism. Christi ait: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis, & regenerationis causa*, & cùm hoc non uni aquæ, sed Spiritus S. operationi per aquam doceat esse tribuendum, ait: *Quare ne contemnas divinum lavacrum, neque id tanquam commune propter usum aquæ, parvi facias. Nam id quod operatur magnum est, & ab illo mirabiles existunt effectus.* Hoc idem asserit de reliquis sacramentis, quæ ex Spiritu S. & verbis divinis efficaciam habent, subdit enim: *Panis item Panis est initio communis: sed ubi cum mysterium sacrificaverit corpus Christi fit, & dicitur: sic mysticum oleum, sic vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quæ à Spiritu S. procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis sacerdotem augustum, & honorandum facit, novitate benedictionis à communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempore superiori, unus è multitudine ac plebe esset, repente redditur Præceptor, Præses, Doctor pietatis, mysteriorum latentium Præsul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus; sed quod ad speciem externam attinet, ille fit, qui erat invisibili quadam vi, ac gratia invisibilium animam in melius transformatam gerens. Atque ita ad multas res animam advertens, contemnenda quidem, videbis ea, quæ apparent, magna verò, quæ ab illis efficiuntur*: & ad id evincendum plura congerit, quæ licet specie externa parvi videantur facienda, virtute tamen divina fuerunt assumpta ad mirabilia peragenda, ut virga Moysis, Rubum Horeb montis, Pallium Eliæ, reliquiæ Elisæi, lignum Crucis, quæ cum materiæ sint inanimatæ, ac sensus expertes, nihilominus à Deo assumptæ fuerunt ad plura miracula perpetranda. Pari pacto etiam aqua, cum nihil aliud sit, quàm aqua, ex virtute tamen Omnipotentis Dei ita benedicitur, ut potens sit, non tantùm sordes corporis abstergere, verùm etiam animæ maculas, seu peccata delere, ac hominem ablutum renovare, ac spiritualiter regenerare. Quòd si non percipiatur, quomodo possit aqua maculas abstergere animæ, respondet Gregorius Nissenus loc. cit. *Ostende mihi modum nativitatis, quæ fit secundum carnem; & ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, exponam. Dices fortasse, quasi quandam rationem reddens, semen causa hominis effectrix est. Audi igitur contra à nobis, quod aqua, quæ benedicitur, purgat, & illuminat*

nat hominem. Quod ſi mihi rurſus contra ſubjicias, quomodo? clamabo contra te vehementius; quomodo humida atque informis natura hominis fit? atque de omni creatura ita oratio progrediens in unaquaque re exercebitur: Qui cœlum? qui terra? qui mare? Qui res ſingulares? ubique divina vis, & efficacitas incomprehenſibilis eſt. S. Joannes Chryſoſtomus homil. 25. in Joan. ait: *Quod eſt Matrix embrioni, hoc eſt fideli aqua: ſiquidem in aqua fingitur & formatur, nam primo dictum eſt, producant aqua reptile, animæ viventis. Ex quo autem Jordanis alveum ingreſſus eſt Chriſtus, non amplius reptilia animarum viventium, ſed animas rationales, & ſpiritales aqua produxit: Et quod de ſole dictum eſt, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo; hoc longe magis de fidelibus in præſentia dici poteſt. Multo namque magis, quam ille, clariores diffundunt radios, at quòd in matrice formatur, tempore indiget, quod in aqua minimè, ſed momento omnia perficiuntur.* Optatus Milevitanus lib. 5. contra Parmenianum ait: *Baptiſma Chriſtianorum Trinitate confectum confert gratiam: ſi repetatur, facit vitæ jacturam.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. p. 147. accommodatam adfert ſimilitudinem, inquiens: *Quemadmodum infuſa lebetibus aqua, ſi admoveatur igni vehementi, vim ejus concipit: ita Spiritus efficacitate ſenſibilis aqua ad divinam quandam, & ineffabilem vim transformatur, omnesque demum in quibus fuerit, ſanctificat.* Ex Patribus Latinis D. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum in baptiſmo omnia peccata mergi, omnes ſordes emundari docet: quod ubi multis ſcripturæ locis probavit, ſubdit: *Dies mihi deficiet, ſi cuncta, quæ ad baptiſmi potentiam pertinent, de ſcripturis ſacris voluero digerere, & nativitatis ſecundæ, imò in Chriſto primæ ponere Sacramenta.* D. Auguſtinus lib. 4. contra Creſconium Donatiſtam cap. 16. aſſerit: *Non eorum meritis, à quibus miniſtrantur conſtare baptiſmum, ſed propria ſanctitate, atque veritate propter eum, à quo inſtitutus eſt, malè utentibus ad perniciem bene utentibus ad ſalutem.* D. Leo Papa ſerm. 5. de nativit. Domini: *Dominus Jeſus originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte baptiſmatis, dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim altiſſimi, & obumbratio Spiritus S. quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem.*

Non tamen ſacramenta hanc efficaciam habent refundendi in ſuſcipientes gratiam ex fide vel devotione ſuſcipientium, ſed ex virtute, & paſſione Chriſti Domini, Sacramentorum Authoris. idque liquido evincitur ex baptiſmo parvulorum, qui fidei actualis, & devotionis ob immaturam ætatem ſunt incapaces, tametſi non eliciant actum fidei, nec actus devotionis, recipiunt gratiam ſanctificantem non ex fide, quæ nondum actu adeſt in parvulis illis, neque ex devotione, ſed ex ſacramento baptiſmi, quod actu ſuſcipiunt. Rurſus hoc idem claret in baptiſmo eorum, qui rationis uſu per morbum deſtituti baptizantur, ut teſtatur D. Auguſtinus Lib. 4. confeſſ. c. 4. de quodam ſuo amico, qui rationis uſu deſtitutus ob morbum, quo laborabat, adhuc ſine actuali fide absque devotionis exercitio baptizatus fuit, & gratiam ſuſcepit ſanctificantem, Hinc fruſtra objiciunt Hæretici vitam ſpiritualem, & productionem internæ juſtitiæ in fidem, non in ſacramenta ab Apoſtolo refundi, ad Rom. 1. & ad Heb. c. 10 *Juſtus autem ex fide vivit*, & ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam.* Fidei enim ſeu diſpoſitioni primariæ juſtificatio tribuitur, ſed non ſoli, nec in ipſam, ſeu in cauſam efficientem refunditur, etenim vita ſpiritualis & productio internæ juſtitiæ, ſeu gratiæ ſanctificantis ab Apoſtolo tribuitur virtuti ſacramentorum, adeo ut ſacramenta ſint per Chriſti merita, & paſſionem cauſa effectrix vitæ ſpiritualis, & productionis internæ juſtitiæ, quæ proinde fides tantùm tribuitur, ut diſpoſitioni, quia *accedentes ad Deum*, ut ait Apoſtolus, *oportet credere*, non quòd fides ſit cauſa effectrix juſtificationis noſtræ, ſed quia, ut diſpoſitio ad ſacramentum baptiſmi ſuſcipiendum debet præcedere, proinde productio internæ juſtitiæ, & vitæ ſpiritualis tribuitur Sacramento, ut cauſæ efficienti, ait enim Apoſtolus ad Tit. 3. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Et Joan. 6. de ſacramento Evchariſtiæ ait Chriſtus: *Amen, amen, dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo,* non dicit, qui habuerit fidem, in me manet, & ego in illo, ſed qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem. Neque obſtat, quod Sectarii objiciant 1. Petr. 3. ubi dicitur: *Salvos nos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*, ac ſi Apoſtolus Petrus aſſerat, baptiſmum eſſe, qui lavat, & bonam conſcientiam, quæ juſtificat; utuntur Sectarii hoc textu, ut probent ſolam fidem eſſe cauſam noſtræ juſtificationis, & ſalutis. Sed contra, quia Apoſtolus tantùm vult, fidem ſemper requiri ad hoc, ut ſacramenta conferant gratiam adultis, tanquam diſpoſitionem neceſſariam, quinimò ſola fide cum baptiſmo in voto poteſt homo ſalutem conſequi, licet non ſufficiat baptiſmus ſine fide, quapropter Chriſtus Marci ult, ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*, unde quando agitur de ſalute, pronuntiatur ſimul baptiſmus ac fides, & quando de damnatione ſola fides aſſeritur, non baptiſmus. Præterea ſenſus præcitati textus eſt, non per baptiſmum nos ſalvari, quatenus carnis ſordes abluit, ſed ut efficit conſcientiam puram, quando coram Deo nos ipſos interrogamus, unde dicimus, nos per baptiſmum ſalvari, quatenus efficit, ut habeamus conſcientiam mundam & puram. Objiciunt tamen Hæretici etiam illud D. Auguſtini Tract. 80. in Joan. ubi ait: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur*: ex hoc Auguſtini textu inferunt totam virtutem in ordine ad noſtram ſalutem, nonniſi per fidem haberi: ſed contra, quia D. Auguſtinus ibi tantùm loquitur, ut notat Bellarminus de fide objectiva, non de formali: ait enim Auguſtinus, *faciente hoc verbo vitæ, non quia dicitur, ſed quia creditur*, ubi clare aſſerit, hanc virtutem non convenire verbis per ſolam materialem ſignificationem, ſed propter myſterium fidei, quod in ſua ſignificatione continent, quapropter ſubdit Auguſtinus: *In ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens, hoc eſt verbum fidei, id eſt, verbum continens fidem.*

Quod ſi quæratur, an Sacramenta veteris legis, & remedia legis naturæ cauſaverint gratiam ex opere operato propriè dicto, reſpondetur cum D. Thoma negativè, & ratio præſto eſt, quia, ſi ſacramenta veteris legis gratiam produxiſſent ex opere operato, inferiora non fuiſſent ſacramentis novæ legis, quod manifeſtè adverſatur Apoſtolo, qui ad Roman. 3. cum oſtendiſſet inutilitatem circumciſionis ad juſtificandum, ſubdit: *Ex operibus legis non juſtificabitur* omnis

omnis caro, coram illo; unum autem ex operibus legis procul dubio fuit circumcisio. Et cap. 4. hoc idem inculcat exemplo Abrahæ, quem negat in circumcisione fuisse justificatum, sed in præputio, ad Gal. cap. 6. ait: ***Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura***, ubi fatetur, circumcisionem ad justificationem nihil ex se ipsa valere, & illam opponit novæ creaturæ. Rursus ad Coloss. 2. vocat sacramenta vetera umbras futurorum, & ad Hebr. cap. 7. 9. & 10. ait: Reprobatum esse præcedens propter infirmitatem, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adducit lex, quapropter ad Roman. 3. scribit: Neminem hominem justificari ex operibus legis, inter quæ primarium locum obtinet circumcisio, inquiens: ***Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo***, & D. Augustinus quæst. 25. in Num. docet, sacrificia veteris legis (eadem autem sacramentorum est ratio, si per se attendantur, nulli peccato possunt mederi: si autem res ipsæ, quarum hæc sacramenta sunt, inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum. Præterea quia Judæi tantùm habuerunt umbram futurorum bonorum, & nos imaginem rerum, id enim interest discriminis inter sacramenta novæ legis, & sacramenta veteris legis, quia in nova lege gratiam ex opere operato conferunt, quam non contulerunt sacramenta veteris legis, quæ propterea ab Apostolo ad Gal. 4. vocantur ***infirma, & egena elementa***, & ad Coloss. cap. 2. vocat illa umbram futurorum, corpus autem Christi, unde Judæi habuerunt tantùm umbram: sed si sacramenta veteris legis æquè causassent gratiam ex opere operato, sicut sacramenta novæ legis, hæc omnia prærecensita ex scripturis falsa essent, ut per se liquet: ergo non causabant in lege veteri gratiam ex opere operato propriè dicto. Tum quia Patres, & Concilia satis apertè hanc veritatem Catholicam ostendunt. Hinc in Concilio Florentino sub Eugenio Papa definitum fuit in decreto fidei: ***Sacramenta vetera gratiam non causasse, sed figurasse***, quod etiam repetit Tridentinum sess. 7. c. 2. & sess. 14. cap. 4. ubi ait: Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. Et sess. 7. can. 8. expressè asserit, sacramenta novæ legis ex opere operato conferre gratiam sanctificantem, quando ait: ***Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.***

Ratione hoc idem evincitur, quia, si sacramenta veteris legis ex opere operato propriè dicto causassent gratiam, semper & infallibiliter illam causassent: sed hoc est falsum, quia, quoties puero, vel adulto dabatur circumcisio post remedium legis naturæ, non conferebatur gratia, alioquin pueri, quibus circumcisio ante octavum diem minimè applicabatur, duplicem accepissent gratiam, quatenus prius applicatum illis erat remedium legis naturæ, quod tunc debeat eis applicari, quando de vita periclitabantur. Præterea quia melioris procul dubio fuissent conditionis, quam fœminæ, quia istæ, utpote circumcisionis incapaces, unius tantum gratiæ esse poterant participes. Rursus quia parvuli in veteri lege fuissent melioris conditionis, quàm in nova, in qua unius tantùm baptismi capaces sunt. Denum quia si circumcisio causasset gratiam in veteri lege, debuissent etiam Israelitis conferri, quando erant in deserto, & non differri ad annos quadraginta: ergo finis, propter quem instituta fuit circumcisio, non fuit justificatio, sed tantùm distinctio populi à gentibus. Quod si dicas, scripturas tribuere circumcisioni hanc vim causativam gratiæ, ut Genes. 17. *Masculus, cujus caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo*, ubi Innocentius III. *cap. Majores de baptismo.* ait: Intelligendum esse de damnatione æterna, non autem de reprobatione à populo Dei: Hoc idem etiam sentit pluribus in locis D. Augustinus, ex quibus inferunt Sectarii, sacramenta veteris legis habuisse vim causandi gratiam, perinde ac sacramenta novæ legis. Sed contra, quia allegatus textus Genes. intelligitur communiter de illorum separatione à populo Dei, quorum caro circumcisa non esset, sive illi parvuli essent, sive adulti, in quo sensu intelligantur Innocentius, & Augustinus, qui tantùm voluerunt, circumcisionem esse parvulis necessariam, ut conditionem, sine qua non conferebatur parvulis gratia: adultis verò erat necessaria ex præcepto, quod, si non implerent, æternam incurrerent damnationem.

Ex dictis constat gratiam causare ex opere operato, perinde esse ac opus seu sacramentum ex se habere efficaciam causandi gratiam ratione propriæ virtutis iisdem à Deo collatæ in virtute meritorum Christi, quæ jam sunt operata, seu peracta eo modo, quo causæ naturales vim habent producendi proprios effect. causare verò ex opere operantis esse, causare gratiam non ex virtute sacramenti, sed ratione boni operis eliciti, à suscipiente Sacramentum, adeo ut Deus gratiam conferat non intuitu sacramenti suscepti, sed ratione actus boni eliciti à suscipiente, qui propterea impetratoriè, seu de congruo dicitur mereri gratiam, si non supponatur ante justificatus: hinc si sacramenta veteris legis excitavissent, subinde in adultis aliquē actum, per quem impetratoriè acquisivissent gratiā, in hoc sensu potuissent ex opere operantis causare gratiā, ut docet D. Thomas *3. p. q. 62. a. 3.* probabilius est, eam causasse ex opere operantis, eò quia habebant vim excitandi ad actus bonos eliciendos.

CAPUT XIII.

Quomodo Sacramenta novæ legis producant gratiam sanctificantem.

Ex præexpensis in præcedenti capite constat sacramenta novæ legis esse veras causas gratiæ sanctificantis, superest nunc explicandus modus, quo illam causant physicè, vel tantùm moraliter. Certum enim est, sacramenta novæ legis non esse meras conditiones ad quarum præsentiam Deus conferat gratiam, ut docet D. Thomas *in 4. dist. 1. qu. 1. art. 4.* ubi agens de sacramentis novæ legis ait: *Quidam dicunt, quòd non sint causæ quasi facientes aliquid in anima, sed causæ sine quibus non: quia increata virtus, quæ sola effectus ad gratiam pertinentes in anima facit, Sacramentis assistit per quandam Dei ordinationem, & quasi pactionem.* Et paucis interjectis subdit: *Sed hoc non videtur sufficere ad salvandum dicta Sanctorum, causa enim sine qua non, si nihil omnino faciat ad inducendum effectum, vel disponendo, vel meliorando, quantum ad rationem causandi nihil habebit supra causas per accidens, sicut album est causa domus, si ædificator sit albus, & secundum hoc Sacramenta essent causæ per accidens, tantùm respe-*

Digitized by Google

respectu sanctificationis; illa enim ordinatio, quam dicunt, sive pactio nihil dat eis de ratione causæ, sed solùm de ratione signi, sicut & denarius plumbeus est solum signum indicans, quid debes accipere, quod autem est per accidens, omittitur ab arte, nec ponitur in definitione; unde in definitione Sacramentorum non poneretur prædicta causalitas. Ex hisce D. Thomæ verbis eruitur argumentum; si Sacramenta novæ legis essent tantum merè conditiones, ad quarum præsentiam Deus conferret gratiam, non possent dici eam causare; sed ex scripturis, & Sanctis Patribus constat sacramenta novæ legis esse causas gratiæ, etenim ex Tridentino sess. 7. can 6. habemus gratiam, quam sacramenta significant continere, & conferre non ponentibus obicem; ergo Sacramenta novæ legis non sunt puræ conditionis. Major liquet, quia pura conditio nullo modo influit in effectum, sed tantùm requiritur, ut causa det esse effectui, approximatio enim requiritur necessario, ut ignis paleas comburat, & tamen approximatio non dicitur influere in ipsum effectum. Firmatur, quia Concilium Florentinum docet, nostra Sacramenta ita causare gratiam, ut hoc non deneget sacramentis veteris legis; sed Sacramenta novæ legis in alio modo si gratiam causarent, quàm per modum conditionis, nullum esset discrimen in ordine ad gratiam inter Sacramenta veteris, & novæ legis; siquidem Sacramenta veteris legis erant saltem conditiones, ad quarum positionem Deus conferebat gratiam; ergo Sacramenta novæ legis non sunt meræ conditiones, ad quarum positionem Deus conferat gratiam. Imò neque Sacramenta novæ legis dici possunt causæ per accidens gratiæ, quia causæ per accidens nullo pacto influunt in effectum, neque ad ipsas infallibiliter sequitur effectus, quia nonnisi per accidens conjunguntur cum causa per se, ut albedo cum ædificatore; ex eo enim, quod ædificator sit albus, non sequitur, quòd albedo ædificet, & sit causa Domus constructæ; sed Sacramentum novæ legis verè & propriè causant gratiam, quia Tridentinum sess. 7. can. 6. definit Sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant, ac eam conferre non ponentibus obicem, propterea non possunt dici causæ merè per accidens. Imò neque Sacramenta novæ legis sunt tantum extrinsecè dispositiones, quæ disponant subjectum extrinsecè, & nullo pacto causant gratiam, siquidem hæc dispositio extrinseca reducitur ad conditionem sine qua non, quia perinde ac conditio nihil influit in intrinsecam sanctitatem animæ, sed ex prædictis constat Sacramenta novæ legis non esse puras conditiones sine quibus non, ergo neque sunt causæ extrinsecè, tantùm disponentes extrinsecè subjectum, quia si hoc pacto essent causæ extrinsecæ, sequeretur, quòd tota efficacia Sacramentorum se teneret ex parte materiæ, non ex parte formæ; siquidem materia tantum, non forma recipitur in subjecto, & dispositio non disponit, nisi afficiat subjectum, quod disponit, quapropter solis actibus pœnitentibus, non verbis Ministri absolventis tribueretur tota vis pœnitentiæ, quod adversatur Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. ubi præcipua vis hujus Sacramenti tribuitur absolutioni. Demum quia hæc dispositio non potest salvari in transsubstantiatione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; ad hanc enim nulla præcedit dispositio recepta in substantia panis, & vini.

Asserendum est, valde probabile esse, Sacramenta novæ legis concurrere physicè instrumentaliter ad causandam gratiam, ut censent cum D. Thoma omnes Thomistæ, & infertur ex illo Joan. 3. ubi Christus ait; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ex quo textu D. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 1. ad 2. probat per Sacramenta novæ legis causare gratiam instrumentaliter, & per virtutem Spiritus Sancti principaliter, ex quo infert; quod sicut Spiritus Sanctus principaliter physicè causat gratiam, ita Sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè, quia instrumentum causæ physicæ principalis debet esse physicum, & causare physicè. Præterea quia ex modis, quibus scriptura utitur ad significandam causalitatem nostrorum Sacramentorum, deducitur, Sacramenta novæ legis physicè instrumentaliter concurrere ad causandam gratiam, etenim Joan. 3. Homines dicuntur: *renasci ex aqua.* Ad Tit. 3. salvari *per lavacrum regenerationis*, ad Ephes. 5. *mundari lavacro*. Sed isti loquendi modi potiùs significant causalitatem physicam, siquidem particula *ex* denotat causam physicam, & materialem, ut cum navis dicitur fieri ex tabulis; vel efficientem principalem aut instrumentalem, quo pacto arbor dicitur gigni ex semine, ergo cum homo dicitur nasci Spiritualiter ex aqua baptismi non tanquam ex causa materiali, sequitur, quod renascatur ex tali aqua, ut ex semine Spirituali; consequenter Sacramentum baptismi est instrumentum physicum gratiæ. Rursus quia Tridentinum sess. 7. can. 6. definit Sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant, sed hoc non potest verificari de continentia locali, & materiali, quo pacto aqua dicitur contineri in vase; quia cum gratia sit qualitas spiritualis, locum non occupat, ut rectè notat S. Bonaventura in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 5. inquiens: *Non aliquo modo dicendum est, quod gratia contineatur in ipsis Sacramentis tanquam aqua in vase, vel medicina in pixide.* Neque potest id intelligi de continentia formali per inhæsionem eo pacto, quo accidens dicitur contineri in subjecto, cui inest; quia cum gratia sit spiritualis qualitas, completa & permanens, exigit tantùm inhærere substantiæ spirituali, non verò Sacramentis, quæ sunt res corporeæ, unde quando Concilium asserit, Sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant, id debet intelligi de continentia virtuali, quæ est propria causæ efficientis principalis, vel instrumentalis, perinde ac illuminatio, & calefactio continentur in sole, & effectus artis in instrumento artificis; quapropter D. Thomas 3. *part. quæst.* 62. *art.* 3. *in corp.* ait: *Gratiam contineri in sacramento secundùm quandam instrumentalem virtutem quæ est fluens & completa*, & sibi objiciens, hoc argumentum: spirituale non continetur à corporali, etiam si in eo sit; non enim anima continetur à corpore, sed potius continet corpus, ergo videtur, quod gratia non sit quid spirituale, & non contineatur in Sacramento corporali; ad quam difficultatem respondet: Quod spirituale existens perfectè in aliquo continet ipsam, & non continetur ab eo; sed gratia est in Sacramento secundùm esse fluens, & incompletum, & ideo non inconvenienter dicitur Sacramentum continere gratiam.

Probatur tertiò ex Conciliis, & Patribus, quia si Sacramenta sunt instrumenta Dei; qui est causa principalis, & physica gratiæ, necesse est, ut illam causent physicè, quia causa instrumentalis debet correspondere principali, adeo ut si hæc sit physica, etiam causa instrumentalis sit in genere physico; sed Concilia sæpe vocant Sacramenta instrumenta Dei, ut expresse habetur in Concilio Moguntino cap. 11. ubi dicitur: *Sacramenta divinitus instituta sunt, per quæ velut apta instrumenta, & remedia sua gratiæ munera nobis impertitur Deus*; & Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7. recensens causam justificationis asserit

asserit primam, & principalem esse Deum, causam meritoriam esse Christum, & instrumentalem Sacramenta, sed non rectè diceretur Deus causa principalis, si nulla illi corresponderet causa instrumentalis; ergo cùm Deus sit causa physica principalis, sequitur Sacramenta esse causas instrumentales in genere physico, adeo ut dicantur instrumenta Dei, quatenus operantur physicè; & ut instrumenta Christi, quatenus ex ejus meritis elevantur, ad causandam gratiam. Præterea hoc idem etiam docent plura alia Concilia, ut Senonense *Decreto* 10. Coloniense *part.* 7. *cap.* 1. Milevitanum *cap.* 2. Arausicanum II. *cap.* 25. Præterea si Sacramenta duntaxat moraliter causarent gratiam instrumentaliter propriè loquendo, non essent causæ efficaces gratiæ, & posset negari Sacramenta esse causas, perinde ac negatur parentes esse causas animæ rationalis, quam tamen moraliter causant, quatenus Deum movent, ut eam creet positis dispositionibus, quæ creationem animæ exigunt; sed Patres absolutè, & propriè vocant Sacramenta causas efficaces gratiæ; etenim D. Leo Papa Serm. 4. de Nativit. Domini ait: ***Omni homini renascenti baptismus est ad instar uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit, & virginem***; & serm. 5. ait: ***Virtus altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem.*** Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 24. ait: ***Quemadmodum viribus ignis aqua calefacta, non aliter urit, quàm virtute ignis; sic Spiritus Sanctus operatione aqua, qua baptizati corpus spargitur, reformatur ad divinam virtutem, & potentiam.*** Chrysostomus homil. 5. Joan. ait: ***Quod mater est embrioni, hoc est, fideli, aqua***, & Nissenus lib. de baptis. asserit: Eucharistiam habere in nobis excellentem operationem, & comparat Sacramenta novæ legis cum virga Moysis, per quam voluit Deus facere sublimia. Et Sylvester Papa alloquens Constantinum apud Nicephorum ait: ***Hæc aqua imperator sicut exterius corpus hominis abluit, ita interius animam mundat***, ergo ex modo loquendi Sanctorum Patrum apertè intelligitur Sacramenta novæ legis physicè instrumentaliter causare gratiam. Præterea quia si Sacramenta nonnisi moraliter illam causarent, nullum ex eorum activitate duci posset argumentum divinæ omnipotentiæ, sed Sancti Patres divinam omnipotentiam magnificè extollunt, eò quia per creaturas sensibiles præclarum nostræ justificationis opus efficiat; unde D. Augustinus lib. 19. contra Faustum ait: ***Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum***, & Tract. 80. in Joan. ait: ***Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?*** Chrysostomus homil. 25. in Joan. ait: ***Futurum erat baptisma plenum maxima potestatis, & gratiæ peccata purgaturum, pro mortuo vivum effecturum.*** Tum quia Concilia, & Patres asserunt carnem Christi in Eucharistia contactu suo vivificare animam, eò quod Verbi sit facta instrumentum, & ex eo vivificandi participet efficaciam; sic etiam in Concilio Ephesino vocatur caro Christi vivificativa, quatenus per conjunctionem cum Verbo facta est instrumentum Verbi, cujus & vim habet, & vitam. Cyrillus itidem in Exegesi ad Valerianum docet, carnem Christi, quia vivificantis propria facta est, actionem illius participasse; sed hanc efficaciam vivificandi non haberent Sacramenta, nisi physicè causarent gratiam, consequenter sunt causæ instrumentales, & physicæ gratiæ.

Rationes etiam hoc idem evincunt, & licèt non possint à priori assignari, videntur tamen suadere Sacramenta novæ legis causare physicè gratiam, ac esse physica instrumenta ejusdem. Etenim Sacramenta novæ legis differunt à Sacramentis veteris legis, eò quia hæc tantùm fuerint signa gratiæ; & illa non solùm sint signa, verùm etiam causæ ejusdem gratiæ, sed id non potest intelligi de sola morali causalitate, quia hæc non excedit rationes signi, proinde non differrent quoad modum causandi gratiam Sacramenta novæ legis à Sacramentis legis Mosaicæ; ergo Sacramenta novæ legis, ut instrumenta physica causant gratiam. Minor suadetur, quia Sacramentis novæ legis, non potest convenire causalitas moralis, ratione ullius actus moralis, quem exercent; unde tantùm potest iisdem convenire causalitas moralis secundùm aliquod relictum ab actibus moralibus, adeo ut Sacramenta contineant eorum valorem, & efficaciam in effectum; sed hunc valorem, & efficaciam, non possunt continere nisi significatione, & repræsentatione, perinde ac chirographum repræsentat obligationem debitoris, consequenter causalitas moralis Sacramentis communicata tantùm potest esse per modum signi significantis efficaciam actuum moralium Christi; siquidem in rebus inanimatis non habetur causalitas moralis, nisi quatenus movent voluntatem aliquam, adeo ut rebus ipsis positis voluntas mota conferat effectum; & hæc motio nequit fieri à re inanimata, nisi à signo, quo pacto Chirographum est tantùm causa moralis pecuniæ traditæ, quatenus excitat memoriam hominis, ut recordetur se esse debitorem, & si debitum neget, convincatur; & non convincitur per chirographum nisi quatenus hoc est signum voluntatis, & consensus prioris exhibiti, adeo ut si adessent alia signa, quibus probaretur, non consensisse utique rescinderetur contractus, & nulla adesset obligatio, ex quo liquet causalitatem moralem non transcendere rationem signi, ergo cum Sacramenta novæ legis quoad modum causandi gratiam differant à Sacramentis legis Mosaicæ; & hæc moraliter causabant gratiam, sequitur Sacramenta novæ legis esse physica instrumenta gratiæ, & eam causare physicè. Alia ratio ex eo petitur, quia Christus per suam humanitatem, ut per instrumentum conjunctum physicè causat in nobis gratiam; sed in eodem genere causæ concurrunt Sacramenta novæ legis ad productionem gratiæ, quo humanitas Christi; siquidem Sacramenta novæ legis continent in se realiter ipsum Christum, ut Sacramentum Eucharistiæ, vel censentur quasi actiones ipsius, ut alia Sacramenta, quæ consistunt in usu, & verba proferuntur à Ministris in persona Christi; rursus quia sicut humanitas Christi est instrumentum conjunctum divinitati, ita Sacramenta sunt instrumenta separata ejusdem, adeo ut Concilia, & Patres eodem pacto loquantur de causalitate Sacramentorum, & humanitatis Christi, ergo sicut humanitas Christi, ut instrumentum conjunctum causat physicè in nobis gratiam, etiam physicè eandem causat per Sacramenta, ut per instrumenta separata, quia instrumentum debet conformari causæ principali; Quod verò Christi humanitas causet physicè gratiam liquet, ex Tridentino *sess.* 6. *can.* 16. ubi ait: Christum jugiter influere suam virtutem in ipsos justificatos, perinde ac caput in membra, & vitem in palmites; sed caput & vitis non moraliter, sed physicè influunt virtutem, illud in membra inferiora, hæc in palmites, quia verbum influere significat physicam causalitatem; ergo etiam humanitas Christi

ut

ut inſtrumentum conjunctum cauſat phyſicè in nobis gratiam, conſequenter etiam Sacramenta novæ legis, ut inſtrumenta ſeparata. Alia itidem ratio eſt; quia Deus, cujus natura eſt bonitas, pronior eſt ad miſerendum, quàm ad puniendum, ut pulchrè Tertullianus contra Marcionem. Deus de ſuo miſericors eſt, de noſtro juſtus; ſed conveniens eſt, inſtrumenta divinæ miſericordiæ in ordine ad juſtificandos homines non habere imperfectionem, neque ignobiliorem operandi modum, ac habeant inſtrumenta divinæ juſtitiæ ad homines puniendos; inſtrumenta verò divinæ juſtitiæ agunt divina virtute phyſicè, ut ignis tartareus in Dæmones, & animas damnatorum, ſiquidem cauſat in ipſis phyſicè dolorem, & triſtitiam miris, ſed veris modis, ut loquitur D. Auguſtinus lib. 21. de civit. Dei cap. 11. Ergo cùm Sacramenta novæ legis ſint inſtrumenta divinæ miſericordiæ ad juſtificandos homines, debent inſtrumentaliter phyſicè concurrere ad juſtificandos homines; conſequenter debent inſtrumentaliter phyſicè cauſare gratiam; ſi enim Deus ad torquendas animas, utitur phyſico inſtrumento à fortiori eo utetur ad ſanctificandas. Alia etiam ratio eſt, quia dantur aliquot Sacramenta, quæ phyſicè inſtrumentaliter cauſant gratiam, adeo ut non ſit inconveniens Sacramenta phyſicè inſtrumentaliter cauſare gratiam, ergo hoc idem dicendum erit de omnibus Sacramentis novæ legis, quia non eſt major ratio de uno, quàm de aliis. Antecedens probatur, quia Baptiſmus, & pœnitentia cauſant phyſicè gratiam, alioquin non verificarentur hæ formæ: *Ego te baptizo, ego te abſolvo*; ſi ſolus Deus in baptizato, & confeſſo gratiam produceret. Præterea ſacramentum pœnitentiæ gratiam produxit, ac Sacerdos pœnitentem abſolvit; ſed Sacerdos cùm verè, & realiter peccata remittat, debet verè, & realiter gratiam producere, conſequenter phyſicè; quia cauſa phyſica & realis ea eſt, quæ verè & realiter influit in effectum; efficientia enim moralis eſt tantùm cauſalitas metaphorica, & impropria. Rurſus quia Sacramentum pœnitentiæ ſe habet per modum judicii, in quo Sacerdos vices gerit Judicis, & pœnitens rei, & accuſatoris; ſed in humanis Judex non excitat alium ad abſolvendum Reum, ſed propria authoritate ſibi commiſſa à Principe illum abſolvit; ergo quando Sacerdos in judicio pœnitentiæ profert illa verba: *Ego te abſolvo*, non ſolum excitat moraliter Deum ad conferendam gratiam pœnitenti, ſed etiam authoritate ſibi à Chriſto commiſſa verè inſtrumentaliter phyſicè eum abſolvit, & abſolvendo, ut inſtrumentum phyſicum divinæ virtutis confert gratiam remiſſivam peccati, ut docet D. Thomas 3. part. quæſt. 84. art. 3. inquiens: Solus Deus per authoritatem, & à peccatis abſolvit, & peccata remittit; Sacerdotes tamen utrumque faciunt per miniſterium, in quantum ſcilicet verba Sacerdotis in hoc Sacramento inſtrumentaliter operantur in virtute divina; unde & Dominus expreſſit utrumque; nam Matth. 16. dixit Petro: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit & ſolutum in cælis*; & Joan. 20. dixit Diſcipulis ſuis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; & in reſponſione ad 4. ſubdit: *apoſtolis non eſt data poteſtas ut ipſi ſanarent infirmos, ſed ut ad eorum orationem infirmi ſanarentur, eſt autem eis collata poteſtas operandi inſtrumentaliter; ſive miniſterialiter in Sacramentis, & ideo magis poſſunt in formis Sacramentorum exprimere actum ſuum, quàm in ſanationibus infirmorum.* Accedit etiam alia ratio, quia ſi modus producendi phyſicè inſtrumentaliter gratiam, non repugnat Sacramentis novæ legis eſt iiſdem concedendus; ſed modus iſte, non repugnat Sacramentis novæ legis, quia conferre phyſicè gratiam facit ad majorem dignitatem Sacramentorum, & ad oſtenſionem divinæ omnipotentiæ; ſiquidem modus iſte producendi gratiam, & ſanctificandi homines eſt nobiliſſimus, & manifeſtat dignitatem Sacramentorum novæ legis ſupra Sacramenta legis Moſaicæ, & oſtendit ſummum Dei amorem, cum velit miracula operari, ut nos ſanctificet elevando res corporeas, & materiales, ad producendam in nobis rem ſpiritualem excellentiſſimam, cujusmodi eſt gratia ſanctificans. Minor oſtenditur, ſcilicet modum hunc cauſandi phyſicè inſtrumentaliter gratiam, non repugnare Sacramentis novæ legis, quia ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 75. art. 4.* Cùm Deus ſit ſupremus rerum omnium Dominus, & ad ejus nutum omnes creaturæ illi obediant, poteſt aſſumere quamlibet creaturam, ut inſtrumentum phyſicum, ad producendum, quidquid eſt in potentia, ſaltem obedientiali, alterius creaturæ; ſed gratia ſanctificans eſt in potentia obedientiali animæ rationalis, quia ex illa educitur, conſequenter poteſt Deus elevare quamlibet creaturam, etiam corpoream, ad producendam inſtrumentaliter phyſicè gratiam ſanctificantem; conſequenter Sacramenta novæ legis; ergo cùm non repugnet Sacramenta novæ legis cauſare phyſicè inſtrumentaliter gratiam, & ex alio capite id faciat ad majorem dignitatem Sacramentorum, ac oſtenſionem divinæ omnipotentiæ, ſequitur Sacramenta novæ legis phyſicè inſtrumentaliter cauſare gratiam.

Sed objicies, ſi Sacramenta novæ legis cauſarent phyſicè inſtrumentaliter gratiam, utique deberet Deus iiſdem imprimere virtutem aliquam cauſativam gratiæ, quia ex ſe non habent hanc virtutem ſufficientem; ſed non videtur, quomodo Deus iiſdem imprimat hanc virtutem, quia vel hæc eſſet Spiritualis, vel corporea; non ſpiritualis, quia repugnat hanc recipi in ſubjecto corporeo, neque poteſt eſſe virtus corporea, quia ſicut Sacramentum ex eo, quòd ſit corporeum, non poteſt ex ſe etiam inſtrumentaliter attingere effectum ſupernaturalem, & ſpiritualem, cujusmodi eſt gratia ſanctificans, ita neque poteſt eundem effectum producere mediante virtute corporea. Præterea quia vel hæc virtus cauſativa gratiæ, ſe haberet per modum motionis vel qualitatis inhærentis, neutrum dici poteſt; non primum, quia cum motus ſe teneat ex parte actus ſecundi, non poteſt eſſe virtus, quæ elevet Sacramentum, & ipſum conſtituat in actu primo in ordine ad cauſandam gratiam, quia actus ſecundus præſupponit primum conſtitutum in ſuo eſſe. Neque dici poteſt ſecundum, quia inde ſequeretur, Sacramenta novæ legis habere virtutem productivam gratiæ permanenter, conſequenter non fore inſtrumenta ad cauſandam gratiam, quia eſt contra rationem inſtrumenti operari, per formam permanenter ſibi inhærentem; ergo ſacramenta novæ legis non poſſunt phyſicè inſtrumentaliter cauſare gratiam. Neque urget, quod reſpondeant aliqui, Sacramenta non elevari, nec conſtitui in actu primo ad producendam gratiam, per aliquid intrinſecum, ſed per extrinſecam ſubordinationem ad Deum, ac ſpecialem ipſius aſſiſtentiam; etenim contra, quia quod ex ſe non eſt potens aliquid præſtare, non poteſt reddi potens in ordine ad idem producendum, niſi intrinſecè mutetur, ac recipiat in ſe virtutem aliquam, qua antea carebat; ſiquidem cauſam eſſe in actu primo conſtitutam ad operandum, non eſt denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca, quæ haberi non poteſt, niſi à forma intrinſeca; Unde repugnat, cauſam de non potente in actu primo ad aliquem effectum pro-

Digitized by Google

producendum reddi potentem, niſi mutetur intrinſecè per receptionem alicujus virtutis activæ quam antea non habuit. Eſt enim vulgatum axioma, quo dicitur: Idem manens intrinſecè idem ſemper facere intrinſecè idem; ſed Sacramentum cùm ſit quid corporeum, nequit ex ſe potens eſſe ad producendam gratiam; ergo non poteſt fieri intrinſecè potens, niſi recipiat intrinſecè virtutem aliquam, quâ antea caruerat, conſequenter per ſolam extrinſecam ſubordinationem ad Deum, & ſpecialem ipſius aſſiſtentiam non videtur, quomodo Sacramenta novæ legis poſſint intrinſecè conſtitui in actu primo, ac fieri potentia in ordine ad producendam gratiam. Rurſus juxta communem doctrinam cauſa quælibet efficiens priùsquam producat effectum aliquem, vel eliciat operationem, neceſſe eſt, ut ipſam in ſe præcontinet ſaltem virtualiter, quia cauſa non producit niſi quod in ſe præcontinet; unde repugnat Sacramentum producere gratiam, niſi ſaltem prius natura eam virtualiter, & in actu primo in ſe contineat; ſed non poteſt eam in actu primo, & virtualiter in ſe gratiam præcontinere, niſi beneficio alicujus virtutis, quam recipiat à Deo; conſequenter ut producat phyſicè gratiam, neceſſè eſt, quod à Deo recipiat virtutem aliquam ſupernaturalem, cujus beneficio elevetur ad producendam gratiam. Ex eo poteſt etiam firmari, quia nulla cauſa poteſt phyſicè agere, niſi priùs ſaltem natura habeat in ſe virtutem phyſicam & realem ad agendum; ſiquidem de ratione actus ſecundi eſt eſſentialiter præſupponere actum primum; ſed Sacramenta novæ legis cum ſint in ſe res corporeæ non habent ex ſe virtutem ad inſtrumentaliter phyſicè producendam gratiam, conſequenter exigunt eſſentialiter elevari à Deo per impreſſionem alicujus virtutis ſupernaturalis, quæ à Deo ipſis communicetur, quia Deus non poteſt velle, ut creatura producat effectum aliquem, niſi ponat, vel ſupponat in illo virtutem productivam talis effectus, alioquin non eſſet creatura quæ ageret, ſed ſolus Deus ad præſentiam talis creaturæ. Quòd ſi dicas, impreſſionem novæ virtutis tantum requiri in cauſa principali, non verò in inſtrumentali; ſiquidem calor, qui operatur ut inſtrumentum ignis non exigit intrinſecè immutari, ut producat effectum inſtrumentaliter. Contra eſt, quia quamvis in inſtrumentis naturaliter colligatis cum cauſa principali non requiratur hæc nova immutatio, ut operentur, ut liquet in calore; nihilominus in inſtrumentis, quæ de novo colligantur, ac uniuntur cum aliqua cauſa principali, debet neceſſario dari aliqua intrinſeca mutatio, ratione cujus inſtrumentum de novo colligatum ſit ſubordinatum tali cauſæ, ac ab eodem elevetur ad agendum, ut liquet in penicillo, calamo, aliiſque inſtrumentis artificialibus; ſed Sacramenta novæ legis cum ſint corporea, non ſunt inſtrumenta naturaliter colligata in ordine ad cauſandam gratiam, ſed tantùm ſunt à Chriſto inſtituta ad talem effectum præſtandum, conſequenter ut producant gratiam, indigent immutari per impreſſionem alicujus virtutis ſupernaturalis iiſdem intrinſecè advenientis, & ratione cujus ſint Deo colligata, & ſubordinata in ordine ad cauſandam gratiam.

Commodiùs tamen ad objectionem reſpondent Thomiſtæ, & negantes minorem, ac ad ejus probationem dicunt, virtutem illam, quâ Sacramenta elevantur ad cauſandam gratiam eſſe ſpiritualem, quia ut docet D. Thomas, ſicut forma Spiritualis incompleta, qualis eſt anima rationalis, poteſt informare materiam, quamvis hoc non poſſit præſtare forma Spiritualis completa, cujuſmodi eſt Angelus; ita virtus incompleta ſpiritualis, vialis, ſeu quæ ſe habeat per modum fluxûs & viæ, ac ſit intentionalis rectè poteſt ſubjectum corporeum afficere, ſiquidem accidens viale, & incompletum quamvis ex ea parte, quæ accidens eſt, exigat dependere à ſubjecto; nihilominus, ut formaliter tale magis debet commenſurari termino, quàm ſubjecto, ſiquidem via qua formaliter talis exigit habere commenſurationem cum utroque termino *à quo*, & *ad quem*, conſequenter ſi cauſa, à qua producitur, & terminus, ad quem ordinatur, ſint res ſpirituales, ut contingit in caſu noſtro rectè poteſt tale accidens per modum viæ recipi in Sacramento corporeo, illudque conſtituere inſtrumentum phyſicum productivum gratiæ, quia terminus *à quo* ſeu cauſa principalis productiva gratiæ eſt Deus, qui eſt ſummè ſpiritualis; & terminus *ad quem* cùm ſit ipſa gratia ſanctificans, quæ eſt ſpiritualis, ideo hoc accidens per modum viæ, quod intelligitur recipi in ſacramento, poteſt eſſe ſpirituale. Neque obſtat, quòd accidens completum & permanens, ſi fuerit ſpirituale, non poſſit recipi in ſubjecto corporeo, ſiquidem eſt diſcrimen, quia accidens completum, & ſe habens per modum permanentis, ſolum pertinet ad ſubjectum, cui inhæret, non verò ad alterum, ad quod in actu excito ordinetur. Hinc accidens completum, & permanens exigit proportionari, & commenſurari ſubjecto, cui inhæret, & conſequenter eſſe corporeum, ſi ſubjectum ſit corporeum; ſecus quia accidens incompletum, & viale ut formaliter viale magis exigit commenſurari termino, quàm ſubjecto, non ſemper exigit ſubjectum corporeum, quia terminus cui commenſuratur, poteſt eſſe quid Spirituale. Neque obſtat vulgatum effatum: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, nam id tantùm eſt verum de accidente completo, & permanente; non ita de accidente incompleto viali, & intentionali, & quod elevet ad effectum ſupernaturalem, quia eò ipſo quòd elevat ſubjectum, in quo recipitur, non debet eſſe juxta, ſed potiùs ſupra modum recipientis, & ſufficit, ſi in eo tantùm præſupponat non repugnantiam, ut in ipſo recipiatur.

Reſpondent alii, quod licèt repugnet accidens ſpirituale recipi in ſubjecto corporeo, ut corporeo formaliter; negant tamen repugnare recipi in ſubjecto corporeo, quatenus eſt ens creatum; hinc aſſerunt virtutem hanc ſpiritualem, cujus beneficio ſacramenta novæ legis elevantur, & conſtituuntur potentia ad phyſicè inſtrumentaliter cauſandam gratiam, non recipi in ſacramentis prout ſunt res corporeæ diſtinctæ à rebus ſpiritualibus; ſed quatenus præcisè ſunt entia creata; & aſſignans rationem; quia virtus hæc ſpiritualis non niſi ratione potentiæ obedientialis paſſivæ recipitur in Sacramentis; & potentia obedientialis paſſiva non convenit rei corporeæ, ut reduplicativè corporeæ; ſed præcisè ut eſt ens creatum, quod latius patet, ſeque extendit ad omne ens ſive corporeum, ſive ſpirituale; adeo ut potentia obedientialis formaliter ſit ejuſdem rationis in re ſpirituali, & corporea. Verùm quidquid ſit de hac reſponſione, prima eſt conformior menti, ac doctrinæ D. Thomæ. Quod ſi quæras, an hæc virtus, per quam Sacramenta elevantur ad cauſandam phyſicè gratiam, ſe habeat per modum actionis, vel qualitatis, reſpondent Thomiſtæ eſſe qualitatem vialem incompletam, ac habentem modum motionis; adeo ut reducatur ad ſecundam ſpeciem qualitatis; quia hæc virtus non ſolùm applicat ſacramenta ad operationem inſtrumentalem, ratione cujus ſe habet ut motio, verùm etiam conſtituit Sacramenta in

actu

Digitized by Google

actu primo, quatenus iiſdem confert vim cauſativam phyſicè gratiæ, non quidem principaliter, ſed inſtrumentaliter: ſed virtus conſtituens ſubjectum motivum pertinet ad genus qualitatis, id eſt, ad habitum, vel potentiam, & quidem directè, ſi ſit completa; & indirectè, ac reductivè, ſi ſit incompleta, ut communiter docent philoſophi: hinc Thomiſtæ concludunt, virtutem ſupernaturalem, cujus beneficio Sacramenta elevantur à DEO ad phyſicè inſtrumentaliter cauſandam gratiam pertinere reductione ad genus qualitatis; ſed dices, de ratione phyſici inſtrumenti eſt, ut ſit immediatè conjunctum cum ſubjecto, in quo ſuum effectum producit; adeo ut phyſicè ipſum contingat: ſed Sacramenta perſæpe diſtant localiter ab ipſo homine, in cujus anima cauſatur gratia: ſiquis Sacerdos cum abſolvit pœnitentem verba prolata à ſacerdote abſolvente non tangunt phyſicè pœnitentem, nec ejus animam, in qua producitur gratia: ergo non poſſunt Sacramenta phyſicè inſtrumentaliter cauſare gratiam. Sed contra, ad hanc objectionem reſpondent communiter Thomiſtæ diſtinguendo majorem, eſt de ratione inſtrumenti phyſici, ut ſit immediate conjunctum ſubjecto, in quo ſuum affectum producit, ſi ſit inſtrumentum artis vel naturæ, tranſeat: ſi ſit inſtrumentum divinæ virtutis, cujuſmodi ſunt Sacramenta, negant majorem, & aſſignant diſcrimen inter inſtrumenta utriusque generis; quia cum in inſtrumentis naturalibus, & artificialibus virtus cauſæ principalis non ſit ita diffuſa, ut per ſe ipſam poſſit immediatè paſſum contingere, ideo cauſa principalis exigit, ut mediante inſtrumento deferente virtutem cauſæ principalis reddatur præſens pacto, ex quo ſequitur, debere inſtrumentum naturæ, vel artis immediatè paſſum contingere. Secus, quia virtus DEI ob ejus immenſitatem eſt ubique rebus omnibus intimè præſens, non requiritur, ut mediante inſtrumento fiat præſens ſubjecto, in quo producatur effectus ſupernaturalis: hinc inferunt, non eſſe, ut inſtrumenta divinæ virtutis immediatè contingant tale ſubjectum, quapropter Chriſtus *Joan.* 4. filium Reguli diſtantem reſtituit priſtinæ ſanitati, & *Joan.* 11. ſola voce revocavit animam Lazari jam exiſtentem in lymbo. Præterea poſſet reſponderi, non eſſe de ratione phyſici inſtrumenti contingere ſubjectum, in quo debet recipi phyſice effectus contactu ſuppoſiti, ſeu rei, ſed ſufficere, ſi ſubjectum contingat contactu virtutis, & cauſalitatis: hinc quamvis Sacramenta non ſemper contingant ſubjectum phyſicè, in quo producitur eorum effectus contactus ſuppoſiti, contingunt tamen ſubjectum contactu virtutis, & cauſalitatis, & hoc ſufficit ad cauſandam gratiam in ſubjecto diſſito, quia virtus divina qua producitur gratia, eſt ſemper ubique rebus omnibus intimè præſens.

Objiciunt ſecundò, quia ſi Sacramenta novæ legis eſſent inſtrumenta phyſica productiva gratiæ, maximè id eſſet, quia per virtutem inchoatam phyſicè inſtrumentaliter concurrent ad productionem gratiæ, atqui virtus hæc inchoata non datur in iis, quæ ſunt in ordine inferiori reſpectu effectus ordinis ſuperioris, quia inchoatio virtutis includit proportionem, quæ excluditur ab ordine inferiori reſpectu ſuperioris, quo pacto entia naturalia non dicuntur habere proportionem cum ſupernaturalibus, ergo Sacramenta non ſunt phyſica inſtrumenta productiva gratiæ, contra eſt, negatur minor, quia hæc virtus inchoata non debet eſſe in eodem ordine, ut ſupponitur, ſed ſatis eſt, ſi habeat aliquam convenientiam in prædicatis genericis, & rurſus ſit elevabilis ad ordinem ſuperiorem, virtus enim inchoata eſt proportio inter effectum, & cauſam in prædicatis genericis, & quia gratia eſt æque ens finitum, ac producibile, ſicut Sacramentum, quod etiam eſt à Deo elevabile ad producendum effectum in ordine ſupernaturali, ideo dicitur ob id dari proportio inter Sacramenta, & gratiam; quæ proportio ſufficit, ut virtus dicatur ad talem effectum eſſe inchoatam: ſicut in ſententia communi ſufficit, quod volitio, & intellectio naturalis, & ſupernaturalis conveniant in ratione volitionis, & intellectionis, ad hoc, ut noſter intellectus vel voluntas dicatur habere virtutem inchoatam ad intellectionem & volitionem ſupernaturalem, Hinc proportio inter potentiam intellectivam, & intellectionem ex una parte; & cognitionem ſupernaturalem ex altera, hoc eſt, ut cognitio naturalis, & ſupernaturalis conveniant in prædicatis genericis cognitionis, & vitalitatis intentionalis: hæc tamen proportio datur inter Sacramenta & gratiam, quia Sacramenta conveniunt cum gratia in prædicatis genericis entis ac finiti. Præterea effectus producibilis à corpore Chriſti naturaliter eſt calor, qui habet hanc proportionem cum qualitate ſupernaturali, ut eſt gratia ſanctificans, quia calor, & gratia conveniunt in prædicatis genericis qualitatis accidentis, & educibilis: ergo ſicut illa prior proportio ſufficit, ut intellectus noſter dicatur habere virtutem inchoatam, ac eſſe elevabilis ad producendam phyſicè intellectionem ſupernaturalem, ita ſufficit etiam proportio inter Sacramenta, & gratiam. Quòd ſi dicas, ad producendum effectum in ordine ſuperiori non ſufficere quamcunque proportionem in quocunque gradu generico, & creato; ſed requiri proportionem in gradu proximiori. Contra eſt, quia ex hac reſponſione non poſſemus eſſe certi, qualisnam eſſet gradus iſte proximior, cum non aſſignetur: non enim adeſt lex aliqua, quæ in potentiis elevatis perinde ac in matrimoniis præſcribat gradus prohibitos. Rurſus ſemel quod conceditur, poſſe creaturam elevari ad producendum omnem gradum ſibi improportionatum, ſeu excedentem vires, quas habet naturales non apparet amplius repugnantia, cur ob ultimum, ac remotiorem gradum non poſſit elevari. Si dicas hanc proportionem conſtitui per gradum genericum infimi, ſeu arctioris generis. Contra eſt quia intellectio humana naturalis, ut ſic non eſt genus infimum quia continet ſub ſe alia genera conditionum, cujuſmodi ſunt genus apprehenſionis, enunciationis, affirmationis, negationis, obſcuræ, claræ, evidentis, quæ ſunt genera ſubalterna, & tamen ratio intellectionis ut ſic ſufficit, ut intellectus naturalis dicatur habere proportionem cum intellectione ſupernaturali, ad quam poſſit elevari per modum principii efficientis, & phyſicè influentis. Alii reſpondent hanc proportionem in eo ſitam eſſe, ut effectus exigat produci à tali cauſa, qua ratione omnes cognitiones ſupernaturales exigunt produci à principio naturali vitali: non ita canis exigit produci à fele, ſed contra quia nemo dubitat, non poſſe cauſam elevari ad effectum exigentem ab ipſa produci, id enim eſt per ſe evidens; neque præſens controverſia eſt de hoc, ſed an poſſint duo connecti pèr actionem per modum cauſæ, & effectus, quorum neutrum exigat tali modo connecti, & dicimus id poſſe contingere, & de facto contigiſſe in miraculis à Chriſto patratis: ſiquidem Chriſtus *Joan.* 9. Ex terra, & ſputo fecit lutum, quod oculis injectum vel maximè adverſatur viſui, & nihilominus linivit oculos cæci, & tali inſtrumento, ſeu luto non exigente nectieum viſu, à quo vel maximè diſtat, cùm viſus ſit actus vitalis in ordine longe ſuperiori, quàm ſit lutum, & nihilominus per lutum ut per inſtrumentum viſum reſtituit. Præterea Eliſæus Propheta immiſſo in amara, aquas ſale dulces, ac potabiles effecit, 4. *Reg.* 2. Cum ſol debuiſſet potius amaritudinem augere. Rurſus 4. *Reg. cap.* 6. Injecto in fluvium

Digitized by Google

ligno fecit, ut ſecuris in flumen delapſa enataret, Cùm igitur in hiſce, ac plerisque aliis miraculis Deus adhibuerit res vel maximè contrarias effectibus illis, quos voluit producere ad oſtendendam ſuam potentiam, perſpicuum eſt, hanc proportionem non eſſe in eo ſitam, ut effectus exigat produci à tali cauſa; quis enim dicat viſum exigere à luto produci? Neque aſſeri poteſt, lutum nullum præſtitiſſe influxum phyſicum in ordine ad viſum reſtituendum, ſed à ſolo Deo ad præſentiam luti fuiſſe viſum cœco reſtitutum: quia ſi ita contigiſſet, Chriſtus illuſiſſet adſtantibus, ac videntibus: quia cum vellet videri apud ipſos uti luto tanquam inſtrumento ad producendum effectum viſus, ad quem revera lutum nullo pacto concurriſſet, quod tamen non poſſumus de Chriſti ſuſpicari. Reſpondent aliqui, lutum concurriſſe ad illam viſus reſtitutionem partialiter: putant in quolibet corpore præſertim mixto eſſe vim aliquam, quæ ſaltem partialiter poſſit juvare in ordine ad quemlibet effectum corporeum producendum vel primarum qualitatum, vel alicujus qualitatis occultæ, vel per impulſus locales, vel alia id genus, & lutum hoc pacto partialiter concurriſſe ad illam reſtitutionem visûs ſupplente Deo alteram partem virtutis neceſſariæ per concurſum ſuæ omnipotentiæ. Sed contra quia per hanc reſponſionem non ſatis fit difficultati, quia adhuc non ſalvatur, quomodo Chriſtus non illuſerit ſpectatoribus, perinde ac illuderet Dæmon, ſi exterius ſimularet ponderoſiſſimum ſaccum à puero ſeptenni vel trimulo elevari unica manu, ac projici ad ducentos paſſus, & interim hæc omnia occultè ageret Dæmon ſupplendo defectum virium ipſius pueri nonniſi leviſſimè concurrentis: ergo ſi Chriſtus non illuſit adſtantibus, tenemur fateri lutum aſſumptum tanquam inſtrumentum ad reſtituendum viſum cœco præſtitiſſe ſuum concurſum inſtrumentalem, ac lutum ſecundùm totum ſuum eſſe ad id aſſumptum ut inſtrumentum, adeo ut adſtantes rectè judicaverint aſſerentes, Chriſtum luto ut inſtrumento reſtituiſſe viſum cœco,

Objiciunt tertiò, tametſi detur potentia paſſiva in creaturis in ordine ad effectus excedentes totam naturalem capacitatem paſſi, non propterea poteſt inde inferi, dari etiam potentiam obedientialem activam: ratio diſcriminis eſt, quia Deo, & creaturis non eſt tribuendum prædicatum, de quo dubitamus, an detur, nec ne, fortaſſis tale ſit, ut ad Dei pertineat perfectionem, quod illud exiſtat in rerum natura, quo pacto, quia pertinet ad potentiam, & dominium Dei, uti creaturis pro ſuo arbitrio, & ad ſuam ſpectat munificentiam dare rebus aliquid melius per favorem quàm illis conveniat per naturam, ideo datur potentia obedientialis paſſiva in creaturis in ordine ad Dei favores recipiendos, & hac ratione Sacramentis inprimitur à Deo aliqua qualitas ſupernaturalis, non quæ producat gratiam, ut plures cenſent, ſed quæ exigat à Deo gratiam produci in ſubjecto ſuſcipiente Sacramentum. Contra eſt, quia ſicut potentia obedientialis paſſiva ideo debet exiſtere in rerum natura, quia ſit prædicatum in creaturis manifeſtans iiſdem divinam munificentiam, ita eadem ratione debet etiam exiſtere in rerum natura potentia obedientialis activa, quia hæc commendat aliam Dei perfectionem ſeu pleniſſimum dominium quod Deus habet in omnes creaturas quibus pro ſuo arbitrio uti poteſt: ſicut ad Dei perfectionem ſpectat, poſſe per favorem Sacramentis imprimi qualitatem ſupernaturalem, ſeu ſupranaturalem exigentiam Sacramentorum, quæ qualitas quamvis non producat, exigit tamen productionem gratiæ faciendam à Deo, eò quia hanc qualitatem habere ſit in Sacramentis prædicatũ melius, quàm quod iiſdem convenit per naturam, ita multo magis cenſendum eſt; pertinere ad perfectionem Dei poſſe per concurſum extrinſecum elevare eadem Sacramenta ad phyſicè producendam gratiam, ſiquidem agere eſt perfectius quàm præciſè exigere, ut gratia ab alio principio extrinſeco producatur. Rurſus pertinet ad Dei perfectionem, ut in creaturis reluceat pleniſſimum ac deſpoticum dominium, quo uti poteſt pro ſuo arbitrio creaturis omnibus, & prout ipſi magis libuerit: ſed per potentiam obedientialem activam, hoc prædicatum relucet in creaturis, quia ex eo, quod Deus utatur concurſu phyſico inſtrumentali creaturarum in patrandis miraculis apparet in creaturis hæc Dei perfectio, ſeu dominium, quo poteſt libere uti creaturis ad ſuum placitum, hæc autem Dei perfectio non ita clarè ac amplè relucet in creaturis ſublata hac potentia obedientiali activa ab iiſdem: ergo cùm hæc potentia obedientialis activa pertineat ad Dei perfectionem, quatenus exiſtens in Creaturis manifeſtat iiſdem deſpoticum Dei dominium, debuit dari in rerum natura. Præterea quia illa perfectio recte tribuitur creaturæ, quæ deſervit ad manifeſtandum aliquod Dei prædicatum, quod alioquin non apparet: ſed potentia hæc obedientialis activa in creaturis deſervit ad manifeſtandum deſpoticum ac pleniſſimum Dei dominium in creaturas, quod dominium in iiſdem non apparet, ſublata ab iiſdem creaturis hac potentia obedientiali activa: etenim nemo negabit perfectiùs eſſe poſſe ſimul, & ſemel operari contraria, quàm eſſe alligatum uni tantum contrariorum: ſiquidem virtus, quæ extenditur ad plura, eſt perfectior, & major, quia proximus accedit ad divinam omnipotentiam, cujus eſt quædam participatio ad extra: ſed Dei potentia ſeu perfectio in nullo prædicato naturali creaturarum apparet, niſi in potentia obedientiali activa, quatenus aſſumi poteſt ad oppoſita præſtanda ſimul ſeu ad producendos contrarios effectus, quo una ac eadem potentia naturalis non producit ſecundùm quas habet naturales vires, quod etiam ſignificavit Rex Salomon Sapient. 16. ubi ait: *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, quodam enim tempore manſuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios miſſa erant animalia: & quodam tempore in aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat. Creatura enim ſibi factori deſerviens exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos: & lenior fit ad benefaciendum probis, qui in te confidunt.* Quinimò potentia obedientialis activa manifeſtat eam divinam perfectionem, quæ conſiſtit in eo, quod eſt aliis benefacere, non attendendo ullum proprium commodum; hanc enim perfectionem non manifeſtant agentia non intellectiva, ignis enim producendo alium ignem ſtudet proprio commodo, quod in tali productione intendit, ſcilicet conſervationem propriæ ſpeciei in individuis, quæ per ſucceſſivas productiones generantur in perennem ſpeciei conſervationem ac defenſionem proprii individui. Secus potentia obedientialis activa hujusmodi cõmodum propriũ non intendit, proinde aliqua manifeſtatio divinæ perfectiones reperitur in potentia obedientiali activa, quæ in agentibus non intellectivis non relucet: ergo ſi illa perfectio rectè tribuitur creaturis, quæ inſervit ad manifeſtandũ aliquod Dei prædicatũ, quod alioquin in agentibus præſertim non intellectivis non appareret, ſequitur potentiam obedientialem activam eſſe neceſſariò tribuendam creaturis. Sed inſtant aliqui cum Eſparza, Deũ & naturam nihil facere fruſtra: atqui hæc potentia obedientialis activa, ſi daretur, eſſet omnino fruſtranea & ſupervacanea, quia ejus activitas nunquã poſſet naturaliter reduci ad actũ quoad rationem ſpecificam, ac differentialem ſui effectus, pro ut hæc ratio ſpecifica adæquatè diſtinguitur ab illa, quã naturaliter talis entitas poteſt producere, ſiquidẽ differentia gratiæ ſanctificantis non continetur in naturali entitate aquæ, adhibetur pro baptiſmo, proinde ſi daretur in aqua baptiſmali hæc

potentia

Digitized by Google

potentia obedientialis activa ad producendam differentiam ſpecificam gratiæ ſanctificantis eſſet omnino ſupervacanea, quia naturaliter nunquam poſſet reduci ad actum ſecundum. Sed contra, quia non eſt neceſſe, ut potentia obedientialis activa connaturaliter reducatur ad actum, ſed ſufficit, ſi ſupernaturaliter id præſtet, ut liquet in potentia obedientiali intellectiva, & volitiva, utraque enim elevatur ad producendum actum ſupernaturalem, quem neutra poteſt naturaliter producere; neque differentia ſpecifica actus ſupernaturalis continetur æquivalenter in actibus naturalibus intellectus: id enim non eſt neceſſe. Præterea quia nec potentia obedientialis paſſiva, quam concedit Eſparza, continet differentiam ſpecificam formæ, adeo ut nunquam poſſit naturaliter eam recipere, & nihilominus eam ſupernaturaliter recipit, adeo ut non poſſit Eſparza hoc negare, alioquin humanitas Chriſti non ſuſtentaret unionem hypoſtaticam, quæ unio ſubjectatur in Chriſti humanitate, imò nec anima rationalis ſuſtentaret gratiam ſanctificantem. Ad hoc igitur ut potentia obedientialis activa non ſit fruſtranea ſufficit, ſi poſſit naturaliter producere effectum primarium à natura intentum per virtutem naturalem talis entitatis activæ; neque eſt neceſſe, ut poſſit naturaliter producere omnem actum ſibi poſſibilem, ſed ſufficit, ſi ad hos elevetur.

CAPUT XIV.

An poſſit probabiliter evinci Sacramenta novæ legis eſſe tantum inſtrumenta moralia cauſativa gratiæ.

PRopugnavimus in præcedente capite cum Thomiſtis Sacramenta novæ legis eſſe phyſica inſtrumenta, & phyſicè cauſare gratiam, quam continent, & conferunt ſuſcipientibus. Supereſt inquirendum, an poſſit itidem evinci probabiliter eſſe tantùm inſtrumenta moralia cauſativa gratiæ & aſſerimus, poſſe probabiliter itidem oſtendi, Sacramenta novæ legis eſſe tantum inſtrumenta moralia, quæ nonniſi moraliter producant gratiam, quam continent, & conferunt ſuſcipientibus, ita docent S. Bonaventura *in 4. diſt. 7. art. 1. quæſt. 4. & 5.* Richardus *diſt. 1. art. 4. quæſt. 2.* & fere communiter extra ſcholam Thomiſticam, & oſtenditur, quia eatenus Sacramenta dicuntur eſſe phyſica inſtrumenta gratiæ quia ſancti Patres, Concilia, & ſcripturæ teſtantur eſſe veras cauſas gratiæ: hoc enim videtur eſſe potior ratio aſſerendi, Sacramenta novæ legis cauſare phyſice inſtrumentaliter gratiam: ſed ut Sacramenta ſint verè cauſæ gratiæ; ſufficit cauſalitas moralis, quia ſcripturæ etiam docent, paſſionem Chriſti eſſe cauſam noſtræ ſalutis, 1, Joan. 1. *Sanguis Chriſti mundat nos ab omni peccato*, ergo etiam Sacramenta dicuntur moraliter conferre gratiam, ſiquidem paſſio, & ſanguis Chriſti ſunt tantùm cauſa moralis noſtræ ſalutis, quod enim nunc non eſt, non poteſt phyſicè nunc cauſare; & de ratione cauſæ phyſicæ eſt, nunc cauſare, quando exiſtit, ergo cum paſſio Chriſti ſit tantùm cauſa moralis noſtræ ſalutis, hoc idem adſtruendum eſt de Sacramentis novæ legis. Neque obſtat, quod reſpondent aliqui manere nunc Chriſti paſſionem in quinque ſtigmatibus, ut in ſuo effectu reali: volunt enim per hæc ſtigmata etiam nunc Chriſti paſſionem phyſicè influere in noſtram ſalutem. Nam contra eſt, quia Chriſti ſtigmata, quæ nunc manent, non ſunt propriè paſſio, ſed effectus paſſionis, & ſcripturæ noſtram ſalutem proprie tribuunt paſſioni Chriſti; & quia paſſio nunc non exiſtit, ſed tantùm extitit, ideo non poteſt phyſicè cauſare gratiam, ſi cauſa phyſica, cum cauſat, exigat exiſtere, ergo cùm Sacramenta novæ legis aſſumpta à Chriſto ut inſtrumenta ſuæ paſſionis ſequitur, quod tantum moraliter concurrant ad productionem gratiæ, perinde ac Chriſti paſſio, quæ dicitur vera cauſa gratiæ nobis collatæ. Præterea plures ſancti Patres expreſſè negant phyſicam cauſalitatem in Sacramentis novæ legis, & tantùm eis tribuunt moralem, ut Cyprianus ſerm. de Baptis. Chriſti ſub initium, ubi ait: *Quoniam remiſſio peccatorum ſive per Baptiſmum, ſive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficientia privilegium manet: verborum ſolemnitas & ſacri invocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis Sacerdotum miniſteriis attributa viſibile celebrant Sacramentum, rem verò ipſam Spiritus Sanctus format, & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inviſibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ unctionis divina pinguedo ſanctificationibus efficacibus infundit, & rem Sacramenti conſummat, & perficit.* Et paulò infra ſubdit: *Propriè ſibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum.* Vult igitur Cyprianus Sacramenta novæ legis non niſi ut inſtrumenta moralia cauſare gratiam. Idque etiam docet D. Ambroſ. lib. de dignit. Sacerdot. cap. 5. in fine, ubi ait: *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam.* Et in Sacramento Ordinis ait: *Sacerdos imponit ſimplicem dexteram & Deus benedicit potenti dextera. & lib. 1. de Sacrament. cap. 5.* Comparat Baptiſmum aquæ Jordanis emundantis à lepra Naaman Syrum: atqui emundatio illa non fuit phyſica, ſed tantùm moralis, ergo ſentit Ambroſius Sacramenta novæ legis non niſi moraliter cauſare gratiam. Neque obſtat, ſi dicas, D. Ambroſium lib. 1. de Sacramentis cap. 5. docere Baptiſmum cauſare gratiam phyſicè, quia loquens de baptiſmo ait: *Non ſanat aqua, niſi Spiritus Sanctus deſcenderit, & aquam conſecraverit:* Sed non aliter conſecratur aqua, niſi quatenus Spiritus Sanctus illi imprimit qualitatem ſanativam ſeu productivam vel ſaltem attractivam gratiæ, quia non poteſt aliter intelligi deſcenſus iſte Spiritus ſancti, quàm per operationem exercitam in ipſa aqua, conſequenter cenſet D. Ambroſius, Sacramentum Baptiſmi cauſare phyſicè inſtrumentaliter gratiam. Sed contra, quia D. Ambroſius *loc. cit.* tantum recenſat totam hiſtoriam de Naaman mundato à lepra per immerſionem in Jordanem & poſtea quærens, quid hæc immerſio ſignificet, ſubjungit: *Vidiſti aquam, ſed non omnis aqua ſanat, ſed aqua ſanat, quæ habet gratiam Chriſti. Aliud eſt elementum, alia conſecratio, aliud opus, aliud operatio, aqua opus eſt, operatio Spiritus Sancti eſt.* Unde D. Ambroſius tribuit operationem ſoli Spiritui Sancto, qui propterea phyſicè ipſe contulit gratiam. Poſtea incipiens loqui de inſtitutione baptiſmi Chriſti in Jordane, cujus figura erat ſanatio, Naaman ſubdit: *Non ſanat aqua, niſi Spiritus Sanctus deſcenderit, & aquam illam conſecraverit, ſicut legiſtis, quòd cum Dominus JEſus Chriſtus formam baptiſmatis daret* (ſeu inſtitueritum ritum Baptiſmatis) *ecce quaſi columba Spiritus S. deſcendit.* Ex quibus verbis conſtat D. Ambroſ. fuiſſe locutũ de deſcenſu præterito,

non de futuro,scilicet de illo in specie columbæ, adeo ut sensus sit, quod aqua,quæ in baptismo adhibetur, non sanaret à peccato,nisi baptismus fuisset à Christo institutus annuente Spiritu Sancto, cujus opus est Sacramentorum institutio. Quamvis omnia beneficia tribuantur Spiritui Sancto,specialiùs tamen tribuitur illa gratia; quæ confertur per baptismum juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*: ergo Spiritus S. dicitur, aquam consecrasse, quando una cum Patre, & verbo baptismum instituit, promisitque collationem gratiæ intuitu talis cæremoniæ ritè applicatæ: unde per hanc consecrationem non significatur ulla immutatio physica aquæ,nec impressio qualitatis; sicut quando consecrantur Altaria, & calices,non immutantur physicè; ergo ex præcitato loco non colligitur, S. Ambrosium docuisse, Sacramentum baptismi physicè causare gratiam, sed tantum moraliter, quod etiam docuit D. Hieronymus in 4. Isaiæ inquiens: *Homo tantùm aquam tribuit, Deus autem Spiritum Sanctum*; cui sententiæ etiam adhæret D. Augustinus epist. 23. ad Bonifacium, ubi ait: *Aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in uno Adam generatum.* Hanc moralem causalitatem gratiæ tribuunt Sacramentis novæ legis cæteri SS. Patres, D. Basilius c. 15. de Spiritu S. D. Bernardus serm. de cœna Domini, ubi explicat hanc moralem causalitatem exemplo libri baculi,quibus investitus Canonicus, Abbas, Episcopus, ergo SS. Patres nonnisi moralem causalitatem gratiæ tribuunt Sacramentis novæ legis. Tum quia eatenus Sacramenta novæ legis dicuntur physicè producere gratiam, quia debent esse veræ, ac propriæ causæ gratiæ,ac debent sufficienter distingui à Sacramentis veteris legis: sed ex eo, quod tantum moraliter causent gratiam, adhuc sunt veræ ac propriæ causæ gratiæ, & distinguuntur sufficienter à Sacramentis legis Mosaicæ, siquidem sunt veræ ac propriæ causæ gratiæ, quam conferunt, ac distinguuntur sufficienter à Sacramentis veteris legis,si tam propriè causant gratiam, quam Christi merita, quorum sunt instrumenta sed si tantùm moraliter causent gratiam tam propriè eam causant,quàm Christi merita, quæ nonnisi moraliter agunt, ergo tametsi Sacramenta novæ legis tantum moraliter causant gratiam,ac fere, ac propriè dicuntur causare gratiam ex opere operato, ac distingui à Sacramentis veteris legis. Præterea, quia quod causa moralis sit vera, ac propria causa, ex eo liquet, quia plerumque ei magis tribuitur effectus quam causæ physicæ: etenim si Dominus præcipiat famulo, ut occidat inimicum, magis censetur causâsse mortem inimici quàm famulus, qui præstitit concursum physicum, item Judex qui damnat innocentem, magis censetur illum occidisse quàm tortor, qui physicè innocentem occidit, ergo tametsi Sacramenta novæ legis nonnisi moraliter causent gratiam, adhuc sunt verè ac propriè causæ ipsius: Præterea quia plerumque Sacramenta causant gratiam, tunc quando amplius non existunt, sed causa physica, quando non existit non causat, quia exhibet concursum physicum, qui exigit essentialiter existere: ergo Sacramenta novæ legis non causant physicè gratiam; minor, & consequentia tenent; probatur major; quia baptismus in puncto suæ receptionis non contulit gratiam propter obicem in recipiente, seu fictionem, recedente postea fictione, & obice eam confert, ut docet D. Augustinus lib. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. Sed tunc eam non causat physicè, quia tunc non est: siquidem quod non est,

siquidem quod non est, non potest physicè ca[usare], ergo solùm causat moraliter, neque urg[et] si dicas recedente fictione non esse Sacrament[um] quod gratiam causat, sed characterem impr[es]sum à Sacramento; & quia tunc charac[ter] verè existit, ideo physicè producit gratiam, qua[m] baptismus in puncto suæ receptionis debuit producere: siquidem character propriè non [est] Sacramentum, sed tantum effectus ejusdem, ergo recedente fictione baptismus dicitur physicè caus[are] gratiam, nonnisi impropriè sumitur, scilicet effect[us] baptismi pro ipso baptismo, quæ locutio est tropi[ca] & sumitur effectus pro causa. Rursus character [per] se non est instrumentum ad producendam gratiam[, ut] liquet, quando simul, & semel conferuntur cha[racter] & gratia, tunc enim gratia non confertur m[e]diante charactere, qui propterea non est causativ[us] gratiæ; consequenter recedente fictione baptism[us] nonnisi moraliter gratiam causat; id etiam evin[ci]tur in Sacramento matrimonii contracti per Proc[u]ratorem,tunc enim producitur gratia in contrahen[ti]bus, quando in ipsis non est materia & forma Sac[ra]menti seu consensus principalis contrahentis; qu[ia] consensus verbis procuratoris, ut conditione sine q[ua] non, notificatur alteri conjugi, sed eadem est m[a]teria & forma matrimonii inter præsentes, & abse[n]tes, scilicet mutuus consensus contrahentium, alioqu[i] non esset idem matrimonium: ergo cùm persæ[pe] contingat, & quando Procurator absolvit verb[a] quibus notificat consensum principalis: Conse[n]sus principalis, qui solum est Sacramentum, defic[it] physice esse, sequitur non posse tunc Sacramentu[m] causare physice gratiam. Rursus quia Sacramenta d[e]bent gratiam causare, quatenus formaliter sunt Sacr[a]menta, quia hoc illis convenit, ut sunt signa practic[a] sed ut talia non possunt physicè causare, quia ut t[a]lia, seu secundum esse formale, dicunt significati[o]nem Sacramentalem, quæ est quid morale, adeo [ut] totum esse physicum pertineat ad esse materiale uc[...] formale Sacramenti: ergo cum esse morale no[n] possit physicè operari sequitur Sacramenta, ut form[a]liter talia non nisi moraliter causare gratiam. Firmatur, quia potest existere totum esse physicu[m] sine Sacramentò, ut si quis in baptismo abluat, [si]mulque proferat verbo absque intentione confere[n]di baptismum, & faciendi quod facit ecclesi[a] tunc non causatur gratia, quamvis adsit totum e[sse] physicum, scilicet ablutio & verba, ergo solum ca[u]satur ex vi esse moralis, proinde non nisi moraliter S[a]cramenta novæ legis causant gratiam.

Probatur ulterius, quia Sacramenta sunt e[n]tia successiva, non possunt physicè causare grat[i]am, sed revera Sacramenta novæ legis sunt e[n]tia successiva, consequenter non causant physi[cè] gratiam, sed tantùm moraliter: siquidem no[n] possunt causare, antequam sint completa, qu[ia] tunc non existunt, & quod physicè non exista[t] non potest physicè operari, nec postquam su[nt] completa, quia tunc amplius non existunt, qu[ia] quando profertur ultimum verbum, præcedent[ia] non amplius existunt, quia tunc tantùm exist[it] ultimum verbum, & complementum, adeo [ut] tunc non existat totum Sacramentum physic[è] sed tantùm pars Sacramenti: ergo cum in nu[l]lo signo Sacramenta existant secundum totu[m] suum esse physicum, sequitur quòd nec possi[nt] physicè operari. Præterea quia sola verba no[n] sunt totum Sacramentum, sed res & verba simu[l] consequenter si Sacramenta physicè agunt, s[e]quitur

quitur, quod tam res quàm verba debeant phyſicè agere, ſed hoc eſt falſum in Sacramento Euchariſtiæ, ubi ſola verba producunt corpus Chriſti, & corpus Chriſti tantùm producit gratiam. Neque obſtat, quòd reſpondent aliqui totum Sacramentum dici, phyſicè agere, tametſi non agat niſi per unam ſui partem, perinde ac totus homo dicitur videre, audire, licèt non videat niſi per oculos, & audiat niſi per aures. Nam contra eſt, eſt enim diſcrimen, quia partes Sacramenti non ſunt phyſicè unitæ perinde ac partes hominis, ſed tantùm moraliter, & non faciunt unum per ſe, ſed tantùm unum per accidens: rurſus partes hominis exiſtunt omnes ſimul; non ita partes Sacramenti, alioquin homo non diceretur videre, ſi omnia ejus membra præciſa eſſent præter oculum: ſiquidem oculus, qui ſolus videret, non eſſet homo. Reſpondent alii, Sacramenta cauſare gratiam per ultimum mutatum eſſe, quod eſt terminus Sacramenti cauſans in virtute partium præcedentium, ſed contra, quia quod non exiſtit ſecundùm proprium eſſe phyſicum, neque ſecundùm ſuam virtutem phyſicam, non poteſt phyſicè operari: ſed ille terminus non eſt Sacramentum, nec continet virtutem phyſicam Sacramenti, quia hæc eſt intrinſeca ipſi Sacramento, conſequenter Sacramentum non poteſt tunc cauſare gratiam. Demum quia omnes partes Sacramenti, quæ præceſſerunt ultimam, fuerunt ſucceſſivæ, quarum nulla eſt ſufficiens cauſa phyſica gratiæ, conſequenter non videtur, quomodo poſſint relinquere virtutem cauſativam gratiæ, ſiquidem quod in uno ſigno ſecundùm ſe eſt aptum cauſare effectum, non poteſt relinquere virtutem cauſandi effectum: ſed partes omnes Sacramenti ſeorſim ſumptæ non ſunt aptæ ad cauſandam gratiam, quia non ſunt Sacramenta, neque ſimul ſumptæ, quia ſimul non exiſtunt: verba enim proferuntur unum poſt aliud, adeo ut cum profertur ſecundum, primum non amplius exiſtat: ergo Sacramenta tantùm moraliter, & non phyſicè cauſant gratiam.

Sed objices, ſi Sacramenta novæ legis tantùm moraliter cauſant gratiam, & non phyſicè, ſequitur perinde eſſe tantùm conditiones ſine quibus non ac eſt denarius plumbeis regis, quo exhibito datur alicui pecunia ex voluntate regis: ſed Sacramenta non ſunt puræ conditiones ſine quibus non: ergo phyſicè, & non moraliter cauſant gratiam; ſed contra, quia ex eo, quod nonniſi moraliter cauſant gratiam non ſequitur eſſe meras conditiones ſine quibus non, quia inſtrumentum morale per hoc differt à pura conditione, quia habet in ſe aliquam virtutem movendo cauſam principalem ad aliquid feciendum, quam virtutem non habet pura conditio, ſed Sacramenta novæ legis habent hanc virtutem, quæ aliud non eſt quàm merita Chriſti iiſdem applicata, ut docet D. Thomas hic art. 5. in corpor. ubi ait: *Manifeſtum eſt, quod Sacramenta eccleſiæ ſpecialiter habeant virtutem ex poſitione Chriſti, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per ſuſceptionem Sacramentorum.* Rurſus quia Sacramenta ſunt etiam quædam actiones Chriſti dignificatæ ab illius inſtitutione, ut fiant ſuo nomine, adeo ut hanc inſtitutionem includant veluti partem conſtitutivam, eſtque dignitas apta movere non minus quàm merita: hinc patet diſcrimen inter inſtrumentum morale & puram conditionem; quia pura conditio non habet in ſe hanc dignitatem aptam ad movendum: etenim ſi herus præcipiat famulo, ut quoties gallus cantaverit, det eleemoſynam, in hoc caſu galli cantus eſt pura conditio, & erit præceptum cauſa moralis eleemoſynæ, quam ſervus elargitur pauperi. Hinc cauſa moralis propriè eſt, quæ operantem movet ratione alicujus dignitatis & excellentiæ, à qua quodammodo excitatur effectus cauſæ illius, quæ movetur ad phyſicè operandum. Secus pura conditio non movet ratione hujus dignitatis, & excellentiæ in ſe repertæ: ſed tantùm quatenus conjungitur cum alio habente hanc dignitatem, & exigente non movere, niſi quando illud alterum habet ſibi conjunctum: hinc quando ſimul concurrunt cauſa moralis, & pura conditio, quamvis tunc neutrum ſine altero moveret, hoc tamen intereſt diſcrimen, quod id, quod eſt cauſa moralis eatenus movet, ut conjunctum cum altero, quia exigit non movere, niſi ut ſic conjunctum non quidem ex defectu virtutis, ſed quia non exigit movere, niſi quatenus eſt alteri conjunctum; perinde ac ignis non poſtulat calefacere, niſi ut approximatur ſubjecto combuſtibili; & è converſo, quod tantum eſt pura conditio, eatenus præcisè non poteſt movere ſine altero, quod eſt cauſa, quia cauſa exigit non movere niſi habeat conjunctam talem conditionem: hinc galli cantus eſt mera conditio, & voluntas Domini cauſa moralis elargitionis eleemoſynæ; quia in voluntate illa habetur dignitas excitans, & impellens ſervum, & quia voluntas Domini non vult à ſervo attendi, niſi ponatur cantus galli, ſequitur quòd ſine cantu galli non moveat ſervum ad elargitionem eleemoſynæ. Quapropter Sacramenta novæ legis ſunt veræ cauſæ morales continentes in ſe excellentiam moventem Deum, ad producendam gratiam, quatenus ſunt actiones Chriſti inſtitutæ ab ipſo, & à Miniſtris Chriſti exercendæ nomine, & authoritate ipſius Chriſti in hunc finem, ut gratiam cauſent, ex quo fit, quod Sacramenta novæ legis dignificentur ab ipſa inſtitutione Chriſti, & meritis à Chriſto applicatis, ergo Sacramenta novæ legis ſunt veræ cauſæ morales inſtrumentales gratiæ, quatenus aſſumpta à Chriſto ut inſtrumenta ſuæ paſſionis, cum qua moraliter conjuncta movent divinam voluntatem ad conferendam gratiam dignè ſuſcipientibus: Ad cauſalitatem inſtrumentalem duo requiruntur, ſcilicet ipſum inſtrumentum, & virtus aliqua cauſativa ſaltem inchoata, & diſtincta à virtute principalis agentis, alioquin non poſſet elevari quod ſimul cum principali agente cauſaret effectum, quia elevatio non ponit, ſed ſupponit virtutem concauſantem effectum cum principali agente; cæterum non eſt neceſſe, ut hæc virtus in inſtrumento ſit completa, ſed ſatis eſt, ſi ſit inchoata, & incompleta, complebilis tamen per aſſociationem cum virtute principalis agentis, à quo aſſumitur ad effectum concauſandum: alioquin ſi tota vis cauſativa reſideret in ſolo principali agente, non poſſet verè & propriè inſtrumentum dici re ipſa cauſare per virtutem intrinſecam. Igitur virtus principalis meritoria in Sacramentis novæ legis juxta definitionem Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 7.* eſt Chriſti paſſio: & hæc virtus ut conjuncta moraliter ex inſtitutione Chriſti cum operatione Sacramentorum novæ legis complet inchoatam bonitatem eorum, ut una cum Chriſti meritis valeant movere voluntatem Dei ad conferendam gratiam dignè ſuſcipientibus. Quamobrem ad veram & propriam cauſalitatem moralem requiritur aliqua honeſtas moralis in actione, quæ Sacramentum eſſentialiter conſtituit, quia cauſaliter moralis eſt per modum actionis impetratoriæ quæ exigit eſſentialiter fundari in aliqua bonitate, quod ſi dicas, inde ſequi, circumciſionem fuiſſe cauſam moralem gratiæ contra definitionem Concilii Florentini aſſerentis Sacramenta veteris legis tantùm figuraſſe, & non contuliſſe gratiam. Sequela probatur, quia circumciſio potuit movere

Digitized by Google

Deum ad conferendam gratiam propter prævisa Chriſti merita. Contra eſt, negatur ſequela, quia ut circumciſio tanquam inſtrumentum paſſionis Chriſti, potuiſſet Deum movere ad dandam gratiam, non fuiſſet ſatis DEUM circumciſo contuliſſe gratiam ob prævisa Chriſti merita, hoc enim pacto ſola Chriſti merita causâſſent moraliter gratiam, non verò circumciſio, quia hæc non fuiſſet aſſumpta ab humana Chriſti voluntate ut inſtrumentum morale ſuæ paſſionis, quia ut inſtrumentum poſſit in virtute alterius operari, debet ſubſtitui ex voluntario conſenſu illius, quia cùm ex ſe non habeat ſufficientem virtutem operandi debet eam habere, per moralem alterius communicationem mediante libero ejus conſenſu: quia tunc quando erat circumciſio, non erat humana Chriſti voluntas, à qua ſubſtitueretur ut vicaria ſuæ paſſionis, ſequitur circumciſionem non fuiſſe cauſam moralem gratiæ, ſed tantùm eam figurâſſe. Secus Sacramenta novæ legis, quia fuerunt à libera Chriſti voluntate aſſumpta ut inſtrumenta moralia ſuæ paſſionis, rectè intelliguntur cauſare moraliter gratiam.

Dices, cauſa moralis non eſt inſtrumentum ejus, qui movetur, ſed alterius: ſed Sacramenta ſunt inſtrumenta Dei in ordine ad cauſandam gratiam: ergo non ſunt cauſa moralis ejuſdem. Sed contra, quia inſtrumenta Chriſti ſunt ſacramenta; quia ſolus Chriſtus virtutem ſuæ paſſionis iiſdem communicavit: hinc Sacramenta dicuntur ſigna rememorativa paſſionis Chriſti: Quinimo dicuntur etiam inſtrumenta Dei, quatenus ſubordinatur Deo in ordine ad cauſandam gratiam. Si inſtes, merita Chriſti eſſe ſemper actu præſentia Deo, cujus voluntatem jugiter movent; conſequenter non videri, quomodo poſſint de novo per Sacramenta fieri præſentia Deo, ac ejus movere voluntatem in ordine ad gratiam conferendam; quia ſicut quod eſt tale per ſe; non eſt tale per aliud: ita quod movet per ſe, non movet per aliud: ergo Sacramenta novæ legis non ſunt moralia inſtrumenta, quia non movent voluntatem Dei. Sed contra: quia tametſi Chriſti merita ſint, ſemper actu præſentia Deo, non tamen continuò movent divinam voluntatem ad conferendam gratiam; niſi ſpeciali modo applicentur per actiones Sacramentorum, ut per inſtrumenta à Chriſto inſtituta: etenim non ſolum Chriſti merita, ſed etiam illa ſanctorum ſunt ſemper Deo præſentia; & tamen non ſemper movent Deum ad retribuendam gratiam, niſi ſpeciali modo applicentur per orationes aliorum.

Inſtabis, quia in Sacramento Euchariſtiæ non poteſt aſſignari inſtrumentum morale, quod Deum moveat ad conferendam gratiam dignè communicantibus: Sed hoc ſacramentum verè producit gratiam in dignè ſuſcipientibus: ergo non ut inſtrumentum morale; conſequenter Sacramenta novæ legis non ſunt inſtrumenta moralia collativa gratiæ. Minor, & prima conſequentia tenent, & ſecunda ſequitur ex prima, quia non eſt major ratio de uno, quàm de aliis. Major oſtenditur: quia in Euchariſtia morale inſtrumentum non eſt Chriſtus, quia Chriſtus eſt cauſa principalis conferens gratiam dignè ſuſcipientibus: neque ſunt ſpecies, quia hæ ſunt incapaces bonitatis moralis, quæ exigit fundari in libera actione; neque eſt inſtrumentum morale actio miniſtrandi, quia neutra eſt eſſentialis huic Sacramento, & Sacramentum debet eſſe morale inſtrumentum per aliquid ſibi eſſentiale. Sed contra, quia in Sacramento Euchariſtiæ Deus non utitur inſtrumento ſeparato in ordine ad conferendam gratiam; ſed tantum conjuncto, quod eſt corpus, & ſanguis Chriſti, quatenus fuerunt inſtrumenta immediata paſſionis, & mortis Chriſti, in qua meritum noſtræ redemptionis fuit conſummatum; ex quo tantum ſequitur, in Euchariſtia non aſſignari inſtrumentum morale ſeparatum, ſed tantùm conjunctum: unde ſemper ſtat, Sacramenta eſſe ut moralia inſtrumenta cauſativa gratiæ ſive ut inſtrumenta ſeparata, ſive conjuncta.

CAPUT XV.

Quandonam Sacramenta novæ legis cauſent gratiam, & quam.

QUia Sacramenta novæ legis exceptâ Euchariſtia ſint entia ſucceſſiva, & conſiſtant in uſu materiæ, & in rebus ſucceſſivis tria, poſſunt in iiſdem conſiderari, primò inſtans, illud indiviſibile, quò dicuntur ultimò non eſſe & immediatè poſt futura, & hoc inſtans dicitur initium. Secundò finis, ſeu inſtans illud, in quo dicuntur primò non eſſe; ſed immediatè antea fuiſſe. Tertiò medium inter utrumque inſtans, & eſt tota ſacramentorum duratio clauſa inter duo inſtantia, quæ dicuntur initium, & finis; & quæritur, quando Sacramenta novæ legis cauſent gratiam: & aſſerendum eſt, Sacramenta non cauſare gratiam in tempore, ſed in inſtanti. Quia tametſi gratia de potentia Dei abſoluta, ut plures cenſent, poſſit gratiam producere in tempore; probabilius tamen eſt, ita de facto à Deo non produci in tempore per ſacramenta; quia connaturale eſt rebus indiviſibilibus habentibus eſſe permanens incipere determinare in inſtanti. Tum quia ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 75. art. 7.* Converſio panis in corpus Chriſti fit in inſtanti, quod probat triplici ratione. Primò ex parte formæ, quia forma ſubſtantialis, cum non ſuſcipiat magis, & minus, exigit fieri in inſtanti. Secundò ex parte ſubjecti, quod in inſtanti eſt in ultima diſpoſitione ad formam, quam recipit, quo pacto aër in inſtanti illuminatur. Tertiò ex parte agentis, eo quia fit per virtutem infinitam Dei: ſed omnes hæ rationes verificantur in infuſione gratiæ concurrentibus Sacramentis inſtrumentaliter: quia gratia ſacramentalis producitur virtute divina in inſtanti, quo ſubjectum, eſt ultimò diſpoſitum ad illam ſuſcipiendam, & Sacramentum eſt ultimò completum in ordine ad cauſandam gratiam: ergo Sacramenta novæ legis non producunt gratiam in tempore. Præterea quia D. Thomas loc. cit. in ſolutione ad 3. ait: *Ita converſio fit in ultimo inſtanti prolationis verborum:* & adducens rationem ſubjungit. *Tunc enim completur verborum ſignificatio, quæ eſt efficax in Sacramentorum formis.* Unde Sacramenta non producunt gratiam, niſi quando eſt totaliter completa eorum ſignificatio; ſiquidem verba operantur in Sacramentis, quatenus ſignificant, adeo ut ſi tollatur à verbis aliquid, quod ſit de ſubſtantia ſignificationis, tollatur aliquid, quod eſt de ſubſtantia formæ, ut aſſerit Zacharia Papa *cap. retulerunt. de conſecrat.* diſt.

Digitized by Google

dist. 4. quod etiam coufirmat Nicolaus Papa *cap. 58. revera*: Hinc si una ex tribus personis omitteretur in forma baptismi, non esset validum Sacramentum: sed usq; ad ultimum instans prolationis verborum, non est perfectus sensus significationis, nec censetur significatio completa: ergo antecedenter ad illud ultimum instans Sacramenta novæ legis non producunt gratiam. Quòd si dicas, gratiam perinde posse incipere, ac incipit peccatum, cui opponitur: sed peccatum potest incipere in tempore indeterminato: quia, si Deus injungeret Joanni præceptum de eliciendo actu contritionis ante mortem, & Joannes non adimpleret injunctum sibi à Deo præceptum; in hac hypothesi peccatum non inciperet in instanti mortis, quia tum non posset amittere gratiam, quam usque ad illud tempus supponitur habuisse: ergo inciperet in tempore indeterminato, & antecedenter ad illud ultimum instans. Sed contra, quia in data hypothesi Joannes tunc peccaret, quando se exponeret periculo non satisfaciendi præcepto: quamvis physicè potest toto illo tempore, quod antecedit ultimum instans mortis elicere actum contritionis, posset tamen designari aliquod instans, in quo teneretur ultimò ad impletionem præcepti; eo quia post illud instans adimpletio, præcepti non esset amplius eidem moraliter possibilis; consequenter in hac hypothesi peccatum inciperet in tali instanti. Hinc

Asserendum secundò, Sacramenta novæ legis causare gratiam in instanti physico, in quo terminantur Sacramenta, adeo ut habeant suum esse completum qnoad significationem sacramentalem: consequenter sicut ultima pars Sacramenti nectitur cum antecedentibus in ordine ad fundandam significationem sacramentalem; ita etiam productio gratiæ dicit mediante illa parte ordinem ad omnes alias præcedentes. Hæc assertio, utpote captu facilior, est cæteris præferenda, præsertim si dicamus, Sacramenta novæ legis causare gratiam moraliter instrumentaliter.

Ratio est, quia Sacramentum novæ legis producit gratiam, quatenus est quoddam totum morale coalescens ex materia & forma, & habet completam significationem practicam sacramentalem, quia, ut docet D. Thomas loc. cit. Sacramenta non producunt gratiam, nisi quando est completa significatio; verba siquidem operantur in Sacramentis in quantum significant: sed hanc completam significationem practicam habet quodlibet Sacramentum; quia sicut pars ultima Sacramenti in illo instanti ultimo in quo terminatur Sacramentum; quia sicut pars ultima Sacramenti in illo instanti nectitur cum antecedentibus in ordino ad fundandam significationem sacramentalem: ita etiam productio gratiæ dicit ordinem mediante parte illa ultima ad omnes alias præcedentes: consequenter Sacramenta novæ legis causant gratiam in instanti physico, in quo terminantur tum qnoad esse, tum quoad significationem. Firmatur, quia tametsi verba quoad sonum sint successiva, ut etiam applicatio materiæ; nihilominus significatio non est successiva, sed iudivisibilis; & tunc habetur, quando proferuntur ultima verba, adeo ut antecedenter maneat semper suspensa, & tunc in illo ultimo instanti tota simul existat, non quidem simul, quia verba physica antecedenter prolata non amplius physicè existunt, sed moraliter, quatenus significatio verborum præcedenter prolatorum nectitur cum significatione succedentium, & illa ultimi verbi completur una ac integra completa significatio, quæ tota moraliter habetur, & tunc causatur gratia sacramentalis. Quòd si dicas, illud ultimum instans esse divisibile, consequenter non esse totum simul: consequenter in hac senientia, gratia non producitur simul indivisibiliter, sed divisibiliter. Contra est, quia licet illud ultimum instans non sit totum simul mathematicè, est tamen totum simul physicè: productio autem gratiæ, quia est physica, est commensuranda mensura physica: ergo rectè dicitur produci tota simul indivisibiliter physicè in illo ultimo instanti. Si instes, inde sequi, productionem gratiæ non esse totam simul mathematicè. Respondetur non esse totam simul mathematicè, nec successivè, quia cum non sit quantitas, non est mensurabilis mathematicè.

Circa verò gratiam, quam ut proprium effectum Sacramenta causant asserendum est, omnia Sacramenta conferre gratiam habitualem, cujus beneficio homines dignè suscipientes Sacramenta sanctificantur, & accipiunt jus ad auxilia specialia congrua fini singulorum Sacramentorum: Quia si omnia Sacramenta non conferrent gratiam diversam, frustra fuissent instituta plura Sacramenta, quia si omnia eandem prorsus gratiam producerent, nullus effectus prodiret ab uno, quod etiam non prodiret ab alio: ergo omnia Sacramenta novæ legis habent producere gratiam habitualem cum diverso jure ad auxilia specialia. Idque ex eo firmatur, quia omnia Sacramenta habent proprium specialem finem, ad qnem ordinantur homines per eadem Sacramenta, siquidem per baptismum homines renascuntur spiritualiter; per confirmationem accipiunt vires. quibus tempore persecutionum fortes, & constantes perseverant in fide, & ita de aliis, ut diximus in præcedentibus: sed Sacramenta non possunt hunc finem obtinere, nisi tribuendo jus ad auxilia specialia congrua fini singularũ Sacramentorum. Non tamen gratia hæc sacramentalis differt essentialiter, & entitativè à gratia habituali, quæ confertur extra Sacramenta, sed tantùm extrinsecè, & connotativè: Quia potest excogitari ullus effectus gratiæ sacramentalis, qui non conveniat gratiæ, quæ confertur extra Sacramenta: etenim effectus gratiæ sacramentalis sunt peccata expiare, jus conferre ad gloriam, dona invehere Spiritus S. & virtutes infusas: sed hi omnes effectus conveniunt etiam gratiæ habituali, quæ confertur extra Sacramenta, ergo gratia sacramentalis non differt intrinsecè essentialiter, & entitativè à gratia habituali, quæ confertur extra Sacramenta. Firmatur, quia si gratia sacramentalis à gratia, quæ confertur extra Sacramentum, deberet habere specialem aliquam habitum ad actus proprios fini Sacramentorum: Sed gratia sacramentalis nullum debet specialem talem habitum, quem etiam non habet alià gratia habitualis collata extra Sacramentum: etenim hujusmodi specialis habitus non potest esse necessarius, nisi ad eliciendos aliquos actus supernaturales, ad quos non haberent vim habitus acquisiti extra Sacramentum simul cum gratia: sed nullus est actus supernaturalis, qui non pertineat ad unum ex habitibus infusis conjunctis gratiæ habituali etiam collatæ extra Sacramentum, ergo gratia sacramentalis non differt essentialiter, & entitativè ab alia quavis habituali gratia collata extra Sacramentum. Quod verò gratia hæc collata per Sacramenta extrinsecè & connotativè differat, ab illa quæ confertur extra Sacramenta, ex eò liquet, quia gratia sacramentalis utpote conjuncta cum Sacramento secum trahit jus ad auxilia specialia congrua fini singulorum Sacramentorum, sed hoc jus speciale non est conjunctũ cuilibet alteri gratiæ habituali sive collatæ per sacramenta

sive

Digitized by Google

ſive extra ſacramentum à Deo infuſæ, ex quo ſequitur gratiam ſacramentalem differre ſaltem connotativè à gratia, quæ confertur extra Sacramentum. Quòd verò hæc diſtinctio ſit extrinſeca, ex eo conſtat, quia ſignificat duos tantum eſſe effectus Sacramenti, quorum primus eſt gratia habitualis communis omnibus Sacramentis: Secundus eſt ipſum jus, quod ſecum trahit ad auxilia danda ſuo tempore, quod jus non confertur intuitu ipſius gratiæ, ut ſimpliciter collatæ vel infuſæ, ſed intuitu ſuſcepti Sacramenti: ergo tantum extrinſecè & connotativè gratia ſacramentalis differt à gratia habituali, quæ confertur extra Sacramenta, ſed dices, gratia ſacramentalis nequit habere adjunctum jus ad auxilia, quin & eſſentialiter vel ſaltem individualiter differt à gratia, quæ datur extra Sacramenta; ſed adjunctum ſemper habet jus ad talia auxilia: ergo differt eſſentialiter vel ſaltem individualiter à gratia, quæ datur extra Sacramenta. Minor, & conſequentia tenent, major oſtenditur, quia ea gratia, quæ habet prædicatum eſſentiale, quo caret altera, differt ſpecificè ab illa: ſed gratia ſacramentalis exigit eſſentialiter habere adjunctum jus illud, quod adjunctum gratiæ, quæ confertur extra Sacramentum, non exigit habere: ergo gratia, quæ habet tale jus ſpecificè differt ab altera, quæ illi adjunctum non habet. Præterea quia D. Thomas hîc art. 2. ad 3. ait: *Ratio ſacramentalis gratiæ ſe habet ad gratiam communiter dictam ſicut gratia ſpeciei ad genus*, ſpecies autem addit ſupra genus aliquid intrinſecum, proinde gratia ſacramentalis per aliquid intrinſecum diſtinguitur à gratia, quæ confertur extra Sacramenta. Sed contra, negatur major, quia gratia ſacramentalis quantum eſt ex ſe ſimpliciter, non exigit eſſentialiter tale jus, ſed eſt ipſum Sacramentum, quod per ſe jus illud exigit, cùm hoc jus conferatur tantùm intuitu Sacramenti, non verò intuitu gratiæ: hinc patet, gratiam ſacramentalem non differre intrinſecè à gratia, quæ confertur per ſacramentum, ſed tantùm extrinſecè. Ad id, quod addebatur ex D. Thoma, reſpondent Thomiſtæ, D. Thomam per gratiam communiter dictam intellexiſſe gratiam ut abſtrahentem ab habituali, & actuali, in quo ſenſu verum eſt, gratiam ſacramentalem ſe habere ad illam perinde ac ſe habet ſpecies ad genus. Præterea poſſet reſponderi D. Thomam tantùm voluiſſe, gratiam ſacramentalem ſe habere ad gratiã habitualem communiter dictam ut ſpeciem ad genus: quia ſicut ſpecies addit aliquid ad rationem generis, ita gratia ſacramentalis ſupra gratiam habitualem communiter dictam addit jus ad ſpecialia quædam auxilia proportionata ad producendos proprios effectus ſacramentorum, ex quo tantùm ſequitur, gratiam ſacramentalem non intrinſecè, & eſſentialiter, ſed extrinſecè & accidentaliter differre à gratia habituali communiter dicta: ſiquidem gratia ſacramentalis, ut diximus, non eſt, quæ ex ſe eſſentialiter exigat tale jus, ſed tantùm eſt illud Sacramentum, quod illud exigit, adeo ut jus illud detur intuitu Sacramenti, non vero intuitu gratiæ.

Inſtabis tamen, quia ut homo dicatur habere jus ad gloriam, & actus ſupernaturales, non ſufficit ſola Dei extrinſeca ordinatio, ſed ulterius requiritur, ut revera recipiat aliquid intrinſecum, quod ſit fundamentum illius juris; ergo à pari, ut acquirat jus ad ſpecialia auxilia congrua fini ſingulorum ſacramentorum debet recipere aliquid intrinſecum, adeo ut ſola extrinſeca Dei ordinatio non ſufficiat. Contra tamen negatur conſequentia; ratio diſcriminis in eo eſt ſita, quia ut homo habeat jus ad gloriam, exigit elevari per formam aliquam ſibi inhærentem ad ſtatum ſupernaturalem, conſequenter exigit aliquid præter extrinſecam Dei ordinationem: ſed ut homo habeat jus ad auxilia illa ſpecialia, & congrua finis ſingulorum Sacramentorum non eſt opus, ut præter gratiam ſacramentalem recipiat in ſe aliam formam, quia hoc jus tantùm datur intuitu Sacramenti, non verò intuitu gratiæ. Præterea quia non eſt excogitabile quidquam intrinſecum ratione cujus tribuatur hoc jus ad talia auxilia; ſiquidem nullus poteſt habitus virtutum aſſignari, qui non tribuatur per quodlibet Sacramentum, eſtque etiam ſimul cum gratia habituali extra Sacramentum; ſed urgebis, quia ſi hoc jus daretur tantùm intuitu Sacramenti, & non intuitu gratiæ ſacramentalis, inde ſequeretur, quod hæc gratia tantùm per accidens ſe haberet ad operationes elicitas per hujusmodi auxilia, quod non videtur aſſerendum, quia gratia ſacramentalis perficit in ordine ad operationes congruas fini Sacramentorum. Sed contra, quia licèt hoc jus conferatur intuitu Sacramenti ſuſcepti non intuitu gratiæ ſacramentalis, adhuc hæc dici poteſt aliquo pacto radix ejusdem juris, non præcisè ſecundùm entitatem gratiæ: ſed prout producitur à tali Sacramento: quo fit, ut qui Sacramentum ſuſcipit cum obice, ſicut non recipit gratiam, ita nec recipit jus ad talia auxilia, ex quo liquet, gratiam ſacramentalem non ſe habere merè per accidens ad operationes elicitas per hujusmodi auxilia. Hinc inferimus, gratiam ſacramentalem non eſſe aliquem habitum ſpeciei diſtinctum ab alia gratia habituali, ac virtutibus, & donis ab ea profluentibus, quia gratia ſacramentalis facit hominem Deo gratum, aut magis gratum, ſed ſi eſſet diſtinctus realiter à gratia gratum faciente, non redderet hominem DEO gratum vel magis gratum, quia reddere hominem DEO gratum eſt effectus præveniens à ſola gratia habituali, quæ non poteſt multiplicari in ſpecie, ergo gratia ſacramentalis non eſt ullus habitus ſpecie diſtinctus à gratia habituali. Præterea, quia ſupervacaneè ponuntur habitus diſtincti à gratia ſanctificante ac virtutibus, donisque ab ea profluentibus infundi per Sacramenta, quia vel iſti habitus reciperentur in eſſentia animæ, vel in potentiis: non in eſſentia, quia ad ſanctificandam animam ſufficit ſola habitualis gratia, quæ ex natura ſua ſanctificat, & conſtituit hominem filium Dei adoptivum. Neque in potentiis, quia ipſis tantùm infundi debent habitus, qui ſint principia actionum ſupernaturalium: actus autem, ad quos ſpecialiter ordinantur gratia, ſacramentales ſunt ab ipſa gratia habituali mediantibus virtutibus, & donis: etenim actus, ad quem gratia baptiſmalis ordinatur, eſt conſervare vitam ſpiritualem mitigando fomitem, ne urgeat, & ne concupiſcentia noceat, & hoc totum perficitur per virtutes morales ſubjicientes appetitum ſenſitivum rationi. Actus gratiæ, quæ confertur in Sacramento confirmationis eſt firmiter, & conſtanter profiteri fidem: ſed profeſſio fidei enumeratur inter actus externos habitus fidei, conſequenter habetur per virtutem Theologalem; quæ confertur ſimul cum gratia habituali. Actus gratiæ Euchariſtiæ eſt augere ac nutrire ſpiritualiter animam, id autem fit per actus ferventiores virtutum, quibus gratiæ & ipſæ virtutes augentur. Actus gratiæ, quæ confertur in Sacramento pœnitentiæ, eſt peccata ante acta plangere, & impoſterum peccata vitare; & ad hoc ſufficiunt gratia, & virtutes, ac dona cum auxiliis actualibus. Actus gratiæ, quæ confertur in Sacramento Ordinis, eſt, cum debita intentione, & attentione ac devotione cultum divinum exercere, & ad hoc præſtandum ſufficit

virtus

Digitized by Google

virtus Religionis. Actus gratiæ, quæ confertur in Sacramento extremæ Unctionis, eſt, delere reliquias peccatorum, ſeu animi torporem, ac languorem erigendo animam in ſpem, ac firmam fiduciam divinæ miſericordiæ contra diaboli tentationes, & ſuggeſtiones, ac ita diſponere ad gloriæ introitum, & hoc poteſt præſtari per virtutes ſpei, fortitudinis, & perſeverantiæ. Demum actus gratiæ, quæ confertur in Sacramento matrimonii, ſunt, caſtè vivere, mutuam ſervare fidem, mutuiſque ſe officiis fovere, & ad hæc ſufficiunt juſtitia, & charitas, & continentia, ergo fruſtra ponuntur habitus diſtincti à gratia ſanctificante, virtutibus, ac donis ab eo profluentibus, infundi per Sacramenta. Hinc colligimus Sacramentalem gratiam ſupra gratiam gratum facientem, non addere modum aliquem, nec perfectionem ullam intrinſecam diſtinctam modaliter à gratia habituali, ac virtutibus, & donis ipſam concomitantibus; ſed tantùm jus ad ſpecialia auxilia neceſſaria, ad exercendas actiones Sacramentales; ratio eſt, quia modus iſte intrinſecus, ſuperadditus gratiæ habituali, non eſt neceſſarius ad Sacramentales actiones exercendas; quia, ut liquet ex prædictis ad has actiones eliciendas, ſufficiunt gratiæ habituales virtutes, ac dona, quæ ipſam concomitantur, & ſpecialia auxilia requiſita ad operandum: conſequenter non eſt neceſſe, ut ſuperaddatur modus aliquis, & perfectio aliqua intrinſeca diſtincta modaliter à gratia habituali, virtutibus, ac donis ipſam concomitantibus, ſed ſatis eſt, ſi gratia Sacramentalis tantùm ſuperaddat jus quoddam, & ſpecialia auxilia congrua fini ſingulorum Sacramentorum, adeo ut hoc jus non exigatur eſſentialiter à gratia Sacramentali, ſed tantùm ab ipſo Sacramento, ac detur intuitu Sacramenti, non verò gratiæ Sacramentalis.

Quia verò gratia ſanctificans diſtingui ſolet in primam, & ſecundam, quæritur, quamnam gratiam Sacramenta novæ Legis cauſent: Gratia prima ea dicitur, quæ primum infunditur ſubjecto, nondum habenti ullum gradum gratiæ ſanctificantis, conſequenter exiſtenti in peccato lethali, adeo ut dicatur prima, quia primùm ſanctificat ſubjectum cui ineſt: Secunda verò dicitur, quæ advenit ſubjecto jam grato, & adauget gratiam, quam in ipſo reperit, & ſolet etiam vulgariter vocari augmentum gratiæ productum in eo, qui jam antea habebat gratiam. Rurſus ex Sacramentis novæ Legis alia dicuntur Sacramenta vivorum; alia mortuorum: hæc ſunt, quæ pro mortuis, ſeu exiſtentibus in peccato, qui dicuntur mortui gratiæ, ſpiritualiter fuerunt inſtituta, ſuntque Baptiſmus, & Pœnitentia. Sacramenta vivorum ſunt, quæ à Chriſto fuerunt inſtituta pro viventibus vita ſpirituali, & ſunt alia quinque Sacramenta. Rurſus dupliciter poteſt Sacramentum cauſare primam, vel ſecundam gratiam, ſcilicet per ſe, vel per accidens, illa Sacramenta dicuntur per ſe cauſare primam gratiam, quæ fuerunt inſtituta à Chriſto ad conferendam gratiam homini exiſtenti in peccato originali, vel actuali lethali. Ea verò Sacramenta dicuntur per accidens cauſare primam gratiam, quæ tametſi ſint inſtituta ad augendam gratiam; poſſunt nihilominus ſubinde cauſare primam gratiam, & id contingit per accidens. An revera, ſicut Sacramenta mortuorum poſſint per accidens cauſare ſecundam gratiam; ita Sacramenta vivorum, tametſi per ſe ordinata non ſint, niſi ad ſecundam gratiam producendam poſſint per accidens, & indirectè producere primam gratiam. Aſſerendum eſt, non omnia Sacramenta novæ Legis cauſare per ſe primam gratiam, & ita communiter docent Theologi cum D. Thoma, ſiquidem id dicitur per ſe convenire Sacramentis, quod convenit ex vi ſuæ inſtitutionis: ſed omnibus Sacramentis novæ Legis ex vi ſuæ inſtitutionis non convenit cauſare primam gratiam, ergo non omnia Sacramenta novæ Legis de facto cauſant per ſe primam gratiam. Major liquet, quia cùm Sacramenta ſint ſigna ad placitum, habent totam vim ſignificativam, & cauſativam gratiæ ex libera inſtitutione DEI, & Chriſti, adeo ut, ſi aliquid ex vi inſtitutionis illis non conveniat, nonniſi per accidens poſſit iiſdem convenire: Minor oſtenditur, quia illa Sacramenta dicuntur inſtituta ad cauſandam primam gratiam, quæ inſtituta ſunt ad delenda peccata lethalia, actuale, & originale: Sed non omnia novæ Legis Sacramenta inſtituta ſunt ad delenda hæc peccata, ſed tantùm Baptiſmus, quo remittitur originale, & pœnitentia, qua tolluntur peccata lethalia actualia. Alia verò Sacramenta inſtituta ſunt ad producendos alios effectus, præſupponentes peccata remiſſa, & gratiam ſanctificantem in ſubjecto, ut liquet in Euchariſtia, Confirmatione, & aliis Sacramentis: Ergo omnibus Sacramentis novæ legis non convenit per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis cauſare primam gratiam. Præterea, quia eatenus ex Sacramentis aliqua vocantur mortuorum, & alia vivorum, quia illa ordinantur ad mortuos ſpiritualiter reſuſcitandos, quod fit per productionem primæ gratiæ deletivæ peccati: Hæc verò, quæ dicuntur Sacramenta vivorum, inſtituta ſunt ad magis perficiendam, & augendam vitam ſpiritualem gratiæ, unde non habent ex ſe cauſare primam gratiam, ſed tantùm ſecundam, quæ etiam vocari ſolet augmentum gratiæ. Neque obſtat, quòd à Conciliis, & Sanctis Patribus Sacramenta novæ Legis dicantur ſimpliciter, & abſolutè eſſe cauſæ gratiæ: & niſi cauſarent primam gratiam, non abſolutè, & ſimpliciter dicerentur cauſæ gratiæ, ſed tantùm cum addito, quia ſecunda gratia, & ejus augmentum non ſignificat gratiam ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm ejus modum: ergo, ſi Concilia, & Patres vocant ſimpliciter, & abſolutè Sacramenta cauſas gratiæ, ſequitur, quòd omnia Sacramenta novæ Legis cauſent per ſe primam gratiam. Sed contra, negatur minor, quia, cùm augmentum gratiæ, ſeu ſecunda gratia, ſicut etiam quilibet alius gradus ipſius ſit propriè vera gratia, perinde ac quilibet gradus caloris eſt verus calor; ita quamvis aliqua Sacramenta novæ legis non dicantur per ſe cauſare primam gratiam, ſed tantùm ſecundam, & ejus augmentum adhuc abſolutè, & per ſe ſunt veræ, ac propriæ cauſæ gratiæ, quia omnia Sacramenta reverà conferunt veram, & propriam gratiam, propterea dicuntur veræ, ac propriæ cauſæ gratiæ, quamvis non omnia Sacramenta novæ Legis cauſent per ſe primam gratiam. Sed inſtabis; eſto, non omnia Sacramenta novæ Legis ſecundùm proprias rationes ſpecificas atomos cauſent per ſe primam gratiam; non tamen inde ſequitur, quòd ex eadem ratione communi generica non cauſent per ſe primam gratiam, quamvis Sacramenta vivorum ex ſua ratione ſpecifica, & differentiali ſint per ſe inſtituta ad ſolum augmentum gratiæ: ergo ex propria ſpecifica ratione, licèt non habeant conferre per ſe, niſi augmentum illud; ſi tamen ſumantur ſecundùm rationem genericam, inſtituta ſunt ad cauſandam per ſe primam gratiam. Sed contra, quia nequit differentia diſtinctiva duarum ſpecierum ſub eodem genere convenire per ſe utrique ſpeciei, quo pacto rationalitas non poteſt ullo modo convenire homini, &

Digitized by Google

æquo : ſed cauſare per ſe primam gratiam, eſt differentia, qua Sacramenta mortuorum differunt à Sacramentis vivorum: ergo eo ipſo, quod convenit Sacramentis mortuorum cauſare per ſe primam gratiam, non poteſt hoc idem convenire Sacramentis vivorum, etiam ſecundùm rationem genericam, alioquin ratio differentialis, & diſconvenientiæ eſſet ratio convenientiæ, quod repugnat. Præterea Sacramenta habent tantùm vim cauſativam gratiæ ex ſola inſtitutione Chriſti. Sed Chriſtus nullam effecit Sacramentorum inſtitutionem, ſecundùm rationem genericam, ſed tantùm ſingula inſtituit ad ſuos ſpeciales fines, & effectus : ergo Sacramenta novæ Legis non niſi ſecundùm proprias rationes ſpecificas habent cauſare gratiam : proinde falſum eſt, quòd omnia Sacramenta novæ Legis ſecundùm rationem genericam habere vim cauſativam primæ gratiæ.

Cæterum Sacramenta mortuorum, cujuſmodi ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, cauſant per ſe primam gratiam in adultis, quia id convenit per ſe Sacramentis mortuorum, ad quod fuerunt per ſe inſtituta : ſed Sacramenta mortuorum fuerunt per ſe inſtituta ad cauſandam primam gratiam, quia hæc Sacramenta per ſe fuerunt inſtituta ad delendum peccatum lethale, ſive actuale, ſive originale, quæ peccata non delentur per ſecundam gratiam, ſed per primam; quia cùm ſecunda gratia nihil aliud ſit, niſi augmentum primæ præſupponit eſſentialiter primam: & cùm gratia habitualis, quæcunque illa ſit, nequeat ſimul cohærere cum peccato lethali, debeat neceſſariò præſupponere peccatum lethale deletum: conſequenter Sacramenta mortuorum fuerunt per ſe inſtituta ad cauſandam primam gratiam. Præterea, ſi Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ non cauſarent per ſe primam gratiam, nulla eſſet ratio, cur deberent vocari Sacramenta mortuorum, ac diſtingui ab aliis Sacramentis vivorum, quia perinde, ac iſta ſupponerent in anima vitam ſpiritualem, ſeu primam gratiam. Cæterùm Sacramenta vivorum poſſunt & ipſa interdum per accidens cauſare primam gratiam, ita communiter Theologi cum D. Thoma, quem ſequuntur Suarez *diſput. 7. de Sacrament. Sect. 2. Concluſ. 3.* Hurtadus *diſp. 3. de Sacrament. in genere difficult. 4.* Ratio eſt, quia Sacramenta habent vim conferendi gratiam ex opere operato: Sed prima, & ſecunda gratia non differunt eſſentialiter: ergo ſemper conferunt gratiam, quando non inveniunt obicem, & id fuit etiam definitum in Concilio Tridentino *Seſſ. 7. cap. 2. de Sacrament. in genere :* Sed non reperiunt obicem, quando quis ſe putat diſpoſitum, tametſi revera talis non ſit, quia tunc accedit dignè, quantum eſt ex vi ſuæ conſcientiæ: ergo Sacramenta vivorum poſſunt per accidens conferre primam gratiam, quando contingit ſuſcipientem reverà non eſſe ritè diſpoſitum, & putat ſe eſſe diſpoſitum : hinc D. Thomas quæſt. 72. art. 7. ad 3. de Sacramento Confirmat. ait; *Si aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequetur remiſſionem peccatorum.* Et quæſt. 79. art. 3. loquens de Euchariſtia ait : *Poteſt hoc Sacramentum operari remiſſionem peccatorum dupliciter : uno modo non perceptum actu, ſed voto: ſicut cùm quis primò juſtificatur à peccato : alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam, & affectum non habet: fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus, ſed devotè, & reverenter accedens conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remiſſionem peccati :* Præterea, quia, licèt Sacramenta mortuorum ſint per ſe primò inſtituta tantùm ad conferendam primam gratiam, per accidens tamen poſſunt ſecundam producere: ergo vice verſa Sacramenta vivorum, licèt inſtituta primariò ſint ad cauſandam ſecundam gratiam, adhuc per accidens, & ſecundariò poſſunt producere primam, ad quam cauſandam dici poſſunt eſſe inſtituta indirectè tunc, quando non ponitur obex, quinimò congruum eſt, ita de divina bonitate cenſere; ſiquidem Deus ſemper pronus eſt ad benefaciendum, quando non ſtat per hominem ponentem obicem ; & firmari poteſt, quia ſi quis tantùm ſupernaturaliter attritus, & confeſſus de ſuis peccatis, & non abſolutus ex ſola malitia Sacerdotis; prudenter tamen exiſtimet, ſe eſſe abſolutum; ſi poſtea accedat ad aliquod Sacramentum vivorum, ut ad Euchariſtiam, certum tunc non ponere obicem ad primam gratiam, quam propterea ſaltem per accidens recipit virtute Sacramenti, quia, cùm Chriſtus inſtituerit omnia Sacramenta, ut ſint organa, per quæ illius merita nobis applicentur, & conferatur gratia, congruum erat ita inſtituiſſe Sacramenta, ut ſemper aliquem gradum gratiæ conferrent omnibus non ponentibus obicem; & ex alio capite prima gratia non eſt excellentior ſecunda : ergo Sacramenta vivorum, quamvis per ſe fuerint inſtituta ad producendam ſecundam gratiam, adhuc per accidens, & ſecundariò poſſunt ſubinde cauſare primam. Tum quia poteſt etiam ratio à priori aſſignari, quia Sacramenta ſemper producunt gratiam, quoties ſuſcipiens nullum ponit obicem ipſi gratiæ: ſed qui accedit ad Euchariſtiam, putans ſe nullum habere peccatum, eò quia elicuerit actum ſupernaturalem attritionis, & fuerit confeſſus, quamvis non abſolutus ex malitia Sacerdotis, utique ille non ponit obicem gratiæ: ergo ſi accedat ad Sacramentum Euchariſtiæ, recipit gratiam, proinde Sacramenta vivorum poſſunt aliquando per accidens cauſare primam gratiam. Quòd ſi dicas ex Conciliis Florentino, & Tridentino, Sacramentum Euchariſtiæ fuiſſe à Chriſto inſtitutum per modum cibi, adeo ut cauſet omnes illos effectus, quos cauſare ſolet cibus naturalis, ſed cibus naturalis nunquam datur ad reſtituendam mortuo vitam, neque ad generandum vivens, ſed tantùm ad conſervandam, vel augendam ſubſtantiam viventis, ergo Euchariſtia non habet virtutem conferendi primam gratiam, qua reviviſcimus ſpiritualiter ſeu regeneramur. Præterea quia Sacramentum non cauſat, niſi quod ſignificat; ſed Sacramenta vivorum non ſignificant primam gratiam, conſequenter illam non cauſant; ſed contra, quia, licèt Sacramentum Euchariſtiæ fuerit inſtitutum per modum cibi ſupernaturalis, qui per ſe primò cauſat in anima omnes illos effectus, quos cauſat cibus naturalis: ſecundariò tamen cauſat plures alios effectus, quos proinde ſecundariò etiam ſignificat, quamobrem ex eo, quòd Sacramentum tantùm cauſat id, quod ſignificat, inde ſolùm ſequitur, Euchariſtiam non primariò, ſed ſecundariò poſſe aliquando per accidens primam gratiam producere, quia eam ſignificat ſecundariò. Quòd ſi dicas, Sacramenta non cauſare, niſi eam gratiam, ad quam fuerunt inſtituta: & Sacramenta vivorum nullo pacto fuiſſe inſtituta ad cauſandam primam gratiam, quam ſupponunt, non ponunt. Contra eſt, concedimus, Sacramenta non cauſare gratiam, niſi ad quam cauſandam fuerunt inſtituta, vel primariò, vel ſecundariò: ſed quia Sacramenta vivorum fuerunt inſtituta, ut aliquando ſecundariò, & per accidens cauſarent primam gratiam in non ponentibus obicem; ideo rectè Sacramenta vivorum dicuntur interdum per accidens producere primam gratiam.

Quòd

Digitized by Google

Quòd ſi quæras, an omnia Sacramenta novæ Legis conferant æqualem gratiam in ſubjectis etiam æqualiter diſpoſitis. Reſpondetur negativè, quia docent communiter Theologi Sacramenta conferre inæqualem gratiam juxta ſuam diverſitatem: ratio id ſuadet, quia unum quodque agens operatur juxta ſuam nobilitatem, & quia unum Sacramentum eſt altero nobilius, confert etiam majorem gratiam, quia quamvis omnia Sacramenta ſint moralia inſtrumenta, Deus nihilominus operatur ſecundùm ipſorum determinationem, quia illa conſtituit ſigna practica ſuæ operationis. Præterea quia Chriſti inſtitutio effecit, ut ea Sacramenta, quæ ſunt interabilia, majorem conferrent gratiam, quam quæ perſæpè iterari poſſunt: quapropter Baptiſmus fructuoſior eſſe debuit, quàm matrimonium, eò quia ille ſit primus in Eccleſiam ingreſſus, ac prima ad Religionem Chriſtianam inauguratio. Hinc majorem confert gratiam, quàm Euchariſtia ſemel ſuſcepta, quamvis hæc contineat totum gratiæ fontem, & in eadem, ut loquitur Tridentinum, Deus effundat totius amoris divitias. An verò idemmet Sacramentum conferat æqualem gratiam æqualiter diſpoſitis, reſpondent communiter affirmativè cum D. Thoma 3. *part. quæſt*. 69. *art*. 8. & deſumitur etiam ex D. Cypriano *Epiſt*. 59. probatur etiam ex Tridentino *Seſſ*. 6. *cap*. 6. ubi per Baptiſmum ab adultis ſuſceptum dicitur conferri gratia ſecundùm menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur, prout vult, & ſecundùm propriam unius cujusque diſpoſitionem. Quòd ſi per Baptiſmum ex Tridentino confertur gratia unicuique ſecundùm propriam diſpoſitionem; ſequitur meliùs diſpoſitum uberiorem recipere gratiam, & ratio à priori poteſt itidem aſſignari, quia Sacramenta eodem pacto agunt ex opere operato, quo cauſæ naturales ſuos producunt effectus, ſed in naturalibus cauſæ multò perfectiùs agunt, ſi ſubjectum fuerit meliùs diſpoſitum, ſiquidem forma introducitur ſecundùm exigentiam diſpoſitionis: & melior diſpoſitio meliorem exigit formam: ergo idem Sacramentum confert æqualem gratiam æqualiter diſpoſitis, & inæqualem inæqualiter diſpoſitis, quia id videbatur congruum, ut in Sacramentis recipiendis hominum induſtria magis acueretur, & homines majori conatu mediante auxilio Dei ſe diſponerent ad Sacramenta recipienda. Quòd ſi dicas, propter meliorem ſubjecti diſpoſitionem, ſi daretur major gratia, inde ſequeretur, hoc incrementum gratiæ non eſſe ex opere operato, ſed ex opere operantis, ſiquidem confertur propter meritum operantis, ſeu intuitu majoris, ac melioris diſpoſitionis, & non per ſolam actionem Sacramentalem: ſed hoc non videtur dicendum: ergo idem Sacramentum non confert inæqualem gratiam inæqualiter diſpoſitis. Contra eſt, negatur incrementum illud gratiæ dari tantùm ex opere operantis, quando diſpoſitio ſubjecti eſt melior: ratio eſt, quia tunc illi diſpoſitioni duplex reſpondet meritum, unum ex opere operantis, prout operatio illa eſt in ſe bona, & meritoria, & eſt cauſa gratiæ ſibi proportionatæ: aliud ex opere operato, quatenus operatio illa bona conjuncta eſt Sacramento, & ſicut bonitas illa non cauſat effectivè gratiam, ſed tantùm eſt diſpoſitio ſubjecti, & conditio, qua poſita actio Sacramentalis producit illud gratiæ incrementum: hinc affectus, & diſpoſitio operantis eſt tantùm conditio, non verò cauſa gratiæ, quæ confertur ex opere operato. Præterea, quia Sacramenta ſunt determinata ad producendam gratiam in ſubjecto, ut diſpoſito, conſequenter ad producendam majorem gratiam in ſubjecto meliùs diſpoſito, proinde incrementum illud gratiæ eſt effectus Sacramenti. Quòd ſi inſtes, quia inde ſequeretur, quòd ob majorem Miniſtri ſanctitatem ùberius deberet conferri gratiæ incrementum: ſiquidem Sacramentum in ſubjecto melius diſpoſito, melius agit, quia ſemper agit ad modum cauſarum naturalium, quæ procul dubio meliùs agunt, ubi diſpoſitio ſubjecti eſt melior, ſed melius etiam agunt, quando prodeunt ab inſtrumento meliùs diſpoſito; ergo ſanctitas miniſtri utilis eſſet ad majus incrementum gratiæ recipiendum in Sacramentis. Sed contra, quia major ſanctitas miniſtri nunquam poteſt eſſe directè cauſa majoris gratiæ productæ per Sacramentum, ut communiter docent Theologi, & Sancti Patres: quia præter Chriſtum Mediatorem nullus alius poteſt alteri mereri gratiam habitualem de cõgruo immediatè: ſed tantùm mediatè, quatenus poteſt impetrare auxilia congrua, quibus aliter ſe diſponat per ſuos actus ad majorem gratiam: eſt igitur diſcrimen inter illum, qui ſuſcipit, & eum qui miniſtrat Sacramentum, quia ſuſcipiens poteſt ſibi mereri gratiam, non verò miniſtrans poteſt alteri eam mereri. Hinc eatenus utilius, ac fructuoſiùs quis ſuſcipit Sacramentum à bono miniſtro, quàm à malo, quia bonus uberiora impetrat ſuſcipienti auxilia, per quæ melius diſponitur ad recipiendam gratiã.

Peti hic poteſt, an Sacramenta fictè ſuſcepta remoto obice reviviſcant, & cauſant gratiam. Cùm Sacramenta non conferant gratiam, quando reperiunt obicem in ſuſcipiente, ideo controvertitur, quando poſtea aufertur obex, reviviſcant, & conferant gratiam illam, quam debuiſſent conferre tunc, cùm primùm fuerunt miniſtrata. Obſervandum eſt, quid ſit Sacramentum informe, quid fictio, & quid obex. Dicitur Sacramentum informe, quia tametſi in ſe omninò ſit integrum, ac verum Sacramentum, habeàtque partes eſſentiales, eſt nihilominus infructuoſum, & non producit gratiam ex defectu diſpoſitionis in ſubjecto: quia ſi pars aliqua eſſentialis deeſſet Sacramento, non eſſet hoc informe, ſed nullum, conſequenter non reviviſceret, ut cum D. Auguſtino docent communiter Theologi, fictio verò nihil aliud ſignificat, quam defectu diſpoſitionis neceſſariæ in ſuſcipiente Sacramentum. Obex eſt hic idem defectus, ratione cujus Sacramentum nullo pacto poteſt in ſubjecto indiſpoſito producere ſuum effectum: quamobrem difficultas eſt, an Baptiſmus ſuſceptus ab homine adulto, non eliciente actum attritionis, vel habente actualem voluntatem peccandi: poſita deinde poſt menſes aliquot Confeſſione Sacramentali, & attritione, ac depoſita tali voluntate peccandi, an tunc Baptiſmus conferat eandem gratiam, quam cauſâſſet, quando Sacramentum fuit miniſtratum, ſi adfuiſſet in ſubjecto requiſita diſpoſitio. Reſpondetur, Baptiſmum ſuſceptum cum obice gratiæ, amoto poſtea obice reviviſcere, & cauſare gratiam, & ita docent ferè communiter Theologi cum D. Thoma, & evincit ex D. Auguſtino, qui perſæpe tam aſſeveranter, hoc idem docuit, ut de illius mente nullum ſuperſit dubium, etenim *lib*. 1. *de Baptiſ. contra Donatiſtas cap*. 12. & *lib*. 3. *cap*. 13. & *lib*. 6. *cap*. 5. id expreſsè docet. Probabant enim Donatiſtæ ſe minimè Hæreticos eſſe, & proponebant hoc dilemma. Quod habetur in D. Auguſtino *cap*. 11. vel per Baptiſmum à nobis ſuſceptum tribuitur homini gratia vel non: ſi primum, ergo apud nos eſt vera Eccleſia, in qua ſola dari poteſt gratia Spiritûs S. & remiſſio peccatorum. Si ſecundum, ergo verus apud nos Baptiſmus non eſt, conſequenter ſunt rebaptizandi Donatiſtæ, qui ad Catholicos tranſeunt. Cui argumento ſatisfacit Auguſtinus *cap*. 12. & reſpondet, poſſe Baptiſmum Chriſti baptizare hominem: quamvis cor ejus in malitia, vel ſacrilegio perſeverans peccatorum abolitionem non ſinat fieri,

Digitized by Google

fieri, atque ita à Communionibus ab Eccleſia ſeparatis poſſe hominem babtizari, ubi Chriſti Baptiſmus eadem Sacramenti celebratione datur, & ſumitur; qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cùm quis reconciliatus unitati diſſenſione exuitur, qua peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur, ſic qui fictè acceſſit, non denuò baptizatur: ſed id, quod actum eſt, incipit valere ad ſalutem, cùm illa fictio veraci Confeſſione receſſerit, hactenus Auguſtinus. Ubi expreſsè docet, Baptiſmum ſuſceptum cum obice gratiæ eo deinde amoto reviviſcere, & cauſare gratiam. Neque urget, quod reſpondent aliqui, D. Auguſtinum tantùm velle amota fictione peccatorum remiſſionem dari intuitu pœnitentiæ, & ratione Baptiſmi tantùm dari remiſſionem pœnæ temporalis. Nam hæc reſponſio nullo pacto poteſt cohærere cum doctrina D. Auguſtini expreſsè docentis, conferri per Baptiſmum reviviſcentem ſalutem, & remiſſionem ipſam peccati; ait enim: *In ipſa reconciliatione præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum ejus in unitate prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat.* Et alibi ait: *Tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, ut idem ipſe, qui foris propter diſcordiam operabatur mortem propter pacem intus operetur ſalutem.* Unde conſtat, Auguſtinum docuiſſe Baptiſmum ſuſceptum cum obice amota fictione reviviſcere, & cauſare gratiam, ac remiſſionem peccati. Ratio hoc idem etiam evincit, quia ſi Baptiſmus amoto obice incipit cauſare aliquos effectus, quos obice manente non cauſabat, poteſt etiam cauſare gratiam, quia eo ipſo, quòd cauſat effectus aliquot, perſeverat moraliter: ſed Adverſarii non diffitentur poſſe tunc cauſare remiſſionem pœnæ temporalis, adeo ut hæc remiſſio ſit effectus Sacramenti, conſequenter tenentur fateri Sacramentum, adhuc moraliter perſeverare, & conſequenter poſſe tunc cauſare gratiam, ſiquidem eo ipſo, quòd moraliter perſeverat, & cauſat unum effectum ſibi proprium, poteſt etiam alium cauſare: quòd ſi dicas, ſolam Auguſtini autoritatem non ſufficere, ut Baptiſmus dicatur reviviſcere, niſi Auguſtinus habeat fundamentum aliquod hoc idem adſtruendi ex Scriptura, vel traditione, vel definitione, vel ſaltem ratione, & nullum aſſignatur tale fundamentum, conſequenter gratis aſſeritur, quòd Baptiſmus ſuſceptus cum obice gratiæ cauſet gratiam, quam causâſſet antea, ſi fuiſſet ritè ſuſceptus. Sed contra, quia Auguſtinus ſufficienter potuit moveri ad adſtruendam Baptiſmi reviviſcentiam authoritate Clementis Papæ, & S. Cypriani, etenim hoc aſſerit Clemens *Epiſt.* 4. ut etiam Cyprianus de ablutione pedum, & alii Sancti Patres conſentiunt Auguſtino, ut etiam potior Theologorum pars. Præterea ſemel, quòd Adverſarii concedunt, Baptiſmum ſuſceptum cum obice gratiæ amoto obice poſſe producere effectum aliquem, ſequitur, poſſe itidem gratiam, ſeu ſalutem reviviſcentem cauſare, quia tunc cenſetur Sacramentum moraliter perſeverare, quando producit aliquem effectum proprium. An verò præter Baptiſmum alia etiam Sacramenta ſuſcepta cum obice gratiæ amoto obice reviviſcant, & producant gratiam, non eſt ita certum. Authores in varias, ac diverſas dividuntur ſententias, Cajetanus *Tom.* 1. *opuſc. Tract.* 5. *quæſt. de confectione informi*, Petrus Soto *lib.* 5. *de Baptiſmo*, & alii cenſent, omnia Sacramenta conferre gratiam ſublatâ fictione. Major *in* 4. *diſt. quæſt.* 5. Covarruvias *in cap. Alma mater part.* 1. §. 4. *nu.* 23. & alii volunt, tantùm Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſublatâ fictione cauſare gratiam. Durandus *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 5. Canus *relect. de Pœnit. part.* 5. hoc tantùm aſſerunt de Baptiſmo, & Pœnitentia, Paludanus *in* 4. *diſt.* 4. *qu.* 5. Sylveſter verbo *Baptiſmus*, id adſtruunt de Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, & Pœnitentia. Alii aliter itidem ſentiunt.

Aſſerendum eſt, quòd, tametſi incertum ſit, an præter Baptiſmum cætera Sacramenta ſublato obice reviviſcant, & cauſent gratiam: Nihilominus non eſt improbabile, etiam alia Sacramenta reviviſcere, dummodo poſſint eſſe informia. Quia nulla videtur poſſe ratio adduci, cur Baptiſmus in Dei acceptione mortificatus reviviſcat, quæ non probet debere itidem alia Sacramenta reviviſcere: etenim eatenus Baptiſmus reviviſcit, quia perſeverat moraliter, & producit ſuum effectum ex D. Auguſtino lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas c. 12. ubi loquens de Baptiſmo fictè ſuſcepto ait: *Tunc valere incipit ad ſalutem, cùm illa fictio veraci Confeſſione receſſerit:* & cap. 13. de Baptiſmo in ſchiſmate ſuſcepto ait: *Tunc incipit valere ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſia facem venerit.* Et in ſerm. de Paſſion. apud S. Cyprianum loquens de his, qui fictè Baptiſmum ſuſceperunt, ait: *Ubi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & reddit effectus munerum; nec alias quæri aut repeti neceſſe eſt ſalutiferum Sacramentum.* Cenſet D. Auguſtinus Sacramentum Baptiſmi moraliter perſeverare, alioquin non poſſet tales effectus præſtare: ſed etiam alia Sacramenta moraliter perſeverant; ergo ex eadem ratione poſſunt ſublato obice, ac recedente fictione reviviſcere, & cauſare gratiam, & alios effectus. Præterea, quia non minus neceſſaria eſt reviviſcentia aliorum Sacramentorum, quàm Baptiſmi propter proprios illorum effectus: etenim ſi eatenus reviviſcit Baptiſmus, quia Chriſtus ſuave remedium contra peccatum originale voluerit providere: perinde ac Baptiſmus debet Confirmatio reviviſcere, ut homo corroboretur ad Confeſſionem Fidei, & ad reſiſtendum tentationibus, Ordo itidem debet reviviſcere, ut idoneus reddatur homo ad miniſtrandum in Eccleſia. Extrema Unctio itidem, ut homo uberiores habeat vires ad extremam luctam. Matrimonium itidem ut conjuges ſanctè poſſint ſuſtinere munera hujus ſtatûs. Euchariſtia itidem, ut creſcat homo in ſpiritu, ac fortiter reſiſtat peccato: ergo improbabile non videtur, quod amoto obice, & ſublatâ fictione omnia Sacramenta reviviſcant, ſuoſque proprios cauſant effectus. Præterea, quia docet D. Thomas, quando cauſa eſt ex ſe productiva alicujus effectus, ſi impediatur, eum poſtea producit, cùm primum obex removetur; etenim quia in generatione corporis gravis debet reſultare motus deorſum: ſi motus ille poſtea impediatur, reſultat ſublato impedimento: ſed omnia Sacramenta exigunt ex ſe producere gratiam: ergo remotâ fictione, ſeu impedimento eam producunt ex opere operato. Sed dices opus mortuum quale eſt, quod fit in peccato mortali, non poteſt reviviſcere: ſed ſuſceptio Baptiſmi vel etiam alterius Sacramenti, in peccato lethali eſt opus mortuum: ergo non poteſt reviviſcere, nec ullum conſequi effectum. Contra eſt, quia ut docet D. Thomas hic art. 10. ad 1. effectus Baptiſmi, qui erat conferendus ex opere operantis non reviviſcit, eò quia opus operantis fuit mortuum: reviviſcit tamen effectus Baptiſmi, reſpondens ipſi ex opere operato, quia ſub hac ratione eſt opus Dei, quod non eſt mortuum in ſuſcipiente fictè Sacramentum. Si dicas, Sacramẽta novæ Legis eſſe cauſas inſtrumentales phyſicas ipſius gratiæ, & Sacramenta fictè ſuſcepta recedente fictione non poſſe phyſicè cauſare gratiam, eò quia eo tempore non exiſtunt; & quod non exiſtit, nequit phyſicè cauſare, conſequẽter Sacramenta fictè ſuſcepta, recedente fictione, & remoto obice non poſſunt gratiam cauſare. Sed contra, quia licet dixeri-

Digitized by Google

xerimus eſſe probabile, quòd Sacramenta novæ Legis cauſent phyſicè gratiam, aſſerimus tamen, eſſe magis probabile, quòd tantùm moraliter gratiam cauſent, & juxta hanc ſententiam nõ eſt opus, ut Sacramenta exiſtant tunc, quando recedente fictione cauſant gratiã: ſiquidem ad moralem cauſalitatem effectus ſufficit moralis, perſeverantia cauſæ. Rurſus Thomiſtæ docentes Sacramenta novæ legis cauſare phyſicè gratiam, reſpondent hoc eſſe intelligendum de Sacramentis phyſicè exiſtentibus, quia exiſtentia phyſica eſt una ex conditionibus requiſitis ad phyſicam operationem, hinc, quia Sacramenta fictè ſuſcepta recedente fictione non exiſtunt phyſicè, ſed tantum perſeverant moraliter in divina acceptatione, ideo in hoc caſu per accidens non cauſant phyſicè gratiam, ſed tantùm moraliter. Alii verò Thomiſtæ reſpondent, quod tametſi recedente fictione non maneant in ſe Sacramenta, perſeverant tamen in ſua virtute, ſeu in charactere, qui tunc elevatur ad cauſandam gratiam, qua Sacramenta in puncto ſuæ receptionis debuiſſent producere ſi non adfuiſſet obex, & hæc eſt doctrina D. Thomæ in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 2. ubi loquens de baptiſmo, ait: *In baptiſmo imprimitur character, qui eſt immediata cauſa diſponens ad gratiam, & ideo cum fictio non auferat characterem recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat; character, qui eſt præſens in anima incipit habere ſuum effectum, quo pacto baptiſmus recedente fictione conſequitur ſuum effectum.*

Quòd ſi quæras, quænam ſint media, quibus unum Sacramentum cum fictione ſuſceptum poſſit reviviſcere, reſpondetur attritionem aliquando eſſe medium ſufficiens ad tollendum obicem baptiſmi, quamvis non ſemper. Ratio eſt, quia quoties obex baptiſmi fuit inculpabilis nullumque deinceps peccatum commiſſum fuit, nec contritio, nec Sacramentum ſunt neceſſaria ut tollatur obex, quia illa non poſſunt eſſe neceſſaria, niſi ut tollatur peccatum quod hic nullum eſt: ergo tunc ſola attritio ſufficit: ſin verò fuerit peccatum aliquod commiſſum in ipſa ſuſceptione baptiſmi, vel ſi poſt illam fuerit commiſſum peccatum lethale, tunc attritio non ſufficit ad reviviſcentiam Sacramenti, ut communiter docent Theologi contra Paludanum, & ratio eſt, quia peccatum, quod committitur ab eo, qui eccleſiæ eſt ſubditus, nonniſi per claves deleri poteſt: ſed peccatum lethale commiſſum ab eo, qui fictè ſuſcepit Sacramentum, eſt peccatum commiſſum à ſubdito eccleſiæ, conſequenter non poteſt deleri niſi per claves eccleſiæ. Hinc reſpondetur ſecundò Sacramentum pœnitentiæ eſſe medium idoneum ad reviviſcentiam baptiſmi, quoties obex fuit aliquod peccatum in ipſa ſuſceptione baptiſmi; vel etiam quando poſt illam ſuſceptionem patratum fuit: quia ſi ſuſceptio indigna baptiſmi ſit peccatum, quod poſſit ac debeat ſubjici clavibus eccleſiæ; Sacramentum, pœnitentiæ eſt medium idoneum ad tale peccatum delendum: ſed indigna ſuſceptio baptiſmi eſt peccatum, quod poteſt, & debet ſubjici clavibus eccleſiæ, ergo ille obex baptiſmi poteſt ac debet removeri per Sacramentum pœnitentiæ. Major eſt certa, Minor oſtenditur, quia peccatum commiſſum ab eo, qui verè eſt fidelis, & ſubditus eccleſiæ poteſt, ac debet, ſubjici clavibus: indigna autem ſuſceptio baptiſmi eſt tale peccatum, quia eſt peccatum hominis habentis actu characterem, conſequenter tale peccatum debet ſubjici clavibus, & Sacramentum pœnitentiæ eſt idoneum medium ad reviviſcentiam baptiſmi. Quòd ſi dicas Sacramenta vivorum poſſe per accidens remittere peccata, ad quæ non ordinantur, dummodo adſit attritio; quia ille tunc qui atteritur, non ponit obicem gratiæ, ergo ſimiliter, dummodo adſit attritio, poterit baptiſmus, qui eſt Sacramentum mortuorum, debere peccatum commiſſum in actuali ejus ſuſceptione vel etiam poſt illam, quia tunc non ponitur obex gratiæ. Sed contra negatur conſequentia ob diſcrimen inter eum, qui ſuſcipit Euchariſtiam, & atteritur de peccato priùs commiſſo, & eum qui atteritur poſt baptiſmum indignè ſuſceptum, quia neque baptiſmus, neque ullum aliud Sacramentum remittere poteſt peccata, quæ poſt ipſum fuerunt commiſſa, quia Sacramentum eſt tantùm ad delenda illa peccata, quæ tunc ſunt, quando ipſum Sacramentum ſuſcipitur, non verò pro aliis peccatis, quæ poſtea erunt: ſed ſi baptiſmus reviviſceret per attritionem, etiamſi peccata commiſſa eſſent poſt baptiſmum, utique remitteret peccata futura, quod non eſt dicendum. Cæterum quod Sacramenta vivorum per accidens remittant peccata ea tantùm remittunt, quæ præceſſerunt ſuſceptionem Sacramenti, non verò quæ ſequuntur: Quod ſi petas, an baptiſmus ſuſceptus cum fictione reviviſcat fructuoſiùs per contritionem, quàm per attritionem, & in eo genere, quo major eſt perfectio actus, quo removetur obex, major etiam ſit gratia, quæ confertur per Sacramentum reviviſcens; reſpondetur affirmativè, quia per contritionem Sacramentum intenſius, & efficacius operatur, quando ſubjectum melius eſt diſpoſitum: ſed actus melior, & perfectior removens obicem in ſubjecto eſt diſpoſitio ad hoc, ut Sacramentum cauſet gratiam: propterea Sacramentum reviviſcens tunc uberiorem cauſat gratiam, quando melior eſt actus, à quo obex removetur.

CAPUT XVI.

An in lege naturæ, & ſcripta, fuerint Sacramenta, quæ gratiam contulerint.

NOmine legis naturæ hic non intelligitur illa, in qua ſolùm naturale lumen rationis dictat, quæ facienda ſunt, & quæ declinanda; ſed ſumitur pro toto illo hominum ſtatu, ac tempore, quod præceſſit legem ſcriptam ſeu Moyſis. Quamobrem in lege naturæ fuerunt etiam præcepta ſupernaturalia, & divinæ revelationes: unde dicitur lex naturalis, quia, ut loquitur D. Auguſtinus, ejus præcepta ſcripta tantùm erant in naturalibus cordis noſtri tabulis, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi; & reſpectu filiorum Jacob duravit à lapſu Protoparentum uſque ad Moyſem, & reſpectu Gentilium uſque ad Chriſtum. Certum eſt in lege naturæ fuiſſe remedium, quo parvuli mundarentur à peccato originali, ut docet D. Auguſtinus *lib.* 5. *contra Julianum cap.* 9. *& lib.* 2. *de nuptiis cap.* 12. & communiter Sancti Patres, & Theologi, quia cum omnes homines redempti ſint à Chriſto, qui propterea dicitur Redemptor omnium hominum; debuerunt omnes homines habuiſſe remedium ex meritis Chriſti, qui pro peccato originali, quod fuit prima radix humanæ captivitatis. An verò tale remedium pro parvulis mundandis à peccato originali fuerit Sacramentum, non conveniunt Doctores. D. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 1. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. Richardus *art.* 5. *quæſt.* 3. Soto *diſt.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 4. Vaſquez. 1. 2. *diſput.* 184. & alii plures negant fuiſſe Sacramentum; eò quia non fuerit ſignum externum ſenſibile inſtitutum à Deo, quod eſt de ratione Sacramenti exigentis rem ſenſibilem. Alii tamen cum D. Thoma

Digitized by Google

Thoma 3. *part. quæſt.* 61. *art.* 3. Cypriano de *Cardinalibus Chriſti operib. cap. de circumcis.* Auguſtino *lib.* 5. *contra Julian. cap.* 9. aſſerunt, fuiſſe Sacramentum, eò quia Eccleſia in lege naturæ fuit corpus ſenſibile, & omnes conveniebant in cultu externo, conſequenter exigebant cooptari in eccleſia modo ſenſibili, quia cooptatio debet eſſe proportionata cooptantibus, & quia medium, quo fiebat hæc cooptatio fuit remedium peccati originalis ideo debuit hoc remedium aliquid eſſe ſenſibile. Quamobrem hæc cooptatio fiebat nomine eccleſiæ proinde exigebat, ut eſſet cæremonia publica, & ſenſibilis, quæ tametſi non fuerit à Deo inſtituta, ac determinata in ſpecie fuerit tamen inſtituta in genere, ut eſſet ſignum externum ſenſibile manifeſtativum fidei internæ, adeoque hoc remedium pro parvulis mundandis ab originali fuit actus internus fidei à parentibus elicitus, ut adnexus alicui externæ cæremoniæ ſenſibili. Juxta enim hanc ſententiam cæremonia illa extrinſeca eſt ſenſibilis, fuit remedium ad delendum peccatum originale, ſine quo non juſtificabantur parvuli: in quo ſenſu illud remedium pro parvulis erat ſignum ſenſibile cæremoniale ſignificativum, & cauſativum gratiæ, quia tunc parvuli juſtificabantur, hinc ſancti Patres cum docent parvulos in lege naturæ fuiſſe juſtificatos ſola fide intelligendi ſunt de fide adnexa externæ cæremoniæ ſenſibili, quæ erat externa profeſſio fidei requirebatur enim hæc proteſtatio externa fidei, ut actus internus fidei elicitus, à parentibus conſtaret. Hinc putarim, in lege naturæ fuiſſe verum Sacramentum, quia licet ex divina inſtitutione hujusmodi Sacramentum non fuerit determinatum ad hanc vel illam actionem ſeu cæremoniam ſenſibilem, fuit tamen determinatum ad actionem ſenſibilem, quæ hic, & nunc erat verum ſignum proteſtativum internæ fidei parentum, & ſanctificationis parvuli; in hoc enim ſigno habetur vera eſſentia Sacramenti, quod eſt ſignum ſenſibile rei ſacræ, ſeu primæ, vel ſecundæ gratiæ collatæ ſuſcipienti. Cæterum quod illa ſpecifica vel individualis determinatio actionis ſenſibilis hic, & nunc orta ſit ex ſola inſtitutione divina vel etiam ex humano arbitrio, id pertinet ad cauſam extrinſecam efficientem ipſum Sacramentum, & non immutat intrinſecam rationem Sacramenti, ſicut ſi Chriſtus inſtituiſſet baptiſmum non ſolum in aqua naturali, verum etiam in quocunque alio liquore, vino, oleo, cereviſia adhuc baptiſmus eſſet verum Scramentum, quamvis determinatio aquæ, vini, vel olei, vel alterius liquoris humano fieret arbitrio.

Major tamen difficultas eſt de Sacramentis legis ſcriptæ, ſeu Moſaicæ, an contulerint ſanctitatem, quæſtio non procedit de ſanctitate legali, certum eſt enim, Sacramenta illa veteris legis, ſcilicet agnum paſchalem, unctionem ſacerdotum aſperſionem ſanguinis, circumciſionem, & alia id genus ſanctificatio legaliter: ſed præcedit quæſtio de vera ſanctitate interna, ſeu gratia habituali ſanctificante animam. Si præſcindamus à circumciſione, de qua eſt ſpecialis difficultas, cenſent communiter Theologi Sacramenta veteris legis non contuliſſe gratiam ex opere operato, eo quia non habuerint ex ſe efficaciam eam cauſandi, ut fuit declaratum in Concilio Florentino in Decreto Eugenii: & Apoſtolus ad Roman. 4. ait: *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro*, & ad Galat. 3. *In lege nemo juſtificatur apud Deum.* Hoc autem verum non eſſet, ſi gratiam contuliſſent ex opere operato, id enim ut ſuperius diximus, intereſt diſcriminis inter cauſare ex opere operantis, & ex opere operato, quia ex opere operantis perinde eſt, ac cauſare ex vi meritorum ipſius ſuſcipientis, ſeu operantis, & per modum meriti, ac impetrationis quatenus merita operantis impetrant effectum, qui ponitur: cauſare verò ex opere operato ſignificat, quod Sacramenta ſecundùm ſe, ac propriam efficaciam, quam habent in virtute meritorum Chriſti, quæ jam operata ſunt; ut loquuntur Theologi; & ſtante infallibili Dei promiſſione nullo attento merito vel ſanctitate Miniſtri cauſent gratiam; adeo ut cauſare ex opere operato ſit habere ex ſe efficaciam eo modo, quo eam habent cauſæ naturales; unde tantùm ex opere operantis potuerunt aliquo modo gratiam ſubinde conferre ſcilicet excitando ipſum ſuſcipientem Sacramenta ſeu operantem ad actum contritionis, & amoris in Deum, per quem de congrua mereretur gratiam primam ſanctificantem; vel etiam de condigno ejus augmentum, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 62. *art.* 3. quia talia Sacramenta erant bona in ordine ad finem ſupernaturalem, & illis inerat vis excitandi ad actus juſtificativos, quapropter in ſubjecto grato erant meritoria gratiæ.

Quod verò ad circumciſionem attinet, fatentur omnes fuiſſe verum Sacramentum veteris legis, ut docet, D. Thomas 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 3. & fuit etiam definitum in Concilio Florentino in decreto Eugenii & deducitur ex illo Apoſtoli ad Roman. 4. *Signum accepit circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei.* Quamobrem circumciſio fuit ſignum ſenſibile cauſativum ſanctitatis legalis, & ſignificativum gratiæ, quapropter circumciſio non fuit præcisè ordinata ad delendum originale, ſed etiam ad ſegregandum populum electum, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 5. *ad* 1. ſiquidem remedium ad delendum peccatum originale debuit eſſe commune maribus, & fœmellis, nec debuit in deſerto prætermitti; circumciſio verò non fuit communis fœminis, & per 40. annos prætermiſſa fuit in deſerto. Unde circumciſio ex Dei inſtitutione fuit ſuper addita remedio peccati originalis, quod remedium ſitum erat in externa proteſtatione fidei internæ, quæ elicienda erat una cum circumciſione: quia quando fuit inſtituta circumciſio, jam aderat remedium pro peccato originali delendo, quod debuit commune eſſe maribus, & fœminis, conſequenter circumciſio non fuit inſtituta ut præciſum remedium peccati originalis, ſed potiùs ut determinativa externæ proteſtationis fidei per modum cujusdam ſolemnitatis, qua circumciſus acceptaretur in populum Dei, & ratone hujus determinationis erat circumciſio neceſſaria ad ſalutem, quia pro maribus erat ſignum proteſtativum extrinſecum, & ſenſibile fidei internæ, ſicut pro fœminis hac ſignum proteſtativum fuit etiam ſenſibile, & externum diſtinctum à circumciſione hoc vel illud ad arbitrium parentum, quia Deus in lege naturæ, & ſcripta non determinavit hoc vel illud ſignum ſenſibile in ſpecie, ſed tantùm genericè, ſicut Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ non determinavit vinum conſecrandum debere eſſe album vel nigrum, Rhenanum, vel Moſelanum, ſed tantùm voluit, ut conſecratio fieret in vino, & reliquit in arbitrio hominum determinare album vel nigrum vinum; Ungaricum, vel Auſtriacum. Dubitant tamen Theologi, an circumciſio fuerit cauſa gratiæ ſanctificantis intrinſecæ, vel ſola conditio vel neutrum: & ratio dubitandi deſumitur ex ſcripturis, quæ plerisque in locis circumciſionem ita extollunt, ut videatur circumciſio fuiſſe cauſa gratiæ, non enim videtur, quomodo parvuli in circumciſione potuerint juſtificari, ſi circumciſio nihil ex opere operato contulerit; & in aliis adeo eam deprimunt, ut nihil videatur habuiſſe efficaciæ in ordine ad juſtificationem, Hæcque

cauſæ

Digitized by Google

cauſæ cur Theologi variis diſſideant opinandi modis. Plures cenſent per circumciſionem tanquam per conditionem fuiſſe parvulis collatam gratiam ſanctificantem ex opere operato; & docent fuiſſe parvulis medium neceſſarium ad aſſecutionem ſalutis. Alii verò præſertim Vaſquez 3. *part. diſput.* 163. *num.* 8. cenſent circumciſionem non fuiſſe parvulis neceſſariam neque remedium originalis, nec medium ad aſſecutionem finis & ſalutis, & præceptum circumciſionis tantùm obligaſſe parentes, ut ſuos parvulos ſigno circumciſionis aggregarent populo Dei: & putant parvulos fuiſſe juſtificatos per actum internæ fidei, alii incedentes media via aſſerunt, circumciſionem non juſtificaſſe formaliter, prout fuit à Deo inſtituta primario in ſignum fœderis inter Deum & familiam Abrahæ, cui promittebatur multiplicatio filiorum, ut etiam terræ Canaan: hinc aſſerunt circumciſionem formaliter, & ex vi ſuæ primariæ inſtitutionis non juſtificâſſe, quia ſub hac ratione fuit tantum ſignum diſtinctivum populi electi ac filiorum Abrahæ. Neque pertinuit ad gratiam conferendam: de circumſione formaliter ſumpta volunt eſſe intelligendum Apoſtolum, cum vocat circumciſionem inſufficientem ad cauſandam gratiam. Nihilominus aſſerunt circumciſionem materialiter juſtificaſſe, quatenus reſpectu parvulorum maſculorum remedium originalis peccati fuit commutatum in circumciſionem, adeo ut quod ante inſtitutionem circumciſionis fuerat in lege naturæ remedium contra peccatum originale alligatum alicui ſigno ſenſibili, indeterminatè, tamen huic vel illi ad arbitrium parentum dummodo eſſet ſignum ſenſibile proteſtativum fidei parentum, poſtea hoc ſignum fuit alligatum circumciſioni, quæ propterea materialiter ſpectata præſtabat hoc idem quod remedium parvulorum in lege naturæ, & habebat utilitatem maximam ad delendum peccatum originale ex opere operato. In hoc ſenſu aſſerunt eſſe intelligendos ſanctos Patres, cum dicunt in lege veteri fuiſſe parvulos juſtificatos per circumciſionem, hoc eſt, materialiter, quatenus circumciſio fuit ſubſtituta loco remedii contra peccatum originale naturæ.

Probabilior tamen ſententia aſſerit, juſtificationem maſculorum parvulorum poſt inſtitutam circumciſionem fuiſſe à Deo affixam extra caſum neceſſitatis illi actui meritorio externæ proteſtationis fidei internæ in Chriſtum, qui tunc exercebatur, cum parvuli circumciderentur vel à parentibus, vel Miniſtro: & hoc idem puto aſſerendum itidem eſſe de remedio pro fœmellis, adeo ut hæc externa proteſtatio fidei internæ in Chriſtum propriè fuerit tam in lege naturæ, quàm ſcripta commune remedium omnibus parvulis ſive maribus, ſive fœmellis in ordine ad delendum peccatum originale, hoc tantùm diſcrimine, quia in lege ſcripta huic proteſtationi fidei pro maribus fuerit ſuperaddita circumciſio, non ut deletiva originalis, ſed ut diſcretiva populi electi à gentilibus, qui circumciſione non utebantur: ſiquidem modus iſte dicendi eſt conformior ſacræ ſcripturæ ac doctrinis ſanctorum Patrum, negantium circumciſionem ſecundùm ſe præciſè fuiſſe utilem ad juſtificationem parvulorum ex opere operato, & ſimul explicat, quomodo circumciſio fuerit neceſſaria. Etenim circumciſionem non juſtificaſſe parvulos in veteri lege expreſſè docet Apoſtolus ad *Roman.* 3. *&* 4. *ad Corinth.* 3. *ad Galat.* 4. *ad Coloſ.* 2. *ad Hebræ.* 7. 9. *&* 10. quibus in locis, ut Apoſtolus diſſuaderet Judæis recens ad Chriſtum converſis uſum circumciſionis, eos docuit hunc uſum non eſſe amplius neceſſarium, & aſſerit; Circumciſionem, & alios ritus antiquæ legis fuiſſe tantùm figuras Sacramentorum exiſtentium in lege evangelica: neque per ritus illos fuiſſe Hebræos juſtificatos, ſed per fidem, & Abraham non per circumciſionem, ſed per fidem præcedentem fuiſſe juſtificatum: ſiquidem *credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*: non fuit juſtificatus, quia circumciſus, ſed quia credidit, quapropter Apoſtolus vocavit Sacramenta veteris legis infirma & egena elementa, quia nullam ex ſe habuerunt efficaciam juſtificandi. Rurſus Apoſtolus ad Roman. 2. cum aſſeruiſſet, Judæos æquè & gentiles fuiſſe juſtificatos ex fide, poſtea cap. 3. ſibi objicit inquiens: *Quid ergo amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circumciſionis*, quia ſi circumciſio ſecundùm ſe ſpectata non fuit remedium contra originale: neque efficaciam habuit juſtificandi ex opere operato; & cum juſtificatio æquè contigerit Judæo, & Gentili ex fide; non videtur, quæ potuerit eſſe prærogativa in Judæo præ Gentili ratione circumciſionis, ſi hæc nullam habuerit juſtificandi efficaciam, neque apparet, qualis potuerit in circumciſione eſſe utilitas. Ad quod reſpondet Apoſtolus Judæum habuiſſe prærogativam, & circumciſionem fuiſſe utilem ſubjungens poſt præcitata verba: *Multum per omnem modum: primum quidem* (ſcilicet potiſſimum) *quia ſunt credita illis eloquia Dei.* Scilicet revelationes, & promiſſiones à Deo factæ, quatenus Deus longe uberius, copioſius, & familiarius impertivit Judæis ſpirituales illuſtrationes, quibus revelavit ſupernaturales veritates, & hæc fuit prærogativa, qua Judæo amplius fuit, quàm Gentili. Utilitatem verò circumciſionis in ſpecie quod attinet, reſpondet Apoſtolus cap. 4. aſſignans hanc utilitatem inquiens: *Et ſignum accepit Abraham circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit Pater omnium credentium.* Hanc præſeferebat circumciſio utilitatem, quia Judæis, erat ſignum ſuſceptæ juſtificationis per proteſtationem fidei factam in circumciſione; utilius enim eſt habere hoc ſignum quam illo carere ſicut Gentiles eo caruerunt. Secunda utilitas fuit, quia per circumciſionem parvuli aggregabantur populo Dei, ac diſtinguebantur, proinde à Gentilibus Geneſ. 17: *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me, & vos.* Cæterum in ordine ad juſtificationem Sacramenta veteris legis fuerunt inutilia, ut ſignificavit Apoſtolus ad Hebræ. 7. 18. & 19. ubi loquens de inutilitate legis antiquæ præcedentis tempore legem novam ait; *Reprobatio vita præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*; aſſignat Apoſtolus inutilitatem in ordine ad juſtificandum pro cauſa, cur lex illa fuerit abrogata; quia ſcilicet non poterat peccata expiare nec juſtificare, cùm tantùm occuparetur in rebus externis circa munditiem exteriorem corporis, quæ coram hominibus, non coram Deo puros, & ſanctos efficiebat; quo pacto ſi quis mortuum aut immundum attigiſſet, lex jubebat eum lavari, ut immundities illa contracta per tactum cadaveris deleretur, & in hoc ſenſu dicuntur Sacramenta veteris legis cauſâſſe exterius ſanctitatem legalem, non interius gratiam ſanctificantem neque urget, quod reſpondent aliqui, Apoſtolum tantùm Sacramenta legis Moſaicæ vocaſſe elementa inania, ac inutilia, eò quia non cauſaverint gratiam ſanctificantem ex opere operato: non verò inter hæc Sacramenta comprehendiſſe remedium originalis pro parvulis in lege naturæ, quia hoc fuit inſtitutum ante legem ſcriptam, & circumciſio fuit in lege ſcripta ſubſtituta loco remedii originalis pro moribus, quod fuit à lege naturæ; proinde cauſavit gratiam ſaltem prout complectabetur remedium legis naturæ;

con-

Digitized by Google

consequenter causavit gratiam, saltem prout complectebatur remedium legis naturæ. Nam contra est, quia Apostolus præcisè loquitur de circumcisione in specie, & sine ulla distinctione eam absolutè vocat sacramentum inane. Præterea circumcisio non fuit substituta loco remedii peccati originalis in lege naturæ; sed tale remedium perseveravit etiam in lege scripta, quia debuit esse commune maribus, & fœminis, & ejus usus non debuisset cessâsse in deserto: circumcisio autem cessavit toto illo tempore, quo Israeliticus populus mansit in deserto, neque fuit remedium commune fœminis: quamobrem circumcisio ex Dei institutione fuit superaddita remedio peccati originalis sito in præfata protestatione externa fidei, quæ facienda erat simul cum circumcisione: quando enim fuit instituta circumcisio jam aderat remedium originalis, quod debuit esse commune etiam fœmellis: unde circumcisio non fuit substituta remedio originalis, sed fuit instituta ut determinativa protestationis fidei per modum cujusdam solemnitatis, quã circumcisus susciperetur ab ecclesia in populum Dei; adeo ut circumcisio non fuerit præcise ordinata ad delendum originale, sed ad segregandum populum electum à Gentilibus.

Instant tamen aliqui, quia circumcisio tantùm formaliter considerata, seu prout primario fuit instituta in signum fœderis, vocatur ab Apostolo elementum egenum: non verò si consideretur materialiter, quatenus successit in locum remedii Originalis, quod erat in lege naturæ: quia sic considerata habebat utilitatem maximam ad delendum peccatum originale ex opere operato, sed contra, quia neque materialiter fuit circumcisio utilis in ordine ad justificandum; falsum est, quod circumcisio in lege scripta successerit remedio originalis, quod erat in lege naturæ; quia ex Dei institutione superaddita fuit remedio originalis, quod consistebat in externa protestatione fidei, quæ facienda simul erat cum circumcisione, quapropter circumcisio in lege scripta non fuit per se remedium originalis, consequenter nec formaliter, nec materialiter successit remedio originalis, quod fuit in lege naturæ, sed tantùm fuit eidem superaddita circumcisio, quapropter sub nulla ratione potuit habere efficaciam justificandi: siquidem D. Paulus absolutè ait; justificationem non fuisse ex circumcisione, sed ex fide, adeo ut circumcisio fuerit tantùm superaddita externæ protestationi fidei. Quòd si circumcisio fuisset in lege scripta materialiter instituta loco remedii pro originali delendo, quod habebatur in lege naturæ, adeo ut circumcisio successerit illi remedio, non rectè dixisset Apostolus, justificationem non fuisse in lege scripta ex circumcisione, sed ex fide & potest hoc declarari, siquidem eleemosyna est primario instituta ad sublevandam miseriam pauperis: si Pontifex concessisset indulgentias illis, qui cum certis precibus exhibuissent aliquem cultum & actum religionis Beatæ Virgini Mariæ, & postea alius Pontifex Successor pro illo cultu injungeret eleemosynam dandam pauperibus, tunc siquis cum precibus conjungeret simul eleemosynam, non rectè diceretur lucrari indulgentias ratione cultus seu precum, sed eleemosynæ, quia cultus ille specialis non amplius poneretur; sed loco illius eleemosynæ: pari pacto si circumcisio successisset loco remedii, quo in lege naturæ delebatur peccatum originale, & justificabantur parvuli, jam justificatio tribuenda foret circumcisioni contra Apostolum dicentem justificationem non fuisse ex circumcisione, sed ex fide: hinc rejiciendi sunt asserentes, Sacramenta antiquæ legis ideo vocari inania elementa, & contemni, quia non causarent gratiam physicè, sed tantùm moraliter; quia Apostolus absolute dixit, justificationem non fuisse ex circumcisione, & negavit omnem causalitatem tam physicam, quam moralem. Præterea quia si circumcisio fuisset causa moralis, fides non magis justificasset quàm circumcisio: quia fides erat tantùm moralis causa, & quidem remota, ut communiter docent: ergo si ex Apostolo justificatio non fuit ex circumcisione, sed ex fide; cum fuerit ex fide moraliter, non potuit moraliter esse ex circumcisione. Præterea non rectè Apostolus vocasset omnia Sacramenta veteris legis elementa vacua, & inania, & ea vili pendisset apud populum, eò quia non causaverint gratiam; populi enim sunt parum solliciti de modo, quo Sacramenta gratiam causant, sive id præstent physicè, sivè moraliter, parum curant, dummodo certò sciant, quòd per usum Sacramentorum eis conferatur gratia, id ipsis sufficit, neque alliciuntur ad eorundem usum propter influxum physicum, vel moralem; sed propter gratiam, quæ inde illis confertur. Demum quia medium qua tale desumit totam suam æstimabilitatem à bonitate finis, & à facilitate illam causandi, unde sive id physicè præstet, sive moraliter nihil refert.

Sed dices, si circumcisio in lege scripta non causavit gratiam physicè nec moraliter, sequeretur quod solus actus fidei eam contulisset: Sed id non videtur dicendum: quia vel hic actus fidei fuisset internus, vel externus: neutrum videtur dicendum; non primum, quia cum ecclesia tunc temporis fuerit etiam sensibilis, seu corpus sensibile, in quo omnia membra conveniebant in cultu externo; exigebant parvuli cooptari in societatem ecclesiæ modo sensibili: cooptatio siquidem debet esse proportionata cooptantibus, & cum cooptarentur per remedium originalis, debuit hoc remedium esse aliquid sensibile. Tum quia si sufficeisset solus actus internus sine ulla externa sensibili cæremonia, potuissent parentes filios reconciliare Deo priusquam nascerentur: neque actus fidei fuit externus, quia non assignatur, quid fuerit hoc sensibile externum: neque constat fuisse à Deo institutum: Sed contra negatur secunda pars minoris, sed fides causativa justificationis fuit fides interna non sola, sed simul cum externa sensibili protestatione; seu fuit externa sensibilis protestatio, seu professio fidei internæ: & licet hoc externum signum protestativum fidei non fuerit in specie institutum à Deo, fuit tamen institutum genericè, scilicet signum aliquod externum sensibile in genere manifestativo fidei internæ. Asserimus parvulos fuisse justificatos per actum internum, non simpliciter, sed ut imperativum actus externi, quo protestatio fidei fieret: & hic actus externus probabiliter fuit benedictio vel preces aliquæ ad Deum fuisse, utrumque enim potuit assumi in signaculum fidei internæ, & protestationem ejusdem; & simul in lege scripta adnecti circumcisioni; adeo ut remedium peccati originalis fuerit externa protestatio fidei facienda simul cum circumcisione, quæ propterea erat signum susceptæ justificationis. Quòd si instes, inde potuisse sequi, quod actus collativus Sacramenti plerumque esset informis in conferentibus Sacramentum, quia potuissent hi extitisse in peccato lethali; proinde secuturum, vel parvulos non accepisse gratiam expulsivam originalis; vel fuisse justificatos in fide informi.

Con-

Contra est, respondet enim D. Thomas in 4. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 1. parvulos adhuc potuisse justificari per fidem informem: quia tametsi fides sit mortua quoad meritum de condigno, non ita de congruo, vel licèt mortua sit subjective respectu subjecti elicientis actum fidei, quatenus existit in peccato mortali; non tamen mortua est objective, scilicet ratione objecti, seu Christi, qui in actu fidei intentionaliter vivebat, ac Deum movebat ad decernendum illi actui præmium, quod de congruo merebatur.

Verum contra nostram assertionem solet objici authoritas Innocentii III. in *cap. Majores. de Baptis.* ubi circumcisione videtur tribuere efficaciam conferendi gratiam, siquidem verba illa Genes. 17. *Anima, cujus præputio caro circumcisa non fuerit*, comparat cum illis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, atqui ex verbis Joannis Ecclesia infert, Baptismum habere vim conferendi gratiam: ergo Pontifex censuit, etiam circumcisionem habuisse vim conferendi gratiam. Præterea quia Pontifex declarat discrimen inter circumcisionem, & Baptismum, eo quia Baptismus successerit circumcisioni in ordine ad delendum originale, ait enim Pontifex: *Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per Sacramentum Baptismi &c.* ubi quoád vim delendi peccatum nullum Pontifex ponit discrimen inter circumcisionem, & Baptismum; sed tantùm, quod circumcisi morientes non statim sunt cœlum ingressi, sicut baptizati. sed fuerunt in limbo detenti, usque ad Christi adventum, ergo si Baptismus in lege evangelica delet originale, & causat gratiam sanctificantem, hoc idem præstitit in lege scripta circumcisio. Sed contra, quia mens Pontificis in præcitato loco non fuit, indicare, circumcisionem in lege veteri habuisse efficaciam delendi peccatum ex se, & causandi gratiam perinde ac in lege evangelica Baptismus. Scopus enim Pontificis tunc fuit damnare Hæreticos docentes, nullum peccatum remitti posse, nisi per actum charitatis elicitum ab eo, cui peccatum remittitur, & consequenter inutiliter baptizari infantes, nondum capaces hujus actus eliciendi, ad quod redarguendum falsitatis satis fuit definire, per Baptismum remitti peccatum, perinde ac in lege veteri in circumcisione remittebatur originale, tametsi parvulus, qui tunc circumcidebatur, nullum elicuerit actum amoris, quod tótum verùm est, quia circumcisioni erat adnexum remedium pro parvulis liberandis à peccato originali, quod remedium erat externa ac sensibilis protestatio fidei, cui in lege scripta fuit superaddita circumcisio: quapropter aliud est, in circumcisione fuisse remissum peccatum, & aliud circumcisionem ex se præcisè delevisse peccatum. Innocentius III. non asseruit hoc secundum, sed tantùm primum, quia circumcisio continebat etiam in suis cæremoniis signum illud extrinsecum, & sensibile, quod erat protestativum internæ fidei, ac remedium pro originali, in hoc sensu rectè Innocentius sumendo circumcisionem non præcisivè, sed extensivè ac complexive, quatenus in suis cæremoniis complectebatur etiam remedium pro originali delendo, eam comparavit cum Baptismo; quia sicut in cæremoniis, quæ in Baptismo adhibentur, includitur remedium, quo remittitur peccatum originale, & parvuli justificantur, perinde in cæremoniis circumcisionis, includebatur remedium pro parvulis sanctificandis, quamvis parvuli nullum elicerent actum internum amoris, cujus nondum erant capaces; & hoc erat, quod præcisè tunc intendebat Pontifex contra Hæreticos asserentes, Baptismum parvulorum esse inanem, eo quia peccatum non possit remitti, nisi per actum charitatis ab eo elicitum, cui peccatum remittitur: & ad hoc damnandum attulit Pontifex exemplum circumcisionis, in cujus cæremoniis quia includebatur remedium originalis, dicebatur circumcisio non præcisè qua talis, sed ut includens tale remedium delere peccatum, ac justificare parvulos, quamvis isti nullum elicuerint actum amoris. Cæterum an tunc parvuli fuerint justificati ex opere operato, vel operantis ministri, cùm hæc sit quæstio, quæ in scholis controvertitur, nil Pontifex definivit, ut nec etiam, an in deletione peccati originalis fuerit illis collata gratia, quia ideo tempore adhuc controvertebatur, quapropter ex Innocentio non probatur, quòd circumcisio habuerit efficaciam ex se præcisè delendi originale, & causandi gratiam, sed tantùm ratione remedii originalis, cui circùmcisio ex Dei institutione fuit superaddita, quatenus erat facienda simul cum externa, ac sensibili protestatione fidei, & in hoc sensu est etiam intelligendus Augustinus, cum plerisque in locis videtur circumcisioni tribuisse vim delendi peccatum originale, ac docuisse, necessariam fuisse necessitate medii respectu parvulorum: scopus enim Augustini fuit, probare utilitatem Baptismi parvulorum, & circumcisionis contra Hæreticos, exigentes actum fidei in ipso suscipiente, quapropter D. Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. ait: *Cur ergo ei præceptum est. ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, quia nondum poterat forte credere, ut ei reputaretur ad justitiam, nisi quia & ipsum per se ipsum Sacramentum plurimum valebat*: fuit enim Augustinus locutus de remedio originalis, ut incluso in cæremoniis circumcisionis, ut superius explicuimus. Non docet Augustinus, circumcisionem ex se præcisè delevisse peccatum, sed in circumcisione fuisse peccatum deletum ob inclusionem remedii pro originali delendo: non enim erat necessarium, ad ejus intentum decidere, an circumcisio ex se præcisè deleverit originale, sed satis ei fuit ostendisse, non fuisse necessarium ad originale delendum, ut à circumciso eliceretur actus fidei; sed peccatum fuisse deletum in circumcisione ratione remedii, seu externæ protestationis fidei. Hunc fuisse sensum Augustini, ex eo constat, quia in epistola ad D. Hieronymum, quæ est 97. expresè ait: Per circumcisionem neminem potuisse justificari.

Quòd si instes, si per circumcisionem præcisè sumptam non fuissent parvuli in lege veteri justificati, potuisse contigisse, quòd absque circumcisione potuisset parvulos aliquis justificari; sed hoc est falsum, quia non legimus, fuisse aliter parvulos in lege veteri justificatos, quàm per circumcisionem: sequela ostenditur, quia potuit contigisse, quòd minister per externam protestationem fidei adnexam cæremoniis, quæ in circumcisione adhibebantur, ex defectu instrumenti, vel virium, vel ex aliquo alio impedimento, tunc occurrente non absolvisset circumcisionem, in quo casu parvulus fuisset justificatus sine circumcisione: sed contra respondetur cum D. Thoma concedendo sequelam, & negando minorem, quia potuit optime contigisse, quòd parvulus justificatus fuisset per solam applicationem remedii, quod in lege naturæ delebat originale, & justificabat: sicut per tale remedium justificabantur in

Digitized by Google

lege scripta fœmellæ, neque in hoc ullum apparet inconveniens, quia parvuli juxta Apostolum non justificabantur vi circumcisionis præcisè, sed per fidem, hoc est, per signum externum, cui erat adnexa circumcisio, quod signum erat protestativum fidei internæ: posita hac fide cum signo externo protestativo ejusdem, poterant parvuli justificari, quamvis non fuisset absoluta circumcisio, quæ hæc non fuit præcisè à DEO instituta ad delendum originale, & causandam justificationem, sed ad segregandum populum electum, quia remedium originalis exigebat esse commune maribus & fœminis, quæ circumcisionis non erant capaces: adeo ut circumcisio ex DEI institutione fuerit superaddita remedio originali. Si dicas, inde sequi, circumcisionem non fuisse necessariam ad salutem, contra D. Augustinum, aliosque SS. Patres. Contra est, quia illa protestatio externa fidei, quæ illo tempore fuit remedium peccati originalis, adeóque simpliciter necessaria ad salutem, erat à DEO determinata in illa cæremonia, qua exercebatur circumcisio, quæ propterea erat necessaria saltem inclusivè usque ad illam externam fidei protestationem inclusivè; & quæ erat pars totius illius cæremoniæ, qua perficiebatur circumcisio: adhibita hac distinctione conciliantur oppositæ sententiæ. Quòd si dicas, ex hac distinctione sequi, melioris fuisse conditionis parvulos Judæorum, quàm sint pueri legis evangelicæ, quia isti per solam protestationem fidei sine Baptismo non justificantur. Contra est, respondetur fidem internam supernaturalem captivantem intellectum in obsequium DEI, & Christi venturi non fuisse in lege scripta sufficientem, quàm sit in lege evangelica collatio Baptismi, præsertim cum fides illa interna deberet imperare protestationem externam adnexam cæremoniis, quæ in circumcisione adhibebantur. Si instes, inde saltem sequi, remedium originalis esse magis contractum in lege gratiæ, quàm fuerit in lege naturæ. Contra negatur sequela, quia major difficultas potest esse in eliciendo actu fidei, ac determinando signo sensibili, quàm de facto experitur in applicatione aquæ pro Baptismo.

LIBER QUARTUS

DE

Charactere & Ministro Sacramentorum.

HActenus expendimus primarium, ac præcipuum effectum Sacramentorum, seu divinam gratiam, quam Sacramenta novæ legis significant, & causant: superest explicandus alius effectus, qui est Character, qui in Sacramento Ordinis dici potest effectus primarius, eo quia in ipso intenditur primariò ipsa collatio potestatis, quæ fit immediatè per Characterem, propterea Character est indelibilis, ac semper perseverat in subjecto, cui imprimitur.

CAPUT I.

Quid sit Character, & quæ Sacramenta novæ legis ipsum imprimant.

CHaracter idem est ac signum, quo solet res aliqua signari, vel ut cognoscatur in se, vel ut distinguatur ab aliis, qua ratione solent servi, & famuli quibusdam signis, & vestibus signari, ut ab aliis distinguantur, & manifestent, cujus heri sint famuli. Solet etiam signari, quod publico usui deputatur; quo pacto signatur pecunia sigillo Regis, ut etiam, qui ad aliquod officium publicum destinantur; & olim, qui addicti erant, militiæ insigniebantur nota aliqua, quæ militaris vocabatur character. Et quamvis character vulgo sumatur pro signo aliquo sensibili, à Theologis tamen transfertur ad significandum signaculum quoddam, quo Christiani in susceptione Sacramentorum quorumdam deputantur cultui divino, & hic character animæ impressus est alter Sacramentorum effectus, quem non omnia, sed aliqua tantùm Sacramenta animæ imprimunt, velut signum quoddam indelebile, seu perpetuo inhærens animæ, & de hoc charactere Catholica Ecclesia tria exhibet credenda, primum per tria Sacramenta Baptismum confirmationem, & ordinem hunc imprimi characterem. Secundum characterem esse signum quoddam spirituale, & indelebile. Et tertium Sacramenta, quæ characterem imprimunt, non posse iterari, & hæc tria etiam definivit credenda sacra Tridentina Synodus *sess. 7. can. 9.* & antea etiam Concilium Florentinum in decreto instructionis Armenorum, ubi definitur, quod *si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, seu signum quoddam spirituale indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit*; & hunc characterem non obscure describit Apostolus 2. ad Corinth. 1. inquiens *Unxit nos DEUS, qui & signavit nos, & dedit pignus, Spiritus in cordibus nostris*, per illud enim verbum signavit characterem Apostolus significavit, cujus proprium est aliquid signare, & notare, ut docet Catechismus Concilii

cilii Tridentini. Præterea quia dari hunc characterem spiritualem, & imprimi à Sacramentis Baptismi Confirmationis, & Ordinis est traditio in Ecclesia Apostolica, quæ suam ab Apostolis trahit originem, & ita etiam docent Concilia, præsertim Florentinum, & Tridentinum contra Lutheranos, & Calvinistas. Hinc S. Patres primitivæ Ecclesiæ hujus characteris meminerunt, præsertim D. Basilius, S. Cyrillus Jerosolymitanus, & D. Augustinus, qui floruerunt primis Ecclesiæ sæculis, etenim D. Basilius homil. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum, loquens de charactere, ut est effectus Sacramentorum, quem superius recensuimus, ait: *Tesseram Duces sub se militantibus dant, ut amici facilius se noscentes exhortentur, & si cum hostibus committantur, eo facilius dirimantur separari possint. Nemo te, quarum, nostrarum an adversarum partium sit, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te feras, nisi ... te lumen vultus tui Domini. Ni ... in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te ... aut ab inimicis vindicabit: quomodo dices, DEI sum signa, non ostendens? an ignoras, quemadmodum signatas domos in Aegypto exterminator ..., in non signatis vero primogenita peremit? ... non obsignatus pluribus facile patebit, ovis item absque nota insidiis protinus est obnoxia*, hactenus D. Basilius, cui adhæret S. Cyrillus Jerosolymitanus in præfatione suarum Catechesium, ubi vocat Baptismum signaculum sanctum, ac indelebile, & Catechesi 17. ait: *Spiritum Sanctum in Baptismo obsignare animam, ac dare signaculum, quod Dæmones tremore perfusi perhorrescunt cælesti ... &c divinum*, de quo etiam Apostolus scribens ad Ephes. 1. v. 13. ait: *In quo etiam credentes signati estis Spiritu Sancto promissionis, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.* Et D. Augustinus pluribus in locis expressè asserit: Per Baptismum imprimi characterem, qui sit signum indelebile, ac proinde non posse Baptismum iterari, etenim epist. 48. scribens ad Bonifacium ait: *Si Christiani Baptismi Sacramentum, quando unum atque idipsum est etiam apud Hæreticos, valet, & sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non sufficiat: qua consecratio reum quidem facit Hæreticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem corrigendum, tamen admonet sana doctrina non iterum consecrandum. Quanto potius in Catholica Ecclesia etiam per stipulæ ministerium frumenta purganda portantur, ut ad massæ societatem mediante area perducantur.* Et Epist. 185. Quæ est ad Bonifacium Comitem de correctione Donatistarum, ait: *An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oves, quæ non violenter erepta, sed blande leviterque seducta, a grege aberraverint, & ab alienis cæperint possideri inventos ad ovile dominicum, si resistere voluerint terroribus, vel etiam doloribus revocare: præsertim quoniam si, apud fugitivos servos, & prædones fœcunditatem multiplicentur, plus habet juris, quod in eis dominicus character agnoscitur, qui in eis, quos suscipimus, nec tamen rebaptizamus, minimè violatur? Neque enim, si quisquam regio charactere assignato desertore signetur, & accipiant indulgentiam, atque ille redeat ad militiam, ille autem esse in militia, in qua nondum erat, incipiat; in aliquo eorum character ille rescinditur, ac non potius in ambobus agnoscitur, & honore debito, quoniam regius est, approbatur.* Et

nonnullis interjectis objicienti Donatistæ: *Quare ergo non baptizas, ut abluas à peccatis*, respondet, *quia non facio injuriam characteri.* Et lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 13. ait: *Nec Baptismum, neque ordinationem posse iterari, eò quia utrumque Sacramentum quadam consecratione confertur, id est, per characterem indelebilem, qui animæ imprimitur, ait enim, utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideo in Catholica Ecclesia utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, etsi visum est, opus esse, ut eadem officia gererent, quæ gerebant; non sunt rursus ordinati; sed sicut Baptismus in eis ita ordinatio mansit integra.* Rursus etiam Sacramentum Confirmationis imprimere characterem, & non posse iterari, docet lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. ubi ait: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut & Baptismus.* Unde ex doctrina Sanctorum Patrum, qui primis Ecclesiæ temporibus floruerunt, constat dari hunc characterem, quem imprimunt tria Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, adeo ut hæc assertio sit de fide contra Sectarios, præsertim contra Wicleffum, & alios falsò fingentes, hunc characterem primum fuisse excogitatum ab Innocentio III.

Probatur igitur dari hunc characterem, quem imprimunt prædicta tria Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo, & primò ex Scripturis ad Ephes. 4. ubi Apostolus scribit: *Nolite contristari Spiritum Sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis*, & 2. ad Corinth. *Unxit nos DEUS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*: etenim Sancti Patres explicant hos textus de charactere, quem imprimunt Sacramenta in anima ipsa suscipientis. Ostenditur etiam ex ipsa definitione Ecclesiæ, etenim Innocentius III. in cap. Majores de Baptismo definit sacramentum ..., in quibusdam imprimere characterem, quibus non confertur gratia, quod etiam definitur in Conciliis Florentino & Tridentino sess. 7. can. 9. ubi dicitur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, anathema sit.* Sancti Patres hoc idem etiam docent, etenim Sanctus Cyrillus Hierosol. Catechel. 17. vocat Baptismum *signaculum sanctum indelebile, quod non potest intelligi de gratia, quia hæc per peccatum delentur*, & in fine pro Catech. ait: *Det vobis DEUS Spiritus Sancti signaculum indelebile sempiternum*: & ibidem loquens de Baptismo ait: *Spiritus Sanctus obsignaturus est animas vestras, deligendi estis in militia magno Regi.* Sanctus Epiphanius lib. 1. contra hæreses hæresi 8. ait: *Baptismus circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomine Domini*: ubi non solum characterem distinguit à gratia remissionis peccatorum; verùm etiam per analogiam circumcisionis, & Baptismi hoc idem confirmat, quia sicut in circumcisione, & gratia infundebatur, & nota quædam in parte corporis relinquebatur, ita etiam per Baptismum gratia nobis confertur, sed etiam signum aliquod in anima nostra imprimitur, quod propterea non est quid corporeum cum transacto Baptismo nil remaneret corporale. Nazianzenus orat. in Sanctum Lava-

Digitized by Google

Lavacrum, vocat Confirmationis signaculum, inquiens: *Hoc & viventi tibi maximum est tutamen, ovis enim, quæ sigillo insignita est, non facilè patet insidiis, & vita functo res est accommoda, quæ sepulturam comitetur.* Chrysostomus in cap. 1. 2. ad Corinth. Homil. 5. recenset hujus characteris proprios effectus, ut per eum fiamus reges Prophetæ Sacerdotes, ait ipse: *Quemadmodum nota quadam militibus sic fidelibus Spiritus imponitur, quo fit, ut si ordinem deserueris, omnibus perspicuus fias; Judæi enim loco signaculi circumcisionem habebant, nos autem pignus Spiritus.* Alios S. Patres congerunt Bellarminus *lib. 2. cap. 2.* Cocius *Tom. 1. lib. 2. cap. 3.*

Ratio hanc Catholicam veritatem etiam evincit, quia sicut, ut ait Tridentina Synodus, quædam Sacramenta sunt omnino initerabilia, ita debent in se causam habere, cur non possint iterari, sed hujusmodi causa non potest alia assignari, nisi quia imprimant characterem; alioquin nulla esset ratio, cur non possent iterari, quia non manerent in ullo suo effectu: quòd si imprimunt characterem, jam assignatur sufficiens ratio, cur non possint iterari: etenim illa Sacramenta, quæ non imprimunt characterem, possunt iterari, eo quia gratia, quam causant, possit deperdi, & si non amittatur, potest augeri, consequenter possunt Sacramenta iterari, quæ non imprimunt characterem, eò quia possit eorundem effectus deperdi, vel incrementum subire: & ut pictura reparetur, opus erat, ut Sacramentum iteraretur: ergo cum character non possit, ut gratia deperdi, sed sit indelebilis, & inamissibilis, rectè assignatur ratio, cur aliquot Sacramenta non possint iterari, quia scilicet imprimunt characterem indelebilem, seu jugiter perseverantem subjecto, cui imprimitur. Præterea quia sicut in lege veteri circumcisio non poterat iterari, eò quia imprimeret in corpore materialem characterem, perinde in lege evangelica ea Sacramenta non sunt repetenda, quæ imprimunt characterem. Ratio ulterius potest à priori assignari, quia certum est, per Sacramenta Baptismi, & Confirmationis, & Ordinis hominem fieri habilem ad aliquid, ad quod antea non erat aptus; etenim per Baptismum fit habilis ad accipienda reliqua Sacramenta per Confirmationem, ad defendendam religionem contra Tyrannos, & per Ordinem ad actiones sacras exercendas: ergo fit homo habilis per aliquid intrinsecum, & permanens: quia sicut Deus amando aliquem ad extra præstat objectum amabile, & per suum amorem constituit personam amatam intrinsecè amabilem, & simul potentem redamare per aliquid intrinsecum permanens, & productum in objecto; ita habilitando facit objectum habile ad operationes, ad quas obeundas antea non erat aptum per aliquid intrinsecum in eo impressum, hoc enim est discrimen inter Deum, & Principes terræ, quia isti extrinseca tantùm authoritate deputant suos Ministros ad obeunda publica munia: DEUS verò, cujus perfecta sunt opera, hoc idem præstat per intrinsecam potestatem, & virtutem. Sacramenta enim non solum ordinantur ad remedium peccati, verùm etiam ad perficiendum hominem in iis, quæ ad DEI cultum pertinent; & quoties aliquis deputatur ad aliquid determinatum, solet ad id designari, & aliquid sibi impressum deputari, ex quibus sequitur, quod Sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinis reverà imprimat characterem.

Quòd verò non omnia novæ legis Sacramenta characterem imprimant, sed tantùm tria prærecensita, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo evincitur ex decreto Eugenii IV. post Concilium Florentinum, & ex Tridentina Synodo sess. 7. can. 9. & D. Thomas id probat 3. part. art. 6. quia Sacramenta novæ legis ad duo ordinantur, scilicet in remedium peccati, & ad cultum divinum: est autem omnibus Sacramentis commune, quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum per hoc, quod gratiam conferunt, sed non omnia Sacramentum ad divinum cultum directè ordinantur, ut liquet in Sacramento Pœnitentiæ, cujus beneficio homo liberatur à peccato, & restituitur pristino statui gratiæ, & amicitiæ DEI: sed per hoc Sacramentum nihil exhibetur novi ipsi homini pœnitenti, quod pertineat ad divinum cultum, siquidem pertinet aliquid ad divinum cultum tripliciter, vel per modum actionis; vel per modum agentis, vel per modum recipientis. Per modum actionis ad divinum cultum pertinet Eucharistia, in qua præcipuè divinus cultus consistit, quatenus est Ecclesiæ Sacrificium: sed Eucharistia characterem non imprimit, quia per hanc non ordinatur homo ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis, cum potiùs sit finis, & consummatio omnium Sacramentorum, ut ait S. Dionysius *lib. de ecclesiast. Hierarch. cap. 3.* Continet tamen in se ipsum Christum, in quo non est character, sed tota Sacerdotii plenitudo. Sed ad agens in Sacramentis pertinet Sacramentum Ordinis, quia per hoc Sacramentum homines deputantur administranda alia Sacramenta hominibus: ad recipientes pertinet Sacramentum Baptismi, quia per ipsum homo accipit potestatem recipiendi alia Ecclesiæ Sacramenta, unde Baptismus dicitur janua omnium Sacramentorum. In confirmatione verò homo jam baptizatus potestatem accipit ad agenda ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, ergo sequitur, hæc tria Sacramenta, scilicet baptismum, confirmationem, & ordinem imprimere characterem. Potest etiam explicari, quia sicut in Republica humana aliud est signum, quo aliqui in numerum civium cooptantur; aliud, quo in militia adscribuntur; & aliud, quo ad publicas functiones deputantur, ita in Ecclesia, quæ est spiritualis Respublica, alius est character civitatis, seu familiæ Christi, alius character militiæ Christianæ; & alius character potestatis, seu ministerii ecclesiastici. Primus per Baptismum, secundus per Confirmationem, & tertius per sacram Ordinationem imprimitur.

Neque obstat, quod Sectarii objiciunt, nimirum eatenus non posse Baptismum iterari, eò quia sit primus ingressus in Ecclesiam, in quam semel ingressi non dicuntur ulterius illam ingredi. Nam contra est, quia Apostatantes ab Ecclesia, si resipiscant, debent iterum suscipi in Ecclesia, unde juxta hanc responsionem sequerentur, quod Apostatæ resipiscentes ac revertentes ad Ecclesiam, deberent iterum baptizari, quod est falsum. Præterea objectio Sectariorum non potest se extendere ad Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, quæ tamen imprimunt characterem. Neque urget, si dicant, Baptismum non esse iterabilem, quia significat mortem Christi, qui semel tantùm pro nobis mortuus est. Nam contra est, quia etiam Eucharistia est figura mortis Christi, quam significat, siquidem loquens Christus de hoc Sacramento ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, ergo inde sequeretur, quod neque Eucharistia, quæ significat Christi mortem, posset iterari, quod falsum est.

Præterea

Digitized by Google

Præterea etiam Baptismus significat mortem Christi, quia in ipso commorimur peccato, ergo cum possit homo pluries peccare, inde sequeretur ex responsione sectariorum pluries baptizari. Neque obstat, si dicant baptismum eatenus non esse iterabilem, eò quia pactum Dei nobiscum initum in baptismate sit perpetuum. Nam contra est, quia qui peccat post baptismum, non potest ad Dei cultum reverti, sed indiget pœnitentia. Præterea quia etiam Eucharistia continet pactum Dei, ut colligitur ex illo Joan. 6. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & nihilominus Eucharistia iteratur, & à sacerdotibus singulis diebus sumitur, & plures fideles illa frequenter reficiuntur. Respondent Sectarii quartò, Baptismum eatenus non posse iterari, quia per ipsum homines dicuntur regenerari, & nasci spiritualiter; & non possunt homines spiritualiter nasci iterum semel. Sed contra quia sicut homo potest pluries peccare lethaliter, deperdere gratiam sanctificantem, & spiritualiter propterea mori; ita potest pluries renasci spiritualiter.

Potest tamen obiici, quia non decet Deum actu peccanti infundere sua dona: sed si præter gratiam imprimeret in his sacramentis characterem, utique infunderet actu peccanti sua dona, quia accedentibus ad hæc sacramenta cum actuali peccato lethali DEus imprimeret characterem, qui est donum Dei. Sed contra, quia repugnat aliquod donum Dei cum peccato: siquidem donum prophetiæ, quod est supernaturale impertitur à Deo subinde actu peccanti, ut constat ex Numer. 22. Neque enim donum supernaturalem repugnat simul manere cum pecato lethali. siquidem cum fidelis lethaliter peccat, quamvis amittat gratiam sanctificantem, non tamen deperdit habitus fidei, & spei, qui sunt dona supernaturalia. Ratio itidem est, quia cum character non detur proxime ad sanctificandum hominem, sed ad consignandum subjectum; possunt etiam inimicim, & peccatores consignari perinde ac homines inimici plerumque suis consignantur amicis, à quibus aliquando restituuntur primæ amicitiæ. Quod si dicas ad consignandos homines Deo sufficere gratiam. Contra est, quia gratia consignat homines per modum amicitiæ, quos propterea distinguit ab aliis in ordine ad præmium futuræ gloriæ: character autem consignat, ac deputat homines Christo per modum militis militantis sub ipsius vexillo, & per modum Ministri participantis ejus potestatem in bonis spiritualibus dispensandis, ut communiter docent Doctores: & quia non omnes habentes gratiam, gaudent hac potestate; neque, qui gratiam amittunt privantur tali potestate, ideo præter gratiam debent hæc sacramenta imprimere charactere. Neque urget: si dicas etiam vasa, altaria, & templa manere sufficienter Deo sacra ex sola externa consecratione, proinde homines sufficienter consignari Deo per solam externam actionem sacramentalem. Nam contra est, quia eatenus vasa, & templa manent Deo sacra, ex consecratione externa, quia non sunt capacia internæ consignationis. Præterea quia eorum consecratio fit ab homine, qui virtutem non habet mutandi res intrinsece: secus homines consecrantur à Deo mediantibus sacramentis consequenter possunt mutari interius ac internum spiritualem characterem recipere. Quod si obiicias eatenus sacramenta baptismi confirmationis, & ordinis imprimere characterem interius, quia per hæc sacramenta homo fit habilis ad aliquid præstandum ad quod antea non erat habilis: sed per characterem homo non fit habilis ad physice operandum aliquid quod antea non poterat, ergo non requiritur hæc forma habilitans subjectum ad operandum. Sed contra quia tametsi non requiratur, ut forma habilitans physice, requiritur tamen, ut forma habilitans moraliter quia neque sine charactere baptismi reliqua, sacramenta essent valida, ut neque sine Ordine valerent actus sacerdotales.

Quod si dicas ideo sacramenta baptismi, confirmationis, & ordinis dicuntur imprimere characterem, quia non possunt iterari, hæc enim est potior ratio probans hæc tria sacramenta imprimere Characterem, quia cum non possint iterari, & conferant gratiam, quæ potest amitti, & augeri, debent habere aliquam permanentiam ex parte effectus, eò quia conferant aliquid, quod nec augeri possit, nec amitti, quod est character: Sed ex hac ratione non evincitur hæc tria sacramenta imprimere characterem, quia possent non iterari ex sola Dei voluntate. Sed contra quia, tametsi ex hac ratione non inferatur, necessario non possit iterari, eò quia potuerint hæc sacramenta ex sola Dei voluntate etiam præscindendo à Charactere esse initerabilia: infertur tamen perquam probabiliter juxta perfectionem modum operandi Dei cum creaturis: hinc licet de possibili possent hæc sacramenta esse initerabilia ex sola Dei voluntate: negatur tamen de facto ita contingere. Sed instabis ideo matrimonium non imprimit characterem, quia est iterabile mortuo uno conjuge, sed utroque conjuge vivente non potest iterari, ergo ex eo quod sacramenta baptismi Confirmationis, & Ordinis non possint iterari, non sequitur, quod imprimant Characterem. Sed contra quia matrimonium potest iterari cum alio conjuge priori defuncto, quinimo etiam cum eodem, si semel mortuus iterum miraculosè resurgeret, quia, ut ait Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Unus conjux non alligatur alteri, nisi quamdiu vivit*, unde per mortem naturalem solvitur matrimonium. Quapropter si duo conjux semel mortuus, & miraculosè resuscitatus vellet cum pristino copulari, tenetur iterum matrimonium inire. secus si baptizatus confirmatus, & ordinatus semel mortuus miraculosè resuscitaretur, non deberet iterum baptizari confirmari, & ordinari, quia Character qui imprimitur animæ in susceptione horum sacramentum est indelebilis, & semper perseverat.

Ex hactenus dictis infertur, hæc tria tantum sacramenta novæ legis seu baptismum, confirmationem, & ordinem imprimere Characterem, ut fuit definitum in Concilio Tridentino in decreto Unionis, ubi de sacramentis novæ legis habetur: *Inter hæc sacramenta tria sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo. quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum imprimunt indelebile in anima, unde in eadem persona non reiterantur: reliqua verò characterem non imprimunt, nec reiterationem admittunt*: Fuit itidem hoc definitum in Tridentino sess. 7. 8. & 9. Ratio est, quia character est quædam spiritualis potestas, qua deputatur homo ad agendum aliquid vel recipiendum, quæ pertinent ad cultum sacerdotii Christi: sed per sacramentum Confirmationis, & Ordinis deputatur homo ad agendum aliquid pertinens ad cultum sacerdotii, Christi

ſcilicet ad propagandam ejus fidem, & ad ſacramenta aliis tradenda. Rurſus per ſacramentum Baptiſmi accipit poteſtatem recipiendi alia ſacramenta, quapropter baptiſmus dicitur janua omnium ſacramentorum, conſequenter hæc tria ſacramenta imprimunt characterem, & non alia, quia per hæc tria homines ſpecialiter deputantur cultui divino, quia tametſi omnia ſacramenta ſint aliquæ cæremoniæ religioſæ pertinentes ad cultum divinum, per ſe tamen omnia ordinantur in bonum ſuſcipientis, & in remedium peccati: illa verò tria tantùm ſecundariò tribuunt hominibus quondam ſpiritualem poteſtatem exercendi multum divinum vel per modum patientis quo pacto baptiſmus confert poteſtatem ſuſcipiendi alia ſacramenta. Confirmatio dat vim pugnandi pro Chriſto, ac propugnandi fidem contra tyrannos. Ordo dat poteſtatem offerendi ſacrificium. Ex aliis autem ſacramentis pænitentia tantum habet reſtituere peccatorem in priſtinum ſtatum gratiæ, quo religioſè Deum colit ordinario modo. Extra Unctio cum tantum detur migrantibus ex hac vita, non ordinatur ad ſpecialem cultum, ſed tantum removet reliquas peccatorum: Matrimonium etiam non tribuit ſpiritualem ullam poteſtatem. Euchariſtia, tametſi ſit eſſentialiter cultus divinus per modum actionis, nihilominus quia eſt conſummatio totius cultus divini ac finis omnium Sacramentorum non ordinatur ad ſpecialem cultum, nec tribuit ſpiritualem poteſtatem exercendi cultum divinum: quinimo potius ordinatur ad hoc ſacramentum.

CAPUT II.

De quidditate, & ſubjecto, in quo proximè character ſacramentalis.

TAmetſi communiter Catholici Doctores fateantur dari revera hunc characterem ſacramentalem, differunt tamen in aſſignanda ejus propria quidditate. Unde difficultas eſt, an revera hic character ſit in prædicamento qualitatis, & ad quam ſpeciem ejuſdem prædicamenti pertineat. Cum enim quatuor ſint ſpecies prædicamenti qualitatis, ſcilicet habitus diſpoſitio, potentia, & impotentia, paſſio, & poſſibilis qualitas, forma, & figura, oritur dubium, ad quam ex recenſitis ſpeciebus propriè pertineat character. Bellarmin*, Suarez, Vaſquez, & alii, aſſerunt, pertinere ad primam ſpeciem, ſecus Thomiſtæ, quos ſequuntur Valentia, Henriquez, & alii, volunt pertinere ad ſecundam ſpeciem qualitatis. Altiſſiodorenſis Ockamus de Lugo, & alii, cenſent pertinere ad tertiam, eò quia velint eſſe patibilem qualitatem. Demum Maſſilius, Salas, & alii putant pertinere ad quartam; ut autem certa ab incertis ſejungantur, certum eſt characterem ſacramentalem non eſſe ſolam relationem rationis nec denominationem extrinſecam, ut aſſerit Durandus, *in 4. diſt. 4. quæſt. 1. num. 11.* ſiquidem Concilia, præſertim Florentinum, & Tridentinum, aſſerunt, hunc characterem eſſe ſignum ſpirituale impreſſum animæ: & hoc non poteſt verificari de ente rationis, quia hoc non imprimitur animæ, ſed tantum objectivè exiſtit in intellectu. Præterea, quia ſi character non eſſet aliquid reale, ſed tantum relatio rationis, vel denominatio extrinſea oriens ex eo, quod per ſuſceptionem ſacramenti ſpecialiter deputetur homo ad cultum divinum poſſet aſſeri etiam ſacramenta veteris legis ſaltem circumciſionem, & conſecrationem ſacerdotum impreſſiſſe characterem, quia iis poſitis habetur relatio rationis conſurgens ex eo, quod homo deputetur ſpecialiter ad cultum Dei. Tum quia character ſacramentalis revera eſt principium, vel agendi realiter, ut in ſacramento Ordinis, ratione cujus ſacerdos realiter conſecrat panem, & vinum; & in Confirmatione, quia confirmatus proteſtatur realiter fidem coram Tiranno; vel eſt principium recipiendi realiter alia ſacramenta, ut in Baptiſmate: ſed ens rationis cum non ſit quid reale, nequit eſſe principium realis actionis, vel paſſionis, ſiquidem repugnat principium excedi à principiato, ergo character ſacramentalis non eſt relatio rationis, nec ſola denominatio extrinſeca. Quinimò character nec etiam eſt, aliquid reale relativè relatione, quam vocant extrinſecus advenientem, ut docent plures cum Scoto in 4. diſt. 6. quæſt. 10. Ratio eſt, quia quod immediate terminat actionem realem, nequit eſſe relatio, quamvis hæc ſit realis, quia, ut docet Philoſophus 5. phyſicor. textu 10. ad relationem formaliter, & immediatè non datur motus: ſed character ſubinde eſt terminus immediatus actionis realis, ſiquidem in eo, qui cum fictione, & tamen valide ſuſcipit ſacramentum baptiſmi, præter characterem non poteſt alius terminus aſſignari, quia in hac hypotheſi baptiſmus non cauſat gratiam, ut communiter docent, ergo character eſt aliquid reale, & non ſola relatio rationis. Præterea, quia nulla relatio quamvis realis eſſe poteſt principium agendi, vel patiendi, quia totum ejus eſſe eſt, ad aliud ſe habere tanquam ad terminum: ſed ex dictis clarè liquet, characterem baptiſmalem eſſe principium patiendi, & characteres confirmationis, & Ordinis eſſe principia agendi, ergo cum nulla relatio etiam realis ſit principium agendi, vel patiendi, ſequitur characterem ſacramentalem non poſſe eſſe relationem realem. Neque obſtat, quod reſpondent Scotiſtæ characterem eſſe eſſentialiter ſignum, quod dicit eſſentialiter reſpectū ad rem ſignatam, conſequenter characterem eſſe relationem. Nam contra eſt, quia vel hæc relatio extrinſecus adveniens eſt tantum ſecundum dici, & ſic non poteſt ſtare cum re abſoluta: vel ſecundùm eſſe, & ſic non ſalvatur, quomodo ſit immediatè terminus actionis cum ad relationem non detur per ſe motus. Quamobrem ex eo, quod character ſit ſignum, & dicat reſpectum ad ſignatum, non tamen inde excluditur res abſoluta, in qua fundetur talis reſpectus, ut liquet in omni ſigno tam naturali, quàm ad placitum, unde de hac re abſoluta, in qua fundatur talis reſpectus, quæritur, quid ſit.

Aſſerendum eſt, characterem ſacramentalem eſſe qualitatem realem abſolutam de prædicamento qualitais, & inhærentem animæ ita ferè communiter cum D. Thoma 3. *part. quæſt. 63. art. 3.* quia, ut conſtat ex præexpenſis character confertur à ſacramentis, ut inſtrumentis Dei, & à Deo, ut à cauſa principali, & etiam poteſt conferri ſine gratia, ut liquet in illo, qui baptiſmum ſuſcipit

Digitized by Google

suscipit cum fictione, in quo licet baptismus imprimat characterem, non tamen causat gratiam ob impedimentum fictionis, & peccati. Hoc autem non posset verum esse, nisi character sacramentalis esset aliqua qualitas realis absoluta, & per se primò producibilis, quia quod non est quid absolutum producibile produci, non potest: ergo character sacramentalis est aliqua qualitas absolutè producibilis, & qualificans animam. Præterea, quia per hunc characterem ponitur specialis habilitas in anima ad munera aliqua obeunda: consequenter non [illegible] purum relationem. Quod si dicas formam absolutam esse delebilem, & characterem indelebilem, consequenter non esse formam absolutam, sed relativam. Contra est, quia forma absoluta est tantum delebilis ab eo agente, quod habet potestatem supra talem formam, & quia solus Deus habet potestatem supra characterem sacramentalem, & alias decreverit esse perpetuum, inde sequitur esse indelebilem, quamvis sit forma absoluta.

Asserendum secundò characterem sacramentalem directè pertinere ad primam speciem qualitatis, seu ad dispositionem, & indirectè ad secundam, seu ad potentiam. Ratio est, quia character sacramentalis est quædam forma supernaturalis perficiens ac disponens animam non ad operationem physicè efficiendam, sed in ordine ad esse simpliciter quatenus illam obsignat, adeo, ut quicunque fuerit ea insignitus statim ex pacto, & deputatione Dei habilis fiat ad actiones sacras obeundas; perinde ac in humanis si aliquis sit ex Principis deputatione decoratus aliquo titulo insigni, vel stemmate fit statim habilis ad præstantiores Principis legationes obeundas: character enim est mere stemma, vel titulus, quo insignitus homo ex Christi deputatione constituitur habilis in ordine ad exercendas nobilissimas actiones sacramentales: ergo est quædam forma supernaturalis se habens per modum dispositionis in ordine ad esse simpliciter consequenter pertinet ad primam speciem qualitatis. Firmari etiam ex eo potest, quia proprium munus characteris est, bene afficere subjectum in ordine ad esse. Consignat enim illud, ac facit, ut dignoscatur ab aliis, in quibus tale signum non reperitur, & rursus collocat hominem in Christi familia, cujus nobilitatem etiam illi impertitur, ac denique perficit hominem in ordine ad operationes supernaturales consequenter primario, & directè pertinet ad primam speciem qualitatis seu ad dispositionem. Quod verò indirectè possit reduci ad secundam, sed ad potentiam ex eo evinci potest, quia idem character consideratur secundum moralem potentiam induit novum conceptum, secundum quem reducibilis est ad aliquam speciem, sed non videtur posse reduci ad aliam, quam ad secundam quæ est, potentia, & impotentia. Hinc D. Thomas docet characterem non esse propriè in genere, vel specie, seu tantùm reducis ad secundam speciem qualitatis, quia consideravit characterem, ex morali potestate, quæ præcipua est in ipso: in quo sensu tantum reductivè pertinet ad secundam speciem qualitatis, definit enim D. Thomas characterem esse *signaculum spirituale, quo anima insignitur ad suscipiendum vel aliis tradendum ea, quæ sunt divini cultus*, unde ad genus qualitatis, & speciem potentiæ spiritualis revocatur. Siquidem ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia quædam activa: & ad recipiendum necessaria est potentia passiva, & hæc ad baptismum pertinet, illa verò ad Confirmationem, & Ordinem, ut habet Cathecismus Tridentinæ synodi, ubi dicitur, quod character duo præstet. *Primò, ut apti ad aliquod sacrum, vel suscipiendum, vel peragendum efficiamur, secundo, ut aliqua nota alter de altero internoscatur. Charactere baptismi ad alia sacramenta percipienda reddimur idonei, & ab infidelis populis gentibus, qui fidem non colunt, distinguitur. Charactere Confirmationis veluti Christi milites ad ejus nominis publicam confessionem & propugnationem, ac contra intimum nobis hostem, & spiritualia nequitiæ in cœlestibus armamur, atque instruemur, simulque ab iis, qui nuper baptizati tanquam modo geniti infantes sunt discernimur. Character Ordinis potestatem sacramenta conficiendi, ministrandi conjunctam habet: & eorum, qui hujusmodi potestate præditi sunt, a reliquo fidelium cœtu distinctionem ostendit.*

Sed dices; characterem esse potius formam reducendam ad prædicamentum relationis, eo quia character sit in genere signi, quod formaliter consistit in respectu ad rem significatam. Contra est; quia licet character dicat hunc respectum ad rem significatam, non tamen omnis respectus collocatur in prædicamento relationis, sed tantum respectus prædicamentalis: character autem non est respectus prædicamentalis ad rem significatam, sed transcendentalis, perinde ac omne accidens dicitur esse ordo transcendentalis, ad substantiam, quam respicit, ut proprium subjectum: ergo sicut non omne accidens collocatur in prædicamento relationis, sed illud duntaxat, quod est relatio prædicamentalis: ita ex eo, quod character sit signum, & dicat respectum ad rem significatam, inde non sequitur, quod pertineat ad prædicamentum relationis. Hinc inferimus characterem secundum [illegible] esse physicum esse propriè qualitatem characterizantem, & expressivam alicujus gradus, consequenter esse perfectivum. Ratio est, quia character in iis, sacramentis imprimitur, per quæ homo deputatur ad specialem statum, cujusmodi est status christiani militis, & status sacerdotalis: ergo cum gradus in Ecclesia militante sit quædam dignitas, sequitur, quod character sit qualitas decorativa.

Quod vero ad subjectum attinet, in quo immediatè, & proximè recipiatur character, sacramentalis sua, definitur in Concilio Tridentino sess. 7. cap. 9. characterem sacramentalem imprimi, & inhærere animæ. Difficultas inter Doctores est, an sit in substantia seu essentia animæ, an vero in potentiis ejusdem Scotus *in 4. dist. 6. quæst. 2. §.* [illegible] *go.* Ockamus *quæst.* 2. & [illegible] immediatè in potentiis animæ, & in voluntate. D. Thomas *3. part. quæst. 63. art. 4.* Cajetanus ibid. Richardus, & alii communiter Thomistæ asserunt recipi in solo intellectu. D. Bonaventura *in 4. dist. 6. part. 1. quæst. 3.* Alensis *part. 4. quæst. 8. membro 8. art. 1. §. 3.* & alii plures collocant characterem sacramentalem in tota imagine animæ constante ex tribus potentiis, eo quia character sit configuratio animæ ad DEUM, & configuramur DEO per memoriam, intellectum, & voluntatem. Areolus in *4. dist. 4. art. 4.* Marcilius *quæst. 4. art. 1.* Argentinas *dist. 6. quæst. 1. art. 2.* Gabriel *disp. 6. quæst. 2. dub. 2.* & plures recentiores volunt characterem imprimi in sola substantia animæ. Sed asserendum est cum D. Thoma, substantiam animæ esse quidem subjectum radicale mediatum remotum, & *quod* characteris sacramentalis, non vero subjectum

poten-

proximum et immediatum; prior pars constat ex Conciliis Florentino, & Tridentino, in quibus definitum fuit, characterem sacramentalem imprimi animæ: hoc autem non posset verificari, nisi substantia animæ esset saltem radicale mediatum, ac remotum subjectum characteris: ergo substantia animæ est subjectum radicale, & mediatum characteris sacramentalis. Minor ostenditur, quia si substantia animæ non esset saltem radicale, & mediatum subjectum characteris, non posset intelligi, quomodo iste imprimeretur animæ: siquidem character, ut definivit Tridentinum, est signum spirituale, consequenter exigit subjectum spirituale, & quia de ratione accidentis est inhærere substantiæ, sequitur substantiam animæ, utpote spiritualem, esse saltem radicale mediatum, ac remotum subjectum characteris sacramentalis. Præterea, quia cum character sit indelebilis, perseverat etiam post mortem, ut definitum fuit in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, & in Tridentino sess. 7. cap. 9. sed post mortem nequit perseverare in composito humano, siquidem tale compositum constat ex anima, & corpore beneficio unionis, quæ cum cesset per separationem animæ à corpore, sequitur quod compositum non amplius perseveret, consequenter character tantum perseverat in substantia incorruptibili ipsius animæ immortalis. Secunda pars, scilicet substantiam animæ non esse subjectum proximum, & immediatum characteris, ex eo evincitur, quia subjectum immediatum qualitatis, quæ ordinatur ad operationem, debet esse potentia immediate operativa: sed character sacramentalis cum ordinetur ad cultum divinum situm in actionibus utique ordinatur ad operationem, consequenter debet proxime, & immediate subjectari in potentia operativa: quapropter D. Thomas hic *art.* 4. concludit: *character non est sicut in subjecto in essentia animæ; sed in ejus potentia*, & loquitur D. Thomas de subjecto proximo, & immediato. Quod si dicas, hoc tantum verum esse de characteribus Confirmationis, & Ordinis, qui sunt potentiæ activæ, non verò de charactere baptismi, quia hic est tantum potentia passiva, quatenus disponit baptizatum ad recipienda alia sacramenta. Contra est, qui tametsi character baptismi dicatur esse potentia passiva, qui tamen in se recipit characteres Confirmationis, & Ordinis, eo ipso, quod isti non dicuntur subjectari immediate, & proxime in essentia animæ, nec character baptismi poterit in eadem proximè, & immediatè recipi.

Hinc asserendum ulterius est, subjectum proximum, & immediatum characteris sacramentalis esse solùm intellectum practicum; & colligitur assertum ex D. Thoma hic *art.* 4. ubi ait: *Oportet, quod character sit cognoscitiva potentia animæ, in qua est fides*, quia cum character per se primò ordinetur ad actus divini cultus, quibus fit protestatio fidei, exigit pro subjecto proximo, & immediato eandem potentiam, in qua immediate subjectatur habitus fidei, qui cum immediatè, & proximè subjectetur in intellectu, debet etiam character proximè, & immediatè in eodem subjectari. Ratio igitur assertionis est, quia illa potentia debet esse subjectum proximum, & immediatum characteris, quæ suo actu, ut elevato per characterem, movet alias potentias, quas dirigit ad actus elicendos vel ad passiones pertinentes ad cultum DEI: sed intellectus practicus est hujusmodi potentia, quia per actum imperii movet, ac dirigit cæteras potentias ad opus, consequenter proximum, & immediatum subjectum characteris sacramentalis est intellectus practicus. Et firmatur, quia ea potentia debet proximè, & immediatè recipere characterem sacramentalem, quæ debet proximè, & immediate operari in ordine ad ultimum finem: sed intellectus practicus est hujusmodi potentia, quia suo actu, ut elevato per characterem, movet alias potentias, quas applicat ad actiones, & passiones, pertinentes ad cultum divinum: ergo character sacramentalis proxime, & immediate subjectatur in intellectu practico, quem character elevat, quatenus dat efficaciam ejus imperio ad dirigendas, ac movendas cæteras potentias, vel ad recipienda alia sacramenta, quod præstat character baptismi: vel ad inferendam actionem mediis aliis potentiis ex officio protestativam fidei contra tentationes insurgentes, & Christi adversarios, quod præstat character confirmationis: vel ad conficiendum valide, & ex officio mediantibus aliis potentiis alia sacramenta, quod præstat character ordinis: ergo constat characteres sacramentales proximè, & immediatè subjectari in intellectu practico.

Sed objicies primò, quia character est dispositio ad gratiam, consequenter debet poni in ea potentia, in qua ponitur gratia: siquidem dispositio, & forma exigunt esse in eodem subjecto: sed gratia subjectatur in voluntate, quia cum non distinguatur à charitate, & hæc subjectetur in voluntate, debet etiam gratia in illa subjectari, consequenter etiam character, qui est dispositio ad gratiam. Præterea quia character sacramentalis est signum obligationis animæ ad Deum, consequenter debet poni in illa potentia, quæ primo exigit obligari: sed hæc potentia est voluntas, consequenter character proximè, & immediatè subjectatur in voluntate non in intellectu practico. Sed id non urget, quia character non est dispositio physica ad gratiam, consequenter non exigit subjectari proximè, & immediatè in eodem subjecto, in quo subjectatur gratia. Præterea falsum est, gratiam non distingui à charitate, ut probavimus suo loco in Tractatu de gratia, ergo ex suo quod charitas proximè, & immediatè subjectatur in volũtate, inde non sequitur, quod etiam gratia in eadem subjectetur. Ad aliud, in quo character diebatur esse signum obligationis, respondetur, non esse necesse, quod signum obligationis subjectetur proximè in ea potentia, quæ primo se obligat: etenim etiam per fidem Deo obligamur, & nihilominus fides proximè, & immediatè non subjectatur in voluntate, quæ est potentia primo se obligans, sed in intellectu. Sed objiciunt secundò, quia character est signum, quod manifestat, hominem deputatum esse ad munus aliquod obeundum, consequenter debet subjectari in parte aliqua notiori: sed anima est notior intellectu, & voluntate, quia est prior illis: ergo character proximè, & immediatè exigit subjectari in substantia animæ, & non in ulla ex ejus potentiis. Sed contra, quia non semper signa distinctiva subjectantur in parte notiori. Præterea quia tametsi essentia animæ quoad se sit notior ejus potentiis, & tamen quoad nos sunt notiores, quia pro præsenti statu non nisi à posteriori per operationes cognoscimus principia spiritualia, quæ nostros non cadunt sub sensus: hinc character ex eo quod

quod sit signum manifestativum, exigit potiùs subjectari in eo, quod est nobis notius, proinde in potentia, & non in essentia, ac substantia animæ proximè, & immediatè, sed tantùm remotè. Præterea, quia etiam character ponitur ut vera potentia instrumentalis, ratione cujus ejus subjectum immediatum, & proximum nequit esse essentia animæ, cum hæc non sit immediatè operativa, sed tantùm in aliqua ex ejus potentiis, quia hæ sunt immediatè activæ: quia sicut quod habet rationem naturæ supernaturalis, ut est gratia habitualis, subjectatur immediatè in natura, seu substantia animæ rationalis: perinde quod habet rationem potentiæ supernaturalis, exigit immediatè & proximè subjectari in potentia naturali, quapropter D. Thomas in 4. Dist. 4. quæst. 9. art. 3. quæstione 2. ait: *Natura proportionaliter spiritualis substernitur perinde ac perfectibile perfectioni. Unde sicut gratia, quæ est principium vitæ spiritualis, est in essentia animæ, ut in subjecto, ita & Character, qui est spiritualis potentia, est, ut in subjecto in naturali potentia animæ.*

CAPUT III.

An, & quomodo Character Sacramentalis sit indelebilis, & quæ ejus proprietates?

EXaminavimus essentiam, & subjectum characteris sacramentalis, sed quia præcipua hujus characteris proprietas est, ut indelebiliter inhærebant animæ, superest explicandum, quomodo sit hujusmodi character indelebilis, & incorruptibilis. Characterem sacramentalem esse indelebilem, est certum de fide, & fuit definitum in Concilio Florentino in decreto Eugenii, & in Tridentino sess. 7. cap. 9. quia cum Character sit specialis dedicatio, qua homo dedicatur Deo, congruum erat, ut nulli esset corruptioni obnoxius, sed semel impressus in anima jugiter eidem inhæreret, non enim character opponitur peccato, sicut gratia. Unde examinandum breviter est, quomodo hic Character sit indelebilis, an in ordine ad omnipotentiam Dei, vel etiam per ordinem ad causas secundas producibiles. Asserendum primò est, characterem sacramentalem non esse indelebilem respectu omnipotentiæ Dei. Probatur quia sicut omne ens creatum dependet à Deo, ita ab eodem dependet etiam quoad corrumpi, & non esse, quia eatenus res creatæ conservantur à Deo, quia Deus præstat liberè suum concursum conservativum; non enim potest Deus adigi ab ullo alio ad præstandum necessariò hunc conservativum concursum, quia Deus est omninò independens, tum ad communicandum esse creaturis, tum ad easdem conservandas; si loquamur simpliciter, & absolutè, & absque præsuppositione divini decreti de opposito; quapropter sicut Deus liberè præstat suum concursum conservativum, ita potest liberè eundem suspendere, vel etiam denegare: ex quo claret omne ens creatum dependere à Deo, tum in conservari, tum quoad corrumpi: sed character sacramentalis est aliqua qualitas & ens creatum, quod propterea dependet simpliciter, & absolutè, tum in conservari, tum quoad corrumpi à Deo, ex quo constat respectu Omnipotentiæ Dei characterem sacramentalem non esse indelebilem. Quòd si dicas, characterem esse denominationem ex actu præterito, & nec de potentia absoluta posse fieri, ut actus præteritus non sit præteritus, consequenter character etiam respectu divinæ omnipotentiæ est indelebilis. Contra est, quia tametsi character esset denominatio ex actu præterito, adhuc posset à Deo deleri, quia posset Deus statuere neminem baptizatum, & ordinatum fore habilem ad gratias sacramentales recipiendas post peccatum semel patratum, consequenter, quod character deleretur post peccatum commissum: hoc enim totum dependet à divina institutione: ergo quamvis Character esset denominatio ex actu præterito, adhuc respectu divinæ omnipotentiæ esset delebilis.

Asserendum est secundò, characterem sacramentalem esse indelebilem per ordinem ad causas secundas productas, & producibiles; idque constat ex decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino; & de Tridentino sess. 3. can. 90. adeò ut hæc assertio habenda sit de fide, scilicet quod Deus saltem illum in hac vita semper conservet: sed Deus non nisi connaturali modo conservat res; seu sine contrario; alioquin violenter eas conservaret: & quia Deus conservat hunc characterem in quovis subjecto, quamvis variis dispositionibus affecto: idque procul dubio argumento est, characterem non habere contrarietatem ullam cum formis, quæ nobis insunt: consequenter est indelebilis, per ordinem ad causas secundas saltem productas; quia, quod deletur, destruitur; & quod destruitur, ab aliquo sibi contrario destruitur; quia idem non intendit suam destructionem, alioquin esset sibi inimicum; & quantum potest nititur, se ipsum conservare. Quod verò character sacramentalis sit etiam indelebilis per ordinem ad causas producibiles, ex eo itidem evinci potest; quia nulla videtur possibilis esse qualitas, quæ sit destructiva charitatis: etenim vel esset destructiva moraliter, & non posset quid aliud esse hoc destructivum, quàm aliquid morale, seu peccatum: sed de facto peccatum non est destructivum characteris sacramentalis; quia vel hæc qualitas esset destructiva characteris moraliter; ut sic semper illum destrueret; sed de facto hæc moralis qualitas, quæ dicitur esse peccatum, non destruit characterem sacramentalem; quia plures baptizati; imò & sacris initiati ordinibus lethaliter peccant, & tamen non amittunt characterem sibi impressum in susceptione baptismi, confirmationis, & ordinis: ergo moraliter non destruit characterem; quod nec etiam physicè possit illum delere, ex eo itidem probatur; quia non potest ulla qualitas assignari, quæ potis sit, physicè hunc characterem sacramentalem physicè destruere: quia cum character sit forma, perficiens animam in ordine ad esse supernaturale; nulla qualitas potest esse physicè contraria ipsi esse supernaturali; sicuti nulla qualitas naturalis est contraria ipsi esse naturali, in quo reperitur: consequenter etiam per ordinem ad causas secundas producibiles character sacramentalis est indelebilis. Præterea, quia esse subjecti est

est proprium sustentaculum accidentium, consequenter non potest destrui ab iisdem, qnia nulla forma est destructiva sui subjecti; alioquin esset destructiva sui ipsius, ac sibi inimica, quia moliretur proprium interitum, quod est absurdum: ergo ex eo, quod character perficiat animam in ordine ad esse supernaturale, & induat eandem conditionem, cum ipso esse supernaturali, sequitur, characterem sacramentalem esse indelebilem, etiam per ordinem ad causas secundas producibiles. Rursus D. Thomas hanc indelebilitatem sacramentalis characteris ex eo probat, quia hic character sit quædam participatio sacerdotii Christi in suis fidelibus; *adeo, ut sicut Christus habet plenam potestatem Sacerdotii; ita fideles ejus illi configurentur, in hoc, quod participent aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, & eorum, quæ pertinent ad divinum cultum; & cum Sacerdotium Christi sit æternum; ita & sacramentalis character. Inde fit, quod omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium ejus sit perpetua re consecrata manente. Idque patet etiam in rebus inanimatis; nam consecratio ecclesiæ, vel altaris, manet semper, nisi res consecrata destruatur:* ergo multo magis perpetua erit consecratio animæ; in qua recipitur character, illique inhæret, quia anima utpote spiritualis uon destruitur, sed semper manet: unde character manet in anima indelebiliter: & licet amittere possit gratiam sanctificantem, quæ subjectatur in illa; inde non sequitur, quòd etiam possit characterem deperdere; ratio discriminis est: quia gratiæ adversatur peccatum lethale, ad cujus accessum recedit gratia; & quia peccatum dependet in fieri, & conservari à libero arbitrio; ideo consecutivè etiam ipsa gratia, quæ propterea adveniente peccato lethali recedit. Sed peccatum non est expulsivum characteris, sicut gratiæ, consequenter non dependet à libero arbitrio; sed est victus instrumentalis Sacerdotii Christi, quod est æternum, & immutabile. Hinc D. Augustinus Lib. 2. contra Parmenionem cap. 13. ait: *Si aliqui furtim, & extra ordinem in monetis publicis aurum, vel argentum, vel æs percutiendo signaverint; cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentia liberatis cognitum regale signum thesauris regalibus congeretur? Aut si quisquam, sive desertor, sive quia nunquam omnino militavit, notâ militari privatum aliquem signet; nonne ubi fuerit deprehensus ille signatus, pro desertore punitur? & eo gravius quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si forte illum militiæ characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit ac prece fusa, & impetratâ jam veniâ militare jam cœperit; nunquid homine liberato, atque correcto character ille repetitus, aut non potius agnitus approbatur? An fortè minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota; cum videamus nec apostatas carere baptismate; quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur.* Quamvis post discessum animæ à corporis ergastulo non amplius perseveret exterior Christianæ religionis cultus, ad quem per characterem consecramur, & deputamur; remanet nihilominus finis cultûs illius exterioris; ideoque post hanc mortalem vitam remanet character sacramentalis, & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam, quia sicut militaris Character remanet in militibus post adeptam victoriam, & in his, qui vicerunt ad gloriam, & in victis ad ignominiam, perinde Characteres Sacramentales perseverant in Christianis post militiam hujus vitæ, & pugnam cum hostibus in gloriam iis, qui vicerunt; & in ignominiam victis à Dæmone, mundique voluptatibus, & carnis concupiscentiis, ut ait D. Thomas *art. 5.* in *respons. ad 3*, quapropter subjungit D. Augustinus loc. cit. *Perversitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem Sacramentorum in nullo perverso esse violandam, Constat enim eam in perversis, & sceleratis hominibus, sive in eis, qui intus sunt, sive in eis, qui foris sunt, impollutam atque inviolabilem permanere, & quia dicuntur eam mali polluere, quantum in se ipsis est, dicuntur, cum illa impolluta permaneant, sed in bonis ad præmium, & in malis permanent ad judicium.*

Verum sacramentalem characterem non esse indelebilem, neque æternum perseverare in anima, cui inhæret, ex eo videtur evincendum, quia cessante fine, cessant ea, quæ sunt ad finem, ut communiter docent Philosophicum Aristotele: Sed finis characteris est administratio vel receptio Sacramentorum, & cultus exterior, qui finis cessat post hanc præsentem vitam, ergo debet etiam cessare character sacramentalis. Sed contra, quia licet in alia vita non maneat hæc administratio, est receptio Sacramentorum, adhuc manet ipse Character in signum præteritæ potestatis, ut docet D. Thomas *3. part. quæst. 63. art. 5.* & quidem in Beatis ad uberiorem gloriam, & in damnatis ad majorem ignominiam. Præterea, quia præter assignatum finem Characteris sacramentalis datur alius, estque distinctio fidelium ab infidelibus, quæ distinctio debet perseverare in alia vita, ut docet D. Thomas loc. cit. sicut enim militaris Character remanet in militibus post adeptam victoriam in vincentibus ad gloriam, & in victis ad ignominiam. Sed instant, quia Character est forma supernaturalis, quæ non potest cognosci, nisi per notitiam supernaturalem, sed damnati nullam habent notitiam, quæ sit supernaturalis, quia hæc nonnisi ex meritis Christi datur, & damnati, cùm sint in termino, non sunt amplius capaces meritorum, ergo saltem in damnatis non videtur Character Sacramentalis perseverare. Ad hanc instantiam respondent nonnulli cum Mairano *in 4. dist. 7. quæst. 5. art. 2.* Characterem naturaliter posse à damnatis cognosci, eò quia ab ipsis etiam discursivè cognoscitur Trinitas, quam Character repræsentat. Sed hæc solutio non satisfacit, quia, si Character est forma supernaturalis, excedit captum intellectûs naturalis, ejusque potentiam naturalem: siquidem forma supernaturalis est extra, & supra Sphæram potentiæ naturalis cognoscitivæ: alioquin si responsio Maironi valeret, inde sequeretur, Incarnationem Verbi posse naturaliter ab Angelis cognosci. Unde exactius respondetur, notitiam supernaturalem esse duplicem, unam quæ ordinatur ad salutem, & hujus sunt damnati incapaces; & aliam, quæ ordinatur ad pœnam, qualis hujusmodi notitia Characteris in signum præacceptæ potestatis; & hujusmodi secundæ notitiæ sunt damnati capaces, ut magis confundantur ob malum usum susceptæ potestatis. Rursus forma supernaturalis tantùm intuitivè cognita exigit cognosci per notitiam super-

Digitized by Google

supernaturalem, non vero. si tantùm cognoscatur abstractio: Character verò non cognoscitur intuitivè à damnatis, sed tantum abstractivè, & fide humana, consequenter non est necesse, ut cognoscatur à damnatis per conditionem supernaturalem.

Quæri solet, an Episcopatus imprimat novum Characterem distinctum à sacerdotali. Aliqui affirmant cum Durando in 4. *dist.* 24. *quæst.* 6. Goffredo in 4. *part.* 4. *cap.* 1. & nituntur, quia in Episcopatu traditur specialis potestas conferendi Sacramenta confirmationis, & Ordinis, quæ potestas non traditur in Presbyteratu, sed ubi est specialis potestas, ibi est novus ordo, & character, ergo Episcopatus imprimit novum Characterem distinctum à Sacerdotali. Respondendum nihilominus est cum D. Thoma in 4. *dist.* 24. *quæst.* 3. *art.* 2. Episcopatum non imprimere novum characterem distinctum à sacerdotali, & colligitur ex D. Augustino in quæstionibus veteris, & novi testamenti cap. 101. ubi ait: *Quid est Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus sacerdos.* Præterea, quia Apostolus 1. ad Timot. 3. promiscuè loquitur de Episcopis, & Presbyteris. Ratio itidem est, quia Episcopatus, si characterem imprimeret, non septem, sed octo essent Ordines contra communem sensum Ecclesiæ: quod si Ordines sunt tantùm septem, quatuor minores, & tres majores, qui sacri dicuntur, sequitur, Episcopatum non imprimere novum characterem distinctum à sacerdotali. Præterea, quia omnes ordines referuntur ad Eucharistiam, & distinguuntur ratione diversorum actuum: sed episcopatus non est sacerdotio inferior, quia non subservit sacerdoti, neque superior: Quia summa potestas, quæ per ordines datur, est conficere corpus Christi, in qua potestate sacerdos est æqualis Episcopo: tametsi Episcopatus addat potestatem jurisdictionis, non tamen ab hac potestate sumitur distinctio ordinum, alioquin etiam papatus esset ordo distinctus, eò quia potestas jurisdictionis, quæ est in summo Pontifice, est superior, & distinctæ ab Episcopali jurisdictione. Quamobrem, licet Episcopatus superadoat specialem potestatem conferendi chrisma & sacros ordines, quod simplex sacerdos non potest præstare, id non arguit novum characterem distinctum à sacerdotali, sed tantùm moralem extensionem prioris Characteris ad illos actus valide exercendos: cùm enim Character sit moralis quædam potestas exercendi actus ordinis, potuit ex institutione Dei Character Sacerdotalis ad ea tantùm restringi, quæ per se solùm conducunt ad legitimam Christi corporis consecrationem, & quia ad hanc consecrationem per se non conferunt chrismate, & ordinare utique potuit Deus characterem sacerdotalem ita limitare, ut nonnisi accedente Episcopali potestate, quæ est potestas dignitatis, & jurisdictionis ad eos actus se extenderet: hoc enim pacto explicatur, quomodo Episcopatus non sit distinctus ordo, & simplex sacerdos non possit ordines conferre, quia tametsi character physicè sit idem, non ita moraliter, quia Deus illum limitavit, ut nonnisi in Episcopo haberet actum secundum conferendi ordines & ministrandi confirmationem. Præterea, quia si episcopatus imprimeret distinctum Characterem, posset aliquis fieri Episcopus, priusquam sacerdotio initiaretur, quia ordo superior non dependet ab inferiori, ut suum imprimat Characterem: consequenter cum Character Episcopalis non possit esse sacerdotali inferior, neque superior, ut ostensum est, sequitur, Episcopatum non imprimere novum Characterem distinctum à sacerdotali, quapropter patet solutio ad rationem, cui innititur opposita sententia, ideo enim ex collatione potestatis episcopalis non arguitur novus Character distinctus à Sacerdotali: quia potestas Episcopalis non est per se primo ordinata ad conficiendam Eucharistiam, ratione cujus distinguuntur ordines: & ex alio capite Character sacerdotalis cum morali tantum extensione sufficiens est ad ea exercenda, quæ addit potestas episcopalis: cùm enim character sacerdotalis contineat eminenter omnes, & ad exercendos actus episcopales, non requiratur Character perfectior sacerdotali, rectè potest Character sacerdotalis cum morali deputatione ad ea extendi, quæ addit episcopalis potestas, Neque inde sequitur, non esse necessarios Characteres inferiores, cùm solus sacerdos sufficiat ad exercendos omnes actus ordinum inferiorum. Non enim hoc valet, quia characteres inferiores requiruntur, ut dispositiones ad sacerdotium. Præterea singuli characteres inferiores possunt exercere suos actus, ad quos ordinantur independenter à Pacerdotali: Episcopus vero non potest suos actus exercere sine charactere sacerdotali: & cum ex alio capite character sacerdotalis sufficiat ad actus episcopales, non est necessarius alius Character distinctus.

Quæri solet secundò, an Christus & Beata Virgo habuerint Characterem, respondet D. Thomas, in Christo non esse hunc characterem: quia proprietates omnium characterum sacramentalium repugnant Christo; & ex alio capite Christus est insignitus longè eminentiori Charactere, scilicet Verbi increati: quia vel character consignat subjectum in Dei famulum, & Christus cùm sit Dei filius naturalis, non potest esse servus Dei, quia servitus propriè sumpta non est compatibilis cum filiatione naturali. Vel character consignat subjectum in Christi militem: & quia Christus est Dux Christianæ militiæ, non potest esse miles; quia miles dicitur, qui militat sub alterius ductu, vel tandem character consignat subjectum in ministrum Christi ad dispensanda bona ipsius: & hoc pacto repugnat, Christum esse Ministrum in dispensatione propriorum bonorum, quia ipse est legitimus, & naturalis Dominus omnium bouorum supernaturalium. Quod verò ad Beatam Virginem attinet, probabilem est, eam habuisse characterem baptismi, quia fuit capax gratiæ sacramentalis, præsertim Eucharistiæ; & confirmationis, non enim in conceptione accepit statim omnem gratiam, ad quam fuit electa, ut censent plures, sed eam propriis meritis successivè sibi comparavit. An verò Beata Virgo habuerit etiam characterem ordinis, respondetur negativè, quia fœmina jure naturæ est incapax prælationis supra populum, & ordo facit hanc præsupponit prælationem. An vero singuli characteres differant inter se specificè, respondent communiter characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis distingui inter se specificè, eò quia ordinantur ad diversa munera exercenda. Difficultas est de characteribus ordinis, de quibus est controversia, an singuli ordines suam imprimant specialem characterem: & posito, quod illum imprimant, distinguantur inter se specificè Respondetur cum D. Thoma in 4. dist. 24. q. 1. a. 2. singulos ordines esse vera sacramenta instituta à Christo, & imprimere suum characterem. Siquidem omnes sunt interabiles, perinde ac Presbyteratus, idque ratione characteris, quem imprimunt. Præterea, quia Concilium Florentinum vocat ordinem sextū sacramenti, &

Digitized by Google

& non solùm assignat materiam & formam Presbyteratus, verùm etiam aliorum ordinum, neque inde sequitur, septem ordines esse septem Sacramenta, quia Sacramentum ordinis non est unum unitate simplicitatis, aut compositionis, sed tantùm attributionis, quatenus omnes ordines inferiores referuntur ad unum supremum ordinem Presbyteratus. Præterea, quia in singulis ordinibus traditur specialis potestas: An vero omnes Characteres ordinis sint diversæ speciei, vel ejusdem dispertiunt Doctores: Plures volunt omnes esse unam simplicem qualitatem, quæ inchoata per primum, perficitur per supremum ordinem Presbyteratus. Alii autem asserunt, singulos ordines differre inter se specificè, quam sententiam docet D. Bonaventura in 4. *dissert.* 24. *art.* 3. *quæst.* 2. & hæc sententia videtur perquam probabilis, eò quia singuli ordines destinentur ad diversa munera exercenda. Præterea, quia si omnes essent una simplex qualitas, non possent explicari, quomodo Character sacerdotalis contineret virtute alios inferiores & ordines.

An verò character sacramentalis sit naturale signum Trinitatis, respondetur negativè, quia dupliciter potest intelligi aliquid esse naturale signum alterius; vel quatenus est effectus repræsentans causam; vel quatenus est cognitio exprimens objectum: sed neutro modo Character est signum Trinitatis, non primò, quia omnis effectus ad extra est à Deo, ut uno, non ut trino, ut docent communiter Theologi. Præterea, quia nulla relatio est in Deo, principium agendi ad extra, sed tantùm natura; & effectus non habet repræsentare causam, nisi secundùm illam perfectionem, à qua formaliter proficiscitur, quia non repræsentat, nisi arguitivè. Neque secundo modo, quia Character non est cognitio. Rursus neque Character est physica dispositio ad gratiam, sed tantùm moraliter, & ex Divina ordinatione: quia si Character esset physica dispositio ad gratiam, sequeretur, hanc non esse ita connaturaliter in Angelis, beatis & antiquis Patribus, non habentibus Characterem: sicut de facto est in reliquis Beatis, habentibus Characterem. Præterea, quia si Character esset physica dispositio ad gratiam, cum sublata forma cesset physica dispositio ad illam, inde sequeretur, quod Character in peccatore in hac vita, & in damnatis in alia corrumperetur, consequenter non esset indelebilis, quod adversatur Conciliis.

Cæterum proprietates characteris sacramentalis quatuor recensentur, suntque ut sic spiritualis, indivisibilis, indelebilis, & supernaturalis. Ratio evincens primam proprietatem est, quia cum character sit qualitas spiritualis, inhærens animæ etiam separatæ, ut superius ostensum est, debet esse qualitas spiritualis, quia qualitas corporea non inhæret per modum permanentiæ in subjecto spirituali. Præterea, quia character ordinatur ad effectus supernaturales, ac spirituales, consequenter debet esse spiritualis. Hinc sequitur secunda proprietas, quia eo ipso, quòd est spiritualis, est etiam indivisibilis, quia cum spirituale non habeat partes extra partes, negat extensionem; proinde si est inextensum, sequitur esse indivisibile, carens partibus. An verò sit etiam intensivè indivisibilis, videtur perquam probabilis pars affirmativa, quia character in omnibus est æqualis, & etiam æqualem confert potestatem. Ecce itidem characterem indelebilem, constat ex prædictis. Demum quòd sit supernaturalis, ex eo itidem constat, quia est indebitus omni prorsus subjecto creato, & creabili, & habet immediatam connexionem cum operationibus supernaturalibus: ergo proprietates characteris sunt quatuor prærecensitæ. Præterea est character sacramentalis configurativus in Christo, assimilativus ejusdem religionis, & distinctivus ab aliis, ac signum suscepti Sacramenti, ut docet D. Thomas 3. part. quæst. 63. art 3. ubi asserit, characterem sacramentalem esse quandam participationem characteris Christi, qui sicut obsignatus, charactere increato verbi divini, est principaliter habilis ad exercendas omnes divinas operationes: similiter Christianus obsignatus charactere baptismi, confirmationis, & ordinis fit miserabiliter habilis ad easdem operationes exercendas, hac ratione character sacramentalis configurat nos Christo in ordine ad exercendas divinas operationes. Aureolus in 4. § 4. quæst. 1. art. 3. propos. 2. docet, hanc configurationem nostri ad Christum mediante charactere in eo consistere, quia character est propriè species, ac specialis imago animæ Christi. Opere enim distinguit similitudinem, alteram quæ est principium cognoscendi ut *quo*, cujusmodi est species intentionalis, quatenus est ratio, quâ cognoscimus, licet ipsa non cognoscatur; & aliam, quæ est principium cognoscendi ut *quod*, quatenus cognita ducit in cognitionem rei, cujus est similitudo; & asserit characterem esse specialem similitudinem animæ Christi, quia Apostolus ad Galat 3. scribit: *omnes, qui baptizati estis, Christum induistis*, induimus autem Christum etiam in baptismo informi, quia ipsius animæ similitudinem mediante charactere recipimus; & ad Rom. 8. *Quos præscivit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*: unde character est aliqua Christi imago in nobis per characterem derivata. Demum quia character, cum debeat nos Christo configurare, assimilat nos sub eodem signo, consequenter distinguit nos ab aliis, qui hoc charactere non sunt obsignati. An verò character sit signum naturale, vel ad placitum, plures cum Suarezio 3. part. Tom. 3. disput. 11. sect. 2. & 3. volunt, characterem non esse signum naturale, sed ad placitum, ex sola Christi institutione, habens talem significationem, ac configurationem: ratio cui innituntur, est, quia character ex natura sua, si non conformaret Christo, deberet esse naturalis similitudo Christi: non enim hanc posset in nobis ponere, nisi formaliter eam haberet in se; quia nulla forma præbet effectum formalem, quem in se formaliter non continet: sed hæc similitudo non est intentionalis, quia hæc vel est species impressa, vel expressa Christi, & character sacramentalis, cum non sit cognitio, neque ordinetur ad cognoscendum; sed tantùm ad subjectum consignandum, neutram similitudinem formaliter includit. Alii censent, characterem sacramentalem habere ex natura sua hanc configurationem cum Christo, quia si character eam non haberet ex natura sua, non esset major ratio, cur Deus ad talem effectum potius uteretur charactere, & non alia qualitate. Præterea, quia Deus semper operatur effectus per causas secundas modo connaturaliori: sed modus connaturalior est, ut ex natura sua assimilet nos Christo.

Rursus suscipientes Sacramenta baptismi, Confirmationis, & Ordinis, cum fictione seu sine debitis dispositionibus, & cum obice peccati lethalis, quamvis non suscipiant effectum gratiæ sanctificantis, nisi remota fictione nihilominus recipiunt characterem: ita docet ecclesia catholica, quæ baptismum, confirmationem, & sacram ordinationem

in

in iis, qui sine fide, aut non peccati lethalis affectu susceperunt, iteranda nunquam censuit Sacramenta; & Sacramentum, ac characterem per illud impressum à gratia sanctificante, & charitate probè distinguit. Hinc D. Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 16. ait: *Cum aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritus Sancti, qua in malis hominibus etiam fieri solet, sicut Saul habuit Prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam non nisi boni habere possunt; sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; quodlibet hæretici, & schismatici accipiant. Charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum donum est catholicæ unitatis, & pacis; nec ejus in omnibus, quia nec ejus sunt omnes. Præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, sine qua vetera etiam si agnosci, & approbari possunt, prodesse tamen, & liberare non possunt.* Clarius itidem Augustinus tract. 6. in Joan. inquiens: *Reus es, non quia Sacramentum accepisti; sed quia foris accepisti. Quod accepisti approbo; quod foris accepisti improbo. Tunc enim quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur. Character est Regis mei; non ero sacrilegus. Corrigo desertorem, non muto characterem.* Quia verò Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis quamvis suscepta cum fictione, non conferant gratiam propter obicem peccati lethalis, imprimunt tamen characterem, & sublato obice, seu recedente fictione, & accedente pœnitentia, gratia sacramentalis suscitatur, seu potius de novo producitur, in eo qui sine debitis dispositionibus Sacramentum suscepit, ut docet D. Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. inquiens: *Sicut in illo, qui fictus accesserat, fit ut non denuo baptizetur; sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat, ad salutem; cum illa fictio veraci confessione recesserit; sic etiam iste, qui baptisma Christi, quod non amiserunt, qui se separaverunt inimici characteris, & pacis Christi, in aliqua hæresi, aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur, cùm se correxerit, & ad ecclesiæ Societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est, quia ipsa ei reconciliatione, & pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum, ejus in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Asserit Augustinus, quod recedente fictione, & accedente pœnitentia gratia Sacramentalis producitur in eo, qui sine debitis dispositionibus Sacramentum susceperat. Gratia verò hæc Sacramentalis producitur, per se quidem ab ipso Sacramento, quod ficte seu sine debitis dispositionibus susceptum erat virtute Characteris in anima impressi eique inhærentis, & per accidens à Sacramento pœnitentiæ fictionem removentis, per quam effectus impediebatur Sacramenti, seu ne gratia sanctificans ficte suscipienti Sacramentum impertiretur, ait Augustinus Baptismum cum fictione susceptum remanere in baptizato, tametsi gratia sanctificans, ei non impertiatur propter obicem, seu peccatum lethale, quod expellit, & impedit gratiam sanctificantem, quæ cohærere, nequit cum peccato originali, recedente autem fictione per se producitur gratia sanctificans, & per accidens à pœnitentia, quæ fictionem removet, & ita etiam docet D. Thomas *part. 3. quæst. 69. art. 10.* Quamobrem in eo, qui cum fictione fuit baptizatus Baptismus est validus, & in eo perseverat, adeo ut non possit reiterari, si cum debita forma fuit collatus, adeoque licet ob impedimentum fictionis, non impertiatur gratia sanctificans, imprimitur tamen character, à quo veluti à forma impressa, vel semine post se relicto emanat gratia sanctificans, veluti à semine fructus, quamvis Sacramentum baptismi sit opus Dei, & non hominis, non tamen mortuum est in ficte suscipiente, & quod dicitur de charactere, qui imprimitur in Sacramento baptismi, hoc idem asserendum est de Charactere, qui imprimitur in Sacramentis Confirmationis, & Ordinis.

CAPUT IV.

De Institutore, & Subjecto, Sacramentorum novæ legis.

Certum est omnia novæ legis Sacramenta fuisse instituta à Christo in lege gratiæ, est enim de fide contra Hæreticos præsertim damnatos à Joanne XXII. in Extravag. Sancta Romana, & definitur in Concilio Florentino in decreto Eugenii, & in Tridentino sess. 7. & ratio est, quia natura humana est determinata, ut nonnisi per sensibilia percipiat intelligibilia, & cum divina providentia disponat omnia suaviter, debuit effectus gratiæ subjicere sensibilibus signis. Præterea quia non possunt populi in unam coire religionem, nisi colligantur consortio Sacramentorum, seu signorum sensibilium, ut ostendit D. Augustinus *lib. 19. contra Faustum cap. 11.* Quapropter ad hanc sensibilem colligationem fuerunt Sacramenta necessaria. De baptismo instituto à Christo res est perspicua, & habetur Matth. ult. ubi Christus ait: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De Eucharistia Matth. 26. ubi dicitur: *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, accipite, & comedite. Hoc est corpus meum, & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ut etiam Marci 14. Luc. 22. & 1. ad Corinth. 11. De pœnitentia, & ordine, quod hæc duo Sacramenta fuerint instituta à Christo, habetur Joan. 20. ubi Jesus discipulis suis ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quod verò attinet ad Sacramentum ordinis, constat Luc. 22. ubi Christus Eucharistiam instituens conficiendi Sacramenti potestatem Apostolis, & in ipsis Sacerdotibus omnibus tradidit, ait enim: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod alia Sacramenta cujusmodi sint Confirmatio, extrema Unctio, & matrimonium, quamvis scriptura non expressè asserat fuisse

fuiſſe immediatè à Chriſto inſtituta, id tamen docet Apoſtolica traditio, & eccleſia Catholica eadem traditione erudita, & à Spiritu Sancto illuſtrata, hinc definitum fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 7. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis, non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta, anathema ſit*, & ſpecialiter de extrema Unctione *ſeſſ. 14. cap. 1.* ait eam fuiſſe inſtitutam à Chriſto, & Marci 6. per Apoſtolum Jacobum: Eam tantùm fuiſſe fidelibus inſinuatam, commendatam, & promulgatam, neque obſtat Concilium Tridentinum, non fuiſſe uſum illa particula *immediatè*, quia ex fine, & contextu clarè infertur Concilium definiviſſe Chriſtum, per ſe ipſum immediatè inſtituiſſe Sacramenta novæ legis, præterea, quia Concilium æquè de omnibus Sacramentis novæ legis affirmant ea fuiſſe immediatè inſtituta à Chriſto, & cum certum ſit aliqua Sacramenta fuiſſe immediatè à Chriſto inſtituta, ſequitur quod omnia Sacramenta novæ legis fuerint à Chriſto inſtituta. Rurſus quia, ut rectè notat Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 26. ſi definitio Concilii intelligeretur de mediata inſtitutione Sacramentorum; pari pacto Chriſtus dici poſſet inſtitutor cæremoniarum, quæ adhibentur ad Sacramentorum ſolemnitatem, quia eas Chriſtus etiam mediatè inſtituit, quatenus dedit poteſtatem eccleſiæ eas inſtituendi; & nihilominus Concilium Tridentinum ſeſſ. 11. cap. 2. definit has cæremonias non à Chriſto, ſed ab eccleſia fuiſſe inſtitutas; ergo non licèt explicare Concilium de mediata ſolùm inſtitutione, ſcilicet, quod Chriſtus Sacramenta inſtituerit, per eccleſiam aut Apoſtolos. Præterea quia Concilium canonem illum definivit contra Sectarios, qui aſſerebant Sacramentorum inſtitutionem fuiſſe ab eccleſia, & negabant eam tantùm factam eſſe à Chriſto, ergo Concilium ſatis apertè definivit Chriſtum, per ſe ipſum immediatè inſtituiſſe Sacramenta novæ legis. Demum quia ſi eccleſia inſtituiſſet Sacramenta, poſſet etiam per ſe ipſam mutare aliquid circa eorum ſubſtantiam; quod tamen Concilium eo loco negat, unde certum eſt omnino de fide Chriſtum, per ſe ipſum immediatè inſtituiſſe omnia Sacramenta novæ legis, adeo ut oppoſitum de quocunque Sacramento in particulari merito damnent erroris Beſantius *quæſt. 64. art. 2. diſput. 3.* & Valentia *quæſt. 5. punct. 1.*

Quod ſi dicas in Evangelio tantùm legi, quòd Chriſtus inſtituerit baptiſmum Euchariſtiam & pœnitentiam, & cum alia quatuor non legantur inſtituta fuiſſe à Chriſto, & dixerit D. Auguſtinus *lib. 3. de Doctrina Chriſti cap. 9. & epiſt.* 118. nonnulla Sacramenta inſtituta eſſe à Chriſto, quorum in ſcriptura mentio eſt, aliorum inſtitutionem factam eſſe ab Eccleſia vel Apoſtolis ſequitur, non omnia Sacramenta fuiſſe immediatè inſtituta à Chriſto. Sed contra, quia inſtitutio facta à Chriſto omnium Sacramentorum, quamvis non habeatur ex evangelio; habetur tamen partim ex traditione Apoſtolica; cujus authoritas æquivalet evangelio. Præterea quia omnia Sacramenta ſaltem implicitè continentur in evangeliis, etenim baptiſmus, & Euchariſtia habentur expreſsè *Matth. ult.* & 26. *Marci* 24. *Luc.* 22. Sacramentum Pœnitentiæ infertur ex illo: Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hinc Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. ait: *Ex quibus tam perſpicuis verbis poteſtatem remittendi, & redimendi peccata ad Conciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Ordo inſtitutus fuit in ultima Cœna ex eodem Concilio Tridentino ſeſſ. 22. de Sacrific. Miſſæ cap. 1. ubi: *Corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit*; & colligitur apertè ex illo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, completum igitur fuit hoc Sacramentum quoad poteſtatem in corpus myſticum Joan. 5. Quando tradita eſt poteſtas retinendi & remittendi peccata, ut definitur in Concilio Senonenſi decreto 10. de Sacramento Ordinis. Matrimonium itidem fuiſſe inſtitutum à Chriſto, liquet ex illo Matth. 19. & Marci 10. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quibus verbis juxta Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. unic.* matrimonialis nexus indiſſolubilitatem ab Adamo tantum ante pronuntiatam confirmavit Chriſtus; qui quod ante erat in officium naturæ, in Sacramentum ſanctificativum conjugum evexit. Extremam Unctionem fuiſſe itidem à Chriſto inſtitutam, docet Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. & tunc fuiſſe inſinuatam, apud Marcum 6. *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant*, & promulgatam poſtea, per Jacobum cap. 5. ex quo intelligitur materia, & forma, & miniſter hujus Sacramenti: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Denique Sacramentum Confirmationis fuiſſe inſtitutum à Chriſto docet Concilium Senonenſe, quando *Matth.* 19. Oblati ſunt Chriſto parvuli, ut eis manus imponeret; alii tamen cenſent probabiliùs fuiſſe, inſtitutum hoc Sacramentum in ultima cœna, unde Fabianus Papa in 2. epiſtola ad Epiſcopos Orient. init. quæ habetur Tom. 1. Concil. 1. aſſerit fuiſſe inſtitutum in ultima cœna, inquiens: *In illa die Dominus Jeſus poſtquam cœnavit, cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt Chriſma conficere docuit.* Hinc conſtat omnia Sacramenta novæ legis fuiſſe à Chriſto inſtituta, & Chriſtum hanc poteſtatem inſtituendi Sacramenta non tradidiſſe eccleſiæ, ſed ritus duntaxat ad Sacramentorum ſolemnem adminiſtrationem pertinentes, quia cum eccleſia fundata ſit in fide, & Sacramentis, in cujus rei ſignum aqua, & ſanguis, qui fluxit è latere Chriſti, typum geſſerunt Sacramentorum, quibus ædificaretur eccleſia, ex latere Chriſti in cruce demortui. Ex quibus conſtat ſolùm Chriſtum immediatè fidem condidiſſe; & ipſum ſolùm Sacramenta inſtituiſſe, & circa fidem variare aliquid non licuit Apoſtolis, ita nec circa Sacramenta. Hinc D. Ambroſius ait: Dominus Jeſus Sacramenta inſtituit, ait enim lib. 4. de Sacrament. cap. 4. *Author Sacramentorum quis eſt niſi Dominus Jeſus? de cœlo iſta Sacramenta venerunt*; & S. Auguſtinus epiſt. 54. ad Januarium ait: *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Sacramentis numero pauciſſimis, & obſervatione faciliimis ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit, ſicuti eſt baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus. Communicatio corporis, & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in ſcripturis canonicis commendatur.*

Digitized by Google

tur. Præterea cum ſolus Deus omnia Sacramenta veteris legis inſtituerit; cenſendum eſt, Chriſtum ſolum omnia itidem novæ legis Sacramenta inſtituiſſe per ſe immediatè, & non mediante eccleſia; & quia Chriſtus poteſt conſiderari ut Deus, & ut homo; ideo ut Deus inſtituit Sacramenta poteſtate quidem authoritatis, quæ cauſæ competit principali, & Chriſtus ut homo Sacramenta inſtituit, poteſtate miniſterii principalis plena, & abſoluta, quæ poteſtas excellentiæ dicitur. Ille enim ſolus eſt author Sacramentorum, à quo eſt virtus Sacramentorum. Virtus enim Sacramenti non poteſt eſſe ab eo, qui utitur Sacramento, quia non operatur, niſi per modum miniſterii, ut docet D. Thomas; igitur cum virtus Sacramenti ſit à ſolo Deo, ſequitur ſolum Deum eſſe Sacramentorum authorem; is enim dicitur inſtituere aliquid, qui dat ei robur, & virtutem, quo pacto legum conditores dicuntur earundem inſtitutores, quia dant legibus ſancitis robur, & virtutem. Poteſtate verò miniſterii principalis, quæ & poteſtas excellentiæ dicitur, Chriſtus ut homo Sacramenta inſtituit, quæ poteſtas quatuor comprehendit; primò quod meritum, & virtus ejus in Sacramentis operetur; Secundò quòd in ejus nomine Sacramenta ſanctificentur, quia virtus ejus paſſionis in nos derivatur per fidem, ſecundum illud ad Rom. 3. *Quem propoſuit Deus* propitiationem, per fidem in ſanguine ipſius; quam per invocationem nominis Chriſti profitemur, & teſtamur. Tertiò quod ipſe potuerit inſtituere Sacramenta, quæ ex ejus inſtitutione virtutem obtinent. Quartò quod Sacramentorum effectum ſolo voluntatis imperio, abſque Sacramento conferre potuerit, ut docet D. Thomas 3. *part. art.* 3. & hanc poteſtatem excellentiæ licèt potuerit Chriſtus ſuis miniſtris communicare, noluit tamen eam illis communicare, ne homines ſpem ſuam in homine ponerent, & ne diverſa eſſent Sacramenta, ex quibus diviſio aliqua oriretur in eccleſia; ſicut contigit illis; qui dicebant: *Ego ſum Pauli, ego autem Apollo; ego verò Cephæ*, ut habetur 1. Corinth. 1. Idque præclarè explicat D. Auguſtinus tract. 5. in Joan. ubi expendens verba illa Joannis: *Et ego neſciebam eum*, ubi ait: *Potuit quidem Dominus Deus, ſi vellet, dare poteſtatem, alicui ſervo ſuo, ut daret baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transferre à ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſervo ſuo, & tantam vim dare baptismo translato in ſervum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo eſſet ſpes baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent. Noluit ergo ſervum ſpem ponere in ſervo. Ideoque clamabat Apoſtolus, cum videret homines volentes ponere ſpem in ſe ipſo. Nunquid Paulus pro nobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Baptizavit ergo Paulus tanquam miniſter, non tanquam ipſa poteſtas; baptizavit autem Dominus tanquam poteſtas. Intendite, & potuit hanc poteſtatem dare hominibus, & noluit. Si enim daret hanc poteſtatem ſervis, ut ipſorum eſſet, quod Domini erat, tot eſſent baptiſmi, quot ſervi. Ut quemadmodum dictum eſt baptiſma Joannis, ſic diceretur baptiſma Petri, ſic & baptiſma Pauli; ergo ne tot baptismata dicerentur, quot eſſent ſervi, qui baptizarent, acceptâ poteſtate à Domino; ſibi tenuit Dominus poteſtatem baptizandi, ſervis miniſterium dedit.* Expreſsè aſſerit D. Auguſtinus, non eſſe diverſum baptiſmum, quamvis diverſi ſint, qui baptizant, quia unus eſt ſeu Dominus, qui principali poteſtate, & authoritate baptizat, & à quo baptiſmus ſuam deſumit unitatem; licèt miniſtri baptizantes plures ſint ac diverſi, quia ipſi non poteſtate principali, ſed miniſtrali baptizant; Perinde ac decretum ſancitum à principe authoritative, & poteſtate principali, eſt unum tantùm, quamvis promulgetur à pluribus poteſtate miniſteriali; unde ſubdit D. Auguſtinus loc. cit. *Quid tibi facit malus miniſter, ubi bonus eſt Dominus? Quid te impediet malitioſus preco, ſi eſt benevolus judex? Joannes didicit per columbam hoc: ipſi mihi dixit, ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, tanquam columbam, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. Non ergo te decipiant, o columba, agnoſce quid docuit columba. Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto, per columbam dicitur, quia hic eſt. Et tu ejus poteſtate putas te baptizari, cujus miniſterio baptizaris.*

Subjectum ſuſcipiens Sacramenta quod attinet, Certum eſt hominem ſemper licitè ſuſcipere Sacramentum, quoties ſine peccato lethali, ſeu obice gratiæ ſanctificantis illud ſuſcipit, quod etiam eſt fructuosè ſuſcipere Sacramentum. Cæterum ſolus homo vivens, & viator capax eſt Sacramentorum; brutum enim quamvis hoſtiam conſecratam deglutiret, neutiquam communicaret, nec ſumeret illam in ratione Sacramenti, quia nihil ei ſignificat, nec poteſt ſignificare; res itidem inanimatæ non ſuſcipiunt ſacramenta; unde baptismus campanarum, aliorumque vaſorum ſacrorum eſt pura benedictio, ac deſtinatio ad uſus ſacros. Mortui itidem non ſunt capaces Sacramentorum, adeo ut ſit graviſſimus error nonnullorum, aſſerentium, fuiſſe aliquando mortuis miniſtrata Sacramenta, & hoſtiam conſecratam immiſſam in os mortui. Erràrunt itidem Heracleonitæ extremam unctionem miniſtrantes mortuis. Rurſus neque inter homines viatores ſunt omnes capaces ſacramenti cujuslibet. Fœminæ enim non ſunt capaces Sacramenti Ordinis, ut neque infantes ante uſum rationis matrimonii, ut nec etiam adulti, qui votum ſolemne caſtitatis emiſit. Quòd ſi dicas, olim fœminas fuiſſe in eccleſia Epiſcopas, Presbyteras, & Diaconiſſas; reſpondetur, eas nullum recepiſſe Sacramentum Ordinis, ſed tantum fuiſſe aſſumptas ad munia quædam exercenda in eccleſiis, ut fusè oſtendit Pamelius in Tertullianum *de exhortatione caſtitatis.*

Aſſerendum eſt in pueris, & perpetuò amentibus nullam requiri intentionem ad valorem ſacramenti, bene tamen in omnibus adultis, qui aliquando uſum habuerunt rationis, ratio eſt, quia de pueris, & perpetuò amentibus conſtat ex uſu eccleſiæ valide iiſdem conferri baptiſmum, quinimò olim etiam conferebatur Euchariſtia. Cæterum quod in omnibus adultis, qui aliquando compotes fuerunt rationis, requiratur diſpoſitio, conſtat ex Conciliis, præſertim Arauſicano, & Carthaginenſi III. & ratio itidem deſumi ſolet ex ipſa Chriſti voluntate, qui noluit hominem adultum juſtificari, abſque ulla ſui cooperatione, idque etiam infertur ex natura ſingulorum ſacramentorum; etenim Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo cùm imprimant Characterem, & obligent ad novum ſtatum, exigunt diſpoſitionem in ſuſcipiente, quia nemo ſine proprio conſenſu poteſt

Digitized by Google

poteſt alligi ad ſuſcipiendum novum ſtatum. Pœnitentia itidem cùm ſit judicium, in quo reus ſe ipſum accuſat, & cum Deo reconciliatur, exigit in pœnitente voluntatem reſipiſcendi, quod etiam dicendum eſt de Extrema Unctione. Matrimonium etiam cùm ſit contractus voluntarius exigit etiam conſenſum in contrahentibus; ergo in adultis, qui aliquando habuerunt uſum rationis, requiritur aliqua diſpoſitio, ut validè ſumant Sacramenta; ſed dices, ſi Sacramenta eſſentialiter exigerent intentionem ſuſcipientis, utique eam ſemper exigerent, quia quod eſſentialiter convenit, alicui indiſpenſabiliter ei competit; ſed Sacramenta non ſemper exigunt intentionem ſuſcipientis, ut liquet in parvulis, quibus valide confertur baptiſmus, quamvis uſum rationis non habeant; ergo Sacramenta non exigunt eſſentialiter hanc diſpoſitionem in ſuſcipientibus. Præterea quia Innocentius III. *in cap. Majores de baptiſmo* aſſerit: Operationem Sacramentalem tunc imprimere Characterem, quando obicem contrarium voluntati non invenit; ergo non ſufficit, ſi adulter ſuſcipiens Sacramenta, non habeat contrariam voluntatem. Tum quia Eugenius Papa nihil aliud ad valorem Sacramenti exigit, quàm materiam, & formam, & intentionem Miniſtri; proinde intentio in ſuſcipiente Sacramentum adſtruitur, absque ullo ſufficienti fundamento. Præterea quia extrema Unctio perſæpe datur homini in extremis conſtituto, & qui eam non poſtulavit. Sed contra diſtinguitur major, ſi Sacramentum exigeret eſſentialiter in adulto ſuſcipiente intentionem eandem ſemper exigeret, ſi illam exigeret eſſentialiter, ex natura ſua conceditur, ſi tantùm eſſentialiter ex inſtitutione Chriſti negatur; quia Chriſtus potuit hanc diſpoſitionem exigere in adultis, & non in parvulis & perpetuò amentibus. Ad id quod addebatur de Innocentio III. reſpondet Suarez nomine contrariæ voluntatis Pontificem intelligere omnem defectum voluntatis neceſſariæ, quia in baptiſmo ſuſcipiendo inclinatur novus ſtatus vitæ, ad quem nemo ſolet merè negativè ſe habere; ſed ſiquis non habeat obicem contrariæ voluntatis, ſitque ſui compos habet etiam poſitivam intentionem ſuſcipiendi Sacramentum. Neque ullum faceſſit negotium, quod addebatur ex Eugenio, quia Pontifex ea tantùm exponit, quæ generaliter neceſſaria ſunt ex parte Miniſtri in ordine ad quodlibet Sacramentum. Ad ultimum reſpondetur ad hanc diſpoſitionem ſufficere intentionem ſuſcipiendi extremam Unctionem. Non tamen hæc intentio requiſita in ſuſcipiente ad valorem Sacramenti debet neceſſariò eſſe actualis, & expreſſa; ſiquidem habitualis ſufficit; & ſubinde etiam ſufficit generalis interpretativa, quam cenſemus habere eum, qui piè & Chriſtianè vixit, non tamen hæc intentio ſufficit ad omnia Sacramenta. Quod intentio habitualis ſufficiat, conſtat ex uſu Eccleſiæ, quia extrema Unctio ſolet miniſtrari cuilibet in extremis verſanti, dummodo piè, & Chriſtianè vixerit, quamvis eam non petierit, quia cum fuerit Chriſtianus, ſupponitur habuiſſe voluntatem, non carendi iis mediis, quæ utilia ſunt ad ſalutem. Præterea quia poteſt hæc eadem intentio interdum ſufficere ad ſuſcipiendam fructuosè Euchariſtiam. Hinc ſi alicui moribundo poſito extra mentem, ſed priùs confeſſo dari poſſet ſine irreverentia Euchariſtia, utique eſſet ei utilis; ſiquidem in voluntate mediorum ad ſalutem, quam cenſetur habuiſſe piè, & Chriſtianè vivendo ſufficienter cenſeri poteſt, voluiſſe Euchariſtiam, pro eo tempore, quo præceptum urget; quia homo Chriſtianus cenſetur velle debito tempore ſuſcipere Sacramentum; quòd verò hæc intentio interpretativè generalis, non ſemper ſufficiat ad ſuſcipiendum quodlibet Sacramentum, ex eo evincitur, quia non omnis, qui piè, & Chriſtianè vivit, cenſetur velle uxorem ducere, aut Sacramentum Ordinis ſuſcipere. Cæterum nec generalis, nec interpretativa intentio, per ſe loquendo poteſt ſufficere ad baptiſmum, quamvis aliquando per accidens non ſufficiat. Hinc ſi aliquis factus Catechumenus, nunquam de baptiſmo cogitaſſet, & poſtea in amentiam incideret, poſſet valide baptizari, ſed ad Sacramentum matrimonii, hæc intentio non videtur ſufficere, quia contrahentes ſunt Miniſtri hujus Sacramenti, quibus propterea eſt neceſſaria intentio ſaltem virtualis. Et quamvis matrimonium poſſit etiam contrahi per Procuratorem inter abſentes, adeo ut dum dormit is, qui Procuratorem miſit, Sacramentum ſuſcipiat, quia quamvis illa intentio præterita ſit, manet tamen in ſuo effectu, conſequenter eſt intentio virtualis requiſita in hoc Sacramento, quod celebratur per modum contractus. An verò hæc eadem intentio habitualis, & interpretativa ſufficiens ſit ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, diſſentiunt Doctores. Si adſit error aliquis, manifeſtatur, per ſigna externa, ut ſi ægrotus, non petito confeſſario dediſſet ſignum aliquod externum doloris interni, & petiiſſet à Deo veniam elevando oculos in cœlum, poſſet tunc accedens poſtea confeſſarius moribundum illum abſolvere, quia cùm ægrotus Chriſtianè vixerit, cenſetur habere intentionem ſuſcipiendi omnia media neceſſaria, & utilia ad ſalutem. Præterea quia internus dolor expreſſus, per ſignum externum eſt ſufficiens materia hujus Sacramenti, ergo validè miniſtratur, oppoſitum tamen cenſent Bonacina, Suarez, Beccanus, Coninck, & alii, qui exigunt, ut neceſſariam ipſam petitionem ab ægroto factam, eò quia contritio debet dirigi ad Sacramentum. Verùm hæc ratio non videtur ſufficiens, quia materia hujus Sacramenti, eſt internus dolor de peccatis commiſſis, & expreſſus per ſignum externum, unde in data hypotheſi ſi adſit generalis intentio ſufficiens, ad alia Sacramenta, perinde erit validum Sacramentum Pœnitentiæ, ac eſt valida Extrema Unctio, unde in dato caſu conſultiùs videtur, quod confeſſarius moribundum abſolvat, quia internus dolor ſufficienter manifeſtatur, per ſigna ſenſibilia, unde nullum inde ſequitur incommodum; & ex alio capite, ſi non abſolvatur, ſequi poteſt æterna damnatio.

CAPUT V.

De Sacramentorum Miniſtris & conditionibus.

DAri certos Sacramentorum Miniſtros, eſt fidei propoſitio oppoſita errori Lutheri cenſentis, Chriſtianos omnes eſſe æqualiter ſacerdotes, ac habere eandem poteſtatem in quocunque verbo, & Sacramento. Quem errorem etiamnum pertinaciter aſſerunt Lutherani, aliique Sectarii, quamvis hic error damnatus fuerit in Tridentina Synodo ſeſſ. 7. can. 10. ubi habetur: *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem, anathema ſit.* Dicitur in omnibus Sacramentis, quia Laici miniſtri ſunt Sacramenti Baptiſmi in caſu urgentis neceſſitatis. Et rurſus contrahentes matrimonium ſunt Miniſtri ejusdem Sacramenti, ut plures Theologi docent. Ex ſcripturis itidem evincitur aſſertio dari ſcilicet certos Sacramentorum Miniſtros; etenim Apoſtolus ad Roman. 10, 1. ad Corinth. 12. ad Epheſ. 4. ait: Diverſa eſſe in eccleſia membra, quæ *non omnia eundem actum habent*, nec omnes eſſe Apoſtolos aut Prophetas, nec omnes Doctores neque Paſtores. *Neque quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret; ſed cui locutus eſt Deus: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Propterea quia Chriſtus non injunxit omnibus, ut promulgarent evangelium, & baptizarent Gentes, Matth. ult. *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos*, ſed tantùm ſuis diſcipulis, & eorum ſucceſſoribus, neque voluit ut omnes ſuum corpus conficerent in Euchariſtia, ſed ut tantùm ſacerdotes id præſtarent. Luc. 22. Ut etiam Joan. 20. Munus abſolvendi à peccatis ſolis ſacerdotibus commiſit: *Accipite ſpiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Sacerdotium autem non convenit omnibus fidelibus; ſed tantùm certis Miniſtris ex Chriſti inſtitutione deſtinatis ad regendam eccleſiam, ut docet Apoſtolica traditio ſemper ſervata in eccleſia, ut aſſerunt S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Epheſ. ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Philadelphios, ad Smirnæos. Tertullianus *lib. de præſcript. Hæretic. cap. 41.* S. Cyprianus, qui frequenter meminit in ſuis epiſtolis Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, quos diſtinguit tum à ſe mutuo tum à plebe. Optatus Milevitanus *Lib.* 11. S. Epiphanius *hæreſ* 49. quæ eſt Peputianorum. S. Joannes Chryſoſtomus. lib. 3. D. Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum & Dialogo contra Luciferianos. S. Auguſtinus epiſt. 128. ad Honoratum. Concilia etiam hanc catholicam veritatem declarârunt, & præſertim Carthaginenſe IV. ubi ait: Quoslibet fideles indiſcriminatim omnium Sacramentorum Miniſtros à Chriſto non fuiſſe inſtitutos, & ſtatuit ritus ordinandi Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos. Hæc eadem veritas etiam deſumitur ex epiſt. 1. D. Petri cap. 11. ubi ait: *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, Gens ſancta, populus acquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Et Apocal. 5. dicitur: *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes*, quod tamen de ſacerdotio impropriè dicto ſumitur, quo quisque Chriſtianus ſpirituales hoſtias Deo offerret, eique ob ejus beneficia laudes perſolvere, & gratias agere poteſt, non verò intelligitur de ſacerdotio propriè dicto, cujus muneris eſt ſacrificium offerre, & Euchariſtiam conficere ac alia Sacramenta fidelibus adminiſtrare, verbum Dei prædicare, & eccleſiam Dei regere. Hoc idem etiam de Hebr. dicitur Exodi 19. quod D. Petrus Chriſtianis tribuit: *Et eritis mihi in regnum Sacerdotale, & Gens ſancta; hæc ſunt verba, quæ loqueris ad filios Iſrael*, & nihilominus non omnes Iſraelitæ erant propriè ſacerdotes, ſed tantùm filii, & poſteri Aaron. Neque alius eſt ſenſus D. Joannis Apocalypſi, ubi ſimul conjungit regnum, & ſacerdotium ſicut enim omnes Chriſtiani non ſunt propriè reges, ſed impropriè, & myſticè; ita nec ſunt propriè ſacerdotes, ſed ſpirituali quodam ſenſu, ut notat D. Auguſtinus lib. 20. de civit. Dei cap. 10. ubi expendens verba illa, *ſed erunt ſacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis*, ait ipſe: Non utique de ſolis Epiſcopis & Presbyteris dictum eſt, qui propriè jam vocantur in eccleſia ſacerdotes, ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum Chriſma, ſic omnes ſacerdotes, quoniam membra ſunt unius ſacerdotis, de quibus Apoſtolus Petrus 1. Petri 23. ait: *Plebs ſancta, regale ſacerdotium*, & in eundem ſenſum explicat Tertullianus lib. de exhortatione caſtitatis cap. 7. inquiens: *Nonne & laici ſacerdotes ſumus? ſcriptum eſt, regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus: adeo ubi eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & ſacerdos es tibi ſolus.* Verum aſſerunt aliqui, Tertullianum hunc librum ſcripſiſſe, cum non eſſet homo eccleſiæ, & jam defeciſſet ad Montaniſtas. Alioquin Tertullianus lib. de præſcript. Hæreticor. cap. 41. Sacerdotalia munera plebi convenire non poſſe expreſsè aſſerit, inquiens: *Mulieres hæreticæ, quam procacesque audeant docere exorciſmos agere, forſan & fingere, ordinationes earum temerariæ, leves, inconſtantes, nunc Neophitos collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nusquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras laicus, nam & laicis ſacerdotalia munera injungunt.* His poſitis.

Aſſerendum eſt, ordinarium Sacramentorum Miniſtrum non poſſe eſſe, niſi hominem verum ex ſpeciali Dei commiſſione poſſe eſſe etiam Angelum, & animam ſeparatam, idque evincit D. Thomas 3. part. art. 6. ex illo loc. Pauli ad Hebræ. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt ad Deum*, ſed Angeli boni vel mali, non ſunt ex hominibus: ergo de lege ordinaria non conſtituuntur Angeli Miniſtri in his, quæ ſunt ad Deum ſeu in Sacramentis, hinc D. Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio ait: *His, qui terram incolunt, atque in ea verſantur, commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœlis ſunt, diſpenſent, eis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, quæcunque ligaveris ſuper terram erunt ligata & in cœlis:* ergo de lege ordinaria ſoli homines ſunt Miniſtri Sacramentorum. Præterea quia Chriſtus ſolis hominibus, & non Angelis dixit Matth. 28. *Euntes docete omnes*

Digitized by Google

Gentes, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Præterea fuisse omnino conveniens, ut soli homines essent Ministri Sacramentorum pluribus rationibus probant sancti Patres, præsertim D. Augustinus *in præfat. lib. de doctrina Christian.* Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdotio*. Præterea decuit non per Angelos, sed per solos homines Sacramenta dispensari, quia tota virtus Sacramentorum à passione Christi derivatur secundum, quod est homo; cui natura conformantur homines non autem Angeli, sed potiùs secundùm passionem dicitur paulò ab Angelis minoratus ad Hebræ. 11. ideoque ad homines pertinet dispensare Sacramenta, & in eis ministrare, non autem ad Angelos, unde ad Hebræ. 1. scribit Apostolus: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum. Verùm de potentia extraordinaria possunt etiam Angeli Sacramenta conficere, & administrare, quia sicut Deus virtutem suam non ita alligavit Sacramentis, quin possit ipse sine Sacramentis illorum effectum conferre, pari pacto virtutem suam non ita alligavit ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis posset virtutem attribuere ministrandi Sacramenta: hinc quia boni Angeli nonnisi veritatis sunt Nuntii, imò si aliquod Sacramentale ministerium ab ipsis perficeretur, non dubium, quin idem ratum esse deberet, quia tunc constaret in fieri voluntate divina: sicut quædam templa dicuntur angelico ministeriò consecrata. Sin verò Dæmones, qui sunt Spiritus mendacii aliquod Sacramentale ministerium effingerent, non esset ratum habendum, ut edisserit S. Thomas 3. *part. quæst. 64. art. 7. & in 4. dist. 5. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2.* ait: Ostendens bonos Angelos de potentia extraordinaria posse Sacramenta administrare *sicut Deus potentiam suam Sacramentis non alligavit: ita nec potestatem conferendi Sacramenta alligavit aliquibus ministris: unde qui dedit hanc potestatem hominibus, potest dare & Angelis*. Præterea quia ex variis historiis constat, Angelos Sacramenta confecisse ex potestate extraordinaria iisdem concessâ à Deo, & illa administrâsse: etenim Sabellicus lib. 2. cap. 2. Volaterranus lib. 17. & alii referunt, S. Onuphrium Anachoretam singulis diebus dominicis accepisse ab Angelo Eucharistiam. Rursus Angelos sacram synaxim frequenter S. Catharinæ Senensi administrâsse narrant, qui ejus vitam scripserunt. Nicephorum etiam lib. 2. histor. Eccles. cap. 2. refert, S. Amphilochium in deserto ab Angelis fuisse in Episcopum consecratum, & ejus consecrationem fuisse ratam habitam à cæteris Episcopis: ergo de potentia extraordinaria possunt Angeli Sacramenta conficere, & administrare, quin imò etiam homo comprehensor potest esse extraordinarius & idoneus Sacramentorum Minister, quia cùm homo comprehensor seu beatus retineat characterem, qui est indelebilis, si miraculosè reassumeret corpus, posset adhibere omnia essentialiter requisita ad valorem Sacramenti, scilicet debitam materiam & formam, ac habere intentione faciendi, quod facit ecclesia: sed hæ conditiones sufficiunt, ut ex vi institutionis Christi posset administrare idoneè Sacramenta; etenim quamvis ut quis sit minister ordinarius præter assignatas conditiones, requiratur etiam, ut sit viator; hæc tamen conditio non videtur necessaria in ministro extraordinario; alioquin nullum posset discrimen assignari inter Ministrum ordinarium & extraordinarium Sacramentorum. Sin autem beatus resumeret corpus, esset Minister extraordinarius Sacramentorum, non quia tunc illi opus esset potentia Dei extraordinaria administrandi Sacramenta, sed quia de lege ordinaria soli viatores conficiunt Sacramenta. Hinc ulterius asserendum, Ministrum qui conficit Sacramentum posse dici causam mediatam, & ministerialem gratiæ Sacramentalis, non verò immediatam, quia sacerdos verè absolvit, & abstergit in anima peccata, eam aquabaptismalla abluendo, ergo mediatè, & ministerialiter confert etiam ipsam gratiam, sicut verè consecrat panem & conficit corpus Christi. Cæterum Minister, qui tantùm Eucharistiam administrat, non potest dici causa gratiæ, qui cum tunc non conficiat Sacramentum, non movet Deum mediatè vel immediatè ad conferendam suscipientibus suam gratiam. Quòd si dicas, non posse Ministrum Sacramenti dici causam gratiæ, nisi quia causat id, per quod causatur gratia, sed id non sufficit, ut Minister dicatur causa gratiæ Sacramentalis: alioquin Pater diceretur causare omnes illos effectus, quos causat filius, quod est absurdum: ergo Minister Sacramenti non est causa gratiæ Sacramentalis: sed contra est; respondetur distinguendo majorem, nequit dici causa gratiæ, nisi quia causat id quod est causa gratiæ, quatenus ab ipsa procedit, conceditur, nisi quia causat id, quod est causa gratiæ absolutè, & per se, absque ullo respectu ad causam, à qua exit, negatur; etenim certum est, Sacramentum causare gratiam quatenus exit à tali Ministro. Si enim Minister non esset homo, nec viator, nec specialiter deputatus, nec haberet intentionem, nullo modo Sacramentum haberet talem vim: Minister enim conficiendo Sacramentum etiam Deum movet ad dandam gratiam, cujus propterea dicitur esse causa mediata; secus Pater nullo modo dicitur esse causa eorum effectuum, quos filius producit absque ullo respectu ad Patrem.

Non tamen Sacramentorum virtus & efficacia ex Ministrorum fide, & probitate dependet, adeo ut ab Hæreticis schismaticis, & impiis hominibus administrata adhuc valida sint, dummodo materia, & forma essentialis cum debita attentione adhibeatur. Irreperat olim in Asiam, & Africam error asserens: Sacramenta ab Hæreticis, & schismaticis collata non esse vera: Author hujus erroris fuit in Africa Agripinus Prædecessor Sancti Cypriani, ut refert Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 2. siquidem volebat pueros ab Hæreticis baptizatos esse rebaptizandos, tametsi in collatione baptismi interfuerit propria materia, & forma hujus Sacramenti. Donatistæ itidem senserunt, Sacramenta collata à Ministro existente in peccato lethali esse invalida; quibus adhæserunt Luciferiani, & Albigenses, Wicclefsus tamen ea tantùm Sacramenta censebat valida, quæ à Ministris prædestinatis conferebantur. Sed Sacramenta non dependere in sua validitate à fide, & probitate Ministrorum, est certum de fide definitum in variis Conciliis: præsertim Nicæno, ut refert D. Augustinus lib. 1. de baptismo. cap. 3. & sequent. Carthaginensi I. cap. 1. Constantiensi contra Joannem Huss, & demum Tridentino de Sacramentis in genere sess. 7. can. 12. ubi legitur: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Et can. 4. specialiter de baptismo ait: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, non esse verum Sacramentum, anathema sit.* Demum quia ex perpetua eccle-

eccleſiæ traditione conſtat, nunquam fuiſſe rebaptizatos eos, qui à Miniſtris peccatoribus, vel Hæreticis ritè baptizati ſemel fuerunt. Hinc D. Auguſtinus lib. de baptiſ. cap. 9. loquens de hac conſuetudine ait: *Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Ex ſcripturis etiam conſtat veritas propoſitionis; Joannis 1. dicitur: *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto.* Quibus verbis ſignificatur Sacramentorum effectum ex virtute Chriſti inſtituentis Sacramenta, & in illis operantis, non verò ex fide, & probitate Miniſtrorum dependere: quia Miniſtri Eccleſiæ neutiquam noſtræ ſunt Authores juſtificationis, ſed Deus juxta illud ad Roman. 8. Deus eſt qui juſtificat. Rurſus idem probatur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. ubi eos reprehendit, qui de Miniſtris gloriabantur, à quibus evangelium audiverant, aut Sacramenta acceperant: *Significatum eſt mihi de vobis* (inquit) *quia contentiones ſint inter vos, hoc autem dico, quod unusquisque veſtrum dicit, ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diviſus eſt Chriſtus? nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis aut in nomine Pauli baptizati eſtis*, & cap. 3. *Cum ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis? & ſecundum hominem ambulatis; cum enim quis dicat: ego quidem ſum Pauli, alius autem, ego Apollo, nonne homines eſtis? quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis, & unicuique ſicut dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit: itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus.* Ex quibus claret, quod ſicut arboribus nihil obeſt improbitas eorum, quorum manu ſatæ, & excultæ ſunt, perinde nihil malorum hominum vitia, & culpæ obſunt Miniſtrationi Sacramentorum, nec ea ſuſcipientibus. Hoc fidei dogma præter recenſita Concilia etiam declararunt Concilia Nicænum, & Arelatenſe, quæ definierunt Sacramenta baptiſmi, & Ordinis collata ab Hæreticis, & ſchiſmaticis Miniſtris cum materia, & ſub forma debita rata, & valida eſſe, neque deberi iterari, cùm ad eccleſiam ex hæreſi, & ſchismate redirent, ſed per ſolam manûs impoſitionem recipi, & eccleſiæ reconciliari oportere. Rurſus Concilium Nicænum can. 8. Novatianos cum ſola manuum impoſitione recipiendos decernit, & in clero permanere inquiens: *De his, qui ſe nominant Catharos, id eſt, mundos, ſi aliquando venerint ad eccleſiam Catholicam, placuit ſancto, & Magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in clero permaneant*, & can. 19. jubet ſolos Paulianiſtas baptizari, cum ad eccleſiam revertuntur, eò quia baptiſmum verbis evangelicis non contulerint, ſeu non adhibuerint veram baptiſmi formam à Chriſto inſtitutam; ait enim Concilium: *De Paulianiſtis ad eccleſiam catholicam confugientibus definitio probata eſt, ut baptizentur omnimodis*, quos canones S. Hieronymus ſpectans in dialogo adverſus Luciferianos ait: Synodus Nicæna omnes Hæreticos ſuſcepit exceptis diſcipulis Pauli Samoſateni: & quod majus eſt Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Presbyterii gradum ſervat. Hinc Optatus Milevitanus lib. 5. contra Parmenianum, S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos cap. 9. Innocentius I. epiſt. II. ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum cap. 8. & S. Auguſtinus paſſim contra Donatiſtas, docet baptiſmum ab Hæreticis, & ſchiſmaticis collatum ſuum ſortiri valorem, ſuosque producere effectus, eò quia non ſit baptiſmus ſchiſmaticorum vel Hæreticorum, ſed Dei & Eccleſiæ, ubicunque fuerit inventus, & quocunque translatus. *Eccleſia ſiquidem omnes per baptiſmum parit, ſive apud ſe, id eſt, ex utero ſuo, ſivè extra ſe de ſemine viri ſui. Sed & Eſau de uxore natus propter fraternam diſcordiam ſeparatus eſt à populo Dei. Et Azar per uxoris quidem poteſtatem, ſed ex ancilla natus propter fraternam concordiam terram promiſſionis accepit: unde & Iſmaeli, ut ſepararetur à populo Dei, non obfuit mater ancilla, ſed obfuit fraterna diſcordia: & non profuit poteſtas uxoris, cujus magis filius erat, quia per ipſius jura conjugalia, & in ancilla ſeminatus erat, & ex ancilla ſuſceptus: ſicut apud iſtos eccleſia jure, quod eſt in baptiſmo, naſcuntur, quicunque naſcuntur: ſed ſi concordant cum fratribus per unitatem pacis, veniunt ad terram promiſſionis, non de materno utero rurſus ejiciendi: ſed in paterno ſemine agnoſcendi.*

Rurſus Baptiſma apud Hæreticos verum, ac legitimum eſſe probat D. Auguſtinus lib. 6. cap. 4. tali pacto: *Si non eſſet baptiſma unum, & verum, niſi in eccleſia, non utique eſſet in eis, qui ab unitate diſcedunt. Eſt autem in eis; nam id non recipiunt redeuntes non ob aliud, niſi quia non amiſerant recedentes aliud eſt autem, ibi non eſſe, & aliud, nullum habere ſalutis effectum, venientibus enim ad catholicam, pacem prodeſſe incipiunt, quæ foris inerant, ſed non proderant.* Baptiſma quippe ab Hæreticis vel ſchiſmaticis collatum eatenus non ſanctificat adultos, quia eſt ipſi Sacramento hæreſis, & ſchiſma impedimento confert tamen characterem, qui judicat valorem Sacramenti, in quo ſenſu etiam intelligitur Innocentius I. epiſt. 18. ubi negat, Hæreticos per Sacramenta dare plenitudinem Spiritus Sancti; nam eorum *baptiſma* aſſerit *ratum eſſe eò, quia in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti perficitur; nec tamen Spiritum ſanctum eos habere ex illo baptiſmate illisque myſteriis.* Ideo tamen ſpiritum ſanctum, ſeu gratiam ſanctificantem non accipiunt, eò quia eidem opponunt obicem hæreſis, & peccati lethalis, in quo ſenſu etiam ſcripſit S. Leo Papa epiſt. 125. ad Leonem Auguſtum, ubi de eccleſiæ Alexandrinæ ſtatu poſt necem Protorii Epiſcopi ait: *Per crudeliſſimam inſaniſſimamque ſævitiam omne illic Sacramentorum lumen extinctum. Intercepta eſt ſacrificii oblatio, defecit Chriſmatis ſanctificatio & parricidialibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxêre myſteria*: ſiquidem jure Sacramenta non adminiſtrabantur ab Hæreticis ſacrilegis, & parricidiis, & alienæ ſedis pervaſoribus in eccleſia ſanctiſſimi Præſulis ſanguine polluta; quamvis ipſa Sacramenta integra, & rata eſſent, hoc eſt, conferebantur quidem Sacramenta, ſed non res Sacramentorum, ut loquitur D. Thomas. Hinc etiam D. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 3. Euchariſtiam ab Ariano conſecratam vocat ſacrilegam communionem, effectum & uſum Sacramenti, non ipſum Sacramentum ſpectans; ſcilicet Chriſti corpus ſub ſpeciebus contentum: & S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 36. ait: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites extra eccleſiam baptizatis, ſi ad eccleſiam non redierint, baptiſmo cumulare perniciem*; quia nimirum Sacramentum cum debita materia, & forma collatum eſt quidem verum Sacramentum, ſed ſi ſumitur extra eccleſiam

Digitized by Google

non confertur res Sacramenti, seu gratia sanctificans, licet conferatur ipsum Sacramentum: hinc Pelagius Papa apud Gratianum 24. quæst. 1. cap. Schisma negat esse corpus Domini, quod schismaticus conficit, scilicet quoad fructum, ac significationem corporis mystici, sive unitatis fidelium, ait ipse: *Noli quasi nulla schismaticorum atque ecclesiæ differentia sit, velle indifferenter utrorumque sacrificus sociari. Non est Christi corpus quod schismaticus conficit, nec enim divisum esse Christum poterit quisquam sine Apostoli approbatione confingere. Unam, quæ Christi corpus est, constat esse ecclesiam, quæ in duo vel in plura dividi non potest.*

Ratio itidem est, quia Minister non confert Sacramentum virtute propria, sed virtute Dei, & ut Minister Christi, hinc etiam Apostolus dicebat, non fuisse baptizatos in nomine Pauli, sed in nomine Dei, ex quo deducitur, quod validitas Sacramenti non dependeat à fide, & probitate Ministri. Antecedens probatur, quia Minister solum concurrit instrumentaliter ad hominem sanctificandum, sicut & ipsa Sacramenta, consequenter non confert gratiam propria virtute, sed virtute Dei, quia est causa principalis, unde, ut per Sacramenta Minister conferat gratiam, non est necesse, sit in statu gratiæ, & habeat fidem, sed sufficit, si Sacramentum & ejus effectus contineatur in causa principali. Præterea si Sacramenta dependerent in sua validitate à fide, & probitate ministrorum, sequeretur, quod ministri nomine proprio ministrarent, quod est falsum. Rursus Ministri in susceptione ordinis accipiunt potestatem ministrandi Sacramenta: Sed hujusmodi potestas non deperditur per peccatum, aut infidelitatem; siquidem character, qui semel suscipitur, unà cum Sacramento est indelebilis ac perpetuo durat; hinc semel baptizatus nequit iterum baptizari; neque semel ordinatus potest iterum ordinari, quia baptismus, & ordo perseverant etiam cum peccato lethali in eodem subjecto; & quia cum charactere Ordinis perseverat itidem potestas ministrandi Sacramenta, hæc non cessat per peccatum superveniens; ergo tametsi minister sit lethali noxa coinquinatur adhuc validè ministrat; aderat Sacramenta in sua validitate non dependeant à fide & probitate ministri. Hoc idem pulchro exemplo explicat D. Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 8. Quia ut semen fructificet nihil refert, an lotis, vel sordidis manibus seminetur, bene tamen requiritur, quòd bonum sit, & ex se fructiferum, & terra idonea ad fructificandum; hisce enim positis & concurrente influxu cœlesti præsertim solis, germinat semen & fructum adfert pari facto, quamvis minister immundus sit, si tamen adfuerint reliqua alia requisita, minister verum conficit Sacramentum, quod veluti semen si suscipiatur à non ponente obicem fructificat seu confert gratiam. Rursus si sanctitas ministri requireretur ad valorem Sacramenti, vix ullus fidelis esset securus de suscepto baptismo, quia sicut homines essent semper incerti de sanctitate ministri; ita etiam de valore Sacramenti ad eadem collati. Neque valet si dicas, fideles esse itidem incertos de intentione ministri, quia cum longè facilius sit ministro habere intentionem conficiendi Sacramentum, quàm conservandi sanctitatem, potest etiam recipiens Sacramentum ab illo esse magis certus de illius intentione quàm de illius sanctitate. Tum quia peccatum lethale in ministro provenit ex humana fragilitate, defectus verò intentionis oritur ex pura malitia ministri, & defectus sanctitatis ex difficultate eam habendi, vel conservandi. Neque obstat, si dicas, sanctos Patres docere, baptismum susceptum à minimo hæretico esse inutilem; etenim S. Athanasius serm. 3. contra Arianos vocat inutilem baptismum ministratum ab Arianis, eò quia non habuerint rectam fidem. D. Ambrosius lib. 3. de initiandis cap. 4. loquens de baptismo collato à ministris infidelibus ait: *Non sanat baptismus perfectorum, sed polluit.* Gregorius Nazianzenus orat. 4. cum dixisset, peccatorem posse esse ministrum baptismi, id postea coarctat inquiens, *dummodo apertè damnatus non sit, & ab ecclesia alienus.* Ergo ex sanctis Patribus claret Sacramenta in sua validitate dependere à fide, & probitate Ministrorum. Sed contra negatur consequentia, & ad primam authoritatem petitam ex D. Athanasio respondetur, ibi vocari illum baptismum inutilem, quia conferebatur consentientibus errori Arianorum, qui sicut non habebant veram fidem, ita obicem ponebant divinæ gratiæ, quam propterea non percipiebant, quamvis baptismus fuerit validus imò, & utilis in ordine ad characterem quem imprimebat, & inutilis in ordine ad gratiam recipiendam: hæc autem inutilitas non proveniebat ex baptismo, sed ex hæresi, quæ erat impedimento, ne baptizati gratiam reciperent. Ad aliam authoritatem desumptam ex D. Ambrosio respondetur, talem baptismum polluere quidem, sed non quia non sit verus, ac validus baptismus: sed quia peccat, qui à perditis, scilicet ab Hæreticis, vel schismaticis eum suscipit, & per perditos intelligebat Hæreticos. Ad tertiam petitam ex D. Gregorio respondetur, ibi tantùm loqui de Ministro non in ordine ad validitatem Sacramenti, sed in ordine ad facultatem licitè suscipiendi baptismum ab Hæretico. Quando igitur sancti Patres asserunt, Sacramentum ab Hæretico susceptum esse inutile loquuntur in ordine ad gratiam, adeo ut negent, Sacramentum ab Hæreticis collatum esse validum ad conferendam gratiam, quia cum ecclesia prohibeat suscipere Sacramenta ab Hæreticis, qui Sacramentum ab iisdem suscipit, eo ipso ponit obicem effectui Sacramenti, seu gratiæ, in quo sensu baptismus ab Hæretico collatus non est validus ad conferendam gratiam. Hinc sacerdos Hæreticas non potest absolvere à peccatis, quia ad absolvendum ultra potestatem characteris requiritur jurisdictio, quam non habet Hæreticus. Sed dices, Christus influit in suos fideles gratiam per Ministros tanquam per membra ecclesiæ, sed infidelis non est membrum ecclesiæ, neque Christi, ergo mediante Ministro infideli Christus non confert Sacramenta, nec influit gratiam. Præterea quia Sacramenta suam habent efficaciam ex passione Christi: sed infideles non continuantur cum passione Christi per fidem propriam, nec per Fidem Ecclesiæ, eò quia sunt separati ab Ecclesia: ergo infideles non possunt Sacramenta conficere. Sed contra, quia ut rectè docet D. Thomas hìc *art. 5. ad 2.* Christus operatur per bonos Ministros tanquam per membra viventia, & sibi conjuncta; & per malos

los tanquam per membra ſeparata: ſed poteſt vivens operari per inſtrumentum, quòd careat vitâ, & ſit à ſe ſeparatum, quantum ad corporis unionem, dummodo ſit conjunctum ſibi per motionem quandam: quo pacto ſcriptor aliter operatur per manum, & aliter per calamum, quia per manum operatur tanquam per inſtrumentum ſibi unitum, & vivens; & per calamum tanquam per inſtrumentum ſeparatum, & carens vita; quamvis calamus per motionem conjungatur ſcribenti, perinde Chriſtus in Sacramentis operatur per bonos Miniſtros veluti per membra viventia; & per malos tanquam per inſtrumenta ſeparata, quæ carent vitâ. Ad aliud, quod addebatur Sacramenta habere ſuam efficaciam ex Paſſione Chriſti, reſpondet D. Thomas *in ſupplement. quæſt.* 28. *art.* 2. Infideles continuari cum Paſſione Chriſti, non per Fidem propriam, ſed per Fidem Eccleſiæ, quia tametſi non ſint in Fide Eccleſiæ, ſunt tamen in Eccleſia, quantum ad formam, quam in Sacramentis ſervant, quia hæc forma eſt propria Eccleſiæ. Præterea dicuntur etiam eſſe in fide Eccleſiæ, quantum ad intentionem faciendi, quod facit Eccleſiæ: quapropter Hæreticus, ut docet Cajetanus, confert Sacramenta, etiam ut aliquo pacto conjunctus ab Eccleſia quoad intentionem, & formam, qua conficit Sacramentum. Quòd ſi dicas, Hæreticum non eſſe membrum Eccleſiæ, conſequenter non poſſe operari, ut Miniſtrum Eccleſiæ; negatur conſequentia, quia quamvis non ſit membrum Eccleſiæ ex defectu gratiæ, & fidei, eſt tamen Miniſter quatenus habet poteſtatem.

Aſſerendum ſecundò eſt, neque effectum Sacramenti, ſeu gratiam, & characterem dependere à fide, & probitate miniſtri. Ratio eſt, quia poſita validitate Sacramenti habetur efficacia ipſius, conſequenter niſi inveniat obicem, Sacramentum quantum eſt ex ſe, producit totum ſuum effectum, ut definivit Tridentina Synodus *Seſſ.* 7. *cap.* 7. de Sacramentis in genere. Quòd ſi dicas, immundam non poſſe mundare, juxta illud Eccleſiaſt. 24. *Ab immundo quis mundabitur?* Sed peccator eſt immundus, ergo non poteſt alios mundare conferendo eis gratiam per Sacramenta. Sed contra, quia recipiens Sacramentum non mundatur ab immundo, quia non agit virtute propria, ſed virtute Dei, unde quamvis ab immundo, ut à cauſa principali non poſſit quis mundari; benè tamen ut à cauſa inſtrumentali, quia ut hæc gratiam producat, non eſt neceſſe, ut eam in ſe contineat formaliter, ſed ſufficit, ſi virtualiter, adeò ut per virtutem cauſæ principalis poſſit illam producere. Præterea, quia prææallegatus textus Eccleſiaſtici non intelligitur de Sacramentis, ſed de converſatione cum impiis, & immundis, ut ſenſus ſit eum, qui converſatur cum immundis, non poſſe ab ipſis exemplariter mundari. Oritur tamen difficultas, an miniſtri, qui exiſtentes in peccato mortali miniſtrant Sacramenta, ſemper peccent lethaliter, pro quo juvat prænotare, Miniſtrum Sacramentorum eſſe duplicem, unum ex officio, qui etiam miniſter ſolennitatis dicitur, & alium miniſtrum neceſſitatis, ille dicitur, qui conficit Sacramenta ſpeciali conſecratione ad illa conficienda deputatus, cujuſmodi eſt Sacerdos Miſſam celebrans, à peccatis abſolvens, & cum ſolemnitate baptizans, Miniſter verò neceſſitatis dicitur, qui abſque ulla ſpeciali Conſecratione, & deputatione miniſtrat Sacramenta, ut cùm laicis urgente neceſſitate baptizat, cùm enim hoc Sacramentum ſit neceſſarium neceſſitate medii, etiam in re reſpectu parvulorum ad ſalutem, & non poſſint in quocunque caſu ſemper adhiberi Miniſtri ex officio: voluit Chriſtus in his caſibus, in quibus non poſſet ſolemnitas Baptiſmi fieri à Miniſtro conſecrato, ut poſſit Baptiſmus ſine ſolemnitate conferri à quocunque, ſive Clerico, ſive laico fideli, vel infideli, his prænotatis reſpondetur, Miniſtrum ſolemnitatis conficientem Sacramenta, vel etiam adminiſtrantem in peccato lethali peccare lethaliter, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma hic art. 6. idque probant ex pluribus juris Pontificii determinationibus, præſertim ex illa, quæ habetur *titulo de temp. ordinand. cap. quæſitum*, ubi Clerici impiè viventes jubentur admoveri, ne in ſuſceptis ordinibus miniſtrent. Alia determinatio deſumitur *ex cap. neceſſe eſt.* 1. *quæſt.* 7. ubi S. Gregorius ait: *Neceſſe eſt, ut munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat*, & etiam affert illud Iſaiæ 52. *Mundabimini, qui fertis vaſa Domini.* Præterea, quia, ut docet D. Thomas, miniſter ex officio tenetur in ſanctitate conformari Deo, & Chriſto, juxta illud Levit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Præterea, quia actiones Sacramentorum ſunt ſanctificatione conſecratæ, proinde ut Miniſter miniſterio congruat, debet eſſe ſanctus: unde Chryſoſtomus homil. 60. ad popul. Antioch. ait: *Quò igitur non oportet eſſe puriorem tali fruentem Sacrificio? quò ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igne ſpirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit.* Secus miniſter neceſſitatis, & non conſecratus, ſi miniſtret in peccato mortali, non peccat lethaliter, ut docet D. Thomas hic art. 6. ad 3. quia miniſtrans ut miniſter neceſſitatis, & non ex officio, tametſi rem ſacram ſpeciali benedictione conſecratam attingat; hoc tamen non præſtat exhibendo ſe miniſtrum Chriſti, & Eccleſiæ, quapropter non adhibet ſolemnitatem ab Eccleſia præſcriptam, ſed tantùm occurrit neceſſitati periclitantis, conſequenter non obligatur ad ſe conformandum ſanctitati Chriſti, & Eccleſiæ, propterea non peccat, ſi miniſtret in lethali.

Hinc conſtat, virtutem & efficaciam Sacramentorum non dependere ex miniſtrorum probitate, ſed ab improbis, & flagitioſis adminiſtrata, valida, & rata eſſe, ut etiam docent Sancti Patres, etenim S. Ambroſius lib. de his qui miniſt. initiantur. cap. 5. ait: *Non merita perſonarum, ſed officia conſideranda ſunt Sacerdotum.* Et D. Gregorius Nazianzenus orat. 60. in Sanctum Baptiſma ait: *Ne concionatoris aut baptizantis authoritatem inquiras. Alius horum judex eſt, ac rerum obſcurarum explorator: quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tibi autem quivis ad purgationem ſatis idoneus eſt, qui modò inter probatos cenſeatur, & non apertè condemnatus ſit, atque ab Eccleſia alienus, qui curatione indiges, ne judices, judicium ne arripe, nec eorum, à quibus purgaris, dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem inſculptam habeant, ac deinde ceram imprimant; quid tandem hoc ſignum ab illo ſigno differet? nihil. Materiam in cera internoſce, quantalibet ſingulari ſolertia ſcis, dic, utrum è duobus ſignis aureo annulo, utrum ferreo expreſſum ſit, quocunque modo unum idemque ſignum exiſtat. Diſcrimen enim materiæ eſt, non in ſigno. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur, quamvis enim alius alii vitæ probitate antecellat, eadem tamen Baptiſmi vis eſt.* S. Joannes Chryſoſtomus homil. 8. in epiſt. 1. ad Corinth. hoc idem expreſsè aſſerit, inquiens: *Contingit quidem Principes eſſe malos, & ſcele-*

Digitized by Google

ratos, eos autem, qui illorum parent imperio bonos & moderatos, & laicos quidem in pietate vitam agere, Sacerdotes autem in improbitate, ac nequitia: & neque futurum esset Baptisma, nec Corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignitatem, ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, neque Baptismatis gratia quidquam læditur à vita Sacerdotis. Nam qui accipit, minùs esset habiturus. Hæc autem dico, ne quispiam ex iis, qui adstant, de vita Sacerdotis curiosè inquirens offendatur in mysteriis quæ peraguntur. Nihil enim affert Sacerdos ad ea, quæ sunt proposita, sed universum est opus Dei virtutis, & ille est, qui nobis exhibet mysteria. Tandem D. Augustinus lib. 3. de Baptism. contra Donatistas cap. 10. *Non est aqua profana, & adultera, super quam nomen Dei invocatur, etiamsi à profanis, & adulteris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est, Baptismus verò Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici, & immundi: quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo divina virtus adsistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem malè utentium. An verò solis, vel etiam lucernæ lux, cùm per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit, & Baptismus Christi potest cujusdam sceleribus inquinari?* Idem lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 47. *Memento, Sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omninò non sint, vel minùs sancta sint. Sed ipsis malis hominibus, ut habeant ad testimonium damnationis, non ad adjutorium sanitatis.* Hoc idem repetit lib. 3. contra Cresconium cap. 8. Cresconio enim dicenti, Dei quidem esse dare incrementum, sed sicut qui plantat, & rigat nonnisi colonus fidelis, & diligens quæritur, sic etiam in Sacramento Baptismatis nonnisi fidelem justissimum operarium adhiberi, ita respondet: *Quasi verò quod infidelis colonus plantaverit propter ejus infidelitatem non germinet vis seminis, & fæcunditas terræ, cœlique temperies hanc efficaciam divinitus non acceperint, ut ad propagandos fructus plantatorem, vel rigatorem operarium tantummodo expectent, qua mente operetur, quo labore, & intentione non curent, utrum Dominum agri fideliter diligat, an sua, non illius lucra conquirat.* Hinc Concilium Constantiense articulum quartum Joannis Wiccleffi damnavit, fuit enim: *Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit; non consecrat, non baptizat*, & Concilium Tridentinum can. 12. Sess. 7. definivit: *Siquis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit*, & can. 4. de Baptismo ait: *Siquis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.*

Verùm quòd Sacramenta dependeant in sua validitate à fide, & probitate ministrorum, potest evinci authoritate S. Cypriani, asserentis variis in locis, nullum & irritum esse Baptisma, quod extra Ecclesiam ab Hæreticis, vel Schismaticis suscipitur, quam sententiam etiam totius Africæ Concilio confirmavit: Sed contra, quia Sanctus Cyprianus vel errorem suum deposuit, & retractavit suam opinionem, ut loquitur D. Augustinus, martyrii falce eam purgavit. Rursus *lib. 2. de Baptis.* contra Donatistas *cap. 4. & lib. 1. cap. 18.* id tantùm sensit, nondum veritate per Concilii plenarii definitionem declarata, & definitioni Concilii, ac Ecclesiæ postponi debet opinio Sancti Cypriani, cujus sententia propterea non est objicienda ad repetitionem Baptismi collati ab Hæreticis, sed ut sæpe respondet D. Augustinus, agens contra Donatistas exemplum S. Cypriani debemus imitari in ordine ad conservationem unitatis. Secundò solent etiam opponi canones Apostolorum 45. & 46. Quorum primus ait: *Episcopum vel Presbyterum, qui Hæreticorum Baptismum, vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial? vel quæ pars est fideli cum infideli.* Posterior canon ita habet: Episcopus vel Presbyter eum, qui verè habet Baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem, & Crucem Domini, & non discernat Sacerdotes à falsis Sacerdotibus. Sed contra est, respondetur enim canones illos non esse ab Apostolis conditos, nec doctrinam Apostolicam continere, sed videri eruditis à Concilio Iconensi editos, in quo suum, & Africanorum de rebaptizandis Hæreticis errorem vindicatum fuisse, testatur Firmilianus in Epist. ad S. Cyprianum, decreta autem illa transcripsit, & collectioni suæ inseruit illorum Canonum compilator, qui falsò Apostolorum nomine inscripti sunt. Vel secundò potest responderi, sensum prioris canonis esse, quòd non liceat Sacramenta ab Hæreticis recipere, quamvis ab iis confecta, & administrata rata sint, & valida, & sensus posterioris canonis sit, quòd baptizandus sit, qui ab impiis pollutus est, seu verbis Evangelicis non baptizatus, siquidem ex Hæreticis quidam fuerunt, qui in collatione Sacramentorum verba Scripturæ, & Ecclesiæ non servaverint: & tales propterea non contulisse Sacramentum, neque rem Sacramenti. Et alii Hæretici, licèt servent Ecclesiæ formam, & conferant Sacramentum, non tamen rem Sacramenti dicuntur conferre, si manifestè ab Ecclesia separati sint: ratio est, quia eo ipso, quòd aliquis Sacramenta accipit ab eis, peccat; & per hoc impeditur, ne consequatur effectum Sacramenti, ut loquitur D. Thomas *art. 9. ad 2.* & in hoc sensu intelligitur S. Athanasius orat. 3. contra Arianos, ubi ait: *Qui quasi non planè vanum, ac utile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cùm id nonnisi species sit, ac inane simulacrum, ipsique ea re nihil solida opis afferunt ad pietatem. Inutilem possident aquam, adeo ut qui ab illis asperguntur, sordescant potius prava religione, quàm redimantur.* Addendum est, quòd valde proclive fuerit, ut Ariani de Filio Dei malè sentientes, & eum in ordinem creaturarum redigentes errorem suum in formam Baptismi transfunderent, cujus integritatem violarent, ut ibidem significat S. Athanasius, inquiens: *In periculum veniunt, ne amittant integritatem mysterii, loquor autem de Baptismate.* Hinc verba S. Cyrilli Jerosolymitani in præfat. Catecheseon, ubi ait: *Unus Dominus, & una Fides, & unum Baptisma, nam soli Hæretici rebaptizantur: Siquidem prius illud non erat Baptisma*, quia nimirum formam legitimam Baptismi non servabant, majorem ingerunt difficultatem Basilii in Epist. Canonic. ad Amphilochium Can. 1. Epist. 2. can. 47. *Verùm plerisque videtur verisimile, Basilium, ut etiam Cappadocum Ecclesiam adhuc fuisse in errore Firmiliani de rebaptizandis Hæreticis, quem à plenaria Synodo damnatum non intelligebat, putans hanc quæstionem disciplinæ esse, quæ in pluribus Ecclesiis varia*

esse

Google

eſſe poſſet ſalva dogmatis veritate. Sed Eccleſiæ univerſalis judicium præferendum ſemper eſt privatæ authoritati cujusvis Patris, vel etiam Eccleſiæ particularis opinioni juxta regulam Vincentii Lirinenſis, qui Patribus monet credendum eſſe, hac cautela, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque conſenſu manifeſtè frequenter, & perſeveranter velut quodam ſibi conſentiente Magiſtrorum conſilio accipiendo, tenendo, tradendo firmaverit, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur: quidquid verò, quamvis ille ſanctus, ac doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & privatas, & occultas opiniunculas à communis, & publicæ generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit. Sed rurſus objiciunt illud Eccleſiaſtici 24. qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius. Sed reſpondetur, verba Eccleſiaſtici non eſſe referenda ad Baptiſmum ab Hæreticis, aut improbis Miniſtris collatum: ſiquidem litteralis illius ſenſus eſt, ut ſi quis juxta legem abluitur, & purgatur ab immunditia contracta ex contactu cadaveris; & mox iterum tangit mortuum, nihil ei prodeſt ſua lotio, quo ſignificatur, nihil prodeſſe expiationem peccati, ſi quis illud iterum committat, unde Eccleſiaſtici loc. cit. ſequitur: Sic homo, qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet. Præterea ſi Baptiſmo verba Eccleſiaſtici accommodentur, reſpondetur cum D. Auguſtino; eum, qui à peccatore baptizatur, non baptizari à mortuo; vivit enim Chriſtus jam, non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, de quo dictum eſt, ipſe qui baptizat in Spiritu Sancto. Baptizantur autem à mortuis, qui baptizantur in idolorum templis, non enim & ipſi à Sacerdotibus ſuis ſe accipere arbitrantur ſanctificationem, quam putant, ſed à Diis: qui, quoniam homines fuerunt, ita & mortui ſunt, ut neque ſuper terras, neque in requie cœli ſint, verè ipſi à mortuis baptizantur: & ſi quo alio modo iſta Sanctæ Scripturæ verba veraciter quæri, & ſalubriter diſcuti, ac intelligi poſſunt. Nam ſi hoc loco mortuum intellexero peccatorem baptizatorem, eadem illa conſequitur abſurditas, ut quiſquis etiam à latente impio fuerit baptizatus, tanquam à mortuo baptizatus inaniter lotus ſit. Non enim ait, qui baptizatur à mortuo manifeſto, ſed abſolutè dicit à mortuo, hactenus Auguſtinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 10. lib. 1. contra litteras Petiliani cap. 9. Quòd ſi D. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 18. dixerit de malis Miniſtris *remiſſam peccatorum non dabant*, intellexerit Auguſtinus, malos Miniſtros peccata non remittere proprio nomine, ſed nomine Chriſti, & Eccleſiæ, cujus perſonam gerunt, ſi tamen nullus ex parte ſuſcipientis Sacramentum interponatur obex, ſiquidem miniſtrantes Sacramenta non proprio nomine baptizant, confirmant, ungunt, abſolvunt, & conſecrant &c. ſed nomine Chriſti, & Eccleſiæ, cujus perſonam tunc agunt, ait enim Auguſtinus in verba illa: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet inſufflavit, & ait illis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, quæ verba explicans Auguſtinus loc. cit. ait: *Ergo ſi perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictum eſt tanquam ipſi Eccleſiæ, diceretur pax Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſiæ pace alienatio tenet peccata, non ſecundùm arbitrium hominum, ſecundùm arbitrium Dei, & orationes Sanctorum ſpiritualium. Petra enim tenet, petra dimittit. Columba tenet, columba dimittit. Unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in ſolis bonis eſt, vel jam ſpiritualibus, vel ad ſpiritualia concordi obedientia proficientibus. In malis autem non eſt ſive foris tumultuentur, ſive intus cum gemitu tollerentur, & baptizent, & baptizentur. Nam nonniſi Præpoſitis, & Evangelica lege, ac dominica ordinatione fundatis, licet baptizare. Nunquid tales erant, qui fundos inſidioſis fraudibus rapiebant, & uſuris multiplicantibus fœnus augebant? arbitror enim, quia illi dominica ordinatione fundati ſunt, quibus cùm formam daret, Apoſtolus ait: Non avarum, non turpe lucrum. Tales tamen ipſius Cypriani temporibus baptizabant, quos Coepiſcopos ſuos fuiſſe cum magno gemitu confitetur, & cum magna tolerantia mercede perpenditur, remiſſam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id eſt, per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet, ſi ad ejus pacem illi pertineant, quibus datur. Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus, ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebunt.*

CAPUT VI.

Qualis intentio requiratur in Miniſtro ad Sacramenti validitatem.

CErtum eſt, in Miniſtro conficiente Sacramenta requiri intentionem, quæ nihil aliud eſt, quàm actus voluntatis, ſeu interna voluntatis tendentia in finem per media aliqua, adeo ut per tendentiam intelligatur deſiderium efficax finis, quapropter differt intentio ab illo actu, qui voluntas dicitur, quia hæc voluntas eſt ſimplex complacentia, & amor inefficax finis cogniti, intentio verò tendit efficaciter in finem: ſiquidem conſultat, eligit, conſentit, imperat, exequitur, & obtento fine eodem fruitur. Differt etiam ab electione, quia hæc verſatur circa media, & intentio circa finem. Diſtinguitur etiam ab imperio, quia hoc imperat etiam media. Hæc igitur intentio dividitur in poſitivam, qua voluntas per actum poſitivum appetit aliquid, & in negativam, quæ aliud non eſt, quàm negatio actus, quem voluntas poſſet, & teneretur ponere; ut ſi quis videns hominem occidi ab alio, quem poſſet, & deberet impedire, non tamen impedit, mors illa eſſet illi voluntaria ſaltem imputativa, ac interpretativa. Præterea intentio poſitiva alia eſt directa, qua voluntas vult aliquid in ſe ipſo, & non ſolùm in cauſa, vel in alio neceſſariò connexo alia eſt indirecta, quæ & interpretativa dicitur, ut cùm quis vult cauſam, ex qua cognoſcit ſecuturum effectum, ut ſi Sacerdos prævidens ſe inebrietate prolaturum verba Conſecrationis, adhuc voluntariè ſe inebriet, & in ea ebrietate proferat verba Conſecrationis ſupra certam materiam, hæc intentio eſt tantùm indirecta, & interpretativa, ſeu in cauſa. Rurſus intentio directa, alia eſt actualis, quæ actu perſeverat; alia habitualis, quæ tantùm fuit, ſed amplius non eſt, nec perſeverat in ſe, vel in ſuo effectu. Demum intentio actualis alia eſt formalis, alia virtualis; illa eſt, quæ

re ipſa

Digitized by Google

te ipſa actu exiſtit, quando conficitur Sacramentum: virtualis eſt, quæ tametſi in ſe ipſa amplius non maneat, perſeverat tamen in aliquo effectu antea poſito, ratione cujus intentio cenſetur influere in opus. Per quid autem intentio virtualis differat ab habituali, non conveniunt Doctores in aſſignando effectu, in quo intentio virtualis dicitur perſeverare. Coninck, quæſt. 64. art. 8. dub. 1. cenſet eſſe actum imaginationis, in quo intelligitur intentio perſeverare; illa enim imaginatio, quam prima intentio determinavit, & quæ ratione habitûs acquiſiti dirigit actus externos, etiam tunc, quando diſtracti non advertimus ad actum priùs elicitum eſt, in qua perſeverat intentio virtualis. Alii volunt actum illum manentem eſſe actum aliquem intellectûs, & voluntatis, & quidem præſentem, ſine quo actu externo, neque inchoari poſſet, neque continuari, quamvis actus ille ſit adeo tenuis, ac confuſus, ut non advertatur: etenim cùm membra nunquam moveantur, niſi per actum utriusque potentiæ rationalis intellectûs, & voluntatis; & hic actus non poſſit tendere in objectum, niſi ſub ratione boni, neceſſe eſt, ut ſaltem in confuſo velit hanc operationem, ut bonam, & utilem in ordine ad aſſecutionem finis priùs voliti, & qui hic, & nunc nonniſi confuſè proponitur. Verùm hæc ſententia non plenè ſatisfacit, quia hæc perſeverantia actûs non videtur neceſſaria, quia aſſignari poteſt aliquid, in quo perſeveret illa intentio, & influat in actum. Præterea non eſt verum, quòd actus ille voluntatis tendat neceſſariò in hunc actum ſub ratione boni, & utilis in ordine ad conſecutionem finis, quia tametſi actus ille tendat in hunc motum externum, ſub ratione boni utilis ad aſſecutionem finis, non tamen ſub ratione boni utilis ad hunc ſpecialem finem, quia hic nullo pacto tunc cognoſcitur. Quamobrem meliùs cum aliis cenſerem intentionem virtualem per id diſtingui ab habituali, quia tametſi in ſe ipſa formaliter prætereat, manet nihilominus in aliquo effectu connexo cum illo effectu, quem prima intentio imperavit. Quòd ſi petas, in quo conſiſtat hæc connexio; reſpondetur in eo ſitam eſſe, quòd effectus poſterior ad eandem actionum ſeriem pertineat, ad quam ſpectabat prior effectus, qui fuit conjunctus cum ipſa intentione actualiter exiſtente: quæ intentio propterea imperavit totam hanc ſeriem. Ut ſi Sacerdos intendat Sacrificium Miſſæ conficere, adeo ut hic effectus ſit conjunctus cum actuali intentione conficiendi hoc Sacrificium, intendit etiam eodem actu virtualiter induere ſacras veſtes, accipere Calicem, ire in Eccleſiam, & accedere ad Altare: Siquidem hi omnes effectus ſunt conjuncti cum illo primo, quo Sacerdos vult Sacrificium Miſſæ conficere; & hic primus effectus eſt conjunctus cum intentione actu exiſtente: & alii effectus ſunt connexi cum hoc primo, quaproter dicuntur intendi virtualiter à Sacerdote: Ex quo conſtat, quin ſit virtualis intentio, & quomodo differat ab habituali. Major difficultas eſt, qualis intentio requiratur in Miniſtro ad validitatem Sacramenti.

Aſſerendum eſt primò, ad validitatem Sacramenti non ſufficere, ſi Sacerdos habeat tantùm intentionem interpretativam, & in cauſa, adeo ut Sacerdos non conſecret, ſi prævidens ſe in ebrietate prolaturum verba conſecratoria voluntariè ſe inebriet, & in ea ebrietate proferat verba conſecratoria ſuper certam materiam. Ratio eſt, quia intentio Miniſtri requiritur, ut principium proximè imperans actionem Sacramentalem: quia cùm debeat eſſe libera, & actu applicari humano modo exigit neceſſariò actum liberum voluntatis, à quo ut à principio proximè imperante oriatur: ſed hoc pacto non ſe habet intentio interpretativa, & in cauſa, ut per ſe liquet: ergo non eſt ſufficiens ad validitatem Sacramenti. Quòd ſi dicas, hanc intentionem interpretativam ſufficere in ſuſcipiente Sacramentum, conſequenter etiam in miniſtrante. Contra eſt, negatur conſequentia, & ratio diſcriminis eſt, quia eatenus in ſuſcipiente ſufficit intentio interpretativa, quia voluntas recipiendi Sacramentum tantùm requiritur in ſuſcipiente ut diſpoſitio, in miniſtro autem requiritur, ut principium efficiens Sacramentum: ſed effectus non exigit neceſſariò actualem præſentiam diſpoſitionis, bene tamen poſtulat præſentiam cauſæ efficientis, ex quo liquet, cur intentio interpretativa ſufficiat in ſuſcipiente Sacramenta non ita in Miniſtro. Quòd ſi urgeas, quia voluntas interpretativa, & in cauſa ſit ſufficiens ad merendum, & demerendum: conſequenter etiam ad efficiendum Sacramentum, quia non requiritur major intentio ad Sacrificium conficiendum, quàm requiratur ad eliciendam actionem meritoriam, vel demeritoriam. Antecedens oſtenditur, quia ſi quis prævideat ex aliqua honeſta actione ſe paſſurum martyrium, ſi poſtea talem actionem efficiat, & in phreneſin incidens martyrium patiatur, is dicitur verè Martyr. Sed contra, conceſſo antecedente negatur conſequentia, ratio diſparitatis eſt, quia ut actus ſit meritorius, vel demeritorius, non eſt neceſſe ut tanquam cauſa comparetur ad effectum bonum, vel malum, ſed ſufficit, ſi terminetur ad objectum honeſtum: Secus intentio miniſtri, ut ſufficiens ſit ad Sacramentum, debet ab illo comparari ut cauſa ad effectum, quo fit, ut actus poſſit eſſe meritorius vel demeritorius per ſolam intentionem interpretativam & in cauſa, quia poteſt voluntas in cauſa per modum actus terminari ad objectum honeſtum, vel turpe. Cæterum, quod martyrium ſuum effectum tribuat etiā carenti ratione per ſolā voluntatem in cauſa ideo eſt, quia voluntas ſuſcipiendi martyrium non ſe habet, ut cauſa illud efficiens, ſed tantùm ut diſpoſitio.

Aſſerendum ſecundò in Miniſtro validè conficiendi Sacramentum requiri intentionem faciendi actum externum, ſcilicet abluendi baptizandum, & ungendi moribundum, ſed rurſus requiritur intentio faciendi aliquo modo actionem ſacram inſtitutam à Chriſto, vel ſolitam uſurpari ab Eccleſia, eſtque aſſertio communis inter Catholicos, ſi pauci excipiantur, inter quos Catharinus *Opuſc. de intentione Miniſt.* Sylveſter *verbo Baptiſmus 3. que. 12.* Paludanus *in 4. diſt. 6. quæſt. 2. art. 3.* & alii pauci: quia in Concilio Florentino in decreto unionis definitur: *Sacramenta omnia tribus perfici, rebus ut materia, verbis ut forma, & perſona Miniſtri cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia:* Et in Tridentino Seſſ. 7. can. 11. habetur: *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit,* & Concilium damnavit errorem Lutheri, quia Concilium præter voluntatem faciendi actionem externam exigit ad validitatem Sacramenti, aliquam intentionem faciendi aliquo modo actionem ſacram inſtitutam à Chriſto, aut ſolitam uſurpari ab Eccleſia, ſed Eccleſia non ſolùm intendit opponere materiam, & verba exterius proferre, ſiquidem hoc totum poteſt etiam à Pagano extra Eccleſiam præſtari, ſed intendit aliquid à Chriſto inſtitutum, & ſacrum efficere: ergo ad valorem Sacramenti eſt in miniſtro neceſſaria intentio faciendi aliquo pacto actionem ſacram inſtitutam à Chriſto, & ſolitam ab Eccleſia Catholica uſurpari. Præterea quia præcitata

Con-

Conciliis definiendo requiri ad valorem Sacramenti materiam & formam etiam definiunt requiri voluntatem applicandi certam materiam ac proferendi determinata verba : ſiquidem actus exterior, & volitio ejusdem reputantur pro eodem : ſed præter materiam & formam definiunt neceſſariam itidem eſſe intentionem Miniſtri : ergo per hanc intentionem intelligunt aliquam aliam præter illam, quæ ad exteriorem applicationem materiæ,& verborum prolationem requiritur. Ratio itidem à priori deſumitur ex ipſa inſtitutione Chriſti, qui voluit, ut Miniſter conferret Sacramenta ex legitima voluntate ſibi tradita : ergo voluit exigere intentionem faciendi rem aliquam Sacram. Antecedens colligitur ex ſcripturis Joan, 20. ubi inſtituitur Pœnitentia his verbis : *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis* : Sed ſi collatio Sacramenti non eſſet exercitium ſpecialis poteſtatis traditæ Miniſtro, poſſet quilibet conferre quodlibet Sacramentum, quod eſt falſum : ergo voluit Chriſtus, ut Miniſter ex poteſtate ſibi legitimè tradita conficeret Sacramenta. Conſequentia primi argumenti ex eo etiam evincitur, quia quoties aliquis operatur ex poteſtate ſibi tradita, debet humano modo velle ſuam poteſtatem exercere,non enim ſi rex per jocum,& verbo tenus proferret mortis ſententiam in aliquem, ſtatim iſte damnaretur ab eo ut reus, idque defectu veræ intentionis in Principe : ergo ut Miniſter Sacramenti operetur ex poteſtate ſibi tradita,debet operari ex intentione illam exercendi ; conſequenter & faciendi aliquo modo actionem ſacram inſtitutam à Chriſto, vel quam ſoleat Eccleſia uſurpare. Præterea ſi non requireretur hæc intentio, plura ſequerentur abſurda : etenim ſi Sacerdos in menſa legeret Evangelium, & proferret verba conſecrationis, totus panis, qui eſt in menſa, conſecraretur, ſi intentio efficiendi rem Sacram non requireretur: ſiquidem Sacerdos ille legens evangelium in menſa,habet intentionem proferendi verba conſecratoria. Sed ideo non conſecrat, quia deeſt intentio efficiendi actionem ſacram ex modo, quo Eccleſiam eam intendit. Præterea ſi aliquis puellam conducens diceret:accipio te in meam uxorem nil cogitando de nuptiis, & illa viciſſim diceret, accipio te in meum maritum nuptiæ jam eſſent contractæ : hæc & alia hujusmodi abſurda ſequerentur ex oppoſita ſententia, ſi non requireretur intentio conficiendi actionem Sacram inſtitutam à Chriſto, & ut uſurpatam ab Eccleſia. Demum quia, ut docet D. Thomas 3. part. art. 3. Miniſter poteſt operari tum nomine proprio tum nomine Chriſti ; & ſimiliter verba proferre, quia utrumque eſt indifferens, ut ponatur utroque modo. Præterea quia actiones exteriores ſunt ex ſe indifferentes, ut ſint aliquid mere naturale,velut ſint quid ſacramentale, conſequenter ut ponantur, ut aliquid ſacramentale exigunt determinari ab intentione Miniſtri, conſequenter præter illam intentionem ponendi ſerio actum externum requiritur etiam alia intentio efficiendi aliquo modo actionem Sacram inſtitutam à Chriſto velut ab Eccleſia ſolitam uſurpari. Quòd ſi dicas ad validitatem alicujus contractus non requiri intentionem Nuntii, vel Miniſtri, ſed ſolam executionem operis imperati conſequenter hoc idem etiam valere in Miniſtris Sacramenti, qui tantùm agit, ut Nuntius Chriſti. Contra eſt, quia licèt ad validitatem contractus non requiratur intentio Nuntii vel Miniſtri, quando hic eſt verus Nuntius tantùm,neque agit ex poteſtate ſibi tradita : ſi tamen Nuntius agat ex poteſtate ſibi commiſſa tunc requiritur ejus intentio, & quia Miniſter Sacramentorum ex ipſa inſtitutione Chriſti conficit Sacramenta ex poteſtate ſibi legitimè tradita,ſequitur quòd requiratur intentio in Miniſtro, ut conficiat Sacramenta. Sed dices ſecundò, ſi quis proferat hoc nomen *homo*, ſemper ſignificabit hominem, quamvis ſine intentione ſignificandi illud proferat : ergo à pari Sacramentum ſemper ſignificabit,quamvis ſine intentione conficiatur, ſed non poteſt ſignificare, niſi cauſet, quod ſignificat : ergo etiam ſublata intentione Miniſtri Sacramentum conficitur. Sed contra, quia eſt diſcrimen inter ſigna ſpeculativa, & practica : illa enim habent ſignificare etiam abſque intentione pronuntiantis : practica verò non ſignificant efficaciter, niſi habeatur intentio, ſed Sacramenta cum ſint ſigna practica, exigunt intentionem Miniſtri. Hinc

Aſſerendum tertiò, Miniſtrum ad validè conficiendum Sacramentum debere habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia,ad quod ſufficit, ſi intendat exercere actionem Religioſam & Sacram inſtitutam à Chriſto, vel ſolitam uſurpari ab Eccleſia : neque requiritur, ut velit efficere ipſum effectum,quem intendit Eccleſia, neque ut explicitè velit agere,ut Miniſter Chriſti. Prima pars oſtenditur, quia quoties aliquis vult facere actionem externam ut ſacram exiſtimatam, non vult ſolam actionem externam nude ſumptam : ſed revera vult facere, quod facit Eccleſia, conſequenter ea intentio eſt omnino ſufficiens. Quòd verò neque ſit neceſſe, ut intendat ipſum effectum Sacramenti ex eo liquet, quia poteſt quis valide ponere Sacramentum, quamvis non habeat voluntatem ponendi ejus effectum : alioquin Hæreticus negans gratiam infundi, & characterem imprimi per Sacramenta, non poſſet eſſe Miniſter baptiſmi,quod eſt falſum. Præterea quia hæ duæ voluntates velle facere Sacramentum, & nolle ejus effectum non ſunt incompoſſibiles. Demum quòd non requiratur neceſſariò,ut Miniſter agat loco Chriſti ex eo itidem evincitur, quia Ethnicus vel Atheus putantes nullum eſſe Chriſtum, non poſſent legitimè baptizare,quod tamen eſt falſum. Sed dices, Athanaſium adhuc puerum per jocum baptizaſſe alios pueros, & tunc baptiſmum fuiſſe approbatum ab Alexandro Patriarcha Alexandrino,ut habetur cap. Spiritus 1. quæſt. 1. & apud Baronium Anno Chriſti 311. Rurſus ſimilem baptiſmum fuiſſe judicatum validum refert Nicephorus lib. 3. cap. ult. ubi narrat hiſtoriam de puero Judæi per jocum baptizato ab aliis pueris : ſed hi pueri non poterant tunc velle facere talem actionẽ ut ſacram,conſequenter ejusmodi intentio requiri in Miniſtri ad validitatem Sacramenti, ſed contra,quia dupliciter poteſt aliquod opus externum Sacramenti per jocum effici. Primò eò,quia velit quis ſolum repræſentare & fingere, quod fit in Eccleſia per miniſtrum baptizantem, & tunc nullum efficitur Sacramentum. Secundò ſi quis revera intendat facere, licèt per jocum & recreationis cauſa, quòd vere facit Eccleſia, & tunc verè conficitur Sacramentum; & hoc poſteriori modo Athanaſium adminiſtraſſe baptiſmum ex eo colligitur, quia interrogatus,cur id feciſſet, reſpondit, ſe voluiſſe agere,quod viderat fuiſſe factum ab Epiſcopo Alexandrino, proinde cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, baptizavit alios pueros.Præterea quia Athanaſius ſolos Catechumenos baptizavit, cujusmodi erant pueri ſodales.Demum quia Athanaſius habebat tunc annos plus

quàm duodecim jocos,igitur si tantùm fit cum externa actione, non valet,sin autem nectatur cum voluntate faciendi, quod facit Ecclesia, non excluditur valor Sacramenti,& eodem pacto respondetur ad secundum exemplum relatum à Nicephoro. Sed instabis,quia Genesius Martyr ut habetur in Martyrologio Romano die 25. Augusti. Cum esset Mimus, & vellet coram Diocletiano Principe mysteriis illudere Christianorum,se ægrotum simulavit, petiitque mimicè ab uno ex sodalibus baptizari in theatro: *Sed à Deo inspiratus*,ac repente ad fidem conversus suscepit baptismum, & professus Christianum se esse,pro fide Christi martyrium subivit, ergo baptismus mimicè & fictè collatus fuit validus. Præterea quia Angelus ante absolutionem apparuit Genesio, & ei promiserat mediante illa aqua remissionem omnium suorum delictorum. Ab hac instantia ut plures se expediant,respondet cum Bellarmino,Genesium in theatro fuisse baptizatum à Sacerdote Christiano, qui habuit intentionem eidem administrandi tale Sacramentum. Sed hæc responsio,ut rectè notat de Lugo, videtur probabilis; quia non videtur, quomodo sacerdos absque sacrilegio potuerit theatrum conscendere ad cooperandum ludicro spectaculo quod in derisum Christianæ Religionis agebatur. Præterea non videtur probabile,se manifestâsse Christianum Sacerdotem coram Diocletiano acerrimo Christianorum percussore. Demum quia vix potest intelligi id impunè fecisse, ac permisisse Diocletianum talem sacerdotem liberum abiisse absque ullo supplicio, cum Genesium statim captum morte damnaverit. Quapropter probabilius est, quod respondent alii,eum eundem Angelum, qui S. Genesium monuit, ut seriò baptismum reciperet, ac ei peccatorum remissionem pollicitus fuerat, admonuisse etiam Sodalem suum,ut seriò, & piè Sacramentum illud administraret; perinde ac illud administrat Ecclesia Christiana, quapropter non defuit in administrante, ne in suscipiente vera intentio requisita ad hoc Sacramentum. Præterea, quia potuit DEUS subito eorum corda mutare & efficere, ut veram haberent intentionem priusquam esset peccatum baptismus. Alii etiam respondent,Deum tunc miraculosè suppleviſſe intentionem Ministri quæ quamvis de lege ordinaria sit necessaria, non ita de potentia absoluta. Sed dices: Qui asserit, volo facere actionem sacram, vel quod facit Ecclesia, asserit aliquid præter actionem æternam, quam facit Ecclesia: ergo intendit ulteriùs aliquid internum: sed non potest intelligi, quid aliud sit hoc internum præter gratiam: non enim potest esse ipsa intentio, alioquin hæc esset objectum sui ipsius: ergo Minister Sacramenti semper debet velle efficere ipsum effectum Sacramenti. Sed contra, quia quamvis præter actionem externam & effectum Sacramenti adhuc reperiatur, quid aliud,quod non est sola intentio, sed est ipsa actio externa religiosa, & sacra sufficit, si Minister hanc intendat ut sacram,adeo ut licèt non sufficiat, ut intendat nudam actionem externam,sufficit tamen, si eam intendat, ut existimatam sacram ab Ecclesia: & hæc actio externa hoc pacto existimata Sacra est objectum talis voluntatis. Sed instabis, intendere hanc actionem externam ut Sacram,perinde est, ac intendere actionem,ut à Christo institutam: sed non videtur dicendum, quia inde sequeretur Ministrum Athæum negantem Christum non posse legitimè baptizare: ergo non est necesse,ut Minister velit facere actionem hanc externam, ut sacram, contra tamen est, quia quamvis Minister Atheus non possit facere actionem illam, ut verè sacram secundùm proprium suum judicium; potest tamen eum facere, ut sacram secundùm judicium alicujus Ecclesiæ, consequenter potest sufficientem intentionem habere.

Asserendum quartò ad validitatem Sacramenti saltem requiri intentionem virtualem in Ministro, & quæ maneat in aliquo suo effectu: quia congruum omnino fuit, ut Deus eam in Ministro Sacramentorum intentionem exigeret, quæ in humanis negotiis sufficiens est ad reddendam actionem humanam, seu liberam: sed hujusmodi est intentio virtualis, alioquin si semper requireretur intentio actualis,formaliter esset valde dubius valor Sacramenti, quia ea est humana fragilitas, ut difficillimum sit habere semper formaliter actualem intentionem,cùm facilè intellectus noster ob plura ac varia,quæ ipsi objiciuntur,objecta distrahi possit,ergo sola intentio virtualis modo superiùs explicato sufficiens est ad valorem Sacramenti. Rursus ut intentio Ministri valida sit ad conficiendum Sacramentum, debet ad certam personam certamque materiam dirigi, ut satis apertè indicant illa pronomina *te* vel *hoc*,quæ designant certam personam, certamque materiam. Præterea, quia intentio,quæ requiritur ad Sacramentum est operativa, & se habet per modum principii: sed non est operativa nisi ad certam personam, certamque materiam dirigatur: ergo ut intentio Ministri valida sit ad conficiendum Sacramentum necesse est,dirigatur ad certam personam, certamque materiam; hinc si quis intendens absolvere Petrum, absolveret Joannem absolutio esset nulla,quia intentio Ministri tantùm ad Petrum dirigitur. Eadem ratione si Sacerdos intendat tantùm consecrare unam hostiam determinatè non consecrat alias, quamvis præsentes, quia intentio dirigitur ad unam tantùm determinatam,& non ad alias, si autem intendat consecrare omnes hostias quotquot præsentes sunt, tametsi putaret esse tantùm quinquaginta, & essent certum adhuc omnes consecraret, quia intentio dirigitur ad omnes, quotquot præsentes sunt, quòd si Sacerdos habens præsentes decem hostias,intenderet vagè unam consecrare,non determinando qualem, in hac hypothesi nullam consecraret, quia intentio non dirigeretur ad unam certam materiam.

Quòd si quæras,an intentio Ministri possit esse conditionata, respondetur,intentionem aliam esse absolutam, & aliam conditionatam, & illam esse,cui nulla opponitur conditio suspendens ipsum actum: Condionata verò est actus voluntatis, cui opponitur conditio actum suspendens & non tantùm valorem actûs,ut si quis dicat: *Ego te baptizo, si non es baptizatus*;quibus verbis conditio opposita non solum suspendit valorem baptismi, sed etiam ipsum baptismum. Potest autem intentio esse conditionata vel de præsenti, ut,si Minister dicat: Ego te baptizo, si tu es talis persona: vel de præterito, ut si dicat: Ego *te* baptizato, si non es baptizatus, vel tandem de futuro, ut, ego te absolvo, si restitueris rem alienam. His positis respondetur ad quæsitum, sufficere ad valorem cujuscunque Sacramenti intentionem conditionatam de præsenti, & præterito. Intentionem verò conditionatam de futuro posse sufficere ad Sacramentum matrimonii, non verò ad ullum aliud Sacramentum

tum nominatimque ad Sacramentum Pœnitentiæ de conditione præſenti, & præterita facilè evincitur, quia intentio cum conditione hac præterita, vel præſenti eſt abſoluta: quia quoties conditio purificatur, ſeu ponitur vel tollitur, propoſitio conditionata tranſit in abſolutam, ſed in voluntate conditionata de præſenti vel præterito conditio vel actio eſt poſita vel non eſt actu poſita, conſequenter illa intentio eſt abſoluta. Præterea quia ſubinde urget neceſſitas conferendi Sacramenta ſub hac conditione: *ſi non es baptizatus ego, te baptizo.* Quòd ſi conditio videretur de futuro, ut ſi quis diceret: Ego te baptizo, ſi jam nunc verum eſt, te cras hoc eſſe facturum, ubi conditio tametſi videtur eſſe de futuro, revera eſt de præſenti. Reſpondetur hanc vel alias hujuſmodi conditiones nonniſi illicitè, & cùm gravi peccato poſſe adhiberi: ratio eſt, quia relinquunt perquam dubium valorem Sacramenti, & inferunt jocum in re gravi, & ſeria: non tamen hæ conditiones redderent Sacramentum invalidum, quia revera eſſent de præſenti. Cœterum matrimonium poſſe eſſe validum, adhibita conditione de futuro: concedunt plures cum Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 3. Vaſquez *quæſt.* 84. *art.* 3. *dub.* 5. Coninck. *quæſt.* 64. *num.* 78. Ratio eſt, quia matrimonium ſe habet per modum contractus: ſed contractus perſæpe celebrari ſolet ſub conditione de futuro, & tunc tantùm incipit eſſe validus, & obligare contrahentes, quando ponitur conditio ſiquidem, hi actus morales durare poſſunt, & ſuſpendi usque ad tempus aſſignatum niſi retractentur, quod verò alia Sacramenta, ſub conditione de futuro adminiſtrata irrita ſint, & præſertim Sacramentum Pœnitentiæ, liquet ex perpetuo Eccleſiæ uſu, quæ nunquam hanc abſolutionem approbavit. Quamobrem ſi ex ſolo Eccleſiæ uſu habetur requiri ad hoc Sacramentum certa verba, quæ non requiruntur ad matrimonium; ſequitur per conditionem de futuro deſtrui Sacramentum Pœnitentiæ. De reliquis itidem Sacramentis eſt etiam probatu facilè, quia conditio de futuro appoſita ipſi actui ſuſpendit actum, donec ponatur conditio: ſed quando poſtea ponitur conditio materia, & forma horum Sacramentorum non amplius adſunt, ſiquidem non ſunt actus humani, & morales, qui poſſint ſuſpendi ad tempus & aliquamdiu durare.

CAPUT VII.

Subjiciuntur, & explicantur aliquot aſſertiones ſpectantes ad praxim miniſtrandi Sacramenta.

Aſſerendum primò, ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſariam in Miniſtro intentionem producendi, effectum Sacramenti; ratio eſt, quia Concilium Tridentinum tantùm exigit in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, non verò voluntatem finis, propter quem agit Eccleſia, neque ſtatuit effectum, qui per actionem Sacramentalem producitur, alioquin in Miniſtris Hæreticis, qui negant baptiſmi effectum, vel etiam Paganis, in quibus nulla eſt intentio producendi hujuſmodi effectus, non perficeretur Sacramentum, quod eſt falſum, quia baptiſmus collatus ab illis, habetur ab Eccleſia ratus, ergo ad Sacramenti perfectionem non eſt neceſſaria in Miniſtro intentio producendi effectum Sacramenti. Hoc idem ſtatutum etiam fuit in Concilio Rothomagenſi Anno 581. ſupra milleſimum tit. de ſacram. cap. 2. ubi habetur: *Antea in pleriſque noſtrorum Diœceſium locis baptizati ab Hæreticis præſertim Calviniſtis redeuntes ad Eccleſiam Catholicam iterum tingebantur hac ſub verborum forma.* Si non es baptizatus, ego te baptizo, *quia dubitabant nonnulli de valore baptiſmi ab hujuſmodi Hæreticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum. Verùm quoniam illa formula baptizandi ſub conditione fuit introducta propter baptiſmata occulta, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri, ſeu alteri privatim baptizandi credi debebat, contra verò conſtabat Calviniſtas in publico cœtu baptizare in forma verborum, & materia à Chriſto inſtituta, nec de hoc facto ambigi poterat. Vetamus ablutionem repeti cum quibuscunque verbis à Calviniſmo, aut aliis hæreſibus ſimiliter baptizantibus ad noſtras Eccleſias tranſeuntibus, ne de Anabaptiſmo redarguamur.* In pluribus itidem aliis Conciliis fuit hoc idem definitum, & clarè etiam corroboratur authoritate D. Auguſtini epiſt. 97. ad Bonifacium Epiſcopum, ubi ait: *Nec illud te moveat, quòd quidam non ea fide ad baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam, ſed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria & verba Sacramentorum, ſine quibus conſecrari parvulus non poteſt. Spiritus autem iſte Sanctus, qui habitat in Sanctis, ex quibus una illa Columba de argentata Charitatis igne conflatur, agit, quod agit etiam per ſervitutem, aliquando non ſolum ſimpliciter ignorantium, verum etiam damnabiliter indignorum. Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam non tantùm ab eis, quorum manibus geſtantur (quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt) quàm ab univerſa ſocietate ſanctorum atque fidelium, ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum ſancta atque individua charitate ad communicationem Sancti Spiritus adjuvantur, tota ergo mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, hoc facit: quia tota omnes, tota ſingulos parit.*

Aſſerendum ſecundò intentionem internam veram & ſinceram faciendi quod facit Eccleſia, neceſſariam eſſe in Miniſtris Sacramentorum, ut hæc valida ſint, & rata. Hæc aſſertio pertinet ad dogma fidei, quia definita fuit à Martino V. in Concilio Conſtantienſi, ubi ſuſpectos de hæreſi inter alia interrogari juſſerat: *An credant, quod malus Sacerdos,* cum debita materia, & forma & intentione faciendi, quod facit Eccleſia, verè conficiat *Sacramentum, ſeu verè baptizet.* Hoc eidem etiam definivit Eugenius IV. in ſuo decreto poſt Concilium Florentinum, ubi ſeptem Sacramentis nominatim recenſitis ſubdit: *Hæc omnia Sacramentatribus perficiuntur, ſcilicet rebus tanquam materia,*

verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia. Rursus Leo Papa X. speciatim hunc Lutheri duodecimum articulum damnavit: *Si Sacerdos non seriò, sed joco absolveret, si tamen credat se esse absolutum verissime est absolutus,* & Trident. Synodus sess. 7. can. 9. declaravit id pertinere ad fidei dogma; ait enim: *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, anathema sit.* & sess. 14. cap. 6. ait: *Non debet pœnitens adeo sibi de sua fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit, putet tamen se propter solam suam fidem verè, & coram Deo esse absolutum.* & can. 9. ait: *Si quis dixerit absolutionem, sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitendi, modo tantùm credat se esse absolutum, aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat, anathema sit.* Hæc autem doctrina fundatur in sacris scripturis & traditionibus Apostolicis, ex quibus constat, ministros Sacramentorum esse à Deo constitutos, ut sint dispensatores mysteriorum Dei; scribit enim Apostolus; ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei,* atqui mysteriorum dispensatores dici non possunt, nisi intentionem habeant propriè dictam, & sinceram: quisquis enim constituitur dispensator, prudenter agere debet, adeóque ex judicio rationis, & sincere ac propriè dicta intentione: Et firmari ex eo potest. Primò quia administratio Sacramentorum debet esse actio humana: sicut enim Christus homines constituit Sacramentorum Ministros ita voluit Sacramentorum administrationem esse actionem humanam, quæ non potest esse, nisi exerceatur cum intentione propriè dicta interiori, & sincera, & actio non est humana, nisi sit libera, nec est libera, nisi fiat ex judicio rationis, & cum intentione voluntatis: hinc oritur discrimen inter Sacramentum & frumentum, aut pharmacum ad quorum vim nihil confert Agricola vel Medicus, & possunt æquè prodesse, sive fortuitò, aut casu se offerant, sive consulto offerantur. Deus autem Sacramentorum administrationem voluit esse actionem humanam, proinde ex deliberata voluntate ac intentione elicitam. Secundò quia quando aliqua actio referri potest ad varios fines, ad unum non determinatur nisi qui illam præstat, eam determinet, ad unum potiùs quam ad alium finem: sed actio Sacramentalis ad varios potest referri fines, siquidem infans potest aqua ablui vel ad abstergendas corporis maculas, vel ad sanitatem, vel etiam per jocum, quapropter quia hæc ablutio ad plures fines dirigi potest, necesse est, ut determinetur ad Sacramentalem effectum ab ipsa intentione abluentis, quæ intentio verbis etiam sacramentalibus exprimitur, cum Minister dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Tertiò quia adest discrimen inter instrumentum vivens, & liberum, ac inanimatum, & necessarium, quia inanimatum vel necessarium movetur, neque se movet, adeo ut ex sola principalis agentis motione determinetur ad agendum, ut calamus à manu scribentis determinatur ad hos vel illos Characteres efformandos: instrumentum verum vivens, & liberum movetur, & movet, quapropter non solùm indiget principalis agentis motione, verum etiam se ad agendum determinare debet: atqui Sacramentorum Ministri sunt instrumenta viventia, & libera Salvatoris Christi, idcirco inter administranda Sacramenta se se debent ad agendum determinare, quod intelligi nequit, nisi cum intentione interiori propriè dicta ac sincera agant. Quartò quia ut Sacramentum validè conferatur, qui illud administrat, gerere se debet, ut Christi, & ecclesiæ Ministrum: & nisi velit facere, quod agit ecclesia, non se gerit ut Christi & ecclesiæ Ministrum: est enim ecclesiæ Minister, qui præscriptis ab ea legibus obtemperat, & is obsequitur ecclesiæ, qui intendit id præstare, quod ecclesia agit: sicut è contra, qui detrectat id agere, quod facit ecclesia legibus non paret ecclesiæ, neque perinde ut illius Ministrum se gerit. Hinc qui jocosè, ac scurriliter ritum exerceret ecclesiæ ad Sacramentum aliquod administrandum valide non conficeret Sacramentum, nec valide illud administraret, idque declaravit Concilium Tridentinum, in quo damnati sunt Lutherus, & Calvinus asserentes Sacramenta per jocum, & non serio administrata nihilominus rata esse. Neque obstat, quod Sectarii objiciant, baptismum ab Athanasio puero administratum pueris cum eo colludentibus, & hunc baptismum ab Alexandro Episcopo Alexandrino fuisse approbatum, ut etiam alius baptismus, quem Genesius agens in theatro personam Mimi ad Christianæ religionis irrisionem sibi administrari voluit. Siquidem quòd attinet ad factum Athanasii jam paulò superiùs respondimus, Athanasium tunc habuisse ætatis annos plusquàm duodecim, & joco si adnectatur voluntas faciendi, quod præstat ecclesia non excluditur valor Sacramenti, potest enim aliquod opus externum Sacramenti dupliciter fieri, per jocum, primò eò quia velit quis solùm repræsentare, fingere, quod fit in ecclesia per ministrum baptizantem, & tunc nullum efficitur Sacramentum. Secundò si quis revera intendat facere licèt per jocum, & causa recreationis quod revera facit ecclesia, & tunc verè conficitur Sacramentum, quia adest vera intentio conferendi Sacramentum, adest vera materia & forma, imò & Minister consequenter nil deest ad valorem Sacramenti. Alii verò censent Athanasii pueri factum incertum, & dubium videri nec ad illius ætatem satis accommodatum: siquidem Alexander ad sedem Alexandrinam non fuit evectus ante annum 312. imò ante annum 321. ut colligitur ex Chronico S. Hieronymi: & quia Athanasius tempore Concilii Nicæni, quod congregatum fuit anno 325 esset Diaconus & inter celeberrimos illius ævi Theologos locum habuerit, ac paulò post Concilium Nicænum creatus fuerit Episcopus, non potest satis intelligi, quomodo luserit puer eo tempore, quo Alexander Ecclesiam Alexandrinam regebat, ut notat Socrates *lib. 1. Histor. Ecclesi. cap. 14.* Sozomenus *lib. 2. cap. 17.* & Ruffinus adhærens Sozomeno quique scripsit gesta illius ævi. Sed quidquid sit de hoc adhuc, Athanasius licèt ut puer luserit, rationis tamen erat compos, & pueros, qui Catechumeni erant, baptizavit eo ritu, quem ab Alexandro Episcopo fieri viderat, adeoque licet per jocum cum aliis pueris Catechumenis eos baptizaverit, habuit tamen veram intentionem in tali administratione baptismi faciendi, quod faciebat ecclesia, scilicet actionem sacram per Sacramentum ministrandum ob delectationes quidem, sed animo serio, & intentione sincera exercendi, quod in administratione baptismi agit ecclesia: quamobrem S. Alexander pueros accuratè interrogâsset, quidnam ipsis dixisset, ac fecisset Athanasius, & quid ipsi respondissent, & quid edocti fuissent, ait Sozomenus loc. cit. *Omnia juxta ordinem ecclesiasticum exactè in illis servata esse deprehendisset, communicato consilio cum Sacerdotibus,*

quos

quæ circa ſe habebat, cenſuit non rebaptizandos eſſe eos, qui in ſimplicitate divinam gratiam ſemel recipere meruiſſent. Reliqua verò quæ à ſolis ſacerdotibus baptiſmum tradentibus adminiſtrari fas eſt, in illis ſupplevit. Athanaſium verò aliosque pueros, qui in eo ludicro Presbyterorum aut Diaconorum partes egerant ſub divino teſtimonio parentibus ipſorum tradidit, quo ipſos ad Eccleſiæ miniſterium educarent, informarentque ad ea officia, quæ fuerant imitati. Aſſerit tamen Sozomenus, factum iſtud ex vaga relatione ſe narrare quam ex certis monumentis illud excerpere. Quod autem ad Geneſium pertinet, communiter negant ipſum in theatro agentem perſonam Mimi fuiſſe jocosè baptizatum, ſiquidem cum ſacris miniſteriis vellet in theatro illudere, afflante Dei gratia ſeriò ad chriſtianam fidem ſe convertit, & converſus à Presbytero, quem ſimulato morbo vocaverat, ſeriò baptizatus eſt, ut habetur in Martyrologio Adonis, quapropter Catalogo Martyrum adſcriptus fuit.

Aſſerendum tertiò, ad valorem Sacramenti non ſufficere intentionem habitualem in Miniſtro, neque neceſſariam eſſe actualem, ſed ſufficere virtualem, adeo ut cum hac intentione ratum habeatur Sacramentum. Ratio eſt, quia cum adminiſtratio Sacramenti debeat eſſe actus humanus ex deliberatione, & judicio rationis procedens, ideo non ſufficit in Sacramentis adminiſtrandis intentio habitualis, qualis ineſt ebriis, vel dormientibus, ſi antea habuerint intentionem actualem non retractatam, propterea perſeverantem habitualiter, quia ab hac intentione habituaſi non procedit actio deliberata, quæ ſufficiat, ut Sacramentum ratum habeatur: quod verò intentio actualis neceſſaria non ſit, quamvis eſſet optanda, ut accuratius adminiſtraretur Sacramentum ex eo liquet, quia quamvis nitatur Miniſter eſſe attentus operi, cui vacat, non tamen eſt in ejus poteſtate omnine poſitum, ne mens illius diſtrahatur in alias cogitationes, neque humana fragilitas patitur hanc continuatam attentionem actualem, præſertim ad diuturnum tempus, quo miniſtrantur Sacramenta, quamvis optimum factu eſſet, ſi Miniſter actualem intentionem nunquam interruptam ſibi poſſet procurare. Quamobrem in miniſtrandis Sacramentis ſufficit in miniſtro virtualis intentio, qualis eſt, cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum quod facit eccleſia: licet poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia trahatur ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum, ùt docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 8. *in reſponſione ad tertiam objectionem.* Cæterum juvat obſervare voluntatis intentione diſtingui ab attentione mentis, adeo ut poſſit contingere, ut ceſſet actualis mentis attentio perſeverante actuali voluntatis intentione: ſiquidem agit voluntas juxta propriam inclinationem unde habetur vulgatum illud: amor meus, pondus meum, unde jam voluntas propenſione ſua feratur ad rem aliquam faciendam, quamvis mens non attendat, dici poteſt eſſe in eo, qui agit actualem rei agendæ intentionem: ita qui ambulat, & cum amico confabulatur, & mente advertit ad res ipſas, de quibus eſt confabulatio inſtituta, & ſæpe de ambulatione non cogitat, cùm tamen velit actualiter ambulare: ita in Miniſtro Sacramenti fieri poteſt, ut ceſſet attentio mentis, & perſeveret intentio voluntatis, ut cum quis Sacramentum Euchariſtiæ pluribus centenis hominum adminiſtrat, quamvis non ſemper attendat mente ad id, quod agit, vult nihilominus continuare ſuam actionem, & miniſtrare Euchariſtiam, adeo ut perſeverante intentione voluntatis non ſemper perſeveret mentis attentio. Verùm intentio illa abſoluta eſſe debet non conditionata propriè dicta, quæque conditionem de futuro apponit, effectum ſuſpendit Sacramenti, nec poteſt efficax eſſe.

Aſſerendum quartò, verum Miniſtrum Sacramentorum (exceptis baptiſmo, & matrimonio) non eſſe quemlibet hominem etiam baptizatum, ſed eum ſolùm, qui ritè in eccleſia ordinatus eſt; excipitur Baptiſmus ob ſummam ejus neceſſitatem; ſemper enim Eccleſia, intellexit, poſſe baptiſmum à quolibet homine conferri; cum enim ſit ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius baptiſmus, congruum erat, ut præſto ſemper eſſet ubique locorum ejus Miniſter. Rurſus excipitur etiam matrimonium, quia conſiſtat in mutuo contractu duorum non poterat aliter fieri, quam ut ſi contrahentes eſſent Miniſtri. Cæterum aſſertio evincitur ex ſcripturis docentibus, diverſa eſſe officia in eccleſia, nec omnia omnibus convenire: ſiquidem Apoſtolus ad Roman. 12. & 1. ad Corinth. 12. & ad Epheſ. 4. ait: Alios poſuit Apoſtolos, alios Prophetas &c. nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? & hoc idem dici poteſt de Paſtoribus, & Doctoribus, qui à D. Paulo recenſentur. Neque reſponderi poteſt hic Apoſtolum tantùm agere de uſu (Lutherani enim dicunt non de poteſtate, quam omnibus baptizatis communem eſſe volunt, tametſi ad tollendam confuſionem non oporteat omnes hac uti poteſtate, ſed tantum eos, qui legitimè ſunt vocati, intelligendum ſit,) Quia Apoſtoli non habuerunt poteſtatem Apoſtolicam, antequam illam à Chriſto acciperent. Secundò evincitur aſſertio ex illo ad Hebr. 5. *Nemo aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, non igitur quotquot ſunt de populo Dei per ſuſceptum baptiſmum non ſunt ſtatim Sacerdotes. Neque poteſt dici hunc locum eſſe intelligendum de ſolo exercitio, ut reſpondent Sectarii, ſiquidem Aaron antequam vocaretur à Deo ad Sacerdotium, non habuit uſum, nec poteſtatem propterea aſſumere honorem non eſt exequi poteſtatem, ſed eam accipere, ut colligitur ex ſequentibus verbis: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret*, adeo ut aſſumere honorem idem ſit ac Pontificem fieri, non verò idem ac exercere Pontificatum. Rurſus Apoſtoli baptizati omnes fuerunt, & ante Chriſti paſſionem etiam baptiſmum conferebant aliis: ſiquidem quod baptizaverint, habetur Joan. 4. Et quod ipſi baptizati fuerint, docet D. Auguſtinus epiſt. 108 ad Seleucianum, neque credibile eſt, eos à Chriſto juſſos fuiſſe baptiſmum aliis conferre, antequam ipſi baptiſmum ſuſciperent, ſed poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam acceperunt poſtea, cum Chriſtus Luc. 22. dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; *pari pacto acceperunt poteſtatem abſolvendi*, quando Chriſtus Joan. 20. dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt &c.* unde Apoſtoli eo ipſo, quod aqua fuerunt abluti baptiſmi inſtituti fuerunt Sacerdotes ex vi ejusdem baptiſmi, ſed ex collatione iiſdem facta à Chriſto, adeo ut non quilibet baptizatus poſſit eſſe verus Miniſter Sacramentorum. SS. Patres etiam hoc idem ſemper docuerunt in eccleſia. S. Dionyſ. lib. de Eccl. Hierarch. c. 5. multa habet de ritu ordinandi Sacerdotes, & D. Hieron. ſuper Ezech. ait: *Grandis dignitas Sacerdotum, ſed grandis ruina ſi peccant, lætamur ad aſcenſum, ſed timeamus ad lapſum.* D. Chryſoſt. lib. 2. de dignit. Sacerd. ait: *Sacerdotis aſpice dignitatem, agitur in terra, ſed officium cæleſtibus negotiis continetur. Non enim homo, neque Archangelus, ſed ipſe Spiritus S. hoc munus inſtituit, atque adhuc manentes in carne myſterio ungi præſtitit Angelorum.* Rurſus quæ ſancti Patres habent ſurè de ritu, & Sacramen-

Digitized by Google

cramento ordinis probant luculenter hanc veritatem ſcilicet, non omnes baptizatos eſſe Miniſtros omnium *S*acramentorum, nec ex vi baptiſmi eſſe Sacerdotes, hinc in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 10. definitur *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem anathema ſit.* Ratio etiam hæc fidei dogma ſuadet: ſiquidem in lege veteri, ubi imperfectiora erant Sacramenta, & miniſteria, non tamen poterant omnes ea miniſtrare; ſed ſoli Sacerdotes, ergo à fortiori etiam in lege evangelica, quapropter D. Paulus ſe & alios Apoſtolos diſpenſatores, & Miniſtros nuncupat 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Neque urget, ſi dicas, Chriſtianos factos eſſe in baptiſmo Sacerdotes ſpirituales, quia etiam in lege veteri Iſraelitæ fiebant in circumciſione ſpirituales Sacerdotes, & poterant omnes offerre ſpirituales hoſtias. Imò quod dixit D. Petrus de omnibus Chriſtianis: *vos autem genus electum, regale ſacerdotium,* ut habetur 1. Petr. 2. hoc idem antea dixerat Moyſes Exodi 19. de omnibus Iſraelitis. *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Et nihilominus conſtat, Oziam Regem lepra punitum fuiſſe, quia fungi voluit munere ſacerdotali, ſeu adolere incenſum, quod proprium erat ſacerdotum, 2. Paral. 26. Imò Ozam ſcimus morte punitum 2. Reg. 6. eò quia auſus fuerit extendere manum ad Arcam Dei, eò quia boves eam trahentes recalcitrarent, percuſſit eum iratus Dominus ſuper temeritate, & mortuus eſt ibi juxta arcam Dei, eò quia ſolis Levitis, ſeu Miniſtris Eccleſiæ licitum erat Arcam Dei tangere. Quòd ſi in lege veteri non licuit omnibus munus Levitarum ſibi aſſumere à fortiori neque in lege evangelica licitum eſt omnibus hominibus baptizatis munus exercere Sacerdotis. Sed Sectarii objiciunt textum ex 1. Pet. 2. ubi Chriſtianos omnes aſſeris eſſe Sacerdotes. *Tanquam lapides ſuperædificamini in ſacerdotium ſanctum, vos genus electum, regale ſacerdotium, ut annuntietis virtutes ejus, qui vocavit vos,* & Apocal. 5. *Feciſti nos DEO noſtro regnum & ſacerdotium* & cap. 20. *Erunt ſacerdotes DEI, & Chriſti ejus.* Sed reſpondetur, hos textus eſſe intelligendos de ſacerdotio ſpirituali, quo offerimus hoſtias ſpirituales ſeu opera bona, ac præcipuè laudes, & preces, quod quidem ſacerdotium eſt commune omnibus hominibus addictis culturæ virtutum, & pietatis ſtudio: præter hoc ſacerdotium datur inter Chriſtianos aliud propriè dictum, quo offertur verum ſacrificium, & ad cujus officium pertinet miniſtrare verbum, & Sacramenta populis, idque patet ex eodem D. Petro, qui hoſtias ſpirituales ſpecificat: quia verò jungit regnum cum ſacerdotio, infertur Chriſtianos quoslibet perinde eſſe Sacerdotes, uti ſunt Reges. Nec annunciatio virtutum eſt intelligenda de publica verbi Dei prædicatione, ſed de gratiarum actione ob ſuſcepta beneficia. Petrus enim vult Chriſtianos laudare, & magnificare Deum. Sed inſtant, quia Chriſtus eſt verus Sacerdos, ut habetur Pſal. 109. Sed omnes Chriſtiani ſunt fratres Chriſti Pſal. 121. *Narrabo nomen tuum fratribus meis,* & Pſal. 44. *Unxit te DEUS oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ergo omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes, ſed contra, quia ex inde nihil concluditur contra noſtrum aſſertum: nam Chriſtus non erat Sacerdos ut Aaron ſed *ſecundum ordinem Melchiſedech*: ſiquidem in ſacerdotio Aaronico fratres erant Sacerdotes, quia Tribus Levi ad hoc ſeparata, & aſſumpta fuit, ſed in ſacerdotio ſecundùm ordinem Melchiſedech ſolus primogenitus erat ſacerdos. Præterea in Sacerdotio Aaronico ſoli fratres naturales erant, non autem adoptativi. Chriſtiani vero ſunt fratres adoptivi non naturales Chriſti, quatenus per gratiam ſanctificantem participant naturam divinam.

Aſſerendum quintò neq; ad validam collationem Sacramentorum requiri probitatem & fidem in Miniſtris, idque colligitur ex ſcripturis Matth. 23. *ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis, obſervate, & facite, ſecundum autem opera eorum nolite facere* 1. *Corinth.* 3. *Neque quis plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEus.* Sancti Patres itidem hoc fidei dogma adſtruunt, præſertim Auguſtinus Tractat. 5. in Joan. ubi ait: *Quid in Chriſto non noverat Joannes? Poteſtatem Baptiſmi ipſum Dominum ſibi habiturum, & retenturum, ſed miniſterium planè tranſiturum in bonos, & malos? quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus?* Et D. Ambroſius in Prologo in lib. de Spiritu Sancto ait: *Non mandavit Damaſus, non mandavit Petrus, non mandavit Ambroſius, non mandavit Gregorius! Noſtra enim ſunt ſervitia, ſed tua Domine ſunt Sacramenta, neque enim humana opis eſt divina conferre, ſed tuum Domine munus eſt, & Patris.* Et id definitum etiam fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 12. ubi habetur: *ſi quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit.* Ratio itidem hoc fidei dogma docet, quia ſi Miniſtri ſua virtute conferrent baptiſmum, eſſent diverſa baptiſmata, & quidem alia aliis meliora pro diverſitete meritorum, & excellentiæ Miniſtrorum baptizantium, atqui unum tantùm eſſe baptiſma aſſerit Apoſtolus ad Epheſ. 4. Præterea quia Apoſtoli nunquam vocarunt baptiſmum ſuum, quem aliis conferebant, cum tamen vocaverint evangelium ſuum, quod prædicabant, & promulgabant Gentibus *ad Roman.* 16. & ad 2. *Timot.* 2. ait Apoſtolus *juxta evangelium meum*, ergo in baptiſmo ideo nihil ſuum agnoſcebant, niſi nudum miniſterium, adeo ut baptiſmus non dependeat à probitate, vel pravitate Miniſtri, ſed à ſolo Deo. Præterea æquum fuerat, ut Sacramenta non penderet ab humana virtute, ne homines aſſueſcerent in hominibus ſperare, & confidere, cùm ſcriptum ſit: *Maledictus homo, qui confidit in hominem.* D. Thomas itidem ait: Miniſtros Eccleſiæ tantùm inſtrumentaliter agere in Sacramentis, & conferre poſſe Sacramenta ſive boni ſint, ſive mali, quia inſtrumentum non agit ſecundùm propriam virtutem, & formam, ſed juxta virtutem illius, à quo movetur. Rurſus DEUS non confert ob peccata poteſtatem juriſdictionis, ut patet, 1. Petr. 2. ubi Apoſtolus injungit, ut Chriſtiani obediant Dominis ſuis, non tanùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis: & ibidem jubet, obediri Regibus, & aliis Magiſtratibus Gentilium, quamvis eſſent in fideles, ergo multò minus aufert poteſtatem ordinis, quia ſi poteſtas auferretur ad puniendum eum, qui ea eſt inſignitus, magis auferenda eſſet poteſtas juriſdictionis, quàm ordinis, quia illa magis amatur, unde & magis punietur, cui illa auferretur, hinc magis dependet poteſtas juriſdictionis à probitate vitæ ejus, in quo eſt, quàm poteſtas ordinis: quia magis dominantur paſſiones in imperante, quam in Sacramenta adminiſtrante. Præterea quia Deus non adimit potentias naturales ad opera naturalia ob peccata, ut exploratum

eſt

Digitized by Google

eſt, conſequenter neque auferre debet poteſtatem naturalem ad opera ſupernaturalia, in quibus non conſiſtit meritum operantis, quia DEUS non minus bono providit totius eccleſiæ, quam bono totius mundi, & D. Auguſtinus obſervat, Judam efficaciter baptizaſſe, quia non legimus rebaptizatos quos ipſe baptizavit: Cæterum quamvis ſtatus gratiæ, ſeu probitas in Miniſtro non ſit neceſſaria ad Sacramentorum validitatem, requiritur tamen ad licitam & condignam eorundem miniſtrationem, unde D. Thomas docet Miniſtrum peccare mortaliter, ſi peccati mortalis conſciens nulla urgente neceſſitate conferat Sacramenta, & ita etiam docet D. Auguſtinus contra epiſtolam Parmeniani cap. 10. ubi ait: *Omnia Sacramenta cùm obſunt indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus*; & ratio præcipua deſumitur ex dignitate Sacramenti, quod reverenter, & non indignè tractari debet. Dicitur tamen nulla urgente neceſſitate, quia ſi Miniſter in peccato mortali exiſtens deberet baptizare vel Sacramentalem confeſſionem audire illius, qui periclitatur de vita, deberet, quantum poteſt, actum contritionis elicere, & Sacramentum miniſtrare, ne alius decederet ſine Sacramento.

Sed contra aſſertionem dices, nemo dat, quod non habet, Hæretici autem, & impii non habent remiſſionem peccatorum, ergo, non dant, neque adminiſtrant efficaciter Sacramenta. Idem dicendum de Spiritu Sancto neceſſario ad remiſſionem peccati. Sed contra, quia licet Hæretici, & impii non habeant formaliter remiſſionem peccatorum; eam tamen habent miniſterialiter; perinde ac famulus, qui ſæpe non habet obolum, & tamen defert multos aureos ſuſceptos à Domino ſuo ad alium juxta Heri intentionem. Rurſus in rebus naturalibus, & artificialibus effectus non debet eſſe ſimilis inſtrumento, ſed cauſæ principali, non enim calor, qui eſt inſtrumentum, quo ignis agit, habet in ſe formaliter ſubſtantiam ignis, ut nec dolabra formam Cathedræ, quamvis eam efficiat inſtrumentaliter. Ad id quod addebatur de Spiritu Sancto, reſpondent Chryſoſtomus & Cyrillus, Spiritum Sanctum remittere peccata poteſtativè. Sed inſtabis quia Sacramenta pertinent ad ſolam eccleſiam Catholicam, quam Chriſtus condidit: ſed Hæretici, & ſchiſmatici ſunt extra Eccleſiam, & in Synagoga Sathanæ conſequenter non poſſunt Sacramenta miniſtrare. Sed contra, quia tametſi interdum Sacramenta repeſiantur extra Eccleſiam, pertinent tamen ſemper ad Eccleſiam, ideoque cum baptizati ab Hæreticis veniant ad Eccleſiam, ideo tale baptiſma pertinet ad Eccleſiam, quia per ipſum baptizatus Eccleſiam ingreditur, quapropter in baptizato baptiſmus retinetur, ut validus, & error in baptizante corrigitur. Hinc errarunt, teſte Euſebio lib. 7. cap. 6. olim Epiſcopi Aſiæ, & referente D. Auguſtino *lib. 2. de Baptiſm. cap.* 7. etiam plures Epiſcopi Africæ, eò quia putaverint rata non eſſe Sacramenta, quæ ab Hæreticis, & ſchiſmaticis miniſtrabantur poſt ſeparationem eorum ab unitate Catholica, & Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis notatur Anteſignanus hujus opinionis, cui in Cathedra, & hoc errore ſucceſſit S. Cyprianus, ita tamen, ut ab Eccleſiæ unitate ſe nunquam ſeparaverit, ut conſtat ex epiſtolis ad Quintum, & Pompejum, eò quia paratus ſemper eſſent parere Romanæ Eccleſiæ, ſi oppoſitum definiret, quapropter nunquam habitus eſt Hæreticus, imò D. Auguſtinus teſtatur in epiſt. 48. ad Vincentium, S. Cyprianum revocaſſe poſtea ſententiam re melius perſpecta, quàm cum aliis Epiſcopis definierat. D. Hieron. in dialogo contra Luciferianos permotum ſcribit authoritate Stephani Romani Pontificis, qui omnes rationes pro hac rebaptizatione ſola allegata conſuetudine eccleſiæ, & traditione Majorum ſuperaddit, quia cum certum ſit, conſuetudinem univerſæ Eccleſiæ perpetuam eſſe non poſſe, pugnare cum verbo Dei; & cum clarior ſit conſuetudo ipſa, quam ipſum verbum, rectè intulit, verbum Dei eſſe interpretandum ex conſuetudine, & non eſſe abolendam conſuetudinem ob verbum DEI obſcurum, & ambiguum.

Aſſerendum ſextò, eſſe fidei dogma, requiri in Miniſtro intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, & ad id ſufficere intentionem virtualem, ut ſuperiùs oſtendimus, etenim quod intentio requiratur liquet ex ſcripturis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi enim exprimitur attentio rei, ſeu conſecrationis, quæ non poteſt attendi, quin fiat ex deliberatione ac intentione. Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, quod fieri nequit niſi præcedat actus voluntatis in Miniſtro, at Chriſtus non determinavit, ut ſolvant, vel ligent, ſed relinquit in eorum arbitrio, ex quo evidenter infertur, quod requiratur intentio: quod autem dicitur de uno Sacramento, id etiam de reliquis aſſeritur: ait enim Chriſtus Matth. 24. *Quis eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, ubi fidelitas, & prudentia ſignificant, talem eſſe hunc ſervum, ut in ejus arbitrio ſit exequi, vel non exequi, ad quod requiritur fidelitas, & prudentia, tum quia hoc definivit Concil. Florent. ubi habetur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia; verbis tanquam forma & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit eccleſia, quod ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Hoc idem definitur in Concilio Tridentino Seſſ. 7. can. 11. *Si quis dixerit, in Miniſtris dum Sacramenta conficiant, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit eccleſia, anathema ſit.* Ratione hoc idem etiam evincitur, primò, quia agens perſonam Miniſtri debet facere ſecundum inſtitutionem Domini ſui, & eam habere in intentione; ut ſi mittam Procuratorem, ut mihi domum emat, non ſolum exercere debet actionem externam emendi, verum etiam habere intentionem faciendi, prout talem emptionem Dominus inſtituit, ſcilicet emendi domum Hero non ſibi: ſed conficientes Sacramenta non ſunt quaſi nudi internuntii epiſtolas deferentes, ſed diſpenſatores ac gerentes vicem Chriſti & Eccleſiæ ex poteſtate ſibi commiſſa, ut liquet 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; & Matth. 24. indicatur poteſtas Miniſtrorum non eſſe ſimplex miniſterium. Hinc ait Chriſtus: *Quis eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*: Ubi arbitrium Miniſtri requiritur, quod ſi arbitrium, etiam intentio id agendi quod agit eccleſia, & Chriſtus inſtituit. Et firmatur quia ſequeretur legentem verba conſecrationis in menſa ſine intentione conſecrandi adhuc conſecrare totum panem menſæ, ex quo ſequitur præter prolationem verborum requiri etiam in Miniſtro intentionem faciendi actionem ſacram, notandum tamen eſt, pluribus modis poſſe unum hominem eſſe inſtrumentum alterius alicujus agentis. Primò ſecundùm ſola membra corporalia, ut ſi quis utatur manu alterius ad aliquid accipiendum, vel ſi adigat eum ferre onera, quod fieri poteſt eo etiam contra nitente. Secundò per membra corporalia & potentias ſentientes, ut ſi quis jubeat ſervum legere aliquid vel quidpiam alteri ſignificare vel excubias agere & renunciare, quid viderit

derit; ad hoc enim non requiritur voluntas servi, nisi prout actum exteriorem vult exercere, quia etiam si non intendat legere significanter, si tamen velit ea proferre, suo satisfacit muneri: quia non utitur Dominus pro instrumento, nisi ejus lingua, vel oculis. Tertio per membra corporalia potentias sentientes, & etiam rationem, ut quando Princeps constituit præsides, & Judices in urbibus, qui nomine suo jus dicant, & gubernent populos, in his enim non solum corpus & sensus, verùm etiam prudentia, & voluntas sunt instrumenta, non enim Princeps determinat actiones particulares, sed eas relinquit in arbitrio substituti, seu instrumenti, & tunc in instrumento requiritur necessario non solùm potestas, sed etiam voluntas, consequenter intentio exercendi actiones. Nec verè absolutus, quem Judex sine intentione absolvit, quamvis exterius videatur absolutus, & Ministros Sacramentorum esse instrumenta hujus tertii generis per se liquet, quapropter in ministratione Sacramentorum requiritur in iisdem intentio faciendi quod ecclesia facit, & Christus instituit, idque firmari potest, quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse Sacramentale, tollatque indifferentiam verborum ad actionem, siquidem baptizare est abluere aquis; abluit autem, qui abstergit sordes corporis, qui membra refrigerat, qui lavando medetur, & qui per baptismum & prælationem verborum abstergit peccata, sed nihil fingi potest, quo hæc ablutio determinetur ad unum potiùs quàm alium effectum, nisi ex intentione Ministri proferentis verba, & cujus est tota actio: hæc autem intentio faciendi Sacramentum, aut quod intendit ecclesia, est, quæ tollit indifferentiam, & determinat ablutionem in ordine ad talem effectum. Quod si dicas, illam ablutionem determinari ab intentione suscipientis, id falsum est, quia intentio requiritur in ministro, & de illa in præsenti agimus, & non potest actio unius determinari ab actione alterius. Præterea quia infantes qui baptizantur, nihil possunt intendere, vel percipere, cum nondum sint capaces. Neque potest hæc determinatio haberi ab institutione Christi: quia si id faceret, ut verba illa id significarent dummodo proferantur exterius absque ullo ordine ad intentionem dicentis, quare non esset verum Sacramentum, si à Psittaco proferantur. Præterea quia adest discrimen inter verba speculativa, & practica; illa enim totam suam efficaciam habent in significando, à quocunque dicantur, eandem vim habent, idem enim significant verba, sive proferantur ab homine probo seu malo, sive è sobrio vel multo vino madido, dummodo non sit ambigua significatio, quia tunc intentio dicentis ea determinare debet: sed verba practica, quæ præter significationem habent efficientiam, non sunt efficacia, nisi ab eo qui habet potestatem, & voluntatem faciendi quod verba significant: & id patet inductione; siquidem imperia Regum & Judicum sunt efficacia, non verò imperia privatorum, Pari pacto qui habent donum miraculorum, efficaciter imperant morbis, ac dæmonibus, non verò alii, quamvis iisdem verbis utantur. Ratio est, quia cum verba per se & naturaliter non sint operativa, necesse est, ut tunc solum sint efficacia, quando ab eo dicuntur, qui habet potestatem. Hoc idem de voluntate probari potest; siquidem potestas nunquam exit in actum, nisi velit actum illum exercere, qui eam habet. Hinc de potestate prophetandi, ait D. Paulus. 1. Corinth. 14. Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt, hoc idem etiam liquet experientia, quia si rex sine intentione, & somniando jubeat aliquem occidi, imperium tunc non solet mandari executioni, quia non constat, an velit, quamvis possit illud rex jubere, atqui liquet verba Sacramentorum esse verba practica, cum sint instrumenta nostræ justificationis, consequenter requirunt potestatem, & voluntatem, consequenter etiam intentionem. Quòd si dicas, verba Sacramentorum habere in se virtutem operativam ex Christi institutione, consequenter efficaciam eorum non pendere ab intentione vel potestate Ministri. Contra est, quia in Ministro est virtus operativa efficienter, & instrumentaliter, ut est in Sacramento, quo pacto virtus Sacramenti esset dependens à Ministro; tunc enim solùm verba illa habent virtutem, dum conjunguntur cum virtute, quæ Ministro inest, ita Sotus in 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. & plures alii. Verùm non desunt, qui censeant, ministrum non habere in se vim ullam efficientem respectu nostræ justificationis, sed solùm eam esse in Sacramento: & Ministrum solùm concurrere applicando Sacramenta, sicut qui plantat, & qui rigat, hi enim non producunt efficienter & physicè fructus arborum, sed applicant agentia, & ita videtur sentire D. Thomas art. ad 1. ubi ait: *Sacerdotes illuminare populum, non quidem gratiam infundendo, sed Sacramento gratiæ tradendo.* Neque inde inferendum est, Ministros in hac sententia non verè, & propriè consecrare, absolvere, lavare, & reconciliare; nam id inter est discriminis inter agentia voluntaria, & res cæteras, quod res inanimatæ propriè non dicuntur agere, sed potiùs agi: imò res ceteræ etiam animatæ, non tamen agentes voluntariæ dicuntur agere, quando solùm applicant agentia, hinc vulpes, quæ ignem caudis applicatum à Samsone segetes flavescentes & ad messem maturas combusserunt, non dicuntur ipsas combussisse, sed Samsonem mediantibus vulpibus: secus agentia voluntaria, quando de industria applicant alia agentia, dicuntur propriissimè agere. Nam & Medicus propriè curat ægrotum, quando adhibet medicinam salutarem, & propriè eum occidit, si de industria ei venenum propinet.

Dies si ab intentione Ministri dependeret efficacia Sacramenti, nemo posset esse certus se accepisse verum Sacramentum, aut ejus effectnm, unde homo privaretur hac consolatione spirituali & semper viveret anxius, quia non posset esse certus de intentione Ministri. Præterea quia D. Chrysostomus homil. 85. in Joan. ait: *Sacerdos linguam, & manus præbet, neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Præterea quia nimis durum videretur, si negotium nostræ salutis ab arbitrio dependeret impii Ministri; sed contra, quia tametsi non sit homo certus certitudine metaphysica de intentione Ministri, sufficit tamen, si moraliter sit certus, quatenus ei non constat Ministrum contrariam habuisse intentionem; non enim homo debet quærere in hac vita infallibilem certitudinem de sua salute, vel justificatione, sicut est certitudo fidei divinæ: hæc enim non convenit statui, de quo Paulus ad Philipp. 2. scribens ait: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Igitur sufficit certitudo moralis & æquum judicium, quod efformare debemus de legitima Ministrorum intentione, quæ in ministrandis Sacramentis, cùm sit illis facillima, dubitare de ipsa non debemus, nisi aliquo exteriori signo id probant. Ad aliud, quod addebat ex D. Chrysostomo, respondetur, ipsum tantùm loqui de probitate non requisita, non autem de intentione. Quod verò intentio virtualis sufficiat, superius jam ostendimus; siquidem si actualis intentio esset necessaria, id videretur superare virtus humanæ naturæ, quia adeo lubrica est mens hominis, ut in cogitatione unius tantùm rei diu deti-

detineri nequeat, proinde anxii scrupulis essent omnes. Quapropter sufficit, si Minister sibi propositum habeat baptizare, consecrare, vel absolvere, & ex virtuali intentionis actualis humano more se applicet ad agendum, quamvis postea in ipsa actione distrahatur, nec cogitet, quid faciat. Hinc sufficit, si Sacerdos, dum paramenta induit in Sacristia, habeat animum consecrandi hostias [illegible] ablatas, & ad illum finem conveniat [illegible], & si [illegible] ad altare, & sub [illegible] eas videat, & [illegible] habeat intentionem eas consecrandi, quamvis tempore consecrationis [illegible] non recordetur, dummodo [illegible], quam præ manibus habet, eas consecrat. Cæterum perversa intentio Ministri [illegible] Sacramenta non obest, [illegible], & ejus peccato non communicent, ut docet D. Thomas 3. part. quæst. 64. art. 10. ubi ait: *Perversa intentio pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Et ideo ex perversa intentione Ministri pervertitur id, quod agit in Sacramento, in quantum est opus ejus, non in quantum est opus Christi, cujus est Minister, & est simile, si Minister alicujus hominis prava intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam Dominus recta intentione mandaret.* [illegible] si improbus Sacerdos vitiis corruptus, vel etiam magicis artibus deditus, pactoque execrando Diabolo obligatus serio quidem baptizaverit infantes sibi oblatos, ac perfuderit aquam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac tamen veram, ac [illegible] haberet voluntatem exercendi externam illam cæremoniam, sicut ea Ecclesia utitur, sed tamen intentionem habuerit, infantes, quos baptizat, Diabolo devovere, adhuc parvulis [illegible] ablutis non nocet sacrilega intentio Ministri, quia illos per Baptismum Christus Deo consecravit, qui baptizat; consecravit columba, seu Ecclesia, cujus nomine Minister baptizavit, neque verba Evangelii, quæ integra fuerunt prolata, frustrari possunt sua virtute, & ita asserendum de aliis Sacramentis, quapropter Joannes Chrysostomus homil. 85. in Joan. ait: *Neque Angelus, neque Archangelus quidquam in his, quæ a Deo data sunt, efficere potest, sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnia facit. Sacerdos linguam, & manum præbet. Neque enim justum est propter alterius malitiam ad sanctis nostræ symbola fide accedentes offendi.* D. Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. & alibi asserit, Baptismum collatum ab Hæreticis, vel aliis infidelibus cum intentione faciendi, quod Romana Catholica facit, & adhibita materia, & forma vera suum sortiri valorem: ait ipse: *Qui ubicunque, & a quibuscunque illud verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide acceperint:* ex his omnibus constat, intentionem Ministri pravam non nocere sumenti Sacramenta, neque suscipientes Sacramenta peccato communicare Ministri; & hanc semper fuisse Ecclesiæ consuetudinem, & doctrinam, ut ad indagandam de veritate collati Sacramenti inquireretur, an Ministri legitimam adhibuerint materiam, & formam, seu verba præscripta in collatione eorundem adhibuerint, ac protulerint, & ritum omnem à Christo institutum, & eo modo, quo ab Ecclesia Catholica servatur, perfecerint, neque ultra quæsitum fuit de Ministri moribus rectis, vel pravis, dummodo habuerint intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Hinc in Concilio Niceno damnatum fuit Baptisma Paulianistarum, non ob pravam intentionem, & vitam, sed quia, ut observavit Innocentius I. non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Et interrogatus D. Leo Papa de iis, qui inter Hæreticos baptizati sunt; respondet epistola secunda ad Rusticum Episcopum Narbonensem cap. 18. *Nisi se ipsos baptizatos esse nesciunt, sed [illegible] fuerint, qui ipsos baptizaverunt, se nescire profitentur. Unde quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt: sed per manus impositionem [illegible] virtute Spiritus Sancti, quam ab Hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis [illegible] sunt.* [illegible] interrogatus [illegible] Nicolaus Papa I. respondit ad consulta Bulgarorum cap. 14. *A quodam Judæo nescitis, utrum Christiano, vel Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis: & quid de iis sit agendum, consulitis. Hi profectò, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, [illegible] baptizandos.* [illegible] Ecclesia semper credidisse, pravam Ministrorum intentionem non nocere sumentibus Sacramenta, dummodo [illegible] hanc pravam Ministri intentionem, & ejus peccato non communicent.

Hinc licitum est, Sacramenta suscipere à malis Ministris, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, seu juridice licet promulgata sententia, non sunt excommunicati, nec suspensi, neque Notorii Clericorum percussores, & ad detrimentum etiam sunt à Martino V. Papa in Concilio Constantiensi, & Constitutione, cui initium est, *ad evitanda* [illegible] intuito semper tenuit Ecclesia, quapropter Nicolaus I. in responsis ad consulta Bulgarorum respons. 71. ait: *Sciscitamini [illegible], si a Sacerdote, qui sive deprehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem recipere, nec ne: respondemus, non posse quempiam quantumcunque pollutum Sacramenta divina polluere; quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas, & latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinare non potest. Itaque ab eo usque, quo Episcoporum judicio rejectus, communio percipienda est, quoniam mali bona ministrando se tantummodo lædunt: & cerea lux accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat; & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet: sumite igitur intrepide ab omni Sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur. Fides enim est, quæ vincit hunc mundum; & quia non dantis, sed accipientis fit, docente Sancto Hieronymo, ad credendum in omni anima. Baptismum esse perfectum, & in omni Sacerdote corpus Christi esse perfectum. Qui rursus sacræ scripturæ consultans ait: Priusquam audias, ne judicaveris quemquam, atque ante probationem accusationis illatæ, neminem à tua communione suspendas; quia non statim, qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminosus.* Ratio itidem id suadet, quia ut docet D. Thomas *3. part. quæst.* 64. *art.* 6. Accedentes ad Sacramenta Ecclesiæ suscipienda ea recipiunt à Ministris Ecclesiæ, non quatenus sunt tales personæ, sed quatenus sunt Ministri Ecclesiæ, & Christi, cujus vices gerunt: proinde quamdiu ab Ecclesia Ministri, & Sacerdotes tolerantur in sacris Ministeriis obeundis, suscipientes ab iisdem Sacramentum, non communicant eorum peccatis, bene tamen communicant Ecclesiæ exhibentis tales Sacerdotes, ut Ministros

ſtros Eccleſiæ. Hinc, urgente neceſſitate, Parochiani non ſolùm poſſunt recipere, verùm etiam licitè petere à Parocho ſuo, quantumvis malo, ſibi miniſtrari Sacramenta, ſi Parochus, quamvis malæ famæ, moribusque corruptus ſit ab Eccleſia toleratus, ſiquidem licitum eſt cuilibet, uti jure ſuo, ſed petentes Sacramenta à ſuo Parocho, vel ab alio, cui ex officio incumbat miniſtrare Sacramenta, utuntur jure ſuo. Si tamen novetint, illos à peccato non receſſuros, & Sacrilegium in ipſa Sacramentorum adminiſtratione commiſſuros, & ab aliis habentibus legitimam poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta, poſſint ſine gravi incommodo illa recipere, ſaltem ex charitate tenentur ab iisdem ea petere, & ſuſcipere, prætermiſſo Parocho, ne concurrat in illius Sacrilegium, & ne cum utitur jure ſuo, Parocho ſpiritualiter noceat, ac peccandi occaſionem proximo exhibeat. Idque etiam docet D. Thomas in 4. ſentent. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 5. ad 3. ubi hæc habet: *Quamdiu Miniſter Eccleſiæ, qui exiſtit in mortali, ab Eccleſia toleratur, ab eo Sacramenta recipere ejus ſubditus debet: quia ad hoc eſt ei obligatus: ſed tamen præter neceſſitatis articulum non eſt tutum, quod eum induceret ad aliquod ſui ordinis exequendum, durante tali conſcientia, quod ille in mortali peccato eſſet, quam tamen deponere poſſet: quia in inſtanti homo à divina gratia emendatur.* Non tamen licitum eſt ab improbo Miniſtro, & publico peccatore, qui nec Parochus eſt, nec paratus ad Sacramenta miniſtranda eadem petere, quia fidelis nullum habet jus, Sacramenta petendi à tali Miniſtro, quia non eſt ejus Parochus, qui teneatur ex officio ei miniſtrare Sacramenta, & ex alio capite inducendo illum ad miniſtrandum Sacramentum petenti, hic ei eſſet occaſio peccatum perpetrandi, quod nunquam eſt licitum, quia concurreret ad peccatum alterius. Urgente tamen neceſſitate, ſi Miniſtri improbi, & peccatores parati ſint miniſtrare Sacramenta, tunc urgente tali neceſſitate licitum eſt, Sacramenta ab ipſo petere, quia urgente neceſſitate habetur ſufficiens legitima ratio utendi mala Miniſtri voluntate ad noſtrum ſpirituale emolumentum, quia petens ſibi miniſtrari Sacramenta urgente neceſſitate non intendit Sacrilegium Miniſtri, ſed tantùm proprium bonum ſpirituale. Præterea quia poſſet ſupponere, Miniſtrum improbum in tali caſu elicere verum actum contritionis, & licitè miniſtrare Sacramentum. Hinc urgente extrema neceſſitate licitum eſt petere, & ſuſcipere Sacramenta Baptiſmi, & pœnitentiæ à malis Miniſtris, quamvis ab Eccleſia non toleratis, & de Sacramento Pœnitentiæ definitum fuit in Tridentina Synodo ſeſſ. 14 cap. 7. ubi habetur: Quòd liceat omnibus promiſcuè Sacerdotibus pœnitentes quoslibet in mortis articulo à quibuslibet peccatis, & cenſuris abſolvere, verba Concilii ſunt hæc: *Piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in mortis articulo, atque adeo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis caſibus abſolvere poſſint.* Quòd ſi ex ſuſceptione Sacramentorum ab Hæreticis, vel ſchiſmaticis grave ſcandalum oriretur, & Orthodoxis occaſio daretur, non temerè credendi per hanc ſuſceptionem approbari hæreſim, vel ſchiſma miniſtrantis Sacramenta, non liceret tunc homini adulto ab Hæreticis, & ſchiſmaticis petere, & ſuſcipere Sacramenta, quia id cederet in maximum detrimentum religionis, & fidei. Præterea quia tunc propriæ adhuc ſaluti conſulere per votum Baptiſmi, & actum contritionis de peccatis: neque teneretur Sacramenta recipere cum tanto diſpendio fraternæ ſalutis, & damna Eccleſiæ. Sin verò infans baptizandus verſaretur in vitæ diſcrimine, neque alius adeſſet præter Hæreticum hominem, qui ſciret materiam, & formam hujus Sacramenti, ac omnia formæ verba ritè pronuntiaret cum intentione id faciendi, quod DEUS inſtituit, tunc infans, ne ſine Baptiſmo decederet, eſſet exhibendus huic Miniſtro, ut ab illo Baptiſmum ſuſciperet, quia in hac hypotheſi nulla daretur occaſio ſcandali. Quòd verò urgente extrema neceſſitate poſſint peti & ſuſcipi Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ à malis Miniſtris, quamvis ab Eccleſia non toleratis, ediſſerit D. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 11. ubi ait: *Si quem fortè coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit, & in animo pace Catholica cuſtodita per aliquem extra unitatem Catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa Catholica unitate accepturus; ſi ſtatim etiam de hac vita emigraverit, non eum, niſi Catholicum, deputamus, ſi autem fuerit à corporali morte liberatus, cum ſe Catholicæ Congregationi etiam corporali præſentia reddiderit; unde nunquam corde diſceſſerat, non ſolùm non improbamus, quod fecit, ſed etiam ſecuriſſimè, veriſſiméque laudamus; quia præſentem DEUM credidit cordi ſuo, ubi unitatem ſervabat: & ſine ſancti Baptiſmi Sacramento, quod ubicunque invenit non hominum, ſed DEI eſſe cognovit, noluit ex hac vita migrare.* Cæterum extra caſum neceſſitatis non eſt licitum petere, & ſuſcipere ab Hæreticis, & ſchismaticis, ut etiam aliis improbis Miniſtris ab Eccleſia non toleratis Sacramenta, quia tunc nulla urget neceſſitas, quæ licitam conſtituat talem petitionem, & ſuſceptionem Sacramentorum à malis Miniſtris non toleratis ab Eccleſia, conſequenter talis petitio, & ſumptio eſt illicita, & fidelibus ſcandalo, quapropter D. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2. ſubdit: *Si quis autem, cùm poſſit in ipſa Catholica Eccleſia accipere Sacramentum, per aliquam mentis perverſitatem eligit in ſchismate baptizari, etiam ſi poſtea venire ad Catholicam cogitat, quia certus eſt ibi prodeſſe Sacramentum, quod alibi accipi quidem poteſt, prodeſſe autem non poteſt, procul dubio perverſus, & iniquus eſt. & tantò pernicioſius, quantò ſcientiùs. Ita enim non dubitat rectè illic accipi, ſicut non dubitat illic prodeſſe, etiam quod alibi acceperit.*

Aſſerendum ſeptimo, Miniſtrum Eccleſiæ miniſtrantem Sacramenta in ſtatu peccati Lethalis graviſſimè peccare, ac Sacrilegium committere, quia Miniſtri debent confirmari Domino, cui famulantur, & Eccleſiæ, cujus ſunt Miniſtri, imo & ipſis Sacramentis, quorum ipſi ſunt diſpenſatores, hinc Levit. 19. 2. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus DEUS noſter*, & Iſaiæ 52. v. 2. *Qui immolat bovem, quaſi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem, qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat. Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.* Quòd ſi olim in veteri lege Miniſtri legalium Sacramentorum oportuit, ut eſſent legali mundicia purificati, & ſanctitate inſignes, tantò magis hoc idem requiritur in Miniſtris legis evangelicæ,

gelicæ, cum vera administrent Sacramenta, quorum fuerunt tantum figura, & umbra Sacramenta veteris legis, cum igitur in lege evangelica vera efflorescat sanctitas, ac servetur justitia, decet Ministros eidem mundos, & sanctos esse, ut sanctè Sancta tractent, quapropter D. Paulus epist. ad Tit. cap. 1. scribit: Episcopos, Presbyteros, & Diaconos irreprehensibiles esse debere, & Sanctus Dionysius lib. de Ecclesiast. hier. arch. cap. 1. ait: *Malis non est fas, nec tangere symbola, id est, sacramentalia signa*, & D. Augustinus lib. 2 contra epist. Parmeniani cap. 10. ait: *Omnia Sacramenta, cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*, & Tractat. 5. in evangel. secundum Joannis ait: *Sed Ministros tanti judicis justos oportet esse, per quos baptizatur. Et ego dico, & omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti Judicis Ministros.* Quod etiam asseruit Nicolaus I. in responsis ad Consulta Bulgarorum cap. 7. ubi inhibet crucem Domini, & Sanctorum reliquias gestare, & osculari ab immundis: ergo à fortiori non erit licitum Sacramenta tractare, & administrare ab existentibus in statu peccati lethalis, cum sint DEO exosi, & ab Ecclesia despecti, quapropter D. Thomas 3. part. quæst. 64. art. 4. ait: *Non est dubium, quin mali exhibentes se Ministros DEI, & Ecclesiæ, in dispensatione Sacramentorum peccent, quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam DEI, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, (licèt Sacramenta secundùm se ipsa incontaminabilia sint) consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale*, quia irreverentia committitur in DEUM, & violatur jus ipsum naturæ, dictans, ut homo sancta sanctè tractet. Hinc peccant mortaliter Ministri Ecclesiæ, si Sacramentum aliquod in statu peccati mortalis solemni ritu conficiant, vel administrent, nisi vera contritione cum proposito sacramentalis confessionis, quàm primum edendæ peccatum intendant expiare, quapropter in Romano rituali edito jussu Pauli V. hæc præscribitur regula: *Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* Hoc idem etiam docet D. Thomas in 4. sentent. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 5. ubi ait: *Lex præcepit, & homo juste ea, quæ sunt justa, exequatur, & ideo quicunque homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod justum est, injustè exequitur, & quod præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. Quicunque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat: unde patet, quòd mortaliter peccat.* Docet tamen idem D. Thomas 3. part. quæst. 64. art. 5. ad 3. Diaconum in statu peccati mortalis, & urgente necessitate, si privatim baptizet, non peccare in casu, quo etiam posset laicus baptizare, ex quo infert, non exhibere se Ministrum Ecclesiæ, sed tantùm subvenire patienti necessitatem. In aliis verò Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, non excusat à peccato. Hinc lethaliter peccat Sacerdos, Eucharistiam sive à se, sive ab altero consecratam ministrans in statu peccati lethalis, quia tunc agit publicum Ecclesiæ Ministrum, & gravem Sacramento infert injuriam, ut etiam DEO, & Christo Authori Sacramentorum. Quinimo neque excusantur à lethali culpa illi Concionatores, qui ex officio sacras habent conciones in statu peccati lethalis, si crimen sit manifestum, qui verbum veritatis cum debita reverentia non agunt, nec alios edocent, & ministerium sacrum contemptui exponunt, ut docet D. Thomas in 4. sentent. dist. 19. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4. ut etiam in lect. 1. in cap. 4. epist. 2. ad Corinth. ubi explicans verba Apostoli: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*, & hoc idem ante asseruerat David Psalm. 49. *Peccatori autem dixit DEUS: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Quòd si DEUS increpat, ac redarguit peccatorem audentem enarrare justitias DEI, & per os suum assumere testamentum ejus, procul dubio redarguendi sunt ut peccatores, & lethaliter peccant, qui in statu peccati mortalis sacras ex officio habent conciones, si peccatum manifestum fuerit, huc etiam pertinet illud Apostoli ad Roman. cap. 2. v. 21. ubi scribit: *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas, non furandum, furaris, qui dicis, non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, Sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis DEUM inhonoras. Nomen enim DEI per vos blasphematur inter gentes.* De peccato verò occulto non est una ac eadem omnium sententia; plures enim, & quidem insignes Theologi, negant, Concionatorem peccare, & ea ducuntur ratione, quia prædicatio verbi DEI non est propriè actus alicujus ordinis, quia non est de jure divino, sed tantùm positivo adnexa ordini sacro. Nihilominus sententia D. Thomæ tutior videtur; docet enim Ministrum verbum DEI ex officio habentem sacras conciones in statu peccati mortalis lethaliter peccare, eò quia propriè ad Episcopos, & Pastores pertinet ministerium verbum DEI, & Evangelium edocere populos, quapropter in Episcopi consecratione consecrator tradit librum evangeliorum consecrato proferens verba illa; *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tuo tibi commisso; potens est enim DEUS, ut augeat tibi gratiam suam.* Rursus in solemni degradatione Episcopi, Episcopus degradator librum evangeliorum aufert de manibus degradandi, dicens: *Redde Evangelium, quia prædicandi officio, quo spreta DEI gratia te indignum fecisti, te justè privamus.* Major enim morum integritas necessaria est Concionatori, ut verbum DEI prædicet, quàm Doctori Theologo docenti alios sacram scripturam, & nihilominus asserit D. Thomas, hunc peccare lethaliter, si reus lethalis peccati publicè alios doceat, ait enim S. Doctor in 4. sentent. dist. 19. quæst. 2. art. 1. ad 4. *Quia eorum, qui docent sacram Scripturam, est idem finis, ac eorum, qui sacram Scripturam ediderunt, unde cùm ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut ad vitam æternam perveniat homo, quicunque impedit finem doctrinæ docendo peccat: impedit autem, qui sacram Scripturam in peccato lethali docet, quia ore se profitetur nosse DEUM, quem factis negat.* Hinc Concionatores docentes populos verbum DEI, debent puros à quavis mortali labe conservare, & ab omni abhorrere peccato, etiam occulto.

C A P U T VIII.

De Cæremoniis adhibendis in Sacramentorum adminiſtratione, & in eccleſiaſticis functionibus.

CÆremoniæ eccleſiaſticæ inſtitutæ fuerunt in ordine ad Sacrificium decentiùs, ſolemniùſque celebrandum, vel Sacramenta ſanctiùs adminiſtranda, propterea eſt cæremonia eccleſiaſtica ritus religioſus externus inſtitutus, vel à Chriſto, vel Apoſtolis, vel etiam ab Eccleſia, à qua denominantur ritus eccleſiaſtici, qui in Eccleſia à primo ſuo exordio cœperunt ſanctè ſervari ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, ut refert Sanctus Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2. & eleganter Tertullianus lib. de corona Militis, ubi quam plures cæremonias, quas Eccleſia adhibet in Sacramentis Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ait ab Eccleſia primitiva, fuiſſe uſurpatas, quas propterea refert ad traditionem Apoſtolicam, inquiens: *Ergo quæramus, an & traditio, niſi ſcripta non debeat recipi? planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius ſcripturæ inſtrumento ſolius traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à Baptiſmate ingrediar, aquam adituri ibidem, ſed aliquando prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur, nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & angelis ejus. Dehinc ter mergitamur amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus, atque ex ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis pro natalitiis annua die facimus. Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum frontem crucis ſignaculo terimus, harum & aliarum hujusmodi diſciplinarum; ſi legem expoſtules, ſcripturarum nullam invenies: traditio tibi retenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Moris itidem fuit, ut exorciſmus ante Baptiſmum uſurparetur, cujus meminit Sanctus Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum, ubi ait: *Mare autem illud (loquitur de mare, in quo ſubmerſus fuit Pharao, cum fugientes Iſraelitas ex Ægypto inſequeretur) Sacramentum Baptiſmi fuiſſe, declarat Paulus Apoſtolus, inquiens: Nolo enim vos ignorare fratres, quia Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari*; & poſtea ſubdit: *Hæc autem omnia figura noſtra fuerunt*, poſtea pergit Cyprianus, & ait: *Quod hodie etiam geritur, ut per Exorciſtas voce humana, & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur Diabolus, & cum exire ſe, & homines Dei dimittere ſæpe dicat: in eo tamen, quod dixerit, fallat, & id, quod per Pharaonem priùs geſtum eſt, eodem mendacio obſtinationis, & fraudis exerceat. Cùm tamen ad aquam ſalutarem, atque Baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus, & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo DEO dicatus divina indulgentia liberatur.* Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus explicans cæremonias in adminiſtratione Sacramentorum ſuis uſurpatas temporibus, ait Catecheſ. 1. de Baptiſmo: *Primum ingreſſi eſtis in porticum domus Baptiſterii, & ſtantes verſus occidentem mandari vobis audiſtis, ut protenſa manu tanquam præſentis Sathanæ renuntiaretis.* Et Catecheſi 4. ſubdit: *Ita ſane exutis veſtibus antiquis, & iis, quæ ſunt ſecundùm Spiritum alba indutis perpetuo jam in albis incedere oportet.* Et Catecheſ. 5. de Cæremoniis in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio uſurpatis, hæc habet: *Clamat Sacerdos ſurſum corda. Vere enim circa illam maxime tremendam horam, ſurſum ad DEUM corda levare neceſſe eſt, & non deorſum ad terram, & terrena negotia deprimere: vos deinde reſpondetis: habemus ad Dominum, aſſentientes ei profitendo. Nullus autem ſic conſiſtat, ut ore quidem dicat: Habemus ad Dominum, mente verò circa vitæ hujus curas vagetur. Dicit deinde Sacerdos: Gratias agamus Domino Deo noſtro, vos ſubjicitis: Dignum, & juſtum eſt; cum enim nos DEO gratias agimus, dignum profectò, & juſtum opus facimus: ille autem non juſtum: ſed ſupra juſtum agens, tanto nos affecit beneficio. Facimus deinde mentionem cœli & terræ, & maris, ſolis, & lunæ, & ſyderum, ac univerſæ creaturæ, tam ratione præditæ, quam irrationalis, tam iſtius, quæ videtur, quam illius, quæ & ſub aſpectum noſtrum non cadit, Angelorum, Archangelorum: Virtutum, Dominationum, Principatuum, Poteſtatum, Thronorum, & Cherubin faciem operientium quaſi diceremus illud Davidis: Magnificate Dominum mecum. Commemoramus etiam illa Cherubin, quæ in Spiritu Sancto cernebat Iſaias circumſtantia Thronum DEI, & aliis quidem duabus faciem velantia atque dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Propterea traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœleſti melodia cum ſupramundana militia communicemur. Deinde verò, poſt confectum eſt illud ſpirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia obſecramus, Deum pro omni Eccleſiarum pace pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro ægrotis & afflictis, quàm pro his omnibus, qui egent auxilio; indigemus autem omnes.* Proſequitur Cyrillus, & recenſet cæteras cæremonias, & ritus, quos in Miſſæ Sacrificio Eccleſia Catholica adhibet. S. Baſilius itidem lib. de Spiritu S. cap. 27. enumerans dogmata, & inſtituta, quæ ex Apoſtolorum traditione non ſcripta, ſed in myſterio, ſeu in occulto nobis concredita repetimus, ait: *Si conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur regere, imprudenter graviſſimum detrimentum Evangelio inferemus, imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus eſt, ut id, quod eſt primum & vulgatiſſimum commemorem, ut ſigno crucis eos, qui ſpem collocarunt, in Chriſtum ſignemus, qui ſcripto docuit? ut ad orientem verſus precemur, quæ nos docuit ſcriptura? Invocationis verba, cum conficitur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit, nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Evangelium; verum alia quoque & ante, & poſt dicimus tanquam multa habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus. Conſecramus autem aquam Baptiſmatis, & oleum unctionis, præterea ipſum, qui Baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis?*

nonne

Digitized by Google

nonne à tacita, ſecretaque traditione: Ipſam porro olei inunctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, unde ex ſcriptura hauſtum? Reliqua item quæ fiunt in baptiſmo, veluti renuntiare Sathanæ, & Angelis ejus, ex qua ſcriptura habemus, non ex minime publicata, & arcana hac traditione?

Ex Apoſtolica igitur traditione conſtat, moris ab initio Eccleſiæ fuiſſe, ut quædam cæremoniæ, & ritus adhiberentur in ſacrificiis offerendis ac ſacramentis miniſtrandis, quæ quidem cæremoniæ, quas conſervari Eccleſia inſtituit, ſigna ſunt rerum altiſſimarum, & maxima quæque continent cæleſtium arcanorum ſacramenta ad intimius divinam contemplandam Majeſtatem, & hi ritus non ſolum ſua fuerunt in Eccleſia ſortiri initia, verum etiam in veteri teſtamento adhibitos fuiſſe in ſacris miniſteriis ſatis apertè conſtat ex ſacris ſcripturis, præſertim Geneſ. 28. verſiculo 18. ubi habetur: *Surgens Jacob mane tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper; appellavitque nomen verbis illius Bethel*, ſeu domum Dei: Rurſus lib. 10. Eſdr. ſynagoga inſtituit novum diem feſtum, qui ſingulis annis celebraretur Eſdr. 14. & 15. *Veadar ſeu menſis februarii.* Rurſus in Exodo cap. 18. Ietro ad Moyſem ait: *Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent: ut referas quæ dicuntur ad eum, oſtendasque populo ceremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant.* Et Moyſes ad populum ait Deuter. 4. *Quæ eſt alia Gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem, quam ego proponam vobis ante oculos veſtros*, & Rex David in vitæ extremis conſtitutus, & jam jam animam acturus ad filium Salomonem ait 3. Reg. cap. 2. *Confortare, & eſto vir fortis, & obſerva, ut cuſtodias mandata Domini Dei tui, ut cuſtodias ceremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia.* Præterea in actis Apoſtolorum cap. 15. v. 20. Præcipiunt Apoſtoli, ut Ethnici recens baptizati abſtineant ſe à contaminatione ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine, tametſi hoc Judæorum tantum fuerit præceptum, quorum lex per Chriſti mortem extincta fuit, & per fuſionem ejus ſanguinis deleta, ac abrogata. Et in eodem libro cap. 1. Apoſtoli elegerunt S. Matthiam tradendo ſortes abſque ullo ſacræ ſcripturæ teſtimonio, & cap. 4. 5. & 6. Bona fidelium fuerunt communia, & cap. 4. dicitur, quod *Poſſeſſores agrorum aut domorum vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum*. & cap. 6. Apoſtoli leguntur elegiſſe ſeptem Diaconos, qui Eccleſiæ inſervirent. Rurſus dies ſabbathis, quem ſolemnem haberi Deus præceperat Exodi. 20. ubi habetur: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptima autem die ſabbathum Domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo:* & nihilominus hic dies fuit commutatus in diem dominicam ſola authoritate Eccleſiæ. Hinc conſtat non ſolùm Chriſtum in carne verùm etiam Apoſtolos ſcriptis, & traditionibus cæremoniis docuiſſe propterea nulli dubium quin poſſit Eccleſia novos ritus novaſque cæremonias commutare, & de novo indicere, quamvis ex ſacro textu non deſumantur, ſiquidem etiam olim Ethnici ſuas in ſacrificiis habuerunt cæremonias, & ſectarii etiam noſtris temporibus ſuas, & ipſi habent recentes ritus in pſallendo concionando, & diſtribuendo ſacramenta, unde nonniſi perperam poſſunt redarguere priſcas Eccleſiæ Catholicæ cæremonias, cum in hoc nihil repugnet ſacra ſcriptura. Præterea quia de cæremoniis, quas adhibet Eccleſia, judicare non pertinet ad perſonas privatas, vel ad unum aut alterum cœtum, vel ſectam Hæreticorum, ſed ad ipſam Eccleſiam, quæ opportunè tradidit cæremonias ſenſibiles, ſine quibus divinus cultus non poſſet ita devotè ac reverenter exercerì, quia cum non conſtet homo ſola anima, ſed etiam corpore, ideo iis uti debet, quæ cadunt ſub ſenſus, & ad corpus pertinent, cujuſmodi ſunt genua flectere caput inclinare, pectus tundere, accedere, & recedere ad altare, & alia hujuſmodi, quæ ſub ſenſus exteriores cadunt, unde D. Chryſoſtomus homil. 25. in Matth. ait: *Si tu incorporeus eſſes, nude ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: quoniam verò corpori conjuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus intelligenda traduntur:* proinde obſequium Dei præſtandum non ſolùm internis animi ſenſibus, verùm externis corporis actibus, ſeu cæremoniis, per quas viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum contemplationem homines excitarentur, ut conſtat ex Tridentina Synodo *ſeſſ. 22. cap. 5.* & etiam inviſibilia Dei per ea, quæ ſunt viſibilia nobis, demonſtrantur.

Hinc Cæremoniarum uſus in ſacramentorum adminiſtratione utilis eſt, & optimis innititur rationibus, ſiquidem adhibentur cæremoniæ ad majorem ſacramentis reconciliandam venerationem. Ut etiam proſunt cæremoniæ ad ſacramentorum effectus magis ac dilucidius declarandos, ut etiam ad mentem in ſpiritualium rerum contemplationem erigendam, fidemque, & charitatem excitandam, ut aſſerit Catechiſmus Concilii Tridentini cap. de ſacramentis in genere §. 18. inquiens: *Merito quidem à primis uſque Eccleſiæ temporibus illud ſemper ſervatum eſt, ut ſacramenta ſolemnibus quibuſdam cæremoniis miniſtrarentur. Primum enim maximè decuit ſacris myſteriis eum religionis cultum tribuere, ut ſancta ſanctè tractarè videremur. Præterea quæ ſacramento efficiuntur cæremoniæ ipſa magis declarant, ac veluti ante oculos ponunt, & earum rerum ſanctitatem in animas fidelium altius imprimunt. Deinde mentes illorum, qui ea intuentur, & diligenter obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis, & charitatem excitant, quo major cura, & diligentia adhibenda erit, ut fideles vim cæremoniarum, quibus ſingula ſacramenta conficiuntur cognitam, & perſpectam habeant.* Et hæc doctrina deſumpta eſt ex ipſa Tridentina Synodo ſeſſ. 22. cap. 5. ubi ait: Cum natura hominum ea ſit, ut non facilè poſſit ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli; propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia verò elatiore in miſſa pronuntiarentur inſtituit. Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, luminaria, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione quo, & Majeſtas tanti ſacrificii commendetur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent contemplationem excitarentur, neque obſtat, quod in quibuſdam Eccleſiis, & Regionibus ritus iſti Eccleſiaſtici varient, nec ſimul conſentiant. Quia in præceptis

novæ legis, quæ ſcripta non ſunt, ſed tradita cuſtodimus, quæ toto terrarum orbe obſervantur, ut ſunt Dominica paſſio, reſurrectio è ſepulchro, Aſcenſio in cœlum, Adventus Spiritus ſancti, Natale Chriſti Domini, quæ omnia anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid aliud occurrerit, quod obſervetur ab univerſis, quacunque ſe diffundit Eccleſia; & hæc quia communia ſunt omnibus intelliguntur oriri vel ab ipſis Apoſtolis, vel Oecumenicis Conciliis commendata, & ſtatuta, ut per totam univerſalem Eccleſiam retineantur ſerventurq;. Alia verò Eccleſiaſtica dogmata, quæ per loca terrarum, & regiones variantur, cujusmodi ſunt, quod alii jejunent diebus ſabbathicis, alii non, alii diebus veneris, alii jejunjum quadrageſimale inchoent feria 4. cinerum, alii feria ſecunda poſt quinquageſimam, & alii dominica Quadrageſimæ; quod alii quotidie communicent corpori, & ſanguini Chriſti Domini, & alii certis tantùm per hebdomadem diebus, hæc, & alia id genus liberas habent obſervationes, nec eſt in eis melior diſciplina, quàm, ut eo modo quisque agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque devenerit, quia cum hæc, ne contra fidem ſint, nec contra bonos mores, indifferenter videntur ſe habere, & pro eorum ſocietate, inter quos vivitur, ſervanda ſunt juxta locorum conſvetudines, quia ipſa mutatio conſvetudinis, quæ utilia ſunt, novitate perturbant, & inde incipiunt noxia fieri, ut fusè oſtendit D. Auguſtinus epiſt. 118. ad Januarium. Verùm hæc procedunt, dummodò humana infirmitas in aliquibus non ita impediat, ut amplius detrimentum ſit. Secus ſi tale ſuperveniat impedimentum, quia tunc Calumniatorum infirmitas metuenda eſſet, ut oſtendit D. Auguſtinus *epiſt.* 119. *ad præfat. Januarium cap.* 19. Hinc quia cultus cum non ſit quid aliud quàm veri Numinis veneratio certis legibus, & cæremoniis devicta, coli enim Deus poſtulat, quia ad id homo conditus, ad id natus, & ad eum, ut finem ultimum deſtinatus, imò, & duplici cultu eſt Deus ab homine colendus, interno, & externo. Ille qui in anima, & ex animo Deo vero preces concipit, laudes & gratias peragit, cultus vero externus hæc eadem per ritus, & geſtus exprimit ſenſibiles, quod etiam vel ipſi Ethnici præſtiterunt, & ad quod Tacitus, quamvis Ethnicus lib. II. annal. adhortatur his verbis: *Ne ritus ſacrorum inter adverſa culti per proſpera obliterentur.* Verum notat D. Auguſtinus lib. 6. de civitate: *Deos à religioſo vereri, & à ſuperſtitioſo timeri*, ut notat idem Tacitus 5. Hiſtor. *Gens ſuperſtitioni obnoxia, Religioni adverſa.* Neque debemus Judæos imitari, qui prætorium minimè ingrediuntur, ne arceantur manducatione paſchæ, Joan. cap. 18. Contaminari timent à loco, non timent, ne contaminentur ab effuſione Innocentis Sanguinis Chriſti; plures enim ſimiles dixeris Judæis, qui in externarum quarundam cæremoniarum obſervatione cum religioſiſſimi ſint, intus æſtuant odiis, dolisque ſunt pleni, & perverſi in omnibus, nituntur innocentes obruere, ut per eorum ruinam viam ſibi ſternant ad deſiderata; hinc D. Auguſtinus lib. 6. de civit. Dei exclamat: *O impia, & ſtulta cæcitas! habitaculo videlicet contaminantur alieno, & non contaminarentur ſcelere proprio: alienigenæ Judices prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis ſanguinem fundere non timebant.*

Quod ſi objicias, cæremonias Eccleſiaſticas deſumptas eſſe à Paganorum, ac Judæorum religionibus, jam diximus id non officere, quia quamvis ritus conveniant, intentio tamen, & modus, imò & finis diſcrepant, quia Ethnici ritus illos in falſa Numina dirigebant, Chriſtiana verò in unicum, & verum Deum. Præterea licet Pagani, & Judæi ritus aliquos noſtris affines habuerint, non inde rectè colligitur, illos ſequi debere prout ab Eccleſia uſurpantur, ſiquidem totus ille externi cultus apparatus cenſendus eſt ex fine, & objecto, & ex religionis veritate. Sacrificia itidem habuerunt Ethnici ritusque ſuos etiam Judæi; ſed illi Idolis ac dæmonibus, iſti verò Deo ſacrificia obtulerunt, ritusque ſuos illius cultui dedicarunt. Cæremonias quasdam à Judæis olim frequentatas uſurpat Eccleſia, ſed ad alium finem, ad cultum ſcilicet exhibendum Chriſto Salvatori, quem Judæorum ritus tantùm venturum prænuntiabant. Unde non eodem modo, non eadem intentione, neque ad eundem finem adhibentur ritus, & cæremoniæ à Paganis, Judæis, & Chriſtianis, proinde ſi Ethnicorum ritus, quia ad idololatriam pertinerent, damnandi ſunt, non ita cæremoniæ Chriſtianorum, alioquin ſi ritus omnes eſſent univerſim rejiciendi, quia non ſolum à Judæis, verùm etiam ab Ethnicis uſurpantur, rejicienda eodem pacto eſſent ſacramenta, quia Ethnici diaboli æmulatione ſimiles quosdam ritus celebrant, ut enim ait Tertullianus lib. de præſcript. Hæret. cap. 40. *Diabolus, cujus ſunt partes intervertendi veritatem, ipſas quoque res ſacramentorum divinorum Idolorum Myſteriis æmulatur. Tingit, & ipſe quosdam utique credentes, & fideles ſuos: expoſitionem delictorum de lavacro repromittit: & ſi adhuc memini, Mithra ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat, & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid quod, & ſummum Pontificem unius nuptiis ſtatuit? Habet, & Virgines, habet & continentes. Cæterum ſi Numæ Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, & privilegia, ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum ac piaculorum, & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſtè diabolus moroſitatem illam Judaicæ Legis imitatus eſt? Qui ergo ipſas res, de quibus ſacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectavit, exprimere in negotiis idololatriæ, utique & idem, & eodem ingenio geſtit, & potuit inſtrumenta quoque divinarum rerum, & ſanctorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis profana & æmula fidei attemperare.* Hoc idem aſſerit D. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. ubi hæc habet: *Tantùm intereſt inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænuntiantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel deteſtanda eſt virginitas ſanctimonialium, quia, & Veſtales Virgines fuerunt; ſic non ideo reprehendenda ſacrificia Patrum, quia ſunt, & ſacrificia Gentium. Quia ſicut inter illas Virginitates multùm diſtat, quamvis nihil aliud diſtet, niſi quo cui voveatur atque reddatur, ſic inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum multum diſtat, eo ipſo quod hoc ſolùm diſtat, quo cui ſint immolata, & oblata: illa ſcilicet ſuperbæ impietati Dæmonorum id ipſum ſibi ob hoc arrogantium, quo haberentur Dii, quia divinus honor eſt ſacrificium, illa vero uni Deo, ut illi offerretur ſimilitudo promittens veritatem ſacrificii, cui erat offerenda ipſa reddita veritas in paſſione corporis, & ſanguinis Chriſti.* Hinc perperam ſectarii objiciunt arguentes catholicos de idololatria, eo quia ſuos ab idololatris deſumpſerint ritus.

tur. Quia, ut respondet D. Hieronymus Tom. 2. cap. 3. contra vigilantium: *Idololatras appellas hujusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, de idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur, Christiani; & quia, quando colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne similes eum videamur cum idolis honore venerari? illud fiebat idolis, & ideo detestandum est: & hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est.* Præterea inficiantur Ethnicos Authores rituum Christianorum, quia Gentiles ab Hebræis plures sumpsisse ritus exploratum est apud sanctos Patres, ut etiam testatur Baronius in suis Ecclesiasticis annalibus. Sed esto, Christianos plures ex suis ritibus ab Ethnicis desumpsisse, non propterea quidquam mali inde sequitur, plurima Ethnici egerunt quæ bona erant, & conformia rectæ rationi, quæ propterea imitari non est catholicis vitio vertendum, quia ut in net D. Augustinus lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. 4. In Ethnicis quod pravum est, corrigere debemus, & quod rectum approbare. Simile habet Origenes in Exod. cap. 17. homil. 11. inquiens: *Unde & nos si aliquando invenimus aliquid sapienter à Gentilibus dictum, non continuo cum authoris nomine spernere debemus & dicta: nec pro eo quod legem à Deo datam tenemus, convenit tumere superbia, & spernere verba prudentum; sed sicut Apostolus dicit: omnia probantes, quod bonum est tenentes.* Plures communes ritus, & cæremonias exercemus in templis sacrisque peragendis, Gentilibus communes; sicut olim Israelitæ ipsi in Babylonica captivitate usi fuerunt organis, aliisque instrumentis musicalibus, quæ communia fuerunt Babyloniis, & Ethnicis, imò & templa construxerunt, altaria erexerunt, sacrificia obtulerunt, sacerdotes instituerunt, quæ omnia nobis sunt communia, quamvis diversa quoadmodum, & finem: quia ceremonias non res ipsæ, sed intentio illas adhibentium bonas constituit, vel malas; illas ut pias, & ad cultum veri Dei conducentes amplectimur; has verò, ut pravas, & divino cultui minimè convenientes detestamur, ut sacrilegas, & superstitiosas rejicimus. Hinc in sacrilegis Paganorum ritibus Christiani non vertunt vitio, & culpæ, quod templa construxerint, altaria erexerint, sacerdotes instituerint, sacrificia peregerint; sed quòd hæc omnia idolis, ac dæmonibus exhibuerint, quia, ut habetur Psal. 95. *Omnes dii gentium dæmonia,* quapropter D. Paulus 1. Corinth. 10. Gentilium sacrificia condemnat, repudiátque, ut sacrilega, non quia simpliciter, & præcisè sint sacrificia, quia hæc possunt per se bona esse, si vero Deo fiant, mala vero, & detestanda, si dæmonibus; ait Apostolus: *Quid ergo? dico, quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? sed quod immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Igitur detestamur gentilium templa, & sacrificia, non quatenus sunt templa, & sacrificia; sed quia idolis, ac dæmonibus templa ædificantur, sacrificia instituuntur: pari pacto repudiamus Gentilium simulacra, vasa sacra, vestes sacerdotales, non quatenus simpliciter talia; sed quia per hæc coluntur impuri aliqui homines, scelesti, adulteri, vel etiam dæmones, quibus omnibus exhibetur ille cultus, qui soli vero Deo debetur: neque res ipsas, sed earum usum condemnamus. Quod si Ecclesia plures Iudæorum, & Gentilium cæremonias, & ritus abolere non potuit; illos tamen in veros, piosque usus convertit, est veri Dei inservirent cultui, ut thus adolere in altari, luminaria accendere, tabellas votivas appendere, uti tintinnabulis, pulsuque æris campani. Alios verò ritus Gentilium, qui bonis moribus advertantur, Ecclesia sategit radicitus evellere, ut Patres Concilii Africani enixim rogarunt Imperatores, ut perniciosi hi ritus deberentur, ne sacras veræ Jesus Christi Ecclesiam inficerent, ut habetur can. 27. his verbis: *Illud etiam petendum, ut quæ contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore Gentilium attracta sunt, ita ut nunc à Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur: ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri videatur: vetari talia jubeant, & de civitatibus, & possessionibus impositâ pœnâ prohiberi: maximè quia adhuc in natalibus beatissimorum martyrum per non nullas civitates, & in ipsis locis sacris talia cõmittere non reformident: quibus diebus etiam saltationes sceleratissimas per vicos, & plateas exerceant, ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor devotè venientium ad sacratissimum diem injuriis lasciviêntibus appetatur.* Cæterù cæremoniæ, & ritus veteris legis, quibus quæ futura erant in lege evangelica prænunciabantur mysteria, in lege nova Jesu Christi prorsus cessârunt; quia quæ tunc futura erant, & ut talia repræsentabantur; nunc non sunt amplius futura, quia jam evenerunt. Verum tamen est, non in momento, & statim fuisse omnes abolitas cæremonias illas; sed paulatim, & successivè, ut non subitò, & irreligiosè, sed cum quadam extinguerentur veneratione. Hinc legalia, sacramenta, & cæremoniæ, etiam post Christi adventum, & revelatam gratiam quam præsignabant adhuc per aliquid temporis fuerunt in aliquo superstite usu, nimirum, ut Synagogo cum ignoaminia statim non cessaret, neq; rejicienda esset, sed cum honore sepelienda, quò nimirum ostenderentur non necessariæ ad salutis assecutionem post Christi adventum: etenim etiam Christus ipse circumcidi voluit à parentib⁹, & ascendere ad diem festum cum Iudæis, & ad Leprosum quem mundaverat dixit Matth. 8. *Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Imò post Christi passionem D. Paulus in Act. Apost. cap. 16. *Timotheum circumcidit propter Iudæos, qui erant in illis locis.* Et ex Iudæis ad Christum conversis, plures ita legalia observabant, quasi sine illis credentes in Christum, & Evangelium non possent salutem consequi; & in D. Paulo id reprehenderent, quia recèns conversos Iudæos doceret, ritus, & cæremonias Moysaicæ legis non esse servandos, & quia videretur esse scandalo, Iacobus & alii fratres ei suaserunt, ut convocato populi recèns conversi cœtu legalibus quibus cæremoniis uteretur, ad delendam suspicionem, quam de illo conceperant: Id autem præstitit Iacobus in Act. Apostol. cap. 21. non quòd putaret circumcisionem, & alias cæremonias veteris testamenti, ut & alia legalia necessaria esse ad salutem, & proinde custodienda; sed ut Iudæi recèns conversi, & in Christum credentes cum adhuc legis essent observatores scandalum inde sumerent, videntes, Paulum ea celebrare legalia, quorum ipse condemnator ab adversariis esse insimulabatur; simulque ipsum audirent legalia aspernari.

Cæremoniæ igitur veteris legis, quæ futura mysteria in lege evangelicæ prænuntiabant, & quorum fuerunt figuræ, nunc in lege Christi sunt abrogatæ, ac omnino sublatæ cum non ampliùs illa præfigurata sint futura, cujusmodi fuerunt sacerdos, et sacrificia, quæ summum sacerdotem, eumque unicum illud, & sanctissimum sacrificium

pro

pro peccatis vivorum, & mortuorum offerendum Chriſtum ſignificârunt. Aliæ cæremoniæ, quæ præſentia myſteria annunciabant, ut luminaria, thus, incenſum; & alia id generis, quæ ſacrificantium, & orantium fidem ac devotionem ſignificarent, ut etiam alias virtutes, ac dona deſignarent, adhuc in lege evangelica perſeverant, ad divinum cultum decentius promovendum. Hinc refert Egeſippus lib. 5. cap. 9. à Salomone munificentiſſimum templum vero Deo conſtructum, & reliquos ſucceſſores Reges ad ornatum ejusdem plurima addidiſſe pretioſa; adeo ut templum hoc ampliſſimo præcelluerit opere, ſecto fulgenti marmore veſtiretur; & quod in eodem fuerit deambulatorium, maximum, ac pretiorum peripetaſma, quo templi parietes ornarentur cocco, hyacintho, Byſſoque intextum, & purpura; neque otioſa erat hæc varietas ornatuum, quia materiam rerum latentium ſignificabant: erat enim templum à Rege Salomone dedicatum Regum ſummo Regi creatori cœli, & terræ, quia creator elementorum, ac totius mundi dominaretur, ac omnia ſolus regeret. Cocco igneum cœlum præfigurabatur: hyacintho aër: byſſo terra: & purpura mare præſignabatur, quia è mari conchylia oriuntur, è quibus purpura eruitur: & hæc quatuor ſummus Sacerdos ſuis conſueverat in veſtibus exprimere, quoties maxima contingeret ſolemnitas celebrari, quaſi tunc univerſum ad ſe traheret mundum Numini pro populo ſupplicaturus. Rurſus ſeminoralia intus linteo ſummus Sacerdos tegebat, eo quia præ cæteris in Sacerdote fides mentis requiratur, & caſtitas corporis. Præterea duo in templo aderant tabernacula, interius unum; alterum exterius, in illud non niſi ſemel in anno ingrediebatur ſummus Sacerdos, & quidem non ſine ſanguine, quem Numini offerebat pro ſe, ac pro peccato populi: & hac cæremoniâ ſignificabat Spiritus S. venturum Jeſum, qui ſolus intraret interiora penetralia Sacramentorum, & arcana cæleſtis ſubſtantiæ, qui æterno ſuo Patri totum mundum reconciliaret, & cum poſtea veniſſet, reconciliavit omnia, & pacificavit per ſanguinem ſuum è cruce effuſum. Rurſus intus in templo aderant thymiamaterium, menſa, & lucerna, quæ ſuper candelabrum ponitur: ſcilicet thymiamaterium, quo ad DEUM Patrem dirigeretur ſummi Sacerdotis oratio; menſa, quâ paſſio Chriſti præfiguraretur, & Sacramentorum myſteria, juxta illud Davidis: *Paraſti in conſpectu meo menſam*, cujus duodecim panes totidem Apoſtoli teſtes accerſerentur Chriſti paſſionis, & reſurrectionis. Lucerna, quæ ſuper candelabrum ponitur, antea erat ſub modio, ſeu ſub menſura; nunc ſub gratiæ plenitudine, heptamycho, ſeu ſeptem diſtinctis calamis, ut frequens lumen effunderet, Exod. 24. eo quia Spiritus Sanctus ſeptem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminaret. Quamobrem cognitio Trinitatis in interioribus erat templi, quæ vocabantur Sancta Sanctorum, ubi repoſita quondam virga Aaron refloruit, eo quia ſacerdotalis gratia in Chriſto uberius eſſet operatura poſt Chriſti mortem, quâ homines DEO, ac divinæ gratiæ mortuos vivificavit, & redemptos DEO Patri reconciliavit: hæc & alia myſteria ceremoniarum templi Salomonis deſcribit Eucherius lib. 2. Regnorum. Quia igitur veteris legis ceremoniæ præſignabunt, quæ deberent in lege evangelica contingere, ita ſublatæ fuerunt, ut earum uſus non ſit amplius neceſſarius ad ſalutem, in quo ſenſu intelligitur D. Auguſtinus epiſt. 19. & in libro contra mendacium cap. 12. quod Paulus aſſerit ad Galat. 1. c. 2. vidiſſe ſe Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique propterea *in faciem reſtitiſſe*, eo quia cogeret gentes judaizare, eo quia recens converſi Judæi crederent ſine veteris legis Sacramentis, & ceremoniis non poſſe æternam ſalutem conſequi, ad quem ſenſum dicitur Matth. 11. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem Baptiſtam*, & Joannis 5. *Judæi perſequebantur JESUM, quia ſolverat Sabbatum; & Patrem ſuum dicebat DEUM:* & Joannis 1. *Lex per Moyſem data eſt, gratia autem, & veritas per JESUM Chriſtum facta eſt:* & illud Apoſtoli ad Galat. 5. *Ecce, ego Paulus dico vobis, quia ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit:* ex quibus omnibus infertur, poſt Joannem Baptiſtam, Sabbatum, & cæremonias, ritusque veteris legis ceſſaſſe, & nullam in iiſdem ſpem ſalutis eſſe ponendam. Valent nihilominus, quæ in lege præſcripta ſunt, ad informandos fidelium mores, ſeu ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria temperanter, piè, ac juſtè vivamus in hoc ſæculo, ut nos hortatur Apoſtolus; nobisque ad Titum cap. 2. commendat quæcunque de DEO, & proximo diligendo ſine ullis figuris præcipiuntur in lege: in quibus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ Matth. 22. idque ita intelligitur, ut non ſpem ullam ponamus in lege illa, quia ut ſcribit D. Paulus ad Galat. 2. *Si per legem juſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Et ad Galat. 5. *Evacuati à Chriſto, qui in lege juſtificamini, à gratia excidiſtis:* ex quibus conſtat, non per legem, ſed per Chriſtum nos juſtificari; ſed gratiæ DEI per JESUM Chriſtum tribuendum eſt, quidquid nobis boni ineſt in ordine ad æternam ſalutem.

Igitur poſt Chriſti mortem, cum lex oriretur evangelica, mortua fuit & ſepulta cum honore Synagoga, quæ propterea nil amplius potuit Judæis adferre emolumenti; & fide evangelica, ac gratia Judæis ac gentibus manifeſtata ceſſarunt Sacrificia, Sacramenta, & ceremoniæ veteris legis, quæ futura in novo teſtamento præſignârunt; & ita abolita, ut nullus amplius earundem ceremoniarum uſus licitus eſſe poſſit in Religione Chriſtiana. Siquidem quæ in veteri lege gratiam & remiſſionem peccatorum ſignificabant, non efficiebant, repræſentabant quidem, ut futura in lege evangelica, non cauſabant, ut cinis vitulæ, & aſperſio ſanguinis; & cruentæ victimæ, & alia pleraque, quæ propagata jam, & promulgata lege evangelica, & inſtitutis à Chriſto Sacramentis, quæ non ſolùm ſignificant, verùm etiam cauſant, efficiúntque gratiam, ac noſtram juſtificationem; veluti umbræ ad lucis acceſſum evanuerunt: Hinc docent communiter Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 103. art. 4. Judæorum Sacrificia, & cæremoniæ non ſolùm non proſunt quidquam; verum etiam malæ nunc ſunt, ac perniciosæ, conſequenter ab iiſdem omnino abſtinendum, quia Chriſtianis mortiferæ ſunt. Unde D. Auguſtinus epiſt. 5. ſibi uſurpat, quod Prophetæ futurum prænunciaverant, Pſalm. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos:* & Pſalm. 15. *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus*, ſeu de pecorum victimis, quorum ſanguis fundebatur in Sacrificiis:

qua-

Digitized by Google

quapropter D. Hieronymus cap. 31. ait: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & confirmabo super domum Jacob testamentum novum, non sicut testamentum, quod disposui patribus eorum, cum eduxi eos de terra Ægypti.*

Verùm quamvis sint nunc mortiferæ cæremoniæ veteris legis; non propterea sacrificia, & Sacramenta illius legis mala fuerunt ante Christi adventum, quia in lege Mosis præcepta fuerunt à Deo, proinde bona, imò & obligatoria. Verùm quia postea in Christi adventu his abrogatis fuerunt à Deo alia substituta, ideo quia nunc prohibita mala sunt. Neque Deus per hoc censendus est mutationi obnoxius, quasi quæ aliquando ei placuerunt, incipiant nunc displicere: quia hæc, ut ita contingerent, semper in mente divina fuerunt: ab æterno enim voluit, & in lege veteri licita essent Sacrificia, & Sacramenta, unà cum suis cæremoniis usque ad Christi adventum; à quo substituerentur alia Sacramenta, & Sacrificia, quæ Christianos obligarent, ut æternam valerent salutem consequi: & cum hæc ab æterno fuerint in mente Dei; ideo dici non potest, cum hæc nova à Deo constituerentur subito priora eidem displicuisse, veluti mutabili voluntate. Hinc David Psal. 101. hæc prævidens ait: *Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem ipse es*, satis enim est, hanc dispositionem Sacrificiorum, & Sacramentorum fuisse ab æterno in mente Dei, quæ omnia, licet contingant in tempore, non tamen aliter ac fuerint ab æterno in mente Dei, qui propterea non dicitur mutari, quando ad extra hæc contingunt, quia dispertita fuerunt pro temporum congruentia talia Sacrificia, & Sacramenta in veteri lege, quibus fuerunt postea post Christi adventum alia substituta, prout alia temporum congruentia exigebat, ut scilicet ex ipsa vera, & unius Sacerdotis victima, seu effuso Christi Sanguine lex evangelica orisetur, ac nostra merita derivarentur, quæ mutatio non est Dei, neque Religionis, sed Sacrificiorum, & Sacramentorum, quæ, cum in veteri lege Christum, ut futurum præsignabant, ejusque gratiam significabant, non verò efficiebant, ita in novo Testamento Sacrificia & Sacramenta Christum significant jam venisse in mundum, quem pretio sui sanguinis redemit, & non tantum significent, sed etiam causent, & efficiant nostram justificationem. Unde non fuit Religio, nec fides mutata, cùm omnia Sacramenta, & Sacrificia veteris & novæ legis eundem Christum significent, & ejus gratiam hoc solo discrimine, quod in veteri lege tantùm ut futurum significaverint, & gratiam non causaverint, cùm in lege evangelica Sacrificia, & Sacramenta significent Christum jam venisse, seu assumpsisse humanitatem, & pretium sui sanguinis solvisse pro redemptione humani generis, & non solùm significent, sed etiam causent nostram justificationem seu gratiam. Neque obstat, quod etiam in lege evangelica in diversis ecclesiis diversæ particulares observentur cæremoniæ, quia sufficit, si una ac eadem sit fides in omnibus ecclesiis, eadem Sacramenta, & Sacrificia, seu substantia religionis sit in omnibus eadem, quamvis cæremoniæ accidentales variæ sint, quod non obstet, quia istæ serviunt iisdem Sacramentis, & Sacrificiis, nil enim prohibet, quin possit eadem fidei unitas profiteri diversis cæremoniis, quibus nullo modo veritas fidei imminuitur vel augetur, sed est prorsus eadem, sive ejus protestatio hisce vel illis fiat specialibus cæremoniis; etenim pariatur Ecclesia filiæ Regis, cujus gloria, & *pulchritudo*, ut ait David Psal. 44. *Est intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus*, varietates enim in veste intelliguntur cæremoniæ illæ speciales, quæ variè in membris ecclesiæ celebrantur, ab una tamen eademque proficiscentes fide ac justitia, disponente in ecclesia omnia justo, ac decenti ordine. Sicut enim varietas in vestes est quid adscititium, & accidentale, perinde cæremoniæ hæ, quæ dicuntur speciales, ad substantiam non pertinent religionis, quæ propterea non est indecens, ut una sit in omnibus ecclesiis; hinc D. Augustinus Lib. 6. cap. 2. contra Faustum eos reprehendit, qui omnes iniquos judicant; etiam majores Nostros, cum ritibus illis, & moribus suis præsentibus non consentientes, quo errore etiam se fatetur quondam fuisse irretitum, inquiens: *Non noverum justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima Dei Omnipotentis, qua mores formarentur Regionum & dierum pro regionibus, & diebus, cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter se undum quam justi essent Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, & David.* Et nonnullis interjectis subdit: *Sic sunt isti, qui indignantur, cum audierint isto sæculo licuisse justis aliquid, quod isto non licet justis, & quia illis aliud præcepit Deus, istis aliud pro temporalibus causis, cum eidem justitiæ utrique servierint: cum in uno homine, & in uno die, & in unis ædibus videant aliud alii membro congruere, & aliud jam dudum licuisse, & post horam non licere: quiddam in illo angulo permitti aut juberi, quod in isto merito vetetur, & vindicetur. Nunquid justitia varia est, & mutabilis? & tempora, quibus præsidet, non pariter eunt, tempora enim sunt, homines autem, quorum vita super terram brevis est, quia sensu non valent causas contexere sæculorum priorum aliarumque Gentium, quas experti non sunt, cum his, quas experti sunt: In uno autem corpore, vel die, vel domo facile possunt videri, quid, cui membro, quibus momentis, quibus partibus, personisque congruat: in illis offenduntur, his serviunt.* Unde hæc varietas, cùm sit accidentalis, non officit unitati religionis & fidei, cavendum tamen, ne vestis ita varietur, ut adversis dissipetur contentionibus, & ne vestis dilaceretur, sed semper laborandum est, ut hæc varietas ad unitatem, & concordiam redigatur. Notat tamen D. Augustinus in præfatione in specie: Cæremonias veteris testamenti nunc non ideo supervacaneas esse & inutiles, quia impletæ sunt, quæ prius futura mysteria per easdem præsignificabantur, quia, tametsi nullus in lege evangelica earum usus esse possit populo Christiano, tamen ad hoc utiles sunt, ut hæc mysteria jam impleta à nobis intelligantur, ut Sabbathum ad visibilem vocationem, pascha in ovis occisione, sicut & plura genera sacrificiorum ac ciborum prohibitorum, & Neomeniæ, annuæque solennitates, quas observant etiam nunc Judæi in suis Synagogis, ut edisserit ex verbis Apostoli D. Augustinus Lib. 6. contra Faustum cap. 1. inquiens: *Ex hac imperitia Manichæi, & omnes, quibus displicent litteræ veteris testamenti, quidquid Deus mandavit populo priori ad celebrandum, umbram futurorum*

non intelligentes, & ita modo non observari animadvertentes ex more præsentis temporis illa reprehendunt, quæ utique illi tempori congruebant, quo ista, quæ nunc festa nunc sunt, ventura significarentur. Ait enim Apostolus 1. Corinth. 10. de cæremoniis, & Sacramentis veteris legis: hæc omnia in figura contingebant illis: *Scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum obvenit?* Ostendit, cur litteræ illæ à nobis accipiantur, & cur illa rerum signa jam necesse non sit, ut observentur à nobis. Cùm ait, *scripta sunt propter nos*, procul dubio demonstrat, quanta nobis cura legenda, & intelligenda, & in quanta authoritate habenda sint, quia propter nos utique scripta sunt, sed cum dicit, figuræ nostri fuerunt, & in figura contingebant illis, ostendit jam non opus esse, ut cum res ipsas manifestatas agimus, figurarum prænuntiantium celebrationi serviamus, quapropter Apostolus ad Coloss. 2. ait: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum.* Hinc etiam, cum dicit, *nemo vos judicet*, ostendit non esse necesse, ut in lege evangelica cæremoniæ observentur veteris legis. Cùm autem ait: *Quæ sunt umbra futurorum*, declarat, quod potuerit, ut in lege veteri ante Christi adventum Sacramenta, & Sacrificia, & cæremoniæ omnes veteris legis observarentur, ut ista, quæ nobis manifestata sunt, & nunc nobis patescant per tales umbras figurarum futura prædicerentur: hinc cessationem Sabbathorum supervacaneam ducimus ad observandum, eò quia spes nostræ quietis æternæ revelata est: non tamen ad legendum, & intelligendum.

LIBER QUINTUS.

DE

Baptismo in particulari.

Quia Baptismus, tum ordine generationis, tum necessitatis cætera præcedat Sacramenta, ideo hanc controversiam de Sacramentis in particulari ordimur à Sacramento Baptismi, cujus beneficio nobis confertur initium gratiæ, & Christus ipse prima suæ potestatis rudimenta auspicatus est ab aqua, vocatus ad nuptias, ut notat Tertullianus Lib. de Baptism, per aquam enim in vinum versam suam manifestavit super elementa potestatem, quâ non solùm vinum educere ex aqua posset, verum etiam ardorem charitatis, & gratiam nobis per aquam impertiri, cum baptizamur. Hac de causa hæc de baptismo controversia reliquis solet Sacramentis præmitti. Est autem baptismus nomen græcum, quod idem latinè significat ac lotio. Et in sacris litteris non solùm eam ablutionem significat, quæ cum Sacramento jungitur, verùm etiam omne ablutionis genus 2, Esdræ 4. v. 23. *Non deponebamus vestimenta nostra: unusquisque tantùm nudabatur ad baptismum.* Marci 7. v. 3. *Pharisæi, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum, & à foro, nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare. Baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.* Et Apostolus ad Hebr. 9. loquens de lege Hebraica, ait: *Juxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis, & potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.* Quinimò hoc nomen baptismus etiam ad significandam passionem translatum fuit. Marci 10. v. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari*, & Luc. 12. v. 50. *Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor, donec perficiatur*, & Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. v. 29. scribit: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis.* Hinc baptismus variis pulchris solet à sanctis Patribus nominibus insigniri, ut enim notat D. Thomas 3. part. quæst. 66. art. 1. dicitur *Regeneratio*, quæ nomenclatio, quamvis cuique justificationi possit suo modo accommodari, quatenus per ipsam regeneramur divinæ gratiæ Deo, & reviviscimus, cùm antea essemus mortui peccato, nihilominus specialem cum baptismo habet connexionem, quapropter D. Leo Papa serm. 4. de Nativitate ait: *Omni homini, renascenti aqua Baptismatis, instar est uteris virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & virginem, ut peccatum, quod ibi evacuavit sacra conceptio, hic solvat ablutio.* Secundò baptismus vocatur itidem signaculum, vel sigillum desumpta denominatione ab effectu, seu charactere, quem imprimit in baptizato, ut notat D. Thomas, quia baptismo præ cæteris Sacramentis imprimentibus characterem, convenit specialiter

hæc

Digitized by Google

hæc appellatio: quia per baptiſmum talis character imprimitur, quo Chriſti ejusque eccleſiæ membra deſignamur, quapropter D. Baſilius orat. exhortat. ad baptizand. vocat hoc Sacramentum *Teſſeram militum Chriſti, amictumque ſplendentem.* Tertiò D. Damaſcenus vocat baptiſmum *Cuſtodiam, ſeu præſidium*, quæ nomenclatio ex eo fortaſſis data eſt baptiſmo, quia omnibus, qui illius impreſſione characteris inſigniuntur, peculiare debetur auxilium ad eosdem in eccleſia conſervandos, unde Auguſtinus ſerm. 20. de tempore ait: *Supervenit Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo: & ita ſanctificati vim combibunt ſanctificandi.* Vocatur etiam baptiſmus illuminatio, eò quia homines per tale Sacramentum illuminentur, quod nomen fortaſſis deſumptum eſt ex D. Paulo ad Hebr. 6. ubi baptizatos vocat *illuminatos*, quapropter D. Auguſtinus loc. cit. ait: *Felix aqua Sacramentum, quo ablutis delictis priſtinæ charitatis in vitam reformamur æternam: Sacramentum Sanctificationis, & lavacrum, quo mors diluitur, & quo & exempto reatu eximitur & pœna, ac homo ad ſimilitudinem Dei, non ad imaginem ſolum in æternitate cenſetur.* Triumphare videntur ſancti Patres in recenſendis laudibus baptiſmi, cujus encomia hic attexere, quia nimis prolixum foret, ſufficiet concludere cum D. Ambroſio Lib. 10. in Luc. *O aqua, quæ Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti, quæ lavas omnia, nec lavaris! tu incipis prima, tu comples divina myſteria, à te principium, in te finis, vel potius, tu facis, ut finem neſciamus.*

C A P U T I.

De Inſtitutione Baptiſmi.

NOn defuerunt plerique Hæreticorum, qui negaverint, baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut præ cæteris Pelagiani referente Auguſtino Lib. de hæreſ. cap. 88. Quibus etiam adhæſerunt nonnulli Sectarii noſtri temporis apud Bellarminum *Lib. 1. Baptiſm. cap. 4.* Verùm nullus hactenus inventus eſt ex iis, qui evangelium admittunt, qui auſus fuerit, hoc Sacramentum negare, ac fuiſſe à Chriſto inſtitutum, quia ſacra evangelia clariſſimè id teſtantur, etenim Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Matth. ult. *Baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Hinc Tridentina Synodus Seſſ. 7. agens de hoc Sacramento contra Hæreticos nullum peculiarem canonem habet circa inſtitutionem hujus Sacramenti, quia omnes Hæretici fatentur Sacramentum Baptiſmi fuiſſe à Chriſto inſtitutum, unde difficultas tantùm eſſe poteſt de tempore, quo fuerit à Chriſto hoc Sacramentum inſtitutum. Alenſis 4 *part. quæſt. 8. membro 2. tit. 3.* Maironus *quæſt. 1.* Canus *lib. 8 de locis theolog. cap. 5. poſt init.* & alii cenſent, baptiſmum fuiſſe à Chriſto inſtitutum poſt Eucharistiam, & nituntur, quia Tertullianus lib. de baptiſmo aſſerat, Apoſtolos ante Chriſti paſſionem non fuiſſe baptizatos baptiſmo Chriſti, ſed Joannis, eò quia nondum Chriſti baptiſmus fuerat inſtitutus, & D. Chryſoſtomus homil. 28. in Joan. poſt init. ait: *Quod ſi quis percunctaretur quid amplius in Joannis baptiſmate, & Diſcipulorum fuerit? nihil reſpondebimus; utrumque enim ſimiliter Spiritus expers erat, & unam eandemque baptizandi cauſam habebant, ut ſcilicet Chriſto reconciliaret baptizatos.* Cui adhærens Theophylactus in 3. cap. Joann. ait: *Baptizant igitur Diſcipuli Chriſti baptiſmo, qui nihil habebat amplius, quàm baptiſmus Joannis: ambo enim imperfecti, & nondum habentes Spiritum: eademque utrique cauſa, ut adducantur ad Chriſtum baptizandi.* Hoc idem docent alii Sancti Patres, præſertim D. Leo I. Papa *epiſtol. 4. decret. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 3.* Rupertus in *cap. 3. in Joann.* Ratio, qua nituntur, eſt, quia baptiſmus fuit inſtitutus in Symbolum mortis & ſepulturæ Chriſti, ut colligitur ex illo Apoſtoli ad Roman. 6. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte*, & ad Coloſſ. 2. *Conſepulti enim in baptiſmo*, ex quo inferunt, non debuiſſe baptiſmum ante paſſionem & mortem Chriſti inſtitui. Et ex eo firmant, quia, quando Chriſtus Matth. 10. Marc. 3. Luc. 9 Apoſtolos miſit ad prædicandum, nullam fecit mentionem de baptiſmo, ſed tantùm de poteſtate curandi infirmos, & ejiciendi dæmonia, ſin autem hoc Sacramentum fuiſſet inſtitutum, utique mentionem illius feciſſet, præſertim cùm ſit Sacramentum fidei, & ad ſalutem neceſſarium: ſecus quando Chriſtus Matth. ult. ad cœlos aſcenſurus, miſit Diſcipulos per univerſum mundum, ad prædicandum evangelium, tunc mentionem fecit baptiſmi, ex quo inferunt, non fuiſſe baptiſmum inſtitutum ante Chriſti paſſionem, ſed poſt ejus reſurrectionem. Hæc tamen ſententia rejicitur, quia præcitati Patres ſolent explicari non de inſtitutione, ſed de obligatione. Præterea quia, tametſi eſſent intelligendi de inſtitutione, inde tantum ſequeretur, quod hæc ſententia ob ſolam Patrum authoritatem eſſet probabilis, & nulla cenſuræ nota digna, non verò quòd tenerentur omnes Doctores eidem adhærere. Nec ratio, cui innituntur, videtur eſſe magni ponderis, ſiquidem reſpondetur, ex illa non ſequi, quod baptiſmus non potuerit inſtitui ante Chriſti paſſionem & mortem: ſicut neque obſtat, quo minus Sacrificium Eucharistiæ, quod inſtitutum eſt ad repræſentandum cruentum crucis inſtitui potuerit ante Sacrificium crucis; ſiquidem poteſt inſtitutio ſigni anticipari ad ſignificandam rem futuram, reſpectu cujus dicitur ſignum prognoſticum, poſtquam verò res ſignificata tranſit de futuro in præteritum, idem ſignum vocatur rememorativum. Neque confirmatio urget, quia non fuit neceſſe, ut

ut Christus tunc meminisset potestatis baptizandi, quando suos discipulos ad prædicandum misit, quia, cùm nondum baptismus fuerit sub præcepto, non fuit necesse, peculiarem mentionem illius facere, sicut post Christi resurrectionem, quando baptismus cœpit omnes obligare. Alii sentent, Sacramentum baptismi fuisse à Christo institutum, paulo postquam fuit à Joanne baptizatus, seu quando dixit Nicodemo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, quapropter volunt fuisse à Christo institutum ante ejus passionem, & mortem, vel quando discipulos simul collegit. Alii verò cum Scoto, & D. Thoma & *Magistro sententiar. in 4 dist. 2.* docent: Baptismum tunc fuisse à Christo institutum, quando Christus in Jordane à Joanne baptizatus fuit.

Dicendum est primò, longè probabilius esse Sacramentum baptismi fuisse à Christo institutum ante ejus passionem. Ratio est, quia Christus ipse ab initio suæ prædicationis baptizavit, ut colligitur ex illo Joan. 3. *Venit Jesus & discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*, hoc est, per discipulos suos, ut ex ipso contextu satis constat: sed tunc Christus per Discipulos suos non baptizabat baptismo Joannis, quia, ut ait Glossa in supra citata verba Joan. 3. *Baptizabat suo baptismo, non eo, quo baptizatus est. illud enim fiebat ut esset via, & præparatio*, hinc D. Augustinus Tract. 13. in Joan. ait: *Christus baptizatus baptizabat, non eo baptismo baptizabat, quo baptizatus est, dat baptismum Dominus baptizatus, a servo ostendens humilitatis viam, & perducens ad baptismum Domini, hoc est ad suum baptismum*, Præterea, quia Joannes Baptista Matth. 3. & Joan. 1. assignat differentiam inter suum baptisma, & illud, quo Christus baptizabat, eò quia Joannes in aqua tantùm baptizaret; & Christus in Spiritu Sancto, proinde Christus tunc baptizabat baptismo distincto à baptismo Joannis. Præterea, quia Joann. 3. Discipuli Joannis Baptistæ conquerebantur, quod Jesus baptizaret, eò quia supponerent, Christum non baptizare baptismo Joannis, alioquin nulla eis fuisset occasio conquerendi: ergo Christus ante suam passionem instituit Sacramentum baptismi. Neque urget, si dicas, tunc baptismum, quo Christus baptizabat, non fuisse baptismum Joannis, nec ipsius Christi, sed aliquod veluti simulacrum, aut præambulum baptismi Christi instituendi post ejus passionem. Contra est, quia id asserit absque ullo sufficienti fundamento, & gratis dicitur. Præterea, quia baptismus, quo Christus tunc baptizabat, revera erat in aqua, & Spiritu Sancto. Neque Christus venerat, ut alias figuras induceret: sed ad stabiliendas veritates figurarum, quæ fuerant in veteri testamento.

Ostenditur secundò, quia juxta legem institutam à Christo, baptismus præcedit alia Sacramenta, quorum est janua, adeo, ut non possit quis ullo initiari Sacramento, quin prius baptismo fuerit ablutus, & per Januam baptismi fuerit ecclesiam ingressus. Præterea, quia mediante baptismi Charactere recipiuntur alia Sacramenta; atqui certum est, Christum ante suam passionem, seu in nocte Cœnæ, suis ministrâsse Discipulis Eucharistiam, eosque initiâsse ordine sacerdotali, ut habet Tridentina Synodus Sess. 7. cap. 1. ergo, ut baptismus esset janua ad cætera Sacramenta suscipienda, debuerunt in nocte Cœnæ Apostoli præsupponi à Christo baptizati, ex quo deducitur, quod baptismus fuerit institutus à Christo ante ejus passionem. Præterea Apostoli ante Christi passionem, certum est, baptizasse, & non baptismo Joannis, sed ipsius Christi: quia ipsi Christo tribuitur baptismus ab illis collatus: quod si baptizassent baptismo Joannis, potius Joanni tribuendus esset. Quod vero baptismo Christi baptizaverint, habetur Joann. 3. v. 22. *Post hac venit Jesus & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*, scilicet baptizabat Christus in Spiritu Sancto, & igne, juxta testimonium Joannis, quapropter baptismus, qui Christo tribuitur, diversus erat à Joannis baptismo, quia Joannes baptizavit in aqua tantùm, & Christus in Spiritu Sancto, seu baptismus Christi conferebat gratiam sanctificantem, quam non communicabat baptismus Joannis in aqua tantùm collatus, qui baptismus fuit tantùm quædam præparatio ad baptismum Christi, hinc orta fuit æmulatio & contentio quædam inter discipulos Joannis, & Christi occasione baptismi, quæ contentio non contigisset, si discipuli Christi contulissent & ipsi baptismum Joannis Joann. 3. v. 25. *Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Et Joann. 4. v. 1. dicitur: *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures Discipulos facit, & baptizaret, quàm Joannes (quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus) reliquit Judæam.* Discipuli ergo Christi baptismum ejus nomine, & authoritate ac mandato contulerunt, propterea fuit verum Christi baptisma ab iis institutum & collatum à Discipulis, ut à Ministris, nomine principalis institutoris: quamvis enim decretum Principis promulgetur à Ministris, adhuc est decretum Principis, eò quia Ministri non nomine proprio, sed Principis illud promulgant, ita, quia Discipuli Christi, tanquam Ministri, non nomine proprio, sed Christi institutoris conferebant baptismum, ideo non Joannis, sed Christi contulerunt baptismum, hinc D. Augustinus epist. 265. ad Seleucianam ait: *Utrumque autem de Domino scriptum est, & quia baptizabat plures, quàm Joannes, & quia ipse non baptizabat, sed Discipuli ejus, ut nimirum intelligeremus & ipsum quidem baptizâsse præsentia Majestatis, non tamen ipsum baptizâsse manibus suis: quia ipsius erat baptismi Sacramentum, & ad Discipulos baptizandi ministerium pertinebat.* Alii tamen Patres asserunt, Christum suis manibus aliquos baptizâsse. Ennodius Episcopus Antiochenus apud Nicephorum Lib. 2. cap. 3. ait: *Christus manibus suis baptizavit Petrum tantummodo: Petrus vero Andream, & filios Zebedei*, & Clemens apud Sophronium in praxi spirituali cap. 26. ait: *Christus dicitur Petrum solùm baptizâsse, Petrus Andream, & Jacobum, & Joannem.* Euthymius ait: *Scribunt Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, & Virginem Matrem baptizaverit.*

Ostenditur tertiò ex eo, quia, qui erant ab Apostolis ante passionem Christi baptizati, non leguntur iterum post Christi passionem baptizati,

secus

secus qui Joannis baptismate tantùm baptizati erant, leguntur iterum baptizati, ut testatur S. Lucas Act. 19. ergo quia baptismus Christi fuit verus, qui continet gratiam, & impressit characterem, propterea non debuerat iterari, bene tamen baptismus Joannis, qui non fuit verus, sed tantùm præparatorius, nec gratiam contulit, nec characterem impressit, unde D. Augustinus Tractat. 5. in Joan. egregiè ad rem nostram ait: *Baptismum Christi das, ideo non post te baptizatur. post Joannem ideo baptizatum est, quia non Christi baptismum dabat, sed suum, quia sic acceperat, ut ipsius esset; non ergo tu melior, quàm Joannes; sed baptismus, qui per te datur melior, quàm Joannis; ipse enim Christi est, iste autem Joannis. Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro Christi est, & si datum est à Juda, Christi erat. Dedit Judas, & non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem, quia si datus est à Juda, baptismus Christi erat; qui autem à Joanne datus est, Joannis erat, non Judam Joannis, sed baptismum Christi, etiam per Judæ manus datum baptismum Joannis, etiam per manus Joannis dato rectè præponimus. Etenim dictum est de Domino, antequam pateretur, quia baptizabat plures, quàm Joannes; Deinde adjunctum est, quamvis ipse non baptizaret, sed Discipuli ejus ipsi, & non ipse, scilicet ipse potestate, & illi ministerio; sed virtutem ad baptizandum illi admovebant, sed potestas baptizantis in Christo manebat. Ergo baptizabant Discipuli ejus, & ibi adhuc erat Judas inter Discipulos ejus; quos ergo baptizavit Judas, non sunt iterum baptizandi; & quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt. Planè iterum, sed non iterato baptismo. Quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit; quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit.* Sed dices, non videri, quomodo Apostoli potuerint baptizare baptismo Christi, cum scriptura non asserat ipsos recepisse Sacramentum Baptismi, & Tertullianus lib. de baptismo cap. 11. censeat ipsos tantùm tinctos baptismate Joannis. Sed contra, quia, ut ait D. Augustinus, Apostoli priùs, quàm à Christo mitterentur, ad baptizandum ipsos baptismum suscepisse, ajunt enim plures Sancti Patres, Christum manibus suis baptizasse Petrum, & à Petro fuisse baptizatos Andream & filios Zebedæi, & successivè alios Discipulos ab Apostolis, quamvis scriptura id expressè non habeat, & sententia hæc Augustini & aliorum Sanctorum Patrum præferenda est sententiæ Tertulliani, & aliorum, si qui sint, qui contrarium adstruant; ait enim D. Augustinus epist. ad Seleucianam: *Rectè dici potest, quia cùm Petrus negavit Dominum, nondum fuerunt Apostoli baptizati, non tamen aqua, sed Spiritu Sancto, hoc enim ei dixit, postquam resurrexit, & conversatus est cum eis, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, quem & accepturi estis non post multos hos dies. Si autem dicimus, aqua non fuisse baptizatos, metuendum est, ne graviter in eis erremus, ne demus hominibus authoritatem contemnendi baptismum, quem usque adeo non contemnendum ipsa Apostolica disciplina commendat, ut Cornelius Centurio, & illi qui cum illo erant, etiam jam accepto Spiritu Sancto fuerint baptizati, sicut antiqui justi, si non circumciderentur, non erat eis peccatum; postea verò jussit Deus, ut circumciderentur Abraham, ejusque posteritas, jam si non fieret, grave peccatum fuit; sic etiam postquam Dominus Christus in ecclesia sua Sacramentum novi testamenti, pro circumcisione carnis Sanctum baptismum dedit, & apertissimè dixit; si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum, jam non debemus quærere, quando quisque fuerit baptizatus, sed quoscunque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cœlorum, nonnisi baptizatos intelligere debemus; nisi fortè, quos angustia passionis invenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Sed nunquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui usque adeo largum tempus habuerunt, quo baptizarentur, ut alios etiam baptizaverint. Sed non omnia, quæ facta sunt, etiam scripta inveniuntur; verum tamen facta esse ex cæteris documentis probantur. Scriptum est, quando baptizatus sit Apostolus Paulus & scriptum non est, quando baptizati sunt alii Apostoli. Verum tamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus, quemadmodum scriptum est, quando baptizatæ sint plebes ecclesiarum in Jerusalem, & Samaria; quando autem baptizatæ sint aliæ plebes Gentium, quibus Apostoli epistolam miserunt, non est utique scriptum; & tamen etiam ipsas baptizatas utique minimè dubitamus propter illam Domini sententiam, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum*, & hoc idem docet epist. 44. ad Glorium Eleusium & Felices, & Augustino adhæret D. Ambrosius in Apologia David cap. 11. inquiens: *Qua gratia Petrus, qui ante baptizatus fuerat, interrogatur, postquam visus est Dominus negasse; Simon Joannis diligis me? dixit ei, utique tu scis, Domine, quia diligo te.*

Sed dices: Forma baptismi non fuit à Christo Apostolis tradita, nisi post ejus resurrectionem, cum dixit Discipulis suis Matth. 18. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*, atqui baptismus non potuit institui sine forma; ergo nonnisi post Christi passionem fuit baptismus institutus; sed contra, quia forma baptismi jam fuerat instituta, & in privato Apostolis tradita ante Christi passionem, quamvis non in publico. Quòd si instes, baptismum nonnisi à Christi passione habere suam virtutem, consequenter, non potuisse institui ante passionem Christi, antecedens evincitur ex D. Augustino Tractat. 15. in Joan. ubi docet, de latere Christi fluxisse Sacramenta Ecclesiæ. Contra est; negatur consequentia, quia quando Christus fuit baptizatus, ejus passio erat inchoativè: siquidem omnis pœnalitas, quam pertulit Christus toto vitæ suæ cursu, fuit quædam passio, & dispositio ad ultimam passionem consummandam per mortem. Præterea quia Christus à primo suæ Incarnationis instanti liberè acceptavit præceptum moriendi pro hominibus, adeo ut in tali acceptatione promeruerit; ergo potuit Christus ante consummationem suæ passionis instituere baptismum, & iste potuit suam virtutem habere à Christi passione saltem inchoativè, quod sufficit, ut Sacramenta suam virtutem dicantur habere à Christi passione. Neque urget, quod addebatur ex D. Augustino, quia si ejus authoritas sumenda esset in illa latitudine, & extensione, indè sequeretur, quod nec Sacramentum Eucharistiæ fuisset institutum ante Christi mortem, cum tamen constet ejus institutionem fuisse in nocte cœnæ. Præterea quia tametsi omnia Sacramenta dican-

dicantur fluxisse de latere Christi, non tamen eodem modo, quia Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Unctio, & matrimonium non solùm, quoad suam perfectionem, verum etiam quoad initium fluxerunt de latere Christi, Sacramenta verò Baptismi, Eucharistiæ, & Ordinis solùm, quoad suam perfectionem quatenus baptismus, per Christi mortem januam regni cœlestis aperuit, quam antea non aperiebat; & Eucharistia habuit rationem viatici, quam non habebat ante Christi mortem; & Ordo ad Eucharistiam, ut viaticum cœpit habere Ordinem. Cæterum baptismus accepit virtutem productivam gratiæ à Christo, quando in Jordane fuit à Joanne baptizatus; Eucharistia & Ordo, in nocte cœnæ, antequam Christus pateretur.

Dicendum est secundò, probabilius esse martyrium fuisse institutum à Christo, tunc quando in Jordane fuit Christus à Joanne baptizatus, ratio est, quam assignat D. Thomas 3. *part. art.* 2. Quia cùm Sacramenta ex vi suæ institutionis conferant gratiam, tunc Sacramentum instituitur, quando virtutem accepit productivam gratiæ; sed hanc virtutem baptismus accepit, quando Christus in Jordane fuit à Joanne baptizatus, ait enim D. Augustinus serm. 3. Domin. infra octavam Epiphaniæ: *Ex quo Christus in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Et D. Ambrosius lib. 2. in Lucam cap. ult. *Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aqua, ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent.* Unde cum Sacramenta vim conferendi gratiam ex institutione sua habeant, tunc videtur fuisse baptismus institutus, quando virtutem accepit producendi suum effectum; sed hanc virtutem baptismus accepit, quando Christus in Jordane à Joanne baptizatus fuit, quapropter tunc baptismus verè fuit à Christo institutus, quia suum accepit effectum conferendi gratiam, tunc enim sanctificandi virtutem Christus tribuit aquæ; notat enim D. Gregorius Nazianzenus, eo tempore aquæ vim generandi in spiritu lem, scilicet vitam fuisse datam, ait enim Orat. 38. in Nativit. Christi: *Ac quidem paulo post, & Jesum purgatione mea in Jordane purgari videbis, vel potiùs aquas purgatione sua purificâsse*; & Orat. 39. ait: *Ut totum veterem Adam sepeliat in aquis; ante hos verò & propter hos Jordanem nimirum, ut Spiritus, & caro erat, sic etiam per Spiritum, & aquam initians.* Et D. Ambrosius lib. 2. in Lucam §. 83. *Baptizatus est ergo Dominus, non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberet, & ideo qui ad Christi lavacrum venerit, peccata deponit.* Firmari ex eo potest assertio, quia in Christi baptismo sanctissima Trinitas, in cujus nomine baptisma conficitur; Nomen suum præsens declaravit, siquidem vox pacis audita est; Filii persona aderat; & Spiritus Sanctus in columbæ specie è summo cœlo in Jordanem descendit, & ideo cœli aperti sunt, ut beneficio baptismi nobis liceret illas inscendere. Hinc D. Thomas 3. part. quæst. 39. art. 5. ait: *Christus baptizari voluit, ut suo baptismo consecraret baptismum, quo nos baptizaremur. Et ideo in baptismo Christi eadem monstrari debuerunt, quæ pertinent ad efficaciam nostri baptismi. Circa quam tria sunt consideranda. Primò quidem principalis virtus, ex qua baptismus habeat efficaciam, quæ quidem est virtus cælestis; & ideo baptizato Christo apertum est cœlum, ut ostenderetur, quòd de cætero cœlestis virtus baptismum sanctificaret. Secundò operatur ad efficaciam baptismi fides Ecclesiæ, & ejus qui baptizatur. Unde & baptizati fidem profitentur, & baptismus dicitur fidei Sacramentum. Per fidem autem inspicimus cœlestia, quæ sensum, & rationem humanam excedunt; & ad hoc significandum Christo baptizato aperti sunt cæli. Tertio quia per baptismum Christi aperitur nobis introitus Regni cœlestis, qui primo homini præclusus fuerat per peccatum. Unde baptizato Christo aperti sunt cæli, ut ostenderetur, quòd baptizatis patet via in cœlum. Post baptismum autem necessaria est homini jugis oratio, ad hoc quòd cœlum introeat. Licèt enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius, & mundus & Dæmones, qui pugnant exterius.* Et *ideo dicitur* Luc. 3. *Quod Jesu baptizato, & orante apertum est cœlum, quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum, unde Venerabilis Beda in cap. 3. Luc. ait: Ad nos informandos Jesus baptizatus orâsse memoratur, quibus post lavacrum baptismi, ut alta cœli pandatur non otiosè vivendum est, sed precibus est insistendum.* Et D. Ambrosius lib. 2. in Lucam ait: *Baptizatur Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, ut abluta per Christi carnem, quæ peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent*; Et D. Augustinus serm. 1. Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ ait: *Ex quo Christus in aqua immergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua.* Neque obstat, si dicas, ex hisce congestis authoritatibus Sanctorum Patrum tantùm evinci, Christum, ex tunc dedisse aquis vim regenerandi spiritualiter in promissione tantum, vel destinatione, quatenus destinaverit Baptismũ postea instituendum, non verò inde ostenditur, quòd de facto instituerit. Nam contra est, quia si tantùm destinâsset aquam in futurum baptisma, non rectè dixisset Augustinus, ex quo Christus in aqua mergitur, etenim ex eo omnium peccata abluit aqua, quia non potuisset aqua habere hanc virtutem, neque producere hunc effectum, antequam fuisset baptismus institutus. Tum quia fuisse baptismum institutum, quando Christus fuit in Jordane baptizatus, potest ex hac optima congruentia inferri, quia confessio mysterii Trinitatis tradita est, pro forma baptismi. Sed in baptismo Christi hoc mysterium declaratum fuit; siquidem vox Patris audita est, & filius, ac Christus in propria persona adfuit, neque defuit Spiritus Sanctus, qui in specie columbæ apparuit; & effectus baptismi satis apertè significatus fuit, per apertionem cœli, quæ etiam denotavit baptismum esse clavem cœli, ergo ex hac congruentia possumus legitimè inferre Sacramentum baptismi institutum fuisse à Christo, quando in Jordane à Joanne baptizatus fuit. Hinc solus Christi baptismus fuit verus, quia sanctificavit aquas, quæ elevatæ à Christo fuerunt ad conferendam gratiam, ac abstergendas maculas peccatorum, adeo ut in baptismo aqua gratiam sanctificantem conferat, quam non contulit baptismus Joannis, qui propterea non fuit verus baptismus, sed tantùm quædam præparatio ad verum baptismum Christi, idque constat ex scriptura asserente, id interesse discriminis, inter Baptismum Christi, & Joannis, quia Joannes baptizavit tantùm in aqua, Christus verò in aqua, & Spiritu Sancto. Præterea quia Actor. 19. legimus rebaptizatos fuisse, quos Joannes baptizaverat, ut etiam ejus Discipuli nomine Joannis, eò quia talis baptismus verus non fuit, nec gratiam

gratiam contulit, nec characterem impressit; secus quos Christi Discipuli nomine Christi baptizarunt, tametsi ante Christi passionem, non tamen fuerunt rebaptizati, quia baptismus collatus nomine Christi, ut institutoris fuit verus baptismus, contulit gratiam sanctificantem, maculas abstersit peccatorum, & characterem impressit indelebilem. Hinc Baptismus Joannis Præcursoris Christi, & qui fuerat missus parare viam, fuit tantùm figura, & dispositio ad baptismum Christi. Propterea Joannes Baptista dixit Matth. 3. *Ego debeo à te baptizari.* Præterea quia Sacramenta veteris legis distinguebantur ab illis legis evangelicæ, quia illa non conferebant gratiam sanctificantem, quàm Sacramenta novæ legis conferunt. Hinc Tridentinum Can. 1. de baptismo Joannis ait: *Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, anathema sit.* Et hoc idem asserit Joannes, inquiens: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.*

Dicendum est tertiò, baptismum non fuisse sub præceptum, nisi post mortem, & resurrectionem Christi, & sufficientem legis evangelicæ promulgationem; ratio est, quia in Christi passione consummata fuerunt omnia, & finem habuerunt Sacramenta veteris legis, quæ umbra erant, & figuræ Sacramentorum novæ legis, quæ iisdem successerunt; atqui per baptismum conformatur homo passionis, & resurrectionis Christi, in quantum, qui baptismum suscipit, moritur peccato, & incipit vivere gratiæ Sanctificanti, unde oportuit Christum prius pati, & resurgere, quàm hominibus indiceretur necessitas configurandi se morti ejus, & resurrectioni.

CAPUT II.

De obligatione, & necessitate baptismi in ordine ad salutem.

Asserendum primo, baptismum non fuisse in præcepto, nisi post mortem, & resurrectionem Christi. Idque evincitur authoritate D. Thomæ 3. part. art. 2. ubi ait: *Necessitas utendi hoc Sacramento inducta fuit hominibus post Christi passionem, & resurrectionem. Tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia Sacramenta, quibus succedit baptismus, & alia Sacramenta novæ legis.* Præterea, quia ut docet D. Thomas, tunc solùm baptismus cæpit esse in præcepto, quando incepit habere totam suam perfectionem, quia sine hac completa perfectione, non videbatur conveniens, ut baptismus præciperetur, & obligaret; sed ante Christi mortem, & resurrectionem baptismus non habuit hanc totam suam perfectionem, quia una ex perfectionibus baptismi est, ut nos configuret morti, & resurrectioni Jesu Christi, ut scribit Apostolus ad Rom. 6. *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis, per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus; si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*; unde si ante Christi mortem, & resurrectionem non poterat baptismus totalem suam habere perfectionem, nec configurare baptizatos morti, & resurrectioni Christi; sequitur ante Christi passionem non habuisse totam suam completam perfectionem, & propterea nondum obligasse. Præterea quia in Christi passione consummata sunt, & finem habuerunt Sacramenta veteris legis; unà enim cum Christo mortua fuit Synagoga; & cum illius resurrectione orta fuit lex evangelica comprehendens sacramenta novæ legis, quæ successerunt Sacramentis veteris legis. Unde oportuit prius Christum pati, & resurgere à mortuis, quàm hominibus indiceretur obligatio suscipiendi baptismum, quia per baptismum conformamur passioni, & resurrectioni Christi. Hinc Christus tantùm post suam passionem, mortem, & resurrectionem præcepit Apostolis, ut legem baptismi promulgarent, & illam exequerentur, Matth. 28. v. 10. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* hinc D. Petrus Epist. 1. cap. 1. 3. scribit: *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*; & D. Paulus ad Ephes. 5. de ecclesia scribit: *Se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundante eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Uterque Apostolus asserit obligationem suscipiendi baptismum, tunc tantùm injunctam hominibus fuisse, quando Christus fert passionem, mortem, sepulturam, & resurrexit imposuit Apostolis, ut irent per mundum universum, & baptizarent gentes, quia tunc hoc Sacramentum habuit totam suam perfectionem, quâ nos configuravit morti Christi, ac ejus resurrectioni, quia cum essemus mortui peccato, beneficio baptismi resurgimus ad vitam gratiæ, & acquirimus jus ad cœlestem hæreditatem. Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei*; hæc salvatoris verba ad tempus respexerunt post suam passionem, mortem, & resurrectionem: quia & est legis positivæ ratio, ut non obliget, nisi post factam promulgationem; & quia baptismus non lege naturali, sed positiva divina obligat, ideo homines non prius obligati fuerunt ad illum suscipiendum, quàm lex ista divina positiva promulgaretur, & ad hominum notitiam perveniret, quæ promulgatio sufficienter facta fuit per Apostolorum prædicationem. Quamvis renasci & Spiritu Sancto fuerit semper necessarium, modus tamen renascendi per aquam non fuit necessarius, nisi post abrogatam circumcisionem per Christi mortem, & promulgatam legem evangelii, quod etiam confirmat S. Bernardus in Tractat. ad Hugonem de S. Victore, ubi falsitatis redarguit asserentem: *Neminem sine Baptismo potuisse salutem æternam consequi, ex quo primum à Domino dictum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; quia ante legem evangelicam in lege naturali, & scripta aderat remedium, quo peccatum originale delebatur, & fideles ac justi salutem æternam consequebantur. Præterea quia si baptismus præceptus fuisset ante Christi passionem, maximè, cum Christus Joan. 3. dixit Nicodemo per præfata verba

Digitized by Google

verba paulò ante recitata; sed tunc non fuit præceptus baptismus, siquidem verba Christi fuerunt directa ad Nicodemum, ut personam privatam; & præceptum baptismi debuit fieri in publico colloquio, & ad omnes.

Quamobrem probabilius est, baptismum nonnisi post Christi resurrectionem fuisse præceptum, & tunc quando Christus apparuit Discipulis, & promulgavit publicè iisdem legem baptismi inquiens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra euntes, ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ratio esse potest, quia cum baptismus sit præcipuum fundamentum, cui innititur lex evangelica, tunc ejus obligatio debuit statim incipere, quando lex evangelica incepit, & ipsa obligare; sed lex evangelica non ante, sed post Christi resurrectionem cœpit obligationem inducere, quia tunc extincta fuit lex Mosaica, ex cujus corruptione, & morte generari, & resurgere debuit lex evangelica, ut communiter docent Sancti Patres, præsertim Hieronymus, & Augustinus in epistolis, quas vicissim sibi scripserunt de legalibus; asserunt enim una cum Christi morte mortuas itidem fuisse legales cæremonias. Præterea quia cum primum antiquum Sacerdotium Aaronis perfectè translatum fuit in Christi Sacerdotium statim abolita fuit lex vetus una cum suis cæremoniis, ut scribit Apostolus ad Hebræ. 7. Translato Sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat, sed statim post Christi resurrectionem Aaronis Sacerdotium fuit perfectè translatum in Sacerdotium Christi, ut habetur ex Apost. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa*; consequenter cum lex evangelica cœperit tantùm obligare post Christi resurrectionem, etiam tunc baptismus incepit esse in præcepto. Quòd si dicas, Apostolos post resurrectionem Christi observasse circumcisionem, & alias cæremonias legales, ut habetur Actor. 16. consequenter non esse verum, quod statim post resurrectionem desierit obligatio circumcisionis, & inceperit obligatio baptismi, alioquin peccassent Apostoli observantes legalia, quia transgressi fuissent præceptum, quod non poterant ignorare. Sed contra, quia, ut docet D. Augustinus ante Christi resurrectionem usque ad sufficientem divulgationem evangelii legalia, erant quidem mortua, eò quia nullam haberent, tunc virtutem, nec obligationem, non tamen erant mortifera, qua de causa qui ex Judæis erant conversi ad Christum poterant legalia servare, dummodo spem in iisdem ponerent, neque ea censerent ad salutem necessaria; siquidem, ut docet D. Thomas, sicut solemus homines mortuos, per diem unum, vel alterum servare domi, antequam sepeliantur, perinde legalia, quæ ut viva post Christi mortem servari non poterant, bene tamen, ut mortua usque ad evangelii sufficientem promulgationem, ut cum honore emortua Synagoga sepeliretur, & ne homines recens conversi putarent legem veterem simile abominabilem, si Apostoli statim eam rejecissent. Sed instabis, quia observantia quorundam legalium fuit ab Apostolis præcepta, ut habetur Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à sanguine, & suffocato.* Sin autem legalia post mortem, & resurrectionem Christi fuissent extincta, Apostoli non potuissent præcipere ea servari; ergo legalia non solùm tunc non erant mortifera, sed nec etiam mortua. Sed contra, quia ut respondet D. Thomas, abstinentia à sanguine, suffocato, & ab immolatis simulacrorum fuerunt præcepta ab Apostolis pro tempore; non verò ad observandum cæremonias legis, sed ut posset fieri unio Judæorum & Gentilium, quia Judæis propter antiquam consuetudinem sanguis, & suffocatum erant in abominatione; & comestio immolatorum poterat Judæis suspicionem inferre, ne Gentiles reverterentur ad idololatriam, propterea rectè ab Apostolis fuerunt prohibita, pro illo tempore, quo necessitas urgebat adunandi Judæos, & Gentiles. Cæterum in progressu temporis, quia cessavit causa, cessavit itidem effectus mediante manifestatione evangelicæ legis, & veritatis, quæ Christus Matth. 15. dixit: *Quod intrat, per os, hoc non coinquinat hominem.* Sed dices, Judæus, qui ante Christi passionem fuisset sufficienter instructus de Christi doctrina, & voluisset Christianus fieri, procul dubio debuisset legem Christi suscipere; sed id non poterat sine baptismo præstare, quia cum sit primum legis Sacramentum, sine baptismo non potest lex evangelica suscipi, ergo baptismus erat in præcepto, etiam ante Christi passionem, & mortem. Sed contra, quia tametsi Judæus in illa hypothesi tenetur in Christum credere, non tamen statim evangelicam legem suscipere, nec baptismum, quia Christus ad neutrum nondum obligaverat.

Cæterum in lege evangelica baptismus est, simpliciter necessarius ad assecutionem æternæ salutis. Triplex tamen distinguitur à Theologis baptismus fluminis, flaminis & sanguinis, seu aquæ, desiderii, & voti, & martyrii. Baptismus aquæ est, quo fideles abluuntur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & mundantur à peccato originali, jusque acquirunt ad æternam gloriam. Baptismus flaminis, seu voti, est vera cordis contritio, includens votum baptismi suscipiendi, & baptismus Sanguinis est martyrium pro Christo toleratum. Hæc autem duo postrema baptismata includuntur in baptismo aquæ, qui efficaciam habet, & ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto, quapropter hæc divisio, non tollit unitatem baptismi, quia conveniunt hæc duo baptismata, cum baptismo aquæ, non quidem in ratione signi, sed in effectu baptismi, habent enim eundem effectum, seu remittere peccatum originale spirituali regeneratione; proinde ratione effectus sunt unus ac idem baptismus. Hinc lex baptismi suscipiendi à Christo præscripta omnes obligat homines, non solùm in adulta ætate, verum etiam in primis infantiæ rudimentis, adeo ut nisi per baptismi gratiam Deo renascantur in sempiternam miseriam, æternumque interitum à parentibus, sive fideles sint, sive infideles, detrudantur, & id est fidei dogma, quod evincitur ex verbis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei,* cujus rationem reddens subdit: *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est,* ac si dicat: nemo nisi spiritualis potest ingredi regnum Dei; omnes siquidem ex carnali nativitate carnales sunt; nisi igitur per Spiritum Sanctum spirituales efficiantur, non poterunt ingredi regnum Dei, quia caro propria vi nequit spiritualis

nalis fieri, atqui à Deo constitutum est, ut nemo fiat spiritualis nisi per baptismum aquæ ergo omnes tenentur baptismum suscipere, adeo ut sine baptismo non possint æternam consequi salutem, & hanc legem etiam extendi ad parvulos, ostenditur ex illo Joannis 1. *Ex sanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate viri nati sunt:* siquidem eo loco illa nativitas carnis opponitur nativitati quæ ex Deo est, perinde est, ac nativitas ex carne nativitati ex spiritu, sensus est, ut quidquid carnali nativitate seu ex viro, & fœmina natum est, sit caro, ac non possit regnum cœlorum ingredi, *quia caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt*, unde necessum erat, ut renasceretur ex spiritu, ut spiritualizaretur, & fieret spiritus divinæ consors naturæ, & sic Deo conjungeretur, eique adhæreret in regno cœlorum, unde cum infantes omnes & singuli ex viro, & fœmina geniti sint, & nascantur, ut fiant spirituales, indigent baptismo, sine quo non regenerantur, neque possunt regnum Dei ingredi. Neque lex ista ullam patitur exceptionem, quia cum omnes homines nascantur infecti peccato originali, omnes indigent per lavacrum baptismi mundari æque, qui ex parentibus fidelibus nascuntur, ac infidelibus, quia omnes in Adamo peccarunt, in quo omnes homines fuerunt unus homo, & quia omnes in Adamo per carnalem generationem oriuntur, ideo omnes maculam peccati originalis contrahunt, unde David conqueritur, se in iniquitatibus conceptum esse, & Job nec infantem, cujus est unius diei vita super terram, mundum à sorde, seu à peccato immunem esse fatetur. Quapropter Apostolus ad Roman, 5. 12. scribit: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* & v. 17. & 18. ait: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Et rursus 2. ad Corinth. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus*, Et demum ad Ephes. 2. 3. *Eramus natura filii iræ, sicut cæteri:* ergo si quotquot nascuntur ex carne, seu ex muliere contrahunt peccatum originale cum quo non possunt regnum cœlorum ingredi, cum per illud sint filii iræ, & non possint ab hac originali macula mundari, nisi beneficio baptismi, quo regeneramur: sequitur necessitas suscipiendi baptismum obligare omnes homines absque ulla exceptione, unde Matth. 28. 19. dicitur: *Euntes ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, & Marci 16. v. 15. *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hinc noluit Christus Sacramentum baptismi & gratiam illius denegare parvulis, de quibus ajebat Matth. 19. 14. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum*, Idque ex eo firmatur, quia cum D. Paulus ingressus domum Stephanæ. 1. Corinth. 1. baptizaverit totam familiam, perspicuum est pueros etiam & infantes, qui erant de eadem familia etiam baptizâsse. Præterea quia in lege veteri circumcisio, quæ præsigurabat baptismum in lege evangelica octava die pueris administrabatur, unde etiam necesse est, ut in lege evangelica baptismus conferatur etiam parvulis. Præterea quia id observatum semper fuit in ecclesia catholica, ut parvuli baptizarentur, est enim hæc traditio in ecclesia, quæ dimanat à tempore Apostolorum, adeo ut baptismus in ecclesia Christi omnibus hominibus etiam parvulis, & infantibus fuerit semper necessarius, unde S. Cyprianus epist. 59. ad Fidum scribit: *Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavam diem eum qui natus est baptizandum, & sacrificandum non putares; longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed universi potiùs judicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam; nam cum Dominus in evangelio suo dicat: filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est.* Et nonnullis interjectis subdit: *Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse ea lege, quæ jam statuta est, nec spiritualem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere: sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi: quando & Petrus in Actis Apostolorum loquatur, & dicat: Dominus mihi dixit: Neminem hominum communem dicendum, & immundum. Quòd si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos, & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis delictis, & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & à baptismo, & à gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* Hinc etiam Tridentina Synodus canone 5. 12. 13. contra Pelagianistas, Calvinistas, Anabaptistas statuit inquiens: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem anathema sit*, & est contra Pelagianos, qui censebant Baptismum ad salutem necessarium non esse: Rursus: *si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit*, & canon ipse est contra hæresim Anabaptistarum, putantes homines non esse baptizandos nisi in ætate adulta. Demum ponit hunc alium canonem contra alios Hæreticos: *si quis dixerit parvulos eò quòd actum credendi non habent suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos, non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ anathema sit.* Ex eo quòd Christus dixerit, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, putant Hæretici plures, neminem esse baptizandum nisi priùs actu proprio crediderit, & consequenter instructus fuerit in Christi fide, & lege evangelii, quod Concilium damnat, eò quia parvuli fide Ecclesiæ sufficienter baptizentur.

Quamobrem baptismus necessarius est, necessitate præcepti, imò etiam medii omnibus hominibus cujuscunque ætatis, sexus, & conditionis, quia Christus Joan. 3. ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, illa vox *Nisi* importat absolutam necessitatem vel in re, vel in voto. Is enim dicitur habere baptismum in voto, qui facit aliquid, in quo continetur votum, & propositum martyrium suscipiendi, ut contingit, cum quis actu non potest baptizari vel defectu Ministri, vel defectu materiæ, vel alterius causæ, & tunc elicit verum actum contritionis, & di-

& dilectionis Dei, super omnia, qui actus includit propositum vitandi omnia peccata, & servandi totam legem Dei, quæ etiam includit baptismum proinde actus ille amotis est etiam desiderium sumendi baptismum, & propterea is dicitur tunc baptizari in voto. Idque firmatur ex sanctis Patribus, præsertim Augustino lib. de origine animæ cap. 9. ubi ait: *Noli dicere aut docere, infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et alibi ait: *Nulla ex nostro arbitrio præter Baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit scriptura humanis omnibus ingeniis præferenda.* Et D. Ambrosius explicans illud Joan. 3. *Nisi quis renatus*, utique nullum excepit, non infantem, non aliqua præventum necessitate. Concilia, & Pontifices hoc idem docuerunt, Ciricius epist. 1. ad Imericum. Innocentius I. Leo I. & alii successivè Romani Pontifices, & talis semper fuit in ecclesia praxis, quo parvuli baptizarentur ante usum rationis, ut & Concilia præsertim Carthaginense Milevitanum apud D. Augustinum epist. 90. & 92. in quibus ex professo damnatur eorum sententia, qui putabant parvulos posse salvari sine baptismo. Ratio itidem suadet nostrum hoc fidei dogma, quia, ut ait Christus Joan. 2. *Quod natum est ex carne, caro est, & oportet vos nasci denuo*, quibus verbis Christus significat, homines nasci carnales peccatores, ac servos peccati, unde contra hoc malum debuit remedium aliquod institui, & hoc est baptismus, qui confertur etiam parvulis, eò quia isti nascuntur ex carne, scilicet peccatores. Et coinquinati originali maculâ, hinc est in ecclesia praxis, ut nullus ex illis parvulis, qui sine baptismo decesserunt, sepeliatur in loco sacro, & ecclesia nullas pro iisdem preces fundit, nec oblationem exhibet, aut gratiarum actionem, quia nulla ipsis spes superest æternæ salutis. Quòd si dicas, hoc & videri durius, scilicet parvulos illos sine culpâ condemnari, cum nulla eis diligentia potuerit subvenire, non enim sine culpa perire dicendi sunt, quos originalis culpa premit, constituitque filios iræ, ac in massam rejicit perditionis. Hæc autem originalis culpa non deletur, nisi per Sacramentum baptismi parvuli incorporentur Christo, nec possumus aliter scripturam interpretari, nec divinam amplificare bonitatem, cum id nos doceat Ecclesia exemplo fortior, & quotidiana praxi, quàm verbis. Unde D. Augustinus epist. 20. ad D. Hieronymum scribit: *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis curritur, & festinatur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari non posse.* Id tamen interest discriminis inter parvulos & adultos, quia illis necessarius sit baptismus re ipsa susceptus, his verò vel in re, vel in voto, ut expressè declarat Tridentina Synodus sess. 6. ubi dicit, justificationem, à peccatis post evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse, hinc constat, quàm sit perniciosa, ac plena periculis ipsa dilatio baptismi in infantibus, siquidem si moriantur ante susceptum baptismum amittent spem unquam perveniendi ad vitam æternam, & cùm non sint capaces rationis, non possunt elicere actum contritionis & amoris perfecti in Deum, & sicut oportet; Ut adulti, qui talem actum ante decessum ex hac vita mediante divina gratia possint elicere, & licet consueverint olim Clinici baptismum differre usque ad finem vitæ, quorum propterea plures jam jam agentes animam in lecto baptizantur, unde Clinici seu Lectularii dicerentur; id agebant, ut baptismo plenè purgati à culpa, & pœna absque obstaculo in cœlum conscenderent, de quibus multi extant Canones, & Epiphanius hæresi 28. explicat illud Apostoli 1. Corinth. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, seu cùm mors imminet, & tunc quando jam habentur pro mortuis, quia tunc qui distulerant, volebant omnino baptizari ob fidem, & spem resurrectionis. Hinc habetur præceptum ecclesiæ prohibentis talem dilationem, eò quia generatim scriptura dicat: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die, in diem.* Præterea quia ante susceptum baptismum necesse est, homines careant usu aliorum omnium Sacramentorum, quod est maximo fructu privari, & ipsa gratia, cujus ope peccata evitantur, & ad exercitia virtutum invitamur.

Sed dices parvulos fidelium nasci sanctos, ac proinde tametsi non baptizentur, æternam consequuntur salutem, idque exui fœderis Dei cum Abrahamo Genes. 17. *Ero Deus tuus & seminis tui.* Nos autem successimus per Christum in Abrahæ posteritatem, qui pater fidei dicitur, ut docet Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini, ad sess. 6. hoc idem habet Petrus Martyr in 3. cap. 1. *Corinth. alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*: ubi expressè asserit, filios fidelium salvari sine baptismo; & addit non esse faciendam vim in illa particula & Joan. 3. ubi aqua. & Spiritus ad baptismum ponuntur, sed satis esse, si ex spiritu homines nascantur; quod asserit Apostolus ad Rom. 10. *Corde creditum ad justitiam, ore confessio fit ad salutem.* Calvinus asserit ibi, aquam esse epithetum spiritus, ut sensus sit, oportere nasci ex Spiritu, qui purgat ad modum aquæ, unde per aquam vult intelligi Spiritum Sanctum: quod perinde est ac ludere in scripturis explicandis, & evertere axioma, quo docemur intelligere scripturas secundùm verborum proprietatem, ubi non est evidens absurdum, vel sequitur inconveniens; alioquin possemus depravare omnes scripturæ textus, & inde nil certi ex scripturis haberemus. Præterea quia illa Calvini expositio est contra communem Sanctorum Patrum sententiam: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, scilicet ipsum elementum, seu aqua fit Sacramentum. Sed contra, quia est communis Patrum sententia parvulos novi cum peccato originali, unde David: *Et in peccatis concepit me mater mea*: Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Et Apostolus ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt* scilicet in Adamo, sed aliud quod addebatur, De promissione facta Adæ, respondetur, hanc non fuisse promissionem de remissione peccatorum, sed specialis gubernationis, & protectionis; quamvis in sensu mystico sit etiam promissio remissionis peccatorum, ac vitæ æternæ, ac ad nos pertinere, sed ad nos descendere, non per carnalem generationem parentum, sed per spiritualem regenerationem Christi. Pactum enim illud, à Deo cum Abrahamo sancitum, ac ejus posteris, verùm est fuisse initum cum posteris Abrahæ; sed filii fidelium non sunt filii Abrahæ carnali generatione; sed regeneratione spirituali, ait enim Apostolus ad Rom. 4. 13. & 9. 8. Ad Galat. 3. *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus facta est; sed per justitiam fidei: Nec qui filii carnis, hi filii Dei. Sed qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ, & benedicentur cum fideli Abraham. Quia ex fide justificat gentes Deus.*

Omnes

Omnes enim filii Dei estis, per fidem, quæ est in Christo JEsu. Quicunque enim in Christo baptizati estis Christum induistis: ait Apostolus tunc nos incipere esse filios Abrahæ, cum incipimus esse fideles: parvuli autem non incipiunt esse fideles, nisi beneficio baptismi. Ait enim Augustinus lib. 1. de peccator. merit. & remiss. cap. 27. *Quis enim nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?* id autem non habetur ex carnali nativitate, qua ex parentibus fidelibus parvuli nascuntur: sed ex susceptione Baptismi, quapropter ait Tertullianus Apologet. cap. 17. *Fiunt enim, non nascuntur Christiani.* & D. Paulus ad *Roman.* 4. & *ad Galat.* 3. expressè ait, eos esse verè Abrahæ filios, qui non sunt filii carnis, sed filii Dei seu imitantur fidem Abrahæ tunc enim juxta Apostolum incipimur esse filii Abrahæ, cum incipimus esse fideles, & parvuli, nisi baptizentur, fideles non sunt, illis enim baptizari est credere, ut ajebat paulo ante Augustinus. Ratio itidem id suadet, quia per carnalem generationem non possumus fieri filii Abrahæ, quia parentes nostri non descendunt ad Abraham: sed quia Christus verè fuit Filius Abrahæ, tunc & nos incipimus esse filii Abrahæ, quando incipimus esse Christi filii &, simul fratres, & non sumus filii Christi, nisi per lavacrum Baptismi, quapropter Joan. 1. dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis,* & 3. *oportet vos nasci denuo.* Ad aliud petitum ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*, respondetur filios sanctos vocari ab Apostolo, eò quia sanctitati destinati sint à parentibus, quorum studio, & diligentia baptizantur, ac per Sacramentum regenerationis sanctificantur, & in religione christiana educuntur, ac florent exercitiis virtutum evangelicarum. Id etiam contingit, quando ex conjugibus unus est infidelis, & alter fidelis, & consentit cohabitare cum conjuge infideli absque contumelia Creatoris, *tunc enim vir infidelis*, ait Apostolus, *sanctificatus est per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Persæpe contingit, ut ex convictu, & consuetudine cum conjuge fideli alter infidelis ad fidem convertatur, & filiis ex tali matrimonio natis baptismus procuretur à parente fideli, ut innuit Apostolus: *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Tunc igitur ex Apostolo *vir fidelis sanctificatus est per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Nemo enim pravè intelligit, ut ob hoc censeat maritum non christianum, quia christiana fuerit ejus uxor, neque jam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem sine baptismo jam pervenisse, & in regnum cœlorum intraturum, eò quia vir infidelis ab Apostolo dicatur sanctificatus ab uxore fideli, quia vir infidelis ut sanctificetur, tenetur baptismum suscipere. Neque sanctitas, quæ filiis fidelium vel alterutro parente fideli tribuitur, quæcunque illa sit, sufficit ad dimittenda peccata parentis infidelis nisi & ipse baptizetur, & per aquæ lavacrum maculæ deleantur peccatorum. Etenim etiam Catechumeni secundùm quemdam modum dicuntur sanctificari saltem initiativè per signum crucis per orationem per manus impositionem, per salis benedicti degustationem, & tamen hæc sanctificatio Catechumeni nisi baptismum susceperit, non ei valet ad æternam salutem, neque ad peccatorum remissionem. Igitur Apostolus 1. ad Corinth. 7. vocavit filios fidelium aut ex altero parente fideli natos quasi candidatos fidei & ab idololatriæ sordibus puros, ut explicat Tertullianus *lib. 2. ad uxorem*, & D. Hieronymus *epist.* 153. *ad Paulinum*, ut etiam D. Augustinus *lib. 3. cap. 12. & serm. 294. de baptismo parvulorum.* Sicut igitur in lege veteri, cum vigeret lex circumcisionis, qui nasceretur de circumciso, subjiciendus erat & ipsi circumcisioni, ut sanctificaretur, ita in lege evangelica, qui pueri nascuntur de parentibus baptizatis, debent & ipsi baptizari, ait enim Augustinus lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 27. *Renovati parentes non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt: & filii ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati damnationem veteri hominis debitam Sacramento spiritualis regenerationis & renovationis evadunt. Neque enim in parentibus fidelibus dici possunt sanctificati, quia sicut generatio carnalis peccati per unum Adam in condemnationem trahit omnes, qui eo modo generantur ita generatio spiritus gratiæ per unum Jesum Christum ad justificationem vitæ æternæ ducit omnes, qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentum autem Baptismi profectò Sacramentum est regenerationis: quo circa sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo convincitur neminem in suo parente renasci potuisse non natum. Oportet autem, ut si natus fuerit, renascatur, quia nisi quis natus fuerit, denuo non potest videre regnum Dei. Oportet igitur in Sacramento regenerationis, ne sine illo malè de hac vita exeat, etiam parvulus imbuatur.*

Dices, si Baptismus esset absolutè necessarius, perierunt absque culpa infantes, ut etiam ii omnes, qui ex invincibili ignorantia baptismum, & legem Christi ignorarunt, quod videtur alienum à Dei misericordia. Sed contra, quia ut respondet D. Augustinus *lib. de bono perseverantiæ cap.* 12. Ut etiam D. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium circa infantes decedentes sine baptismo, ut etiam de iis, qui ignorantia invincibili legem Christi non habuerunt, refundendum id esse ad judicia Dei occulta, cum tot parvulos decedentes sine lavacro baptismi permittat perire, interim tamen ex justissima causa id fieri, quia tametsi sine culpa sua non baptizentur, non tamen sine culpa pereunt, eò quia contraxerint peccatum originale, & ipsi cum Adamo Protoparente peccaverint: unde est ipsis necessarius baptismus, ut in iisdem hæc originalis macula abstergatur, quæ totaliter deleatur. Cæterum qui fingunt aliud remedium præter baptismum, pugnant contra Evangelium & Concilia; ait enim Augustinus epist. 28. non alia de causa festinatur in ecclesia cum infantibus periclitantibus & ad baptismum curritur, nisi quia constat nullum aliud esse remedium, cum Deus per Christum edixerit hanc baptismi necessitatem, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Scivit Deus multos eo remedio sinè sua culpa privandos esse; cui tamen facillimum erat providere, si vellet, cum cura omnium ad Deum spectet. Quidam docuerunt, quandoque eos salvari ex speciali misericordia & gratia divina, ut si cum baptismus administrari cœperit, defectus aliquis essentialis superveniat in materia vel forma aut intentione Ministri. Quinimò addiderunt alii, quod cum nullus adsit modus baptizandi, sufficiat votum vel desiderium parentum, vel oblationem pueri factam Deo signo aliquo exteriore, ut signo crucis cum invocatione Trinitatis puta-

putarunt enim eodem modo succurri posse parvulis adhuc existentibus in utero materno, & ita docet Cajetanus in *3. part. quæst.* 68. *art.* 3. Cui favet Joannes Gerson in *Serm. de nativitate Virginis*, & Gabriel *in 4. dist. 4. quæst. 3.* Verum hanc sententiam S. Pius V. jussit ex Commentariis S. Thomæ Romæ editis expungi, quia hæc sententia non videtur vacare aliqua temeritate, quia juxta legem ordinariam infantes non possunt salvari sine baptismo in re suscepto, excepto solo casu martyrii. Non enim media infantibus ad salutem necessaria aliunde pendent, quàm ex sola Dei voluntate notificata ex scriptura & traditione: si enim fides parentum esset medium in casu necessitatis pro infantibus, Ecclesia id procul dubio non ignoraret. Quod si illa necessitas non esset medii, sed tantùm præcepti respectu infantium, cum pueri non sint capaces præcepti, non obligarentur ad Baptismum, ex quo sequeretur, quòd infantes Gentilium absque baptismo salutem consequerentur æternam; etenim habentes invincibilem ignorantiam alicujus præcepti, excusantur ab obligatione ejusdem: sed omnes infantes habent hanc invincibilem ignorantiam præcepti baptismi, proinde excusantur ab illius observatione; hinc si non esset alia necessitas baptismi, quàm præcepti, omnes infantes salvarentur: siquidem quando est sola necessitas præcepti, si in aliquo casu non potest præceptum servari, non est opus suppleri defectum illius, sed ex Cajetano suppleri potest per signum crucis, ergo non est sola necessitas præcepti, sed etiam necessitas medii. Quòd si dicas, votum baptismi sufficere adultis; & quare non etiam infantibus? Quòd si dicas, quia infantes non sunt capaces voti, adhuc replicabis, votum parentis illis sufficere, eò quia voluntas Patris soleat reputari voluntas filii. Sed contra, quia licèt verum sit, voluntatem Patris reputari voluntatem filii in iis, in quibus Pater se habet ut persona privata, distincta à filio, quoad autem justificationem parentes & filii se habent omnes ut personæ privatæ, suntque ejusdem Ordinis, nec unus est caput alterius, sed omnium caput est Christus, cujus sunt omnes invicem membra, ut scribit Apostolus ad Roman. 12. Sed urgebis, quia fides non fuit majoris efficaciæ in lege, in qua sufficiebat, filiis per aliquod signum applicata; contra est, quia in veteri lege sufficiebat Sacramentum fidei, seu actus internus fidei adnexus alicui signo sensibili externo, quo talis fides protestaretur, quod etiam nunc sufficit, licèt in veteri lege actus internæ fidei non fuerit determinatus ad certum signum externum, ut in lege evangelica, in qua est determinatus ad ablutionem aquæ. Quod verò ad ignorantes invincibiliter legem pertinet, respondent plures tunc salvandos esse, si legem naturæ servaverint, quia credibile est, Deum servanti naturæ legem daturum lumen, & speciale auxilium, quo se valeat ad ipsam continere, & ratione cujus dici possit, ipsum habere fidem implicitam, ut de Cornelio adhuc infideli dicitur, cujus acceptæ erant Deo eleemosynæ, ut asserit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 3.

Objiciunt tamen Anabaptistæ, quia Sacramentum baptismi nonnisi credentibus administrari debet secundùm Christi oraculum Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Neque baptismus prodesse potest, sine fide, quia, ut dicitur Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus*; sed infantes non credunt, quia nondum sunt capaces eliciendi actum fidei, proinde baptizari non debent. Sed contra respondetur, infantes suscipientes baptismum non credere fide propria, bene tamen fide aliena, scilicet sponsorum, qui pro ipsis respondent, & fidem Ecclesiæ supplentes defectum parvulorum. Sicut enim aliena voluntate, seu Protoparentis peccaverunt, par erat, ut aliena fide per gratiam secundi Adam Christi Salvatoris justificati, & vivificari possent, ad Roman. 6. 20. Ubi *abundavit delictum, superabundet gratia*, & firmatur hæc sententia authoritate D. Augustini epist. 118. ad Bonifacium Episcopum, & præsertim serm. 176. de verb. Apostoli, ubi ait: *Nullus hominum in ista, quæ ex Adam defluit, massa mortalium, nullus omnino hominum non ægrotus, nullus sine gratia Christi sanatus, quid de parvulis pueris, si ex Adam ægroti. Nam & ipsi portantur ad ecclesiam, & si pedibus propriis illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur, scilicet accommodat illis mater ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam quod ægri sunt, alio peccante prægraventur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur. Nemo ergo vobis susurrat doctrinas. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit. Hoc à Majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit*, & serm. 294. de baptismo parvulorum ait: *Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur, credit in Jesum Christum? fit interrogatio, respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente. & flendo quodam modo, ut subveniatur orante, respondetur & valet. An etiam hoc serpens ille persuadere conatur, quia non valet? absit à cordibus qualiumcunque Christianorum, ergo respondetur, & valet, conspiratione quadam communicat spiritus, credit in altero, quia peccavit in altero; an verò invenit vitam præsentis jaculi, quem parturivit infirmitas, & non invenit vitam futuri sæculi quem parturivit charitas, credit in altero, qui peccavit in altero, dicitur, credit, & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet authoritatem matris ecclesia, hoc fundatus veritatis obtinet canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murũ quisquis arietat, ipse confringitur. Suffragatur etiam Augustino* D. Bernardus serm. 76. in Cant. inquiens: *Quid enim si infans pro se loqui non potest, per quo vox sanguinis fratris sui, & talis fratris clamat ad Deum de terra? adstat, & clamat nihilominus mater Ecclesia. Quid tamen infans, nonne & ipse videtur tibi inhiare quodammodo fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum suisque vagitibus clamitare: Domine, vim patior, responde pro me? flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur à natura. Clamat innocentia miseri, clamat ignorantia parvuli, clamat adducti infirmitas, ita ergo clamat hæc omnia sanguis fratris, fides matris, destitutio miseri, & miseria destituti. Et clamatur ad Patrem. Porro Pater se ipsum negare non potest, pater enim est. Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui mater ecclesia impertit suam; involvens illi in Sacramento, quousque idoneus fiat proprio non tantùm sensu, sed assensu evolutam puramque percipere. Nunquid breve pallium est, ut non possit ambos tegere ac cooperire? magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Cananeæ mulieris, quam constat & filiæ sufficere potuisse, & sibi? Nunquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes animæ illi simul & corporis obtinuerunt salutem. Qui hæc credit, facile hinc persuadebitur, meritò Ecclesiam præsumere non solum parvulis baptizatis in sua fide salutem; sed etiam interfectis pro Christo*

infan-

infantibus coronam martyrii. Quæ cùm ita sint, nullum præjudicium sustinebant regenerati de eo, quod dictum est, sine Fide impossibile est placere DEO, cùm sine fide non sint, qui in testimonium Fidei Baptismi gratiam perceperunt. Sed neque de eo, quod item dictum est, qui verò non crediderit, condemnabitur. Quid enim credere est, nisi Fidem habere. Credunt parvuli, antequam baptizentur, sed aliena Fide, quam profitentur ore Patrinorum, & piæ Matris Ecclesiæ, credunt, cum baptizantur, quia Fidei Sacramentum suscipiunt, quia, ut loquitur Augustinus, credere est infantibus, ipsum baptizari. Credunt denique post Baptismum Fide propria, sed habituali, quia unà cum gratia sanctificante parvuli baptizati recipiunt habitus infusos Fidei, & Spei, & Charitatis.

CAPUT III.

De quidditate, & essentia Baptismi, fluminis, flaminis, & sanguinis.

Quidditas Baptismi potest considerari physicè, & metaphysicè: definiri physicè potest Symbolum sensibile constans, ex qua naturali remotò tanquam ex materia, & ablutione, veluti ex materia proxima, & forma expressiva, tum actionis Ministri in baptizandum, tum trium divinarum personarum in unitate essentiæ collativum gratiæ regenerativæ; vel brevius, Baptismus fluminis potest definiri, ut in Catechismo Romano de baptismo §. Quod autem. ubi definitur physicè Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Cæterum dicitur Symbolum sensibile, in quo genericè convenit cum cæteris Sacramentis, quæ omnia sunt Symbola sensibilia antiquæ Legis, quatenus Christus ea instituit pro hominibus, qui pro præsenti statu ex sensibilibus veniunt in notitiam rerum spiritualium, additur ex aqua naturali, ut definiunt Concilia, quia non ex quacunque aqua potest quis baptizari, sed tantùm ex vera, & naturali, ut constat ex Actor. 8. ubi de Eunucho Regis Candacis dicitur: *Et dum venerunt ad quandam aquam, ait Eunuchus Reginæ Candacis Philippo: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Additur ex aqua, tanquam ex materia remota, & ablutione veluti ex materia proxima: quia Baptismus non est aqua, sed ablutio, adeo ut si aqua non habeat subjectum, cui applicetur, non fiat Baptismus: subditur: Et ex forma expressiva, tum actionis ministri in baptizandum, tum trium divinarum personarum, quia, ut asserit Concilium Florentinum, in Baptismo est exprimendus actus, qui per ministrum, ut per instrumentum exercetur in baptizandum. Si dicas, Græcos per illam formam; qua ipsi utuntur, scilicet, baptizetur servus Christi, validè baptizare, & per talem formam non exprimi actum baptizantis in baptizandum. Respondetur, per actum illum imperii exprimi actum Ministri in baptizandum, quia imperans actum maximè illum exercet, quia non potest illum imperare, nisi in eundem potestatem habeat. Neque urget, si dicas, Græcos privato errore censere non esse ministri actum in Baptismo exprimendum, sed solius DEI: quia inde non tollitur, quo minus applicando debitam materiam, & formam per generalem intentionem faciendi, quod fecit Christus, & nunc facit vera Ecclesia Catholica, conficiant verum Sacramentum: siquidem ut ostendimus in præcedentibus, error privatus non obest validitati Sacramenti, si cætera prærequisita ad ipsum concurrant. Rursus est etiam de essentia Baptismi expressio trium divinæ Triadis personarum in una essentia expressa, *in nomine*, idque colligitur ex ipsa institutione Christi: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, denique additur collativum gratiæ regenerativæ, quibus verbis exprimitur ordo hujus Sacramenti ad proprium effectum, & finem, qui est regenerare homines in Christo, non tamen in ipsa gratia regenerativa est essentia hujus Sacramenti: sed ordo ad illam, quia gratia est tantùm effectus.

Metaphysicè autem definitur, quòd sit *signum sensibile collativum gratiæ regenerativæ in Christo*, ubi priora verba vicem gerunt generis, quia omnia Sacramenta sunt signa sensibilia, unde convenit genericè cum reliquis Sacramentis novæ Legis posteriora verba munere funguntur differentiæ, quia per ipsa differt Baptismus a reliquis Sacramentis novæ Legis, quæ non regenerant, sed tantùm vel genitos in Christo alunt, & roborant; vel eos vita naturali destitutos resuscitant, & ad spiritualem vitam revocant. Dicitur itidem Baptismus collativus gratiæ regenerativæ, quia ut ait D. Chrysostomus orat. ad baptizand. *Denuò nos condit, ac conficit, non de terra componens iterum, sed ex elemento aquæ nos procreans*, hoc idem etiam docet S. Leo Papa serm. 5. de nativitate inquiens: *Quod eadem virtus altissimi, quæ fecit, ut Maria Salvatorem pareret, efficit quotidie, ut regeneret unda credentem.* Hinc Tertullianus lib. de Baptismo cap. 3. & sequent. asserit: *Aquas à Spiritu Sancto fœcunditatem accipere, & eas, quæ apud antiquos delictis purgandis erant usui, vocat aquas viduas.* Et D. Paulinus Epist. 12. loquens de aqua Baptismi ait: *Maritantur enim aquæ velut cum spiritu.*

Sed dices, contritio potest conferre generationem vitæ spiritualis supernaturalis: etenim si non baptizatus perveniat ad usum rationis, & eliciat verum actum contritionis, vel amoris DEI super omnia, utique consequitur gratiam sanctificantem, quæ cùm transferat hominem à statu peccati, in quo natus est ad statum adoptionis filiorum DEI, dicitur gratia regenerativa in Christo: unde conferre gratiam regenerativam, non propria differentia Baptismi à cæteris Sacramentis. Contra, quia Baptismus, cùm fuerit per se primò institutus ad regenerandum hominem in Christo, seu ad delendum originale, ex cujus deletione, ac oblatione transfertur primò homo à statu peccati ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum DEI; ideo Baptismo primò & per se tribuitur conferre generationem vitæ supernaturalis. Contritio est tantùm instituta ad delenda peccata personalia, & quidem per se; & per accidens peccatum originale, si non fuerit ante deletum per Baptismum, & quatenus originale, connectitur cum personalibus. Rursus Baptismus constituit baptizatum statim capacem gloriæ cælestis, eò quia unà cum peccato condonet etiam pœnam æternam, ac temporalem: Contritio autem non constituit per se contritum capacem gloriæ, sed tantùm post expiatam pœnam temporalem, quæ adhuc condonatâ culpâ superest luenda. Rursus Baptismus hominem si-

gnat ſpeciali charactere, quo baptizatus adſcribitur Chriſti familiæ; non ita contritio. Demum, quia Baptiſmus reddit hominem baptizatum capacem reliquorum Sacramentorum, quod non præſtat contritio. Hinc dicitur, Baptiſmus ſpeciali quadam ratione hominem regenerare Chriſto, quatenus communicat illi gratiam ex opere operato ipſius Chriſti: ergo per hoc, quòd Baptiſmus ſit præfatis modis collativus gratiæ regenerativæ in Chriſto, differt à cæteris aliis novæ Legis Sacramentis.

Præter tamen Baptiſmum fluminis, datur etiam alius Baptiſmus, qui dicitur flaminis; imò & alius, qui dicitur ſanguinis, non quod ſint tria baptiſmata diſtincta, ſed quia hæc tria quoad effectum delendi originale, & conferendi gratiam ſanctificantem ſunt idem. Cæterum unus tantùm eſt Baptiſmus, qui eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, nihilominus metaphoricè, & minus propriè tria dicuntur eſſe baptiſmata, quorum tamen quodlibet vocatur Baptiſmus aquæ æquivalenter quoad effectum, quem producunt, & quatenus Baptiſmus flaminis, & ſanguinis vices tunc ſupplent Baptiſmi aquæ, quamvis propriè non ſint tria Sacramenta, non enim Baptiſmus flaminis eſt propriè Sacramentum, ut nec etiam Baptiſmus ſanguinis. Siquidem Baptiſmus flaminis eſt tantùm Baptiſmus in voto, ſeu deſiderio ſuſcipiendi Baptiſmum aquæ; vel eſt pœnitentia, ſeu dolor de peccatis ob purum Dei amorem ſuper omnia; qui dolor dicitur itidem Baptiſmus, eò quia aliquando ſupplet defectum Baptiſmi aquæ. Qui enim nequit realiter ſuſcipere Sacramentum aquæ, eò quia nullus adſit miniſter, vel deſit materia, vel quid aliud eſſentialiter requiſitum, per Baptiſmum flaminis obtinet remiſſionem peccatorum, non ſolùm actualium, ſed etiam originalis, ſi eliciat actum pœnitentiæ, vel amoris in Deum ſuper omnia, cum propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, cùm primum poterit, ut colligitur ex illo Luc. 3. ubi Joannes Baptiſta dicitur *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*: conſtat etiam ex Cornelio Act. 10. qui ante Baptiſmum juſtificatus fuit. Promittit enim Deus ſalutem pœnitentibus, ac invocantibus eum, Pſal. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*, Ezechieli 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt omnium iniquitatum ejus, quos operatus eſt, non recordabor*, & Apoſtolus ad Roman. 10. v. 11. *Omnis, qui credidit in illum, non confundetur*, ſeu non peribit, non damnabitur. *Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Hinc, ut diximus, Cornelius, & alii ante ſuſceptum baptiſma Spiritum Sanctum acceperunt, unde votum Baptiſmi perfectæ converſioni conjunctum hominem poteſt juſtificare, ac vices ſupplere Baptiſmi aquæ, quando hic non poteſt ſuſcipi, & hoc idem docent Sancti Patres, præſertim D. Ambroſius orat. de obitu Valentiniani Imperatoris, qui Baptiſmum quidem expetiverat, quem tamen ſuſcipere diſtulerat certas ob cauſas, & præſertim, quia voluit ab ipſo Sancto Ambroſio baptizari, & morte interceptus, non valuit baptiſmum aquæ ſuſcipere. Hinc D. Ambroſius ait: *Ventrem meum doleo, quoniam, quem in Evangelio eram generaturus, amiſi: ſed ille non amiſit gratiam, quam popoſcit.* Et paucis interjectis ſubdit: *Audio vos dolere, quòd non acceperit Sacramenta Baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt, niſi voluntas, niſi petitio? Sed etiam dudum hoc votum habuit, ut, antequam in Italiam veniſſet, initiaretur, & proximè baptizari ſe à me velle ſignificavit. Et ideo præ cæteris cauſis me accerſendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam deſideravit? non habet, quam popoſcit? & quia popoſcit, accepit, & ubi illud eſt, Sapient. 4. Juſtus quacunque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit. Quòd ſi Martyres ſuo abluuntur ſanguine, & tunc ſua pietas abluit, & voluntas.* Deinde convertens ſuum ſermonem ad Auguſtum defunctum ait: *Non quicunque te, ſed Chriſtus illuminavit gratia ſpirituali. Ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerunt. Plus adeptus es, qui minora te amiſiſſe credebas*, unde ex his conſtat per Baptiſmum flaminis poſſe homines ſanctificari, ſi ex aliquo impedimento urgente non poſſit Baptiſmum aquæ ſuſcipere. Et D. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 22. & ſequent. Hoc idem ediſſerit, inquiens: *Baptiſmi ſare vicem aliquando implere paſſionem, de latrone ille, cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo*; non leve documentum idem Beatus Cyprianus aſſumit: *Quod etiam atque etiam conſiderans, invenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, & converſionem cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt, non enim latro ille pro nomine Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum, nec quia credidit, paſſus eſt, ſed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat ſine viſibili Sacramento Baptiſmi, quod ait Apoſtolus, fide creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem.* Pergit Auguſtinus, & tria ibi docet: primò fidem, & converſionem cordis, quæ votum ſaltem implicitum Baptiſmi continet ex Dei miſericordia, Sacramenti vicem ſupplere, quando illius miniſterium neceſſitas excludit, nec poteſt Baptiſmus aquæ ſuſcipi. Secundò, cùm Sacramentum ipſum ex hominis voluntate defuerit, quod contingit, ut plurimum extra neceſſitatis articulum, tunc Baptiſmum aquæ non ſuppleri deſiderio Sacramenti, quia neglexit Sacramentum ſuſcipere. Qui enim Baptiſmum non ſuſcipit, quando poteſt contemptus vel negligentiæ cenſetur reus, quorum utrumque cum perverſa cordis converſione minimè cohæret, & in hoc ſenſu ait idem Auguſtinus lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 26. *Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remiſſionem.* Et Tractat. 13. in Joan ait: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat: non illi dimittitur, niſi cùm venerit ad Baptiſmum. Quomodo non caruit populus Iſraël populo Ægyptiorum, niſi cùm veniſſet ad mare rubrum, ſic preſſura peccatorum nemo caret, niſi cùm ad fontem Baptiſmi venerit.* Præmittit Chriſtum Dominum Joannis Baptiſmo baptizari voluiſſe: *Ne quis arrogans, quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignetur baptizari baptiſmo Domini: ſiquidem plures contemptui habeant Baptiſmum, eò quia jam majori gratia præditi viderentur, quàm viderent alios fideles, licèt baptizatos, etenim ut vivens Catechumenus contemneret conjugatum, & diceret, ſe meliorem quàm ille ſit fidelis, ille Catechumenus poſſet dicere in corde ſuo: Quid mihi opus eſt Baptiſmum accipere, ut hoc habeam, quod & iſte, quo jam melior ſum? ne ergo cervix iſta præcipitaret quosdam* de me-

Digitized by Google

de meritis justitiæ suæ plurimum elatos baptizari volu[i]t Dominus à servo tanquam alloquens filios capitales. Quid vos extollitis? quid eligitis, quia habetis ille prudentiam, ille doctrinam, ille castitatem, ille fortitudinem potentiæ, nunquid tantùm habere potestis, quantum ego qui dedi? & tamen ego baptizatus sum à servo, vos dedignamini à Domino. Hæc præmiserat Augustinus ad infringendam quorundam superbientium Catechumenorum pervicaciam, & postea subdit rationem, quia Catechumenus, utpote nondum baptizatus, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, & inde infert necessitatem suscipiendi Baptismum, quamvis enim Deus misericordiâ suâ iis subveniat, qui ad ipsum verè conversi fide, & charitate perfecta Baptismum desiderent, quando in angustiis temporum ipsis per Sacramenti administrationem succurri non potest; si tamen angustiæ tales non sint, ut totaliter excludant susceptionem baptismi aquæ, tenentur hoc Sacramentum suscipere, si velint æternam consequi salutem. Hinc non excusantur à gravi peccato Parochi, & alii Ecclesiæ Ministri, quibus concredita est populi cura, si tempore persecutionis, vel epidemica lue grassante sua privent populum præsentia, quia, qui eo absente nascuntur parvuli, & baptismo destituuntur, si decedant, sunt ipsi Ministri causa, cur parvulus non fuerit consecutus æternam salutem, ut etiam, qui absque contritione, & actu amoris Dei super omnia, & cum simplici tantùm attritione moriuntur ex epidemica lue sunt Ministri absentes in causa eorum damni, quia illos sine Baptismi, & pœnitentiæ Sacramentis permiserunt emori. Neque obest, si dicas, potuisse adultos illos elicere verum actum contritionis; Siquidem nemo est, qui sibi polliceri possit perfectam cordis contritionem, præsertim qualis extra Sacramentum requiritur necessario. Hinc D. Augustinus Epist. 228. ad Horatium Episcopum ait: *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, ac erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in æterna vitæ requie non habebunt.* Demum docet tertiò Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 23. Etiam iis, qui ante Baptismum perfectâ cordis conversione justificati fuerint, Baptismum esse necessarium ad spiritualem consecrationem, seu ad recipiendum dominicum characterem.

Ex his omnibus constat, Baptismum sive parvulis, sive adultis esse omninò necessarium, non solùm necessitate præcepti, verùm etiam necessitate medii ad assecutionem æternæ salutis, quapropter D. Bernardus Epist. ad Hugonem de S. Victore cap. 2. hæc habet: *Porro in majori ætate quisquis post vulgatum ubique Baptismi remedium renuit jam baptizari, generali originalique macula addit, & ex proprio crimen superbiæ, duplicem secum portans justissimæ damnationis causam, si de corpore exire contigerit, tamen si ante exitum resipuerit, & voluerit, & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non desit Fides recta, Spes pia, Charitas sincera, propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem,* *nec excidere charitatem, tantùm si aquam non contemptus, sed sola prohibeat impossibilitas.* Asserit, si aquam non contemptus, sed impossibilitas prohibeat, quia tunc defectum aquæ supplet Baptismus flaminis, qui eundem etiam producit effectum justificationis. Neque obstat, quod in cap. *Catechumenum* 37. *dist.* 4. *de consecrat.* sub nomine laudati D. Augustini, cùm revera verba sint Gennadii lib. de Eccles. dogmatib. cap. 74. ubi dicitur, Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere, non credimus, excepto martyrio: Siquidem hanc doctrinam nisi explicetur, damnat Ecclesia, quia præter martyrium etiam votum Baptismi, si impossibilitas aquam prohibeat, non negligentia, vel contemptus eundem producit effectum, ac baptismus aquæ: hinc Innocentius III. cap. debitum extra de baptismo, de Judæo non verè baptizato, sed tamen vehementi baptismi desiderio flagranti, ait: *Quod si continuò decessisset, ad patriam protinus evolâsset propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.* Et cap. Apostolicam extra de Presbytero non baptizato ait: *Eum quia in sancta Matris Ecclesiæ Fide, & Christi nominis Confessione perseveravit: de originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum.* Hoc totum etiam docet D. Thomas 3. part. quæst. 68. art. 2. ubi hæc habet: *Sacramentum Baptismi potest alicui deesse uno modo, & re, & voto; quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt; quod manifestè ad Sacramenti contemptum pertinet, quantum ad illos, qui habent usum liberi arbitrii: & ideo hi, quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest Sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto: Sicut cùm aliquis baptizari desiderat: sed aliquo casu prævenitur morte: antequam baptismum suscipiat, & talis sine baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante; per quam Deus interius hominem sanctificat, cujus potentia Sacramentis visibilibus non alligatur,* & hoc idem etiam confirmat ex D. Augustino quæst. 48. in Leviticum ubi ait: *Invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, & profuisse sine visibilibus Sacramentis: visibilem verò sanctificationem, quæ fit Sacramento visibili sine invisibili posse adesse, sed non posse prodesse.* Verba autem Gennadii, quæ sibi objecerat, ita explicat, ut Catechumenum in bonis operibus defunctum, statim quidem ad vitam æternam pervenire neget, quia baptismi desiderium quantumcunque fervens ab omni reatu pœnæ hominem non liberat cum plena hujusmodi, & universalis liberatio à culpa, & pœna sit effectus Baptismi actu suscepti, & martyrii, de quo propterea Gennadius ait: *In martyrio omnia Sacramenta baptismi complentur.* Quando enim suscipi potest baptismus aquæ, suscipiendus est ad abstergendam peccati originalis maculam, ad quam delendam tunc non sufficit solum votum Baptismi, quia tale votum potest executione impleri, & si non impleatur, adnexum est vel negligentiæ, vel contemptui. Objici tamen potest contra utrumque baptismum flaminis, & sanguinis, quia lex à Christo lata nullam patitur exceptionem: atqui Christus expresse ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S., non potest introire in regnum Dei:* ergo ut quis æternam consequatur salutem, ita debet baptismum aquæ suscipere, ut sine illo non possit æternam consequi salutem. Nam contra est, quia nulla exceptio inde asseritur, verissimum est, neminem posse in regnum

Digitized by Google

gnum cœlorum intoire ſine baptiſmo, vel in re, vel in voto, hunc autem eſſe verum ſenſum verborum Chriſti, conſtat ex Scripturis ſacris, traditione Apoſtolica, & Eccleſiæ Catholicæ interpretatione, quia ut dicitur, 1. Regum cap. 14. *Homo videt ea, quæ parent. Dominus autem intuetur cor.* Qui autem optat per Baptiſmum regenerari ex aqua, & Spiritu Sancto, jam corde regeneratus eſt, licèt non corpore, ſed corde, ſicut enim ait Apoſtolus ad Roman. 2. *Circumciſio cordis eſt in ſpiritu, non in littera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Hinc David Pſal. 50. ait: *Cor contritum, & humiliatum DEUS non deſpicies.* Quamobrem Baptiſmus aquæ in hominibus adultæ ætatis, tunc ſupplet Baptiſmus flaminis, ſeu perfecta cordis converſio cum voto Baptiſmi, quando illos à ſuſceptione Sacramenti neceſſitas excludit: tunc votum ſupplet, & etiam actus amoris Dei ſuper omnia, cùm ſcribat Apoſtolus ad Roman. 10. *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

Baptiſmus ſanguinis eſt martyrium, quod ſupplet Baptiſmum aquæ, etiam in ipſis parvulis, & hæc eſt ratio, cur Chriſtus Marci 10. voluerit ad ſe vocari, qui martyrio baptizantur: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus, & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari.* Et Matth. 16. ait: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*, hoc eſt, qui mortem propter me ſubierit, vitam æternam recipiet. Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Matth. 10. ubi Chriſtus ait: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Sancti Patres itidem hoc idem docent S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 16. ait: *Sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate revera, non imitatione Chriſti mortem perpeſſi nihil hujuſmodi Sacramentis, quæ ſunt in aqua, opus habuerunt ad ſalutem, nimirum in proprio baptizati ſanguine.* S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 3. *Si quis non baptizatur, ſalutem non habet præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua regno cœleſti potiuntur.* S. Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubaianum, ubi de Catechumenis occiſis, antequam in Eccleſia baptizentur, in Confeſſione tamen nominis Chriſti ait: *Nec privari Baptiſmi Sacramento, utpote qui baptizentur glorioſiſſimo, & maximo ſanguinis baptiſmo, de quo & Dominus dicebat, habere ſe aliud baptiſma baptizari. Sanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & divinæ pollicitationis gratiam conſequi, declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipſa paſſione credentem, & confitentem loquitur, & quod ſecum futurus ſit in paradiſo, pollicetur*, & Epiſt. 37. ait: *Nunquid poteſt vis Baptiſmi eſſe major, aut potior, quàm Confeſſio? quàm paſſio, ut qui coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur*, & Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 16. ait: *Eſt quidem nobis etiam ſecundum lavacrum, & ipſum ſanguinis, ſcilicet de quo Dominus: habeo, inquit, baptiſmo tingi, cùm jam tinctus fuiſſet. Venerat enim per aquam, & ſanguinem, ſicut Joannes ſcripſit, ut aqua tingeretur, ſanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos, ſanguine electos. Hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit, quatenus qui in ſanguinem ejus crederent, aqua lavarentur: qui aqua laviſſent, etiam ſanguinem potarent. Hic eſt Baptiſmus, qui lavacrum, & non acceptum repræſentat, & perditum reddit.* Et D. Auguſtinus lib. 13. de civit. cap. 7. ait: *Qui dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, etiam dixit: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam, hinc ſcriptum eſt, pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus; ſi pro pietate, & juſtitia pendatur, mors fit gloria renaſcentis, & cùm ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.* Ratio itidem id etiam ſuadet, quia martyrium convenit cum Baptiſmo aquæ in tribus effectibus, primò enim configurat hominem Chriſti paſſioni, & morti, ſecundò remittit peccatum originale; & tertiò remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quàm temporalem, & id patet vel ex eo, quòd Eccleſia nunquam orat pro animabus Martyrum, ſed potiùs iiſdem ſe commendat, unde Auguſtinus *ſerm. 17. de verb. Apoſtolor.* & Innocentius *cap. cum Maria. de celebrat. Miſſar.* ajunt: Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.

Eſt autem Martyrium paſſio, ſeu cruciatus lethalis ſuſceptus pro Chriſti Fide, vel pro vera virtute, hinc ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 124. eſt actus virtutis, ſeu fortitudinis, quo tormenta, quamvis graviſſima, imò & mors ipſa ad conteſtandam Fidei veritatem, & aliarum virtutum dignitatem tuendam prompto præſentiq; animo ſuſcipitur, quapropter ad perfectam martyrii rationem ſpectat, ut mors ſuſtineatur. Hinc Martyr dicitur, quaſi teſtis Fidei Chriſtianæ, per quam nobis viſibilia pro inviſibilibus contemnenda proponuntur. Hebræ. 11. Quamdiu remanet homini vita, nondum oſtendit ſe omnia deſpicere. Quod etiam virtutes, quatenus referuntur ad Deum, poſſint eſſe cauſæ martyrii, conſtat ex Matth. 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Hac de cauſa Joannes Baptiſta celebratur etiam ut Martyr, tametſi non pro tuenda Fide mortuus fuerit, ſed pro reprehendendo in aula Herodis adulterio occiſus fuerit: Martyrium autem confert gratiam ex opere operato ob ſpeciale privilegium, & promiſſionem factam, Matth. 10. & probat D. Thomas, quia gratia, quæ datur Martyri remiſſionem omnium peccatorum, non poteſt eſſe ex opere operantis, quia vel eſſet ex ipſa tolerantia pœnæ; vel ex fervore charitatis: non ex primo, quia multi Martyres fuerunt antea nequiſſimi, quique pluries promeriti fuerunt mortem: mors autem leviſſima, ut abſciſſio capitis, non erat ſufficiens ſatisfactio, & nihilominus ſi verè Martyres ſunt, condonantur eis omnes pœnæ. Plurimi itidem Confeſſores acerbiſſima patiuntur, quàm Martyres, quamvis iiſdem non ſemper remittatur tota pœna, nec id tribui poteſt merito charitatis, ſiquidem plures Confeſſores uberiora habuerunt charitatis incrementa, quàm multi Martyres, & nihilominus non habuerunt indulgentiam omnium pœnarum. Sed Martyres, quamvis unum gradum tantùm haberent charitatis, eo ipſo, quòd Martyres ſunt, remiſſionem habent omnium pœnarum. Quamobrem ſupereſt, aſſerendum, Martyrium conferre gratiam ex pacto, & inſtitutione Chriſti, ſeu ex opere operato. Quòd ſi eam ita confert, ſequitur conferre primam gratiam. Præterea, quia Eccleſia, ut aliquem colat ut Sanctum Martyrem, nunquam examinat, an antea fuerit in gratia, ſed indifferenter omnes honorat, quos conſtat pro Chriſti Fide occiſos fuiſſe. Non propterea Martyrium eſt Sacramentum, quia caret eſſentiâ Sacramenti, ſiquidem in eo nulla eſt forma verborum, neque ſignum ſenſibile neceſſariò requiſitum ad Sacramentum. Secundò, quia Sacramenta ſunt remedia ordinaria contra peccatum, & ſemper conveniunt. Martyrium verò tale non eſt, nec in omni tempore poteſt haberi ſicut Sacramen-

tum.

Digitized by Google

rum. Tertiò, quia Sacramenta ſunt cauſa gratiæ, ut Dei actiones per ſuos Miniſtros: & Martyris occiſio non eſt actio per ſuum Miniſtrum, ſed actio Dei per ſuum ſatellitem; ut autem eſt paſſio, concurrit ad juſtificationem diſpoſitivè tantùm: ſicut & converſio ad Deum in baptiſmo flaminis. Demum quia Sacramenta ſunt cæremoniæ piæ; & martyrium ex parte carnificis, & tyranni eſt actio impia, & ſacrilega. Hæreticus tamen quamvis pro tuendo aliquo fidei articulo mortem ſubeat, non tamen fit Martyr, quia cum voluntariè maneat extra eccleſiam, non meretur recipi in eccleſiam triumphantem in cœlis, cùm ſe excluſerit à militante in terris. Præterea quia Hæreticus non habet veram fidem, proinde non poteſt in conteſtationem veræ fidei mortem ſubire, cum ipſe illam non profiteatur.

Ex hactenus expenſis infertur primò omnes, & ſingulos homines teneri ad ſuſceptionem baptiſmi: quia homo ad id obligatur, ſine quo non poteſt conſequi finem, ob quem conditus à Deo fuit: & nullus homo poteſt ſine ſuſceptione baptiſmi hunc finem conſequi, quia Deus hominem condidit propter æternam beatitudinem; & hanc ſine baptiſmo nemo poteſt conſequi; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intravit in regnum cælorum.* Præterea quia nullus ſalutem conſequitur, niſi per Chriſtum. Unde ad Rom. 5. ſcribit Apoſt. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Et Act. 4. dicitur: *Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Sed ad hunc finem datur baptiſmus, ut homo per ipſum regeneratus incorporetur Chriſto, factus membrum ipſius, quapropter dicitur Gal. 3. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Hinc perſpicuum eſt omnes, & ſingulos homines teneri baptiſmum ſuſcipere, ut valeant æternam conſequi ſalutem. Quapropter licèt parvuli ſint incapaces præcepti, & propterea ad ipſos non pertineat præcept. de baptiſmo ſuſcipiendo, tenentur tamen parentes eorum, vel curatores ad baptiſmum iiſdem procurandum; eo quia ipſis ita neceſſarius eſt baptiſmus neceſſitate medii, ut ſine ipſo non poſſint æternã conſequi ſalutem; nec ullo alio remedio ſuppleri poſſit effectus baptiſmi, niſi per ſolum martyrium pro Chriſto toleratum. Non enim per ſignum Crucis, neq; per invocationem S. Trinit. nec per fidem aut votum parentum poteſt parvulis non baptizatis ſuccurri ſecund. ordinem à Deo ſtatutum: cum dicat Spiritus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in regn. Dei,* & nullum excipit, nec infantes, nec alios quavis neceſſitate præventos omnes enim tenentur baptiſm. ſuſcipere ſaltem in voto, quando impoſſibilitas excludit rem.

Infertur ſecundò, baptiſm. puerorum non eſſe differendum; cum in illa ætatula non expectetur major inſtructio, aut plenior converſio, usq; ad uſum rationis. Ut etiam ob mortis periculum, cui parvuli præ cæteris obnoxii ſunt. Neq; cæteri SS. Patres adhærent conſil. S. Greg. Nazianz. quo aſſerebat, æquum eſſe parvulorum baptiſm. differre ad triennium, donec reſpondere poſſent: quamvis ipſe in eadem orat. excipiat, niſi mortis periculum imineat, cenſet ipſos eſſe ſtatim baptizandos; neq; approbata fuit ab Eccleſia & SS. Patrib. ſentent. Tertull. lib. de baptiſm. c. 18. Ubi ait: *pro cujusque perſonæ conditione ac diſpoſitione etiam ætate cunctatio baptiſmi utilior eſt; præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt, ſponſores etiam periculo ingeri? quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt: & proventu malæ indolis falli ait quidem Dominus: Nolite prohibere illos ad me venire. Veniant ergo, dum adoleſcunt, veniant, dum diſcunt, dum quo veniant docentur; fiant Chriſtiani tum, cum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum? cautius agetur in ſæcularibus, ut cui ſubſtantia terrena non creditur, divina credatur. Norint veteres ſalutem, ut petenti dediſſe. Non minore de cauſa innupti quoque procraſtinandi, quibus tentatio præparata eſt, tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur.* Hanc enim Tertulliani ſententiam improbavit eccleſia Africana tempore S. Cypriani, quæ etiam ſtatuit, ut infantes à partu recentes baptizarentur, ne octavo quidem die expectato, ut innuit S. Cyprian. epiſt. ad Fidum. Unde non eſt differendus parvulorum baptiſmus, nec propter expectandos ſuſceptores, & Patrinos ad ſolemniorem baptiſmi pompam, quia per talem expectationem animæ parvulorum Chriſti ſanguine redemptæ graviſſimo exponantur periculo, è quo emergere nunquam poſſint, ut in pluribus Concilis declaratum fuit, quinimo & etiam pœnam excommunicationis in eos decernunt, qui baptiſmum filiorum ſuorum ultra octavam à nativitate diem diſtulerint, imò & plura Concilia etiam ultra diem tertium differri prohibuerunt. Adultis verò poteſt baptiſmus differri cum baptiſmi ſuſcipiendi propoſitum, & malè actæ vitæ pœnitentia ſolis illis futura ſit ad gratiam, & juſtitiam, ſi repentinus aliquis caſus impediat, quo minus baptiſmum poſſint ſuſcipere. Præterea quia in adultis dilatio poteſt aliquid utilitatis adferre, primò quia diligenter providendum eſt ab eccleſia, ne quis ad hoc Sacramentum ficto & ſimulato animo accedat, proinde exploranda ſunt mores voluntas & fides petentium baptiſmum, & beneficio dilationis magis explorantur, ac perſpiciuntur: qua de cauſa in Concilio Agathenſi can. 25. ſtatutum fuit, ut qui ex Judæis ad fidem catholicam veniunt per octo menſes inter Catechumenos detineantur, antequam eisdem baptiſmus conferatur. Secundò quia Adulti debeant edoceri, & inſtrui in fidei doctrina, quam profiteri debent, ad quod aliquid temporis deſideratur. Demum quia major reverentia tunc Sacramento reconciliatur, ſi conſtitutis tantùm paſchæ, & Pentecoſtes diebus infideles adulti, & in fide jam inſtructi ſolemni ritu baptiſmum ſuſcipiunt veſtesque albas inducant. Quòd ſi fidei Myſteria plene ſtatim perceperint, & ad Chriſtianæ legis præcepta ſervanda ſe paratos exhibuerint, tunc absque mora ſunt ſtatim baptizandi, perinde ac Philippus Eunuchum Reginæ Candacis, & D. Petrus Cornelium baptizarunt, cum enixim baptiſmum petierint & ſufficienter jam inſtructi fuerint, ut refertur Actor. 8. & 10. Rurſus infirmis & in mortis periculo conſtitutis baptiſmus differri non debet. Ob periculum quod imminet, ne hoc medio neceſſario ad ſalutem deſtituantur, quando poteſt ipſis conferri, hinc S. Leo Papa epiſt. 16. ad Epiſcopos Siciliæ ſcribit: *Ita ad has duas feſtivitates* (ſcilicet in ſolis ſolemnitatibus Paſchatis, & Pentecoſtes) *incolumium, & in pacis ſecuritate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare præſidium cuiquam denegemus.* Hinc potiori Jure baptiſmus parvulis differri non debet cum frequentioribus periculis obnoxii ſint. Hinc Catechiſmus Concilii Tridentini hortatur fideles, ut liberos ſuos, cum primum id ſine periculo facere liceat, curent ad Eccleſiam deferendos rituque ſolemni baptizandos. Quinimò peccant Catechumeni, ſi ultra tempus ab Eccleſia conſtitutum ba-

primum sumere differant, nisi ex causa necessaria, & licentia Prælatorum Ecclesiæ, siquidem, Ecclesiastici cap. 5. v. 8. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*, & quia perfecta conversio in hac nova generatione per baptismum consistit, ideo non debet baptismus differri. Tum quia quò serius adulti veniunt ad baptismum, eò diutiùs carere debent usu, & gratia cæterorum Sacramentorum, quibus Christiana religio colitur, cum ad ea sine baptismo aditus nemini pateat. Præterea, quia se ipsos privant maximo fructu, quem ex baptismi susceptione percipiunt, scilicet remissione peccatorum, & divina gratia, cujus ope, & auxilio imposterum etiam peccato vitare possint, & justitiam tueri, quapropter Sancti Patres pluries invehere arbitrati sunt in eos, qui baptismum differebant, præsertim Sanct. Basilius *in Exhortat. ad Baptism.* Sanct. Joannes Chrysostomus *homil.* 1. *in Act. Apost.* & Concilium Neocæsariense can. 12. Clinicos, seu in ægritudine baptizatos prohibet ad Sacerdotium provehi èa de causa, quia non ex proposito, sed ex necessitate eorum fides descenderet: Nisi fortassis propter sequens studium, & fidem, & hominum raritatem cum ipsis Episcopus duxerit dispensandum.

CAPUT IV.

De Materia proxima, & remota Sacramenti Baptismi.

IN Sacramentis duplex distinguitur materia, remota & proxima, & utraque consistit in usu rei sensibilis. Remota est res illa sensibilis, quæ assumitur in signum, & causam gratiæ: proxima est ipse usus seu applicatio remotæ. Asserendum est materiam remotam baptismi esse aquam veram naturalem, elementalem, & simplicem, & assertum hoc certum est, de fide definitum in Concilio Florentino in decreto unionis, ubi pro materia baptismi assignatur sola aqua vera, & naturalis, & hoc idem habet etiam Concilium Tridentinum sess. 4. can. 2. ubi de baptismo ait: *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostri JESu Christi (nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto) ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.* Per quæ verba Concilium damnat hæresim Calvini intelligentis metaphoricè Christi verba, adeo ut per aquam voluerit designari gratiam. Damnatur etiam error Seleucianorum, & Jacobitarum, qui verba Joannis Baptistæ de Christo, *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, ipsi male intelligentes asserebant materiam Baptismi non esse aquam, sed ignem, adeo ut inter baptizandos pueros quandam adustionem in fronte vel genis impresserint. Præterea quia Sancti Patres, quotquot scripserunt de Sacramento baptismi, expressè asseruerunt, materiam remotam hujus Sacramenti esse solam aquam elementalem & simplicem. Idque constat ex sacris scripturis & continua traditione in Ecclesia; ait enim Christus Joan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* Actor. 8. v. 36. & seq. *Dum irent per viam Philippus, & Eunuchus, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari, & descenderunt uterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum.* Actor. 10. v. 47. respondit Petrus: *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? & jussit eos baptizari in Nomine JESU Christi*; & Apostolus ad Ephes. 5. 25. ait: *Christus dilexit ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*: & ad Hebræ. 10. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* 1. Petr. 3. v. 20. *Expectabant DEI patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod & vos similis forma salvos facit baptisma*: atqui verba scripturæ, quoties non sequitur absurdum, & inconveniens, intelligenda sunt in proprio sensu, maximè quando lex fertur, vel Sacramentum instituitur, ut communis est Theologorum sententia; unde impiè Calvinus in verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, per aquam nomen intellexit Spiritum Sanctum, excludendo à baptismo ipsam aquam, qui sensus est omnino ineptus, quia perinde esset, ac si quis diceret: nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI, quæ interpretatio est inepta, & inconveniens, & repetitur bis idem, quapropter communis Ecclesiæ sensus est de vera, & naturali aqua, quæ necessaria fit ad baptismum, ut communiter explicant Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ, præsertim Justinus in Apologia, quæ vulgò secunda inscribitur, Tertullianus *lib. de baptismo.* Cyprianus *lib. 3. testimonior. ad Quirinum cap.* 25. D. Ambrosius *lib. 3. de Spiritu Sancto cap.* 11. D. Hieronymus *in cap.* 16. *Ezechielis*, & communiter alii Sancti Patres, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chrysostomus & alii, neque obstat, quòd à Joanne Baptista dictum fuerit de Christo venturo, *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, quia id nullo modo intelligitur de materia baptismi, sed vel ad intimum Spiritus Sancti effectum, quo sanctificamur, & regeneramur in baptismo, vel ad miraculum referendum est, quod die Pentecostes apparuit, cum Spiritus Sanctus è cœlo in Apostolos ignis specie delapsus est, de quo alio loco Christus prædixit, quia *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Præterea constat ex usu & traditione Ecclesiæ definientis verba Christi propriè, & non metaphoricè esse intelligenda de aqua elementali, adeo ut Hæretici habiti fuerint flagellantes, eò quia ad baptismum adhibuerint sanguinem, quem flagellis ex proprio corpore eduxerant. Fuerunt itidem damnati Manichæi apud D. Augustinum hæresi 46. Et Gnostici apud Irenæum negantes mysterium perfici per visibiles creaturas.

Cæterum

Digitized by Google

Cæterum ratio, cur ſola aqua vera & naturalis ac elementaris ſit materia remota baptiſmi, non poteſt alia aſſignari quam voluntas Chriſti Inſtitutoris, expreſſa in ſcripturis, quoties loquuntur de baptiſmo; etenim Actorum 8. Philippus baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum aqua pura elementari; & cap. 10. Sanctus Petrus juſſit Cornelium, & alios, qui ex DEI mandato ipſum convenerant, baptizari in aqua elementari, inquiens: *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur ii, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos, & poſtea juſſit eos baptizari.* D. Thomas affert tantum nonnullas congruentias, quarum prima eſt, quia conveniens erat, ut baptiſmus in aqua elementari fieret, quia hæc propter perſpicuitatem habet aliquid de lumine, conſequenter convenit Sacramento baptiſmi quod vim habet illuminativam, quatenus per ipſum confertur gratia, quæ mentem illuminat. Secundò quia ſicut aqua pura & elementaris Sordes corporis emundat, ita baptiſmus maculas animæ: ex eo enim, quòd aqua elementaris mundet convenit cum baptiſmo, qui habet animam mundare. Tertio quia ſicut aqua refrigerandis corporibus apta eſt; ita baptiſma cupiditatum ardor magna ex parte reſtinguitur. Quartò quia ſicut aqua elementaris vel maxime convenit viventium generationi, adeo ut ſub mundi initium ex aqua primitus producta fuerit, Geneſ. 1. Producant aquæ reptile, animæ viventis & volucres ſuper terram; ita cùm baptiſmus ſit regeneratio in vitam ſpiritualem ejus materia debuit eſſe aqua pura naturalis. Quintò quia cum aqua elementaris reperiatur ubique locorum, ac omnibus præſtò ſit, rectè debuit eſſe conveniens materia baptiſmi, quia cum hoc Sacramentum ſit omnibus ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, conveniens erat, ut ejus materia facilè poſſet reperiri, quapropter D. Petrus Actor. 10. *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi?* Præterea quia hæc materia præſignificata fuit figuris, & Prophetarum oraculis, ac ſacris Scripturis; prima enim baptiſmi figura fuit, quando Spiritus Sanctus in primæva mundi molitione, & origine ferebatur ſuper aquas Geneſ. 1. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, ſignificatum enim tunc fuit, quòd ſicut Spiritus Sanctus aquas fœcundas effecit ſuo incubatu, ut ex iiſdem & piſces, & volucres naſcerentur, perinde ad novi orbis inſtaurationem, & ædificationem Eccleſiæ eaſdem ſic aliquando fœcundare redditurum, ut ejus virtute aquis impreſſa homines DEO renaſcerentur, ut explicuit Tertullianus lib. de Baptiſmo inquiens: *Habes homo imprimis ætatem venerari aquarum, quod antiqua ſubſtantia, dehinc dignationem, quòd divini Spiritus ſedes gratior ſcilicet cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ totæ adhuc ſine cultu ſyderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cœlum rude, ſolus liquor ſemper materia perfecta, læta, ſimplex, de ſe cibus pura dignum vectaculum DEO ſubjiciebat.* Demum plurima congerit in laudem hujus elementi in toto illo libro de baptiſmo. D. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum ſub eadem figura Spiritus Sancti aquis incubantis ſub mundi initium ediſſerit Materiam baptimi inquiens: *ſolus Spiritus DEI in aurigæ modum ſuper aquas ferebatur, & naſcentem mundum in figura baptiſmi parturiebat.* Sicut enim Spiritus Sanctus aquis impertivit fœcunditatem, qua parturirent & piſces, & volucres, ita & baptiſmi aquæ impertivit virtutem, qua filios DEI adoptivos pareret: Secunda figura eſt diluvium, ſeu Catechiſmus, quo mundus purgatus eſt, eo quia plurima hominum malitia ineſſet terris, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, quam figuram aſſumpſit Sanctus Petrus in priori ſua epiſtola cap. 3. Ubi ait: *In arca pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis forma ſalvos facit baptiſma*; ſicut enim aquæ diluvii univerſam terram demerſerunt, & in ea homines carni deditos & DEI verbo incredulos & ſolum Noë juſtitiæ Præconem, & DEO credentem cum ejus familia per Arcam DEUS liberavit: perinde in baptiſmo quidquid homines Carnales contraxerunt vitioſi ſubmergitur, abſorbetur, ac totaliter deletur, & abluti hac aqua puri, ac mundi fiant, quamvis per hanc aquam nonniſi pauci ſerventur electi inhærentes veluti Arcæ per fidem ligno Crucis: hi ſiquidem à DEO vocantur, ut ſint hæredes juſtitiæ. Tempore diluvii ſoli credentes per aquam ſalvi facti ſunt reliquis omnibus pereuntibus ſuam infidelitatem, & in lege itidem evangelica pereuntibus infidelibus ſoli fideles per baptiſma ſalvantur. Quod ſi Noë à conſortio impiorum ſejunctus non fuit, & liberatus niſi per diluvium ita ex hominibus nemo ab omni peccato liberatur, niſi per baptiſmum, ait D. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 14. *Noe cum ſuis per aquam, & lignum liberatur, ſicut familia Chriſti per baptiſmum crucis paſſione ſignatum. Præter arcam omnis caro quam terra ſuſtentabat Diluvio conſumpta eſt, quia præter eccleſiæ ſocietatem aqua baptiſmi, quamvis eadem ſit, non ſolùm non valet ad ſalutem, ſed potiùs valet ad perniciem.* Quemadmodum poſt aquas diluvii quibus iniquitas antiqua purgata eſt poſt baptiſmum mundi cœleſtis iræ præco columba pacem annuntiavit demiſſa ex Arca & olea reverſa; quod ſignum etiam apud Nationes paci prætenditur. Alia baptiſmi figura aſſumitur maris rubri tranſitus, quo Divus Paulus ſcribens ad Corinthios tranſitum, qui fit per aquam baptiſmi ab Ægypto vitiorum ad ſtatum gratiæ ac terræ promiſſionis, edifferit; ait enim epiſt. 1. ad Corinthios cap. 10. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari*, & poſtea ſubdit: Hæc autem in figura facti ſunt noſtri, & edocet Apoſtolus, Iſraelitas eatenus dici baptizatos in nube, & in mari, quia figura erant eorum, qui in aqua, & Spiritu Sancto erant baptizandi in lege evangelica. Nubes populum DEI edocet, & ante maris ingreſſum, & poſt è divortio illo fluctuum egreſſum, quo ſit eundum, donec ad promiſſionis terram pervenirent. Nubes populo fovebat; interdiu enim ſolares æſtus temperavit, & noctu eidem præluxit, ne à recto tramite declinarent, & quidquam detrimenti paterentur. Quidni etiam in lege evangelica Spiritus Sanctus catechumenos ad Baptiſmum perducit, & poſt baptiſmum dux pariter iiſdem eſt, donec ad cœleſtem

patriam perveniant: & regeneratis pravæ concupiſcentiæ temperat æſtus illosque nocte adverſitatum ſui Numinis luce recreat, & corroborat, ne deficiant. Quod mare rubrum figuram præſeferat baptiſmi in lege evangelica ediſſerunt Sancti Patres, quia baptiſmus ex Sanguine Chriſti vim ſuam, & efficaciam totam habet per quam trajicientes viri Iſraelitæ, qui relicta Ægypto Chriſtum Ducem ſequi geſtiunt, liberantur à poteſtate myſtici Pharaonis ſeu diaboli, cui miſerè ante baptiſmum inſervierant: ſed in hoc mari rubro, ſeu aqua baptiſmi totus vitiorum exercitus demergitur, & aboletur, & verus Iſraelita poſt tranſitum maris rubri, ſeu poſt ſuſceptum baptiſmi ad promiſſionis terram, ſeu cœleſtem patriam felix perducitur exercitiis virtutum corroboratus. Quòd ſi maris rubri tranſitus non fuit impedimento, quin à Deo terribilem in modum in deſerto plecterentur vitiis ac ſceleribus indulgentes, & divinis favoribus impertitis ingrati, ita baptiſmus non prohibet, quin graviſſimis, & æternis obnoxii ſint ſuppliciis, quotquot baptizati ſunt, & illuminati, licet guſtaverint cœleſte donum & participes facti ſint Spiritus Sancti, & hanc figuram ſpectans S. Cyprianus epiſt. 76. ad Magnum ait: *Diaboli nequitiam pervicacem uſque ad aquam ſalutarem valere, in baptiſmo verò omne nequitiæ ſuæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in rege Pharaone qui diu reluctatus, & in ſua perfidia demoratus, tandiu reſiſtere potuit, & prævalere, donec ad aquam veniret; quo cum veniſſet, & victus eſt, & extinctus.* Mare autem illud Sacramentum baptiſmi fuiſſe declarat Beatus Apoſtolus Paulus, & S. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum inquiens: *Pharao cum exercitu ſuo nolens populum Dei exire de Ægypto in typo baptiſmatis ſuffocatur.* Et in pſalmis de interfectione illius ſcribitur. *Tu conformaſti in virtute ſua mare, contribulaſti capita Draconum in aquis. Tu confregiſti capita Draconis*: hoc eſt, aquæ tanta eſt virtus tributa & capita draconum, ſeu vitia & peccata confringat, & ſuffocet, ut amplius non appareant, nec ſint: aqua enim baptiſmi flammas omnes vitiorum extinguit, maculas noxarum abſtergit, ac debet, ut amplius non ſint. Alia Baptiſmi figura fuit aqua Jordanis, qua lotus Naaman Syrus à lepra mundatus eſt; quid per lepram quâ caro corrumpitur, indicatur, quàm peccatum, quo anima inficitur, ac deturpatur: quid per fluenta Jordanis datur intelligi, quàm aqua baptiſmi, cujus ablutione delentur peccatorum maculæ omnes, & lepra deponitur culpæ, & gratiæ munditie donatur baptizatus ſeu lotus hujus Sacramenti aqua: Scitè D. Ambroſius in Luc lib. 6. *Diſce baptiſmi gratiam ſalutarem, qui leproſus merſerat, fidelis emerſit. Diſce ſpiritalia Sacramenta ſignari. Corporis remedium petitur, & mentis acquiritur. Abluitur caro Affectus abluitur. Non enim magis corporis quàm mentis lepram video fuiſſe mundatam, quando poſt baptiſmum veteris erroris colluvione de terra, negat ſe Dus alienis hoſtias quas ſpoponderat Domino, litaturum.* Fuit itidem figura baptiſmi probatica piſcina, quæ Hieroſolymis erat. Quia ſi aquis illis abluti ab omnibus curabantur languoribus, ac ægritudinibus; perinde aquis tincti baptiſmi ab omnibus animi morbis per deleta peccata liberantur; nulla & animi ægritudo quam baptiſmi aqua non ſanet, nullus languor, quem non corroboret. Hinc Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 1. ait: *Figura iſta medicina corporalis ſpiritalem medicinam canebat, ea forma, qua ſemper carnalia in figura ſpiritalium antecedant. Proficiente itaque hominibus gratia Dei plus aquis, & Angelo acceſſit. Qui vitia corporis remediabant, nunc Spiritum medentur: qua temporalem operabantur ſalutem, nunc æternam reformant. Qui unum ſemel anno liberabant, nunc quotidie populos conſervant, deleta morte per ablutionem delictorum, exempto niſi vel reatu, eximitur & pœna.* Alia baptiſmi figura habetur Joan. 9. ubi *Chriſtus expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos cæci nati,* ut dixit ei: *Vade lava in natatoria Siloe* (quod interpretatur miſſus) *Abiit ergo, & lavit, & venit videns*: hoc miraculo adumbratum fuiſſe baptiſmi Sacramentum ediſſerunt Sancti Patres, ut S. Joan. Chryſoſtomus homil. 56. in Joan. S. Ambroſius epiſt. 73. D. Auguſtinus tract. 44. in Evang. Joannis: Chriſtus enim qui miſſus fuit à Patre & qui niſi fuiſſent miſſus, nemo noſtrum fuiſſet ob iniquitatem dimiſſus, fecit lutum cum aſſumpſit humanitatem, & verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; & hominem à nativitate cœcum per peccatum originale baptiſmatis aquis illuminavit. Præterea figura itidem Baptiſmi fuerunt aquæ illæ, de quibus dixerat Iſaias cap. 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: & dicetis in illa die confitemini Domino, & invocate nomen ejus.* Quia aquæ baptiſmi quia conferunt ſalutem, verè dimanant de fontibus Salvatoris, cujus propterea nomen edocent invocare, cum quilibet baptizetur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: quapropter c. 53. 1. invitat omnes æternam ſitientes ſalutem, ut veniant ad has baptiſmi aquas: *Omnes ſitientes venite ad aquas* quia verum invenietis refrigerium, & ſitim rerum temporalium plenè extinguetis. Fuit itidem baptiſmi figura aqua illa, de qua dixerat Ezechiel cap. 36. v. 25. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, veſtris, & ab omnibus; idolis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri,* Quid in hæc aqua munda ſuper nos effunditur in Sacramento baptiſmi, cujus aqua per virtutem ipſi inditam à Spiritu S. munda eſt, alioquin quomodo præter alios mundare: virtus igitur Spiritus S. aquæ communicata eſt ipſa mundities, quâ qui baptizantur, ſeu hac abluuntur aqua, mundantur ab omnibus inquinamentis, & idolis, ſeu ab omnibus peccatis ſive ab origine in nos derivatis, vel actualiter nobis inhærentibus. Hinc de fonte hoc baptiſmi prædixerat Zacharias 13. 1. *In die illa erit fons patens Domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*: quid per domum David intelligitur quàm eccleſia, in qua nunc adeſt, & omnibus patet, qui cupiunt baptizari. fons iſte, quem præviderat Zacharias, hoc eſt, patet omnibus habitantibus Jeruſalem ſeu mundum univerſum, ex cujus partibus ſingulis Jeroſolymam ad templum confluebant gentes: in ablutionem igitur peccatoris, & menſtruatæ poſitus eſt in eccleſia fons baptiſmi, cujus lavacro omnes gentes ſive Judæi, ſive gentiles, Pagani, & Turcæ abluantur, ac mundentur à maculis peccatorum.

Ex hiſce omnibus figuris deſumptis, ex ſacris Scripturis rejicitur error veterum hæreticorum, qui baptiſmum aquæ repudiârunt; ut fuerunt Manichæi, & Pauliniani, imo & ultimis noſtris temporibus aliqui ſectarii, qui cum Calvino illa Chriſti verba: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* auſi ſunt in ſenſum detorquere improprium, & metaphoricum, quos propterea Concil. Trident. anathemate percuſſit: *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi, adeoque verba illa Domini noſtri JEſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. ad metaphoram detorſerit, anathema ſit.* Cæterum cur Deus voluerit, ut in Sacram. baptiſmi potius uteremur

aqua

Digitized by Google

Aqua elementari, quàm alia materia multiplex solet à Theologis ratio assignari, quarum prima desumitur ex natura baptismi, qui est regeneratio in vitam spiritualem, ad quam repræsentandam nil accommodatius aquâ esse potest, quia aquæ vis generativa congruit, cum ex aqua sub mundi initium geniti fuerint pisces maris, & volucres cœli, Præterea semina plantarum, ex quibus gignuntur vegetabilia, aquâ feliciùs humectantur ad majorem plantarum ubertatem, & incrementum, & alia semina, ex quibus generantur animalia ad aquam pertinent. Qua de causa putarunt aliqui ex Philosophis rerum omnium principium aquam esse. Alia ratio petitur ex effectibus Baptismi, quibus significandis congruunt aquæ proprietates; quia sicut aqua sordes abluit; ita baptismi virtus, & efficacia peccatorum maculas abstergit, ac delet, adeo ut peccata omnia eluantur. Quod si aqua innata sua frigiditate caloris æstus mitigat, ac temperat; ita per gratiam, quæ beneficio baptismi impertitur baptizatis, ardor pravæ concupiscentiæ restinguitur, & cupiditas rerum fluxarum temperatur. Alia ratio sumitur ex mysteriis Christi, quibus justificamur, quibus repræsentandis peridonea est aqua, quia, ut ait S. Joannes Chrysostomus homil. 24. in Joannem: *Sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur; & deinde novus rursus ascendit*; Ita in aqua baptismi novus resurgit homo. Alia itidem ratio desumitur ex necessitate baptismi. Quia enim hoc Sacramentum omnibus necessarium simpliciter est, ad vitæ æternæ assecutionem: ita aqua baptismi seu elementaris, quæ ubique locorum semper præsto est, ad id fuit assumpta, ne materia unquam deesset. Alia itidem ratio petitur ex Paganorum superstitionibus, qui profana lustrationum suarum Mysteria in aqnis authore Dæmone Dei æmulo constituerunt; quapropter Deus aquam baptismatis sui mysterio conservavit, ut idololatriam submergeret, extingueret, deleret. Hinc Tertullianus lib. de Baptismo cap. 5. *Extranea nationes ab omni intellectu spiritualium potestatum eàdem efficacia Idolis suis subministrabant; sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur Isidis alicujus, aut Mithræ. Ipsos enim DEOS suis lavationibus efferunt. Cæterum villas Domus, templa, totasque urbes aspergine circumlata aquæ expiant passim. Certè ludis Apollinaribus & Eleusyniis junguntur, idque se in regenerationem, & impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt. Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat purgatrice aqua se expiabat. Igitur si de sola natura aquis, quod propria materia sit abluendi, in auspicia emundationis blandiuntur. Quartò id verius præstabant aquæ per DEI auctoritatem, à quo omnis natura earum constituta est? si religione aquam mendicari putant, quæ potior religio quàm DEI vivi? quo agnito hic quoque studium Diaboli cognoscimus res DEI æmulantis, cum & ipse baptismum in suis exercet.*

Aqua autem, quæ materia est remota baptismi, debet esse elementaris, & naturalis, adeo ut si quis baptizaretur in aqua ex plantis, herbis vel floribus expressa baptismus esset nullius valoris defectu materiæ, quia hujusmodi liquores non sunt aqua elementaris, sed potius quoddam mixtum. Rursus nix, glacies, & quando quamdiu perseverant in sua congelatione, & sua concretione non sunt materia hujus Sacramenti; quia licèt majori ex parte concrescant ex aqua, non tamen sunt in statu idonea ad abluendum, & abstergendum nisi colliquefactæ; materia siquidem hujus Sacramenti debet idonea esse ad abluendum; quod si in præcedentem materiam mediante calore solvantur, tunc fierent materia apta, siquidem aqua illa esset naturalis, & idonea ad abluendum. Quòd si in mortis articulo, quis baptizaretur in vino, oleo, lacte, vel aliquo alio liquore diversæ speciei ab aqua, baptismus moribundo collatus esset nullus, neque ullum produceret effectum; quia Christus instituit solam aquam naturalem, elementarem materiam hujus Sacramenti baptismi. Hinc aqua elementaris usualis est semper materia sufficiens ad baptismum, quando substantialiter non est immutata, & simpliciter dici potest aqua elementaris: unde si alteratio, aut commixtio non solvit speciem aquæ, potest in ipsa validè conferri baptismus, dummodo aliud corpus admixtum non ita excedat aquam in quantitate, ut potius videatur esse corpus tale admixtum quam aqua; perinde ac lutum est magis terra, quam aqua, eo quia plus terræ contineat, quàm aquæ. Generatim insufficientes sunt omnes humores tum naturales tum artificiales, ut lacrymæ, sudo, saliva, & alii humores, qui non sunt aqua naturalis, elementaris. An verò in cerevisia possit quis baptizari, respondent communiter, in cerevisia crassiore non posse ullum validè baptizari, eo quia plus contineat substantiæ frumenti, quàm aquæ: in cerevisia tenuiori, ac liquidiore censet Coninck esse materiam sufficientem. Verum apposita sententia communis est, ac tutior, quia cerevisia, quamvis non est nec dicitur aqua elementaris naturalis, & est quid artefactum. Quamvis ex aqua fiat plurimum, tamen continet substantiæ tritici, vel ordei, ac lupuli, propterea est potius mistum quoddam quàm pura aqua naturalis; præterea communiter cerevisia quantumvis liquida, & tenuis distinguitur ab aqua pura elementari, nec videtur retinere naturam aquæ, tum plurimum valeat ad nutriendum, adeo ut qui haustui frequentiori cerevisiæ assuescunt sint semper pinguiores, vegetiores, quamvis non multum comedant, quia cerevisia ob substantiam, quam continet, frumenti plurimum nutriat.

Quòd si aqua vera, & naturalis tantum mutatione accidentali ita mutata fuerit, ut tamen retineat naturam, & speciem aquæ naturalis, sitque apta ad abluendum, censetur communiter sufficiens materia remota baptismi, hinc sive aqua fuerit calida sive frigida, vel tepida, salsa vel dulcis, marina, vel fontana, vel putealis, ex flumine vel lacu thermalis, & sulphurea est materia sufficiens hujus Sacramenti. Generatim in qualibet aqua quovis modo alterata, dummodo conservet naturam, & speciem aquæ naturalis elementaris potest ministrari baptismus; non ita si perdiderit suam speciem, & naturam aquæ: hinc aqua fluminis, quamvis turbida sit, aqua sulphurea, thermalis, mineralis, balneorum est materia sufficiens baptismi. Neque ulla necessitas, aut ratio potest efficere, ut validus, ratusque sit baptismus collatus in alia materia quàm aqua simplici, naturali, & elementari, quia hæc materia est de essentia à Christo Institutore præscripta. Neque audiendi sunt asserentes, Stephanum II. Papam in responsis ad Monachos Britannici Monasterii scripsisse cap. 2. *Si in vino quis propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavis, nulla exinde ei culpa adscribitur.*

bitur : Infantes ſic permaneant in baptiſmo. Contra eſt, plures negant authenticam eſſe hanc Pontificis reſponſionem. Alii volunt reſponſum eſſe intelligendum, ut conſtructio verborum ſit: *Nulla ei adſcribitur culpa, ſi infantes ſic permaneant, ut aqua poſtea baptizentur, quia in collatione baptiſmi aqua, non vinum adhiberi debet*; unde ſequitur: *Nam ſi præſens adfuit aqua ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ ſubmittatur, quia contra canonum ſententiam agere præſumpſerit.* Non igitur Stephanus Papa ratum habuit baptiſmum in vino collatum; quamvis ejus reſcriptum authenticum habeatur; quia Pontifex non fuerat interrogatus de validitate baptiſmi; ſed de culpa Presbyteri, & pœna eidem infligenda, ut patet ex eodem reſcripto. Rurſus quamvis aqua ſimplex naturalis, ac elementaris habita ſemper fuerit in Eccleſia ſola materie baptiſmi; antiquitùs tamen obſervatum fuit, ut in ſolemnioribus baptiſmi cæremoniis aquæ adderetur Chriſma, non ut materia neceſſaria, ſed ut effectus hujus Sacramenti ſeu unctio Spiritus Sancti, ejuſque gratia quæ in baptiſmo confertur expreſſius, clariusque ſignificetur: & hunc morem in baptiſmo unà cum aqua naturali adhibendi etiam Chriſma viguiſſe in oriente referunt S. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. S. Cyprianus epiſt. ad Januarium. S. Baſilius in Pſal. 28. S. Gregorius Niſſenus orat. de baptiſmo. S. Ambroſius lib. 1. de Sacramentis cap. 2. & 3. Severus Alexandrinus lib. de Ritibus baptiſmi. Alcuinus lib. de divinis officiis cap. 19. Gregorius Turonenſis lib. de Miraculis. Hincmarus in vita S. Remigii. Aqua verò adhibenda in collatione baptiſmi debet in ſabbatho ſancto benedici, & aſſervari in Eccleſiæ fonte baptismali, quâ de cauſa Si Carolus Borromæus in ſuis inſtructionibus ait: *Parochus animadvertet, ut aqua (quæ materia eſt Sacramenti baptiſmi) non ſolum vera naturaliſque ſit, ſed etiam eo ipſo anno, quemadmodùm ſanctè cautum eſt, benedicta in ſabbatho Sancto Paſchæ reſurrectionis Domini, aut Sabbatho Pentecoſtes. Quod ſi intra annum præ temporis diuturnitate, aliave de cauſa corrumpi contigerit in ſacrarium prope fontem Parochus projiciet, ſtatimque & fontem purgabit, & vero ſi in urbe eſt, ad Metropolitanam, ſi in Diœceſi, ad ad Plebanam Eccleſiam veniet; unde proprio vaſculo nitido aquam baptiſmalem accipiat, & in Parochialem Eccleſiam ſecretò deferat. Ubi quam primum in fontem effundet, baptiſmaliſque aqua allata tantùm etiam pura nitida, & recentis addet, quantum ſatis erit. Hoc ipſum etiam præſtabit, ſi aqua baptiſmalis per annum defecerit ex quacunque cauſa, & quoniam interdum accidit, ut in ſumma hyeme baptiſmalis aqua vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat, tunc ut aliquo calore liquefacta, aut calefacta uſui ad baptizandum infantem eſſe poſſit, aliam laquam vaſe mundo calefactam immiſceri licet, quæ aqua calefacta longè paucior erit, quàm illa, quæ relicta. Qua in re etiam cavebit ſacerdos, ne quid aliud commiſceat, quàm aquam puram, & naturalem, quamvis calefactam. Ne verò temeraria manu abutatur aqua baptiſmali ad ſuperſtitionem, & perniciem, Sacerdos fontem ex præſcripto bene communitum ſera etiam clavique claudet, quam ne, Clerico quidem committens apud ſe cuſtodiet perpetuo.* Hoc idem etiam ſancitum fuit in pluribus Conciliis Provincialibus.

Aſſerendum ſecundò, materiam proximam baptiſmi eſſe ipſam ablutionem baptizati factam à Miniſtro baptizante; ratio eſt, quia eo ipſo, quòd materia remota baptiſmi eſt aqua naturalis & elementaris, debet materia proxima eſſe in baptiſmo ejusdem uſus, ſed hic uſus alius non poteſt eſſe in collatione baptiſmi niſi ipſa ablutio, quam etiam ſignificat ipſum nomen baptiſmi & ejus forma: Ego te baptizo, ſcilicet, ego te abluo: conſequenter ille contactus aquæ, quo corpus abluitur & lavatur, eſt materia proxima hujus Sacramenti, quatenus eſt actio Miniſtri baptizantis, & paſſio quædam perſonæ baptizatæ. An verò ut ablutio ſit proxima materia hujus Sacramenti, attingi debeat aliqua pars corporis baptizati, ſive hæc animata fuerit, ſive non, reſpondent communiter affirmativè, ea innixi ratione, quia ad baptiſmum ſufficit ablutio illa, per quam homo ſimpliciter denominari poteſt ablutus, ad quam denominationem ſufficit, ſive totum corpus tingatur, ſive aliqua tantùm ejus pars, quæcunque illa ſit. Conſultiùs tamen eſt, ut aquâ tingatur caput, vel alia pars principalis, tametſi id non requiratur ſimpliciter, cum ut baptiſmus habeatur ratus, poſſit tingi tantùm pes, vel digitus; quia ſicut ſi quis vulnus accipiat in pede vel digito, dicitur vere vulneratus, perinde dicitur ablutus, quinimò ſi pueri tantùm extaret digitus, vel ſi ita mortis immineret periculum, ut neque caput neque pars alia principalior poſſet ablui, ſufficeret ſolùm digitum abluere. Verum quia plerique oppoſitum docent, cenſent aliqui, quod ſi digitus tantùm eſſet aqua aſperſus conſultius eſſet, ſi ſub conditione iteraretur baptiſmus, quia in re tanti momenti tenemur probabiliorem ſententiam ſequi; ſi autem quis in extimis tantùm veſtibus tingeretur, & non in cute corporis, ratus tunc non haberetur baptiſmus, ut nec etiam, ſi in ſolis partibus excrementitiis, quia neceſſe eſt, ut pars aliqua aut membrum hominis aqua tingatur, ut homo dicatur ablutus, quo pacto ſi puer corio eſſet involutus, niſi fortaſſis corium illud ei innatum omnino adhæreret, ut fertur natum fuiſſe in Luſitania puerum cataphractum, tunc puer in corio adſcititio non poſſet baptizari, bene tamen in innato, quia tunc cenſeretur pars intrinſeca talis corporis baptizandi. Sufficit tamen, ut baptiſmus ſit ratus vera ablutio, quæcunque illa ſit, quia ad id aſſumitur aqua in baptiſmo, ut per ipſam corpus abluatur parvuli baptizandi, & per hanc externam ablutionem ſignificatur interna abſterſio, ac deletio peccatorum. Poteſt autem ablutio fieri per aquam, non ſolùm immerſione, verùm etiam aſperſione, vel effuſione, & olim conſueviſſe fideles baptizari per immerſionem, ſignificat Apoſtolus ad Roman. 6. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.* Dicebantur fideles per ſuſceptionem baptiſmi conſepulti, quatenus aquis immergebantur, adeo ut in iiſdem ſepelirentur, ac nihil de ipſis appareret, & hæc merſio ſepulturam Chriſti magis repræſentat, quapropter hic modus baptizandi per immerſionem ſuſcipientis baptiſmum in aquam fuit olim frequentior, imò & laudabilior, ut docet D. Thomas; effuſioni tamen favet illud Ezechielis 36. ubi ait: *Effundam ſuper vos aquam mundam*, ex quo Eccleſia infert, ratum haberi baptiſmum, ſi per effuſionem aquæ, & non per immerſionem conferatur. Aſperſioni etiam favet illud Iſaiæ 52. v. 15. *Iſte aſperget Gentes multas*; ad Hebræ. 10. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda*, & revera id etiam duobus modis præfiguratur Chriſti ſepultura, quamvis obſcuriùs quàm per immerſionem. Hinc quocunque modo fiat ablutio, corpus hominis vel aliqua pars ejus

ejus aquæ ſupponitur, ſicut & corpus Chriſti ſub tecta poſitum fuit. Altero autem ex his poſterioribus modis baptiſmum fuiſſe adminiſtratum ab Apoſtolis ex eo eſt vero ſimile; quia de Apoſtolis dicitur, ut interdum unus eorum eadem die tria millia hominum baptizaverit; & altero die quinque millia, ut habetur Actor. 11. & firmari etiam poteſt ex S. Cypriano epiſt. 76. ad Magnum, qui eb ipſo petierat, an illi, qui in infirmitate, & languore baptizati fuerunt, quique propterea *Clinici* audiebant, habendi eſſent legitimi Chriſtiani, eò quia aqua ſalutari non loti, ſed tantùm perfuſi eſſent, & reſpondens S. Cyprianus epiſt. ait: *Nos quantum concipit mediocritas noſtra, æſtimamus in nullo mutilari, ac debilitari poſſe beneficia divina, nec minus aliquid illic poſſe contingere, ubi plena, & tota fide & dantis, & ſumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim ſic in Sacramento ſalutari delictorum contagia ut in lavacro carnali, & ſæculari ſordes cutis, & corporis abluuntur, ut aphronitris & cæteris quoque adjumentis, & ſolio & piſcina opus ſit, quibus ablui & mundari corpuſculum poſſit. Aliter pectus præſentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundantur. In Sacramentis ſalutaribus neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente totum credentibus inferunt divina compendia. Nec quemquam movere debet, quod aſpergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam conſequuntur; quando ſcriptura ſancta loquens per Ezechielem Prophetam dicat, & aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris. Item in Numer. Et homo qui fuerit immundus uſque ad veſperam hic purificabitur die tertio, & die ſeptimo & mundus erit: ſin autem non fuerit purificatus die tertio, vel die ſeptimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Iſrael, quoniam aqua aſperſionis non eſt ſuper eum ſparſa. Unde apparet aſperſionem quoque aquæ inſtar ſalutaris lavacri obtinere.* Et non nullis interjectis ſubdit: *Et idcirco quantum fide concipere, & ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt, ut Chriſtianus judicetur legitimus quiſque fuerit in Eccleſia lege & jure fidei divinam gratiam conſecutus.* Hinc ad valorem baptiſmi ſufficit quælibet ablutio, ſive hæc fiat per immerſionem totius corporis in aquam, ſive per infuſionem aquæ ſive per aſperſionem quia ſinguli hi mundi efficiunt veram ablutionem ſufficientem ad verificandam formam baptiſmi, & ad conſequendam fidei divinam gratiam. De immerſione in aquam certum eſt hanc ſufficere ut baptiſmus collatus per immerſionem ſit ratus, ſiquidem in veteri Eccleſia trina immerſione baptizabantur pueri, ut refert Lacerta *cap. 2. Tertull. de baptiſ.* Quòd etiam ſufficiat infuſio, vel aſperſio, ex eo itidem evincitur, quia iſtæ itidem ſunt veræ ablutiones, & poſſunt optimè ſignificari per formam baptiſmi, quin & Apoſtoli credendi ſunt hoc modo baptizâſſe cum tot millia hominum uno die dicantur baptizâſſe, & S. Gregorius lib. 1. regiſt. epiſt. 41. ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem prohibet Hiſpanis, ut in baptiſmo trina merſione, eò quia hanc adhiberent Ariani ad ſignificandam inæqualitatem perſonarum Trinitatis.

Cæterum circa modum hunc baptizandi conſultius ſemper eſt, ut unuſquiſque ritum ſequatur ſuæ propriæ Eccleſiæ, à quo propterea non poteſt diſcedere ſine culpa, niſi neceſſitas aliter cogerit, interdum enim poteſt imminere neceſſitas ob paucitatem vel aquæ, vel debilitatem Miniſtri, qui ſuſtentare debet baptizandum vel propter imbecillitatem baptizandi & cui fortaſſis imminet mortis periculum ex illa trina immerſione. In his igitur caſibus omitti poteſt immerſio, quamvis ex uſu ſuæ Eccleſiæ vigeat, & poterit vel per effuſionem, vel aſperſionem baptiſmus adminiſtrari, dummodo aqua tangat immediatè corpus, & quidem ea quantitate, ut quis moraliter cenſeri poſſit ablutus, & tunc caput quod ſenſuum omnium radix eſt, & principium, aqua debet aſpergi, ut ſi non poſſit caput ſine periculo baptizandi aſpergi vel perfundi aqua, ſcapulæ vel pectus, tunc debet aſpergi, vel alterius cujuſvis partis corporis perfuſio, vel aſperſio ſufficeret, ut etiam ſi infans ex utero Matris nondum egreſſus ſecundùm partem aliquam, ut brachium, aut pedem foras prodiret, & mortis periculum immineret, tunc ſufficeret imminente mortis periculo, ſi pars illa, quæ foras prodit aqua vel aſpergeretur, vel perfunderetur, quæ tamen opinio non viſa eſt communis tempore D. Thomæ, cum ipſe 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 11. *ad* 6. dicat: *Expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad baptiſmum, niſi mors immineat: ſi tamen primò caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus debet baptizari periculo imminente: quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, ideo videtur quibusdam quod propter dubium quacunque alia parte corporis abluta, quam puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et hoc conſultius ſit, quia tutius eſt ac ad praxin deducendum, ut etiam hortatur Parochus S. Carolus Borromæus in ſua inſtructione de adminiſtratione baptiſmi, ubi ait: *Si fœtus ex utero matris, quæ in partu periculoſe laborat vel manu, vel pede vel alia aliqua parte exſtans ob neceſſitatem in ea ipſa parte ab obſtetrice baptizatus eſt. Cum ſuperſtes erit ſub conditione baptizetur adhibitis cæteris baptiſmi cæremoniis. Si vero in capite quod primum ex utero prodiit, baptizatus eſt forma ritè ſervata, quando ſupervixerit ad Eccleſiam deferatur, cui tantum reliquæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad ſolemnitatem baptiſmi attinet.* An verò liceat exſecare uterum matris gravidæ, ne puer careat baptiſmo, ſi ipſa id enixim velit, & mors omnino certa ſit, reſpondetur negativè, quia id per ſe eſt illicitum, ac dejectum homicidium: neque obſtat, quod ipſa Mater id peroptet & enixim petat, quia ipſa non habet dominium ſuæ vitæ, & hic actus directè tendit in mortem innocentis. An verò liceat puerum interimere materna alvo adhuc comprehenſum, eumque privare baptiſmo, ne matrem interimat? reſpondent communiter, id poſſe fieri per remedia, quæ directè tendant in ſalutem matris; & tantùm indirectè in mortem fœtus: non ita poſſe fieri per remedia, quæ directè tendant in ſolam mortem pueri, ut eſſet peruſtio, laceratio, & alia id genus, quia tunc primario intenderetur mors pueri, quod eſt illicitum. Quod ſi probabile eſſet, puerum poſſe pervenire ad baptiſmum ſublatis illis remediis etiam indirectis, teneretur mater ex obligatione charitatis ab illis abſtinere, & præponere æternam pueri ſalutē propriæ vitæ temporali. Sin autem parvulus ſtatim moritur, non poſſet aliter baptizari, niſi projiceretur in puteum, quæritur ab aliquibus, an in hac hypotheſi poſſet puer in puteum projici, ut baptiſmum ſuſcipiat? & reſpondetur negativè, quia id eſt illicitum & directum homicidium, quòd nunquam licet authoritate humana. Præterea, quia non eſſet certum, an puer tamdiu viveret, donec attingeret aquam.

Cæterum cùm diximus, baptiſmum poſſe conferri per immerſionem, effuſionem, & aſperſionem aquæ, ſi fiat per immerſionem, non eſt neceſſe, perficiatur per trinam immerſionem, quamvis magis conve-

conveniat priſcæ traditioni, & antiquæ Eccleſiæ conſuetudini per unicam enim immerſionem perficitur hoc Sacramentum, ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 66. art. 8.* ubi ait: Quod quamvis legitimus ſit unius vel trinæ immerſionis uſus, quia unica immerſione ſignificatur unitas mortis Chriſti, & unitas Deitatis, trina autem immerſione ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti, & etiam Trinitas perſonarum, Ideo ad perficiendum baptiſmum æquè poteſt unica vel trina immerſio adhiberi, hinc ex diverſis cauſis quandoque unica ut quandoque trina immerſio ab Eccleſia præſcripta eſt, etenim propter errorem Hæreticorum qui non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed tantùm in commemorationem mortis Chriſti una tantùm immerſione perficiebant hoc Sacramentum ad hunc errorem delendum improbatus ab Eccleſia fuit modus baptizandi per unicam tantum immerſionem quidem in ſe, ſed ratione abuſus & hæreſis, cui ritus iſte favebat, ut liquet ex canone 50. diſt. 6. de conſecrat. & cap. *Si quis.* ubi habetur: *Si quis Presbyter aut Epiſcopus non trinam immerſionem unius myſterii celebrat, ſed ſemel mergat in baptiſmate (quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini) deponatur; non enim nobis dixit Dominus: in morte mea baptizate: ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quamvis igitur per unicam immerſionem in aquam naturalem & elementarem ut prolatione veræ formæ perficiatur verus baptiſmus, ſi tamen hic ritus cauſa ſit alicujus erroris, & hæreſis vel teſtificatio illius poteſt ab Eccleſia inhiberi ad reſiciendam hæreſim, quo pacto ad execrandum errorem ſchismaticorum, & Hæreticorum rebaptizantium homines vel etiam dividentium Deitatem in tribus perſonis è converſo in Concilio Toletano IV. can. 6. ſtatutum fuit, ut unica tantum immerſio impoſterum adhiberetur in baptiſmo, & habetur diſt. 6. de conſec. cap. Propter, ubi dicitur: *Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum vel Hæretici dogmatis uſum ſimplam teneamus baptiſmi merſionem, ne videantur apud nos qui tertiò mergant, Hæreticorum probare aſſertionem, dum ſequuntur & morem. Et ne forte cuiquam ſit dubium hujus ſimpli myſterium Sacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari; nam in aquis merſio quaſi in infernum deſcenſio eſt, & rurſus ab aquis emerſio reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem Deitatis, & Trinitatem perſonarum oſtendet. Unitatem dum ſemel immergimus; Trinitatem dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizamus.* Et licèt Synodus Toletana unicam tantum ſtatuerit in baptiſmo immerſionem, profeſſa tamen fuit trina etiam immerſione baptiſmum legitimè celebrari, ut ſcripſerat S. Gregorius Papa lib. 1. epiſt. 41. ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, ubi ait: *de trina vero merſione Baptiſmatis nil reſponderi verius poteſt, quam quod ipſi ſenſiſtis, quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa: Nos autem quod tertiò mergimus triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus, ut dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis fortè etiam pro ſumma Trinitatis veneratione æſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizandos ſemel in aquis mergere, quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt infantem in baptiſmate in aquam vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt divinitatis ſingularitas deſignari; ſed quia nunc huc uſque ab Hæreticis infans in baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur,* ex quibus conſtat, Baptiſmum ſemper ratum eſſe, ſuumque ſortiri valorem, ſive unica, ſive trina merſione fiat, dummodo vera forma ſemper proferatur, & Eccleſiam tantum ad delendos errores, ac hæreſes, modo unam immerſionem tantùm reprobâſſe, & trinam approbaſſe & ad alios confutandos errores iterum unam approbâſſe, & trinam prohibuiſſe. Cæterum ſi antiquiſſimam ſpectemus Eccleſiæ conſuetudinem, trina immerſio magis approbata fuit à Sanctis Patribus, ut conſtat ex Sancto Dionyſio *lib. 2. de eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2.* Tertulliano *lib. adverſus Praxeam cap. 26.* & *lib. de corona militis cap. 3.* ex S. Baſilio *lib. de Spiritu Sancto. cap. 27.* S. Joanne Chryſoſtomo *homil. de fide*, D. Hieronymo in *dialog. adverſus Luciferianos.* D. Ambroſio *lib. 2. de Sacrament. cap. 7.* Auguſtino *homil. 2. ad Neophitos* & refertur apud Gratianum *diſt. 4. de conſecrat. cap. poſtquam* ut etiam ex Pelagio Papa, ibidem *cap. Multi*, ubi ait: *Multi ſunt, qui in nomine ſolummodo Chriſti una etiam immerſione ſe aſſerunt baptizatos, Evangelicum verò præceptum ipſo Domino Deo, & Salvatore Noſtro Jeſu Chriſto tradente nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam merſione ſanctum baptiſma unicuique tribuere, dicente Domino diſcipulis ſuis: Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quamvis Eccleſia non poſſit immutare, quæ pertinent ad eſſentias, materiam, & formam Sacramentorum, poteſt tamen, ſi conſultiùs viſum fuerit, immutare ritus, & cæremonias, quia iſtæ ſunt extrinſecæ, & extra eſſentiam Sacramenti. Obſervandum tamen eſt, quod ex traditionibus Apoſtolicis aliæ fidei & moralis Chriſtianæ reſpiciant dogmata; & aliæ tantùm pertineant ad ſolemnem Sacramentorum adminiſtrationem, ſintque merè extrinſecè & accidentales, & quamvis traditiones primi generis non poſſint ab Eccleſia mutari neque omitti, quæ verò ſunt ſecundi generis, & mutari ab eo poſſint, & omitti, prout conſultius viſum fuerit ad fidei conſervationem, & ad errores, ac hæreſes propellendos, hinc Tertullianus lib. de Virginit. Veland. cap. 1. ait: *Regula quidem fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis. Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ, & converſationis admittunt unitatem correctionis, operante ſcilicet, & proficiente uſque in finem gratia Dei, quale eſt enim ut Diabolo ſemper operante, & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia opus Dei, aut ceſſaverit, aut proficere deſtiterit? cùm propterea Paracletum miſerit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia ſimul capere non poterat, paululum dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto.* Trinæ immerſiones vel una tantum ad ritum pertinent hujus ſecundi generis, & quamvis ab Apoſtolis traditus ſit, quia tamen eſt ritus baptiſmo extrinſecus, & accidentarius, & ad ſolemnitatem tantùm pertinens, ideo in poteſtate Eccleſiæ fuit, prout opportunitas exigebat, & temporum varietas hos ritus immutavit in commodum fidei, & unitatem Eccleſiæ promovendam.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Forma & Cæremoniis Baptiſmi.

CErtum eſt ad eſſentiam Baptiſmi non requiri, ut in illius forma diſtinctè exprimatur perſona baptizans, quia ſatis eſt, ſi id confusè præſtetur: ſi quidem in forma, quàm proferunt Græci, non exprimitur diſtinctè perſona baptizans, ſed tantùm implicitè, & in confuſo, cum dicatur in tali forma: *Baptizetur ſervus Chriſti*, quæ forma nihilominus approbata fuit in Concilio Florentino, & uſurpata à Sanctis Patribus Græcis, qui in hac forma contulerunt, ac miniſtrârunt Sacramentum Baptiſmi. Ratio itidem hoc ſuadet; quia non eſt neceſſe exprimere diſtinctè perſonam cauſæ inſtrumentalis, ſed ſufficit, ſi confusè id præſtetur. Sed eſſentiale eſt, ut exprimatur diſtinctè perſona baptizata, prout diſtincta à perſona baptizante, & ratio deſumitur ex uſu, & traditione Eccleſiæ, quæ ſemper pari pacto intellexit hoc Chriſti præceptum, & miniſtravit hoc Sacramentum, quapropter tam apud Latinos, quàm Græcos perſona illa ſemper exprimitur, alioquin non poſſet actus baptizandi practicè ſignificari. Præterea quia plures Canones aſſerunt, diſtinctionem baptizantis à baptizato eſſe ſignificandam, quinimò requiritur itidem ad valorem Baptiſmi, ut in forma exprimatur actio ipſa baptizandi, quatenus ab ipſo Miniſtro exercetur, quapropter verbum baptizo, aut aliquid ei æquivalens eſt omnino neceſſarium, ac eſſentiale, ut definitum fuit in Concilio Florentino in decreto Eugenii, & conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ Chriſti verba ita ſemper intellexit, his poſitis

Aſſerendum eſt, convenientem formam Baptiſmi eſſe hanc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, adeo ut hæc ſit perfecta, & abſoluta Baptiſmi forma, ut definitum fuit in Concilio Florentino, in decreto unionis, & Tridentino ſeſſ. 7. can. 4. & colligitur ex verbis Chriſti Matth. 28. v. 19. *Euntes, docete omnes Gentes, baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, in qua tamen forma illa particula *Ego* non eſt neceſſaria; quia Eccleſia approbat Baptiſmum Græcorum, in cujus forma non habetur præfata particula, ſed tantùm dicitur: *Baptizetur ſervus Chriſti &c.* quæ tamen forma approbata fuit in Concilio Florentino, & uſurpata ab antiquis Patribus Græcis. Verùm ſi quis omitteret: *Ego te baptizo*, tunc forma Baptiſmi eſſet nulla, quapropter Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem, quæ eſt inter alias damnatas vigeſima ſeptima. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, prætermiſſis verbis, *ego te baptizo*. Rurſus requiritur, quod Miniſter habeat intentionem baptizandi, & id faciendi, quod inſtituit Chriſtus, & intendit Eccleſia, adeo ut idem Pontifex damnaverit hanc aliam propoſitionem, quæ inter proſcriptas eſt vigeſima octava: *Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendendo, quod Eccleſia facit*, particula tamen *Te* requiritur, quia ad valorem Baptiſmi debet neceſſario in ejus forma exprimi perſona baptizanda. Sicut etiam eſt neceſſaria particula, *in nomine*, adeo ut ſi quis diceret, in nominibus, Sacramentum eſſet nullum, quia ſignificaret falſum, ſcilicet non eſſe eandem eſſentiam, & virtutem trium perſonarum, ſiquidem perinde eſt in nomine, ac virtute, poteſtate, & authoritate. Rurſus in forma Baptiſmi ſimul cum unitate eſſentiæ, quæ ſignificatur, per ly in nomine, neceſſariò debet etiam exprimi Trinitas perſonarum, & quidem ſuis propriis nominibus, *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, nec ſuum ſortitetur valorem Baptiſmus collatus, in nomine DEI Trini, vel Trinitatis, non nominatis expreſſis perſonis, ut nec etiam, ſi diceretur: *Ego te baptizo in nomine Omnipotentis, Sapientis, & doni*, ut nec etiam, ſi diceretur, *in nomine primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ*. Ratio eſt, quia Chriſtus inſtituit hunc Baptiſmum ſub expreſſis, ac propriis nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & quia forma Baptiſmi dependet ab ejus Inſtitutore, ſi talis expreſſio deſit, Baptiſmus nullius eſt valoris. Quod ſi quæras, cur voluerit Chriſtus, ut eſſentialiter in forma Baptiſmi exprimerentur tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, non ita in aliis Sacramentis: non poteſt alia ratio aſſignari, quam ejus voluntas, quamvis non deſint congruentiæ, quarum optima eſt, quia conveniens fuerat in Sacramento Baptiſmi, & regenerationis exprimi ejus principium. Unde Fulgentius de fide ad Donatum cap. 9. ait: *Baptizari Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Salvator noſter docuit, ut ſicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, ſic in nomine Trinitatis divinæ adoptionis gratia frui mereamur.* Quamobrem in forma Baptiſmi exprimendæ ſunt tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, quod hæc traditio Eccleſiæ, & authoritas Sanctorum Patrum confirmant, hinc operæ pretium eſt Juſtini Martyris hic adjicere verba in Apologia pro Chriſtianis, quæ ſecunda dicitur, ubi hæc habet: *Quicunque perſuaſi fuerint, & crediderint vera eſſe, quæ à nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere ſe ita poſſe receperint, orare jejunantes, & petere à DEO priorum peccatorum remiſſionem docentur, nobis cum illis unà & orantibus, & jejunantibus. Deinde eò adducuntur à nobis, ubi aqua eſt, atque eo regenerationis modo, quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini DEI, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur.* Hinc Sanctus Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 15. ait: *Baptiſmum verbis evangelicis conſecrari.* & lib. 6. cap. 25. *Certa illa evangelica verba, ſine quibus non poteſt Baptiſmus conſecrari, tantum valent, ut per illa ſic evacuentur quæcunque in prece vitioſa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Chriſti nomine excluditur*, & nonnullis interjectis ſubdit: *DEUS adeſt verbis evangelicis ſuis, ſine quibus Baptiſmus Chriſti conſecrari non poteſt. Cæterum quis neſciat, non eſſe Baptiſmum Chriſti, ſi verba evangelica, quibus ſymbolum conſtat, illic defuerint? Sed faciliùs inveniuntur Heretici, qui omnio non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent. Ideoque dicimus Baptiſmum Chriſti, id eſt, verbis evangelicis conſecratum ubique eundem eſſe, nec hominum quorumlibet, & qualibet perverſitate*

Digitized by Google

situte violari. Ex lib. 3. cap. 15. expressius dixerat: *Si evangelicis verbis: & in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.*

An vero forma Baptismi sub istis verbis: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque*, [illegible] efficeret Baptismum, non conveniunt inter se Theologi, quorum plures, inter quos Cajetanus, Victoria Libaldus, & alii [illegible] nominis ratione, quia [illegible] & procedens ab utroque [illegible] divinis cum nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ex quo [illegible] significare, [illegible] videatur [illegible] debeat Baptismi [illegible] validitate. Sed D. Thomas 3. part. [illegible] 7. [illegible] Baptismum collatum sub illa forma validum fore, ait ipse: *sicut aqua [illegible] ad Baptismum, quia eius usus communior est ad abluendum; ita ad [illegible] tres personas in forma Baptismi assumuntur illa nomina, [illegible] personae [illegible]: nec in aliis [illegible] perficitur Sacramentum:* sed nomina illa, quibus communius consueverunt divinae personae nominari, sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ergo in aliis nominibus, quamvis idem significantibus non perficitur Baptismus; quapropter si quis baptizans adhiberet hanc formam: Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab utroque, Baptismus esset invalidus ex sententia D. Thomae, qui etiam in 4. ad Hannibaldum dist. 3. quaest. unic. art. 2. ad 4. ait: Hoc nomen Genitor, cum sit nomen verbale, non significat personam, ut hypostasin subsistentem, sed magis per modum actus: quapropter si dicatur in nomine Genitoris, & Geniti, non est forma Baptismi, & haec D. Thomae sententia mihi videtur probabilior, cui adhaerendum sit, quia cum agatur de validitate Sacramenti, tenemur sequi partem probabiliorem, ac tutiorem, [illegible] Innocentius XI. reprobavit hanc propositionem, quae inter damnatos ab ipso est prima: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis [illegible] opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut [illegible] sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi [illegible], aut Episcopalis.* [illegible] Baptismus conferri debet cum explicita, & distincta trium personarum Sanctissimae Trinitatis [illegible], quia Christus formam hujus Sacramenti [illegible] Matth. 28. 12. *Euntes, docete omnes [illegible] in nomine Patris, & Filii, & [illegible].* [illegible], quia Baptismus est [illegible], cujus praecipuum objectum est [illegible] Trinitatis. Rursus quia regenerationis [illegible] tres personae divinae conjunctim, & [illegible] operantur. Et etiam quia per Baptismum fidem, & societatem contrahimus cum iisdem divinis personis, ut loquitur Apostolus, *ut societas nostra sit cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*: & in Baptismo accipimus adoptionem filiorum DEI, beneficio mysticae regenerationis, & consequimur, *ut filii DEI nominemur, & simus*, imo efficimur Christi membra, qui caput est Ecclesiae, & per hoc unum cum illo, ut ait Augustinus: *Unus enim homo Christus caput, & corpus*, quod etiam dixerat Apostolus ad 1. Corinth. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus, etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Et quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Hinc [illegible] Baptismus, si conferatur in nomine Sanctissimae Trinitatis, non expressis personis, ut etiam, si quis copulativa conjunctione mutaret in disjunctivam, & diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti*, quia, ut docet D. Thomas, forma Baptismi adhibenda est eodem prorsus modo, quo eam Christus instituit, & quia Christus expressè nominavit tres personas divinas sub copulativa conjunctione, ita eodem prorsus modo usurpari debet hujus Sacramenti forma, ut valide conferatur.

Quapropter irritus etiam esset Baptismus collatus in nomine Christi. Hinc Pelagius Papa in rescripto ad Gaudentium Episcopum, ut refertur distinct. 4. de consecrat. cap. *Si revera*, de consecrat. ait: *Si hi, qui in locis [illegible] nis [illegible] dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscumque dubitatione, ambiguo eos ad fidem Catholicam venientes, in Sancta Trinitatis nomine baptizabis.* Quod si Baptismus collatus in nomine Domini, seu Christi, foret validus, non jussisset Pontifex, eos iterum baptizari in nomine Sanctissimae Trinitatis. Hoc idem etiam asserunt Zacharias Papa, cujus verba referuntur in cap. in Synodo eadem dist. quibus approbat Anglicana [illegible] Synodi decretum, *ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersi fuisset, Sacramentum regenerationis non habe[re]t*, quod approbans ait: *[illegible] tus in fonte baptismatis quis fuerit, sine invocatione Trinitatis perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fuerit baptizatus*, & cap. *Hi verò*, quod desumptum est ex Sancto Gregorio baptizari, *jubentur Haeretici Bonosiani, & Cataphryges, eo quia in nomine Trinitatis baptizati non essent.* Neque obstat cap. *à quodam*, ex responsis Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum habetur: *A quodam Judaeo nescitis, utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, quid de illis, quid [illegible] consulitis. Hi profectò, si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt, (unum quippe idemque est, ut ait Sanctus Ambrosius) rebaptizari non debent*, ubi duo Pontifex habet. Primo [illegible], de quo dubitabatur, an Judaeus esset, an Paganus Ministrum Baptismi esse posse, nec iterandum Baptismum ab ipso collatum [illegible], dummodo nominaverit nomen Sanctissimae Trinitatis, vel Baptismus collatus fuerit nomine Christi. Non constat, quia Nicolaus non [illegible] interrogatus à Bulgaris de ipsa [illegible] Baptismi, eo quia baptizaverit in nomine [illegible], vel Christi, sed tantum, an talis Baptismus [illegible] fuerit, eo quia collatus à Ministro, de quo dubitabatur, an Judaeus esset Christianus, an Paganus. Quod si Nicolaus asseruisset, Baptismum illum administratum in trium personarum Sanctissimae Trinitatis nomine, vel sola Christi [illegible] fuisse, id ex proprio [illegible] & opinione, ut Doctor privatus asseruisset, non vero ut Pontifex docens è Cathedra. Praeterea quia putavit, [illegible] authoritate divi Ambrosii posse corroborari, ergo quia respondit ut Doctor privatus, non ut Judex Ecclesiae

Ecclesiæ docens ex Cathedra. Alioquin non solùm Apostoli in nomine tantùm Domini nostri JESU Christi baptizassent, ut nomen Christi magis celebraretur, sed etiam temporibus Nicolai I. ratus fuisset Baptismus in solius Christi nomine collatus, quod falsum est, cum Ecclesia semper consueverit, semper baptizare expressis nominibus trium personarum divinarum. Quòd si Apostoli dicuntur aliquando baptizasse in Christi nomine tantum, id plures asserunt, ex dispensatione ad tempus facta præstitisse. Alii asserunt, Apostolos baptizasse tantum in nomine Domini JESU, seu Baptismo à Christo instituto, à quo vim, & efficaciam totam haberet; illa enim vox *nomen* usurpatur in sacris Scripturis pro virtute, authoritate, & efficacia. Actor. 4. *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos.* v. 10. *In nomine Domini nostri JESU Christi, quem vos crucifixistis.* Et Luc. 24. v. 27. *Oportebat Christum pati, & resurgere ex mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Quamobrem quando Sanctus Lucas in Actis Apostolorum asserit, Quosdam ab Apostolis in nomine tantum JESU Christi baptizatos, his verbis significat baptizatos fuisse Baptismo non nomine, seu authoritate Joannis Baptistæ, sed nomine, & virtute, & efficacia Christi instituto. Cæterum Apostoli in Baptismo administrando usi fuerunt eadem forma, quam instituit Christus, cum dixit: *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idque firmatur ex Act. 19. ubi D. Paulus quosdam Discipulos Ephesi sic dicitur allocutus: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? at illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille verò ait, in quo ergo baptizati estis? qui dixerunt, in Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus, Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in JESUM. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini JESU.* [illegible] textus in tali sensu intellexit Sanctus Cyprianus epist. 63. ubi etiam refert, quod dixit Petrus Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi, & explicans illud JESU Christi ait: Mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Pater quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem à Domino Apostoli ad gentes mittuntur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Gentiles baptizari jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Ecclesiam, imo & contra Ecclesiam modo in nomine JESU Christi ubicunque, & quomodocunque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena, & adunata Trinitate.* Et Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 12. ait: *Neminem vero in fraudem inducat illud Apostoli, qui nomen Patris, & Spiritus Sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit, neque ideo putet, horum nominum usum esse indifferentem, quicunque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis, quicunque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis: siquidem Christi appellatio totius Deitatis, & professio, quippe quæ simul declarat, & DEUM, qui unxit, & Filium, qui unctus est, & Spiritum Sanctum, qui est unctio: Quemadmodum à Petro in Actis didicimus JESUM Nazarenum, quem unxit DEUS Spiritu Sancto, videtur tamen interdum, &* *Spiritus tantùm in Baptismo fecisse mentionem Apostolus 1. Corinth. 12. Omnes in uno corpore, & in uno Spiritu baptizati sumus, quibus consonat illud Actor. 1. Vos baptizamini in Spiritu Sancto, sed non idcirco, qui dixerit, perfectum esse Baptisma, in quo solo Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem, quæ in vivifica gratia data est, eo quòd, qui liberavit de corruptione vitam nostram, potestatem nobis renovationis dedit: quæ potestas causam habet ineffabilem, & in mysterio reconditam: sed magnum ad salutem confert, ne quidpiam addere, vel detrahere planè sit ab æterna vita excidere. Proinde si in Baptismo separare Spiritum à Patre, & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile.* Hoc idem docent alii Sancti Patres, præsertim D. Augustinus *lib. 2. contra Maximinum Episcopum Arianorum cap. 27.* Sanctus Hilarius, D. Ambrosius *lib. de Spiritu Sancto cap. 4.* & alii communiter.

Ratio itidem ex eo petitur, quia Christus instituendo Baptismum voluit ipsum dare *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sed non est Christi non est synonymum cum nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti, quia nomen Christi tantum significat unam personam, scilicet personam Filii subsistentem in natura humana, ergo Baptismus in nomine Christi collatus non est validus ex defectu formæ, quam voluit institutor, ut adhiberetur in Baptismo. Hinc Zacharias Papa declarat [illegible] cap. in Synodo approbans decretum Concilii Anglicani hac super re editum ait: *Si quis unam de Trinitate personarum in Baptismo non nominaverit, Baptisma verum esse non posse;* & Pelagius Papa eod. [illegible] cap. *Si revera* scribens ad Gaudentium Episcopum ait: *Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, sed solummodo in nomine Domini baptizatos se esse confitentur, sine ulla dubitatione eos ad fidem Catholicam venientes, in nomine Sanctissimæ Trinitatis baptizabis.* Si dicas Actor. 8. haberi: *In nomine JESU Christi baptizabantur viri, & mulieres;* & iterum: *Baptizati tantum erant in nomine Domini JESU*, quod etiam in plerisque aliis reperitur locis, ex quibus infertur, Baptisma collatum in nomine Christi ratum esse, suumque sortiri valorem. Contra est, quia, ut notat Nicolaus in scholiis ad articulum 6. præsentis quæstionis, & in Additionibus ad Reynerium; illud *in nomine Christi* intelligebatur in fide Christi, vel in promissione fidei Christianæ, quam tenebantur profiteri, ac in eadem initiati præsequi in Baptismum suscipere, quem perperam dicebantur suscipere in fide Christi [illegible]; hæc enim fides suam à Christo trahebat [illegible], ut ab Authore fidei; & Baptismi primo Institutore. Unde, quando dicitur in nomine JESU non est intelligendum ex parte baptizantis, quantum ad formam baptizandi, sed ex parte solius baptizati, quantum ad professionem fidei, quam in susceptione Baptismi emittebant; & in ipsa Christi fide continebatur itidem fides totius Trinitatis, quia de illis dicebantur baptizari in nomine JESU Christi, & Trinitatis, seu in professione fidei Christi, & Trinitatis; non quod hoc nomen esset ipsa forma Baptismi, sed professio fidei præerequisita ad Baptismum suscipiendum ex parte baptizati; quia ex parte baptizantis profe-

rebatur tota, & vera forma Baptiſmi, qui conferebatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut notat Canus *lib. 6. de locis Theolog. cap.* 8. *ad* 7. D. Thomas reſpondet 3. parte art. 6. ad 1. Quòd ex ſpeciali Chriſti revelatione Apoſtoli in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti baptizaſſe, ut quod erat Judæis odioſum, fieret honorabile, cum gentes auſpicio tanti nominis baptizarentur, & ad illius invocationem Spiritus Sanctus daretur, ac divina gratia conferretur hominibus, adeo ut Apoſtoli uſi fuerint hac forma ex divina revelatione, & diſpenſatione, huic doctrinæ adhærens communiter Thomiſtæ, eamque ſignificat Catechiſmus Romanus cap. de Baptiſmo, ubi hæc habentur: *Si aliquando tempus fuiſſe dicendum eſt, quod Apoſtoli in nomine tantum JESU Chriſti baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos feciſſe, exploratum nobis eſſe debet, ut initio naſcentis Eccleſiæ, JESU Chriſti nomine prædicatio illuſtrior fieret, & ejus divinitas, ac poteſtas immenſa magis celebraretur.*

Contra tamen hanc ſententiam poſſet objici: quia Baptiſmus eſt in Eccleſia tantum unus, ut conſtat ex ſymbolo fidei, & ad Epheſ. 4. Sin autem Apoſtoli in nomine Chriſti baptizaſſent, talis Baptiſmus fuiſſet ſpecificè diſtinctus ab illo, qui nunc habetur in Eccleſia, quia, ubi eſt diverſa forma, ibi habetur diverſa ſpecies, cum forma ſit, quæ dat eſſe ſpecificum: ergo fuiſſet Baptiſmus ſpeciè diverſus. Conſequenter contra Symbolum Apoſtolorum Baptiſma non eſſet unum tantum, ſed multiplex. Præterea in can. 49. Apoſtolorum definitur, ut Baptiſmus conferatur *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & nulla fit mentio de invocatione nominis Chriſti. Præterea can. 50. rejicitur Baptiſmus collatus in nomine Chriſti, & etiam aſſignatur ratio. *Quia non ducet nos Dominus in morte ſua baptizare, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Præterea quia Apoſtoli Matth. ult. habebant recens mandatum de Trinitate expreſsè, & diſtinctè nominanda in forma Baptiſmi: unde non videtur poſſibile, Apoſtolos Baptiſmum contuliſſe in nomine Chriſti. Sed hæc reſpondent Thomiſtæ. Ad primum, Eccleſiæ Baptiſmum eſſe tantùm unum extra divinam diſpenſationem; non ita ex DEI diſpenſatione; quia ſicut Chriſtus fuit inſtitutor Baptiſmi, ita ex ſpeciali Chriſti diſpenſatione forma Baptiſmi potuit alia eſſe, & de facto fuit alia in exordio naſcentis Eccleſiæ ob rationem à D. Thoma, & Catechiſmo Romano aſſignatam, ut ſcilicet Chriſti nomen Judæis odioſum, anguſtius, ac illuſtrius manifeſtaretur: & ad hunc finem congruum erat, ut Apoſtoli ex ſpeciali Chriſti diſpenſatione baptizarent gentes in nomine Chriſti, quo nomine uterentur non ſolùm ad patranda miracula, verùm etiam ad Baptiſmum conferendum Ethnicis, & gratiam conferendam. Ad id, quod addebatur ex canone 49. Reſpondetur, eatenus ibi fieri tantum mentionem de forma Baptiſmi: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non in nomine Chriſti, quia tametſi hæc forma eſſet valida pro illo tempore, quo duravit diſpenſatio, quæ non erat perpetuò duratura, ideo non fuit de illa ulla mentio facta in canone illo; quia canon debet eſſe regula perpetua in Eccleſia, proinde ex ſpeciali inſpiratione Spiritus Sancti fuit omiſſa. Quod verò ad alium canonem ſe attinet, reſpondent, ibi reprobari Baptiſmum collatum in morte Chriſti propter errorem quorundam Hæreticorum, qui putantes, Chriſtum eſſe purum hominem, & non dici Filium DEI, niſi propter merita, quæ morte ſua commenſuraverat, baptizabant in commemorationem mortis Chriſti. Ad ultimum reſpondetur, exinde tantum inferri, tempore Apoſtolorum debuiſſe Baptiſmum interdum miniſtrari *in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*, quod non negatur à D. Thoma, licèt aſſerat aliquando Apoſtolos etiam baptizaſſe in nomine Chriſti. Cæterum ceſſante poſtea cauſa inſinuata à D. Thoma, & Catechiſmo ceſſavit etiam effectus, ſeu Baptiſmus in nomine Chriſti. Sed quidquid ſit de illa Chriſti diſpenſatione, certum eſt nunc, Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum non eſſe validum, & multo minus eſſe validum Baptiſmum *in nomine DEI, & Sanctæ Crucis* collatum, quamvis illum approbâſſe viſus ſit Sanctus Bernardus epiſt. 340. ſi tamen epiſtola illa ſit D. Bernardi; huic enim opinioni prævalet traditio Apoſtolica, quæ ſemper viguit in Eccleſia, & SS. Patrum unanimis ſententia, & ipſa Eccleſia in Tridentina Synodo, ubi can. 4. de Baptiſmo ſtatuit: *Si quis dixerit Baptiſmum, qui datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum. Anathema ſit.*

Non ſolùm omnes tres perſonæ expreſsè nominandæ ſunt propriis nominibus in forma Baptiſmi; ſed etiam ipſa actio Miniſtri, quæ exprimitur, cum dicit: *Ego te baptizo*: quia cum ablutio homines varios ob fines fieri poſſit; neceſſe eſt, ut Baptiſmi forma exprimatur ad ſit, fiat: quod non ſatis exprimunt verba illa: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* quia in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis tenentur omnia agere, ut noſtræ actiones in DEUM dirigantur, ſintque illi gratæ, ac meritoriæ, ut docet Apoſtolus ad Coloſſ. 3. ideoque actus baptizandi exprimendus eſt. Sed vox illa *ego* non eſt ita neceſſaria, ut ſine illa Baptiſmus non habeatur ratus, quia ejus vis continetur in verbo baptizo: quin imo in Eccleſia Græca omittitur, & dicitur: *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & nihilominus Græcos valide baptizare, declaravit Eugenius 4. in decreto ad Armenos: ſin autem non exprimeretur actus ipſe baptizandi, non perficeretur Baptiſmus: unde ſi in collatione Baptiſmi omitterentur hæc verba, *ego te baptizo*, & tantum dicerentur ſimpliciter hæc alia verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Baptiſmus non eſſet ratus, nec ſuam ſortiretur validitatem, quia niſi exprimatur actus baptizandi, non perficitur Sacramentum, quod propterea nullius eſt valoris, ut etiam declaravit Alexander III. Papa in decretali extra de Baptiſmo, & ejus effectu his verbis, ſi quis puerum in aquam immerſerit: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen, & non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen, non eſt baptizatus. Præterea hæc forma Baptiſmi eodem prorſus tempore, quo ablutio peragitur, pronuntianda ſunt, nec ante, nec poſt, & quidem ab ipſo baptizante. Quòd ſi convenirent duo, quorum unus eſſet mutus, qui non poſſet verba proferre, & alius careret utraque manu, non poſſent ambo baptizare, unus proferens verba, ſeu manibus truncus; & alius ſeu mutus infundens aquam, & abluens, quia, qui baptizaret, ſeu ablueret, non proferret formam; & qui illam proferret, non ablueret.

Poſſunt

Digitized by Google

Possunt tamen plures simul baptizari ab uno eodemque ministro proferente formam, & abluente, sed tunc non deberet dicere, *Ego se baptizo*: Sed *ego baptizo vos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Neque tunc immutaretur forma, quia illa vox *vos* nihil aliud est quam *te*, & *te*. Sin vero plures unum baptizarent, dicentes: *Nos te baptizamus*, videtur non tantum esse sacramentum, quia verbis illis significarentur plures ex intentione convenire, ut unum baptismum conferrent, quod est contra rationem ministerii. Præterea quia homo non baptizat, nisi ut minister Christi, actius vices gerens: sed Christus est unus tantum; ergo qui vices illius gerit, debet itidem unus esse, consequenter minister baptismi debet esse unus homo, qui Christum repræsentet, & ob id scripsit D. Paulus ad Ephes. 5. *Unus Dominus una fides, unum baptisma*: Contraria vero intentio videtur excludere sacramentum baptismi: si enim uterque diceret: *Ego te baptizo in nomine &c.* uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret, quod posset contingere, si uterque vellet baptizare, & contentio oriretur inter ipsos; & tunc qui prior verba proferret, ille baptizaret, non alius posterior, & obnoxius foret pœnis rebaptizantium, cur baptismus semel collatus non possit iteratò conferri. Sin autem contingeret utrumque eodem tempore prolaturum formam, & aquam infusurum, vel aspergerent, vel immergerent junctis viribus, uterque esset puniendus ob modum illicitum baptizandi, non ob iterationem baptismi, quia neuter posuisset antea baptismum; sed uterque, quantum est in se, baptizaret; nec conficeret alterum, ac alterum sacramentum; sed Christus, qui interius est unus baptizans, unum sacramentum per utrumque, per modum unius conficeret, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 66. *art.* 5. *ad* 4.

Formæ verba pronuncianda sunt omnia, ut à Christo fuerunt instituta; adeo ut non sit itidem quidquam addendum, neque detrahendum; unde absque peccato non potest omitti pronomen *ego*, quamvis ad substantiam formæ non pertineat, & baptismus collatus cum hac forma: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen*, ratus esset, ac validus, quia pronomen *ego* implicitè involvitur in verbo illo *baptizo*, & ita dicendum de ultimo verbo *Amen*, quia neque hoc verbum pertinet ad substantiam formæ, pronomen tamen *te* ita est necessarium, ut si omittatur baptismus sit invalidus eo quia non determinatur persona, cui conferatur baptismus, ut *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti amen*, non determinatur hæc forma ad personam ullam particularem, sed verba tantum in genere proferuntur. Si tamen loco pronominis *ego* Minister diceret: *nos baptizamus*, & locò pronominis *te* diceret *vos* ad exprimendam dignitatem personæ, ut si Archiepiscopus Principem baptizans diceret: *Nos baptizamus vos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti amen*, ad exprimendam dignitatem personæ baptizantis, & baptizatæ ratus esset baptismus, quia sensus formæ non immutatur, ut etiam si verbum activum verteretur in passivum, ac Minister diceret: *tu baptizaris à me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti amen*, quia hæc immutatio est tantum accidentalis.

Verum sic immutans verba formæ non excusaretur à gravi peccato, tametsi mutatio accidentalis sit, qua ratione si Minister Latinus vellet studiosè adhibere formam Græcorum, ac diceret: *baptizatur N. servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, haberetur reus peccati lethalis, quamvis baptismus esset, ac suam sortiretur validitatem, eo quia non variatur substantia formæ, tenetur enim Minister sequi ritum suæ Ecclesiæ, à quo discrepare est gravis difformitas: si quis tamen loco verbi *baptizo* diceret *abluo, immergo, aqua tingo, lavo* adhuc ratus esset baptismus, dummodo Minister per illa verba intenderet sacramentalem ablutionem, quam Christus instituit, & Ecclesia usurpat, quia si tantum communem immersionem, ablutionem, & lavationem intenderet ad sordes abstergendas corporis, vel ad refrigerationem ejusdem, nihil Minister conficeret, & baptismus non esset validus, quinimo simularet verbum baptizo in verbum abluo, lavo, non excusaretur à peccato gravi, quamvis intenderet illam sacramentalem ablutionem, quam instituit CHRISTUS, & Ecclesia usurpat, quia verba formæ pronuncianda sunt eo modo, quo fuerunt à Christo instituta. Hinc si loco *in nomine* diceretur, *in nominibus*, baptismus ratus non esset, quia per illud *in nomine* significatur unitas divinæ essentiæ Majestatis, virtutis, potestatis, & operationis in tribus personis sanctissimæ Trinitatis, quæ divisa significaretur per verba illa in nominibus, quia indicarent plures essentias, Majestates, virtutes, & potestates in divinis personis: quinimo si quis etiam omitteret præpositionem illam *in*, non efficeret sacramentum, quia non exprimeret conferri tale sacramentum in virtute divinarum personarum. Quòd si formæ baptismi adderentur verba aliqua, quæ non immutarent sensum formæ, tunc baptismus collatus sub eo verborum formula ratus esset, quo pacto fuit judicatus validus baptismus collatus sub forma, quam refert Severus Patriarcha Alexandrinus lib. de ritibus baptismi in bibliotheca Patrum: *baptizatur talis N. in nomine Patris amen, & Filii amen, & Spiritus sancti ad vitam sæculi sæculorum*, quia illa additio non immutat sensum formæ, qua ratione habetur etiam ratus, & validus baptismus collatus à ministro Æthyope cum verbis: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Paracleti amen.* Quinimò etiam collatus sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus sancti, amen*, videtur ratus ac validus dummodo per illud repetitum *in nomine* intelligatur essentia una ac eadem in tribus personis, quo pacto à Stephano II. Pontifice validus adjudicatus fuit, ac ratus baptismus, quia à rustico Presbytero collatus fuerat sub hac forma: *in nomine Patris mergo te, & Filii mergo, & Spiritus sancti mergo*, Neque Pontifex judicavit unitatem formæ fuisse interruptam, verum qui studiosè hisce uterentur formis, rei essent peccati lethalis, quia abuterentur formâ institutâ à CHRISTO. Nullus tamen esset baptismus collatus sub hac alia forma: *Ego te baptizo cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto*, quæ nullitas comprobata

fuit

fuit miraculo cum enim Deuterius Episcopus Arianus conferret baptismum cuidam cui nomen erat Barba, & Episcopus proferret formam sub illis verbis *baptizatur Barba in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto*, ut refert Theodorus Lector *lib. 2. histor. Eccles.*

CAPUT VI.

Quodnam sit subjectum capax baptismi, & quæ conditiones requirantur in suscipiente Baptismum.

CErtum est, quemlibet hominem esse capacem baptismi, sive adultus sit sive puer, sive vir sive mulier, idque est dogma fidei depromptum ex Oraculo Christi Matth. 28. *Euntes prædicate evangelium, docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; omnes enim, & soli homines sunt capaces sacramentorum, & Christus nullam excludit, imo eis docet baptizandos quos præcipit docendos, & cum omnes homines sint capaces doctrinæ, sunt etiam capaces baptismi. Præterea quia hoc sacramentum est principaliter institutum, in remedium peccati Originalis, quod sicut omnes homines seminali via ex Adam propagati illud contrahunt, ita omnes sunt capaces baptismi; non ita Angeli: quod vero homo statim è matris utero exclusus sit capax baptismi, est certum de fide ex perpetua Ecclesiæ traditione, & Concilio Milevitano II. cap. 2. ubi anathemate percutiuntur negantes parvulos recentes ab uteris matrum esse baptizandos, Tridentina itidem synodus sess. 5. can. 4. Eos anathematizat, qui asserunt neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua baptizatus est Christus, & Paulus V. §. de baptismo ait: Imminente periculo mortis baptizandum esse infantem in quocumque membro extra uterum matris emisso. Ratio itidem est quia cum primum ex utero matris excluditur, est capax salutis, quia hic persona distincta à matre, & est capax, ut alibi diximus in illa parte corporis, quæ extra uterum Matris emittitur, consequenter debet in parte illa, si periculum mortis immineat, baptizari, quia in illa necessitate sicut est capax salutis, ita est capax remedii eam consequendi, hinc Christus Luc. 18. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Hinc S. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap. 27. & cap. Firmissimè. dist. 4. de consecrat.* & citantur verba Fulgentii, quæ sunt: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt:* & Innocentius III. in cap. Majores Extra de baptismo, & ejus effectu rescribens ad Arelatensem Archiepiscopum, ait: *Baptisma circumcisionis successit; cum ergo circumcisio tam adultis, quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne baptismus, qui successit locò ipsius; & generalior tamen existit, cum tam viri quàm feminæ baptizentur minoris videatur effectus. tam adultis quàm parvulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat; anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, ita nunc indistinctè lex clamat evangelica, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non intrabit in regnum DEI ab hac generalitate, nec sexum, nec ætatem excludens.* Neque in infantibus necesse est, ut præcedat dispositio aliqua ad baptismum suscipiendum, ut constat ex *cap. Mater dist. 4. de consecrat.* quod desumptum est ex D. Augustinus de peccator. merit. & remiss. In adultis vero requiritur dispositio ex parte adulti suscipientis baptismum, adeo ut necessarius sit aliquis consensus voluntatis, quo velit baptismum suscipere, ut communiter docent Doctores cum D. Thoma *3. part. quæst. 68. art. 7. ad 2.* Ubi expressè docet, iterandum esse baptismum in eo, qui baptizatus esset sine intentione suscipiendi sacramentum. Colligitur etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam solet adultum baptizare, quin prius illum interroget, an velit baptismum recipere, & respondet se velle, & D. Paulus in suo rituali de baptismo Adultorum monet, non esse baptizandum nisi volentem baptizari: amentes verò qui lucida habent intervalla, dum mentis sunt compotes, sunt itidem baptizandi, si ipsi velint: & hoc idem etiam docuit Innocentius III. *in cap. Majores de baptismo*, ut etiam divus Augustinus lib. 4. de baptismo cap. 24. ubi ponit discrimen inter baptismum parvulorum, & adultorum. quia nisi adulti per se ipsos respondeant interrogatui baptismus iisdem collatus non est ratus nec validus, quapropter Actor. 8. Eunuchus Reginæ Candacis dicit Philippo. *Quis me prohibet baptizari*, & Philippus respondit, *si credis, licet*, ergo in adulto requiritur consensus ad validitatem baptismi. Præterea quia per baptismum debet homo legem Christi, & ejus religionem amplecti, ac initium salutis inchoare, sed DEUS neminem ad suam legem, & religionem, sicut neque ad propriam salutem amplectitur nisi liberè velit accedere, quapropter D. Augustinus ait: *Qui creavit te sine te; non salvabit te sine te.* Quinimo non sufficit negatio resistentiæ seu permissio negativa, sed requiritur omnino positivus consensus saltem virtualis, quia permissio negativa non est consensus, quem Ecclesia in Baptismo Adultorum requirit, sed potius negatio consensus. Quod verò sufficiat virtualis Consensus ex eo liquet, quia baptismus potest conferri amenti, si ante amentiam illum petierit, ut habet Innocentius III. cap. Majores de baptismo, & Paulus V. *in suo rituali de baptismo adultor.* Virtualis autem consensus censetur positiva voluntas suscipiendi bapti-

baptismum, dummodo per contrarium actum nunquam retractata fuerit. Cæterum præter proprium consensum ipsius adulti baptizandi nullus alius requiritur, non parentis sub cujus custodia baptizandus vivit, non Tutoris, sub cujus tutela est; non Domini, sub cujus servitute manet, quia in his, quæ ad propriam æternam salutem pertinent, homo est sui juris, nec ab ullo alio dependet, sed tantum à seipso.

An vero liceat infantes infidelium invitis parentibus baptizare. Nomine infidelium intelliguntur, qui non sunt baptizati, non vero Hæretici, Apostatæ, & Schismatici, qui à fide defecerunt: quia cum illi ratione suscepti baptismi subjiciantur Ecclesiæ, sicut ad id possunt ad fidem servandam; ita etiam eorum filii ipsis renitentibus possunt baptizari, perinde, ac filii fidelium invitis eorum parentibus. Ratio est, quia filii ratione parentum, quoad spiritualem salutem semper subjiciuntur Ecclesiæ. Præterea infideles non baptizati adhuc sunt in duplici differentia quoad præsens nostrum institutum: alii enim non sunt subjecti Principibus Christianis, & alii illis subjiciuntur: hæc autem subjectio, vel est tantum civilis, & politica, cujusmodi est illa Vassallorum ad suum Principem, qui jam non sunt servi, sed mancipia, vel est despotica, & servilis, qualis est illa eorum, qui jure belli, vel emptionis, vel alio titulo justo in potestatem Christianorum devenerunt.

Asserendum, filios Infidelium, qui nullo pacto subjiciuntur Ecclesiæ, non posse licite baptizari invitis parentibus, adeo ut pueri Judæorum, & aliorum infidelium invitis parentibus non debeant baptizari, quamvis collatus iisdem baptismus ratus sit, & validus, difficultas est in assignanda ratione, non nulli cum Durando *in 4. dist. 4. quæst. 7. num. 33.* Marsilio *quæst. 4. art. 4. dub. 3.* Paludano *quæst. 4. post tertiam opinionem* nituntur hac ratione: quia ad validitatem baptismi necessaria est voluntas baptizandi vel propria, si sit adultus, vel ejus parentum, si sit parvulus, vel Tutorum, sub quorum tutela est, ex quo inferunt, hujusmodi infantes infidelium non posse licite baptizari invitis parentibus. Verùm hæc ratio non satisfacit, quia communiter negant validitatem baptismi parvulorum dependere à voluntate parentum. Idem non potest colligi ex propria institutione hujus sacramenti, quia potius contrarium ex ipsa infertur; quia cum hoc sacramentum sit summè necessarium parvulis ad salutem obtinendam, debuit esse independens ab omni extrinseco consensu parentum, ne defectu talis consensus parvulus careret æterna salute. Neque id inferri potest ex authoritate Ecclesiæ, quia hoc non potest assignari. Neque ex praxi Ecclesiæ, quia hæc nunquam consuevit rebaptizare infantes contra voluntatem parentum Gentilium baptizatos; etenim quando justo bello capiuntur, & in terras Christianorum asportantur, tunc tamen si baptizati fuerint à Christianis invitis parentibus suis Turcis, vel Judæis, vel Ethnicis, non rebaptizantur, unde ad validitatem baptismi non est necessaria voluntas parentum. Ratio igitur, cur infantes infidelium invitis parentibus non possint licite baptizari, quamvis talis baptismus, si conferatur, revera validus sit, est, quam adfert D. Thomas *2. 2. quæst. 10. art. 12. & 3. part. quæst. 68. art. 10.* quia si invitis parentibus baptizarentur infantes vel fieret injuria sacramento, vel ipsis parentibus, utrumque autem est illicitum: etenim, vel hujusmodi infantes baptizati relinquerentur sub cura parentum, & hac haberetur quasi moralis certitudo eorumdem apostasiæ, quando pervenirent ad adultam ætatem, propter affectum erga parentes, aut ignorantiam mysteriorum fidei, siquidem filii ordinarie eam sequuntur religionem, quam profitentur eorum parentes, & in qua ipsi nascuntur: hæc autem apostasia à fide per baptismum suscepta cederet in magnam religionis, & sacramenti injuriam: vel hujusmodi infantes baptizati statim substraherentur potestati parentum; & hoc non est licitum, quia est contra jus naturale, quod habent parentes erga suos filios, siquidem hi ratione generationis naturalis sunt partes parentum, qui propterea naturali jure eos habent sub propria potestate, ergo tametsi baptismus collatus infantibus infidelium invitis parentibus sit validus, non tamen est licitus. Itaque D. Thomas 3. part. quæst. 68. art. 10. probat ex consuetudine Ecclesiæ, quam omnes fideles tenentur sequi, inquiens: *Maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda: quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet; unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quam authoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici principes potentissimi, ut Constantinus, & Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi, & ideo periculosum videtur, hanc assertionem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesia hactenus conservatam Judæorum filii invitis parentibus baptizentur.* Aliam etiam aliam rationem petitam ab eo, quia jus naturale parentum violaretur, quia pueri nondum sunt rationis compotes, & propterea sunt sub jure parentum. Ait D. Thomas: *Sic enim jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt: unde etiam, & de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum, & ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis, baptizaretur invitus.* Quinimo addit S. Doctor etiam tertiam rationem petitam ex periculo fidei, ... ipse: *Si enim pueri nondum usum rationis habentes baptismum susciperent, postmodum cum ad perfectam ætatem venirent facile possent à parentibus induci ad relinquendam fidem, & religionem, quam ignorantes fuerunt professi, quod vergeret in maximum fidei detrimentum.* Sed dices, qui sua abutitur potestate, potest ea privari, unde quilibet potest impedire, ne mentita, & vis manifeste inferatur innocenti: sed parentes detrectantes filios suos baptizari, abutuntur potestate sua, & quidem in perniciem filiorum, & quidem multo magis, quam si ipsos occiderent, quia per homicidium vitam temporalem iisdem inferrent, & per denegatum baptismum vitam, ad salutem æternam, quæ longissimè major est, ergo licitum est eos subtrahere parentibus, illisque invitis etiam baptizare: sed contra respondetur, eum, qui jure suo ac potestate abutitur, eo privari posse ab illis, quibus subest; parentes autem infideles, qui

qui filios suos baptizari nolunt, abutuntur quidem jure suo contra legem fidei, ut religionis, in qua nemini adhuc subjiciuntur, à quo corrigi, & plecti possint: non autem abutuntur jure suo contra ordinem justitiæ naturalis aut politicæ, sicut abuterentur parentes, qui filios suos occidere vellent, unde possent illi authoritate publica subtrahi parentibus, ut eorum saluti consuleretur: imò & quilibet ipsis in extremo periculo constitutis posset succurrere cum vitæ damnum resarciri non possit: sed tamen ipsi vel subtrahi eorum curæ non possunt, ut baptizentur, quia nec in extremo salutis periculo constituti censentur propter solam baptismi dilationem, nisi mori immineat, & accedere ipsi possunt ad baptismum, cum ad ætatem adultam pervenerint, idque confirmat D. Thomas in respons. ad 1. ubi ait: *A morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis; puta, si aliquis à suo Judice condemnetur, ad mortem nullus debet eum violenter à morte eripere: unde nec aliquis debet irrumpere ordinem juris naturæ, quo filius est sub cura Patris, ut eum liberet à periculo mortis æternæ.*

Sed dices, præceptum superioris debet servari non obstante voluntate contraria inferioris: sed quod infantes baptizentur, est præceptum Dei, & quod parentes infideles non consentiant tali baptismo est voluntas hominis inferioris Deo, cui subjicitur: ergo non obstante renitentia parentum infidelium adhuc possunt eorum infantes licitè baptizari. Præterea quia quoties habentur contrariæ voluntates plurium dominorum invicem subordinatorum, debet tunc obtemperari voluntati supremi Domini, quamvis repugnet voluntati inferioris, ut colligitur ex D. Augustino Lib. 2. de natura boni ubi ait: *Si illud jubet potestas, quod non debes facere; sic sane contemne potestatem timendo potestatem majorem.* Idque D. Augustinus declarat exemplo de Curatore, & Proconsule; de Proconsule, & Imperatore, de Imperatore, & Deo, sed dominium parentum in filios est inferius, & subordinatum supremi Dei dominio: ergo cum Deus jubeat omnes baptizari debent pueri infidelium etiam invitis eorum parentibus non solum validè, sed etiam licitè baptizari. Sed contra distinguitur major, præceptum superioris debet servari non obstante voluntate contraria inferioris, si superior velit, ut suum præceptum observetur, non obstante quocunque alio jure, & renitentiæ inferioris conceditur: si superior velit, ut præceptum à se impositum servetur sine violatione juris inferioris, negatur; & sub eadem distinctione minoris negatur consequentia, quia Deus præcipiendo, ut omnes parvuli baptizentur, vult hoc præceptum observari sine violatione juris naturalis, quod habet Pater in prolem, & ratio assignatur à D. Thoma: quia gratia non destruit, sed perficit naturam: Quod verò hoc jus parentum erga filios noluerit Christus per legem baptismi violari ex eo colligitur, quia Ecclesia nunquam tale jus violavit, quamvis persæpe fuit eidem oblata occasio, & de facto posset, si vellet infantes Iudæorum baptizare, quorum parentes subduntur potestati civili Ecclesiæ, uti sunt, qui Romæ Iudæi degunt, & à summo Pontifice tolerantur, quorum pueros posset Ecclesia baptizare, eò quia civiliter subjiciantur Ecclesiæ, in cujus dominio immorantur, & vivunt, & nihilominus sine voluntate parentum Ecclesia eos non baptizat, ne eorum jus, quod in suos parvulos habent, violet. Ad id, quod addebatur de voluntatibus contrariis plurium dominorum invicem subordinatorum, respondetur itidem cum distinctione debet obtemperare voluntati supremi Domini, si hic jubeat obedire sibi, non obstante quocunque alio jure, & renitentia inferioris conceditur, si velit ita sibi obtemperandum esse, ut nihil contra jus naturale, & oppositionem inferioris agatur, negatur major. Hinc quamvis DEUS, ut supremus ac despoticus Dominus potuerit decernere, ut ad jus gratiæ servandum; jus naturæ, si opus esset, violaretur, quia tamen hoc non instituit, sed potiùs disposuit omnia suaviter, ac voluit, ut gratia naturam perficeret, non destrueret, voluit etiam, ut per ea, quæ ad finem, & ordinem naturæ spectant, nulla fieret injuria juri naturæ: quapropter CHRISTUS ad prædicandum Gentibus evangelium non contulit Discipulis authoritatem, qua vi, & armis ad suscipiendum baptismum adigerent infideles; nec eos misit sæculari potentia munitos, ac armorum vi præditos; sed inopes, inermes; ut suasionibus, mansuetudine exemplo, miraculis Gentes allicerent, & ad CHRISTUM perducerent, ut habetur in Concilio Toletano IV. Quod si instes, tametsi parentes infideles dominum habeant in suos filios, nihilominus potest Princeps subditos subjectione etiam civili tantum eos privare tali dominio, quoties illo abutuntur: Sed infideles nolentes suos filios baptizari, abutuntur dominio superioris contra honorem DEI, & salutem parvulorum ergo non solùm valide, sed etiam licitè possunt infantes infidelium invitis parentibus baptizari, siquidem possunt privari jure, quod habent in filios. Præterea quia si vellet parens filium suum interficere, posset infans justè etiam per vim eripi à parente non obstante quod habet in ipsum jus naturale: ergo à fortiori poterit etiam baptizari renitentibus parentibus: siquidem salus animæ, & æterna vita præferenda est vitæ corporali. Sed contra, quia tametsi possit Princeps privare subditos dominio, quod parentes habent in filios, quando illo abutuntur contra jus naturæ, vel civile non tamen, quando eo abutuntur contra legem supernaturalem, ut est in casu nostro ea, quæ obligat ad baptismum, si parentes sint infideles: ratio est, quia cum potestas civilis sit merè naturalis, & ab hominibus dimanans, non potest se extendere extra jus naturæ ad legem supernaturalem, & ejus observantiam, quia id pertinet ad aliam potestatem superiorem, quæ sit immediatè à DEO, seu ad potestatem jurisdictionis spiritualis, primo, & per se residentis in summo Pontifice: & quia infideles non baptizati illi non subjiciuntur, ideo non possunt privari jure, & dominio naturali, quod habent supra filios, quamvis abutantur tali dominio contra legem supernaturalem, & salutem parvulorum. Neque obstat, quod addebatur à fortiori de parente volente filium interficere: quia tunc posset privari jure, quod habet supra illum; non ita, si tantum nolit, ut baptizetur: ratio discriminis est,

est, quia parens volens occidere filium, peccat contra jus naturale, cujus cura per se pertinet ad Principem temporalem: sed nolens permittere, ut baptizetur, peccat contra jus supernaturale, ad cujus definitionem non extenditur potestas sæcularis.

Infantes tamen in extremo vitæ periculo constituti, & de quorum temporali salute desperatum est, invitis parentibus licitum est baptizari, quia tunc fides non periclitaretur, cum hujusmodi infantes moraliter supponantur certò morituri: neque jus ullum paternum violaretur, quia non abstraheretur filius à potestate parentis, sed tantùm corrigeretur jus Patris in filium, cui juxta legem Christi debuerat baptismum procurare, quia de illius æterna salute pariter desperatum est, nisi baptizaretur. Præterea, quia tunc mors potius eripit filium parenti, quam Minister baptismi. Hinc alterutro parentum consentiente, quamvis altero repugnante potest puer baptizari, quia hujusmodi consensus ab eo datur, qui jus habet illud dandi, & id cedit in favorem Religionis, & spiritalem pueri utilitatem, proinde nulla videtur obesse ratio, quo minus debeat Minister uti potestate ab altero conjuge sibi tradita, & hoc idem statuit Concilium Toletanum III. sub Rege Reccaredo Can. 14. ubi habetur: *Suggerente Concilio id gloriosissimus Dominus Noster canonibus inserendum præcipit, ut Judæis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas. Sed si Filii ex tali Conjugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum.*, Et sub Sisenando Rege Canon. 63. ait: *Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur, quia non potest infidelis in ejus permanere conjugio, quæ jam in Christianam translata est fidem. Filii autem, qui ex talibus nati existunt, fidem atque conditionem matris sequantur*, ita enim respondit Gregorius IX. Argentinensi Episcopo, ut habetur cap. *Ex litteris.* Extra de conversione infidelium de puero quadrienni, quem Pater ex Judaismo ad Christum conversus sibi assignari in judicio postulavit, ad fidem Catholicam perducendum, quantumvis uxor in Judaica perfidia pertinax obstaret, & omnino repugnaret, quia cum filius in Patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, & non matris: & in ætate tenella quis non debeat apud eas manere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti æternæ vel vitæ temporali insidientur illius, & pueri post triennium apud Patrem non suspectum ali debent, & morari, & Mater pueri, si hunc remanere apud ipsam contingeret, posset illum adducere ad infidelitatis errorem, ideo in favorem fidei Christianæ rescripsit Gregorius IX. eundem puerum esse Patri assignandum, non matri. Quòd si pueri infidelium sive jure, sive injuria separati sint à parentibus tanta locorum distantia, ut parentes eos recipere non possint, nec iisdem providere, possunt tunc parentibus inconsultis filii baptizari pro illorum arbitrio, qui ipsos in Clientelam, & coram receperunt, quia tunc illi vices parentum agunt. Quòd si pueri infidelium rationis usum attigerint, fuerintque septennes, tunc invitis parentibus baptizari possunt, si pueri petant baptismum, quia cum primum deveniunt ad usum rationis, sunt sui juris, & potestatis quoad ea, quæ sunt juris divini, vel naturalis, ideoque propria voluntate invitis parentibus possunt baptismum suscipere, sicut post pubertatem matrimonium contrahere, quapropter possunt tales licitè moneri, & hortari, imo & induci ad baptismum suscipiendum, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 68. Cæterum pueri infidelium, si invitis parentibus baptizati fuerint, ab iisdem separandi sunt propter perversionis periculum, ut declaravit Concilium Toletanum IV. Can. 60. & habetur in *cap. Judæorum dist.* 28. *quæst.* 1. ubi dicitur, Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum consortio separari, decernimus deputatos, aut monasteriis, aut Christianis viris, vel mulieribus Deum timentibus: ut sub eorum conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus, quam in fide proficiant. An vero pueri infidelium, qui politicè tantùm, & civiliter subsunt Ecclesiæ, vel Principibus Christianis, possint licitè publicè authoritate Principis baptizari. Affirmant plures, præsertim Scotus in 4. *dist.* 4. *quæst.* 9. Magorflus *quæst.* 2. Gabriel *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. Palatius *disput.* 5. *Conclus.* 3. Sed D. Thomas cum pluribus aliis negat 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 2. & 3. *part. quæst.* 68. *art.* 10. Cui sententiæ adhærendum puto, si aliqua adhibeatur distinctio: quia vel infideles subduntur potestati Principum Christianorum ut Cives, & tunc non possunt eorum infantes contra voluntatem parentum baptizari, vel subjiciuntur, ut servi, & mancipia, & eorum infantes baptizari possunt, etiam invitis parentibus: ratio prioris partis est, quia vel hujusmodi infantes, suscepto baptismo adhuc manerent sub potestate parentum, & sic cum injuria, & contemptu nostræ fidei exponerentur infantes moraliter certo periculo discedendi à suscepta fide, cum in adultam devenirent ætatem, vel abstraherentur à potestate parentum, & id fieret contra jus naturale, quod habent parentes in proprios filios, ex quo sequitur non posse licitè baptizari; Præterea quia, quamvis potuisset Deus efficere, ut lex de suscipiendo baptismate servaretur etiam cum violatione naturalis juris, quod parentes habent in suos filios, de facto tamen noluit hoc efficere. Hinc Christiani Principes, & Summi Pontifices, quibus plures Judæi immorantes in suis jurisdictionibus subjiciuntur politicè, nunquam hoc attentârunt, quod si existimâssent, id licitum esse, saltem Pontifices, & Imperatores pientissimi, quales fuerunt Constantinus Magnus, Theodosius, & alii, id attentâssent, ut animas infidelium ad veram fidem Christi perducerent. Ratio secundæ partis, scilicet filios servorum ac mancipiorum infidelium posse invitis parentibus baptizari, est, quia servi & mancipia subjiciuntur Domino reali, unà cum filiis, possitque propterea Dominus pro suo arbitrio eos aliis divendere, vel apud se retinere, vel etiam separare filios à parentibus, eos apud se retinendo, & sub hac separatione cessat periculum apostasiæ respectu parvulorum, & cessat etiam injuria ratione Dominii: hac ratione filii Turcarum, qui justo bello fiunt servi Christianorum, licitè baptizantur à Dominis invitis parentibus. Sin autem ex parentibus infidelibus vir ad fidem converteretur, permanente uxore in infidelitate, tunc filius, consentiente Patre, licitè baptizari posset, tametsi mater infidelis renueret, ut liquet ex cap. *Ex litteris de conversione infidelium.*

Amentes, & furiosi à nativitate, aut à pueritia perpetuò laborantes hisce morbis baptizari possunt, sicut infantes: qui verò amentia, vel furore ex intervallis laborant, non sunt baptizandi, nisi baptismum ante amentiam, vel furorem, aut in lucidis intervallis petierint, & hoc docet Innocentius III. cap. Majores de baptismo, & ejus effectu, ubi ait: *Dormientes autem, & amentes, si prius quam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare: & si fuerint sic emersi, characterem non suscipiunt sacramenti: secus autem, si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum suscipiendi baptismum. Unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obsistentem.* Et Concilium Carthaginense III. can. 34. statuit, *ut ægrotantes, si per se respondere non possunt cum voluntatis eorum testimonium hi, qui sui sunt periculo proprio dixerint, baptizentur*, & in Concilio Arausicano I. can. 12. habetur: *Subito obmutescens prout status ejus est baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis, aut præterita testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Et can. 13. Amentibus quæcunque pietatis sunt conferenda. Energumeni itidem, & Catechumeni baptizandi sunt, si urgeat necessitas, vel detur opportunitas, & ita statuit Concilium Arausicanum I. can. 15. ubi dicitur: *Energumenis, Catechumenis, quantum vel necessitas exegerit, vel opportunitas permiserit, de baptismate consulendum*, & Concilium Illiberitanum can. 37. eos, qui à spiritibus immundis vexantur, imminente mortis periculo asserit baptizandos, & Timotheus Alexandrinus Episcopus ad secundam interrogationem in eodem Concilio respondet, Exergumenos imminente mortis periculo esse baptizandos nisi ante ab immundo spiritu liberati fuerint. Cæterum; ut adulti ritè baptizentur, necesse est, assentiantur baptismo suscipiendo, adeo ut debeat intentionem habere suscipiendi baptismum, vel saltem quod antea eam habuerit, & per actum contrarium illam non retractaverit, hinc sacerdos interrogat virum adultum: vis tu baptizari? & ipse respondet: volo, & in pueris sufficit, si consensus pro eis detur ab aliis, qui pro ipsis parvulis respondeant, cùm ipsi non possint respondere. Quod si pro illo, qui potest per se respondere, alius responderet, non valeret baptismus, ut docet D. Augustinus *lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 24.* Si qui tamen minis, terroribus, & pœnis tormentisque compulsus baptismum petat, quamvis secundum quid non videatur baptismo assentiri, non ideo tamen est absolutè invitus: sed absolutam habet voluntatem, licet minis, terroribus, & tormentis excitatam, & in hoc sensu intelligendus est Augustin[9] Tract. 26. in Joan. cum dicit: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens; accedere ad altare potest nolens; accipere sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens*: hæc tamen Augustini verba de Eucharistia potiùs quàm de baptismo solent intelligi: de Eucharistia siquidem est alia ratio, quia Eucharistia consistit in re permanente, & hanc recipere potest absolutè nolens, quamvis non prosit nisi volenti, & disposito eam suscipiendi; ut par est, baptismus verò, & etiam alia sacramenta, quæ consistunt in usu, seu applicatione ad recipientem, hæc recipi non possunt, nisi consentiat is, qui ea recipit. Hoc idem probatur ex Innocentio III. cap. Majores de baptismo, & ejus effectu, ubi ait: *Id est religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus, & pœnitus contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur, quapropter inter invitum & invitum, & coactum & coactum alii non absurdè distinguunt, quod is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat baptismi suscipit sacramentum talis (sicut is, qui fictè ad baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum: & ipse tanquam conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ab observantiam fidei Christianæ: in quo casu debet intelligi decretum Concilii Toletani IV, can. 56. ubi dicitur: Quòd qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti; quia jam constat eos sacramentis divinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & Chrismate unctos esse, & corporis Domini extitisse participes. Oportet etiam ut fidem, quam necessitate susceperunt tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam susceperunt vilis, ac contemptibilis habeatur. Ille verò qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti: quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire.* Ratio itidem assignatur à D. Thoma *3. part. quæst. 68. art. 7.* quia per baptismum moritur veteri vitæ peccati, & renascitur vitæ gratiæ juxta illud Apostoli ad Roman. *6. Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Unde fit, ut homo moriatur peccato, secundùm Augustinum *lib. 50. homiliar. homil. ult.* requiritur in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum retroactæ vitæ pæniteat, ita desideratur voluntas, qua intendatur vitæ novitas, cujus principium sit ipsa susceptio sacramenti, proinde ex parte baptizati semper requiritur voluntas ac intentio suscipiendi baptismum. Hinc validus est baptismus susceptus ab infideli, licèt minis, terroribus, acpœnis adactus fuerit baptizari, si tandem consenserit, & petierit baptizari: tunc potest iste ad fidem servandam cogi, & ad Christianè vivendum adigi. Verum non solet Ecclesia hoc pacto minis, & terroribus, pœnisque compellere infideles ad suscipiendum baptismum; utitur enim aliis mediis suavioribus, cujusmodi sunt prædicationes, suasiones, & adhortationes, quibus veritas religionis Christianæ illis ostenditur, quapropter Tertullianus ait: Non esse religionis cogere religionem, & S. Gregorius epist. 52. lib. 2. ait: *Pastores facti sumus, non percussores. Et egregius Prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Nova verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ minis, & verberibus exigit fidem.* Et cap. de Judæis 45. probatur aliena ab Ecclesiæ Christianæ ingenio lex Wisigothorum lib. 12. tit. 3. *Cum veritas ipsa petere, & pulsare nos doceat præmonens, quòd regnum cœlorum vim patitur, in nullo est dubium, quod ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinat. Proinde si quis Judæorum de his scilicet, qui nondum sunt baptizati, aut se baptizari distulerint, aut filios suos, vel famulos nullo modo ad sacerdotem baptizandos remiserit, vel se suosque de baptismo subtraxerit, & vel*

anni

Digitized by Google

tenium anni spatium, post legem hanc editam quispiam illorum sine gratia baptismi transierit: eorum omnium transgressor quisquis ille repertus fuerit, & centum flagella decalvatus suscipiat, & debita mulctetur exilii pœna. Res tamen ejus ad principis potestatem pertineant, qualiter si incorrigibilem durior eum custodierit vita, perpetuo in ejus, cui eas princeps largiri voluerit, potestate permaneant, condita fuit hæc lex ab Ervigio Rege contra Judæos, & confirmarunt plura Concilia Toletana, seu XII. can. 9. XIII. can. 9. XIV. sub Egiga rege can. I. & XVII. can. 8. & hæc Concilia approbarunt legem sancitam ab Egiga rege de Judæis, perpetua servitute plectendis; & hujus legis causa fuit, *eò quod non solùm contra suam pollicitationem, suorum rituum observatione tunicam fidei, qua eos per undam sacri baptismatis induxit sancta mater ecclesia maculaverint, sed & regni fastigium sibi per conspirationem usurpare maluerint.* Quinimò eorum filios utriusque sexus à septimo anno lex decernit separari à perfidis parentibus, & Christianis nutriendos, ac instruendos tradi, & invitis parentibus baptizari, & nuptias cum Christianis contrahere.

CAPUT VII.

An infantes in utero matris adhuc existentes, imminente mortis periculo baptizari possint.

FUit ante Concilium Tridentinum sententia Cajetani, & aliorum, posse hujusmodi infantes periclitantes, materno in utero nondum natos neque apparentes, sensibiliter per dissectum matris uterum baptizari in nomine Sanctissimæ Trinitatis; eò quia forsan Dei Bonitas hunc baptismum in cœtum parentum acceptat, præsertim, si quod infans non nascatur, & ita periclitetur in utero matris, non oriatur ex negligentia parentum, neque ullo voluntario defectu eorundem, sed ex pura impossibilitate, quâ infans non possit in lucem edi. Hæc sententia fuit discussa in Concilio Tridentino, non tamen damnata, ut hæretica. Fundamenta, quibus hæc sententia nitebatur, præsertim erant. Primò, quia, si fides hæc parentum non sufficeret ad liberandum infantem periclitantem materno in utero, sequeretur, fidem in lege evangelica esse minoris efficaciæ, quàm in lege scripta seu veteri, ac Mosaica: siquidem in veteri lege infantes per fidem parentum præditam signo aliquo externo sensibili justificabantur; & in parvulis illis peccatum originale delebatur; quia, ut ait S. Gregorius in lege evangelica, id operatur aqua, quod in lege Mosaica fides, unde si in lege evangelicâ aqua baptismi maculam abstergit peccati originalis, etiam actus fidei proditur per signum aliquod externum sensibile, vim habuit delendi peccatum originale. Quod si actus fidei in lege veteri potis fuit delere peccatum originale, poterit etiam hoc idem præstare in lege evangelica: Proinde possunt infantes adhuc existentes in matris utero imminente mortis periculo baptizari per fidem parentum in nomine SS. Trinitatis, alioquin fides in lege evangelica esset minoris efficaciæ, quia non posset infantes justificare, quos in lege veteri justificavit. Secundò, quia Deus instituit baptismum, ut summè necessarium, imò & simpliciter in ordine ad assecutionem æternæ salutis, proinde ut faciliùs ministraretur, voluit ejus materiam esse ubique obviam, seu aquam naturalem elementarem, quæ ubique præsto est, ne unquam ex defectu materiæ remotæ homo privaretur medio simpliciter necessario, ad assecutionem æternæ salutis, materiam proximam ablutionem, quæ à quovis homine, imò, ut fœmina fieri potest; Formam itidem captu, ac pronunciatu facilem, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ego te baptizo*, Ministrum etiam hujus Sacramenti designavit quemlibet hominem; etiam sæcularem, imò & fœminam, si necessitas urgeat, ut etiam Ethnicum imminente mortis periculo, si alius non adsit, qui possit hoc Sacramentum ministrare. Idque ad eum finem instituit Christus, ut faciliùs possent omnes baptizare, & baptizari, pro quovis eventu. Id autem non contingeret, si infantes periclitantes materno in utero non possent in voto parentum baptizari in nomine SS. Trinitatis. Tertiò, quia baptismus fuit à Christo institutus pro quovis statu hominum, *vult enim Deus omnes homines salvos fieri*, consequenter & iisdem media suppeditare ad baptismum suscipiendum, cùm sit simpliciter necessarius ad assecutionem salutis necessitate præcepti, & medii: sed si infantes periclitantes in utero matris non possent utiliter baptizari in voto parentum, daretur aliquis status hominum, cui deesset medium ad salutem consequendam, consequenter Baptismus non fuisset institutus pro quolibet hominum statu, quia infantes periclitantes in utero matris constituunt specialem hominis statum, cui baptismus non posset applicari, consequenter baptismus non fuit institutus pro quolibet hominum statu, seu ut succurreret hominibus periclitantibus in quolibet statu, in quo possunt ipsi reperiri.

Asserendum est, infantes adhuc degentes in utero matris baptizari non posse, etiamsi de vita periclitentur, neque in voto parentum, neque per infusionem aquæ, adeo, ut sententia Cajetani jussu S. Pii V. ab operibus Cajetani expuncta fuerit, quinimò Sotus hæreseos nota eam redarguit, eò quia contradicat scripturis sacris, & verbis Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, atqui non potest quis regenerari, neque renasci, nisi prius genitus & natus fuerit, quia regeneratio, ut & renascentia est iterata generatio, & renascentia, unde nisi priùs quis nascatur, & generetur, non potest regenerari, & renasci, perinde ac numerus secundus, quia supponit essentialiter primum, non potest dari sine primo: sed baptismus est spiritualis regeneratio, & renascentia, cùm dicat Christus expressè, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum, ergo baptizari nemo potest, priùs quàm ex utero nascatur, adeo, ut renascentia per baptismum supponat essentialiter nativitatem ex utero, perinde ac numerus secundus supponit primum, ut enim docet D. Thomas in

in 3. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. & *quæstiunc.* 3. *ad* 2. duplex datur nativitas, quarum prima est ex utero matris, cùm primùm fœtus animatus foras apparet, sive per vaginam in lucem prodeat, sive ex dissecto matris utero, utroque modo, si fœtus procedat in lucem, dicitur nasci. Renascitur verò, cum extra uterum matris fœtus baptizatur, quia tunc è morte peccati nascitur ad vitam gratiæ, unde prima nativitas necessariò requiritur, ut secunda perfici possit. Hinc D. Augustinus epist. 187. ad Dardanum ad rem nostram hæc habet, quibùs probat infantem adhuc in utero matris existentem, non posse baptizari, inquiens: *Nemo nascitur, nisi operante concupiscentia carnali, quæ tracta est ex primo homine, qui est Adam, & nemo renascitur, nisi operante gratia spiritali, quæ data est per secundum hominem, qui est Christus. Quapropter, si ad illum nascendo pertinemus, ad hunc renascendo, nec renasci quisquam potest, antequam natus sit, profectò ille singulariter natus est, cui renasci opus non fuit, quia non ex peccato, in quo nunquam fuit, transitum fecit. Hoc igitur excepto, non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cùm fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati. Quòd si quis dicat, jam natum esse hominem, etiam cum adhuc est in utero matris, quia dictum est de prægnante Virgine Dei Matre: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est; nunquid nam huic nativitati accedit secunda nativitas? Alioquin non erit jam secunda, sed tertia: Dominus autem, cum huic loqueretur, Nisi quis renatus, inquit &c. eam scilicet computans primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, neque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ in ea. Neque enim renatum dicimus, quem mater peperit, tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero: sed illa nativitate non corrupta, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua, & Spiritu. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo, antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.*

Firmatur, quia Paulus V Romanus Pontifex §. de baptismo expressè ait: Imminente periculo mortis baptizandum esse infantem in quocunque membro, extra uterum matris emisso, & ratio est, quia, cùm primùm ex matris utero excluditur, nascitur, & est capax baptismi, fitque persona distincta à matre, ergo, antequam fœtus vel in parte, vel in toto excludatur ab utero matris, sive per ordinariam vaginam, sive per dissectum uterum, non dicitur nasci, consequenter antequam in lucem prodeat, sive per dissectum uterum, sive alio modo naturali saltem, si non in toto, in parte appareat, non potest baptizari à fortiori, neque renasci per baptismum, cùm Paulus V. declaraverit, imminente mortis periculo infantem esse tantùm baptizandum in illo membro, quod emittit extra uterum matris, de his enim parvulis ait Christus Luc. 18. *Sinite parvulos venire ad me* (scilicet per baptismum extra matris uterum) *talium est enim regnum cœlorum.* Quod si imminente mortis periculo non possunt parvuli baptizari, nisi in membro extra uterum matris emisso, sequitur, quod si nullum emittat membrum extra uterum vel dissectum, vel via ordinaria, non possit ex decreto Pauli V. infans baptizari. Neque urget: si dicas, parvulos intra matris uterum existentes esse capaces baptismi sanguinis, consequenter etiam fluminis, nam contra est, negatur consequentia, quia potest per mortem matris proles in se ipsa, ac proinde verè, & propriè participare sanguinis baptismum; quia hic in morte propter Christum tolerata consummitur: non verò potest per ablutionem matris in se ipsa, consequenter non potest baptismum fluminis participare, quamvis possit baptismum sanguinis. Præterea, quia corpus infantis, qui baptizatur, debet aqua perfundi, quia baptismus est quædam ablutio: sed corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aqua perfundi, nisi dicatur ablutionem baptismatis, qua matris corpus lavatur, ad filium in utero existentem pervenire: sed id dici nequit, quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, esse distincta ab anima matris, unde ex eo, quòd mater infidelis prægnans baptizetur, non inde intelligitur etiam baptizatus fœtus in ejus utero, tametsi corpus pueri animati jam sit formatum, & mater proxima partui, quia sicut anima pueri distinguitur ab anima matris, ideo quamvis peccatum originale per susceptum baptismum deleatur in matre, inde non sequitur, deleri etiam in anima fœtus adhuc existentis in ejus utero, non enim baptismus, quo mater baptizatur, redundat in prolem in utero matris existentem, unde D. Augustinus Lib. 6. contra Julian. cap. 5. ait: *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita, ut ejus pars imputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est, aliquo mortis periculo, cum eum gestaret in utero: nunc verò, cùm ipse etiam baptizetur, non utique ad maternum corpus, cùm esset in utero, pertinebat*, ex quo infert D. Thomas 3. *part. quæst.* 68. *art.* 11. infantes nullo modo baptizari posse, si adhuc in materno utero existant. Quòd si dicas, per verbum renasci posse intelligi egressionem ex utero, & per nasci generationem in utero, in quo sensu de Christo Jesu in utero Virginis matris concepto dicitur Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, respondetur, ibi verbum *natum* sumi pro *conceptum* de Spiritu Sancto; non enim Spiritus Sanctus infantem Jesum peperit, sed tantùm de ipso conceptus fuit, quatenus Spiritus Sanctus ex purissimo Virginis sanguine efformavit Christi humanitatem, cum qua postea natus fuit ex utero, in quo sensu intelliguntur verba illa Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Nativitas enim est egressio ex utero matris, sive per viam ordinariam, sive per scissionem uteri, eo enim ipso, quod infans egreditur ex utero matris, dicitur in lucem editus, & potest baptizari, quinimò nisi mors immineat, expectanda est totalis egressio pueri ex utero, ut baptizetur, quòd si primò caput egrediatur, quia in ipso fundantur omnes sensus, debet in illo baptizari periculo imminente, adeo ut non sit postea rebaptizandus, si perfectè nosci contigerit, & hoc idem præstandum est; si quæcunque alia pars egrediatur imminente periculo, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 68. & S. Carolus Borromæus in suis instructionibus tit. de eis, quæ Parochus curet, cùm timetur de partu, ait enim: *Quoniam de improviso periculo partus incidit, hoc etiam Parochus aliquando monebit, ut obstetrix aliave mulier in partu præsens, si quando aliquam in parturiendo ita laborantem animadverterit, ut fœtus periculum mortis probabile, antequam integre nascatur, immineat: ubi primum aliquod membrum vitalem motum habens, ex matris*

Digitized by Google

tris utero extare videbit, illud aqua perfundens aſpergensve nullo nomine impoſito baptizet, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et hoc idem etiam ſtatuerunt Concilia, præſertim Synodus Lingonenſis anno 1404. & Senonenſis anno 1524. Unde conſtat ex ſcripturis, ex Conciliis, & ex Sanctis Patribus, imminente mortis articulo non poſſe infantem baptizari in utero matris, niſi aliqua pars corporis egreſſa fuerit ex utero, quæ poſſit aqua perfundi, & baptizari. Quinimò ſi puer manu tantùm, vel pede, vel aliqua alia parte extra màtris alvo prodeat, & aqua perfuſus ſit, & baptizatus, non deſunt plures, qui cenſeant, ſub conditione eſſe baptizandum, quando totaliter, & omninò egreſſus fuerit ex utero, & vixerit, eò quia nativitas extra uterum conſtituat hominem perfectè natum, ſi totus egrediatur ex utero; Chriſtus enim inſtituit, ut Sacramentum baptiſmi conferatur hominibus perfectè renatis, ſeu totaliter egreſſis ex utero matris, quapropter Eccleſia injungit, ut ſi mors non immineat, expectetur totalis egreſſio pueri ex utero, ut baptizetur, neque obſtat, quod omnes homines peccaverint in Adam, & infantes adhuc exiſtentes in utero matris, contrahere peccatum originale, conſequenter debere dari aliquod remedium pro illo hominum ſtatu, ut poſſint æternam ſalutem conſequi, & quia hoc remedium eſt ipſe baptiſmus, ſequitur, infantes adhuc exiſtentes materno in utero, poſſe baptizari, præſertim cum Chriſtus Matth. 28. jubeat ſuos Diſcipulos baptizare omnes Gentes: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Marci 16. *Euntes in mundum univerſum, prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quòd ſi omnis gens, ſeu omnis creatura ex Chriſti præcepto baptizanda eſt, & parvuli in utero matris ſint etiam creaturæ rationales, ſequitur, & ipſos eſſe baptizandos; præſertim imminente mortis periculo. Sed contra negatur conſequentia, quia Chriſtus non juſſit ſuos Diſcipulos, baptizari hos parvulos in utero matris adhuc exiſtentes, ſed Gentes jam natas & egreſſas ex utero matris; etenim Matth. 20. injungit ſuis Diſcipulis, ut doceant omnes Gentes, & *baptizent eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De hoc autem numero Gentium non poſſunt eſſe parvuli adhuc degentes in utero matris, quia ipſi nondum ſunt capaces doctrinæ, & inſtructionis, & Chriſtus vult ſuos Diſcipulos priùs docere, & poſtea baptizare homines, ut etiam colligitur ex illo Marci 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Parvuli autem adhuc degentes in utero matris, non ſunt capaces audiendi prædicationem evangelii, nec eliciendi actum fidei, proinde verba Chriſti ad hos infanres non ſe extendunt, niſi poſtquam egreſſi fuerint totaliter ex utero matris, & Eccleſia ſuppleat actum fidei. Quòd ſi infantes mortui naſcantur, tunc non debent baptizari, tametſi ſignum æquivocum vitæ appareat, quòd ſi evidens ſignum vitæ oſtenderet ipſos ad vitam rediiſſe, tunc baptizandi eſſent, & ita ſtatuit Synodus Lingonenſis, coacta anno 1452. cujus hæc ſunt verba: *Multoties infantes, qui naſcuntur, & quibus non eſt vita, aut anima, per aliquos ignaros baptizantur, qui credunt vitam & animam habere, quia videntur moveri ad motum ignis, & propter calorem, qui fieri ſolet circa tales pueros in certis Eccleſiis, ſeu locis piis noſtrarum civitatis, & Diœceſis, in quibus conſueverunt tales deferri, ſub ſpe. quod per interceſſionem vel merita Sanctorum vitam. & animam recuperent, ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus tales infantes præſumat baptizare, niſi conſtet per evidentia ſigna, quod infans de ſe ipſo moveatur, non autem moveatur propter calorem ignis, aut alterius accidentis.* Quòd ſi mulier in ipſo partu obierit, tunc ejus uterus aperiendus eſt, & inde eductus fœtus, ſi vixerit, baptizandus. Quòd ſi immineat periculum, ut ſtatim moriatur, ſi vivus extrahatur ab utero, tunc diſſecto utero, ubi puer apparet, & capax eſt infuſionis aquæ, baptizari ſtatim poteſt in illa corporis parte, quæ eſt conſpicua, ſive ſit caput, ſive pectus, ſive brachium, & ita habet S. Carolus in ſuis inſtitutionibus baptiſmi, quia, quantum fieri poteſt, conſulere tenemur æternæ ſaluti infantium, unde ſi in utero matris demortuæ infans moveri ſentitur, debet matris uterus ſecari, ut fœtui poſſit baptiſmus impertiri. Non tamen, ſi infans in matris utero incurrat mortis periculum, & mater mortua non ſit, non debet tunc uterus matris ſecari, ut docet D. Thomas *loc. cit, in reſponſ. ad 3.* quia *non ſunt facienda mala, ut veniant bona.* ut ſcribit Apoſtolus ad Roman. 3. & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet filium, ſi tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, aperiri debet, ut puer baptizetur, hinc parentes & domeſtici debent mulierem prægnantem admonere, ut cautè uterum gerat, & Deum pro fœtu aſſiduè, & ferventer oret, ut incolumis edatur in lucem, & gratiam percipiat baptiſmi, & ne ſine ſacramento ſalutis decedat, & ut tempore pariendi mulier propinqua ad Eccleſiam accedat, & pro ea oret, & mulier à ſacerdote piè ac devotè ad altare majus benedictionem ſuſcipiat, ut monet S. Carolus in ſuis Inſtructionibus.

Quòd ſi fœtus in lucem prodeat, inſtar monſtri, tunc cautè eſt procedendum: ſi enim dubitetur, an revera ſit homo, tunc fœtus baptizandus eſt ſub conditione. Sin autem dubitetur, an ſit unus homo, vel multiplex, tunc conferri ſolet abſolutè unus baptiſmus, & alius conditionatus. Et de hiſce monſtrorum humanorum baptiſmo S. Carolus in ſuis Inſtructionibus baptiſmi, ſic habet: *Si quando monſtrum humanum baptiſmo offertur, videndum eſt, antequam baptizetur, an una perſona ſit, an vero duæ; tum an maſculus ſit, an fœmina, ſique re perſpecta dubium ſit, an ſint duæ, utpote quia duo capita non habet, nec pectora benè diſtincta; unus intentione certa, neque vaga ſimpliciter baptizetur: alter verò ſeu alii ſub conditione: ſi non es baptizatus &c. Si vero, quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam diſtincta in monſtro apparent, homines duos eſſe perſpicuum eſt, ſinguli ſimpliciter baptizentur. Quòd ſi mortis periculum in mora erit in numero plurali baptizentur: Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſin autem una perſona eſt, utpote unum tantùm caput habens, tanquam unus baptizetur, etiamſi alia membra plura, ac geminata habeat. At verò monſtrum, quod hominis ſpeciem non præſefert, non baptizetur, niſi primum Archiepiſcopus, vel Epiſcopus conſulatur, de cujus etiam conſilio agetur. Sin autem dubitetur, an ſit homo, baptizari debet ſub conditione, dicendo, ſi tu es homo, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii. & Spiritus Sancti.*

in 3. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *& quæstiunc.* 3. *ad* 2. duplex datur nativitas, quarum prima est ex utero matris, cùm primùm fœtus animatus foras apparet, sive per vaginam in lucem prodeat, sive ex dissecto matris utero, utroque modo, si fœtus procedat in lucem, dicitur nasci. Renascitur verò, cum extra uterum matris fœtus baptizatur, quia tunc è morte peccati nascitur ad vitam gratiæ, unde prima nativitas necessariò requiritur, ut secunda perfici possit. Hinc D. Augustinus epist. 187. ad Dardanum ad rem nostram hæc habet, quibus probat infantem adhuc in utero matris existentem, non posse baptizari, inquiens: *Nemo nascitur, nisi operante concupiscentia carnali, quæ tracta est ex primo homine, qui est Adam, & nemo renascitur, nisi operante gratia spirituali, quæ data est per secundum hominem, qui est Christus. Quapropter, si ad illum nascendo pertinemus, ad hunc renascendo, nec renasci quisquam potest, antequam natus sit, profectò ille singulariter natus est, cui renasci opus non fuit, quia non ex peccato, in quo nunquam fuit, transitum fecit. Hoc igitur excepto, non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cùm fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati. Quòd si quis dicat, jam natum esse hominem, etiam cum adhuc est in utero matris: quia dictum est de prægnante Virgine Dei Matre: Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est; nunquid nam huic nativitati accedit secunda nativitas? Alioquin non erit jam secunda, sed tertia: Dominus autem, cum huic loqueretur, Nisi quis renatus, inquit &c. eam scilicet computans primam nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, neque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ in ea. Neque enim renatum dicimus, quem mater peperit, tanquam iterum natus sit; qui jam semel natus fuerat in utero: sed illa nativitate non corrupta, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua, & Spiritu. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo, antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest.*

Firmatur, quia Paulus V Romanus Pontifex §. de baptismo expressè ait: Imminente periculo mortis baptizandum esse infantem in quocunque membro, extra uterum matris emisso, & ratio est, quia, cùm primùm ex matris utero excluditur, nascitur, & est capax baptismi, sitque persona distincta à matre, ergo, antequam fœtus vel in parte, vel in toto excludatur ab utero matris, sive per ordinariam vaginam, sive per dissectum uterum, non dicitur nasci, consequenter antequam in lucem prodeat, sive per dissectum uterum, sive alio modo naturali saltem, si non in toto, in parte appareat, non potest baptizari à fortiori, neque renasci per baptismum, cùm Paulus V. declaraverit, imminente mortis periculo infantem esse tantùm baptizandum in illo membro, quod emittit extra uterum matris, de his enim parvulis ait Christus Luc. 18. *Sinite parvulos venire ad me* (scilicet per baptismum extra matris uterum) *talium est enim regnum cœlorum.* Quod si imminente mortis periculo non possunt parvuli baptizari, nisi in membro extra uterum matris emisso, sequitur, quod si nullum emittat membrum extra uterum vel dissectum, vel via ordinaria, non possit ex decreto Pauli V. infans baptizari. Neque urget: si dicas, parvulos intra matris uterum existentes esse capaces baptismi sanguinis, consequenter etiam fluminis, nam contra est, negatur consequentia, quia potest per mortem matris proles in se ipsa, ac proinde verè, & propriè participare sanguinis baptismum; quia hic in morte propter Christum tolerata consistit: non verò potest per ablutionem matris in se ipsa, consequenter non potest baptismum fluminis participare, quamvis possit baptismum sanguinis. Præterea, quia corpus infantis, qui baptizatur, debet aqua perfundi, quia baptismus est quædam ablutio: sed corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aqua perfundi, nisi dicatur ablutionem baptismatis, qua matris corpus lavatur, ad filium in utero existentem pervenire: sed id dici nequit, quia anima pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, esse distincta ab anima matris, unde ex eo, quòd mater infidelis prægnans baptizetur, non inde intelligitur etiam baptizatus fœtus in ejus utero, tametsi corpus pueri animati jam sit formatum, & mater proxima partui, quia sicut anima pueri distinguitur ab anima matris, ideo quamvis peccatum originale per susceptum baptismum deleatur in matre, inde non sequitur, deleri etiam in anima fœtus adhuc existentis in ejus utero, non enim baptismus, quo mater baptizatur, redundat in prolem in utero matris existentem, unde D. Augustinus Lib. 6. contra Julian. cap. 5. ait: *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita, ut ejus pars imputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est, aliquo mortis periculo, cum eum gestaret in utero: nunc verò, cùm ipse etiam baptizetur, non utique ad maternum corpus, cùm esset in utero, pertinebat,* ex quo infert D. Thomas 3. *part. quæst.* 68. *art.* 11. infantes nullo modo baptizari posse, si adhuc in materno utero existant. Quòd si dicas, per verbum renasci posse intelligi egressionem ex utero, & per nasci generationem in utero, in quo sensu de Christo Jesu in utero Virginis matris concepto dicitur Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est,* respondetur, ibi verbum *natum* sumi pro *conceptum* de Spiritu Sancto; non enim Spiritus Sanctus infantem Jesum peperit, sed tantùm de ipso conceptus fuit, quatenus Spiritus Sanctus ex purissimo Virginis sanguine efformavit Christi humanitatem, cum qua postea natus fuit ex utero, in quo sensu intelliguntur verba illa Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Nativitas enim est egressio ex utero matris, sive per viam ordinariam, sive per scissionem uteri; eo enim ipso, quod infans egreditur ex utero matris, dicitur in lucem editus, & potest baptizari, quinimò nisi mors immineat, expectanda est totalis egressio pueri ex utero, ut baptizetur, quòd si primò caput egrediatur, quia in ipso fundantur omnes sensus, debet in illo baptizari periculo imminente, adeo ut non sit postea rebaptizandus, si perfectè nasci contigerit, & hoc idem præstandum est, si quæcunque alia pars egrediatur imminente periculo, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 68. & S. Carolus Borromæus in suis instructionibus tit. de eis, quæ Parochus curet, cùm timetur de partu, ait enim: *Quoniam de improviso periculo partus incidit, hoc etiam Parochus aliquando monebit, ut obstetrix aliave mulier in partu præsens, si quando aliquam in parturiendo ita laborantem animadverterit, ut fœtui periculum mortis probabile, antequam integrè nascatur, immineat: ubi primùm aliquod membrum vitalem motum habens, ex matris*

tris utero extare videbit, illud aqua perfundens abſtergensve nullo nomine impoſito baptizet, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et hoc idem etiam ſtatuerunt Concilia, præſertim Synodus Lingonenſis anno 1404. & Senonenſis anno 1524. Unde conſtat ex ſcripturis, ex Conciliis, & ex Sanctis Patribus, imminente mortis articulo non poſſe infantem baptizari in utero matris, niſi aliqua pars corporis egreſſa fuerit ex utero, quæ poſſit aqua perfundi, & baptizari. Quinimò ſi puer manu tantùm, vel pede, vel aliqua alia parte extra màtris alvo prodeat, & aqua perfuſus ſit, & baptizatus, non deſunt plures, qui cenſeant, ſub conditione eſſe baptizandum, quando totaliter, & omninò egreſſus fuerit ex utero, & vixerit, eò quia nativitas extra uterum conſtituat hominem perfectè natum, ſi totus egrediatur ex utero; Chriſtus enim inſtituit, ut Sacramentum baptiſmi conferatur hominibus perfectè renatis, ſeu totaliter egreſſis ex utero matris, quapropter Eccleſia injungit, ut ſi mors non immineat, expectetur totalis egreſſio pueri ex utero, ut baptizetur, neque obſtat, quod omnes homines peccaverint in Adam, & infantes adhuc exiſtentes in utero matris, contrahere peccatum originale, conſequenter debere dari aliquod remedium pro illo hominum ſtatu, ut poſſint æternam ſalutem conſequi, & quia hoc remedium eſt ipſe baptiſmus, ſequitur, infantes adhuc exiſtentes materno in utero, poſſe baptizari, præſertim cum Chriſtus Matth. 28. jubeat ſuos Diſcipulos baptizare omnes Gentes: *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & Marci 16. *Euntes in mundum univerſum, prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quòd ſi omnis gens, ſeu omnis creatura ex Chriſti præcepto baptizanda eſt, & parvuli in utero matris ſint etiam creaturæ rationales, ſequitur, & ipſos eſſe baptizandos, præſertim imminente mortis periculo. Sed contra negatur conſequentia, quia Chriſtus non juſſit ſuos Diſcipulos baptizari hos parvulos in utero matris adhuc exiſtentes, ſed Gentes jam natas & egreſſas ex utero matris; etenim Matth. 20. injungit ſuis Diſcipulis, ut doceant omnes Gentes, *& baptizent eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De hoc autem numero Gentium non poſſunt eſſe parvuli adhuc degentes in utero matris, quia ipſi nondum ſunt capaces doctrinæ, & inſtructionis, & Chriſtus vult ſuos Diſcipulos priùs docere, & poſtea baptizare homines, ut etiam colligitur ex illo Marci 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Parvuli autem adhuc degentes in utero matris, non ſunt capaces audiendi prædicationem evangelii, nec eliciendi actum fidei, proinde verba Chriſti ad hos infantes non ſe extendunt, niſi poſtquam egreſſi fuerint totaliter ex utero matris, & Eccleſia ſuppleat actum fidei. Quòd ſi infantes mortui naſcantur, tunc non debent baptizari, tametſi ſignum æquivocum vitæ appareat, quòd ſi evidens ſignum vitæ oſtenderet ipſos ad vitam rediiſſe, tunc baptizandi eſſent, & ita ſtatuit Synodus Lingonenſis, coacta anno 1452. cujus hæc ſunt verba: *Multoties infantes, qui naſcuntur, & quibus non eſt vita, aut anima, per aliquos ignaros baptizantur, qui credunt vitam & animam habere, quia videntur moveri ad motum ignis, & propter calorem, qui fieri ſolet circa tales pueros in certis Eccleſiis, ſeu locis piis noſtrarum civitatis, & Diœceſis, in quibus conſueverunt tales deferri, ſub ſpe, quod per interceſſionem vel merita Sanctorum vitam, & animam recuperent, ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero nullus tales infantes præſumat baptizare, niſi conſtet per evidentia ſigna, quod infans de ſe ipſo moveatur, non autem moveatur propter calorem ignis, aut alterius accidentis.* Quòd ſi mulier in ipſo partu obierit, tunc ejus uterus aperiendus eſt, & inde eductus fœtus, ſi vixerit, baptizandus. Quòd ſi immineat periculum, ut ſtatim moriatur, ſi vivus extrahatur ab utero, tunc diſſecto utero, ubi puer apparet, & capax eſt infuſionis aquæ, baptizari ſtatim poteſt in illa corporis parte, quæ eſt conſpicua, ſive ſit caput, ſive pectus, ſive brachium, & ita habet S. Carolus in ſuis inſtitutionibus baptiſmi, quia, quantum fieri poteſt, conſulere tenemur æternæ ſaluti infantium, unde ſi in utero matris demortuæ infans moveri ſentitur, debet matris uterus ſecari, ut fætui poſſit baptiſmus impertiri. Non tamen, ſi infans in matris utero incurrat mortis periculum, & mater mortua non ſit, non debet tunc uterus matris ſecari, ut docet D. Thomas *loc. cit, in reſponſ. ad 3.* quia *non ſunt facienda mala, ut veniant bona*. ut ſcribit Apoſtolus ad Roman. 3. & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet filium, ſi tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, aperiri debet, ut puer baptizetur, hinc parentes & domeſtici debent mulierem prægnantem admonere, ut cautè uterum gerat, & Deum pro fœtu aſſiduè, & ferventer oret, ut incolumis edatur in lucem, & gratiam percipiat baptiſmi, & ne ſine ſacramento ſalutis decedat, & ut tempore pariendi mulier propinqua ad Eccleſiam accedat, & pro ea oret, & mulier à ſacerdote piè ac devotè ad altare majus benedictionem ſuſcipiat, ut monet S. Carolus in ſuis Inſtructionibus.

Quòd ſi fœtus in lucem prodeat, inſtar monſtri, tunc cautè eſt procedendum: ſi enim dubitetur, an revera ſit homo, tunc fœtus baptizandus eſt ſub conditione. Sin autem dubitetur, an ſit unus homo, vel multiplex, tunc conferri ſolet abſolutè unus baptiſmus, & alius conditionatus. Et de hiſce monſtrorum humanorum baptiſmo S. Carolus in ſuis Inſtructionibus baptiſmi, ſic habet: *Si quando monſtrum humanum baptiſmo offertur, videndum eſt, antequam baptizetur, an una perſona ſit, an vero duæ; tum an maſculus ſit, an fœmina, ſique re perſpecta dubium ſit, an ſint duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora benè diſtincta; unus intentione certa, neque vaga ſimpliciter baptizetur: alter verò ſeu alii ſub conditione: ſi non es baptizatus &c. Si vero, quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam diſtincta in monſtro apparent, homines duos eſſe perſpicuum eſt, ſinguli ſimpliciter baptizentur. Quòd ſi mortis periculum in mora erit in numero plurali baptizentur: Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſin autem una perſona eſt, utpote unum tantùm caput habens, tanquam unus baptizetur, etiamſi alia membra plura, ac geminata habeat. At verò monſtrum, quod hominis ſpeciem non præſefert, non baptizetur, niſi primum Archiepiſcopus, vel Epiſcopus conſulatur, de cujus etiam conſilio agetur. Sin autem dubitetur, an ſit homo, baptizari debet ſub conditione, dicendo, ſi tu es homo, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii. & Spiritus Sancti.*

Digitized by Google

Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ, asserentis, posse infantes baptizari in utero matris in voto parentum, & in nomine Sanctissimæ Trinitatis, si mortis periculum immineat, respondetur, fidem parentum in veteri lege non justificasse infantes periclitantes in utero matris, sed tantùm post nativitatem ex utero, neque fuisse remedium adeo facilè & obvium, sicut baptismus in lege evangelica, difficiliùs enim tunc fuit verum actum fidei elicere, quia Christus credebatur tantùm futurus, quapropter falsum est, fidem fuisse medium efficacius in lege veteri, quàm baptismum in lege evangelica, etenim faciliùs nunc est invenire aquam, & Ministrum, seu personam quamlibet volentem baptizare, quàm tunc elici à parentibus verum actum fidei. Ad secundum, & tertium respondetur, Deum quoad se instituisse baptismum pro quovis hominum statu, & tantùm per accidens contingere, ac esse casum fortuitum, quod infantes decedant in utero matris, perinde ac fortuitum est, quod aliquando non reperiatur aqua ad baptizandum infantem natum à matre peregrinante per arescentem Arabiæ desertum, ac interim infans natus hinc decedat sine baptismo, ut etiam dicitur per accidens contingere Ministrum, non habere intentionem baptizandi, quando actu baptizat. Natura per se intendit nativitatem infantium, & per accidens se habet, si decedant ante nativitatem, unde non est inconveniens, dare statum hominum incapacium justificationis seu baptismi per accidens, & contra intentionem naturæ, & inde patet solutio ad tertium. An verò possit Ecclesia permittere, vel etiam statuere, ut infantes periclitantes in utero matris baptizarentur aqua, sed non contactu immediato, & attingente ipsum infantem, sed mediato, abluente ipsum uterum matris, vel quid aliud, in quo fœtus involvatur, si forma proferatur sub hac conditione directa ad ipsum infantem: *Ego te existentem in hoc utero, si capax es, baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, non ausim decidere, quia posita tali conditione non videtur fieri injuria Sacramento, & fœtus in utero est pars uteri, cujus est fructus.

C A P U T VIII.

An recte baptizentur parvuli ante usum rationis, referuntur, & refelluntur aliquot errores Hæreticorum.

Hæretici, qui dicuntur Anabaptistæ, censent, neminem esse baptizandum ante usum rationis, & eos omnes parvulos arcent à susceptione baptismi, qui nondum sunt septennes, nec nondum perfectum exercent rationis usum, & ea nituntur ratione, quia Christus Salvator dixerit, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, ex quo inferunt actum fidei circa mysteria revelata debere baptismum præcedere: & quia infantes ante usum rationis non valent mysteria fidei percipere, ac discernere, inde concludunt, non posse actum fidei prærequisitum ad baptismum elicere, consequenter nec esse capaces baptismi; Verùm si Christus dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, & Matth. 19. dixit Discipulis suis: *Sinite parvulos ad me venire, talium enim est regnum cœlorum.* Non possunt autem parvuli ad Christum accedere, & participes fieri regni cœlorum, nisi baptizarentur, quia autem baptismus est janua, extra quam nemini patet accessus ad Christum, ac regnum cœlorum, ergo cùm velit Christus parvulos ad ipsos venire, & dicat, illorum esse regnum cœlorum, procul dubio baptizandi sunt, cùm expresse dicat Salvator Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei.* Hinc

Asserendum est rectè, ab Ecclesia baptizari parvulos ante usum rationis. Ratio est, quia Christus Sacramentorum Institutor non exigit in parvulis, ut baptizentur, usum rationis, quapropter in Constitut. Apostol. Lib. 6. cap. 15. habetur: *Baptizate quoque parvulos vestros, & educate eos in præceptis Dei*, ubi notandum est, quod priùs jubentur parvuli baptizari, & postea Dei præcepta edoceri, ac demum in eorundem observantia educari, unde non est necesse parvulos, ut baptizentur, priùs edoceri præcepta Dei, consequenter possunt baptizari, & laudabiliter ab Ecclesia baptizantur ante usum rationis & septennium. Præterea, quia Sancti Patres expresse asserunt, parvulos esse baptizandos ex consuetudine Ecclesiæ, quamvis nondum usum attigerint rationis, ut asserit S. Dionysius de *Ecclesiastic. hierarch. cap. ult.* D. Augustinus *epist. 28. & 29.* Rursus infantes esse ante usum rationis ex Apostolica traditione asserit Origenes lib. 5. cap. 6. ad Roman. ubi ait: *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare*, idque Causæ fuit Concilio Milevitano, ut anathemate percuteret asserentes parvulos ante rationis usum non esse baptizandos, ait enim Milevitana Synodus: *Placuit, ut qui parvulos recentes ab uberibus matris baptizandos esse negat, anathema sit.* Neque ullum facessit negotium, quod asserunt Sectarii, hos parvulos absque fide baptizari, siquidem in iisdem perinde est baptizari, ac credere, quia ipsa baptismi actio fidei est professio, sicut etiam de sanctis parvulis Innocentibus canit ecclesia: *non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Sicut igitur mors potuit in parvulis illis innocentibus esse confessio, ita in aliis baptismi actio est fidei confessio, quapropter ait D. Augustinus de peccator. merit. cap. 27. *Parvuli actu credunt, partim re ipsa, dum baptizantur, & partim aliena fide*, & serm. 10. de verb. Apostoli eleganter ait: *Accommodat mater Ecclesia infantibus aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut confiteantur*, & Lib. 1. cap. 22. contra secundam epistolam Pelagii ait: *In Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt*, & epistola, quam direxit ad Dar-

da-

damnum, ait: *Mirabile est, & tamen verum, quod in multis Deus non habitat, qui eum noverunt, ut in Philosophis, de quibus Apostolus ait: Cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt: & è contra in multis habitat, qui eum non norunt, ut in parvulis baptizatis:* Supponit igitur Augustinus, hos parvulos nondum attigisse usum rationis, eò quia nondum Deum cognoscant. Propterea baptismo indigent, ne si decedant ante usum rationis, perpetuo sint carituri cœlesti gloria: quinimò S. Hieronymus ostendit, parentes Christianos peccato obstrictos esse, si eorundem infantes non baptizentur in ætate, qua contradicere non possunt, ergo ex scripturis, traditionibus Apostolicis, Conciliis & Sanctis Patribus, perspicuum est, parvulos esse omnino baptizandos, quamvis nondum usum attigerint rationis.

Sed dices, Joannem Baptistam non baptizasse parvulos, sed adultos: ergo parvuli ante usum rationis sicut sunt incapaces veræ doctrinæ, ita & baptismi, sed contra, quia Baptismus Joannis Baptistæ non habuit illam virtutem sanctificandi baptizatos, sicut baptismus Christi; etenim cum ad finem vergeret lex Mosaica, *præcursorium institutum fuit Sacramentum seu baptisma Christi*, ait D. Augustinus Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 56. *Quo Christus à Joanne in Jordane baptizaretur, & baptismum consecraret*, & ut Christus inciperet in Israël manifestari, quapropter ait de Christo Joann. 1. *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*, unde baptismus Joannis fuit tantùm sola figura, vel adumbratio veri baptismi Christi, & quædam præparatio, qua homines disponebantur tripliciter ad Christi fidem suscipiendam, quatenus primo se assuefacerent ad ritum baptismi Christi, secundò, ut se disponerent per pœnitentiam ad effectum baptismi Christi, quapropter ait S. Gregorius homil. 7. in Evangelia, *& qui prædicando factus est Præcursor Christi, etiam baptizando, Præcursor ejus fieret imitatione Sacramenti. Et tandem, ut viam hominibus aperiret, ac sterneret, ut facilius accederent ad Christi baptismum suscipiendum.* Hinc baptismus Joannis non contulit gratiam, quam confert baptismus Christi, ut censent plures Calvinistæ, produxisse etiam baptismum Joannis gratiam, & sanctificâsse. Sed dogma fidei Catholicæ est, Baptismum Joannis non habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, id enim evincitur ex consensu quatuor Evangelistarum, & etiam ipsius Joannis, etenim Matth. 3. ad eos, qui ad se veniebant baptizandi, ne plus aliquid accepturos se putarent, quàm revera accepturi essent, hæc verba protulit: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Marci 1. *Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto.* Luc. 3. *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte esset Christus; Respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus corrigiam calceamentorum ejus solvere, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni.* Joann. 1. 27. *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam corrigiam ejus calceamenti.* Et postea nonnullis interjectis ait: Se tantùm baptizare ut Ministrum, inquiens: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ex quibus claret discrimen inter utrumque baptismum Joannis, & Christi, eò quia baptismus Joannis solùm corpus abluebat, & mundabat aqua: baptismus verò Christi homines interius per Spiritum Sanctum abluebat animam, à qua maculas abstergebat peccatorum, & cui gratiam divinæ adoptionis conferebat, quod discrimen etiam significavit ipse Joannes Præcursor verbis illis Joann. 3. *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur, qui de cœlo venit, super omnes est*, & horum verborum sensus est, quod totum Joannis ministerium, collatum cum Christi ministerio, terrenum erat, & gratiæ cœlestis vacuum, Unde Tertullianus Lib. de baptism. cap. 10 ait, loquens de baptismo Joannis: *Nam quod prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est; siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præparare: Qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. Ipse profitetur sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo: Qui de terra est, de terra loquitur: Qui de supernis venit, super omnes est. Item in sola se pœnitentia tingere venturum, mox qui tingeret in Spiritu, & igni, scilicet aqua vera & stabilis aqua fides, qua tingitur in salutem, singulata autem est infirma igni tingitur in judicium.* Et S. Joannes Chrysostomus homil. 10. in Matth. dilucidè explicat; quo pacto Joannes prædicaverit baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum, inquiens: *Quamquam remissionem hoc baptisma non habebat, sed hoc, munus illius baptismatis erat, quod postea Christus instituit: in hoc enim una sepulti sumus, & vetus homo noster tunc simul crucifixus est: & ante crucem nusquam prorsus extitit remissio peccatorum; siquidem ubique ipsius hoc sanguini deputatur. Idem enim istud Paulus affirmans 1. Corinth. 6. inquiens: Sed emundati estis, sed sanctificati estis, non per baptisma Joannis, sed in nomine Domini Nostri Jesu Christi, & Spiritu Dei Nostri. Actor. 1. ut etiam Luc. 3. ait: Joannes quidem prædicavit baptismum pœnitentiæ, non ait remissionis; sed ut crederent in advenientem post eum, quia, cùm nondum pro peccatis mundi hostia fuisset oblata, cùm necdum Spiritus Sanctus descendisset, quomodo remissio peccatorum facta dicitur? ita illud baptisma alterius, id est, Christi præparatio est:* unde baptismus Joannis non remittebat peccata, nec gratiam infundebat, sed tantùm disponebat ad remissionem peccatorum, & gratiam sanctificantem, & adoptantem suscipiendam per baptismum Christi, qui erat baptizaturus in Spiritu Sancto, & igni, ut significaretur indulgentia peccatorum, justificatio, sanctificatio, liberatio, filiorum adoptio, fraternitas, & cohæreditas communis cum Christo. Et D. Ambrosius Lib. 2. in evangelia Lucæ explicans verba illa: *Ego vos aqua baptizo*, & postea comparans baptismum Joannis cum baptismo Christi,

Digitized by Google

Christi ait: *Illud fuisse baptisma pœnitentiæ, & istud baptisma gratiæ.* Unde quidquid sit, an Joannes baptizaverit solos in defecto eum sequentes, & non parvulos nondum septennes, & ante usum rationis id nil officit, quia baptismus Joannis non conferebat gratiam sanctificantem, nec delebat maculam peccati originalis, proinde non fuit parvulis necessarius ad assecutionem æternæ salutis, sicut baptismus Christi, qui & peccata remittit, & maculam originalis abstergit, & gratiam sanctificantem infundit.

Quòd verò ad cæremonias, quibus consueverat baptismus ministrari, ecclesiæ consuetudo fuit, ut adulti, qui erant baptismum suscepturi, prius in catechumenatu mysteria nostræ fidei vivæ vocis ministerio concrederentur: neque quisque eorum baptizaretur ex præscripto Concilii Constantinopolitani VI cap. 6. nisi symbolum Apostolorum & orationem dominicam memoria retineret, ac renuntiaret diabolo, pompisque ejus, quapropter Apostolus ad 1. Timoth. 6. ait: *Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es; confessus bonam confessionem coram multis testibus*: quod explicans D. Hieronymus in Lib. annotat. ait: *Confessus es bonam confessionem in baptismo renuntiando sæculo, & pompis ejus.* Et colligitur ex Constitutionibus Apostolicis lib. 3. c. 18. *Qui baptizatur, sit ab omni impietate alienus, hæres Dei Patris, cohæres Filii sui, qui renuntiaverit Sathanæ, & fraudibus suis*, post renuntiationes distribuebatur pallium Catechumenis, ut relicta toga, quæ insigne erat humilitatis, pallium, quod abjectionem, ac humilitatem referebat, omnes induerent, cujus consuetudinis meminit Tertullianus Lib. de pallio cap. 5. inquiens: *Cum hanc primum sapientiam vestis, quæ vanissimis superstitionibus renuit; tunc certissimè pallia super omnis exuvias, & peplos augusta vestis*, & ab hac consuetudine, teste eodem Tertulliano, suam traxit originem adagium illud: *A toga ad pallium*, quo Ethnici recentes Christianos irridebant: fuit pallium subnigri coloris, ut pœnitentiam indicaret, & usus pallii suum habuit initium tempore Apostolorum, & postea commune fuit Christianorum indumentum: sed moris postea fuit decursu temporis, ut soli Monachi pallium induerent, quos propterea Sulpitius Severus epistola ad Besul. vocat *agmina palliata*, quapropter ex Ethnicis nemo baptizabatur, quin fidei præmitteret confessionem, quæ consuetudo ab Apostolis ad nos processit, hinc in Act. Apostol. cap 8. Eunucho petenti baptizari, respondet Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Et respondens ait: *Credo Filium Dei esse Iesum Christum.*

Quia verò sub primis ecclesiæ initiis baptisteria fixa nondum erant in usu, ideo baptizabantur, qui Christiani fiebant, interdum in fluminibus, ut meminit Tertullianus Lib. de baptis. cap. 1. inquiens: *Neque quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tybere tinxit.* Et in Act. Apostolor. cap. 16. D. Paulus Mulierem Lidiam Sacro baptismate in fluvio insignivit. Et Honorius Augustodunensis narrat. in Lib. de gemma animæ, Apostolos non solùm in fluviis, verùm etiam in fontibus, & stagnis consuevisse homines baptizare, & Mediolani adhuc extat fons, quo P. Barnabas Apostolus ministrando Sacramenta baptismi utebatur: quinimò etiam in publicis viis consueverant Apostoli baptismum conferre, ut constat ex Act. Apostolor. cap. 8. ubi Eunuchus Reginæ Candacis, cum iter ageret cum Philippo, & ad quandam perveniret aquam, dixit Apostolo: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Consuetudo tamen baptizandi primis illis Ecclesiæ temporibus fuit per trinam immersionem, non verò per infusionem, vel aspersionem, eò quia verbum baptizare idem significat, ac immergere: quapropter S. Joannes Chrysostomus *homil. de fide in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum* ait: *Omnibus mysteriis veluti sigillum imponens Dominus in tribus mersionibus aquæ unum baptisma Discipulis suis tradidit, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cùm vero in Act. Apostolor. cap. 2. D. Petrus dicatur baptizasse uno die tria millia hominum, suboritur difficultas, an per immersionem vel per solam aspersionem id præstiterit, quia plus temporis requirebatur ad trinam illam immersionem, quàm ad simplicem aspersionem: nihilominus cùm dies ille æstivus fuerit, seu cæteris longior, censent ferè communiter Patres, tunc Petrum contulisse baptismum per trinam consuetam immersionem, quia tempus videbatur sufficere: præsertim cùm tunc temporis multæ solennitates, ac cæremoniæ, quæ nunc in conferendo baptismo solenniter adhibentur, nondum fuerit in usu. Præterea baptizandi recti stabant, terque mergebantur in aquam, adeo, ut totum corpus mergeretur, & hanc consuetudinem perseverasse usque ad tempora S. Gregorii, refert Pamelius in epist. 76. S. Cypriani, adeo, ut mos leviter tingendi baptizandos, tantùm suum habuerit initium in Ecclesia occidentali circa annum à Christi nativitate 857. idque ob imbecillitatem parvulorum, quorum plures non patiebantur hanc trinam immersionem toto corpore in aquam, & quia nonnisi rarò tunc contingeret, ut adulti baptizarentur; quia verò nonnulli ex Hæreticis putârunt, per hanc trinam immersionem tres significari naturas divinas in tribus personis; ideo S. Gregorius Magnus decrevit, unam tantùm imposterum fieri immersionem, ut constat ex epistola 41. quam dixerit ad Leandrum. Cæterum ante Gregorii decretum in singulis mersionibus nomen trium divinarum personarum proferebatur; & quælibet mersio baptismalis in modum crucis fiebat, ut notat Tertullianus lib. adversus Praxeam cap. 16. ut nimirum significaretur, à Christi morte, quæ in crucis signo peracta est humanæ redemtionis merita profluxisse, quapropter D. Augustinus serm. 119. ad competentes ait: Lancea perforatum est latus Christi, & manavit pretium nostrum, ideo signo crucis signatur baptismus, id est, aqua, ubi tingimini. Nudi etiam baptizandi accedebant ad fontem baptismi, adeo ut etiam partes obscœnæ velamine carerent, ut notat Metaphrastes in vita S. Sylvestri, ubi de Constantino Magno ait: *Hæc cùm audisset Imperator, & latus probrum carnis subjecisset oculis, & unctus fuisset sancto Chrysmate, ingressus est piscinam.* Quod etiam advertit Vicecomes Tract. de ritibus baptismi lib. 4. cap. 10. Mulieres itidem in lavacro sejunctò à viris nudæ à Sacerdote baptizabantur, ut scribit S. Joannes Chrysostomus epist. ad Innocentium Papam, & legitur in ejus vita, quam scripsit Palladius, ubi ait: *Mulieres, quæ intra Ecclesiam, ut baptizarentur, sese veste nudaverant, per idem tempus nudæ surgebant, neque sexus verecundia,*

&

& honeſtati permittebantur pro pavore conſulere. Unde S. Ambroſius ſerm. 10. ait: *Nudi accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque, & expediti ad cœli januam properemus. Quàm autem incongruum, ut quem nudum mater genuit, nudum ſuſcepit Eccleſia, dives velit intrare in cœlum.* Idque cauſa fuit, cur viris & mulieribus diverſa aſſignarentur loca, in quibus baptizarentur, quia cum plures primis illis temporibus utriuſque ſexus ſuſciperent baptiſmum, quo veſte nudari oporteret, ideo in diverſis, & quidem clauſis locis lignis hinc inde terra exſurgentibus baptizarentur: & S. Cyrillus Hieroſolymitanus in præfat. Catech. monet, ut viri cum viris & mulieres cum mulieribus baptizentur, ſed conſultius poſtea Eccleſia hanc abolevit conſuetudinem, & aliam longè minoribus obnoxiam incommodis inſtituit, ſervata tamen ſemper eadem forma, & materia baptiſmi, quæ cùm ſint de jure divino, non poſſunt ab Eccleſia immutari, ſicut ritus Eccleſiaſtici, qui ſunt tantum accidentales, & extra eſſentiam baptiſmi. Demum baptizati veſte candida induebantur, ut ſignificaretur omnem maculam fuiſſe ab anima beneficio baptiſmi deterſam; & ut Neo-Chriſtiani diſcerent poſt ſuſceptum baptiſmum ſanctam, & immaculatam inſtituere vitam, quapropter Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſ. 5. Myſt.* ait: *Exutis veſtibus antiquis, & iis, quæ ſecundum ſpiritum albis indutis perpetuò jam in albis incedere oportet.* Parvuli itidem poſt ſuſceptum baptiſmum nonniſi candidis veſtiebantur indumentis, ut notat Niſſenus orat. 3. de Feſto Paſchæ, ubi ait: *Puellus infans mutatione veſtis ſenſu externo feſtum colit, quandoquidem interiori animi ſenſu nondum poteſt:* & Lactantius loquens de reſurrectione Domini alludens ad hanc veſtem candidam piè cecinit:

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niveo gaudia Paſtor habet.

Quòd ad errores Hæreticorum contra parvulorum baptiſmum attinet, hi ad quatuor principaliora reducuntur capita. Primus enim error fuit Anabaptiſtarum, qui ſimpliciter negarunt, licere parvulos baptizari, eò quia nondum ſint capaces aſſenſus fidei: quem errorem innuimus, ſimulque breviter rejecimus. Secundus eſt error Pelagianorum, aſſerentium illicitum baptiſmum in remiſſionem alicujus peccati, eò quia exiſtimaverint, parvulos nullo naſci infectos peccato. Tertius eſt Lutheri, Chemnitii, & aliorum docentium, baptiſmum eſſe quidam parvulis neceſſarium ad ſalutem, ac remiſſionem peccati originalis: ſed ad hunc finem eis non prodeſſe, niſi beneficio aſſenſûs fidei, putantes, parvulos, cum baptizantur, hanc divinitus habere fidem, hoc tamen diſcrimine, ait Kemnitius, quia adulti, cùm actualiter baptizantur, experiuntur ſe habere hunc fidei aſſenſum; quem parvuli non ſentiunt, tametſi divinitus eam habeant in corde. Quartus error eſt Calvini, aſſerentis, licitum quidem eſſe, parvulos baptizare in remiſſionem peccati; ſed hanc remiſſionem filiis parentum fidelium non contingere beneficio baptiſmi, quem tantùm vocat ſignum talis remiſſionis; neque ratione alicujus aſſenſûs fidei, in quo diſſidet à Luthero; ſed ex promiſſione divina, adeo, ut ex eo præcisè juſtificentur, quia filii ſunt parentum fidelium; qua ratione, ſi contingeret, eos ſine baptiſmo mori, adhuc ait, æternam fore ſalutem conſecuturos.

Contra tamen primum errorem aſſerimus, omnes homines, proinde etiam infantes, quamvis non utentes uſu rationis, eſſe baptizandos ad obtinendam peccati originalis remiſſionem: eſtque aſſertio dogma fidei, & deſumitur ex ſacris ſcripturis, ad Rom. 8. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Ratio itidem ex eo deſumitur, quia omnes illi per lavacrum regenerationis, ſeu baptiſmum indigent regenerari ſpiritualiter, qui fuerunt ſpiritualiter in Adamo mortui divinæ gratiæ; ſeu per naturalem generationem contraxerunt peccatum originale, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ;* oſtendit enim Apoſtolus toto illo capite, quod ſicut omnes homines in Adamo peccaverunt, & per peccatum mortui ſunt: ita omnes homines ſive parvuli, ſive adulti, ſive mares, ſive fœminæ indigent liberari à peccato, & vivificari ſpiritualiter per gratiam JEſu Chriſti, quod etiam Apoſtolus repetit 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur:* Sed omnes homines, ſive parvuli, ſive adulti, mares, et fœmellæ (una excepta Chriſti matre ex ſpeciali privilegio) contraxerunt, & contrahunt per naturalem generationem peccatum originale, ut conſtat ex Apoſtolo: ergo ſi omnes homines, etiam parvuli indigent baptizari ad obtinendam remiſſionem peccati originalis: Hinc Chriſtus Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum:* ſeu niſi quis baptizatus fuerit: parvuli autem etiam decedentes ante uſum rationis ſunt capaces cœleſtis gloriæ; & Deus, ut ait Apoſtolus, 1. ad Timoth. 2. *vult omnes homines ſalvos fieri:* ergo debent baptizari.

Oſtenditur ſecundò, quia certum eſt de fide, Chriſtum per merita ſuæ paſſionis redemiſſe totum humanum genus, & pretium infinitum ſui ſanguinis ſolviſſe, ac propterea eſſe univerſalem omnium Redemptorem, nemine excepto, cùm pretium ſolutum infinities excesserit homines redemptos: ergo etiam parvuli, cum & ipſi homines ſint, fuerunt à Chriſto redempti: ergo debuit & ipſis applicari remedium aliquod, cujus beneficio poſſent æternam & ipſi ſalutem conſequi, & virtus paſſionis Chriſti in ipſos derivetur: hoc autem remedium eſt ipſe baptiſmus, cujus propterea ſunt parvuli capaces, ac debet ipſis applicari: conſequenter ante uſum rationis ſunt capaces baptiſmi, & debent baptizari, ut æternam conſequantur ſalutem. Cum enim parvuli nondum ſeptennes, nondum utentes ratione, ſint capaces cœleſtis gloriæ, debent & ipſis ſuppeditari media, quibus eandem ſibi enanciſcantur: ait Chriſtus, Matth. 19. loquens de parvulis: *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum:* parvuli autem non veniunt ad Chriſtum, niſi per baptiſmum, quo mundantur à macula peccati originalis, & per ſuſceptam gratiam ſanctificantem adaptantur in Dei filios, & cohæredes, ac fratres Chriſti: etenim ex omnibus mediis inſtitutis, ad Chriſti merita participanda, nullum, præter baptiſmum, poteſt ad parvulos pervenire. Duo enim ſunt genera mediorum, unum comprehenſum in pœnitentia ſalutari, & actu charitatis, ac contritionis, ac veræ reſipiſcentiæ: alterum in uſu Sacramentorum: media primi generis non poſſunt parvulis appli-

applicari, quia eorundem non sunt capaces: debet siquidem charitas esse ex corde puro, ut conjuncta cum fide non ficta, ut loquitur Apostolus, 1. ad Timoth. 1. Fides pariter ex auditu, & exigit liberum arbitrium propriæ voluntatis consentientis, cujus parvuli recens in lucem editi non sunt capaces: quod ad media attinet secundi generis, parvuli sunt capaces baptismi, qui est janua, per quam ingrediuntur ecclesiam, & fiunt capaces aliorum Sacramentorum; ergo ex eo, quod Christus sit universalis omnium hominum Redemptor, & etiam parvulorum, debet iisdem applicari remedium baptismi, cujus beneficio deriventur ad illos merita passionis Christi, & liberentur à peccato originali, & salutem consequantur æternam.

Suaderi potest ulterius, quia hæc eadem veritas: quia, quotquot possunt ecclesiam Christi ingredi, seu adsciscì numero fidelium, ac esse membra ecclesiæ, necesse est, possint baptismum suscipere, cùm fuerit baptismus institutus à Christo, ut janua, per quam pateat ingressus ad ecclesiam: sed Christi ecclesiam possunt omnes etiam parvuli ingredi, quia possunt numero aggregati fidelium, ac fieri membra ecclesiæ: sicut enim Christus vult omnes homines salvos fieri, & sicut medium necessarium ad æternæ salutis assecutionem est baptismus: ita vult etiam omnes non solum adultos, sed etiam parvulos esse capaces baptismi, sine quo non possent salutem consequi. Hinc Deus per prophetam suum Joël. 2. ait: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*: scilicet impertiam meam gratiam omnibus etiam parvulis per baptismum. quia ut scribit Apostolus, 1. ad Timoth. 2. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Præterea Actor. 10. & 16. constat; sub ecclesiæ initiis integras domus fuisse baptizatas, in quibus erant parvuli nondum septennes, nondum utentes usu rationis. Demum Christus in Evangelio, Matth. 18. ait: *Sinite parvulos ad me venire*; scilicet non pedibus ambulantes, sed baptismo ablutos, sed per gratiam purificatos: ergo nulli est dubium, quin possint, ac debeant parvuli baptizari, ut specialiter regenerentur, & mundentur ab originali, ac recipiant gratiam sanctificantem. Hinc usus parvulos baptizandi, antequam ad usum perveniant rationis, ex Apostolica traditione semper viguit in ecclesia, ut testantur SS. Patres; Dionysius de ecclesiastica Hierarchia cap. 7. Cyrillus Hierosolymitanus, Cyprianus, Augustinus, & Concilium Milevitanum, Origenes lib. 5. cap. 6. loquens de peccato originali, ad quod delendum, consuevit ecclesia parvulos ante usum rationis baptizare ait: *De hac etiam David dixisse, credendus est illud: quia in peccato concepit me mater mea: secundum historiam enim nullum matris ejus declaratur peccatum. Pro hoc ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare. Sciebant enim illi; quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam, & spiritum ablui deberent.* S. Cyprianus epist. 49. ad *Fidum* scribens ait: *Quantum verò ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum, qui natus est, baptizandum & sacrificandum non putares: longe aliud in Concilio nostro omnibus visum est: in hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei, ut gratiam denegandam: nam cum Dominus in evangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est.* Et aliquibus interiectis subdit: *Propter quod neminem putavimus, à gratia consequenda impediendum esse ea lege, quæ jam statuta est, neque spiritualem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere; sed omnem omnino admittendum ad gratiam Christi; quando & Petrus in Actis Apostolorum loquatur, & dicat: Dominus mihi dixit, Neminem hominum communem dicendum, & immundum. Cæterum, si aliquid hominem impedire posset ad consecutionem gratiæ, magis adultos, & provectos, & majores natu possent impedire delicta graviora.* Et infra: *A baptismo, & gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit, atque retinendum, magis circa infantes ipsos, & recens natos observandum putamus.* Hoc idem pluries declaratum fuit in pluribus conciliis contra hæreses Pelagianorum, Anabaptistarum, & Calvinistarum: & præsertim in Tridentina Synodo, quæ anathematizavit asserentes oppositum: *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi in ea ætate, quâ Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit*, respondent Hæretici, pueros ex parentibus fidelibus natos sanctos esse, consequenter sine baptismo posse æternam consequi salutem: antecedens probant, quia Apostolus 1. ad Corinth. 7. v. 14. ait: *Filii vestri immundi essent, nunc autem mundi sunt.* Præterea quia pertinent ad pactum, quod Deus pepigit cum Abrahamo, Genes. 17. ubi ait: *Ero Deus tuus, & seminis tui*, ex quo inferunt, baptismum non esse necessario conferendum filiis fidelium, sed esse quid liberum, quod pro placito parentum potest omitti. Sed contra falsum est, filios fidelium nasci sanctos, quia cùm & ipsi descendunt per carnalem generationem, ab Adamo, contrahant & ipsi originale, ad quod delendum est ipsis necessarius Baptismus, ut remedium à Christo institutum, pro macula peccati originalis delenda, quapropter Baptismum non esse liberum, sed necessariò conferendum filiis fidelium, ut possint æternam consequi salutem, definivit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit*, nec ullum facessit negotium illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. Quia Apostolus ibi vocat filios fidelium, mundos, & Sanctos, eò quia à parentibus destinentur sanctitati, seu baptismo, cujus beneficio sanctificautur, & in religione Christiana educantur, proficientes in studiis pietatis, & exercitio virtutum, in quo sensu scripsit Apostolus: *Filii vestri immundi essent*, hoc est, nisi baptizarentur, nisi à macula originali mundarentur. Nunc autem *sancti sunt*, quia aqua baptismatis abluti, & à macula originali emundati, ac Dei gratia corroborati vitæ sanctitati student, & se operibus pietatis, & christianæ religionis exercent. Ad aliud, quod addebatur de pacto à Deo inito cum Abrahamo, ejusque posteris, respondetur, pactum illud ad eos tantùm pertinere, qui verè sunt filii Abraham, filii autem fidelium non sunt filii Abraham carnali generatione, sed spirituali regeneratione, ait enim Apostolus ad Roman. 4. v. 13. *Non enim per legem promissio Abrahæ aut seminis ejus facta est, sed per justitiam fidei; nec qui filii carnis, hi filii Dei;*

sed

ſed qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ: & benedicentur cum fideli Abraham. Vult enim Apoſtolus, tunc nos incipere eſſe filios Abrahæ, quando incipimus fidem profiteri, ac eſſe fideles, hoc autem parvuli non conſequentur niſi beneficio baptiſmi.

Aſſerendum ſecundò, ad baptiſmum parvulorum nullum exigi actum fidei elicitum ab ipſis parvulis, quando actualiter baptizantur: ſed ſufficere illis habitum fidei, qui unà cum gratia ſanctificante iis infunditur in ipſo baptiſmo et actualem Eccleſiæ fidem, ratio eſt, quia quòd parvuli non poſſunt ullo modo per naturam; imò neque per gratiam ſecundùm legem ordinariam, in baptiſmo præſtare id ab iiſdem ſecundùm legem ordinariam non poteſt requiri ad hoc, ut valeant æternam conſequi ſalutem; ſed parvuli non poſſunt ullo modo per naturam, imò neque per gratiam ſecundùm legem ordinariam, quando actualiter baptizantur ante uſum rationis elicere hunc actum fidei, ergo ab ipſis non requiritur hæc fides propria actualis. Major per ſe liquet, quia non poteſt quis à me de lege ordinaria exigere, quod de eadem lege eſt mihi impoſſibile poſſe præſtare: ſiquidem deficiente potentia, neceſſe eſt, deficiat etiam actus. Minor eſt etiam probatu facilis, quia cum parvuli careant uſu rationis & libertatis nequeunt elicere actum fidei, quia hic debet liberè elici. Quod nec etiam per gratiam ſecundùm legem ordinariam poſſint talem actum elicere, ex eo conſtat, quia nullibi legimus, quod Deus ſuppeditet parvulis, cum baptizantur ſpeciale auxilium, quo juventur ad eliciendum hunc fidei actum, cujus ſunt parvuli ex ſe incapaces, cum neſciant diſtinguere inter bonum, & malum, careantque uſu rationis; quapropter ad parvulorum baptiſmum tantùm requiritur communis fides Eccleſiæ abſque ullo alio actu, qui eliciatur à parvulo, quando actualiter baptizatur; hinc D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. cap. 23. ad Catholicam noſtram firmandam aſſertionem ait: *Piè, rectèque creditur prodeſſe parvulo eorum fidem, à quibus conſecrandus offertur; & hoc Eccleſia commendat ſaluberrima authoritas, ut & quiſque ſentiat, quid ſibi proſit fides ſua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, poteſt aliena commendari.* Aſſerit Auguſtinus, fidem offerentium prodeſſe parvulis, qui baptizantur, idque confirmat exemplo mulieris viduæ in evangelio, cujus fides profuit defuncto Filio, ut ſuſcitaretur à Chriſto, & oſtendit, quomodo aliena fides poſſit parvulis baptizandis prodeſſe, quamvis nondum capaces ſint propriæ actualis: explicans poſtea qui ſint hi offerentes, quorum fides prodeſt parvulis baptizandis, ait Epiſt. 23. ad Bonifacium: *Offeruntur parvuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quamvis & ab ipſis etiam, ſi & ipſi boni fideles ſint, quàm ab univerſa ſocietate ſanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque rectè offerri intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur*: ergo fides Eccleſiæ prodeſt parvulis baptizandis, & ſufficit, ut gratiam ſuſcipiant juſtificantem, emundentur ab originali, quamvis nullum eliciant actum fidei, quapropter ait S. Gregorius Nazianzenus orat. ad Sancta Lumina ad rem noſtram: Parvulos in baptiſmo ſine ſenſu ſanctificationis ſanctificari, ſcilicet abſque ullo ab iiſdem actu elicito.

Objiciunt tamen Hæretici, quia in baptiſmo non juſtificantur parvuli ſine aliqua Spiritus ſancti operatione: ergo excitat in parvulis, cum baptizantur, actum fidei. Non enim abſurdum cenſendum eſt, parvulos tunc elicere actum fidei; cùm & ipſe Joannes Baptiſta exultaverit in utero matris. Sed contra, quia ex eo, quod Spiritus ſanctus aliquid operetur in parvulis cum baptizantur, non tamen inde ſequitur debere parvulos elicere actum fidei: ſiquidem Spiritus ſanctus operatur tunc non excitando in parvulis actum fidei, cujus nondum cenſentur capaces, ſed infundendo in parvulorum mentibus habitus gratiæ ſanctificantis, & fidei, & ſpei, ac charitatis, ut generatim de omnibus, qui juſtificantur, definitum fuit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* Unde ex eo, quòd Spiritus ſanctus operetur aliquid in parvulis cum baptizantur inde non rectè infertur, ergo excitat in parvulis actum fidei; quia operatio Spiritus ſancti eſt ipſa infuſio gratiæ ſanctificantis una cum habitibus fidei, ſpei, & charitatis, non autem excitatio actus fidei, cujus parvuli nondum cenſentur capaces. Neque urget, quod addebatur de exultatione Joannis Baptiſtæ in utero matris, quia, ut rectè notat D. Auguſtinus epiſt. 57. ad Dardanum non conſtat, qualis illa fuerit exultatio an mentis, & liberi arbitrii, an verò ſolius corporis, adeo ut fuerit tantùm motus aliquis extraordinarius corporis; ait Auguſtinus: *Neque enim dixit Eliſabeth, exultavit in fide infans in utero meo: ſed exultavit in gaudio. Videmus autem exultationem non ſolùm parvulorum, ſed etiam pecorum.* Rurſus addit Auguſtinus, quod tametſi uſus rationis in Joanne Baptiſta fuiſſet acceleratus, ut intra materna viſcera potuiſſet agnoſcere, credere, ſentire, id tamen non contigiſſet ſecundùm legem ordinariam, ſed ex ordinaria, & recenſendum eſſet inter miracula; ait enim Auguſtinus in præcit. epiſt. 1. *Non ad humana habendum exemplar naturæ, ut loquitur Auguſtinus: quia quando Deus voluit etiam jumentum mutum rationabiliter eſt locutum, neque inde admoniti ſunt homines in deliberationibus ſuis etiam aſinina expectare conſilia, quocirca neque quod factum eſt in Joanne Baptiſta, contemno; nec inde regulam, quid ſentiendum ſit de parvulis figo, imo id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non invenio.* Unde non poſſunt Hæretici ex illa exultatione Joannis Baptiſtæ in utero matris ullo pacto inferre, quod parvuli, quando baptizantur, eliciant actum fidei. Quòd ſi dicas, id inferri, eò quia actus fidei debeat neceſſariò præcedere ſuſceptionem baptiſmi, juxta illud Marci 16. *Qui crediderit & & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, ubi generaliter aſſeritur omnem damnatum iri, qui non elicit, cum baptizatur, actum fidei, vel qui non credit in baptiſmo. Neque baptiſmus prodeſſe poteſt ſine fide, quia, ut dicitur Joann. 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Sed infantes non credunt; ergo non debent baptizari. Contra, quia tametſi infantes, quando offeruntur baptiſmo, non credant fide propria, ſed fide aliena, ſcilicet Sponſorum, qui pro ipſis reſpondent, & etiam matris Eccleſiæ, & id ſufficit, ut parvuli illi poſſint, ac debeant, baptizari, quia cum aliena voluntate, ſcilicet Adami, peccave-

Digitized by Google

xint, ita per alienam fidem, & per gratiam secundi Adæ Christi Salvatoris congruum erat, ut justificarentur, ut sicut scribit Apostolus ad Roman. 6. *Ubi abundavit delictum, superabundet & gratia.* Sicut igitur hi parvuli aliena voluntate exciderunt gratia, & mortui sunt, nascentes filii iræ, conveniens [illegible] erat, ut aliena fide per gratiam secundi Adæ [illegible] gratiam [illegible], & ad vitam promoverentur [illegible]. Hinc D. Augustinus epist. 18. ad [illegible]. Credunt [illegible] parvulis [illegible] in corde [illegible] *baptizantur parvulis, quamvis* [illegible] *Spiritum* [illegible]. *Sic* [illegible] *in* [illegible] *&* [illegible] *cujus* [illegible] *quidam* [illegible] *est*, [illegible]. *Hæsitare* [illegible] *in professionibus, & profitendo se* [illegible]. Quod si dicas, non posse infantibus in baptismo prodesse parentum fidem, cum post baptismum non noceat illis parentum impietas eos [illegible] facris initiantium, respondet Augustinus Bonifacio Episcopo, qui hanc ipsi proposuerat quæstionem epist. 98. *Tantam illius Sacramenti, hoc est, baptismi salutaris esse virtutem in Sancta compage corporis Christi, ut semel [illegible] per aliorum [illegible] voluptatem, cum semel regeneratus fuerit per aliorum spiritalem voluntatem, deinceps non possit* [illegible] *aliena iniquitatis* [illegible] *cui nulla* [illegible] *consentit, unde* Ezechiel 18. 4. *Anima enim Patris mea est, inquit, & anima filii mea est, anima quæ peccaverit ipsa morietur. Non autem* [illegible] *compatientes* [illegible] *omnino nescientes* [illegible] *sacrilegia Dæmoniorum. Sed ideo ex Adam traxit, quod Sacramenti* [illegible], *quia nondum erat* [illegible], *id est, altera anima, de qua* [illegible] *& anima Patris mea est, & anima filii mea est. Jam itaque cum homo in se ipso est ab eo, qui* [illegible] *alter est* [illegible], *peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius, traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit admissum est. Non autem trahit alter ab altero* [illegible] *unoquoque propria vita vivente* [illegible], *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* [illegible] *regenerari per officium voluntatis alienæ* [illegible] *consecrandus facit hoc unus spiritus, ex quo* [illegible] *oblatus. Non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex* [illegible], *vel ministrantium fide; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto. Aqua igitur* [illegible] *Sacramentum gratiæ, & spiritus* [illegible] *beneficium gratiæ* [illegible] *culpæ, reconcilians bonum naturæ* [illegible] *in uno Christo, ex uno Adam generatum* [illegible] *ergo spiritus in majoribus offerentibus & parvulo oblato, renatoque communis est*, [illegible] *societatem unius ejusdemque Spiritus prodest offerentium voluntas parvulo oblato. Quando vero in parvulum* [illegible] *peccant offerentes eum atque obligare conantes dæmonum* [illegible] *vinculis* [illegible] *anima utriusque communis, ut etiam culpam possint habere communem. Non enim sic communicatur culpa per alterius voluntatem, quemadmodum communicatur gratia per Sancti spiritus unitatem.* Ostendit Augustinus, quomodo parvuli peccaverint in voluntate Adæ, & non peccent post baptismum in voluntate parentum, & eorum impietate licet in baptismo eorum fide credant, quia nimirum parvuli omnes ex divina pactione includuntur in voluntate Adæ virtualiter, quatenus voluntas capitis dicitur etiam voluntas membrorum, sicut & subditi censentur velle, quod Princeps vult quoad regimen, & bonum commune, ideoque parvuli omnes hac de causa peccarunt in Adamo, & nascuntur infecti macula originali. & David ajebat Psal. 50. *Et in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea.* Postquam vero nati sunt animæ parvulorum, distinguuntur ab illis parentum, consequenter licet parentes sint impii, & peccent, non tamen eorum impietas parvulis nocet, cum ipsi non concurrant ad peccata parentum. Fides tamen parentum in baptismo censetur esse fides actualis parvuli suscipientis baptismum, quia Spiritus sanctus in majoribus offerentibus & parvulo oblato, renatoque communis est: & ideo per hanc societatem unius ejusdemque Spiritus prodest offerentium voluntas parvulo oblato.

Asserendum tertio Baptismum ita parvulis esse necessarium ad assecutionem salutis, ut secundum legem Dei ordinariam non possint per unum aliud medium quàm per solum baptismum salutem consequi, excepto casu, quo occiderentur propter Christum, quia tunc baptismo sanguinis censentur salutem consequi. Ratio est, quia de lege ordinaria ea tantum sunt media ad assecutionem salutis, quæ Deus vel per scripturas, vel per ecclesiam suos edocet fideles: sed præter baptismum in re vel martyrium pro Christo toleratum; nullum aliud medium ad assecutionem æternæ salutis pro parvulis est assignabile ex scripturis vel Ecclesia: ergo parvuli non possunt salutem consequi, nisi beneficio baptismi in re suscepti, vel martyrii pro Christo tolerati. Major per se liquet, quia media ordinaria ad assecutionem æternæ salutis à solo Deo nobis revelantur, ac suppeditantur: siquidem ad finem supernaturalem solus Deus præparat, & dat, & ab ipso solo revelantur, ac docentur homines: unde præter Deum nullus est, qui viam ad salutem aperiat: Minor ostenditur quia præter baptismum aquæ, & martyrium nullum aliud medium Deus edocuit per [illegible] scripturam, vel ecclesiam, quo parvuli possint salutem consequi: non enim ejusmodi medium est assignabile, & è contra illa duo recensita media, baptismum scilicet aquæ, & martyrium sanguinis Deus per scripturam, & Ecclesiam edocuit prodesse parvulis. De Baptismo aquæ satis liquet ex scripturis superius citatis, quibus ostendimus baptismum esse omnibus necessarium ac per ipsum parvulos accedere ad Christum. De medio etiam martyrii patet, quia Deus per Ecclesiam docuit hoc medium, siquidem ecclesia celebrat solemniter diem festorum Sanctorum Innocentium, eò quia ab impio Herode propter Christum necati fuerint: & quamvis eorum plures fuerint ante justificati in circumcisione: valde tamen probabile est, plures eorum Innocentium occisos fuisse, antequam circumciderentur, cum Herodes jusserit occidi omnes parvulos nondum biennes, seu à bimatu, & infra, omnesque recens natos, inter quos probabile est, fuisse plures nondum circumcisos, præsertim

cum

cùm parvuli nonniſi octavo die circumciderentur, & juſſu Herodis omnes indiſcriminatim occiderentur à bimatu, & infra, conſequenter etiam ante octavum à nativitate diem. Rurſus probabile eſt, aliquos ex illis parvulis fuiſſe filios gentilium degentium eo tempore in ditione Herodis, & quibus nondum fuerat applicatum remedium, quo in lege naturæ delebatur originale, ac proinde, quod alio medio non fuerint juſtificati, & ſalutem conſecuti, niſi per martyrium illud, quod juſſu Herodis propter Chriſtum ſubierunt. Hinc Sancti Patres ſemper docuerunt, parvulos per martyrium, quod eſt Baptiſmus ſanguinis, æternam conſequi ſalutem. Et à Theologis communiter rejicitur ut erronea, & contraria authoritati Eccleſiæ ſententia Armacani, & Adriani docentium, martyrium per ſe non prodeſſe parvulis, & Eccleſiam non celebrare feſtum omnium illorum innocentium, ſed eorum duntaxat, qui antea fuerant in circumciſione juſtificati, etenim ex hac opinione ſequeretur, quòd Eccleſia non coleret propriè parvulos illos ut martyres, ſed tantùm ut circumciſos, quod adverſatur communi fidelium ſenſui, & ipſi inſtituto Eccleſiæ celebrantis feſtum omnium illorum parvulorum, qui pro Chriſto juſſu Herodis occiſi ſunt, nullo facto diſcrimine circumciſorum à non circumciſis: ratio autem, cur Eccleſia colat, ac in veneratione habeat omnes illos innocentes, eſt iſta, quia necati fuerunt propter Chriſtum: hæc autem ratio communis eſt omnibus illis innocentibus parvulis, ſive fuerint antea circumciſi, ſive non: Siquidem omnes juſſu Herodis Regis occiſi fuerunt propter Chriſtum, recens in terris natum, & ob hanc rationem coluntur ab Eccleſia. Quòd ſi dicas, non poſſe intelligi, quomodo martyrium poſſit parvulis prodeſſe, cùm ipſi nullum eliciant actum fidei, nullum promant actum charitatis, reſpondetur, videri perquam probabile martyrium juſtificare parvulos, ac in iiſdem cauſare gratiam ſanctificantem ex opere operato; adeo ut martyrium, ſaltem ut cauſa moralis ſecundùm certam aliquam DEI legem conferat gratiam ipſis martyribus, etiam ſi parvulis nondum capacibus actus eliciendi Fidei, & charitatis, quos actus ſupplet pia Mater Eccleſia in ſuis parvulis martyrium pro Chriſto ſubeuntibus, perinde ac in Baptiſmo. Neque ſequitur, martyrium perinde fore Sacramentum, ac Baptiſmum, quia martyrium tantùm æquivalenter, & quoad effectum dici poteſt Sacramentum: in quo ſenſu Baptiſmus dicitur eſſe triplex, fluminis, flaminis, ſanguinis. Cæterum formaliter, & propriè martyrium non eſt Sacramentum, quia non confert gratiam, ut ſignum ipſius ex peculiari inſtitutione Chriſti, non omne, quod cauſat gratiam, eſt formaliter Sacramentum, ſed tantùm illa ſigna ſenſibilia, quæ ex divina inſtitutione fuerunt aſſumpta ad ſignificandam, & cauſandam gratiam, quâ ratione diximus Sacramenta legis evangelicæ non excedere numerum ſeptenarium.

Dices, ſi quæ ratio urgeret aſſerendi, non poſſe parvulos ſalutem conſequi, niſi per Baptiſmum regenerentur, eſſe, quia Joan. 3. Chriſtus dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei*, eſt enim hæc propoſitio univerſalis, quæ comprehendit æquè adultos, ac parvulos, nemine excepto, ſi nomine Baptiſmi intelligatur etiam baptiſmus flaminis, & ſanguinis, ſeu martyrium, & actus charitatis, quo adulti proprio motu divina adjuti gratia juſtificantur. Sed hæc ratio, qua ex divinis Scripturis colligitur, hæc neceſſitas Baptiſmi etiam in parvulis non videtur urgere: quia etiam Joan. 6. Chriſtus dixit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; eſt enim hæc propoſitio æquè univerſalis, ac hæc alia: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ſed non obſtante univerſalitate ſecundæ propoſitionis Joan. 6. non propterea parvuli nondum ſeptennes dicuntur in illo comprehendi, ac teneri Euchariſtiam ſumere, ut valeant ſalutem conſequi: ergo neceſſitas Baptiſmi non probatur in parvulis ex eo, quòd Chriſtus Joan. 3. dixerit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei*; eſt enim utrinque par ratio, quia utraque propoſitio eſt æquè univerſalis; Si igitur parvuli ad aſſecutionem ſalutis non tenentur communicare, ſeu ſumere Euchariſtiam, ita neque baptizari. Sed contra, quia eſt diſcrimen inter utrumque Sacramentum Baptiſmi, & Euchariſtiæ, ratione cujus urget neceſſitas, ut parvuli comprehendantur in illa propoſitione univerſali de baptiſmo ſuſcipiendo, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S.* non ita in ſecunda propoſitione univerſali communicandi, Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis.* Ratio diſcriminis eſt, quia Baptiſmus eſt medium neceſſarium ad ſpiritualem regenerationem, ſine qua nemo poteſt habere vitam ſpiritualem, cùm non priùs aliquis vivat, quam generetur: & hujus regenerationis ſpiritualis poſſunt parvuli eſſe participes, conſequenter ſicut, ut parvuli ſpiritualiter vivant, neceſſe eſt, ut ſpiritualiter regenerentur, & cùm capaces ſint hujus regenerationis ſpiritualis, quæ habetur beneficio Baptiſmi, ideo urget in parvulis neceſſitas Baptiſmi ſuſcipiendi, ut poſſint ſpiritualiter vivere, ac vitam æternam conſequi. Secus Euchariſtia propriè non eſt regeneratio ſpiritualis, nec illam ponit, ſed ſupponit, adeò ut tantùm valeat ad ſpiritualem nutritionem, ac reſtaurationem ſpiritualis virtutis deperditæ, per quotidiana peccata actualia. Hæc autem ſpiritualis nutritio ad vitam ſpiritualem ſimpliciter, & abſolutè non eſt neceſſaria: ſed iis tantùm neceſſaria, qui per quotidiana peccata aliquid deperdunt ſpiritualium virium: ſicut poteſt aliquis vitam temporalem per aliquid temporis vivere abſque ulla reſtauratione virium temporalium deperditarum, ita parvuli poſſunt ſimpliciter vivere vitam ſpiritualem, quamvis non communicent, & hæc eſt ratio, cur prima ſententia Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* comprehendat parvulos, non ita ſecunda, Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* in qua comprehenduntur tantùm adulti, qui poſſunt peccare, & aliquid de viribus ſpiritualibus deperdere, quod indigeat reſtauratione.

Digitized by Google

CAPUT IX.

An fœtus præmaturè in lucem editus ſit baptizandus, & quid de monſtris humanam ſpeciem exhibentibus.

Controverſia procedit de fœtu dubio, num animatus, & præſertim an embryo aliquorum duntaxat dierum proſiliens materna ab alvo inſtar maſſæ cujusdam carneæ, ſit luſtrali Baptiſmi aquâ abluendus. Controverſia eſſet ſolutu facilis, ſi certè nobis conſtaret, num talis embryo animatus ſit, vel non: certum ſiquidem eſt embryonem inanimatum non eſſe capacem Baptiſmi: & quia nobis plerumque nequit certò conſtare de animatione fœtus, ob diſcrepantes Philoſophorum ſententias circa tempus, quo animatur fœtus anima rationali in utero matris: & ſubinde nec ipſa mater ſemper ſcire poteſt, quot effluxerint dies à fœtus conceptione, ideo datur locus præſenti controverſiæ, quæ non rarò deducenda eſt ad praxim. Tempus enim animationis fœtus quod attinet, plures diverſimodè ſentiunt. Hippocrates de natura fœtus num. 10. cenſet marem in utero matris informari anima rationali die trigeſimo ab inſtanti conceptionis, & fœmellam die 42. idque dicitur, evincere ex purgatione ſanguinis, quæ in partu maris protrahitur ad 30. dies, & in illo fœminæ ad 42. Ariſtoteles *lib. 5. Animal. c. 3.* cui adhærent communiter Medici, & alii Philoſophi, aſſerit, fœtum maris informari anima rationali die 40. poſt inſtans conceptionis, & fœtus fœminæ, die 80. & huic ſententiæ adhærent plures Theologi. Thomas Fienus de formatione fœtus quæſt. 8. concluſ. 11. putat fœtum animari die tertio, poſt inſtans conceptionis non ſolùm anima vegetativa, verùm etiam ſenſitiva, & rationali, quinimò alii volunt fœtum animari in ipſo inſtanti conceptionis anima rationali, cui ſententiæ videtur adhærere Farinacius *part. 2. quæſt. 122. n. 139. in praxi criminal.* & citat fautorem ejusdem ſententiæ Vopiſcum, & Fortunatum, & videtur eidem aſſentiri Hieronymus Florentinius in tractatu de homine dubio, & Baptiſmo abortivorum. Ex hâc igitur placitorum varietate ſuboritur dubium, an fœtus abortivus debeat ſub conditione baptizari, & Florentinius autumat fœtum abortivum, quocunque tempore ejectum ab utero matris eſſe ſub conditione baptizandum: quia quoties fœtus abortivus elapſo quocunque tempore à conceptione excutitur ab utero matris, ſi in eodem diſtingui poſſunt lineamenta humani corporis diſtinctim à ſimplici mola informi non eſt licitum, eidem denegari Baptiſmum, ſed eſt eidem miniſtrandum hoc Sacramentum ſub conditione, vel verbis expreſſa, vel mente concepta, ſi fœtus ſit capax, ſeu anima rationali informetur. quia tunc nulla fit injuria Sacramento, & conſulitur ſaluti fœtus, ſi eſt capax Baptiſmi.

Aſſerendum eſt, fœtum abortivum quocunque tempore ejectum ab utero matris, ſi in ipſo appareant rudimenta, ac lineamenta corporis humani, per quæ diſtinguatur à mola, eſſe ſub conditione baptizandum: ratio eſt, quia titulo charitatis tenemur in extrema neceſſitate, præſertim urgente periculo æternæ damnationis conſulere proximo verſanti in eodem diſcrimine, etenim Joan. 1. cap. 3. monemur, ut debeamus pro fratribus animas ponere: ſed fœtus abortivus quocunque tempore delapſus ab utero matris, ſi lineamenta exhibeat humani fœtus, quæ diſtinguitur à mola, poteſt eſſe animatus anima rationali, non enim nobis conſtat talem fœtum carere anima rationali: unde cùm habeamus absque certa determinatione circa ejus animationem, & probabile ſit in ſententia plurium, talem fœtum eſſe animatum; nulli dubium, quin baptizandus ſit ſub conditione, ſi talis fœtus revera capax ſit Baptiſmi: poſita enim hac conditione, nulla fit injuria Sacramento, quod tantùm conficitur juxta intentionem Miniſtri baptizantis; ſeu purificatâ conditione, & poſito, quòd fœtus informetur anima rationali, ſitque capax Baptiſmi; & ex aliquo capite juxta præceptum charitatis conſulimus ſaluti proximi, ne hic ab æterna excludatur gloria.

Firmari ex eo poteſt, quia cùm nulla habeatur certitudo, quo tempore præcisè fœtus informetur anima rationali, tenemur ex charitate judicare in favorem proximi periclitantis, ac verſantis in periculo amittendi cœleſtem gloriam, conſequenter cenſendum eſt, hujusmodi fœtum exhibentem delineamenta fœtus humani informari anima rationali, quod eſt judicare in favorem proximi, qui propterea eſt baptizandus ſub conditione, ne ſi ex matris, vel alterius incuria moriatur ſine Baptiſmo, ab æterna excludatur gloria. Firmari poteſt ſecundò, quia Sacramenta, & præſertim Baptiſmus fuerunt inſtituta, ut eorum beneficio hominum conſuleremus ſaluti: Siquidem fuerunt inſtituta, tanquam media neceſſaria, quibus æternam conſequeremur ſalutem: conſequenter quoties urget aliqua neceſſitas, tenemur iiſdem ſuccurrere proximo, præſertim Sacramento Baptiſmi, ſine quo nequit quis æterna donari beatitudine: & appoſitâ conditione nullum adeſt periculum fruſtrationis, quia ſi conditio non purificetur, non conficitur Sacramentum, ad quod conficiendum concurrit etiam intentio Miniſtri, ſine qua non conficitur Sacramentum, unde ſi fœtus non eſt informatus anima rationali, Miniſter non intendit baptizare, nec miniſtrare Sacramentum, quod propterea non exponitur periculo fruſtrationis, è converſo cùm adſit aliqua probabilitas, quòd fœtus præmaturè proſiliens ex utero matris informetur anima rationali ob lineamenta, quæ in eodem apparent humani fœtus, ne hæc anima, ſi adſit, æterna privetur beatitate, ac in lymbum detrudatur; præceptum charitatis obligat, ut ſub conditione talis fœtus, ſi eſt capax, baptizetur. Hæc aſſertio ex eo etiam firmari poteſt, quia in Concilio Carthaginenſi ſtatuitur, ut quovis tempore fœtui in utero matris formato impertiatur Baptiſmus; ſed fœtus abortivus quocunque tempore ab utero matris ejectus, ſi in ipſo lineamenta appareant humani fœtus, probabiliter eſt formatus, ſeu affectus anima rationali, cùm plures id doceant: ergo non eſt illi denegandus Baptiſmus. Præterea, quia Gregorius Papa decrevit, ut ſi mulier, quæ peperit, ſit in periculo mortis, id quod genuit, baptizetur

tizetur eodem die , & hora , qua naſcitur , unde ſi fœmina peperit fœtum præmaturum , in quo appareant lineamenta humani fœtus, ſitque dubium, an ſit animatus anima rationali, debet ſub conditione baptizari. Hoc idem etiam infertur ex rituali Romano authoritate Pauli V. edito , ubi injungitur, quòd mortua matre prægnante fœtus cautè extrahatur, & ſi vivus ſit , baptizetur abſolutè , ergo ſi certè non conſtat eſſe mortuum , vel inanimatum debet baptizari non quidem abſolutè, ſed conditionatè , ſi ſit animatus anima rationali, ergo cùm non conſtet , fœtum præmaturum abortivum ejectum ab utero matris carere animâ rationali , ſi in illo appareant lineamenta humani fœtus, poteſt baptizari ſub conditione, quia plures fatentur, hujusmodi fœtum informari anima rationali, & oppoſitum non poteſt demonſtrari : ergo cùm probabiliter fœtus ille ſit vivus , ac informetur anima rationali , non eſt illi denegandus Baptiſmus. Quòd ſi dicas , Confeſſarium non poſſe impertiri abſolutionem moribundo , qui nullum dederit, nec det ſignum doloris, adeo ut nec ſub conditione, ſi elicuerit actum contritionis , cùmque pœnituerit peccatorum poſſit illum abſolvere , ergo neque ſub conditione erit baptizandus fœtus, ſi certè non conſtat eſſe informatur anima rationali, quia dubium æquè cadit ſupra attritionem moribundi deſtituti ſenſibus , ac ſupra animationem fœtus. Contra eſt , conceſſo antecedente negatur conſequentia, & ratio diſcriminis deſumitur ex ipſa inſtitutione utriusque Sacramenti, Chriſtus enim ita inſtituit Sacramentum Baptiſmi,ut in ſuſcipiente qua formaliter tali nullus requiratur actus ſenſibilis , qui ſit de eſſentia Baptiſmi patrinus, ſeu ſponſor eſt, qui reſpondet pro puero baptizando ad interrogationes Miniſtri, & urgente neceſſitate non eſt neceſſarius patrinus, ſed ſufficit , ſi Miniſter abluens puerum pronuntiet formam , cum intentione , illum baptizandi juxta morem Eccleſiæ , unde ex parte baptizandi ex Chriſti inſtitutione tantùm requiritur , quòd puer vel fœtus præmaturè ejectus ab utero matris ſit informatus anima rationali , quia tunc eſt verus homo : unde quando non conſtat fœtum carere anima rationali , ex præcepto charitatis eſt ſub conditione baptizandus, ne illo mortuo anima , ſi fortè adfuerit , excludatur à cœleſti gloria : Secus Sacramentum pœnitentiæ fuit à Chriſto inſtitutum per modum judicii ſenſibilis , & ſacri tribunalis, in quo Sacerdos eſt Judex, & pœnitens eſt accuſator , & reus, & Judex in judicio ſenſibili non procedit ad ſententiam, niſi reus præcedat actu aliquo ſenſibili,quo Judex cognoſcat ejus cauſam , in quovis enim judicio requiritur eſſentialiter ut reus , antequam judicetur per ſigna ſenſibilia , fateatur proprium delictum , niſi aliunde evidenter conſtet. Et hæc eſt ratio, cur moribundus, qui nullum prorſus dedit, nec dat ſignum doloris, non poſſit abſolvi, quia Sacramenta ſunt miniſtranda eo modo , quo fuerunt à Chriſto inſtituta , adeo ut menſura miniſtrandi Sacramenta alia non ſit, quàm inſtitutio eorundem, ut cùm Sacramentum pœnitentiæ fuerit inſtitutum per modum judicii ſenſibilis , in quo Judex non procedit ad ſententiam , quin præcedat reus ſenſibiliter accuſando ſe ipſum , vel per ſignum aliquod extrinſecum ſenſibile, oſtendendo dolorem de propriis peccatis , ex quo ſigno Judex conjiciat dolorem internum , ideo moribundus , qui nullum dedit , nec dat ſignum ſenſibile interni doloris , non poteſt abſolvi. Neque obſtat , ſi dicas , moribundum fuiſſe virum pium, ac chriſtianè vixiſſe , conſequenter ſupponi in ipſo verum dolorem peccatorum. Contra eſt, quia piè, & chriſtianè vixiſſe non eſt de præſenti dolor peccatorum , nec eſt Confeſſio eorundem in præſenti Confeſſione, cum qua propter ea non habet connexionem; Præterea quia potuit contigiſſe, ut poſt ultimam Confeſſionem Sacramentalem lapſus fuerit in peccatum aliquod mortale , cujus non pœnituerit , nec de facto ipſum pœniteat , in quo caſu , ſi impertiatur abſolutio , irritatur Sacramentum. Secus poteſt baptizari fœtus præmaturè ejectus ab utero matris , ſi in illo appareant lineamenta humani fœtus , & certò non conſtet , eum carere anima rationali , quia ſemel quod probabile eſt , eſſe animatum, debet ſub conditione baptizari ; non enim tunc miniſtratur Baptiſmus contra ejus inſtitutionem , ſicut miniſtraretur Sacramentum pœnitentiæ nullo præcedente ſigno ſenſibili ex parte pœnitentis.

Dices ſecundò , fœminam prægnantem non committere homicidium , ſi ante trigeſimum diem fœtum marem , & ante octuageſimum fœtum fœmineum abortivum ejiciat ex utero : ergo quia ante id temporis fœtus non ſupponitur informatus anima rationali , conſequenter ante id tempus nequit fœtus baptizari. Sed contra , diſtinguitur antecedens, non committit homicidium legale, conceditur: reale, ſubdiſtinguo, certitudine phyſica , concedo , morali , ac probabili nego , & ſub eadem diſtinctione negatur conſequentia. Peccatum homicidii cùm ſit in materia odioſa , non debet præſumi , niſi evidenter conſtet ex regulis juris , delictum in dubio non præſumitur , ſed debet præmonſtrari , ſecus hominis ſalus , cùm ſit materia favorabilis ex præcepto charitatis procuranda omni ſtudio, eſt etiam in materia probabili ſecluſa Sacramenti injuria. Quòd verò fœtus maris ante trigeſimum diem , & fœtus fœminæ ante octuageſimum non ſit animatus , non eſt certum : Imò probabile eſt , eſſe animatum, cùm primùm in ipſo apparent lineamenta humani fœtus , ergo ex præcepto charitatis eſt ſub conditione baptizandus. An verò maſſa illa carnea , quæ mola dicitur ejecta è matris utero , ſit baptizanda, procedendum eſt cum diſtinctione : Si in illa appareant rudimenta , ac lineamenta humani fœtus, debet ſub conditione baptizari , quia tunc non ſumus certi , talem molam carere animâ rationali. Sin verò nulla appareant humani fœtus lineamenta , nulla eſt baptizanda , quia ceſſat probabilitas animationis. Eſt mola maſſa quædam , quæ in utero matris ex congreſſu maris generatur, & in tres ſolet ſpecies partiri. Alia enim eſt maſſa carnea , alia ſanguinea , & alia membranea, ex his altera nutrietur per tranſumptionem, altera per ſuprapoſitionem , quæ nutritur per introſumptionem, habet aliquot venulas, quibus attrahit alimentum , & hujusmodi mola animatur anima vegetativa , & forraſſis etiam ſenſitiva , unde ex hoc capite præcisè non eſt baptizanda. Sin verò præter venulas appareant etiam lineamenta humani fœtus. Tunc non eſt ampliùs ſimplex mola, & erit ſub conditione baptizanda , quia talia lineamenta indicant probabilitatem animæ rationalis informantis fœtum illum.

Quid verò dicendum ſit de monſtris exhibentibus humanam ſpeciem , an baptizanda ſint , videtur non modica difficultas. Monſtrum eſt effectus naturalis à recta, ac conſueta , ſecundùm ſpeciem diſpoſitione inſigniter deflectens. Eſt enim monſtrum effectus naturæ , non artis ; hic autem effectus ut ſit monſtroſus , debet à recta , ac conſueta diſpoſitione ſecundùm ſpeciem inſigniter deflectere , quia ſi tantùm modicè degeneraret , non eſſet effectus monſtruoſus , ut ſi homo naſcatur uno humero

altero

Digitized by Google

altero altiore ; vel uno pede altero breviore. Effectus igitur monſtroſus debet deficere à ſpecie, vel in tota figura corporis, ut cùm fœtus in alterius animalis naturam declinat ; quo pacto meminit Plinius lib. 7. cap. 3. cujusdam mulieris, quæ elephantem enixa fuit, & alterius quæ ſerpentem. Et Eraſmus Roterodamus refert, fœminam ex navi in Inſulam, in quam appulerat, profectam, fuiſſe ibi ſomno ſopitam, & navim interim vela dediſſe faventibus ventis, moxque expergefactam clamores toto nixu direxiſſe ad navem trajicientem æquora, & impedientibus marinis fluctibus ad littus alliſis, ne audiretur, accurriſſe ad mulieris ſtridores ingentem ſimium, qui captus amore fœminæ, ac non reluctante cum ea commixtus eſt, ac ſobolem peperiſſe Patri perſimilem. Et Raphael Volaterranus lib. 24. refert, ſe vidiſſe fœtum præſeferentem ſpeciem canis enixum à muliere, quæ ad concubitum canem admiſerat, nonnunquam monſtra non toto corpore, ſed aliqua tantùm parte deflectunt à conſueta diſpoſitione ſecundùm ſpeciem. Narrat Plutarchus in Sympoſ. fuiſſe allatum in domum Periandri infantem ex homine, & equa natum, & ejus caput, collum, & manus ſimul cum ejulatu ſpeciem prætuliſſe infantis; & reliqua corporis membra deflexiſſe in equinam. Ælianus itidem meminit adoleſcentis caprarii, qui capræ nefariè conſueverat ſe commiſcere, & infantem genuiſſe habentem caprina crura, & humanam faciem. Sunt hæc monſtra petulantis laſciviæ, & falacis naturæ luſus, quibus natura ſuum deperdit decorem, aliquando deflectunt monſtra à ſolita ſecundùm ſpeciem diſpoſitione, intra tamen eandem ſpeciem, eò quia membra corporis non ſervent debitum ordinem. Legitur enim regnante in Galliis Luduvico XII. & in Pontificatu Julio II. monſtrum Ravennæ natum, quod haberet cornu in capite, utrinque alas, brachia nulla, pedem unum, oculum in genu, ſexum utrumque, & in medio pectore litteram Pithagoricam, & crucis effigiem. Thomas Bartholinus Hiſtor. 65. Centur. 1. Hiſtoriar. Anatomiticar. refert à ſe hominem viſum exterum ſine virili atque muliebri nota. Quòd verò admirabilius nec poſteriores excrementorum conſuetæ viæ patuerunt, adeo ut urgente natura excrementa omnia per vomitum rejiceret, oraque, & palatum aqua roſacea, quam ſemper ad hunc finem ſecum circumtulit, eluere, ac purgare : ipſomet referente inter fœminas educatus, fœmineum nomen ſortitus primum fuerat, donec tandem erumpente barba unà cum nomine etiam veſtes mutavit. Placet itidem hic attexere monſtroſum partum, quem anno 73. ſupra 1600, mulier primipara hebdomadas 36. gravida in lucem edidit hîc Monachii in Bavaria, & Dominus Sattlerus ſingulari ſolertia cultro examinavit anatomico, & eleganter deſcripſit. Bina enim erant illa capita antrorſum ſpectantia, naturalia prorſus, tam in ſe, quàm quoad ſuas partes : bina colla prodeuntia tamen ex unico tantùm thoracis trunco, è cujus ſummitatibus in utroque latere duo propendebant brachia. Aderat pro quovis fœtu diſtinctum ſternum, cum mucronata ſua appendice, unum antrorſum verſus facies fœtuum ; alterum retrorſum cervices verſus ; ſpina quoque duplex à ſummo vertice in imum, ut ſolet, hypogaſtrium protenſa, quælibet in ſuum finiens os coccygis. Ex hac ſpina in thorace prodiit ubique naturalis coſtarum numerus, ita tamen, ut fœtus dextri coſtæ, dextræ unirentur mediante eodem ſterno cum coſtis ſiniſtris fœtus ſiniſtri, ac vice verſa; adeo ut ambæ ſpinæ trunci thoracis latera occuparent, ac neceſſariò brachium ſiniſtrum fœtûs ſiniſtri mediante ſua claviculâ implantaretur eidem ſterno, cui è diametro reſpondebat clavicula, & brachium dextrum fœtûs dextri in idem ſternum inſerta, & viciſſim. Brachia verò ſingula ſuis ſcapulis, humero, & cubitu, & manu extrema recta proportione formatis compoſita erant. Mamillæ cum papillis juſto numero duplici, nempe pro quolibet fœtu propriis apparebant in locis, diſtantes tamen magis ab invicem in parte antica latiore ob coſtas longiores relativè ad poſticam, ob casdem ibi magis abbreviatas ſtrictiorem. Ex hac thoracis externa formatione videbatur natura voluiſſe duo corpora effingere, quæ tamen per errorem in unum coaluerunt ; nam & abdomen apparebat unicum quoad regionem epigaſtricam, & umbilicalem propter unicum umbilicum in parte antica conſpicuum. Ex hypogaſtrio cuique fœtui proprio, ac coxis prodiêre artus quatuor inferiores quoad femora, crura, pedeſque extremos perfecti: in pube utriusque fœtus partes genitales externæ ſexus erant fœminei, ut autem ſingularum internarum partium omittam anatomen, Hepar prægrande totam regionem epygaſtricam occupabat, & unum tantùm, ita tamen complicatum, ut duplici conſtaret parte convexa & ſima, intra quam recepit binas utriusque fœtus ventriculos, graciles tamen, ac parvos cum annexo cuilibet exili omento. Unico hepati, & jecori unica reſpondit vena porta pluribus ſurculis locuples, ac unicus ductus biliarius hepaticus, ac unica veſicula fellis. Cor etiam unicum erat ſuo incluſum pericardio, & utrique fœtui commune. Pulmo duplex, & quilibet propria præditus trachæa. Dextri cordis ſinus ſuperficiem ſola occupabat vena cava. Quamobrem apparebant in hoc monſtroſo fœtu bina capita ſejuncta, ac totidem colla prodeuntia ex unico trunco thoracis, quatuor brachia, & manus, totidemque pedes, & crura, umbilicus, & venter unus, mammillæ binæ cum papillis, pectus unum utrique capiti commune. Hepar unum tantùm, ut & cor unum. Hic monſtroſus fœtus excitavit quæſtionem, num unica tantùm in illo anima eſſet rationalis, vel binæ monſtrum informarent. Si dixeris, duas fuiſſe in fœtu illo animas rationales, eò quia fuerint duo fœtus, unà nexi quoad ventrem tantùm, ac pectus, cæteris partibus duplicatis, jam oritur difficultas, quomodo naturaliter fieri potuit, ut duæ animæ rationales, ſeu duæ formæ ſubſtantiales completæ principales, unum ac idem potuerint cor informare. Si dicas, unicā tantum animam totum hoc monſtrum biceps informâſſe, adhuc oritur difficultas, an eodem inſtanti hæc unica anima in diverſis ac ſeparatis ſenſuum internorum, & externorum organis, quæ monſtroſus fœtus nactus fuit duplicata diverſos, ac contrarios potuerit actus exercere.

Plures à Galeno de Hiſtoria Philoſophiæ cap. 113. & Plutarcho lib. de placitis aſſignantur cauſæ horum monſtrorum, quarum prima plerumque eſt materiæ defectus, qua de cauſa naſcuntur fœtus ſine altero vel brachio, vel pede, vel ſtatura puſilli, & pumiliones. Secunda poteſt interdum eſſe materiæ ſuperabundans copia, ex qua fœtus prodeunt cum membris, vel duplicatis, vel ob excedentem magnitudinem improportionatis. Tertia cauſa poteſt oriri ex vitio matricis, in qua fœtus organizatur: etenim ſi anguſtior fuerit, impeditur debita membrorum efformatio; ſi laxior diſſipatur materia, & corpus non perficitur cum debita ſibi proportione; & aliquando duo ſimul efformantur fœtus, quibus in unum coëuntibus, monſtrum prodit duplici capite, quatuor brachiis, uno pectore, uno ventre, unoque umbilico, ut

ſolet

Digitized by Google

fuit monſtrum Monacenſe paulo ſuperius deſcriptum. Quarta poteſt eſſe intemperies qualitatum, & quia quandoque naſcuntur fœminæ barbatæ. Quinta etiam matris imaginatio, ex qua variæ in fœtum derivantur impreſſiones exoticæ juxta varias imaginationes. Quando animalia ſpecie diverſa ſimul coeunt, tunc fœtus prodeunt participantes nonnunquam de utroque parente, qua de cauſa Ariſtoteles lib. 6. Animal. cap. 23. refert, natum fuiſſe puerum capite arietis, & alium capite vituli. Ut autem explicemus, quomodo poſſit id contingere, proderit obſervare ineſſe ſemini formam ſubſtantialem, cujus proprietas eſt virtus plaſtica determinans, ac efficiens individui ſignaturas independenter ab anima rationali, quæ à ſolo Deo creatur. Non enim ſemen deciſum à parente eſt accidens, ſed vera pars propriæ ſubſtantiæ genitoris, adeo ut inſit eidem actus corporis organici poteſtate vitam habentis; alioquin non poſſet explicari, in quo formaliter eſſet generatio ſita, unde debet forma generationis conſiſtere in ipſo ſemine, ut ſimilis dicatur generari à ſimili, alioquin homo emittens ſemen in ordine ad generationem prolis non generaret hominem, imò nec animal, ſed purum putum excrementum, ergo virtus plaſtica debet ineſſe ſemini deciſo à generante, ut diſponat organa in ordine ad nutritionem fœtus, & hæc eſt ratio, cur plerumque proles paternam ſociatur effigiem, moreſque genitoris; quod non poteſt referri ad materiam, cum hæc indifferens ſit, unde ſupereſt, ut tribuatur paterno ſemini continenti hanc virtutem plaſticam, cujus beneficio formantur organa fœtus, & filius ſortitur ſimilitudinem parentis. Hinc in ſemine per ſe continentur rudimenta omnium organorum induidui, dum enim in uterum immittitur, & à matrice recipitur in prima illa evolutione, concurrente etiam activè matre fit, ut interna energia cordis perficiatur velut principium ad centrum vitæ, inde inchoatur cerebrum, ac reliqua membra ſucceſſivè incipiunt formari, ac plaſmari.

Aſſerendum eſt, fœtum præſeferentem ſpeciem humani pueri, vel puellæ, tametſi in lucem editum ab equo, vel cane, vel alio bruto, cum quo homo nefande commixtus ſit, ſaltem cum conditione, ſi ſit capax, habeátque animam rationalem, eſſe baptizandum. Ratio ex eo deſumitur, quia ſemen ab homine immiſſum in uterum beſtiæ, poteſt in concurſu ſeminis beſtiæ prævalere, quoad virtutem plaſticam, ſed ſemen hoc prævalens retinet totam & integram ſuam virtutem plaſticam determinantem, ac efficientem ſignaturas individui humani, quibus poſitis cauſa prima creat animal, rationem conſequenter, tunc eſt fœtus baptizandus ſaltem ſub conditione, ſi occurrat aliquod dubium. Hinc ſi verum eſt, quod refertur, Flavium quendam Stellam ex equa ſuſcepiſſe venuſtam puellam nomine Eponis: & alium Aiſtomium Epheſinum ex aſina puerum marem itidem genuiſſe nomine Onaſcele, hi fœtus poterant baptizari, quia fuerunt veri homines; cum ex figura corporis extima, & moribus nil habuerint, ex quo conjici poſſet fœtus illos beſtias fuiſſe. Neque obſtat, fuiſſe formatos in utero beſtiæ, quia in illo ſemen humanum prævaluit ſemini beſtiæ in virtute plaſtica determinante, ac efficiente principales ſignaturas individui, ut cor, cerebrum &c. quibus completis Deus creat animam rationalem.

Aſſerendum ſecundò, fœtum ex hominis ſemine genitum in utero beſtiæ, & ab eadem in lucem editam, atque præſeferentem extimam figuram, ac ſpeciem beſtiæ, licèt nonnullá referat extrinſeca lineamenta, vel etiam partem aliquam, ſeu membrum humani corporis non eſſe baptizandum, ratio eſt, quia tunc ſemen bruti in generatione fœtus prævaluit cum ſua virtute plaſtica, qua determinavit, atque effecit principaliores ſignaturas, ac præcipua lineamenta individui, cujuſmodi ſunt cor, caput, cerebrum, & alia principalia membra, atqui poſitis, ac completis hiſce ſignaturas DEUS non creat animam rationalem, quia cùm non ſint ſignaturæ, & lineamenta hominis non exigunt informari anima rationali, proinde Deus hanc in tali fœtu non creat, quia Deus operatur juxta exigentias rerum, conſequenter hujuſmodi fœtus non ſunt baptizandi, tametſi aliquot referant humani corporis lineamenta extrinſeca. Quòd ſi plura extrinſeca, ac principaliora lineamenta eſſent hominis, & alia bruti; ut ſi caput, pectus, brachia, venter eſſent hominis, & crura, pedes capræ, vel alterius bruti, tunc fœtus eſſet baptizandus, præſertim ſi in lucem ederetur à fœmina, quia tunc arguitur anima rationalis in corpore ex præcipuis, ac majoribus partibus humani corporis. Quòd ſi ex figura extima oriretur dubium, an fœtus eſſet homo, vel beſtia, & hic eſſet à fœmina in lucem editus, tunc deberet ſub conditione baptizari, quia tunc evidenter non conſtaret, talem fœtum anima carere rationali. Sin autem fœmina, quæ coivit cum bruto, pareret ſimiolum, vel canem, non eſſent hi fœtus baptizandi, quamvis ex ſemine, & bruto geniti, quia ſemen bruti totaliter prævaluit in utero fœminæ, & in eo virtus plaſtica determinavit, ac effecit ſignaturas brutales, non exigentes animam rationalem, quam propterea Deus in hiſce fœtibus non creavit. Solum in dubiis, an fœtus ſit humanus, vel belluinus, conditionatè baptizatur, non verò, ſi conſtet, eſſe brutum. Dubitant tamen aliqui de hominibus marinis, de quibus agit Vives *lib. 2. de veritate fidei Chriſt.* ubi refert, apud Batavos marinum hominem viſum fuiſſe, ibique biennio detentum, ut fari didicerit, bisque tamen peſtilentia infectum in mare fuiſſe lætabundum, & exilientem dimiſſum. Rurſus anno tertio ſupra 1400. in Hollandiæ Lacu captam fuiſſe mulierem marinam, delatámque Herlemum, ibique veſtes induiſſe, panem comediſſe, & alia obſonia, & lac bibiſſe, & didiciſſe cum fœminis aliis filare, ac muliebri more rebus pluribus obſequi, ac Chriſto cruci affixo genua flectere, quamvis nullum unquam verbum protulerit. An verò hi homines propagati fuerint ex Adæ ſemine, & poſtea per elementorum intemperiem in aquis vivere conſueverint, ut animalia amphibia æquè in terris, & aquis viventia, dubitant nonnulli, aſſerentes, propterea poſſe ſub conditione baptizari, præſertim ſi in iiſdem uſus aliquis apparet rationis humanæ. Verùm poſſe hominem diu ſub aquis vivere, videtur adverſari naturæ hominis nati ad reſpirandum aerem, & ſe fructibus terræ reficiendum: neque homines animalia ſunt amphibia, neque naturam poſſunt piſcium induere, quin humanam exuant, ne Chimeram fingamus. Unde ſi homines marini ſunt puri piſces, vel homines alterius ſpeciei ex Adæ ſemine non propagati, non ſunt ſub conditione baptizandi ob incapacitatem, quia non ſunt homines: ſicut nec vituli marini ſunt ejuſdem ſpeciei cum genitis à vacca ex bove.

CAPUT X.

De Ministro Baptismi.

Minister Sacramenti is est, à quo Sacramentum alteri ministratur, unde Minister Baptismi erit Sacerdos, vel quis alius in casu necessitatis, qui Baptismum confert. Hinc Baptizare se ipsum nemo potest, quia Baptismus est spiritualis regeneratio, & inter generantem, & genitum debet distinctio intercedere, non enim dicitur una persona se ipsam gignere, sed aliam à se. Præterea quia immutaretur substantia formæ, si diceret: *Ego me baptizo*, quapropter Innocentius III. respondens Episcopo Metensi cap. debitum. de Baptismo, & ejus effectu ait: *Sanè intimâsti, quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantùm existeret, in aquam se ipsum immersit dicendo: Ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Respondemus, quòd cum inter baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: Ite, baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, memoratus Judæus est denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur, quòd alius est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat, ad quod etiam designandum, ipse Christus non à se ipso, sed à Joanne voluit baptizari: Quamvis si talis continuo decessisset ad cœlestem Patriam, protinus evolâsset propter Sacramenti fidem, & si non propter fidei Sacramentum.* Unde debet Minister Baptismi alia esse persona distincta ab ea, quæ Baptismum suscipit. Difficultas est, cuinam à jure competat, ut sit Minister Baptismi. Certum est primi, & secundi ordinis Sacerdotes Episcopos scilicet, & Presbyteros, qui præficiuntur regimini populi Christiani, & administrationi parochialium Ecclesiarum, quos D. Thomas 3. *part. quæst.* 67. *art.* 2. vocat minores Principes Ecclesiæ esse proprios Ministros Baptismi, quia iisdem datum, ut jure suo non extraordinaria aliqua potestate munus baptizandi exerceant, quia iisdem in Apostolis præceptum à Domino est, Matth. 28. *Ut baptizent omnes Gentes; euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quapropter S. Hilarius in Psal. 67. de Eunucho Reginæ Candacis ait: Sacramentum Baptismi adeo impatientis cupiditate desiderii prævenisse, ut à Diacono *ministerium Apostolici officii* salutis suæ cupidus exigeret, & vocat hoc munus baptizandi ministerium Apostolici officii, ac sacerdotalis, & Sanctus Isidorus itidem asserit, solis Sacerdotibus Baptismum traditum esse lib. 2. de offic. Ecclef. cap. 24. cujus verba referuntur *in cap. Constat dist.* 4. *de consecrat.* & Eugenius IV. in decreto de instructione Armenorum hoc idem confirmat, & certum est itidem ex perpetuo usu Ecclesiæ. Quòd verò secundi ordinis Sacerdotes jure proprio ministrent hoc Sacramentum Baptismi, tametsi adsint Sacerdotes primi ordinis, seu Episcopi, evincit D. Thomas, eò quòd Sacerdotes ad Eucharistiam consecrandam instituti sint, est autem Eucharistia Sacramentum ecclesiasticæ pacis, & unitatis, ut scribit D. Paulus 1. Corinth. 10. *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*, sed per Baptismum fit homo particeps ecclesiasticæ unitatis, & jus accipit accedendi ad mensam Domini, ergo sicut ad Sacerdotem spectat Eucharistiæ consecratio; ita & solemnis Baptismi administratio. Quòd si aliquando Patres visi sunt dixisse, Presbyteris sine Episcopi venia, & licentia jus baptizandi non permitti, ut Tertullianus lib. de Baptismo. Sanctus Hieronymus in Dialog. adversus Luciferianos. Sanctus Leo epist. 81. id de solemniore Baptismo intelligendum est, ut declarat Concilium Hispalense II. can. 7. Solemnis enim Baptismus id temporis erat, quo in Paschate, & Pentecoste administrari consueverat, ut monet Catechismus Concilii Tridentini? vel ut alii censent, id præsente Episcopo non permittebatur Parocho, nec simplici Sacerdoti ad majorem honorem, & reverentiam Episcopi, qui per se ipsum tunc Sacramentum ministrabat Baptismi, & tunc Parochus, sive alius Sacerdos, nisi ex facultate sibi ab Episcopo facta, exercebat munus baptizandi. Episcopi igitur, qui in militante Ecclesia locum tenent Apostolorum, ac vices eorum gerunt, si velint, baptizare possunt, sicut & populos docere: Quòd si Episcopi per se ipsos non baptizent, id evenit, eò quia occupentur in aliis, & ministerium baptizandi possint commodiùs Sacerdotes secundi generis exercere, dum Episcopi populum docent, ac preces fundunt, quia ut Apostoli dixerunt Actor. 6. & 4. *Nos autem orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Hinc munus baptizandi de jure pertinet etiam ad Parochos, quibus concredita est cura animarum, quapropter Petrus Apostolus Cornelium, & ejus familiam, quos ipse docuerat, per alios baptizari jussit: & D. Paulus ait: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*

Hinc licèt Baptismus, ubicunque & à quocunque verbis evangelicis consecratus validus sit, & ratus neque necesse sit ad essentiam Sacramenti in publico cœtu baptizare, & intra domesticos parietes, si mortis periculum immineat, possint parvuli baptizari, nihilominus juxta sacrorum Canonum sanctiones, & consuetudine inolita Ecclesiæ parvuli extra parochialem Ecclesiam solemni ritu non offeruntur, nec baptizantur, excepto casu necessitatis, si mortis periculum immineat, adeo ut ab hac lege nullus excipiatur præter Regum, & Principum filios, quibus indulgetur, ut in sacello proprii palatii possint solemni ritu baptizari, ut etiam habetur in *Clement. unic. de Baptis.* Quod exceptis Regum, & Principum filiis, omnes alii debeant solemni ritu baptizari in parochiali Ecclesia statuerunt, & declararunt plura Concilia, ut Thuronense anno 1583. Parisiense 1557. Remense 1583. Aquense 1585. ubi ait: *Curatus Sacerdosque extra necessitatis casum illis pœna excommunicationis proposita, ne ad domum cujusdam etiam Magnatis ad Baptismum ministrandum accedat, necessitas autem illa intelligatur, quæ mortem infantis moratur*, & præ aliis hoc idem statuit Concilium Mediolanense Provinciale IV. Sub Sancto Carolo Borromæo, ubi habetur: *Videat Parochus, ubi primum infans Baptismi causa ad se delatus est, an sue Parochiæ sit: quem si alienæ esse novit, eum, nisi instante necessitate, non baptizet, sed ad Parochum proprium, à quo baptizetur, deferri jubeat.* Ex quo claret, parvulos solemni ritu debere Baptismum suscipere in propriis Ecclesiis parochialibus, & non domi inter domesticos parietes, sive nobiles

Digitized by Google

nobiles ſint, ſive ex populo, excipitur tamen caſus neceſſitatis, quia tunc baptizari poteſt ubique, ubi imminet mortis periculum, ne ſi infans decedat ſine Baptiſmo, excludatur à cœleſti patria.

Diacono tamen jure ſuo non competit ſolemni ritu Baptiſmum adminiſtrare ſine Epiſcopi, aut Parochi conceſſione, quæ facultas ſine urgente neceſſitate non debet iiſdem concedi, quia Diaconi ſunt tantùm Miniſtri Sacerdotum, unde ad illos non pertinet Sacramentum ullum jure ſuo, & quaſi ex proprio officio adminiſtrare. Sed tantùm inſervire Sacerdotibus in adminiſtratione Sacramentorum, adeoque etiam in miniſtrando Baptiſmo, & conveniens eſt, ut Sacerdos jejunus, & manè hoc Sacramentum Baptiſmi adminiſtret, niſi neceſſitas aliter poſtulet, imo neque adminiſtrandus eſt Baptiſmus nocturno tempore, ſeu ante ortum, neque poſt ſolis occaſum, niſi itidem neceſſitas urgeat, & mortis periculum immineat, ut monet Sanctus Carolus. Hæc tamen ſunt de convenientia, non verò de præcepto, propterea in iiſdem debent Miniſtri moribus Eccleſiæ conformari, & Epiſcoporum ſtatuta ſervari. Quòd autem Diaconis non conveniat, jure ſuo Baptiſmum conferre, confirmari ſolet authoritate Gelaſii I. Romani Pontificis in epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos cap. 19. ex qua refertur in Decreto Gratiani cap. Diaconus diſt. 93. ubi habetur: *Diaconos propriam conſtituimus obſervare menſuram. Absque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis ordinibus fortaſſe longiùs conſtitutis neceſſitas extrema compellat.* Hoc idem habetur *cap. conſtat. diſt. 4. de conſecrat.* & ex D. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 2. de officiis cap. 24. Cæterum poſſunt Epiſcopi, poſſunt & Parochi committere Diaconis ſolemnem adminiſtrationem Baptiſmi, & colligitur ex verbis, quæ ab Epiſcopo in eorundem ordinatione recitantur: *Diaconum oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare,* & ex Concilio Illiberitano can. 77. cujus hæc ſunt verba: *Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit: quod ſi ante de ſæculo receſſerit ſub fide, qua quis crediderit, poterit eſſe juſtus.* Verum ſi abſque venia Epiſcopi, vel Parochi, ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem Diaconus ſibi uſurpet, in crimen incidit, & irregularitatem incurrit, ut colligitur ex cap. *Si quis 1. de Clerico non ordinato miniſtrante,* cui *Hormiſda* Papæ nomen inſcribitur, ubi dicitur: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit, non ordinatus propter temeritatem abjiciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur.*

Cæterum urgente neceſſitate, ſeu imminente mortis periculo omnes, & ſinguli, etiam de populo ſive mares, ſive fœminæ, cujuscunque ſint Sectæ, ſine ſolemnibus cæremoniis baptizare poſſunt, hoc enim declararunt plura Decreta Conciliorum, & aſſeruerunt doctrinæ Sanctorum Patrum, unde Catechiſmus Concilii Tridentini declarat, quod urgente neceſſitate poſſit quilibet, ſive mas, ſive fœmina baptizare, & Concilium Tridentinum anathematizat eos, qui aſſerunt: *Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum.* Et Eugenius IV. in Decreto poſt Concilium Florentinum edito pro Armenorum inſtructione, quoad omnes partes hoc idem aſſerit, unde Tertullianus lib. de Laicis, hoc idem affirmat, & lib. de Baptiſmo cap. 17. Hoc idem aſſerens ait: *Dandi quidem habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi authoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt. alioquin etiam laicis jus eſt: quod ex æquo accipitur, & ex æquo dari poteſt, niſi Epiſcopi jam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur diſcentes. Domini ſermo non debet abſcondi ab ullo, proinde & Baptiſmus æquè DEI cenſus ab hominibus exerceri poteſt: ſed quanto magis laicis diſciplinà verecundiæ, & modeſtiæ incumbit? cum ea majoribus competant, ne ſibi aſſumant dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatus. Æmulatio ſchiſmatis eſt mater: omnia licere, dixit Sanctiſſimus Apoſtolus, ſed non omnia expedire. Sufficiat ſcilicet, in neceſſitatibus utaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim circumſtantia periclitantis excipitur. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod liberè potuit,* & quamvis Tertullianus non concedat mulieribus facultatem miniſtrandi Baptiſmum, quam libenter Laicis maribus tribuit, id tamen adverſatur communi uſui Eccleſiæ permittentis, ut obſtetrices imminente mortis periculo poſſint parvulos, dum in lucem eduntur, baptizare, dummodò ipſis conſtet infantem vivere. Quòd Laicis pariter urgente neceſſitate inſit jus baptizandi, declaravit Concilium Illiberitanum can. 38. ubi ait: *Peregrè navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum: ita, ut ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem perficiat.* Aſſerit Concilium, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, Baptiſmum adminiſtrare, urgente neceſſitate. Neque Concilium excludit infideles ab adminiſtratione Baptiſmi, ſed tantum ait, eſſe optandum, ut fidelis ſit: quin imò aliquando fuit dubitatum, an infidelis poſſit miniſtrare Baptiſmum, & fidem dare alteri, quam in ſe non habet: Verùm quia hoc Sacramentum eſt ſimpliciter neceſſarium ad æternæ ſalutis aſſecutionem, ideo etiam infidelis poteſt adminiſtrare hoc Sacramentum in favorem baptizati, cæterum ſi ſimul eſſent fidelis, & infidelis, & parvulus periclitaretur, ac eſſet in imminente vitæ periculo, fidelis eſſet præferendus infideli, ut etiam Monogamus bigamo, & quamvis hæc non faciant ad valorem Sacramenti, Synodus tamen docet, quid deceat, & conveniens ſit. D. Auguſtinus etiam ipſe lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. approbat Baptiſmum à Laico in neceſſitate miniſtratum parvulo periclitanti, ait ipſe: *Quamquam etſi Laicus aliquis pereunti dederit neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, quomodo dandum eſſet, adjicit, neſcio, an piè quiſquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim cogente neceſſitate, ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt. Sed ſi nulla neceſſitate uſurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici, non datum, quamvis rectè dici poſſit, illicitè datum. Illicitam autem uſurpationem corrigit reminiſcentis pœnitentis affectus. Quòd ſi non correxerit, manebit ad pœnam uſurpatoris, quod datum eſt, vel ejus, qui illicitè dedit, vel ejus, qui illicitè accepit, non tamen pro non dato habebitur; neque ullo modo per devotum militem, quod à privatis uſurpatum eſt, ſignum regale violabitur.* Hoc idem probatur ex *cap. Diaconos diſt. 93.* & deſumitur ex

Gelaſio Papa in epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ: & ex *cap. Conſtat. diſt.* 4. *de conſecrat.* quòd ex Sancto Iſidoro deſumptum eſt, in utroque textu dicitur, quòd à Laicis urgente neceſſitate, ſeu imminente mortis periculo poſſit miniſtrari Sacramentum Baptiſmi: habetur enim *Laicis Chriſtianis plerumque permitti, ne quiſpiam ſine remedio ſalutari de hoc ſæculo evocetur.* Hoc idem etiam habetur in cap. ad limina, quod ex Joanne VIII. deſumptum cauſâ 3. quæſt. 2. ubi Pontifex de quodam viro ſæculari nomine Stephano, qui urgente neceſſitate filio ſuo periclitanti miniſtraverat Sacramentum, cum alius tunc præſto non eſſet, nec Sacerdos, nec Clericus; Lemovicenſis Epiſcopi ſententia ſeparatus fuerat ab uxore, ita reſpondet: *Inculpabile judicandum dicimus, quod neceſſitas intulit. Nam hoc baptizandi opus Laicis fidelibus juxta Canonicam authoritatem, ſi neceſſe fuerit, facere liberè conceditur: unde ſi ſupradictus Genitor filium ſuum corpore morientem aſpiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri unda Baptiſmatis lavit, ut eum de poteſtate authoris mortis, & tenebrarum eriperet: & in regnum Chriſti jam regnaturum ſine dubitatione tranſmitteret, benefeciſſe, laudatur. Et idcirco ſua uxori judicamus manere conjunctum: nec ob hoc contra præfatas authoritates divinas aliquatenus ſeparari debere.* Hoc idem etiam docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 3. ubi aſſerit: id pertinere ad miſericordiam illius, qui vult omnes homines ſalvos fieri, ut in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, homo de facili remedium inveniat: inter omnia autem Sacramenta maximæ neceſſitatis cùm ſit Baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis in vitam ſpiritualem: quòd pueris aliter omnino ſubveniri non poſſit; & adulti non poſſunt aliter, quàm per Baptiſmum plenam remiſſionem conſequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam: & ideo, ut homo circa remedium tam neceſſarium non poſſit defectum pati, inſtitutum eſt, ut materia Baptiſmi ſit communis ſcilicet aqua, quæ à quolibet facilè haberi poteſt; & Miniſter Baptiſmi, etiam quicunque ſit non ordinatus, ne propter defectum Baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur. Verum tamen eſt, quòd Laici in miniſtrando Baptiſmum non poſſunt adhibere ſolennes cæremonias, non quod majoris ſint dignitatis, ſed quia minoris habeantur neceſſitatis, & ad ſolemnitatem duntaxat, hæ cæremoniæ pertineant, quæ propterea, cùm non ſint de neceſſitate Sacramenti, peragi non poſſunt à Laico, ſed tantùm à Sacerdote, cujus eſt ſolemniter baptizare abſque cæremoniis, & ſolemnitatibus, ſatis conſulitur ſaluti parvuli conſtituti in imminentis mortis periculo, ſi ſimpliciter ei miniſtretur Baptiſmus. Hinc urgente neceſſitate baptizare itidem poſſunt mulieres, quia cum Laicis id permiſſum ſit, abſque ſexus diſcrimine, ut liquet ex ſacris Canonibus, & in Chriſto, ut ait Apoſtolus ad Coloſſ. 3. *Non ſit maſculus, neque fœmina,* ſequitur, quod perinde fœmina urgente caſu neceſſitatis, ſi mas non adſit, nec ullus Clericus, poſſit Baptiſmum miniſtrare, ac mas, ſicut enim maſculus Laicus baptizare poteſt, quaſi Miniſter Chriſti, de quo Joannes ait: *Hic eſt, qui baptizat*, etiam fœmina, hinc Urbanus Papa cap. ſuper quibus. cauſa 10. quæſt. 3. ita reſpondet: *Super quibus conſulit nos ſua dilectio, hoc videtur nobis ex ſententia reſpondendum, ut & Baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate fœmina virum in nomine Trinitatis baptizaverit. Et quod ſpiritualium parentum filii, vel filiæ ante, vel poſt compaternitatem geniti poſſunt legitimè conjungi præter illam perſonam, per quam compatres ſunt effecti.* Hoc idem confirmant plura Conciliorum Decreta, quibus cautum eſt, ut nulla mulier ad publicum obſtetricis officium ſuſcipiatur, niſi calleat formam Baptiſmi, ac perita ſit in Baptiſmo conferendo, & quamvis Concilium Carthaginenſe IV. can. 99. & can. 110. mulieres excluſerit à miniſterio docendi, & baptizandi, ubi dicitur, quod *mulieres quamvis & ſancta viros in conventu docere non præſumat, neque baptizare,* nihilominus Concilium fuit tantùm locutum de publica, & ſolemni adminiſtratione Baptiſmi, in quo ſenſu ſunt intelligendi ſacri Canones arcentes mulierem à munere baptizandi: ſicut mulieri non permittitur publicè docere, quæ tamen poteſt privata doctrina, vel monitione aliquem inſtruere: perinde tametſi non permittatur, ut publicè, & ſolemniter baptizet, illi tamen conceditur, poſſe urgente neceſſitate, & ſi alius non adſit mas, Laicus vel Clericus permittitur, ut poſſit privatim baptizare, urgente neceſſitate, ne parvulus ſine Baptiſmo excludatur à cœleſti gloria. Rurſus ab infidelibus, ſeu non baptizatis hominibus poſſe Baptiſmum adminiſtrari, conſtat ex cap. Romanus diſt. 4. de conſecrat. deſumptum ex Sancto Iſidoro, ubi habetur: *Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, ſed Spiritum DEI ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi: quamvis Paganus ſit, qui baptizat.* Item ex cap. A quodam ead. diſt. quod eſt Nicolai I. ad conſulta Bulgarorum reſpondentis etiam habetur: *A quodam Judæo neſcitis, utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in veſtra patria baptizatos aſſeritis, & quid de iis ſit agendum, conſulitis: hi profectò, ſi in nomine Sanctæ Trinitatis baptizati ſunt, conſtat, eos non eſſe iterum baptizandos.* Fuit hæc controverſia vel maximè agitata tempore D. Auguſtini, qui propterea optavit, ut in Concilio definiretur, & interim ſe noſtræ adhærere ſententiæ, ſcilicet etiam infideles in caſu extremæ neceſſitatis poſſe baptiſmum miniſtrare, profitetur, ut habet lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 12. inquiens: *Hæc quidem alia quæſtio eſt, utrum & ab his, qui fuere Chriſtiani poſſit Baptiſmus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum eſt, ſine authoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit*, & lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 53. ait: *Solet etiam quæri, utrum approbandum ſit Baptiſma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur: ſi fortè hoc curioſitate aliqua didicit, quemadmodum dandum ſit, ſed nobis tutum eſt, in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata ſunt: id autem fiducia ſecura vocis aſſere, quod in gubernatione Domini DEI noſtri, & Salvatoris JESU Chriſti univerſalis, Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Verumtamen ſi quis forte me in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur: non præcedentibus talibus, quorum ſententiam ſequi mallem, urgeret, ut dicerem, quid ipſe ſentirem; ſi eo modo affectus eſſem, quo eram, cùm iſta dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos Baptiſmum, qui ubicunque, & à quibuscunque illud verbis evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent, quamquam eis ad ſalutem ſpiritualem non prodeſſet, ſi charitate caruiſſent, qua*

Catho-

Digitized by Google

Catholicæ infererentur Eccleſiæ. Unde ſi ſacri Canones ſubinde videntur Baptiſmum à Paganis collatum rejicere, ac irritum declarare, ſunt intelligendi de illis, qui Baptiſmi formam, & Eccleſiæ ritum non ſervant, ut habetur in cap. quos à Paganis diſt. 4. de conſecrat. cap. 52. & eſt deſumptum à Gregorio III. epiſt. 1. ad Bonifacium Epiſcopum, ad quem ſcribit: *Quos à Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ut denuò baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* Hinc lib. 5. Capitularium cap. 6. habetur: *Si quis baptizatus eſt à Presbytero non baptizato, & Sancta Trinitas in ipſo Baptiſmo invocata fuit, baptizatus eſt, ſicut Sergius Papa dixit, impoſitione verò manus indiget. Gregorius Epiſcopus Romanus, & Joannes Sacellarius ſic ſenſerunt.* Et deſumptum eſt ex Capitulari Compendienſi Regis Pipini anno Chriſti 757. in generali populi conventu condito. Videtur tamen in contrarium obſtare cap. 94. lib. 5. ubi habetur: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes, quos priùs baptizavit.* Hoc idem etiam legitur apud Burchardum lib. 4. cap. 74. Verùm in Concilio Compendienſi non legitur hæc clauſula, *& omnes, quos priùs baptizavit,* unde Gratianus cenſuit, expungendam eſſe, ut ſpuriam, & doloſè inſertam, quapropter apud Gratianum non legitur cauſa. 1. quæſt. 1. cap. 60. Si Presbyter, & Collectores decretales eam non habent, nec illius meminit Innocentius III. cap. Veniens, & cap. *Si quis Presbyter,* unde ſtat, urgente neceſſitate, ſeu imminente mortis articulo poſſe parvulum etiam ab infideli non baptizato baptizari, ſi non adſint fideles, qui tunc præferendi eſſent. Cæterum ſi Canones quandoque excludunt à miniſterio baptizandi infideles, & Paganos id ſtatuunt, eò quia hujuſmodi Pagani verbis evangelicis non adminiſtrarent, nec proferrent formam Baptiſmi, & quia deficiente forma Baptiſmus nullius eſt valoris, ideò Pontifices in tali caſu præceperunt, ut malè baptizati, ſeu invalidè iterum baptizarentur.

Verùm Laici ſive mares ſint, ſive mulieres Baptiſmum extra caſum neceſſitatis adminiſtrantes non excuſantur à peccato, ut etiam Clerici, quicunque illi ſint, ſive minoribus, ſive majoribus initiati ordinibus, quia officium baptizandi parvulos pertinet ad ſolum Parochum, vel Sacerdotem, cui concredita eſt cura animarum, quinimo hoc peccatum lethale eſt ex genere ſuo, quia eſt uſurpatio alieni muneris, ut loquitur S. Auguſtin. lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. Præterea quia in re gravi violatur præceptum Eccleſiæ. Et demum quia peccatur contra reverentiam Sacramento debitam; & ob has rationes graviter etiam delinquunt, qui pueros alteri, quàm proprio Parocho, vel Sacerdoti, cui conceſſum eſt hoc officium, offerunt baptizandos, & multo magis, ſi Laico, vel mulieri, vel Hæretico, aut non baptizato extra caſum neceſſitatis parvulum exhibeant cauſa Baptiſmi ſuſcipiendi. Ordo autem à fidelibus in miniſtrando Baptiſmo ſervandus ab Eccleſia, & qui ſervari ſemper debet, eſt, ut mulier, ſi vir quamvis Laicus adſit, non præſumat baptizare, ut neque Laicus præſente Clerico; neque Clericus coram Sacerdote; neque Sacerdos, ſi proprius adſit Parochus, quia ad hunc tantum pertinet miniſterium conferendi Baptiſmum, hunc ordinem etiam indicat Catechiſmus Concilii Tridentini, & Sanctus Carolus Borromæus in ſuis inſtructionibus circa Baptiſmum, ubi ait: *Illud verò cavendum eſt, quod etiam Parochus, prout occaſio tulerit, accuratè monebit, ut ne fœmina viro præſente, neque rurſus Clericus præſente Subdiacono, hicque itidem coram Diacono; nemoque præterea eorum coram Sacerdote baptizare audeat, ipſe autem norit ſibi licere, baptizare etiam præſente ſuo Epiſcopo. Et quoniam ſi vel à muliere, vel à Laico ſecus ſit, grave peccatum admittitur, id etiam monebit.* Quòd ſi præſente obſtetrice, quæ optimè formam norit Baptiſmi, adſit Laicus mas ignarus talis formæ, tunc obſtetrix baptizat in imminente mortis periculo puerum, & præfertur mari neſcienti formam Baptiſmi. Hinc obſtetrices, quæ baptizare conſueverunt, & formam tenent Baptiſmi, poſſunt baptizare, urgente neceſſitate, etiam præſente Laico ignaro ritus miniſtrandi hoc Sacramentum, ut etiam notat Sanctus Carolus Borromæus in ſuis inſtructionibus de Baptiſmo loco citato: *Graviſſimè Parochus monebit, quàm graviter illæ peccent, ſi quando mortis neceſſitate non cogente Baptiſmum, miniſtrare audent. Quamobrem illud etiam interdum opportunè nuntiabit, ut cum mulier propè parturâ ægrè ſe habet, de ejuſque partu timetur, ſtudeat in primis Parochum in tempore accerſere: aut ſi eum habere non poteſt, aliquem ex eccleſiaſticis Miniſtris; aut denique virum Laicum baptizandi peritum in promptu habere, ut ne obſtetricibus fœminis, niſi in ſumma neceſſitate, cui aliter provideri nullo modo poteſt, baptizandi locus unquam detur.* Parentes autem omnino caveant, ne liberos ſuos baptizent, ſine manifeſta neceſſitate, cùm ſcilicet alii quoquo modo apti non adſunt, & periculum urget, ac neceſſitas imminet. Et hoc itidem in pluribus Conciliis ſtatutum eſt.

CAPUT XI.

De Suſceptoribus, ſeu Patrinis parvulorum in Baptiſmo.

UT ritè, & ſolemniter miniſtretur Sacramentum Baptiſmi, præter Miniſtrum hujus Sacramenti requiruntur etiam ſuſceptores, ſive Patrini, ex antiquiſſima conſuetudine Eccleſiæ derivata ab ipſa traditione Apoſtolorum, ut colligitur ex Sancto Dionyſio lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 7. ubi ait: *Divis noſtris Ducibus (ſcilicet Apoſtolis) in mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctum modum, quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis pædagogo, & reliquum ſub ipſo puer ageret; ſicut ſub divino Patre, & ſalvationis ſanctæ ſuſceptore,* hunc autem Patrem ſpiritualem, ſive ſuſceptorem nomine pueri abrenuntiationes, & fidei profeſſionem edere, ac ſi dicat: Profiteor me huic puero, cùm per ætatem intelligere ſacra poterit, divinis meis inſtitutionibus perſuaſurum, ut adverſarius nuntium omnino remittat, & divina

Digitized by Google

promiſſi profiteatur, & exolvat. Nihil ergo abſurdum eſt, ſi ad divinum inſtitutum puer adducitur, cùm Ducem ac Sponſorem habeat, qui illum rerum divinarum ſcientiam doceat, & ab adverſariis ſartum tectum tueatur, & cuſtodiat. Hanc conſuetudinem adhibendi ſuſceptores, ſeu ſponſores, qui ſint patrini parvulorum, cum baptizantur, oſtendunt verba Tertulliani lib. de Baptiſmo cap. 18. ubi ait: *Quid enim neceſſe eſt, ſponſores etiam periculo ingeri*, cum Tertullianus floruerit ſub primis Eccleſiæ initiis, non eſt dubium, quin antiquiſſima ſit hæc ſuſceptorum conſuetudo in Baptiſmo parvulorum: hujus in Eccleſia moris meminit D. Auguſt. epiſt. 98. ad Bonifacium Epiſcopum inquiens: *Interrogamus eos, à quibus offeruntur parvuli, & dicimus, credit in DEUM? De illa ætate, quæ, utrum ſit DEUS, ignorat? Reſpondent, credit: & ad cætera ſic reſpondetur ſingula, quæ quæruntur*; & aliquibus interjectis ait: *Offeruntur quippe ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt, quàm ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque fidelium*; & apud Gratianum diſt. 4. de Conſecrat. cap. *Vos ante.* ait: *Vos ante omnia tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis, Fidejuſſores extitiſſe apud DEUM pro parvulis illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere. Ideóque ſemper eos admonere, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam ipſi tenete, & illis, quos ſuſcepiſtis, de ſacro fonte oſtendite*; quibus verbis officium indicatur, & obligatio ſponſorum, hi ſiquidem manibus parvulos tenent, cùm baptizantur, & pro iiſdem interrogationibus miniſtrantis Baptiſmum reſpondent, & cum adoleverint, tenentur eos inſtruere in Chriſti doctrina, ducere Apoſtolorum Symbolum, hortari ad culturam virtutum, ad ſtudia pietatis, ad obſervantiam divinorum præceptorum. Hinc D. Thomas convenientiam hujus ritus 3. part. quæſt. 67. art. 7. ex eo probat, quia Baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio, per quam parvuli geniti à parentibus in peccato, & filii iræ, regenerantur filii adoptivi DEI beneficio gratiæ ſanctificantis, unde 1. Petri 2. alloquens Petrus hos homines tinctos aqua Baptiſmatis ait: *Sicut modò geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite.* Sicut igitur, qui generantur, & naſcuntur infantes, indigent nutrice, à qua lac ſugant, & poſtea nutrimentum ſumant, & cum inceperint adoleſcere, etiam pædagogo, quorum opera inſtruantur, ac edoceantur bonos mores: perinde qui per Baptiſmum Chriſto regenerantur, aliqua indigent perſona prudente, ac pia, à qua veluti à nutrice hauriant rudimenta Chriſtianæ perfectionis, & poſtea veluti pædagogo inſtruantur in doctrina Chriſti, donec per exercitia virtutum, ac ſtudia pietatis evadant in viros perfectos.

Objiciunt igitur, ſponſorum ſeu ſuſceptorum in Baptiſmo eſt reſpondere pro ſuſcipientibus Baptiſmum, ſi ſint parvuli, & cum ad uſum pervenirent rationis, eos admonere Baptiſmi ſuſcepti, ac profeſſæ in Baptiſmo fidei, & ejuſdem fidei docere documenta, & præcepta ſervanda, ut & virtutes, quas Chriſtiani tenentur colere, ac exercere, ut in viros evadant perfectos, & præ cæteris eos inſtruere circa ſymbolum fidei, orationem dominicam, præcepta decalogi: hiſce omnibus obſtringuntur Sponſores in Baptiſmo, ſi neceſſitas immineat, & alii deſint inſtructores, & præſertim ſi baptizati fuerint inter infideles, ubi etiam aluntur à parentibus, vel Hæreticis, vel ad Religionem Catholicam recèns converſis, vel qui nondum ſuſceperint Baptiſmum. Qui verò inter Catholicos nutriuntur, & ex parentibus probatæ fidei nati ſunt, ſupponuntur parentes non deeſſe officio inſtruendi proprios filios, vel procurare iiſdem Magiſtros, à quibus inſtruantur in fide, aliiſque neceſſariis ad aſſecutionem ſalutis, quapropter D. Thomas 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 8. aſſerit, poſſe Sponſores, & Patrinos tunc excuſari ab obligatione inſtruendi parvulos, quos in Baptiſmo manibus tenuerunt, & pro iiſdem reſponderunt, quia præſumuntur à ſuis parentibus diligenter inſtrui. Si tamen quocunque modo oppoſitum ſentirent: tunc tenerentur ſecundùm ſuum modum curam impendere ſaluti filiorum ſpiritualium, ac eos inſtruere, ac docere Chriſtianam doctrinam. Parochi etiam tenentur pueros eandem Chriſti doctrinam docere, ac eos corrigere, quorum filios animadverterint ſcholas doctrinæ Chriſtianæ negligere, & non frequentare, imò & pueros ipſos punire, ſi puerilibus ineptiis, & vitiis dediti fuerint, ne per malam conſuetudinem morum corruptioni aſſueſcant, ſintque poſtea aliis ſcandalo, & ſibi perditioni. Non tamen eſt neceſſe, ut plures ejuſdem parvuli baptizandi ſint Sponſores, ſufficit enim unus tantùm, cum quo contrahitur cognatio ſpiritualis impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum; oritur enim inter ſuſceptores, ſeu patrinos, & baptizatum, nec non illius patrem, & matrem, ut inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, hæc ſpiritualis cognatio impediens matrimonium contrahendum, quapropter Eccleſia, ut provideret, ne inter plures hujuſmodi connexiones contraherentur, quæ impedirent, quò minùs legitimo matrimonii vinculo hominum latiùs inter homines ſocietas effunderetur, decrevit, ne plures parvulorum baptizandum de ſacro fonte ſuſciperent, ſed unus tantùm, ſive vir fuerit, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una, ut habetur in cap. *Veniens.* 6. *de connexione ſpirituali*, hoc idem etiam declaravit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reformat. matrim. cap. 2. cujus hæc ſunt verba: Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonium: in quibus vel non ſine gravi peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens ſtatuit, ut unus tantùm ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos & baptizatum ipſius, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptiſmum diſtribuendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceátque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla poſſint excuſari. Quòd ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factû fuerit, arbitrio ordinarii puniatur.

Digitized by Google

Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur confirmantem, & confirmatum, illiúsque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis. Hactenus Tridentina Synodus, cujus decretum plures continet partes, primò exigit, ut unus tantùm ſit ſuſceptor, vel ſuſceptrix ad baptizatum è ſacro fonte ſuſcipiendum. Secundò aſſerit, duos ad ſummum poſſe admitti, quorum unus ſit mas, & altera fœmina, eò quia pleriſque in locis id inolita conſuetudo obtinuerit. Tertiò prohibet omnino plures quam duos, marem & fœminam, poſſe admitti ad ſuſcipiendum de ſacro fonte baptizatum. Quartò ſpiritualem cognationem contrahi inter ſuſceptores, & ſuſceptum, & baptizati patrem, & matrem, ex quo ſequitur, ut nec patrinus filiæ ſuæ, vel ejus matri poſſit poſtea nubere, ut nec matrino patri ſuſcepti in Baptiſmo. Quintò hæc eadem cognatio ſpiritualis contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, ſeu Miniſtrum Baptiſmi, & eum, qui ab illo baptizatur, ut etiam ejuſdem baptizati Patrem, & matrem, adeo ut ſi Laicus, urgente neceſſitate, baptizaret puellam, non poſſet pro nullo tempore ducere in uxorem puellam baptizatam, neque illius matrem. Quòd ſi inter has perſonas commercium aliquod carnale intercederet, præter malitiam fornicationis peccatum aliam etiam contraheret ſingularem deformitatem, ac gravitatem inceſtus ſpiritualis, quæ circumſtantia eſſet in ſacramentali confeſſione neceſſariò aperienda, eò quia mutet ſpeciem. Sextò declarat itidem Concilium, ſpiritualem hanc cognationem contrahi duntaxat ab uno, vel una, qui ad baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiendum deſignati, & admiſſi ſunt, vel etiam ab uno, & una ſimul, ſi ambo admiſſi fuerint ad ſuſcipiendum baptizatum, & pro illo reſponderint, eumque tetigerint, cum baptizaretur. Quòd etiam S. Pius V. Pontificio diplomate, cui initium eſt: *Cum illius vicem.* emanatum anno 1566. confirmavit. Ad hanc autem ſpiritualem cognationem contrahendam nihil refert, ſive domi, ſive in Eccleſia, ſive quovis alio in loco patrini ſuſceperint puerum baptizatum, ac reſponderent pro eo, imò ſive cum cæremoniis in Eccleſia, ſive ſine ſolemni ritu Baptiſmus adminiſtretur, dummodo patrini deſignati ſint, & baptizatum teneant, offerantque, ejuſque curam ſuſcipiant; adeo ut laicus, qui domi inter parietes domeſticos urgente mortis neceſſitate puellam baptizavit, non poſſit poſtea nec ipſam, nec ejus matrem ducere in uxorem. Quòd ſi non ut patrinus, ſed ut homo ſerviens tantùm neceſſitati illi puellam baptizandam tenuerit, ad eum finem tantùm, ut alius poſſet eam abluere, ac baptizare, tunc non videretur ulla cognatio ſpiritualis ab eo contrahi, quia tunc non ut ſuſceptor, ſeu patrinus talem puellam tenuit, ſed tantùm ut vir eam adjuvans, & ſuſtentans, ne cadat: unde cùm non fieret patrinus, nec contraheret hanc cognationem ſpiritualem. Hoc idem etiam dicendum eſt de illis, qui puero jam domi propter mortis periculum baptizato patrini deſignantur, qui ſolemnibus cæremoniis ſupplendis aſſiſtant, ac nomen etiam imponant, quia ſpiritualis cognatio non contrahitur, niſi per aliquod Sacramentum, quod hic non concurreret, quia puer ſupponeretur, jam baptizatus, & patrini tantùm deſignarentur, ut aſſiſterent ſolemnibus cæremoniis ſupplendis, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt. 56. in ſupplemento art.* 2. Et id extenditur etiam ad Procuratorem, qui alterius nomine baptizandum è ſacro fonte ſuſcipit: quia hanc ſpiritualem cognationem non contrahit, qui nomine proprio non ſuſcipit parvulum è ſacro fonte, ſed tantùm is, cujus nomine agit, & cujus habet mandatum. Septimò declarat itidem Concilium alios à deſignatis patrinis, qui baptizandum tenuerint, vel tetigerint nullam cognationem contrahere, & ſimul derogat omnibus conſtitutionibus in contrarium, & præſertim illam, quæ habetur in cap. *Quamvis. de cognatione ſpirituali in 6.* Octavò eadem Synodus declarat cognationem ſpiritualem pariter contrahi in Sacramento Confirmationis inter confirmantem, & confirmatum ejuſque patrem, & matrem, & ſuſceptorem, & demum declarat hujus ſpiritualis cognationis impedimenta inter alias perſonas eſſe omnino ſublata, ſiquidem quæ olim intercedebat ſpiritualis cognatio inter patrem baptizati, & uxorem patrini, ut etiam inter duorum compatrum filios, per quorum alterum ad compaternitatem perveniretur, ut habetur in *cap. Ita §. eſt inter. cauſa 30. quæſt. 3.* & *cap. Poſt ſuſceptum. ibid.* & *cap. Tua nos extra de cognat. ſpirituali*, & aliis in locis per decretum Concilii Tridenti ſublata eſt, ne matrimonium inter tot perſonas contrahi impediretur. Videtur enim id cedere in detrimentum Reipublicæ, quia matrimonia non poſſunt ita libere contrahi cum omnibus perſonis, ſed tantum ad alios limitatur, & inde tot homines non multiplicantur, ſicut contingeret, ſi hæc impedimenta non adeſſent, nec prohiberet matrimonia contrahenda.

D. Thomas *quæſt. 56. in ſupplement. art.* 4. reſpondet cognationem ſpiritualem tranſire à viro in uxorem carnaliter cognitam ante compaternitatem, & *art.* 5. aſſerit, eandem tranſire etiam ad filios carnales patris ſpiritualis. Verùm hæc omnia tantùm de jure antiquo, ut explicat idem S. Doctor, & ſecundùm doctrinam receptam ſuo tempore in Eccleſia. Nunc verò poſt decretum Concilii Tridentini, quo derogatur omnibus antiquis conſtitutionibus, non amplius ita ſe extendit hæc cognatio ſpiritualis, quapropter ſi maritus, & uxor aliquem ex ſacro fonte ſimul ſuſcipiant jure conjugii uti poſſunt, ſicut priùs, ut declaravit Sanctus Pius V. in ſuo diplomate, quod incipit: *Cum illius vicem.* proinde nil prohibet, quin filius uxorem, aut filiam ſui patrini poſſit in uxorem accipere. Hac de cauſa Concilia prohibuerunt, ne plures poſſent eſſe patrini, ſed unus tantùm mas, & ad ſummum etiam una fœmina ſimul, & ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, hoc ſtatuit Synodus Lingonenſis. Quòd verò ad patrem, & matrem baptizati attinet, ipſi non poſſunt officium exercere patrinorum in illius Baptiſmo, niſi fortaſſis cogente pura neceſſitate; ratio eſt, quia ſicut generatio ſpiritualis diſtinguitur à carnali, ita etiam pater generationis ſpiritualis debet alius eſſe à patre generationis carnalis juxta textum D. Pauli ad Hebræ. 12. *Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reverebamur eos, non multo magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus*, ubi Apoſtolus diſtingnit patrem carnalem à ſpirituali, quatenus ſicut ille carni, & corpori filium genuit, ita & ipſe DEO, & Spiritui, ideoque alius eſſe debet pater ſpiritualis à carnali, niſi urgens neceſſitas contrarium exigeret, in quo caſu pater carnalis poſſet filium ſuum ex ſacro fonte ſuſcipere, ſicut & etiam baptizare: extra tamen cauſam urgentis neceſſitatis, niſi ignorantia excuſet, ſpiritualem contraxit cum uxore cognationem,

quâ

Digitized by Google

quâ fit, ut conjugale debitum nequeat ab ipſo petere: & idem judicium eſt de uxore, quæ filium ex ſacro fonte Baptiſmatis ſuſcepit, vel ſalutari lavacro luſtravit. Tenetur tamen debitum reddere, quamvis non poſſit illud petere, quia ex unius culpa non debet alter incommodum ſentire, alioquin puniretur pro pœna alterius, cum eſſet ipſe innocens, ita docet D. Thomas *quæſt. 56. in ſupplem. art. 1.* & habetur etiam in cap. *Pervenit. cauſa 30. quæſt. 1.* ubi dicitur: *Quòd viri, & mulieres, qui Sabbatho paſchali præ magno populorum concurſu proprios filios ex lavacro ſancto ſuſceperant, à thoro conjugali ſeparentur.* Verùm huic conſtitutioni derogant poſteriora decreta *in cap. Dictum eſt.* deſumptum ex Concilio Cabilonen. II. & ex cap. 31. cujus verba ſunt: *Dignum duximus, ut ſi quæ mulier filium ſuum deſidia, aut fraude aliqua coram Epiſcopo tenuerit ad confirmandum propter fallaciam ſuam, aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam. A viro tamen ſuo non ſeparetur.* Et in *cap. Noſſe.* legitur Nicolai I. reſponſum datum Solymitano Epiſcopo, quo uxorem, quæ filiaſtrum ſuum de ſacro fonte levavit, declarat, non eſſe à viro ſuo ſeparandam: inquiens: *Quos ideo jungi poſſe decernimus, quia ſecundùm ſacros Canones, niſi amborum conſenſu nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum, vel infirmitatem ejus non conſiderans: quaſi cauſa pietatis operatur impietatem,* ibid. cap. ad Limina refertur Joannis VIII. reſponſum datum Anſelmo Lemovicenſi Epiſcopo, eò quia Stephanum quendam, qui filium ſuum in mortis periculo conſtitutum, urgente neceſſitate, cùm non adeſſent Sacerdotes, nec alii, baptizaverat, declaravit Pontifex, non eſſe ſeparandam ab uxore. Demum cap. *Si vir extra decognatione ſpirituali,* habetur itidem reſponſum Alexandri III. datum Salernitano Epiſcopo, quo declarat compaternitatem inter conjuges, ſive ex malitia, ſive ex ignorantia ſupervenientem conjugium non diſſolvere, nec uſum prohibere matrimonii, ait Pontifex: *Nobis videtur, quòd ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam induci poſſint: quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus.*

Cæterum quamvis ex indulto ſacrorum Canonum, & Concilii Tridentini poſſint duo ſimul, mas & fœmina, eſſe ſuſceptores parvuli baptizandi, non tamen debent admitti ſimul vir, & uxor, licet enim poſſit eſſe alia fœmina, excluditur tamen, ſi illius vir ſit patrinus, imò excluduntur etiam excommunicati, interdicti, rei publici criminis, & omnes infames, ut concubinarii, uſurarii, ebrioſi, & qui, cum inimicis non ſunt reconciliati, ut etiam, qui paſchalis confeſſionis, & communionis neglexerint officium. Neque admittuntur pueri natu minores usque ad quatuordecim annos, ſeu impuberes, neque puellæ, antequam duodecimum attigerint, neq; qui ſui compotes non ſunt, nec ſana mente, ut nec etiam admittuntur ignorantes ſymbolum fidei, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, ac rudimenta fidei Chriſtianæ, de quibus omnibus debet Parochus eos interrogare, ſi ea de re dubitet, ut monet S. Carolus Borromæus in ſuo Concilio Mediolanenſi I. & in lib. 6. capitulariun cap. 182. ut etiam habetur in Concilio Pariſienſi lib. 1. cap. 54. ubi habetur: *Placuit, ut inſtruantur fideles, qui parvulos de ſacro fonte ſuſcipere cupiunt, ut intelligant, & vim ejusdem Sacramenti, & quid pro aliis ſpoponderunt, vel pro quo fidejuſſores extiterunt, & ſciant, ſe nullo modo ante aliorum patres efficere, quàm ſupra dicta diſcant, & intelligant, ſeu credant. Et ſi fidejuſſores pro terreno lucro damnari ſolent: quanto magis pro divino jure, ne damnentur, cavere oportet? illi tamen ab his officiis removendi ſunt, ne alios de ſacro fonte in Baptiſmate ſuſcipiant, nec etiam ad percipiendum Spiritus Sancti donum aliorum patrini exiſtant, qui & communione canonica privati, & publice pœnitentia ſunt ſubacti, donec per pœnitentiam ſatisfactionis reconciliationem mereantur, vel etiam illi, qui tale peccatum commiſſum habent, pro quo publica pœnitentia plectendi, & ligandi.* Neque patrini munere fungi debent, qui nondum confirmationis Sacramentum ſuſceperunt, ut eos excluſit S. Carolus in ſuis inſtructionibus Baptiſmi, & S. Antoninus 3. *part. tit. 14. cap. 3. §. 1.* ait: *Naſcitur homo in eſſe ſpirituali per Baptiſmum, & vivit utique vita gratiæ, ſed adhuc eſt quaſi debilis in vita ſpirituali: ſed per Confirmationem vel Chriſmationem confirmatur, quaſi perveniens ad ætatem robuſtam, ut poſſit bellare, & fortia agere. Unde ut debilis accedens baptizandus ad hoc debet ſuſtentari ab alio, qui tamen ſit chriſmatus. Nam debilis non eſt idoneus ad ſuſtentandum debilem, ne ambo ſimul cadant.* Per Sacramentum Confirmationis vires baptizati augentur, magisque vir Chriſtianus corroboratur in fide, & ad ſuperandos aſſultus, & tentationes Diaboli, unde, qui hoc Sacramento non eſt munitus, eſt adhuc valdè debilis, & illi non ſuppetunt vires, ut valeat alium ſuſtentare: & quia non baptizatus adhuc eſt debilior, ſequitur, quòd non confirmatus Sacramento Chriſmatis minimè cenſeatur idoneus ad ſuſcipiendum in Baptiſmo, & ſuſtentandum non baptizatum, hinc Parochus tenetur cavere, ne peregrini, & hoſpites ignoti, quorum domicilium cum longè abſit, ne ſint patrini in hoc Sacramento Baptiſmi, nec alios è ſacro fonte ſuſtineant, quia de hiſce ſemper rationabiliter dubitatur, an Sacramentum Confirmationis ſuſceperint, ſacroque Chriſmate peruncti fuerint. A fortiori ſunt etiam excludendi Hæretici, & Schiſmatici, ut decrevit Concilium Moguntinum relatum in *cap. In Baptiſmate diſt. 4. de Conſecrat.* & Concilium Remenſe coactum anno 1583. in quo injungitur Sacerdoti, ut clara ac diſtincta voce omnes, qui puerum baptizandum ad Eccleſiam comitati ſunt, vel ſaltem patrinum, & matrinum, nunquid velint vivere, ac mori in Eccleſia Catholica Apoſtolica, & Romana, abnuentes ab officio ſuſcipiendi excludat. Quòd ſi fateantur, ſe velle in fide Catholica perſeverare, & mori, tunc interrogantur, an Sacramentum Chriſmatis ſuſceperint, & qui nondum deprehenduntur Chriſmate peruncti, excluduntur ab officio patrini. Quinimò S. Carolus Concilio I. Provinc. Mediol. in ſuis Inſtructionibus Baptiſmi etiam vult, ut Parochus præmoneat accuratè parentes paulò ante Baptiſmi adminiſtrationem, ut Compatres tales deligant, quales eos eſſe oportet, ſcilicet qui vitæ exemplis Chriſtiana diſciplina, caſtisque moribus alios inſtruere debent. Itaque in hoc delectu non nobilitatis, non divitiarum, non potentiæ, non authoritatis, non poteſtatis, non amicitiæ, non cujusque alterius commodi emolumentivè rationem habebunt: ſed eos potiùs eligant, qui filiorum animæ magis conſulere, quam qui inopiæ ſubvenire poſſunt. Ruſus Monachi, & religioſi regulares, imò & Moniales admitti non debent ad ſuſcipiendos pueros è ſacro Baptiſmi fonte, idque

habetur

Digitized by Google

habetur in cap. non licet dist. 4. de consecrat. & depromptum est ex Concilio Antisidoronensi cap. 25. Ubi habetur: *Non licet Abbati vel Monacho de baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Et c. Monachi ead. dist. *Monachi sibi Compatres, commatresque non faciant, neque osculentur fœminas.* Regulares pariter excluduntur ab officio Patrinorum à pluribus Conciliis, præsertim Matiensi II. Remensi, Butilicensi, & Aquensi, ubi dicitur: *Compater ne adhibeatur regularis aliquis, nec possim clericus sæcularis sacris initiatus, aut beneficium ecclesiasticum obtinens*: & Synodus Remensis, quæ coacta fuit anno 1583. habet: *Convenire judicamus, ut Episcopus in propria diœcesi, Parochus in sua parochia; & initiatus Sacris Ordinibus in sua residentia, vel beneficii loco pueros de sacro fonte non suscipiant.* Quinimò quod spectat ad Clericos sæculares sacris ordinibus initiatos, & Episcopos non est ita commune, quod possint è sacro fonte baptizatos suscipere, cum & ipsi religiosi sint, ac sacris Ordinibus initiati.

Parochus nunquam debet permittere, ut iis, qui sunt baptismum suscepturi ea imponantur nomina, quæ aliquam præseferunt turpitudinem, vel ridicula sunt, vel quæ impiorum, vel impurorum hominum memoriam refricant: sed tantùm nomina eorum, qui ob veræ pietatis, & sanctæ Religionis, ac virtutis Christianæ laudem sanctorum catalogo adscripti sunt; ut in ipso vitæ limine, & impressa profiteantur, se ne nomen quidem velle cum Ethnicis habere commune; ac velle cælites imitari in exercitiis virtutum quorum nomina deferunt, & quos Advocatos, & Patronos sibi delegerunt. Nomina itidem Sanctorum Patrum veteris testamenti non permittit Parochus parvulis, qui baptizantur imponi, ut cum Judæis conveniant in nominibus Christiani; est enim uberior gratia, quæ confertur in novo testamento, quam quæ in veteri impertiebatur, propterea magis conveniens, ac decens est, ut parvulis, qui lustrali baptismi fonte abluuntur, nomina imponantur sanctorum, qui in novo floruerunt testamento, ut fuerunt Apostoli Sancti Patres, & alii, qui vitæ pietate & cultura virtutum commendantur.

Adultis qui baptizantur, quia utuntur ratione, duo sunt necessaria actus fidei, & prævia pœnitentia seu dolor sincerus de peccatis anteactæ vitæ. Quòd in ipsis necessarius sit ad assequendam baptismi gratiam actus fidei, quo verè ac sincerè credant mysteria nostræ fidei liquet ex verbis Christi, Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hoc idem asserit Apostolus scribens ad Hebræ. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad DEum, qui est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et Actor 8. narratur, quod cum Eunuchus Philippo dixisset: *Ecce aquam, quis prohibet me baptizari?* & Philippus respondit: *si credis* ex toto corde; licet, & respondens ait: *Credo, Filium DEI esse JESUM Christum.* Unde Philippus exegit veram, & sinceram fidem in Eunucho, ut necessariam dispositionem, qua posset suscipere gratiam baptismi, hocque fuit semper consuetudo in Ecclesia, quæ baptizandos semper consuevit interrogare, an crederent; & ex antiqua disciplina tradendi Symbolum competentibus, quod certa die, antequam baptizarentur, redderent, seu memoriter recitarent ex aliquo editiore loco coram fidelium frequentia, ut notat Divus Augustinus *lib. 8. confess. cap.* 2. & pluribus aliis in locis, præsertim lib. 1. de Symbolo ad Catechum. & habetur etiam in cap. Symbolum dist. 4. de consecrat. & ex Concilio Bracharensi II. can. 1. Ubi statuitur *ut ante viginti dies baptismi ad purgationem exorcismi Catechumeni concurrant, in quibus viginti diebus symbolum quod est Credo in DEUM Patrem omnipotentem spiritualiter edoceantur*, & etiam ex Concilio Agathensi Can. 13. ubi dicitur: *Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis stata die seu ante octo dies dominica resurrectionis publicè in Ecclesia competentibus prædicari.* Hoc ideò luculenter etiam confirmat Divus Augustinus homil. 5. ad Neophitos, ubi ait: *Descendistis in fontem Sacrum, fontem redemptionis, fontem sanctificatum virtute cœlesti. In hoc ergo fonte, antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus, credis in Deum Patrem Omnipotentem? respondistis, credo; rursus interrogavimus, credis & in JEsum Christum Filium ejus, qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine? respondistis singuli, credo. Iterum interrogavimus: Credis in Spiritum Sanctum? respondistis similiter, credo. Hoc autem fecimus juxta nostri Domini Salvatoris imperium, qui cum ad Patrem in cœlum ascenderet, Apostolis mandavit dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; quod autem interrogavimus, credis sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem? non eo modo interrogavimus, ut quomodo in DEUM creditur, sic & in ecclesiam sanctam catholicam, quæ propterea sancta, & catholica est, quia rectè credit in DEUM, crederetis; sed intelligite nos dicere, & dixisse, ut in ecclesia sancta catholica conversantes in Deum crederetis, crederetis etiam resurrectionem carnis, quæ futura est.* Hinc Divus Thomas 3. part. quæst. 68. art. 8. ex eo quod beneficio baptismi imprimatur in anima baptizati Character, eique impertiatur gratia sanctificans, exinde infert, aliquid ex necessitate dupliciter ad baptismum requiri: Uno modo, sine quo gratia haberi non potest, quæ est ultimus effectus Sacramenti, & hoc modo ait, rectam fidem ex necessitate requiri ad baptismum, quia, ut scribit Apostolus ad Romanos 3. *Justitia DEI est per fidem JESU Christi*, alio itidem modo requiritur aliquid ex necessitate ad suscipiendum baptismum, sine quo ejus character non imprimitur, & hoc pacto recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Non enim Sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis, vel suscipientis baptismum, sed per virtutem DEI, & hanc distinctionem videtur Divus Thomas sumpsisse ex cap. Sicut dist. 4. de consecrat, & textus depromptus est ex Divo Augustino lib. 3. de baptismo c. 14. Ubi ait: *Non interest, cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum: interest quidem plurimum ad salutis viam; sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.* Confirmatur ex cap. Ecclesia ead. dist. Quod pariter depromptum est ex Divo Augustino lib. 4. de Baptismo cap. 1. ubi ait: *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem baptismum ejus etiam homines foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem percipere, vel tenere.*

Aliud necessario requisitum ad suscipiendam gratiam, quæ beneficio baptismi confertur baptizato, in adultis est pœnitentia seu verus, ac sincerus dolor de peccatis anteactæ vitæ, & hoc secundum etiam docet Divus Petrus, ut habetur in Act.

Apoſtolorum 2. v. 38. cum ingens hominum multitudo acceſſit ad Apoſtolos, quæſitura, quid agere deberent, reſpondit: *Pœnitentiam agite*, & baptizetur unusquisque veſtrum, & Actor. 3. v. 19. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, unde ex Apoſtolorum Principe, ut adulti gratiam per baptiſmum poſſint obtinere, neceſſaria eſt pœnitentia, ſeu dolor, ſincerus de peccatis anteactæ vitæ, alioquin ſuſcipit quidem baptiſmum, & ejus characterem, non tamen gratiam ſanctificantem ob impedimentum, quod eidem opponitur, ſeu peccatum non retractatum. Hoc idem etiam aſſerit Divus Paulus ad Romanos c. 6. ubi oſtendit, eum debere peccatis emori, qui cupit per baptiſmum regenerari, ac renaſci, etenim ſcribit Apoſtolus: *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato; ut gratia abundet? abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto JESU, in morte ipſius baptizati ſumus, Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hoc idem etiam aſſerit Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 6. inquiens: *Neque ego, renuo beneficium, id eſt abolitionem delictorum inituris aquam omnimodo ſalvum eſſe; ſed ut eo pervenire contingat, elaborandum eſt: Quis enim tibi tam in fide pœnitentiæ viſo aſperginem unam cujuslibet aquæ commodabit? Lavacrum illud obſignatio eſt fidei, hæc fides a pœnitentiæ fide incipitur, & commendatur, Non ideo abluimur, ut delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus; quoniam jam corde loti ſumus. Hæc enim prima audientis intinctio eſt, metus exinde quo ad Dominum ſenſeris fides ſana conſcientia ſemel pœnitentiam amplexata.* Dogma illud egregiè propugnavit Sanctus Auguſtinus lib. de fide & operib. cap. 1. Contra quosdam, quibus videbatur omnes absque ullo diſcrimine eſſe baptizandos, tametſi malam ac turpiſſimam vitam, plenam facinoribus, & corruptam flagitiis egiſſent, nec ullum ſignum pœnitentiæ ac mutandi vitam dare vellent, quinimò etiam in perpetratis flagitiis ſe perſeveraturos teſtarentur, præpoſterum enim ducebant debere priùs Chriſtianum edoceri, quomodo vivere debeat, & poſtea baptizari, putantes priùs eſſe baptizandos, & poſtea docendos, adeo ut præcedere debeat baptiſmi Sacramentum, ut deinde ſequatur vita proba, & morum doctrina: quam ſi tenere & cuſtodire voluerit, laudabiliter fecerit, ſin autem noluerit retenta fide Chriſtiana, ſine qua in æternum periret, in quolibet ſcelere & immunditia permanſerit, ſalvum eum futurum tanquam per ignem, veluti qui ædificaverit ſuper fundamentum, quod eſt Chriſtus, non tamen aurum, argentum, lapides pretioſos, ſed lignum, fœnum, ſtipulam, id eſt, non juſtos caſtosque mores, iniquos, & impudicos, quem errorem acriter impugnat D. Auguſtinus ex verbis S. Petri exigentis ab accedente ad baptiſmum ſuſcipiendum non ſolam fidem, ſed etiam pœnitentiam baptizandis perneceſſariam. Cum enim dixiſſet, *quid faciemus?* reſpondit eis Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrûm in nomine Domini JESU Chriſti in remiſſionem peccatorum*, quibus verbis clarè indicatur *veteris vitæ exſpoliatio, ut nova induantur, qui baptizantur, qui autem fructuoſa eſt pœnitentia, quæ agitur de mortuis operibus? ſi in adulterio perſeveret, aliisque ſceleribus, quibus dilectio mundi hujus involvitur.* Hoc ſatis apertè præſignificavit tranſitus Iſraelitarum per mare rubrum; prius enim neceſſe fuit, ut ex Ægypto diſcederent, poſtea proficiſcerentur ad mare rubrum. Quid per Ægyptum ſignificatur quàm vita perperam ac peccatis corrupta anteacta? hanc igitur deſerere tenentur, qui pervenire ad undas maris rubri, & ſicco veſtigio ejus ſinum trajicere cupiunt, ſeu vitioſam relinquere vitam, & prius à qualibet pravitate diſcedere, & poſtea ad baptiſmi lavacrum pervenire. Ipſa enim ſeparatio ab Ægyptiis diſceſſum à peccatis ſignificat, quam baptizandi tenentur profiteri, quapropter Apoſtolus ſcribens ad Hebræos cap. 6. ait: *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectiora feramur, non rurſus jacientes fundamenta pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fides ad DEUM, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni.* Unde Auguſtinus: *Quid eſt à mortuis operibus pœnitentia, niſi ab his, quæ oportet mortificari, ut vivamus? quæ ſi adulteria, & fornicationes non ſunt, quid jam inter opera mortua nominandum eſt? ſic autem non ſufficit profeſſio receſſionis à talibus niſi etiam lavacro regenerationis cuncta præterita, quæ velut perſequuntur peccata, deleantur, ſicut non ſufficit Iſraelitis, recedere ab Ægypto, niſi ea, quæ inſequebatur hoſtium multitudo, ejusmodi maris fluctibus interiret, qui DEI populo tranſituro, liberandoque patuerunt. Qui ergo profitetur, ab adulterio nolle ſe mutare, quomodo per mare rubrum ducetur, quod ab Ægypto adhuc recuſet abſcedere.* Hinc meretrices, hiſtriones ac publicæ turpitudinis profeſſores, niſi eos priùs pœniteat peccatorum ac vitæ turpitudinem deſerant, non admittuntur ad lavacrum baptiſmi, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Galat. 5. v. 25. & 1. Corinth. 6. *Quicunque talia agunt, regnum DEI non poſſidebunt*, unde priùs neceſſe eſt, ut anteactæ vitæ errores corrigant, maculas peccatorum cultro pœnitentiæ deleant, & vincula diſſolvant, quibus turpitudini illigabantur peccatorum.

Hoc idem docet Divus Thomas 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 4. & ex eo probat, quia per baptiſmum homines Chriſto incorporantur; ſcribit enim Apoſtolus ad Galat. 3. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ſed quamdiu quis habet voluntatem peccandi, non poteſt eſſe Chriſto conjunctus, quia ut idem Apoſtolus ſcribit 2. ad Corinth. 6. *Non eſt participatio juſtitiæ cum iniquitate*: qui igitur per baptiſmum vult Chriſto incorporari, neceſſe eſt per pœnitentiam peccata prius obliteret, ac omnem eradicet ad ipſa adhæſionem. Secundò quia in operibus CHRISTI, & Eccleſiæ nil debet fieri, quòd ſit fruſtraneum, ac nullius utilitatis; quod autem non conducit ad finem, ad quem ordinatur, fruſtraneum eſt, ac nullius utilitatis, atqui qui adhæret peccato, & non vult ab illo diſcedere, non poteſt cum eadem voluntate pervenire ad finem baptiſmi, qui eſt mundari à peccato: ſiquidem qui habet voluntatem peccandi, non poteſt ſimul habere voluntatem ſe mundandi à peccato: alioquin vellet contradictorium ſeu peccatum & non peccatum. Tertiò quia in Sacramentalibus ſignis non debet eſſe aliqua falſitas, ſed eſt ſignum falſum, cui res ſignificata non reſpondet: ſed ex eo, quod aliquis velit per baptiſmum lavari ſeu purgari à maculis peccatorum ſignificatur, quod ſe velit diſponere ad gratiam ſuſcipiendam, & ad interiorem ablutionem, adeo ut extrema corporis ablutio in Baptiſmo ſignum ſit internæ ablutionis animæ,

quod

Digitized by Google

quod signum esset falsum, quia non responderet interiori ablutioni animæ, siquidem in eo, qui habet propositum perseverandi in peccato, perseverat peccati macula, cum qua non stat interna animæ ablutio. Hinc constat nolentibus se peccatorum pœnitere, neque anteactæ vitæ emendationem instituere, non esse baptismum conferendum. Rursus D. Thomas ad secundum asserit, Medicum spiritualem seu Christum operari dupliciter, uno modo interius per se ipsum, quo pacto ita præparat hominis voluntatem, ut velit bonum, & malum avertetur: alio modo operantur per Ministros exterius adhibendo Sacramenta: & hoc pacto operatur perficiendo exterius, quod est interius inchoatum: ideoque Sacramentum baptismi non esse exhibendum nisi ei, in quo interioris conversionis signum aliquod appareat. Sicut nec Medicus corporalis adhibet medicinam infirmo, nisi in eo aliquis motus vitalis naturæ appareat: hæcque ratio, cur Catechumeni non permitterentur baptizari, nisi prius & mores emendarent, & pœnitentia anteactæ vitæ delerent peccata, & mysteria nostræ fidei addiscerent, qua de causa Catechesibus priùs instruebantur, ac legem Christianam docebantur, & exorcismis purgabantur, ac pœnitentia emundabantur. Et hæc duo etiam edocet Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6. ubi edisserit modum præparationis ad justificationem in adultis, inquiens: *DEUM tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant: ac propterea moveantur adversus peccata per odium aliquod & detestationem; hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agere oportet, & proponant suscipere baptismum, & inchoare novam vitam, ac divina mandata servare.* Et quibus liquet, eos esse à baptismo suscipiendo arcendos, qui detrectant se corrigere, & à peccatis abstinere, quia cum ablutio externa baptismi sit signum internum animæ ablutionis, & abstersionis à macula cujusque peccati, sequeretur, quòd baptismus esset signum falsum, quia non corresponderet significato per ipsum. Siquidem per baptismi beneficium fideles abluuntur, ac mundantur à qualibet macula peccati non solum originalis, sed etiam actualis, & etiam recipit gratiam sanctificantem, qua fit Filius Dei adoptivus, ac particeps æternæ hæreditatis in coelis, quod est maximum beneficium à DEO fidelibus impertitum, quia cum essemus, ut ait Apostolus ad Ephes. 2. *natura filii iræ, sicut & cæteri. munificentissimus DEus ob suam infinitam bonitatem & misericordiam, & propter nimiam suam charitatem qua dilexit nos cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia salvati estis) & conresuscitavit, ac sedere fecit in cœlestibus in Christo JESU, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo JESU. Gratia enim estis salvati per fidem & hoc non ex vobis, DEI enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

CAPUT XII.

De effectibus Baptismi.

Plures esse baptismi effectus, qui causantur in baptizato, satis exploratum est ex sacris scripturis, Conciliis, & Sanctis Patribus. Baptismus enim imprimit characterem, quo baptizatus distinguitur à cæteris hominibus, qui non fuerunt baptismo abluti. Rursus delet maculam peccati originalis, qua nascimur filii iræ, imo etiam peccata actualia, si quæ sunt, & ejus beneficio nobis Deus suam itidem impertitur gratiam, qua sanctificamur, & ex filiis iræ efficimur filii adoptionis, & participes divinæ naturæ, hinc Ezechiel. cap. 36. v. 25. & 26. prophetando prædixit, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri*, quod de baptismo, & remissione omnium peccatorum per admirabilem illius virtutem concessa explicant S. Cyprianus *epist.* 26. S. Hieronymus, Theodoretus, & alii Sancti Patres. Hoc idem etiam præsignificavit Zacharias cap. 13. *In die illa erit fons patens domus David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Hic autem fons patens est baptismus, quia Gentibus omnibus patet, quapropter Christus misit suos discipulos, *euntes per mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, in hoc enim fonte maculæ absterguntur peccatorum, & anima menstruata per sordes peccatorum expurgatur, ac plenè mundatur. Hoc idem Micheas Propheta etiam prædixit cap. 17. v. 19. *Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* In novo Testamento etiam hæc veritas asseritur, siquidem ait Divus Petrus Actor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrùm in remissionem peccatorum*, & Ananias ad Saulum cap. 22. ait: *Baptizare, & ablue peccata tua.* Et ipse Divus Paulus ad Roman. 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Hoc scientes, quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.* Postea concludit: *ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem DEO in Christo JESU Domino nostro*: ex hoc infert Divus Thomas 3. part. quæst. 69. art. 1. beneficio baptismi incipere hominem baptizatum emori vetustati peccati, & vivere novitati gratiæ per JESUM Christum, cujus morte vivificati sumus: peccata singula ad pristinam vetustatem pertinent, & quia tota vetustas deletur, ut novitas gratiæ efflorescat; ita necesse est, ut per lavacrum baptismi omnia præcedentia peccata deleantur; hinc Apostolus 1. ad Corinthios 6. loquens de iis, qui diuturno tempore mortui divinæ gratiæ consepulti marcuerunt sub ingenti noxarum cumulo, & postea beneficio baptismi revixerunt. *Et hoc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in Nomine Domini Jesu Christi, & in Spiritu DEI nostri*, quibus verbis clare ostenditur contra sectarios, peccata non radi, non imputari, sed perfectè remitti, totaliter deleri, adeo ut ampliùs non sint, neque solùm dicantur tegi, sed plene tolli, ut Ecclesia catholica in Symbolo profitetur: *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*: si peccata remittuntur, non retinentur; si delentur, non teguntur. Idque Sancti Patres pluribus figuris nobis demonstrant; Sancti

Digitized by Google

ctus Ambrosius lib. de initiandis cap. 2. sub figura diluvii totam mergentis terram sub aquis, ait ipse: *Vides aquam? vides lignum, columbam aspicis, & dubitas de mysterio? Aqua est ergo, qua caro mergitur; ut omne abluatur peccatum, sepelitur illis omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est, Dominus JESUS, cùm pateretur pro nobis. Columba est, in cujus specie descendit Spiritus Sanctus, quo tibi pacem animæ, ac tranquillitatem mentis inspirat: Corvus est figura peccati, qui exit, & non revertitur, si in te quoque justi custodia, & forma servetur;* sicut igitur diluvium omnes homines, omnesque iniquitates, ac turpitudines peccatorum extinxit, ac delevit: ita aqua baptismi omnia anteactæ vitæ peccata delet, non tegit, vel cooperit: & totaliter extinguit, ut amplius non sint; & columba innocentiæ symbolum olivæ ramum Spiritui exhibet, seu internam pacem & conscientiæ quietem, mentisque tranquillitatem; & sicut corvus ita exivit ab arca, ut non fuerit amplius reversus; perinde peccatum semel exclusum, ac remissum per baptismum non amplius revertitur, nec inficit conscientiam. Secunda Figura baptismatis est transitus maris rubri, per quod sicco vestigio populus Hebraicus profectus est incolumis, & totus Pharaonis exercitus submersus periit; ait Divus Ambrosius: *In mari rubro Ægyptius periit, & Hebræus evasit. Quid enim aliud in hoc quotidiano Sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur, & error aboletur: pietas autem, & innocentia remanent.* Tertia figura est abiutio in aquis Jordanis Naamani Syri, ejusque mundatio à Lepra; cùm monetur à puella ex captivis Israelitis, quod in Judæa esset Propheta, à quo posset à lepra mundari, venit ipse in Judæam ad Elisæum, cujus consilio cum septies aqua Jordanis se abluisset, ita à lepra mundatus est, ut ejus caro pura, vegeta, ac tota munda apparuerit, perinde ac esset caro pueri. Aqua Jordanis Symbolum præsefert aquæ baptismatis, & lepra peccatorum; quæ aquis baptismi ita delentur, ut nullum post se vestigium relinquant. Pergit Sanctus Ambrosius: *Illa puella ex captivis junior est ex gentibus congregatio, id est, ecclesia Domini depressa ante captivitatem peccati, quando libertatem adhuc gratiæ non habebat, cujus consilio populus Nationum verbum audivit propheticum, de quo ante dubitavit. Postea tamen, ubi credidit exequendum, ablutus est ab omni contagio vitiorum.*

Asserendum est igitur primò, præcipuum, ac primum Baptismi effectum esse cujuscunque peccati, sive originalis, sive personalis, & actualis à nobis patrati plena, ac perfecta remissio; quia baptismus est nova regeneratio, quâ renascimur gratiæ, cui per peccatum mortui eramus. Hocque dogma fidei evincit Divus Augustinus lib. c. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 13. inquiens: *Dicimus, Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. Nam & istam similitudinem comperi sua Pelagianos adhibere calumnia, quasi hoc nos sentiamus, atque dicamus.* Et can. 3. libr. 3. expressè ait: *Baptismus abluit peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt.* Hoc idem definitum fuit in Concilio Florentino in decret. unionis §. 1. ubi habetur: *Hujus Sacramenti* (seu Baptismi) *effectus est remissio omnis culpæ, originalis, & actualis:* quod etiam deleat peccata venialia, liquet ex sequentibus, etenim subjungit: *Omnis quippe pœna, quæ pro ipsa culpa debetur: propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum, & DEI visionem perveniunt:* Sin autem Baptismus sua virtute non extenderetur ad remittenda venialia, non posset pœna illis debita condonari, quia non potest saltem de lege ordinaria condonari pœna perseverante culpa. Præterea non posset adultus baptizatus statim post baptismum avolare ad cœlestem gloriam, quia nihil coinquinatum potest in regnum cœlorum ingredi. Rursus non esset verum, quod nulla satisfactio esset injungenda baptizato pro peccatis ante actæ vitæ, quia posset injungi satisfactio pro venialibus nondum condonatis; quod adversatur Concilio Florentino: ergo baptismus delet peccata omnia, originale, actualia, lethalia, venialia, commissa ante baptismum. Tum quia Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. docet, homines per susceptum baptismum renasci DEO innocentes, immaculatos, puros, innoxios, hæredes DEI, cohæredes Christi: ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur: atqui remoraretur adultus baptizatus, si unà cum originali non delerentur in ipso omnia peccata venialia, quia hæc quamdiu non remittuntur, retardant ab ingressu regni cœlestis. Hæc idem docent Sancti Patres, præsertim Augustinus locis superius citatis, & lib. 1. De Peccatorum meritis cap. 15. ubi ait: *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.*

Hæretici tamen, præsertim nostri temporis, putant in justificatione impii peccata tantùm non imputari, non verò tolli, nec perfectè deleri ac totaliter remitti; & ex eo nituntur, quia David Psal. 31. ait: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum sunt tecta peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Et ajunt, hoc idem confirmari ex Apostolo 2. ad Corinth. 5. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum:* ex quo inferunt, DEum in reconciliatione mundi, seu peccatorum sibi id tantum agere, quia peccata ipsorum non imputat ipsis quoad pœnam; & per hoc quod ipsis non imputet peccata, peccatores justificari. Sed contra, quia DEus eatenus dicitur non imputare peccata, quatenus ipsa delet, ac verè remisit; perinde ac Chirurgus, qui vulnera tegit, ut sanet, ac totaliter tollat, auferatque: Non verò ita Deus dicitur peccata tegere, ut maneant ac vivant. Nihil enim est Deo absconditum, nihil conspectum ejus fugit, nisi quod non est; quia, ut scribit Apostolus ad Hebr. 4. *Omnia nuda sunt & aperta oculis ejus,* quapropter peccata respectu Dei non possunt dici tecta, alioquin daret aliquid, quod illum lateret, nec omnia aperta essent oculis ejus, quia quod est tectum, non est apertum. Hinc D. Augustinus expendens præfatum textum ait in Psal. 31. enar. 2. *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt; si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, noluit agnoscere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Nec sic intelligatis, quòd dixit, peccata cooperta sunt, & quasi ibi sint, & vivant. Tecta ergo peccata, quare dixit? ut non viderentur.* Sed omne quod est, non potest subterfugere DEI cognitionem, quæ cum sit infinita, debet necessario cognoscere res, ut sunt: quia verò peccatum remissum amplius non est, ideo non cognoscitur à DEO, ut sit, sed solùm quatenus fuit, & amplius non est, quia remissum, quia totaliter deletum. Tegit mi-

lericors

sericors Deus peccata instar chirurgi, ut sanet, & totaliter deleat. Textus sacræ scripturæ, ut rectè intelligantur, debent explicari per illos, qui sunt clariores: ex aliis scripturis constat, peccata non alio sensu dici tegi, & non imputari, nisi quia totaliter delentur, & auferuntur: hinc David Psal. 50. *Omnes iniquitates meas dele, cor mundum crea in me Deus. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et Spiritum rectum innova in visceribus meis. Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* Non dicit David, iniquitates meas tege, sed dele, hoc est, ut amplius non sint: hinc Deum rogat, ut *cor mundum in ipso creet*, hoc est, depuratum ab omni peccati macula, ut nihil supersit de prædicto, propterea ait, *crea*, quia creare est totum de nihilo extrahere, & de non esse traducere ad esse, adeo ut totum sit novum, quod antea non erat. Præterea ait: *lavabis me, & super nivem dealbabor*, seu ne ullum supersit maculæ vestigium, ideo ait: *& super nivem dealbabor.* Rursus Isai 43. ait: *ego sum iste, qui deleo iniquitates tuas propter me*; dicit *deleo* seu totaliter aufero, ut non amplius appareant, nec sint: quod autem tegitur, quamvis non appareat, nihilominus est, & non dicitur deletum. Micheæ 7. *Quis Deus similis tui, qui aufert iniquitatem*; quod autem aufertur, non amplius est, & quod tantum tegitur, adhuc est sub tegumento, Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: non dicit, non *imputat*, sed *tollit*, quia amplius non sunt. Præterea textus Apostoli non favet errori Hæreticorum, siquidem eatenus Deus dicitur hominibus non imputare delicta, quatenus eos sibi reconciliat, & ex inimicis sibi constituit amicos. Sed reconciliatio quid ampliùs significat, quàm solam negationem imputationis peccati, ut colligitur ex verbis Apostoli ad Colossenses cap. 2. ubi ait: *Et vos cum mortui essetis in delictis, & preputio carnis vestræ: convivificavit cum illo donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirographum decreti*; ubi *delere* idem significat ac totaliter tollere, & auferre, ut amplius non sit.

Sed sectarii hisce testibus luce meridiana clarioribus adhuc non acquiescunt, & cæcutiunt in sole; ajunt ipsi: Concupiscentia manet in hominibus baptizatis post baptismum: sed concupiscentia est peccatum, ut loquitur Apostolus ad Rom. cap. 3. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*; & rursus, *Non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum*; ex eo igitur, quòd baptismus non tollat concupiscentiam, sequitur quòd nec peccatum totaliter deleat. Sed contra, quia licèt in baptizatis maneat concupiscentia; non sequitur manere etiam peccatum; quia concupiscentia non habet rationem formalem peccati; sed tantùm est ejus effectus, quatenus peccante Adamo portio in homine inferior rebellavit contra superiorem, & recalcitravit rectæ rationi, quam rebellionem senserat Apostolus in se ipso, cum dixit: *video aliam legem in membris meis* &c. Effectus igitur peccati, ut sunt motus concupiscentiæ, infirmitates, dolores, fames, sitis, & mors ipsa perseverant etiam post baptismum, quamvis non perseveret peccatum. Apostolus igitur vocat concupiscentiam peccatum; quia ex peccato relicta est in homine, & quia etiam inclinat ad peccatum; ut notat Tridentina Synodus sess. 5. can. 5. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem; hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit. Quæ cùm ad agonem relicta est, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet. Quinimò qui legitimè certaverit, coronabitur; hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè sit peccatum remanens in renatis, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Concupiscentiam propriè, & verè non esse peccatum, nisi pravis ejus motibus quis adhærescat, & assentiatur, ostendunt verba Apostoli ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*: quod tunc contingit, quando concupiscentiæ incitanti ad peccatum non assentimur; sed pravos ejus motus ad illicita coercemus & compescimus: si enim concupiscentiæ sollicitanti ad turpia non præstamus assensum, ipsa peccatum in nobis non est: quin imo si eidem obsistimus, est nobis occasio meriti, ac victoriæ: hoc idem docet Apostolus loc. cit. ubi concludit: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundùm carnem ambulant*, seu qui Christo adhærent, eumque per baptismum induunt, quia in ipso regenerati, quamvis sentiant pugnam carnis perduellis adversùs Spiritum, à quovis peccato mundi sunt, nulli culpæ nullique pœnæ obnoxii, quamdiu pravis concupiscentiæ motibus non assentiuntur, sed eos coërcent & propellunt: quamdiu secundùm carnem non ambulant, seu motibus carnis, & concupiscentiæ obsistunt, immunes sunt à reatu peccati, quia concupiscentia per se non est peccatum, quamvis à peccato proficiscatur, & ad peccatum inclinet, excitet, ac invitet: quapropter Apostolus subjungit: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*; tum facta carnis mortificamus, quando ejus prävis motibus obsistimus, cum concupiscentiam coercemus, & malis ejus desideriis non assentimur: siquidem, ut scribit S. Jacobus in sua Epistola Catholica, *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*, quæ verba expendens D. Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 5. ait: *partus à pariente discernitur, pariens est enim concupiscentia, partus peccatum, sed concupiscentia non parit, nisi conceperit, non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum. Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum.* Quòd si respondeant, Apostolum ad Rom. 7. scribere: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces*, ex quo inferunt Sectarii, concupiscentiam esse peccatum eò, quia divina lege prohibeatur. Sed contra, quia D. Paulus præfatis verbis non ipsam concupiscentiam in se, sed vitium voluntatis humanæ consentientis, & cedentis pravis concupiscentiæ motibus intellexit, siquidem concupiscentia, quæ est ex peccato, nihil aliud est, nisi animi appetitio natura sua rationi repugnans: qui tamen motus si voluntatis consensum, vel negligentiam sibi adnexam non habeat, à vera peccati natura elongatur, nec rationem includit proprii & formalis peccati. Cæterum præceptum illud divinum, *non concupisces*, si ratione finis spectetur, quæ est omnimoda & perpetua de cupiditate victoria, in eo posita, ut nulli concupiscentiæ motus sentiantur, & nulla omnino carnis contra Spiritum sit pugna, in hac vita impleri non potest, sed tantùm in cælesti patria, quando mors absorpta erit in victoria; omnes enim de lege ordinaria motus sentiunt concupiscentiæ, &

Digitized by Google

ex specialissima DEI gratia aliquibus tantùm concessum fuit, ut Beatissimæ Virgini. Impleri tamen potest, si non concupiscentiæ, ejusque pravis motibus non assentiamur, sed iisdem obsistamus mediante pugna, & negatione consensus vigilantia non subrepat, & fuga occasionum ne nobis obviet, quæ omnia in nostra sunt potestate, & mediante DEI gratia possumus tentationes carnis contra mentem insurgentes vincere, & media illa, quia in nostra potestate sunt posita, cadunt sub præceptum illud, *non concupisces.* Secus quia non est in nostra potestate facere, ut concupiscentia non insurgat, ne ejus motus sentiamus, ideo ex eo, quòd experiamur in nobis concupiscentiam insurgere, non statim rei facti sumus, donec eidem adhæreamus ejusque pravis motibus consentiamus, unde non rei sumus, quia tales motus sentimus, sed quia iisdem assentiamur, ut scribit D. Augustinus epist. 196. ad Asellicum inquiens: *Nunc ergo ubi dicitur, jam non ego operer illud, sed quod in me habitat peccatum; concupiscentia carnis dicitur, quæ operatur in nobis motus suos, etiam quando eis non obedimus, dum non regnat peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato: in qua justitia nondum consummata perseveranter proficientes ad ejus consummationem quandoque veniemus, ubi peccati concupiscentia non cohibenda, atque frænanda, sed nulla sit. Hoc enim lex posuit dicendo, non concupisces, non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus.* Quamobrem ex eo, quod post baptismum maneat in baptizato concupiscentia, non sequitur perseverare peccatum in se, quamvis à DEO tegatur, & non imputetur ad pœnam, quia ipsa concupiscentia non est peccatum, sed tantum effectus peccati, & nonnunquam etiam causa quatenus incitat, & provocat ad peccatum. Hinc D. Augustinus lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 28. ait: *Hæc autem lex peccati, de qua dicit Apostolus, non regnat peccatum in vestro mortali corpore, non sic manet in membris eorum, qui renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio: ubi omnino plena, & perfecta fit remissio omnium peccatorum omnibus inimicis interfectis, quibus separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis tanquam separatum, & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reviviscat, & in regnum proprium dominationemque revocetur. Ab hac autem vetustate carnis usque adeo Spiritus vitæ discernitur, in cujus novitate baptizati per Dei gratiam renascuntur, ut tales in præsenti non solùm in peccato, sed etiam nec in carne esse dicantur.*

Adhuc tamen instant Sectarii, asserentes concupiscentiam non esse à DEO, ut colligitur ex epistola 1. S. Joan. cap. 2. ubi dicitur: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; quæ non est ex Patre, sed ex mundo est*: atqui subsumunt, omnia sunt à Deo præter peccatum, ergo si concupiscentia carnis non est à Deo, sequitur esse verum, ac proprium peccatum. Sed contra, quia concupiscentia non est à Deo, sed ab ipso peccato, cujus est effectus, & potest dupliciter considerari, materialiter & entitativè quatenus dicit, quid in se positivum, & sub hac ratione est à Deo, quia quidquid est, à DEO est. Secundò potest itidem considerari, ut dicit relationem ad peccatum, ad quod sequitur tanquam effectus peccati, & sub hac ratione est à peccato, ut etiam sub alia ratione, qua excitat ad peccatum. Concupiscentia igitur, ut est proles peccati sua in ordinatione motibusque tumultuariis, deformis est, & consistit potiùs in illa negatione subordinationis, & conformitatis ad regulas rationis, sub qua ratione est fœtus peccati, & interdum etiam causa quatenus ad peccatum excitat, & inclinat non extrinsecus tantùm suggerendo, quod malum est, neque tantùm per accidens & occasione data, sicut species formosæ puellæ aspecta sollicitat ad peccatum, sed per se & natura sua quatenus pravis suis motibus, ac intestinis tumultibus adversus rationis ordinem excitat, provocat ad peccatum, & quibus solus consensus, si adsit, concupiscentia induit rationem peccati, sin verò absit, non est peccatum, sed potiùs occasio pugnæ, victoriæ, meriti. Quod concupiscentia, si sumatur materialiter & entitativè, non est peccatum, ut docet D. Augustinus lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 23. ubi ait: *Ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut perpetrentur à regina mente membra non dantur; ut si non fit, quod scriptum est, non concupiscas: fiat saltem quod alibi legitur, post concupiscentias tuas non eas. Sed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod ex peccato facta est, & peccatum si vicerit, facit; sic autem vocatur peccatum, quia ex peccato facta est; cùm jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus, itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum si vincit, facit, perinde ac vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat.* Sin verò sumatur concupiscentia, ut dicit relationem ad consensum voluntatis adhærentis ejus pravis motibus, dicitur peccatum causativè, non formaliter, quia peccatum consistit in actu voluntatis dissono rectis regulis rationis. Rursus explicans D. Augustinus cap. 25. lib. 1. de nuptiis, & concupisc. Quomodo concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum, ait: *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra proficiente renovatione interioris hominis de die in diem cum exterior induerit incorruptionem, non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut Spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis, perinde ac languor, non ergo aliquid remanet, quod non remittatur, cum sit, sicut ait David Psal. 102. Propitius Dominus omnibus iniquitatibus nostris, sed donec fiat, quod sequitur, qui sanat omnes languores tuos, qui redemit de corruptione vitam tuam, manet in corpore mortis hujus carnalis concupiscentia; manet ut materia exercendæ virtutis.*

In baptismo igitur non solum remittuntur omnia peccata, verùm etiam pœnæ iisdem debitæ, à Dei bonitate condonantur regeneratis, quia qui baptizantur, Christo commoriuntur, ut ait Apostolus ad Roman. 6. *Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia etiam vivemus cum eo,* quia per virtutem baptismi, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 68. *art.* 5. communicatur homini Christi passio ad remedium, ac si ipse passus, & mortuus esset; & quia Christus sua passione abundè satisfecit pro peccatis totius mundi, postquam beneficio baptismi factus est homo membrum Christi, per hanc Christi satisfactionem liberatur à pœnis omnibus, quæ

peccatis

peccatis erint debitæ, quod tamen de solis pœnis alterius sæculi intelligendum est, quia Christus has morte sua abolevit. Hinc D. Augustinus lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 8. ait: *Si post baptismum continuo consequatur ab hac vita migratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat solutis omnibus, quæ tenebant*; & hoc idem ut dogma fidei assertum fuit in Conciliis Florentino, & Tridentino *sess. 5. can. 5.* Neque id adversatur priscæ Ecclesiæ consuetudini, quæ Catechumenos orationibus, vigiliis, jejuniis, abstinentia, continentia ab uxoribus, aliisque pietatis, & humilitatis operibus exercebat, ut testantur Sancti Patres primævi ævi, ut S. Justinus Martyr *Apolog. 2.* Tertullian. *lib. de baptis.* D. Augustinus *lib. de fide, & operib. cap. 6.* quia non fuerunt opera illa instituta, ut pertinerent ad satisfactionem propriè dictam, quamvis Tertullianus abutatur nomine satisfactionis, sed tantùm ad corrigendos pravos mores, & effectus ad excitandam contritionem, & devotionem ad impetrandum, ne baptismi effectus impedirentur, & ut loquitur Tertullianus loc. cit. ad præstruenda subsecuturis tentationibus munimenta, & ut Catechumeni addiscerent, quale vitæ institutum essent suscepturi, ac servaturi post susceptum baptismum. Quamvis tamen ab operibus satisfactionis exhibendæ immunes sint suscipientes baptismum ob plenam participationem passionis Christi, qui pro omnium hominum peccatis cumulativè æterno Patri satisfecit, non tamen solvuntur ab omni obligatione satisfaciendi hominibus vel pro injuriis alteri irrogatis, vel ob debita pecuniaria, quæ cum aliis contraxit: quia non obstante baptismo tenetur regeneratus suis satisfacere obligationibus, quas contraxerat ante baptismum; si enim vir adultus Ethnicus summam aliquam pecuniariam, mutuo accepit ab alio, vel etiam injuriam intulit alteri, si postea baptizetur, quamvis in Spiritu regeneratus tenetur suis satisfacere obligationibus, & solvere, ac restituere pecunias mutuo acceptas, ac satisfacere pro injuriis alteri illatis, quia ut docet D. Thomas *3. part. quæst. 68. art. 5. in respons. ad 3.* *Restituere malè ablata proximis, & satisfacere de injuriis illatis est cessare à peccando: quia hoc ipsum, quod est detinere aliena, & proximum læsum non placare est peccatum: & ideo peccatoribus baptizatis injungendum est, quod satisfaciant proximis & quòd desistant à peccato: non est autem eis injungendum, quod pro peccatis aliquam pœnā patiantur.* Aliud enim est satisfacere post susceptum baptismum pro peccatis ante baptismum perpetratis, & aliud satisfacere hominibus pro debitis, quæ cum ipsis contraxit; ad primum non tenetur recens regeneratus Christo, quia per baptismum fit particeps passionis Christi, qua plena & totalis satisfactio data est æterno Patri; ea enim est vis baptismi, ut non solùm deleat omnia peccata tam originale, quàm actualia sed etiam absolvat à pœnis iisdem debitis; remittitur enim omnis obligatio, quoquo modo satisfaciendi pro peccatis commissis ante baptismum: non tamen tollitur obligatio satisfaciendi pro debitis contractis cum aliis hominibus, quia baptismus non ita prodest suscipienti, ut damnum inferat alteri, hoc enim conjungitur cum peccato; grave enim inferre proximo damnum non vacat culpa, à quà tenetur regeneratus in Spiritu per baptismum abstinere, & satisfacere proximo æquè pro injuriis eidem illatis, ac pro pecuniis mutuo susceptis, cùm enim pertineant ad alium, non obstante baptismo, restituenda sunt, alioquin nisi adesset hæc obligatio, plures Judæi ære alieno gravati libentius baptismum susciperent, ut ab obligatione restituendi liberarentur. Unde quamvis in baptismo condonentur peccatorum pœnæ, non tamen condonantur pœnæ illæ, quæ contrahuntur cum hominibus, & civilibus judiciis ob grave aliquod scelus luendæ sunt, ait enim D. Thomas quæst. 64. art. 2. ad 3. *In pœnis, quæ judicio humano inferuntur, non solùm attenditur, qua pœna sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus adhuc quoad homines, quos justum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa.* Hinc proximis elapsis annis, cum contigisset Pragæ, ut quidam Judæus ob homicidium, & alia scelera damnatus fuerit, ut alligatus equorum caudis traheretur per plateas urbis, & postea ultimum supplicium in patibulo subiret, iste antequam è carcere egrederetur, enixim petiit baptismum, forsan spe fretus etiam, ut aliquid de pœna subeunda ei indulgeretur: suscepit quidem baptismum, sed Magistratus voluit eum pœnas illas subire, ac mori, quia baptismus tantùm liberat à pœnis, quæ debitæ sunt pro peccatis coram DEO, non verò coram hominibus. Hinc nec etiam servi per baptismum liberantur à servitute alterius hominis, cui subjiciuntur, sed tantùm liberantur à servitute peccati, quod per baptismum solvitur & totaliter deletur etiam quoad pœnam, unde non liberat à pœna civili & aliis, quæ jure Gentium introductæ sunt, quapropter scribit Apostolus 1. ad Corinth. 7. v. 21. *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est in ea permaneat: servus vocatus es? non sit tibi curæ &c. Qui enim in Domino vocatus est servus; libertus est Domini*, & 1. ad Timoth. 6. scribit: *Quicunque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.* Convenit tamen, ut Heri Christiani, quos habent servos Turcas, & Infideles, si velint baptismum suscipere, à servitute liberent, post susceptum baptismum, ac libertate donent; hoc idem etiam suadet Apostolus rogans Philemonem, ut suscipiat Onesimum jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, eò quia baptismum susciperet.

Rursus beneficio baptismi, quamvis pœnæ hujus vitæ perseverent, cujusmodi sunt motus concupiscentiæ, ægritudines corporis, febres absumentes, morbi corrumpentes, dolorum acerbitates, fames, sitis, & miseriæ omnes, quæ pœnalitates dicuntur, remaneant, baptismi tamen virtute, & efficacia ab iisdem liberantur justi in resurrectione; noluit enim Deus justos post resurrectionem obnoxios iisdem miseriis, quibus in hac mortali vita torquebantur, idque tribus de causis, ut exponit D. Thomas *3. part. quæst. 69. art. 3.* Quorum prima est, quia nobis per baptismum Christi corpori conjuncti efficimur ejus membra, proinde non erat membris plus dignitatis, & prærogativæ attribuendum, quàm ipsi capiti nostro, seu Christo: sed Christus quamvis à suæ conceptionis exordio plenitudinem gratiæ, ac veritatis habuerit, humani tamen corporis fragilitatem, & infirmitatem aliasque pœnalitates non antea deposuit, quàm suam absolveret passionem, ac mortem subiret, ut humano generi vitam impertiret, ac resurgeret ad vitæ immortalis gloriam, unde decet etiam Christianum ut membrum in Christi corpore ad imitationem capitis has pœnalitates &

Google

miserias experiri, quamdiu vixerit in hoc mortali corpore: unde quamvis Christiani gratiam, & justitiam beneficio baptismi fuerint consecuti, adhuc tamen in iisdem perseverat fragilitas, infirmitas, & omnia incommoda, quibus sunt homines obnoxii, & solùm post mortem ab iisdem liberantur miseriis, & immortalitate donantur, quapropter Apostolus ad Roman. 8. scribit: *Quod si Spiritus est, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis vivificavit, & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Et nonnullis interjectis subdit: *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus Filii DEI, si autem filii & haredes, haredes quidem DEI, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Secunda ratio, cur non obstante beneficio baptismi renati Spiritu obnoxii sint iisdem incommodis, sicut alii non suscipientes baptismum, est, ut inde ansa iisdem donetur exercendi virtutes & patientes tolerandos ægritudines, & perduellem concupiscentiam vincendam, quam redigamus sub imperium rectæ rationis, ut post pugnam cum passionibus nostris victoriæ corona donemur, ob id ait Apostolus 2. Tim. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitia, quam reddit mihi Dominus in illo die justus judex*, & ad Roman, 8. v. 18. scribit: Non condignas passiones ejus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Quia ut ipse ait: 2. ad Corinth. 4. *Momentaneum & leve tribulationis nostra supra modum in sublimitate aternum gloria pondus operatur in nobis non contemplantibus nobis, qua videntur, quia qua videntur, temporalia sunt; qua non videntur, aterna.* Tertia ratio adducta à D. Thoma est, quia si per baptismum præter dona cœlestia, quibus anima ornatur, corporis etiam bona tribuerentur, inde periculum oriretur, ne plures homines ad baptismum potiùs accederent, propter præsentis vitæ commoda, quàm propter gloriam vitæ æternæ, & ut ait Apostolus. 1. ad Corinth. 15. *Si in hac vita tantùm sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Ex hisce igitur pœnis, & infirmitatibus liberantur justi resurrectione, quando mortale hoc induat immortalitatem, & id virtute baptismi olim suscepti; & hæc felicitas quamvis ad id usque tempus differatur, non propterea Christi donum minus potens est Adami peccato: quia si hisce incommodis vexamur per exercitia virtutum, & præsertim patientiæ plus acquirimus meriti, plusque gloriæ nobis tribuendum erit. Fit autem hæc retributio tantùm in resurrectione, quia, ut ait Augustinus in Enchirid. cap. 66. *Magis propter futurum judicium fit remissio peccatorum. In hoc autem vita usque adeo valet, quod scriptum est; Grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepultura in matrem omnium: ut & jam parvulos videamus post lavacrum regenerationis diversorum malorum afflictione cruciari: ut intelligamus totum, quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinere.* Concupiscentia igitur, licèt post baptismum maneat in nobis, & plurimæ insurgant tentationes nos allicientes, ac invitantes ad peccatum, & plures alia non premant miseriæ, ægritudines, dolores, hæc omnia non sunt peccata: sed occasiones ad exercitia virtutum, ad victorias reportandas de insurgentibus contra nos inimicis, & ad uberiora gloriæ incrementa promerenda. Populus Hebraicus cùm primum è famulitio Pharaonis solutus fuit, & libertate donatus, plures habuit insequentes hostes ultimum minitantes excidium: sed cum primum ad undas pervenit rubri maris, periculum omne evasit gloriosior factus devicto ac submerso iisdem fluctibus hoste. Ait Augustinus serm. 353. inter homil. 50. *Quid ergo putas defuturum tibi auxiliatorem in via eum, qui te eruit de vetusta captivitate: novos tuos inimicos non compescet, qui te à vetustis hostibus liberavit? tantùm intrepidus transi, intrepidus ambula, obediens esto: noli amaricare Moysi illi, cujus typum ille portabat in hac obedientia. Fateor non desunt hostes. Sicut enim non deerant, qui sequerentur fugientes, ita non deerant, qui impedirent ambulantes. prorsus, charissimi, figura nostra fuerunt.*

CAPUT XIII.

De aliis effectibus Baptismi.

ALter effectus baptismi est, per se conferre gratiam habitualem sanctificantem unà cum virtutibus infusis, fidei, spei, & charitatis, cæterisque donis & habitibus supernaturalibus concomitantibus gratiam, ad quam infusionem habituum sequitur regeneratio seu renovatio, & sanctificatio creaturæ. Est enim regeneratio, quæ habetur per baptismum, ipsa renovatio, quæ in sacris scripturis vocatur justificatio, sanctificatio, de qua Apostolus scribens ad Tit. 3. ait: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*, & 1. ad Corinth. 4. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*, & de regeneratione loquens Christus Joan. 3. ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua; & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, & hujus regenerationis adferens rationem inquit: *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum ex Spiritu, Spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo*; quibus verbis explicat Christus, quod sicut ex sanguinibus, & voluntate carnis, ac voluntate viri seu ex concupiscentia carnali nascuntur homines carnaliter, & sic nati carnales sunt: ita ex Spiritu Sancto per aquam dicuntur homines spiritualiter renasci. ut sic renati spirituales sint, & regenerati divinæ gratiæ sanctificanti: & hic effectus baptismi regeneratio, & renovatio Spiritus dicitur, quatenus virtute baptismi in novam vitam nascimur, & cùm antea essemus peccato mortui, incipimus sacro initiati baptismate gigni, & vivere gratia; quapropter S. Petrus epist. 1. cap. 2. ait: *Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite*, hoc est morum innocentiam, vitæ candorem, ut per exercitia virtutum ad perfectionem valeatis Christianæ disciplinæ excrescere; unde S. Leo Papa serm. 63. qui est 14. de passione Domini, ait: *Ipse est, cui non solùm gloriosa Martyrum fortitudo, sed etiam omnium renascentium fides in ipsa regeneratione compatitur; dum enim renuntiatur Diabolo, & creditur DEO; dum in novitatem à vetustate transitur;*

dum

dum terreni hominis imago deponitur, & cœlestis forma suscipitur, quædam species mortis, & quædam resurrectionis intervenit, ut susceptus à Christo Christumque suscipiens non idem sit post lavacrum, qui ante baptismum fuit; sed corpus regenerati fiat caro crucifixi. Hæc autem regeneratio spiritus nil aliud est quàm ipsa justificatio, & sanctificatio, quatenus baptismate initiatus, renascitur in vera coram Deo justitia, & sanctitate, ratione cujus Christum induimus, eique conformamur, ac similes efficimur, & per quam adoptamur in filios Dei, & scribimur hæredes regni cœlestis, & Christi cohæredes, quapropter scribit D. Paulus ad Galat. 3. v. 23. *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et ad Roman. 8. v. 16. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, neque quid aliud est Christum induere (nisi fieri membra Christi) seu cum Christo capite incorporari; Christus tamen est filius Dei per naturam, nos autem beneficio baptismi per gratiam adoptionis facti sumus filii Dei; Christus est hæres regni cœlorum, nos verò non nostro, sed Christi merito facti sumus hæredes regni cœlorum; Rursus dicimur, Christum induere, quia quemadmodum, qui vestem aliquam induit, ab ea tegitur, & sub colore vestis illius apparet colore proprio non apparente, perinde, qui Christum induit, à Christo tegitur, ut jam non appareat in ipso peccatum, quod ante fuerat, nec colore peccati amplius manifestetur, quia peccatum aqua baptismatis totaliter extinctum & deletum est, ut nullum supersit ejus vestigium.

Hinc beneficio baptismi infunditur gratia sanctificans, una cum virtutibus infusis fidei, spei, & charitatis, reliquisque donis, & habitibus supernaturalibus, & per hanc gratiam, quæ justitia Christi dicitur, renati aqua baptismatis sanctificantur, & non per solam imputationem justitiæ Christi, ut asserunt Sectarii, id enim definitum fuit in Concilio Tridentino, ubi sess. 6. dicitur: *Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, et per eam ipsam justos esse, anathema sit.* Et can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit.* Asserunt enim Sectarii, justitiam nostram non esse quidquam nobis intrinsecum, à quo denominemur justi, sed esse aliquid extra nos, ac Dei favorem, quo nobis imputatur justitia, quod pugnat cum ipsa ratione, quia non possumus esse justi per illam justitiam, quæ nobis non inest, quemadmodum non potest cista esse alba per albedinem inhærentem parieti. Præterea quia sacra scriptura docet, justitiam nostram esse ipsam gratiam Dei nobis gratis donatam, & infusam, qua nova creatura renascimur, & qua divinæ consortes naturæ efficimur; Hinc Apostolus 2. ad Corinth. 4. expressè ait. *Si qua ergo in Christo nova creatura*, scilicet nova, quia gratia sanctificante, aliisque donis supernaturalibus renovatur, & ornatur. Et ad Galat. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*, scilicet per gratiam sanctificantem nobis collatam per aquam baptismi, & ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, quia, ut scribit ad Tit. 3. *Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus, secundùm spem vitæ æternæ.* Et 1. ad Corinth. 5. 15. *Expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Igitur suscipientes baptismum, dicuntur Christum induere non eo pacto, quo quis vestem extrinsecus tantùm induit sibi admotam, sed eo pacto, quo Apostolus scribens ad Colos. 3. ait: *Induite vos sicut electi Dei sancti, & electi viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam*, & hoc est, quod ad Ephes. 4. apertius declaravit verbis illis: *Induite novum hominem, qui secundùm Deum natus est, in justitia, & sanctitate veritatis*: unde Christum induit, qui baptizatur, quia per baptismum ea gratia donatur, qua Christo similes efficimur, ac divinæ consors naturæ, ut loquitur S. Petrus epist. 2. cap. 1. inquiens: *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.* Hoc idem vult etiam significare S. Paulus 1. ad Corinth. ubi scribens de Christo ait: *Qui factus est à nobis à Deo sapientia, & justitia, & redemptio*, & 2. ad Corinth. 5. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, ubi Christus non dicitur justitia nostra, quasi justitia illius nobis imputata sit, & per eam fidem apprehensam justi simus, ut censent Sectarii; sed quia nostræ justitiæ ipse est author, & exemplar, & causa meritoria, quatenus per merita suæ passionis hanc nobis promeruit, ut essemus sancti per lavacrum baptismi: sicut enim baptismus institutus fuit ad tollendum peccatum originale, & actuale, si adsit, absque infusione gratiæ cujusmodi peccata non remittuntur, consequenter per baptismum confertur gratia sanctificans, & adoptans baptizatam filium Dei, proinde una cum gratia sanctificante infunduntur etiam omnes proprietates; quæ ab ipsa consequuntur, cujusmodi sunt virtutes infusæ, & alii habitus supernaturales, qui gratiam comitantur. Ratio itidem est, quia cum baptismus sit Sacramentum perfectè regenerativum, hominis in Christo debet ea omnia conferre, quæ ad perfectam in Christo regenerationem requiruntur: sed ad hanc regenerationem non solùm requiritur gratia habitualis, transferens hominem à statu peccati, in statum adoptionis filiorum Dei; Verùm etiam quæ eundem reddunt ab intrinseco potentem ad ea omnia exercenda, quæ sunt propriè filiorum Dei: sed hujusmodi sunt habitus infusi fidei, spei, & Charitatis, aliarumque virtutum infusarum: ergo hæc omnia dona confert per se baptismus. Major probatur, quia cùm Deus agat perfectissimè, quoties ordinat aliquid ad specialem finem obtinendum, tribuit eidem ea omnia, quæ ad assecutionem ejusdem finis necessaria sunt: atqui ad obtinendum perfectum statum adoptionis filiorum Dei, præter gratiam habitualem, sunt etiam necessarii prærecensiti habitus supernaturales, quia filius adoptivus Dei debet ea omnia posse operari, quæ sunt propria filiorum Dei, cujusmodi sunt actus fidei, spei, & charitatis, ac cæterarum virtutum supernaturalium, quibus debita obsequia præstat Deo, & vitam promeretur æternam.

Hæc autem justitia consistens in gratia sanctificante, & charitate per Spiritum Sanctum diffusa in cordibus nostris, confertur etiam ipsis parvulis, ac infantibus, cùm baptizantur, ut pluribus in locis docet D. Augustinus, præsertim lib. 1. de peccator. merit. cap. 9.

cap. 9. Ubi ait: *Chriſtum dare fidelibus occultiſſimam Spiritus ſui gratiam, quam latenter infundit, & parvulis.* & lib. de gratia, & libero arbit. cap. 22. de infantibus, qui, quando baptizantur, obluctari ſolent, ait: *Et tamen hæret etiam in reluctantibus gratia*, & epiſt. 98. ad Bonifacium Epiſcopum ſcribit: *ſemel perceptam Chriſti gratiam in baptiſmo parvulus non amittit, niſi propria impietate, ſi ætatis acceſſu tam malus evaſerit*, & infra: *Offeruntur parvuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam.* Nec obſtat, quod aſſerunt Sectarii, non poſſe parvulos tot cœleſtibus donis, ac favoribus cumulari, alioquin cum creſcunt ætate, proniores eſſent ad eliciendos eos actus virtutum, quarum habitibus ſunt ornati, eſt enim habitus, qui facilitat potentiam ad actum: ſed pueri, cum primum creſcunt ætate, & in ipſa pueritia procliviores ſunt ad malum, & non ad exercitia virtutum, quas nonniſi cum repugnantia, & difficultate exercent, ergo parvulis ſuſcipientibus baptiſmum, non videntur tot habitus ſupernaturales, tot dona gratiæ, ac virtutes infundi. Sed contra, quia parvulis beneficio baptiſmi virtute Dei conferuntur omnes prærecenſiti ſupernaturales habitus, qui, ut proprietates ſequuntur ad gratiam juſtificantem, qua parvuli per lavacrum baptiſmi ſanctificantur, non quidem, ut habetur in Clementina de ſumma Trinitate, & fide Catholica edita in Concilio Viennenſi, non pro illo tempore, quoad uſum, quia tunc nondum ſunt capaces exercitio talium virtutum, ſed ut difficultas poſtea ſuperetur, quæ ex acerrimo cupiditatum certamine adverſus Spiritum poſt baptiſmum relicta eſt, & ad peccatum allicit, ac provocat. Non enim ita renovatur homo, ut ſtatim omni virtutum genere inſtructus, deinceps ſine omni prorſus peccato vivere poſſit, ut aſſeruerunt Pelagiani, quos redarguit S. Hieronymus Dialog. 1. cap. 8. ubi ſcribit: *Si baptiſmum ſtatim juſtum faceret, & omni plenum juſtitia, neutiquam Apoſtolum Neophytum reputaret, ſed baptiſmus vetera peccata conſcindit, & novas virtutes non tribuit*, quod intelligendum eſt quoad exercitia actuum, & non quoad habitus, unde parvuli Chriſtiana inſtitutione, & parentum, ac Magiſtrorum diſciplina indigent, ut virtutum habitus, quos per lavacrum baptiſmi una cum gratia ſanctificante ſuſceperunt, et qui ob tenellam ætatem diu quieverunt, ſopiti excitentur, erumpant in actus. Quapropter etiam ſunt catechizandi, quamvis infuſum habeant fidei habitum, ut quod credendum ſit, noverint, alias nunquam actu crederent, dicente Apoſtolo, *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante*, & poſtea concludit: *ergo fides ex auditu, auditus verò per verbum Chriſti.* Idque cauſæ fuit, cur de adultis, qui baptiſmum in ægritudine conſtituti ſuſceperunt, ſtatuit Laodicena Synodus can. 46. ut *ſani facti fidei ſymbolum edoceantur, ut noverint, quâ donatione digni ſint habiti*, quia non ſufficit habitus fidei, ſed ulterius requiruntur actus ejuſdem, alioquin jaceret otioſus, & ſuperandæ ſunt difficultates, quæ obviant exercentibus virtutes, in hac enim carnis adverſus Spiritum pugna, neceſſe eſt, vincantur, quæ difficultates occurrunt, in quo certamine pugnantes plurimum enanciſcuntur meriti, ac incrementi gloriæ.

Hinc contra Hæreticos conſtat, non ſolam baptiſmi recordationem per fidem ſufficere ad remiſſionem omnium peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur: ſed ipſa juſtitia, quæ beneficio baptiſmi infunditur, ſeu gratia ſanctificans eſt, quæ peccata delet, & baptizatum renovat in ſpiritu. Cenſent enim Sectarii, poſt ſuſceptum baptiſmum etiam in adultis ad remiſſionem omnium peccatorum, non eſſe neceſſarium Sacramentum pœnitentiæ, ſed ſufficere ſolam recordationem per fidem, cujus beneficio dicunt remitti peccata omnia, quæ propoſitio Hæretica eſt, & à ſanctis Patribus impugnatur, præſertim Auguſtino *lib. 1. de nuptiis, & concupiſc. cap.* 33. & 34. ubi cum præmiſiſſet: *Eadem regeneratione, quæ nunc fit per ſacrum lavacrum, usque in finem, cuncta mala hominis purgari, atque ſanari*, ſubjungit: *Sic enim accipiendum eſt, quod ait idem Apoſtolus, Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, nec rugam, nec aliquid ejusmodi. Sic accipiendum eſt, ut eadem lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur, atque ſanentur, non ſolum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, verum etiam quæ poſterius humana ignorantia, & infirmitate contrahuntur. Non ut baptiſma, quoties peccatur, toties repetatur; ſed quia ipſo, quod ſemel datur, fit, ut non ſolùm antea, verùm etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Falluntur igitur Sectarii, aſſerentes, ſola baptiſmi recordatione per fidem remitti omnia peccata poſt baptiſmum, & omnem ſubſequentem renovationem ita baptiſmo eſſe tribuendam, ut nullum aliud Sacramentum ſit neceſſarium. Poſt baptiſmum enim, ſi quis peccet, opus habet curatione propriæ actionis, ſeu reſipiſcentiæ per Sacramentum pœnitentiæ, eſt enim hoc Sacramentum ſecunda tabula poſt baptiſmum, adeo ut ſi baptizatus peccet, ne æternum naufragetur, ſit illi neceſſaria hæc ſecunda tabula, cujus beneficio æternum poſſit naufragium evadere, unde non ſufficit recordatio baptiſmi ſuſcepti per fidem, ſed propria requiritur reſipiſcentia, qua per Sacramentum pœnitentiæ ei remittantur peccata poſt baptiſmum perpetrata, ut aſſerit D. Auguſtinus epiſt. 98. ad Bonifacium Epiſcopum, inquiens: *Semel perceptam parvulus Chriſti gratiam non amittit, niſi propria impietate, ſi ætatis acceſſu tam malus evaſerit; tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur.* Hæc autem alia curatio habetur per veram reſipiſcentiam, & Sacramentum pœnitentiæ, quod etiam dicitur reconciliationis, & hoc definitum etiam fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. can. 10. de baptiſmo, ubi hæc habet: *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit.*

Quinimò ſunt etiam effectus baptiſmi illuminatio, & fœcunditas bonorum operum, ſiquidem illuminatio per fidem eſt etiam pars quædam renovationis, quæ fit per baptiſmum, hac de cauſa Apoſtolus epiſt. ad Hebræ. 6. *baptizatos vocat illuminatos, eò quia per lavacrum baptiſmi quodam ſupernaturali lumine perfuſi cœleſtia clarius aſpiciunt, ait enim Apoſtolus: Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c.* Et cap. 7. ait: *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, &c.* Sancti Patres itidem vocant baptiſmum Sacramentum illuminationis, ut S. Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap 2. S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. cap. 6. S. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſibus illuminatorum, & alii Sancti Patres communiter: ratio eſt, quia beneficio baptiſmi impertitur à Deo baptizatis gratia ſanctificans, quæ tota illuminat, & tenebras peccatorum fugat, & totaliter extinguit, proptereà cum à luce dicamur illuminari, ita etiam à gratia ſanctificante, quod etiam nos voluit Chriſtus edocere miraculo,

Digitized by Google

culo, in gratiam cæci nati edito, hic enim à Christo inunctus lumen prius accepit, quàm si in piscina Siloë, quæ nostri fuit figura baptismi, oculos lavisset, hinc Apostolus ad Colos. 1. v. 12. scribit: *gratias igitur agamus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ*, & D. Petrus epist. 1. cap. 2. loquens de hac illuminatione, quæ nobis per baptismum confertur, habet, *qui de tenebris nos vocat in admirabile lumen suum*. Quod etiam fœcunditas bonorum operum alter sit baptismi effectus, judicat David *Psal.* 21. inquiens: *Super aquam refectionis educavit me*: quod de aqua baptismi, quo reficiuntur, corroborantur, & vires recuperant, quas amiserant, explicant Sancti Patres, præsertim Theodoretus, qui per aquam refectionis, de quo loquitur David, intelligit aquam refectionis, in qua, qui baptizatur, senectutem peccati exuit, & novam induit gratiæ juventam, innovatus, & corroboratus, ut etiam interpretatur Cassiodorus, inquiens: *Refectionis aqua est baptismi lavacrum, quo anima sterilis ariditate peccati ad bonos fructus inferendos divinis muneribus irrigatur.* Est etiam alius effectus baptismi, apertio januæ regni cœlestis, ut docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 69. *art.* 5. ubi probat id ex illo Luc. 3. *Jesu baptizato apertum est cœlum*, quæ verba expendens Venerabilis Beda ait: *Virtus hic baptismatis ostenditur, de quo quisque cum egreditur regni cœlestis ei janua aperitur*, aperire autem regni cœlestis januam, ut ibidem docet D. Thomas *in corp.* est amovere impedimentum, quo quis impeditur ingredi regnum cœleste, & hoc impedimentum est culpa, & reatus pœnæ, quod impedimentum tollitur per baptismum, qui propterea dicitur aperire januam regni cœlestis.

Alter baptismi effectus est character, qui in baptismo imprimitur animæ, quo fit, ut iterari non possit absque sacrilegio: Unde S. Augustinus tract. 6. in epistol. 1. S. Joannis ait: *Ecce, accepit Sacramentum Nativitatis homo baptizatus, Sacramentum habet, & magnum Sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile; considera, quale; ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum: Attendat tamen in cor. Videat, si habet Charitatem, & tunc dicat: Natus sum ex Deo, si autem non habet; characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* Vocatur Sacramentum Nativitatis, quia beneficio illius nascimur Deo, ejusque gratiæ, quâ adoptamur in filios Dei, ut simus hæredes regni cœlestis; per baptismum dicuntur homines ex Deo nati; & per nativitatem, quâ ex parentibus nascuntur modo, dicuntur nati ex voluntate viri, & carnis: unde secunda nativitas est longè excellentior primâ. Quod vero effectus baptismi sit imprimere characterem, constat ex Concilio Florentino, in Decreto Eugenii IV. & ex Tridentino sess. 7. can. 10. de Sacramentis in genere, ubi dicitur: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Hoc idem probat traditio Apostolica, & continua ecclesiæ consuetudo, ususque perpetuus, ob hanc enim rationem nunquam consueuit ecclesia infantes hæreticorum semel baptizatos cum debita forma, iterum baptizare; quia character est indelebilis, ob quem nequit baptismus absque sacrilegio iterari: & semel quòd quis aqua abluitur cum prolatione verborum veræ formæ, confertur verus baptismus, qui propterea non est iterabilis, ut luculenter probat D. Augustinus contra Donatistas; & in epistola ad Maximinum: & cap. rebaptizare dist. 4. de consecrat. cujus hæc sunt verba: *Rebaptizare hæreticum hominem, peccatum est: Rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est: Unde S. Leo Papa epist.* 135. *ad Heonam Ravennatem Episcopum scribit: Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum dogma, contra SS. Patrum instituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, Apostolica reclamante sententia, quæ nobis unicam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate Sacramentum*, & epistol. 129. ad Nicetam Episcopum Aquileensem scribit: *hanc regulam, ut scitis, servandam in omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla violatione iteretur, docente Apostolo: Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed sola sanctificatio Spiritus sancti invocanda est: Ut quod ab Hæreticis nemo accipit, à Catholicis sacerdotibus consequatur. Quamobrem eos qui metu, vel errore sunt rebaptizati, pœnitentiæ publicæ subjici jubet. His, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt; vel errore adducti, & nunc se contra catholicæ fidei Sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, quâ in Societatem nostr. m non nisi per pœnitentiæ remedium, & per impositionem Episcopalis manus communionis recipiant unitatem, tempora pœnitudinis tuo constituente judicio, prout conversorum animos respexeris esse devotos: pariter etiam habens senilis ætatis intuitum, & periculorum quorumcunque, aut ægritudinis respiciens necessitates.* Quinimò sacri canones pœnam etiam statuunt irregularitatis, quam incurrunt æquè rebaptizantes, ac rebaptizati, *cap. qui bis dist.* 4. *de consec.* cap. *Eos. ibid. cap. licet. Extr. de baptismo, & ejus effectu*, & est Innocentii III. In Concilio Generali Lateranensi contra Græcos schismaticos, qui baptizatos à Latinis aliquando rebaptizare ausi fuerant, excommunicationis, & depositionis ab officio, & beneficio statuitur pœna: ibi enim dicitur: *Si quis autem tale quid præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio, & beneficio ecclesiastico deponatur*, & demum ex cap. *litterarum. Extr. de Apostat.* siquidem de juniori Acolytho, qui Presbytero rebaptizanti ministerium præbuerat, Alexander III. Abbati S. Genovefæ respondet, illum ad superiores ordines non esse promovendum, si facinus sit publicum, nisi vitam religiosam profiteri voluerit, cujus gratia cum ipso dispensari valeat. Sin verò facinus sit occultum, posse promoveri, & suum scelus dignis pœnitentiæ fructibus expiare. Cæterum est ratio, cur baptismus non possit iterari, ut nec etiam Confirmatio, & Ordo sacer, est character, qui utpote indelebilis innovari non potest, nihilominus pro baptismo sunt etiam aliæ rationes propriæ, ob quas iterari non potest, ut explicat S. Thomas 3. part. *quæst.* 66. *art.* 9. nimirum quia baptismus est spiritualis regeneratio, & sicut naturali virtute semel tantùm generamur, & in lucem edimur, perinde semel regenerari possumus in Spiritu per baptismum hinc S. Augustinus in illud Joan. 3. *Nunquid potest homo in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci, ait: sic tu intellige nativitatem Spiritus, quando intellexit Nicodemus nativitatem carnis, quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus.* Secunda ratio, quam adfert D. Thomas loc. cit. est, quia nos in morte Christi baptizamur, & ideo per baptismum morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ, ad Roman. 6. *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti* enim

enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, Christus verò resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo, cum igitur & nos per baptismum Christo commoriamur, unde Apostolus ad Hebræ. 6. Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, id est, baptizati, rursus crucifigentes in semet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes (ipsa videlicet baptismi iteratione) quamvis Eucharistiæ sacrificium, & sumptio, quæ in commemorationem mortis Christi instituta sunt, frequenter iterentur, non sequitur, quòd baptismus possit iterari, alia enim ratione utrumque illud Sacramentum dominicæ mortis, & passionis repræsentatio est. Nam in baptismo est commemoratio mortis Christi, in quantum homo Christo commoritur, & in novam vitam regeneratur: sed in Sacramento Eucharistiæ commemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis quasi paschale convivium, ut scribit Apostolus 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur*, & quia homo semel nascitur, & multoties pascitur, ideo multoties suscipit Eucharistiam, & semel tantùm baptismum. Alia ratio à D. Thoma exhibetur, & desumitur ex unitate peccati originalis, in cujus præcipue remedium institutus est baptismus, quia sicut peccatum originale semel tantùm contrahitur, & per baptismum deletur, ita etiam baptismus nonnisi semel conferri debet.

Hinc quando confertur baptismus ei, de quo rationabiliter dubitatur, quòd non sit baptizatus, non dicitur baptismus in illo iterari, quia iteratio supponit primum baptismum eidem collatum, & in hoc casu nulla apparet ratio, quòd susceperit antea baptismum, & ideo supponitur eum non suscepisse, consequenter in illo baptismus dici non potest, quod iteretur, & hæc semper fuit doctrina ecclesiæ, & praxis in illa, ut constat ex Concilio Carthaginensi V. can. 63. ubi habetur, item placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo, esse baptizandos, ne ista trepidatio, eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Et S. Leo epist. 2. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, & habetur cap. si nulla, quæst, 16. ait: *de his, qui à parentibus Christianis parvuli derelicti sunt, & utrum baptizati sint, non potest inveniri, & dubitatur, an debeant baptizari*, respondet ille: *si nulla existant indicia inter propinquos, & familiares, nulla inter Clericos, atque vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur; agendum est, ut renascantur, ne manifestè pereant: in quibus, quod non ostenditur gestum ratio non sinit, ut videatur iteratum.* Hoc idem asserit etiam de illis, qui in infantia ab hostibus capti nesciunt, an baptizati sint, sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam à parentibus ductos, ait enim de hisce D. Leo, Qui autem possint meminisse, quòd ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod nescitur fuisse collatum, quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi adest diligentia pietatis. Neque in hisce dicitur baptismus iterari, cùm supponatur nunquam fuisse collatus. Cæterum si parvulus natus sit de parentibus Christianis, & inter Christianos fideliter conversatus, tunc præsumitur eum suscepisse baptismum, nec ejus parentes neglexisse hoc officium pietatis, & religionis, ut respondet Innocentius III. in cap. *Veniens, extr. de Presbytero non baptizato.* Cæterum consultius semper est in dubiis manifestis semper conferre baptismum sub conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo, quamvis enim Concilia, præsertim Carthaginense, & Sancti Patres in dubiis manifestis decreverint, homines esse baptizandos, absolutè nulla opposita conditione: hac tamen posita nulla fit Sacramento injuria, & longè tutius proceditur, quia si collatus fuit antea baptismus, conditio id præstat, ut secundus baptismus non conferatur, consequenter non iteratur, & quod consultius sit apponere in dubiis conditionem, asserit Alexander III. in cap. De quibus. de baptismo & ejus effectu, ubi ait: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo*, & hæc formula conditionalis usitata fuit in ecclesia à primis temporibus.

Verùm, quia ab Hæreticis tam Lutheranis, quam Calvinistis, aliisque Sectariis confertur baptismus, sub legitima verborum forma coram hominum frequentia non debet, nec sub conditione iterari, quia Hæretici adhibent veram formam, & materiam baptismi, & quod Christus instituit, faciunt, & ipsi sunt etiam Ministri baptismi, consequenter non est, cur debeat baptismus iterari, cùm non possimus rationabiliter dubitare de valore primi baptismi. Et propterea baptizatos ab Hæreticis non esse rebaptizandos, sub conditione declaravit S. Pius V. & habetur etiam in cap. *ab antiqua. dist. 4. de consecrat.* ubi dicitur: *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud Hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris ecclesiæ revocentur.* Neque infantes, qui baptizantur ab Obstetricibus peritis in modo baptizandi, debent sub conditione iterum baptizari, quia cum Obstetrices adhibeant materiam veram hujus Sacramenti, & pronuntient omnia verba formæ, intendantque efficere, quod Christus instituit, verè baptizant, præsertim, si periculum aliquod mortis immineat, propterea non est talis infans rebaptizandus sub conditione, quia hæc, conditio tantùm adhibenda est, quando re diligenter perquisita, & examinata, adhuc dubium relinquitur, an infans baptismum susceperit, & supponitur, quòd non fuerit baptizatus, in casu autem nostro de baptizatis ab Hæreticis, & Obstetricibus non sumus dubii, nec incerti, sed certi eos suscepisse baptismum, consequenter non possunt baptizati ab Hæreticis & Obstetricibus iterum baptizari sub conditione, unde Catechismus Concilii Tridentini habet: *Diligenter à Pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus verè quotidie, non sine maxima Sacramenti injuria, peccatur. Neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse, arbitrentur, si quemvis sine delectu, cum adjunctione illa baptizant (seu conditione addita) quæres, si infans ad eas deferatur, nihil prorsus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit: sed statim ei baptismum tribuunt, quinetiam, quamvis exploratum habeant, domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutionem in ecclesia adhibita solemni cæremonia cum adjunctione (seu appositione conditionis) repetere non dubitant, quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant. Nam ea baptismi forma ex Alexandri Papæ authoritate*

in

in illis tantùm permittitur, de quibus re diligenter perquiſita dubium relinquitur, an Baptiſmum ritè ſuſceperint, aliter verò nunquam fas eſt, etiam cum adjunctione Baptiſmum alicui miniſtrare. Infantes verò expoſiti, de quorum Baptiſmo dubitatur, poſt diligentem perquiſitionem, an alicui innoteſcat, eum eſſe baptizatum, ſi omninò dubitetur, & nullus teſtetur de illius Baptiſmo, tunc ſub conditione debet baptizari, ſi tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, ſin verò es baptizatus, non te baptizo, & deſumitur ex can. 3. Concilii Londonienſis celebrati anno 1200. ſedente in Pontificatu Innocentio III. ubi dicitur de baptiſmate, vel Confirmatione: *Si dubitetur, ſacrorum Canonum ſtatuta ſequentes ſtatuimus, ut conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non ſcitur fuiſſe collatum. Ideoque baptizentur expoſiti, de quorum Baptiſmo poſt diligens examen dubitatur; ſive inveniantur cum ſale, ſive ſine ſale.* Et S. Carolus Borromæus in Synodo diœceſana III. ait: *Infans expoſitus, ſi illum baptizatum eſſe non conſtat, baptizetur, hac tamen verborum formula, ſi tu es baptizatus, ego non te baptizo: & ſi nondum es baptizatus, ego te non baptizo: & ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Parentes tamen ita filios ſuos exponentes non excuſantur à graviſſimo peccato, quamvis eos exponere cenſeatur minus malum, quàm eos interimere.

Presbyter tamen non baptizatus, debet abſolutè baptizari, cùm certum ſit, eum nunquam ſuſcepiſſe Baptiſmum, deinde debet ordinari, ſi velit, quia præcedens ordinatio ſine Baptiſmo fuit irrita, & nullius valoris, conſequenter non potuit characterem imprimere, eſt enim Baptiſmus janua, per quam homines ingrediuntur Eccleſiam, & capaces conſtituuntur Sacramentorum; quapropter ſine Baptiſmo non eſt homo idoneus ad ſuſcipienda alia Sacramenta, nec ſubjectum capax eorundem, hinc Presbyter ille debet neceſſariò priùs baptizari, & poſtea, ſi velit, etiam iterum ordinari, ſin autem de illius baptiſmate rationabiliter dubitetur, ſub conditione baptizandus eſt, & etiam ſub conditione iterum ordinandus, quòd ſi fuerit Epiſcopus, qui nunquam fuerit baptizatus, debet ipſe priùs baptizari, & iterum ordinari, & ſi dubium ſit, an verè fuerit baptizatus, tunc ſub conditione eſt baptizandus, & ordinandus, ut etiam ſub conditione omnes, quos ipſe ordinavit, ordinandi, ut habetur cap. *Si quis. & cap. veniens extr. de Presbyter. non baptizato.*

Per baptiſmum tamen Chriſtiani non ſolùm tenentur fidei callere miniſteria, verùm etiam univerſam Chriſti legem, & præcepta ſervare; eſt enim id dogma fidei contra Hæreticos, cenſentes ſolam fidem ſufficere homini baptizato, ut aſſequatur æternam ſalutem, quod damnatum fuit à Concilio Tridentino Seſſ. 7. can. 7. de baptiſmo, ubi hæc habet: *Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantùm fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ, anathema ſit.* Et rurſus Seſſ. 6. de juſtificatione can. 19. ait: *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio, præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.* Et can. 20. contra Hæreticos aſſerentes hominem juſtificatum non teneri Dei, & Eccleſiæ ſervare præcepta, neque in bonis ſe exercere virtutibus, ait: *Si quis hominem juſtificatum quantumlibet perfectum dixerit, non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum: quaſi verò Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſervationis mandatorum, anathema ſit.* Idque probatur ex ſacris Scripturis, ſiquidem Matth. 10. adoleſcenti interroganti, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam; Magiſter Chriſtus non reſpondit, *fili, crede tantùm,* ſed expreſsè ait: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata,* unde præter fidem requiritur etiã obſervantia mandatorum Dei, ad quam propterea tenentur baptizati, & omnes homines, quantumvis perfecti, quapropter errârunt Sectarii, aſſerentes, ſolam fidẽ ſufficere ad aſſecutionẽ ſalutis ſine operibus: Siquidem Matth. 5. Chriſtus ait; non ex ſola fide, ſed vel maximè ex operibus ſe judicaturum omnes homines, inquiens: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.* Præterea Matth. ult. injunxit ſuis Diſcipulis, ut baptizarent omnes gentes, & docerent ſervare omnia mandata: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Hinc Apoſtolus Paulus ſcribens ad Roman. 6. ait: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Et D. Jacobus in ſua epiſt. cap. 1. ait: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm fallentes vosmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo, conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuit.* Sancti Patres communiter etiam docent hanc veritatem, depromptam ex ſacris Scripturis, præſertim S. Irenæus lib. 1. cap. 20. ubi errorem Simonis Magi refert, & confutat; ajebat enim Simon, ſalvari quidem homines per gratiam, non ſecundùm opera juſta. Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromatum. S. Gregorius Nazianzenus orat. 60. S. Hieronymus ad illa verba Iſaiæ cap. 26. *Murus, & antemurale ponetur in ea,* ubi per murum, fidem intelligit, & per antemurale, bona opera, & ſicut ſolus murus non ſufficit, niſi antemurale addatur in ea, ita ad aſſecutionem æternæ ſalutis non ſufficit ſola fides, niſi eidem reſpondeant bona opera.

CAPUT XIV.

Satisfit Hæreticorum objectionibus.

HÆretici, aſſerentes, fidem ſolam abſque operibus ſufficere ad juſtificationem, & aſſecutionem vitæ æternæ, objiciunt verba Apoſtoli ad Roman. 3. ubi ait: *Ubi eſt gloriatio tua? excluſa eſt. Per quam legem? factorum? non; ſed per legem fidei. Arbitramur enim, juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Et ad Galat. 2. *Scientes autem, quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per Fidem JESU Chriſti, & nos in JESU Chriſto credimus, ut juſtificemur ex Fide Chriſti, & non ex operibus legis.* Rurſus ad Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Sed contra, quia aliud eſt de operibus veteris Legis, ſeu Moſaicæ, de qua loquebatur Apoſtolus, & aliud de operibus legis Evangelicæ; Apoſtolus enim à juſtificatione tantùm excludit opera legis, quæ non fiunt ex Fide, vel quæ præcedunt Fidem, & non fiunt ex ſolis liberi arbitrii viribus, non autem ex gratia Dei per JESUM Chriſtum. Loquitur Apoſtolus de operibus Legis Moſaicæ, quæ cùm mortua ſit, non amplius proſunt, ſed tantùm nobis prodeſt lex Fidei, ſeu lex Evangelica, cujus opera

Digitized by Google

bona neceſſaria ſunt unà cum Fide, vel vocat Apoſtolus legem operum, per quam habetur rerum agendarum nuda cognitio, quia non ſufficit cognoſcere præcepta legis, niſi eadem adimpleantur, vel vocat legem Fidei ipſam Fidem, qua veluti lege excitatur homo ad quærendam juſtitiam à Deo, ſicut enim concupiſcentia vocatur lex peccati, quia ad peccatum inclinat, ita vocat Apoſtolus legem Fidei, quia ad bene operandum impellit. Hinc per eam Fidei legem excluditur Judæi gloriatio de operibus, quæ ſolâ cognitione apprehenduntur, vel ſine Fide exercentur: Siquidem opera illa facta ante Fidem inania ſunt. Et D. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & littera, vocat legem factorum, quia tantùm jubet, quid ſit faciendum, non verò ut fiat, & exerceatur, ſecus lex Fidei, eſt ipſa Fides, quæ nobis impetrat gratiam, qua adjuti faciamus, & operemur bonum. Quamobrem utraque lex, vetus & nova, opera quidem exigunt, ſed illa fuit tantùm lex factorum ſine auxilio, abſque gratia: lex verò Fidei nobis dat auxilium, ut faciamus, illa habuit præceptum, hæc verò executionem, illa fuit operum lex minando, & imperando, hæc quia lex Fidei credendo impetrat. Ait Auguſtinus de ſpiritu, & littera: *Illa dicit, non concupiſces: iſta dicit, cùm ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit, adii Dominum, & deprecatus ſum. Ipſa eſt illa ſapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem ſacrificio laudis, actionisque gratiarum, ut cultor ejus non in ſeipſo, ſed in illo glorietur, & per hoc lege operum dicit Deus, fac quod jubeo. Lege autem fidei dicitur Deo, da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoneat quid faciat; id eſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: Si autem continuò poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire, quo donante poſſit.* Igitur lex Fidei non excludit virtutes, nec illarum exercitia, quia illarum actus ſunt diſpoſitiones requiſitæ ad juſtificationem, ad quam præparant, cujuſmodi ſunt actus timoris, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, & plures alii, qui ſolent prærecenſitos comitari. Fides enim, ſi viva eſt, nectitur charitati, ait Apoſtolus ad Galat. 1. *Fides eſt, quæ per charitatem operatur*, adeo ut ſi deſtituta ſit charactere, & operibus nihil proſit, ſitque veluti mortua: Propterea ſcribit Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum*: tunc igitur benè vivitur, cùm charitas operatur, & legis mandata cuſtodit, & per exercitia virtutum adimplet. *Plenitudo legis eſt charitas*: Quamobrem cùm Apoſtolus ait, hominem juſtificari per Fidem ſine operibus legis; non intelligitur, quòd ſola Fides juſtificet ſine operibus, quæ propterea ſint contemnenda; ſed quia per Fidem juſtificamur, non per opera legis ſine Fide, vel quæ præcedant Fidem: quia ſine Fide non juſtificamur, non quòd Fides ſit ipſa juſtificatio, ſed quia eſt diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem ſita in gratia ſanctificante, quâ juſtificamur; unde bona opera non præcedunt Fidem, & juſtificationem, ſed ſequuntur: ait enim D. Auguſtinus lib. de Fide, & bonis operibus, cap. 14. *Bona opera ſequuntur juſtificatum, non præcedunt juſtificandum*, quia ſine gratia non elicimus bona opera, quæ meritoria ſint vitæ æternæ: Quòd ſi gratia præſupponit Fidem, & gratia non intuitu bonorum operum, ſed omnis gratis nobis datur, ita per Fidem adnexam gratiæ juſtificamur ſine operibus legis: hinc D. Auguſtin. loc. cit. cap. 22. *Nequaquam ergo mens incauta fallatur, ut ſe exiſtimet, Deum agnoviſſe, ſi eum Fide mortua, hoc eſt, ſine bonis operibus, confiteatur more dæmonum; & ideo ſe jam non dubitet ad vitam æternam eſſe venturam; quia Dominus dicit: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te unum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum: verum etiam iſtud debet venire in mentem, quod ſcriptum eſt: In hoc cognovimus eum, ſi mandata ejus ſervaverimus, qui dixit, qui cognovit eum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Præterea cùm Apoſtolus dicit, hominem juſtificari per Fidem ſine operibus legis, non loquitur de operibus legis gratiæ, ſed legis veteris, quæ ſine Fide Chriſti venturi non juſtificabant, ſed unà cum Fide.

Quòd ſi dicas, Fidem in Scripturis pluribus in locis ſolam commendari, ubi agitur de juſtitia, & ſalute, conſequenter ſolam Fidem juſtificare; antecedens liquet ex illo Matth. 9. & Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit.* Luc. 8. v. 50. *Crede tantùm, & ſalva erit.* Joan. 1. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Joan. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, ex quibus inferunt, ſolam Fidem ad juſtificationem, & ſalutem ſufficere. Sed contra, quia tametſi ſola Fides in præcitatis locis nominetur, non tamen inde ſequitur, ſolam Fidem juſtificare, quia in Scripturis interdum nominatur ſola ſpes, ad Roman. 8. *Spe ſalvi ſumus*, aliquando ſolus timor, Eccleſ. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, ſubinde ſola charitas, Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Unde, ſi ex eo, quòd ſola Fides in præcitatis locis commemoretur, ſequeretur, virtutes illas ſeorſim ſumptas, aut earum actus, vel ſolum Baptiſmum abſque Fide ad ſalutem æternam ſufficere, quod falſum eſt, perinde quamvis ſola Fides commemoretur, ſola Fides non juſtificat, ſed cum operibus, in quo ſenſu etiam intelliguntur hi alii textus Joan. 3. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Actor. 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum.* Act. 13. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur*, & illud ad Roman. 1. *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti*, quibus locis tantùm ſignificatur, quòd Fides Chriſti, & Evangelium omnibus hominibus detur ad ſalutem, adeo ut nemo juſtificetur, & ſalutem æternam conſequatur, niſi habeat Fidem, & credat Evangelium, ſed inde non excluduntur bona opera ex Fide facta, cùm ſermo ſit non de Fide mortua, ſed de Fide viva, quæ per charitatem operatur, unde cùm Fides dicitur ſalvos nos facere, non ſumitur Fides, quæ excludat bona opera, ſed quæ illa includat, in quo ſenſu explicatur illud Matth. 9. *Fides tua te ſalvam fecit*, hoc eſt, Fides tua viva charitati adnexa, quæque per charitatem operatur bona opera, eſt enim proprium vitæ agere. Ad aliud, petitum ex Luc. 8. *Crede tantùm, & ſalva erit*, reſpondetur, ibi eſſe ſermonem de ſalute miraculosè recuperata, & ſenſus eſt, ut Fides ſola interdum ſufficiat ad miracula impetranda, ſiquidem miracula ad confirmandam Fidem fiunt, non verò ad probandam ſanctitatem illius, qui ea agit. Ad alia loca patet reſponſio, ibi non eſſe ſermonem de Fide mortua, ſed viva in charitate, conſequenter quæ includat bona opera, non verò excludat.

Verùm Hæretici inſtant, objicientes loca Apoſtoli aſſerentis, hominem gratis juſtificari, & ſalvari, non verò ex operibus, & ex quibus inferunt, ſolam Fidem ad juſtificationem, & ſalutis æternæ aſſecutionem ſufficere abſque aliis bonis operibus; ſcribit enim Apoſtolus ad Roman. 4. *Ei, qui operatur, merces non impu-*

Digitized by Google

imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum: ei autem qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam. Et rurſus ad Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, non ex operibus.* Sed contra, quia ex hiſce Apoſtoli textibus non evincitur, ſolam fidem ſine bonis operibus juſtificare, & ſufficere ad aſſecutionem ſalutis, Apoſtolus enim ideo dicit, nos gratis juſtificari, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur, alioquin gratia non daretur omnino gratis; ſi enim gratia eſt, debet gratis dari, non ex operibus, alioquin, ut ait idem Apoſtolus, gratia non eſſet gratia, ſi daretur ex operibus, quia tunc eſſet merces debita præcedentibus operibus, ut etiam declarat Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. de juſtificatione cap. 8.* Unde ex eo, quòd Apoſtolus dicat, nos gratis juſtificari, non infertur, quòd homo ſola fide juſtificetur, & ſalutem conſequatur ſine bonis operibus, gratis enim dicimur juſtificari, quatenus datur nobis gratia ſanctificans absque intuitu ad bona opera præcedentia, quibus promereamur talem gratiam, ſeu omnino gratis; ſalutem verò æternam dicimur aſſequi per bona opera, quæ ſubſequuntur ad gratiam ſanctificantem, aliud enim eſt loqui de gratia, & aliud de vita æterna, gratia nobis confertur omnino gratis, & ſine operibus præcedentibus, & quidem eo fine, ut per gratiam bene operemur, & nobis promereamur vitam æternam mediante fide, quæ eſt ex gratia, ſicut etiam pœnitentia, charitas, & reliquæ virtutes morales, quamvis earum opera exigantur, adhuc ipſæ virtutes dicuntur gratuitæ, quatenus ex gratia proficiſcuntur, vel ad ipſam ſe habent conſecutivè tanquam proprietates, ut docet D. Auguſtinus Epiſt. 194. ad Sixtum, ubi cùm præmiſiſſet: *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat, neq; enim nullum eſt meritum fidei.* ſtatim explicat, quomodo hoc meritum non pugnet cum gratuita juſtificatione, & reſpondet: *Reſtat igitur, ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium non humano, quod iſti extollunt, tribuamus arbitrio nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt ſine meritis, cogitamus. Opera igitur bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine ſine qua illa à nullo fiunt homine, omne enim, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* ait, fidem fieri in homine, non ab homine, quia Deus eſt, qui illam in homine infundit, bona opera autem dicuntur fieri ab homine mediante divina gratia, & fide, quæ ſunt principia bonorum operum in homine, & adjuvant hominem, ut bene operetur.

Sed Hæretici adhuc objiciunt illud Apoſtoli ad Galat. 5. *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege,* ex quo inferunt, Chriſtianos beneficio Baptiſmi, cùm ducantur ſpiritu, non eſſe ſub lege, nec obligari ad opera legis exercenda. Sed contra, quia ſenſus Apoſtoli non eſt, ut putant Hæretici eos, qui ducuntur ſpiritu, non teneri exercere opera legis, & mandata Dei cuſtodire, ſed non eſſe ſub lege terrente, cogente, puniente, quia qui ducuntur ſpiritu, non ex timore, ſed ex puro amore juſtitiæ ſpontè legem adimplent, non timore pœnæ, ſed amore virtutis. Cæterum qui ducuntur ſpiritu, & Chriſtiani ſunt, ſunt ſub lege dirigente, præcipiente, obligante, cujus præcepta per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti, cujus charitas in eorum cordibus diffuſa eſt, ſuaviter, & delectabiliter obſervant, & cuſtodiunt, unde qui ſpiritu ducuntur, dicuntur ab Apoſtolo, non eſſe ſub lege tanquam Pædagogo, & quo perducuntur ad gratiam juſtificantem, ut poſſint legem implere. Præterea poteſt Apoſtolus intelligi, quòd qui ducuntur ſpiritu, non ſint ſub lege excludente gratiam, non verò non eſſe ſub lege gratiam includente. Sunt enim ſub lege, quatenus lex per gratiam impletur, ait enim Auguſtinus in expoſitione epiſt. ad Galat. ad cap. 5. Apoſtolum ſcripſiſſe, *quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, ait Auguſtinus: *Eos eſſe ſub lege, quorum ſpiritus ita concupiſcit adverſus carnem, ut non ea, quæ volunt, faciant, id eſt, non ſe teneant invictos in charitate juſtitiæ, ſed ſed à concupiſcente adverſus ſe carne vincantur; non ſolùm ea repugnante legi mentis eorum, ſed etiam captivitate illos ſub lege peccati, quæ eſt in membris mortalibus, addit autem Apoſtolus enumeratis operibus, ſeu fructibus ſpiritus adverſus hujuſmodi non eſt lex. Ut intelligamus illos ſub lege poſitos, in quibus iſta non regnant. Nam in quibus hæc regnant ipſi lege legitimè utuntur, quia non eſt illis lex ad coercendum poſita, major enim & præpotentior delectatio eorum juſtitia eſt.*

Tantum igitur abeſt, quòd fides per Baptiſmum ſuſcepta eximat Chriſtianum à bonis operibus, ut ad illa exercenda hortetur, ac moveat; Baptiſmus enim, cùm ad imitationem Chriſti nobis conferatur, ideo ad bona opera exercenda Chriſtianos obligat, ut ſint Chriſti imitatores, etenim Baptiſmus eſt perfecta applicatio Paſſionis Chriſti, quatenus ex meritis Paſſionis Chriſti Baptiſmus confert gratiam ſanctificantem, & reliqua dona ſupernaturalia, ut notat Apoſtolus ad Titum 2. ſcribens: *Qui dedit ſemetipſum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum.* Quo pacto participes Chriſti ſumus, ac illius imitatores, ut ſcribit idem Apoſtolus ad Hebræ. cap. 3. *Participes enim Chriſti effecti ſumus*, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus, ita enim noſtræ ſanctificationi ſtudemus, quæ eſt Dei voluntas, ut 1. Joan. 3. dicitur: *Nunc filii Dei ſumus, nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Apoſtolus non loquitur de ſanctificatione, & juſtitia, quam beneficio baptiſmi accepimus, ſed de illa, qua ſanctificati jam & abluti per lavacrum nos ipſos per exercitia virtutum ad perfectionis uberiora incrementa promovemus, & quia Chriſtum induimus in Baptiſmo, iterum eum induimus per imitationem vitæ ipſius, ut ſicut ei ſimiles deſideramus eſſe in gloria, ſic etiam ſimiles comprehendamus pro noſtra tenuitate, in ſanctitate, & juſtitia poſt ſuſceptum Baptiſma, ad quòd etiam nos hortatur D. Paulus 2. ad Corinth. 7. *Has ergo habentes promiſſiones mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Igitur qui juſtus eſt, per juſtitiam unà cum lavacro baptiſmi ſuſceptam adhuc juſtificatur, ſi ſe exerceat in bonis operibus, & ſtudio virtutum, ut Chriſtum Authorem fidei imitetur, ejusque veſtigia ſequatur, ad quod hortatur Apoſtolus ad Epheſ. 5. inquiens: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione*, non enim neceſſe eſt, ut Chriſtum imitemur in virtute perpetrando miracula, nec in ſapientia, nec potentia, ac majeſtate, ſed in ſolo amore, quapropter ait Apoſtolus: *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos*: tunc Chriſtiani dicuntur Chriſtum imitari, ſi eum ex corde, & pura mente diligant, ſicut Chriſtus dilexit eos, ait enim S. Leo Papa ſerm. 24. *Fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſimus Chriſti: qui ideò ſe viam dixit eſſe, ut converſatio Magiſtri forma eſſet diſcipuli; & illam humanitatem elige-*

Digitized by Google

bona neceſſaria ſunt unà cum Fide, vel vocat Apoſtolus legem operum, per quam habetur rerum agendarum nuda cognitio, quia non ſufficit cognóſcere præcepta legis, niſi eadem adimpleantur, vel vocat legem Fidei ipſam Fidem, qua veluti lege excitatur homo ad quærendam juſtitiam à Deo, ſicut enim concupiſcentia vocatur lex peccati, quia ad peccatum inclinat, ita vocat Apoſtolus legem Fidei, quia ad bene operandum impellit. Hinc per eam Fidei legem excluditur Judæi gloriatio de operibus, quæ ſolâ cognitione apprehenduntur, vel ſine Fide exercentur: Siquidem opera illa facta ante Fidem inania ſunt. Et D. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & littera, vocat legem factorum, quia tantùm jubet, quid ſit faciendum, non verò ut fiat, & exerceatur, ſecus lex Fidei, eſt ipſa Fides, quæ nobis impetrat gratiam, qua adjuti faciamus, & operemur bonum. Quamobrem utraque lex, vetus & nova, opera quidem exigunt, ſed illa fuit tantùm lex factorum ſine auxilio, abſque gratia: lex verò Fidei nobis dat auxilium, ut faciamus, illa habuit præceptum, hæc verò executionem, illa fuit operum lex minando, & imperando, hæc quia lex Fidei credendo impetrat. Ait Auguſtinus de ſpiritu, & littera: *Illa dicit, non concupiſces: iſta cùm ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit, adii Dominum, & deprecatus ſum. Ipſa eſt illa ſapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem ſacrificio laudis, actioniſque gratiarum, ut cultor ejus non in ſeipſo, ſed in illo glorietur, & per hoc lege operum dicit Deus, fac quod jubeo. Lege autem fidei dicitur Deo, da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoneat quid faciat: id eſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: Si autem continuò poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire, quo donante poſſit.* Igitur lex Fidei non excludit virtutes, nec illarum exercitia, quia illarum actus ſunt diſpoſitiones requiſitæ ad juſtificationem, ad quam præparant, cujuſmodi ſunt actus timoris, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, & plures alii, qui ſolent prærecenſitos comitari. Fides enim, ſi viva eſt, nectatur charitati, ait Apoſtolus ad Galat. 5. *Fides eſt, quæ per charitatem operatur*, adeo ut ſi deſtituta ſit charactere, & operibus nihil proſit, ſitque veluti mortua: Propterea ſcribit Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum*: tunc igitur benè vivitur, cùm charitas operatur, & legis mandata cuſtodit, & per exercitia virtutum adimplet. *Plenitudo legis eſt charitas*; Quamobrem cùm Apoſtolus ait, hominem juſtificari per Fidem ſine operibus legis; non intelligitur, quòd ſola Fides juſtificet ſine operibus, quæ propterea ſint contemnenda; ſed quia per Fidem juſtificamur, non per opera legis ſine Fide, vel quæ præcedant Fidem; quia ſine Fide non juſtificamur, non quòd Fides ſit ipſa juſtificatio, ſed quia eſt diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem ſita in gratia ſanctificante, quâ juſtificamur; unde bona opera non præcedunt Fidem, & juſtificationem, ſed ſequuntur: ait enim D. Auguſtinus lib. de Fide, & bonis operibus, cap. 14. *Bona opera ſequuntur juſtificatum, non præcedunt juſtificandum*, quia ſine gratia non elicimus bona opera, quæ meritoria ſint vitæ æternæ: Quòd ſi gratia præſupponit Fidem, & gratis non intuitu bonorum operum, ſed omnis gratis nobis datur, ita per Fidem adnexam gratiæ juſtificamur ſine operibus legis: hinc D. Auguſtin. loc. cit. cap. 22. *Nequaquam ergo mens incauta fallatur, ut ſe exiſtimet, Deum agnoviſſe, ſi eum Fide mortua, hoc eſt, ſine bonis operibus, confiteatur more dæmonum; & ideo ſe jam non dubitet ad vitam æternam eſſe venturam; quia Dominus dicit: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te unum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum: verumetiam iſtud debet venire in mentem, quod ſcriptum eſt: In hoc cognovimus eum, ſi mandata ejus ſervaverimus, qui dixit, qui cognovit eum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Præterea cùm Apoſtolus dicit, hominem juſtificari per Fidem ſine operibus legis, non loquitur de operibus legis gratiæ, ſed legis veteris, quæ ſine Fide Chriſti venturi non juſtificabant, ſed unà cum Fide.

Quòd ſi dicas, Fidem in Scripturis pluribus in locis ſolam commendari, ubi agitur de juſtitia, & ſalute, conſequenter ſolam Fidem juſtificare; antecedens liquet ex illo Matth. 9. & Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit.* Luc. 8. v. 50. *Crede tantùm, & ſalva erit.* Joan. 1. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Joan. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, ex quibus inferunt, ſolam Fidem ad juſtificationem, & ſalutem ſufficere. Sed contra, quia tametſi ſola Fides in præcitatis locis nominetur, non tamen inde ſequitur, ſolam Fidem juſtificare, quia in Scripturis interdum nominatur ſola ſpes, ad Roman. 8. *Spe ſalvi ſumus*, aliquando ſolus timor, Eccleſ. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, ſubinde ſola charitas, Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Unde, ſi ex eo, quòd ſola Fides in præcitatis locis commemoretur, ſequeretur, virtutes illas ſeorſim ſumptas, aut eorum actus, vel ſolum Baptiſmum abſque Fide ad ſalutem æternam ſufficere, quod falſum eſt, perinde quamvis ſola Fides commemoretur, ſola Fides non juſtificat, ſed cum operibus, in quo ſenſu etiam intelliguntur hi alii textus Joan. 3. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Actor. 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum.* Act. 13. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur*, & illud ad Roman. 1. *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti*, quibus locis tantùm ſignificatur, quòd Fides Chriſti, & Evangelium omnibus hominibus detur ad ſalutem, adeo ut nemo juſtificetur, & ſalutem æternam conſequatur, niſi habeat Fidem, & credat Evangelium, ſed inde non excluduntur bona opera ex Fide facta, cùm ſermo ſit non de Fide mortua, ſed de Fide viva, quæ per charitatem operatur, unde cùm Fides dicitur ſalvos nos facere, non ſumitur Fides, quæ excludat bona opera, ſed quæ illa includat, in quo ſenſu explicatur illud Matth. 9. *Fides tua te ſalvam fecit*, hoc eſt, Fides tua viva charitati adnexa, quæque per charitatem operatur bona opera, eſt enim proprium vitæ agere. Ad aliud, petitum ex Luc. 8. *Crede tantùm, & ſalva erit*, reſpondetur, ibi eſſe ſermonem de ſalute miraculosè recuperata, & ſenſus eſt, ut Fides ſola interdum ſufficiat ad miracula impetranda, ſiquidem miracula ad confirmandam Fidem fiunt, non verò ad probandam ſanctitatem illius, qui ea agit. Ad alia loca patet reſponſio, ibi non eſſe ſermonem de Fide mortua, ſed viva in charitate, conſequenter quæ includat bona opera, non verò excludat.

Verùm Hæretici inſtant, objicientes loca Apoſtoli aſſerentis, hominem gratis juſtificari, & ſalvari, non verò ex operibus, & ex quibus inferunt, ſolam Fidem ad juſtificationem, & ſalutis æternæ aſſecutionem ſufficere abſque aliis bonis operibus; ſcribit enim Apoſtolus ad Roman. 4. *Ei, qui operatur, merces non impu-*

imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum: ei autem qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam. Et rurſus ad Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, non ex operibus.* Sed contra, quia ex hiſce Apoſtoli teſtibus non evincitur, ſolam fidem ſine bonis operibus juſtificare, & ſufficere ad aſſecutionem ſalutis, Apoſtolus enim ideo dicit, nos gratis juſtificari, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur, alioquin gratia non daretur omnino gratis; ſi enim gratia eſt, debet gratis dari, non ex operibus, alioquin, ut ait idem Apoſtolus, gratia non eſſet gratia, ſi daretur ex operibus, quia tunc eſſet merces debita præcedentibus operibus, ut etiam declarat Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. de juſtificatione cap.* 8. Unde ex eo, quòd Apoſtolus dicat, nos gratis juſtificari, non infertur, quòd homo ſola fide juſtificetur, & ſalutem conſequatur ſine bonis operibus, gratis enim dicimur juſtificari, quatenus datur nobis gratia ſanctificans abſque intuitu ad bona opera præcedentia, quibus promereamur talem gratiam, ſeu omnino gratis; ſalutem verò æternam dicimur aſſequi per bona opera, quæ ſubſequuntur ad gratiam ſanctificantem, aliud enim eſt loqui de gratia, & aliud de vita æterna, gratia nobis confertur omnino gratis, & ſine operibus præcedentibus, & quidem eo fine, ut per gratiam bene operemur, & nobis promereamur vitam æternam mediante fide, quæ eſt ex gratia, ſicut etiam pœnitentia, charitas, & reliquæ virtutes morales, quamvis earum opera exigantur, adhuc ipſæ virtutes dicuntur gratuitæ, quatenus ex gratia proficiſcuntur, vel ad ipſam ſe habent conſecutivè tanquam proprietates, ut docet D. Auguſtinus Epiſt. 194. ad Sixtum, ubi cùm præmiſiſſet: *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat, neque enim nullum eſt meritum fidei,* ſtatim explicat, quomodo hoc meritum non pugnet cum gratuita juſtificatione, & reſpondet: *Reſtat igitur, ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium non humano, quod iſti extollunt, tribuamus arbitrio nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis, cogitamus, Opera igitur bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine ſine qua illa à nullo fiunt homine, omne enim, quod non eſt ex fide, peccatum eſt,* ait, fidem fieri in homine, non ab homine, quia Deus eſt, qui illam in homine infundit, bona opera autem dicuntur fieri ab homine mediante divina gratia, & fide, quæ ſunt principia bonorum operum in homine, & adjuvant hominem, ut bene operetur.

Sed Hæretici adhuc objiciunt illud Apoſtoli ad Galat. 5. *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege,* ex quo inferunt, Chriſtianos beneficio Baptiſmi, cùm ducantur ſpiritu, non eſſe ſub lege, nec obligari ad opera legis exercenda. Sed contra, quia ſenſus Apoſtoli non eſt, ut putant Hæretici eos, qui ducuntur ſpiritu, non teneri exercere opera legis, & mandata Dei cuſtodire, ſed non eſſe ſub lege terrente, cogente, puniente, quia qui ducuntur ſpiritu, non ex timore, ſed ex puro amore juſtitiæ ſponte legem adimplent, non timore pœnæ, ſed amore virtutis. Cæterum qui ducuntur ſpiritu, & Chriſtiani ſunt, ſunt ſub lege dirigente, præcipiente, obligante, cujus præcepta per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti, cujus charitas in eorum cordibus diffuſa eſt, ſuaviter, & delectabiliter obſervant, & cuſtodiunt, unde qui ſpiritu ducuntur, dicuntur ab Apoſtolo, non eſſe ſub lege tanquam Pædagogo, & quo perducantur ad gratiam juſtificantem, ut poſſint legem implere. Præterea poteſt Apoſtolus intelligi, quòd qui ducuntur ſpiritu, non ſint ſub lege excludente gratiam, non verò non eſſe ſub lege gratiam includente. Sunt enim ſub lege, quatenus lex per gratiam impletur, ait enim Auguſtinus in expoſitione epiſt. ad Galat. ad cap. 5. Apoſtolum ſcripſiſſe, *quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, ait Auguſtinus: *Eos eſſe ſub lege, quorum ſpiritus ita concupiſcit adverſus carnem, ut non ea, quæ volunt, faciant, id eſt, non ſe teneant invictos in charitate juſtitiæ, ſed ſed à concupiſcente adverſus ſe carne vincantur; non ſolùm ea repugnante legi mentis eorum, ſed etiam captivitate illos ſub lege peccati, quæ eſt in membris mortalibus, addit autem Apoſtolus enumeratis operibus, ſeu fructibus ſpiritus adverſus hujuſmodi non eſt lex. Ut intelligamus illos ſub lege poſitos, in quibus iſta non regnant. Nam in quibus hæc regnant ipſi lege legitimè utuntur, quia non eſt illis lex ad coercendum poſita, major enim & præpotentior delectatio eorum juſtitia eſt.*

Tantum igitur abeſt, quòd fides per Baptiſmum ſuſcepta eximat Chriſtianum à bonis operibus, ut ad illa exercenda hortetur, ac moveat; Baptiſmus enim, cùm ad imitationem Chriſti nobis conferatur, ideo ad bona opera exercenda Chriſtianos obligat, ut ſint Chriſti imitatores, etenim Baptiſmus eſt perfecta applicatio Paſſionis Chriſti, quatenus ex meritis Paſſionis Chriſti Baptiſmus confert gratiam ſanctificantem, & reliqua dona ſupernaturalia, ut ait Apoſtolus ad Titum 2. ſcribens: *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum*, quo pacto participes Chriſti fuimus, ac illius imitatores, ut ſcribit idem Apoſtolus ad Hebr. cap. 3. *Participes enim Chriſti effecti ſumus*, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus, ita enim noſtræ ſanctificationi ſtudemus, quæ eſt Dei voluntas, ut 1. Joan. 3. dicitur: *Nunc filii Dei ſumus, nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Apoſtolus non loquitur de ſanctificatione, & juſtitia, quam beneficio baptiſmi accepimus, ſed de illa, qua ſanctificati jam & abluti per lavacrum nos ipſos per exercitia virtutum ad perfectionis uberiora incrementa promovemus, & quia Chriſtum induimus in Baptiſmo, iterum eum induimus per imitationem vitæ ipſius, ut ſicut ei ſimiles deſideramus eſſe in gloria, ſic etiam ſimiles comprehendamus pro noſtra tenuitate, in ſanctitate, & juſtitia poſt ſuſceptum Baptiſma, ad quod etiam nos hortatur D. Paulus 2. ad Corinth. 7. *Has ergo habentes promiſſiones mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Igitur qui juſtus eſt, per juſtitiam unà cum lavacro baptiſmi ſuſceptam adhuc juſtificatur, ſi ſe exerceat in bonis operibus, & ſtudio virtutum, ut Chriſtum Authorem fidei imitetur, ejusque veſtigia ſequatur, ad quod hortatur Apoſtolus ad Epheſ. 5. inquiens: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione*, non enim neceſſe eſt, ut Chriſtum imitemur in virtute perpetrando miracula, nec in ſapientia, nec potentia, ac majeſtate, ſed in ſolo amore, quapropter ait Apoſtolus: *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos*: tunc Chriſtiani dicuntur Chriſtum imitari, ſi eum ex corde, & pura mente diligant, ſicut Chriſtus dilexit eos, ait enim S. Leo Papa ſerm. 24. *Fruſtra appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſimus Chriſti: qui ideò ſe viam dixit eſſe, ut converſatio Magiſtri forma eſſet diſcipuli; & illam humanitatem*

elige-

eligeret servus, quam sectatus est Dominus. Sed ad propositum audiendus est Tertullianus lib. 3. de gubernat. ubi ait: *Licèt omnes admodum filii membra parentum esse videantur, non putantur tamen membra eorum esse, à quibus affectu cœperint discrepare, quia morum degenerantium pravitate pereunt in talibus beneficia naturæ, quo fit, ut etiam nos, qui Christiani esse dicimur, perdamus vim tanti nominis vitio pravitatis. Nihil enim omninò prodest nomen sanctum habere sine moribus, quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Unde cùm penè nullam Christianorum omnium partem, penè nullum Ecclesiarum omnium angulum non plenum omni offensione, & lethalium peccatorum labe videamus. quid est, in quo nobis de Christiano nomine blandiamur? cùm utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, quia à sancto nomine discrepamus. Nam & ideo plus sub religionis titulo Deum ludimus, quia positi in religione peccamus. Tantùm enim abest, omni studio, omni conatu jussa Dei faciamus, ut potius contra id faciamus, quod jubemur, jubet enim Deus, ut omnes nobis invicem charissimus: Omnes autem nos mutua infestatione laceramus. Jubet Deus, ut cunctis egentibus sua tribuant: Cuncti admodum aliena pervadunt. Jubet Deus, ut omnis, qui Christianus est, etiam oculos castos habeat. Quotusquisque est, qui non se luto fornicationis involvat? quid plura? grave, & luctuosum est, quod dicturus sum. Ipsa Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud, quàm exacerbatrix Dei? aut præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum?*

Afferunt itidem Hæretici, Christianos ratione Baptismi esse liberos, & non teneri præcepta Ecclesiæ servare, nec subjici Romano Pontifici, nec ei obsequi, quia ut scribit Apostolus 2. ad Corinth. 3. & ad Galat. 4. & 5. *Populus Christianus in libertatem per Baptismum vocatus est*, ait enim Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Pretio redempti estis, nolite fieri servi hominum*, scilicet pretio Passionis Christi, quæ nobis in Baptismo applicatur, proinde non decet virum Christianum subjici hominibus, neque Romano Pontifici, neque aliis Principibus, eò quia huic libertati repugnat subjectio legibus Ecclesiæ, ac civilibus facta. Sed contra, quia libertati, qua donati sumus per Baptismum, & Christiani sumus, non opponitur subjectio nostris superioribus ecclesiasticis, & sæcularibus, sed tantùm opponitur servitus peccati, non enim libertas Christiana, quæ per Christi Baptismum nobis confertur, est immunitas ab observatione mandatorum Ecclesiæ, & à legibus humanis ecclesiasticis, vel civilibus, sed est libertas à peccato, ut docet Apostolus epist. ad Rom. cap. 6. *Liberati à peccato servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Secundò est libertas à servitute, & captivitate diaboli, ut docet Christus Joan. 12. *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Tertiò est libertas à servitute Legis Mosaicæ, ut idem Apostolus scribit ad Galat. 1. cap. 3. *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri, si circumcidamini, Christus vobis non proderit.* Servos autem hominum nos fieri tantùm prohibet Apostolus eo sensu, ne ipsis contra Christum, aut præ Christo serviamus, non vero eo sensu, ut nostris superioribus non obsequamur, ac leges justè sancitas non servemus, alioquin Apostolus sibi contradiceret, cùm jubeat obedientiam superioribus exhiberi, ad Ephes. 6. ad Coloss. 3. & ad Hebræ. 13. Hoc pacto in legibus, & mandatis justis obtemperantes Christiani aliis hominibus liberi sunt, non servi, juxta effatum S. Augustini lib. 4. de civit. Dei cap. 3. *Proinde bonus etiam, si serviat, liber est: malus autem etiam, si regnet, servus est; nec unius hominis, sed quod est gravius tot dominorum, quot vitiorum, de quibus vitiis cùm ageret Scriptura divina, ait: à quo enim quis devictus est, huic & servus adductus est.*

Opponunt secundò verba Christi Matth. cap. 15. 9. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Sed contra, quia ibi est sermo de mandatis hominum, quatenus hæc contraria sunt divinis mandatis, vel etiam de illis, quæ inutilia sunt, nullumque fructum, sive spiritualem, sive temporalem adferunt, cujusmodi erant Pharisaicæ traditiones, quæ à Christo fuerunt improbatæ, & rejectæ. Cæterum non redarguuntur Christiani, eò quia ea observent, quæ legitima authoritate, & ad finem æternæ salutis, vel commune Reipublicæ bonum, & tranquillitatem præscribuntur: quia hæc præcepta vel mandata plurimum præseferunt utilitatis, si observentur, & prosunt animæ in ordine ad assecutionem vitæ æternæ.

Sed adhuc opponunt illud Isaiæ 33. *Deus Judex noster, Deus legifer noster*, & illud Jacobi 4. *Unus est Legislator*, ex quibus inferunt, non teneri Christianos cognoscere alium legislatorem, & Judicem nisi solum Deum, quia ipse unus est legislator, adeo ut legibus Principum non teneantur obsequi, nec ea servare. Sed contra, quia non sequitur ex eo, quòd Deus sit Judex, & legifer noster, & unus Legislator, quod non teneamur Principum leges custodire, & servare, quia & Principes sunt legislatores subordinati, & secundarii, Deus enim est Judex supremus, & unus Legislator primarius, qui nulli alteri subjicitur, sed omnes alii ei subjiciuntur, qui potest perdere, & servare, ut ait S. Jacobus, est enim solus Deus, qui potest hominibus æternam salutem impertiri, vel eos, si deliquerint æternam damnare, inde tamen non sequitur, non dari alios legislatores secundarios subordinatos Vicarios, & Ministros Dei, cujusmodi sunt Ecclesiæ Pastores, & Principes sæculares, quapropter Proverb. 8. de æterna sapientia habetur: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Præterea certum est, Apostolos quasdam tulisse leges, & mandata injunxisse fidelibus, cùm D. Paulus 1. Corinth. 14. asserat ea, quæ scribit de ordine. & honestate in conventibus Christianorum servanda, Dei esse mandata, eò quia ex potestate à Christo suscepta ea tradiderit, ut consentanea ejus doctrinæ, ait Apostolus: *Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata*, & 1. ad Thessal. 4. *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* Rursus certum est, legem de Bigamis, & Neophytis ad Sacerdotium non promovendis, 2. ad Timot. 3. & ad Titum 1. esse legem Apostolicam, ut etiam leges de dominica die observanda loco Sabbathi Judaici, de jejunio quadragesimali, & in privilegiis Sanctorum, & alias plures, quæ nec ab Episcopis, nec à Conciliis leguntur institutæ, ab Apostolis latas fuisse, cùm constet semper in Ecclesia servatas fuisse, juxta illam S. Augustini regulam lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Quintò tenentur etiam Christiani ad observantiam legum, quas Concilia generalia nomine totius Ecclesiæ tulerunt, quia hujusmodi leges sancitæ semper in Ecclesia observatæ fuerunt, & obligarunt Christianorum conscien-

ſcientias, quapropter ait D. Auguſtinus epiſt. 54. ad Januarium: *Illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in eccleſia ſaluberrima authoritas commendata, atque ſtatuta retineri, ſicuti, quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus ſancti, anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrit, quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.* Ex quibus conſtat, moris ſemper fuiſſe, ut Chriſtiani æque leges ab Apoſtolis ſancitas, ac à Conciliis Generalibus conditas obſervarent, eò quia cenſuerint, vim obligandi in conſcientia habuiſſe. Sed objiciunt Hæretici illud Apoſtoli 1. ad Timot. 1. *Lex juſto non eſt poſita*, ſed contra eſt, reſpondet enim D. Thomas 1. 2. *quæſt. 96. art. 5.* legem non eſſe poſitam Juſtis per modum coactionis, quia ipſi ſibi ſunt lex, dum oſtendunt, opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ut ait idem Apoſtolus ad Roman. 2. Unde juſti non adiguntur, neque coguntur ad legis adimpletionem, quia ipſi ſponte, quæ legis ſunt, exequuntur, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, adeo ut non indigeant cogi à lege ad eadem peragenda. Quòd ſi juſti deficiant à juſtitia transgredientes legem, tunc & ipſi coguntur à lege, quæ vim coactivam in ipſos etiam exercet, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt. 96. art. 5.*

Denique objiciunt Sectarii *cap. duæ ſunt. cauſ. 19. quæſt.* 2. ubi ex Urbano Papa habetur, qui lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut publica conſtringatur, atqui lege privata Spiritus ſancti ducuntur, qui per baptiſmum Filii Dei ſunt effecti, & adoptati, hi enim Spiritu Dei aguntur, & à legibus humanis ſunt liberi. Sed contra reſpondet D. Thomas, legem Spiritus ſancti eſſe longe ſuperiorem omni humana lege, ideoque viros ſpirituales duci lege Spiritus ſancti, & non ſubdi legi, quantum ad ea, quæ repugnat ductioni Spiritus ſancti. Verùm hoc ipſum eſt, à ductu Spiritus ſancti homines ſpirituales etiam humanis legibus ſubdi, cùm aſſerat S. Petrus in ſua epiſtola 1. cap. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

Proderit Chriſtianis recolere memoria, quæ ipſi in ſusceptione Baptiſmi ſpoponderunt, ſervanda, promittit enim, qui ſacro abluitur lavacro, abrenuntiationem Diabolo, pompiſque ejus, quam promiſſionem Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 2. *ad* 1. vocat votum baptizatorum, quia ſi promiſſio libere Deo facta, de meliori bono eſt formaliter votum, quod voventem obligat, perinde, quod ſuſcipiens baptiſmum promittit, quamvis ſit de neceſſitate ſalutis, rationem voti, & obligationem inducit, adeo ut baptizatus eodem peccati genere magis peccet, quàm non baptizatus, ut ſcribit Apoſtolus ad Hebræ. 10. *Quanto putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit?* Et D. Auguſtinus etiam promiſſionem illam in baptiſmo factam non dubitavit votum aſſerere, ſcribit enim epiſt. 149. ad Paulinum: *Voventur omnia, quæ offeruntur Deo, maximè Sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur noſtrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Chriſto eſſe manſuros, utique in compage corporis Chriſti cujus res Sacramentum eſt, quod unus panis, unum corpus multi ſumus.* Communi tamen quadam ac latiori ſignificatione non ſtricta: voti nomen S. Auguſtinus uſurpat, quatenus promiſſio ſtrictè votum, quatenus eſt quædam ſponſio, qua nos Dei obſequio mancipamur. Cæterum votum eſt promiſſio perfectioris cujuſdam boni, ad quod omnes Chriſtiani non tenentur, quapropter vocari ſolet opus ſupererogationis, quo pacto proderit in memoriam revocare, quæ in baptiſmo promiſimus, ut obſerventur, & merito Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. can. 9. de baptiſmo, errorem damnat Hæreticorum aſſerentium eſſe revocanda in memoriam, quæ in baptiſmo promiſimus, ad ſubſequentia vota irritanda, ait enim Concilium: *Si quis dixerit ita revocandos homines eſſe ad baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in ipſo baptiſmo jam factæ irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & fidei, quam profeſſi ſunt detrahatur, & ipſi baptiſmo, anathema ſit.*

CAPUT XV.

De Ceremoniis, & ritibus adhibendis in Baptiſmo.

IN Baptiſmate conferendo aliquot ab Eccleſia adhibentur cæremoniæ, & ritus, quorum ſignificationem operæ pretium eſt explicare, ut à fidelibus intelligantur: ſiquidem imaginem earundem rerum præſeferunt, quæ in Sacramento geruntur, quapropter in id deberent Paſtores incumbere ſtudii, ut fideles perciperent eoſdem ritus, ut majori in æſtimatione, & honore ab iiſdem haberentur: quamvis non ſint neceſſarii ad eſſentiam baptiſmi, ſed tantùm pertineant ad ejuſdem ſolemnitatem, ſiquidem in primitiva Eccleſia, & tempore Apoſtolorum non ſemper ſolemnes ritus adhibebantur, quamvis baptiſmus pluribus hominum millibus miniſtraretur: ut legitur in actis Apoſtolorum, primis enim temporibus, cùm res Chriſtiana inchoaretur baptiſteria in uſu non fuerunt, ſed Apoſtoli etiam in fluminibus ipſis baptiſmum miniſtrabant, quapropter Tertullianus lib. de baptiſmo cap. 1. ait: *Neque quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tibree tinxit.* Hujus moris baptizandi in fluminibus, etiam meminerunt Origenes Tractat. 7. in Matth. & Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 57. & clarè in Act. Apoſtol. cap. 16. Ubi Paulus mulierem Lydiam in flavio ſacro baptiſmate abluit, & Honorius Auguſtodunenſis in lib. de gemma animæ, refert Apoſtolos non ſolùm in fluviis, verùm etiam in fontibus, ac ſtagnis, ac lacubus, conſueviſſe baptiſmum miniſtrare, & Mediolani adhuc fons extat, quo Sanctus Barnabas Apoſtolus ad miniſtrandum baptiſmum uſus fuerat, quinimò ſi occaſio data fuiſſet etiam in publica via, & platea, homines baptizabantur, ut liquet ex Act. Apoſtol. cap. 8. ubi Eunuchus cum perveniret ad quandam aquam, per viam dixit Philippo: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* imò & in mari conſueviſſe etiam Apoſtolos baptiſmum miniſtrare, legitur in vita S. Apollinaris Epiſcopi Ravennatis. Unde baptiſteria tantùm cœperunt inſtitui, tempore Sancti Dionyſii, quæ conſuetudo poſtea ſtabilis, & firma perſeveravit in eccleſia, verùm hæc baptiſteria primum in privatis ædibus conſtructa fuerunt, ut habetur in vita S. Marcelli Papæ, ubi legimus Maximiano imperante Carpaſium auguſtum baptiſterium à beato Cyriaco domi ex-

Digitized by Google

ſtructum deleviſſe, & in eodem loco Balneum ſuffeciſſe, quod fortaſſis anſam dedit primis illis fidelibus conſtruendi baptiſteria extra urbem in occultis, abditiſque locis, ut inſciis Tyrannis homines baptizarentur, donec Imperator Conſtantinus Magnus, in Suburbio conſtrui baptiſteria juſſerit, ut referunt Socrates *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 26. Sozomenus *lib.* 2. *cap.* 32. imò etiam intra urbem in monte Celio, & Damaſus Papa de Sylveſtro 1. hujus baptiſterii Conſtantiniani narrans elegantiam ait: *Fontem Sanctum, ubi baptizatus eſt Auguſtus Conſtantinus, ex lapide porphyretico.* quod etiam teſtantur D. Auguſtinus *de civit. Dei lib.* 22. *cap.* 8. Socrates *lib.* 7. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 4. Gregorius Turonenſis *lib.* 10. *Hiſtor. Francor. cap.* 28. Verùm in Galliis baptiſteria tantùm cœperunt eleganter ædificari in Eccleſia tempore Clodovei Regis, ut de illius baptiſmate refert Gregorius Turonenſis, *lib.* 2. *hiſtor. Francor.* Et S. Gregorius Magnus epiſt. 24. lib. 11. meminit baptiſterii in Eccleſia conſtructi, quamvis mos fuerit, ut baptiſteria extra Eccleſiam conſtruerentur ea de cauſa, quia per baptiſmum tantùm homines ingrediuntur Eccleſiam, ad Sacroſancta myſteria recipienda: ideoque extra Eccleſiam conſueverunt priſci fideles baptiſteria conſtruere, tùm quia baptiſmus ſit janua, per quam homines ingrediuntur in eccleſiam, meminit hujus ritus Sanctus Paulinus epiſt. 7. & Romæ, etiamnum extat baptiſterium, ubi Conſtantinus Magnus baptizatus fuit extra Baſilicam Lateranenſem, in loco à Baſilica illa ſejuncto, ſed creſcente poſtea fidelium numero, & cum non adulti tantùm, ſed etiam infantes baptizarentur, qui ob imbecillitatem ætatis, & injurias aëris, plurimum interdum paterentur detrimenti, ſtatutum poſtea fuit, tempore Clodovei Francorum Regis, ut baptiſterio intra eccleſiam à parte ſiniſtra ingredientium Eccleſiam conſtituerentur, ut refert Gregorius Turonenſis de miraculis S. Martini lib. 2. cap. 21. & etiam in Concilio IV. Provinciali Mediolanenſi ſtatutum fuit, ut baptiſteria poſſent conſtitui in ſingulis parochiis, eo quia Parochus ſit proprius, & ordinarius Miniſter hujus Sacramenti, præter Epiſcopos, ut habetur *in cap. Conſtat. de conſecrat. diſt.* 4. & *cap. Perlectis diſt.* 25. & docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 4. *ad* 2. Materia baptiſterii fuit ex lapide præduro, & non fragili, ſeu bibulo, ne aqua penetraret, nec vas frangeretur, ut colligitur ex Concilio Ilerdenſi relato à Burcardo *lib.* 4. *cap.* 15. conſtruebantur itidem baptiſteria in loco eminente ſupra baſim, vel columnam cujus circuitus eſſet excavatus, ad quem patebat deſcenſus, perinde ac ad ſepulchrum aliquod, ut ſignificaretur baptizatos ſepeliri cum Chriſto, ut ſcribit Apoſtolus ad Roman. 6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum*, & ad Coloſ. 2. *Conſepulti & in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis.*

Per baptiſmum induit baptizatus Chriſtum, cujus paſſio, & merita refunduntur in baptizatum; non enim ſolus ſanguis, nec ſola aqua de latere Salvatoris effluxit: ſed utrumque, quia ſanguine redimimur, & aqua abluimur, ideoque, ut à peccatis lavaremur aqua, cujus beneficio ſordes corporis abſtergimus, ſanguini adnexa eſt, ut ejus Societate virtutem, ac authoritatem aſſumeret etiam an inviſibiles peccatorum ſordes abluendas, cooperante Sancto ſpiritu, quatenus baptiſmus nonniſi per merita Chriſti Jeſu, ejuſque paſſionem maculas non ſolùm in parvulis peccati originalis, ſed etiam in adultis ſordes actualium abſtergeret, qua ratione æquiparatur baptiſmus mari rubro, per quod populus Hebraicus fugiens ex Ægypto ſalutem conſecutus eſt, ſicco veſtigio ejus ſinum trajiciens, cùm Pharao, totuſque ejus exercitus cum curribus & equitibus ſubmerſus perierit; fugientes enim Ægyptum hujus ſæculi baptiſmus mundatos tranſmittit ad terram promiſſionis, & peccata omnia ſive originale, ſive actualia cum Diabolo perſequente, mundique pompis, ſubmergit, ut oſtendit Rupertus Abbas de divinis officiis lib. 6. cap. 16. Chriſtus ergo, ut aquam unà cum ſuo ſanguine effunderet ſuper nos in baptiſmo, ait Joan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei*, quapropter Chriſtus verus Dei filius de propria ſua perſona baptizanda non aqua, ſed ſanguine dixit apud Lucam cap. 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur.* Hinc plurimi Martyres nondum baptiſmum aquæ conſecuti tempore perſequentium Tyrannorum ſuppliciis affecti pro Chriſto in proprio ſanguine baptizati ſunt. Hinc enim Baptiſmus ſanguinis plurimum habet efficaciæ, cum Deus in eo excellentius operetur effectum per operis imitationem, adeo ut convenienter tria aſſignentur baptiſmata, fluminis, flaminis & ſanguinis, ut docet D. Thomas 3. part. quæſt. 66. art. 12. quia his tribus conformamur Chriſti paſſioni, ideoque ultimi ſuppleut primum, quamvis non ſint Sacramenta, ſed tantùm habeant eundem effectum, ac Sacramentum baptiſmi, & quem Deus poteſt producere ſine Sacramento, ut docet D. Thomas 3. part. quæſt. 63. art. 11. Baptiſmus tamen fluminis, ſeu aquæ conferebatur propriis in locis viris ac mulieribus, non quia plura eſſent baptiſteria, ſed ut uterque ſexus diſtinctum haberet locum; quia cum eodem tempore plures utriuſque ſexus peterent baptizari, quos veſtibus nudari oporteret, temporum conſuetudo exigebat, ut è certis lignis, hinc inde è terra exurgentibus, quaſi duplicem fontem adeuntes integra verecundia baptizarentur, hujus conſuetudinis meminit S. Cyrillus Jeroſolymitanus in præfat. Catecheſ. ubi ipſos baptizandos monet, ut in ſuſcipiendo baptiſmate viri cum viris, & mulieres cum mulieribus deſcenderent ad fontem; in quo aqua imprimis conſecrabatur admixto Chriſmate, quod non omni tempore fieri permitteretur, ſed tantum in pervigiliis paſchatis, & pentecoſtes, quibus in primitiva Eccleſia conſueverat baptiſmus adminiſtrari, & hujus ritus meminit S. Cyprianus epiſt. 70. ubi ait: Oportet mundari, & ſanctificari aquam prius à ſacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. Hæc conſecratio aquæ baptiſmalis ab Apoſtolis inſtituta ad nos pervenit, & id poteſt inferri ex conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis Papæ lib. 7. cap. 43. ubi habetur; *Deinde venit ad aquam, benedicit, & glorificat Sacerdos Dominum Deum Omnipotentem*, & poſtea referens verba benedictionis ait: Deſcende de Cœlo & ſanctifica aquam hanc, da ei gratiam, & virtutem, ut qui baptizatur ſecundum mandatum Chriſti tui, cum eo crucifigatur, & commoriatur, & conſepeliatur, & conreſurgat, ſic etiam teſtatur Dionyſius Areopagita de Eccleſia: Hierarch. cap. de baptiſmo. Ejuſdem conſecrationis meminit etiam S. Baſilius, quam itidem refert ad traditionem Apoſtolicam lib. de Spiritu ſancto cap. 27. & etiam in Capitularibus lib. 6. cap. 77. & refertur in cap. *in Sabbatho diſt.* 4. *de conſecrat.* ubi dicitur: In Sabbatho ſancto paſchæ; vel Pentecoſtes, ſi quis velit aquam conſecratam ad aſperſionem

Digitized by Google

nem in domo ſua recipere ante Chryſmatis infuſionem recipiat. Nomen poſtea conſueverat imponi baptizando, ut oſtendatur baptizandum ſervituti Chriſti addici: ſiquidem nominis impoſitio ſignum eſt Dominii, quam ob cauſam cum vellet Deus docere Adam eum Principem, & Dominum eſſe omnium animantium, ad eum illa adduxit, quibus nomina imponeret. Hoc autem nomen imponi ſolet ex aliquo in Sanctorum Catalogis adſcripto, ut nominis ſimilitudine, qui baptizatur, virtutes etiam & ſanctitatem imitetur, &, qui baptiſmum ſuſcepit, ſtudeat Patronum ſuum imitari, ut cujus nomine gloriatur, etiam delectetur virtutibus, eumque precetur, ut advocatus ſibi ad ſalutem eſſe velit apud Deum. Sacerdos à baptizando inquirit, quid ab Eccleſia petat, & Chriſtianæ fidei doctrinam, quam debet in baptiſmo profiteri, inſtituit, & hæc actio vocatur catechiſmus, & pluribus conſtat interrogationibus, ad quas per ſe ipſum reſpondet baptizandus, ſi adulta fuerit ætate: quod ſi adhuc parvulus infans, pro illo reſpondet ſponſor, ſeu patrinus, qui ſolemnem exhibet ſponſionem, & hunc morem ex Chriſti Domini præcepto certum eſt emanâſſe, cum juſſerit Apoſtolos, ut baptizarent omnes Gentes Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*; hujus ritus meminit S. Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 6. Poſt Catechiſmum [illegible] exorciſmus, qui per agitur verbo, & ex[illegible]atione, ut Spiritus immundus procul abigatur à baptizando, ut per Sacerdotis miniſterium Spiritui Sancto cedat fugiens Spiritus malignus; ait enim Auguſtinus ſerm. de Symbolo ad Catechumenos & etiam habetur in cap. Sicut noſtis diſt. 4. de conſecrat. *Nam per peccatum in primo homine lapſi ſumus, & in mortis hæreditatem omnes devenimus, Facti ſumus humiles mortales impleti ſumus timoribus, erroribus; hoc merito peccati; cum quo merito, & reatu naſcitur omnis homo. Ideo ſicut noſtis, & parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ decepit hominem, ut poſſideret homines, non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur, aut exſufflatur, ſed ille, ſub quo ſunt omnes, qui cum peccato naſcuntur, eſt enim princeps peccatorum.* Meminit frequenter D. Auguſtinus ejuſdem ritûs in libris contra Pelagianos, ut uſurpati ad univerſa eccleſia, ut probet, nos cum peccato originali naſci, & per baptiſmum de ſervitute Diaboli renaſci ad gratiam Jeſu Chriſti; quod etiam evincit lib. 1. de Nuptiis, & concupiſcentia cap. 19. & lib. 2. cap. 29. vocat *antiquiſſimam eccleſiæ traditionem, quâ exorcizantur, & exſufflantur parvuli, ut in regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum, hoc eſt diaboli, & Angelorum ejus, eruti transferantur.* Exorciſmi etiam meminerunt Optatus Milevitanus lib. 4. contra Parmenianum Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 1. & plures alii SS. Patres.

Præterea baptizando obſignantur ſigno crucis Frons, oculi, pectus, aures, humeri; ſignatur frons, ad ſignificandum quòd baptizatus det nomen Chriſto Crucifixo, cui inſerviat, & in quo confidat, & quem palam etiam coram tyrannis confiteri non erubeſcat. Oculi ſigno crucis itidem obſignati indicant baptizandum præparari ad videndam claritatem Dei: Pectus, ut credat in eum, quia, ut loquitur Apoſtolus, *corde creditur ad juſtitiam.* Aures, ut eas aperiat ad audiendum verbum Dei, ac æternæ veritatis; Humeri, ut ſuſcipiant jugum ſervitutis Chriſti: *tollite jugum meum ſuper vos; jugum meum ſuave, & onus meum leve.* De hoc ritu differit Rabbanus in Canone *Poſtea.* diſtinct. 4. de conſecrat. relatus; ubi dicitur: *Poſtea ſignatur baptizandus ſignaculo Sanctæ crucis, tam in fronte, quàm in corde: Ut ab eo tempore ipſe Apoſtata Diabolus in vaſe ſuo priſtino ſuæ interemptionis cognoſcens ſignaculum, jam ſibi deinceps illud ſciat alienum.* Meminit etiam hujus ritus antiquiſſimi in eccleſia S. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. Alii volunt ſigno crucis obſignari iteratò baptizandum, ut intelligat, baptiſmum à Chriſti cruce, & paſſione totam ſuam vim, & efficaciam haurire; & ut diſcat baptizandus non in alio gloriari, niſi in cruce Domini noſtri, & cum Apoſtolo dicat: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JEſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

Poſtea Sacerdos fuſis precibus capiti baptizandi manum imponit: ut ſignificet victimam eſſe Deo per baptiſmum conſecrandam. Hujus ritûs meminit S. Auguſtinus lib. 2. de peccatorum merito, & remiſſ. cap. 26. ubi ait: *Catechumenos ſecundùm quendam modum ſolùm per ſignum crucis, & orationem manus impoſitionis ſanctificari.* Rurſus ſal benedictum guſtandum porrigitur. Ut ſignificetur ſal ſapientiæ, quo ſingulas ſuas operationes, & verba condiat, ne quidquam agat, quod virtutem non ſapiat, & pietatem redoleat. Quod ſi ſal præſervat carnes à corruptione; caret baptizatus incorruptam ſervare innocentiam, Catechumenis ſal benedictum guſtandum datur, ut condimentum percipiant ſapientiæ, & non decipiant à ſapore et ſapientia Chriſti, & ne ab inceptis virtutum exercitiis deſiſtant retro aſpicientes, ut Uxor Loth, quæ cum liberaretur à Sodomis, ne malum exemplum eam corrumperet, facta eſt ſalis ſtatua ad propriam condiendam inſipientiam: quia, ut ait Chriſtus: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* Nares itidem baptizandi ſalivâ liniuntur, & ſtatim ad baptiſmi fontem mittitur, ut ſicut cæcus evangelicus, quem Dominus juſſerat oculos luto illitos Siloës, aqua abluere, lumen recuperavit; ita & aquæ baptiſmi ea eſt virtus, ut menti lumen afferat ad cœleſtia, & divina percipienda. Meminit hujus ritûs S. Ambroſius lib. 1. *De his, qui myſteriis initiantur cap. 1. Aperite igitur nares, & bonum odorem vitæ æternæ inhalitum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis ſignavimus, cum apertionis celebrantes myſterium diceremus, Epphata, quod eſt, adaperire: ut venturus unuſquiſque ad gratiam, quid interrogaretur, cognoſceret; quid reſponderet, meminiſſe deberet. Hoc myſterium celebravit Chriſtus in evangelio, ſicut legimus, cum mutum curaret, & ſurdum,* cap. *Poſtea* diſt. 4. *de conſecratione* dicitur: *Saliva Salvatoris, & tactu ſignificari virtutem divinam per baptiſmum operari, ut catechumeno nares aperiantur ad accipiendum odorem notitia Dei, & cognitionis æternorum, & aures itidem ad audienda mandata Dei, ut obſerventur.* S. Carolus in ſuis inſtructionibus de Baptiſmo ait; Nares tangi ſaliva Sacerdotis, ut aperiantur ad diſcernendum bonum odorem à malo, ſanam doctrinam à corrupta: & aures ad audiendum mandata Dei, ut doctrina, quæ de Altiſſimo fluxit, per ejus aures intret & ei ſuaviter oleat: Nares, & aures liniendas Sacerdotis ſalivâ in baptiſmo antiquiſſima fuit in eccleſia conſuetudo, cujus meminit S. Gregorius lib. de Sacrament. ad catechizandos infantes; ubi ait: Nares ſaliva illiniri, quia ſtatim divinæ cognitionis odor percipitur; & aures itidem ſputo, ut paratas ac apertas ad mandata Dei habeamus, quæ audiamus, & exequamur, ſal itidem ori inſeritur Catechumeni, quia

Digitized by Google

quia, ut ait Origenes homil. 6. *Oportet, quæ renaſcitur, ſale ſaliri, & pannorum involucro colligari, ne dicatur ad eam, ſale non ſalita, & pannis non eos colligata.* Rationem adfert S. Iſidorus Hiſpal. lib. 2. de offic. cap. 90. inquiens: *Tales in myſterio Catechumenis dandos à patribus eſt inſtitutum, ut eorum guſtu condimentum ſapientiæ percipiant.*

Moris iiſdem fuit antiquitus, quo baptiſteria ritibus conſecrarentur, diverſis à conſecratione aquæ, ut liquet ex antiquo rituali titulo, *Ordo Romanus*, qui locus à fidelibus magna habebatur in veneratione, operantibus ab illo peccatorum remiſſionem, ut refert Gregorius Patriarcha Alexandrinus in vita S. Joan. Chryſoſtomi: &, qui loca illa prophanarent, quamvis involunarie pœnas adigebantur graviſſimas luere; ut de Copronymo Imperatore, & Vinceſlao Bohemiæ rege referunt Hiſtorici. Qui ſuſcipiebant baptiſmi candidatos, Compatres vocantur, ut etiam Sponſores, Patrini, Suſceptores, Offerentes, ut habetur ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis lib. 3. cap. 16. & D. Dionyſius Areopagita de eccleſ. Hierarch. cap. de Baptiſmo refert, quomodo baptizandus à ſuſceptore duceretur ad Epiſcopum. Mos iſte ſuſceptorum ſuam in eccleſia traxit originem ab illo Evangelii: *Et adduxit eum ad Jeſum.* Et Landulphus Carthuſianus lib. 1. vitæ Chriſti cap. 24. in illa verba *& adduxit eum ad Jeſum*, ait: *Ex hoc accepit Eccleſia, quod in Sacramento baptiſmi, ex Confirmationis utitur adducentibus, qui præſentent ſuſcipientes Sacramentum, qui Patrini vocari ſolent.* Quin imo ſuſceptores adhibebantur non ſolùm in baptiſmo infantium, ſed etiam adultorum, ut habetur ex Conſilio Nicæno c. 22. ibi: *Viri non teneant baptiſmo puellas, aut mulieres, neque mulieres teneant maſculos: ſed potius mulieres teneant puellas, et viri teneant maſculos*: hoc idem habetur in Conſtit. Apoſtolicis lib. 3. cap. 16. Ratio erat, quia adultorum baptiſmus frequens erat, ac nudi de ſancto lavacro admovebantur: quibus antiquatis, liberum poſtea fuit matribus fœminas tenere, ut & fœminas mares. Tempore Apoſtolorum baptiſmus quolibet die gentibus ad Chriſti fidem venientibus miniſtrabatur; Actor. 8. conſtat de Eunucho Candacis reginæ à Philippo baptizato, cum primùm ad quamdam devenerunt aquam, nullo habito reſpectu ad tempus, nec ad locum, num ſacer, vel profanus eſſet: & Act. 10. D. Petrus Cornelium, & ingentem aliam turbam baptizavit, & D. Ambroſius cap. 4. in Epiſt. ad Epheſ. explicans præcitata loca meminit ejuſdem conſuetudinis, ſed non multo poſt mos alius invaluit, ut catechumeni extra tempus Paſchatis, & Pentecoſtes non baptizarentur, ut ſcribit S. Leo Papa epiſt. 4. ad univerſos Siciliæ epiſcopos cap. 3. & docet id provenire ex Apoſtolica traditione quatenus Catechumeni deberent prius inſtrui de myſteriis Chriſtianæ fidei juxta Præceptum Chriſti: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: Non ſolùm adulti, verum etiam infantes baptizabantur, ut eleganter aſſerit D. Auguſtinus ſerm. 160. in Dominica in octavam Paſchæ inquiens: *Illi pueri infantes parvuli, lactentes maternis uberibus inhærentes, & quantum in eis gratia conferebatur neſcientes, ut ipſi videtis, & ipſi habent octavas hodie.* Urgente tamen neceſſitate omnibus licuit miniſtrare baptiſmum, ut refert D. Ambroſius cap. 4. epiſt. ad Epheſ. Rurſus munus baptizandi pertinuiſſe ad ſolum Epiſcopum, refert S. Ignatius epiſt. ad Smirnenſes, ubi ait: *Non liceat* ſine Epiſcopo baptizare; hujus muneris, meminit etiam Tertullianus lib. de baptiſ. c. 17. Sed cum certa baptizandi tempora non amplius obſervarentur, & Epiſcopis adaucta fuerunt onera, & curæ: in ſingulis oppidis certi fuerunt Sacerdotes deſignati, quibus totum baptizandi negotium devolutum eſt, à quo munere exercendo monachi arcerentur, ut conſtat cap. *planſit* 2. 16. quæſt. 5. Baptiſmus verò à pueris collatus etiam per jocum ritu eccleſiæ, dummodo haberent intentionem id exequendi, quod eccleſia agit, validus habebatur, ac ratus, ſupplebantur tamen, quæ à Sacerdote conſueverant fieri, ut narrat Baronius anno 311. & ibi Spondanus n. 8. Baptiſmum parvulorum impugnârunt hæretici: ſed perperam, cum Chriſtus Matth. 19. dicat diſcipulis ſuis: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere venire ad me. Talium eſt enim regnum cœlorum*, quæ verba intelligenda eſſe de baptiſmo, cujus beneficio ad Chriſtum, accedimus, Sancti Patres communiter ediſſerunt. Liquet itidem ex Conſtitut. Apoſtol. lib. 6. cap. 15. ubi dicitur: *Baptizate quoque parvulos veſtros, & educate eos in præceptis Dei.* Neque inde ſequitur parvulos baptizari ſine fide, cujus non ſunt capaces, ſiquidem in ipſis ipſum baptizari eſt credere, & actio ipſa fidei eſt profeſſio, quamvis enim per ſe nondum ſint capaces eliciendi actus fidei, ſupplet tamen pro ipſis mater, Eccleſia, & pro iiſdem reſpondent Sponſores ad interrogata ſacerdotis; etenim, etiam innocentes ab Herode interfecti non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, ſicut enim parvulis illis mori fuit confiteri, ita & infantibus iſtis baptizari eſt ipſum credere, & ipſa actio fidei profeſſio, unde Auguſtinus de peccatorum meritis cap. 27. ait: *Parvuli alius credunt partim re ipſa, dum baptizantur, & partim aliena fide.* Et ſerm. 10. de verbis Apoſtoli: *Accommodat mater Eccleſia infantibus aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguas, ut confiteantur*, & lib. 1. contra ſecundam epiſtolam Pelagii cap. 22. perpendens argumentum Pelagii reſpondet: *In Eccleſia Salvatoris per alios parvuli credunt*, & epiſt. ad Dardanum: *Mirabile eſt, & tamen verum, quod in multis Deus non habitat, qui eum norunt, ut in Philoſophis, de quibus Apoſtolus ait: Cum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt, & contra in multis habitat, qui eum non norunt, ut in parvulis baptizatis.* Quinimò S. Hieronymus non excuſat parentes Chriſtianos à gravi noxa ſi negligant infantes baptizare, eò quia nondum contradicere didicerint.

Aliæ dicuntur cæremoniæ, quæ ipſum baptiſmum concomitantur; ſacerdos enim Catechumenum perductum ad ſacri baptiſmatis fontem, ter expreſſis verbis interrogat, an abrenuntiet Sathanæ, omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus, & tunc baptizandus, vel ejus nomine ſponſor ad ſingulas interrogationes reſpondet: *Abrenuntio*, cujus ritus meminerunt antiqui Patres, præſertim S. Dionyſius *lib. de Eccleſ. Hierarch. cap.* 11. Tertullianus *lib. de corona, militis cap.* 3. Qui etiam ait: *morem hunc in eccleſia derivari ex Apoſtolica traditione, ait ipſe, ut à baptiſmate ingrediar aquam adituri: ſed & aliquando prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare diabolo, pompæ, & angelis ejus*, & lib. de ſpectaculis cap. 24. Pompam diaboli definit eſſe, quidquid Dei non eſt, vel Deo diſplicet, & ſpectacula publica, ait non eſſe Dei, ac illi diſplicere, eò quia anſam exhibeant ſpectatoribus ſe per peccata avertendi à Deo, ait ipſe, *quod in Sacramento fidei ejuravimus, neque facto, neque dicto, neque viſu, neque proſpectu participare debemus*, & D. Baſilius lib. de Spiritu ſancto. cap. 27. Originem hujus

ritus

Digitized by Google

ritus refundit in traditionem Apostolicam. Non Deus à nobis exigit multa opera, quæ nonnisi plurimo labore exequi possimus, sed unica tantùm est voce nostra contentus, si ex animo eam proferamus, estque, *abrenuntio tibi Sathana, & pompa tua*, & de hac voce erimus in die judicii rationem reddituri, quapropter omni studio tenemur eam custodire, ut integrum tunc reddamus depositum, & S. Joannes Chrysostomus *homil.* 24. pompam Sathanicam vocat theatra Circensia, & omne peccatum, & dierum observationem, & præsagia. Eleganter S. Ambrosius lib. de his qui mysteriis initiantur cap. 3. ait: *Ingressus es regenerationis sacrarium, repete, quod interrogatus sis, recognosce, quid responderis, renuntiasti diabolo, & operibus ejus, mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus. Tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. Præsentibus Angelis locutus es. Non est fallere, non est negare, ingressus ut adversarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putares, ad orientem converteris, qui enim renuntiat diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu.*

Post abrenuntiationem obsignantur sacro oleo à Sacerdote, describente figuram crucis, pectus, & humeri baptizandi, ut intelligamus eos, qui baptismo initiantur, Christi evadere athletas, inunguntur enim oleo, ne à tartari adversario prosternerentur, ac vincantur, quapropter D. Ambrosius vocat suscipientes Baptismum, luctatores in hoc sæculo, moris enim fuit, ut luctantes oleo inungerentur, quo facilius manus adversarii fugerent. Præterea inunguntur oleo, ut significetur gratia Baptismi non nostris meritis, sed mero Christi beneficio, & gratuita misericordia hominibus donari, per oleum enim DEI gratia significatur, qua corroboramur contra Adversarios, & luctamur fortiores. Est etiam oleum, quædam species medicamenti, quo acerbitas vulnerum, & morbi mitescit, qua de causa Samaritanus infudit in vulnera proximi, quæ ei in via fuerunt inflicta semivivo relicto, oleum, & vinum, ut vulnera nostra, seu peccata per sacrum Baptismum non solùm curarentur, sed etiam totaliter delerentur. Inunguntur igitur humeri, quia dantur baptizandis vires ad Christi jugum faciliùs ferendum, quinimò inungitur etiam pectus, quia ibi latet cor, quo inde discant Christiani toto corde, voluntate, & animo Christi fidem servare, eámque propugnare; hinc cap. deinde dist. 4. de consecrat. habetur: *A sacerdote inungitur, ut sacrum baptisma cum fide accepta custodiatur. Ungitur tunc illius pectus de oleo sanctificato cum invocatione sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentes inimici in eo resideant, sed in fide sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur. Ungitur & inter scapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.*

Rursus baptizandus de summis fidei capitibus, seu articulis symboli à Sacerdote interrogatus, si sit adultus, respondet per se ipsum. *Credo.* Sin verò parvulus, respondet pro ipso sponsor, seu patrinus, *Credo.* Hujus ritus meminit S. Ambrosius lib. de initiandis cap. 5. & lib. 2. de Sacramentis cap. 7. ubi ait: *Interrogatus es, credis in Deum Patrem omnipotentem: dixisti, credo, & mersisti: hoc est, sepultus es. Credis in Dominum nostrum JESUM Christum, & in crucem ejus? dixisti, credo, & mersisti, ideo & in Christo es consepultus. Tertiò interrogatus es, credis & in Spiritum Sanctum? dixisti credo, tertiò mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio. Denique, ut vobis afferamus exemplum; Sanctus Apostolus Petrus, posteaquam in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, quia ter negaverat, postea, ut illum lapsum aboleret, ac solveret, tertiò interrogatus à Christo, si Christum amaret, tunc ille ait: Tu nosti, Domine, quia amo te, tertiò dixit, ut tertiò absolveretur.* Meminit Ambrosius trinæ mersionis, quia sub initiis Ecclesiæ consuetudo inolevit, ut gentes ad Christum accedentes, per immersionem baptizarentur, non verò per infusionem vel aspersionem, idque quia Christus præcepit Apostolis Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos*, ubi verbum *baptizo* significat *mergere*, ut explicat S. Chrysostomus homil. de fide in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: *Omnibus mysteriis velut sigillum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquæ unum Baptisma Discipulis suis tradidit, dicens: Euntes docete &c.* Rursus in cap. *Multi sunt. de consecrat. dist.* 4. dicitur: *Trina mersione sanctum baptisma unicuique tribuere.* Imo tunc adeo necessaria censebatur trina immersio, ut non defuerint ex Sanctis Patribus, qui dubitaverint, an Baptismus collatus per aspersionem vel infusionem validus esset, ac ratus etiam urgente necessitate, ut censuit Magnus apud S. Cyprianum Epist. 76. & quamvis in Actis Apostolorum cap. 2. S. Petrus dicatur baptizâsse uno die tria millia hominum, ex quo conjicitur eum ministrâsse baptismum per aspersionem, nihilominus plures Sancti Patres asserunt, diem illum fuisse æstivum, ac sufficisse, ut per immersionem potuerit Petrus tria millia hominum baptizare, non enim tempore Apostolorum omnes cæremoniæ, & solemnitates erant in usu, urgente enim necessitate, tametsi fuissent in usu, omitti potuerunt. Rursus moris etiam fuit, quo baptizandi recti, & stantes mergi consueverint, adeo ut totum hominis corpus mersum ac sepultum esset in aquis, & hæc consuetudo mergendi totum corpus in baptismo perseveravit usque ad Pontificatum S. Georgii Magni, ut refert Pamelius in epistolam 76. S. Cypriani. Consuetudo enim leviter tantùm abluendi baptizandum cœpit in Ecclesia occidentali suam habere originem circa annum 875. eò quia parvuli vix nati non paterentur illam immersionem, & jam rarissimi essent adulti, qui Baptismum peterent, unde ob commodum parvulorum ritus mergendi in aquam totum corpus mutatus fuit in levem ablutionem, ne parvulus ullum pateretur in corpore detrimentum, dubitant tamen aliqui, an per unicam tantùm, vel per trinam immersionem gentes baptizarentur, & ex D. Gregorio epist. 45. ad Leandrum utroque modo ministrabatur Baptismus, qui validus ratusque habebatur, ut etiam colligitur ex Concilio Toletano IV. cap. 5. quamvis enim trina mersio ex Apostolica traditione diu in Ecclesia servaretur, ut notat Tertullianus de corona militum, & Dionysius Areopagita de Baptismo, quia tamen orta fuit quædam hæresis, qua tres naturæ divinæ in tribus personis ex præfata illa trina mersione asserebantur, ad hanc hæresim extinguendam consultius visum fuit Sancto Gregorio Magno, ut Baptismus per unicam tantùm mersionem administraretur, ut ex ejus Epistola 41. ad Leandrum constat, & refert etiam Strabo *de rebus Ecclesiast. cap.* 26. quinimò in singulis mersionibus nomen trium personarum proferebatur, ut testatur Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 16. Et hæc baptismalis mersio illa fiebat, ut signum crucis describeretur, quo nimirum significaretur à Christi morte, quæ in ligno crucis peracta fuit, humanæ redemptionis merita dimanâsse, unde Augustinus serm. 119. ad competentes ait:

Digitized by Google

Lanceâ perforatum eſt latus Chriſti, & manavit pretium noſtrum; ideo ſigno Chriſti ſignatur Baptiſmus, id eſt, aqua ubi tingimini. Quinimò conſueverunt etiam nudi ad Baptiſmum accedere, ut notat S. Dionyſ. Areopagita de Eccleſiaſt. hierarch. cap. de Baptiſmo inquiens: *Cùm planè veſtes miniſtri detraxerint, tunc Sacerdotes ſacrum unctionis oleum offerunt*, cujus moris etiam meminit S. Ambroſius ſerm. 10, ubi ait: *Nudi accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque, & expediti ad cœli januam properemus. Quam autem incongruum eſt, ut quem nudum mater genuit, nudum ſuſcipit Eccleſia, dives velit intrare in cœlum?* Imò & ipſæ partes minus honeſtæ etiam veſtibus caruerunt, ut colligitur ex Metaphraſte in vita S. Sylveſtri de Conſtantino Imperatore, ubi ait: *Hæc cùm audiſſet Imperator, & latus probrum carnis ſubjeciſſet oculis, & unctus fuiſſet ſancto chriſmate, ingreſſus eſt piſcinam.* Hoc idem etiam notat Vice-comes Tract. de antiquis Baptiſmi ritibus lib. 4. cap. 10. Quòd autem adulti omnibus detractis veſtibus baptizarentur, non ſolùm colligimus ex Metaphraſte adferente exemplum Conſtantini Magni, ſed etiam ex Surio, imò & Magnus Baſilius detractis omnibus veſtibus ſacto Baptiſmate ablutus fuit, ut Amphilochius narrat in ejus vita. Quòd etiam infantes nudi baptizarentur, liquet ex ordine Romano cap. de Sabbatho ſancto Paſchæ, ubi legitur: Pontifex cùm ingreditur à fonte in ſacrarium, & cùm veſtiti fuerint infantes, confirmet eos, unde ſi infantes poſtea veſtiti confirmabantur, jam in Baptiſmo nudi ſupponebantur, is enim veſtitur, qui nudus erat. Quinimò ipſas mulieres nudas ad Baptiſmum acceſſiſſe, conſtat ex S. Chryſoſtomo Epiſt. ad Innocentium Papam, quæ in vita ipſius circumfertur ſcripta à Palladio; ubi dicitur mulieres, quæ intra Eccleſiam, ut baptizarentur, ſeſe veſte nudaverant, per idem tempus nudæ ſurgebant: neque ſexum verecundiæ, neque honeſtati permittebantur præ pavore conſulere. Imò etiam ipſi detenti in carceribus, nonniſi nudi Baptiſmum ſuſcipiebant, tametſi timor perſecutionis adeſſet, ut de Apruniano, cùm à Siſinio Diacono baptizatus eſt, ut legitur in vita S. Marcelli apud Surium. Præterea etiam infirmi, ac debiles, imò & luctantes, cùm propinqua morte nonniſi nudi permittebantur baptizari, ut de geſtis S. Sebaſtiani habetur apud Surium, & S. Polycarpus noluit Tranquillinum baptizari, niſi detractis omnibus veſtibus, tametſi chiragra, & podagra laboraret, ac dolorum acerbitate torqueretur. Baptizabantur autem ſub primis Eccleſiæ temporibus nudi, ut Chriſti ſimilitudinem, quantum humana imbecillitas patitur, exprimerent baptizandi, quia ſicut Chriſtus nudus baptizari voluit, & mortem ſubire in crucis patibulo ſine veſtibus, ita baptizandi, ut Chriſtum induerent, veſtes omnes exuebant: Hinc S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 2. myſtag. ait: *Atque ita exuti eratis nudi, imitantes, & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Chriſtum.* Præterea placuit ad Baptiſmum nudos accedere, ſeu eodem habitu, quo Adam ante peccatum fuit, ex Cyrillo catecheſ. 2. *O rem admirabilem? nudi fuiſtis in conſpectu omnium, & non vos pudebat: revera enim in hoc Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiſo fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore.* Cæterum perſeveravit hæc conſuetudo baptizandi nudos, quamdiu innocentia viguit, nec malitia prævaluit, cùm autem hæc augeretur ad declinanda pericula peccatorum, ceſſavit ritus iſte, & accedentes ad Fidem ſuis induti candidis veſtibus, baptizari cœperunt, præſertim in occidente. In oriente autem ritus referuntur diverſi, & quia Græci non attribuunt actum Baptiſmi Miniſtris ad evitandum errorem antiquorum, qui virtutem Baptiſmi Miniſtris baptizantibus tribuebant, aſſerentes: Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ, & ideo dicunt; *Baptizetur ſervus Chriſti N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, amen*, in qua forma, quia exprimitur actus exercitus per Miniſtrum cum invocatione trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, eorum Baptiſmus validus habetur, & ratus.

Abſoluto Baptiſmo, qui baptizavit, ſummum verticem baptizati chriſmate ungit, ut deſcenſio Spiritûs S. ſignificetur ſuper ipſum ad habitationem conſecrandam Deo, baptizati enim per gratiam ſanctificantem fiunt templa, in quibus Deus inhabitat, & ideo Spiritus S. dicitur in illo deſcendere. Et rurſus tanquam membra conjunguntur corporis Chriſti, adeo ut, cùm primùm homo eſt baptizatus, ſit membrum conjunctum Chriſti capiti, ejuſque corpori inſitum, quo pacto fit particeps regni Chriſti, & à Chriſto Chriſtianus vocatur, ut ait Rabanus *lib. de Inſtit. Clericor. cap.* 28. & habetur *in cap. poſtquam diſt. C. de conſecrat.* Chriſtus enim à chriſmate nuncupatur, ſignificat enim Chriſtus perinde ac unctus. Propterea ait David: *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ejus, ſeu Spiritu Sancto, & omni plenitudine divinitatis, quæ corporaliter in illo inhabitat.* (Ut loquitur Apoſtolus) ſeu ſubſtantialiter. Linitur baptizati caput chriſmate, quia *oculi ſapientis in capite ejus*, ut habetur Eccleſiaſt. 2. quia friget ſine gratia, ſed ubi ſapientia acceperit gratiam, tunc opus ejus incipit eſſe perfectum. Et Innocentius III. in *cap. Cùm veniſſet, Extra de ſacra unctione* rationem aſſignat, cur fit hæc unctio in capite, nimirum *ut ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem*, & *in cap. Nullus diſt. 4. de conſecrat.* habetur: *Nullus Miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate unquam debet progredi, quia inter nos placuit, ſemper in baptiſmate chriſmari.* Et hunc ritum fuiſſe inſtitutum à S. Sylveſtro Papa referunt plures, præſertim Amalarius *lib. 1. de Eccleſiaſt. offic. cap.* 27. Walafridus Strabo *lib. 1. de rebus Eccleſiaſt. cap.* 26. S. Iſidorus *lib. 2. de Eccleſ. offic. cap.* 26. Et plures alii, qui hujus ritus meminerunt, cæterum chriſmate unguntur baptizati in vertice, ut cognoſcant, ſe promotos in regium genus, & ſacerdotale, ut S. Petrus innuit epiſtol. 1. cap. 2. inquiens: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta.* Eſt etiam alia ratio, quam adfert Yvo Carnotenſis ſerm. 4. de Sacramentis dedicationis, ubi ait: Chriſtianos illitos in capite chriſmate poſt baptiſmum eſſe, ut charitas, quæ per Spiritum S. datur, ſemper abundet in corde ſecundùm verbum illud Sapient. *Oleum de capite tuo nunquam deficiat.* Per unctionem olei ſignificatur etiam debere baptizatos implere, quod Chriſtus in Evangelio jubet, Matth. v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*, & Luc. 13. v. 35. *Sint lumbi veſtri ſuccincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, hoc eſt, ut ſit munditia caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Præterea per oleum, quo alitur lumen, *charitas præfiguratur, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Datur autem Spiritus Sanctus nobis, quando aquis abluimur baptiſmi, quia tunc præterita peccata nobis remittuntur. Sacris tamen Canonibus vetitum eſt, ne chriſma vetus ad unctionem baptiſmalem adhibeatur, ſed novum adhiberi jubetur, quod ipſo anni Parochi à proprio Epiſcopo per ſe ipſos vel compresbyteros petierint, & acceperint, ut habetur in *cap. ſi quis ex Concilio Lugdu-*

Digitized by Google

Lugdunensi, & *cap. Presbyteri ex Concilio Valentini dist. 4. de consecrat.*

Moris itidem fuit, ut nomina baptizandorum recitarentur à Clericis ex ordine, quo quisque suum nomen detulerat, S. Dionysius Areopagita de Baptismo ait: *Virum ad se portari jubet; cumque Sacerdos aliquid ex tabula prælegerit, & eum, & sponsorem citat, hic quidem ad aquam à sponsoribus ducitur ad Hierarcha manus ab eis manuductus, Hierarcha autem in loco superiori stans ter quidem illum demergit;* ex quo etiam deducitur, quòd Catechumenus manu ducebatur ad Episcopum, & Baptismo populus intererat, & Clerus, ut habetur in ordine Roman. de Sabbatho sancto adstante omni Clero, & populo in circuitu fontis. Refert etiam Albinus varias orationes, & lectiones, quæ cum Psalmis recitabantur in Baptismo ministrando. Quo absoluto statim Minister baptizatis oscula figebat, ut refert S. Cyprianus epist. 59. ad Fid. Episc. ubi significat hanc consuetudinem osculandi extendi non solùm ad adultos, verùm etiam ad infantes, imò subdit, quòd oscula cum amplexu, & in imo pede figerentur, & ex prædicto osculo innuebatur pax, & gratia, quam baptizatus cum Christo inibat, & Ecclesia. Rursus ex dicto osculo etiam significabatur cognatio spiritualis, quæ à ministro cum iis, qui abluuntur, contrahitur, ut notat Tertullianus *de velandis virginibus, & cap. 6. Apologet.* vel saltem pertinuit osculum illud ad vulgarem salutandi ritum, quo Judas Christum etiam osculo salutavit, & Actor. 2. Christiani Paulum fuerunt osculati ob consuetudinem illius temporis.

Rursus Minister baptizatum in manus dabat susceptori. A quo sinistro brachio vultum ipse adhibitis linteis abstergeret, & Albinus de divinis offic. cap. 19. de Sabbatho sancto Paschæ ait: *Ut autem surrexit à fonte, suscipiatur ab ipso, à quo suscipiendus est.* Et paulò post: *Sunt parati, qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus suis, deinde accipiunt eos à Pontifice, vel clericis, qui eos baptizaverunt. Adstabant itidem novis Christianis, qui peccatorum indulgentiam adgratularentur*, cujus ritus etiam meminit S. Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos inquiens: *De baptismatis fonte surgentes, & regenerati per Dominum Salvatorem impleto illo, quod descriptum est, beati quorum remissæ sunt iniquitates, statim in prima communione corporis dicunt, & dimitte nobis debita nostra*, & Nicetas in sanctum Baptismum ait: *Quòd post Baptismum ante Altare collocaris, futuræ vitæ gloriam & propinquitatem apud Deum indicat psalmodia latam, & festivum illius sæculi bonum.* Hisce absolutis precibus Sacerdos baptizatum veste candida induebat, inquiens: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri JESU Christi, ut habeas vitam æternam.* Nunc verò infantibus, qui vestitu non utuntur, sudariolum, seu chrismale datur in Symbolum Christianæ libertatis, quam per Baptismum consequitur baptizatus, qui eripitur è servitute diaboli, & gloriosæ resurrectionis, ad quam homines per Baptismum regenerantur, quia, ut ait Tertullianus lib. de Baptismo, dum Sacramentum imponditur corpori, corpus consecratur immortalitati. Erat etiam symbolum vestis illa alba innocentiæ, & integritatis post Baptismum servandæ, contra illud Apostoli ad Rom. 6. *In novitate vitæ ambulemus*, & demum signum erat internæ lætitiæ, & gaudii spiritus, quia sicut nigra vestis signum est tristitiæ, ita candida signum est lætitiæ, & de hoc ritu ait D. Ambrosius lib. de initiandis cap. 7. *Accepistis candida vestimenta, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina.* Hujus moris etiam meminit Lactantius de Resurrectione Domini inquiens: *Candidus egreditur, nitidior exercitus, undis fulgentes animas vestis candida signat, & grege de niveo gaudia Pastor habet.* Forma vorus dandæ vestis albæ eadem semper fuit, qua nunc utimur, scilicet: *Accipe vestem candidam, & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam, amen.* Materia vestis candidæ ex lino constabat. S. Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam ait: *Præceptis Dei lavandi sumus, & cùm parati ad indumentum Christi tunicas pelliceas deposuerimus, nunc induemur veste nivea, nihil in se mortis habente; sed tota candida, ut de Baptismo consurgentes cingamus lumbos veritate.* Vestis autem hæc alba non laxa, sed arcta erat, & cingulo constricta, qua totum corpus operiebatur, ut indicat Tertullianus *de Idololatria cap. 18. cap. 3.* & Fortunatus *lib. 1. de Eccles. offic. cap. 27.* inquiens: quam ablutionem significant albæ vestes in baptismate per totum corpus: & hæc alba vestis plerumque à baptizatis deponebatur octavo die, quapropter D. Augustinus serm. 157. de Dominica in octava Paschæ ait: *Paschalis solemnitas hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie quoque Neophitorum habitus commutatur; ita tamen ut candor, qui ex habitu deponitur, semper in corde teneatur.*

Mysticum & sacrum velamen dabatur baptizatis, & Albinus de divinis offic. cap. de Sabbatho sancto ait: *Albis induitur vestimentis propter gratiam regenerationis, tunc sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, ut intelligat se diadema regni, & sacerdotii dignitatem portare.* Ex quo conjicitur mysticum velamen distingui à veste candida, ut etiam quod illud diadema regni, & sacerdotii dignitatem denotat. Fuit etiam velamen inventum ad conservandum chrisma, ut declaravit Concilium Belluacense cap. 121. ibi: *Si quis voluerit chrismate pannum iterum linire, & super alium Baptismum mittere, non est absurdum.* Præterea filum rubeum in mystico velamine insutum erat, ut Christi passionem indicaret, à qua omnis abluendi vis in Baptismum derivatur: & hoc velamen itidem octavo die deponebatur ex D. Augustino serm. 160. in Dominica octava Paschæ hæc habentur: Hodie octavæ dicuntur infantium, revelata sunt capita eorum, quod est indicium libertatis. Ritus velaminis hujus perseveravit usque ad tempora Yvonis Carnotensis, seu usque ad annum 1090. & postea Gosipio uti cœperunt, quo chrisma abstergeretur. Calcei itidem post Baptismum dabantur, & ratio affertur à Ruperto Abbate lib. 7. cap. 1. ubi ait: *Calceamenta namque de mortuis animalibus fiunt, & hæc manifesta dominicæ mortis insignia sunt*, & S. Gregorius expendens illud Christi ad Discipulos, *Calceamenta habebitis in pedibus* ait: *Calceamenta in pedibus habere, est mortuorum vitam conspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire.* Decem itidem siliquæ olim dabantur baptizato à Pontifice, ut refert Albinus de divinis offic. cap. de Sabbatho sancto, ubi ait: *Postquam autem vestiti fuerint, deportabantur ante Pontificem ad confirmandum, quibus dat singulis stolam candidam chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur.* Hæc autem siliqua erat pecunia minimi valoris, quæ forsan à Pontifice dabatur, ut toleretur ea macula, quòd Christiani res divinas venales haberent.

Præterea etiam cereus ardens baptizato, seu sponsoribus illum tenentibus traditur in manum, quo significatur baptizatos exercitio virtutum debere splendescere, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5.

Eratis

Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate probantes, quid sit beneplacitum, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Magis autem redarguite; significatur etiam baptizatos implere debere, quod Christus in Evangelio jubet Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*, nimirum ut sit munditia castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. S. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechef. 1. Mystag. ait: *Qui fidei lampades nuper accendistis, nunc non extinctas easdem manutenendo custodite*; & Yvo Carnotensis serm. de Sacrament. Neophit. *Ad ultimum datur cereus ardens in manu baptizati, quatenus implere doceatur illud Evangelii: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videantur opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Cereus igitur accensus dabatur, ut virtutum exercitiis, & exemplo bonorum operum aliis prælucerent, ut etiam notavit Hugo Victorinus cap. 20. significavit itidem cereus accensus, animam baptizati nuptias cum Christo contrahere, propterea erat instar nuptialis facis, eratque symbolum conjunctionis animæ, velut immaculatæ, cum Christo sponso, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 11. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quapropter debent Christiani omne impendere studium, ut oleum spirituale seu charitas semper adsit in cordibus nostris, & nunquam deficiat, ac lampas nostra splendeat, seu vita nitore virtutum clarescat, ut veniente sponso tempore mortis nostræ ingrediamur cum ipso ad nuptias æternæ felicitatis; applicans enim S. Carolus hunc cereum ardentem ait: Per ipsum significari tres virtutes Theologicas, quæ in ipso infunduntur, Fidem in lumine, charitatem in calore, spem in cerei recta altitudine, quæ sursum ascendit, ut spes nostra in cœlum semper erigatur. Sicut enim in Baptismo fit nobis communicatio veræ lucis. quæ Christus est, & depulsio tenebrarum, quam ob causam Baptismus dicitur à Sanctis Patribus, Sacramentum illuminationis, ut etiam baptizati vocantur illuminati, vel cereo ardente significatur etiam pura intentio, qua baptizati omnia sua opera debent exercere, ut illi soli placeant, cui se probaverunt, ut qui scrutatur Jerusalem in lucernis, opera nostra bona esse, deprehendat. De hoc lumine dixit Christus in Evangelio, Luc. 11. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: sin autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint, si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Per oculum simplicem recta intentio intelligitur, ut & per corpus opera nostra, si igitur intentio pura, & recta fuerit, opera itidem secundùm se bona omni ex parte lucida erunt: secus si intentio prava, opera itidem obscura, & tenebrosa erunt. Sin verò aliqua ex parte intẽtio minus recta fuerit opera aliqua etiã ex parte sunt tenebris infuscata. Duo autem requiruntur ad rectam intentionem, res, & causa, scilicet quid intendas, & propter quid, ut asserit S. Bernardus serm. 40. in Cant. ubi ait: *Et ex his duobus animæ decor, vel deformitas indicatur: ut anima, quæ ambo ista recta, atque pudica habuerit, meritò veraciterque dicatur: pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Quid per animæ faciem intelligimus, quàm mentis intentionem, ex qua rectitudo operis, perinde ac ex facie pulchritudo corporis, æstimatur. Duæ autem in facie sunt genæ significantes objectum quod intenditur, & finem, ob quem intenditur. Anima igitur, quæ horum altera caruerit, de illa dici non potest: pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, quia ex parte deformis est, quatenus à finis turpitudine deformatur, ergo intendere non in Deum, sed in sæculum sæcularis animæ est, nec ullam prorsus genarum speciolam habentis. quia tunc tota facies terrenis sordibus fœdatur. Tunc autem venustas faciei invehitur, cùm intentio in solum Deum dirigitur, à quo solo est omnis venustas, omnisque pulchritudo, & tunc anima fit Dei sponsa, quæ meritò singulari prærogativa audiat à suo sponso: pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Pax tandem à Ministro baptizatis dabatur, adeo ut fuerit consuetudo, qua post Baptismum pax nuntiaretur, qui mos postea cessavit, quando propagatores per totum orbem fide signa communionis præbere non amplius necesse fuit.

Nunc verò Parochi baptizatorum nomina, ut etiam parentum, & susceptorum cum nota diei, & anni in librum specialem baptizatorum scribunt, sive baptizati fuerint in Ecclesia cum solemnitate cæremoniarum, sive domi ob necessitatis angustias, ut decrevit etiam in Concilio Mediolanensi IV. S. Carolus, imò convenit etiam Parocho perbrevem aliquem sermonem habere post Baptismum ministratum ad circumstantes, quibus ostendat obligationem, quam Christiani contraxerunt in Baptismo abrenuntiandi mundi pompis, & diabolo, ejusque suggestionibus, & exercendi virtutes, quibus ornentur, quia tunc adstantes memoria recolunt, quæ & ipsi promiserunt, cùm lustrali fuerunt abluti aqua Baptismi. Debent itidem & Parochi sponsores admonere, ac docere, quæ sint officii eorum partes, quas pro susceptionis, fidejussionisque munere tenentur præstare, ut nimirum infanti semper solicitudinem veræ charitatis impendant, ac curent, ut instruatur rudimentis Christianæ doctrinæ, & virtutes excolant, & præsertim castitatem custodiant, à perjurio, maledicto, & mendacio linguam cohibeant, à turpibus, obscœnisque colloquiis prorsus abstineant; ambitione non intumescant, superbiâ non efferantur, Invidia non dilacerentur, iracundiâ non se permittant accendi, nec odium in corde nutriant, adeo ut sicut Christiano nomine gloriantur, ita & operibus Christianis præfulgeant. Decet itidem Parochum monere sponsores de cognatione spirituali, quam cum baptizato, illiúsque Patre, & matre contraxerunt, quæ cognatio etiam intercedit inter baptizatum, & baptizantem, & patrem, & matrem ejusdem, quapropter etiam eos monere debet, ut mutuis sanctæ charitatis officiis prosequantur. Monere itidem debet, ut puerpera quàm primùm pedem à partu effert, & domo exit, Ecclesiam Parochialem adeat, ubi benedictionem accipiat. Caveat autem, ne eam ob causam Parochus puerperæ domum ingrediatur, quamvis ipsa adversa laboret valetudine, ut etiam abstineat à comessationibus & conviviis post administratum Baptismum etiam domi parentum infantis baptizati. Olim in primitiva Ecclesia baptizati statim confirmabantur, ut refert Clemens I. Epist. 4. ubi ait: *Omnibus ergo festinandum sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformis Spiritus gratia ab Episcopo confirmatur.*

LIBER

LIBER SEXTUS.

DE
Sacramento Confirmationis.

QUamvis per Baptiſmum regeneremur DEO, exuamus veterem hominem, & induamus novum per Spiritum Sanctum, qui nos regenerat in novam creaturam, deleanturque propterea omnia peccata, non ſolum originale, ſed etiam actualia; adeo ut ſi quis poſt ſuſceptum Baptiſmum ſtatim decederet, æternæ fieret gloriæ particeps; adeo ut ſolus Baptiſmus ſufficiat ad aſſecutionem æternæ ſalutis. Nihilominus quia poſt perceptum Baptiſmi lavacrum, ac veluti trajectum maris rubri, cujus fluctibus naufragi, ac ſubmerſi perierunt Pharaonis perſequentes exercitus, ſeu deleta ſunt omnia peccata; quia adhuc longum nobis ſupereſt iter per deſertum hujus vitæ, ubi pugnare debemus cum triplici hoſte, ſcilicet mundo, carne, & Dæmone, ideo adhuc indigemus corroborari virium incremento, quò hoſtium aſſultibus obſiſtamus, & de proſtratis inimicis glorioſiorem referamus triumphum. Hinc ſi per Baptiſmum renaſcimur ſpiritualiter, ut ait Eugenius IV. in decreto ad Armenos, Confirmatio nos magis firmat in gratia ſuſcepta per Baptiſmum, & firmiores efficimur in fide, ut aſſerit idem Eugenius: *Per Confirmationem roboramur in fide, quia augemur in gratia.* Hinc Melchiades Papa epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcribit: *Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. In Baptiſmo regeneramur ad vitam: poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam: In Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur.*

CAPUT I.

An Confirmatio ſit verum & proprium Sacramentum novæ legis.

NEgant Calvinus, & Lutherus, Confirmationem eſſe Sacramentum legis evangelicæ. Vult Calvinus cum ſuis Sectariis, Confirmationem eſſe tantùm quamdam ratificationem illius fidei, quam per Baptiſmi ſuſceptionem fuerunt profeſſi parvuli, non quidem per ſe, cum nondùm fuerint capaces, ſed per ſponſores, ſeu patrinos: hinc cum perveniunt ad adultiorem ætatem, eamdem per ſe ipſos ratificant. Finxit Calvinus quod ſub initiis Eccleſiæ, qui infantes baptizati erant, cum jam adulti eſſent, ad Epiſcopum adducerentur, ut fidem Chriſtianam, quam in Baptiſmo ſuſceperunt, confirmarent, ex quo aſſerit, originem duxiſſe Confirmationem, quam propterea inficiatur, eſſe Sacramentum novæ legis, ſed tantum ritum quemdam, qui ſervatur in Eccleſia. Lutherus itidem aſſerit, Confirmationem nil aliud eſſe, quam meram Baptiſmi cæremoniam, non verò Sacramentum, quos errores damnant Sancti Patres, & Concilia, præſertim Tridentinum ſeſſ. 7. can. 7. de Sacramentis in genere, & can. 1. de Confirmatione. Multis nominibus à Sanctis Patribus donatur hoc Sacramentum, quorum quædam à materia ſumuntur, quæ eſt manuum impoſitio, & Chriſma, qua ratione à D. Auguſtino lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. & pluribus aliis Sanctis Patribus Confirmationis Sacramentum vocatur *manuum impoſitio.* A S. Dionyſio lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia *unguenti myſterium*; à Theodoreto comment. in cap. 1. Cantic. *Chriſma ſpiritualis unguenti.* Iterum à D. Auguſtino lib. 2. contra literas Petiliani cap. 106. *Sacramentum Chriſmatis*; à S. Leone Papa ſerm. 4. de Nativit. Domini *Chriſma ſalutis*; à Concilio Laodiceno can. 7. *Chriſma ſupercæleſte*; à S. Cornelio Papa *Sigillum, quo accipitur Spiritus Sanctus.* Ab effectu, quem producit, vocatur à Sanctis Patribus Confirmatio, quia confirmat, & corroborat in gratia ſuſcepta per Baptiſmum, quapropter docent Sancti Patres, eſſe veluti quoddam complementum Baptiſmi, non quia ſine Confirmatione Baptiſmus non ſit completum, ac perfectum Sacramentum, ſed quia, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 72. *art.* 7. *ad* 2. datur ad augmentum gratiæ, quapropter primam gratiam regenerativam per Baptiſmum collatam perficit, & complet: ſicut enim in materialibus augmentum vitæ corporalis pertinet ad perfectum, & completum ſtatum viventis, ſine quo vivens eſt, quidem in ſua ſpecie completum, nondum tamen perfectum viventis ſtatum obtinet: perinde baptizatus eſt quidem perfectè in Chriſto regeneratus, & in novum hominem ſecundùm Deum creatus, nondum tamen obtinet perfectum ſtatum creaturæ ſpiritualis, quia ſine confirmatione nondum habet gratiam confirmantem, &

corroborantem, ut scribit Melchiades Papa ad Episcopos Hispaniarum, inquiens: *Confirmatio armat, & instruit ad agones hujus mundi, & prælia.*

Asserendum est ritum illum, qui in Ecclesia Catholica confirmatio vocatur, esse verum Sacramentum novæ legis, & est certum dogma de fide declaratum in Concilio Tridentino in decreto unionis, & in Tridentino *sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & can. 1. de Confirmatione.* Ratio itidem est manifesta, & petitur de ipsa definitione Sacramenti, est siquidem signum visibile constans ex rebus & verbis operationum gratiæ sanctificantis, neque quid aliud requiritur ad veram, & propriam essentiam Sacramenti novæ legis: Confirmatio autem est signum sensibile constans ex rebus & verbis, scilicet impositione manuum, & chrismatione junctis orationi, estque perpetuum, & gratiæ sanctificantis operatorium, ergo est verum, ac proprium Sacramentum novæ legis. Minor evincitur ex traditione Apostolica derivata in Ecclesiam, ut communiter docent Sancti Patres, etenim Tertullianus lib. de Baptismo cap. 7. ait: *Exinde egressi de lavacro perungimur juxta morem Ecclesiæ benedicta unctione*; & de illius effectu subdit: *In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quia in aquam mergimur, spiritualis effectus, quia delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* De quo nonnullis interjectis subdit: *Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre discendit super Baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens conquiescit: columba figura delapsus in Dominum, ut natura Spiritus Sancti declararetur per animal simplicitatis, & innocentiæ.* Et infra addit: *Quemadmodum post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum, ut ita dixerim, mundi pacem cœlestis iræ præco columba terris annuntiavit, demissa ex Arca, & cum olea reversa, eademque dispositione spiritualis effectus terræ, id est, carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta columba Spiritus S. advolat, pacem Dei adferens emissa de cœlis, ubi Ecclesia est Arca figurata*: Asserit Tertullianus, moris fuisse ab initio Ecclesiæ, ut manus imponerentur super baptizatos ad profectum spiritualem, & infusionem Spiritus Sancti, & licet statim post Baptismum illa manus impositio advocans Spiritum Sanctum fieri consueverit, inde non sequitur, confirmationem non esse distinctum Sacramentum à Baptismo, quia sub illis primitivæ Ecclesiæ initiis etiam post susceptum Baptismum statim Eucharistia parvulis baptizatis porrigebatur, ex quo non sequitur, Eucharistiam non distingui à Baptismo, confirmatio igitur, quamvis fieret statim post susceptum Baptismum, adhuc erat signum diversum sensibile constans ex diversis rebus, & verbis, quibus erat operatorium gratiæ sanctificantis, consequenter habuit diversam essentiam Sacramenti, & est distinctum à Baptismo. Præterea quia confirmationi Tertullianus alios tribuit effectus, qui Baptismo non conveniunt, unde ipse non censuit, ut putant Sectarii, confirmationem esse in Ecclesia puram cæremoniam Baptismi, sed distinctum Sacramentum. Etenim lib. de resurrectione carnis cap. 8. ait: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur. Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut anima de DEO saginetur.*

Ex Scripturis etiam evincitur Actor. 8. ubi narratur, Petrum & Joannem fuisse missos ad Samaritanos jam baptizatos, ut Spiritum Sanctum illis conferrent: *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum DEI, miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui, cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm fuerunt in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Ex quo evidenter infertur, illam manuum impositionem ab Apostolis derivasse in Ecclesiam, & Sacramentum confirmationis situm esse in illa manuum impositione, per quam dicuntur Apostoli Spiritum Sanctum contulisse baptizatis, & sicut illa manuum impositio distinguitur à collatione Baptismi consistentis in ablutione, & prolatione verborum facta à Ministro, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.: sequitur esse Sacramentum distinctum ab ipso Baptismo. Præterea quia Actorum 8. illi dicuntur fuisse baptizati, qui tamen nondum Spiritum Sanctum acceperunt, eò quia nondum super illos impositio manuum Apostolorum facta fuerat: ex quo etiam infertur, quod tametsi gentes potuerint ab aliis baptizari, non tamen poterant ab aliis confirmari, adeo ut necessum fuerit, mitti aliquos ex Apostolis, quia ipsis solùm potestas inerat ministrandi hoc Sacramentum, quia ut infra videbimus. Minister ordinarius hujus Sacramenti est Episcopus; & soli Apostoli tunc Episcopi erant, ex quibus claré deducitur, quod confirmatio sit verum Sacramentum distinctum à Baptismo.

Neque urget, quod respondent Hæretici, ad verum Sacramentum requiri divinam promissionem de gratia conferenda, & circa confirmationem nullam haberi promissionem, consequenter non esse verum Sacramentum, sed tantùm puram cæremoniam, qua Apostoli baptizatos commendabant, & offerebant DEO, cui pro iisdem preces fundebant. Non contra est, quia si illa manuum impositio fuisset tantùm quædam cæremonia Baptismi suscepti, potuisset fieri à quolibet, à quo ministratur Baptismus, hoc autem adversatur scripturis, quia Actorum 8. Philippus Diaconus baptizat, nec tamen imponit manum super baptizatos, sed soli Apostoli dicuntur venisse ad hoc præstandum. Præterea quia si manuum hæc impositio fuisset tantùm quædam oblatio, & commendatio, seu oratio pro iis, qui susceperant Sacramentum Baptismi, non fuisset opus, ut Apostoli Jerosolymis proficiscerentur in Samariam, quia potuissent orare pro absentibus, eosque DEO offerre, & commendare. Præterea quia, si nulla esset scriptura, quæ manifestè significaret hanc promissionem de gratia conferenda in confirmatione, adhuc sufficeret consensus universalis Ecclesiæ in hanc partem, ut rectè ostendit D. Hieronymus adversus Luciferianos. Sufficit enim ipsum exemplum Apostolorum, non enim potuit expressius quid aliud hanc Dei promissionem de gratia confirmatis danda significare, quam quod ab ipsis Apostolis peractum est, per quorum manuum impositionem conferebatur statim Spiritus S. non enim poterant Apostoli propria authoritate absque ulla Dei promissione facta conferre Spiritum Sanctum, proinde illa Spiritus Sancti visibilis donatio evidenter supponebat divinam promissionem de danda gratia confirmatis. Præterea falsum est, hanc divinam promissionem de

gratia

gratia conferenda confirmandis non constare ex sacris scripturis, quia omnia loca, quibus Christus promittit, se daturum Spiritum Sanctum, probant hanc Dei promissionem Actor. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes.* Rursus Actor. 19. constat, Apostolos usurpâsse certum, ac stabilem cæremoniam, in qua daretur fidelibus antea baptizatis Spiritus Sanctus: dicitur enim, cum vidisset Simon, quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit pecuniam dicens: *Date & mihi*, ergo Apostoli utebantur tali cæremonia, cui annexum erat donum Spiritus Sancti: & quia nemo poterat præter Christum hoc idem instituere, ideo rectè concluditur, hoc Sacramentum confirmationis fuisse institutum à Christo, quia nullus homo poterat adnectere gratiam sensibili alicui signo. Hoc igitur testatur scriptura, & confirmat perpetua Ecclesiæ traditio ex Conciliorum definitione, Sanctorum Patrum suffragiis, & praxi omnium sæculorum, de quibus disertè Baronius in annum Christi 53. quod Sancti Patres itidem communiter doceant in hoc Sacramento, perinde dari Spiritum Sanctum, sicut Apostolis datus est die Pentecostes, etenim Cyprianus epist. 73. ad Julianum loquens: de eo, quod Samariæ faciebant Petrus, & Joannes ait: *Quod & nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ afferantur, ut per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Domini consummentur.* Ecce manus impositionem ab Ecclesiæ Præpositis, quo nomine S. Cyprianus Episcopos ubique designat factam super baptizatos, per quam Spiritum Sanctum consequuntur. Hujus autem ritus partem fuisse itidem unctionem chrismatis, constat ex eodem Cypriano epist. 7. ad Julianum, ubi ait: *Ungi necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, seu unctione esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatur.*

Hoc idem etiam evincitur ex Optato Milevitano lib. 7. contra Parmenianum, ubi Spiritum S. per unctionem chrismatis conferri, & eam unctionem posse iterari, asserit, quæ omnia Sacramenta conveniunt confirmationis, ait ipse: *Oleum simplex est, & nomen suum unum, & proprium habet, confectum jam Chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritie peccatorum, quæ animum innovat lenem: quæ sedem Spiritui Sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter dignetur*, & paucis interjectis subdit: *Quod à vobis unctum est, tale servamus*: & infra: *Seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis*, unde eos redarguit, eo quia homines seduxerint, quos rebaptizarunt, & iterum unxerunt, eò quia ambo Sacramenta Baptismi, & confirmationis non possunt iterari, & imprimant characterem: Sanctus Ambrosius lib. 8. de Sacrament. cap. 2. loquens de confirmatione ait: *Sequitur signaculum spirituale, quod audistis hodie legi, quia post fontem sequitur, ut perfectior fiat, quando ad invocationem Sacerdotis infunditur Spiritus Sanctus.* Et lib. de initiandis cap. 7. ait: *Repete, quia accepisti signaculum spirituale, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii, atque virtutis, Spiritum cognitionis, ac pietatis, Spiritum sancti timoris. & serva, quod accepisti, signavit te DEUS Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti.* Sanctus Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos, ubi Luciferianus ait: *An nescis, Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis, postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis, ubi scriptum sit? in actibus Apostolorum, etiam si scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt*, quibus respondet Sanctus Hieronymus sub nomine *Orthodoxi, non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat*: & aliquibus interjectis subdit: *Quod si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui? disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit, & multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potius Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.* Rursus asserit Luciferianus, confirmationem esse juris divini, quod & Sanctus Hieronymus approbat, & fatetur, ac per manus impositionem Episcoporum accipi Spiritum Sanctum, quod autem ait ad honorem Sacerdotii potiùs, quam ob legis necessitatem pluribus in locis usurpatum, ut Episcopus in minores urbes manum impositurus excurrat, id Episcopalis officii, honoris ac ministerii esse, significat, ut manus imponat super baptizatos: sed tamen non esse ex legis necessitate, quasi confirmatio necessaria sit ad salutem, perinde ac necessarius est Baptismus, alioquin sequeretur, quòd si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros, & Diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur. Quia hi omnes, cùm non fuerint confirmati, non fuissent cœlestem gloriam assecuti, eò quia confirmatio sit omnino necessaria ad salutem, perinde ac Baptismus, quod cum inconveniens sit, & contra communem Ecclesiæ sensum, asserendum est, confirmationem non esse ad salutem necessariam simpliciter sicut Baptismus.

Sed instant Hæretici, quia si nulla necessitate factum est, ut baptizato manus imponeretur in Spiritum Sanctum, ut loquitur Sanctus Hieronymus, inde sequitur, confirmationem esse meram cæremoniam. Sed contra, quia tametsi nulla necessitate factum sit, ut baptizato manus imponeretur in Spiritum Sanctum, qui detur in remissionem peccatorum: siquidem Baptismus Christi sine Spiritu Sancto nullius est valoris, ut ait D. Hieronymus contra Luciferianos. Verum non negat Hieronymus dari Spiritum S. ad robur per manus impositionem Episcopi, quamvis illa non sit ad salutem simpliciter necessaria, necessitate medii, & in eo sensu, ut ab æterna salute is excideret, qui sine confirmatione decederet. Confertur igitur per confirmationem, & manus impositionem incrementum gratiæ, quo vires spirituales corroborantur, & augentur contra hostiles assultus ad vincendum mundum, carnem, & dæmonem: sed adhuc respondent Hæretici, confirmationem, seu ritum impositionis manuum ab Episcopo lege tantùm ecclesiastica institutum esse ex sententia Hieronymi urgentis Luciferianum: *Sed quale est, ut leges Ecclesiæ ad Hæresim transferas?* loquitur enim Hieronymus de confirmatione seu ritu impositionis

Digitized by Google

manuum ab Episcopo, quem vocat legem Ecclesiæ. Sed contra, quia D. Hieronymus per verba illa non significat confirmationem fuisse institutam lege ecclesiastica: sed esse legem Ecclesiæ, secundum quam Episcopus ad minores urbes proficiscitur, manus super baptizatos impositurus, seu confirmaturus. Cæterum non ait, Baptismum Christi sine Spiritu S. esse posse, quod Luciferianus asserebat. Quamobrem S. Hieronymus voluit, confirmationem esse juris divini simul, & ecclesiastici. Scilicet quoad institutionem esse juris divini, & quoad excursionem per minores urbes confirmaturus Episcopus baptizatos de lege ecclesiastica. Ait D. Hieronymus contra Luciferianum hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.

D. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. ubi Spiritum S. fatetur super fideles descendere ad invocationem, & orationem Episcoporum manus imponentium ait: *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum S.? Imo quantus Deus est, qui dat Deum? neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum S.* (ut causa principalis) *orabant quippe Apostoli, ut veniret super eos Spiritus S. quibus manus imponebant, quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Hoc idem confirmat lib. 3. de Baptismo cap. 16. & tract. 6. in epist. S. Joannis, ubi ostendit manuum impositionem infantibus, seu recens baptizatis ab Episcopo factam, esse Sacramentum, & ejus virtutem asserit esse charitatem diffusam per Spiritum S. in cordibus: & Spiritus S. præsentiam non per signa visibilia, cujusmodi erat donum linguarum, cognosci, sicut temporibus Apostolorum factum legimus, sed per fraternam dilectionem, postea concludit: *Ergo si vis nosse, quia accepisti Spiritum S. interroga cor tuum: ne forte Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas.* Et lib. 5. de Baptismo cap. 20. designans confirmationem olei, vel chrismatis, aut unctionis, expressè vocat Sacramentum, ait enim cap. 20. *Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur.* Et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. explicans verba Psalmi: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Per hoc unguentum interpretatur Sacramentum confirmationis, inquiens: *Et in hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus;* & tandem in epist. 1. S. Joannis loquens de confirmatione ait: *Unctio spiritualis ipse Spiritus S. est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* Reliqui S. Patres expressè asserunt, confirmationem esse verum Sacramentum novæ legis, eò quia sit signum sensibile constans ex rebus, & verbis, sitque operatorium gratiæ sanctificantis. S. Cyrillus Alexandrinus Comment. in Joelem expendens verba illa: *Et replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino, & oleo:* asserit in unctione olei per Baptismum justificatis, seu jam baptizatis gratiam consummatam conferri. Ideoque confirmationem non minus esse Sacramentum, quàm Baptismum & Eucharistiam; ait Cyrillus: *Data est nobis seu pluvia aqua vivens sacri Baptismatis: & tanquam instrumento panis vivus, & tanquam in vino sanguis: accessit autem usu olei, qui per sacrum Baptisma in Christo justificatis, ad consummationem confert.* Quòd si inunctio olei jam baptizatis confert gratiam consummatam, cum sit signum sensibile, constans ex rebus, & verbis, sitque operatorium gratiæ sanctificantis, & hæc inunctio dicatur confirmatio, sequitur evidenter, confirmationem esse proprium ac verum Sacramentum novæ legis, cum & ipsi conveniat veri Sacramenti definitio. Hoc idem adstruit S. Leo serm. 4. de Nativitate Domini, ubi ait: *Permanete stabiles in fide, quam confessi estis coram multis testibus: & in qua renati per aquam, & Spiritum S. accepistis chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ;* ubi confirmationem vocat chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ, quia in hoc Sacramento confertur gratia sanctificans, qua salutem consequimur, & dicitur esse signaculum vitæ æternæ, quia imprimitur character, qui est vitæ signaculum, quapropter Tridentina Synodus sess. 7. can. 1. anathematizat Hæreticos, Calvinistas, & Lutheranos negantes, Confirmationem esse verum, ac proprium novæ legis Sacramentum, inquiens: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Et can. 2. subdit: *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Objiciunt tamen Novatores, quia Sacramenta novæ legis fuerunt à Christo omnia instituta, atqui confirmationem non legimus fuisse institutam à Christo, sed tantum ab Ecclesia, ut docuerunt Alexander Alensis *part. 4. quæst. 24.* & S. Bonaventura in 4. *sentent. dist. 7. quæst. 1. art. 1.* ergo cum Ecclesia destituatur potestate instituendi Sacramenta, sequitur, confirmationem non esse Sacramentum novæ legis. Sed contra, quia Alexander Alensis, & S. Bonaventura non docuerunt, Ecclesiam instituisse confirmationem, sed tantum determinasse tempus, seu cum primum ad usum rationis baptizati devenerint, confirmatio autem quoad suam institutionem fuit à Christo instituta, non vero ab Apostolis, vel ab Ecclesia, quia hæc non habet potestatem instituendi nova Sacramenta, quia ad id requiritur potestas excellentiæ, quæ soli Christo competit, ut docet D. Thomas 3. part. de Sacramento confirmationis, ubi ait, instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo. Quòd si dicas, in scripturis non legi, quo tempore fuerit à Christo instituta confirmatio. Contra est, quia constat, hoc Sacramentum fuisse institutum in ipsa nocte cœnæ, quando Christus Apostolos instruxit de hoc, & aliis Sacramentis ministrandis, in ultima enim cœna promisit Spiritum S. Apostolis, quos etiam docuit ritum hujus Sacramenti. Quamvis hoc Sacramentum per se ipsum non administraverit sicut Eucharistiam, & Ordinem, & in hoc sensu intelligitur D. Thomas, cum dicit loc. cit. *Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo secundum illud Joan. 16. Si non abiero, Paraclectus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos, & hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus S. quæ danda non erat ante Christi resurrectionem, & ascensionem secundum illud Joan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus:* Quam sententiam etiam tradit Catechismus Romanus de Confirmatione, & Fabianus Papa epist. 2. decret. post initium inquiens: *In illo enim die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à S. Apostolis*

Prade-

Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit, ubi Pontifex non ſolum ſua propria authoritate hanc ſententiam confirmat, ſed ulteriùs fatetur fluere ex traditione Apoſtolorum. Neque urget, quod reſpondent Sectarii contra hanc ſententiam, Apoſtolos in nocte cœnæ nondum fuiſſe inſtitutos Epiſcopos, ad quos tantùm pertinet hoc Sacramentum miniſtrare: quia tametſi non potuerit, hoc Sacramentum in ultima cœna ab Apoſtolis adminiſtrari fidelibus, potùit tamen à Chriſto tunc inſtitui, ut ſuo tempore ab Apoſtolis adminiſtraretur. Non tamen deſunt, qui cenſeant, hoc Sacramentum tunc fuiſſe à Chriſto inſtitutum, quando poſt reſurrectionem Apoſtolos ordinavit Epiſcopos, Joan. 20. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Verum prior ſententia probabilior eſt, & conformior Sanctis Patribus.

Objiciunt ſecundò, quia confirmatio non eſt diſtinctum Sacramentum ab Euchariſtia, ſiquidem effectus, qui tribuuntur confirmationi, ſunt communire, confirmare, corroborare, perficere, atqui hi omnes effectus Euchariſtiæ conveniunt: ſiquidem Spiritus S. qui nobis in Baptiſmo confertur, hos omnes effectus præſtat, quia non eſt iners, nec otioſus, ſed actuoſus confortans, & corroborans, & panis Euchariſticus cor hominis confirmat, corroborat, ac præmunit; hinc Euchariſtia, ut teſtatur S. Cyprianus, percipi conſueverat à fidelibus ingruente perſecutione, ut ad prælium munirentur epiſt. 54. ubi ait: *Non morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt: ut, quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione corporis, & ſanguinis Chriſti muniamus.* Confirmatio igitur ad hunc effectum neceſſaria non fuit. Sed contra, quia licèt præfati effectus tribuantur tribus prærecenſitis Sacramentis, non tamen eodem modo iiſdem conveniunt: gratia enim Baptiſmatis non eſt gratia virtutis perfectæ, & virilis, ſed quæ infantili ætati tantùm convenit: ſiquidem effectus Baptiſmi eſt gratia regenerationis, innovationis, & adoptionis, eſtque veluti infantia Chriſtianiſmi, juxta illud, *ſicut modo geniti infantes*: gratia verò, quam confert Sacramentum confirmationis, eſt gratia plenitudinis, & roboris, & convenit homini adultiori, ſeu utenti ratione: & ætate profectiori, quapropter 1. Joan. 2. habetur: *Scribo vobis, Juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei in vobis manet, & viciſtis malignum*: gratia verò Euchariſtica eſt, qua homo nutritur, alitúrque ad uberiora virtutum incrementa, & convenit hominibus, qui profecti ſunt ſpiritualiter ad virilem ætatem Chriſtianiſmi, ut docet D. Thomas 3. part, quæſt. 79. art. 1. ad 1. ubi comparans Euchariſtiam cum Sacramento Confirmationis ait: *Ex efficacia virtutis ipſius, ut gratia augeatur, & vita ſpiritualis perficiatur. Aliter tamen, quàm per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur, & perficitur gratia ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum Chriſti: per hoc autem Sacramentum augetur gratia, & perficitur ſpiritualis vita, ad hoc, quod homo in ſe ipſo perfectus exiſtat per arctiorem conjunctionem ad Deum.* Idque cauſa fuit, cur à primis naſcentis Eccleſiæ exordiis conſuetudo invaluerit, qua primo loco adminiſtraretur Baptiſmus, ut renaſceretur homo, & poſt Baptiſmum confirmatio, qua ad virilem proveheretur ætatem. Tertiò Euchariſtia, ut homo nutriretur jam grandævus in vita ſpirituali, ut notat D. Auguſtinus lib. 7. confeſſ. cap. 10. ubi ait in perſona Chriſti: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

CAPUT II.

De Quidditate, & materia Sacramenti Confirmationis.

Quidditas hujus Sacramenti, ſi metaphyſicè ſpectetur, rectè explicatur, quòd ſit Sacramentum novæ legis, ſignificans, & cauſans augmentum gratiæ ſpiritualis, & robur, quo poſſimus fortiter profiteri Chriſti fidem, ac tueri legem Chriſtianam. Ratio eſt, quia roborare ad profitendam Chriſti fidem, & confirmare in gratia ad ſervandam legem Chriſtianam, eſt proprius hujus Sacramenti finis, & effectus, per hoc enim, quod fidelibus conferat robur militare ad profeſſionem, ac generoſam defentionem fidei, diſtinguitur à cæteris Sacramentis vivorum, quia quamvis Euchariſtia gratiam adaugeat, & corroboret, non tamen eo ſpeciali modo, quo corroborat confirmatio ad pugnandum cum hoſtibus fidei. Sin autem ſpectetur confirmatio phyſicè, definitur eſſe Sacramentum conſtans unctione chriſmatis ab Epiſcopo in fronte facta, & probatione horum verborum, vel æquivalentium: *Signo te ſigno crucis, & confirmo de Chriſmate ſalutis*, ubi deſignantur partes eſſentiales, & phyſicè componentes Sacramentum confirmationis.

Aſſerendum primò, non ſolum manuum impoſitionem, ſed etiam oleum, & balſamum, ſeu chriſma confectum ex oleo ſimul, & balſamo eſſe materiam remotam hujus Sacramenti: quòd manuum impoſitio pertineat ad materiam hujus Sacramenti, probat ſcriptura Actor. 8. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Rurſus Apoſtolus ad Hebr. cap. 6. ait: *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fides ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitiones quoque manuum.* Hanc verò manuum impoſitionem de Confirmationis Sacramento Patres Græci, & Latini interpretantur: ſiquidem Patres per manuum impoſitionem Epiſcopalem dari Spiritum S. in confirmatione aſſerunt. Imo unctioni chriſmatis plures etiam Patres effectum tribuunt confirmationis, ut S. Dionyſius de eccleſiaſt. Hierarch. cap. 4. inquiens: *Eſt quedam perfectiva operatio, quam Duces noſtri, ſeu Apoſtoli Chriſmatis hoſtiam nominant.* Et Tertullianus lib. de Baptiſmo unctionem, & manus impoſitionem ſimul conjungit, inquiens: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione, dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſ. 3. Myſtag. ait: *Chriſti facti eſtis, poſtea quàm Sancti Spiritus imaginem recepiſtis. Datum eſt Chriſma, quod imaginem gerit illius, quo unctus eſt Chriſtus. Hoc autem eſt Spiritus Sanctus. Vos verò uncti eſtis unguento facti participes, & conſortes Chriſti. Corpus quidem hoc viſibili unguento perungitur; anima verò ſancto, ac vivifico Spiritu ſanctificatur.* S. Gregorius Magnus in Sacramentario manuum impo-

Digitized by Google

impoſitionem, & chriſmatis unctionem commemorat, ut materiam confirmationis, inquiens: *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chriſmà involutis ſcapulis, & brachiis ex panno lineo, levatâ manu ſua ſuper capita omnium, dicit: Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum: emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum Paracletum de cœlis; Spiritum ſapientiæ, & intellectus, Spiritum Conſilii, & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ, & pietatis, adimple eos Spiritu timoris tui, & conſigna eos ſigno crucis in vitam propitiatus æternam.* Et poſtea ſubjungit: *Et interrogantibus Diaconis nomina ſingulorum Pontifex, tincto pollice in Chriſmate, facit crucem in fonte unius, ſimiliter per omnes ſigillatim.* Unde ad materiam hujus Sacramenti requiritur non ſolùm impoſitio manuum, ſed etiam unctio, & hoc ſatis apertè definitum fuit in Concilio Florentino, ubi Eugenius Papa aſſerit, materiam hujus Sacramenti eſſe chriſma ex oleo confectum, quod nitorem conſcientiæ ſignificat, & ex balſamo, quod induat odorem bonæ famæ, ac vitæ: & quia nullam aliam materiam aſſignat hujus Sacramenti, ſatis apertè conſtat hanc ſolam ſufficere. Præterea, quia hoc idem conſtat ex praxi Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ, quæ nunquam, ad miniſtrandum hoc Sacramentum, aliam materiam uſurpavit: hinc S. Dionyſius lib. de Hierarch. cap. 2. vocat hanc materiam *Unguentum Deificum*, & cap. 7. *Unguentum ſanctiſſimum*. Optatus Milevitanus lib. 2. *Chriſma ſacroſanctum*. Theophilus Antiochenus lib. 1. *Oleum divinum*. Cyrillus Catecheſis. Myſtag. *Chriſma Chriſti, quo frons perungitur, anima verò ſancto, ac vivifico Spiritu ſanctificatur.*

Neque obſtat, Simonidem aſſerere, Apoſtolos non legi uſos eſſe unctione, ſed ſolùm manuum impoſitione: Nam contra eſt, quia ex ſanctis Patribus apertè conſtat, Apoſtolos miniſtrantes hoc Sacramentum, ita impoſuiſſe manus, ut frontem etiam chriſmate injungerent, quæ actio tota non incongruè vocatur manuum impoſitio: ſiquidem per frontis chriſmationem deſignatur manus impoſitio, quæ etiam alio nomine chriſmatio dicitur, ut notat Innocentius III. cap. *Cum veniſſet. de ſacra Unctione.* & in hoc ſenſu intelliguntur Auguſtinus, Hieronymus, & alii Sancti Patres vocantes hoc Sacramentum impoſitionem manuum, quia cum non poſſet conferri, neque injungi chriſmate frons confirmandi, ideo vocarunt confirmationem, manuum impoſitionem. Præterea materiam remotam hujus Sacramenti non eſſe oleum ſolum ſine balſamo, neque ſolum balſamum ſine oleo, liquet ex praxi, & traditione Eccleſiæ, quæ nonniſi ex oleo, & balſamo ſimul conſuevit chriſma conficere. Rurſus Concilium Florentinum expreſsè definit, materiam hujus Sacramenti eſſe oleum cum balſamo. Tum quia optimam congruentiam aſſignat D. Thomas 3. *part. de Sacramento Confirmat. art. 2.* quia oleum, quod pingue eſt, & natura ſua diffluit, ac manat, deſignat gratiæ plenitudinem, quæ in hoc Sacramento tribuitur, & per Spiritum S. à Chriſto capite in alios redundat: Balſamum verò ſignificat propter fragrantiam odoris, quia fideles virtute hujus Sacramenti eam virtutum ſuavitatem effundunt, quæ in alios redundat, adeò ut fideles dicere poſſint cum Apoſtolo 2. ad Corint. 2. *Chriſti bonus odor ſumus*, idque cauſæ, cur Tertullianus loquens de hoc Sacramento dixerit: *Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Et quamvis chriſma græcè quodcunque unguentum, ſeu unctionem ſignificet, ex accommodatione tamen uſus communiter à Patribus Eccleſiæ uſurpatur, pro compoſito ex oleo, & balſamo, in quo ſenſu illud uſurpat Concilium Tridentinum juxta Catechiſmum Romanum.

Quòd verò ſolùm oleum ſine balſamo non ſit materia hujus Sacramenti, ex eo evincitur, quia omnis ea materia eſt eſſentialis, quæ eſt neceſſaria ad verificandam formam Sacramenti, ſiquidem forma eſt vera pars eſſentialis: ſed balſamum eſt neceſſarium ad verificandam formam hujus Sacramenti, quam aſſignat Concilium Florentinum, & præſcribit Pontificale Romanum, ſcilicet: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* ſed ex uſu, & traditione Eccleſiæ, & doctrina Patrum per chriſma non intelligitur ſimplex oleum; ſed oleum balſamo miſtum, ergo ſolum oleum ſine balſamo non eſt materia hujus Sacramenti. Neque obſtat, quod ait Cajetanus, Innocentium III. cap. 1. de Sacramentis non iterandis aſſerere non debere confirmationem, quæ per inadvertentiam cum ſolo oleo collata eſt, iterari, ſed eſſe cautè ſupplenda, quæ incautè omiſſa ſunt, ex quo conjicitur, ſolum oleum eſſe materiam ſufficienter hujus Sacramenti, alioquin in dato caſu eſſet hoc Sacramentum iterandum. Præterea quia perdifficile eſt, invenire verum balſamum, cum tamen Sacramentorum materias voluerit Chriſtus eſſe unicuique obvias, ac probabiles. Sed contra eſt, quia Innocentius ibi tantùm negat, iterandam eſſe ſolemnitatem, cum qua ex inſtitutione Eccleſiæ ſolet hoc Sacramentum adminiſtrari, vult enim Pontifex, cæremonias accidentales non eſſe iterandas, quoties eodem modo inadvertenter collata eſt confirmatio, quapropter Pontifex uſus fuit illo adverbio *cautè*: Præterea cùm noſtra ſententia ſit longè probabilior, & quæſtio non dependeat ex opinione Doctorum: ſed ex Chriſti inſtitutione, ſaltem deberet eo caſu, qui ſolo oleo eſſet unctus, ſub conditione confirmari. Neque ullum faceſſit negotium, quod ſit difficile invenire verum balſamum: quia ſufficit quodcunque balſamum ſive perfectum, ſive imperfectum. Et Henriquez *lib. 3. de Confirmat. cap. 2.* refert, Pium IV. conceſſiſſe, ut Epiſcopi in Indiis poſſint hoc Sacramentum conficere ex balſamo Indico, quod eſt minus perfectum. Præterea quia praxis Eccleſiæ per tot ſæcula continuata ſatis oſtendit, nunquam in Eccleſia Dei balſamum defuiſſe, neque uſum hujus Sacramenti ceſſâſſe ex defectu balſami, denum, quia hoc Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii, ut Baptiſmum, & pœnitentia: nec neceſſitate præcepti, ut Euchariſtia, ideo non fuit neceſſe, ut materia eſſet omnibus obvia, ſicut materia Baptiſmi. Rurſus chriſma debet ab Epiſcopo benedici, ut docet praxis Eccleſiæ.

Objiciunt adverſarii verba Innocentii III. cap. *Cum veniſſet extra de ſacra Unctione.* ubi ait: *Per frontis Chriſmationem deſignari manus impoſitionem Apoſtolorum*; ex quo inferunt, manuum impoſitionem non eſſe materiam hujus Sacramenti. Præterea quia Eugenius IV. in decreto de unione Armenorum ait: *Locô manus impoſitionis datur in Eccleſia confirmatio*, ex quibus videtur inferri, manuum impoſitionem non eſſe materiam eſſentialem, & neceſſariam confirmationis. Sed contra, quia, ut reſpondet Bellarminus, Innocentius, & Eugenius non aſſeruerunt, chriſma eſſe loco impoſitionis manuum, quaſi Apoſtoli non uterentur chriſmate, &

nos

nos non utamur impoſitione manûs: ſed tantum voluiſſe dicere id ipſum, quod Apoſtoli faciebant, cùm dicerentur imponere manus; facere Epiſcopos, cum dicuntur confirmare, vel chriſmare. Unde diſtinguitur in præcitatis locis non ritus à ritu; ſed modus loquendi à modo loquendi, & perſona à perſonis, & illam particulam *impoſitionem manuum* diſtingui ab iſta, quæ nunc adhibetur: ſiquidem in primitiva Eccleſia dicebatur hoc Sacramentum impoſitio manuum, cùm nunc dicatur confirmatio: prætereà illam miniſtrabant Apoſtoli, iſtam Epiſcopi. Demum, ut ait Bellarminus, quia illa erat efficacior, quia cum effectu interno dabat etiam externum, & cum gratia gratum faciente, dabat etiam dona gratis data linguarum, & miraculorum. Et quod talis ſit ſenſus illorum verborum, conſtat, quia Innocentius, & Eugenius non dicunt, chriſma eſſe loco impoſitionis manuum, ſed Sacramentum Confirmationis eſſe locò impoſitionis manuum, ſed certum eſt, Apoſtolos dediſſe Sacramentum Confirmationis, ſive adhibuerint chriſma, ſive non. Secundò, quia Innocentius, & Eugenius ibidem dicunt, Epiſcopos eſſe in Eccleſia locô Apoſtolorum, ſed Apoſtoli erant veri Epiſcopi, quamvis ampliorem poteſtatem habuerint, quàm nunc Epiſcopi, unde confirmatio locô manuum impoſitionis non datur in eo ſenſu, ut abolita ſit manus impoſitio, quam Eccleſia adhuc retinet, & eandem uſurpat; ut conſtat ex Pontificalibus, quibus etiamnum utitur Eccleſia, ſiquidem Pontificalia adhuc manuum impoſitionem retinent, & conſtat etiam ex praxi, & ex Conciliis Eugenio IV. poſterioribus, quæ confirmationis effectum manuum tribuunt impoſitioni. Quòd ſi dicas in Evchologiis Græcorum nullam manuum impoſitionem ſignificari, neque injungi, & nullam in miniſtratione Sacramenti Confirmationis uſurpari ab ipſis manuum impoſitionem, quæ propterea non eſt materia eſſentialis hujus Sacramenti Confirmationis. Sed contra, quia in Græcorum Evchologiis præſcribitur oratio fundenda ſuper confirmandos, qua invocatur Spiritus Sanctus, rogaturque, ut ſuam ſuper confirmandos infundat gratiam: & hæc invocatio fit per impoſitionem manûs ſuper confirmandos: unde in miniſtratione confirmationis in ritu Græco manuum impoſitio ſubintelligitur, cum de facto exerceatur; adeo ut manus impoſitio idem ſit, ac oratio ſupra hominem, cùm hæc oratio fundatur ad Spiritum Sanctum cum manûs impoſitione, ut ait S. Auguſtinus. Quod ſi recentes, ſeu moderni Græci in miniſtrando Sacramento Confirmationis nullum de facto adhibent manus impoſitionem; ipſi diſcordant à ritu antiquo Græcorum, & ab Eccleſia Latina, à qua per ſchiſma ſeparantur, ut infertur ex Evlogio Alexandrino lib. 2. contra Novatianos, ubi hæc habet: *Inde progreſſione factâ, dignior redditur adventu Spiritus S. quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum fiebat.* Simon Theſſalonicenſis lib. de ſeptem Sacramentis ait: *A Philippo baptizati, tanquam qui ſolum Baptiſma ſuſcepiſſent, Petro & Joanne imponentibus manus, Spiritum S. accipiebant, quod ſanè hoc Sacramentum eſt; ſiquidem impoſitio manuum unguentum præbebat, ut in Apoſtolis factum eſt, & per ipſos in multis aliis.* Non ſolum aſſerit ritu antiquo Græcorum conveniſſe miniſtrari hoc Sacramentum Confirmationis per manûs impoſitionem, verum etiam hunc ritum fuiſſe ab Apoſtolis ſervatum, & Apoſtolica traditione in Eccleſiam derivatum. Prætereà notat Thomas Waldenſis chriſmationem, quam adhibent Græci, ſine manuum impoſitione non poſſe fieri, ut demonſtrat lib. 2. de Sacramentis cap. 113. apud Bellarmin. lib. 2. de Confirmat. cap. 9. & Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 7. cap. 2. apud Græcos unctionem, ſeu adminiſtrationem confirmationis peragi per manus impoſitionem, inquiens: *Manus impoſitio, quæ uſitato nomine Confirmatio vocatur; qua Chriſtianus unctione Chriſmatis per impoſitionem manus in fronte ſignatur.*

Quòd ſi dicas, Apoſtolos ſine chriſmate Sacramentum Confirmationis miniſtraſſe, cujus Scriptura non meminit, ſed ſolius impoſitionis manuum; conſequenter chriſma non eſſe materiam hujus Sacramenti. Contra eſt, quia tametſi chriſma fuiſſe ab Apoſtolis adhibitum, non legatur in ſacris Scripturis, exinde non rectè infertur, non fuiſſe adhibitum chriſma in miniſtratione confirmationis, quia non omnia, quæ ſunt fidei dogmata, continentur in ſcripturis, cum plura innitantur traditionibus Apoſtolorum. Prætereà Ritus in ſcripturis ſæpe non niſi compendio explicantur, ita ut ex una parte reliquæ poſſint intelligi; ut notat S. Auguſtinus *lib. de Fide, & Operibus*, cap. 9. ex Act. Apoſtol. cap. 8. ubi legimus, Evnuchum Reginæ Candacis à Philippo baptizatum, cum reſpondiſſet: *Credo Filium Dei eſſe Jeſum*, & nihilominus de pluribus aliis fuit Evnuchus interrogatus, quæ brevitatis cauſa reticet ſacra Scriptura, ut etiam plura, quæ tunc acta fuerint, ait Auguſtinus: *Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda dimiſit cætera, quæ cum illo Spadone baptizando Philippus egit, atque in eo, quod ait: Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licet taceantur in ſcripturis gratia brevitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda: Pari modo etiam in eo, quod ſcriptum eſt, evangelizaſſe Philippum Spadoni Dominum Jeſum, nullo modo dubitandum eſt, & in illo Catechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam, moréſque pertineant ejus, qui credit in Dominum Jeſum.* Pari pacto quamvis S. Lucas in Actis Apoſtolorum meminerit manuum impoſitionis, & non chriſmatis, ſeu retinuerit chriſmatis unctionem, ex traditionibus Apoſtolorum, conſtat hanc eſſe intelligendam.

Aſſerendum ſecundò, materiam proximam hujus Sacramenti ſimpliciter neceſſariam eſſe unctionem chriſmatis factam manu Epiſcopi in fronte in figuram crucis. Neque efficaciùs poſſumus aſſertionem evincere, quàm ex Apoſtolica traditione in Eccleſiam derivata, & ex uſu, & praxi continuata ab eadem Eccleſia. Colligitur itidem veritas aſſertionis ex forma hujus Sacramenti: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis*, quapropter S. Cyprianus epiſt. ad Julianum vocat hoc Sacramentum *Signaculum Dominicum*; & Euſebius lib. 3. hiſtor. cap. 23. *Eximium Phylacterium*; & D. Ambroſius lib. 6. de Sacramentis cap. 2. ait: *Signavit te Chriſtus, quomodo? quia crucis ipſius ſignatus es forma ad illius paſſionem: Accepiſti ſignaculum ad illius ſimilitudinem, ut ad ipſius formam reſurgens, ipſius vivas figurâ, qui peccato crucifixus eſt.* Imò eſt itidem eſſentiale, ut unctio fiat in capite, ſeu fronte, quia in fronte eſt ſedes pudoris, & præcipuus hujus Sacramenti finis eſt confirmare hominem, ne Chriſti fidem, & crucem erubeſcat; ſed glorietur in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Eſt etiam eſſentiale huic Sacramento, ut oleum, ex quo unà cum balſamo conficitur chriſma, ſit expreſſum ex olivis, adeo ut non ſufficiat oleum nucum, vel amygdalarum, aut aliud ſimile: quia oleum propriè dicitur, quod ex olivis exprimitur, ut docet D. Thomas 3. part. quæſt. 32. art. 2. ad 3. Quia

proprie-

Digitized by Google

proprietates olei, quibus ſignificatur Spiritus S. magis inveniuntur in oleo olivarum, quàm in quocunque alio oleo. Unde & ipſa oliva ſemper frondibus virens, virtutem & miſericordiam Spiritus Sancti ſignificat. Hoc etiam oleum propriè dicitur oleum, & maximè habetur in uſu, ubi haberi poteſt. Quilibet alius liquor ex ſimilitudine hujus oleum nominatur: nec eſt in uſu communi, niſi in ſupplementum apud eos, quibus deeſt oleum olivarum. Et ideo hoc oleum tantùm aſſumitur in uſum hujus, & quorundam aliorum Sacramentorum. Tum quia oleum ſine addito intelligitur oleum olivarum, perinde ac vinum ſine addito intelligitur vinum ex uvis expreſſum, & hoc eſſe materiam Euchariſtiæ; ita quia Chriſtus inſtituit, oleum eſſe materiam hujus Sacramenti, debet intelligi de oleo expreſſo ex olivis, quia hoc tantùm verè eſt oleum.

Chriſma igitur nomen eſt Græcum, ſignificans apud profanos Scriptores quodlibet unguenti genus; ſed apud eccleſiaſticos Authores quamdam miſturam ex oleo, & balſamo; cui Græci conſueverunt triginta aromatum genera, ſeu herbarum fragrantioris odoris admiſcere, unà cum vini exigua quantitate. Latini verò chriſma conficiunt ex oleo, & balſamo. Unde venerabilis Beda expendens verba Cant. Cantic. cap. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*, ait: *In vineis Engaddi balſamum gignitur, quod in Chriſmatis confectione liquori olivæ admiſceri, & Pontificali benedictione ſolet conſecrari, quatenus fideles omnes cum impoſitione manus Sacerdotalis, quâ Spiritus Sanctus accipitur, hac unctione ſignentur:* & lib. de Cardinalibus virtutibus inter opera S. Cypriani, ſermone de unctione chriſmatis dicitur: *Hodie ſacrum Chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem:* & in Decreto Eugenii IV. materia chriſmationis dicitur eſſe: *Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ:* hoc idem aſſerunt omnia Pontificalia Eccleſiarum occidentalium. Neque alia materia poterat accommodatior eſſe ad demonſtrandum, quod hoc Sacramento efficitur. Oleum ſiquidem, quod pingue eſt, ac diffluit, gratiæ ſignificat plenitudinem, quæ hoc Sacramento confertur; & robur ſpirituale, ſeu gratiam, quæ per Spiritum S. à Chriſto capite in alios redundat, ac effunditur: & hoc eſt illud unguentum, de quo dixerat Regius Propheta: *Sicut unguentum, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, uſque in oram veſtimenti ejus.* Et Pſal. 44. *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ Conſortibus tuis:* Et Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Balſamum, cujus odor eſt jucundiſſimus, indicatur Eccleſ. 24. *Quaſi balſamum non mixtum odor meus:* & Apoſtolus 2. Corinth. 2. v. 15. ſignificat fideles cum Sacramento Confirmationis perfici, ut non jam ſibi ſingulariter vivant, ſed ſtudeant ſuavem virtutis odorem in cæteros diffundere, ut cum Apoſtolo dicere poſſint: *Chriſti bonus odor ſumus;* Quapropter S. Dionyſius de Eccleſ. Hierar. cap. 4. ait: *Unguenti confectionem, concretionem eſſe quamdam rerum bene olentium, quæ in ſe magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum contineat, cujus qui facti ſunt participes, odorem bonum ex ſe efflant, pro portione fragrantis communionis, quæ in eis ineſt.* Rurſus balſamus corpora à corruptione præſervat; & incorruptibilitatem promovet; hoc autem accommodatur ad ſignificandam virtutem hujus Sacramenti; fideles enim inviſibili Spiritus Sancti unctione, & cœleſti gratia in animo affecti præſervantur à corruptione peccati. An vero balſamum in hoc Sacramento ſit neceſſarium neceſſitate Sacramenti; an neceſſitate præcepti tantùm, ut admixtio aquæ vino in Euchariſtia, non conveniunt Theologi, in varias diviſi ſententias, adeo ut videatur res incerta, quæ indigeat definitione Eccleſiæ; ſi contingeret aliquem oleo tantùm ſine balſamo ab Epiſcopo inungi, dubium videretur Sacramentum, & ſub conditione iterandum, ut declaravit Innocentius III. cap. *Paſtoralis.* de Sacramentis non iterandis, quem Theologi diſcrepantes in ſuas partes trahere ſatagunt, ait: *Nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad ordinem Subdiaconatus aſſumptus. Et ſi Sacramentum Confirmationis in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chriſmate, ſed oleo delinitus. Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum; ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.* Non poteſt autem ſuppleri balſamum prætermiſſum, niſi per novam chriſmatis unctionem; quia ſeorſim ab Epiſcopo non benedicitur, ſed oleo miſtum: non tamen per hanc novam unctionem propriè iteraretur Sacramentum; quia ut ait Innocentius III. cap. *veniens*, de Presbytero non baptizati: *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum:* unde ſi nova chriſmatio fieret ſine verbis, ut suppleretur cautè, quod incautè fuerat prætermiſſum, non intelligeretur iteratum hoc Sacramentum Confirmationis.

Si dicas, materiam Sacramenti debere eſſe ſimplicem, & ubique obviam, quo pacto materia Baptiſmi eſt aqua, materia Euchariſtiæ eſt panis, & vinum: ſed chriſma non eſt quid ſimplex, ſed compoſitum, ac miſtum ex oleo, & balſamo, quod non ſtatim eſt omnibus obvium, cum in ſola Palæſtina oriatur: ergo chriſma non videtur eſſe conveniens confirmationis materia. Sed reſpondet D. Thomas, Baptiſmum dari ad ſpiritualem vitam ſimpliciter habendam, ideóque convenire illi materiam ſimplicem, & ubique obviam, qualis eſt naturalis aqua, ne defectu materiæ poſſent unquam homines deſtitui vita ſpirituali ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem æternam. Secus confirmatio datur ad plenitudinem conſequendam Spiritus Sancti, cujus eſt multiformis operatio, ſecundum illud Sapient. 7. *Eſt enim in illa Spiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex.* Et Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. ait: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus:* ob id oportuit, ut materia confirmationis eſſet compoſita, & miſta ex pluribus. Baptiſmus igitur, quia eſt abſolutæ neceſſitatis, ad ſalutem exigebat materiam ſimplicem, & ubique obviam. Confirmatio verò, quia non eſt tantæ neceſſitatis, non opus erat, ut ejus materia eſſet ubique obvia: ſed ſufficit, ſi ejus materia facilè in omnes orbis Chriſtiani partes aſportari poſſet. Balſamum non ex ſola Palæſtina, ſed etiam ex Indiis poteſt in Europam aſportari; neque neceſſe eſt, ut ſit ſemper idem balſamum, ex una eademque Provincia: quia etiam vinum, quod eſt materia Euchariſtiæ, poteſt eſſe ex diverſis Regionibus, magis vel minus generoſum. Ita balſamum non eſt neceſſe ſit ejuſdem Provinciæ, & perfectionis.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quomodo Chrisma debeat benedici, ut sit materia Confirmationis.

Asserendum est, chrisma esse benedicendum, seu conservandum ab Episcopo, ut esse possit materia remota Sacramenti confirmationis: Quia Eugenius IV. in decreto de Instructione Armenorum expressè asserit, debere chrisma benedici ab Episcopo, adeo ut consecratio chrismatis facta ab Episcopo sit de necessitate hujus Sacramenti: Consilium siquidem Florentinum ait, materiam hujus Sacramenti esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo simul mixtis, ab Episcopo benedictum: unde sicut definit, quod oleum sit necessarium necessitate Sacramenti, ideo etiam consecratio chrismatis facta per Episcopum. Primus omnium, qui confecit chrismatis unguentum Exodi c. 30. fuit Moyses, qui jubente Deo composuit chrisma ex oleo, & balsamo, quò Aaron, & filii ejus fuerunt primò inuncti in testimonium Sacerdotii. & Sanctitatis: postea Reges eodem chrismate inungebantur, & consecrabantur, adeo ut Christi, seu uncti dicerentur, ut scriptum est Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos*; erat in lege veteri regibus, & Sacerdotibus tantum mystica unctio, quia Christus præsignabatur; unde & nomen hoc Christus à chrismate deductum est. Postquam verò dominus noster verus Rex, & Sacerdos à Deo Patre cœlesti mystico unguento est delibutus, seu in Christo humanitas divinitate inuncta non solum Pontifices, & reges. ut olim in lege veteri, sed universa Ecclesia comprehendens cœtum omnium fidelium chrismatis unctione consecratur, eo quia sit ipsa Ecclesia membrum æterni sacerdotii. & regis, & omnes fideles pertinent ad genus regale, & sacerdotale, sitque sacerdotium in lege evangelica regale, qua de causa post lavacrum baptismi ungimur chrismate, ut Christi nomine censeamur, ut asserit Isidorus de *ecclesiasticis officiis lib. 2. cap. 25.* & sicut collatio hujus Sacramenti ab initio nascentis ecclesiæ solis Episcopis fuerit assignata, ita & consecratio, ut notat Rupertus Abbas de *divinis officiis lib. 5. cap. 16.* & S. Epiphanius hæresi 21. ait: *Nam cum Philippus diaconus esset, non habebat potestatem imponendi manus, ut per hoc daret Spiritum Sanctum*; D. Chrysostomus in cap. 8. Actuum Apostolor. ait: *Unde mea sententia hic Philippus unus ex septem erat secundus à Stephano; ideoque baptizans Spiritum Sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat, hoc enim donum solum Apostolorum erat &c. nam virtutem quidem acceperat faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum.* Præ cæteris Innocentius I. Papa, qui floruit circiter ann. Domini 410. epist. 1. ad Augustinum cap. 3. ait: *de consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere; nam Presbyteri, licèt sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificibus solis deberi, ut vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum, Presbyteri seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet: sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen fratrem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Hoc idem etiam colligitur ex gestis pontificalibus, in quibus legimus, Sylvestrum Papam instituisse, ut à Presbytero ungeretur Neophitus in cerebro chrismate ab Episcopo consecrato, & hoc decretum fuit in remedium difficultatis obtinendi Episcopum, antequam fidelis decederet, quia si quis ex hac vita migraret sine ornamentis vestis, quæ DEUS menti tribuit per manus impositionem (quæ sunt septem dona Spiritus Sancti) periclitabitur fidelis acturus animam, ne audiret vocem illam horribilem cœlestis Patrisfamilias: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem*, ut referunt Amalarius *de offic. Eccles. lib. 1. cap. 27.* Rupertus Abbas *de divinis offic. lib. 5. cap. 16.*

Chrisma igitur in hoc Sacramento confirmationis ministrando exigit esse benedictum & consecratum ab Episcopo, & Concilium Tridentinum notat hunc ritum consecrandi chrisma emanare ex Apostolica traditione, ut etiam testantur primi Orientis Ecclesiæ Patres, & antiqua Concilia, præsertim Sanæus Dionysius *lib. de Eccles. Hierarch.* Tertullianus *lib. de Baptismo* Sanctus Cyprianus epist. 70. ubi ait: *Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatur.* Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto cap 26. ait: *Consecramus aquam baptismatis, & oleum unctionis*, & id refert ad apostolicam traditionem; & Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 3. Mystagog. ait: *Quemadmodum panis Eucharistiæ post Sancti Spiritus invocationem non amplius est communis, sed est corpus Christi, sic & sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, neque commune, postquam jam consecratum est, quod Christi & Spiritus Sancti præsentiam efficit, quo frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur, & corpus quidem isto visibili unguento perungitur. Anima vero sancto & vivifico Spiritu sanctificatur.* Et Sanctus Augustinus Tractat. 118. in Joan. ait: *Quid est, quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum, nisi adhibeatur sive frontibus præbentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Potestas igitur consecrandi chrisma penes solos Episcopos est, adeo ut prohibeantur sacerdotes inferiores chrisma consecrare, Concilium enim Garthaginense II. *can.* 3. & Carthaginense III. *can.* 36. Toletanum I. *can.* 20. Hispalense II. *can.* 7. Montanus Toletanus Episcopus epist. ad Palæstinos ita scribit: *Nova præsumptio præsidentium vobis Presbyterorum nostrorum pulsavit auditus; si tamen nova tantum, & non detestabilis dici potest, quæ ab initio fidei catholicæ nunquam præter nunc subrepsisse probatur, ut id, quod per manus summi Pontificis trinæ divinitatis invocatio sanctificare consuevit, Presbyter ignarus disciplinæ conficere sibi chrisma præsumeret.* Necessitatem hujus consecrationis Divus Thomas *3. part.* ex eo deducit, quia CHRISTUS Dominus charisma contactu suo atque usu non consecravit, sicut aquam, quæ materia baptismi est, suo sanctificavit contactu, cum in Jordane baptizatus est à Joanne: unde necesse est, ut sanctis & religiosis precibus ab Episcopo consecretur,

cretur, qui ordinarius eſt Miniſter inſtitutus Sacramenti confirmationis.

Conſecrabatur chriſma ex antiquiſſima eccleſiæ conſuetudine feria quinta in cœna Domini: quem morem etiamnum obſervat eccleſia, & huic teſtimonium perhibent Sanctus Bonifacius Archiepiſcopus, & Martyr *epiſt.* 12. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis, Rupertus Abbas, Alcuinus lib. de divinis nominibus, & habetur in *cap. litteris diſt.* 3. *de conſecrat.* & deſumptum eſt ex epiſtola Sancti Fabiani Pontificis, & Martyris, & hujus moris, quædam etiam adferuntur congruentiæ; quarum prima eſt, quia ante biduum paſchæ Maria Magdalena caput, & pedes Chriſti unguento perunxerit. Secunda quia quinta mundi ætate CHRISTUS ad nos venerit. Tertia, quia feria quinta in Cœna Domini agnus immolatus eſt, & ejus ſanguine poſtes obſignati: & Divus Thomas 3. *part. quæſt.* 72. *art.* 12. *ad* 3. aſſerit diem illum ſatis congruere materiis Sacramentorum præparandis, quo fuit Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum cum reliqua Sacramenta ad Euchariſtiam aliquo modo ordinentur, unde hoc chriſma renovandum eſt ſingulis annis, & vetus comburendum, imò & præcipitur Sacerdotibus, Parochis, & aliis habentibus curam animarum, ut ſingulis annis circa feſtivitatem paſchæ ab Epiſcopo proprio chriſma petant, & prohibent ſacri canones, ne pro chriſmate, aut balſamo ad illud conficiendum aliquid à ſacerdotibus diœceſianis exigatur ab Epiſcopo reliquisque Eccleſiæ Miniſtris, ut habetur in pluribus Conciliis, & Innocentius III. cap. *In tantum. de Simonia* refert, & damnat conſuetudinem quorundam Epiſcoporum Angliæ, qui pro chriſmate certam conſueverant quantitatem pœcuniæ accipere, non metuentes pœnam canonicam: & ut Metropolitani correctionem eluderent, ſolutionis tempus anticipabant recipientes in media quadrageſima, quod conſueverant recipere poſt paſcha, & ut cauſam recipiendi diſſimularent nomen donariorum variabant, & denarios, quos priùs chriſmale, ſecundo vocabant paſchales. Cum primum Parochi ab Epiſcopo ſacrum chriſma accipiunt, illud ſub ſigillo & ſera cuſtodiunt, nec ulli poſſunt quidquam donare, ne ad maleficium, vel ſuperſtitionem aut alios uſus profanos quiſpiam chriſmate abutatur, ita enim ſanctè inſtituerunt plura Concilia præſertim Moguntinum *can.* 61. Turonenſe III. *can.* 20. & plura alia Concilia Provincialia.

Hæc autem chriſmatis conſecratio ritibus quibusdam religioſis peragitur, quos impiè Sectarii derident. Preces enim ad DEUM funduntur, quod conſentaneum eſt Doctrinæ Divi Pauli, 1. ad Timoth. cap. 4. ubi ſcribit: *Sanctificatur per verbum DEI & Orationem*: Secundo deſcribitur ſignum crucis ſuper oleum, & balſamum, quia ſine hoc ſigno nihil poſſe conſecrari aſſerunt Sancti Patres præſertim Sanctus Joannes Chryſoſtomus *homil.* 55. *in Matth.* & Sanctus Auguſtinus *Tract.* 118. *in Joan.* Tertiò Epiſcopus pluribus vicibus halat ſuper ampullam chriſmatis, ut illapſum Spiritus Sancti ſignificet, & virtutem chriſmati adprecatur, & hic ritus ab exemplo Chriſti deſumptus eſt, qui in Apoſtolos ſuos inſufflavit, ut Spiritum Sanctum oſtenderet in eosdem illabi, habetur enim Joan. 20. *Inſufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum.* Quartò conſecratum ab Epiſcopo chriſma, & presbyteris genu flectentibus ſalutatur ſimulque proferuntur hæc verba: *Ave ſanctum chriſma*: hoc eſt, ſalutatur, non adoratur, nec inſolens eſt, aut abſonum res inanimas ſalutare in teſſeram interni gaudii, quo pacto etiam Sanctus Andreas Apoſtolus (cum vidiſſet à longe crucem ſibi præparatam ad martyrium) exclamavit, & dixit: *Salve crux pretioſa ſuſcipe diſcipulum ejus, qui pependit in te, Magiſter meus Chriſtus*: & Fortunatus Chriſti crucem alloquens ait; *Sola digna tu fuiſti ferre pretium ſeculi*: & poſtea eam ſalutat. *O crux ave, ſpes unica*: Paula itidem Romana ſalutavit Bethlehem, ubi ſua habuit incunabula Chriſtus, cum primum locum illum vidit, ut refert Sanctus Hieronymus epiſt. de ejus obitu, & Sanctus Gregorius Nazianzenus quando epiſcopatu ſe abdicavit Conſtantinopolitano, ultimum eidem civitati, & cathedræ valedixit unde non eſt mirum, ſi Epiſcopus conſecratum chriſma ſalutet.

Chriſmatis inunctio fit in fronte, quæ eſt ſedes verecundiæ, ne Chriſti nomen erubeſcant fideles confiteri, nec timeant tyrannos, ſed potiùs coram ipſis glorientur de cruce, quam deſcriptam deferunt in fronte, tametſi *Judæis*, ut ait Apoſtolus, *fuerit ſcandalum, & gentibus ſtultitia.* Rurſus chriſmate ſignantur etiam fideles, eò quia ſub Chriſto duce inſcribuntur milites, & veluti Athletæ ſacro oleo inunguntur, ne ab hoſtibus proſternantur, ſed ipſi hoſtes proſternant, & vincant. Hujus ritus rationes adfert S. Thomas 3. *part. quæſt.* 72. *art.* 9. Ut etiam Innocentius III. Extra de ſacra unctione, & Eugenius IV. in decreto inſerto Concilio Florentino; hinc Divus Auguſtinus expendens verba illa Pſal. 141. *Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi, ait: Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi ſcilicet usque adeo de cruce non erubeſco, ut non in occulto habeam crucem Chriſti, ſed in fronte partem, multo Sacramenta aliter, atque aliter accipimus: quædam, ſicut noſtis, ore accipimus (ſcilicet Euchariſtiam) quia verò in fronte erubeſcitur, ipſam ignominiam quodammodo, quam Pagani derident, in loco pudoris noſtri conſtituit. Audis hominem inſultare impudentis, & dicere frontem non habet, quid eſt, frontem non habet? impudens eſt. Non habeo nudam frontem, tegat eam crux Domini mei.* Hic ritus etiam ſervatur à græcis, quamvis non ſolum frontem ungant, ſed etiam os, aures, nares, & pectus, ut colligitur ex Sancto Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 3. myſtag. & ex eorum Euchologio. præcipue tamen inungunt frontem, ut partem principem præ cæteris.

Verum dum Epiſcopus chriſmate frontem inungit fidelium ſimul profert formam hujus Sacramenti; & conſiſtit in verbis illis: *Signo te ſigno crucis & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen*, adeo ut nulla alia forma præter hanc valeat, quia ut aſſerit D. Thomas 3. *part. art.* 4. *de confirm.* Illa forma eſt omnino idonea, in qua deſignatur cauſa efficiens roboris ſpiritualis, quod confertur in hoc Sacramento. Ut etiam cauſa finalis ſeu effectus proprius hujus Sacramenti, ſeu robur ſpirituale ad generoſam defenſionem fidei, ac profeſſionem ejusdem; & ſignum illius roboris, ſeu character ſacramentalis: ſed cauſam efficientem deſignant nomina perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis: gratiam internam conferentem robur ſpirituale, & velut ungentem animam interius verba illa, *confirmo te chriſmate ſalutis*, ex quo infert D. Thomas aſſignatam formam hujus Sacramenti eſſe perquam idoneam; veram: & propriam, ut etiam ſignificatur ab Apoſtolo 2. Corinth. 1. *Qui confirmat nos vobiscum in Chriſto, qui unxit nos DEUS, & qui ſignavit nos, & dedit ſignum Spiritus in cordibus noſtris.*

Verum

Digitized by Google

Verum alia forma, dummodo sit æquivalens huic, non reprobatur, quia in Ecclesia græca habetur verum Sacramentum confirmationis, & nihilominus verba græca differunt à Latinis, quibus tamen æquivalent quoad significationem, quod hæc oratio adjuncta manuum impositione, & solemnia verba chrismatis, prout respondent inunctioni, pertineat ad formam confirmationis, liquet, quia Actor. 8. dicitur: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Rursus quod oratio adjuncta manuum impositioni pertineat ad formam, etiam evincitur ex sanctis Patribus præsertim ex S. Cypriano epist. 73. ubi ait: *Ut, qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur.* D. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis c. 2. ait: *Sequitur spirituale signaculum, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.* S. Hieronym. in Dialog. adversus Luciferianos ait: *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut Episcopus ad invocationem Spiritus S. manum impositurus excurrat.* S. August. lib. 15. de Trinit. c. 26. *neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum S. Orabant quippe, ut veniret ad eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Et S. Gregorius in suo ordine Romano, & in Pontificalibus Occidentalis Ecclesiæ, hanc præscribit orationem: *Omnipotens sempiterne DEUS, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnem peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Paracletum de cœlis.* Et in ritu Græcorum habentur hæc verba æquivalentia: *Benedictus es Domine DEUS Omnipotens*, cum aliis verbis, quibus invocatur, & invitatur Spiritus Sanctus, ut descendat super confirmandos. Quid si dicas, verba illa præcedentia, *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*, non reperiri in sacramentario sancti Gregorii, neque in veteri ordine Romano, respondetur verba illa solemnia non reticeri in veteribus libris quoad formam essentialem, sed tantum veteres solliciti fuerunt, ne solemnia verba illa propalarent, quia, ut aliquid arcanum per plura sæcula servata fuerunt: hinc Innocentius I. rogatus à Decentio de confirmationis Sacramento, & de illius forma ait: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Hæc autem arcani religio in rebus hisce ab Apostolicis temporibus ad sequentia usque sæcula propagata fuit, quapropter S. Dionysius lib. de Ecclesiast. hierarch. ait: *Consummativas invocationes seu verba, quibus perficiuntur Sacramenta* (ut explicat D. Thomas) *non est justum scripturas interpretantibus, neque mysticum earum aut in ipsis operatos ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere: sed nostra sacra traditio* (scilicet occultè) *eos edocet.*

CAPUT IV.

De subjecto capace Sacramenti confirmationis.

Indubitatum est, solum hominem viatorem esse capacem hujus Sacramenti, & id deduci ex illa generali regula, quia omnia Sacramenta instituta sunt pro hominibus viatoribus, & ratio etiam potest assignari, quia soli homines viatores capaces sunt novæ gratiæ, & ejus incrementi, quapropter asserendum est, omnes homines baptizatos esse capaces ad suscipiendum hoc Sacramentum Confirmationis: & evincitur ex eo, quia constat ita fuisse definitum ab Urbano Papa *de consecrat. dist. 5. can. Omnes.* ubi dicitur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum debent Spiritum Sanctum post baptismum accipere.* Et hoc etiam probat D. Thomas 3. part. art. 8. Quia sicut est de intentione naturæ, ut omnis, qui corporaliter nascitur, ad perfectam perveniat ætatem: ita multo magis est de intentione DEI, hominem spiritualiter renatum per baptismum perficere per Confirmationem. Et ex eo firmat, quia Spiritus Sanctus adveniens die Pentecostes Actor. 2. *Replevit totam domum, ubi erant sedentes*, per quam domum designabatur Ecclesia, & quicunque sunt in illa, ergo Sacramentum confirmationis, cum detur ad illam plenitudinem obtinendam, debet omnibus, qui sunt in ecclesia conferri. Hinc juvat observare ex Catechismo S. Pii V. c. 3. Omnibus post baptismum esse quidem conferendum Sacramentum confirmationis, non tamen expedire hoc fieri ante usum rationis; quia major est reverentia, ut cum propria fide ac dispositione suscipiatur hoc Sacramentum. Præterea quia cedit in majorem utilitatem suscipientis, quia majorem gratiam ex opere operato accipit: si cum propria dispositione suscipiat hoc Sacramentum. Rursus quia magis vitatur periculum iterationis ob ignorantiam vel oblivionem confirmationis jam susceptæ. Demum cum hoc Sacramentum sit veluti secunda solemnis professio fidei, videtur per se expediens, ut quia prima professio in baptismo facta est per alios. Secunda in hoc Sacramento fiat per ipsum suscipientem. Non tamen hoc Sacramentum est necessarium ad assecutionem salutis necessitate medii, sine quo non possit homo salutem æternam consequi: siquidem illud est necessarium necessitate medii, & simpliciter, sine quo non potest pertingi ad assecutionem finis, sed finis, qui intenditur per Sacramenta, est æterna salus, quam potest homo consequi per solum baptismum, quamvis non suscipiat Sacramentum confirmationis, idque evincitur ex Concilio Illiberitano can. 77. ubi habetur: *Si quis diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizavit, eos Episcopus per benedictionem perficere debebit, quòd si ante de sæculo decesserit sub fide, qua quis crediderit, poterit esse justus.* Ex S. Hieronymo hoc itidem evincitur, ait enim in dialogo adversus Luciferian. *Multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potiùs sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioquin si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt, qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Et S. Hilarius Arelatensis homil. de Pentecoste huic sententiæ adhærens ait: *Continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia.* Et hanc sententiam etiam approbat Innocentius III. c. *Quando de consuetudine*, ubi loquens de Sacramento confirmationis & aliis episcopalis ministerii officiis sacris ait: *Licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet, inaniter conferantur.*

Hinc asserendum est, ad recipiendum hoc Sacramentum confirmationis non teneri adultos sub præ-

cepto per ſe, & directè eos obligante, ut docet D. Thomas in 4. *diſt. 7. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. in corpore*, & cum ipſo fere communiter Doctores contra Scotum, Bellarminum, & Turrianum, adeo ut Sacramentum confirmationis, ut loquitur D. Thomas, ſit tantùm utilitatis, non neceſſitatis. Ratio id evincens deſumitur ex eo, quia nullum eſt præceptum neque divinum, neque eccleſiaſticum, quod per ſe obliget fideles in aliquo caſu ad ſuſcipiendum Sacramentum confirmationis, etenim nullum adeſſe præceptum divinum ex eo oſtenditur, quia in nullo ſcripturæ loco habetur hoc præceptum, ſicut leguntur præcepta de baptiſmo, Euchariſtia, & Pœnitentia, quæ Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti: neque ex traditione habetur hujuſmodi præceptum, quia nulla poteſt adduci ſufficiens traditio in Conciliis, Patribus, aut Eccleſia. Neque colligitur ex ipſa natura hujus Sacramenti, quia hoc tantum datur ad melius eſſe, & fideles in vita ſpirituali non tenentur ad id ſemper, quod eſt melius. Neque ullum adeſt præceptum eccleſiaſticum, quod obliget ad ſuſceptionem Sacramenti confirmationis, quia Eccleſia circa Sacramenta ſuſcipienda non injungit præceptum niſi præſuppoſito divino præcepto: Eccleſia enim ſolùm determinat tempus, quo debeat illud impleri, ut conſtat in præceptis de baptiſmo de pœnitentia, & Euchariſtia: ergò cùm nullum ſit divinum præceptum de ſuſcipienda confirmatione, neque ulla traditio, nec ullum præceptum eccleſiaſticum de eadem, ſequitur fideles non obligari ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum præcepto per ſe, & directè. Præterea ſi adeſſet aliquod præceptum maxime obligaret, quando imminet mortis periculum, ſed tunc non urget hæc obligatio, ut conſtat ex uſu Eccleſiæ: quinimò Melchiades Papa in *Cap. Spiritus Sanctus. de conſecrat, diſt. 5.* aſſerit hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium hominibus jam morituris. Cæterum quamvis adulti per ſe directè non teneantur ad Sacramentum confirmationis ſuſcipiendum, poſſunt tamen per accidens, & indirectè obligari ad illud ſuſcipiendum, ut ſi adeſſet occaſio ſcandali, vel ſi quis cenſeretur confirmationem omittere, vel quia eam haberet contemptui, vel quia non crederet, eſſe Sacramentum, vel quia ſibi perſuaderet nos poſſe tentationes contra fidem ſuperare niſi hoc Sacramento corroboretur, & in hoc ſenſu ſunt intelligendi Sancti Patres, cum aſſerunt ad hoc Sacramentum confirmationis ſuſcipiendum teneri fideles, ut S. Cyprianus epiſt. 70. ad Januarium, ad quem ſcribit: *Ungi quoque neceſſe eſt, eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, ſeu unctione poſſit eſſe unctus Dei & habere in ſe gratiam Chriſti* S. Gregorius Magnus lib. 12. epiſt. 21. Ubi jubet confirmationem conferri, quando probari non poteſt eſſe collatam, *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat*, ſeu ne ſit aliis ſcandalo. Hilarius Arelatenſis homil. de Pentecoſte, victuris neceſſaria ſunt confirmationis auxilia, hoc eſt, per accidens, quando quis ſibi perſuadet non poſſe aliter ſuperare tentationes contra fidem, niſi hoc ſuſcipiat Sacramentum. S. Petrus Damianus ſerm. 1. in dedicatione Eccleſ. *decretales pagina, & ſanctorum Patrum inſtituta decernunt non eſſe differendam poſt baptiſm. Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat frandulentus ille contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorſit*: hinc S. Thomas 3. *part. qu. 72, art. 8. ad 4.* ait: *Omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur, unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam conſequuntur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam.* Denique hoc totum docet Catechiſmus Tridentinæ Synodi hoc habens: *Atque illud in primis docendum eſt hoc Sacramentum confirmationis ejuſmodi neceſſitatem non habere, ut ſine eo ſalvus quis eſſe non poſſit, quanquam verò neceſſaria non eſt a nemine tamen prætermitti debet. ſed potiùs maximè cavendum eſt, ne in re ſanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam largè impartiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad ſanctificationem propoſitum, ab omnibus etiam ſummo ſtudio expetendum eſt.* Et S. Lucas eum admirabilem illam Spiritus Sancti effuſionem deſcriberet, ait: *Et factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum*: deinde paucis interjectis ſubdit: *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, ex quibus verbis intelligimus quoniam domus illa ſancta eccleſiæ figuram, & imaginem gerebat, ad omnes fideles confirmationis Sacramentum, cujus initium ab eo die ductum eſt, pertinere.* Ex quibus infertur adultos per ſe directè non teneri ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum confirmationis, ſed tantùm per accidens, & indirectè obligari ut ſuperiùs explicuimus.

Sed objicies fideles omnes tenentur ex præcepto divino eſſe perfecti chriſtiani: ſiquidem per hoc Sacramentum homo perinde perficitur in ſtatu ſpirituali, ac perficiatur in naturali per profectam ætatem, qua acquirit uberiores vires, majuſque robur, ergo tenentur fideles ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum confirmationis, cum unuſquiſque divino præcepto teneatur eniti, ut Chriſtianæ vitæ aſſequatur perfectionem, & per hoc Sacramentum promovetur ſpiritualiter homo ad ætatem perfectam, unde præcepto divino tenetur fidelis ſumere hoc Sacramentum. Præterea quia in *can. omnes de conſecrat. diſt. 5.* videtur ſignificari hæc obligatio, ſiquidem habetur: *omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum debent Spiritum Sanctum poſt baptiſmum accipere, ut pleni Chriſtiani inveniantur*, ſeu perfecti. Præterea quia quilibet fidelis adultus ex divino præcepto tenetur armamatus, & corroboratus aggredi periculum fidei, & ſpiritualis militiæ: ſed urgente perſecutione velle ſine Sacramento confirmationis profiteri fidem coram Tyranno, eſt perinde, ac inermem aggredi periculum maximum fidei, ac militiæ ſpiritualis: ſiquidem eſt proprium hujus Sacramenti armare & corroborare Chriſtianum in hunc finem: ergo ſaltem inſtanti perſecutione urget præceptum ſuſcipiendi hoc Sacramentum confirmationis. Demum quia magis obligat bonum vitæ ſpiritualis, quam bonum vitæ corporalis obligat, ut in vita naturali homo adhibeat medium neceſſarium, ut augeatur: à fortiori, in vita ſpirituali aderit præceptum ſuſcipiendi medium ordinatum ad augmentum talis vitæ, quod habetur per Sacramentum confirmationis. Sed contra eſt, quia ut docet D. Thomas in 4. *diſt. 7. qu. 1. art. 1. qu. 2. ad* 1. dupliciter ſummi poteſt plenitudo gratiæ Chriſtianæ: primò quoad ſufficientiam, quæ datur in baptiſmo, & conſtituit hominem ſubſtantialiter Chriſtianum: Secundò quoad abundantiam, & datur in confirmatione: tametſi omnes fideles teneantur eſſe perfectè & plenè Chriſtiani, quoad ſufficientiam, non ita quoad abundantiam: neq; urget, quod aſſerebatur ex *can. Omnes fideles*, quia verbum illud *debent*, ut cōmuniter explicant, ſignificat tantùm conſilium, non verò præceptum ſimpliciter obligatorium. Ad aliud quod addebatur de profeſſione fidei coram Tiranno urgente perſecutione, reſpondetur, quod licet tunc fidelis nolit corroborari per ſuſceptionem hujus Sacramenti: quia tamen aliunde habet gratiam ſuſceptam

ptam in baptismo, & cum ipsa virtutes infusas, & auxilia alia correspondentia, ideo censetur sufficienter præmunitus, ut non dicatur accedere inermis ad pugnam, & fidei professionem. Ad aliud quod addebatur à pari, negatur consequentia: ratio discriminis est, quia medium ordinatum ad augmentum vitæ corporalis est sola nutritio, ad quam propterea tenetur homo; secus medium, quod ordinatur ad augmentum vitæ spiritualis est multiplex, & potest homo uti uno vel altero.

Lethaliter tamen peccant, ac in manifestum salutis discrimen se fideles conjiciunt, si confirmationis Sacramentum contemnant suscipere: unde Jonas Aurelianensis lib. 1. de instit. laicali. c. 7. ait: *Ne quaquam à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, sed potius remoto torpore negligentiæ cum magna animi aviditate, & devotione petenda, & percipienda, ne sine ipsius doni munere, quæ rebus humanis eximatur.* Præterea quia, ut docet D. Thomas 3. part. quæst. 65. ad 3. *Omnium Sacramentorum contemptus est saluti contrarius*: & postea subdit: *Non tamen est contemptus Sacramenti in hoc, quod aliquis non curat accipere Sacramentum, quod non est de necessitate salutis*: alioquin tenerentur omnes sacris initiari ordinibus, cum sit sacer ordo Sacramentum, quod tamen non est de necessitate salutis, unde loquitur de Sacramentis quæ non sunt necessaria necessitate medii, nec præcepti omnibus & singulis Christianis, cujusmodi sunt ordo, & matrimonium. Alia autem ratio est de confirmatione, Eucharistia, & Extrema Unctione, quia hæc Sacramenta, spectatis personarum, & temporum circumstantiis necessaria sunt necessitate præcepti divini, & ecclesiastici, ut declaravit S. Carolus in Concilio Mediolanensi tit. de his, quæ pertinent ad Sacramentum confirmationis, ubi statuitur, ut Parochi, & Curatores animarum populum doceant, quanto religionis studio suscipiendum sit confirmationis Sacramentum, cujus ministrandi, solus Episcopus ordinariam habet potestatem. Videant item ne quis eorum, qui sibi in curam concrediti sunt, illud suscipere negligant. Quare præmoneant, quod etiam Concilii Wormatiensis canone sancitum est, ut, quicunque intra Parochiæ suæ fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate sunt, qua Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant. Si quis verò neglexerit canonicis subjaceat disciplinis, is verò censetur Sacramentum confirmationis contemnere, si præsente Episcopo, qui paratus sit ministrare Sacramentum confirmationis, id sciens, negligat accedere ad Episcopum, & despicit suscipere hoc Sacramentum, unde S. Carolus in suis instructionibus de Sacramento confirmationis injungit *Parocho, ut si quos negligentes animadverterit, eos paterna objurgatione cohortetur, ut ad confirmationis Sacramentum suscipiendum data præsentis Episcopi ministrationem celebrantis opportunitate festinent; alioquin timendum illis valde esse demonstret, quòd, cum potuerint, in re salutari tam negligentes extiterint, & in confirmationis Sacramento suscipiendo negligentes, ut decreto Provinciali ex canone Remensi cavetur, Canonicis subjacent disciplinis.* Parentes igitur tenentur pueros suos adducere confirmandos ad Episcopum, cum idoneam ætatem attigerint, & Episcopus Sacramentum istud ministret, alioquin non excusantur à peccato, quapropter S. Carolus in suis instructionibus ait: *Præterea parentes, quorum negligentia id factum est, ex libro pœnitentiali pœnitentiam olim egisse annos tres apparet, & in canonibus pœnitentialibus ad quintum præceptum decalogi in antiqua disciplina præscriptis, cujus filius sine confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est pœnitentiam agant annos tres, &c.*

Quod vero ad ætatem attinet, certum est, omnem ætatem idoneam esse confirmationis suscipiendæ perinde ac baptisma: post cujus susceptionem continenter administrabatur ex antiqua Ecclesiæ disciplina, ubi præsens erat Episcopus, ut deprehenditur ex antiquis Conciliis, & Patribus præsertim ex Conciliis Illiberritano, & Laodiceno, in quibus habetur consuevisse hoc Sacramentum conferri infantibus, ut etiam testantur Innocentius I. epist. ad Decentium Sanctus Gregorius Magnus lib. 3. epist. 9. ad Januarium imò & pueris conferri posse docet Sanctus Thomas 3. part. quæst. 72. art. 8. ad 2. inquiens: *Ætas corporalis non præjudicat animæ, unde etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sapient. 4. Senectus venerabilis non diuturna nec numero annorum computata: inde est, quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus Sancti præceptum usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo*, imò moris fuit, ut sub initiis ecclesiæ Sacramentum confirmationis statim administraretur pueris post baptismum; verum hæc consuetudo in ecclesia Latina rectè mutata est, & usus rationis expectatus, adeo, ut nunc moris sit, ut ante septennium pueri non suscipiant hoc Sacramentum, ut nimirum cum majori reverentia suscipiatur, ut illud suscipiendo uberiora meriti incrementa apud Deum sibi comparent, unde juxta hodiernam consuetudinem pueri ante septennium ordinarie non confertur Sacramentum confirmationis, ut habet Catechismus Concilii Tridentini, inquiens: *Si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maximè convenit*, & ita statuerunt plura Concilia, præsertim Mediolanense sub S. Carolo, ubi statuitur, minori septennio non esse conferendum Sacramentum confirmationis, & S. Carolus in suis instructionibus de Sacramento confirmationis ait: *Parochus, cujus parochia hujus Sacramenti ministratio indicitur, pueros describet, qui annum octavum attigerint, quam ætatem, si quos rationis usu, devotionisque studio antecedere fortè viderit, eos quoque in numero eorum adscribet, qui Confirmationis Sacramento initientur; Spiritus S. virtute confirmati, accedunt etiam ad præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum.* Verum justis de causis potest Episcopo pueros septennio minores confirmare. Infirmis itidem vel etiam constitutis in vitæ periculo, si antea hoc Sacramentum non susceperint, illudque postulaverint ab Episcopo administrandum est, ut statuit Concilium Parisiense VI. lib. 1. cap. 33. ubi habetur: *Infirmis, & morte periclitantibus sicut baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus Sancti est tradendum.*

Dispositiones tamen requiruntur, ut ritè, & convenienter suscipiatur hoc Sacramentum, quod cum sit ad perfectionem, & incrementum gratiæ baptismalis, necesse est, ut suscipiens hoc Sacramentum, sit in statu gratiæ, adeo ut, qui se conscios noverint alicujus lethalis noxæ, debeant priùs Sacramentali confessione, & pœnitentia conscientiam expiare, si copia adsit Confessarii alioquin si desit, tenentur elicere actum contritionis cum proposito, quam primum sacramentaliter confitendi: alioquin SpiritumS. & gratiam sanctificantem, & dona ejusdem

Spiritus Sancti non reciperent. Sed nudum tantùm, & simplicem characterem: secundo necessaria est symboli professio ab iis, qui adulta sunt ætate, adeo ut rudimentis Christianæ Religionis sint instructi. Tertiò conveniret itidem esse jejunos hoc suscipientes Sacramentum, præsertim si horis matutinis administretur ab Episcopo, secundùm consuetudinem priscæ Ecclesiæ, quæ conditiones etiam habentur in *Can. Ut jejuni, dist. 5. de consecrat.* & in pluribus Conciliis Provincialibus, in quibus hæ dispositiones dicuntur requiri, ut quis ritè hoc Sacramentum suscipiat, ut etiam S. Carolus in suis instructionibus, ubi plures alios etiam addit tum animi, tum corporis ad Sacramentum confirmationis dignè suscipiendum, quas exponit, his verbis: *Præmonebit, ut nemo excommunicatus, interdictus, in gravi, publicoque peccato jacens accedat ad hoc Sacramentum, neque qui in paschate communione abstinuerit. Illud verò vel maximè suadebit, ut cum hoc Sacramento Spiritus Sancti gratia uberrimè conferatur, ad eam consequendam se jejuniis, eleemosyna, qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis, & operibus parent; atque in primis frequentiori, & ardentiori religiosæ orationis studio devotè se exerceant exemplo Sanctorum Apostolorum: qui dum expectarent Spiritum Sanctum, perseverantes erant in oratione, & jejunio; sed efficiet saltem, ut pridie dies confirmationis jejunent, qui possunt, & conscientiam sacramentali confessione expient. Decet itidem Episcopum ministrantem hoc Sacramentum esse jejunum.*

Patrini in Confirmatione adhibentur, ut constat ex cap. *Si quis.* cap. *dictum est.* cap. *de his.* causa 30. quæst. 1. cap. *Non plures*, cap. *in baptismate.* dist. 4. de consecratione. Hujus cæremoniæ causam assignat D. Thomas 3. part. quæst. 72. art. 10. Quia hoc Sacramentum exhibetur homini, ut corroboretur ad fortiter pugnandum in certamine spirituali contra adversarios fidei, & ad superandas tentationes carnis, & dæmonis, mundique illecebras: & quemadmodum homo recens natus indiget instructore in iis, quæ pertinent ad conversationem vitæ, juxta illud D. Pauli ad Hebræ. 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur eos*: perinde, qui assumuntur ad pugnam indigent eruditoribus, à quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis: Et in bellis materialibus constituuntur duces, & centuriones, per quos milites inferiores instruantur ad pugnam, exerceantur in suis officiis. Ob id qui hoc suscipit Sacramentum ab alio tenetur, tanquam per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter, quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo accedens ad hoc Sacramentum indiget ab alio sustentari, eo quia adhuc sit spiritualiter imbecillis, & puer. Hinc tenentur Patrini, quos in confirmatione tenent monere, ut pii fiant, debentque veluti duces se iisdem præbere. Hinc patrinus non est casu eligendus, sed, qui non solùm doctrinæ Christianæ instituta, ac præcepta calleat, verùm etiam, qui vitæ piæ exemplo ita sit institutus, ut idoneus possit esse magister, ac verè patrinus, duxque aliis ad bene agendum. Rursus non nisi unus ad hoc Sacramentum suscipiendum eligitur Patrinus, vel matrina, & debet patrinus ubi fieri potest natu major esse confirmando, quia instructor supponitur major eo, qui instruitur. Neque idem, qui fuit patrinus in baptismo, eligitur patrinus in confirmatione. In hoc Sacramento contrahitur cognatio spiritualis inter confirmantem, & confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, & patrinum, ac matrinam, ut liquet cap. *Ne dum*, de cognatione spirituali in 6. & ex Concilio Tridentino sess. 24. de reform. matr. cap. 2. Nomen non solet mutari in confirmatione, nisi turpe, vel ridiculum fuerit, ac Christiano homine indignum; sicut decet Christianum vitam imitari sanctorum, ita & gloriari nomine.

CAPUT V.

De Effectibus Sacramenti Confirmationis.

PRæcipui hujus Sacramenti effectus duo recensentur, Gratia, quæ infunditur per Spiritum Sanctum, & character, qui animæ imprimitur. Certum est, Sacramentum confirmationis conferre gratiam sanctificantem, quam Theologi vocant habitualem. In hoc Sacramento, ait D. Thomas, datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est die Pentecostes Act. 2. Sicut dabatur baptizatis per impositionem manuum Apostolorum, ut habetur Act. 8. & 19. Missio autem, seu donatio Spiritus Sancti est ipsa gratia gratum faciens, quæ propterea confertur in susceptione hujus Sacramenti, non quidem per se, ut ait D. Thomas, ad remissionem culpæ, sed augmentum gratiæ sanctificantis & firmamentum justitiæ; sicut enim dicitur Sacramentum Confirmationis, ideo datur ad corroborandam gratiam jam acceptam, & ad confirmandam quam prius invenerat, ideoque non est hoc Sacramentum iis ministrandum, qui gratia sanctificante sunt destituti, adeo ut viri adulti suscipientes hoc Sacramentum debeant priùs, si mortiferæ noxæ sint, sibi conscii expiare conscientiam sacramentali confessione, ut beneficio hujus Sacramenti possint gratiæ incrementum suscipere, seu effectum primarium hujus Sacramenti, eadem de causa non confertur non baptizatis. Et si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat per gratiam collatam in hoc Sacramento, consequetur remissionem peccatorum, sed tantùm per accidens, ut asserunt Theologi cum D. Thoma *3. part. quæst. 72. art. 7.* Unde stat, hoc Sacramentum conferre Spiritum Sanctum, ut constat ex Act. Apostol. *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod accepisset Samaria verbum DEI, miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui, cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* Sancti Patres itidem tribuunt huic Sacramento Confirmationis productionem gratiæ sanctificantis. Origenes *homil. 18. in Levit.* Donum gratiæ Spiritus per olei imaginem designatur, ut non solùm purgationem consequi possit is, qui convertitur à peccato, sed & Spiritu Sancto repleri, & hanc gratiam dari in augmentum & firmamentum justitiæ, adeo ut sit gratia gratum faciens, asserit S. Melchiades Papa, & Martyr in suo decreto, ubi ait: *In fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam, regeneratis*

neratio in ſe ſalvat, mox in pace beati ſæculi recipiendos: Confirmatio autem armat, & inſtituit ad agones mundi hujus. Tertullianus verò paucis verbis explicat omnes ritus, qui olim adhiberentur in hoc Sacramento miniſtrando, ſcilicet ungendi, benedicendi, cruce ſignandi, & manuum impoſitionis, ait enim de reſurrectione carnis cap. 8. *Caro ungitur, ut anima conſecretur, caro ſignatur, ut & anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritualiter illuminetur.* S. Cyprianus epiſt. 7. ad Januarium ſcribit: *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, ideſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* S. Ambroſius de his qui initiantur cap. 7. ait: *Repete, quia accepiſti ſignaculum ſpirituale Spiritum ſapientiæ*, & nonnullis interjectis ſubdit: *Serva quod accepiſti, ſignavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo.* S. Hieronymus adverſus Luciferianos ait: *An neſcis etiam eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur, Spiritus Sanctus? Exigis, ubi ſcriptum ſit? in Actis Apoſtolorum. Etiamſi ſcripturis authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.* D. Auguſtinus Tractatu 6. in epiſt. in Joan. *Ergo ſi vis noſſe, quia accepiſti Spiritum Sanctum, interroga cor tuum, ne forte Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas*, & lib. 15. de Trinit. cap. 6. ait: *Unxit eum Deus Spiritu Sancto non utique oleo viſibili: ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi myſtagog. 3. ait: *Corpus quidem viſibili unguento illo perungitur, anima verò ſancto ac vivifico Spiritu ſanctificatur.* S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6. Orig. cap. ult. ait: *Sicut in Baptiſmo peccatorum remiſſio datur, ita per unctionem ſanctificatio Spiritus adhibetur.*

Quamobrem propriè hujus Sacramenti gratia, eſt illud augmentum, quod perficit primam gratiam ſuſceptam per baptiſmum, quod augmentum gratiæ ſanctificantis ſuppeditat majoris vires, ac robur, quo firmati robuſtiores fiunt in pugna ſpirituali, ne proſternantur, ſed vincant, & dæmonis aſſultus, ut & carnis compeſcant pravos motus, ſtimulosque pernicioſus, qua ratione S. Cyprianus vocat hunc effectum confirmationis gratiam confirmationis inquiens: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manuum impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Et D. Ambroſius lib. 3. de Sacrament. cap. 2. ait: *Sequitur ſpirituale ſignaculum, quod audiſtis hodiè legi, quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur: Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, atque virtutis, Spiritus cognitionis, atque pietatis, Spiritus Sancti timoris ſeptem quaſi virtutes Spiritus, & omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent, ſed iſtæ quaſi Cardinales ſunt quaſi principales, quid enim tam principale, quàm pietas? quid tam principale, quàm cognitio Dei? Quid tam principale, quàm virtus? Quid tam principale, quàm timor Dei? Sicut timor ſæculi infirmitas, ita timor Dei magna eſt fortitudo. Iſtæ ſunt ſeptem virtutes, quando conſignaris, nam, ut ait Apoſtolus Sanctus, quia multiformis eſt Sapientia Dei, ita multiformis eſt Spiritus Sanctus, qui habet diverſas, variasque virtutes.* Ex quibus conſtat, gratiam, quæ confertur in hoc Sacramento, eſſe perficientem, & corroborantem primam gratiam, ac cumulatam donis Spiritus Sancti, quæ dona in ſequentibus donabimus explicatu. Hinc S. Hilarius Arelatenſis vocat gratiam augmenti ſimul, & roboris inquiens, *quod nunc in confirmandis Neophytis manûs impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus Sancti deſcenſio in credentium populo donavit univerſis, ſed quia diximus, quòd manûs impoſitio, & confirmatio ei, qui jam renatus in Chriſto eſt, conferre aliquid poſſit, forte cogitat ſibi aliquis, quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis miniſterium confirmantis? aut quantum video non totum de fonte ſuſcepimus, ſi poſt fontem adjectione novi generis indigemus? non ita eſt, dilectiſſimi, ſic enim exigit militaris ordo, ut cum Imperator, quemcunque in militum receperit numerum, non ſolùm ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnatorum; ita in baptiſmo benedictio illa munitio eſt. Dediſti militem, da ei adjumenta militiæ.* Et hæc etiam habentur *in cap. Spiritus Sanctus diſt. 5. de conſecrat.* & deſumitur ex ſuppoſititia Melchiadis Papæ epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, adeo ut gratia Spiritus, quæ confertur in confirmatione, non ſolùm augeat, ſed mirabili etiam modo augeat, quod augmentum explicat Magiſter Chriſtus, quando Luc. 24. dixit: *Sedete in civitate quoad usque induamini virtute ex alto*; priùs voluit illos ſedere in civitate, ſeu requieſcere, in ſtatu gratiæ ſanctificantis, donec induantur virtute, ſeu majus accipiant roboris, & fortitudinis incrementum, quod per hoc Sacramentum confertur. Igitur Sacramentum Confirmationis cauſat in anima ſuſcipientis augmentum gratiæ habitualis, & ſimul peculiaria auxilia opportuno tempore danda, ad Chriſti fidem generosè, & conſtanter profitendam, quia, ut docet Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 5. de ſacrament. in genere* omnia novæ legis Sacramenta, continent gratiam, quam ſignificant, & eam conferunt iis, qui non ponunt obicem. Confert autem hoc Sacramentum augmentum gratiæ, quia per ſe non eſt inſtitutum ad delenda peccata, ſed ad animum roborandum in ordine ad pugnam ſpiritualem, unde per ſe non habet ponere. Sed ſupponere primam gratiam, conſequenter exigit in ſuſcipiente ſtatum gratiæ, adeo ut non poſſit adultus licitè accedere ad hoc Sacramentum cum peccato lethali.

Quòd ad dona Spiritus Sancti, quæ unà cum gratia ſanctificante conferuntur in ſuſceptione Sacramenti Confirmationis, ut ait S. Ambroſius, & cum ipſo D. Thomas 1. 2. quæſt. 67. certum eſt, hujusmodi dona eſſe perfectiones hominis, quibus diſponitur, ut bene ſequatur inſtinctum Spiritus Sancti, & enumerantur ab Iſaia cap. 11. ubi de Chriſto vaticinatur inquiens: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et de hiſce donis diſſertè loquitur S. Gregorius homil. 19. in Ezech. Ut autem clarius intelligatur, quid ſint hæc dona, proderit obſervare dupliciter poſſe aliquid dici donum Spiritus Sancti: primò quadam generali ratione, quatenus gratis procedit à Spiritu Sancto, ut à cauſa efficiente, & in hoc ſenſu omnes gratiæ, & virtutes infuſæ dici poſſunt dona Spiritus Sancti, ſecundo ſpeciali quadam ratione, quatenus donum continet in ſe ſpecialem quandam diſpoſitionem à Spiritu Sancto impreſſam animæ, & ratione cujus diſponitur ad hoc ut bene, & facilè ab ipſo moveatur ad opera extraordinaria. Quod

autem

Digitized by Google

autem dentur in nobis hujuſmodi diſpoſitiones ſeu dona Spiritus Sancti, conſtat ex ſcriptura, Iſaiæ 11. Eccleſiaſt. 10. & 1. Corinth. 12. & alibi, ubi fit expreſſa illorum donorum mentio, hinc Eccleſia hymno de Spiritu Sancto eum invocat, ut ſua dona fidelibus impertiatur: *Da tuis fidelibus in te confidentibus ſacrum ſeptenarium.* Ratio itidem aſſignatur à D. Thoma, quia omne quod movetur, neceſſe eſt, ſit proportionatum motori: & hæc eſt perfectio mobilis, in quantum eſt mobile, qua diſponitur ad hoc, quod bene moveatur à ſuo motore: unde quanto movens eſt altior, & excelſior, tantò neceſſe eſt, quod mobile perfectiori diſpoſitione ei proportionetur: ſicut videmus, quòd perfectius oportet eſſe diſcipulum diſpoſitum ad hoc, ut altiorem doctrinam capiat à doctore, ſed manifeſtum eſt virtutes humanas perficere hominem, ſecundùm quod natus eſt moveri per rationem in his, quæ interius, vel exterius agit: ergo debent in homine eſſe excellentiores perfectiones, ſecundùm quas ſit diſpoſitus ad id, quod divinitus moveatur. Hæ igitur diſpoſitiones, ſeu perfectiones ſuperadditæ vocantur dona non ſolùm, quia infunduntur à DEO, ſed quia ſecundùm ea, homo diſponitur, ut efficiatur promptè mobilis à divina inſpiratione, ut dicitur Iſaiæ 50. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abii.* Ab Iſaia 11. vocantur etiam perfectiones, quæ & recenſentur: *requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii, Spiritus fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Dicuntur hæ perfectiones nobis donari à Spiritu Sancto, à quo propterea propriam deſumunt nomenclaturam, ac dicuntur dona Spiritus Sancti. Ut etiam, quia donantur ex amore ſpirante, ac propterea procedunt ex Spiritu cordis Dei. Tertiò, quia quaſi Dei habitu inſpirantur cum Spiritu Sancto in anima, quæ iiſdem ornatur; anima enim in ſe complectitur Spiritum Sanctum, quaſi Sponſum oſculantem ſe, & oſculo oris ſui Spiritum illi immittentem, ut perficiatur, eleventurque virtutes ad ſuperiorem operandi modum, quo pacto dixit Regius Vates Pſal. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum,* quia à Deo emanant omnes virtutes, & quidquid boni creaturis ineſt. Vocantur etiam hujuſmodi dona Spiritus Sancti, eò quia iiſdem affectus homo agitur à Spiritu Sancto, à quo movetur ad opera ardua, & extraordinaria, ut ſcribit Apoſtolus ad Roman. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi Filii Dei ſunt,* quæ verba explicans Gloſſa ait: *Aguntur dicit, non reguntur,* plus eſt enim agi, quàm regi: agi enim dicimus aliquem vix agentem, regi autem quaſi jam aliquid agentem, qui ideo regitur, ut rectè agat, ſed agitur, non quòd nihil per ſe agat, ſed quod, ut aliquid agat, impetu gratiæ impellitur.

An verò hujuſmodi dona ſe habeant in homine per modum fluxus, vel permanentiæ, ſeu per modum actus, vel habitus, quamvis aliqui putaverint, ſe habere per modum fluxûs, & eſſe quoſdam actus ſpeciales virtutum, nihilominus D. Thomas *quæſt. 68. art. 3.* & cum illo Thomiſtæ, & fere communiter Theologi aſſerunt, ſe habere per modum habitus permanentis, & non actus fluentis, ſeu tranſeuntis, quia Iſaiæ 11. aſſeritur, hæc dona fuiſſe in Chriſto per modum permanentiæ, ſeu habitus, dicitur enim *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus,* atqui requieſcere non importat fluxum, neque motum, ſed quandam ſtationem, & permanentiam, & donum, quod permanenter inhæret, eſt habitus, non verò actus, vel diſpoſitio tranſiens, conſequenter dona Spiritus Sancti ſunt verè habitus, & non actus, & ſe habent per modum permanentiæ, non tranſeuntis. Præterea quia anima noſtra à triplici motore poteſt moveri ſeu à ratione, à lumine gratiæ, & fidei, & à ſpeciali impulſu, & inſtinctu Spiritus Sancti præter communes regulas naturæ & gratiæ: diſponitur autem, ut promptius, & connaturaliter moveatur à ratione per virtutes morales acquiſitas; ut moveatur à lumine fidei, & gratiæ, per virtutes morales, infuſos: ergo ut moveatur connaturaliter à Spiritu Sancto, debet itidem diſponi per aliqua dona habitualia, quia ſicut per virtutes morales acquiſitas ſe habentes per modum habitus movetur à ratione, & per virtutes morales infuſos itidem ſe habentes per modum habituum movetur à lumine fidei, & gratiæ: ita à Spiritu Sancto debet per aliqua dona, quæ ſe habent per modum habituum, diſponi, & moveri, ergo dona Spiritus Sancti debent ſe habere per modum habitus, perinde ac virtutes morales acquiſitæ, & infuſæ. Firmatur, quia per dona hæc actus, ad quos movemur ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti nobis quodammodo connaturalizantur: ſicut enim per virtutes morales acquiſitas, vel infuſas actus honeſti ordinis naturalis, vel ſupernaturalis fiunt nobis connaturales, ita per dona Spiritus Sancti fiunt etiam nobis, ut ita dicam, connaturales actus, ad quos movemur ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti.

Hinc diſtinguuntur dona Spiritus Sancti realiter à virtutibus infuſis, ſive Theologicis, ſive moralibus, ut docet D. Thomas *quæſt. 68. art. 1.* ubi ex D. Gregorio lib. 1. Moral. cap. 14. diſtinguit ſeptem dona, quæ dicit ſignificari per ſeptem filios Job, à tribus virtutibus Theologicis, quas aſſerit per tres filios Job figuratas fuiſſe. Et ex 2. Moral. diſtinguit ea à quatuor virtutibus Cardinalibus, quas ait ſignificari per quatuor Angulos domûs Job. Ratio itidem ſeptenario numero donorum Spiritus Sancti ſuffragatur, quia illi habitus realiter diſtinguuntur, qui reſpiciunt diſtincta formaliter objecta, ſed virtutes morales infuſæ, & dona Spiritus Sancti reſpiciunt objecta formaliter diverſa, conſequenter diſtinguuntur realiter; major & conſequentia tenent, minor oſtenditur, quia virtutes acquiſitæ reſpiciunt objectum, ut dirigibile per regulas prudentiæ acquiſitæ; & virtutes infuſæ illud attingunt, ut dirigibile per regulas prudentiæ infuſæ modo communi, & ordinario: ſed dona Spiritus S. reſpiciunt objectum, ut dirigibile modo altiori, ſcilicet per quandam ſpecialem inſpirationem, & motionem Spiritus Sancti per regulas prudentiæ præviæ ad conſilium, & deliberationem, quapropter Ariſtoteles lib. 1. moral. cap. de bona fortuna ait: *Quod his, qui moventur per inſtinctum divinum, non expedit conſiliari ſecundùm rationem humanam, ſed quod ſequantur interiorem inſtinctum; quia moventur à meliori principio, quàm ſit humana ratio:* Sed objectum quatenus dirigibile excellentiori modo ſupra regulas prudentiæ diſtinguitur formaliter ab objecto ut dirigibili ſolùm per regulas prudentiæ, conſequenter virtutes morales, ſive acquiſitæ, ſive infuſæ, diſtinguuntur à donis Spiritus Sancti, quia hæc tendunt in objecta formaliter diſtincta ab illis virtutum, ſive hæ acquiſitæ ſint ſive infuſæ. Firmari etiam poteſt, quia habitus, quibus aliquod mobile diſponitur ad recipiendam motionem ab aliquo ſuperiore motore, debent diſtin-

Digitized by Google

qui juxta distinctionem, & æqualitatem motorum; sed homo per virtutes acquisitas redditur promptè mobilis à lumine naturæ, & per virtutes infusas à lumine gratiæ, & fidei, & per dona in speciali impulsu, & instinctu Spiritus Sancti, consequenter dona debent distingui ab illis virtutibus; major constat ex eo, quòd mobile debeat proportionari suo motori. Minor est certa, proinde & consequentia.

Sed objicies, & dices, dona Spiritus Sancti non esse habitus: siquidem de ratione habitus est permanentia: hæc autem non convenit donis Spiritus Sancti, consequenter non possunt esse habitus; major est certa, quia cum habitus inhæreat potentiæ quam afficit, se habet in illa per modum permanentiæ. Minor ostenditur primò ex D. Gregorio lib. 2. Moral. cap. 41. ubi ait: *In cunctis fidelibus Spiritus Sanctus venit, sed in solo mediatore semper singulariter permanet.* Ergo dona Spiritus Sancti in puris hominibus non se habent per modum permanentiæ, consequenter non sunt habitus. Rursus ostenditur eadem minor, quia prophetia, dona miraculorum, & aliæ gratiæ gratis datæ non dantur hominibus permanenter, & per modum habitus, sed transeuntes & per modum motionis, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 2. & cùm sit eadem ratio de donis Spiritus Sancti, hæc dona non se habent per modum habitus. Præterea quia homo tantùm concurrit ut instrumentum ad actiones donorum, cùm potentiæ animæ non habeant sufficientem proportionem cum illis: sed de ratione instrumenti est operari solùm per virtutem, seu motionem transeuntem à causa principali impressam, ergo dona se habent per modum transeuntis, ac fluentis, consequenter non sunt habitus, sed actus. Demum quia habitibus, & qualitatibus permanentibus utimur, quando nobis placet, & volumus: sed justus, instructus, & ornatus donis Spiritus Sancti non potest eorum operationes pro suo libito exercere, sed tantùm quatenus movetur à Spiritu Sancto, consequenter hæc dona non sunt qualitates permanentes & habituales, sed tantùm motiones actuales, & transeuntes. Sed contra negatur minor, scilicet rationem permanentiæ non convenire donis Spiritus Sancti, sunt enim perfectiones inhærentes animæ mediante gratia Spiritus Sancti, quæ itidem in homine se habet per modum permanentiæ, cùm sit augmentum gratiæ sanctificantis, quæ communiter dicitur gratia habitualis: augmentum enim debet esse in eodem genere, in quo est res aucta, alioquin non esset res, quæ augeretur. Ad primam probationem desumptam ex Gregorio respondetur, Gregorium non loqui de donis Spiritus S. sed de donis gratis datis, quæ non se habent per modum permanentiæ, nec per modum habitus in fidelibus sicut in Christo. Vel si fuit loquutus de donis, tantùm intendit, illa fuisse in Christo modo longè excellentiore, quàm in aliis, non vero, quod in aliis justis non sint ullo modo permanenter; sunt enim etiam in ipsis, sed modo imperfectiori. Ad secundam respondet D. Thomas 2. 2. quæst. 68. art. 3. ad 3. negando consequentiam, & paritatem, quia dona Spiritus S. sunt necessaria homini ad salutem, prophetia autem est de numero donorum, quæ tantum sunt ad manifestationem Spiritus, non verò ad necessitatem salutis. Hæc enim differentia inter dona Spiritus S. & manifestationia Spiritus significatur à Gregorio Magno 2. Moral. cap. 49. ubi ait: *In illis donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus S. in electis omnibus semper manet; sed in aliis non semper manet*, cujusmodi sunt illa dona, quæ tantùm ordinantur ad manifestationem Spiritus, ut est prophetia. Ad tertiam respondetur, quod, licet de ratione instrumenti propriè & rigorosè sit operari per motionem & virtutem transeuntem, non id de ratione est instrumenti laxè, & impropriè sumpti, quo pacto homo se habet ad actiones donorum, cùm potentiæ animæ, ut per dona elevatæ, habent sufficientem proportionem cum illis, id enim respondet D. Thomas *loc. cit. art. 3.* ubi sibi objicit idem argumentum, & respondet, *quod ratio illa procedit de instrumento, cujus non est agere, sed tantùm agi: tale autem instrumentum non est homo: sed sic agitur à Spiritu Sancto, quod etiam agit, in quantum est liberi arbitrii, quapropter indiget habitu.* Ad ultimam respondetur axioma illud: Utimur habitibus, quando volumus, esse intelligendum de habitibus, qui rationi subjiciuntur, ac communibus regulis, non verò de illis, qui non subduntur rationi, nec regulis ordinariis, sed extraordinariis, cujusmodi sunt dona Spiritus S. quapropter, ut homo illis utatur, indiget speciali motione illius, perinde ac ad actus indeliberatos, qualis est prima intentio finis, debet specialiter moveri à Deo absque prævio consilio, & deliberatione rationis, ut asserit Aristoteles lib. 7. Moral. Euthymior. cap. 18.

Objicitur secundò, quòd dona Spiritus Sancti non distinguantur à virtutibus moralibus infusis, præsertim Theologicis, siquidem virtutes Theologicæ, & morales infusæ præstant idem, ac dona Spiritus Sancti, consequenter non distinguuntur realiter inter se; antecedens ostenditur, quia dona per nos habent disponere animam ad recipiendam motionem Spiritus Sancti: sed hoc idem præstant virtutes Theologicæ, & morales infusæ, quia, cùm homo non possit actus illarum virtutum elicere, nisi præmotus à Spiritu Sancto inspirante, & illuminante, eo ipso, quod illæ disponunt, complent potentias animæ ad actus supernaturales eliciendos, etiam illas disponunt ad recipiendam motionem, inspirationem, & illuminationem Spiritus Sancti, proinde dona Spiritus Sancti non distinguuntur à virtutibus theologicis, & moralibus infusis, cùm istæ præstent eundem effectum. Sed contra negatur antecedens, ad cujus probationem dicendum est, quòd tametsi virtutes theologicæ, & morales infusæ disponant animam ad recipendam motionem Spiritus S. diversimodè tamen id præstant à donis, quia dona disponunt animam ad motionem Dei specialem, qua homo à Deo movetur, non medio consilio, & deliberatione, sed divino instinctu: virtutes autem theologicæ & morales infusæ illam disponunt ad recipiendam motionem Spiritus Sancti communem, & ordinariam intra eundem ordinem supernaturalem: siquidem homo natus est moveri ex consilio, & deliberatione rationis, quapropter ait D. Thomas 2. 2. quæst. 68. art. 1. ad 4. *Sapientia dicitur intellectualis virtus, secundùm quod procedit ex judicio rationis, dicitur autem donum, secundùm quod operatur ex instinctu divino.*

Objicitur ulteriùs, quia virtutes infusæ, & dona versantur circa eandem materiam, quo pacto fortitudo ut est donum & ut est virtus moralis cardinalis versantur circa idem objectum: pari pacto fides, & intellectus respiciunt eadem objecta: ergo non distinguuntur inter se realiter. Sed contra, quia licèt virtutes infusæ, & dona respiciant eandem materiam, non tamen eodem modo, sed perquam diverso, siquidem dona eam attingunt sub ratione longè eminentiore, scilicet, ut subest mensuræ excedenti modum rationis. Sed urgent, quia ad attingendum aliquid sub motivo eminentiori non requiritur nova virtus, sed sufficit eadem dummodo sit intensior & efficacior, non autem est necesse, quod distinguatur specie ab

ab ea, quæ potest tantùm attingere illud sub motivo inferiori, & minus arduo, consequenter illa ratio non convincit, quòd dona debeant distingui realiter à virtutibus infusis; sed ad summum accidentaliter, perinde ac virtus intensa distinguitur à remissa, sed contra distinguitur antecedens; ad attingendum aliquid sub motivo altiori, & excellentiori, non requiritur nova virtus, quando motivam altius, & minus arduum sunt intra eandem rationis mensuram dirigentem, conceditur antecedens: secus autem negatur: sed motivum, sub quo attingitur objectum per dona Spiritus Sancti, est extra lineam mensuræ motivi, sub quo attingitur per virtutes infusas: quia istæ respiciunt objectum, ut modo humano (intra tamen ordinem supernaturalem) attingibile: secus dona Spiritus Sancti illud respiciunt, ut attingibile supra omnem humanum modum.

Sed re instabis etiam in virtutibus Theologicis interdum contingit, quòd aliquis operetur præter communem & ordinarium modum, ut, cùm quis ex charitate animam suam tradit pro amicis suis, vel tam perfectam habet fidem, ut ea sufficiat ad miracula patranda, consequenter non solum dona, sed etiam virtutes supernaturales, & infusæ respiciunt suum objectum ut attingibile supra omnem modum humanum: sed contra, quia virtutes Theologicæ ad actus illos heroicos, & extraordinarios adjuvantur à donis Spiritus S. Siquidem sola ratio cum virtutibus illis non sufficit ad tales actus eliciendos, quapropter cuilibet virtuti theologicæ aliquod respondet donum Spiritus S. ut fidei correspondent intellectus, & sapientia; spei, donum timoris; & charitati donum sapientiæ, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst*. 8. & 9. Ex dictis constat, dona esse bonitates à Deo infusas animæ, quibus nullus malè utitur, & quibus rectè vivitur, & quidem rectitudine operationis, quæ est supra omnes regulas prudentiæ acquisitæ, & infusæ ex peculiari instinctu, & inspiratione Dei: hinc dona Spiritus S. sunt necessaria ad salutem, quia ut discurrit D. Thomas hìc *art*. 2. quod imperfectè habet naturam alicujus formæ, vel virtutis, non potest per se operari, nisi ab altero moveatur, sicut luna cui imperfectè inest natura lucis, non illuminat, nisi illuminetur à sole: sed virtutes theologicæ, & morales infusæ imperfectè informant animam rationalem: ergo per illas non ita perficitur homo in ordine ad ultimum finem, quin semper indigeat moveri quodam superiori instinctu Spiritus Sancti, & interdum donis illius, quæ animam disponunt ad illam motionem. Neque dona Spiritus Sancti possunt esse sine charitate, quia sicut virtutes morales reddunt vires appetitivas mobiles à ratione, ita dona reddunt vires animæ mobiles à Spiritu Sancto: sicut enim ratio perficitur per prudentiam, ita Spiritus S. per charitatem nobis inhabitat, unde sicut virtutes morales connectuntur cum prudentia, ita etiam dona cum charitate; quòd si petas, an dona Spiritus Sancti sint inferiora virtutibus theologicis, respondetur affirmativè, ratio est, quia virtutes theologicæ nos conjungunt ultimo fini; dona verò deserviunt ad movendum nos ad ultimum finem, juxta illud Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam*, ex quo liquet, virtutes Theologicas esse præstantiores donis Spiritus Sancti. Sunt tamen hæc dona præstantiora virtutibus moralibus acquisitis, quia homo per has virtutes morales disponitur, ut facilè & connaturaliter moveatur à ratione: per infusas autem, ut moveatur à lumine fidei, & gratiæ; per dona verò disponitur ut connaturaliter moveatur à Spiritu Sancto, ut docet D. Thomas, *manifestum est autem, quod ad altiorem motorem oportet majori perfectione mobile esse dispositum*: ergo dona Spiritus Sancti sunt perfectiora virtutibus moralibus, seu infusis, sive aquisitis. Præterea, quia virtutes morales acquisitæ respiciunt suum objectum, ut dirigibile per regulas prudentiæ acquisitæ; infusæ verò illud attingunt, ut dirigibile per regulas prudentiæ infusæ modo communi, & ordinario: secus dona illud respiciunt, ut dirigibile altiori modo, scilicet per quandam specialem motionem, & instinctum Spiritus Sancti: ergo dona sunt perfectiora, ac superiora virtutibus sive infusis, sive acquisitis moralibus.

CAPUT VI.

De donis Spiritus Sancti in particulari, quæ gratiam concomitantur, quæ in Sacramento Confirmationis impertitur.

Quia in administratione Sacramenti Confirmationis infunditur suscipienti gratiæ, quam comitantur dona Spiritus Sancti, ideo monet Sanctus Carolus, ut Pastores hæc dona explicent; iis qui sunt suscepturi Sacramentum confirmationis; quapropter etiam D. Ambrosius ait: *Repete, quia recepisti signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii, atque virtutis, Spiritum cognitionis & pietatis, Spiritum Sancti timoris; serva, quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti.* Ex quibus infertur, dona Spiritus Sancti esse septem, quæ etiam ab Isaia cap. 11. recensentur, de Christo siquidem vaticinatus fuit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis; Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Primum igitur donum Spiritus Sancti est illud sapientiæ, quod definitur habitus supernaturalis, quo perficitur, ac disponitur homo, ut secundum motum, ac instinctum Spiritus Sancti judicet de rebus divinis, etiam excellentiori, & extraordinario modo cognitis, quòd sit eis inhærendum, & ab oppositis recedendum, seu donum sapientiæ definitur à D. Thoma 2. 2. quæst. 45. art. 5. *rectitudo judicii tam in contemplatione divinorum, quàm in ordinatione rerum humanarum secundùm divinas regulas, quantum necessarium est ad salutem.* Unde sapientia ut est donum Spiritus S. consistit in cognitione & delectatione summi boni, seu Dei, quia ut ait Augustinus Enchirid. cap. 1. *Sicut nemo à se ipso esse potest, ita etiam nemo à se ipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est, omnis sapientia à Deo. Hominis autem sapientia pietas est, habes hoc in libro Sancti, nam ubi legitur, quod ipsa sapientia dixerit homini, esse pium est sapientia*: igitur verè sapiens est ea sapientia, quæ donum est Spiritus S. qui uni Deo vacat, & studet, & in eum fertur sincero affectu, & totam fiduciã, ac spem in illo collocat, quem propterea

toto corde, tota anima, tota mente ac tota virtute diligit, adeo, ut præter Deum reliqua omnia extra ipſum nihili faciat, & cum Apoſtolo veluti ſtercora ducat, ut Chriſtum lucri faciat: quæ ſapientiæ plena eſt cœleſtis ſuavitatis, per quam guſtamus, *quia ſuavis eſt Dominus.* Et hæc eſt ſapientia deſurſum deſcendens à Patre luminum, quæ nec viribus naturæ, nec humano ſtudio comparatur, ſed à toto DEO nobis datur, quapropter Apoſtolus Jacobus cap. 1. ait: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*: & huic dono ſapientiæ inimica eſt ſapientia hujus mundi, quæ terrena eſt, animalis, & diabolica, cujusmodi fuit ſententia illorum Philoſophorum, qui, cùm ſpiculo naturalis luminis Deum cognoviſſent, ut ſcribit Apoſtolus ad Rom. 1. *Non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Vera hominis ſapientia in eo eſt ſita, ut quidquid in ſe boni eſt, à Deo ferat acceptum, ut docet S. Auguſtinus lib. de ſancta Virginitate cap. 42. inquiens: *De ipſa continentia nonne apertiſſimè dictum eſt, & cum ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi DEUS det; & hoc ipſum erat ſapientiæ ſcire, cujus eſſet hoc donum, ſed forte continentia Dei donum eſt, ſapientiam verò ſibi ipſe homo præſtat, qua illud donum non ſuum, ſed Dei eſſe cognoſcat.* Unde, ſi quis cupit ſapientiam, neceſſe eſt eam poſtulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & tunc ſapientiam poſſidet, ſi exercitio virtutum omnium ſplendeat, præſertim lilio caſtitatis ſuaviter oleat, pacis olea jugiter viteſcat, umbra humilitatis deliteſcat, quia, ut monet Sanctus Jacobus in ſua epiſt. cap. 3. v. 17. Divina ſapientia primum quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis. Eſt enim pudica, quia vitat corruptelas peccati, & lilium excolit caſtitatis. Eſt pacifica, quia rectum conſtituit ordinem in animo hominis; eſt enim pax tranquillitas ordinis, ſecundùm Auguſtinum, quapropter ad donum ſapientiæ ſpectat ſeptima beatitudo, *Beati pacifici*, quia, ut ait D. Auguſtinus lib. 1. de ſermon. in Monte cap. 2. *Pacifici in ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes, ac ſubjicientes rationi, ſeu menti, & Spiritui, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita ſunt omnia ordinata: ut id, quod in homine eſt præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiiſque communia.* Quia verò ſapientia omnes compeſcit concupiſcentiæ pravos motus, & per pudicitiam à corruptelis peccati, quantum eſt in ſe, recedit, & modum in rebus omnibus tenet, dicitur modeſta, ut etiam ſuadibilis, quia facile flectitur in obſequium Dei, ad quem omnia ſua ordinat.

Demum intellectus eſt lumen quoddam ſupernaturale, quo mens hominis juſti ad divina capienda, & juxta ſtatum ſuum, & conditionem cognitione aſſequenda à Spiritu Sancto illuſtratur, ſeu ut definitur hoc donum à D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 7. *art.* 3. eſt illuſtratio mentis ad æſtimationem rectam de ultimo fine, & ad hoc donum pertinent verba Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me, & ſcriptum eſt in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.* Et Chriſtus loquens de hoc dono ſuis dixit Diſcipulis Luc. 18. *Vobis datum eſt, noſce myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Ut etiam de hoc dono intelligitur illud Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Beneficio hujus doni Scripturæ Sacræ veteris, & novi teſtamenti ſincerè & rectè intelliguntur, & hoc dono Magiſter Chriſtus mentes Diſcipulorum proficiſcentium Emaus illuſtravit, ut intelligerent ſcripturas. *Aperiens illis ſcripturas, quæ de ipſo erant*, non enim poſſumus illas intelligere, ut oportet, niſi Deus nobis dederit donum intellectus; eſt enim hoc donum clavis illa David, quæ aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit, quapropter David, ut intelligeret divinam legem, enixim à Deo petiit donum intellectus, Pſal. 123. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Certè dono intellectus deſtituuntur Sectarii perperam interpretantes ſacras ſcripturas, propterea cæcutiunt, ut olim Judæi inhærentes litteræ legis, quæ occidit. & veritatem reſpuentes Spiritus vivificantis. Hoc dono etiam caruerunt Philoſophi licèt acutiſſimi, ac diſertiſſimi oratores, quia merces eſt fidei, quapropter, qui fide deſtituuntur, etiam dono intellectus privantur: unde D. Auguſtinus Tractat. 27. in Joan. explicans verba illa: *Sunt quidam in vobis, qui non credunt*, ait: *Ideo non intelligunt, quia non credunt, Propheta enim dixit: Niſi credideritis, non intelligetis. Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Prius hæreamus per fidem, ut ſit quod vivificetur per intellectum, nam, qui non hæret, reſiſtit, qui reſiſtit, non credit.* Gentiles, & Philoſophi ſpirituali hoc dono intellectus fuerunt deſtituti, quia vera fide caruerunt, & interiores mentis oculi caligaverunt, & eorum cæcitas fuit, non intelligere veritatem, nec eam credere ad ſalutem, fides enim eſt, quæ, licèt obſcura in ſe, diſcutit tamen ignorantiæ caligines, & ſuis umbris, & obſcuritatibus mentem clarificat, juxta illud Actor. 15. *fide purificans corda*, hoc eſt, Deus per donum fidei abſtergit cordium caligines impedientes lumen veritatis, cujus beneficio videre poſſumus, quæ rectè agenda ſunt, & Dei mandata, ut valeamus ea exequi, unde David Pſal. 4. v. 17. ut diſceret Dei mandata hoc expetiit lumen intellectus, *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua*, ſcilicet, ut exequar mandata tua per eorum obſervantiam. Caret itidem hoc dono intellectus homo inhians hiſce fluxis bonis, quæ ſitim valent accendere, non extinguere, hic enim non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, quia ejus intellectus non niſi per terrena irrepit, quibus cogitationibus adhæret. Hinc dono intellectus correſpondet ſexta Beatitudo, *Beati mundi corde, quoniam ipſi, Deum videbunt.* Dicuntur beati, qui mundi ſunt corde, ſeu à quavis peccati macula purgati, qui rebus hiſce terrenis ſordeſcentibus non adhærent, ipſi enim donum poſſident intellectus, quo Deum videbunt, quapropter D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 4. ait: *Intellectus congruit mundo corde; tanquam purgato oculo, quo cerni poſſit, quod corporeus oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Et hæc eſt munditia mentis depurata à phantaſmatibus, & erroribus, ut ſcilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum, nec ſecundùm hæreticas perverſitates*, ut etiam aſſerit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 8. *art.* 7. Neque obſtat, quòd homines juſti, & Deo grati poſſint eſſe intellectu hebetes: quia licèt hebeſcant circa aliqua, quorum cognitio non eſt neceſſaria ad ſalutem, attamen circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſufficienter inſtruuntur à Spiritu Sancto, ſecundùm illud 1. Joan. 2. *Unctio ejus docet vos de omnibus*, ut enim docet D. Thomas, viri juſti ſemper intelligunt, id eſſe creden-

dum, quod ab eis nullo pacto est deviandum; donum intellectus præsertim pugnat contra contemptum exordium à consuetudine peccandi, ut ostendit S. Bernardus serm. 14. de diversis inquiens: *Contemptus ex consuetudine prodit, ut tantò liberius, quantò desperatiùs peccatis, totas jam concupiscentia laxet habenas, toto impetu feratur in præceps; sicut scriptum est: Peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Hunc ergo contemptum necesse est, ut Spiritus intellectus impugnet, illuminans tenebras cordis; & lucem divinæ misericordiæ, & copiosæ miserationis infundens. Intelligentia nempe divinis, & altissimis rebus attribuenda est, quas quidem ratio humana nullatenus, difficilè autem, vel fides ipsa comprehendere possit, ut est illud. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

Tertium Spiritûs Sancti donum est Consilium, quô prompti constituimur ad bene deliberandum in rebus difficilibus, præsertim inopinatis, & ad salutem animæ pertinentibus, vel Dei gloriam extrinsecam promoventibus, vel ut definitur à D. Thoma 2. 2. quæst. 52 art. 1. *Donum consilii est habitus supernaturalis, quo ratio à Spiritu Sancto movetur, vel instruitur de movendis*, etenim quia mens humana non potest comprehendere singularia contingentia, quæ possunt occurrere, sequitur cogitationes hominum, ut dicitur Sapientiæ 9. esse timidas, & incertas providentias nostras, ideoque indiget homo in rerum agendarum inquisitionem à Deo dirigi per hoc donum consilii, solus enim Deus est, qui omnia perfectè comprehendit, sicut etiam in humanis homo, qui non bene res agendas intelligit, ab alio meliùs intelligente dirigitur; qui enim sibi ipsis in inquisitione consilii non sufficiunt à sapientioribus, petunt consilium, ne errent in rebus agendis, determinandis. Et quia in iis, quæ ad assecutionem æternæ salutis pertinent, plerumque hæremus ancipites, nescientes, in quam partem nos vertere debeamus, datur nobis à Spiritu Sancto hoc donum consilii, quo dirigimur, ne erremus. Et huic consilio Spiritus Sancti opponitur consilium humanum, cujus finis non est sola Dei gloria, sed commodum temporale, cum enim homines utentes humano consilio inhient divitiis bonisque temporalibus cumulandis, ideo proprium tantum expetunt commodum, quærunt enim, ut ait Apostolus, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, quæ summa est perversitas, & agere ordine præpostero, quia, ut ait Augustinus, utuntur fruendis, & fruuntur utendis, scilicet rebus fluxis caducis, quibus perverso amore adhærent, ac finem in iisdem sibi præstituunt, & res æternas, Deumque ipsum summum bonum, & ultimum omnium finem negligunt, eique præferunt bona temporalia, & expletionem suarum cupiditatum; quapropter D. Augustinus lib. 11. de civit. Dei. cap. 25. ait: *Ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda per se ipsam delectat; uti verò ea re, quam propter aliud quærimus, unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis: non sicut perversi, qui frui volunt nummo, uti autem Deo, quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.* In sumptione Chrismatis, quia confertur Spiritus S. ejusque gratia, quæ secum trahit dona Spiritus Sancti nobis etiam confertur hoc donum consilii, quo instructi Apostoli difficilia quæque pro evangelica propagatione, ac majori Dei gloria extrinseca fuerunt aggressi. Et hoc donum respondet prudentiæ, quæ rerum agendarum est condimentum, & ex beatitudinibus respondet quintæ: *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, quapropter D. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 4. ait: *Consilium congruit misericordibus; hoc enim unum remedium est, de tantis malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis volumus dimitti & adjuvemus, in quo possumus alios sicut nos, in quo non possumus, cupimus adjuvari.* Et quamvis non omnes sint ea donati gratia, ut de rebus ad salutem pertinentibus consilium aliis dare possint, nihilominus justis datur hoc consilium, quod à Deo accipiunt in his, quæ necessaria sunt ad salutem, præsertim in electione status, ex quo tota vitæ nostræ ratio dependet, ut si sit eligendus status religiosus, vel sæcularis, cælibatus, vel matrimonium, in qua electione examinari inprimis debet, an Deus ad talem statum quempiam verè vocet, & an in eodem possit quis salutem propriam operari, & num dotes, & qualitates, pro functionibus obeundis, quæ propriæ sunt illius status, nobis insint, siquidem eligere statum aliquem, ad quem Deus non vocat, consultum non est, quia plura inde pericula imminent æternæ damnationis, ut si quis sine Dei vocatione ob proprium tantum commodum velit cooptari in clerum, & promoveri ad sacerdotium, ac insigniri ecclesiasticis dignitatibus, etiam cum animarum cura, ut etiam si in ordine Monastico sine Dei vocatione velit quis conscribi ad alium finem, quam ad propria obsequia præstanda Deo, in hisce plurimum periclitatur, nisi consilium à Spiritu Sancto desumat, ac viros justos, sanctos, & pios consulat, & preces ferventius fundat, frequentius ad Sacramenta accedat, & à tumultibus hominum secedat, ut Deo vacet, rogetque Spiritum Sanctum, ut ei loquatur ad cor, & consulat viros justos prudentes, ne ipse decipiatur, quia mens humana persæpe sibi de seipsa mentitur, & proprio commodo corporis magis studet, quàm animæ utilitati. Quapropter in id debet incumbere studii, ut anxius de deligendo statu; à quo totum negotium humanæ vitæ videtur dependere, diligenter examinet, ne moveatur ob alium finem, quam Deum summum bonum, ut ipsi inserviat, & ne ob humanas rationes hunc potiùs, quam alium diligat statum, tunc enim enixim debet DEO supplicare, & repetere pluries verba Davidis Psal. 142. *Doce me facere veritatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, quæ verba expendens D. Augustinus in enarratione ejusdem Psalmi ait: *Ad alium curram refici, si ab alio factus sum? Tu es totum unum, quia tu es DEUS meus. Patrem quæram propter veritatem? tu es Deus meus non solum dator hæreditatis, sed ipsa hæreditas: Dominus pars hæreditatis meæ. Dominum quæram propter redemptionem? Tu es Deus meus. Patronum quæram propter liberationem? Tu es Deus meus. Postremo creatus recreari cupio? Tu es Deus meus, qui Creator meus, qui creasti me per verbum tuum, & recreasti me per verbum. Sed creasti me per verbum Deum manentem apud te, recreasti me per verbum carnem factum propter nos. Doce ergo me, ut faciam voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus. Si non me docueris, faciam voluntatem meam, & deseret me Deus meus. Doce me: non enim tu es Deus meus, & ego ero magister meus. Videte, quemadmodum gratia commendetur.* Ex quibus infert Augustinus in deligendo statu, à quo dependet totum vitæ nostræ negotium petendum esse consilium à Deo per viros justos, & prudentes. Huic enim dono opponitur præcipitatio, qua quis ex impetu propriæ voluntatis vel cupiditatis fertur ad agendum, & hanc præcipitationem in rebus magni momenti D. Thomas 2. 2. *quæst. 3. art. 3.* non excusat à gravi peccato.

Quar-

Quartum donum Spiritus Sancti eſt fortitudo, ſeu fiducia quædam menti à Spiritu Sancto ingenita aſſequendi finem operis ardui propter DEUM ſuſcepti, & evadendi quæcunque pericula ex adverſo imminentia, vel prementia, & diſtinguitur à fortitudine, quæ eſt virtus Cardinalis, ut explicat Divus Thomas 2. 2. quæſt. 139. art. 1. inquiens: *Fortitudo importat quandam animi firmitatem, & hæc firmitas animi requiritur in bonis faciendis, & in malis perferendis; & præcipuè in arduis bonis vel malis: homo autem ſecundum proprium & connaturalem ſibi modum hanc firmitatem in utroque poteſt habere, ut non deficiat à bono propter difficultatem, vel alicujus ardui operis implendi, vel alicujus gravis mali perferendi. Et ſecundum hoc fortitudo ponitur virtus ſpecialis vel generalis.* Mox tranſiens ad explicandam fortitudinem, prout eſt donum Spiritus Sancti, pergit inquiens: *Sed ulterius à Spiritu Sancto movetur animus hominis ad hoc, quod perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, & evadat, quæcunque pericula imminentia: quod quidem excedit naturam humanam. Quandoque enim non ſubeſt poteſtati hominis, ut conſequatur finem ſui operis, vel evadat mala, ſeu pericula, cum quandoque ab eis opprimatur in mortem. Sed hoc operatur Spiritus Sanctus in homine, dum perducit eum ad vitam æternam, quæ eſt finis omnium bonorum operum, & evaſio omnium periculorum. Et hujus rei infundit quandam fiduciam menti Spiritus Sanctus excludens contrarium timorem, & ſecundum hoc fortitudo ponitur donum Spiritus Sancti.* Hinc Chriſtianus hoc dono præmunitus alacriter Tyrannos adit, ut ſanguinem profundat pro fide, & juſtitia Chriſtiana, ſi neceſſitas id exegerit, ac DEUS hanc dederit occaſionem; non enim hoc donum fortitudinis permittit illum pavere, cum à viro Chriſtiano excutiat omnem timorem, & ad fortia quæque agenda invitet, ut etiam ad ardua quæque, ac difficilia, imò etiam quæcunque tormenta toleranda perducat, hoc enim inſtructus dono mundum cum omnibus ſuis deliciis boniſque fluxis contemnit, carnis illecebras, ac ſtimulos coërcet, & Dæmonis tentationes invicto animo vincit, nec ullis emollitur blanditiis, nec ullis turbatur adverſis, nec ſinit ſe amore divitiarum corrumpi, nec mundi favoribus deliniri, nec ullo metu, vel pravo alio affectu frangi, ſed pro tuenda fide, & Chriſtiana juſtitia paratum ſe exhibet ad tormenta quæque toleranda, & ardua quæque ſuperanda, repetit enim cum Apoſtolo ad Philipp. 4. v. 11. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*; hinc neceſſitas hujus doni ex eo liquet, quia cùm vita hominis, ſit militia ſuper terram, ut ſcribit Apoſtolus 2. ad Timot. 3. & Chriſtianus debeat jugiter ad certamina deſcendere contra mundum, carnem, & Dæmonem, ut inimicos vincere poſſit, debet fortis eſſe, & hoc dono Spiritus Sancti præmunitus, præſertim ut tentationibus, quæ contra ipſum inſurgunt, validè obſiſtat, ac perſecutiones eludat, & ſuperet. Hoc enim dono viri fortes ab imbecillibus facilè dignoſcuntur, propterea Apoſtoli hoc dono præmuniti, Actor. 5. v. 41. *ibant gaudentes à conſpectu Concilii quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Huic tamen dono opponitur fortitudo, quæ petitur ab humanis viribus, & qua homo ſibi ipſi ac propriæ virtuti fidit, ſiquidem donum fortitudinis, quod à Spiritu Sancto provenit, innititur DEI præſidio, perfecti enim Chriſtiani orant ex animo, & dicunt cum Davide Pſal. 58. v. 10. *Fortitudinem meam à te cuſtodiam, quia Deus meus ſuſceptor es.* & Pſal. 59. *DEUS refugium noſtrum, & virtus in DEO faciemus virtutem. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana eſt ſalus hominis.* Et Divus Auguſtinus explicans verba illa Pſal. 42. *Tu es DEUS fortitudo mea*, ait: *Quia ergo fortitudine opus eſt, imploranda ab illo, qui juſſit ut fortes ſimus, &, niſi fortes ipſe fecerit, non erimus quod juſſit, ab illo qui dixit, qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit, ne ſibi ipſa anima arrogando fortitudinem debilitetur, continuò adjungit: quia tu es Deus meus fortitudo mea.* Ideo enim fortitudo virium humanarum imbecillitas potiùs eſt, quia viribus innititur humanis, quibus nulla ineſt vera fortitudo, quæ ſola à DEO provenit, ideoque humana fortitudo à virtutum Catalogo expungitur, quia vitium potiùs eſt, & apud DEUM nullius eſt meriti, nullamque meretur laudem, cujusmodi fuerunt, quæ Ethnici fortia fuerunt perpeſſi vera juſtitia, & pietate, ac religione deſtituti; fuit enim fortitudo illa inanis apud Deum; quia viribus duntaxat innixa humanis; ait enim S. Auguſtinus lib. 5. de Civit. DEI cap. 18. Hæc ſunt duo illa, libertas & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta miranda compulerunt Romanos, quorum erat agere, & pati fortia. Nos itaque cum Davide dicamus Pſal. 19. v. 8. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus.* & Pſal. 146. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus. In hac via, qua ambulabam, ait David Pſal. 141. *Abſconderunt laqueum mihi. Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me. Periit fuga à me.* Quæ verba expendens Auguſtinus in Pſal. 141. ait: *In via Chriſti & hinc laquei, & hinc laquei, laquei à dexteris, laquei à ſiniſtris, laquei à dexteris, proſperitas ſæculi, laquei à ſiniſtris adverſitas ſæculi, laquei à dexteris promiſſiones; laquei à ſiniſtris terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli recedere, ne promiſſio te capiat, nec terror elidat. Conſiderabam ad dexteram, & videbam. In ſiniſtram, qui conſiderat, excæcatur. Quid eſt in dexteram conſiderare. Ubi erunt iſti, quibus dicetur, venite benedicti Patris mei poſſidete regnum; tremente ergo mundo, & minante in perſecutionibus, crebreſcentibus undique inſultationibus hominum, atque terroribus, ille contemnens præſentia reſpiciebat in futura, attendebat in dexteram, ubi futurus eſt, ibi eſſe meditabatur, illuc attendebat, & videbat, & ideo omnia ferebat, illi autem, qui perſequebantur, non videbant, ideo cum diceret, conſiderabam in dexteram, & videbam, ſecurus ait, & non erat, qui cognoſceret me. Cum enim toleras omnia, quis novit, quid attendas, utrum in dexteram oculum dirigas, an in ſiniſtram. In eo quod toleras, ſi laudem hominum quæris, in ſiniſtram attendiſti; in eo, quod toleras, ſi promiſſa Dei quæris, in dexteram attendiſti. Attendiſti in dexteram, videbis. Attendiſti in ſiniſtram, excæcaberis.* Hoc igitur donum fortitudinis neceſſarium eſt non ſolùm ad tolerandum pro Chriſto martyrium, ſed etiam ad exercitia virtutum, ut juſtus poſſit ſemper in iiſdem magis proficere; & reſpondet huic dono quarta beatitudo: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*: Unde Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte ait: *Fortitudo congruit eſurientibus, & ſitientibus, laborant enim deſiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & temporalibus avertere cupientes.*

Quintum donum dicitur ſcientia, & eſt habitus ſupernaturalis, per quem homo ex ſingulari Spiritus

Sanƈti illuſtratione, & motione ſint, quid credere debeat, diſcernens credenda à non credendis, & rectè judicat de rebus humanis, quatenus nos dicunt ad DEUM. Siquidem circa credenda duplex aſſignatur ſcientia, prima, per quam homo ſcit, quid credere debeat, diſcernens credenda à non credendis, & ſecundùm hanc rationem dicitur ſcientia donum Spiritus Sancti, & convenit omnibus ſanctis: alia eſt ſcientia circa credenda, ratione cujus homo non ſolùm ſcit, quid credere debeat, verum etiam ſcit fidem manifeſtare, & alios ad credendum inducere, & contradictores convincere, & hæc ſcientia eſt potiùs gratia gratis data, quæ non datur omnibus, & ſingulis hominibus, ſed tantum aliquibus. Scientia enim, ut eſt donum Spiritus Sancti, primò & principaliter reſpicit ſpeculationem, in quantum homo ſcit, quid fide tenere debeat. Secundariò autem extenditur etiam ad operationem, quia cum per ſcientiam attingamus credibilia, dirigimur ad eadem agenda, adeo ut hoc donum verſetur circa credenda, & agenda, & hæc eſt ſcientia illa ſanctorum, de qua dicitur Sapient. 10. *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illis ſcientiam Sanctorum.* Et hoc dono deſtituti fuerunt Philoſophi Ethnici, quantumvis ab hominibus dicerentur ſapientiſſimi, ingenio perſpicaces, & eruditi, quia ſicut charitate caruerint, ita & vera ſcientia non claruerunt, ſed tantum humana, quæ inanis eſt, & infructuoſa, quia hæc tantum *inflat*, ut ait Apoſtolus 1. Corinth. 8. *Charitas verò ædificat.* Secus ſcientiam, quæ donum Spiritus Sancti eſt, poſſident Chriſtiani etiam rudes, agreſtes, & imperiti, imò & ſimplices mulierculæ in ſtatu gratiæ, & charitatis conſtitutæ. Sciunt enim, quid credere, quid agere debeant, ut DEO placeant, quatenus ſciunt declinare à malo, & bene agere, pacem inquirere, & eam perſequi; de hoc dono diſſerens Sanctus Bernardus ſerm. 36. in Cant. ait: *Volo animam primò omnium ſcire ſe ipſam, quod id poſtulet ratio & utilitatis, & ordinis: Ordinis quidem, quoniam quod nos ſumus, primum eſt in nobis, utilitatis verò, quia talis ſcientia non inflat, ſed humiliat, & eſt quædam præparatio ad ædificandum. Niſi enim ſuper humilitatis ſtabile fundamentum ſpirituale ædificium ſtare minimè poteſt. Porro ad ſe humiliandum nihil anima invenire vivacius, ſeu accommodatius poteſt, quàm ſi ſe in veritate invenerit, tantùm non diſſimulet, non ſit in Spiritu miſera, ejus dolus ſtatuat ſe ante faciem ſuam, nec ſe à ſe avertere adducatur: Nonne ſi ita intuens clara luce veritatis inveniet ſe in regimine diſſimilitudinis, & ſuſpirans, quam jam latere non poterit, quod verè miſera ſit, nonne cum Propheta clamabit ad Dominum, Pſal. 118. In veritate tua humiliaſti me? Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione ſui, cum ſe perceperit, oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium deſideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille ſuſpicionibus obnoxiam, mille neceſſitatibus ærumnoſam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes.* Reſpondet huic dono ſcientiæ tertia Beatitudo, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*: ſiquidem ad ſcientiam pertinet rectum judicium de creaturis, quæ homini præbent occaſionem averſionis à DEO juxta illud Sapient. 14. *Creaturæ factæ ſunt in odium, & muſcipulam pedibus inſipientium*, quatenus rectum de his judicium non eliciunt, putantes in iiſdem eſſe perfectum bonum, quapropter in iiſdem conſtituentes ultimum finem, ſe avertunt à ſummo bono, vero fine ultimo, & peccant, & ait Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 9. *art.* 4. Homini innoteſcere per rectum judicium de Creaturis, quod conſequitur per donum ſcientiæ.

Sextum donum eſt pietatis, ſeu habitus ſupernaturalis, quo anima Chriſtiana fit prompte mobilis à Spiritu Sancto ad exhibendum DEO cultum & officium ei debitum, ut etiam hominibus, quatenus ad DEUM pertinent, & hoc donum diſtinguitur à religione, qua DEUM colimus, ut Creatorem, & Dominum; & à pietate, quæ eſt virtus moralis, qua parentes carnis noſtræ colimus. Ad pietatem ſiquidem, quatenus eſt donum Spiritus Sancti, pertinet honorare ſanctos, non contradicere ſcripturis, proximis omnibus propter DEUM benefacere, & eorum miſeriis, afflictionibus, & calamitatibus ex animo compati, & ſubvenire. Ad hoc donum pertinet, quòd ſcribit Apoſtolus ad Galat. 4. v. 6. *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater*, quia tenemur DEUM ut Patrem noſtrum per hoc donum pietatis amare, & colere, ait enim Auguſtinus lib. 10. de civit. DEI cap. 3. *Hic eſt DEI cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum DEO debita ſervitus*; vocat Auguſtinus pietatem, cultum DEI, quatenus hoc dono DEUM ut Patrem colimus, eum amando, quia cultus, quam alteri exhibemus, ſupponit amorem, quo eundem proſequimur. Hinc Auguſtinus epiſt. 140. ad Honoratum cap. 18. de laudibus, quas DEO canimus, ait: *Sed qui veraciter laudat, niſi qui ſinceriter amat.* Reſpondet hoc donum ſecundæ beatitudini; *Beati mites*, quia hoc dono juſti miteſcunt prius in DEum, & poſtea in proximum, ut notat Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 2. ubi ait: *Miteſcere opus eſt pietate, nec contradicere divinæ ſcripturæ ſive intellectæ, ſi aliqua vitia noſtra percutit, ſive non intellectæ, quaſi nos melius ſapere, meliusve percipere poſſimus; ſed cogitare potius, & credere, id eſſe melius & verius, quod ibi ſcriptum eſt, etiam ſi lateat, quam id, quod per noſmetipſos ſapere poſſumus.* Quamobrem beneficio hujus doni promptè, alacriter, & delectabiliter exercemus opera pietatis, qua ratione uſurpatur pietas pro ipſa miſericordia exercenda in proximum, Eccleſ. 44. v. 10. *Illi viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt*, & hæc miſericordia ex pietate profecta vel maximè DEO placet, adeo ut Chriſtus Matth. 9. v. 13. dixerit, *Miſericordiam volo, non ſacrificium, quibus* verbis nihil aliud, quàm ſacrificio ſacrificium prælatum intelligitur: quia quod ab omnibus ſacrificium vocatur, ſignum eſt veri ſacrificii; & miſericordia eſt verum ſacrificium, cum ſcribat Apoſtolus ad Hebr. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivviſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Et Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 4. nobis commendat pietatem, inquiens: *Exerce te ipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Hanc pietatem dicitur mundus non excolere, quamvis plura pietatis exempla liberorum in parentes, & ſervorum erga dominos enarrentur, eò quia DEUM beneficentiæ finem non ſtatuit, etenim pietas Chriſtiana ita in DEUM intendit, ut DEI cauſa Patrem, & matrem, fratres & ſorores, patriam & cognationem parata ſit promptè abdicare, cùm dicat

Chri-

Digitized by Google

Christus Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non adit patrem suum, & matrem & uxorem, & filios & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Hinc qui hoc dono veri sunt Christiani instructi, injurias sibi illatas promptè & alacri animo fratribus condonant, alienæ miseriæ statim opitulantur, oppressis subveniunt, & reliqua misericordiæ opera alacriter exercent, & in omnes homines, præsertim Christianos, perinde ac in fratres afficiuntur, quapropter Tertullianus Apolog. cap. 29. Ethnicos compellat his verbis: *Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris unius, & si vos parum homines, quia mali fratres; at quanto dignius fratres, & dicuntur, & habentur, qui unum Patrem DEUM agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantia ejusdem ad unam lucem creverunt veritatis? sed eò fortasse minùs legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat; vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos verè dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil rei communicatione dubitamus.* Cæterum hoc donum pietatis pugnat contra curiositatem, quam à se longiùs abigit. Non enim, quæ hoc dono mulier afficitur, egreditur foras curiosius exteriora consideratura, sed in se manet interna contemplatura, quia pietas curiositati adversatur, & quem curiositas â corde evocat, pietas revocat, quia est cultus DEI, & in corde colitur, qui in corde cognoscitur habitare. Est enim pietas unum ex illis unguentis fragrantiam suavissimam emittentibus, quibus propterea cœlestis sponsus delectatur, & quia pietas à sua colebatur sponsa, ad eam dixit: *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis;* componitur autem unguentum istud pietatis ex variis speciebus, quæ nullam videntur præseferre nobilitatem, scilicet ex necessitatibus pauperum, anxietatibus oppressorum, perturbationibus tristium, noxis delinquentium, ac de omnibus miserorum ærumnis. Verùm præ omnibus alexipharmacis præsentissimum est hoc unguentum, quia sanitatem statim confert, & misericordiam illico assequitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Singula enim opera misericordiæ totidem sunt pharmaca, & aromata, quibus conscientia bene olet, & fœtor anteactæ noxæ procul abigitur. Et quia pietatem excoluit Joseph, Genes. 42. ideo fragrantiam suis etiam fratribus inimicis, & venditoribus propinavit, quia licèt in Ægypto increpatoria verba protulerit in fratres, diffluebant tamen ex oculis lachrymæ, non iræ indices, sed pietates & gratiæ, proditrices. Hac pietate etiam David enituit, cum illius mortem lugeret, qui suam semper sitierat, & illius molestè ferebat obitum, cui succedebat in regnum, magna quidem erat Davidis pietas, & mansuetudo, cum DEO Patri Psal. 131. dixerit: *Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus.* Splenduit etiam hujus doni nitore Sanctus Paulus, quem sic affecerat sollicitudo omnium ecclesiarum, ut pro illarum gloria, & emolumento mori quotidie videretur, ait enim 2. Corinth. 2. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?*

Septimum donum est timoris Domini, seu habitus supernaturalis, quo anima DEUM reveretur, seque ipsi subducere timet, &, ut docet Divus Thomas 3. *part. quæst.* 7. *art.* 6. duplicem habet actum, primarium unum situm in subjectione reverentiali, ad DEUM ob divinam eminentiam non inspectam absolutè (siquidem vereri DEUM absolutè consideratum ad humilitatem pertinet, vel spectat ad pietatem) sed ut potentem infligere malum, saltem ipsum non esse reducendo scilicet ad nihilum; alterum secundarium, & est refugere malum culpæ possibile, vel pœnæ propter culpam. Prior actus fuit in CHRISTO, & remanet in beatis, in quo sensu dicitur Job. 26. *Columnæ cœli pavent, & contremiscunt ad nutum ejus*, ubi Sanctus Gregorius Magnus 17. Moral. cap. 1. Per Columnas cœli intelligit Beatos Angelos, ait ipse: *Columnæ cœli contremiscunt ad nutum ejus: ipsæ enim virtutes cœlestium, quæ DEUM sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt: sed idem tremor, ne illis pœnalis, non timoris est, sed admirationis, quia scilicet admirantur DEUM, ut supra se existentem, & in eis incomprehensibilem.* Donum hoc timoris mundano opponitur timori, qui tantùm abest, ut DEI donum sit, ut potiùs à DEO damnetur, perinde ac amor mundi, ex quo veluti ex putrida enascitur radice, unde CHRISTUS Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam;* ob mundanum hunc timorem Petrus Magistrum CHRISTUM negavit in prætorio, & Pilatus mortis sententiam in ipsum, quamvis innocentissimum dixit, & reliqui Apostoli hoc mundano perculsi timore longiùs fugerunt. Et quotquot mundum diligunt hoc timore à rectitudine deflectunt justitiæ. Distinguitur donum timoris DEI à timore servili, quia hic cum voluntate peccandi potest cohærere, proinde non est propriè & strictè donum Spiritus Sancti: & adhuc est sub lege, nondum sub gratia, qui serviliter timet, ut asserit Divus Augustinus lib. de natura & gratia cap. 57. *Est enim sub lege* (ait ipse) *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse, quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè desiderat. Ergo si Spiritu ducimini, ut scribit Apostolus ad Roman. 6. non adhuc estis sub lege, scilicet sub lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem, quia hæc diffusa est in cordibus nostris, non per legis litteram, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Hæc est lex libertatis, non servitutis, quia charitatis utique, non timoris, quatenus quisque Spiritu ducitur, non est sub lege: quia in quantum condelectatur legi DEI, non est sub legis timore, quia timor tormentum habet, non delectationem.* Timor igitur, quatenus est donum Spiritus Sancti, est timor filialis, & castus, timor verò servilis, est timor pœnæ, quatenus malum est peccatoris à DEO inflictum, quem criminum vindicem credit. Timor filialis est timor culpæ, quatenus est malum DEI, seu offensa, quæ ipsi irrogatur, proprium enim est filiorum timere offensam Patris. Timor servilis cor præparat charitati, sed excluditur à Charitate perfecta, quia hæc, ut scribit Sanctus Joannes epist. 1. cap. 4. *foras mittit timorem;*

timor

Digitized by Google

timor castus oritur ex charitate, ac indivisus est ejus comes. Non tamen omnis timor pœnæ servilis est, sed solum, quo pœna timetur, ut principale malum hominis, & contrariatur bono illius naturali: quando verò timetur malum pœnæ ratione separationis à DEO, tunc talis timor oritur ex casto amore, & hoc timore qui afficiuntur, mandata DEI singulari cum reverentia, & ex intimo cordis affectu custodiunt, & semper solliciti sunt, ne in re aliqua DEO displiceant, & ab ejus gratia excidant, quapropter propriam salutem operantur cum timore, & tremore, quos propterea David beatos pronuntiat, Psal. 127. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus*, & de hoc timore alibi ait: *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Quomodo autem hic timor castus permaneat in sæculum sæculi, seu in Beatis, edisserit Divus Augustinus lib. 14. de Civit. DEI cap. 9. ubi ait: Timor verò ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit & in futuro sæculo (nam quo alio modo potest intelligi permanere in sæculum sæculi) non est timor exterrens à malo, quod accidere potest: Sed tenens in bono, quod amitti non potest, ubi enim boni adepti amor immutabilis est, profectò, si dici potest, mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit, nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate charitatis cavere peccatum. Aut si nullius omnino generis timor esse poterit in illa certissima securitate perpetuorum feliciumque gaudiorum, sic dictum est, ut ait Psalmista Psal. 19. Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi, quemadmodum dictum est, patientia pauperum non peribit in æternum. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala. Sed æternum erit, quo per patientiam pervenitur. Ita fortassè timor castus in sæculum sæculi dictus est permanere, quia id permanebit, quo timor ipse perducit. Militat hic timor, ut est donum Spiritus Sancti contra negligentiam, ut habetur Ecclesiast. 7. *Qui timet DEUM, nihil negligit, sed veretur omnia opera sua.* Excutitur siquidem negligentia, ut Spiritus timoris mentem repleat, abjicitur curiositas, ut succedat pietas, experientia mali fugatur, & opponitur scientia. Huic timori, qui est donum Spiritus Sancti, correspondet prima Beatitudo. *Beati pauperes Spiritu.* Quia ut docet Divus Thomas, quamvis ad timorem filialem pertineat DEO reverentiam exhibere, eique subjici, id tamen, quod ex hujus modi subjectione consequitur, pertinet ad donum timoris, quia eo ipso, quod aliquis DEO se subjicit, desinit quærere in se ipso, vel in aliquo alio magnificari, sed tantum hoc quærit in DEO, cui propterea subjicitur, unde David Psal. 19. ait: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine DEI nostri invocabimus.*

Ex hisce donis Spiritus Sancti quidam colliguntur suavissimi fructus, quibus nutriamur, ut enim ait Christus Matth. 7. *Omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Hi fructus autem, qui colliguntur ex donis Spiritus Sancti, duodecim ab Apostolo enumerantur epist. ad Galat. cap. 5. Quarum primus est *charitas*, sine qua cæteræ virtutes sterilescunt, nec ullum producunt fructum, & ex ipsa pullulant universa bona, quæ sunt. Ex hac enim radice charitatis reliquos fructus oriri ostendit Divus Augustinus Tractat. 77. in Joan. oriuntur enim gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, ait enim Augustinus. *Quis bene gaudet, qui bonum non diligit, unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo, potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi ferveat diligendo: Quis est benignus, nisi diligat, cui opitulatur? Quis bonus nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis nisi ea fide, quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet, unde turbatur, nisi diligat, unde honestatur? merito itaque Magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.* Secundus fructus est *gaudium* præstans, ut homo spiritualis alacriter, promptè, & lætè DEO serviat, de quo ait Apostolus ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*, & hoc gaudium non in extima frontis cute tantùm floret, sed in intimo corde fovetur; est enim gaudium internum, purum, perpetuum, ad aliud gaudium perducens, de quo dicit Christus: *Euge serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui*, quod est verum gaudium de veritate in cœlesti beatitudine. Tertius fructus est *pax*, qua inter procellas hujus fluctuantis mundi, æstusque bellorum tranquillitas servatur, hinc David Psal. 117. *Pax multa diligentibus legem tuam*, & est pax illa, quæ datur *hominibus bonæ voluntatis*, &, quæ Christo recens nato fuit enunciata, & est pax, quæ superat omnem sensum, ut Apostolus ait; Et pax illa est, quam Christus post suam resurrectionem suis dedit discipulis cum stans in medio eorum dixit, *pax vobis*, & hanc pacem mundus dare non potest, quia peccatores ea frui, nec possunt, nec sciunt, quapropter Jeremias 6. *Pax, pax, & non est pax*, quia ut ait Isaias 57. *Non est pax impiis, dicit Dominus DEUS.* Quartus fructus est *patientia*, quæ in tolerandis adversis maximè enitet, de hac enim dixit Christus Lucæ 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, & Apostolus Jacobus in sua epist. cap. 1. ait: *Omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Hæc enim virtus gaudet duris, floret in spinis, ubi suaviùs olet, quiescit in persecutionum procellis, lætatur in tribulationibus, ut in Apostolis, qui gaudentes à conspectu Concilii ibant, quia digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Quintus fructus est *longanimitas*, quæ magnitudinem animi in futuris bonis expectandis declarat, de hac enim loquens Christus ait Matth. 10. *Eritis odio omnibus propter nomen meum, qui autem perseveravit usque in finem, hic salvus erit.* & 2. ad Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut DEI Ministros:* in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta. Sextus fructus est *benignitas*, quæ virtus est lenis, blanda, tranquilla, omniumque bonorum apta consortio, quæque invitat

invitat ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata, de qua ait Apostolus ad Colos. 13. *Induite vos sicut electi Dei Sancti, & dilecti viscera misericordiæ* ob benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Est benignitas virtus sponte ad bene faciendum exposita, septimus est *bonitas*, quæ nulli nocet, sed bene vult omnibus, & hæc non multum à benignitate differt, à qua tantùm discrepat, quia potest bonitas esse tristior, & fronte severis moribus irrogata, ut ait S. Hieronymus, & benefacere, ac præstare, quod poscitur, non tamen suavis esse consortio, & sua cunctos invitare dulcedine. Octavus est *mansuetudo*, quæ omnem morum asperitatem lenit, iræ motus compescit, propter quam Moyses, & David laudantur in scriptura, de quibus Proverb. 3. dicitur *Mansuetis dabit gratiam*; & Magister Christus voluit, suos discipulos ab ipsomet hanc addiscere virtutem Matth. 11. *Tollite jugum meum super vos; & discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Et invenietis requiem animabus vestris.* Nonus fructus est *fides* in Deum & proximum, ut promissiones factas Dei, & hominibus, observemus, de qua dicitur Proverb. 12. *Abominatio est Domino labia mendacia: Qui autem fideliter agunt, placent ei.* Decimus est *modestia*, qua Christianus omnem deponit fastum; omnemque eruit speciem arrogantiæ, hinc Apostolus nos edocet studium modestiæ, quod aliis innotescat, ad Philip. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est.* Undecimus est *continentia*, & præsertim cultura castitatis: non enim in solo cibo, & potu est Christianus continens, verum etiam ab omnibus se vitiis abstinet, præsertim, quæ perversè olent, & castitati opponuntur; scribit enim Apostolus, ad 1. Thessalon. 5. *Ab omni specie mala abstinentes.* Hinc duodecimus fructus est præclara virtus *castitatis*, quæ continentiæ vocabulo etiam gaudet, & hæc virtus compescit motus omnes concupiscentiæ, quique impuritatis carnalis redolent fœditatem. Hæc virtus in id incumbit studio, ut mentem ab omni defæcatam impura cogitatione conservet in corpore casto. Cum sit Christianus per gratiam sanctificantem templum Dei, decet hoc custodiri ab omni immunditia alienum: hujus enim templi *Æditua est pudicitia, quæ nihil immundum, aut profanum inferri sinit*, ut loquitur Tertullianus.

CAPUT VII.

De charactere, altero effectu Confirmationis, Et diluuntur, quæ ab Hæreticis objiciuntur contra hoc Sacramentum.

Certum est Sacramentum Confirmationis imprimere characterem, & propterea consecrare hominem Deo, & non posse iterari, ut est fidei dogma definitum in Concilio Tridentino sess. 7. can. 9. idque etiam colligitur ex Apostolo ad Hebræos, ubi scribit: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ. Impositionis quoque manuum*; ubi per impositionem manuum Sancti Patres intelligunt Sacramentum Confirmationis, quod propterea non est iterandum, perinde ac baptismus, quia utrumque Sacramentum imprimit characterem, & consecrat hominem Deo, ut notat D. Augustinus in Expos. in epist. ad Romanos, ubi ait: *Ita omnia in baptismo traduntur, quæ negat esse repetenda.* Eo enim Sacramenta, quæ hominem Deo consecrant, quia imprimunt Characterem, non iterantur, cujusmodi sunt Baptismus, Ordinatio, & Confirmatio, ut ostendit D. Augustinus lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 13. inquiens: Utrumque Sacramentum ex quadam consecratione homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in ecclesia catholica neutrum licet iterari, & quia fideles per Sacramentum confirmationis, Deo consecrantur, ut milites Christi, & potestatem accipiunt, ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, ideo non debet Confirmatio iterari, quia imprimit characterem, quo Deo consecratur. Hic enim Character, utpote spiritualis, est indelebilis, & distinctus à Charactere, qui imprimitur per baptismum: siquidem per characterem impressum in Sacramento Confirmationis peculiari nota insignitur confirmatus, & adscribitur militiæ Christi, ut colligitur ex Concilio Florentino ex decreto unionis, & Tridentino sess. 7. *can. 9. de Sacrament. in genere.* Constat etiam ex ipsius initerabilitate, siquidem Sacramenta, quæ characterem imprimunt, si semel ritè fuerunt suscepta, non possunt iterari, quia Character imprimitur indelebiliter. Quòd verò Sacramentum confirmationis si semel ritè suscipiatur non possit iterari, asserit Apostolus in citat. epist. ad Hebræ. ubi per impositionem manuum Sancti Patres intelligunt Sacramentum confirmationis. Præterea quia hoc idem definitum fuit in Concilio Toletano VIII. can. 7. ubi prohibetur Sanctum chrisma semel collatum repeti. Concilia autem Florentinum, & Tridentinum hocidem expresse declarant, illud in decreto unionis, hoc *sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9.* Hinc D. Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. Sacramentum confirmationis probat apud Hæreticos non minus quàm baptismum ratum esse, ait ipse: *Discerne ergo visibile Sanctum Sacramentum, quod esse, & in bonis, & in malis potest, illis ad præmium, istis ad judicium, ab invisibili unctione Charitatis, quæ propria bonorum est.* Character tamen confirmationis præsupponit characterem baptismi, ita enim se habet confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem, & non potest homo in ætatem perfectam promoveri, quin priùs fuerit genitus, & natus: ergo neque fidelis, nisi priùs fuerit baptizatus, nequit Sacramentum confirmationis accipere, quapropter docet D. Thomas 3. *part. quæst. 82. art. 6.* Quòd si aliquis homo non baptizatus priùs confirmaretur, quàm baptismum susciperet, nihil acciperet, quia baptismus est janua, per quam homo ingreditur ecclesiam, ubi accipit alia

Digitized by Google

alia Sacramenta, quæ aliunde non possunt susci-pi, nisi in ecclesia Catholica, quapropter debe-ret prius baptizari, & iterato post baptismum confirmari.

Objiciunt tamen Sectarii D. Augustinum, qui dissertis verbis asserit posse confirmationem iterari, ita enim habet lib. 3. de baptismo cap. 16. *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest: quid est enim aliud, quam oratio super hominem.* Unde ex Augustino confirmatio potest iterari, eò quòd sit tantùm Oratio super hominem, ex quo inferunt non esse Sacramentum. Præterea quia homines ab hæresi conversi, in qua baptizati fuerant, recipiebantur in ecclesiam per episcopalem manuum impositionem advocantem septiformem Spiritum sanctum, ut infertur ex Siricio Pontifice epist. ad Himerium cap. 4. ubi Arianos, & reliquos Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes baptizari vetat, inquiens: *Quos nos cum Novatianis, aliisque Hæreticis, sicut in Synodo constitutum est per invocationem solam septiformis spiritus & episcopalis manus impositionem Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque observat.* Hæc autem impositio manuum erat Confirmatio, quæ non solùm Novatianis, qui Sacramentum illud in hæresi non acceperant, sed omnibus Hæreticis ad ecclesiam redeuntibus adhibebatur, tametsi confirmationem in statu hæresis suscepissent statim post baptismum, unde moris tunc fuit in Ecclesia, ut Confirmatio iteraretur. Et Concilium Constantinopolitanum I. can. 7. Hæreticos revertentes ad Ecclesiam jubet Sancto chrismate inungi sub præscripta verborum formula *Signaculum donationis Spiritus sancti.* Sed contra quia illa manuum impositio non fuit iteratio Sacramenti confirmationis, sed tantum fuit manuum impositio ad pœnitentiam, & reconciliationem, quapropter fuit tantùm manuum impositio reconciliatoria, non confirmatoria, nec iteratoria hujus Sacramenti. Hæretici enim, cum reverterentur ad Ecclesiam, cum eadem reconciliabantur, & illis injungebatur pœnitentia, quæ reconciliatoria vocaretur, de qua loquitur S. Stephanus I. Papa apud S. Cyprianum epist. 74. *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*, unde Pontifex asserit talem manuum impositionem non esse ad iterandum Sacramentum confirmationis, sed in pœnitentiam, de qua S. Cyprianus epist. 71. ait: *Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, & à nobis ad Hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, & errore digesto ad veritatem, & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere, ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem abalienatam, & errabundam in ovile suum pastor recipiat.* Unde expressè asserit Cyprianus manuum impositionem, qua Hæretici revertentes ad Ecclesiam catholicam recipiebantur, non fuisse ad iterandam confirmationem, sed tantùm in tesseram pœnitentiæ & reconciliationis: unde D. Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 11. hoc idem confirmat, inquiens: *Cyprianus cum cæteris statuit, ut si ab hæresibus redirent in Ecclesiam, quicunque fuerant in ea baptizati, non jam per baptismum, sed per pœnitentiam reciperentur*, ex quo colligitur consuetudinem in ecclesiæ initiis viguisse, qua Hæretici resipiscentes, ac revertentes ad ecclesiam Catholicam per manus impositionem ad pœnitentiam, & reconciliationem reciperentur, non verò ad confirmationem iterandam, & Innocentius I. epist. 18. asserit Arianos aliosque Hæreticos conversos ad Deum, & revertentes ad Ecclesiam Catholicam esse suscipiendos per manus impositionem in signum pœnitentiæ, & reconciliationis. Quòd si dicas fuisse in tali reconciliatione etiam adhibitam chrismatis unctionem, respondetur, hanc fuisse meram cæremoniam ecclesiasticæ institutionis, in quibusdam tantùm particularibus ecclesiis usurpatam, non verò communem omnibus ecclesiis, etenim Ariani revertentes ad fidem catholicam, per totum Occidentem recipiebantur per manuum impositionem, & in oriente per unctionem, quæ tantum erat reconciliatoria, non iteratoria Sacramenti, nisi fortassis antea Sacramentum confirmationis non susceperint, sed tantùm baptismum, quia tunc recipiebant etiam confirmationem, quæ tamen non erat iteratio Sacramenti, sed prima ejusdem collatio. Præterea quia hæc manus impositio, & chrismatio absente Episcopo committebatur Presbyterio, ut etiam imminente mortis periculo, & Sacramentum confirmationis, solus episcopus ministrat, unde talis impositio manuum & chrismatio, cum exerceretur etiam à Presbyteris, non potuit esse ministratio Sacramenti Confirmationis, propterea erat tantùm reconciliatoria non confirmatoria. Quòd talis fuerit hæc manus impositio, & Chrismatio, qua reciperentur Hæretici ad fidem catholicam revertentes, constat ex Concilio Arausicano I. can. 1. ubi hæc habet: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus à Presbyteris Chrismate, & benedictione consignari placuit.* Unde ritus ille impositionis manuum, vel chrismationis super revertentes ad fidem Catholicam habebat etiam invocationem Spiritus Sancti adnexam non ad iterationem confirmationis, sed ad remissionem peccatorum, & præsertim peccati hæresis, & schismatis.

Cæterum Hæretici infensi semper fuerunt, hinc Sacramento Confirmationis, illudque à Catalogo Sacramentorum ecclesiæ obliterare studuerunt, Ecclesia tamen inficiantes hoc Sacramentum declaravit Hæreticos, adeo, ut Novatiani Sacramentum confirmationis negantes, & negligentes illud suscipere, communi suffragio, & absque ulla controversia hæreticos fuerint damnati: & nostris temporibus etiam, ut Hæreticis habentur Lutherus, & Calvinus, & quotquot, è numero Sacramentorum Confirmationem expungunt, etenim non sine impietate potest in dubium vocari, quin Apostoli, quod ipsi egerunt, & quod universæ Ecclesiæ faciendum tradiderunt, à Magistro Christo acceperint: sed universa Ecclesia suo ab initio fatetur se ab Apostolis accepisse Sacramentum confirmationis, & illud eorum exemplo exercuisse; etenim S. Clemens Alexandrinus lib. quis dives Salvandus apud Eusebium histor. Eccles. lib. 6. cap. 35. meminit cujusdam juvenis à Joanne Evangelista cuidam Episcopo Asiatico commendati, cui baptismate illuminato Episcopus signaculum Domini, ut perfectam tutelam contulit: quo loco baptismus & Chrisma,

ut

ut diverſa Sacramenta recenſentur, ut etiam conſtat *ex lib.* 2. *Strom.* adeo, ut Clementis diſcipulus Origenes ad Roman. 6. aſſeruerit baptiſmum, & chriſma conferri, ſecundum typum eccleſiæ traditum: neque hunc typum ſeu canonem ab alia eccleſia accepit, quàm ab Apoſtolis, unde S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus eodem tempore ab Apoſtolis deducit, quòd baptizati eccleſiarum Præpoſitis confirmandi præſentarentur, inquiens: *Ut per noſtram ordinationem, & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & per ſignaculum Domini conſummentur.* Cui adhæret D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 26. ubi ait: *Nemo diſcipulorum dabat Spiritum ſanctum, orabant quippe, ut in eos veniret, quibus manus imponebant, non ipſi enim dabant: quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Aſſerit Auguſtinus morem miniſtrandi Sacramentum confirmationis per manuum impoſitionem viguiſſe ſemper in Eccleſia, & ſuo tempore in eadem ſervari. Et S. Hieronymus in Dialog. contra Luciferian. cap. 4. Fatetur morem miniſtrandi in eccleſia Sacramentum confirmationis ab ipſis deſcendiſſe Apoſtolis, ac propterea habuiſſe Authorem Chriſtum Dominum, ait enim: *Quòd ſi in hoc loco quæris, quare in eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi accipiat Spiritum ſanctum? Diſce hanc obſervationem ab ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit.*

Objiciunt tamen Sectarii, eos, qui accipiebant Spiritum ſanctum, locutos variis linguis & infantes, qui nunc confirmantur, linguis novis non loqui, ut olim Apoſtoli, conſequenter non accipere Spiritum ſanctum, & Sacramentum confirmationis nullum eſſe in Eccleſia. Sed contra ad hanc objectionem ſcitè reſpondet D. Auguſtinus tractat. 6. in epiſt. Joan. inquiens: *Non quid modo, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur, aut quomodo impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit unusquiſque veſtrum, utrum linguis loquantur, & cum videret eos linguis non loqui, ita perverſo corde aliquis veſtrum fuit, ut diceret, non acceperunt Spiritum ſanctum.* Explodit Auguſtinus Hæreticos arbitrantes infantes per confirmationem non accipere Spiritum ſanctum, nec Sacramentum confirmationis. Reſpondent alii Novatores, confirmationem in eccleſia non tradi, ſicut in primis ſæculis, proinde nunc non eſſe Sacramentum: ſed contra, quia in eccleſia catholica nihil ab antiquo ritu fuit immutatum in hoc Sacramento confirmationis: Eccleſia enim etiamnum retinet ideo Pontificale Romanum, quod S. Gregorius Magnus deſcripſit, & ſervat eundem ritum, ſcilicet, ubi confirmandi ad Epiſcopum perducti coram eo in genua procumbunt, ibi elevata manu ſuper omnium capita recitat orationem *Omnipotens ſempiterne Deus &c. emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum*, quam eandem orationem D. Ambroſius ſuo tempore conſueverat recitare in miniſtrando Sacramento confirmationis, ut conſtat lib. 3. de Sacrament. Hinc errant Lutherani, minusque cautos fallunt, docentes, Confirmationem eſſe in eccleſia puram, & meram cæremoniam, eamque liberam, & indifferentem, baptiſmo olim conjunctam, ſiquidem omnes Sancti Patres, à tempore Apoſtolorum unanimi conſenſu ſemper aſſeruerunt, docueruntque Sacramentum confirmationis diſtinctum à baptiſmo, ac longè diverſum. Tertullianus lib. de præſcript. cap. 40. ait: *Præter baptiſmum, & Euchariſtiam pœnitentiam, & obſignationem chriſmatis, item ordinem, & matrimonium, diſcernimus numerum Sacramentorum Chriſti nomine.* Et diſtinctè, ac luculenter recenſet ſeptenarium Sacramentorum numerum, quæ ſuo tempore uſus erant fidelibus juxta conſuetudinem in eccleſia jam pridem inolitam, & ab Apoſtolis derivatam ad poſteros, & Sacramentum chriſmatis, ſeu confirmationis non, ut puram cæremoniam, ſed ut verum Sacramentum diſtingui à baptiſmo, cæteriſque Sacramentis, quæ ſeptenario numero complectitur, & lib. adverſus Marcionem cap. 14. Ut etiam lib. contra Praxeam vocat confirmationem *unctionis Sacramentum*, cui adhæret Sanctus Cyprianus epiſt. 72. ubi ait: *Parum eſſe iis manum imponi ad accipiendum Spiritum ſanctum, ſed tunc demum plene ſanctificari, ſi Sacramento utroque naſcantur.* Per manus impoſitionem intelligit Sacramentum chriſmatis, quod realiter, ut Sacramentum, à baptiſmo diſtinguit, quam diſtinctionem noverunt, & confeſſi ſunt omnes antiqui Patres, ut etiam omnes Epiſcopi Concilii Africani apud eundem Cyprianum epiſt. 70. Quòd antiquiſſimi Patres, qui ſub initiis eccleſiæ floruerunt, hanc noverint, aſſeruerint, ac docuerint diſtinctionem inter Sacramenta baptiſmi, & confirmationis ſatis liquet, quia Cyrillus Jeroſolymitanus, & S. Ambroſius habent peculiares ſermones de baptiſmo, & Sacramento Chriſmatis, & aſſerunt eſſe diverſa Sacramenta, unde non eſt dubium, quin ſub Eccleſiæ initiis Confirmatio non fuerit in eccleſia mera cæremonia, & baptiſmi appendicula, ut putant Sectarii, ſed verum Sacramentum chriſmatis ſemper fuiſſe, rurſus Synodus Laodicena can. 1. ſtatuit: Novatianos ejurata hæreſi Catholica inſtructos chriſmate inungi, & ad myſterii communionem admitti, quod etiam approbat S. Baſilius Magnus in ſua epiſtola ad Amphilochium.

LIBER SEPTIMUS.

DE

Auguſtisſimo Euchariſtiæ Sacramento.

HOc Sacramento nil in Eccleſia eſt auguſtius, nilque excellentius, quia nil majus Chriſto, per cujus corpus & ſanguinem fideles communicantes, efficiun ur cum Chriſto veluti quid unum, propterea Sancti Patres in recenſendis ejus laudibus feſtivè triumphant. S. Ignatius Martyr ait, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe *mortis Antidotum*, *immortalitatis pharmacum*: Damaſcenus *officinam miraculorum.* S.Bernardus *Sanctum Sacramentum Sacramentorum*, *amorem amorum.* Communiter tamen vocari ſolet Sacramentum gratiæ, eò quia, fontem & Authorem gratiæ in ſe contineat, proinde legi gratiæ peculiariter fuit reſervatum, ubi Chriſtus per hoc Sacramentum ſuas nobis impertitur gratias. Sicut enim in verbi humanati nativitate melliflui facti ſunt cœli, & divinus ros in terram delapſus eam feliciſſimè irrigavit; ita cœleſte hoc manna ſumentium paſcit animos, ac nutrit, virtutumque omnium exornat floribus, ad quos effectus alludens Propheta Zacharias, vocat hoc Sacramentum *frumentum electorum & vinum germinans virgines.* Nihilominus hoc Sacramentum ab Eccleſia nituntur expungere Sectarii negantes ſub ſpeciebus Euchariſticis panis, & vini verum adeſſe corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed tantùm utriusque figuram, ut aſſerunt Calviniſtæ; & alii, non adeſſe niſi in actu manducationis, ut Lutherani; contra quos agemus.

CAPUT I.

De variis nominibus, & figuris Sacramenti Euchariſtiæ.

ADeo eſt excellens hoc Sacramentum Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ, ut Sancti Patres variis commendaverint Encomiis ac in ejus laudibus recenſendis feſtivè triumphaverint, pluribusque inſigniverint nominibus, etenim à Sancto Juſtino Martyre *in Apologia ad Imperatores, & Senatum* vocatur Euchariſtia, quaſi ſecunda menſa, quamvis ob excellentiam, quam in ſe continet, ſit omnium prima. Euchariſtia proprie ſecundùm nominis ſignificationem idem eſt, ac *bona gratia* vel *gratiarum actio*, & accommodè vocatur *bona gratia*, quia digne illam ſumentibus ſpondet vitam æternam, de qua ſcriptum eſt, *gratia Dei, vita æterna.* Præterea quia Chriſtum Dominum, qui eſt omnium chariſmatum fons, continet, eſt enim Chriſtus unigenitus à Patre, plenus gratiæ, & veritatis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. Interpretantur etiam Euchariſtiam gratiarum actionem, quia quando hanc puriſſimam hoſtiam immolamus, immenſas quotidie gratias pro univerſis in nos beneficiis à Deo collatis agimus, et præſertim pro tam excellenti bono, quod in hoc Sacramento nobis impertitur, quapropter Juſtinus Martyr. *Apolog.* 2. ait: *Et qui fratribus præeſt offertur panis, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus ſancti offert, & Euchariſtiam ſive gratiarum actiones, pro eo, quod nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, prolixè exequitur: atque ubi ille preces, & gratiarum actionem abſolvit, populus, qui adeſt omnis, fauſta approbatione acclamat, dicens, amen*: Amen *autem voce hebrea* hat *ſignificat.* S. Joannes Chryſoſtomus homil. 27. in Matth. pariter interpretatur Euchariſtiam gratiarum actionem, Hine ſolemnes illæ voces in ſacra actione, qua Euchariſtia conficitur, ſive in miſſæ ſacificio *gratias agamus Deo noſtro*, in quæ verba D. Auguſtinus *lib.* 1. *contra adverſarium legis, & Prophetarum cap.* 18. ait: *Quid eſt ſacratius laudis ſacrificium quàm in actione gratiarum? & unde majores agendæ ſunt Deo gratiæ, quam pro ipſius gratia per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum? quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio ſciunt, cujus umbræ fuerunt omnia priorum genera ſacrificiorum.* Hinc hoc nomen Euchariſtia, ſeu gratiarum actio congruitetiam iis, quæ à Chriſto Domino geſta ſunt in hoc myſterio inſtituendo, ait enim Evangeliſta *accipiens enim panem fregit, & gratias egit.* Et ab antiquis Patribus vocatur Sacramentum benedictionis, ſanctificationis, conſecrationis, & Eulogia divina, ac myſtica, quia panis, & vinum Chriſti Domini verbis, ex inſtitutione Chriſti, benedicuntur, & conſecrantur, & in illius corpus Sacroſanctum, & ſanguinem pretioſum transmutantur, ut habetur Matth. 26. *Accepit Jeſus panem, & benedixit, & fregit, deditque Diſcipulis ſuis & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.* Et S. Cyrillus Alexan-

Digitized by Google

Alexandrinus ad hoc Sacramentum ſignificandum frequenter utitur hoc nomine Eulogiæ, ut *lib. 4. in Joan. pag. 364.* ubi ait: *Quocirca nos corpus, & membra Chriſti nuncupamur, ut qui per Eulogiam ipſum in nobis ſuſcipimus filium.* Magis tamen communiter dicitur cœleſte convivium, ut à S. Ambroſio, *lib. de his qui myſteriis initiant. cap. 8.* ubi hæc habet: *Hic abluta plebs dives inſignibus ad Chriſti contendit altaria, dicens: Introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam: depoſitis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem cæleſte illud feſtinat adire convivium, venit igitur, & videns Sacroſanctum Altare compoſitum, exclamans ait: paraſti in conſpectu meo menſam.* Et S. Hieronymus *epiſt. ad Hedibiam queſt. 2.* ait: *Nec Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Jeſus, ipſe conviva, & convivium; ipſe comedens, & qui comeditur.* & *epiſt. 146. ad Damaſum* ſcribit: *Hoc convivium quotidie celebratur: quotidie Pater Filium recipit: ſemper Chriſtus credentibus immolatur.* Priſci Patres etiam vocant hoc Sacramentum menſam Domini, menſam divinam, ſpiritualem, & myſticam, quapropter ſcribit Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*, & de hoc Sacramento communiter intelligunt Patres illud Davidicum oraculum Pſal. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me.* Ita enim interpretantur Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſ. myſtagog. 9.* S. Gregorius Nazianzenus *orat. 2. in Julian.* S. Ambroſius *lib. de Elia, & jejunio cap. 10.* inquiens: *Myſtica quoque menſa jejunio comparatur: illa menſa, de qua dicit David; paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me. Menſa iſta famis acquiritur pretio, & poculum illud, inebrians ſobrietate, cæleſtium Sacramentorum ſiti quæritur.* D. Auguſtinus *tractat. 89. in Joan.* ait: *Quæ menſa eſt potentis, niſi, unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? & quid conſiderare, & intelligere, quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid eſt ſic mittere manus, ut ſcias, quia talia te oportet præparare, niſi quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere?*

Cæterum, ut diximus, Juſtinus Martyr *in Apologia ad Imperatores, & Senatum*, Euchariſtiam, ſeu cœnam hanc divinam interpretatus eſt ſecundam, quia antiqui Patres tres conſueverunt Chriſti cœnas diſtinguere, quamvis Maldonatus *in Matth. 26. v. 20.* unam tantùm cœnam aſſerat eſſe concedendam, & neget antiquam partitionem cœnarum in legalem, communem, & Euchariſticam, eò quia legalis, & communis non ſint cœnæ, ſed Paſcha, & Euchariſtia dicuntur. Verùm, quia priſci Patres, ut Tertullianus *ad uxorem*, Chryſoſtomus *homil. 82. in Matth. 26.* Auguſtinus *lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 1.* diſtinguant cœnam Chriſti in tres prærecenſitas, & rituale Hebræorum cœnam noſtram communem vocet menſam ſecundam, hinc anſam ſumpſit S. Juſtinus Martyr interpretandi Euchariſtiam ſecundam menſam. Quòd verò tres fuerint menſæ, legalis, communis, & Euchariſtia, non poteſt inficiari, ſiquidem de cœna legali, certum eſt Hieroſolymis tantùm conſueviſſe hanc celebrari, Deuter. 16. *Non poteris immolare phaſe in qualibet urbium, quas Deus tuus daturus eſt tibi, ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.* Sed Chriſtum in urbe Jeroſolymitana cœnâſſe in domo cujuſdam teſtantur Evangeliſtæ, & quamvis locus ille confusè nominetur, certum tamen eſt, fuiſſe à Chriſto deſignatum, ut notavit S. Hieronymus, & Beda *in Marcum* 14. ait: de loco hoc confusè indicato; *hic allegoricus eſt neminem nominare, ut ſe omnes ad verum Chriſti Paſcha nominatos intelligant.* Et Euthymius veriſimiliter ait: *Ne Judas, inquit, audiens, ad Judæos, vitæ Chriſti inſidiantes, locum referret, atque præveniret tempus, quo ipſe capi volebat.* Cæterum ex Sanctis Patribus alii qui aſſerunt, domum illam pertinuiſſe ad Joannem Evangeliſtam, alii ad Joſephum ab Arimathia, & alii ad Simonem leproſum, ſed hoc non ſatis apertè conſtat. Cæterum circa ritum in inſtitutione phaſe præcepit Deus, quòd, cùm ex Ægypto Iſrael excederet, ſervaturus eſſet Paſcha, ut legitur *cap. 12. Exodi.* Et rurſus injunxit Iſraelitis, ut agnum anniculum maſtarent circa introitum, & oſtium domus, & tunc excipiebant ſanguinem illius in pelvi, vel in quodam alio vaſe, & rurſus accipiebant faſciculum hyſſopi, quem intingebant in ſanguinem adhuc calentem, & aſpergebant ſuper liminare oſtii, & duas poſtes. Et quia mandaverat Deus, ut ad agni ritum etiam hœdum tollerent, nonnulli duplicem immolationem præceptam intelligant. Verùm Exodi 12. tantùm dicitur, ut cui agnus deeſſet, poſſet illius loco hœdum immolare, ut cenſent Theodoretus quæſt. 14. in Exod. Lyranus, Toſtatus & alii, qui negant fuiſſe præceptam duplicem immolationem, unde decima die juſſi fuerunt accipere agnum, quem poſtea quarta decima immolabant. Et Lyranus cenſet, quòd per illos quatuor dies explorarent, an in illo agno, vel hœdo eſſet aliqua macula, vel defectus, ob quem non deberet immolari, ſed de aliis ſibi providere. Qui verò agnum in Paſchate immolabant, non adducebant agnum in templum jugulandum à Sacerdotibus, ſed qui immolabant, edebant, ut liquet Exodi 12. ubi dicitur: *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam, & edent carnes nocte illa aſſas igne.* Qui verò cœnæ intererant, numerum denarium non debebant omnes excedere, ut refert Joſephus, inquiens: Per ſingulas hoſtias contubernia procorum, quæ decem ſunt: ſed in Chriſti cœna præter ipſum Chriſtum duodecim ſederunt, qui ſimul cœnârunt, ſcilicet Chriſtus, & duodecim Apoſtoli, quamvis alii plures ibidem interfuerint, ut refert Metaphraſtes *de vita Deiparæ*, inquiens: *Videtur non abfuiſſe tempore myſteriorum, ſed cum Apoſtolis minimè accubuiſſe; fuiſſe tamen ejus domus participem: nam Chriſtus Diſcipulos habuit accumbentes, matrem autem juſſit curam gerere mulierum, quæ ipſi miniſtrabant, tanquam per eam eas excipiens, & cum eis veſcens.* Unde vult Virginem Matrem cum reliquis mulieribus adfuiſſe quidem iiſdem ædibus, non tamen cœnæ accubuiſſe cum Apoſtolis. Quòd ſi quæratur, quo ſitu Chriſtus cum ſuis Diſcipulis cœnaverit, reſpondent plures Sancti Patres in cœna Paſchali Chriſtum ſteiſſe verum in communi, & Euchariſtia accubuiſſe, ut notat Auguſtinus de conſenſu Evangel. & in Tract. 55. in Joan. ubi recenſet hanc triplicem cœnæ diviſionem. Loti etiam ſederunt, cùm Chriſtus dixerit Petro: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* Quid verò Paſcha ſignificat, nil aliud, quàm tranſitum. Hinc Eligius homil. 4. de cœna Domini ait: *Suo Paſchate, id eſt, tranſitu ex hoc mundo ad Patrem nos de vitiis, ad virtutem de terrenis ad cœleſtia tranſire docuit.* Modum verò, quem ſervare debemus in hoc Paſchate, ediſſerit Anſelmus in *Matth. 26.* ubi ait: *Quicunque*

Digitized by Google

voluerit Paſcha Domini celebrare, debet ſequi bajulum aquæ. Aqua ſignificat gratiam Spiritus Sancti, unde dictum eſt; de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dicebat de Spiritu Sancto. Rurſus edebant plures agnum in una, eademque domo, ait enim Cæſarius Arelatenſis homil. 6. de Paſchate: *Quid eſt in una domo? id eſt, in unitate Eccleſiæ, jubemur carnes ejus aſſumere. Atavergo, & diverſæ Hæreticorum perverſitates, non in una illum comedunt domo. Quare ſicut in diluvio nemo eſt ſalvatus niſi, qui in arca Noë fuit inventus; ita diverſæ fidei homines, extra Eccleſiæ domum, non habentes agnum, qui Chriſtus eſt, ſalvi eſſe non poſſunt.* Hunc autem agnum eſſe figuram Chriſti ob ſimplicitatem, & innocentiam, & quia cùm traditur ad lanienam non vociferat, cùm tondetur, non clamat, fatentur S. Patres explicantes illud Iſaiæ 53. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Unà cum hoc agno panis comedebatur azymus, ut liquet ex *Levit.* 8. ait enim Eligius homil. 4. *de cœna Domini: Edendæ ſunt carnes iſtæ cum azymis panibus, & lactucis agreſtibus, azymum dicimus abſque abſque fermento; fermentum verò malitiam deſignat, & dolum. Abſque fermento igitur agnum comedimus, ſi ſacram Euchariſtiam, ſine malitia, ſine dolo, & ſimulatione in ſinceritate bonæ vitæ percipimus. Lactuca quoque agreſtis valde amara eſt, & in variis luxuriam reprimit; ſignificat autem, ut quando ad corpus Chriſti, qui verus agnus eſt, ſumendum accedimus, quamvis de redemptione lætemur, amaritudinem tamen ex recordatione peccatorum habeamus, ut dulceſcat ea venia, quod amareſcit ex pœnitentia.* Rurſus comedentes agnum, jubebantur renes accingere, & calceamenta habere in pedibus, & baculos tenere in manibus, ac feſtinanter comedere, in quem ritum ait Beatus Eligius homil. 14. *Agnum noſtrum comeſturi renes accingamus, id eſt, delectationes noxias, & carnalium deſideriorum fluxa reſtringamus: Calceamenta in pedibus habeamus, id eſt, operum noſtrorum greſſus exemplis Sanctorum Patrum muniamus: & baculos, opus eſt, manibus teneamus, ut in cunctis, quæ agimus, timorem Dei velum præ oculis tenentes, ſecundùm ipſum opera noſtra dirigi poſtulemus. Nec prætereundum, quod dicitur, comedetis feſtinanter, ſiquidem feſtinantes Paſcha comedimus, cùm nos hic non habere certam manſionem recolentes, tanquam incolæ ſuper terram, & peregrini feſtinemus ad cœleſtem patriam.* Præterea caput unà cum pedibus vorandum erat, quia, ut ait Cæſarius Arelatenſis homil. 6. *de Paſcha, ut Deum, & hominem pari Confeſſione veneremur, caput accipiamus de eo, quod dicit Beatus Joannes: In principio erat verbum: pedes verò de eo, Apoſtolus ſcribit, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus &c. Oportet ergo, ut noſtri agni carnalibus ſuccinctis lumbis, id eſt, mortificatis carnalibus paſſionibus, cum ſumma cordis, & corporis puritate caput cum pedibus, id eſt, & ex Deo genitum credamus, & ex homine procreatum.* Oſſa itidem abſumebantur igne, quia, ut ait Gregorius Nyſſenus *de vita Moyſis*, duo ſunt præceptorum genera, nam alia ejuſmodi ſunt, ut poſſibile ſit nobis ea planè intelligere, probabilemque de ipſis rationem reddere: hæc neque coactè, neque ignaviter pertractare debemus, ſed ut ad bonam nobis hic cibus valitudinem animæ prodeſſe poſſit: alia ſic latent, ut duriora ſint, quàm ut planè intelligere, vel reddere rationem queamus; ut ſi quæreres, quænam ſit ſubſtantia Dei, quæ ſit neceſſitas eorum, quæ ſunt, aliáque plurima, hæc omnia Spiritui S. relinquemus, qui Dei profunda inveſtigat, & ſcit. Nam ignis in ſacris litteris plerumque pro Spiritu S. ponitur.

Secunda cœna, quæ communis, ſeu vulgaris dicitur, ad quam Chriſtus cum Diſcipulis ſuis accubuit, ut innuit S. Chryſoſtomus homil. 82. *in Matth.* quomodo ii Paſcha comedebant adverſus legem recumbentes? dicere poſſumus, quia poſtquam comederunt Paſcha, ad cœnandum recubuerunt. Priùs igitur Paſcha, quod erat legalis cœna, ſtantes comedebant agnum, & in ſecunda cœna Chriſtus recumbens tradidit ſuum Sacramentum. Primum enim Paſcha perfecit figuralia, ſecundum complevit verum. Lecti ſtabant diſpoſiti in cœnaculo circum menſam, in quos illi poſitis ſoleis loti, undique cum cœnatoria veſte aſcendebant ad menſam accubituri. Proni deinde pectus pulvino fulti procumbebant in veſtem: Supini erant interdum, & aliquando ſitu ſedentium. Pro pulvino Chriſto erat Joannes. Ut loquitur Ambroſius in *Lucam* 15. Nonne tibi videtur Chriſtum cecidiſſe in collum Joannis, quando erat Joannes in ſinu Jeſu cervice recumbens reflexa, & ideo verbum apud eum vidit, qui erectus eſt ad ſuperna. Rurſus Evangeliſta ait, quòd cœna facta ſurrexerit Chriſtus ab illa, ubi Lyranus aſſerit, non eſſe id intelligendum, quòd totaliter abſoluta, & completa fuerit cœna, quia poſtea dicitur, *cùm recubuiſſent*; ſed tantùm quod facta erat, quantum ad comeſtionem agni Paſchalis, hinc Auguſtinus *Tract.* 55. *in Joan.* ait: *Non ita debemus intelligere, cœnam factam, veluti jam conſummatam, atque tranſactam: adhuc enim cœnabatur, cùm Dominus ſurrexit, & pedes lavit Diſcipulis ſuis: nam poſtea recubuit, & buccellam ſuo traditori poſtea dedit, utique cœna nondum finita: id eſt, dum adhuc panis eſſet in menſa: cœna ergo facta, dictum eſt, jam parata eſt, & ad convivantium menſam uſuſque perducta.* Deinde præcinctus miſit aquam in pelvim, & cœpit pedes lavare Diſcipulorum, ait Clemens *conſtit. cap.* 19. *Cum enim accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deinde fudit aquam in pelvim, & nobis menſæ accumbentibus acceſſit ad nos, & noſtros omnium pedes lavit, & linteo terſit*, unde illi, cùm adhuc accumberent menſæ, nondum ſurrexerunt. Sed ſolus Chriſtus loco ſe movit, ut pedes Diſcipulorum lavaret, inter quos etiam fuit Judas, unde Auguſtinus *tractat.* 25. *in Joan.* ait: *Illi non dedignatus eſt, pedes lavare, cujus manus videbat in ſcelere*, & paulò infra ſubdit: *Paſſurus exitia præmiſit obſequia, non ſolùm pro quibus erat ſubiturus mortem, ſed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem.* Huic tamen lotioni reſtitit Petrus, inquiens: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, quæ verba expendens Auguſtinus ait: *Tu mihi? quid es tu, quid eſt mihi? cogitanda ſunt? potiùs quàm dicenda, ne forte, quod ex iis verbis aliquatenus dignum concepit anima, non explicet lingua.* Poſt lotionem iterum Chriſtus recubuit, & ſermonem habuit ad Diſcipulos.

Tertia cœna dicitur Euchariſtica ex communi ſententia ſanctorum Patrum, & in hac cœna panis Azymus fuit appoſitus, non enim in ſacris ſcripturis fit mentio de fermento, neque unquam fermentum in bonum ſumitur ſecundum 1. *Corinth.* 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, & iterum; *expurgate vetus fermentum*, quia fermentum continet aliquid vitii, quod indiget purgationem. Et paulò poſt ſubjungit Apoſtolus: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento nequitiæ, & malitiæ*: quapropter ap. Matth. jubentur Diſcipuli à fermento Phariſæorum cavere: *Cavete à fermento Phariſæorum*, ſeu à malitia & vitiis Phariſæorum, & ſicut fermentum in malam partem ſumitur, ita azymum virtutem ſigni-

Digitized by Google

significat, ut apud Apostolum: *Epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Hinc Romana Ecclesia à Ministris sacri Altaris offert azymum ex grano frumenti, & limpida aqua per ignem præparatum. Christus igitur cùm accepisset panem azymum in manus, oculis elevatis in cœlum, Deo Patri gratias egit pro donis, & benedixit, ut recordemur post beneficia suscepta debitas rependere grates Deo. Postea dedit Discipulis suis. Judam autem proditorem fuisse exclusum à cœna Eucharistica, plures affirmant Sancti Patres, præsertim Clemens Romanus asserens, se cœnæ illi Eucharisticæ interfuisse *lib. 8 constitut. Apostol. cap. 13.* ait: *Cùm autem tradidisset nobis mysteria pretiosi corporis, & sanguinis abjecto Juda.* Clementi adhæret Dionysius Areopagita *lib. de Hierarch. Eccles. cap. 3.* ubi ait: *Ipse author symbolorum justissimè subtrahit eum, qui non sanctè, neque pari mentium similitudine sacra concœnaverat:* Siquidem Judas sacra, seu Pascha cum azymis, & lactucis subtrahit à cœna dominica, sacroque suo corpore non impertit, quapropter S. Maximus expendens verba Areopagitæ ait: *Judam intelligit, & significat, quod illi impertierit mysticum panem, & poculum: mysteria verò Discipulis post Judam à cœna dejectum, quasi eorum indignus ille extiterit.* Et S. Hilarius *can. 30. in Matth.* ait: *Post quæ Judas proditor indicatur, sine quo Pascha, accepto calice, & fracto pane, conficitur, dignus enim æternorum Sacramentorum non fuerat.* Neque desunt alii Sancti Patres hoc idem adstruentes. Christus igitur communicavit, & se sibi impertiit, unde Basilius in Anaphora loquens de calice ait: *Benedixit, sanctificavit, & gustavit, & divisit Discipulis suis.* Et D. Hieronymus *ad Hedibiam quæst. 2.* ait: *Dominus JESUS Christus ipse convivium, ipse comedens, & qui comeditur.* & hæc est illa mensa, quam Sancti Patres vocant divinam, spiritualem, & mysticam, & panis vocatur etiam vita vitæ, quia de cœlo descendit, estque panis Angelorum, panis supersubstantialis, panis in Bethlehem natus, ut ait S. Hieronymus *lib. 5. Comment.* & S. Cyprianus *lib. de orat. dominica* ait: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ut, qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidiè ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, non communicantes à cœlesti pane prohibeamur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante, & monente, ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi, si quis ederit de meo pane, vivet in æternum.* Quinimò aliquando vocatur fractio panis, & intelligitur de Eucharistia Actor. 2. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quod etiam legitur *Luc. 24. Et cognoverunt eum in fractione panis,* quæ verba expendens D. Augustinus *tractat. 2. in epist. Joan.* ait: *Eum non cognoverunt, nisi in fractione panis. Et verè, qui non sibi judicium manducat, & bibit, in fractione panis Christum agnoscit,* & Apostolus expressè hoc idem adstruit, inquiens: *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est,* ad quod alludens S. Ignatius Martyr. *epist. ad Ephes.* ait: *Unum panem frangentes, seu pharmacum immortalitatis.* Rursus à Sanctis Patribus vocatur *Sacramentum fidelium, mysterium fidei, & Christianæ Religionis arcanum.* Quia nimirum infidelibus, & Catechumenis ejus notitia abscondebatur, ut major reverentia divinis mysteriis servaretur, & ut Catechumeni ardentius desiderarent hoc pane vesci, & majori devotione ad illum suscipiendum se pararent, & ad Baptismum satagerent festinare, quo mererentur mysteriorum communicationem, & ut præceptum Domini, prohibentis dare sanctum canibus, & projicere margaritas ante porcos, servaretur. Unde S. Ambrosius *de obitu Satyri fratris* ait: *Quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit: non, ut curiosius oculos insereret arcanis, sed ut fides sua consequeretur auxilium.*

Cæterum magis vulgato nomine Sacramentum Eucharisticum dicitur communio, quia per Eucharistiam reipsa participes sumus Corporis, & Sanguinis Christi, non solùm voluntate, & affectu, sed etiam veritate, & effectu, quatenus realiter, & substantialiter cum ipso conjungimur, & commiscemur unum corpus facti cum ipso, & una caro: hæc communicatio unionis desumpta est ex Apostolo 1. Corinth. 10. ubi ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Et S. Cyprianus ex Apostolo idem nomen usurpat *Epist. 54.* inquiens: *At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamur.* Eucharistia etiam corpus, & sanguis Domini dicitur à Sanctis Patribus, eò quia Christus instituens hoc Sacramentum dixerit: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, accipite, & bibite, hic est sanguis meus,* quapropter moris fuit, ut Sacerdos Eucharistiam porrecturus fidelibus ad eorum fidem, & pietatem excitandam, alta voce pronuntiaret verba illa: *Ecce Corpus Christi:* & ipsi fideles responderent *Amen,* seu verum est, ut refert S. Cornelius Papa, & Martyr *epist. ad Fabium Antiochenum Episcop. apud Euseb. lib. 6. histor. Eccles. cap. 43.* S. Dionysius Alexandrinus *epist. ad Sixtum,* apud Eusebium *lib. 7. cap. 5.* & alii plures Sancti Patres, ut Cyrillus Hierosolymitanus *Catechef. mystagog. 5.* S. Ambrosius *lib. de his qui mysteriis initiant. cap. 9.* Tertullianus *lib. de resurrect. carnis cap. 8.* S. Cyprianus *epist. 63. ad Cæcilium.* S. Hieronymus *epist. 1. ad Heliodorum,* & alii plures hoc idem referunt. Vocabatur etiam hoc Sacramentum Sanctum Domini simpliciter, eò quia verum Christi Corpus, & Sanguinem contineant, est enim Christus Sanctus Sanctorum, & fons totius sanctitatis, & hæc nomina usurpant etiam Sancti Patres, præsertim S. Cyprianus *lib. de lapsis,* ubi ait: *Ubi ab aris diaboli revertentes ad sanctum Domini sordidis, & infectis nidore manibus accedunt.* Et Tertullianus *lib. de spectaculis cap. 25.* ait: *Quale est ex ore, quo amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere.* Vocatur etiam hoc Sacramentum *gratia,* non solùm, quia per ipsum gratia nostris diffundatur in cordibus: verum etiam, quia Christum continet authorem gratiæ, qui suum ipse Corpus, & sanguinem, animam, & divinitatem, sub sacris speciebus communicat. Ut S. Cyprianus *lib. de lapsis* inquit: *Documento unius ostensum est, Dominum recedere cum negatur; nec merentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur.* Dicitur etiam hoc Sacramentum *vita,* eò quia Christum contineat, qui est Author vitæ, dixit enim de seipso Christus: *Ego sum panis vivus, qui manducat meam carnem, vivet in æternum.* Hinc D. Augustinus *lib. 1. de peccator. merit. & remiss. cap. 26.* ait: *Optimè Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam salutem & Sacramentum Corporis Christi, nihil aliud, quam vitam vocant. Unde? nisi ex antiqua, ut existimo, Apostolica traditione*

Voca-

Vocatur etiam Euchariſtia ſpiritualis eſca, & ſpiritualis alimonia, eò quia Chriſtus ſuo corpore in Euchariſtia contento nos ſpiritualiter nutrit ad vitam æternam, & animas noſtras alit, & vitam ſpiritualem ſuſtentat. Hinc D. Ambroſius *de his, qui myſteriis initiantur cap.* 9. ait: *In illo Sacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti, non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritualis eſt.* Et Sanctus Cyrillus Alexandrinus *lib.* 4. *in Joan.* ait: *Spiritum hic ipſam carnem nuncupavit, non quia naturam carnis amiſerit, & in ſpiritum mutata ſit: ſed quia ſummè cum eo conjuncta, totam vivificandi vim hauſit*, & Apoſtolus loquens de typo hujus Sacramenti ait: *Patres noſtri eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt.* Vocatur etiam Sacrificium, quia in eo Chriſtus pro totius mundi redemptione in cruce ſemel oblatus incruenta ratione offertur, & hæc ipſa oblatio nobis applicetur, hoc pacto vocant Sacrificium Euchariſtiam Cyrillus Hieroſolymitanus *cate. beſ. myſt agog.* 5. S. Auguſtinus *lib.* 15. *de civit. Dei c. p.* 16. & alibi. Quinimò dicitur Euchariſtia ab aliis Patribus etiam pretium noſtrum, eò quia contineat idem corpus, quod pro noſtra redemptione in cruce immolatum effudit ſanguinem, ſeu pretium noſtræ redemptionis. D. Auguſtinus *lib.* 9. *confeſſion. cap.* 12. ait: *Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea ſacrificium pretii noſtri, jam juxta ſepulchrum poſito cadavere, neque meis precibus, ego flevi.* Quinimò plerumque vocatur Sacramentum Sacramentorum, ut à S. Dionyſio *lib. Eccleſ. Hierarch. cap.* 2. hac ratione paſſim à fidelibus Euchariſtia vocatur *Sanctiſſimum Sacramentum*, & D. Auguſtinus *epiſt.* 54. vocat *Euchariſtiam magnum Sacramentum*, in quo tria conſiderantur ab Hugone à S. Victore, & Magiſtro ſententiarum, ac reliquis Theologis unum, quod eſt Sacramentum tantùm; alterum, quod eſt ſimul res, & Sacramentum; & tertium, quod eſt res tantùm, & non Sacramentum, ex quibus tribus Sacramentum tantùm, ſignificat ſpecies viſibilis panis, & vini: ea enim ſpecies, eſt ſignum alicujus rei, ut non ſit res ſignificata, & in Euchariſtia, ſignificat Corpus Chriſti verum, quod ſub illa continetur, & præterea Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, res ſimul, & Sacramentum eſt myſticum Chriſti Corpus, quod in hoc Sacramento non continetur, ſed ſignificatur tantùm, ſeu eſt ipſa gratia inviſibilis, quam Euchariſtia virtute continet, quamque ex ipſa hauriunt, qui dignè illam ſuſcipiunt. Hinc ſpecies viſibiles panis, & vini verè dicuntur Sacramentum, eò quia contineant rem ſacram, ſeu corpus, & ſanguinem Chriſti, quamvis Corpus, & Sanguis Chriſti, quatenus exiſtunt ſub viſibilibus panis, & vini ſpeciebus, dicantur etiam propriè Sacramentum, ut declarat Concilium Tridentinum *Seſſ.* 13. *cap.* 5. *can.* 6. ubi ait: *Omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latria cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant*, nomine autem Sacramenti non intelligit ſpecies panis, & vini, & ipſum Chriſti Corpus, & Sanguinem ſub illis, quapropter ait Tridentina Synodus Chriſtum unigenitum Dei Filium in Sancto Euchariſtiæ Sacramento adorandum. Et quamvis in hoc Sacramento duæ ſint res ſenſibiles diſtinctæ, cujuſmodi ſunt panis, & vinum, non tamen ſunt duo Sacramenta, ſed unum tantùm, eò quia hoc Sacramentum ſe habeat per modum convivii, in quo panis, & vinum non conſtituunt plura convivia, ſed unum tantùm. Præterea, quia hoc Sacramentum unum corpus myſticum ſignificat, unde ut conveniat rei, quam efficit, oportet unum eſſe; unum quidem, non quia individuum ſit, ſed quia habet unius rei ſignificationem, unde D. Thomas 3. *part. quæſt.* 63. *art* 2. ait: eſſe unum Sacramentum tantùm, quia ordinetur ad unam refectionem ſpiritualem, quapropter proportionem, quam habet cum corporali, ad quam cibus, & potus concurrunt per modum unius convivii, ita in Euchariſtia panis, & vinum, concurrunt per modum unius ad integrandum convivium ſpirituale, ait enim D. Thomas *loc. cit.* & ideo etiam ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, ſcilicet ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus, ſecundùm illud Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Quamobrem hoc Sacramentum poteſt tantùm dici multiplex ratione materiæ remotæ, ſeu panis, & vini, ut ſunt res quædam. Sin verò ſpectetur ſignificatio, perfectio, & finis, eſt tantùm unum Sacramentum, quia ambæ res adhibentur ad unam, eandemque animæ refectionem. Demum Euchariſtia vocatur etiam viaticum, quia eſt ſpiritualis cibus, quo in hujus vitæ peregrinatione ſuſtentamur, & adumbratur per panem, de quo Angelus Domini dixit Eliæ: *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via: qui, cùm ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb.* Panem Euchariſticum qui comedit, corroboratur, viribus augetur, ut rectè, & proſperè poſſit ambulare per viam ſalutis uſq; ad montem Dei Horeb, ſeu ad cœleſtem gloriam. Viam enim nobis communit ad æternam gloriam, & felicitatem, unde ex veteri Eccleſiæ inſtituto cavetur, ut nemo fidelium ſine hoc Sacramento è vita excedat, & ita ſancitum fuit in Concilio Niceno *can.* 13.

Quòd verò ad figuras pertinet hujus Sacramenti, comprehendentis tantùm panem, & vinum prima, & potiſſima figura fuit oblatio Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit: Sin verò ſpectetur, quòd res eſt Sacramentum, ſcilicet Corpus Chriſti verum, quod pro nobis fuit in Cruce paſſum, & immolatum, plures fuerunt figuræ in veteri Teſtamento, hujus Sacramenti Euchariſtiæ in novo ſcilicet omnia ſacrificia: Sin verò ſpectetur, quod eſt res tantùm, ſeu effectus hujus Sacramenti, præcipua ejus figura fuit manna, quod omnem includebat ſaporem: Gratia enim hujus Sacramenti quantum ad omnia, reficit mentem: ſed agnus paſchalis præcipua fuit, & magis expreſſa hujus Sacramenti figura, quia in ipſo exactius repræſentatur, quantum ad id, quod eſt Sacramentum tantùm, quia manducabatur agnus in veteri lege cum panibus azymis, ſecundùm illud *Exod.* 12. *Edent carnes, & azymos panes.* Quantum ad id, quod eſt res, & Sacramentum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſrael decima quarta luna, & fuit figura paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur agnus; quantùm verò ad effectum, quemadmodum per ſanguinem agni paſchalis protecti ſunt filii Iſrael ab Angelo devaſtante, & educti de Ægyptiaca ſervitute, ita per gratiam, quæ nobis confertur in hoc Sacramento, protegimur à Dæmone inſultante, & educimur de ſervitute peccati ad libertatem gratiæ; unde agnus paſchalis præcipua fuit hujus Sacramenti figura; quia ſecundum omnia ipſum repræſentat, quapropter Apoſt. 1. *ad Cor.* 7. ait: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Itaq; epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Totũ hunc ritum comedendi agnum paſchalem egregiè expendit S. Greg. & confert cũ Sacramento Euchariſtiæ, ponderat ipſe moris fuiſſe veſpere, ac nocte comedere

carnes

carnes agni Paſchalis; ait Evangeliſta: *Et edent carnes nocte illa aſſas igni*; in quæ verba ait D. Gregorius Homilia 22. in Evangelia: *Quid ſit ſanguis Agni, non jam edendo, ſed bibendo didiciſtis. In nocte agnum comedimus, quia in Sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad invicem noſtras conſcientias non videmus, ſed ſola Redemptoris noſtri præcepta Sacramenta ad veram ſolemnitatem mentis non ſufficiunt, niſi eis quoque, & bona opera jungantur. Quid enim prodeſt corpus, & ſanguinem illius ore percipere, & ei perverſis moribus contraire? Unde bene adhuc ad comedendum ſubditur, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. Panis quippe ſine fermento comedit, qui recta opera ſine operatione vanæ gloriæ exercet, qui mandatum miſericordiæ ſine admixtione peccati exhibet; ne perverſe diripiat, quod quaſi rectè diſpenſat. Lactucæ verò agreſtes valde amaræ ſunt. Carnes ergo agni cum lactucis agreſtibus ſunt edendæ, ut cùm corpus redemptoris accipimus, nos pro peccatis noſtris in fletibus affligamus, quatenus ipſa amaritudo pœnitentiæ abſtergat à mentis ſtomacho, perverſæ humorem vitæ, de quo adhuc rectè ſubjungitur. Caput cum pedibus & inteſtinis vorabitis. Caput Chriſti Deus eſt, caput ergo agni vorare perinde eſt, ac divinitatem illius fide percipere. Pedes verò agni vorare, eſt veſtigia humanitatis ejus amando, & imitando perquirere. Quid verò ſunt inteſtina, niſi verborum illius occulta, & myſtica mandata? quæ tunc voramus, cum aviditate ſumimus, in quo devorationis verbo, quid aliud quam pigritia noſtra torpor reprehenditur? qui ejus verba ac myſteria & per noſmet ipſos non requirimus, & dicta ab aliis audimus inviti. Non remanebit ex eo quidquam, uſque ad mane, quia ejus dicta magna ſunt ſollicitudine diſcutienda, quatenus, priusquam dies reſurrectionis appareat, in hac præſentis vitæ nocte, omnia illius mandata intelligendo, & operando penetrentur. Sed quia valdè difficile eſt, ut omne ſacrum eloquium poſſit intelligi, & omne ejus myſterium penetrari, rectè ſubjungitur. Si quid autem remanſerit, igne comburetis. Quod ex agno remanet, dicimur igne comburere, quando hoc, quod de myſterio Incarnationis ejus intelligere, & penetrare non poſſumus, poteſtati Sancti Spiritus humiliter reſervamus, ut non ſuperbè quis audeat, vel contemnere, vel denuntiare, quod non intelligit, ſed hoc igni tradit, cùm Spiritui Sancto reſervat. Qui paſcha comedit, habere renes accinctos debet: ut qui ſolemnitatem reſurrectionis, atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla ſubjaceat, voluptates edomet, carnem à luxuria reſtringat. Subditur, calceamenta habebitis in pedibus. Quid ſunt enim pedes noſtri? niſi opera? quid verò calceamenta? niſi pedes mortuorum animalium? calceamenta autem pedes muniunt: quæ verò ſunt mortua animalia, ex quorum pellibus pedes noſtri muniuntur, niſi antiqui Patres, qui nos ad æternam patriam præceſſerunt, quorum, dum exempla conſpicimus, noſtri operis pedes munimus, calceamenta ergo in pedibus habere, eſt mortuorum vitam conſpicere, & noſtra veſtigia à peccati vulnere cuſtodire. Tenentes baculos in manibus, quid lex per baculum? niſi paſtoralem cuſtodiam deſignat? & notandum, quod prius præcipimur renes accingere, & poſtmodum baculos tenere; quia illi debent curam paſtoralem ſuſcipere, qui jam in ſuo corpore ſciunt fluxa luxuriæ edomare: ut cum aliis fortia prædicant, ipſi deſideriis mollibus enerviter non ſuccumbant.* Egregiè S. Gregorius *præfata homil. 12.* expendit ritum veteris legis comedendi agnum paſchalem, eumque confert cum agno Evchariſtico novæ legis, quo ſpiritualiter veſcimur, & nutrimur. Significat ritus ille comedendi agnum paſchalem, Chriſtianos, ut peregrinos in hoc mundo, debere ſe gerere terrenis omnibus ut viatores, ac nulli rei creatæ inhærere *Manſoria dilectione*, ut ait D. Auguſtinus, ſi velint Chriſti veri agni carnem in Euchariſtiæ Sacramento dignè manducare. Quòd in veteri lege conſueverint Iſraelitæ, non niſi feſtinantes comedere, *& comedetis feſtinanter*, per hoc debent Chriſtiani agnoſcere mandata Dei, & myſteria Redemptionis, & cœleſtis patriæ gaudia, & quidem cum feſtinatione, ac præcepta vitæ adimplere, quia, tametſi hodie nobis liceat benè agere, utrum cras licebit, prorſus ignoramus. Feſtinantes ergo paſcha comedimus, ſi ad ſolemnitatem patriæ cœleſtis anhelamus.

CAPUT II.

An Evchariſtia ſit verum Sacramentum novæ legis, & quo tempore à Chriſto inſtituatur.

ALbanienſes, ut refert Prateolus *Lib. 1. de vitiis, & ſectis Hæreticorum num. 9.* inficias iverunt utilitatem Evchariſtiæ, aſſerentes nihil ſumentibus prodeſſe, neque obeſſe, hinc negarunt, Evchariſtiam eſſe cauſam gratiæ, proindè inficiati ſunt, eſſe verum Sacramentum novæ legis, de cujus ratione eſt, ut ſit ſignum ſenſibile cauſativum gratiæ, ſed aſſerendum eſt, Evchariſtiam eſſe verum ac proprium Sacramentum legis evangelicæ, inſtitutum à Chriſto, & hoc eſſe fidei dogma, ac fuiſſe definitum ſub anathemate in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. de Sacramentis in genere*, & *in cap. ad abolendam de Hæreticis*, ut etiam *in decreto Eugenii IV. de unione Armenorum*, ac in plerisque aliis Conciliis, præſertim *Africano ſub Bonifacio I. cap. 2. num. 4.* Conſtantienſi *ſeſſ. 13.* Baſilienſi *ſeſſ. 30.* Senonenſi *decreto 10.* Colonienſi *part. 7. cap. 14.* Carthaginenſi III. *in cap. de Sacramento & conſecrat. diſt. 2.* & hoc fuit etiam definitum ab Innocentio III. *in cap. firmiter. de ſumma Trinitate.* Rurſus Sancti Patres unanimi conſenſu hanc eandem docuerunt veritatem, ut Sanctus Dionyſius *Lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 3.* S. Ambroſius *Lib. 5. de Sacramentis.* D. Auguſtinus *Lib. de Eccleſiaſt. dogmat.* & *Lib. 50. homiliar. homil. ult.*

Ratio evincens hujus dogmatis veritatem deſumitur ex ipſa definitione, & eſſentia Sacramenti novæ legis, quia omne ſignum ſenſibile inſtitutum à Chriſto ad hunc finem, ut ſit vitæ ſpirituali ſubſidio, eſt Sacramentum legis evangelicæ: atqui Evchariſtia fuit à Chriſto inſtituta in ſubſidium vitæ ſpiritualis, quod eſt probatu facile ex analogia vitæ ſpiritualis & corporalis, ut obſervavit

D. Thomas, quia sicut ad vitam corporalem præter generationem & augmentum desideratur adhuc corporalis cibus, quo corpus reficiatur, & vires instaurentur, ac homo conservetur, ita ad vitam spiritualem, præter regenerationem, quæ habetur per baptismum & augmentum, quod recipitur beneficio Sacramenti confirmationis, requirebatur Eucharistia, ut spiritualis cibus, & alimentum animæ, propterea inficiari non possumus, Eucharistiam esse verum ac proprium Sacramentum legis evangelicæ. Firmari etiam potest nervose ex ipsa ratione Sacramenti: etenim ad rationem Sacramenti duo requiruntur, quorum primum est, ut sit signum sensibile: secundum, quòd hoc idem signum causativum gratiæ sit à Christo institutum in subsidium vitæ spiritualis, seu in ordine ad causandam gratiam sanctificantem, atqui hæc duo verè & propriè conveniunt Eucharistiæ, quia est signum sensibile causativum gratiæ, & rursus Eucharistia instituta est à Christo in subsidium vitæ spiritualis, seu ad augendam gratiam sanctificantem, ut colligitur de fide ex illo Joann. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* ergo Eucharistia est verum ac proprium Sacramentum legis evangelicæ.

In oppositum tamen urget difficultas, quia de ratione Sacramenti est efficere, quod significat, siquidem omne Sacramentum significat gratiam, quam efficit, sed Eucharistia non efficit, quod significat; siquidem significat corpus, & sanginem Christi, ut liquet ex verbis consecrationis: *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*, accidentia enim, quæ ante consecrationem significabant panem & vinum, determinantur, ut sint signa corporis, & sanguinis Christi: sed Eucharistia, quamvis significet: non tamen efficit corpus & sanguinem Christi, propterea non videtur esse Sacramentum.

Respondetur omissis variis minus efficacibus solutionibus, quæ videri possunt *in mea theol. specul. tom. 8. disp. 8. sec. 1.* concessa majori, negando minorem: quia dupliciter intelligitur, Sacramentum Eucharistiæ causare corpus Christi sub speciebus Eucharisticis. Primò ratione verborum consecrationis, *Hoc est corpus meum*: hæc enim forma constituit Sacramentum, seu signum sensibile significativum, & causativum gratiæ, & simul causat præsentiam corporis Christi sub accidentibus panis: verba igitur consecrationis, quatenus sunt causa formalis constitutiva Sacramenti, sunt priùs naturâ, quàm ipsum Sacramentum, consequenter sunt etiam prius prioritate naturæ, quam præsentia corporis Christi, in eodem Sacramento, ex quo comodè intelligimus, quomodo verba consecrationis, ut præcisè sunt causa formalis constitutiva Sacramenti Eucharistiæ, causent præsentiam corporis Christi sub accidentibus Eucharisticis, secundò quia hoc Sacramentum causat Christi corpus in Eucharistia, quantum ad moralem rationem signi; quia, cùm corpus Christi sit in hoc Sacramento res, & Sacramentum simul, ut comuniter docent Theologi cum D. Thoma, significat gratiam conferendam dignè hoc Sacramentum sumentibus, quam nullo pacto significaret, nisi in Sacramento contineretur, adeo ut ab ipso Sacramento habeat corpus Christi hanc significationem, ratione cujus dicitur causari à Sacramento, non ratione propriæ entitatis, aut alicujus effectus physici; sed quantùm ad moralem rationem signi, seu in ratione significandi gratiam conferendam dignè suscipientibus hoc Sacramentum: sicut in Sacramento pœnitentiæ, quamvis contritio, quæ est res & Sacramentum simul, non sit effectus Sacramenti Pœnitentiæ, quantum ad suam entitatem: est nihilominus effectus illius, quantum ad rationem signi, quia contritio, cum sit de se insensibilis, nequit esse signum sensibile gratiæ sanantis, nisi potestativè per actus externos confessionis, & absolutionis constituentes Sacramentum pœnitentiæ.

Sed instabis, quia de ratione Sacramenti novæ legis est significare, & causare gratiam, qua justificamur: Sed Eucharistia non significat, nec causat talem gratiam, consequenter non est Sacramentum novæ legis. Consequentia rectè infertur, quia à negatione definitionis ad negationem definiti valet illatio. Minor ostenditur, quia Sacramentum Eucharistiæ significat corpus Christi contentum sub illis speciebus Eucharisticis. Respondent aliqui cum Scoto *in 4. dist. 8. vers. 8.* Verum esse, Eucharistiam non significare gratiam, qua justificamur: sed tantum Christum præsentem sub speciebus Eucharisticis, non tamen exinde sequi, Eucharistiam non habere rationem Sacramenti novæ legis, nec convenire cum cæteris Sacramentis; & assignant rationem; quia gratia, quæ significatur & causatur à Sacramentis legis evangelicæ, non est gratia strictè sumpta, pro gratia justificante, inhærente animæ, quam sanctificat, sed asserunt, esse sumendam laxe pro effectu Dei gratuito: & quia existentia corporis Christi sub speciebus panis est effectus Dei gratuitus, ideo est illa gratia sufficienter significata, & causata per Sacramentum Eucharistiæ, verum hæc responsio videtur adversari Concilio Tridentino *sess. 1. can. 6.* ubi expressè definit, Sacramenta novæ legis continere gratiam, quam significant, & illam conferre non ponentibus obicem, sed ritè suscipientibus Sacramenta: sed hæc gratia, de qua loquitur Concilium, nequit alia esse, quàm gratia sanctificans, inhærens animæ, quam formaliter sanctificat, quia est gratia comunis cæteris Sacramentis novæ legis, & præter Eucharistiam cætera Sacramenta non continent, neque significant corpus Christi: ergo, cùm gratia, de qua loquitur Concilium, sit comunis omnibus Sacramentis novæ legis, sequitur, Eucharistiam præter corpus Christi continere, & causare gratiam sanctificantem, neque ullius est momenti, quod respondent aliqui, definitionem Concilii non esse universalem, sed indefinitam, consequenter posse sub eadem definitione excipi Eucharistiam, non quantum ad causalitatem gratiæ, cum etiam Eucharistia hanc causet; sed quantum ad significationem, nam contra est, quia juxta comunem regulam, quam ex Sanctis Patribus tradunt Theologi, propositiones doctrinales in Conciliis æquivalent universalibus, unde nulla suppetit ratio, qua sit excipienda Eucharistia ab illa indefinita propositione Concilii. Præterea si Eucharistia non significaret gratiam justificantem, eam non posset continere, neque causare; quia causalitas Sacramentorum non potest excedere eorundem significationem. Præterea ex data solutione non probatur, Eucharistiam esse Sacramentum, quia non omne signum rei sacræ vel doni gratuiti est Sacramentum, quia, ut docet D. Augustinus Lib. 1. de civit. cap. 1. Omnia sacrificia veteris legis

Digitized by Google

fuiſſent ſacramenta, ſiquidem fuerunt & ipſa ſigna rei ſacræ, ſeu ſacrificii cruenti, quod Chriſtus in ara crucis obtulit Patri Omnipotenti; & quòd ſacerdotes incruentè quotidie offerunt in altari. Rurſus ſerpens æneus ſignificavit etiam Chriſtum crucifixum, & Salvatorem futuri ſæculi. Manna in deſerto etiam ſignificavit ſacramentum Evchariſtiæ, hæc enim, & alia id generis, fuerunt ſigna rei ſacræ, quamvis non fuerint ſacramenta. Quamobrem de ratione ſacramenti eſt, quod ſit ſignum ſenſibile rei ſacræ, non utcunque, ſed nos ſanctificantis formaliter, cujusmodi eſt gratia ſanctificans, inhærens animæ, quam formaliter ſanctificat.

Ob hanc rationem plerique reſpondent Evchariſtiam eſſe dupliciter conſiderandam. Primò ſecundùm rationem genericam. Secundò ſecundùm ſpecificam, & aſſerunt juxta rationem genericam cauſare gratiam ſanctificantem, non ita ſecundùm ſpecificam, quod tantùm ſignificat corpus & ſanguinem Chriſti, volunt id non eſſe inconveniens, cùm etiam homo ſecundùm rationem genericam dicat gradum ſenſibilitatis, & ſecundùm ſpecificam gradum rationalitatis. Unde Evchariſtia in hac ſententia convenit univocè cum aliis Sacramentis novæ legis in gradu generico, quo perinde ac cætera Sacramenta ſignificat, & cauſat gratiam ſanctificantem; & differt per gradum ſpecificum, quo ſignificat, & cauſat præſentiam corporis Chriſti ſub accidentibus Evchariſticis. Sed contra. quia differentia ſpecifica ex ſua propria ratione habet ſpecificare, ac determinare gradum genericum, ſecundùm propriam rationem ipſius generis, proinde, ſi de ratione generica Evchariſtiæ, & cujusvis alterius ſacramenti eſt ſignificare, ac curare gratiam ſanctificantem; differentia ſpecifica debet determinare ad ſignificandum ſpecialem gradum ejusdem gratiæ; perinde ac in homine, in quo ratio ſpecifica, ſeu differentia contrahit ac determinat rationem genericam animalitatis, ut ſit adnexa rationalitati, ac homini.

Reſpondetur igitur exactiùs, ſi dicamus, Evchariſtiam etiam ſecundùm eſſe ſpecificum ſignificare, & cauſare gratiam ſanctificantem, inhærentem animæ, eamque conſtituentem formaliter ſanctam; quia licèt Euchariſtia ſignificet corpus, & ſanguinem Chriſti; non tamen ſimpliciter: ***Hoc eſt corpus meum;*** ſed ut corpus eſt hoſtia immolata, additur enim: ***quod pro vobis tradetur***; & etiam quatenus corpus eſt cibus, & ſanguis potus ſpiritualis animæ, quæ, cùm non reficiatur, niſi per gratiam ſanctificantem, ſequitur, verba conſecrationis eſſe cauſam; ut Evchariſtia ſe habeat per modum ſpiritualis convivii, ſignificet gratiam ſanctificantem, ac reficientem animam per modum cibi & potûs.

Si urgeas, de ratione ſacramenti eſſe principaliùs ſignificare gratiam; & in Evchariſtia verba conſecrationis probabiliùs ſignificare corpus Chriſti; proinde Evchariſtiam non ſignificare principaliter & imediatè gratiam, quâ ſit ſpiritualis refectio, & formalis cibatio, ſed Chriſtum effectivè cibantem. Contra eſt; quia licet corpus & ſanguis Chriſti ſint res imediatè ſignificatæ per hoc ſacramentum, quaſi materialiter, adhuc tamen formalis ratio, ſub qua ſignificantur, eſt ſpiritualis refectio, ac nutritio, quæ ſit formaliter per gratiam ſanctificantem. Hinc gratia ſanctificans, ut eſt cauſa talis nutritionis, eſt principalius ſignificatum formaliter. Hoc eſt diſcrimen inter cibum corporeum & ſpiritualem; quia corporeus per ſe ipſum imediatè nutrit, ſeque convertit in ſubſtantiam aliti; cibus verò ſpiritualis in Evchariſtia, ſeu corpus Chriſti non nutrit imediatè, & ſe ipſo formaliter, quia non convertitur in ſubſtantiam aliti, ſeu animæ, quæ nutritur per gratiam; neque in gratiam, quâ anima alitur: quapropter cibus Evchariſticus dicitur nutrire efficienter, quatenus cauſat gratiam, quâ anima formaliter alitur.

Sed dices, Evchariſtia non diſtinguitur à ſacramento Confirmationis, conſequenter non eſt ſacramentum per ſe. Antecedens oſtenditur ex D. Thoma, docente, utrumque ſacramentum fuiſſe inſtitutum ad præſtandum eundem effectum in anima, ſcilicet augmentum, & perfectionem gratiæ ſuſceptæ per baptiſmum. Contra eſt, negatur antecedens, & ad illius probationem reſpondetur, ſacramenta Evchariſtiæ, & Confirmationis cauſare diverſos effectus, non eundem, quia in Confirmatione datur primæ gratiæ ſanctificantis augmentum per modum corroborantis ad pugnam ſpiritualem, ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 6. art. 1. in corpore*, adeò ut in Sacramento Confirmationis conferatur gratia contra infirmitatem oppoſitam robori neceſſario Confeſſoribus nominis Chriſti, ut docet D. Thomas *in 4. diſt. 1. qu. 1. art. 2* in Evchariſtia verò datur gratia, cujus beneficio adhæremus Chriſto, eique arctius copulamur, ut docet D. Thomas *loc. cit.* Proprius enim effectus Evchariſtiæ eſt converſio hominis ad Chriſtum per ſpiritualem nutritionem. quapropter ſcribit Apoſtolus *ad Galat. 2. Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Inſtabis, quia proprium utriusque gratiæ collatæ in Confirmatione & Evchariſtia eſt impertiri vires ſpirituales, quibus arctius Deo adhæreamus, & Chriſto inhæreamus: ergo utriusque Sacramenti eſt idem effectus. Sed contra, quia, licet utraque gratia corroboret, arctiùsque Chriſto adnectat; id tamen præſtat in ordine ad diverſa; quia gratia, quæ confertur in ſacramento Confirmationis, dat vires, & corroborat, contra exteriores inimicos in pugna pro fide propugnanda. Evchariſtia verò dat vires, & corrborat in ſe non ſpeciatim in ordine ad alios, quia auget charitatem & amorem Dei, ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 72. artic. 9. ad 2.* Hinc David propheticè loquens de ſacramento Evchariſtiæ futuro in nova lege ait, Pſal. 103. ***Panis cor hominis confirmat***, adeo ut gratia, quæ confertur in Euchariſtia, pertineat ***ad cor***, quod propterea roborat in ordine ad uberiorem Dei amorem, dat enim vires, quibus homo ardentiùs, ac perfectiùs Deum diligat: ſecus gratia, quæ confertur in ſacramento Confirmationis, pertinet ad frontem, qua de cauſa unctio ſchiſmatis fit ſuper frontem, in ſignum fortitudinis ad obſiſtendum aliis, quapropter vulgo dicimur ***oſtendere inimico frontem***, ſeu illi obſiſtere; in quo ſenſu *Ezech. 3.* dicitur: ***Ecce poſui frontem tuam, duriorem frontibus***; ſeu dedi tibi vires validiores, quibus obſiſtere valeas inimicis, imò & eos vincere. Præterea cor à fronte diſtingui ex eo liquet, quia Deus dicitur intueri cor, ſedem amoris; & homo frontem, quæ fortitudinem indicat in ordine ad pugnam, ac vincendos hoſtes. Unde differt gratia, quæ confertur in Evchariſtia ab illa, quæ confertur in ſacramento Confirmationis, quia in Confirmatione cauſatur gratia per modum corroborantis ad pugnam contra hoſtes, conſequenter in ordine ad alios; in Evchariſtia verò per modum nutrimenti reficientis animam in ſe, eamque unientis Chriſto per vim amoris. Hinc ſacramentum Evchariſtiæ non ſolùm à Confirmatione, verùm & ab aliis diſtinguitur ſacramentis, ut fuit definitum in Concilio Tridentino

sess. 2. can. 1. de Sacramentis in genere; ubi definitur, sacramenta novæ legis esse septem, ex quibus unum est Evcharistia: ratio itidem est: quia Evcharistia habet diversum ab aliis modum significandi gratiam, quæ propterea distinguitur à gratia causata, & significata ab aliis Sacramentis novæ legis, consequenter Evcharistia est sacramentum distinctum ab aliis: quia sacramenta differunt specie, ratione diversorum modorum, quibus significant, & causant gratiam: Evcharistia enim significat, & causat gratiam per modum cibi spiritualis, qui modus nulli alteri convenit sacramento. Rursus Evcharistia habet diversam materiam, & formam, à quibus significatio sumitur; & significat gratiam nutrientem, ac conservantem animam in vita spirituali per modum alimenti: & secundùm hanc rationem gratia non significatur ab ullo alio sacramento.

Quòd verò ad institutionem Evcharistiæ attinet, fatentur omnes unanimes omnes SS. Patres, Evcharistiam fuisse institutam à Christo, quando Pascha cum Discipulis suis Hierosolymis celebravit. Tota difficultas est de tempore: an celebraverit pascha agni legalis, vespere lunæ decimæ tertiæ, an decimæ quartæ ante suam passionem: siquidem Salvator noster discessurus ex hoc mundo, reversurus ad Patrem, hoc sacramentum instituit, ut declarat Concilium Tridentinum *sess. 13.* ex *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.* & *ex Apostolo 1. ad Corinth. 11.* & ait, in hoc sacramento effudisse divitias sui amoris, ac fecisse memoriam suorum mirabilium, & semetipsum ex sua infinita & inexplicabili bonitate dedit in cibum, quò arctiùs nobis uniretur: celebrata enim cum Discipulis suis Agni Paschalis cœna: *Accepit panem; et benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait, accipite, ac manducate, Hoc est corpus meum: et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, hoc facite, quoticunque bibetis, in meam commemorationem.* Hujus institutoris rationes explicat Tridentina Synodus *sess. 13. cap. 2. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me: et tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis; adeoque Symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput extitit, cuique nos, tanquam membra arctissima fides, spes, et charitatis annexione adstrictas esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus; nec essent in nobis schismata.* Hinc Optatus Milevitanus vocavit hoc Sacramentum *pignus futuræ gloriæ* & *Lib. 6. contra Parmenianum*, invehit contra Donatistas, inquiens: *Quid est tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus, et vos aliquando obtulistis, frangere? in quibus vota populi, et membra Christi portata sunt: unde à multis pignus salutis æternæ, et tutela fidei, et spes resurrectionis accepta est.*

D. Thomas *3. part. quæst. 73. art. 5.* affert nonnullas congruentias, quibus ostendit, convenienss fuisse, Christum instituisse hoc sacramentum in ultima cœna: prima ex eo petitur, quia in hoc sacramento continetur Christus, qui, cùm discessurus esset à Discipulis, se ipsum in sacramento Evcharistiæ eis reliquit, ut cum iisdem etiam post ascensum in cœlum maneret sacramentaliter, & absens adesset, scitè Eusebius Emissenus *homil. 5. de Paschate*, & habetur *cap. quia 35. dist. 2. de Consecratione: Quia corpus assumptum ablaturus erat et oculis nostris, et Sideribus illaturus, ut nobis in hac die Sacramentum corporis sui consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, ut quia quotidiana, et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio, et perennis illa victima viveret in memoria, et semper præsens esset in gratia.* Aliam congruentiam attingit D. Thomas loc. cit. quæ desumitur ex fide Passionis Christi, sine qua nostra non fuisset salus juxta illud, quod scripsit Apostolus *ad Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* ex quo infert D. Thomas: ergo *Oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentativum Dominicæ passionis, cujus in veteri quidem testamento præcipuum Sacramentum erat agnus paschalis: successit autem ei in novo testamento Evcharistiæ Sacramentum, quod est rememorativum præteritæ passionis, sicut et illud fuit præfigurativum futuræ. Conveniens igitur fuit, ut imminente passione, celebrato priori Sacramento, novum Sacramentum institueret.* Hanc congruentiam indicavit S. Leo Papa *Hom. 7. de Passione*, ubi ait: *Ut ergo umbræ cederent corpori, et cessarent imagines, sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo excluditur Sacramento, hostia in hostiam transit; sanguine sanguis aufertur, et legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* Tertia congruentia desumitur ex memoria tanti beneficii, quæ debuit esse indelebilis. Hinc D. Augustinus *epist. 54. ad Januarium* ait: *Salvator, qui vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altiùs infigere cordibus, et memoriæ Discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.* Unde nulli potest dubium esse, quin Christus instituerit Sacramentum Evcharistiæ in pane azymo: siquidem *Exodi 12.* præcipiebatur Israelitis, ut azyma comederent vespere lunæ quartæ decimæ, & prohibebatur, quidquam fermentati servari in domo. Judæi, ut constat *Levit. 23.* suas consueverunt festivitates inchoare à vespere præcedente diem festum, easque protrahere ad occasum diei sequentis: & certum est, celebrasse pascha agni paschalis die decima quarta mensis primi, seu mensis *Nisan* in vespere, ac tunc comedisse Israelitas Agnum paschalem, ut liquet ex *Exodi cap. 12.* Et sequenti die, quæ erat quinta decima incepisse diem azymorum, adeò, ut hæc dies quinta decima fuerit solemnissima in memoriam transitus Domini percutientis Ægyptios, ut constat ex *Levit. 23.* quem diem propterea vocarunt festum paschæ, seu transitus Domini. Præterea certum est, Hebræos non comedisse agnum paschalem vespere tertiæ decimæ lunæ, sed decimæ quartæ, siquidem consueverunt comedere eodem die annuatim recurrente, quo comederunt, quando egressi fuerunt de Ægypto, ut constat *Exodi 12.* & quando fuerunt egressi de Ægypto, immolaverunt decima quarta circa vesperam; & vespere ejusdem diei comederunt, hinc *Exodi 12.* Moyses præcepit Judæis, ut immolarent agnum paschalem, & ederent in nocte, in qua Deus percussit primogenitos Ægyptiorum, quosque Ægyptii percussos videntes surrexerunt, & Judæos urserunt, ut festinato gressu discederent.

Asse-

Asserendum est, Christum celebrâsse pascha vespere lunæ decimæ quartæ, & tunc instituisse Sacramentum Eucharistiæ, ut communiter docent Sancti Patres Latini, & Theologi cum D. Thoma *3. part. quæst. 46. artic. 9.* & suadetur assertio, qua Christus comedit agnum paschalem die præscripto secundùm legem, seu quando Judæi comederunt agnum paschalem, & celebrarunt azyma, quæ itidem comederunt nil fermentati servantes domi: atqui certum est, Judæos comedisse agnum paschalem vespere decimæ quartæ lunæ, seu eodem annuatim recurrente die, quo egressi de Ægypto immolaverunt, quod contigit die decimo quarto circa vesperam, ut habetur *Exod. 12.* Et vespere comedisse agnum paschalem, consequenter Christus celebravit pascha vespere lunæ decimæ quartæ. Minor, & consequentia tenent, major evincitur ex scripturis *Matth. 26. Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis, paremus tibi manducare pascha?* Sed prima dies azymorum incepit vespere lunæ decimæ quartæ, ut constat ex prædictis, ergo tunc Christus comedit pascha, & instituit Sacramentum Eucharistiæ. Firmari ex eo itidem potest: quia certum est, Judæos celebrâsse pascha prima die azymorum, & dedisse suis festivitatibus initium à vespere præcedente diem festivitatis, quæ ab occasu solis unius diei protrahebatur usque ad occasum solis subsequentis diei, ut liquet ex *Levit. 23.* sed Judæi celebrarunt pascha die 14. Mensis primi, qui dicitur *Nisan*, in vespere, & comederunt agnum paschalem, ut habetur *Exodi* 12. Et sequens dies quinta decima fuit prima azymorum solemnissima in memoriam transitus Domini percutientis Ægyptum, ut habetur *Levit. 23.* & quia Christus non venerat legem solvere, sed adimplere, eodem tempore, ac ritu cum Hebræis celebravit ipse cum Discipulis suis pascha, ut constat ex Evangelistis *Marci 14. Primo autem die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei Discipuli, quo vis eamus, ut paremus tibi, ut manducemus pascha.* Matth. 26. *Primo autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis, paremus tibi manducare pascha?* Luc. 22. *Venit dies azymorum, in quo necesse erat, occidi pascha.* Sed prima dies azymorum incepit tantùm vespere lunæ decimæ quartæ: ergo cum Hebræis celebravit pascha vespere lunæ decimæ quartæ, & primi mensis, qui dicebatur *Nisan*, adeò, ut comederit hunc agnum paschalem, ac fuerit cœna illa ultima, in qua instituit Sacramentum Eucharistiæ, & quidem in azymo, quia *Exodi 12* præcipiebatur Hebræis, ut vespere quartæ decimæ lunæ comederent azyma, & nihil fermentati haberent domi, & huic sententiæ præter Patres Latinos adhærent etiam Græci, inter quos Chrysostomus *homil. 83. & 84. in Matth.* Gregorius Nazianzenus *orat. de sacro Lavacro.* Epiphanius *Lib. 1. hæresi* 30. Origenes *Tractat. 3. in Matth.* Theodoretus *quæst. 24. in Exod.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catechef. 13.* Cyrillus Alexandrinus *Lib. 12. in Joann.* Theophilus Alexandrinus *epist. ad Theodosium*, & plures alii, asserentes, Christum celebrâsse pascha, quando comedebantur azyma.

Neque satisfacit, quod respondet Euthymius, diem decimam tertiam fuisse ab Evangelistis vocatam primam azymorum, eò quia proximè præcessit. Nam contra est, quia Christus tunc celebravit pascha, quando à Judæis comedebantur azyma: sed hæc non comedebantur die decima tertia, sed tantùm cœperunt comedi vespere diei quartæ decimæ, quia *Exodi 12.* præcipiebatur Hebræis, ut vespere decimæ quartæ lunæ comederent azyma, quia tunc incepit prima dies azymorum, & continuavit usque ad occasum solis sequentis diei, adeò ut dies quinta decima fuerit solemnissima in memoriam transitus Domini, ut habetur *Levit. 23.* ac fuerit dies festus paschæ: hinc cùm Discipuli dicantur accessisse ad Jesum primo die azymorum, intelligendum est, quòd mane, vel circa meridiem lunæ decimæ quartæ accesserint ad Jesum, quem interrogarent de cœna paranda vespere ejusdem diei, cùm inciperent azyma, ex quo clarè deducitur, Christum tunc instituisse in azymo Eucharistiam.

Objiciunt nihilominus schismatici Græci, asserentes, à Phocio Patriarcha ad hæc usque nostra tempora, Sacramentum Eucharistiæ non fuisse à Christo institutum vespere quartæ decimæ lunæ, sed vespere lunæ tertiæ decimæ, seu vespere diei præcedentis, ex quo inferunt Schismatici, Christum instituisse Eucharistiam in pane fermentato, non in azymo, eò quia azyma cœperint à Judæis tantùm comedi vespere quartæ decimæ lunæ. Et nituntur evincere, Christum non celebrâsse pascha quartæ decimæ lunæ, sed tertiæ decimæ, quia Joan. 18. loquens de Hebræis ait: *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*: ex quo inferunt, Hebræos celebrâsse pascha eodem die, quo Christus occisus est; consequenter Christum non potuisse pascha celebrare, nisi die præcedente, seu vespere tertiæ decimæ lunæ, cùm Hebræi pascha celebraverint vespere quartæ decimæ lunæ: & cùm ante quartam decimam lunam non fuerit usus azymorum, hinc inferunt, Christum instituisse hoc Sacramentum in fermentato, non in azymo. Sed contra, quia Christus prima die azymorum, quæ incepit vespere quartæ decimæ lunæ, comedit pascha, juxta morem Hebræorum, hoc est vespere lunæ quartæ decimæ, non antea, quia tunc tantùm cœperunt servari azyma. Hebræi autem noluerunt introire prætorium, non ut tunc inciperent pascha celebrare, & azymis uti; sed ut comederent victimas illas, quæ per omnes dies azymorum immolabantur, scilicet per dies septem, ut habetur *Deuteron. 16. Hæ siquidem victimæ ab iis tantùm poterant comedi, qui erant mundi, & dicebantur pascha, seu phase*: quapropter ex eo, quòd Hebræi noluerint prætorium ingredi, ut manducarent pascha, non sequitur, quòd vespere præcedentis diei non incœperint comedere azyma, & celebrare pascha, unde etiam Christus illa eadem nocte celebravit pascha suis cum Discipulis, & Eucharistiam instituit in azymo.

Sed instant Schismatici, quia Christus dicitur mortuus die parasceve, quæ fuit decima quarta Mensis primi *Nisan*, consequenter celebravit pascha vespere diei præcedentis, seu tertia decima die ejusdem Mensis, ex quo inferunt, instituisse Eucharistiam in fermentato, quia ante noctem quartæ decimæ apud Hebræos non fuit usus azymorum. Sed contra est, quia ex eo, quòd Christus dicatur mortuus in parasceve paschæ, non sequitur, ante quartam decimam diem celebrâsse pascha:

Digitized by Google

pascha: quia parasceve apud Hebræos intelligitur dies præcedens respectu Sabbathi, quapropter Marci 15. habetur: *Erat autem parasceve, quod est ante Sabbathum*, quapropter denominatur parasceve pascha, quia incidebat in diebus pascha, non verò quia fuerit dies quarta decima primi mensis, in cujus vespere incipiebat usus azymorum.

Sed urgent, quia *Joann.* 13. constat, Christum ante diem festum paschæ lavisse pedes discipulorum, sed certum est, hanc lotionem contigisse in ipsa celebratione paschæ, ex quo inferunt. Christum celebrâsse pascha ante usum azymorum, proinde instituisse hoc Sacramentum in fermentato, non in azymo. Sed contra negatur consequentia, & ad illud adductum ex *Joann.* 13. respondetur, quod tametsi Christus laverit pedes Discipulorum ante diem festum paschæ, non tamen inde sequitur, hanc lotionem contigisse ante lunam quartam decimam, & ante usum azymorum, quia aliud est, asserere ante diem festum paschæ, & aliud, affirmare ante festum paschæ, quia dies festus significat diem ab ortu solis usque ad occasum; quod temporis intervallum propè æquinoctium comprehendit spatium duodecim horarum, & propterea dies festus paschæ erat tunc luna quinta decima, seu dies decimus quintus primi mensis, qui dicebatur *Nissan*, quapropter, quæ contigerunt ante diem festum paschæ, facta fuerunt vespere diei præcedentis, seu vespere lunæ decimæ quartæ, quo tempore incepit usus azymorum secus festum paschæ significat totum illud tempus, quo usus duravit azymorum, consequenter comprehendit etiam vesperam quartæ decimæ lunæ, seu quarti decimi diei primi mensis; quia juxta legem tunc incepit usus azymorum, *Joann.* 13. non dicitur, quòd Christus laverit pedes Discipulorum ante festum paschæ, sed ante diem festum paschæ: ergo quamvis lotio pedum contigerit ante diem festum, non sequitur, Christum lavisse pedes Discipulorum ante festum paschæ, & ante usum azymorum, quia potuit commodè hujusmodi lotio contigisse vespere lunæ quartæ decimæ, præcedentis diem festum paschæ, consequenter in festo paschæ, quia vespere lunæ quartæ decimæ incepit festum paschæ, seu usus azymorum.

Urgent tamen adhuc Schismatici, quia Christus non fuit captus in die festo, siquidem ut habetur Matth. 26. *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*, ex quo conjiciunt non fuisse occisum in die paschæ. Et firmant ex eo, quia eodem die, quo Christus mortuus est, Joseph mercatus est syndonem, & mulieres paraverunt aromata ad sepeliendum Christum, quæ omnia non fuissent licita in die festo paschæ, ut colligitur ex *Levit.* 23. Ergo Christus non fuit mortuus in die paschæ, sed die præcedente, consequenter instituisse hoc Sacramentum Eucharistiæ die decima tertia primi mensis, in quo nondum erat usus azymorum, consequenter instituisse hoc Sacramentum in fermentato, mortuus enim Christus fuit die quarta decima circa meridiem. Sed contra respondetur, Judæos timuisse tumultum, si palam die festo Christum caperent, quia verò Judas proditor commoditatem Judæis dedit capiendi Christum in nocte ac proditoriè, ideo cessavit timor, ne populus tumultuaret. Ad aliud, quod addebatur, non fuisse licitum die festo emere aromata, nec mercari Syndonem. Respondent communiter sacri interpretes, diebus festis non fuisse prohibita omnia opera, sicut prohibebantur in Sabbatho, adeò ut licitum fuerit diebus festis coquere panes, ac cibos, ut habetur *Exod.* 12. Unde potuit die festo paschæ Joseph mercari Syndonem, & mulieres aromata, quia dies festus paschæ contigit ante Sabbathum, fuit enim dies ille paschæ parasceve, quod est ante Sabbathum, ut habetur *Marci* 15.

Quando autem Sacramentum Eucharistiæ inceperit in ultima cœna existere, videtur adesse aliqua difficultas propter hæreticos, negantes præcessisse sumptionem. Constat tamen ex hactenus præexpensis, Christum instituisse sacramentum Eucharistiæ in ultima cœna, quando cum Discipulis suis celebravit pascha, initio festi azymorum, seu vespere lunæ quartæ decimæ. Difficultas est, quandonam in hac cœna inceperit existere Eucharistia. Hæretici, præsertim Lutherani, cum suo Doctore Luthero, putant, hoc sacramentum in ultima cœna non extitisse, antequam sumeretur, seu comederetur à Discipulis, sed asserendum est: Sacramentum Eucharistiæ in ultima cœna extitisse in ratione veri sacramenti, antequam à Discipulis comederetur, adeò ut ante sumptionem fluxerit aliquid temporis, quo verè, & realiter extiterit sacramentum Eucharistiæ, ut docent communiter Catholici cum D. Thoma.

Evincitur assertum, quia sacramentum Eucharistiæ præsupponebatur in ultima cœna, antequam à Discipulis sumeretur, seu comederetur: ergo debuit, ante sumptionem extitisse, quia non potest quidquam præsupponi ad se ipsum: quod enim præsupponitur, debet esse, sicut præsupponitur; antecedens ostenditur, quia tunc aliquid incipit præsupponi, quando incipit poni, ac habere proprium esse: sed hoc sacramentum in ultima cœna incepit poni, & habere suum esse, quando Christus consecravit panem, & vinum: & hæc consecratio antecessit tempore ipsam sumptionem, adeò ut peracta consecratione, usque ad sumptionem aliquid fluxerit temporis, quo verè hoc sacramentum extiterit: ergo in ultima cœna hoc sacramentum extitit ante sumptionem. Minor constat, quia verba consecrationis: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, eo ipso, quòd quæ in ultima cœna fuerunt à Christo prolata, fuerunt vera, quia Christus non poterat mentiri, quapropter, ut vera essent, debuit panis ille esse corpus, & vinum verus sangvis Christi: sed verba consecrationis fuerunt à Christo prolata, antequam Apostoli sumerent Eucharistiam, adeò ut à prolatione verborum usque ad sumptionem fluxerit aliquod tempus, in quo sub speciebus panis consecrati fuerit verum, reale, ac substantiale Christi corpus, ut etiam sub speciebus vini, verus, ac realis Christi sangvis, consequenter fuit verum sacramentum Eucharistiæ. Præterea, quia Christus prius consecravit panem, postea vinum, perinde post aliquod tempus cœperunt Discipuli comedere, & bibere, seu sumere hoc sacramentum, adeò ut consecratio panis præcesserit illam vini, & panis extiterit consecratus, seu fuerit sub speciebus panis corpus Christi toto illo tempore, quod fluxit, quando Christus fregit panem consecratum, & dedit Discipulis usque ad sumptionem, ergo hoc sacramentum in ultima cœna præcessit tempore sumptionem.

Ne-

Negant tamen Hæretici, hoc Sacramentum in ultima cœna præceſſiſſe ſumptionem, aſſerentes, Chriſtum Dominum non protuliſſe verba Conſecrationis, antequam Diſcipulos comunicaret, ſed tunc tantùm, quando ſe ipſum iiſdem comedendum tradidit, & volunt id inferri ex illo Matth. 26. ubi habetur: *Accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens: accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum*, ubi aſſerit Matthæus, actum manducandi fuiſſe ſimul cum actu conſecrandi in ultima cœna. Sed contra, quia verba conſecrationis apud Matthæum continent rationem, ob quam debeat cibus ille comedi, & potus bibi, ut liquet ex particula illa cauſali *enim*, quam Matthæus *cap.* 26. addit in verbis conſecrationis calicis: ergo ut Diſcipulis innoteſceret, quid eſſent facturi, prius debuit illa ratio explicari à Chriſto Domino, ac percipi à Diſcipulis, priùsquam manducarent corpus Dominicum, ac biberent ejus ſanguinem: proinde conſecratio præceſſit tempore ipſam ſumptionem, idque evincitur ex illo Apoſtoli 1. *ad Corinth*, 11. ubi D. Paulus: *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo*, exprimit verba Chriſti, quæ habentur *Luc.* 22. ergo in calice conſequenter ante ſumptionem eſt ſanguis Chriſti. Hoc idem etiam adſtruit Apoſtolus de pane, ſeu Chriſti corpore ſub accidentibus panis; ait enim 1. *ad Corinth.* 1. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini eſt?* ſed fractio præcedit ſumptionem, ergo ante ſumptionem eſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis; unde Chriſtus in ultima cœna conſecravit Euchariſtiam, quando benedixit panem, antequam frangeret, ac diſtribueret: ſimiliter dicendum eſt de calice, non enim Chriſtus conſecravit ſola benedictione, ſed tunc, cùm protulit verba conſecrationis: *Hoc eſt corpus meum*, adeò ut, ſicut benedictio, ita & conſecratio præceſſerit panis fractionem, & ſicut fractio fuit ante ſumptionem, ita & ipſa conſecratio, conſequenter corpus Chriſti fuit ſub ſpeciebus panis, antequam frangeretur panis, & ſumeretur à Diſcipulis, ut etiam ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus vini in calice, antequam Diſcipuli biberent.

Neque obſtat, quod aſſerunt Sectarii, ab Evangeliſta referente actiones Chriſti, fuiſſe verba conſecrationis poſita ultimo loco, & dixiſſe: *Benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum.* Contra eſt, quia illa particula *dicens* ſignificat concomitantiam verborum conſecrationis cum ipſa actione benedicendi; adeò ut ſenſus ſit, quòd Chriſtus panem benedixerit, dicens: *Hoc eſt corpus meum*, ut explicat D. Thomas 3. *part. quaſt.* 78. *art.* 1. *ad* 1. unde ſicut benedictio, ita & conſecratio præceſſit fractionem panis, exhibitionem ad Diſcipulos, & manducationem, quòd verò hic ſit verus ſenſus Evangeliſtæ, liquet ex eo, quia Evangeliſta priùs poſuit illa verba: *Accipite, & manducate*, & poſtea ſubjunxit: *Hoc eſt corpus meum*; unde ſi verba Evangeliſtæ eſſent intelligenda cum illo eodem ordine, quo fuerunt ab eodem ſcripta, Chriſtus protuliſſet verba conſecrationis poſt comeſtionem, conſequenter Diſcipuli non comediſſent corpus Chriſti, quia conſecratio panis non præceſſiſſet manducationem.

Hæretici tamen reſpondent, quòd tametſi verba conſecrationis fuerint à Chriſto prolata, antequam panem frangeret, & daret Diſcipulis, non tamen prius verificari, ac impleri quàm ſumptio ſeu manducatio exerceatur, eò quia ſunt verba promiſſoria per ſe corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & quidem ſub conditione purificanda per manducationem, hæc enim conditio habetur in verbis illis imediatè antecedentibus verba conſecrationis: *Accipite, & comedite:* & quia promiſſio non impletur, niſi quando conditio purificatur, ſeu ponitur; ideo inferunt, corpus Chriſti non exiſtere in Sacramento Euchariſtiæ, niſi tunc, cùm actualiter ſumitur, & non ante. Sed contra, falsò enim aſſerunt Sectarii, verba Chriſti eſſe promiſſoria, quia, ſi verba conſecrationis eſſent promiſſoria, Chriſtus non dixiſſet de præſenti: *Hoc eſt corpus meum*; ſed de futuro, hoc erit corpus meum, ſcilicet purificata conditione manducationis, ut aſſerunt Hæretici: verba promiſſoria ſunt de futuro eſſentialiter, quia promiſſio dicit ordinem eſſentialem ad rem promiſſam, ut dandam tempore futuro: ſed verba conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, ſunt de tempore præſenti, conſequenter non ſunt promiſſoria rei exhibendæ, ſed aſſertoria rei exiſtentis, & jam exhibitæ: cùm igitur promiſſio ſit ſemper de futuro, ut *Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Oratio Chriſti non potuit eſſe promiſſoria, alioquin fuiſſet falſa, quia ſignificaſſet aliquid, ut præſens, quod erat futurum.

Sed contra hanc ſolutionem reſpondent Lutherani, non repugnare promiſſionem de futuro explicari per verbum de præſenti, ut liquet in hiſce propoſitionibus conditionatis: *Duco te in meam uxorem, ſi pater tuus voluerit: do tibi centum aureos, ſi litem viceris.* Continent enim hæ conditionatæ propoſitiones promiſſionem de futuro, quia conſenſus matrimonialis, & translatio Dominii centum aureorum, ſuſpenduntur usque ad purificationem conditionis; & nihilominus tales promiſſiones fiunt per verba de præſenti, cujusmodi ſunt: *Duco te. do tibi.* Sed contra, quia inde ſequeretur, quod corpus Chriſti neque in ipſa ſumptione ſeu in actuali uſu contineretur ſub ſpeciebus Euchariſticis contra Lutheranos, putantes, corpus Chriſti non contineri ſub ſpeciebus Euchariſticis, niſi in ipſo uſu, ſeu actuali manducatione: & probatur hoc ſecuturum, quia Chriſtus nequit eſſe præſens in hoc Sacramento, niſi actu ſumitur, & manducatur, ſi igitur actualis manducatio eſt conditio neceſſaria, ut Chriſtus ſit in hoc Sacramento, quia impletio promiſſionis eſt effectus actionis imperatæ, & poſitionis conditionis oneroſæ, quæ exigitur, ut adimpleatur res promiſſa, ſed effectus ſaltem natura eſt poſterior ſua cauſa, ſive hæc dicatur eſſe cauſa per ſe, ſive per accidens: ergo corpus Chriſti non eſſet in hoſtia, quando actu manducaretur: ſed poſt manducationem; quia priùs debet adimpleri conditio, ut habeatur res promiſſa ſub tali conditione purificata: adimpletio enim promiſſionis ſe habet conſecutivè ad ipſam adimpletionem conditionis.

Quòd ſi quæras, an ſumptio Euchariſtiæ ſaltem ſit pars integralis hujus Sacramenti, quia tametſi ſit poſterior, adhuc poteſt eſſe pars integralis, perinde ac in Sacramento pœnitentiæ ſatisfactio, eſt poſterior ipſo Sacramento, & nihilominus eſt ejus pars integralis. Reſpondetur, duplicem in Sacramentis, ut in qualibet alia re, poſſe nos intelligere phyſicam integritatē, unā eſſentialem, aliam accidentalem, illa dicitur, ſine qua non poteſt haberi res phyſicè conſtituta, cujusmodi eſt compoſitio phyſica ex materia prima & forma ſubſtantiali in compoſito phyſico: Accidentalis eſt, quæ nonniſi accidentaliter rem phyſicè perfecit, quæ ſi abeſſet, adhuc res haberi poſſet:

Digitized by Google

poſſet: & hæc accidentalis perfectio eſt duplex, intrinſeca una in eo ſita, quod res ſit omnibus ſuis numeris, partibus, ac perfectionibus debitis abſoluta, altera extrinſeca, ſeu non debita ſita in eo, quod res habeat etiam reliqua accidentia non debita, ſed aliquo modo ſibi inſervientia. Certum eſt, ſumptionem non eſſe partem eſſentialem Euchariſtiæ, imò neque accidentalem intrinſecam, ſeu debitam ipſi Sacramento eo pacto, quo, ut exemplificabatur, eſt pars intrinſeca ſatisfactio in Sacramento pœnitentiæ. Idque ex eo eſt probatu facile, quia ſumptio non eſt materia nec forma Euchariſtiæ, conſequenter non eſt pars eſſentialis hujus Sacramenti, imò nec pars integralis accidentalis intrinſeca, quia deberet requiri vel ex parte materiæ, vel formæ hujus Sacramenti, & ad neutram partem pertinet; non ad materiam, quia hæc eſt panis præcedens ipſam ſumptionem, & ſine qua habet omnia ſibi intrinſecè debita: neque ad formam ſitam in verbis, ergo ſumptio non pertinet ad integritatem intrinſecam Sacramenti Euchariſtiæ, ſed tantùm ad uſum ejuſdem, qui uſus cùm ſit actus ſuſcipientis hoc Sacramentum, ſeu communicationis, eſt quid extrinſecum. Neque eſt par ratio de ſatisfactione in Sacramento pœnitentiæ; quia pœnitentia eſt judicium pertinens ad juſtitiam vindicativam, in qua punitio delinquentis eſt pars integralis hujus judicii, conſequenter debet itidem eſſe pars integralis Sacramenti pœnitentiæ; eſt enim ſatisfactio punitio peccatorum.

Neque urget, ſi dicas, Euchariſtiam non poſſe confici, neque conſecrari, niſi in ordine ad ſumptionem; conſequenter ſumptionem pertinere ad integritatem Euchariſtiæ. Nam contra eſt, negatur conſequentia, quia, quamvis non poſſit licitè conſecrari, niſi in ordine ad ſumptionem, ſi quis tamen conſecraret panem, & vinum abſque ullo ordine ad manducationem. Sed propter alium finem adhuc validè conſecraret, quamvis non licitè, & conſecrans peccaret mortaliter, eò quia conſecraret contra finem à Chriſto intentum in inſtitutione Euchariſtiæ, ratio eſt, quia hoc Sacramentum præſupponitur ad ſumptionem cum tota ſua integritate intrinſeca; conſequenter non poteſt in ſuo eſſe dependere à ſumptione, eſt enim Euchariſtia permanens, quæ aſſervatur in ſacrario, defertur in Proceſſionibus, adoratur à fidelibus, ac habet totum ſuum eſſe, quamvis non manducaretur, ſed tantùm aſſervaretur, donec ſpecies corrumperentur: ſumptio igitur eſt tantùm conditio neceſſaria, ut hoc Sacramentum operetur, ſeu producat gratiam: ſiquidem, niſi Euchariſtia ſumatur, non producit gratiam, perinde ac ignis, niſi applicetur ſubjecto combuſtibili, non comburit.

Inſtabis, ſumptio Euchariſtiæ complet ejuſdem ſignificatum; conſequenter pertinet ad ejus integritatem, & complementum: ergo, tametſi hoc Sacramentum poſſit realiter exiſtere ante ſumptionem, non tamen cum tota ſua integritate, adeo, ut hoc Sacramentum ante ſumptionem exiſtat quidem, ſed mutilum, & imperfectum: quia ante ſumptionem non ſignificatur perfectè unio fidelium cum Chriſto, quia, cùm hujuſmodi unio fiat per gratiam, quæ non confertur niſi per ſumptionem; non poteſt hoc Sacramentum perfectè ſignificare, niſi per ſumptionem, qua confertur ipſa gratia. Sed contra, quia ſumptio tantùm extrinſecè complet ſignificationem Euchariſtiæ, eo pacto, quo carnalis copula dicitur extrinſecè complere ſignificationem matrimonii, quatenus matrimonium ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, aut Verbi divini cum humanitate. Imò neque ſumptio complet Euchariſtiam, eò quia ſit ejus partialis ſignificatio, quia revera ſumptio non ſignificat gratiam, ſed tantùm dicitur pertinere ad complementum extrinſecum, ſeu complere extrinſecè ſignificationem Sacramenti Euchariſtiæ, quatenus eſt conditio requiſita, ut cauſetur, quod per Sacramentum ſignificatur.

Sed adhuc urgent, quia ſumenti promittitur gratia Joann. 6. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*; ergo ſumptio eſt, quæ cauſat gratiam, qua Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto manemus. Sed contra, quia promiſſio gratiæ conferendæ per hoc Sacramentum non fuit facta ſumptioni, ut cauſæ per ſe ejuſdem gratiæ, ſed facta fuit ipſi Euchariſtiæ, quæ ſumitur, ſeu corpori Chriſti contento ſub ſpeciebus Euchariſticis, adeo, ut ſit corpus Chriſti, ut contentum in hoc Sacramento; & Sacramentum ut continens corpus Chriſti, quod gratiam cauſat, ut liquet Joan. 6. ubi Chriſtus ait; *Qui manducat me, ipſe vivet propter me*, igitur ſumptioni promiſſa eſt gratia, ſed ut conditioni requiſitæ adhuc, ut Sacramentum cauſet gratiam.

Ex dictis infertur Chriſtum Dominum annum agentem ætatis trigeſimum quartum, ſeu anno mundi conditi 4084. Olympiadis 202. anno 3. & Beatæ Virginis Matris anno 48. & Imperii Tiberii Cæſaris ſucceſſoris Auguſti anno 18. præmiſſis Petro & Joanne Apoſtolis à monte Oliveti in Jeruſalem ad paſchatis celebrandi apparatum veniſſe in civitatem ſub veſperam decimæ quartæ Lunæ, ſeu diei menſis *Niſſan* ſeu Martii noſtri, in quo, ut ait Lucas, neceſſe erat occidi paſcha, qui & vocatur dies azymorum, & abdicatio panis fermentati, ac tres inſtituiſſe cœnas, quarum prima fuit legalis, quia, cùm tanquam Paterfamilias agnum paſchalem ſacrificaſſet, ipſum poſtea aſſatum comedit cum Diſcipulis, eo ritu, quem lex præſcribebat *Exodi* 12. Scilicet cum Lactucis agreſtibus accinctus renibus, calceatus, cum baculo in manibus, & comedens feſtinanter, nec quidquam de agno relinquens. Et poſt eſum agni reſurrexiſſe à cœna, & poſitis veſtimentis, lavit pedes Diſcipulorum in præparationem myſterii inſtituendi, & puritatis deſignandæ; poſtea accubuit menſæ cum Apoſtolis, quæ ſuccedere conſueverat legali, quia agnus anniculus duodecim hominibus, imò & pluribus aliis, qui interfuerunt, ut aſſerit Clemens Romanus, non ſufficiebat refectione: & hæc ſecunda cœna vocabatur communis, in qua cœnantibus illis ait Matth. cap. 26. *Accepit panem ac benedixit, ac fregit*, ut ait Marcus cap. 14. *Deditque Diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, ſimiliter & calicem accepit, dicens: Bibite ex eo omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Chriſtus tamen materna lingua ſeu Syriacè locutus dixit: *Honan Pagri De Kal Appecum Metbobeb*, hoc eſt: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*, & rurſus: *Honan Demi Dedithak Chadtbo Daelaph Saggie Metbeſched Leſchabekono Dachatobe*, id eſt, *hic eſt ſanguis meus fœderis novi, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.*

In-

Infertur secundo Sacramentum Eucharistiæ in ultima cœna incepisse existere statim in ultimo instanti probationis verborum consecrationis, adeo ut antequam discipuli comederent panem consecratum, jam per aliquod tempus extiterit corpus Christi sub speciebus panis, ac proinde fuerit Sacramentum. Non tamen inde sequitur, Eucharistiam consistere in ipsa actuali consecratione, quia consecratio est actio, qua fit Sacramentum proinde nequit esse ipsum Sacramentum quia actio est via ad terminum, qui per talem actionem fit: quo pacto actio, qua producitur homo, non est ipse homo, sed via ad hominem. Tum quia ut superius diximus Sacramentum Eucharistiæ est res permanens transacta consecratione, ut definitur in Concilio Tridentino *sess.* 13. *can.* 4. consecratio autem est quid transiens, consequenter in ipsa non potest consistere. Præterea quia hoc Sacramentum ab eodem Tridentino *sess.* 13. *can.* 2. dicitur cibus spiritualis animarum, & can. 6. dicitur hoc Sacramentum esse adorandum cultu latriæ, asservandum in Sacrario, deferendum in processionibus, hæc autem non possunt convenire ipsi consecrationi, quæ se habeat per modum transeuntis, non permanentiæ, consequenter nequit Eucharistia consistere in ipsa consecratione.

Neque urget, si dicas, satis esse, ut locutiones Concilii verificentur, si maneat, & manducetur id, quod est res, & Sacramentum simul, scilicet corpus Christi, quod in hoc Sacramento significatur, & significat. Nam contra est, quia res & Sacramentum simul est corpus Christi, quod simpliciter non est Sacramentum, sed tantum secundùm quid, & cum addito diminuente, quatenus est res & Sacramentum simul, non verò simpliciter & absolutè Sacramentum: sed locutiones Concilii sunt de Sacramento simpliciter, & absolutè tali, consequenter debent de solo Sacramento simpliciter, & absolutè significari, præterea quia consecratio est sola forma constitutiva hujus Sacramenti, & forma constitutiva rei non est res ipsa constituta: ergo consecratio etiam, ut est forma, non potest esse Sacramentum tantùm, idque ex eo firmari potest, quia in Concilio Florentino in decreto Eugenii omnia Sacramenta definiuntur constare essentialiter ex materia, & forma, consequenter sola forma nequit esse ipsum Sacramentum.

Quòd si petas, quomodo se habeat consecratio ad Sacramentum, respondetur, posse tripliciter consecrationem sumi, primo pro ipsa sensibili, & externa locutione Sacerdotis proferentis verba, quæ habent rationem causæ efficientis, & formalis simul hujus Sacramenti, & hoc pacto consecratio pertinet ad Sacramentum Eucharistiæ, ut causa efficiens, proinde, ut quid extrinsecum prævie requisitum: quia causa efficiens, cum realiter distinguatur ab effectu, non potest esse pars intrinseca, & essentialis sui effectus; Secundo sumi potest consecratio pro illa invisibili & miraculosa actione, qua sub speciebus panis convertitur panis substantiæ in corpus Christi, & sub præexistentibus vini speciebus, convertitur substantia vini in sanguinem Christi, quatenus hæc actio est effectus consecrationis sumptæ priori modo: & secundùm hanc considerationem, consecratio pertinet ad Sacramentum Eucharistiæ, ut quid quasi intrinsecum identificatum cum Sacramento realiter in fieri, quamvis formaliter, adhuc sit quid distinctum à Sacramento, quia fieri rei, & via ad rem identificantur cum ipsa re, perinde ac in physicis actio, & passio identificantur realiter cum termino, à quo formaliter distinguuntur. Tertio sumitur consecratio pro passione correspondente huic actioni conversivæ substantiæ panis in corpus Christi; quæ passio nihil aliud est, quam ipsum fieri transsubstantiationis panis in corpus Christi: & consecratio sumpta pro hac passione eodem pacto identificatur realiter cum eo, quod in Eucharistia est Sacramentum tantùm: sicut actio, qua substantia panis convertitur in corpus Christi, quia actio, & passio ex Philosopho realiter identificatur, proinde, si actio identificatur realiter cum Sacramento, id præstat etiam passio.

Quòd si dicas talem actionem non identificari realiter cum Sacramento, eo quia spiritualis actio, qua per baptismum producitur gratia baptismalis in baptizato, non sit aliquid Sacramenti, sed potius res Sacramenti seu via ad illam. Contra est, quia est discrimen inter actionem collativam gratiæ in baptismo & actionem conversivam substantiæ panis in corpus Christi in Eucharistia: quia actio, qua producitur gratia baptismalis, supponit ipsum Sacramentum jam constitutum, quia Sacramentum baptismi causat talem actionem productivam gratiæ: secus actio conversiva panis in corpus Christi non præsupponit Eucharistiam jam constitutam, sed potiùs est via ad constitutionem ejusdem, consequenter potest intrinsecè ad illam pertinere.

C A P U T III.

De reali existentia corporis Christi in Eucharistia.

PLuries errarunt Sectatores contra hoc Augustissimum Sacramentū non solùm antiquitus, sed etiam ultimis temporibus Lutherus, Calvinus, & alii Novatores, & etiamnum Calvinistæ audentes veram, & realem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento negare præsentiam, qua de causa Hæretici Sacramentarii vocantur, ex eo, quia negent Christum realiter per se ipsum esse Sacramento præsentem: etenim volunt esse realiter præsentem & existentem solum in cœlo, & esse nobiscum non realiter, sed in imagine, & signo: non secus, ac rex ibi esse dicitur, ubi est ejus imago: hinc docent Calvinistæ, fideles non manducare hic in terris corpus Christi, sed tantum ejus imaginem, ac inanem figuram, & quidem non re, sed tantùm fide: hanc autem phantasticam, & figurativam manducationem fingi duplicem potest habere sensum: primò quod tametsi panis, & vinum in se non contineant realiter corpus Christi, illud tamen figurativè contineant, eò quia virtute fidei ejus energiam habeant, eò quia excitent in animo manducantis fidem, ut eundem in ea causent effectum; quem produceret corpus CHRISTI, si realiter adesset, ac revera manducaretur, idque exemplificant, quia sicut aqua baptismi, licèt non sit sanguis CHRISTI, eodem tamen modo abluit hominem, ac si esset realiter ipse sanguis Christi: perinde panis & vinum in Sacramento Eucharistiæ eundem prorsus producunt effectum, quem produceret corpus Christi, si esset realiter præsens, & manducaretur: in quo sensu potest intelligi phantastica hæc, & figurativa Novatorum manducatio. Calvinistæ verò eam videntur sumere in hoc alio sensu, quatenus

nus panis & vinum sunt signa mystica Christi passi, & morientis & hæc signa excitant in anima suscipientis fidem suæ prædestinationis, & remissionis peccatorum; Asserentes ex vi hujus fidei, non autem ex ipsa manducatione, Christum eundem effectum producere in anima sumentis Eucharistiam, quam produceret, si vere esset ibi realiter præsens. Non tamen hic error fuit à Calvino inventus, siquidem primum hujus erroris authorem asserunt fuisse Judam Iscariotham, qui ex Chrysostomo homil. 46. in Joan. cum Capharnaitis sermonem Christi, de danda sua carne in cibum durum esse pronuntiavit, & creditu perdifficilem. Præterea Iconomachi infensissimi omnium imaginum hostes contendebat unicam tantùm Christi figuram esse retinendam in Eucharistia, ut refertur, & damnatur in septima synodo *act. 6. sub finem.* Hunc eundem errorem post plura sæcula excitavit Berengarius Archidiaconus Andegavensis, qui primo docuit impanationem: & postea in Eucharistia nonnisi solam esse figuram Christi asseruit; Quapropter damnatus fuit in quinque Conciliis, & à quatuor Pontificibus, ut ostendit Baronius ad annum Christi 1004. verum post tria alia sæcula Wicclefius in Anglia, & Zvvinglius paulò post in Helvetia & alii, ac demum Joannes Calvinus anno reparatæ salutis 1536. pluries eundem errorem damnatum iterum excitarunt, & eandem ad movendum stomachum crambem recoxerunt, Lutherus verò animadvertens, Christum *Matth. 26. Marci 14. Luc. 22.* expressè asserere, *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus* quamvis vel maximè propenpensus esset ad hoc Sacramentum negandum, ingenuè tamen fassus est, se non posse tam expressè, & manifestè Christi testimonio contradicere, siquidem ipse testatur de missa abroganda, se longam hac super re habuisse concertationem cum Dæmone, qui sophisticis argumentis contendebat Christum realiter non esse sub sacris speciebus, à quo tamen Lutherus testatur convinci minimè potuisse, quia Christus vix potuisset uti verbis expressionibus ad significandam suam realem præsentiam in hoc Sacramento, sed Lutherus postea erravit, cum asseruit Christum non per modum permanentiæ, sed per modum transitus, & fluxus, esse in hoc Sacramento, quando scilicet sumitur, & comeditur.

Sed veritas Catholica, & dogma fidei est, Christi verum, & reale corpus esse verè, & realiter sub speciebus Eucharisticis panis: & verum ac realem sanguinem Christi verè, & realiter sub speciebus vini ex vi Consecrationis, quam veritatem paucis complectitur Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 1.* ubi asserit: *Post panis, & vini consecrationem Dominum nostrum JESum Christum verum Deum, & hominem, verè & realiter, ac substantialiter contineri sub speciebus illarum rerum sensibilium:* scilicet *verè*, quia non est tantum signum, vel figura. Rursus *realiter*, quia non est tantùm, ut apprehenditur fide: *substantialiter*, quia non solus Christi vigor, & virtus ibi adest, sed integra ejus substantia unà cum suis accidentibus, quæ non invehunt extensionem localem, adeo ut verum, reale, ac substantiale Christi corpus sit sub accidentibus panis, & vini, & quidem replicatum in locis propemodum innumeris, & penetrandum cum speciebus panis, inextensum, seu non modo corporeo, sed instar spirituum locum occupans. Hoc fidei dogma totaliter expugnat errorem Calvini, etenim Christus *Joan. 6.* sumpta occasione ex illo miraculo, quo quinque panibus plura hominum millia exsaturavit: primò eos ad fidem suam adhortatur: postea à fide transit ad corpus suum in hoc Sacramento dandum, inquiens: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Christum ibi non fuisse locutum de manducatione spirituali per fidem, ut perperam putant Hæretici, ex eo liquet, quia Christus fuit locutus in futuro, *panis quem ego dabo, caro mea est*, quia nondum hoc Sacramentum instituerat: quando autem de fide fuit locutus, non in futuro, sed in præsenti, vel præterito id præstitit, quia objectum fidei semper est præsens. Præterea, quia Christus ibi expressè distinguit carnem, & sanguinem per modum cibi, & potus, *caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* si autem fuisset locutus de sola manducatione per fidem, illa distinctio fuisset inanis: & superflua, quia comestio, & potio per fidem sunt unum & idem, nec aliud significant, quàm credere in Christum. Rursus Christus ait: *Caro mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus;* sin autem ejus caro nonnisi sola fide comederetur, non *verè*, & realiter, sed tantùm *figurativè*, ut volunt Calvinistæ, non esset *verè* cibus, sed tantum *tropicè*, & metaphoricè: ergo cum Christus sincerissime fuerit locutus, & non per metaphoram præsertim in institutione hujus Sacramenti, & adverbium illud *verè* excludat metaphoram, manifestè sequitur, carnem Christi in Eucharistia non comedi solùm manducatione spirituali per fidem, sed verè, & substantialiter; unde Damascenus *lib. 4. fidei cap. 14.* ait: *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc; sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est corpus meum, non figura corporis, sed corpus, non figura sanguinis, sed sanguis.* D. Ambrosius *lib. 4. de sacramentis cap. 5. Ante verba Christi calix est vini, & aqua plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur.* Et Basilius, Christum in Eucharistia latentem alloquens ait: *Qui supra cum Patre sedes, & hic invisibiliter nobiscum es.* Et D. Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* ait: *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis;* & alibi: *Non regium puerum, sed ipsum unigenitum Dei Filium accipis.* Paschasius *lib. de Instit. Sacramentorum* explicans præfata Christi verba: *Hoc est corpus meum,* ait; neminem fuisse ecclesiæ latinæ, græcæ, & barbaræ, modò se christianum profiteretur, quin ausus sit negare, carnem Domini, verè, & realiter esse in Eucharistia; & Lactantius *lib. ult.* ait: *Interroga universos, qui latina lingua, nostrarumque literarum notitiam perceperunt; Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis, quoscunque Christianos, uno ore hanc fidem se testabuntur habere.* Patres itidem, qui floruerunt primis ecclesiæ sæculis, hoc fidei dogma expressè fatentur; Ignatius Apostolorum discipulus ait: *Panem DEI volo, panem cœlestem: qua est caro Filii DEI.* In secundo sæculo Justinus Martyr Apolog. 2. ad Antoninum Imperatorem de Eucharistia ait: *Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum hac sumimus: sed quemadmodum per Verbum incarnatus est JESUS Christus Salvator noster, & carnem, & sanguinem, pro salute nostra habuit; sic etiam vi verbi DEI ab ipso Eucharistiam factam cibum, ex quo sanguis, & carnes nostra per mutationem aluntur, illius incarnati JESU, & carnem, & sanguinem esse edocti sumus.* In tertio Sæculo Sanctus Cyprianus *serm. 15. de lapsis* ait: *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro, &*

ficut in persona Christi humanitas apparebat, & latebat divinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter se infundit essentia. In quarto Sæculo Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi ait: *Cum Christus ipse sic affirmet, ac dicat de pane: hoc est corpus meum: Quis deinceps audeat dubitare? Et eodem confirmante, & dicente de vino, Hic est sanguis meus, quis unquam dubitet: at dicat, non esse illius sanguinem?* Quinto Sæculo Sanctus Joannes Chrysostomus ait: *O miraculum! O DEI benignitatem! qui cum patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se se ipsum tradit volentibus illum excipere, & amplecti.* Reliqui Sancti Patres, quotquot singulis sæculis floruerunt in ecclesia, hoc fidei dogma docuerunt, quorum plures contra se stare non diffitetur Calvinus.

Ex ipsa, igitur promissione à Christo facta institutendi hoc Sacramentum Eucharistiæ expresè constat post verba consecrationis adesse sub speciebus panis verum, & reale Christi corpus; & sub vini speciebus verum, ac realem suum sanguinem. Hanc enim institutionem promisit Christus, quando in deserto miraculum edidit, quo multiplicavit quinque panes, quibus exsaturavit quinque millia hominum. Primo suos discipulos, & sequentes turbas instruxit circa fidem, docuitque se esse panem vivum, qui de cœlo descendit; ex quo si quis manducaverit, vivet in æternum *Joan. cap. 6. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* quorum verborum occasione litigium ac opinionem diffidium inter Judæos ortum est: *Litigabant ad invicem dicentes, quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum:* si litigabant ergo opinionibus diffidebant, ut alii eorum id crederent, & alii non, quia id videretur ipsis impossibile, ideoque scandalizati sunt: sin autem Christus fuisset loquutus de sola manducatione spirituali per fidem, facilè cessasset scandalum, quia id omnibus statim apparuisset facile, & Christus scandalum illud potuisset removere, asserens se fuisse loquutum de manducatione spirituali per fidem: sed Christus ad confirmandum se fuisse loquutum de vera, ac reali manducatione sui corporis, subjungit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna, & mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Id cum audivissent plures ex ejus Discipulis dixerunt, *durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Cumque Christus agnovisset eorum obmurmurationem, & introspexisset eorundem cogitationes, subjunxit: *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* Sed ob hæc verba plures qui aderant, abierunt, ait enim Joannes: *Et hoc audientes multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo JESUS ad duodecim: nunquid & vos vultis abire: respondit Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius DEI,* totum hunc textum esse intelligendum de Eucharistia, edisserunt unanimi consensu Sancti Patres, & universa Ecclesia Catholica à tempore Apostolorum ad nostra usque tempora semper ita intellexit, unde, posito, quod Joannis textus sit intelligendus de Eucharistia, evincitur vera, & realis præsentia corporis Christi post consecrationem sub speciebus panis, & verus, ac realis sanguinis sub speciebus vini, quia Christus panem, quem daturum se pro mundi vita, pollicetur, seu carnem suam, mannæ opponit, quo qui cibati sunt, in deserto mortui sunt, secus manducantibus hunc panem, scilicet carnem Christi, promittit vitam æternam, sin autem Eucharistia mera figura corporis, & sanguinis Christi esset, quamvis paulò expressior ipso manna, frustra ipsi anteponeretur quoad vim illam vivificam, quia etiam veteres Israelitæ justi, qui in fide Christi venturi manna manducaverunt, utique carnem ejus, & sanguinem per fidem percipiebant, & quidem eodem pacto, quo Calvinistæ asserunt, se per fidem comedere verum corpus Christi, & bibere ejus sanguinem. Cùm enim manna fuerit figura Eucharistiæ, & Israelitæ justi comedentes hanc figuram; seu manna, credent se manducare carnem Christi venturi, & bibere ejus sanguinem, utique eodem modo manducassent Eucharistiam in lege veteri, perinde ac in lege evangelica Calvinistæ in figura per fidem.

Præterea verba illa Christi litem, & diffidium excitârunt in animis Judæorum; *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* sed dubium hoc non excitâsset figurata locutio, qua Christus panem se daturum significâsset ad repræsentandam carnem suam, & ad sui memoriam duntaxat excitandam. Præterea quia Christus illam opinionem Judæorum intelligentium de vera Christi carne ipsis in cibum danda non correxit, quinimò confirmavit: & aliorum dubitationem reprehendit, asserens se daturum suam propriam carnem, & quasi interposito jurejurando dixit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* ait Apostolus *ad Hebræ. 6.* Homines, quando jurejurando aliquid adstruunt, per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum, in quo abundantius volens DEUS ostendere hominibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles; quibus impossibile est mentiri DEUM, justissimum solatium habeamus. Hinc exclamat Tertullianus *lib. de pænit. O beatos nos, quorum causa Deus jurat! ò nos miserrimos, si nec juranti Domino credimus!* Item responsio Christi in re tanti momenti, quæ agebatur de lege condenda, & præcepto hominibus in perpetuum injungendo, ambagibus, æquivocationibus, amphibologiis, ac figuris debuit omnino carere, ne summæ veritatis verba, ad fallendos potiùs, quam erudiendos homines viderentur prolata. Cum igitur Christus expresè dixerit: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vera & realis manducatio carnis Christi his verbis imperata censeri debet, alioquin consueverat Christus etiam de rebus minoris momenti agens, si quid figuratè, & obscurè dixisset, aliquando rogatus, & interdum spontè, verba figurata declarare, hinc quia Discipulis *Joan. 16.* dixit: *Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem,* statim mysticam hanc locutionem ultro exposuit, cum dixit Nicodemo *Joan. 3. Amen, amen, dico tibi; nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Cum postea interrogaretur, quomodo posset id fieri, quod homo nasci iterum

iterum poſſit, cum ſit ſenex, reſpondit Chriſtus, & declaravit, quomodo verba intelligenda ſint *Joan.* 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum DEI*: unde expoſuit verba ambigua de nativitate ſpirituali, qua per baptiſmum renaſcimur Deo. Sic *Matth.* 8. propoſuerat parabolam ſeminantis, quam diſcipuli non intellexerunt: interrogantibus luculenter explicavit, ut etiam aliam parabolam de zizaniis rogantibus diſcipulis declaravit. Secus in inſtitutione Euchariſtiæ dubitantibus Judæis, & litigantibus inter ſe, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* non explicuit verba à ſe ipſo prolata, ſed quaſi interpoſito jure jurando eadem confirmavit eſſe intelligenda eo ſenſu, quo ea protulit, reſpondit enim: *Amen, amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, unde Chriſtus ſatis apertè reſpondit, ſe nulla fuiſſe uſum amphibologia, nulla metaphora, nulla æquivocatione, aut figura, quinimò aſſeruit, carnem ſuam, non figuratè, non tropicè, ſed verè eſſe cibum, & ſanguinem ſuum verè eſſe potum, *caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Unde Sectarii ſenſum clarum, ac verum ſcripturarum corrumpunt, cum verba Chriſti in alios detorquent ſenſus, & aſſerunt ſumentes Euchariſtiam carnem Chriſti tantum ſpiritualiter, impropriè, & figuratè comedere, non verò realiter. Præterea ſubdit Chriſtus, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Id autem non ſolum de manſione ſpirituali per fidem, & charitatem, verùm etiam de manſione naturali, & vera, qua carnem ſuam nobis commiſcet, intelligunt Sancti Patres, Cyrillus Alexandrinus Hilarius, Chryſoſtomus, & alii communiter. Hinc cum diſcipuli non bene intelligentes verba Magiſtri Chriſti dixiſſent: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire*, reſpondit Chriſtus comprehendens eorum cogitationes: *hoc vos ſcandalizat? ſi ergo videritis Filium hominis adſcendentem, ubi erat prius?* quibus verbis confirmat ſe daturum ad manducandum veram, realem, & propriam ſuam carnem ex futura in cœlum aſcenſione: ſicut enim verus, propriùs, & realis fuit aſcenſus ſui corporis in cœlum poſt toleratam ſuam paſſionem, & mortem pro redimendo humano genere, ita voluit, ut crederent diſcipuli, in Euchariſtia ſe, verè realiter, & propriè comedere ſuam carnem ſub ſpeciebus panis, & bibere ſuum ſanguinem ſub ſpeciebus vini. Neque ad adſtruendam manducationem ſpiritualem & per fidem opus fuiſſet adferre ſuam in cœlum aſcenſionem, quia hæc non fuit tantùm per fidem, & ſpiritualiter, ſed verè & realiter, adeo ut Chriſtus Dominus ſuo proprio, ac vero corpore aſcenderit in cœlum, ubi erat priùs. Unde qui ex aſcenſionis myſterio probat, ſe ſuam carnem daturum ad manducandum, &, qui manducabunt, in ipſo manſuros, æternumque victuros, probat ſe tam verè, ac propriè carnem ſuam daturum ad manducandum, quam verè, & propriè in cœlum eſt aſcenſurus: unde ſicut Chriſtus non figuratè, non ſpiritualiter, ſed verè, & propriè cum ſuo vero, reali, ac proprio corpore aſcendit in cœlum, ita etiam in Euchariſtia ſuum proprium, & verum corpus dat ad manducandum reipſa fidelibus, & non figuratè, & ſpiritualiter tantùm.

Demùm auditis Chriſti verbis de danda ſua carne ad manducandum plures abierunt, & eum quaſi impoſſibilia loquentem dereliquerunt. *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro*, ſin autem Chriſtus figuratè, vel æquivocè fuiſſet locutus, utique ſe declaraſſet, ut abeuntes diſcipulos doceret veritatem, eoſque ad ſe traheret, cùm enim fuerit Paſtor optimus, qui errantem ovem quæſiturus plures exantlavit labores; à fortiori verba ſua declaraviſſet, ne ſuos diſcipulos permitteret à ſe diſcedere, quos unico verbo revocare, & retinere potuiſſet, aperiendo illis verum ſuorum verborum ſenſum, & declarando ſe loqui de manducatione ſpirituali corporis ſui, per apprehenſionem fidei, aut de manducatione panis materialis, & vulgaris, qui carnis ſuæ figura eſſet, perinde ac manna in deſerto, & illius virtutem tantùm contineret. Sed diſcipulis abeuntibus duodecim Apoſtolis dixit: *Nunquid & vos vultis abire?* ſignificans ſe jam feciſſe quidquid in ſe ipſo erat, ut eos retineret, eò quia hoc myſterium non poſſet clarius explicari, ac propterea dari Apoſtolis optionem ut credant vel abeant, & nomine omnium reſpondit Simon Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius DEI*, & Apoſtoli omnes crediderunt, Chriſtum fuiſſe locutum non figuratè, non per æquivoca, vel amphibologias, ſed verè & propriè de vera, reali & propria carne, quam erat daturus ad manducandum corporaliter, & non ſpiritualiter tantùm, & figuratè.

Hoc idem fidei dogma etiam evincitur ex ipſis verbis Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, ſiquidem *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 21. *Accepit JESUS panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, ac ait: Accipite, & comedite; Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: *bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis novi teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hæc enim verba, quibus Chriſtus Dominus Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, dogma fidei tradidit, legem eccleſiæ ſuæ promulgavit, teſtamentum ſuum condidit, fœdus cum ſuis fidelibus inivit, debuerunt excludere omnem metaphoram, obſcuritatem, amphibologiam, & æquivocationem, & eſſe talia, ut in proprio ſenſu naturali, & cuilibet obvio ſtatim intelligerentur: ſi enim homines in ſuis condendis teſtamentis, & legibus ſatagunt propriè, & clarè loqui, debuit etiam Chriſtus in proprio ſenſu naturali, & obvio loqui, cùm dixit Apoſtolis, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, & bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus*; per hæc enim verba Sacramentum inſtituit, dogma fidei tradidit, legem Eccleſiæ ſuæ dedit in perpetuum tempus duraturam, fœdus ſancivit, teſtamentum condidit, & non exteros, ſed amicos, ac filios his verbis compellavit. Æternum amoris pignus ipſis daturus *Joan.* 13. *Sciens JESUS, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quòd ſi loquebatur ad amicos, & filios, quos diligebat. *Vos amici mei eſtis, jam non dicam vos ſervos*, non opus erat, ut obſcurè loqueretur, & per amphibologias, quapropter hæc verba, *hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*, in ſenſu proprio, non metaphorico; non figurato protulit, proinde non figuram tantùm corporis, & ſanguinis Chriſti, ſive efficacem, ſive inefficacem in Euchariſtia nobis traditam credere tenemur, ſed verum Corpus Chriſti & ſanguinem, *ſi enim hominis teſtamentum confirmatum nemo ſpernit, aut ſuperordinat*, ut ſcribit Apoſtolus *ad Galat.* 3.

Quan-

Digitized by Google

Quantò minus testamento Christi derogandum est. Testamenta verbis propriis, simplicibus, & perspicuis conduntur, ut verba iisdem inserta intelligantur facile in sensu obvio. Christus igitur in institutione hujus Sacramenti suum exaravit testamentum, unde Sanctus Gaudentius *Tractat. 2. in Exod.* vocat hanc institutionem *hæreditarium munus novi testamenti*, quare cum Christus dixit: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, sunt hæc verba intelligenda in sensu proprio, & obvio, & nonnisi impiè detorquentur in sensum figuratum, id enim perinde est, ac testamentum Christi salvatoris corrumpere, & violare & umbraticum testamentum pro vero, & reali supponere, si figuram tantùm corporis sui dare voluisset, cur æquivocatione usus fuisset: cùm sciret maximam hominum partem in errorem esse lapsuram? cur mentem suam non expressit simplicibus, apertisque verbis? ait Sanctus Hilarius lib. 8. de Trinit. *Fortè qui verbum est, & qui veritas est, loqui vera nescivit? & qui Sapientia est, in stultiloquio erravit: & qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi? Num mentis, & linguæ artifex disertè loqui non posset? imò vero summa providentia fuco carere voluit, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Quis posset verbis uti magis apertis, perspicuis, & obviis ad significandum, se veri proprìique corporis sui substantiam tradere? annon opus erat, ut diceret, hoc est verè, & propriè corpus meum, non figuratè, id certe necessum non fuit, quia sicut Pater æternus, cùm designaret Christum, dixit: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*, non dixit: hic est verè, propriè, & non figuratè Filius meus; & cum Evangelista Verbi æterni incarnationem explicuit, non dixit: Verbum verè, propriè, & non figuratè caro factum est, carne in unitatem personæ assumpta, sed simpliciter dixit: *Et Verbum caro factum est*: & quando Angelus Deiparæ Virgini annuntiavit mysterium Incarnationis, non dixit, verè, propriè, & non figuratè in utero concipies, proprium Filium DEI, sed simpliciter: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius DEI*, ergo sicut tenemur credere Christum esse verè, & propriè Filium DEI, Verbum verè & propriè assumpsisse humanitatem: ita quamvis Christus assumpto pane, & benedicto, non dixerit; Hoc est vera, propria, non figurata substantia corporis mei, sed simpliciter *hoc est corpus meum*, tenemur credere, Christi corpus verè, & propriè, ac substantialiter nobis dari in Eucharistia, maximè, cum Christus addiderit, *quod pro vobis tradetur*, & de suo sanguine *qui pro multis effundetur*, siquidem his verbis clarè significat inesse Eucharistiæ idem corpus verum, & reale, ac proprium, quod passum fuit in cruce, & sub speciebus vini eundem sanguinem, qui pro multis erat effundendus verè & realiter, cum igitur corpus Christi verè & proprie, & substantialiter fuit passum, & mortuum, ita hoc idem verè, & proprie ac substantialiter est in Eucharistia sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini. Quando Christus instituendo hoc Sacramentum dixit: *Hoc est corpus meum* fuit locutus de illo corpore, quod pro redimendo humano genere erat tradendum, *quod pro vobis tradetur*, & de suo sanguine, qui pro multis seu pro redimendis omnibus hominibus erat effundendus. *Si* igitur Christus proprium verum, ac substantiale corpus pro nobis ad mortem obtulit, non figuram corporis, si verum proprium sanguinem pro nobis fudit, non figuram sanguinis, sequitur manifestè, corpus Christi verè, propriè, & substantialiter esse in Eucharistia sub speciebus panis; & verum, proprium, & substantialem sanguinem sub speciebus vini. Demum quia nemo ex Evangelistis recensentibus verba, quæ Christus protulit in institutione hujus Sacramenti, meminit hujus figuræ, nec tropicæ locutionis; sed omnes unanimes asserunt, Christum dixisse: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, aut *calix sanguinis mei*, & nullus asserit, fuisse verba hæc prolata per figuram; nemo ullum verbum addidit, ex quo possit conjici, illam Christi locutionem fuisse figuratam, tropicam, metaphoricam, ut affirmant Acatholici, imò neque Apostolus Paulus recensens hujus Sacramenti institutionem meminit hujus impropriæ, ac figuratæ locutionis: & incredibile est, neminem Evangelistarum nec Divum Paulum expressisse hunc sensum, si Christus illum intellexisset, ut putant hæretici: omnes narrarunt verba à Christo prolata fuisse in sensu proprio, & obvio, seu ut sonant.

Mirum sanè, quod fuerint ab Hæreticis confictæ explicationes ad eludendam unicam veram, & catholicam ab omnibus SS. Patribus a primis Apostolorum temporibus usurpatam significationem, Zvvinglius tel, undet illud verbum, *est*, ibi sumendum esse pro *significat*, perinde ac *Exodi* 12. Agnus paschalis dicitur esse pascha, seu phase, id est transitus Domini. Calvinus tropicè vult esse intelligendum nomen illud *corpus*, quasi Christus dixerit hic panis est figura mei corporis, non tamen nuda figura, sed efficax, quæ rem ipsam exhibeat. Alii explicantes pronomen *meum*, volunt esse intelligendum possessivum, adeo ut sensus sit, *hoc* (ostenso pane) *est corpus meum*, id est à me creatum. Alii pronomen *hoc* etiam explicant adverbialiter pro *hic*, adeo ut sensus sit, *hic sedet corpus meum*, quæ expositio est magis ridenda, quam impugnanda: quis enim rem alioquin præsentem, cujusmodi erat corpus Christi, Apostolorum oculis digito ostenderet videndam, & alios monere, ut eam viderent? alii alias itidem finxerunt explicationes, quæ nullius sunt momenti.

Verum ut nervosè has rejiciamus extortas, & confictas explicationes, juvat argumentari: si Christus dicens, *hoc est corpus meum*, iis verbis usus est, ut si reale corpus suum dare voluisset, non potuisset uti clarioribus, certè non potuisset loqui figuratè, quin mendacium voluisset proferre, sed si Christus per verbum consecrationis reale suum corpus poneret sub speciebus Eucharisticis, non potuisset uti aliis verbis clarioribus, & expressioribus, quam dicendo: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: ergo si Christus tantùm figuratè fuit locutus, sequitur mendacium fuisse; quòd absit, & est impossibile, quod prima veritas falsum asserat, & mentiatur: Major ostenditur, quia nemo aliter mentitur, quam cum usurpat ea verba, quibus non potest clarius significari unum, & tamen per talia verba non intendit illud unum significari, sed quid aliud, alioquin nunquam posset quis convinci mendacio. Minor patet, quia ad significandum verum reale, & consubstantiale corpus Christi esse in Eucharistia, non potuit Christus id clarius, & expressius significare, quam dicendo *Hoc est corpus meum*; *hic est sanguis meus*, unde rectè Chrysostomus *homil.* 83. *in Matth.* ait: *Quoniam ergo ipse dicit, hoc est corpus meum; nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculo intellectus perspiciamus.* Rursus, quando Deus in scripturis revelavit Mysteria Trinitatis per hæc verba: *Hi tres unum sunt*, & mysterium Incarnationis: *Verbum*

caro factum est, & resurrectionem per hæc alia verba: *Omnes quidem resurgemus*, non fuit clariùs locutus, quàm Christus, cùm dixit: *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*, sed in verbis illis, quibus Deus revelavit mysterium incarnationis, Trinitatis, & resurrectionis à mortuis, non potest dici esse locutum figuratè, quin Deus fuisset mentitus, quod est impossibile, ergo cùm Christus dixit: *Hoc est corpus meum*, non potest intelligi figuratè, quin Christus dicatur fuisse mendax, quod absit: etenim si Sectario licet exponere figuratè illa verba: *Hoc est corpus meum*, licuisset etiam Sabelliano neganti mysterium Trinitatis figuratè explicare verba illa: *Hi tres unum sunt*, quibus DEUS revelavit mysterium Trinitatis: Rursus licuisset Valentiniano asserenti, Christum non habuisse veram carnem, interpretari verba illa, *Verbum caro factum est*, de carne tantùm apparente: Sed Sacramentarii expressè negant, verba, quibus fuit revelatum mysterium Trinitatis, posse intelligi figuratè: negant itidem, hæc alia verba: *Verbum caro factum est*, esse exponenda de carne solum apparente, non ob aliam rationem, nisi quia Deus per verba verè, & propriè significantia talia mysteria ea hominibus revelavit: sed etiam Christus per verba verè, & propriè significantia suum verum, proprium, & substantiale corpus in Eucharistia, revelavit, ac instituit hoc Sacramentum: consequenter tenentur fateri Sacramentarii, verba Christi non esse intelligenda figuratè, nec metaphoricè, sed in sensu vero, reali, proprio, & obvio.

Præterea quia exponere tam clara, ac propria verba Christi figuratè non solùm est asserere Christum mendacem, sed etiam impostorem: etenim ille homo esset impostor, qui condens suum testamentum, & instituens hæredem aliquem, nonnisi figuratè loqueretur, siquidem deciperet eos, quibus ex testamento aliquid relinquit, si enim Petrus ex testamento diceret, se relinquere agrum Joanni, proculdubio illum deciperet, si non relinqueret, nisi figuram agri, & nullus Judex ferre posset talem interpretationem testamenti: sed Christus instituens Eucharistiam condebat suum testamentum, *hic est calix novum testamentum in meo sanguine*: ergo esset impostor, si nonnisi figuratè fuisset locutus, relinquens solam figuram corporis, & sanguinis sui: ergo verba Christi nullo pacto possunt intelligi figuratè. Rursus quia inire contractum per verba ambigua, & quæ facile in alium sensum intelliguntur ad decipiendum, est tollere valorem contractus: sed Christus, ut non diffiteretur Sacramentarii instituens Eucharistiam sanciebat fœdus, ergo non potuit sine impostura loqui figuratè. Tum quia proponens articulum fidei, quem absque ulla ambiguitate tenentur omnes credere, uti debet verbis ita propriis, ut nullum relinquant locum dubitationi; alioquin exponeret periculo peccati eos, qui obligarentur; imò ipsis esset impossibile excludere omnem dubitationem, quia verba per se illam inducerent: sed Christus hic tradebat articulum fidei, quem tenentur omnes credere, ergo debuit uti verbis propriis, quæ omnem excluderent dubitandi occasionem: si quis autem audiens Christum dicentem: *Hoc est corpus meum*, non haberet occasionem credendi, esse in Eucharistia verum corpus, & non solum figuram, nulli esset possibile, credere hunc articulum sine dubitatione, consequenter sine peccato, cùm fides debeat excludere omnem dubitationem, ergo satis apertè constat, verba Christi non intelligi figuratè, sed in verò sensu reali.

Demum, quia testamentum vetus *Exodi* 24. perspicuis, propriis, ac dissertis verbis traditum est antiquis Patribus, adeo ut nullus ibi adsit sensus metaphoricus, nulla verborum ambiguitas, nullus sensus, qui sumatur tropicè; sed omnia habentur in verò, proprio & obvio sensu, ut verba sonant in propria significatione: sed non decuit vetus testamentum, quod erat figura, & umbra novi, propriis vocibus, verbisque perspicuis proponi, & novum per figuratas, ambiguas, & obscuras locutiones tradi, ergo cum Christus instituens Eucharistiam testamentum suum condiderit, juxta illud *Luc.* 22. & 1. *Corinth.* 11. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, prædicta verba, quibus Christus hoc Sacramentum instituit, dicens: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: non debent intelligi in sensu figurato, præsertim cùm Christus dicat: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; siquidem per adverbium illud *verè* bis repetitum voluit excludere omnem figuram, & sensum metaphoricum, & voluit, ut intelligeretur in sensu proprio, vero, & reali, quia si tantùm figuratè, ac metaphoricè esset in Eucharistia Corpus Christi, non posset dici, quòd *verè* sit ibi Corpus Christi, sed tantùm tropicè, sicut quando dicuntur, prata ridere, intelligimus risum tropicè ac metaphoricè inesset pratis; hinc Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 40. ait: *In calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit*: ergo si testamenta nonnisi verbis propriis, & perspicuis conduntur à viris prudentibus, censendum omnino est, Christum nonnisi verbis propriis, & non figuratis, aut metaphoricis suum condidisse testamentum in institutione hujus Sacramenti. Præterea, quia adeo censetur necessarium, ut testamenta nonnisi per verba propria instituantur, ut in *lege, non aliter. ff. de legat.* 3. statuatur in significatione verborum alicujus testamenti non esse licitum à proprietate verborum recedere: ergo nullo pacto possunt præfata Christi verba intelligi figuratè, ut volunt Acatholici Sacramentarii.

Tum quia fatentur isti Christum verbis illis præcitatis instituisse præstantissimum omnium Sacramentorum, sed Sacramenta cum sint fundamenta Ecclesiæ, & bases, quibus innititur veritas fidei Catholicæ, non debent implicari verbis ambiguis, obscuris, & tropicis, ut præcidatur omnis occasio errandi circa eorundem usum, qua de causa circumcisio clarissimè, & verbis propriis instituitur *Genes.* 17. ut etiam Comestio agni Paschalis *Exod.* 12. Et in toto Levitico iisdem verbis propriis, seclusis omnibus metaphoris, ac figuris, instituuntur sacrificia, expiationes, & Sacræ Cæremoniæ. Christus itidem *Matth. ult.* præceptum & usum baptismi nonnisi verbis propriis, ac perspicuis sine ulla metaphora declaravit: ergo nullus est rationis compos, qui possit sibi persuadere, eundem Christum in institutione Eucharistiæ, seu primarii legis Evangelicæ Sacramenti obscurè, & tropicè fuisse locutum, ac usurpâsse verba illa, *hoc est corpus meum*, non in sensu proprio, sed figurativo.

Addendum itidem, evangelistas ita consuevisse scribere, ut quod ab uno obscurius traditum erat, id ab alio clariùs explicaretur, hinc quia Joannes Baptista à

S. Mat-

S. Matthæo vocatur Elias; S. Lucas, ut intelligatur, in quo sensu fuerat Matthæus locutus, ait: *Venit Joannes in virtute, & Spiritu Eliæ:* Unde Matth. intelligendus est, dixisse Joannem Baptistam virtute, & Spiritu esse alterum Eliam: quia D. Lucas narrat ejectum fuisse dæmonium in digito Dei: S. Matthæus id explicat, in Dei Spiritu: quia Matthæus, & Marcus referunt fuisse Christum accusatum, eò quia dixerit: *Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, non explicuerunt, de quo templo fuit Christus locutus. S. Joannes significavit, de templo corporis sui fuisse Christum locutum: sed ex Evangelistis, dum loquuntur de institutione Eucharistiæ, nullus est, qui interpretetur, ac declaret verba alterius; nec ullus est, qui asserat pronomen *hoc* esse intelligendum adverbialiter pro *hic* seu in hoc loco, ut faciunt Sacramentarii. Neque ullus est Evangelista, qui asserat verbum *est* esse sumendum pro *significat*: neque quod per *corpus* non significetur Corpus Christi naturale, sed aut mysticū Discipulorum, aut signum, aut figura veri Corporis Christi, quia Evangelistæ nullam faciunt mentionem figuræ, vel signi, in referendis verbis Christi, quibus instituit Eucharistiam, neque ullus est, qui pronomen *meum* exponat possessivè, ut intelligunt, & explicant Sacramentarii: sed omnes Evangelistæ unanimi consensu semper usi sunt iisdem verbis Christi, *hoc est corpus meum*: ergo nonnisi in sensu proprio, & non in tropico, & figurativo possunt intelligi. Quod etiam evincitur clarè ex verbis sequentibus: quod pro vobis tradentur, & de sanguine, *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum:* Sed corpus, quod fuit traditum, passum, & mortuum, fuit verum, ac substantiale Christi corpus, sicut etiam sanguis, qui effusus in cruce, & in passione Christi in remissionem peccatorum fuit verus, ac proprius, substantialis Christi Sanguis, & non signum sanguinis, nec corporis, quia solum Christi corpus, & sanguis potuit redimere humanum genus, & tradi, ac effundi in remissionem peccatorum: neque quod tradebatur, fuit corpus Apostolorum, neque eorum sanguis effundebatur, neque tradebatur panis à Christo creatus, sed verum corpus, & verus Sanguis Christi, ex quibus omnibus satis apertè liquet, fallas esse omnes Sacramentariorum explicationes, & apertè constat, Christum in institutione hujus Sacramenti usurpasse verba propria, quibus significaret verum, proprium, reale, ac substantiale suum corpus fuisse traditum, & verum proprium suum sanguinem pro nobis effusum in remissionem peccatorum.

Quòd si consueverunt semper homines in vitæ extremo constituti per verba propria explicare suos sensus, & non mentiri; certè hoc idem præstitisse Christum omnino sentiendum est, quando morti proximus instituit hoc Sacramentum, unde Augustinus *de unitate Ecclesiæ cap.* 11. *Cum verba novissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dixit esse mentitum; & impius judicatur hæres, qui fortè illa contempserit: quomodo ergo effugiemus iram Dei? si vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba novissima, & unici Filii DEI, & Domini Nostri, ac Salvatoris, & ituri ad cœlum, & unde prospecturi, quis ea negligat? quis observet? & inde venturi, ut de omnibus judicet.* Perperam igitur litigant Sacramentarii asserentes, Corpus Christi nonnisi in figura esse in Eucharistia, non verò secundum propriam, realem substantiam: aperiant tandem oculos, ut videant, veritatem agnoscant, quam Evangelistæ unanimi consensu fatentur, & iisdem assentiuntur omnes Sancti Patres, & audiant D. Augustinum eos alloquentem *in Psal.* 21. *Fratres sumus, quare litigamus? Non intestatus mortuus est Pater. Fecit testamentum, & sic mortuus est: mortuus est, & resurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum; & cum testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur, & recitentur; Judex intentus audit, advocati silent, Præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui non sentientis in monumento: Ille sine sensu jacet in monumento, & valent verba ipsius: sedet Christus in cœlo & contradicitur testamento ejus. Fratres sumus, quare contendimus? tranquilletur animus noster, non sine testamento nos dimisit Pater. Qui fecit testamentum, vivit in æternum, audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus, quid litigamus? ubi inventa fuerit hæreditas, ipsam teneamus. Christus Jesus Dominus Noster testamentum condidit, nobis corpus, & sanguinem suum legavit dicens: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Quid clariùs? quid expressius? & quid vanius pro corpore, & sanguine Christi figuras quærere, quibus ipsa lux inumbretur? verba Christi per se clara sunt, se ipsa explicant in sensu obvio, neque debemus in sensus improprios, æquivocos ea retorquere.

CAPUT IV.

Idem fidei dogma evincitur ex certa Apostolorum traditione, Ecclesiæ sensu, & Sanctorum Patrum unanimi consensu.

Esse in Eucharistia post prolata verba consecrationis sub speciebus panis verum, proprium, ac substantiale Corpus Christi, & sub speciebus vini verum, proprium, ac substantialem Christi sanguinem ex perpetua, & nunquam interrupta traditione, ab Apostolis ad nos usque continuata serie per manus Majorum derivata, delatum est, ac in omni ætate viguisse, & oppositam sententiam semper habitam fuisse apertam hæresim, ac oppugnatam à Sanctis Patribus, damnatam à Conciliis, ut ex constat. Primò, quia oculatus traditionis testis est S. Andreas Apostolus in vita ab ejus Discipulis descripta, etenim Egeæ Proconsuli hortanti S. Andream, ut Diis immolaret, respondit Apostolus: *Ego Omnipotenti Deo, qui vivus, & verus est, quotidie immolo non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes postea cùm omnis populus credentium*

man-

manducaverit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus. Hanc autem narrationem certissimam esse, ac fidei indubitatæ testatus est Petrus Damianus, ait enim *serm. 2. de S. Andrea*, ubi loquitur de hac historia, non immerito in singularem authoritatis arcem suscepta est, quam, qui viderunt, scripserunt, & Ministri fuerunt sermonis; S. Jacobus frater Domini in sua liturgia expressè etiam fatetur per verba consecrationis verum corpus, & sanguinem Christi confici, quod etiam affirmat in sua Liturgia S. Marcus. Hæc eadem veritas evincitur etiam ex verbis Apostoli 1. *ad Corinth. cap.* 10. ubi per interrogationem, quasi re confessa, & certissima loquens, ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* ac si diceret Corinthiis: ita in Ecclesia instituti estis, ut nemo vestrum hoc ignoret, verè ergo & realiter in hoc Sacramento participant fideles corpus, & sanguinem Domini: non enim figuræ, non virtutis, & efficaciæ corporis, & sanguinis Domini, non Spiritus Domini, sed corporis ipsius, & sanguinis communicationem, & participationem Apostolus vocat sumptionem hujus Sacramenti, quapropter ex Apostolo, non figura, non virtus, & efficacia corporis, & sanguinis Christi, non Spiritus Domini, sed verum, proprium, reale, ac substantiale Christi corpus sub speciebus panis post consecrationem; ut etiam verum, proprium, realem, ac substantialem sanguinem sub speciebus vini asserit Apostolus adesse in Eucharistia, subdit postea hujus communicationis admirabilem effectum, inquiens: *Quoniam unus panis &c. unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Quòd si in Eucharistia verè non sumeretur corpus Christi, sed panis communis, falsum esset, omnes Christianos de uno pane participare, sed potius asserendum esset à diversis hominibus diversos panes manducari, & tot panes sumi, quot sunt manducantes, perinde ac in veteri lege, non unus fuit agnus paschalis, quem omnes comederent, quamvis agnus ille unum Christum significaret, sed tot comedebantur agni distincti, quot erant familiæ: sed si Christi corpus re ipsa, & secundum substantiam in Eucharistia præsens esse credamus, manifestum est, omnes fideles ubique terrarum de uno eodemque pane, qui corpus est Christi, participare, sive unum eundemque illum panem comedere, *& cap.* 11. de præparatione ad sumptionem Eucharistiæ adhibenda, ita loquitur Catechismus Concilii Tridentini, quòd si, ut Hæretici dictitant, nihil aliud in Sacramento venerandum esset præter memoriam, & signum passionis Christi; quid opus erat, tam gravibus verbis fideles hortari, ut se ipsos probarent, cum Apostolus dixerit, *quicunque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini, probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, Judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Gravi enim illa judicii voce declaravit Apostolus, nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impurè sumit corpus Domini, quod in Eucharistia latet, & ab alio ciborum genere non distinguit; quia, ut ait Apostolus, qui manducat indignè panem Eucharisticum, reus est corporis, & sanguinis Christi.

Hæc eadem veritas evincitur ex communi ecclesiæ consensu de præexpenso sensu scripturarum asserentium, in Eucharistia reperiri verum, proprium, ac substantiale Christi corpus sub speciebus panis, & verum sanguinem sub speciebus vini. Etenim Sancti Patres, qui in ecclesia singulis sæculis floruerunt, hanc veritatem asseruerunt, docuerunt, propugnarunt. In primo sæculo Sanctus Ignatius Martyr Apostolorum discipulus *epist. ad Smyrnenses*; Eucharistiam carnem esse asserit Salvatoris nostri JESU Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quamque Pater sua benignitate excitavit. Sanctus Justinus Martyr Apolog. 2. vocat Eucharistiam Incarnati JESU carnem, & sanguinem; ait ipse: *Ad eundem modum, quo verbum DEI caro factum est, carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit.* Sanctus Irenæus Martyr *Lib. 4. cap. 14. & lib. 5. cap. 2.* asserit: *Panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini, & calicem sanguinis ejus.* Et ex eo probat, Christum esse verum filium DEI, & creatorem mundi; & corpora nostra aliquando surrectura. Sanctus Ignatius, qui fuit Sancti Joannis Apostoli discipulus in alia Epistola, quam scribit ad Romanos, ait: *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ: Panem DEI volo panem cælestem filii, qui est caro Christi, DEI.* Clemens Romanus tertius à S. Petro Romanus Pontifex *lib. 3. Apostol. Constit. cap.* 17. DEUM alloquens ait: *Rogamus te, ut mittas Spiritum Sanctum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini JESU, ut ostendas hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui*; & *cap.* 21. ait: *Percepto corpore, & pretioso sanguine Christi*, quæ verba leguntur in Liturgia Sancti Jacobi Apostoli. Rursus Sanctus Martialis, qui fuit discipulus Sancti Petri Apostoli, scribens *ad Burdigalenses cap.* 3. ait: *Quod Judæi per invidiam immolaverunt* (id est, corpus, & sanguinem Christi) *nos in ara sanctificata salutis nostræ causa proponimus*, seu in sacrificio missæ immolamus verum corpus, & sanguinem Christi JESU. Sanctus Dionysius Areopagita discipulus Divi Pauli Apostoli *lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3.* ita Eucharistiam alloquitur: *O divinissimum, & sanctissimum Sacramentum obducta tibi symbolicè operimenta ænigmatum revelans, dilucidè nobis demonstra, ac spirituales nostros oculos singulari, apertoque lumine imple.* Notanda sunt verba illa: *Obducta tibi symbolicè operimenta*, quibus expressè declarat Eucharistiam aliud esse præter Symbolum, & figuram, seu esse verum Christum, quem sub signorum operimentis latentem invocat. Sanctus Hilarius *lib. 8. de Trinit.* ait: *Nos verè verbum carnem cibo Dominico sumere* (seu Christum) *naturaliter manere in nobis*: & inde probat, DEI filium esse unum cum Patre, non sola concordiæ unitate, sed naturæ. Sanctus Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* ait: *Neque fide solum, sed re ipsa Christum nos suum efficere corpus, linguam nostram illius sanguine cruentari: Eare nos ali, quam Angeli trementes vident. Nos cum illo in unam massam reduci, fierique corpus unum, & unam carnem: Christum pastorem optimum, membris suis oves suas nutrire, proprio corpore nos alere, sibique conjungere, & agglutinare. Id quod est in calice, esse id quod fluxit ex latere, & illius nos esse participes.* Sanctus Ambrosius lib. de his *qui myst. sunt initiati cap.* 9. Eucharistiam vocat Christi carnem, & sanguinem & illi postponi Manna, perinde ac umbra postponitur Luci, ait ipse: *Potior est enim lux, quàm umbra; veritas quam figura; corpus Authoris, quàm Manna de cælo. Forte dicas, aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc adhuc nobis superest, ut probemus,* & asserit, hoc quod conficimus, corpus ex virgine esse, & ait

ante

ante consecrationem esse panem, ubi verò verba accesserint consecrationis, esse corpus Christi. Ante verba Christi calicem esse vini & aquæ plenum, ubi verba consecrationis operata fuerint, ibi sanguinem effici, qui plebem redemit; & rursus Dominum JEsum testificari, quod corpus ejus manducemus, & ejus sanguinem bibamus; consequenter nefas esse de hac re ambigere, cum non possit Christus mentiri, neque nos fallere: hinc fideles, qui sacrificio missæ inter sunt, respondent *amen* seu *verum est*. D. Hieronymus Eucharistiam passim vocat *corpus Christi*, & communiter festum eucharistiæ dicitur *festum corporis Domini*, eo quia idem sit Eucharistia, ac corpus Christi Domini; & Sancti Patres, præsertim D. Hieronymus, opponit Eucharistiam oblationi Melchisedech, eò quia illa oblatio fuerit figura, & Eucharistia figuratum per talem figurâ; panes enim propositionis quos Melchisedech obtulit, præfigurarunt panem Eucharisticum, quem Christus obtulit æterno Patri, & eos opponit, ut umbram figuræ, seu vero, ac proprio corpori Christi sub speciebus Eucharisticis. D. Augustinus *in Psal.* 33. ait, Christum corpus suum in manibus portasse, quando ipsum corpus suum commendans ait: *Hoc est corpus meum*, cùm tamen se ipsum propriis manibus portare nemo possit, bene tamen figuram sui ipsius: ex quo sequitur, in Eucharistia non esse figuram solam Christi, sed verum, proprium, & substantiale Christi corpus, cujus nos participes fieri, quando communicamus, asserit ipse Christus; & addit hanc esse veritatem promissam per sacrificia veteris legis, & in nova evangelica exhibita, id quod Deus filio suo aptavit, de quo per Prophetam dixit: *Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi*, quatenus in altari, victima Sancta dispensatur, quâ deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis; quâ triumphatus est hostis, computans delicta nostra. S. Cyrillus Alexandrinus docet per mysticam Eulogiam, seu Eucharistiam, nos in nobis suscipere filium; & cum ejus carnem degustamus, tunc vitam habere in nobis, eique uniri; ob quam causam, ait, in suscitandis mortuis, non verbis tantum, & nutu Christus usus fuit, sed carnem suam voluit operatricem adhibere: *Ut ostenderet illam vivificare posse, ac velut unum quid cum ipso jam factam esse. Quod si solo tactu sanctæ carnis id, quod corruptum est vivificatur, quomodo vivificam illam eulogiam non uberiorem consequemur, cum eam degustabimus? in suum enim ipsius bonum, hoc est, immortalitatem, nos, qui participes fuerimus, omnino transformabit.*

Neque Sancti Patres solùm in fide, ut voluit Calvinus, sed afferunt verum, proprium, reale, ac substantiale Christi corpus esse in Eucharistia sub speciebus panis, & verum, proprium, ac substantialem sanguinem sub speciebus vini peracta consecratione, ait S. Joan. Chrysostomus *homil.* 3. *in Matth. semet ipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum, & re ipsa, nos suum efficit corpus*: Et Cyrillus Alexandrinus affert exemplum ceræ liquefactæ, quæ incorporatur alteri pariter liquefactæ inquiens *lib.* 3. *in Joan. cap.* 13. *Quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alteri ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur: sic communicatione corporis, & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso: non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturale vitæ corpus conjungeretur.* Præterea Sancti Patres expressè docent, Sacramentum Eucharistiæ propter Christum in eo existentem esse adorandum: non enim deberet adorari, nisi Christus in eo verè, & realiter contineretur, quia talis cultus esset idololatria, quia adoraretur ut Christus, quod revera non esset Christus: ergo docent Sancti Patres in Sacramento Eucharistiæ verè propriè, & realiter contineri corpus Christi. Major ex Sanctis Patribus evincitur, ait enim S. Augustinus *epist.* 102. *cap.* 27. *Fideles veniunt ad mensam, manducant, atque adorant*; & *in Psal.* 20. *expos.* 1. expendens verba illa, *manducaverunt*, hoc idem adstruit, ut etiam *in Psal.* 98. ubi ait: *Et carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam manducat, nisi prius adoraverit.* D. Ambrosius *lib.* 3. *de Spiritu S. cap.* 12. expendens illa verba *Psal.* 98. *Adorate scabellum pedum ejus*, ait: *Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie in mysteriis adoramus*: & D. Chrysostomus *homil.* 5. *in Epist. ad Ephesios* ait: *adora, & manduca*, quod si prius est Eucharistia adoranda, & postea manducanda, est in illa verum, ac reale corpus Christi sub speciebus panis, & verus, ac proprius, realis sanguis sub speciebus vini.

Præterea non tantùm Sancti Patres, verum etiam concilia, hoc fidei dogma definiverunt, scilicet esse in Eucharistia verum, proprium, ac substantiale corpus Christi post consecrationem sub speciebus panis; & verum sanguinem sub speciebus vini. Cùm enim ante septem circiter sæcula Berengarius Archidiaconus Andegavensis hanc veritatem negare ausus fuerit, & asserere, in Eucharistia tantùm esse quoddam signum corporis Christi; in Romano primùm Concilio sub Leone IX. hæc hæresis condemnata fuit; & iterum in Concilio Vercellensi, & cum hæresi Berengarii etiam liber Joannis Scoti Eriginæ, quo patrono gloriabatur Berengarius. Tertiò itidem damnatus fuit in Concilio Parisiensi sub Henrico I. rege Christianissimo, & quartò etiam in Concilio Florentino sub Victore II. Romano Pontifice anno 1055. Quintò in Concilio Turonensi præsidentibus legatis Pontificis Romani, in qua Synodo Berengarius suum errorem ejuravit, & fidem catholicam de vero, proprio, & substantiali corpore Christi existente post verba prolata consecrationis sub speciebus panis; & de vero, proprio, & substantiali sanguine sub speciebus vini confessus, & professus est, subscriptione etiam data, & juramento firmata; sexto, à Romana Synodo sub Nicolao II. anno 1059. in iterum qui hæresim ejuravit, ac fidem catholicam de veritate Eucharistiæ professus illâ formâ, quæ habetur in *cap. Ego Berengarius. dist.* 2. *de consecratione.* Septimo in Concilio Rothomagensi sub Mauritio Archiepiscopo annò 1063. cum Berengarius in pristinum errorem lapsus accusaretur. Octavo in Concilio Pictaviensi præside Siraudo Episcopo Engolismensi nuncio Apostolico anno 1035. Nono à duobus Romanis Conciliis sub Gregorio VII. Romano Pontifice annis 1078. & 1079. Decimò à Concilio Burdegalensi anno 1080. Præside Hugone Vienensi primo Episcopo, & postea Archiepiscopo Lugdunensi sedis Apostolicæ Legato, & quamvis hæc Concilia hanc hæresim damnaverint, eandem iterum excitarunt Waldenses, & Albigenses, quos Innocentius III. damnavit in Concilio Oecumenico Lateranensi *can.* 1. & demum ultimis temporibus eandem malè coctam crambem recoxerunt Zvvingliani, & Calviniani, quem errorem Tridentina Synodùs *sess.* 13. & *can.* 1. anathematizavit his verbis: *si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini Nostri JEsu Christi, ac proinde totum Christum, seddixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute,* anathe-

anathema ſit. Tot igitur celebrata Concilia Oecumenica & Provincialia hanc veritatem Sacramenti Euchariſtiæ adeo unanimiter divino aſſlante Spiritu aſſeruerunt, & confirmarunt, ut non liceat amplius fidelibus de hac veritate dubitare, quinimò inter cæteros fidei articulos etiam hoc Euchariſticum dogma comprehenditur, cùm enim in Symbolo fateamur Deum omnipotentem, tenemur etiam credere ineſſe eidem poteſtatem efficiendi, quod in Euchariſtiæ Sacramento ex vi verborum conſecrationis adſit verum, proprium, reale, ac ſubſtantiale corpus ſub ſpeciebus panis, & etiam verus, proprius, realis, ac ſubſtantialis ſanguis ſub ſpeciebus vini. Quòd ſi id non repugnat, nec apparet impoſſibile Deo, tenemur concedere ei poteſtatem id efficiendi. Præterea credimus Sanctam Eccleſiam Catholicam veram eſſe, ergo tenemur etiam credere hujus Sacramenti veritatem, quam eccleſia Catholica credit, & diſſerit, & credendam proponit fidelibus, & quam Sancti Evangeliſtæ, promulgarunt, & Apoſtolus Paulus gentibus prædicavit, in eo ſenſu eſſe intelligenda verba conſecrationis, quo nos ſuperius explicuimus, & evidenter oſtendimus cum Sanctis Patribus. Cum igitur univerſa Eccleſia catholica hanc veritatem adſtruat, & doceat, & ſit columna, & firmamentum veritatis, adeo, ut in docendis fidei dogmatibus, ob promiſſam illi aſſiſtentiam Spiritus ſancti, docentis eam omnem veritatem, impoſſibile ſit poſſe errare, quia cùm ſit Eccleſia diſcipula Spiritus ſancti, ejus error refunderetur in ipſum Spiritum ſanctum.

Hæc eadem veritas probatur etiam rationibus, cùm enim ſit præcipuum Catholicæ fidei dogma, & fundamentum; quod Hæretici unanimes nituntur evertere, ideo diutius operæ pretium eſt in eadem veritate demonſtranda immorari, ut diſcuſſis omnibus ignorantiæ, & dubitationis caliginibus, tandem Sectarii lucem videant veritatis, & fateantur, quod negare nullatenus poſſunt. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 75. *art.* 3. aliquas adfert rationes, quæ potius ſunt congruentiæ, quibus hanc veritatem Euchariſticam probat: præcipuam deſumit ex figuris Euchariſtiæ, quæ fuerunt in antiqua lege; etenim, ſi Euchariſtiæ non eſſet niſi purus panis, Eccleſia Chriſti excederetur in ſacrificiis ab antiqua Synagoga, quia Eccleſia præter ſacrificium miſſæ nullum aliud habet, quo divinam recognoſcat excellentiam, cùm è converſo Synagoga plures & varias habuerit oblationes, & victimas, quibus divinæ litaret Majeſtati; propterea corruerent antiquæ prophetiæ, quibus ſemper aliquid majus, & excellentius in ſacrificium Eccleſiæ poſt adventum Meſſiæ promittebatur, quam antea non fuerit, ut ex *Malachia* 1. & *Zacharia* 8. probat D. Thomas 3. *part. quæſt.* 75. *art.* 1. Sed non poteſt aſſeri, quod Eccleſia Chriſti excedatur in ſacrificiis ab antiqua Synagoga, quia umbræ, & figuræ ſunt quid ignobilius, corpore figurato: ſed manna, & agnus paſchalis fuerunt umbræ, & figuræ Euchariſtiæ, ut communiter docent Patres, quapropter D. Hieronymus *in cap.* 1. *epiſt. ad Tit. Tantùm intereſt inter panes propoſitionis, & corpus Chriſti, quantum inter umbras, & corpora, inter imaginem, & veritatem; inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ exemplaria præfigurabant.* Quapropter eleganter Leo Papa *ſerm.* 7. *de paſſione Domini* ait: *Ut ergo umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſervantia novo excluditur Sacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtivitas, dum mutatur, impletur.*

Ad hæc reſpondent Hæretici Euchariſtiam eſſe quidem ſignum, & figuram corporis Chriſti, quod non continet, eſſe tamen perfectiorem figuram in ratione Sacramenti, manna, & agno paſchali, eò quia Euchariſtia ſignificat Chriſtum, ut actu exiſtentem, & figuræ veteris teſtamenti eum tantùm deſignabant, ut futurum. Præterea quia Euchariſtia, & reliqua novæ legis Sacramenta, ſunt diuturniora, & manebunt uſque ad conſummationem ſæculi, proinde ex hac etiam ratione eſt Euchariſtia præſtantior figura, & perfectior, quam fuerint manna, & agnus paſchalis. Sed contra, quia ſi Euchariſtia ex eo tantùm eſt præſtantior figuris veteris teſtamenti, quia eſt Symbolum Chriſti, jam exiſtentis, ſequitur, totam hanc excellentiam eſſe communem ſtatuis, ac imaginibus Chriſti, quia etiam ſtatuæ repræſentant Chriſtum actu in cœlis exiſtentem, conſequenter etiam imagines, & ſtatuæ eſſent præſtantiores omnibus Sacramentis veteris legis. Tum quia etiam baptiſmus, eſt ſignum paſſionis ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti, conſequenter ſignificat Chriſtum exiſtentem, unde ſequeretur, Euchariſtiam non eſſe præſtantiorem, & nobiliorem baptiſmo, quod dici nequit, cùm Euchariſtia non ſolùm ſignificet, verum etiam verè, & realiter contineat proprium Chriſti corpus; neque ratione durationis, ac diuturnitatis evincitur hæc major excellentia, ſiquidem diuturnitas tantùm pertinet ad dignitatem accidentalem, & in præſenti ſermo eſt de ſubſtantiali: quamvis lapides ſint diuturniores homine, ſimpliciter tamen, & abſolutè eſt homo nobilior lapidibus: ergo Euchariſtia non eſt ſola figura, ſed verè, & realiter continet corpus & ſanguinem Chriſti.

Evincitur ſecundò ratione. Quia ſi in Euchariſtia non eſſet verum ac ſubſtantiale corpus Chriſti, Chriſtus fuiſſet cauſa, ut error idololatriæ vigeret in Eccleſia, & quidem nunquam eradicandus; ſiquidem permiſiſſet in toto Eccleſia, ut in puro pane, & vino adoraretur verum corpus, & ſanguis ipſius; ſi enim quando Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, re ipſa noluiſſet ſub illo ſuum corpus relinquere, ſed ſignum tantum ſui corporis, utique prævidiſſet Eccleſiam lapſuram in hunc errorem, & quidem ex rationabili motivo, & cauſa, cujuſmodi ſunt verba Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, quæ ex omnibus, & ſingulis Evangeliſtis, & Apoſtolis, à quibus referuntur, ſignificant verè, & realiter ſub ſpeciebus Euchariſticis panis, & vini eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti: quapropter tenebatur ab hoc errore eccleſiam ſuam liberare, utendo verbis, ex quibus cognoſci poſſet, ipſum nonniſi metaphoricè fuiſſe locutum: ſed tantum abeſt, quod ex verbis Chriſti colligi poſſit, ſenſus metaphoricus in inſtitutione hujus Sacramenti, ut ex toto contextu nonniſi oppoſitum colligi poſſit: ergo de facto ſuum corpus in hoc Sacramento conſecravit, ſicut verba ipſa, quibus uſus eſt Chriſtus ſignificant. Hinc dixit Richardus Victorinus *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 2. Deum alloquens: *Domine, ſi eſt error, à te decepti ſumus, nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ nonniſi per te fieri poſſunt.* Unde argumentor, repugnat illud objectum eſſe falſum, quod ea ſigna credibilitatis in ſe continet, quibus oſtenditur evidenter moraliter eſſe à Deo revelatum: atqui hujuſmodi ſe habet hoc Sacramentum ex omnibus rationibus, traditionibus, & praxi eccleſiæ, authoritatibus Sanctorum Patrum, pluribuſque ſignis, ac miraculis, quæ facta fuerunt in confirmationem

hujus

Digitized by Google

hujus veritatis, ui leguntur in Authoribus fide dignissimis, hæc autem omnia simul sumpta procul dubio majorem faciunt nobis evidentiam credibilitatis, quod hoc Sacramentum sit à Deo revelatum, quam quod Plato extiterit, quapropter ad Dei providentiam spectabat, non permittere hæc signa credibilitatis in confirmationem rei fallæ spectantis ad religionem: siquidem est homini naturale in iis, quorum evidentiam physicam non habet, ea amplecti, ut vera, quæ majora habent, ac evidentiora signa credibilitatis. Unde, si Deus non impedivisset, quod motiva moraliter evidentia ipse censeretur moralis caussa erroris, præsertim cùm aliunde non possit homo de objecti falsitate fieri certus. Neque enim ex discursu naturali potest homo fieri certus de opposito, quia in rebus fidei excedentibus captum nostri intellectus præcipimur potius captivare eundem in obsequium fidei. Præterea nulla est ratio naturalis, quæ ostendat repugnantiam hujus mysterii, unde certum omnino est sub speciebus Eucharisticis panis, & vini contineri verum, proprium, reale, ac substantiale corpus Christi, & ejus sanguinem.

Probatur tertio ratione, quia Christus *Joan. 6.* promisit se daturum fidelibus novi testamenti carnem suam ad manducandum speciali aliquo modo, quo fideles veteris testamenti illam non manducaverunt; ait enim: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt; hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, ex quibus verbis constat, fideles novi testamenti post Christi descensum de cœlo, quoad manducationem corporis Christi, ut panis cœlestis, esse multo melioris conditionis, quàm fuerint Patres veteris testamenti: sed hæc melior conditio non salvatur, nisi dicamus, fideles novi testamenti verè, propriè, realiter, & substantialiter manducare carnem Christi, adorandam sub signis sensibilibus panis, & sub speciebus Eucharisticis contentam, quemadmodum semper docuit, & docet Ecclesia catholica, quia nisi verè, & realiter manducaremus sub speciebus Eucharisticis corpus Christi, fideles veteris testamenti quoad hanc manducationem fuissent nobis pares, quia ipsi manducaverunt manna, & agnum paschalem, quæ fuerunt, excellentiores figuræ corporis Christi, quam panis communis, ut constat ex præexpensis. Præterea patres antiqui, qui manna in deserto manducaverunt, crediderunt in Christum, consequenter spiritnali manducatione per fidem manducaverunt ejus corpus: præter autem realem manducationem signorum, & mentalem fidem corporis Christi, in quo Patres antiquæ leges fuerunt nobis pares; nihil aliud superest, in quo simus dispares, nisi dicamus, nos vere in nova lege sub speciebus Eucharisticis manducare verum, reale, ac substantiale corpus Christi, ergo, ut salvetur disparitas, à Christo promissa est, omnino concludendum, sub speciebus Eucharisticis contineri verum, proprium, reale ac substantiale Christi corpus, ejusque sanguinem. Huc accersendus D. Ambrosius *lib. de iis, qui initiantur, cap. 7. Considera, ut præstantior sit panis Angelorum, ac caro Christi, qua utique est corpus vitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum, illud cœli, hoc Domini cœlorum; illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit.* Et Salvianus *lib. 2. ad Ecclesiam: Judæi quippe habebant quondam umbram, nos veritatem; Judæi manna manducaverunt, nos Christum; Judæi carnes ovium, nos corpus Dei: Judæi pruinam cœli, nos Deum cœli.*

Neque urget discrimen, quod afferunt Hæretici inter fideles novi testamenti, & Patres veteris legis, apud Bellarminum *lib. 1. de Eucharistia cap. 4.* Eo quia fidelibus novæ legis detur signum sensibile repræsentans clarius corpus Christi mediantibus verbis, quibus non constabant Sacramenta veteris legis. Non contra est, quia manna, & agnus paschalis longè melius, & clarius repræsentabant corpus Christi. Præterea quia Christus præferendo mannæ panem, à se dandum, non in eo præfert, quod panis à se dandus clarius repræsentat suum corpus, quàm manna, sed quia manna erat tantùm manna, & propterea, qui manducarunt manna in deserto, mortui sunt, & panis, à se dandus est vera, propria, realis, ac substantialis ejus caro, propterea dixit: *Caro mea verè est cibus, & qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Neque valet, quod respondent alii Acatholici, scilicet fideles veteris legis non manducâsse carnem Christi, ut panem cœlestem ex vi legis, & ministerio Moysis, tamets eam manducaverint ex dono Patris cœlestis, & Christi. Nam contra est, quia si Christus per præcitata verba *Joan. 6.* tantùm voluisset, quòd Patres veteris testamenti non manducaverint panem cœlestem ex vi legis præcisè, sequeretur, quod Christus de eis tantùm fuisset locutus, qui non habuerunt tunc fidem invicem, per quam participarent, de promissionibus Christi, ejusque benedictionibus, sed tantùm adhæserunt signis exterioribus, sed Christus generatim loquitur de omnibus fidelibus veteris testamenti, ut liquet ex contextu, unde sensus verborum Christi est, quòd Patres veteris testamenti etiam fide viva præditi, non manducaverint corpus suum, sicut nos illud in lege nova manducamus: ergo cum Patres veteris testamenti illud manducaverint in fide, & in signo, nos verè, & realiter manducamus sub speciebus Eucharisticis verum, reale, ac substantiale corpus Christi, unde Augustinus tract. 26. in Joan. *Manducaverunt ibi multi, qui Domino placuerunt, & mortui non sunt, quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur.*

Probatur ultimò, quia si verum, & substantiale corpus Christi non esset verè, & realiter sub speciebus Eucharisticis, id vel maximè esset, quia repugnaret: hæc autem repugnantia non adest, nec apparet, ergo debent verificari verba Christi, de reali præsentia sui corporis sub speciebus Eucharisticis. Minor ostenditur, quia non implicat, corpus Christi esse inextensum quantitativè, & sub minima quantitate, & modo indivisibili sub speciebus Eucharisticis contineri: quia in rarefactione, & condensatione manet realiter immutata quantitas, & tamen localis extensio mutatur: ergo extensio est aliquid præter quantitatem, proinde non repugnat, corpus quantum spoliari propria actuali extensione, non enim actualis extensio est ipsa essentia quantitatis, ut ostendimus in Philosophia *Tom. 2, de quant.* ergo est aliquid posterius, & separabile, à quantitate. Præterea quia nullo argumento probari potest, quod implicet separatio extensionis, à quantitate, siquidem in mysterio Incarnationis, verbum divinum suam immensitatem parvulo quasi corpusculo inclusit:

Digitized by Google

clusit: etenim etiam Elisæus corpus suum corpori parvuli aptavit, ut illud vivificaret: cur ergo non potuit etiam Christus suum corpus virtute divina, restringere in puncto, illodque spoliare extensione locali, cum hæc extensio sit tantùm effectus secundarius quantitatis?

Neque obstat, si dicas, id non posse naturaliter contingere: siquidem neque unum corpus potest naturaliter penetrari, cum alio, & nihilominus Christus illæso Virginis claustro prodiit ex ejus utero, & superposito lapide egressus est de sepulchro, januis clausis ingressus est in Cænaculum: ergo ex hoc capite non repugnat corpus Christi verè, propriè, & realiter contineri sub speciebus Eucharisticis.

Neque implicat ex eo, quod mutata tota substantia panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi accidentia panis, & vini remanerent in subjecto: siquidem non minus est de ratione substantiæ, & naturæ completa per se subsistere, & propria subsistentia terminari, quàm sit de ratione accidentis alicui subjecto inhærere: ergo, sicut non obstante, quòd substantia exigit ex natura sua per se subsistere, potest nihilominus virtute divina humanitas Christi sustentari in alieno supposito verbi divini, perinde licèt sit de natura accidentis inhærere substantiæ; poterit tamen supernaturaliter, & de potentia Dei extraordinaria per se subsistere absque eo, quòd sustentetur ab ulla substantia.

Neque repugnat ex eo, quod corpus Christi deberet penetrari cum speciebus Eucharisticis, quia omnes Catholici constantissimè docent, posse divinitus duo corpora esse simul in uno eodemque loco, sive utrumque servet suam extensionem quantitativam, sive non: idque probant ex evidentissimis scripturis, in quibus habetur, quòd Christus ex purissimo Matris utero exiverit absque Virginitatis injuria, fuerit egressus è sepulchro cum penetratione lapidis, ad Discipulos januis clausis fuerit ingressus, & in cœlum ascenderit, illud penetrando juxta illud Apostoli *ad Hebræ.* 4. *Habemus ergo Pontificem, qui penetravit cœlos.* Præterea quia communiter Theologi tribuunt corporibus beatis dotem subtilitatis, qua possunt pervadere omnia corpora, & cum iisdem penetrari: neque hæc perfectio se habebit per modum fluxûs, sed per modum permanentiæ: ergo non repugnat corpus Christi in Eucharistia penetrari cum speciebus panis, & vini.

Neque demum repugnat ex eo, quod corpus Christi deberet replicari in pluribus locis, & Sacramentaliter in pluribus hostiis: quia licet naturaliter nos possit quidquam simul esse in pluribus locis adæquatis, potest tamen esse in pluribus inadæquatis, continuis, licèt non distantibus, quia locus adæquatus vocatur maximus, quem res naturaliter potest occupare: locus autem inadæquatus est major maximo, & repugnat aliquid naturaliter existere in loco majori maximo, quàm naturaliter potest occupare: sin autem naturaliter esset in pluribus locis adæquatis esset in loco majori maximo, quem naturaliter potest occupare: sed hoc incommodum non urget, quando res aliqua est in pluribus locis inadæquatis, quapropter anima, & Angelus naturaliter occupant plura loca inadæquata. Præterea divinitus potest aliquod corpus esse in pluribus locis inadæquatis etiam dissitis, sivè sit definitive in omnibus, sive in uno circumscriptivè, & in altero definitivè, ut ex pluribus historiis fide dignissimis habetur, quo pacto Christus apparuit S. Petro Apostolo discedenti Roma cui Petrus dixit: *Domine, quo vadis?* apparuit etiam D. Paulo eunti Damascum, *Ego sum Jesus, quem tu persequeris*, ex quibus infertur posse divinitus corpora esse in pluribus locis. Quinimò divinitus etiam circumscriptivè, & quantitativè potest idem corpus esse in pluribus locis: quia non est difficilius aliquid esse circumscriptivè in pluribus locis, quàm esse in aliquo loco circumscriptivè, & in altero definitivè: si enim esse in loco circumscriptivè importaret ita esse in loco, ut non esset extra, certe implicaret esse circumscriptivè in uno loco, & definitivè in altero, quia quando est in uno loco definitivè, utique est extra locum circumscriptivè. Imò faciliùs est corpus circumscriptivè occupare plura loca, quàm definitivè, quia si potest esse in pluribus locis cum præsentia supernaturali, multo magis esse poterit cum præsentia naturali: ergo non repugnat corpus Christi existens circumscriptivè in cœlo esse definitivè Sacramentaliter præsens in omnibus ac singulis hostiis ubique locorum consecratis: ergo ex nullo capite repugnat, corpus Christi verè, & realiter esse sub speciebus Eucharisticis, hinc D. Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdotio* exclamat: *O miraculum! O Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, eodem articulo temporis omnium manibus pertractatur*; & *homil. 2. ad populum Antiochenum* ait: *Elias Melotem Discipulo reliquit: Filius autem Dei ascendens carnem suam divisit, sed Elias quidem exutus; Christus autem, & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.*

Neque omittenda hic sunt binæ aliæ rationes, quas D. Thomas in confirmationem hujus dogmatis fidei adfert, quarum prima petitur ex perfectione fidei, quæ sicut est de divinitate Christi, ita est, de ejus humanitate, secundùm illa Salvatoris verba *Joan.* 14. *Creditis in Deum, & in me credite*, & quia fides est rerum non apparentium seu invisibilium; sicut Christus divinitatem suam nobis exhibet invisibiliter, ita, & in hoc Sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. Alia ratio desumitur, à Charitate Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nostræ naturæ assumpsit. Etenim cum proprium sit amicitiæ convivere amicis, & consortio amicitiam fovere, ita Christus Salvator Noster præsentiam suam corporalem nobis repromittit, in præmium, inquiens *Matth.* 24. *Ubi fuerit corpus; illuc congregabuntur & aquilæ*, seu quia corpus Christi post ascensionem est in cœlis, ideo aquilæ, seu justi illuc congregabuntur æterna beatitate donati; Verum ne sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destitueret, sed per veritatem corporis, & sanguinis sui nos sibi conjungit in Sacramento Eucharistiæ, quapropter ait ipse *Joan.* 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo*, quapropter hoc Sacramentum est maximæ charitatis signum, & nostræ spei fomentum, ex tam familiari conjunctione Christi ad nos, & maximè per hoc Sacramentum Dei amor in homines commendatur, cùm dixerit ipse, *Deliciæ meæ sunt cum filiis hominum.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

Solvuntur, quæ à Sectariis Calvinistis objiciuntur contra Sacramentum Eucharistiæ.

TAmetsi verba Christi *Joan. 6.* sint luce meridiana clariora, & clarissimè, ac expressè asserant verum, proprium, reale, ac substantiale suum corpus esse in Eucharistia sub speciebus panis post consecrationem, ut etiam verum, proprium, realem, & substantialem suum sanguinem sub speciebus vini, adhuc tamen Sectarii cæcutiunt, & meridiana in luce oculos claudunt, ne videant veritatem.

Objiciunt igitur primò verba *Joan. 6.* ubi Christus, cùm promisisset carnem suam dare nobis ad manducandum, postea subjungit: *Caro non prodest quidquam. Spiritus est, qui vivificat, verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt:* Sed hoc non dixisset, si carnem suam voluisset realiter nobis exhibere ad manducandum, quia vera, propria, ac realis Christi caro plurimum nobis prodest ad salutem: ergo ex verbis Christi potiùs habetur, ejus corpus nec esse realiter sub speciebus Eucharisticis, nec realiter manducari à sumentibus Eucharistiam., hinc D. Augustinus expendens verba *Joannis 6. v. 63. in enarrat. in Psal. 98.* ait: *Spiritualiter intellige, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos, & si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Ex quibus inferunt Sectarii, Christi corpus ore corporis non manducari in Eucharistia, sed tantùm ore cordis, seu fidei, neque realiter esse præsens in Eucharistia, sed tantùm spiritualiter: denique nec esse idem corpus, quod natum est de Virgine, & quod Apostoli videbant, quando cum illis conversabatur, neque eundem sanguinem, qui pro nobis fusus est in cruce, sed ejus signum cœlesti virtute, & efficacia repletum. Ad hanc objectionem, quâ Hæretici videntur sibi epinicium canere, retorquetur argumentum, quia si verba Christi nonnisi figuratè essent intelligenda, ex eo, quia Christus dixerit: *Caro non prodest quidquam*, sequeretur, quòd etiam, quæ de sua dixit incarnatione, nonnisi figuratè essent intelligenda, consequenter non realiter, sed tantùm figuratè, & spiritualiter *Verbum caro factum est*; perinde enim dicitur: *Hoc est corpus meum*, ac si dicatur: *Et Verbum caro factum est.* Quamobrem illa Christi sententia ita est intelligenda, quòd caro secundùm se, & absque spiritu spectata, non prosit quidquam: Sed tamen caro spiritu vivificata multum prodest: unde quamvis Christi caro sine verbo, absque spiritu non prodesset, quatenus tamen adnexa est personæ divinæ, & hypostaticè unita Verbo divino, plurimum prodest, & vim habet vivificandi, & hic est sensus, quem tradunt Sancti Patres: Significat enim Christus verba illa: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, non esse intelligenda sensu carnali, ut intellexerunt Capharnaitæ, & rudiores quidam discipuli, quasi particulas quasdam de corpore suo præcisurus esset Dominus, & illis daturus, ut explicat S. Augustinus: & jubet esse intelligendum spiritualiter, quod locutus est, scilicet, quod supernaturali modo, & invisibili per virtutem Spiritûs S. carnem suam daturus esset, non quidem passibilem, & sub invisibili specie, sed immortalem, impassibilem, gloriosam. Unde corpus idem secundùm substantiam erant manducaturi, quod revera videbant, & sanguinem eundem secundùm substantiam bibituri, quem fusuri erant carnifices Judæi, sed non eundem secundùm statum, & qualitatem. Demum non significat Christus, corpus, & sanguinem suum eo sensu cibum, & potum spiritualem esse, quod sola fidei apprehensione manducetur, sed quod à vulgari, & naturali cibo longè differat, quo corpora nostra aluntur ad hanc vitam mortalem sustentandam, quod carnale non sit, & corruptibile alimentum, sed spirituale, & incorruptibile: quod ad vitam spiritualem, & immortalem alendam valeat, unde non terreno, & vulgari modo, ac naturali percipitur, instar vulgaris panis, qui dentibus premitur, dividitur, concoquitur in stomacho, digeritur, & in secessum dimittitur, sed modo supernaturali, sacramentali, & miraculoso, ut explicat S. Augustinus *tract. 37. in Joan.* inquiens: *O Domine Magister bone, caro non prodest quidquam, cùm tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam; an vita non prodest quidquam? & propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? quid est ergo, non prodest quidquam caro? non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur; aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, caro non prodest quidquam, sicut ait Apostolus 1. Corinth. 8. Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse scientiam? absit. Et quid est, scientia inflat? sola sine charitate, ideo adjunxit, Charitas verò ædificat. Adde igitur scientiæ charitatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per charitatem, sic etiam nunc, caro non prodest quidquam, sed sola caro, accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis, Si per carnem nobis multum profuit, quomodo caro nihil prodest? sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit: quod habebat, attende, non quod erat. Apostoli missi sunt; nunquid caro ipsorum nihil nobis profuit? si caro Apostolorum nobis profuit, jam caro Domini potuit nobis prodesse? unde enim ad nos sonus Verbi, nisi per vocem carnis? unde stylus, unde conscriptio? ista omnia opera carnis sunt, sed agitante spiritu, tanquam organum suum. Spiritus ergo est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam, sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.* Hactenus D. Augustinus clarè, & eleganter expendens, quo sensu dixerit Christus: *Caro non prodest quidquam,*

Digitized by Google

quam, ſpiritus eſt, qui vivificat. In eodem ſenſu intelligunt verba Chriſti reliqui Sancti Patres, præſertim Cyrillus *in Joan. c.* 22. & alii aſſerentes per nomen carnis eſſe intelligendam carnem ſolam, ut ſejunctam à Verbo Dei: & nomine Spiritus velint ſignificari Verbum ipſum dans carni vim vivificam, adeo ut ſenſus ſit, quòd caro non proſit quidquam, ſicut caro ſola ſine Deitate non habet, quod aſcendat in cœlum, ſed ex virtute ſpiritus adjuncti; ita ſe ſola nihil valet ad vivificandum, ſed id præſtat ex exergia ſpiritus verbi, adeoque *verba Chriſti ſpiritus, & vita ſunt*, quia non de carne ſola loquitur, ſed de carne, ut vivificat per ſpiritum verbi, hinc ait Auguſtinus: *Caro ſola non prodeſt, ſed accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum:* Si enim caro non prodeſſet, verbum caro non fieret. Chryſoſtomus *homil.* 48. *in Joan.* Euthymius, Beda, & alii nomine carnis volunt intelligi carnem vulgarem, & corporeo modo extenſam, & nomine ſpiritus; carnem ſpiritnam modo inextenſam; adeo ut ſenſus ſit, caro non prodeſt quidquam, ſcilicet illa, quæ vulgò manducari ſolet, ac dentibus teri, & dirigi, Chriſtus autem non promiſerat, carnem hanc manducandam, ut putabant Capharnaitæ, ſed carnem inſtar ſpirituum exiſtentem in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis.

Objiciunt ſecundò, ſententiam D. Auguſtini *tractat.* 26. *in Joan.* ubi expendens verba illa Chriſti: *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, ut ſi quis manducaverit ex ipſo, non moriatur*, ait: *Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum. Qui manducat intus, non qui manducat foris: qui manducat in corde, non qui premit dente*, ex quibus inferunt Hæretici, Chriſti corpus ore corporis non recipi, ac manducari, ac proinde in Euchariſtia realiter præſens non eſſe. Sed contra, quia D. Auguſtinus non negat, quòd Chriſti corpus ore corporis manducetur, & ſumatur, ſed quòd promiſſio æternæ vitæ iis facta ſit, qui dente duntaxat premunt, non verò corde manducant, qui manducant foris, non intus: in Eccleſiæ unitate, & ſocietate membrorum Chriſti, & non ſunt membra ejus per fidem & charitatem conjuncta divino capiti. Non excludit D. Auguſtin. manducationem Sacramentalem, quæ fit ore corporis, ſed ut hæc ſalutifera ſit, neceſſarium eſſe, quòd etiam manducetur ſpiritualiter, & intellectualiter, & utramque manducationem explicat *tract.* 27. *in Joan.* inquiens: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, ut carnem Chriſti, & Sanguinem Chriſti non edamus tantùm in Sacramento, quod & multi mali; ſed uſque ad ſpiritus participationem manducemus, & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut ejus ſpiritu vegetemur, & non ſcandalizemur, etiam ſi multi modo nobiſcum manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.* Vult Auguſtinus, non ſufficere ſumere, & manducare panem Euchariſticum ore corporis, niſi etiam ſumatur, & manducetur ore cordis, ſeu ſpiritualiter mundo corde, in puritate mentis, & in fervore charitatis: quia ore corporis manducant boni, & mali, illi ad vitam, iſti ad interitum, canit enim Eccleſia: *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus, mors eſt malis, vita bonis, vide, paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus.* Præterea D. Auguſtinus tractat. 26. in Joan. ait: *Crede in eum, hoc eſt, manducare panem vivum, moralem quidem ſenſum explicat illorum verborum: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Sed ſenſus hic moralis non excludit ſenſum litteralem manducationis Sacramentalis carnis Chriſti, quæ ore corporis exercetur: Sicut cùm in *eodem tractat.* ait de muliere hæmorrhouſa, quæ fimbriam veſtimenti Chriſti tetigit. Quid eſt, tetigit, niſi credidit? non enim excludit, ſed includit, & ſupponit realem fimbriæ contactum, de quo *Luc.* 8. *v.* 44. dicitur: *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus.* Et ſicut Chriſtum corporali fame, & ſiti laboraſſe non negat, cùm ipſius famem & ſitim de fidei noſtræ deſiderio explicat Auguſtinus *in Pſal.* 78. inquiens: *Credere in eum, hoc eſt, manducare panem vivum*, non negat, quin ore corporis caro Chriſti manducetur.

Objiciunt tertiò aſſerentes, corpus Chriſti verum, & reale non eſſe in Euchariſtia realiter, quia ſi realiter ibi adeſſet, id maximè probaretur, quia Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum dixit: *Hoc eſt corpus meum*: ſed ex hiſce verbis non colligitur, corpus Chriſti eſſe realiter ſub ſpeciebus Euchariſticis, quia copula *eſt* ſumitur pro *ſignificat*, & prædicatum intelligitur figuratè, hæc enim locutio eſt valde frequens in Scripturis, etenim 1. *ad Corinth.* 10. dicitur: *Petra erat Chriſtus, panis eſt communicatio corporis Chriſti. Joan.* 10. *Ego ſum oſtium. Joan.* 16. *Ego ſum panis vivus. Joan* 17. *Ego ſum vitis vera. Matth.* 13. *Semen eſt verbum Dei. Exodi* 12. *Agnus eſt phaſe*, id eſt, tranſitus Domini, in his enim & aliis pluribus Scripturæ locis, illa copula *eſt*, ſumitur pro *ſignificat*, & prædicatum ſe habens conſecutivè ad copulam, ſumitur figuratè: ergo etiam, quando Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum dixit: *Hoc eſt corpus meum*: copula *eſt* ſumitur pro *ſignificat*, & prædicatum ſeu *corpus meum* ſumitur figuratè, unde ex verbis Chriſti, juxta conſuetum loquendi modum Scripturarum, non colligitur, corpus Chriſti verè, & realiter eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſed tantùm figuratè. Sed contra retorquetur argumentum, quia copula *eſt* in Scripturis pluries ſumitur propriè, quàm ſumatur figuratè pro *ſignificat*, ergo in propoſitione Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum, ſumitur propriè, alioquin cùm dicitur: *Verbum caro factum eſt*, verbum *eſt* denotaret incarnationem tantùm figuratè factam eſſe, ſiquidem Scriptura aliquando loquitur figuratè, ergo cùm Hæretici negent, incarnationem factam eſſe figuratè, debent concedere verbum *eſt*, non ſemper in Scripturis ſumi pro *ſignificat*. Præterea verbum *eſt* in Scripturis nunquam ſumitur pro *ſignificat*, niſi in duobus caſibus; quando ponitur vel in parabolis, vel in apertiſſimis allegoriis, quas conſtat à Chriſto explicari, ut cùm dicitur: *Semen eſt verbum Dei. Ego ſum vitis vera. Ego ſum oſtium.* Tunc enim Chriſtus ſtatim explicat, dicens: *Pater meus agricola eſt, & ego ſum vitis, & vos palmites*, quando etiam dicit: *Ego ſum oſtium*, ſubdit: *Per me, ſi quis introierit, ſalvabitur*, in hiſce enim locutionibus implicat, verba Chriſti non ſumi allegoricè, quia repugnat Chriſtum eſſe vitem, eſſe oſtium, ſed non implicat, quòd hoc ſit corpus, ergo propoſitio Chriſti non poteſt intelligi allegoricè, ſed in ſenſu proprio, quia, ut notant Sancti Patres, præſertim Auguſtinus, in Scripturis verbum *eſt* ſemper ſumitur propriè, quoties implicat contradictionem, nec inde ſequitur aliquid abſurdum.

Objiciunt quartò, & dicunt hæc Chriſti verba: *Hic eſt calix*, non poſſe intelligi, niſi tropicè, & figuratè: ergo etiam copula *eſt*, & nomen *corpus* debet intelligi figuratè; antecedens oſtenditur, quia cùm dicitur: *Hic calix eſt novum teſtamentum, calix* ſignificat rem contentam, & teſtamen

tum

Digitized by Google

tum sumitur pro signo testamenti: quinimò Christus *Marci* 14. ait: *Non bibam ammodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Dei*, ubi per genimen vitis nonnisi vinum intelligi potest, ergo facta consecratione continebatur in calice vinum. Consequentia probatur, quia id Christus dedit Discipulis, quod accepit, benedixit, ac fregit: Sed Christus accepit, benedixit, ac fregit panem, ergo nonnisi panem dedit Discipulis suis. Præterea quia Christus dicens: *Hoc est corpus meum*, subjungit teste Paulo 1. *ad Corinth.* 11. *Quod pro vobis frangitur.* Unde corpus Christi non est in Eucharistia, nisi eo modo, quo frangitur: Sed frangitur tantùm significativè, non verò realiter, ergo non est in Eucharistia realiter, sed tantùm significativè. Tum quia verba Christi: *Hoc est corpus meum*, sunt sacramentalia, quia Christus ea proferendo instituit Sacramentum: atqui Sacramentum est in genere signi: ergo nonnisi de signo sui corporis locutus est Christus, & tribuit signo nomen rei significatæ; sed contra, hæ objectiones nullius sunt momenti, quia tametsi in verbis Christi sit aliquis tropus, est tamen ita perspicuus, & clarus, ut propriæ locutioni æquivaleat: Siquidem calix sanguinis significat ipsum sanguinem, ut explicant alii Evangelistæ exponentes: *hic est Sanguis meus*. Præterea negatur, quòd ulla urgeat necessitas admittendi tropum, quia calix continens sanguinem valde propriè dicitur à Christo calix sanguinis mei, seu calix continens sanguinem meum, qui sensus est litteralis, & non tropicus: neque in voce testamenti admittitur tropus, quia testamentum propriè significat instrumentum continens voluntatem testatoris, vel ipsam voluntatem testatoris: in verbis autem Matth. & Marci, ubi legitur: *Hic est Sanguis meus novi testamenti*, testamentum propriè non significat instrumentum illud authenticum, sed voluntatem testatoris: in verbis autem Lucæ significat tale instrumentum, quapropter in utroque sensu Eucharistia dicitur testamentum Christi, eò quia sit instrumentum authenticum, quo applicatur nobis jus ad hæreditatem. Ad aliud desumptum ex *Marco* 14. *Non bibam modo de hoc genimine vitis*, respondetur, ex D. Luca constare, hujusmodi verba fuisse à Christo prolata ante consecrationem, proinde rectè à Christo vocari vinum. Quòd si velis, præfata verba fuisse prolata post consecrationem, respondetur cum Sanctis Patribus Hieronymo, Chrysostomo, & Cypriano, Christum eodem modo hic vocare sanguinem suum vinum, quo prius vocaverat corpus suum panem, eò quia facta est conversio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem: Solet autem Scriptura eum terminum, qui per conversionem existit, vocare nomine termini seu rei, ex qua facta est conversio, quapropter *Genes.* 2. Eva vocatur *os*, quia ex *osse* per conversionem facta erat *Exodi* 7. serpens factus ex conversione virgæ Moysis, vocatur *virga* *Joan.* 2. Vinum factum ex conversione aquæ vocatur *aqua*. Præterea cùm Eucharistia retineat similitudinem, & accidentia panis, & vini, ideo rectè vocari potest panis, & vinum desumpta denominatione ab accidentibus, & similibus. Hinc *Genes.* 8. & *Actor.* 1. *Angeli, qui habebant externus speciem hominis vocantur viri*, tum quia cibus in Scripturis vocatur panis, & quia caro Christi in Eucharistia est verus cibus animæ, ut testatur Christus Joan. 6. *Caro mea verè est cibus*: ideo rectè subinde significatur nomine panis, sicut & sanguis nomine vini.

Ad aliud, quod addebatur, Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, ac dedisse Discipulis suis: respondetur, Christum hæc omnia præmisisse, & postea pronunciasse verba consecrationis, per quæ facta est transubstantiatio; propterea non panem, neque solum symbolum vel signum, sed verum, proprium, reale, & substantiale suum corpus suis dedit Discipulis; quapropter quòd DEUS dedit Discipulis, non fuit substantia panis, neque symbolum, vel figura, aut signum; sed vera substantia sui proprii corporis. Unde quod Deus suis dedit Discipulis, fuit prius panis ante verba consecrationis, & postea verum, ac proprium suum corpus post consecrationem, ut rectè observat S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. inquiens: *Antequam consecretur, panis est, ubi autem Christi verba accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite, edite ex hoc omnes:. Hoc est corpus meum:* Unde quod ad manducandum dedit, fuit verum ac reale corpus Christi. Falsum igitur est, corpus Christi non esse in Sacramento Eucharistiæ, nisi eo modo, quo in ipso frangitur; quia verba significantia fractionem, præcesserunt verba consecrationis, quibus facta fuit transubstantiatio panis in corpus Christi; adeo ut, quod erat substantia panis ante consecrationem, prolatis verbis consecrationis sit vera, propria, ac realis substantia corporis Christi, quam dedit Discipulis manducandam. Præterea quando Apostolus 1. *Corinth.* 11, ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, intelligitur de Christi passione, quæ significatur verbo de præsenti, eò quia quando Christus protulit verba consecrationis, ejus passio imminebat, eratque proximè futura, quâ idem corpus, quod ad comedendum dabat suis Discipulis, erat vulneribus frangendum; & sanguis pretium nostræ redemptionis fundendus. Quod imminet, estque proximè futurum, est moraliter præsens, propterea dicitur de præsenti, *frangitur*, ut explicat verba Apostoli Beza.

Ad aliud, quo dicebatur, hæc verba Christi: *Hoc est corpus meum*, esse sacramentalia, consequenter esse in genere signi; Respondetur inde non sequi, quòd tantùm significent corpus Christi; quia verba consecrationis sunt practica, & efficiunt quod significant; adeo ut hæc verba: *Hoc est corpus meum*, efficiant verè, & realiter corpus Christi sub speciebus Eucharisticis.

Hæc omnia adeo sunt perspicua, & clara, ut vel ipsi Hæretici ingenuè fateantur, non posse aliter intelligi, quàm de vero, & reali corpore, & sanguine Christi sub speciebus Eucharisticis; etenim Lutherus *in Epist. ad Argentinenses* scribit: *Vellem, quod posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia præter panem, & vinum, magno ille beneficio me devinceret, jam sæpius anxiis curis in hac materia desudavi, verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta est, textus Evangelii nimis est apertus.* Rursus *in serm. de Eucharist. tom.* 7. redarguit Sacramentarios, eò quia realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam negent; ait enim: *Sathanas haud dubiè author est eis hujus Sacramenti Eucharistia labefactandi, & evertendi, contendens planè epoto ovo nobis tantùm relinquere putamina, hoc est Christi corpus, & sanguinem è pane, & vino tollere, ut præter simplicem panem, à pistore confectum, nihil reliquum remaneat.* Rursus *in Apologia de cœna Domini* ait: *Rogamus Sacramentarios, ne petant à nobis ullum textum probemus(Hoc est corpus meum) possunt enim de hac re consulere pueros vix septem annos natos, qui in scholis istorum verborum syllabas colligere discunt: Siquidem Biblia Græca, Hebraica, Latina, Germanica extant, aut hoc ipsi agant,*

agant, ut oſtendant biblia, in quibus ſcriptum: Hoc eſt corporis mei ſignum. Quòd ſi non poſſunt præſtare, imponant aliquantiſper ſuo ori ſilentium, & imperent ſuo ſtylo quietem, donec ea biblia in medium afferant. Bellarminus *lib. 3. de Euchariſtia cap. 8.* fatetur tantum de reali Chriſti in Euchariſtia præſentia fuiſſe in orbe terrarum conſenſum, antequam Carleſtadius, & Zvvinglius apparuerint, ut Zvvinglius ſcribat in *commentariis de vera, & falſa religione cap. de Euchariſtia*, ſe valde occultè in hoc egiſſe, & cum paucis duntaxat amicis circa modum proponendi hoc novum dogma, negans realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia; metuebat enim, ne omnes offenderet, cùm nullum ſciret eſſe ejuſdem ſententiæ, quam ipſe invehere meditabatur. Videant modò Calviniſtæ, quâ authoritate, quâ ratione nitantur ad negandam veri Chriſti præſentiam in Euchariſtia, cùm verba ſcripturæ adeo ſint perſpicua, & clara, ut vel ipſe Lutherus reprehenderit Sacramentarios, negantes hanc realem Chriſti præſentiam, & ipſe Zvvinglius fateatur, Chriſtum verè & realiter eſſe in Euchariſtia, fuiſſe communem totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſum, & hoc dogma fidei ſemper extitiſſe à tempore Apoſtolorum, ut expreſsè aſſerant ſancti Patres. Mirum ſanè, quòd Calviniſtæ præferant in re tanti momenti Calvinum, & alios ejuſdem Sectæ, detorquentes clariſſima ſcripturæ verba in ſenſus improprios, ac erroneos, omnibus ſanctis Patribus, qui floruerunt ante Calvinum à temporibus Apoſtolorum per omnia ſuccedentia ſæcula, & conſenſui totius Univerſalis Eccleſiæ, ac traditioni ab Apoſtolis in nos derivatæ, ac demum perſpicuo, claroque ſenſui verborum Chriſti? Mirum ſanè, quòd cùm agatur de propria ſalute, de fidei articulo, uni potiùs fidant Calvino, ejuſque Diſcipulis, quàm Apoſtolis ipſis, & tot piiſſimis, doctiſſimis, ac ſanctiſſimis Patribus, tot Conciliis, in quibus veritas Catholica fuit definita, & error Berengarii, ut ſuperiùs oſtendimus, damnatus, ac demum communi univerſalis Eccleſiæ conſenſui, & nunquam interruptæ traditioni ab Apoſtolis derivatæ? dato etiam, & non conceſſo, quòd verba Chriſti poſſent explicari; & intelligi circa ſenſum Calvini, non propterea eidem adhærendum eſſet: ſiquidem in rebus pertinentibus ad ſalutem prudentis eſt viri illi adhærere parti, in quam conſentiunt plures pietate inſignes, doctrinâ excellentes, moribus laudatiſſimi, & ſanctitate commendati, non in eam, quam nonniſi pauci, & illi nec pii, nec ſancti, nec doctrina adeo excellentes: reſipiſcant igitur & ad lucem Catholicæ veritatis mentis oculos aperiant.

Neque ullum faceſſit negotium, quod ex Scripturis adfert Calvinus, citat enim Apoſtoli verba, 1. *ad Corinth.* 10. ubi D. Paulus ait: *Patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt*, ſed addit Calvinus nonniſi ſola fide, & in figura manducaverunt carnem Chriſti, ergo etiam nos tantùm per figuram & fidem eandem manducamus. Nam contra eſt, quia Apoſtolus non ait, Judæos manducâſſe eandem eſcam nobiſcum, ſed omnes eandem inter ſe eſcam comediſſe, quia omnes tam boni, quàm mali mare tranſierunt, & manna manducaverunt; hic enim ſenſus eſt litteralis, & verus, unde flocci faciant, quod aſſerit Calvinus, memoriam eſſe tantùm rerum abſentium, & præteritarum, non verò præſentium, & Euchariſtiam eſſe commemorationem Chriſti, juxta illud Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ex quo perperam inferunt, Chriſtum non eſſe realiter præſentem in Euchariſtia. Nam contra eſt, quia memoria poteſt etiam eſſe rei præſentis, ſi illa ſit occulta, tametſi Deus ſecundùm eſſentiam ſit ubique realiter præſens, & immenſus, quia tamen talis præſentia eſt nobis occulta, ideo jubemur in ſacris Scripturis, ubique memores eſſe Dei, ergo, quando Euchariſtia ſumitur in Chriſti commemorationem, non excluditur ejus realis præſentia in Euchariſtia, ſed tantùm ſignificatur ejus præſentia occulta ſub ſpeciebus panis & vini. Præterea Euchariſtia non eſt commemoratio Chriſti ſimpliciter, & præciſè, ſed Chriſti patientis, & morientis, ut ait Apoſt. 1. *ad Corin.* 11. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*: & quia paſſio, & mors Chriſti jam præterierunt, rectè poteſt utriuſque memoria fieri in Euchariſtia, tametſi Chriſtus ibi realiter, & ſubſtantialiter exiſtat. Rurſus parvi pendant, quod idem Calvinus adfert ex *Matth.* 26. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*, ubi Chriſtus ſignificat, ſe non futurum in terra poſt glorioſam ſuam Aſcenſionem, at ſi Chriſtus realiter, & ſubſtantialiter eſſet præſens in Euchariſtia, poſt glorioſam ſuam Aſcenſionem, adhuc remaneret in terra, nam exinde non ſequitur, Chriſtum non eſſe præſentem ſecundùm reale ſuum corpus in Euchariſtia, quia manifeſtum eſt, ibi Chriſtum loqui de ſe ipſo in forma viſibili: ſiquidem Chriſtus loquebatur ad Diſcipulos obmurmurantes de effuſione unguenti exhibiti à Maria Magdalena, & voluit ſignificare, quòd non eſſet futurus in terra poſt glorioſam ſuam Aſcenſionem præſentia ordinaria, ac familiari, quali tunc erat, & qua illi conveniter uſi ſe quia illius effuſionis unguenti; hoc autem non excludit præſentiam Sacramentalem ſupernaturalem ſui veri, proprii, ac ſubſtantialis corporis in Euchariſtia, præſertim cùm Chriſtus alibi dicat: *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Unde, quando Chriſtus dixit: *Pauperes ſemper habebitis, me autem jam non ſemper habebitis*, verus & literalis ſenſus Scripturæ eſt iſte, *me autem non ſemper habebitis*, eo modo, quo habebitis pauperes, ſcilicet viſibiliter, & humano modo converſantem. Cùm igitur abſque ulla extorſione, poſita veritate Catholica, de præſentia reali Chriſti in Euchariſtia, explicentur in ſenſu proprio, vero, & litterali Scripturæ, quas ad propugnandum ſuum errorem, & in confirmationem ſuæ hæreſis congerit Calvinus, nullo pacto debent quotquot hactenus Calvino adhæſerunt, ſinere ſe ulterius decipi, accedant igitur ad Catholicam Matrem Eccleſiam, quæ ex Apoſtolo columna eſt veritatis, & in quam ex Chriſti promiſſione, portæ inferi nunquam erunt prævaliturae. *Fratres ſumus*, ait Auguſtinus, *quare litigamus? non inteſtatus mortuus eſt Pater. Fecit teſtamentum, & ſic mortuus eſt: mortuus eſt, & reſurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu teſtamentum proferatur in publicum, & cùm teſtamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur, & recitentur, Judex intentus audit, Advocati ſilent, Præcones ſilentium faciunt, univerſus populus ſuſpenſus eſt, ut legantur verba mortui non ſentientis in monumento, valent verba ipſius: Sedet Chriſtus in cælo, contradicitur teſtamento ejus in terris? Aperi, legamus, Fratres ſumus, quare contendimus? placetur animus noſter, non ſine teſtamento nos dimiſit Pater, qui fecit teſtamentum, vivit in æternum. Audit voces noſtras, agnoſcit ſuam. Legamus, quid litigamus? ubi inventa fuerit hæreditas, ipſam teneamus: Chriſtus JESUS Dominus noſter teſtamentum condidit, nobis Corpus & Sanguinem ſuum legavit,*

dicens:

Digitized by Google

dicens : Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, quid ergo pro corpore & sanguine Christi figuras, symbola, & signa corporis, & sanguinis ipsius nobis supponere conantur Calvinistæ? clara sunt verba Christi, loquuntur expressè de vero suo corpore, & sanguine; & nullius meminerunt figuræ, nullius symboli, & signi; adhæreamus igitur verbis Christi, non relinquamus veritatem, ut amplectemur falsitatem.

CAPUT VI.

Referuntur, & refelluntur alia argumenta, quibus Calvinistæ nituntur probare, Christum nonnisi figuratè esse in Eucharistia.

IN id incumbunt studii Calvinistæ, ut omnem moveant lapidem ad propugnandum suum errorem, & ostendendum Christum nonnisi figuratè esse in Eucharistia, adeo, ut hoc Sacramentum sit tantùm figura, symbolum, & signum significativum, & repræsentativum Christi Domini patientis pro humano genere, quod pretio sui sanguinis voluit redimere, à servitute peccati, non verò sub speciebus panis esse verum, proprium, & reale, ac substantiale ejus corpus, ac sub speciebus vini ejus sanguinem. Ajunt ipsi Apostolus Paulus. 1. *Corinth.* 10. scribit, *bibebant de consequente petra; Petra autem erat Christus.* Rursus *Joan.* 1. dicitur Christus esse agnus: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Rursus *Joan.* 15. Christus dicitur vitis: *Ego sum vitis, vos palmites.* Sed Christus in præcitatis locis nonnisi figuratè dicitur Petra, agnus, vitis: ergo in Eucharistia panis nonnisi figuratè dicitur corpus Christi, & fideles communicantes nonnisi figuram sumunt corporis Christi ore ventris, & gratiam ore mentis per fidem, consequenter Christus non est in Eucharistia cum suo vero, proprio, reali, & substantiali corpore, sed tantùm in cœlis, & in Eucharistia, tantùm figuratè. Sed contra huic argumento fusè in præcedenti capite satisfecimus, & diximus Christum figuratè quidem dici petram, agnum, vitem, per quandam similitudinem, sed non ita panem in Eucharistia dici posse figuratè corpus Christi, quia Christus *Joan.* 6. ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Notandum est, quòd Christus ait: Caro mea *verè*, & non figuratè est cibus, quia quod in Eucharistia comeditur *verè* & non figuratè, est caro Christi, & quod bibitur, *verè*, & non figuratè est ejus sanguis: si enim Christus, qui est ipse veritas; *Ego sum via, veritas & vita*, & non potest esse obnoxia falsitati, fatetur, suam carnem esse verè in Eucharistia, cur Calvinistæ hoc non fatentur, & dicunt, non esse verè in Eucharistia, sed tantùm figuratè? si figuratè, ergo non verè; si non verè, ergo non verum dixit Christus, cum *Joan.* 6. dixit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quòd si Christus non potuit mentiri, ergo quod in Eucharistia comeditur, verè, & non figuratè, est caro Christi; & quod bibitur verè & non figuratè est ejus sanguis. Præterea Christi corpus, quod fuit cruci affixum; & sanguis, qui in Calvariæ monte fuit effusus, procul dubio fuit verum Christi corpus, & verus Christi sanguis, ut non diffitentur Calvinistæ: sed hoc idem corpus, quod fuit cruci affixum, & sanguis effusus, est idem corpus, quod est in Eucharistia; ait enim Christus Joan. 6. *Hoc est corpus meum* (non qualecunque) sed *quod pro vobis tradetur*, seu hoc est corpus meum, quod pro vobis cruci figetur: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur*, ergo si in cruce, & Calvaria corpus, & sanguis Christi, non figuratè, sed verè, & realiter fuit passum, & mortuum, & ejus sanguis fusus, negare nullo pacto possunt in Eucharistia esse verum, proprium, reale, ac substantiale corpus Christi, quod fuit in cruce, & ejus sanguis, qui fuit fusus cum hoc expressè, & clarissimè dixerit Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, seu in cruce pro vobis crucifigetur: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.*

Objiciunt secundo, verba desumpta ex D. Augustino, tract. 25. in Joan. ubi ait: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede, & manducasti*, ex quo inferunt Calvinistæ, Eucharistiam non sumi ore ventris, sed ore cordis, seu fidei, ex D. Augustino asserente, ad manducationem sufficere solam fidem, crede, & manducasti. Sed contra respondetur D. Augustinum ibi non loqui de Eucharistia, sed de fide in Christum Salvatorem. Versatur enim in explicatione illius loci: *Quæritis me, non quia vidistis me, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, subjungit Augustinus: *Hoc est manducare cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, propterea ait: ut quid paras dentes, & ventrem? crede & manducasti.* Cæterum Augustinum, docere fideles in Eucharistia manducare verum, proprium, reale, & substantiale corpus Christi, ac bibere ejus sanguinem, non spiritualiter tantùm, quod fit ore cordis, & per fidem vivam, sed etiam corporaliter, ac Sacramentaliter, quod fit ore corporis, expressè edisserit *lib. 2. contra adversarium legis, & Prophetarum, cap.* 12. inquiens: *Mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum carnem suam nobis ad manducandum, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde, atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur, humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere.* Quamobrem hujus duplicis manducationis ratio, etiam ab aliis Patribus traditur qui tres modos accipiendi hoc Sacramentum etiam distinguunt, ut observat, & declarat Tridentina Synodus *sess.* 13. *cap* 8. his verbis: *Quosdam etiam docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores, alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem panem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur fructum ejus, & utilitatem sentiunt: tertios porro Sacramentaliter simul, & Spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt, ut veste nuptiali induti ad divinam hanc mensam accedant.*

Objiciunt tertiò Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 40.* ubi vocat Eucharistiam figuram corporis Christi; ait enim *acceptum panem, ac distributum Discipulis, corpus suum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei. Et lib. 3. cap. 17. panem suum corpus appellans, ut hic intelligas corporis sui figuram panem dedisse, & lib. 1. panem, quo corpus suum repræsentat:* quòd si panis tantùm est figura, & repræsentat corpus Salvatoris Christi, sequitur ex Tertulliano, corpus Christi in Eucharistia esse tantùm figuratè, non realiter, quod etiam asserunt docuisse D. Augustinum, *in Psal. 3.* dicentem: *Dominum adhibuisse Judam ad convivium, in quo corporis sui figuram commendavit, & tradidit Discipulis.* Et *in Psal. 98. Spiritualia intelligite, quod locutus sum, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis.* Gelasius Papa *lib. contra Eutych.* ait: *Imago, & similitudo corporis Christi in actione Mysteriorum significatur*, & Lyturgia Armenor. *Fide manduca Sanctum vivificans, & salutificans Christi corpus*, ex quibus inferunt, corpus Christi nonnisi figurativè esse in Eucharistia, & nonnisi spiritualiter per fidem manducari. Sed contra, primum quod attinet, desumptum ex Tertulliano, respondetur, satis constare ex toto contextu scopum Tertulliani in eo loco esse ostendere Marcioni corpus Christi non apparens tantùm, & phantasticum sed verè reale, & figuratum fuisse, hoc est, cum figura veri, realis, & non phantastici corporis humani, idque, ut probet, utitur exemplo Eucharistiæ, & ait: *Acceptum panem corpus suum fecit. Hoc est corpus meum, dicendo, id est, figura corporis mei.* Per figuram autem intelligit corpus circumscriptum figura, & lineamentis internis, idque colligitur ex sequentibus verbis; subdit enim Tertullianus: *Cæterum vacua res est, quod est phantasma, figuram capere non posset.* Unde Tertullianus opponit figuram phantasmati, & per figuram intelligit verum proprium reale, ac substantiale Christi corpus circumscriptum figura, & lineamentis internis, quorum capax non esse phantasma, asserit. Aliter explicant Tertullianum Bellarminus *lib. 2. cap. 8.* & Bertonius *lib. 2. in Tertullianum.* Volunt enim esse in verbis illis quandam transpositionem, adeo, ut figura corporis mei conjungatur immediatè *cum hoc*, & sensus sit: Hoc, quod olim fuit figura corporis mei, nunc est corpus meum, quia Christus figuras omnes legis implevit. D. Augustinus itidem vocavit Eucharistiam, figuram corporis Christi, non tamen exclusit veritatem, & realitatem: sed tantùm evidentiam, ait enim in *Psal. 98. Non hoc corpus manducaturi estis, quod videtis, & bibituri sanguinem illum, quem fundent illi, qui me crucifigent, ipsum quidem, & non ipsum, ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter*, ut explicat ipse *in epist. ad Jeremiam*: Unde tantùm negat nos visibiliter manducare corpus Christi, & affirmat non verè, & realiter illud manducare invisibiliter. Gelasius Papa itidem vocat Eucharistiam, imaginem, & similitudinem corporis Christi, non tamen excludit veritatem ejusdem corporis sub speciebus Eucharisticis. Ad Lyturgiam Armenorum respondetur, ibi non dici, nos sola fide manducare corpus Christi, sed fide, quatenus fides hoc docet.

Objiciunt quartò, quia Eucharistia ab aliquibus Patribus vocatur figura, signum, typus, antitypus, similitudo, species, mysterium, Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, ita enim vocant Eucharistiam Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 40. & lib. 1. cap. 14.* Origenes *Tom. 2. in Matth. pag. 253.* Basilius *in sua liturgia*, Cyrillus Hierosolymitanus *in Catechef.* Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis cap. 1.* Hieronymus *lib. 2. adversus Jovin. in cap. 31. Jeremiæ, & in cap. 21. in Ezechiel.* S. Augustinus *lib. contra Adimantum Manich. cap. 12. & in Psal. 3.* ut etiam *lib. 3. de Doctrin. Christian. cap. 12.* & plerisque aliis in locis; ait enim Augustinus contra Adimantum *cap. 12. Non enim Dominus veritus est dicere, Hoc est corpus meum, ut signum daret corporis sui*, & S. Dionysius vocat Eucharistiam ænigmatum vela, hinc S. Maximus *in notis ad S. Dionysium* ait esse symbola, non veritatem. Et Eusebius *lib. 1. de Monast. cap. 3.* ait: *Ænigmatizant per panem, & vinum mysteria corporis, & sanguinis salutaris, & lib. 8. cap. 1.* ait: *Per vinum quod est Symbolum sanguinis*, & Clemens Alexandrinus *lib. 1. Pædag. cap. 5.* ait: *Caro & sanguis Christi fides est, & promissio.* Theodoretus *Dialogo 2.* expressè etiam vocat Eucharistiam Symbolum, & imaginem, inquiens, *mutavit voces, dans signo nomen corporis, & corpori nomen signi.* Sed contra quia tametsi Patres vocent Eucharistiam signum, Symbolum, figuram, typum, antitypum, similitudinem, speciem, & mysterium, ita tamen vocant hæc omnia, ut tamen non excludant veritatem, & realitatem, veramque præsentiam corporis & sanguinis Christi; Augustinus enim loco cit. contra Adimantum disputat contra Manichæos, qui cum duplicem JEsum ponerent, unum cœlestem, qui non verum corpus, sed signum haberet corporis: alterum terrestrem, & passibilem, cujus corpus realiter reperiretur in omnibus fructibus, censebant in Eucharistia perinde, ac in omni pane, & pomo esse reale corpus Christi passibilis; hinc Augustinus recitans Manichæorum sententiam, dixit, Christum corpus suum dare, cum non daret, nisi signum corporis sui. Præterea Augustinus vocat Eucharistiam signum, quatenus est Sacramentum continens verè, & realiter corpus Christi: in quo sensu, etiam Dionysius vocat Eucharistiam ænigmatum vela, & alii Sancti Patres symbolum, typum, ænigma, quia ænigmatizare per panem & vinum mysteria corporis, & sanguinis Salvatoris, perinde est, ac occultè ponere Christi corpus sub accidentibus panis, & vini, quæ accidentia vocantur signa corporis Christi. Quamobrem Sancti Patres vocarunt Eucharistiam figuram, signum, typum, antitypum, similitudinem, speciem, mysterium, & Sacramentum corporis & sanguinis Christi, quatenus spectatur tantùm secundùm externam sui partem quæ nostros cadit sub sensus: non verò ab ipsis consideratur, secundùm id, quòd in ea internum est, ac præcipuum, & invisibile. Quamobrem secundum extrema accidentia, quæ corporis oculis obversantur, dicitur à Sanctis Patribus figura, signum, typus, mysterium Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, & secundùm rem, sub iisdem accidentibus latentem vocatur veritas corporis, & sanguinis Christi, & sub hoc duplici respectu Sancti Patres fuerunt locuti de Eucharistia, quam propterea modo figuram, signum, typum, & modo corpus, & sanguinem Christi rectè vocarunt, sicut etiam Sacramentum, ac mysterium, quamvis crederent verum, reale, & propri-

proprium, ac ſubſtantiale Chriſti corpus ineſſe Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis, & vini.

Antiqui igitur Patres Euchariſtiam figuram vocarunt, non tamen vacuam, & inanem, ſed plenam non virtutis tantùm, & efficaciæ, ſed etiam ipſius ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti, ſeu figuram veritati convinctam, eamque includentem: quemadmodum arca Eccleſiæ figura fuit, non tamen vacua, ſed, ut includebat Noe, & ejus filios, qui eo tempore fuerunt fideles, qui eccleſiam conſtituerunt, ne ipſa etiam naufraga periret in diluvio, & templa noſtra materialia ſunt etiam figuræ Eccleſiæ, non tamen inanes, & vacuæ, ſed plenæ fidelibus, quos continent. Quo pacto etiam columba, & linguæ igneæ Apoſtolos inflammantes, figuræ fuerunt Spiritus S. non tamen vacuæ, & inanes, ſed eidem realiter conjunctæ. Rurſus ablutio exterior, quæ fit in baptiſmo, figura eſt interioris, quam ſignificat, & eidem realiter conjungitur, quatenus per aquam baptiſmi abluuntur peccata, & delentur, ac remittuntur. Sancti Patres igitur Euchariſtiam vocarunt figuram, ſignum, antitypum non rei abſentis, ſed præſentis, ſicut enim ſanguis eſt ſignum animæ, & in ſcripturis vocatur anima, & tamen eſt ſignum rei præſentis, ſeu animæ actu informantis corpus, unde poteſt ſignum etiam eſſe rei præſentis, & non abſentis, hinc Auguſtinus *lib. contra Adimantum Manichæum cap.* 12. ait: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* Rurſus corpus ipſum & ſanguis Domini, ut ſpeciebus panis, & vini velata, ſunt figura ejuſdem corporis immolati in ara crucis, ut etiam ſanguinis in paſſione effuſi. Idem enim ſui ipſius ſecundùm aliam rationem, ac ſtatum poteſt figura eſſe. Præterea Euchariſtia dicitur eſſe figura corporis Chriſti prout in cœlo à Beatis poſt reſurrectionem generalem, oculis corporeis manifeſtè videbitur, in quo ſenſu ait Ambroſius *lib. 1. de offic. 48. Hic umbra, hic imago, illic veritas* (ſeu in cœlis) *umbra in lege, imago in evangelio, veritas in cœleſtibus, ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe, quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimittat, hinc, hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis, quaſi advocatus, intervenit.* Eodem ſenſu Eccleſia in oratione poſt communionem, ita Deo ſupplicat: perficiant in nobis, Domine, quæſumus tua Sacramenta, quod continent, ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Hoc eſt, rogat, ut corpus Chriſti, quod nunc ſub ſpecie panis, & vini geritur, manifeſta viſione, ſicuti revera eſt, quandoque capiatur, & in hoc ſenſu S. Joannes Damaſcenus *lib. 4. fidei Orthodoxæ cap.* 14. Sacra hæc myſteria vocat *figuras rerum futurarum, non quod non verè corpus, & ſanguis Chriſti ſint, ſed quod nunc quidem divinitatis Chriſti per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per ſolum aſpectum.* Demum dicitur Euchariſtia eſſe figura myſtici corporis & ſanguinis Chriſti, quæ eſt conſociatio, & colligatio Chriſtianorum ad invicem, veluti membrorum ſub uno capite, in quo ſenſu D. Auguſtinus *Tract. 26. in Joan.* ait: *Norunt fideles corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti eſſe non negligant. Fiant corpus Chriſti, ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti: de Spiritu Chriſti non vivit, niſi corpus Chriſti. Inde eſt, quod exponens nobis Apoſtolus hunc panem, ait: Unus panis, unum corpus multi ſumus. O Sacramentum pietatis! ò ſignum unitatis! ò vinculum charitatis! qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur; ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum, hæreat corpori, vivat Deo de Deo: nunc laboret in terra, ut poſtea regnet in cœlo, ut ſcribit Apoſtolus 1. Corinth. cap. 10. qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam,*

Objiciunt quintò, quia Sancti Patres vocant Euchariſtiam, typum, & antitypum, D. Hieronymus *lib. 2. contra Jovinianum* ait: *In typo Sanguinis ſui non aquam obtulit, ſed vinum* & Theodoretus *Dialog. 3. Si parum tibi, & vile putatur corpus Chriſti, quomodo ejus typum, & figuram venerabilem putas, cujus autem typus eſt adorandus, quomodo exemplum ejus archetypum aſpernemur?* Et Nazianzenus *orat. VI.* ait: *Salutis meæ typos, quos eodem tempore, quo ſalutem hanc ad te mitto.* & *orat. II.* vocat Sacramentum quod in altari reſervatur *antitypum pretioſi corporis, & ſanguinis Domini.* D. Baſilius itidem liturg. ait: *Cum propoſuerimus antitypa pretioſi corporis, & ſanguinis Chriſti tui*, ex quibus Sanctorum Patrum authoritatibus inferunt Calviniſtæ corpus Chriſti non eſſe verè & realiter in Euchariſtia, ſed tantùm per figuram, typum, & antitypum. Sed contra, quia à Sanctis Patribus ſolent myſteria vocari antitypa, non tamen, quod hoc nomen ſignificet tantùm figuram, cum excluſione veritatis, quia antitypum ſignificat id, quod per typum repræſentabatur, & eſt id, quod opponitur typo: quapropter Sacramenta noſtra dicuntur antitypa, quia continent veritatem, quam Sacramenta veteris legis tantùm repræſentabant, non continebant: hinc S. Petrus vocat baptiſmum antitypum arcæ Noë, in qua octo tantùm animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & nunc nos antitypum ſalvos facit baptiſmo, ut explicat Catena Græca: ergo ex Sanctis Patribus nullo pacto poteſt colligi, in Euchariſtia eſſe tantùm figuram corporis Chriſti, & non verum, & reale Chriſti corpus.

Neque urget, ſi dicas, Auguſtinum *lib. 2. de peccator. merit. cap. 26.* dicere. *Quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Chriſti. Sanctum tamen eſt, quoniam Sacramentum*; ſiquidem Auguſtinus tantùm loquitur de pane Catechumenorum, quem in lata ſignificatione vocat Sacramentum, ſeu ſignum Sacrum, vel unitatis inter fideles, vel ipſius Euchariſtiæ, & Corporis Chriſti.

CAPUT VII.

Demonstratur contra Lutheranos, post consecrationem manere extra usum sub speciebus Eucharisticis corpus, & sanguinem Christi, quandiu perseverant species panis, & vini.

Quamvis extra sectam Calvini asserant Lutherani realem Christi præsentiam revera inesse Eucharistiæ sub speciebus panis, & vini, adeo, ut virtute divina ex vi verborum consecrationis ponatur sub speciebus panis verum, proprium, reale, ac substantiale Christi corpus sub speciebus vini; verus & realis, proprius, ac substantialis sanguis; nihilominus adhuc errant, docentes præsentiam realem Christi esse tantùm in Eucharistia tunc, quando actu manducatur, & sumitur, vel, ut ipsi loquuntur, in usu, non extra usum, seu manducationem perseverare hanc realem Christi præsentiam in speciebus Eucharisticis. Volunt præsentiam realem Christi adeo evidenter probari ex evangelio, ut nemo sanæ mentis possit id inficiari. Verum, ne viderentur omnino consentire Catholicis, dixerunt Christum in Eucharistia hanc realem præsentiam habere tantùm, quando actu sumitur, seu in usu, non verò extra usum, & nituntur verbis Christi dicentis: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*, adeo, ut verificativum corporis Christi tantùm habeatur in usu, seu manducatione Eucharistiæ, non verò extra usum, ut docuerunt Buccerus, Brentius, Lutherus, & communiter Lutherani inferentes, Eucharistiam non debere in Ecclesiis asservari, nec adorari, nec in processionibus circumferri.

Asserendum est, realem Christi præsentiam prolatis verbis consecrationis esse in Eucharistia, non solum in ipso usu, quando sumitur, deglutitur, ac demittitur in stomachum, se etiam extra usum, adeo, ut tam diu perseveret peracta consecratione, quamdiu manet species panis & vini, & id esse dogma fidei catholicæ, & evincitur ex Tridentino *sess.* 13. *can.* 4. & 6. & 7. ubi expressè hanc veritatem definivit his verbis: *Siquis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistia Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini Nostri JEsu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.* Evincitur hoc fidei dogma iisdem argumentis, quibus in præcedentibus probata fuit realis præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, siquidem omnes figuræ, prophetiæ, promissiones Christi, institutio Eucharistiæ, Patrum suffragia, & oracula, sicut ostendunt, & declarant præsentem Christum in Eucharistia, ita probant esse, permanenter præsentem, quamdiu vera sunt Christi verba: *Hoc est corpus meum*: sed hæc verba tunc cœperunt vera esse, cum primum à Christo fuerunt prolata, etiam priusquam Eucharistia esset in ore Apostolorum; alioquin tunc falsa fuissent, quando à Christo fuerunt prolata, quia tunc nondum fuit in usu, seu nondum ab Apostolis manducabatur: Quod si pro illo priori fuerunt vera, ergo antecedenter ad usum, seu actum manducationis est in Eucharistia vera, realis præsentia corporis substantialis Christi: siquidem prius tempore fuerunt verba consecrationis prolata, quàm Eucharistia sumeretur ab Apostolis, sicut nunc proferuntur à Sacerdote, antequam sumatur à fidelibus. ergo antecedenter ad usum, seu actum comestionis, si verba consecrationis vera sunt, debet in Eucharistia esse vera, & realis, substantialis corporis Christi præsentia. Præterea, quia, ut Christus poneretur sub speciebus Eucharisticis, tunc tantùm, quando actu sumitur à fidelibus, non verò ante, vel post, utique deberet posse assignari aliqua causa, quæ non esset ante, nec post, atqui verba consecrationis antecedenter ad sumptionem sunt vera, & eorum veritas etiam moraliter, neque potest assignari quidquam, à quo impediatur earum significatio, neque per actualem sumptionem magis incipiunt esse vera, ergo peracta consecratione, & ante usum, actumque manducationis, verum, proprium, reale, ac substantiale corpus Christi ex vi verborum est in Eucharistia sub speciebus panis & vini.

Præterea si post sumptionem statim Christus abscederet ab aliis particulis, quæ supersunt, utique deberet dari aliquod agens, cujus virtute substantia panis, quæ non erat sub illis speciebus, post consecrationem statim rediret, & corpus Christi abscederet. Ponamus Ministrum Lutheranum exhibere moribundo Eucharistiam, & proferre verba consecrationis: *Hoc est corpus meum*, & in os moribundi ponere Sacramentum, qui tamen ob aliquod accidens non possit illud deglutire, & statim decedat sine manducatione corporis Christi adhuc adhærentis linguæ, & faucibus, in hoc casu corpus Christi in sententia Lutheranorum ex vi consecrationis esset sub speciebus Eucharisticis, & tamen careret usu, cùm actu non manducaretur, peto nunc, an sub illis speciebus Eucharisticis maneat corpus Christi, vel non? si primum, ergo non tantùm in ipso usu, & quando sumitur, sed etiam extra usum perseverat Christi corpus sub speciebus Eucharisticis. Si dicatur secundum, ergo debet assignari causa aliqua, qua cesset corpus Christi esse in Eucharistia: hæc autem causa nullibi potest assignari in scripturis, nec Christus quidquam de hac cessatione dixit, neque Sancti Patres, neque Concilia, & non potest fingi, quænam sit hæc causa impediens hanc realem Christi præsentiam in Eucharistia post consecrationem, quamdiu perseverant species panis, & vini: si igitur hæc causa non datur, & Deus salva verborum veritate non potest hanc præsentiam removere, siquidem verbum Christi, *hoc*, designat contentum sub accidentibus esse corpus Christi, ergo quamdiu manet illud *hoc*, seu perseverant accidentia Eucharistica, tamdiu debet perseverare corpus Christi, quod proinde tamdiu manet, quamdiu perseverat hoc, seu aliquid contentum sub accidentibus, quod Christus dixit esse suum corpus. Præterea quia posita causa in exercitio ponitur effectus, & non posito exercitio causæ non ponitur effectus: sed causa, cur realis Christi præsentia sit in Eucharistia, sunt verba Christi: *Hoc est corpus meum*: ergo tunc incipit Christus esse verè, & realiter præsens in Eucharistia, quando proferuntur prælata verba consecrationis: sed hæc verba proferuntur prius tempore, quàm fideles communicent, ergo.

Quòd

Quòd si dicas, Ministrum non proferre verba illa, nisi in ipso actu, quo exhibet Eucharistiam manducandam alteri. Contra est, quia semper antecedit actum manducationis aliqua morula temporis, siquidem actus manducationis non consistit in ipsa exhibitione Eucharistiæ, sed in ipsa deglutitione, quæ fit à sumente Eucharistiam. Præterea si Minister proferet verba consecrationis, & suscipiens Eucharistiam ob aliquod impedimentum non posset eam deglutire, seu manducare, nonne ex vi verborum esset corpus Christi sub speciebus illis Eucharisticis, antecedenter ad usum, seu actum manducationis, non enim potest ratio ulla assignari, cur prolatis verbis consecrationis non deberet esse sub speciebus illis Eucharisticis, ex quibus constat antecedenter ad usum, seu actum comestionis Christum verè, & realiter esse præsentem in Eucharistia. Quòd si per unum, vel alterum instans ante usum est præsens in Eucharistia, cur non etiam per plura alia instantia. Quòd si respondeant, Christum esse ibi præsentem in ordine ad manducationem, & ad usum, respondetur, quod tametsi asservetur in pixide, adhuc dicit ordinem ad manducationem, & usum; quia fideles communicant, sumunt, & comedunt illas hostias.

Rursus remotio hujus præsentiæ realis corporis Christi, si daretur, eo quia post consecrationem non haberetur usus, seu manducatio hostiæ consecratæ ob quodcunque impedimentum, utique esset aliquis effectus, cui necessario deberet correspondere aliqua causa, sed causa hujus remotionis non potest assignari; quinimò assignatur moralis perseverantia causæ ponentis realem Christi præsentiam in Eucharistia, quia illud verbum *hoc* designat consensum sub speciebus eucharisticis tandiu manere, quandiu manent ipsa accidentia sensibilia in pane: ergo vel daretur effectus sine causa, quod repugnat; vel realis Christi præsentia haberetur, in Eucharistia ante, & post usum.

Præterea hoc fidei dogma semper docuit ecclesia à tempore Apostolorum, ut testantur Sancti Patres, qui floruerunt sub initiis ecclesiæ, ac temporibus Apostolorum, quorum fuerunt discipuli, ut Clemens Romanus *lib.* 8. *Constitut. cap.* 11. Justinus Martyr, Irenæus *epist. ad Victor. apud Eusebium lib.* 1. Tertullianus *lib.* 2. *ad Uxorem.* Cyprianus *Serm. de baptis.* Concilium Nicenum *can.* 14. *aliàs* 18. Basilius *epist. ad Cæsariam.* Ambrosius *in Oratione de Fratre suo Satyro*; & communiter alii SS. Patres, qui floruerunt primis illis sæculis orientis ecclesiæ.

Præterea hoc dogma fidei contra Lutheranos, & Protestantes Anglos, evincunt verba Christi, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*; fuerunt enim hæc verba à Magistro Christo prolata, antequam singuli discipuli hoc Sacramentum sumerent, consequenter fuit sub speciebus panis extra usum, seu antequam Discipuli communicarent verum, & proprium Christi corpus sub speciebus panis, & sub speciebus vini verum ac proprium ejus sanguinem; cùm enim prolata fuerint verba illa consecratoria ante usum, seu antequam Discipuli communicarent, fuit ibi præsens corpus Christi, tametsi nondum fuerit usus, vel actus manducationis, antecedens clarè constat, quia propositiones practicæ, seu operatoriæ, quales sunt istæ: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, operantur, quod enuntiant, adeo ut prolatis verbis absque ulla mora existat, quod enuntiatur, etenim dixit Deus ab initio mundi conditi, *fiat lux*, & statim, quavis semota mora, facta est lux: in novo testamento dixit Christus leproso, *volo, mundare*, & statim mundatus est à lepra: dixit paralytico, *tolle grabatum tuum, & ambula*, & statim sanatus est: dixit Lazaro mortuo & quatriduano in sepulchro, *Lazare veni foras*, & statim è sepulchro exivit redivivus, quia præfata Christi verba fuerunt operatoria, quæ statim post prolationem posuerunt suum effectum, seu operata sunt, quod significabant; sed hæ propositiones: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, sunt propositiones practicæ, & operatoriæ, ergo debent statim ponere, quod significant, consequenter antequam à Discipulis manducaretur Eucharistia, quia verba Christi fuerunt prolata, fuit sub speciebus panis verum & proprium Christi corpus ante usum, ut etiam sub speciebus vini verus ac proprius ejus sanguinis.

Hinc Lutheranorum, & Protestantium error ex S. Cyrillo Alexandrino omnino refellitur; scribit ipse ad Calosymium, inquiens: *Porro alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem juvare dicant; siquid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt verò, qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus corpus immutatur; sed benedictionis vis, ac facultas, & vivificans gratia perpetua in ipso existit.* Rursus Optatus Episcopus Milevitanus expressè asserit sacrum Christi corpus, & ejus sanguinem esse in altari, & non solum in ore, cum manducatur, & bibitur, ait enim *lib. 6. contra Parmenianum: Quid est altare, nisi sedes corporis, & sanguinis Christi?* & infra addit, *Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistitor etiam calicis Christi sanguinis portitor es*: Hinc ex antiquis patribus, qui floruerunt primis ecclesiæ sæculis, constat corpus & sanguinem Christi esse in Eucharistia extra usum, seu actum manducationis.

Præterea, quia verba Christi: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, vel fuerunt statim vera absolutè, vel tantùm sub conditione, si aliquando à vobis manducabitur, si dicatur primum, scilicet fuisse statim vera absolutè, habemus intentum, & probatur dogma fidei, scilicet ante usum esse in Eucharistia corpus, & sanguinem Christi, siquidem inter prolationem horum verborum, & ipsam sumptionem mora notabilis intercessit, consequenter toto illo tempore corpus, & sanguis Christi extra sumptionem permanserant. Si dicatur secundum, id nonnisi temerè, & falso asseritur, quia nullum in scripturis est indicium, quo ostendatur verba illa fuisse à Christo conditionatè prolata. Nam quod dicant Lutherani, sumptionem esse de essentia Sacramenti, est falsum, quia tametsi non sumatur, seu manducetur, adest post consecrationem verum corpus, & sanguis Christi sub speciebus Eucharisticis, neque usus, seu manducatio potest esse conditio, qua posita, fiat Sacramentum, & non posita, non fiat; id enim est omnino falsum, & adversatur scripturis, ait enim Apostolus 1. *Corinth.* 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* & quibus verbis colligitur, panem prius consecrari, & mutari in corpus Christi, quàm frangatur, & distribuatur, non enim Apostolus dixit: futurum esse corpus Domini, quod frangitur, sed jam esse corpus Domini, quia propositiones operativæ ex natura sua ponunt, quod denuntiant, statim ac proferuntur.

Præterea quando dixit Christus: *Accipite, & comedite & bibite*, illud quod jussit eos accipere, comedere, & bibere, vel fuit corpus ipsius Christi vel non; si primum, ergo prius est accipere, quàm comedere, & bibere, proinde antecedenter ad usum, seu actum comestionis adest in Eucharistia verum, proprium, ac reale corpus

 Christi,

Digitized by Google

Chriſti, proinde comedere, & bibere, non ponunt, ſed ſupponunt Corpus Chriſti in Euchariſtia, & non ſunt de eſſentia Sacramenti; Quòd ſi nulla conditio fuerit, ſequitur verba Chriſti vel fuiſſe falſa, vel ante uſum poſuiſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis verum ſuum reale Corpus, & ſanguinem; ſi enim non adfuerit conditio, cùm dixerit: *Hoc eſt corpus meum*, cùm tamen non eſſet ibi corpus ſuum, verba fuiſſent falſa, quod eſt implicatorium, quia Chriſtus, ut Deus, fuit prima veritas, cui non poteſt falſitas ſubeſſe: Si ſecundum, ergo ante uſum, ſeu actum manducationis ſub ſpeciebus Euchariſticis, habetur verum, proprium, ac reale Chriſti Corpus, & ſanguis: & quamvis Chriſtus dixerit: *Hoc facite, quotiescunque manducabitis*, & juſſerit eos comedere, atque bibere, ac proinde oſtenderit finem hujus inſtitutionis eſſe ſumptionem: non propterea inde ſequitur, ſumptionem eſſe de eſſentia Sacramenti, quia per verba illa, *hoc facite*, jubet eos, hoc facere in ſui commemorationem, ut per illam actionem repræſentent factum Chriſti, & quamvis fateamur, ſumptionem eſſe principalem finem hujus inſtitutionis, non tamen inde poteſt deduci, ante ſumptionem non eſſe ſub accidentibus Euchariſticis corpus, & ſanguinem Chriſti, quemadmodum ex eo, quòd vinum ponatur in dolio, ut bibatur, & piſtor panem conficiat, ut comedatur, non tamen ſi vinum non ſtatim bibatur, deſinit eſſe vinum, neque panis, niſi ſtatim comedatur, deſinit eſſe panis, ita à pari, quamvis Euchariſtia non ſtatim ſumatur, non tamen inde ſequitur, quòd poſt prolationem verborum conſecrationis non ſit Euchariſtia, ſeu corpus Domini, unde licèt finis principalis Euchariſtiæ ſit, ut comedatur, non tamen inde ſequitur, quòd, antequam comedatur, non ſit Euchariſtia, ad hoc enim ſufficit, ſi per verba Chriſti jubeatur eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis corpus Chriſti, quod maneat ſub iiſdem accidentibus, & poſtea manducetur.

Rurſus verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, cùm fuerint pronuntiata ante ſumptionem, fuerunt abſolutè vera, idque conſtat ex verbis *Matth. 26. v. 28. Bibite ex eo omnes*, ſed quid, & quare ex hoc bibendum erat? Chriſtus ipſe explicat ſubjungens: *Hic eſt enim Sanguis meus*, per particulam *enim* aſſerit non eſſe vinum, quod ex illo calice porrigebat ſuis Diſcipulis, ſed eſſe verum ſuum ſanguinem, cùm dicat: *Hic eſt enim Sanguis meus*, ſcilicet non vinum, ſed ſanguis, ergo neceſſariò in calice fuit ſanguis, antequam Diſcipuli ex illo biberent, idque clariſſimè firmatur ex illo *Luc. cap. 22. v. 20. Hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine*, quibus verbis conſtat apertè, fuiſſe in calice illo verum Chriſti ſanguinem, & non tantùm in ore bibentium, quòd ſi, antequam biberent, Chriſtus dixit præfata verba, ſequitur ante uſum fuiſſe in calice verum Chriſti ſanguinem.

Rurſus hanc veritatem confirmant verba Apoſtoli 1. *Corinth.* 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, corpus Domini eſt*, ſed quando frangitur, nondum ſumitur, ergo antequam ſumatur, corpus Domini adeſt in Euchariſtia. Quòd ſi ante ſumptionem non ſiat corpus, & ſanguis Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſeu Sacramentum, peto quoniam tempore ſiat hoc Sacramentum, ſi reſpondeant in ſumptione, ergo non jam verba Chriſti operantur hoc Sacramentum, ſed ipſa ſumptio eſt cauſa hujus Sacramenti, conſequenter verba Chriſti præcedentia hanc ſumptionem, *hoc eſt corpus meum*, falſa ſunt, quia nondum ibi adeſt corpus Chriſti. Præterea in ipſa ſumptione peto, quo tempore ſiat hoc Sacramentum, an quando panis in os accipitur, an verò quando dimittitur in ſtomachum, an quando in ſtomacho digeritur, vel in omnibus iſtis ſimul ſumptis? ſed non poteſt dici in primo tantùm, quia certum eſt, panem in os accipere, non eſſe panem comedere, poteſt enim quis panem accipere in ore, & illum rejicere, & Chriſtus juſſit, ut Diſcipuli comederent ſuum corpus. Neque poteſt fieri hoc Sacramentum, quando dimittitur in ſtomachum, quia panis in ſtomachum demiſſio, ſeu deglutitio, præciſè ſumpta, dici non poteſt comeſtio, plura enim poſſumus deglutire, & tamen non comedimus, ut ſit in illis, qui plumbum vel aurum deglutiunt, non enim dicuntur illud comedere, neque dici poteſt, quòd tunc ſiat hoc Sacramentum, quando in ſtomachum jam immiſſum digeritur, quia propriè digeſtio non eſt comeſtio, ſed quod jam comeſtum eſt, coquere, nec in ſtomacho ſit comeſtio, ſed concoctio, & corruptio, unde conſtat in nullo horum ſigillatim, ac præciſè, ſed in omnibus iſtis ſimul ſumptis conſiſtere ſumptionem, ſeu comeſtionem: quòd ſi dicant, in his omnibus ſimul ſumptis fieri hoc Sacramentum, neceſſe eſt, aſſerant corpus Chriſti in Euchariſtia fieri ſucceſſivè, & inſtar embrionis in matris utero formari, quod abſurdum eſt, etenim per Lutheranos corpus Chriſti ponitur in Euchariſtia, quando panis ſumitur, ſed panis ſumitur, quando in os accipitur, deglutitur, & in ſtomachum admittitur, ergo quando iſta ſiunt corpus Chriſti in Euchariſtia, ponitur, ſed illa non ſiunt, niſi per notabile tempus, & ſucceſſivum, ergo corpus Chriſti in Euchariſtia non ponitur, niſi tempore ſucceſſivo, & per partes, quod abſurdum eſt aſſerere: Hinc Lutheranorum errorem negantium, corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia extra uſum, Concilium Tridentinum damnavit *Seſſ. 13. can. 4. Si quis dixerit, peractâ conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed tantùm in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt, & in hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum corpus Domini, anathema ſit.* Igitur hanc veritatem docent definitiones Conciliorum, traditiones Apoſtolorum, conſenſus Patrum, & praxis totius univerſalis Eccleſiæ, ut fusè oſtendunt Sancteſius *repetit. 4. cap.* 12. Bellarminus *lib.* 4. Peronius *lib.* 5. Eſpencæus *lib.* 2. *de Euchariſtia.*

Ex eo igitur, quòd ſic ſit dogma fidei, corpus Chriſti extra uſum manere in Euchariſtia, ſequitur, rectè ab Eccleſia Euchariſtiam conſervari in Sacrario, imò, & expedire, ut poſſit diſtribui fidelibus, & deferri ad infirmos, hæc enim fuit conſuetudo veteris Eccleſiæ, ad hæc uſque tempora firmata, ut oſtendunt Sancti Patres, & teſtantur Concilia, etenim S. Juſtinus Martyr Apolog. pro Chriſtianis, quæ ſecunda inſcribitur ait: *Præſidens poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus univerſus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Miniſtri diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt.* S. Irenæus epiſt. ad Victorem Pontificem Maximum ipſum hortatur, ne Aſiaticos ob diverſum Paſchatis celebrandi morem ab unitate Eccleſiæ, & communione abſcindat, & ſcribit, ejus anteceſſores à communione ſua non rejeciſſe Epiſcopos, qui luna quarta decima Paſcha celebrabant, & ad ipſos Euchariſtiam miſiſſe; ait enim apud Euſebium *lib.* 5. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 24.

Nec

Digitized by Google

Nec ulli unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt, verum illi ipsi, qui te praecesserunt Presbyteri, quamvis id minimè observarent, Ecclesiarum Presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt. Hinc Eucharistiam fuisse olim ab Ecclesia ad usum morientium asservatam testatur Dionysius Alexandrinus *epist. ad Fabium*, apud Eusebium *lib. 6. histor. Ecclesiast. cap.* 42. Rursus Eucharistiam fuisse olim à peregrè profecturis delatam, testatur S. Ambrosius *in funere fratris sui Satyri*: ejusque gestationem fuisse olim etiam in usu, probant Gretscherus *lib. 1. cap. ult.* & Sanctesius *repet. 9. cap.* 8. unde ex usu Ecclesiae, traditione Apostolorum, definitionibus Conciliorum, doctrina Patrum, & veritate verborum Christi constat, Christi verum, proprium, ac substantiale corpus manere in Eucharistia, etiam extra usum, & tamdiu manere, quamdiu, peracta consecratione, perseverant accidentia Eucharistica.

Hanc veritatem testantur etiam alii Sancti Patres, praesertim Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. *Latebisne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm etiam per noctem exurgis oratum? & non magicè aliquid videberis operari? nam sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes, & si sciverit panem, non illum credet esse, qui dicitur?* & *lib. de orat. cap.* 14. *Accepto corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio officii.* S. Cyprianus *lib. de lapsis* etiam testatur, moris fuisse, ut Eucharistia à fidelibus domum deferretur, ibique servaretur, & narrat etiam miraculum factum ad detegendum, ac puniendum sacrilegium cujusdam mulieris, quae cùm arcam suam, in qua sanctum Domini fuit, seu Eucharistia manibus indignis aula fuisset aperire, igne exinde surgente deterrita, non ausa fuit attingere. Et S. Gregorius Nazianzenus *orat. in funere sororis suae Gorgoniae* narrat, eam apud se in cubiculo reconditum habuisse corpus Christi, & fusis ante ipsum precibus, pristinae sanitati fuisse restitutam. S. Basilius *epist.* 289. *ad Caesaream Patritiam* scribit: *Quoniam per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario Sacerdote vel Ministro non praesente propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacuum, ut demonstrem illam ipsam rem non esse graviter, & iniquè ferendam, eò quia inveterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederat: Nam & illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit Sacerdotis, cùm habeant domi communionem de suis manibus illam percipiunt. Alexandriae autem & per Aegyptum unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi suae communionem. Nam cùm semel Sacerdos Sacrificium peragat, ac distribuat, qui susceperit illud integrum simul, & quotidiè de illa sumpserit, quam à dante acceperat Sacerdote, credere debet, & tenetur, nec injuria, sese eandem suscipere, & percipere.* Unde nulli potest dubium esse, quin à primis Ecclesiae fidelibus crederetur corpus Christi post consecrationem manere etiam extra usum sub speciebus Eucharisticis, & quidem tamdiu, quamdiu istae non corrumpuntur, ac propterea moris fuisse, ut hostia consecrata etiam domi conservaretur, & in eremum etiam asportaretur, ut scribit D. Hieronymus *epist. 4. ad Rusticum*, inquiens: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro.*

Viaticum itidem Eucharistiae in vitae extremo constitutis dari, laudant antiqui Canones. Ad usum Eucharistiae pro infirmis asservandae suspensas olim in Altari fuisse turres aureas, testantur Venantius Fortunatus *lib. 3. carm. 25. ad Felicem Episcopum Biturricensem*, & Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyr. cap.* 86. Imò ad eundem usum suspensas itidem in Altari aureas vel argenteas columbas, legimus in vita S. Basilii ab Amphilochio scripta, & eas fuisse postea sublatas à Severo Haeretico non sine querela Clericorum, & Monachorum, qui sub Menna supplicem libellum hac super re obtulerunt Synodo Constantinopolitanae. Rectè igitur Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 6. ait: *Consuetudo asservandi in Sacrario Sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam etiam Nicaeni Concilii saeculum agnoverit. Porrò deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, praeter quam, quod cum summa aequitate, & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis preceptum invenitur, & vetustissimo Catholicae Ecclesiae more est observatum, quare sancta haec Synodus retinendum omninò salutarem hunc, & necessarium morem statuit.* Et *can.* 7. anathemate percutit oppositum sententes, inquiens: *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in Sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit*, & hic canon totaliter evertit errores Lutheranorum, & Calvinistarum. Igitur hostiae consecratae juxta Parochiae extensiones sunt in tabernaculo asservandae, ut possint fideles, prout opus fuerit, communicare, vel ex devotione, vel aegritudine imminente mortis periculo: & in quacunque Parochiali Ecclesia in aurea, vel argentea pyxide saltem quinque hostiae consecratae servandae erunt, quas Sacerdos singulis quindecim diebus ad summum renovabit; vel quinta quaque feria, quo die Christus hoc Sacramentum instituit: & hostiae consecrentur, quae sint recentes, à paucis diebus confectae, ne tam citò corrumpantur; idque ad majorem hujus Sacramenti decentiam.

Praeterea Tridentina Synodus *Sess. 13. cap. 6.* declaravit, Corpus Christi esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum consecrationis; ipsum verò corpus sub specie vini; & sanguinem sub specie panis, & animam Christi sub utraque specie, vi naturalis illius conjunctionis, & concomitantiae, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. Addit Concilium, divinitatem propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem esse in singulis corporis, & sanguinis partibus, adeo ut nulla sit pars: in qua non sit totus Christus, quoad humanitatem, & divinitatem; quia cùm verba consecrationis efficiant, quicquid significant. Id esse in Sacramento virtute Sacramenti, asserunt Theologi, docentes esse in Sacramento Christum quoad totam humanitatem, & divinitatem; adeo ut si contingeret unam partem ab alia sejungi: ut contigit in triduo mortis Christi, quo anima separata fuit à corpore Christi tota divinitas in utraque parte adesset, quia, quòd semel assumpsit, nunquam dimisit, ut loquuntur Theologi; & in Sacramento id solum, quod per formam significaretur. Hinc, quia forma, quae in panis consecratione adhibetur, corpus Domini significet: *Hoc est corpus meum*; ipsum Christi corpus vi verborum est in Eucharistia, quia verò corpori sanguis, anima & divinitas adnectuntur, ut etiam speciatim persona Verbi divini, haec omnia sunt quoque in Sacramento, non quidem virtute verborum, sed necessitate conjunctionis, ut illa, quae corpori Christi conjuncta sunt, non separentur.

Firma-

Firmatur hoc idem ex cap. *neceſſario diſtinct.* 2. *de conſecratione*, ubi ex epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium habetur: *Sic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur participes ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum Redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes (quod abſit) nec ut viri ſanctificati, & verbo conjuncti, ſecundùm dignitatis unitatem; aut ſicut divinam poſſidentis habitationem, ſed verè vivificatricem, & ipſius verbi propriam factam.* Caro autem Chriſti vivifica non eſſet in Euchariſtia, niſi adeſſet & verbum divinum eidem conjunctum, & unà cum carne vivifica Chriſti ſimul ipſa Deitas Verbi divini ſumeretur: Totus igitur Chriſtus unà cùm divinitate Verbi ſumitur à fidelibus communicantibus ſub utraque ſpecie panis, & vini, poſt concomitantiam ratione unionis, quia una pars ſequitur aliam, non ex conſecrationis virtute; quia verba tantùm efficiunt, quod ſignificant.

Quinimò eſt etiam fidei dogma, non ſolùm totum Chriſtum quoad corpus, ſanguinem, animam, & Verbi divini divinitatem contineri ſub utraque ſpecie; verum etiam ſub unaquaque particula ſenſibili utriusque ſpeciei. Idque evincitur ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 13. *can.* 3. ubi habetur: *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſingulis cujusque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* Et ratio aſſignatur à Catechiſmo ejuſdem Synodi: quia non eſt credendum, ſingula panis fruſtula propria verborum forma à Domino conſecrata fuiſſe, ſed una, eademque conſecratione, totum ſimul panem diſtribuendum Apoſtolis conſecraſſe: quòd etiam de calice factum fuiſſe apparet. *Luc.* 22. 19. cùm dixerit Chriſtus: *Accipite, & dividite inter vos*: Priùs Chriſtus totum panem conſecravit, quem poſtea dividendum tradidit Apoſtolis, ut unusquisque ex illo manducaret. Hinc in cap. *Sanguis diſt.* 2. *de conſecratione* habetur: *Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt: nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe exhibet in ſingulis.* Et in cap. *Ubi ead. diſtinct.* dicitur: *Ubi pars eſt corporis, eſt & totum. Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in manna, quod in ejus figura præceſſit, de quo dicitur: Exod.* 16. *Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus paraverat, invenit minus. Non eſt omnino quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio; ſed virtus Sacramenti ſpiritualis.* Ratio ſuadens hoc fidei dogma petitur ex eo, quòd Chriſtus Dominus non ſit in hoc Sacramento, ut in loco. Locus enim res ipſas conſequitur, ut prædictæ ſunt propria quantitate, ac magnitudine: & Chriſtus non eſt in hoc Sacramento, ut magnus, vel parvus, quia id ad quantitatem pertinet; ſed ut eſt ſubſtantia corporis, abſque quantitativa extenſione: Siquidem ſubſtantia panis ex vi verborum convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, & non in magnitudinem, & quantitatem: atqui ſubſtantia æquè continetur in parvo, ac magno. Quælibet enim ſubſtantia totam ſuam continet naturam, ſive ſit extenſa, ſive non: Tota enim natura ſubſtantiæ ligni bipalmaris æquè continetur in toto ligno bipalmari, ac in ſingulis ejus partibus, tametſi in millenas divideretur partes. Cùm igitur ſubſtantiæ panis ſuccedat ſubſtantia corporis Chriſti, tenemur fateri, æquè in tota hoſtia conſecrata contineri totam ſubſtantiam corporis Chriſti, ac in ſingulis ejus partibus, quantumvis minimis ſenſibilibus. D. Thomas hoc idem probat *opuſcul.* 58. *cap.* 13. exemplo ſpeculi: Si enim quiſpiam pluribus ſpeculis faciem ſuam exhibeat, in omnibus æqualiter, & integrè una apparebit facies: Sin autem unum ſpeculum cadat, ac in plures diſſiliat partes, in qualibet parte diſjuncta ab alia, tota itidem apparet facies, æquè ac in toto ſpeculo abſque ulla mutatione: perinde in Sacramento Euchariſtiæ, *quod eſt ſpeculum, & imago illius*, licèt ſpecies panis in plures dividatur particulas, æquè eſt in ſingulis, ac in toto pane; & ſemper totus, & integer Chriſtus ſumitur.

Sed dices, ſi tota Chriſti ſubſtantia adeſt, & ſumitur in unaquaque ſpecie, cùm duæ conſecrantur ſpecies, ſi una ſufficit, altera videtur ſuperfluere. Reſpondetur valdè conſentaneum fuiſſe, ut hoc Sacramentum inſtitueretur ſub utraque ſpecie panis, & vini; quia cùm ordinaretur ad alendam, nutriendamque animam, fuit inſtitutum per modum convivii, unde canit Eccleſia; *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur*, in convivio autem non ſolùm cibus, ſed & potus deſideratur, unde maximè conſentaneum fuit, ut, quomodo Sacramento ad alendam animam utendum nobis erat; inſtitueretur per modum cibi, & potûs, cùm utrumque requiratur ad perfectum, ac completum convivium. Habetur itidem alia ratio, quia, cùm paſſio Chriſti, in qua ſanguis à corpore ſejunctus eſt, in pretium noſtræ redemptionis, ut magis noſtra redemptio exprimeretur in pretio ſanguinis effuſi, ac ſoluti, ideo conveniens erat, ut in hoc Sacramento ſanguis ſpeciatim poneretur ſub ſpeciebus vini, & corpus ſub ſpeciebus panis.

Hinc Chriſtus in Euchariſtia adorandus eſt cultu latriæ, cùm credamus præſentem ſub ſpeciebus Euchariſticis eundem Deum, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dixit, *Matth.* 2. *Luc.* 14. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, & quem Reges Magi *procidentes adoraverunt*, & quem Apoſtoli in Galilæa adoràſſe Scripturæ teſtantur, & traditio Apoſtolorum in Eccleſiam derivata confirmat, ſcilicet una adoratione Deum, Verbum humanatum cum propria ipſius carne debere à fidelibus adorari, ut referunt S. Cyrillus Alexandrinus *Anathematiſmo* 8. *contra Neſtorium*, Synodus Epheſina, Concilium Oecumenicum, Conſtantinopolitanum 2. *can.* 9. S. Chryſoſtomus aſſerens, Angelos Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſe, contremiſcere, & ſacram menſam ſumma cum reverentia circumvallare, ac pronos Chriſtum ſub Euchariſticis ſpeciebus venerari, & Deo humiliter ſupplicare pro his, pro quibus dignatus eſt ſanguinem pretium redemptionis noſtræ fundere, & mortem corporis ſubire, ut ait *homil.* 3. *de incomprehenſibili Dei natura*, & *homil.* 1. *in verba Iſaiæ: Vidi Dominum.* S. Ambroſius *de Spiritu S. cap.* 12. inquiens: *Adoravit Chriſtum Maria; adoraverunt Apoſtoli; adoraverunt & Angeli, de quibus ſcriptum eſt, adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non ſolum divinitatem ejus, ſed etiam ſcabellum pedum ejus, quia factum eſt. Per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino JESU adoraverunt, neque enim diviſus eſt Chriſtus, ſed unus.* Hoc idem ediſſerit D. Auguſtinus *enarrat. in Pſal.* 98. inquiens: *Quomodo adorabimus terram, cùm dicit apertè Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis, & hic dicit, adorate ſcabellum pedum ejus? quæro, quid ſit ſcabellum pedum ejus. Exponens autem mihi, quid ſit ſcabellum pedum ejus, dicit: Terra autem ſcabellum pedum meorum, anceps factus ſum. Timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rurſus timeo non adorare ſcabellum pedum Domini, quia Pſalmus mihi dicit, ado-*

rate

Digitized by Google

rate ſcabellum pedum ejus, fluctuans converto me ad Chriſtum; quia ipſum quæro hic, & invenio, quomodo ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus; ſuſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit: inventum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccamus adorando! ſed peccemus non adorando.

Factu itidem optimum, ut ſingulis annis dies ſolemnis feſtus inſtitueretur, quo venerabile hoc Sacramentum ſingulari pietate, ac religione deferatur proceſſionaliter, fidelium comitante affluxu per urbium plateas honorificè ornatas. Ita enim declaravit Tridentina Synodus, *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. *can.* 5. inquiens: *Æquiſſimum eſt, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, quibus Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione, gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & redemptorem pro tam ineffabili, ac planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur. Atque ſic oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, vel fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.* Hæc autem ſolemnitas, dieſque feſtus corporis Domini ob triplicem cauſam fuit inſtitutus ab Urbano IV. diplomate dato die 8. Septembris Anno 1264. Et à Clemente V. in Concilio Oecumenico Viennenſi in Delfinatu Anno 1311. confirmatus. Primò, ut fideles recolerent memoriam tanti beneficii à Chriſto ipſis præſtiti, quo proprium ſuum corpus edendum ad vitam æternam, animamque ſpiritualiter alendam, ac corroborandam tradiderit, & ad publicam conteſtationem communis gratitudinis, ob tam inſigne, ac pretioſum amoris pignus in omnes, quibus totum ſe ipſum reliquit, imò & dedit in animæ ſpirituale alimentum. Secundò, ad confundendam hæreticorum perfidiam, ac frangendam pervicaciam, cùm tanti myſterii veritatem impugnare auſi fuerint, & ut erubeſcant cæcutientes in tantæ ſolemnitatis ſplendore, ac veritatis claritate, ac tandem reſipiſcant; Tertiò, ad ſupplendos defectus tam publicæ, quàm privatæ devotionis, ſi per totum anni decurſum hac in parte defecimus, ad reſarciendos hos defectus, & negligentias rectè in honorem venerabilis Sacramenti hanc agimus piè, ac religioſè ſolemnitatem.

Proceſſiones verò quod attinet, ſunt hæ publicæ ſupplicationes, ac ſolemnes preces, quibus fideles, certo ordine incedentes, comitantur SS. Eucharistiæ Sacramentum, cùm religioſè circumfertur, vel ad publicam venerationem, vel ad implorandum divinum auxilium: neque quicquam poteſt in iiſdem notari, quod pium, religioſum, ac ſanctum non ſit: ſiquidem inſtitutæ fuerunt hujuſmodi proceſſiones ad imitationem Arcæ, quæ in veteri teſtamento juſſu Dei circumferebantur ritu ſolemni: etenim Tribus filiorum Iſrael profectæ de monte Sinai per deſertum Arcâ præeunte, ac ordine quodam procedentibus Levitis eam circumgeſſerunt, donec ad terram promiſſam poſt varia itinera pervenerint: cumque in illa geſtatione elevaretur Arca, dicebat Moyſes, *Numer. cap.* 10. *verſ.* 33. *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* Cùm autem deponeretur, ajebat; *Revertere Domine ad multitudinem Exercitûs Iſrael*: Ipſa præſente exſiccatæ ſunt aquæ Jordanis, unius alveum ſicco veſtigio trajecerunt turbæ Iſraelis. Ritu itidem ſolemni congeſtata circum Jerichontinos muros ſeptem diebus, quam cùm portarent Sacerdotes, aliis buccinis clangentibus, aliis vociferantibus, tandem die ſeptimo muri Jerichontinæ urbis corruerunt, & Iſraelitæ civitatem illam funditus everterunt, ac deleverunt. Deinde poſtquam arca fœderis in loco collocata, quem delegerat Deus, Iſraelitæ memores miraculorum, ac beneficiorum, quæ Deus, ut iiſdem faveret, elargitus fuit, ac operatus, cum illa per ſacerdotes circumportaretur: ſub Pontificatu Heli fuit poſtea Arca fœderis in caſtra delata, ut adverſus Philiſtæos eſſet præſidio Iſraelitis. *Et* 1. *Reg. cap.* 4. idem exemplum imitatus eſt David rex, qui cùm accepiſſet Arcam, *Deum benedixiſſe Obed-Edom, & omnem domum ejus propter Arcam Domini*, narrat ſacra Scriptura, eò quia depoſita fuerit in domo illa, quæ propterea cœleſtibus fuit beneficiis cumulata. & inde Arca ſolemni pompâ, ac lætitiâ magnâ delata fuit in Hieruſalem; & quamvis ſubſannatus fuerit à Michole uxore, eò quia coram Arca ineptias egiſſet, ſaltaſſet, ac veluti inſaniens choreas duxiſſet, ſcurrili indutus habitu, ac regiam majeſtatem ludibrio coram populo expoſuiſſet: reſpondit pientiſſimus princeps 1. *Reg. cap.* 4. *Ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum ejus, & præcepit mihi, ut eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael, & Judam, & vilior fiam, quam prius factus ſum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Quia igitur in Eucharistia Deum largitorem bonorum omnium habemus, & eo Duce tutiùs quàm, præcedente arca, Iſraelitæ per deſertum hujus mundi incedimus, par eſt, ut hoc venerabile Sacramentum reverenter, & honorificè, ſolemnique pompa per loca publica circumferatur, & à fidelibus piè, & religioſè colatur, ac ſingulari veneratione concomitentur omnium bonorum datorem; ſiquidem ejus virtute fluenta Jordanis exſiccantur, ſeu calamitates, quæ vexant, pericula, quæ imminent, & tentationes, quæ urgent, ſuperantur; ejus auxilio Jerichontini muri perverſæ malignantium civitatis corruunt, cujus princeps eſt Dæmon, cives vitia, propugnaculum ſuperbia, turris ambitio. Liceat ergo hoc venerabile Sacramentum eò arca præſtantiùs, quo non lex ſcripta, ſed ipſe Legislator continetur, Chriſtus realiter præſens occluditur ſuis ſub ſpeciebus, per plateas, per urbium fora, Parochias circumferri, quò cœleſti benedictione cumulentur fideles: & quamvis Michol ſeu hæreticorum perverſitas contradicat, ſubſannet, contemnat, irrideat, lætemur de tanta ſolemnitate, proni & humiles adoremus, & cum triumphali pompa circumgeſtemus, cultuque religioſo proſequamur, & inde ſperemus de poſitivis hoſtibus eò glorioſiorem victoriam, quò Chriſtus ſupremus exercituum Dux ſtat, pugnatque pro nobis, proque ſuis cultoribus; ipſe tabernaculum ſuum in ſole poſuit; ſcilicet corpus, ſanguinem, animam, Divinitatem ſub ſpeciebus Eucharisticis, è quibus veluti per cancellos nos aſpicit, ut benedicat, nos intuetur,

Digitized by Google

Firmatur hoc idem ex cap. *neceſſariò diſtinct. 2. de conſecratione*, ubi ex epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium habetur: *Sic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur participes ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrum Redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes (quod abſit) nec ut viri ſanctificati, & verbo conjuncti, ſecundùm dignitatis unitatem; aut ſicut divinam poſſidentis habitationem; ſed verè vivificatricem, & ipſius verbi propriam factam.* Caro autem Chriſti vivifica non eſſet in Euchariſtia, niſi adeſſet & verbum divinum eidem conjunctum, & unà cum carne vivifica Chriſti ſimul ipſa Deitas Verbi divini ſumeretur: Totus igitur Chriſtus unà cum divinitate Verbi ſumitur à fidelibus communicantibus ſub utraque ſpecie panis, & vini, poſt concomitantiam ratione unionis, quia una pars ſequitur aliam, non ex conſecrationis virtute; quia verba tantùm efficiunt, quod ſignificant.

Quinimò eſt etiam fidei dogma, non ſolùm totum Chriſtum quoad corpus, ſanguinem, animam, & Verbi divini divinitatem contineri ſub utraque ſpecie; verùm etiam ſub unaquaque particula ſenſibili utriuſque ſpeciei. Idque evincitur ex Concilio Tridentino *Seſſ. 13. can. 3.* ubi habetur: *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* Et ratio aſſignatur à Catechiſmo ejuſdem Synodi; quia non eſt credendum, ſingula panis fruſtula propria verborum forma à Domino conſecrata fuiſſe, ſed una, eademque conſecratione, totum ſimul panem diſtribuendum Apoſtolis conſecraſſe: quòd etiam de calice factum fuiſſe apparet. *Luc. 22. 19.* cùm dixerit Chriſtus: *Accipite, & dividite inter vos*: Priùs Chriſtus totum panem conſecravit, quem poſtea dividendum tradidit Apoſtolis, ut unuſquiſque ex illo manducaret. Hinc in cap. *Singuli diſt. 2. de conſecratione* habetur: *Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt: nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe exhibet in ſingulis.* Et in cap. *Ubi ead. diſtinct.* dicitur: *Ubi pars eſt corporis, eſt & totum. Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in manna, quod in ejus figura præceſſit, de quo dicitur: Exod. 16. Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus paraverat, invenit minus. Non eſt enim quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio; ſed virtùs Sacramenti ſpiritualis.* Ratio ſuadens hoc fidei dogma petitur ex eo, quòd Chriſtus Dominus non ſit in hoc Sacramento, ut in loco. Locus enim res ipſas conſequitur, ut prædictæ ſunt propria quantitate, ac magnitudine: & Chriſtus non eſt in hoc Sacramento, ut magnus, vel parvus, quia id ad quantitatem pertinet: ſed ut eſt ſubſtantia corporis, abſque quantitativa extenſione: Siquidem ſubſtantia panis ex vi verborum convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, & non in magnitudinem, & quantitatem: atqui ſubſtantia æquè continetur in parvo, ac magno. Quælibet enim ſubſtantia totam ſuam continet naturam, ſive ſit extenſa, ſive non: Tota enim natura ſubſtantiæ ligni bipalmaris æquè continetur in toto ligno bipalmari, ac in ſingulis ejus partibus, tametſi in millenas divideretur partes. Cùm igitur ſubſtantiæ panis ſuccedat ſubſtantia corporis Chriſti, tenemur fateri, æquè in tota hoſtia conſecrata contineri totam ſubſtantiam corporis Chriſti, ac in ſingulis ejus partibus, quantumvis minimis ſenſibilibus. D. Thomas hoc idem probat *opuſcul. 58. cap. 13.* exemplo ſpeculi: Si enim quiſpiam pluribus ſpeculis faciem ſuam exhibeat, in omnibus æqualiter, & integrè una apparebit facies: Sin autem unum ſpeculum cadat, ac in plures diſſiliat partes, in qualibet parte disjuncta ab alia, tota itidem apparet facies, æquè ac in toto ſpeculo abſque ulla mutatione: perinde in Sacramento Euchariſtiæ, *quod eſt ſpeculum, & imago illius*, licèt ſpecies panis in plures dividatur particulas, æquè eſt in ſingulis, ac in toto pane; & ſemper totus, & integer Chriſtus ſumitur.

Sed dices, ſi tota Chriſti ſubſtantia adeſt, & ſumitur in unaquaque ſpecie, cùm duæ conſecrantur ſpecies; ſi una ſufficit, altera videtur ſuperfluere. Reſpondetur valde conſentaneum fuiſſe, ut hoc Sacramentum inſtitueretur ſub utraque ſpecie panis, & vini; quia cùm ordinaretur ad alendam, nutriendamque animam, fuit inſtitutum per modum convivii, unde canit Eccleſia; *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur*, in convivio autem non ſolùm cibus, ſed & potus deſideratur, unde maximè conſentaneum fuit, ut, quomodo Sacramento ad alendam animam utendum nobis erat; inſtitueretur per modum cibi, & potûs, cùm utrumque requiratur ad perfectum, ac completum convivium. Habetur itidem alia ratio, quia, cùm paſſio Chriſti, in qua ſanguis à corpore ſejunctus eſt, in pretium noſtræ redemptionis, ut magis noſtra redemptio exprimeretur in pretio ſanguinis effuſi, ac ſoluti, ideo conveniens erat, ut in hoc Sacramento ſanguis ſpeciatim poneretur ſub ſpeciebus vini, & corpus ſub ſpeciebus panis.

Hinc Chriſtus in Euchariſtia adorandus eſt cultu latriæ, cùm credamus præſentem ſub ſpeciebus Euchariſticis eundem Deum, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dixit, *Matth. 2. Luc. 14. Et adorent eum omnes Angeli Dei*, & quem Reges Magi *procidentes adoraverunt*, & quem Apoſtoli in Galilæa adoraſſe Scripturæ teſtantur, & traditio Apoſtolorum in Eccleſiam derivata confirmat; ſcilicet una adoratione Deum, Verbum humanatum cum propria ipſius carne debere à fidelibus adorari, ut referunt S. Cyrillus Alexandrinus *Anathematiſmo 8. contra Neſtorium*, Synodus Epheſina, Concilium Occumenicum, Conſtantinopolitanum 2. *can. 9.* S. Chryſoſtomus aſſerens, Angelos Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſe, contremiſcere, & ſacram menſam ſumma cum reverentia circumvallare, ac pron s Chriſtum ſub Euchariſticis ſpeciebus venerari, & Deo humiliter ſupplicare pro his, pro quibus dignatus eſt ſanguinem pretium redemptionis noſtræ fundere, & mortem corporis ſubire, ut ait *homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura*, & *homil. 1. in verba Iſaiæ; Vidi Dominum.* S. Ambroſius *de Spiritu S. cap. 12.* inquiens: *Adoravit Chriſtum Maria; adoraverunt Apoſtoli; adoraverunt & Angeli, de quibus ſcriptum eſt, adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non ſolum divinitatem ejus, ſed etiam ſcabellum pedum ejus, quia factum eſt. Per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino JESU adoraverant, neque enim diviſus eſt Chriſtus, ſed unus.* Hoc idem ediſſerit D. Auguſtinus *enarrat. in Pſal. 98.* inquiens: *Quomodo adorabimus terram, cùm dicit apertè Scriptura, Dominum Deum tuum adorabis, & hic dicit, adorate ſcabellum pedum ejus? quæro, quid ſit ſcabellum pedum ejus. Exponens autem mihi, quid ſit ſcabellum pedum ejus, dicit: Terra autem ſcabellum pedum meorum, anceps factus ſum. Timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cælum & terram. Rurſus timeo non adorare ſcabellum pedum Domini, quia Pſalmus mihi dicit, ado-*

rate

Google

rate ſcabellum pedum ejus, fluctuans converto me ad Chriſtum; quia ipſum quæro hic, & invenio, quomodo ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus; ſuſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit: inventum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccamus adorando! ſed peccemus non adorando.

Factu itidem optimum, ut ſingulis annis dies ſolemnis feſtus inſtauraretur, quo venerabile hoc Sacramentum ſingulari pietate, ac religione deferatur proceſſionaliter, fidelium comitante affluxu per urbium plateas honorificè ornatas. Ita enim declaravit Tridentina Synodus, *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. *can.* 5. inquiens: *Æquiſſimum eſt, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, quibus Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione, grates, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & redemptorem pro tam ineffabili, ac planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur. Atque ſic oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, vel fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.* Hæc autem ſolemnitas, diesque feſtus corporis Domini ob triplicem cauſam fuit inſtitutus ab Urbano IV. diplomate dato die 8. Septembris Anno 1264. Et à Clemente V. in Concilio Oecumenico Viennenſi in Delfinatu Anno 1311. confirmatus. Primò, ut fideles recolerent memoriam tanti beneficii à Chriſto ipſis præſtiti, quo proprium ſuum corpus edendum ad vitam æternam, animamque ſpiritualiter alendam, ac corroborandam tradiderit, & ad publicam conteſtationem communis gratitudinis, ob tam inſigne, ac pretioſum amoris pignus in omnes, quibus totum ſe ipſum reliquit, imò & dedit in animæ ſpirituale alimentum. Secundò, ad confundendam hæreticorum perfidiam, ac frangendam pervicaciam, cùm tanti myſterii veritatem impugnare auſi fuerint, & ut erubeſcant cæcutientes in tantæ ſolemnitatis ſplendore, ac veritatis claritate, ac tandem reſipiſcant; Tertiò, ad ſupplendos defectus tam publicæ, quàm privatæ devotionis, ſi per totum anni decurſum hac in parte defecimus, ad reſarciendos hos defectus, & negligentias rectè in honorem venerabilis Sacramenti hanc agimus piè, ac religiosè ſolemnitatem.

Proceſſiones verò quod attinet, ſunt hæ publicæ ſupplicationes, ac ſolemnes preces, quibus fideles, certo ordine incedentes, comitantur SS. Eucharistiæ Sacramentum, cùm religiosè circumfertur, vel ad publicam venerationem, vel ad implorandum divinum auxilium: neque quicquam poteſt in iiſdem notari, quod pium, religioſum, ac ſanctum non ſit: ſiquidem inſtitutæ fuerunt hujusmodi proceſſiones ad imitationem Arcæ, quæ in veteri teſtamento juſſu Dei circumferebantur ritu ſolemni: etenim Tribus filiorum Iſrael profectæ de monte Sinai per deſertum Arcâ præeunte, ac ordine quodam procedentibus Levitis eam circumgeſſerunt, donec ad terram promiſſam poſt varia itinera pervenerint: cumque in illa geſtatione elevaretur Arca, dicebat Moyſes, *Numer. cap.* 10. *verſ.* 33. *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* Cùm autem deponeretur, ajebat; *Revertere Domine ad multitudinem Exercitûs Iſrael*: Ipſa præſente exſiccatæ ſunt aquæ Jordanis, unius alveum ſicco veſtigio trajecerunt turbæ Iſraelis. Ritu itidem ſolemni congeſtata circum Jerichontinos muros ſeptem diebus, quam cùm portarent Sacerdotes, aliis buccinis clangentibus, aliis vociferantibus, tandem die ſeptimo muri Jerichontinæ urbis corruerunt, & Iſraelitæ civitatem illam funditus everterunt, ac deleverunt. Deinde poſtquam arca fœderis in loco collocata, quem delegerat Deus, Iſraelitæ memores miraculorum, ac beneficiorum, quæ Deus, ut iiſdem faveret, elargitus fuit, ac operatus, cum illa per ſacerdotes circumportaretur: ſub Pontificatu Heli fuit poſtea Arca fœderis in caſtra delata, ut adverſus Philiſtæos eſſet præſidio Iſraelitis. *Et* 1. *Reg. cap.* 4. idem exemplum imitatus eſt David rex, qui cùm accepiſſet Arcam, *Deum benedixiſſe Obed-Edom, & omnem domum ejus propter Arcam Domini*, narrat ſacra Scriptura, eò quia depoſita fuerit in domo illa, quæ propterea cœleſtibus fuit beneficiis cumulata. & inde Arca ſolemni pompâ, ac lætitiâ magnâ delata fuit in Hieruſalem; & quamvis ſubſannatus fuerit à Michole uxore, eò quia coram Arca ineptias egiſſet, ſaltaſſet, ac veluti inſaniens choreas duxiſſet, ſcurrili indutus habitu, ac regiam majeſtatem ludibrio coram populo expoſuiſſet: reſpondit pientiſſimus princeps 1. *Reg. cap.* 4. *Ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, & quam omnem domum ejus, & præcepit mihi, ut eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael, & Judam, & vilior fiam, quam prius factus ſum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Quia igitur in Eucharistia Deum largitorem bonorum omnium habemus, & eo Duce tutiùs quàm, præcedente arca, Iſraelitæ per deſertum hujus mundi incedimus, par eſt, ut hoc venerabile Sacramentum reverenter, & honorificè, ſolemnique pompa per loca publica circumferatur, & à fidelibus piè, & religiosè colatur, ac ſingulari veneratione concomitentur omnium bonorum datorem; ſiquidem ejus virtute fluenta Jordanis exſiccantur, ſeu calamitates, quæ vexant, pericula, quæ imminent, & tentationes, quæ urgent, ſuperantur; ejus auxilio Jerichontini muri perverſæ malignantium civitatis corruunt, cujus princeps eſt Dæmon, cives vitia, propugnaculum ſuperbia, turris ambitio. Liceat ergo hoc venerabile Sacramentum eò arca præſtantiùs, quo non lex ſcripta, ſed ipſe Legislator continetur, Chriſtus realiter præſens occluditur ſuis ſub ſpeciebus, per plateas, per urbium fora, Parochias circumferri, quò cœleſti benedictione cumulentur fideles: & quamvis Michol ſeu hæreticorum perverſitas contradicat, ſubſannet, contemnat, irrideat, lætemur de tanta ſolemnitate, proni & humiles adoremus; & cum triumphali pompa circumgeſtemus, cultuque religioſo proſequamur, & inde ſperemus de poſitivis hoſtibus eò glorioſiorem victoriam, quò Chriſtus ſupremus exercituum Dux ſtat, pugnatque pro nobis, proque ſuis cultoribus; ipſe tabernaculum ſuum in ſole poſuit; ſcilicet corpus, ſanguinem, animam, Divinitatem ſub ſpeciebus Eucharisticis, è quibus veluti per cancellos nos aſpicit, ut benedicat, nos intu-

Digitized by Google

etur, ut cœlesti gratia nos cumulet; nosque protegit, ut à quovis maligni hostis occursu liberet. Non solùm in cœlesti, sed etiam publicè in plateis, in foro, in arvis Christum Dominum in augustissimo Eucharistiæ Sacramento pio, ac religioso cultu debent fideles prosequi, & adorare, ut in omni loco repleantur cœlesti benedictione, & divinis cumulentur favoribus, & gratiis. Hinc Concilium Tridentinum *sess.* 13. *can.* 6. id approbat; & Augustinus ait: *Si quid tota per orbem frequentat ecclesia, quia ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Hæc Venerabilis Sacramenti circumgestatio per plateas non solùm in ipso festo corporis Christi permittitur, sed etiam aliis diebus per annum, quoties Episcopus ex gravi causa permiserit, quæ spectet ad commune totius populi commodum & utilitatem, vel ob aliam causam, quæ visa fuerit opportuna, ut statuit Concilium Coloniense à Nicolao de Cusa S. R. E. Cardinali, & Romani Pontificis per Germaniam Legato à Latere congregatum Anno 1452. ait enim Concilium: *Ad majorem honorem Sanctissimi Sacramenti statuimus, quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum nullatenus visibiliter in quibusque monstrantiis ponatur, aut deferatur, nisi in Sanctissimo festo corporis Christi cum suis octavis, & extra hujusmodi festa cum suis octavis, semel in anno in qualibet civitate, aut oppido, seu parochia, vel ex singulari indulto ordinarii, aut alias pro pace, vel alia necessitate imminente & indispositione Rempublicam pragravante: & tunc cum summa reverentia atque devotione.*

Cæterum usus, & consuetudo processionum suam trahit originem ab ipso ecclesiæ exordio & temporibus Constantini Magni, qui cùm in somnis vidisset signum Crucis splendidè collocatum in aere, sibique dictum fuisset, *in hoc signo vinces*, jussit viros prænobiles hoc idem signum lapidibus pretiosis, ac auro intextum, quod Labarum vocaretur, deferri in exercitu, & à militibus adorari, ut refert Rupertus Abbas *de divinis officiis Lib.* 9. *cap.* 5. & speciatim Tertullianus de processionibus loquens, in quibus primi fideles venerabile Sacramentum comitabantur, ait *Lib. de Præscript. adversus hæref. cap.* 43. *Et processio modesta, & ecclesia unica.* Et D. Hieronymus ad Eustochium *de custod. Virg. epistol.* 12. *Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo; nunquam deerit causa procedendi, si semper, quando necesse erit, processura sis.* Quomodo reliquiæ martyrum ab Episcopo, & Levitis deferendæ sint in processionibus, refert S. Augustinus *de civit. Lib.* 32. *cap.* 8. Narrat itidem Theodoretus, Martianum Imperatorem consuevisse in processionibus pedibus incedere, unà cum Episcopo Anatolio ait *Lib.* 1. *Collect. ex Historia: Martianus ad supplicationes, quæ in campo fiebant, pedes egressus multa largitus est egenis.* Et Sozomenus refert, *Reliquias Martyris Melesii solemniter in processione Antiochiam fuisse translatas alternis psalmorum cantibus.* Socrates similiter refert, in translatione Reliquiarum Martyris Babylæ *Lib.* 1. *cap.* 16. quòd Dæmon, qui in delubro Apollinis Daphne habitabat, cùm nullum Imperatori responsum daret, vicinum martyrem reformidans: Imperator, causa intellecta, loculum Martyris quàm celerrimè inde transferri jubet. Rursus in processionibus primis illis temporibus mos itidem fuit, ut crux præcederet sequentibus ecclesiasticis, & aliis fidelibus, & hunc ritum fuisse in Ecclesia antiquissimum, refert Cassiodorus *Tripart. Lib.* 2. *cap.* 8. Socrates *Lib.* 6. *cap.* 8. Nicephorus *Lib.* 13. *cap* 8. Baronius *ad annum Christi* 401. Moris itidem fuisse, ut in processionibus deferrentur cerei, & lumina, testis est S. Bernardus, *serm.* 2. *in Purificatione B. Mariæ Virginis* inquiens: *Processuri sumus bini bini, candelas habentes in manibus, ipsasque accensas.* Et paucis interjectis: *Meritò sane bini, & bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ missos à Salvatore Discipulos sacra evangelia testantur.* Imò præcedebant etiam cantantes, & psallentes, ut refert Durantus *Lib.* 2. *de Rit. Eccles. cap.* 10. *num.* 9. & pretiosis induti vestibus, & interdum pœnitentiæ causa discalceati, cinere, & cilicio induti, seque flagellis cruentantes, vel cruces deferentes, humeris præ pondere incurvatis: vel distentis brachiis, baculoque alligatis, describentes ipsi animatam crucem, ut moris est in Germania die parasceve, & plura itidem passionis Dominicæ repræsentantur mysteria, quæ singula pietatem excitant, & amorem in Salvatorem. Solent & plures sæcularium Confraternitates procedere, quarum singuli vestes induunt exteriores lineas ad pedes usque protensas cum capitiis instar capparum religiosorum, quibus etiam faciem interdum velant, apertis duntaxat ad oculos duobus foraminibus ad videndum, quà sit incedendum, sunt hujusmodi vestes albi vel nigri, vel rubri coloris juxta confraternitatum insignia, cantant sequentiam illam, quam dicunt D. Gregorium Magnum composuisse: *Stabat mater dolorosa.* In aliis Processionibus cantantur Litaniæ, occasione Rogationum. Litaniæ Græcè, Latinè dicuntur Rogationes; id tamen interest discriminis inter Litanias, & exomologesim; quia exomologesis in sola peccatorum sacramentali confessione, qua expiatur conscientia, peragitur; Litaniæ verò, ut rogemus Deum ad impetrandam aliquam gratiam, quam ab ipso petimus. Quando verò defertur venerabile Sacramentum per ecclesiam, vel plateam, cantantur Litaniæ, vel consuetæ antiphonæ, & clerici procedunt cum cereis accensis superpelliceis induti. Cùm verò exponitur publicè ad Altare ad excitandam populi devotionem quatuordecim ad minimum accenduntur in eodem altari prope venerabile cerei albi, qui symbolum sunt puritatis, ut & flammæ amoris, & charitatis. Neque in eodem altari decet tunc, cùm exponitur venerabile, Sanctorum reliquias & imagines exponere, Id enim *can.* 3. Concilii 2. Turonensis prohibetur; verba Concilii sunt: *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Subſtantia Panis & Vini poſt Conſecrationem non remanet in Eucharistia, contra Lutheranos.

LUtherani, negantes tranſſubſtantiationem, aſſerunt, in Eucharistia ex vi verborum conſecrationis non deſtrui ſubſtantiam panis, & vini, ſed perſeverante utraque ſubſtantia, cum iisdem ſimul eſſe corpus, & ſangvinem Chriſti; ſed dogma fidei eſt, totam ſubſtantiam panis divina virtute converti in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totam ſubſtantiam vini in ſubſtantiam ejusdem ſangvinis. Idque evincitur facilè ex inſtitutione ejusdem Sacramenti; etenim Chriſtus *Matth. 26. Luc. 22.* expreſsè dixit: *Hoc eſt corpus meum*, ea autem eſt vis illius pronominis *Hoc*, ut omnem rei ſubſtantiam, quæ præſens eſt, & deſignatur, per pronomen *Hoc* demonſtret: adeo ut tota panis ſubſtantia demonſtretur per pronomen illud *Hoc*: ſed ſi remaneret poſt prolata verba conſecrationis aliquid ſubſtantiæ panis, non eſſet vera conſecratio, facta à Chriſto, quod repugnat, alioquin prima veritas mentiretur, & non eſſet prima veritas, quia tota ſubſtantia panis, deſignata per pronomen *Hoc*, non eſſet corpus Chriſti, quod diſtinguitur à ſubſtantia panis.

Neque obſtat, ſi dicas, pronomen *Hoc* poſſe demonſtrare tam rem contentam, quàm continentem, & in conſecratione ſignificare rem continentem, non contentam. Contra eſt, quia, ſi vox aliqua ſit ex natura ſua, vel ex uſu hominum inſtituta ad demonſtrandum contentum; tunc in illo ſenſu profertur & intelligitur, ut ſignificet contentum: ſed pronomen *Hoc* ex uſu hominum ſignificat contentum, quo pacto demonſtrato dolio dicitur, *Hoc* eſt vinum, ſcilicet totum contentum in dolio eſt vinum: ergo, cùm Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti deſignato, ac demonſtrato pane dixerit: *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc* ſignificat, totam ſubſtantiam panis transmutari in corpus Chriſti, & totum contentum ſub accidentibus panis eſſe corpus Chriſti. Neque pronomen *Hoc* poteſt intelligi, ut ſignificet continens, & non contentum; alioquin, quia accidentia panis continent ſubſtantiam panis, ſequeretur, quòd ipſa accidentia panis eſſent corpus Chriſti, quod eſt falſum, quia accidentia eadem remanent, neque connectuntur in ſubſtantiam: ergo pronomen *Hoc* demonſtrat, totam ſubſtantiam contentam ſub accidentibus panis eſſe corpus Chriſti, ex vi verborum conſecrationis: perinde ac demonſtratâ crumenâ auro plenâ rectè dicimus: *Hoc eſt aurum*, ſcilicet non ipſa crumena, quæ apparet, & eſt continens, eſt aurum: ſed contentum in crumenâ. Debet tamen continens ex natura ſua eſſe tale, ut ſignificet ſpeciale contentum, ſicut accidentia panis ſunt inſtituta, ut ſignificent ſubſtantiam panis, quòd ſi ſub accidentibus panis includeretur aurum, tunc ſi pronomine *Hoc* deſignaretur talis panis, ſub cujus accidentibus eſſet aurum, non ſignificaretur, totum contentum ſub illis accidentibus eſſe ſubſtantiam panis: neque demonſtratis accidentibus illius panis rectè diceretur: *Hoc eſt aurum.* Unde Chriſtus Joann. 6. ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita*, panem ſuam carnem vocans, & paulò poſt ſubjecit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis*; & iterum ait: *Caro mea verè eſt cibus, & ſangvis meus verè eſt potus*; cùm igitur claris, ac perſpicuis verbis carnem ſuam panem & verum cibum vocet, & ſangvinem ſuum verum potum: ſatis videtur declarare, nullam in Sacramento Euchariſtiæ remanere ſubſtantiam panis, nec vini; alioquin non poſſet cohærere cum veritate verborum Chriſti, dicentis: *Hoc eſt corpus meum*, cum hac enim veritate verborum non poteſt ſtare permanentia ſubſtantiæ panis in Euchariſtia, ſed neceſſe eſt, ut tota ſubſtantia panis verè, & realiter mutetur in corpus Chriſti, alioquin per pronomen *Hoc* ſignificatum, ac demonſtratum contentum ſub accidentibus panis non eſſet corpus Chriſti, conſequenter ejus verba non eſſent vera: Quòd ſi vera ſunt, ſequitur, totam ſubſtantiam panis debere neceſſariò converti in corpus Chriſti.

Tridentina Synodus *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. hanc veritatem definivit his verbis: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum, quod ſub ſpeciebus panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in eccleſia fuit, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis.* Et juvat argumentari, ſi perſeveraret in Euchariſtia ſubſtantia panis cum Chriſti corpore, falsò dixiſſet Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*: ſed hoc eſt abſurdum: ergo peracta conſecratione non manet amplius ſub accidentibus Euchariſticis ſubſtantia panis. Major oſtenditur, quia, ſi ſubſtantia panis eſſet ſub accidentibus, demonſtratis per pronomen *Hoc*, ſequeretur, quod hoc pronomen non deſignaret corpus Chriſti, ſed ſubſtantiam panis, proindè perſeverante ſubſtantia panis, falsò diceretur: *Hoc eſt corpus meum.* Præterea, quia per pronomen *Hoc* demonſtratur ſubſtantia, quæ latet ſub accidentibus panis, & ea præſertim, cujus accidentia ſunt propria: atqui ſubſtantia, cujus accidentia ſunt propria, eſt ſubſtantia panis, conſequenter, ſi hæc maneret, pronomen *Hoc* demonſtraret ſubſtantiam panis, & non corpus Chriſti. Tum quia ſi demonſtratis accidentibus non ſignificaretur ſubſtantia, cujus illa accidentia ſunt propria, ſequeretur, quòd demonſtrata creatura, intra quam ſine dubio eſt Deus, dici poſſet *hoc*, ſcilicet ens creatum, denotatum per illud pronomen, eſt Deus, quod eſt falſum: ergo, ut verificentur verba Chriſti, peracta conſecratione, & adveniente præſentia corporis Chriſti, neceſſe eſt, deſtruatur tota ſubſtantia panis, & convertatur in corpus Chriſti. Demum quia ſi ſubſtantia panis ſimul maneret cum corpore Chriſti ſub accidentibus Euchariſticis, pronomen *hoc* ſignificaret aggregatum ex Chriſti corpore, & panis ſubſtantia, ſed hoc aggregatum non eſt corpus Chriſti, ergo illa propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, eſſet falſa, major oſtenditur, quia pronomen *hoc* ſignificat id, quod Chriſtus habuit in manu, & continetur

Digitized by Google

netur sub accidentibus, atqui hoc contentum esset aggregatum ex corpore Christi, & pane, consequenter utrumque significaretur per illud pronomen *hoc*.

Hæc eadem veritas communi Sanctorum Patrum consensu, & doctrina semper fuit in Ecclesia propugnata, & corroborata. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechef. 4. Mystagog.* ait: *Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eadem quoque confirmante, dicente, Hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet? & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ, sola voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutâsset? Si enim ad Nuptias corporeas invitatus, stupendum miraculum operatus est, an non multo magis corpus & sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus; nam sub typo* (id est specie) *panis datur tibi corpus, & sub typo vini, datur sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis, & sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, divinæ naturæ consortes efficiemur*, & paulo infra subdit: *Ne ergo consideres tanquam panem nudum, & vinum nudum, corpus enim est, & sanguis Christi secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem judices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem.* D. Ambrosius iidem *Lib. de his, qui mysteriis initiantur*, egregiè probat, Eucharistiam esse Christi corpus, quia panis in illud virtute verborum consecrationis transmutatum est, & hoc idem pluribus exemplis corroborat *cap. 9.* inquiens: *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur? Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens, rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam revertit. Vides ergo propheticâ gratiâ bis mutatam esse naturam, & serpentis, & virgæ? currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subitò de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis. Rursus ad Prophetæ preces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit, circumclusus undique erat populus Hebræorum. Hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clausus, virgam levavit Moyses, separavit se aqua, & in murorum speciem congelavit, atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam, vel maritimorum fluctuum vel fluvialis cursus esse mutatam? sitiebat populus Patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, aquam non habebat natura? Marath fons amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subitò gratia temperavit. Quòd si tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis Christi sermone conficitur. Quòd si tantùm valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret. Non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti? quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt in id mutare, quod non erant? non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, Incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem. Numquid naturæ usus præcessit, cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur. Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem Virgo generavit: Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est, &c.*

Hoc idem fidei dogma definierunt Concilia Oecumenica, ut Lateranense sub Innocentio III. *can. 1.* qui refertur *tit. de summa Trinit. & fide Catholica cap. Firmiter.* hisce verbis: *Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur: in qua idem ipse sacerdos est, & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus, & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate divina; ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.* Concilium Tridentinum hoc idem dogma fidei declaravit & anathematizavit oppositum sentientes, ait enim *sess. 13. can. 2. Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat, anathema sit.*

Mirum tamen dictu, in quot sententias abierint Lutherani, ut probent in Eucharistia simul cum corpore Christi manere substantiam panis, & cum sanguine substantiam vini. Lutheranorum enim impanatio tota fundatur in significatione, quam adferunt, importare illud pronomen *hoc*: volunt enim, per hoc pronomen demonstrari panem, adeo ut panis sit subjectum propositionis, & sensus sit: *Hoc*, scilicet panis, quem præ manibus habeo, & postea subdit, est corpus meum; dicunt enim, pronomen hoc esse demonstrativum, cùm profertur, & cùm à Christo profertur, non demonstrat nisi panem, siquidem demonstrat, quod ipse habet in manu, scilicet panem, quem accepit, fregit, ac benedixit, deditque Discipulis suis; omnia enim hæc verba regunt eundem accusativum, panem, quem accepit, fregit, & benedixit, ex quo inferunt, illud pronomen *hoc* demonstrare panem. Lutherani tamen variè & confusè hæc quatuor verba, *Hoc est corpus meum*, explicant, ad declinandam præsentiam realem Christi extra usum, & transsubstantiationem, ut octuaginta quatuor expositiones effictas, seu sententias diversas referat Claudius Sancteus, & tamen veritas & fides una tantum est, ut & unus Christus, dicens de se ipso Joann. 14. *Ego sum veritas.* Verùm Catholicis Lutheranorum interpretationem communiter refellunt, & impugnant, & merito, quia vel illud pronomen *hoc* sumitur adjectivè, vel substantivè: si primum debet concordare cum substantivo, qua-

quapropter non poteſt demonſtrare panem, ſed corpus, quia panis eſt generis maſculini, tam græcè, quam latinè: & in utroque idiomate habetur pronomen *hoc*, ſeu in neutro genere, quod convenit cum corpore, quod latinè & græcè profertur in neutro genere; pari pacto in altera ſpecie vinum, græcè eſt maſculini generis, & ſangvis habetur in neutro genere, & Chriſtus vinum dixit in genere maſculino, *Hic eſt ſangvis meus, qui pro vobis tradetur*, unde non dixit, hoc vinum eſt ſanguis. Sin verò illud pronomen *hoc* ſumatur ſubſtantivè, tunc ſenſus eſt, hæc res eſt corpus meum. Quòd ſi hæc res, ſeu pronomen *hoc* de pane dicatur, eſt abſurdiſſima interpretatio, quia non poteſt dici *hoc* de re, quæ cernitur, & cognoſcitur, niſi res illa ſit neutrius generis: nemo enim demonſtrato patre ſuo diceret, hoc eſt pater meus, nemo demonſtrata imagine Pauli diceret, hoc eſt Paulus, conſequenter nec de pane, quem Diſcipuli videbant, rectè dici potuit: *Hoc eſt corpus meum.* Unde reſpondet D. Thomas, pronomen hoc demonſtrare ſubſtantiam, ſed abſque determinatione propriæ naturæ, ſeu demonſtrare aliquid commune ad ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti, & poſtea ſubſtantiam illam determinatam fuiſſe ad corpus Chriſti, cum dixit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*, priùs enim deſignatur ſubſtantia ſub ſpeciebus panis, & poſtea ex ſubſtantia tranſmutatur in corpus Chriſti per tranſſubſtantiationem; cùm enim prolato pronomine *hoc* tantùm nondum fiat tranſſubſtantiatio, ſed cùm proferuntur alia verba, *eſt corpus meum*, ideo tota ſubſtantia, quæ erat ſub ſpeciebus panis, tranſſubſtantiatur, ſeu convertitur in corpus Chriſti.

Reſpondent aliqui Lutherani ad propugnandam ſuam impanationem, & ad oſtendendum ſubſtantiam panis manere in Eucharìſtia, & ajunt, Verbum divinum uniri hypoſtaticè cum ſubſtantia panis, & Chriſtum fieri præſentem in Euchariſtia per hanc unionem immediatam Verbi cum ſubſtantia panis, perinde ac in myſterio Incarnationis Verbum aſſumpſit humanitatem, & dicitur homo, ita in conſecratione aſſumat panem, & dicitur panis, adeo ut corpus Chriſti in Euchariſtia non ſit humanum, neque carneum, ſed panaceum, & volunt hæc duo corpora propter unionem ſuppoſiti dici unum tantùm, perinde ac Deus & homo ſunt quid unum. Sed contra, quia tametſi Verbum uniretur hypoſtaticè ſubſtantiæ panis, & corpori Chriſti, adhuc panis non diceretur corpus Chriſti, ſed ipſe Chriſtus, quia tametſi Verbum aſſumpſerit corpus, & ſanguinem, non tamen valet hæc propoſitio, *corpus eſt ſangvis*, ſicut nec valet hæc alia, *manus eſt pes*: ergo, quamvis Verbum aſſumpſiſſet panem & carnem, adhuc non valeret propoſitio, *panis eſt corpus Chriſti*. Ratio eſt, quia unio hypoſtatica non efficit communicationem idiomatum inter diverſas partes hujus ſuppoſiti taliter, ut una pars prædicetur de alia vel integra natura de una parte. Præterea hæc unio hypoſtatica eſt omnino fictitia, & nullo innititur fundamento. Demum, quia tametſi eſſet vera, adhuc ſemper eſſet falſum, aſſerere, *hic panis eſt corpus meum, quod pro vobis datur & crucifigitur*, ex quibus liquet, rejiciendam omnino eſſe, ut fictitiam hanc unionem hypoſtaticam cum ſubſtantia panis temerè inventam à Lutheranis, ad fictitiam ſuam impanationem ſuſtentandam.

Alii Lutherani argumentantur in favorem impanationis. Ideo credimus eſſe in Euchariſtia corpus Chriſti, quia Chriſtus *Matth. 26.* ait: *Hoc eſt corpus meum*: ſed idem Chriſtus *Joann. 6.* dixit: *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, qui manducaverint panem, vivet in æternum*, ergo, ſi verba Chriſti vera ſunt, perinde ac in Euchariſtia eſt verum & proprium ejus corpus, ita debet etiam adeſſe verus & proprius panis, ſimul cum Chriſti corpore, habeaturque vera, & realis impanatio. Sed contra, quia Chriſtus *Joann. 6.* vocavit Euchariſtiam panem, non quod tunc eſſet panis uſualis, ſed ab eo, quod antea fuit, ſicuti *Exodi 7.* dicitur: *virga Aaron devoravit virgas eorum*, ubi ſerpens dicitur virga, quia ante converſionem in ſerpentem fuit virga, perinde quia hoſtia ante conſecrationem fuit panis, rectè dicitur panis, perinde ac *Joan. 2.* dicitur: *Guſtavit Architriclinus aquam vinum factam*, ubi vocat vinum aquam, eò quia ante converſionem fuerit aqua, ita quia ante conſecrationem ſubſtantia, quæ ſub illis accidentibus panis erat, verus panis uſualis, ideo poſt conſecrationem, & tranſſubſtantiationem dicitur panis ex eo, quod antea fuit. Reſpondetur ſecundò, hoſtiam poſt conſecrationem vocari panem ex accidentibus ſenſibilibus, quibus apparet eſſe panis; ſicut ex eo, quod Luna nobis appareat magna ſicut ſol, quamvis ſit cæteris planetis parvior, dicitur *Geneſ. 2.* de ſole, & luna: *facit duo luminaria magna*, quia luna nobis apparet magna ut ſol, & grandior cæteris planetis, ita Euchariſtia, quia ex apparentia accidentium nobis apparet panis, dicitur panis. Reſpondetur tertiò, etiam retorquendo argumentum contra Lutheranos, quia Chriſtus non dixit hoſtiam conſecratam ſimpliciter panem; ſed panem, qui de cœlo deſcendit: unde non fuit locutus de pane uſuali hominum, ſed de pane cœleſti Angelorum, quem dixit eſſe panem non aſcendentem de terra, ſed deſcendentem de cœlis, non germinantem, & creſcentem in ſpica, ex qua extrahitur frumentum, & ex ipſo ſit panis, ſed Chriſtus dixit, *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Hic autem panis eſt ipſa caro Chriſti, quæ, cùm nobis detur ad manducandum, dicitur panis, *Joann. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, & propterea, qui dignè hunc panem comedunt, reficiuntur in vitam æternam, *ibidem*: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hoſtia igitur conſecrata dici poteſt panis, quamvis revera panis non ſit uſualis, ſed quia ante conſecrationem fuit verus ac proprius panis, & quia poſt conſecrationem ex accidentibus, quæ remanent, apparet panis. Quòd ſi in hoſtia conſecrata non eſſet verè, & realiter, & actualiter corpus Chriſti, non poſſet dici corpus Chriſti, quia antea non fuit corpus Chriſti, & poſt conſecrationem non apparet ex ſpeciebus eſſe corpus Chriſti: & quia id videbatur intellectu difficile; ideo Chriſtus ratificavit hanc veritatem, Joann. 6. inquiens, *Caro mea verè eſt cibus, & ſangvis meus vere eſt potus.* Id eſt, verè, non fictitiè, non imaginariè, non ſymbolicè.

Objiciunt alii Lutherani, præſertim Crocius illud Apoſtoli *1. Corinth. 10. v. 16.* ubi D. Paulus loquens de Euchariſtia ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* ex quo inferunt Lutherani panem materialem, ac uſualem remanere in Euchariſtia poſt conſecrationem, eò quia verba ſacræ ſcripturæ ſumi debeant in ſenſu literali ordinario. Sed contra, quia in ſenſu litterali ordinario non ſemper ſervant eundem ſenſum, nec ſemper habent eandem ſignificationem, con-

Digitized by Google

conſequenter non ſemper in ſenſu litterali ordinario ſufficiunt ad conſtituendum articulum fidei. Ratio eſt, quia articulus fidei debet eſſe neceſſariæ veritatis, & non poteſt probari, niſi per verba, quæ neceſſariò hoc ſignificent, quod eſt in articulo proponendum; & ſenſus litteralis ordinarius non ſemper hoc ſignificat; quod ordinariè in ſenſu litterali ſignificat; etenim Chriſtus *Matth. 6. v. 17.* ait: *Cùm jejúnas, unge caput tuum,* quæ verba non poſſunt intelligi in ſenſu litterali ordinario; alioquin diebus jejuniorum teneremur unguento propriè ſumpto ungere caput, idque ex mandato Chriſti, quod nemo hactenus dixit. Ergo, cùm Apoſtolus dixit, *Panis, quem frangimus,* vox illa *panis* ſumpta in ſenſu litterali ordinario, ut ſignificet panem materialem, non conſtituit articulum fidei, ut perperam cenſent Lutherani cum Crocio. Contra ſecundò, quia vox illa panis in ſacra ſcriptura quandoque aliter ſignificat præter panem materialem & uſualem, *Pſal. 77. v. 24. Panem cæli dedit eis,* ubi nomine panis ſignificatur Manna, non panis materialis & uſitatus. Prætereà, quia ſubjungit *v. 25. Panem Angelorum manducavit homo:* ubi voce panis non intelligitur panis ordinarius, & uſualis, ſed panis ſpiritualis, quo etiam Angeli veſcuntur. Rurſus Chriſtus *Joann. 6. v. 35. & 55.* ait: *Ego ſum panis vitæ,* quatenus caro Chriſti eſt ſpirituale alimentum, quo anima reficitur; unde ſcribit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Non enim Chriſtus eſt panis materialis; proinde cùm Apoſtolus dixit: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* non debet intelligi de pane materiali & uſitato. Nomine panis in ſcripturis intelligitur omne id, quod conducit ad hominem ſive corporaliter, ſive ſpiritualiter alendum, ac reficiendum: qua ratione Manna dicitur panis reficiens corpus. Chriſtus dicitur panis reficiens animam: Evchariſtia dicitur panis, quia eſt vera participatio corporis Chriſti, inſtituta ad refectionem ſpiritualem. Prætereà ſolent in ſcripturis res denominari à ſimilitudine, quam præſeferunt: Sic Abrahamo dicuntur apparuiſſe tres viri, ita nuncupati ob figuras virorum, cùm revera eſſent Angeli. Salomon legitur feciſſe boves, cùm ænea tantum conſtruxerit ſimulacra boum: ita panis dicitur Evchariſtia, ob externam figuram panis. Interdum etiam denominatur ex eo, quod res fuerant ante mutationem; qua de cauſa, Eva dicitur os Adæ, quia facta fuit ex oſſibus Adæ. Serpentes Aaronis, & Ægyptiorum dicuntur virgæ, quia antea fuerant virgæ, quæ poſtea mutatæ fuerunt in ſerpentes, Adam dicitur pulvis, ut etiam quilibet homo; & eccleſia ait: *memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris,* quia ex pulvere formatus eſt. Matthæus dicitur publicanus, quia antea erat publicanus. Apoſtolus igitur vocavit Evchariſtiam panem, eo quia antea panis fuerat, licet poſtea ſubſtantia panis mutata fuerit in corpus Chriſti; adeo ut, quod apparet, & dicitur panis, ſit caro Chriſti, *Joann. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Demum, quia verba inſtitutionis Sacramentorum non accipiunt interpretationem ex iis, quæ ex profeſſo non agunt de inſtitutione; ſed potius illa, quæ non agunt ex profeſſo de inſtitutione, accipiunt interpretationem ex verbis inſtitutionis. Locus autem Apoſtoli, Panis quem frangimus, non agit ex profeſſo de inſtitutione Evchariſtiæ; proinde debet interpretari ex verbis inſtitutionis: & Chriſtus in inſtitutione ait, panem Evchariſticum eſſe ejus corpus, *Joann. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt. Matth. 26. Hoc eſt corpus meum.* Ex eo igitur, quod Apoſtolus *1. Corinth. 10.* vocet Evchariſtiam panem, etiam poſt conſecrationem, non ſequitur impanatio, quam Lutherani aſſerunt, ſeu perſeverantia ſubſtantiæ panis ſimul cum corpore Chriſti; dicitur enim panis, vel quia ex pane facta, ſeu conſecrata: vel quia ſumitur per modum cibi, & alimenti nutrientis Spiritum, & omne, quod nutrit, panis dicitur; vel quia ſit conſuetudo ſacrarum ſcripturarum denominare res ex aliis, ex quibus dicuntur factæ, ut Exod. 3. *Devoravit virga Aaron virgas eorum,* ubi ſerpens dicitur virga, quia ex virga factus; ut etiam Eva dicitur Adami *os,* quia facta ex oſſibus viri. *Geneſ. 2. 13. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea;* & homo dicitur pulvis, quia ex pulvere compactus, Geneſ. 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* *Eccleſ.* 10. de homine ſuperbo: *Quid ſuperbis terra, & cinis?* Vel quia ſcriptura ſacra interdum res vocat, ut apparent: ſic Geneſ. 8. Abraham vocavit Angelos viros, eò quia apparerent eſſe viri. Vel Apoſtolus Evchariſtiam vocavit panem per quandam analogiam, quia ſicut panis nutrit corpus, ita Evchariſtia animam. Hinc communiter Sancti Patres vocant Evchariſtiam panem, quia ex pane ſit confecta, & ſumitur ſub ſpeciebus panis, propterea ex apparentia dicitur panis, nullus tamen dixit, ſubſtantiam panis poſt conſecrationem manere in Evchariſtia cum corpore Chriſti.

Objiciunt ſecundò, quia ex Patribus non deſunt, qui aſſerant, una cum Chriſti corpore manere ſubſtantiam panis in Evchariſtia; Etenim Theodoretus *Dial. 1.* loquens de Chriſti corpore in Evchariſtia ait: *Qui corpus naturale frumentum & panem appellavit, & vitem rurſus ſe ipſum nominavit, & viſibilia ſymbola corporis, & ſanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens.* Et *Dialogo 2.* hoc idem confirmat, inquiens: *Neque enim ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura, manent enim in priore ſubſtantia, & figura, & forma, & videri tangique poſſunt, ſicut & prius.* Verùm Authoritas hæc petita à Theodoreto, non favet impanationi Lutheranorum, ſiquidem nomine naturæ, & formæ non ſignificat ſubſtantiam, ſed ipſa Evchariſtica accidentia, quæ remanent poſt conſecrationem; nomen enim naturæ æquè ſignificat ſubſtantiam ac accidentia, hæc enim propria gaudent natura, quo pacto natura albedinis dicitur eſſe viſum diſgregare, frigoris condenſare, caloris rarefacere; quemadmodum ad naturam ſequuntur proprietates, ita quia accidentia proprias habent naturas, ſuas itidem habent proprietates, quæ ad proprias ſequuntur naturas. Quod verò natura diſtinguatur à ſubſtantia, ediſſerit Tertullianus *Lib. de anima cap. 32.* inquiens: *Aliud eſt ſubſtantia, & aliud natura ſubſtantiæ; ſubſtantia eſt lapis, ferrum: duritia lapidis & ferri natura ſubſtantiæ:* aſſerit duritiem, quæ eſt accidens, eſſe naturam ſubſtantiæ lapidis & ferri; Theodoretus igitur nomina naturæ, ſubſtantiæ, formæ uſurpavit pro accidentium natura, forma, quæ & dicitur ab ipſo ſubſtantia impropriè pro natura, cùm dixit: *Myſticorum Symbolorum naturam non mutari,* neque *poſt ſanctificationem* illa *recedere natura ſua, & manere in priori ſubſtantia, forma, & figura;* ſcilicet in priori natura talium accidentium, idque clarè infertur ex ſequentibus verbis: *& videri, & tangi poſſunt ſicut prius:* neque ſubſtantia videri poteſt, neque tangi; ſed hæc conveniunt accidentibus.

Ex

Digitized by Google

Ex eo autem, quod in Eucharistia peracta conſecratione contra Lutheranos non remaneat ſubſtantia panis, nec vini, ſequitur, accidentia panis & vini; ut color, ſapor, figura, quantitas, & reliqua accidentia permanere abſque ſubjecto, quia experientia conſtat, & ſenſu notum eſt, eadem accidentia panis, & vini poſt conſecrationem manere, ſicut erant antea: & quia non poſſunt ſubjectari in corpore & ſangvine Chriſti, eo quia corpus Chriſti in ſtatu gloriæ non ſit capax alterationis, & corruptionis, ſicut accidentia Euchariſtica obnoxia ſunt alterationi, & corruptioni: & ſit fidei dogma, ex vi conſecrationis totam ſubſtantiam panis & vini transmutari in corpus & ſangvinem Chriſti, adeo ut talis ſubſtantia non amplius maneat, ſequitur evidenter, accidentia panis & vini ſupra ordinem naturæ, & divina virtute ſuſtentari extra quodvis ſubjectum, ut ſemper docuit, credititque Eccleſia Catholica, adeo ut inter Wicleffi articulos Concilium Conſtantienſe hunc damnaverit. *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.* Hinc *cap. Nos autem. diſt. 2. de conſecrat.* habetur ex D. Auguſtino: *Nos autem in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inviſibiles, id eſt Chriſti carnem, & ſangvinem honoramus, nec ſimiliter comprehendimus has duas ſpecies, ex quibus conſecratur benedictum corpus, quemadmodum ante conſecrationem comprehendebamus: cùm fideliter fateamur, ante conſecrationem eſſe panem & vinum, quod natura formavit: poſt conſecrationem verò Chriſti carnem & ſangvinem, quod benedictio conſecravit.* Poſſe autem divina virtute fieri, ut accidentia ſine ſubjecto ſuſtentemur, oſtendit D. Baſilius *homil. in Hexaemer.* ubi lucem prima die conditam triduo abſque ſubjecto inhæſionis manſiſſe aſſerit. Quarta verò die in ſole collectam atque conſiſtentem proprium fuiſſe nactam ſubjectum, inquiens: *Tunc enim ipſa natura lucis producta eſt, nunc autem hoc ſolis corpus, eo conditum eſt, ut illi primogenitæ luci vehiculum eſſet; atque incredibile nemini videatur, & à fide abhorrens, quod dictum mihi eſt, aliud nimirum quiddam eſſe à luce ſplendorem; & aliud item corpus ſubſiſtens luci ac ſubjectum. Primum enim res omnes compoſitæ ſic à nobis dividi ſolent, in ipſam eſſentiam ſuſceptricem, & in eam, quæ ipſi accidit qualitatem. Ut igitur diverſa ſunt hæc natura, albedo, & corpus albatum, ſic & ea, quæ modo diximus, differunt quidem, unita tamen ſunt potentia Creatoris. Itaque, ne dixeris mihi, fieri hæc non poſſe, ut lux à corpore ſolis ſeparetur. Neque enim ego lucis à ſolis corpore ſeparationem mihi ac tibi poſſibilem eſſe dico: ſed aſſerendum cenſeo, quæ mentis ſola cogitatione diſparari à ſe poſſunt, ea re ipſa ſejungi facultate Creatoris utriuſque naturæ poſſe.*

D. Thomas triplicem aſſignat rationem, cur remaneant accidentia in Euchariſtia ſine ſubſtantia panis, & vini; prima eſt, quia non ſit conſuetum hominibus, carnem hominis comedere, & ejus ſangvinem bibere, id enim horreſcit mens noſtra, & ideo proponuntur nobis caro, & ſangvis Chriſti, ſumenda ſub ſpeciebus illorum, quæ frequentius habemus in uſu, cujusmodi ſunt ſpecies panis, & vini. Secunda, ne hoc Sacramentum irrideretur ab infidelibus, ſi ſub ſpecie propria corpus Chriſti manducaremus. Tertiò, ut dum inviſibiliter corpus & ſangvinem Chriſti ſumimus, nobis proficiat ad meritum fidei. Neque ſenſus falluntur, cùm percipiunt accidentia ſenſibilia ſuis deſtituta ſubjectis, quia, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt. 75. art. 5. in reſponſ. ad 2. Accidentia ſunt in Euchariſtia ſecundùm rei veritatem, & ſenſibus judicantur eſſe vera accidentia, panis, & vini. Secus intellectus; cujus proprium ſubjectum eſt ſubſtantia per fidem à deceptione præſervatur.* Fides verò non eſt contra ſenſum, ſed eſt de eo, ad quod ſenſus non attingit. Fractis tamen, ac diviſis ſpeciebus, inde non frangitur corpus Chriſti, neque dividitur, quia integer perſeverat ſub unaquaque particula, quapropter canit Eccleſia in Proſa, ſeu ſequentia edita à D. Thoma: *A ſumente non conciſus, non confractus, non diviſus, integer accipitur. Fracto demum Sacramento ne vacilles, ſed memento tantùm eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur, nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantùm fit fractura, qua nec ſtatus nec ſtatura ſignati minuitur.* D. Thomas id edixerit, quia, ſicut per Incarnationem, & unionem hypoſtaticam Filii Dei cum noſtra humanitate factum eſt, ut omnes naturæ humanæ affectiones, & proprietates Deo tribuantur, ita per conſecrationem panis, & vini, & unionem ſacramentalem ſpecierum panis, & vini cum corpore, & ſangvine Chriſti motus quidam & operationes, quæ in hujusmodi ſpeciebus, vel circa eas fiunt corpori & ſangvini Chriſti minus quidem propriè, ſed verè tribuuntur, in quo ſenſu ſcripſit Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Chriſti eſt?* Frangi enim, quod eſt proprium panis, & accidentium ejusdem Chriſti corpori non convenit, quapropter Odo Epiſcopus Cameracenſis in expoſitione Canonis Miſſæ diſt. 3. exclamat: *O miraculum frangebatur inter digitos, ſedens incolumis inter Diſcipulos. Erat integer, & dividebatur in partes: in manibus tenebat ſe ipſum, & de manibus Diſcipulis ſe porrigebat edendum.*

Non tamen corpus Chriſti eſt in Sacramento Euchariſtiæ eo modo, quo ſedet in cœlis ad dexteram Patris, ut in loco, ſiquidem in Euchariſtia tantùm ſacramentaliter, & inextenſè eſt ſub ſpeciebus Euchariſticis; adeo ut ſit totum corpus ſub unaquaque particula, quamvis minima, dummodo ſenſibilis ſit: non tamen eſt ubique, quia licet Deus, utpote immenſus, ſit ubique locorum, Chriſtus tamen, quatenus homo eſt, tantùm in cœlo eſt ad dexteram Patris, ut in loco, & in Euchariſtia ſub ſpeciebus conſecratis, ut in Sacramento; cæterum corpus Chriſti non eſt ubique, ut autumant Hæretici, qui ob id Ubiquiſtæ denominantur, ut Lutherus, Brentius, Illyricus, quæ hæreſis ex ſcripturis facile rejicitur, etenim Chriſtus Joann. 11. ait: *Non eram ibi*; & cap. 16. *Relinquam mundum, & vadam ad Patrem*; & Marci 16. *Surrexit, non eſt hic*, ex quibus expreſsè & clarè conſtat, corpus Chriſti non eſſe ubique. Præterea, quia Joann. 6. *cùm vidiſſet turba, quia Jeſus non eſſet ibi*, omnibus enim perſpicuum, & notum fuit, Chriſti corpus non eſſe ibi. Qui omnes textus evincunt, falſam eſſe Ubiquiſtarum opinionem. Præter ſcripturas etiam Concilia apertè hunc errorem rejiciunt, & condemnant. Concilium enim Lateranenſe ſub Martino I. *conſult. 5. can. 4.* declarat, Chriſtum circumſcriptum eſſe & incircumſcriptum, ſcilicet circumſcriptum corpore, & incircumſcriptum Deitate.

Præ-

Digitized by Google

Præterea quia Ubiquitas corporis Chriſti invecta ab Hæreticis, evertit Sacramentum Eucharistiæ, quia æquè eſſet in Eucharistia, ac in quovis alio loco, proinde in Eucharistia non habetur quid diſtinctum; rurſus Sacramenta novæ legis dependent à Chriſti inſtitutione, & à ritu, verbisque ab ipſo præſcriptis. Sed poſita corporis Chriſti Ubiquitate, quod in Eucharistia præcipuum eſt, ab inſtitutione & verbis Chriſti minimè dependeret: ſiquidem corpus Chriſti antè inſtitutionem hujus Sacramenti, ante prolationem verborum conſecrationis jam eſſet in pane, quia, ſi per Sectarios eſt ubique, nullus debet poſſe locus aſſignari, in quo non ſit Chriſti corpus, conſequenter, cùm ſubſtantia panis ante conſecrationem ſit in loco, debet & corpus Chriſti eſſe in eodem loco, ſimul cum ſubſtantia panis, conſequenter ante conſecrationem, & inſtitutionem hujus Sacramenti, jam eſſet corpus Chriſti ſimul cum ſubſtantia panis, proinde evertitur in hac ſententia Ubiquiſtarum Sacramentum Eucharistiæ, ejusque inſtitutio, id enim haberet virtute, & vi unionis cum perſona Verbi. Rurſus poſito errore Ubiquiſtarum ſequitur, Chriſti corpus ore corporis verè non poſſe manducari, ſed ore tantùm ſpirituali per fidem, & gratiam, ſeu energiam, & affectum, conſequenter non poſſet manducari, niſi à piis. Quidquid enim manducatur, id moveri neceſſe eſt, & à manu in os mitti, & ab ore in ſtomachum demitti: ſi autem corpus Chriſti eſſet ubique, nullo modo moveri poſſet à manu in os, nec ab ore in ſtomachum trajici, ſiquidem priùs eſſet in ore, quàm in illo poneretur, & in ſtomacho, antequam eo trajiceretur, conſequenter verè non manducaretur: perinde, ac Deus, quia per immenſitatem ubique eſt, non movetur cum rebus, quibus ineſt, ideoque, licet ſit in pane, non tamen manducatur cum pane, licet ſit in aere, non tamen attrahitur cum aere intra pectus, neque ejicitur, cùm reſpiramus. Demum qui ſi Chriſti corpus eſſet ubique, non deberemus uti Eucharistia, ut Chriſti corpus ſumeremus, quia illud in pane & vino ante conſecrationem, & inſtitutionem Eucharistiæ jam haberemus, ex quibus liquet, quàm falſa ſit Lutheranorum opinio de Chriſti corporis Ubiquitate, & quomodo evertat Sacramentum Eucharistiæ; licet enim corpus Chriſti ſit totum ubique in hoſtia conſecrata, non tamen eſt ubique extra totam hoſtiam: ait Guitmundus *Lib. 1. de Eucharistiæ veritate: Si humano verbo Deus tantum præſtitit, ut non tantùm ipſum, ſed etiam vox, quâ quodammodo veſtitur, ad mille homines eadem ſimul, integraque pertingere valeat. Nemo hoc ipſum de Omnipotentis Dei unico, & Omnipotente, & Coæterno Verbo, & de carne ejus, quam ſimiliter, ut nobis ipſum Verbum appareret, veſtivit, & ſi capere non poſſit, habere incredibile debet, quod de fragiliſſimo, & tranſitorio verbo hominis, & momentaneis vocibus vixque exiſtentibus & nunquam prævalet capere, & tamen penè ſemper experimenta habet.* Et paucis interjectis ſubdit: *Ipſam certè animam noſtram corpore, quod corrumpitur, aggravatam non particulatim per ſingula membra dividi, ſed in ſingulis portiunculis totamque integram contineri. D. Auguſtinus validiſſimè probat. Qui ergo hanc animæ noſtræ potentiam præbuit, ut una eademque, & indiviſa in ſingulis quibusque particulis ſui corporis, eodem tempore, tota conſiſtat, quare ſuæ propriæ carni id dignitatis, ſi vult, dare non valeat, ut ipſa in diverſis ſui cujusdam corporis, quod eſt Eccleſia partibus, tota ſimul & indiviſa poſſit haberi, cùm ſicut anima noſtra vita eſt corporis, ita ſit Eccleſiæ, imò multò melius per Dei gratiam vita caro Salvatoris. Per animam quippe fit, ut corpus utcunque temporaliter vivat; per carnem verò Salvatoris agitur, ut Eccleſia, non quomodocunque, ſed beatè in æternum vivat.*

Quamvis ſpecies panis, & vini, quæ perſeverant ſine propriis ſubſtantiis, corrumpantur, vel alterentur, non tamen hæc corruptio, vel alteratio redundat in Chriſti corpus, quia hoc utpote glorioſum non eſt obnoxium alterationi, nec corruptioni, unde ait Apoſtolus: *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*: ſicut enim ob unionem perſonalem cum natura humana infirmitates, dolores, injuriæ, & paſſiones naturæ, non redundant in ipſam divinitatem unitam eidem naturæ: ita neque ſpecierum alteratio, immutatio, corruptio redundat in Chriſti corpus jam immortale, & incorruptibile ob unionem ſacramentalem illius cum ſpeciebus, ſicut enim in medio Rubi ardentis Angelus gerens Dei perſonam ſine læſione verſabatur: ita Chriſti corpus in ſtomachum etiam impiorum ſe trajici patitur, in quo eſt veluti radius ſolaris in luto, vel ſterquilinio, ubi inter fœditates nullam contrahit maculam, nullam ebibit fœditatem, hinc S. Cyprianus *Tractatu de lapſis* ait: *Et alius, quia & ipſe maculatus, Sacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere. Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit. Documento unius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cum negatur. Nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe, quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutatur*, ſeu ſi Chriſtus præſentiam ſuam ſacramentalem ſubtraheret. Quod ſi contingeret, hoſtiam conſecratam à mure corrodi, vel à bruto vorari, ſubſtantia corporis Chriſti ſub illis accidentibus non deſineret, quamdiu perſeverarent, quia, ut docet D. Thomas *3. part. quæſt.* 80. *art.* 3. derogat veritati hujus Sacramenti aſſerere, tunc ceſſare ſub ſpeciebus Eucharisticis eſſe corpus Chriſti, quia ad veritatem Eucharistiæ pertinet, ut quamdiu manent ſpecies conſecratæ, ſub iisdem non deſinat eſſe corpus Chriſti. Neque in illa hypotheſi mus, vel aliud animal ſacramentaliter corpus Chriſti manducaret, quia illi non convenit, eo uti ut Sacramento.

CAP.

CAPUT IX.

Quænam sit quidditas Sacramenti Eucharistiæ?

Quæritur, quænam sint partes physicè componentes hoc Sacramentum Eucharistiæ; cum enim in hoc Sacramento reperiantur corpus, & sanguis Christi, species Sacramentales, verba consecrationis, transsubstantiatio, & usus, seu sumptio Eucharistiæ, quæritur, in quibus nam ex istis recensitis partibus consistat quidditas Eucharistiæ. Certum est, contra Lutheranos, non consistere in solo usu, seu sumptione, estque dogma fidei definitum in Concilio Tridentino *sess. 13. can. 4. Si quis dixerit peractâ consecratione in admirabili Eucharistia Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini Nostri JEsu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur, non verò ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post, communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit*; & fusè tractavi cap. 7. hujus disputationis.

Neque Sacramentum Eucharistiæ constituitur formaliter per verba consecrationis, ut per formam intrinsecam constituentem, idque evincitur ex Concilio Florentino in Decreto unionis Armenorum, ubi docet per verba Salvatoris confici hoc Sacramentum, & etiam addit rationem: *quia ipsorum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur*, unde sequitur, hoc Sacramentum esse potius effectum verborum, quàm quid intrinsecè constitutum ex ipsis; non enim hoc Sacramentum dicitur constitui ex verbis, sed ex vi verborum, & virtute eorundem confici: consequenter dicit habitudinem ad verba, ut ad caussam efficienter non formalem. Neque obstat Concilium vocare verba consecratoria formam, quia intelligit de forma, qua efficitur, non qua constituitur. Ratio id suadens est, quia Eucharistia, ut docet Concilium Tridentinum *sess. 13. can. 7.* est Sacramentum permanens, sed res permanens non potest constitui per rem successivam, ut per formam intrinsecam, consequenter verba consecratoria non constituunt intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ ut forma ejusdem. Major, & consequentia tenent; minor evincitur, quia res permanens perseverat etiam corrupta successivâ, sed nulla res potest essentialiter, & intrinsecè constitui per formam jam corruptam, alioquin perseveraret integra rei natura corruptâ ejus formâ essentiali constitutivâ. Præterea vel verba consecratoria constituunt essentialiter Eucharistiam, vel non: si dicatur secundum, habemus intentum, si primum, ergo non perseverat integrum Sacramentum Eucharistiæ post prolationem verborum, quod adversatur Conciliis: ergo verba consecratoria non constituunt formaliter, & intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ.

Quòd si dicas, manere verba virtualiter in speciebus per realem virtutem ab iisdem caussatam, adeo, ut species una cum hac virtute componant physicè unum Sacramentum Eucharistiæ. Contra est, quia inde sequeretur, quod non verba, sed virtus à verbis producta esset forma, quæ intrinsecè constitueret Eucharistiam in esse Sacramenti permanentis. Rursus hæc virtus est fictitia ad eludendam vim argumenti absque fundamento inventa: siquidem non est virtus naturalis, quia verba nonnisi naturaliter producunt, & eorum species non est necesse, ut physicè attingant species consecrandas. Præterea quia hujusmodi species statim desinunt deficiente motu verborum, ut per se liquet. Neque hæc virtus est supernaturalis, quia debent esse separatio specierum panis & vini à propria substantia, ac deberet eas unire cum corpore, & sanguine Christi succedentes in munus propriæ substantiæ, sed id est effectus verborum, & non virtus eorundem; Consequenter verba consecratoria non constituunt intrinsecè, & formaliter nec per se, nec per suam virtutem Sacramentum Eucharistiæ.

Neque dici potest cum Aureolo, verba consecrationis perseverare moraliter, & hoc pacto habere rationem Sacramenti, perinde ac consensus unius conjugis moraliter tantùm perseverans sufficit ad componendum Sacramentum matrimonii cum actuali consensu alterius. Nam contra est, quia inde sequeretur, quia corruptis verbis, ac deficientibus non diceretur manere Eucharistia, nisi moraliter in mente Dei, vel hominum, perinde ac manent actus humani physicè corrupti, quod nullo pacto concedi potest, cùm independenter à cognitione Eucharistiæ perseverat esse physicum Sacramentum etiam transactis verbis: Sacramentum enim, quamdiu permanet, debet esse applicabile physico modo, quod non convenit verbis, ut moraliter perseverantibus. Neque valet paritas de consensu matrimonii, quia forma non potest dici semel prolata perseverare moraliter, sicut consensus unius conjugis non retractatur: quia ea tantùm dicuntur moraliter perseverare per modum habitûs, quorum retractatio dependet à libera voluntate, ut est consensus liberè elicitus ab uno conjuge; si enim talis consensus non retractetur, censetur conjux interpretativè perseverare in tali consensu: secus actus externi, quia semel producti non sunt amplius in nostra potestate, ideo non dicuntur moraliter perseverare, sed tantùm physicè quamdiu existunt, idque ex eo liquet, quia si post prolata verba consecratoria super debitam materiam, & cum debita intentione, Sacerdos retractaret suum actum, & intentionem, non inde fieret irritum Sacramentum, sicut irritaretur consensus, si semel elicitus retractaretur: ratio discriminis est, quia consensus, ideo potest retractari, quia dependet à libertate, actus vero externi cum non dependeant semel producti à libertate, non possunt irritari.

Si dicas cum aliis, verba consecratoria perseverare quoad denominationem, quatenus denominant species consecratas, adeo, ut verba consecratoria non sint forma inhærens, sed tantùm denominans hoc Sacramentum, perinde ac cognitum constituitur essentialiter ex objecto, & cognitione, ut forma denominante, & non inhærente. Contra est, quia Sacramentum Eucharistiæ non includit formaliter intrinsecè hanc denominationem à verbis præteritis, ut formale suum complementum: ratio est, quia hoc Sacramentum non dependet à verbis, nisi in genere caussæ efficientis, quapropter verba consecratoria non concurrunt ad Sacramentum Eucharistiæ in genere caussæ formalis, sed tantùm efficientis adeo, ut dicantur esse forma efficiens, non verò forma informans: sed nullus effectus includit for-

formalem denominationem suæ causæ efficientis: ergo verba consecratoria non manent quoad denominationem, & prout nominant species consecratas; Neque est par ratio de objecto cognito, quia cognitum formaliter includit cognitionem, ut formam formaliter tribuentem esse cognitum: Eucharistia verò tantùm connotat verba, ut causam efficientem sui, proinde non accipit in genere causæ formalis suum complementum à verbis in esse Sacramenti.

Præterea quia Eucharistia constituitur in esse Sacramenti adæquatè per hoc, quod sit signum gratiæ nutrimentalis: hoc autem præstant species panis, & vini, non simpliciter, sed, ut continent corpus, & sanguinem Christi independenter à verbis, idque ex eo ostenditur, quia esset idem Sacramentum, quamvis alio modo, quàm per verba fuisset institutum, quia Eucharistia habet rationem Sacramenti formaliter ex eo, quod sit cibus, & potus spiritualis animæ, quod formaliter habet per ipsas species panis, & vini, ut continentes corpus, & sanguinem Christi, proinde verba consecratoria non complent formaliter Eucharistiam in ratione Sacramenti, alioquin sublata forma seu definientibus verbis tolleretur Sacramentum ex tali forma resultans. Quòd si dicas, species panis, & vini, ut consecratas per verba formaliter esse signum gratiæ nutrimentalis, proinde verba consecratoria pertinere formaliter ad integritatem Sacramenti Eucharistiæ, ut significantia gratiam nutrimentalem. Contra est, quia species non dicuntur sacræ, seu consecratæ formaliter per verba consecratoria, sed dicuntur species sacræ, & consecratæ à corpore, & sanguine Christi, quia per illius unionem constituuntur formaliter sacræ.

Hinc neque Eucharistia constituitur essentialiter intrinsecè per consecrationem, ut dicentem actionem transubstantiativam, licèt hæc requiratur essentialiter, ut quid connotatum ab Eucharistia per modum fieri, & viæ, ad hoc Sacramentum, ratio ex eo petitur, quia actio exigit esse prius natura, quàm terminus, & quòd est prius alio non pertinet ad intrinsecam constitutionem illius: ergo cum hæc consecratio transubstantiativa habeat pro termino ipsum Sacramentum Eucharistiæ, eò quia ex vi illius ponitur sub speciebus corpus Christi, non potest pertinere ad intrinsecam constitutionem ipsius. Præterea quia via non est ratio constitutiva termini, siquidem effectus nos constituitur per actionem, quæ producitur, sed per suam intrinsecam entitatem. Rursus actio, per quam conficitur cibus corporalis, non est cibus ipse factus, neque pars ejusdem, sed tantùm aliquid in obliquo connotatum per modum viæ ad ipsum cibum: ergo cùm Eucharistia sit instituta, ut cibus spiritualis, & consecratio, ut importans actionem transsubstantiativam, sit actio, per quam conficitur Eucharistia, non est pars ejusdem, sed tantùm aliquid connotatum per modum fieri, & viæ habentis se antecedenter.

Neque Sacramentum Eucharistiæ constituitur adæquatè per solum corpus Christi in recto, connotatis in obliquo speciebus: neque per solas species in recto connotato tantum corpore Christi. Prima pars ostenditur, quia Sacramentum intrinsecè, & in recto est signum sensibile, & Tridentina Synodus *sess.* 13. *cap.* 3. docet Eucharistiam convenire cum aliis Sacramentis novæ legis in eo, quod sit signum sensibile, & contineat corpus, & sanguinem Christi, sed corpus Christi, & ejus sanguis non sunt quid sensibile: ergo hoc Sacramentum adæquatè, & in recto non constituitur per solum corpus, & sanguinem Christi. Præterea quia sensibilitas ingreditur constitutionem formalem Sacramenti, quod essentialiter est signum sensibile practicum gratiæ: seu Sacramentum Eucharistiæ est formaliter sensibile per ipsas species, ergo istæ ingrediuntur constitutionem formalem hujus Sacramenti, consequenter solum corpus Christi in recto non constituit adæquatè hoc Sacramentum.

Quod si dicas, has species tantùm connotativè ingredi constitutionem Eucharistiæ, sicut cognitio ingreditur constitutionem cogniti, contra est, quia cognitum est tantum denominatio extrinseca, consequenter cognitio, ut extrinsecè connotata, & dans denominationem, potest ingredi constitutionem cogniti extrinsecè: sed species non sunt forma extrinseca, sed verè intrinseca hujus Sacramenti. Præterea quia species non importantur per modum formæ adjacentis corpori Christi, sed perinde ac se habet albedo respectu albi, cujus constitutionem ingreditur intrinsecè: species enim se habent per modum partis sensibilis constituentis unà cum corpore Christi compositum sensibile Sacramentale: consequenter species non se habent connotativè, sed formaliter constitutivè. Ostenditur secunda pars quia per corpus Christi hoc Sacramentum est formaliter causativum gratiæ nutrimentalis: sed hoc esse causativum est præcipuum in hoc Sacramento ergo corpus Christi in Eucharistia non se habet tantùm connotativè, sed formaliter constitutivè, proinde solæ species non constituunt adæquatè, & in recto hoc Sacramentum.

Quamobrem asserendum est, Sacramentum Eucharistiæ constitui essentialiter ex speciebus & corpore Christi contento sub illis, ut docet D. Thomas in 4. *dist.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2. ubi asserit ex speciebus, & corpore Christi fieri unum Sacramentum; ratio est, quia corpus, & sanguis Christi prædicantur in quid, & in recto, de hoc Sacramento ergo illud essentialiter constituunt, quia non potest quidquam in recto & in quid prædicari de alio, nisi sit illi essentiale, ac illud constituat: hinc non dicimus potentiam esse objectum, sed ordinem ad objectum, quia solus ordo est essentiale constitutivum potentiæ: Quapropter si ordo tantùm specierum ad corpus, & non corpus constitueret essentialiter hoc Sacramentum, sequeretur, quòd non corpus Christi, sed tantùm ordo ad corpus prædicaretur in recto, de hoc Sacramento. Quòd verò corpus Christi prædicetur in recto, & in quid, de hoc Sacramento, constat passim ex Sanctis Patribus, siquidem D. Ambrosius *de iis qui mysteriis initiant. cap. ult.* ait: de Sacramento Eucharistiæ: *In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi*, & *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 50. ait: *Antequam consecretur, panis est, ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi.* Hinc S. Ignatius Martyr *ad Smyrnenses* vocat Eucharistiam carnem Salvatoris, & colligitur etiam ex verbis Christi *Joan.* 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Si autem hæc verba vera sunt, corpus Christi est hic cibus; & hic cibus est caro Christi. Præterea quia

Sacra-

Sacramenta novæ legis non ſunt ſolum ſigna, ſed etiam cauſæ gratiæ: ſed ſolæ ſpecies non ſunt cauſæ gratiæ, quia Sacramenta non cauſant, niſi, ut cauſæ morales per bonitatem moralem, & ſpecies præciſæ à corpore Chriſti, non ſunt capaces bonitatis moralis, quia non conſiſtunt in actione humana, quæ ſola eſt capax bonitatis moralis, ſed in entitate phyſica. Præterea quia ſpecies etiam, ut conſecratæ actione Miniſtri non ſunt capaces bonitatis moralis, quia actio conſecrativa non ingreditur formaliter conſtitutionem hujus Sacramenti, quod propterea conſtituitur eſſentialiter ex ſpeciebus & corpore Chriſti contento ſub illis. Præterea quia partes componentes intrinſecè aliquod totum ſemper neceſſariò ſignificantur in recto: hinc terminus relationis nunquam vocari poteſt pars relationis: ſed tam ſpecies, quàm corpus Chriſti ſub ipſis ſunt partes componentes intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ æquè ac contritio, & confeſſio componunt Sacramentum Pœnitentiæ: ergo æque illud componunt in recto: Demum quia Sacramentum in recto eſt ſignum ſenſibile cauſativum gratiæ, conſequenter æquè ſpecies ac corpus Chriſti conſtituunt in recto hoc Sacramentum, quia ſpecies ſunt ſignum ſenſibile & corpus Chriſti cauſat gratiam.

Quod ſi dicas, ſpeciem itidem cauſare gratiam, conſequenter ipſas ſolas conſtituere hoc Sacramentum; contra eſt, quia ſpecies tantum componunt unum ſignum ſenſibile practicè cauſativum gratiæ cum corpore & ſanguine Chriſti, conſequenter corpus Chriſti eſt de conſtitutivo Euchariſtiæ in recto. Præterea quia hoc Sacramentum in ratione talis Sacramenti eſt cibus cœleſtis, ut ait Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 11. Sed ratio cibi convenit corpori Chriſti *Joan. 6. Ego ſum panis vivus, caro mea verè eſt cibus*: ergo corpus Chriſti conſtituit eſſentialiter cum ſpeciebus hoc Sacramentum in recto. Demum quia hoc Sacramentum eſt adorandum adoratione Latriæ, ut definitur in Synodo Tridentina: ſed non poteſt hoc pacto adorari ratione ſpecierum, quia iſtæ tantùm coadorantur, adeo, ut tota ratio adorationis ſe teneat ex parte Chriſti, ergo corpus, & ſanguis Chriſti debent concurrere ad conſtituendum Sacramentum.

Quòd ſi dicas, Euchariſtiam ideo adorari Latria ob præſentiam corporis Chriſti, quamvis hoc non conſtituat in recto hoc Sacramentum. Contra eſt, quia ſi tantùm eſſet præſens, non adoraretur hoc Sacramentum Latriâ, ſicut neque adoratur pixis, neque Monſtranzia, in qua eſt præſens corpus Chriſti, neque ſufficit, ſi dicas corpus Chriſti pertinere quidem ad hoc Sacramentum, ut quid eſſentialiter contentum in ipſo, non vero, ut partem intrinſecè conſtitutivam, Nam contra eſt, quia hoc Sacramentum ratione corporis Chriſti habet rationem cibi, & in recto dicitur corpus, & ſanguis Chriſti, adeo, ut ſignificatio Sacramentalis fundetur in corpore, & ſanguine Chriſti, unde hoc Sacramentum conſtat etiam ex corpore Chriſti tanquam ex parte intrinſecè, & eſſentialiter conſtituente.

Verum quamvis hoc Sacramentum Euchariſtiæ conſtet ex duabus ſpeciebus panis, & vini, non tamen eſt multiplex Sacramentum totale, ſed unum tantum conſtans ex duabus partibus, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 73. *art.* 2. Suarez. *diſput.* 39. *de Sacram. ſect.* 3. & communiter Theologi, ratio eſt, quia in utraque ſpecie hoc Sacramentum habet eundem finem, eandemque ſignificationem Sacramentalem, ſcilicet refectionem animæ ſignificatam per gratiam, per modum convivii, juxta illud *Joan. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, ſed convivium, ut reſpicit refectionem, conſtat ex cibo, & potu, ergo hoc Sacramentum eſt unum tantùm ſpecie infima. Tum quia in Catechiſmo Romano *part.* 2. *cap.* 4. habetur hæc eadem veritas his verbis: *Non plura, ſed unum tantùm Euchariſtiæ Sacramentum Eccleſia authoritate ducti confitemur.* Sin autem Sacramentum Euchariſtiæ non eſſet unum ſpecificè, ſed tantùm genericè, poſſemus ſimpliciter aſſerere, non eſſe unum Sacramentum tantùm, ſed plura, perinde ac ſimpliciter dicimus eſſe plura, animalia, & non unum, tametſi ſint genericè unum: ergo Sacramentum Euchariſtiæ eſt verè ſpecificè unum, & non tantùm genericè. Evincitur ſecundò, quia ſi Sacramentum Euchariſtiæ non eſſet unum ſpecificè Sacramentum, ſequeretur Sacramenta novæ legis excedere numerum ſeptenarium, hoc autem eſt contra communem ſenſum, & traditionem Eccleſiæ, ut conſtat ex Concilio Lateranenſi *cap. Firmiter. de ſumma Trinit.* & Florentino *inſtructione Armenorum*, & Tridentino *ſeſſ.* 7. ubi definitur, Sacramenta novæ legis eſſe tantùm ſeptem, nec plura, nec pauciora, unde Euchariſtia eſt tantùm unum Sacramentum ſpecie infima.

Quòd ſi dicas, Sacramentum Ordinis eſſe ſpecificè multiplex, & genericè unum, ergo ad numerum ſeptenarium Sacramentorum novæ legis ſufficit, ſi Sacramenta ſint ſeptem ſive genericè ſive ſpecificè, conſequenter ex eo, quod Euchariſtia ſit ſpecificè multiplex, adhuc ſervari numerum ſeptenarium Sacramentorum. Contra eſt, quia Sacramentum Ordinis eſt etiam ſpecificè unum, quia tota ſpecies, & eſſentia Sacramenti Ordinis deſumitur ex ordine ad unum ſpecificè ſacrificium; ſiquidem ſacerdotium & ſacrificium ſe habent correlativè, ut liquet ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. Unde, quamvis Sacramentum Ordinis plures habeat gradus, unum perfectum, ſeu ſacerdotium, & alios ei ſervientes & miniſtrantes, adhuc Sacramentum Ordinis eſt unicum tantùm ſpecie, adeo, ut diverſi Ordines ſint tantùm ſpecies incompletæ, & inadæquatæ, materialiter ſe habentes ad conſtituendam ſpeciem adæquatam, & totalem Sacramenti Ordinis, ergo etiam Sacramentum Euchariſtiæ eſt unicum tantùm ſpecie infima, & firmari ex eo itidem poteſt, quia Euchariſtia eſt eſſentialiter ſignum, ſed ſignum non ſolùm ſpecificationem, ſed etiam unitatem deſumit à termino ſignificato, ſed hic terminus eſt perfecta animi ſanctitas per modum perfectæ ſpiritualis refectionis, quæ eſt gratia habitualis cum Ordine ad diverſa auxilia roborantia, & conſervantia in vita ſpirituali, ergo cum perfecta refectio per modum convivii includat cibum, & potum, ſequitur hoc Sacramentum eſſe tantùm unum ſpecie infima, quia unitas totalis hujus Sacramenti petitur ex unitate veræ refectionis, & convivii; & ambæ ſpecies requiruntur neceſſariò ad hanc plenam ſignificationem, eò

Digitized by Google

quia integra refectio includat cibum, & potum. Unde ambæ ſpecies ad ſummum tantùm materialiter dici poſſunt plura Sacramenta, ſeu plures res ſenſibiles, non verò formaliter, quia ambæ ſpecies habent eandem ſignificationem Sacramentalem, & conſtituunt unum integrale convivium.

Quòd ſi dicas ſpecies panis independenter à ſpeciebus vini eſſe ſimpliciter Sacramentum, & è contra ſpecies vini independenter à ſpeciebus panis, conſequenter eſſe duo Sacramenta, contra eſt, quia inde tantum ſequitur eſſe duo Sacramenta inadæquata, & materialiter, non verò adæquata formaliter.

Sed dices, ergo Laici, qui tantùm ſumunt corpus, & non ſanguinem, defraudantur gratia, quæ reſpondet ſanguini, ſiquidem non ſumunt totum, & adæquatum Sacramentum, alioquin deberent communicare ſub utraque ſpecie; Contra eſt, quia tametſi non recipiant illam gratiam reſpondentem ſanguini ex vi formalis, & directæ ſignificationis Sacramenti, eam tamen recipiunt ex vi materalis, & indirectæ ſignificationis, quia ſicut concomitanter cum corpore ſumunt etiam ſanguinem, ita cum eo indirectè, ſeu ex conſequenti accipiunt gratiam Sacramentalem correſpondentem ſanguini.

Sed inſtabis, quia ſi ſpecies panis & vini non eſſent plura Sacramenta totalia, ſed tantùm conſtituerent unum totale, ſequeretur laicos communicantes ſub una tantùm ſpecie non recipere integrum Sacramentum, quod eſt abſurdum, quia magna illis ab Eccleſia fieret injuria, ergo ſunt duo Sacramenta totalia. Præterea quia ſpecies panis ſeorſim à ſpecie vini eſt ſignum efficax gratiæ, conſequenter debet eſſe Sacramentum totale. Sed contra, quia licèt Laici communicantes ſub una tantùm ſpecie non ſuſcipiant integrum Sacramentum ſecundùm id, quod ſignificatur ex vi verborum, illud tamen integrum ſumunt propter concomitantiam, ratione cujus totum, quod eſt in calice, ponitur etiam in hoſtia, quia, cùm ſanguis concomitetur corpus, concomitanter Laici ſumunt etiam ſanguinem. Ad id quod addebatur, concedo, omne ſignum efficax gratiæ eſſe Sacramentum, ſi ſit ſignum perfectum, & habeat omnia requiſita ad finem, propter quem eſt inſtitutum: ſecus ſi non habeat omnia requiſita ad eundem finem, non eſt Sacramentum totale, ſed tantum partiale, ut in caſu noſtro. Cæterum Sacramentum Euchariſtiæ quoad efficaciam Sacramentalem, & vim refectivam animæ integrè ſalvari in qualibet ſpecie ſeorſim, ratio eſt, quia in qualibet ſpecie continetur totus Chriſtus, vel ratione corporis, vel ratione ſanguinis, & quælibet ſpecies cauſat gratiam reficientem animam, ſed efficacia hujus Sacramenti eſt reficere animam, conſequenter habetur totum Sacramentum in qualibet ſpecie.

Quòd ſi dicas, non eſſe, in qualibet ſpecie ex vi conſecrationis, quia habetur tantùm vel corpus, vel ſanguis, & alia per concomitantiam; & efficacia debet convenire ex vi conſecrationis; contra eſt, quia ex vi conſecrationis ponitur ſub ſpeciebus vel corpus, vel ſanguis, conſequenter ex vi verborum habetur tota efficacia Sacramentalis, quia ſemper ponitur totus Chriſtus, qui animam reficit.

Aſſerendum ſecundò, unitatem numericam Euchariſtiæ deſumendam eſſe ex morali unitate ſpecierum cum ordine ad unam Sacramentalem refectionem, mediante una ſumptione morali, ut conditione ſine qua non: & pluralitatem numericam ex pluralitate, ſpecierum cum ordine ad plures refectiones Sacramentales, mediantibus pluribus ſumptionibus moralibus, adeo, ut tot ſint Sacramenta phyſicè numero diverſa, quot ſunt ſpecies disjunctivè numero diverſæ, ita tamen ſi iſtæ ſumantur per modum unius, tunc ſint tantùm moraliter unum Sacramentum. Ratio eſt, quia Sacramentum Euchariſtiæ præter corpus Chriſti continet etiam in recto ipſas ſpecies, ut conſtat ex prædictis: ergo quoties ſpecies ſunt diſcontinuæ, & numero diverſæ, non poſſunt eſſe unum numero Sacramentum, ſed plura. Quod verò, ſi plures ſpecies ſumantur per modum unius, tunc ſint tantum moraliter unum Sacramentum ex eo oſtenditur; quia tunc Sacramentum eſt moraliter unum, quando non poteſt conferre niſi unam gratiam, ſed quando plures hoſtiæ ſimul ſumuntur, tunc non confertur niſi una numero gratia: ergo tunc plures hoſtiæ, tantùm moraliter ſunt unicum Sacramentum; & firmatur, quia hoc Sacramentum fuit à Chriſto inſtitutum, ut ſpirituale convivium, & habet analogiam cum corporali; ſed convivium corporale deſumit ſuam unitatem numericam à morali unitate ciborum cum ordine ad unam refectionem corporalem, mediante unica comeſtione morali: ergo ex iiſdem deſumit hoc Sacramentum ſuam unitatem numericam. Major conſtat ex illo *Joan. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus eſt potus.* Minor oſtenditur, quia plures & diſtincti cibi poſſunt ordinari ad unam corporalem refectionem, mediante una morali comeſtione.

Quòd ſi dicas, ſumptionem non eſſe conſtitutivam Sacramenti, conſequenter neque diſtinctivam; Contra eſt, ſumptionem non eſſe conſtitutivam per modum partis, eſſet tamen moraliter conſtitutivam per modum conditionis, adeo, ut quoties eſt una moraliter ſumptio, toties ſit moraliter unum Sacramentum.

Neque urget, ſi dicas, multiplicari cauſa multiplicari etiam effectum & quamlibet ſpeciem Sacramentalem eſſe adæquatam cauſam refectionis ſpiritualis, conſequenter multiplicari Sacramentum ad multiplicationem ſpecierum. Contra eſt, diſtinguitur minor, ſi ſpecies ſumantur conjunctim, negatur, quia tunc non multiplicantur moraliter: ſi ſumantur, ut diſcontinuæ, & non per modum unius refectionis moraliter ſumptæ, conceditur minor, & negatur conſequentia, quia eo ipſo quod ſpecies ſumuntur conjunctim, ſe habent per modum unius refectionis moraliter, & tunc non multiplicantur moraliter. Præterea argumentum tantùm valet in cauſis principalibus, non in inſtrumentalibus, ut ſunt Sacramenta. Hinc Sacerdos ſuſcipit tantùm unum Sacramentum moraliter, quamvis ſuſcipiat hoſtiam diviſam in tres partes, quia eas ſumit per modum unius refectionis, & illa multiplicatio in ordine refectionis ſe habet tantùm materialiter.

Dices contra illam partem aſſertionis, in qua dicimus tot eſſe Sacramenta phyſicè numero diverſa, quot ſunt ſpecies diſcontinuæ numero diverſæ: Chriſtus eſt unus in omnibus ſpeciebus: ergo eſt una etiam tantùm virtus Sacramentalis, conſequenter unum tantùm Sacramentum. Contra eſt, negatur conſequentia, quia Sacramentum non dicit ſolum Chriſtum, ſed etiam ſpecies Sacramentales, ut ſignum ſenſibile, & ſignificationem Sacramentalem; & quia ſpecies multiplicantur phyſicè, ita ſufficiunt pro phyſica multiplicatione Sacramenti.

Sed

Digitized by Google

Sed inſtabis, ſi Verbum aſſumeret plures humanitates, illi homines non eſſent niſi unus homo: ergo tametſi in Euchariſtia ſint plures ſpecies, quia tamen in ipſis eſt unum tantùm Chriſti corpus, ita unum tantùm debet eſſe in toto mundo Sacramentum, alioquin falsò dixiſſet Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 10. *Unum corpus omnes, qui de eodem pane participamus?* Ergo ſicut corpus eſt unum numero, ita etiam panis, conſequenter ad phyſicam, & numericam multiplicationem ſpecierum non multiplicatur numero, & phyſicè Sacramentum Euchariſtiæ. Sed contra, quia catenus ſi verbum aſſumeret, plures humanitates iſtæ eſſent unus homo, quia eſſent in eadem concretione ejuſdem ſuppoſiti, ſiquidem concreta ſubſtantiva, præſertim ſubſtantialia, nunquam multiplicantur, niſi multiplicetur utrumque ſignificatum formale, & materiale: Species autem Sacramentales non veniunt in concretionem corporis Chriſti, ſed corpus Chriſti trahitur ad modum, & determinationem ſpecierum, quibus accommodatur, adeo ut ſi ſpecies Sacramentales ſint phyſicè, & numericè plures, ſint etiam phyſicè, & numericè plura Sacramenta. Ad id, quod addebatur ex Apoſtolo, negatur conſequentia, quia unitas corporis Eccleſiæ non infertur ex unitate numerica Sacramenti, ſed ex unitate cibantis, qui eſt Chriſtus.

Sed urgebis, ſi tot eſſent Sacramenta, quot hoſtiæ diſcontinuæ, ſequeretur Sacerdotem recipientem plures hoſtias, vel plures partes diviſas ejuſdem hoſtiæ ſumere plura Sacramenta, conſequenter, & plures gratias, atqui hoc falſum eſt, ergo non ſunt tot Sacramenta phyſicè numero diverſa, quot ſunt ſpecies diſcontinuæ numero diverſæ. Sed contra, diſtinguitur major, ſi moraliter tot eſſent Sacramenta, quot ſunt hoſtiæ diſcontinuæ, conceditur; ſi tantùm phyſicè negatur: quia ſicut ad multitudinem peccatorum, quæ merentur diverſam pœnam, non ſufficit pluralitas phyſica, ita etiam ad pluralitatem Sacramentorum producentium diverſam gratiam, non ſufficit pluralitas phyſica, ſed requiritur etiam moralis in ordine ad refectiones diverſas: Sumptio ita eſt applicatio, ut ſit etiam conditio ad unitatem moralem Sacramenti.

Ex prædictis infertur unitatem numericam in ratione Sacramenti non ſumi ex unitate ſumptionis, quia ſumptio eſt poſterior Sacramento, & quid extrinſecum & ordo ad ſumptionem conſequitur ab extrinſeco, etenim, quòd dicat ordinem ad unam vel plures ſumptiones, id oritur ex determinatione extrinſeca ſumentis; & unitas conſequitur ex principiis intrinſecis.

Imò infertur ſecundò, neque unitatem numericam in ratione Sacramenti ſumi ab unitate conſecrationis: ratio eſt, quia unitas conſecrationis eſt unitas cauſæ, & eadem numero cauſa poteſt ſimul habere plures effectus numero, ſi pluribus applicetur ſubjectis.

CAPUT X.

De materia remota Sacramenti Euchariſtiæ.

EA dicitur materia remota Euchariſtiæ, ſuper quam pronuntiantur verba conſecrationis, & ex qua fiunt corpus, & ſanguis Chriſti, & quia conſecratio eſt duplex, una, quæ cadit ſuper ſpecies panis, & alia ſuper ſpecies vini, ideo explicandum eſt, quænam ſit materia remota utriuſque conſecrationis. Certum eſt, materiam, ex qua corpus Chriſti conficitur, eſſe ſolum panem, & materiam, ex qua ſanguis Chriſti conficitur, eſſe vinum, ut aſſerunt quatuor Evangeliſtæ, & confirmant Apoſtoli, etenim *Matth.* 26. ait: *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum, & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, quod pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.* Hoc idem etiam habetur *Marci* 14. & *Luc.* 22. Hinc Eccleſia ſemper intellexit materiam, ex qua corpus Chriſti conficitur, eſſe panem, ut refertur in Concilio Lateranenſi *cap. Firmiter*, & in Florentino in *decreto Eugenii*, ac demum in Tridentino *Seſſ.* 13. Præterea, quia fuit hoc Sacramentum præfiguratum in oblatione Melchiſedech, qui obtulit panem, unde Chriſtus *Pſalt* 109. & Apoſtolus ad *Hebræ.* 5. dicitur: *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Unde eſt conſtans in Eccleſia traditio, materiam remotam Euchariſtiæ eſſe panem, & vinum, adeo ut Eccleſia damnaverit Cataphrygas, & Pepuzianos, qui ex infantis anniculi ſanguine, minutis punctionum vulneribus ex toto illius corpuſculo expreſſo, & farinæ mixto ſuam conficiebant Euchariſtiam, ut teſtatur D. Auguſtinus, *lib. de hæreſib. cap.* 26. (de fœdis, & abominandis Gnoſticorum myſteriis ſilere præſtat, quam ea commemorare) rurſus Eccleſia damnavit Artotyritas, qui panem, & caſeum in Sacrificio Altaris offerebant, ut narrant Sancti Epiphanius, & Auguſtinus *eod. lib. cap.* 28. Rurſus proſcripſit Aquarios, qui aquam ſolam ſpecie ſobrietatis in calicem infundebant, & conſecrabant, & contra hos omnes errores promulgatus fuit canon tertius ex iis, qui dicuntur Apoſtolici, & etiam plures alii, quos compilavit Gratianus *diſt.* 2. *de conſecrat.* quibus ſancitur, ut in Altaris Sacrificio panis tantùm, & vinum aquæ mixtum offeratur. Ut etiam *cap. In Sacramento ex epiſtola S. Alexandri Papæ ad Orthodoxos cap. oportet*, *quod eſt* 54. ex Martini Bracharenſis Epiſcopi capitulis, *cap. in Sacramentis*, ubi ex Concilio Carthaginenſi III. *can.* 24. habetur: *In Sacramento corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius operatur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aquæ mixtum.* Ut etiam *cap. didicimus*, quod ex *canone* 28. *Trullanæ Synodi* expreſſum eſt. *cap. Cùm omne*, quod ex epiſtola ad Epiſcopos Ægypti Julii I. Romani Pontificis deſumitur. Et Concilium Bracharenſe IV. contra quoſdam, qui lac pro vino in Euchariſtia adhibebant, ait: *Contra divinos ordines, & Apoſtolicas inſtitutiones lac pro vino in divinis Sacrificiis, aut non expreſſas uvas offerebant*, & jubet panem tantùm, & calicem vino, & pauxillo aquæ permixtum offerri, & decretum ſuum munit Concilium authoritate S. Cypriani, qui dominicam traditionem vindicat

epiſt. 63. ad Cæcilium contra quoſdam, qui aquam ſolam in Sacrificiis matutinis offerebant, ne per ſaporem vini redolerent ſanguinem Chriſti, & ſi ab Ethnicis reprehenderentur, ait enim Cyprianus in illa epiſtola: *Quamquam ſciam Epiſcopos plurimos Eccleſiis dominicis in toto mundo divina dignatione præpoſitos, Evangelicæ veritatis, ac dominicæ traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Chriſtus Magiſter, & præcepit, & geſſit, humana & novella inſtitutione decedere, tamen, quoniam quidam vel ignoranter, vel ſimpliciter, in calice dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciunt, quod JESUS Chriſtus Dominus, & Deus noſter Sacrificii hujus Author, & Doctor fecit, & docuit, religioſum pariter ac neceſſarium duxi ad vos litteras facere, ut ſi quis in iſto errore adhuc teneatur, veritatis luce perſpecta ad radicem, atque originem traditionis dominicæ revertatur.* Et infra: *In Sacerdote Melchiſedech Sacrificii dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod Scriptura divina teſtatur, & dicit: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem, & vinum, fuit autem Sacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus Sanctus ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te; tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Qui ordo utique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem, & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus Noſter JESUS Chriſtus? qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem.*

Rationes, quibus materia hujus Sacramenti probatur eſſe panis, & vinum, ſunt potius congruentiæ, quas adfert D. Thomas 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 1. & deſumuntur primo ex uſu hujus Sacramenti, qui eſt manducatio. Sicut enim aqua in Sacramento Baptiſmi aſſumitur ad uſum ſpiritualis ablutionis, eò quia aqua ad maculas corporis abſtergendas, & abluendas adhibeatur, ita panis, & vinum, quibus homines reficiuntur, etiam in hoc Sacramento aſſumuntur ad uſum ſpiritualis manducationis: ut iis, in corpus & ſanguinem Domini tranſmutatis, anima nutriatur, & ſuſtentetur, ſicut Chriſtus ſignificat dicens: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Secundò à re commemorata, ſcilicet paſſione Chriſti, in qua ſanguis à corpore ſeparatus eſt, hujus memoria, cùm hoc Sacramentum recolatur, & ejus imago quodammodo præ oculis ponatur, ſeorſim conſecratur panis, cujus ſpecies ſumitur, ut Sacramentum corporis, & ſeorſim conſecratur vinum, cujus ſpecies ſumitur, ut Sacramentum ſanguinis Chriſti. Tertiò ab effectu in ſe ſpectato, corporis ſcilicet, & animæ tuitione. Animæ enim ſalus ſanguini Chriſti, & corporis tuitio ejus corpori tribuitur. Quartò ab effectu reſpectu corporis myſtici Chriſti, quod eſt Eccleſia conſtituta ex multis hominibus Chriſtianis. Sicut enim panis ex multis granis conficitur, & vinum ex plurimis racemis, & azymis, ut ait Apoſtolus 1. *Corinth.* 10. *Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Catechiſmus Concilii Tridentini etiam affert congruentiam, cur panis, & vinum aſſumantur in materiam remotam Euchariſtiæ, ait enim: *Non nihil etiam hæc elementa ad id valent, ut eam cognitionem accipiant homines, eſſe in Sacramento corporis, & ſanguinis Domini veritatem. Nam cùm panem, & vinum in humanam carnem & ſanguinem quotidie vi naturæ immutari animadvertamus, faciliùs adduci poſſumus hac ſimilitudine, ut credamus panis, & vini ſubſtantiam in veram Chriſti carnem, verumque ejus ſanguinem cœleſti benedictione converti. Adfert etiam aliquid adjumenti hæc admirabilis elementorum mutatio ad adumbrandum, quod fit in anima, ut enim, & ſi nulla extrinſecùs panis & vini mutatio apparet, tamen eorum ſubſtantia in carnem, & ſanguinem Chriſti verè tranſit: ita etiam, tametſi in nobis nihil immutatum videtur; interius tamen ad vitam renovamur, dum veram vitam Euchariſtiæ Sacramento accipimus.*

Quòd ſi dicas, carnes animalium occiſorum aptiores fore ad Chriſti paſſionem repræſentandam, quàm panem, & vinum. Reſpondet D. Thomas, verum eſſe, quòd carnes animalium occiſorum expreſſiùs Chriſti paſſionem repræſentarent, ſed minus eſſent aptæ ad uſum Sacramenti, & ad unitatem ſignificandam. Præterea, quia ſi adhiberentur carnes animalium occiſorum, lex vetus non videretur totaliter abrogata, ſi novæ legis tempore carnes animalium adhuc in Sacrificium offerrentur. Rurſus conveniens erat, ut ſicut tempore veteris legis caro & ſanguis animalium offerebantur abſque carne, & ſanguine Chriſti, ita nunc offerantur caro, & ſanguis Chriſti, abſque carne, & ſanguine animalium, ut lex nova veteri abrogatæ opponeretur, & quidem ſub earum rerum ſymbolis, quæ cibi, & potui ſunt aptiſſimæ, & conſtant partibus ejuſdem rationis, & ita ſumantur, ut nulla pars rejiciatur, quo pacto multò perfectius hoſtiæ puritas repræſentatur: in veteri enim lege pecorum immolatio plurimum in ſe habebat impuritatis.

Si dicas, conſuevisse in Altari offerri uvas, & ſpicas, lac, & mel, ut etiam agnum in Eccleſia Romana die Dominicæ Reſurrectionis, ex quibus videtur inferendum, panem tantùm & vinum non eſſe materiam Sacramenti Euchariſtiæ. Contra eſt, quia oblata non fuerunt ſuper Altari ut Sacrificium, ſed tantùm in Altari, ut primitiæ, vel munera exhibita ad pios Eccleſiæ uſus, & non verbis Chriſti conſecranda, ſed tantùm ſingulari benedictione ſanctificanda, quamvis uvæ, ſpicæ, legumina, fructus, tanquam primitiæ offerentur, ut etiam oleum, ut in templis ad veri DEI gloriam lumen enutriret, ac ſervaret, & thus, ut incruenti Sacrificii tempore adoleretur, ut etiam lac, & mel in Paſchali feſtivitate, ut fortaſſis etiam in Pentecoſte, ut egreſſis è fonte baptiſmi darentur deguſtanda, ut etiam agnus immolaretur die Reſurrectionis Dominicæ in reverentiam Chriſti agni immaculati pro nobis occiſi, non tamen illius carnes tranſmutabantur in carnes Chriſti, neque ſanguis animalium in ſanguinem Chriſti, ſed agni carnes tantùm Sacerdotali benedictione ſanctificatæ, cedebant in uſum vel Miniſtrorum vel fidelium. Neque verum eſt, quòd ſuper Altare unà cum Chriſti corpore agnus fuerit oblatus, ut perperam cenſuit Photius id objiciens Romanæ Eccleſiæ. Reliqui etiam fructus

Digitized by Google

ctus offerebantur, ut benedicti in uſum cederent miniſtrantium Altari, & templo.

Quia verò nomen panis ad plura poteſt pertinere, ideo oritur difficultas, ex quo grano debeat panis iſte confici, & quomodo parari, pro quo aſſerendum primò eſt, illud tantùm eſſe materiam ſufficientem primæ conſecrationis cadentis ſuper panem, quod verè, & propriè eſt, ac ſimpliciter denominatur panis abſq; ullo addito, idque evincitur ex ipſa inſtitutione hujus Sacrament, quia Chriſtus, quando inſtituit hoc Sacramentum, accepit panem, & poſtea dixit: *Hoc facite*, quaſi diceret, idipſum adhibete, quod ego habeo, ſed Chriſtus conſecravit panem, & conſecrando deſignavit materiam, ergo ſicut Chriſtus accepit verum, & proprium panem, qui abſque ullo addito dicebatur panis, & illum conſecravit, ita ſequitur, illud ſolum eſſe materiam ſufficientem primæ conſecrationis, quod verè, & propriè eſt, ac denominatur ſimpliciter panis abſque ullo addito. Firmatur, quia conſtat ex Evangelio, ideo Baptiſmus debet fieri in aqua, adeo ut ſola aqua vera, & naturalis ſit materia Baptiſmi, quia Chriſtus eam aſſumpſit ad Baptiſmum. Sed ex Evangelio etiam conſtat, Chriſtum ſumpſiſſe panem pro materia hujus Sacramenti Euchariſtiæ, & præcepiſſe Diſcipulis, ut hoc idem facerent, ergo debet inferri, quòd ſolus panis verus, & propriè dictus abſque ullo addito ſit materia remota hujus Sacramenti. Præterea, quia hoc idem evincit perpetua Eccleſiæ traditio, qua ut Hæretici condemnati ſunt ii, qui præter purum panem, quid aliud addendum eſſe putârunt, ut Cataphrygæ Diſcipuli Montani, qui adhibebant farinam ſanguine infantis punctim educto ſubactam, qui ſi moriretur pro Martyre: ſi viveret, pro ſummo Sacerdote habebatur, ut referunt Epiphanius *hæreſ.* 49. & Auguſtinus *hæreſi* 27. Hinc Ethnici, ut refert D. Auguſtinus *contra Fauſtum*, dicebant à Chriſtianis adorari Cererem, & Bacchum, & alii apud Minutium aſſerebant, comedi à Chriſtianis infantem farre confectum. Cæterum, ut diximus, compoſitio panis, quia fit ex multis granis, aptiſſima eſt ad ſignificandum effectum proprium hujus Sacramenti, ſeu unionem fidelium inter ſe, & cum ipſo Chriſto. Præterea quia panis poteſt eſſe principium vitæ hominis, & eſt res communior, & ad religioſum uſum longè purior, quàm ulla alia materia.

Aſſerendum ſecundò, ſolum panem confectum ex vero tritico, & naturali aquâ ſubactum, & igne aſſum, eſſe materiam remotam hujus primæ conſecrationis, ut communiter docent Theologi cùm D. Thoma *hic art.* 3. *& in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 2. & habetur expreſsè in Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi de hoc Sacramento dicitur: *Cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite*, quapropter in editione Romana juſſu S. Pii V. ablata fuit expoſitio Cajetani, qui in vetuſtioribus Codicibus aſſerebat: Panem triticeum dixi in hoc articulo eſſe materiam Euchariſtiæ, non quia ſolus ſit materia, ſed quia eſt principalis, & materia apud omnes indubitata. Ratio petitur ex inſtitutione Chriſti, Chriſtus enim inſtituit hoc Sacramentum in pane uſuali: Sed hujuſmodi panis fit ex tritico. ſiquidem omnis alius ſubſtituitur in defectum hujus, quapropter non dicitur ſimpliciter panis, ſed cum addito, hordeaceus, vel ex milio, ergo ſolus panis triticeus eſt ſufficiens materia hujus Sacramenti, cui primariò convenit ratio nominis, ſed nomen panis primariò convenit pani triticeo, & reliquis nonniſi cum addito, & in defectum illius: ergo ſolus panis triticeus eſt materia hujus Sacramenti, & id habetur ex Apoſtolica traditione. Hinc D. Hieronymus *in cap.* 31. *Jeremiæ* expendens illud *ſuper frumento v.* 12. ait: *Corpus Domini conficitur*, hoc idem confirmat *in cap.* 62. *Iſaiæ*, ubi explicans illud: *Si dedero triticum tuum inimicis tuis*, & in *cap.* 9. *Zachariæ* explicans illud *frumentum electorum*, aſſerit, materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, hinc Iſchydio Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus in libello porrecto Patribus Concilii Chalcedonenſis contra Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, præ reliquis conqueritur, quod frumentum à piiſſimis Imperatoribus Eccleſiæ Lydiæ (ſiquidem in illa Provincia ob vitium terræ, & ariditatem fertur triticum non naſci) præſtitum. *In primis quidem, ut incruenta ex ipſo hoſtia offeratur*, ut etiam, ut peregrini, & Provinciales pauperes alerentur, quapropter profuſis pecuniis ſingulis annis conſueverat, triticum coëmere ad eundem finem, & ait Iſchydio, *ex hoc neque terribile & incruentum ſacrificium celebratum eſt, neque peregrini aut provinciales hoc ſolatio fruiti ſunt*: Ex his enim colligitur, panem triticeum eſſe materiam eſſentialem Euchariſtiæ, adeo ut illo deficiente panis ex alterius generis granis, aut ſeminibus confectus, validè conſecrari non poſſit, idque etiam oſtendit D. Thomas 3. *part. quæſt.* 73. *art.* 3. inquiens: *Ad uſum Sacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem uſum venit, inter alios autem panes communiùs homines utuntur pane triticeo, non alii panes videntur eſſe introducti in hujus panis defectum, & ideo Chriſtus creditur in hujus panis ſpecie hoc Sacramentum inſtituiſſe, qui etiam panis magis confortat hominem, & ideo convenientius ſignificat effectum hujus Sacramenti*, ex quibus ſatis apertè colligitur, ſolum panem triticeum eſſe materiam hujus Sacramenti, quapropter etiam Deus præceperat Levit. 14. ut panes propoſitionis, qui fuerunt figuræ hujus Sacramenti ex ſimila conficerentur, quòd autem hic panis non ſolùm debeat eſſe triticeus, ſed etiã naturali aqua ſubactus, & igne aſſus, ex eo evincitur, quia hæc tria requiruntur, ut aliquis dici poſſit verus panis uſualis: unde non ſufficit, ſi ex quolibet grano conficiatur panis; ſed debet neceſſariò eſſe ex vero tritico, quod ſolum eſt frumentum propriè dictum, & ſine addito, ut definitum fuit in Concilio Carthaginenſi III. *cap.* 24. & in *Florentino in decreto unionis*. Secundò requiritur ad perfectum panem, ut grana ſint in farinam commolita; & ut farina naturali aqua ſubigatur, ſcilicet elementali, non verò lacte, vino, aut aqua roſacea, vel oleo, quia ejuſmodi humores, ſi adhibeantur in notabili quantitate, tollunt propriam rationem panis, & potius fit placenta. Tertiò etiam requiritur, ut hæc maſſa aſſetur igne, ſi enim cruda fuit, non ſufficit, tametſi à pane non differat phyſicè, quia propriè non denominatur panis. Nec ſufficit, ſi hæc maſſa elixetur, quia tunc puls potius dicitur, quàm panis. Neque ſufficit, ſi coquatur in ſartagine cum butyro, vel oleo, ſed debet puri igne torreri.

Hinc infertur, panem confectum ex granis diverſæ ſpeciei non eſſe materiam hujus primæ conſe-

Digitized by Google

consecrationis, si major pars sit diversæ speciei: Secus si minor, & modica, quia tunc supponitur, quod major pars convertat minorem in substantiam panis tritice[illegible], alioquin si talis materia non converteretur in panem triticeum, non consecraretur, ut censent plures, & in Sacramentis in materia [illegible] non debet fieri consecratio. Rursus alia grana, quæ non sunt triticum, non [illegible] esse materia hujus Sacramenti, & quia certum est, hordeum, [illegible], & [illegible] esse triticum, [illegible] potest ex illis [illegible] panis Sacramentalis, [illegible] pro [illegible]: ut nec etiam ex fabis, cicere, oryza, [illegible] ex herbarum [illegible], aut [illegible] ex nucibus, [illegible] triticum, an vero panis [illegible], [illegible] confectus [illegible] ex [illegible] Alanus, Valentia, & alii [illegible] posse usurpari, nisi [illegible] necessitatis, quem etiam Auth[illegible] posse nunquam contingere, [illegible] non sit simpliciter necessarium. [illegible] probabil[illegible] propter ali[illegible] accidentium, & quia [illegible] ex tritico: Quinimò D. Thomas 3. *part. quæst.* 74. *art.* 3. *ad* 2. [illegible]: Id [illegible] est [illegible], eò quia [illegible] semper [illegible] specie. [illegible] art. 3. [illegible]: [illegible] esse dubiam, quam quis in necessitate consecraret, [illegible] eventum posset a peccato propter [illegible] probabilem. V[illegible] opinionum [illegible] circa materiam Sacramenti nullo pacto deducenda est ad praxim, & est sententia pro[illegible].

C[illegible] frumenti modica permixtio [illegible], ad [illegible], si sit modica ad[illegible] frumentis, cum multo majore quantitate tritici, poterit exinde confici panis, qui sit materia hujus Sacramenti, si verò sit magna permixtio, [illegible], vel prope æqualis utriusque [illegible], & panis [illegible] dubia materia hujus Sacramenti, ut [illegible] D. Thomas 3. *part. quæst.* 74. *art.* 3. *ad* 3. [illegible] esse materia Eucharistiæ, [illegible] maneat panis natura, quod [illegible] continuitatis saporis, col[illegible] S. verò [illegible], [illegible] rata quidem erit consecratio. [illegible] consecrans [illegible] Sacramentum. Et quia amylum est ex [illegible], non videtur, quòd panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi, ut [illegible] D. Thomas [illegible] quòd si farinæ [illegible] admisceatur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor distinctus ab aqua vera, & clementari non posset ex hujusmodi materia [illegible] hoc Sacramentum, quia non esset verus panis, siquidem ad panis substantiam [illegible] necessaria est aqua, juxta illud [illegible] S. Cypriani *epist.* 63. Nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi [illegible], & copulatum, & panis unius compage solidatum, ut etiam asserit D. Thomas *art.* [illegible] *quæst.* *ad* 3. & habetur etiam in *cap. Sic in sacrificando dist.* 3. *de consecrat.* ubi recitantur verba S. Cypriani, quæ sunt: *Quæ [illegible] vel alio liquore fuerit farina aspersa, [illegible] corpus Christi? non.* Hinc secundùm rubricas Missalis Romani & instructiones S. Caroli panis ex aqua rosacea confe-

ctus, dubia est materia, consequenter minimè consecranda, quia Innocentius XI. *decreto edito die* 2. *Martii* 1679. expressè declarat, non licere sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliore, & [illegible] in Sacramentorum consecratione, & administratione. Rursus panes consecrandi ad usum Sacrificii, & communionis studiosè parari debent, ac esse integri, nitidi, & mediocris quantitatis, juxta Ecclesiæ consuetudinem, ut sanxit Concilium Toletanum XIV. *can.* 6. ubi habetur: *Delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, partim nescientia simplices, partim temerario ausu provocati, non panes mundos, & ex studio præparatos supra mensam Domini in Sacrificio offerant, sed passim, quomodo [illegible] impulerit, aut voluntas [illegible], ut panibus, suis usibus præparatis, frustulum in rotunditate auferant, eamque super Altare cum vino, & aqua pro [illegible] offerant. Temeritati [illegible] terminum ponere, ut [illegible] nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in Altare Domini Sacerdotali benedictione [illegible] proponatur, [illegible] qui ex [illegible] fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed [illegible] secundum quod Ecclesiastica [illegible] retinet.*

Cæterum tam ex pane fermentato, quàm ex azymo consecrari potest Eucharistia. Orientalis Ecclesiæ ritus est, ut panem fermentatum adhibeant [illegible] in consecratione, sed [illegible] Ecclesia [illegible] in azymo pane conficere [illegible], [illegible] Christi Domini exemplo fundata. [illegible] panem [illegible] in pane fermentato, ac in azymo, neque hac de re Ecclesia [illegible] dubitavit, [illegible]. Nunquam tamen de [illegible] inter Græcos, & Latinos disputatum fuerat, nisi [illegible] quod [illegible] Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus anno 1053. ipse enim [illegible] Latinæ Ecclesiæ de azymis litem movit, negans azymum verè panem esse, [illegible] inferebat, Latinos materiam ineptam Eucharistiæ con[illegible] adhibere. [illegible] Catholicos Latinos Hæreticos azymatos appellare consueverat. Panem verò azymum, & fermentatum non differre substantialiter, utriusque Ecclesiæ Patres, & Doctores semper asseruerant. Hinc D. Thomas 3. *part. quæst.* 74. *art.* 4. [illegible] circa materiam [illegible] duo possunt considerari, [illegible] quid sit necessarium, & quid conveniens: necessarium [illegible] est, ut sit panis triticeus, [illegible] Sacramentum: non autem [illegible] Sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus, quia in utroque confici potest. Hinc Ecclesia [illegible] non damnat ritum, [illegible] Græcorum consecrantium panem fermentatum. [illegible] Pontifex [illegible] *epist. ad* [illegible], & [illegible] ritum Orientalium [illegible], sed Græcos tamen [illegible], cum [illegible] velut Hæreticos infectarentur [illegible]. Ritum Græcorum [illegible] in fermentato approbavit Concilium Florentinum [illegible], ubi hæc habet: *[illegible] pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta sua Ecclesia, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Neque Latina Ecclesia usum Græcorum consecrantium fermentatum panem improbavit, sed quandoque etiam ipsa fermentatum adhi-

adhibuit ante ſchiſma Phocii, ut notat Sirmondus in ſua disquiſitione de uſu indiſcriminatim fermentati, vel azymi, ut etiam notat Cardinalis Bona *lib. 1. rer. liturgicar. cap. 23.* Quam opinionem etiam propugnat Chriſtianus Lupus *Tom. 3. in can. Concilior. diſſertatione de actis Leonis IX.* ut etiam Joannes Mabillonius diſſertatione de pane Euchariſtico azymo, & fermentato, verùm hæc quæſtio, cùm ſit meri facti, non nititur niſi ſolis conjecturis, omnes tamen conveniunt, quæſtionem de uſu azymi vel fermentati panis in Euchariſtiæ conſecratione pertinere ad ritum, non verò ad dogma fidei; panem firmamentum elegerunt Græci, ut ipſo facto declararent, quantum deteſtarentur judaizantes, qui legem cum Evangelio aſſerebant ſervandam eſſe, cùm nec azymorum uſum cum Judæis communem habere voluerunt. Rurſus conſiderarunt myſticam in fermento ſignificationem: ſcilicet Filium Dei aſſumpſiſſe carnem mortalem, & miſeram, veluti quoddam non malitiæ, ſed miſeriæ fermentum. Rationes verò, quibus nititur Eccleſia Latina ad conſecrandum panem azymum plures ſunt, quarum prima petitur ab Exemplo Chriſti Domini, qui hoc Sacramentum inſtituit primo die azimorum, quo nihil fermenti domi habere licuit Judæis Matth. 26. 17. *Prima autem die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis tibi paremus comedere paſcha.* Marci 14. 12. *Et primo die azymorum quando paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces paſcha &c.* Luc. 22. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha, & miſit Petrum & Joannem dicens: Euntes parate nobis paſcha, ut manducemus.* Quòd ſi Chriſtus cum ſuis Diſcipulis manducavit panem azymum, etiam in azymo inſtituit in ultima cœna hoc Sacramentum. Secunda ratio petitur ab ipſa ſignificatione, quia panis eſt propriè Sacramentum corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt, magis quàm divinitatis ipſius: & in ſcripturis fermentum peccatum, & corruptionem plerumque ſignificat, non ſolùm in veteri lege, quæ fermentum ab oblationibus ſuis excludebat, verum etiam quia Apoſtolus 1. *Corinth.* 5. & alibi aſſerit, fermentum ſymbolum eſſe malitiæ, quapropter panis azymus magis convenit corpori Chriſti, quàm fermentatus. Alia ratio etiam ſumitur ab uſu iſtius Sacramenti, quia panis azymus magis convenit ſinceritati fidelium, cujus eſt ſymbolum, ut etiam puritatis cordis, utraque enim neceſſaria eſt ad dignam Euchariſtiæ manducationem. 1. *Corinth.* 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Ubi Apoſtolus alludit ad azymum Sacramenti, ſiquidem præmiſit: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Præterea quia, cùm Chriſtus dicatur in mundum veniſſe, non ut legem ſolveret, ſed adimpleret, & in omnibus fuerit divinæ legis obſervantiſſimus, & *Matth.* 26. *Marci* 24. *Luc.* 22. Chriſtus dicatur celebraſſe paſcha primo die azymorum cum Diſcipulis ſuis, inde infertur, conſtituiſſe Euchariſtiam illo die in pane azymo, cùm non licuerit Judæis, habere domi quidquam fermentati. Præterea quia panis azymus eſt multo purior, quàm fermentatus, aptiorque ad puritatem Chriſti ſignificandam, ut contra Græcos probat Anſelmus *lib. 1. de azymo.* Algerus *lib. 2. de Euchariſtia*, Rupertus *lib. de divin. offic.*

Hinc quamvis Eccleſia Latina utrumque panem azymum, & fermentatum aſſerat eſſe materiam aptam, graviter tamen prohibuit, ne liceat Latinis conſecrare panem fermentatum, quamvis id permiſſum fuerit Græcis juxta ſuum ritum: quia ex Apoſtolica traditione jam à primis Eccleſiæ temporibus conſecratum fuerat in azymis, donec exortis Manichæis omne fermentum abominantibus Latini ſimul, & Græci cœperunt ſimul in fermentato conſecrare, ſed, ſublato poſtea errore Manichæorum, iterum Latini redierunt ad uſum azymi perſeverantibus Græcis conſecrare in fermentato, non improbante Eccleſia Latina. Quòd verò panis azymus ſit materia convenientior ad conſecrationem ex eo, ut diximus, oſtenditur, quia magis congruit ſignificationi proprietatum hujus Sacramenti, ſiquidem panis azymus in ſcripturis ſignificat puritatem, ſinceritatem, candorem, ſimplicitatem, humilitatem, & incorruptionem, quæ omnia conveniunt Chriſto ſub ſpeciebus Euchariſticis, & myſtico ejus corpori: è converſo fermentum, ut plurimum ſumitur in malam partem, & interdum etiam pro hypocriſi Luc. 12. *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis:* Interdum etiam denotat faſtum, & ſuperbiam, eò quia panis fermento intumeſcat: nonnunquam etiam corruptionem, quia fermentum ad illam diſponit panem: neque tam facile panis azymus corrumpitur ſicut fermentatus, unde D. Paulus 1. *ad Corinth.* 5. ſcribit: *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit: expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio; ſicut eſtis azymi: itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis*, hoc eſt, ſinceritatis contra peccati corruptionem, & veritatis contra figuras veteris legis, ut explicat D. Thomas.

Objiciunt tamen Græci, quia panis fermentatus eſt aptior ad hominem nutriendum, magiſque uſualis, & communis, cum communiter tam nobiles, quam plebei comedant fermentatum: ergo ſolus panis fermentatus eſt convenientior materia hujus primæ conſecrationis. Sed contra negatur conſequentia, quia licèt panis fermentatus ſit uſitatior, & communior, aptiorque ad nutriendum; azymus tamen eſt aptior ad uſum hujus Sacramenti propter præexpenſas rationes. Præterea, quia, ut docet D. Thomas 3. *part. art.* 4. *in corp.* magis convenit ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad uſum hujus Sacramenti, ut ſcribit Apoſtolus, 1. *ad Corinth.* 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Reliquas eorum objectiones jam refutavi cap. 2. hujus diſputationis.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Quænam sit materia remota secundæ consecrationis, seu calicis.

EX Hæreticis putarunt aliqui, materiam remotam hujus secundæ consecrationis seu calicis esse solam aquam, qui propterea Aquarii vocati fuerunt. Alii asseruerunt, esse tantùm lac, ut refertur in Concilio Bracharensi III. *cap.* 1. Alii mel: qui omnes errores, & alii iis similes ex eo facile rejiciuntur, quia Christus *Matth.* 26. dicitur accepisse calicem, & eum in proprium sanguinem convertisse, sed certum est, materiam calicis fuisse vinum de vite, ut constat ex verbis Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, illud enim pronomen *hoc* designat materiam, quæ erat in calice, ex quo claret materiam propriam hujus secundæ consecrationis non esse quid aliud, quam vinum de vite. Quapropter asserendum est, solum vinum de vite, quod verè & communiter denominatur vinum, esse materiam idoneam hujus secundæ consecrationis; ratio est, quia Christus materiam contentam in calice ante consecrationem dixit esse de genimine vitis. Materia autem hujus secundæ consecrationis est illa eadem, quam Christus in nocte cænæ consecravit, & quæ reperiebatur in calice, ergo materia hujus secundæ consecrationis est solum vinum de vite, quod verè, & communiter denominatur vinum. Hanc enim veritatem supponunt Concilia, præsertim Lateranense sub Innocentio III, Carthaginense III. Aurelianense IV. & Tridentinum *sess.* 13. & hoc fidei dogma definivit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. & constat ex perpetua traditione ab Apostolis in Ecclesiis derivata, & perseverante ad hæc usque nostra tempora. Ratio etiam id suadet; quia cum hoc Sacramentum fuerit à Christo institutum per modum convivii, non potuit sub convenientiori materia institui, quàm panis, & vini, quia sicut hæc sunt cibus, & potus corporis, ita Sacramenta sub eorum speciebus instituta, sunt cibus, & potus animæ. Rursus quia vinum vitis magis convenit effectui hujus Sacramenti, quia est spiritualis lætitia, ait enim David Psal. 103. *Vinum lætificat cor hominis*, propterea habet analogiam cum materia hujus secundæ consecrationis. Demum, quia solum vinum de vite propriè, & simpliciter dicitur vinum, perinde ac solum oleum expressum de olivis propriè, & simpliciter dicitur oleum.

Hinc vero hæc secunda consecratio potest impediri, primò, si vinum non sit de vite, sed ex aliis liquoribus, & succis pomorum, vel cerasorum. Secundò si sit succus intra pelliculas inclusus, ut definitur à Julio Papa, & refertur *in cap. Cùm omne, de consecrat. dist.* 2. Ratio est, quia quamdiu ille manet in baccis inclusus, habet potius formam cibi, quam potus, & materia hujus secundæ consecrationis exigit se habere per modum potus, cùm Christus in ejus institutione dixerit, *bibite ex hoc omnes*. Tertiò, si sit succus expressus ex uva acerba, quia tunc non est materia consecrabilis quia non est vinum usuale: est autem consecrabilis, succus expressus ex uva non tam perfectè natura, quia tunc est vinum usuale, ut est vinum expressum in Germania ex uvis non perfectè maturis in pluribus locis, quorum tamen vinum est usuale. Quartò, acetum non est materia consecrabilis, quia non est vinum usuale per modum vini potabilis, sed potius est vinum corruptum, sicut cadaver non dicitur esse homo, nisi cum addito homo mortuus, si verò vinum parum acescat, sitque tantùm modicè acidum, aptum est, ut valide consecretur, quia adhuc est vinum usuale: verum qui in eo consecraret, & posset commodè aliud vinum nullo modo acidum consecrare, non excusaretur à peccato ob irreverentiam Sacramento illatam. Sive autem illud sit album, sive rubrum, dummodo sit expressum de vite, sitque potus usualis, semper est materia hujus secundæ consecrationis, quia utrumque est verum vinum usuale; & ob hanc rationem sufficeret etiam vinum miraculosum, quale fuit illud in Cana Galilææ, ubi aqua conversa fuit in vinum usuale, quapropter si miraculosè ad preces alicujus servi Dei converteret Deus aquam in vinum, posset sacerdos illud consecrare, ut etiam mustum ex uvis recens expressum, quia est etiam simpliciter vinum, quamvis non perfectè purgatum, & defæcatum: habet enim proprietates vini, & à scriptura sumitur ut vinum, siquidem Actor. 2. Apostoli dicuntur *Musto pleni*. Verùm licèt urgente necessitate possit sacerdos licitè in musto consecrare, cessante tamen necessitate licitè non potest usurpare mustum pro materia calicis, nec sine gravi peccato ob fæces, & impuritates, quibus abundat, quia esset actus irreverentiæ in tantum Sacramentum. In succo tamen expresso ex uvis passis potest consecrari, quia hujusmodi succus est vinum usuale, & quidem eo perfectius, quò ab aquæ humore est purgatius: nihil enim interest, si uvæ, ex quibus vinum exprimitur, sint passæ, quia id non variat succum. Quod si ob nimiam siccitatem ad exprimendum humorem esset necessaria nimia aquæ copia, tunc succus ille non esset materia idonea, quia deperderet rationem vini communis, & usualis. Rursus nec vinum in pane imbibitum est materia idonea calicis, quia vinum semel imbibitum in frustula panis non habet rationem potûs, qualis debet esse materia calicis, potest tamen esse materia corporis, seu primæ consecrationis, quia panis quamvis vino perfusus & madidus simpliciter est panis, & se habet per modum cibi.

Quòd si dicas vinum consecratum in pane imbibitum conservare Christi sanguinem, consequenter esse materiam aptam secundæ consecrationis. Contra est, negatur consequentia, quia ad consecrationem requiritur, ut materia sanguinis possit initio consecrationis demonstrari per modum potûs, & peracta consecratione non est amplius necessaria hujusmodi demonstratio, sed tantùm sufficit, si retineat species vini.

An verò vinum congelatum sit aptum consecrationi, variæ sunt Authorum sententiæ; si enim diu sit congelatum, adeo ut vi frigoris virtus simul, & species vini perierint, tunc fatentur omnes,

non

Digitized by Google

non eſſe materiam idoneam Euchariſtiæ, ſin verò congelatio ſit recens, & facta in calice paulo ante conſecrationem, cenſent plures eſſe materiam aptam conſecrationi, ut Sylveſter, Dominicus Soto, dummodo vini virtutem, & ſpeciem retineat. Alii tamen negant, quia vinum congelatum non eſt potabile, ideoque ineptum conſecrationi, ſicut aqua congelata non eſt materia idonea in baptiſmo. Alii cenſent, materiam eſſe dubiam, proinde eſſe idoneam conſecrationi, ita Fumus *in ſum.* Eſtius *in 4. ſententiar. diſt.* 8. §. 9. Sylvius in *3. part. quæſt.* 74. & alii, quia volunt tale vinum eſſe ſimpliciter potabile, licèt difficulter, perinde ac panis durus eſt ſimpliciter comeſtibilis, quamvis nonniſi cum aliqua difficultate propter duritiem reſiſtentem dentibus, ne tam facile panem frangant, terant.

Quod ſi objicias, aquam congelatam non eſſe ſufficientem materiam baptiſmi, conſequenter neque vinum congelatum Euchariſtiæ. Reſpondent primò, poſſe baptiſmum miniſtrari cum aqua congelata, dummodo, quando tangat corpus, aliqualiter liqueſiat, quia tunc mediante liqueſactione habetur ablutio, ſecundò ajunt eſſe diſparem rationem, quia baptiſmus habet pro materia proxima ipſam ablutionem, conſequenter exigit aquam ad abluendum, & talis non eſt aqua congelata, & hæc reſponſio vera eſt & tuta: ſecus Euchariſtia ſolum exigit vinum potabile, non quòd actu ſit potabile, dum conſecratur, quia conſecratio non conſiſtit in potione, ſed ſufficit, ſi poſt conſecrationem liqueſiat, ut ſit communis potus.

Cenſerem tamen, in hac difficultate eſſe procedendum cum diſtinctione: ſi enim vinum non ſit totaliter congelatum, ſed tantùm in aliqua ſuperficie, tunc eſt materia certa hujus Sacramenti, quia vinum ex hac modica congelatione non deperdit ſubſtantiam vini, nec formam potabilem, & eoſdem præſtat effectus, quando ſumitur actu, ac vinum non congelatum, proinde tunc non cenſeo eſſe excludendum à materia hujus Sacramenti, hæc enim modica congelatio facile contingit rigente pruina in Regionibus ſeptentrionalibus: Sin verò vinum eſſet totaliter congelatum, & in duritiem glaciei verſum, tunc putarem, eſſe materiam valde dubiam, & in iſto caſu, ut ſacerdos tuto procederet, involvendus eſſet calix pannis calefactis, vel etiam ſi id non ſufficeret, ponendus eſſet calix in aqua fervente prope altare, donec vinum ante conſecrationem liquefieret, ita tamen, ut aqua in calicem non intret, ut præſcribunt rubricæ miſſalis Roman. *tit. de defectibus in miſſ. occurrens.* quia in materia dubia non poteſt conſecrare. Quòd ſi poſt conſecrationem congeletur calix, tunc etiam debet liquefieri, ut ſumi cum reverentia poſſit ſanguis Chriſti, ut habetur *in cap. in Sacramento de conſecrat. diſt.* 2.

Aqua tamen in modica quantitate vino conſecrando admiſcenda eſt neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, non neceſſitate Sacramenti. Armeni, ut conſtat ex decreto fidei Eugenii IV. in Concilio Florentino errarunt, aſſerentes, non eſſe aquam vino conſecrando admiſcendam, cui errori adhærent Hæretici noſtri temporis: ſed noſtra aſſertio eſt omnino vera, & certa, & conſtat ex praxi Eccleſiæ, & traditione ab ipſis Apoſtolis derivata, & ab omnibus Eccleſiis Græcis, & Latinis conſtantiſſimè ſervata, ut declarat Eugenius IV. in præfato decreto fidei, ubi hujus Sacræ Cæremoniæ tres affert rationes, quarum prima eſt, quia juxta teſtimonium Sanctorum Patrum, Chriſtus creditur conſecràſſe in vino aqua miſto. Secunda, ut ſignificetur aqua, quæ ex Chriſti latere perfluxit. Tertia, ut denotetur effectus hujus Sacramenti, qui eſt unio Chriſtiani populi cum Chriſto. Quòd verò modicum aquæ ſit admiſcendum vino conſecrando, conſtat ex certa traditione ab Apoſtolis derivata in Eccleſiam, Chriſtum in calice, quem conſecravit, aliquid admiſcuiſſe aquæ, ut referunt Liturgiæ S. Jacobi, & S. Marci, & teſtantur Patres, qui vixerunt tempore Apoſtolorum, præſertim Clemens Romanus *lib. 8. conſtit. cap.* 13. Hinc hanc mixtionem modicæ aquæ elementaris vino præcipiunt decreta plurium Conciliorum, præſertim Trullani, Florentini, Wormacienſis, Triburicenſis, Bracharenſis, & Tridentini. Rationes iiidem id ſuadentes ſunt, quia ex Chriſti latere fluxit ſanguis, & aqua unum in pretium, alterum in lavacrum, ut aſſerit Alexander Papa 1. *epiſt.* 1. *decret.* Secundò, ut ſignificetur unio Chriſti, & Eccleſiæ, ut tradit S. Cyprianus *epiſt.* 62. Verum ad hanc mixtionem aliquot requiruntur conditiones, quarum prima eſt, ut aqua illa ſit elementaris, quia Eccleſia id præcipit, neque Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti aliam adhibuit quàm elementarem. Secunda, ut quantitas illius aquæ ſit perquam modica, id enim definiunt Concilia, quinimò Florentinum jubet eſſe modicaſſimam, ratio eſt, quia ſi aqua vinum excederet, poſſet tolli materia neceſſaria, & poſſet dubitari, an vinum poſſet abſolutè vocari vinum ſine addito. Tertia, ut habeatur myſtica ſignificatio, quia ut ait Concilium Triburienſe, hinc magis ſignificatur dignitas Sanguinis Chriſti.

Si dicas ex latere Chriſti non fluxiſſe aquam mixtam ſanguini, ſed ſeorſim conſequenter non debere aquam miſceri vino ad id ſignificandum. Contra eſt: quia non eſt neceſſaria in ſigno omnimoda ſimilitudo. Si dicas ſecundò, in Euchariſtia nullam fieri commemorationem unionis Chriſti cum Eccleſia, ſed tantùm paſſionis Chriſti, conſequenter non eſſe neceſſariam hanc mixtionem ad ſignificandam talem unionem. Contra eſt, quia unio cum Chriſto ſignificatur in ſumptione Euchariſtiæ, unde miſcetur aqua ante conſecrationem, ad ſignificandam futuram unionem.

Aſſerendum ſecundo, hanc mixtionem modiciſſimæ aquæ in calice non eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti, neque præcepti divini, ſed tantùm Eccleſiaſtici. Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 7. ait, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino offerendo miſceant: ſin autem hæc mixtio eſſet neceſſaria neceſſitate Sacramenti, Eccleſia eam non præciperet, ſed ſupponeret, eſſe id omnino faciendum; non enim Eccleſia præcipit, quæ ſunt eſſentialia Sacramentis, quia ſupponit, ea eſſe jam præcepta à Chriſto Inſtitutore, ergo hæc mixtio non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, unde S. Cyprianus *epiſt. ad Cæcilium* ſcribit: *Sic autem in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt; nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſin verò aqua ſit, ſola plebs incipit eſſe ſine Chriſto.*

Digitized by Google

Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spirituale, & cœleste perficitur. Si vinum tantùm in calice quis offerat, ibi nihilominus est sanguis Christi ex Cypriano, sequitur mixtionem aquæ non esse necessariam necessitate Sacramenti simpliciter, sed tantùm esse necessariam, ut Sacramenti significatio perfecta sit, seu ut Ecclesiæ conjunctionem cum Christo perfectè repræsentet, ut indicat Cyprianus verbis illis, *quando autem utrumque miscetur, tunc Sacramentum spirituale, & cœleste perficitur,* Hoc idem etiam adstruit Catechismus Concilii Tridentini de Sacramento Eucharistiæ §. 17. inquiens: *Sed quamvis aquæ admiscendæ rationes ita graves sint, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat, ea tamen si desit, Sacramentum constare potest*, hoc idem etiam asserunt rubricæ Missalis Romani, in quibus habetur: *si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* Non possunt rubricæ clarius loqui. Ratio itidem est, quia Christus vocavit materiam consecrandam de genimine vitis: sed vinum sine aqua est verè, & propriè de genimine vitis, unde ex ipsa Christi institutione constat, solum purum vinum esse necessarium necessitate Sacramenti, non verò mixtionem aquæ; Christus enim solùm vinum designavit in calice, quando dixit: *Matth. 26. Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Hinc D. Thomas 3. *part. quæst.* 74. *art.* 7. docet judicium de signo sumendum esse ex eo, quod significatur: admixtio autem aquæ vino refertur ad significandam participationem hujus Sacramenti à fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mixtam vino significatur populus adunatus Christo, atqui usus fidelium & participatio Eucharistiæ est quid consequens ad hoc Sacramentum, quod perficitur per consecrationem materiæ, proinde usus non pertinet ad essentiam Sacramenti, & admixtio aquæ non est necessaria necessitatè Sacramenti. Præterea quia Catechismus Romanus *cap. de Eucharistia* postquam dixisset mixtionem illam non posse prætermitti absque peccato mortali, postea subjungit, *si aqua desit, perficitur Sacramentum*, quòd si aqua esset materia necessaria necessitate Sacramenti; non perficeretur Sacramentum eo defectu materiæ, hoc idem etiam habetur *dist.* 2. *de consecrat. cap.* 1. ubi dicitur: *Si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse*, ergo admixtio aquæ in calice non est necessaria necessitate Sacramenti.

Quod si objicias verba S. Cypriani *epist. ad Cæcilium*, ubi hæc scribit: *Si verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum*, ex quo infertur, quod cum mixtio aquæ cum farina sit de necessitate hujus Sacramenti, est etiam de necessitate ejusdem mixtio aquæ cum vino. Sed contra, quia S. Cyprianus etiam in citatis verbis loquitur tantùm de necessitate præcepti, & de illo, quòd fieri debet, non verò de necessitate Sacramenti, ut explicat Divus Thomas 3. *part. ad* 7. *ad* 1. ubi ait: *Quod verbum Cypriani est intelligendum, secundum quod dicitur, illud esse non posse, quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur, quantum ad id, quod debet fieri; non autem quantum ad necessitatem: nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.* Quod verò hic sit sensus Sancti Cypriani, colligitur ex verbis sequentibus; ait enim: *Quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta commolita, & commixta panem unum faciunt: Sic in Christo, qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus.* In eodem sensu etiam loquuntur alii Sancti Patres, ut Justinus Martyr *in Apolog. pro Christianis*, quæ secunda inscribitur. *A precibus finitis mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini. Præsidens verò, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia.* Sanctus Irenæus *lib.* 4. *cap.* 57. ait: *Quomodo justè Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse, confitebatur, & temperamentum calicis, suum sanguinem confirmavit. Et lib.* 5. *cap.* 11. ait: *Quando ergo est mixtus calix, & fractus panis, ut percipit verbum DEI, fit Eucharistia corporis, & sanguinis Christi*; vocat mixtum calicem, quia supponit aquam vino mixtam in illo. Hoc prædixerat sapiens *Proverb.* 19. inquiens: *Sapientia ædificavit sibi domum, & subdidit columnas septem. Mactavit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, & paravit mensam suam. Et misit servos suos convocans cum excelsa prædicatione ad creaturas, dicens: qui est insipiens declinet ad me, & egentibus sensu dixit: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis*; ubi Sanctus Cyprianus *epist.* 63. *ad Cæcilium* ait: *Vinum mixtum declarat id, calicem Dominum aqua, & vino mixtum prophetica voce prænuntiat, ut appareat in passione Domini id esse gestum, quod fuerat ante prædictum.* Et nonnullis interjectis subjungit, *aquas populos significare in Apocalypsi scriptura declarat, dicens: Aquas, quas vidisti, super quibus sedit meretrix illa, populi & turbæ, & Gentes Ethnicorum sunt, & linguæ, quod scilicet perspicimus in Sacramento calicis contineri, nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendit sanguinem Christi, quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium, plebi, ei in quem credidit copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini sic miscetur in calice, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde ecclesiam, id est, plebem in ecclesia constitutam, fideliter, & firmiter in eo, quod credidit perseverantem, nulla res separare poterit à Christo, quo minus hæreat semper, & maneat individua dilectio.*

Quòd verò hæc mixtio aquæ in calice cum vino non sit de præcepto divino, sed tantum de ecclesiastico, colligitur ex definitione Tridentini 22. cap. 7. ubi ait: *Præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Significat enim Concilium hoc præceptum esse tantùm ecclesiasticum, non divinum. Rursus, quia Concilium Florentinum non reprehendit Armenos omit-

Digitized by Google

omittentes hanc mixtionem, eò quia agerent contra præceptum divinum, sed quia id facerent contra communem Ecclesiæ consuetudinem. Præterea, quia, si esset de præcepto divino, esset etiam hæc mixtio necessaria necessitate Sacramenti: etenim, si Christus ipsam præcepisset, vix posset ratio assignari, cur non esset de necessitate Sacramenti, quia hæc tota dependet ex præcepto, & institutione Christi. Quòd si Patres illud subinde vocant mandatum divinum, tantùm significant illud ad exemplum Christi, & ex DEI revelatione ab Ecclesia latum esse. Præterea, quia potuit Christus hac cæremonia uti, & nihilominus eam arbitrio Ecclesiæ relinquere sub præcepto servandam, sicut creditur consecrâsse in azimo, & nihilominus reliquit arbitrio Ecclesiæ consecrare in azimo vel fermentato, ut etiam in vino albo vel nigro.

Hinc infertur, urgente aliqua causa posse ab Ecclesia dispensari in hoc præcepto, quia cùm sit tantùm præceptum ecclesiasticum, & possit Ecclesia in suis præceptis dispensare, sequitur posse etiam in isto. Quapropter si per impossibile aqua deficeret, posset Sacerdos ad perficiendum sacrificium inchoatum in solo vino consecrare; quia integritas sacrificii est de jure divino: ad inchoandum verò sacrificium, si aqua desit, non potest sacerdos illud inchoare, quia est minus malum omittere, quàm sine debitis circumstantiis, & cæremoniis illud peragere.

Quòd si panis absque vino consecraretur, vel è converso vinum sine pane, valida esset consecratio. Ratio est, quia post consecrationem verum Christi corpus est, sub speciebus panis, & verus ejus sanguis sub speciebus vini, ex vi verborum, ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 3. siquidem verba consecratoria. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, id efficiunt, quod significant, quapropter si proferantur verba consecrationis super panem, sub ejus speciebus est corpus Christi, quod Ecclesia proponit adorandum ante vini consecrationem, idque firmatur ex Divo Bernardo *epist.* 69. *ad Guidonem abbatem trium fontium*, qui cum sacrum faciens animadvertisset post consecrationem vinum deesse in calice, particulam hostiæ consecratæ in calicem immiserat, vinumque desuper infuderat, quem ob defectum ingenti confectus mœrore, conscientiæ suæ scrupulum aperuit Sancto Bernardo, cujus sententiam per epistolam mittendam enixim rogavit, & re diligenter examinata, respondit Sanctus Bernardus, se illius in hoc casu deprehendisse ignorantiam, ministrantium quoque negligentiam, sed plane nullius malitiam, eò quia defectus voluntatius non fuit. Postea laudat, quod comperta, serò licet, negligentia vinum fuderat in calicem super hostiæ consecratæ particulam, inquiens: *Hoc autem pro meo fatuo sensu, si mihi idem contigisset quod tibi, vellem ad remedium mihi unum è duobus egisse, aut ipsum quod fecisti, aut certo ab illo loco, ubi dicitur simili modo, postquam cœnatum est, verba sancta iterâsse, & sic complesse, quod restabat de sacrificio. Neque enim dubitaverim de corpore jam consecrato; quia utique juxta ritum Ecclesiæ didici ab ipsa, quod & ipse accepit à Domino, panem scilicet, ac vinum, & simul apponere, non simul tamen ex his sacra conficere. Cum ergo prius de pane corpus, quàm de vino sanguis, more ecclesiastico conficiatur: si per oblivionem tardius, quod posterius sacrandum est, apponatur, non video, quid sacris præcedentibus tarditas possit præripere consequentium. Puto enim, quòd si Domino post factum de pane suum corpus, vini consecrationem placuisset aliquamdiu intermittere, aut certe penitus omittere; nihilominus corpus mansisset, quod fecerat. Nec factis facienda præscriberent. Nec nego, panem, & vinum aqua quidem mixtum simul debere apponi. Quin potius assero, haut aliter debere fieri. Sed aliud est culpare negligentiam; aliud negare efficaciam*, hoc idem etiam docet Divus Thomas 3. *part. quæst.* 38. *art.* 6.

Cæterùm unam speciem sine altera consecrare nunquam est licitum, imò neque à summo Pontifice potest dispensari, quia Pontifex non potest immutare, quod à Christo institutum est, & in jure divino dispensare, ut habetur in *cap. sunt quidam* 6. *causa* 25. *quæst.* 1. ubi legitur: *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse condere novas leges. Quod & nos non solum non negamus, sed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelista aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi vero apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, usque ad animam, & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur, sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.* Rursus *cap. contra*, quod est Zosimi Papæ in *eodem causa* 25. dicitur *contra statuta Patrum condere aliquid vel mutare nec hujus quidem sedis potest authoritas; apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam.* Quod si non licet quidquam contra statuta Patrum condere, vel mutare, multo minus contra Christi institutionem, & jus divinum, hoc idem etiam expressè asserit Divus Thomas, 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *ad* 3, ubi ait: *Ad legem divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur, unde sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, à quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit; ita in præceptis juris divini, quæ sunt à DEO, nullus potest dispensare, nisi DEUS, vel is, cui specialiter committeret.* Adde difficulter posse justam occurrere causam, qua adigatur Sacerdos unam tantùm speciem consecrare sine altera, quia cum hoc Sacramentum non sit absolutè necessarium ad salutem, sed ejus votum sufficiat, si altera deesset species justam haberet Sacerdos causam non consecrandi, nec conficiendi hoc Sacramentum. Rursus in quaslibet mundi regiones vinum facilè deferri potest, & in frigidissimis conservari, adeo ut falsum omnino sit, quod refert Volaterranus *lib.* 7. *suæ Geographiæ* Innocentium VIII. concessisse Norvegis sacrificare calicem sine vino, eò quia ob immensa frigora vinum in eam regionem asportatum acescat, non enim Pontifex potuit hoc permittere, ut nec etiam quod consecrarent cerevisiam siceram, vel alium liquorem, vel aquam puram, ut Aquarii, vel mellitam, ut censuit Melanchton posse Ruthenos usurpare ob inopiam vini. Rursus falsa est itidem ratio adducta à Volaterrano, quia in Nor-

Digitized by Google

vvegia vinum facile asservatur in caveis sicut in aliis regionibus mitioribus, & ibi est in usu, & facilè per mare ad illa litora asportatur. Falsum est etiam, quod narrat Bartholomæus Fumus in sua Summa, scilicet Alexandrum VI. voluisse dispensare quibusdam petentibus, ut sine vino conficeretur Eucharistia in locis, ubi vinum non nascitur, & difficulter potest asportari ; & fuisse declaratum, Pontificem non posse dispensare, quia in his, quæ sunt essentialia Sacramentis, summus Pontifex non habet authoritatem dispensandi, & consecratio utriusque speciei panis, & vini est essentialis Eucharistiæ, quapropter non potest Pontifex in his dispensare, quia Christi institutioni, ac præcepto repugnat, ut in una tantùm consecretur specie, quia Christus de facto consecravit utramque speciem, & injunxit Apostolis ejusque successoribus, ut hoc idem agerent : *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis injunxit Apostolis & successoribus eorum in sacerdotio, ut sub panis, & vini symbolis incruentum sacrificium pariter conficerent. Præterea quia sacrificii cruenti expressa repræsentatio, & commoratio esse debet, corpus & sanguinem in eo seorsim consecrari, & vi verborum sisti separatum à corpore, & sacramentaliter effusum sanguinem necesse est. Præterea Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 1. declarans Laicos, & Clericos non conficientes nullo divino præcepto obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum. Hinc Sacerdotes vel tenentur sub utraque specie hoc Sacramentum conficere, & quidem divino præcepto, vel debent cessare ab illo conficiendo.

Quantitas tamen panis & vini consecrandi non est de Christi institutione determinata, & nulla est tam magna quæ consecrari non possit, spectata potestate Ministri, & etiam efficacia verborum sacramentalium, quia ut docet Divus Thomas 3. *part. quæst.* 74. *art.* 2. in omnibus, quæ habent materiam, ratio determinationis materiæ sumitur eo ordine ad finem, sed finis hujus Sacramenti est usus fidelium: Unde oportet, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium, non eorum tantum, qui nunc occurrunt, alioquin Sacerdos paucos parochianos habens non posset multas hostias consecrare. Materia igitur hujus Sacramenti debet determinari per comparationem ad usum fidelium absolutè: sed numerus fidelium est indeterminatus, quapropter non potest dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti sit determinata, unde potest Sacerdos consecrare totum illum panem, vel vinum, quod ante oculos habet, & moraliter est præsens, debet enim materia consecranda esse præsens Sacerdoti non solum præsentia physica, sed etiam morali, quæ à Sacerdote consecrante cognoscatur, & qua more & usu humano, ac prudentis viri judicio res ita posita sit, ut pronomine demonstrativo possit designari, ut docet D. Thomas *in* 4. *sentent, quæst.* 2. *art.* 2. *quæstione* 3. *ad* 1. ubi ait : *Ipsa forma pronomine demonstrativo utens ostendit, quod materia consecranda debet esse coram sacerdote, unde Sacerdos existens in domo sua non posset consecrare panem, qui est in altari*, & in Ecclesia ob defectum præsentiæ physicæ, & moralis, hinc nec potest consecrare panem & vinum, si sint à tergo : & trans parietem in alio cubiculo, quia res ita positæ non censentur homini præsentes secundum commune & morale judicium, valida autem esset consecratio panis in pixide clausa, ut etiam vini in calice cooperto, si essent in altari coram Sacerdote, cujus intentio dirigeretur ad particulas contentas in pixide, & ad vinum contentum in calice cooperto, quia hæc censentur præsentia Sacerdoti.

Cæterum tenetur Sacerdos ex præcepto Ecclesiæ expresso in rubricis missalis Romani pixidem, in qua sunt hostiæ, & calicem, in quo est vinum, discooperire, antequam proferat verba consecrationis. Non tamen, ut materia censeatur moraliter præsens, est necesse, ut actu sensu externo percipiatur, neque ut sonus vocis ad eam pertingat, sed sufficit, si sensibili modo præsens sit, & sacerdos cognoscat eam sibi præsentem, & intendat eam consecrare, hinc sacerdos cæcus, licèt non videret hostias, quas tamen vel tangeret, vel testimonio fide digno sciret coram se positas esse, consecratet, dummodo dirigeret intentionem consecrandi ad tales hostias.

Cæterum materia consecrationis debet esse pecticularis ac determinata intentione Ministri, quia actiones circa determinatum aliquod subjectum non circa vagum quid, & confusum exercentur: idque in præsenti materia postulat vis pronominis demonstrativi *hoc*, & *hic*, quapropter si quis Sacerdos dimidiam tantum hostiæ partem vellet consecrare, nec eam ullo modo designaret, aut, si habens coram se centum hostias, & tantum intenderet consecrare nonaginta numero, non determinans, quas intenderet, in his casibus non consecraret; secus si nesciat numerum, & intendat omnes consecrare, utique omnes, quotquot sunt præsentes, consecraret, ut etiam si putaret esse tantùm 50. hostias consecrandas, & revera essent 70. dummodo intenderet omnes, quotquot habet præsentes, consecrare, utique omnes consecraret, quapropter quilibet Sacerdos talem semper debet intentionem habere, ut velit consecrare omnes, quas ante se præsentes habet ad consecrandum, ut habetur in rubricis missalis *tit. de defectibus in celebratione missarum occurrentibus*.

Græci Sacerdotes in patria sua, & in regionibus Græcorum, ut etiam Monachi Græci in suis monasteriis, & Ecclesiis, in quibus ritus græcorum servantur in pane fermentato debent consecrare, Latini verò in suis regionibus, & Ecclesiis, quas habent in Græcia, debent in consecratione uti pane azymo, & servare ritum suæ Ecclesiæ, ut declaravit Leo IX. & etiam Concilium Florentinum, ubi habetur: *Scit enim Ecclesia, quia nihil obsunt saluti credentium diversa, pro loco, & tempore, consuetudines quando una fides per dilectionem operans bona, quæ potest, uni DEO commendat omnes.* Quòd si Græci in azymo, & Latini in fermentato consecrent, graviter peccant, & pœnis canonici sunt plectendi: nec ulla ipsos dispensare potest necessitas, etiam si necessitas urgeret consecrandi Viaticum pro infirmis, vel pro celebranda missa die solemnissimo, quia non licet Sacerdoti discedere à consuetudine suæ Ecclesiæ Latinæ, vel Græcæ, unde Honorius III. *cap. litteras extra de celebratione missarum*, cum ex confessione cujusdam Presbyteri ecclesiæ Sancta Brigitta Prixiensis cognovisset, eum, cum calicem, & hostiam non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo missarum solemnia celebrâsse, in eundem hanc tulit sententiam: *Cum igitur vel ex nimia despientia peccasse probetur, mandamus, quatenus officio, & beneficio perpetuo*

Digitized by Google

perpetuò ipsum prives, & D. Thomas *quæst.* 74. 3. *part. art.* 4. ait: *Sicut peccat Presbyter in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato, ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum, celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum.*

Occurrunt etiam aliqua circa materiam observatu digna. Primò, si Sacerdos ante consecrationem advertat hostiam esse corruptam, aut non esse compactam ex pane triticeo, ipsâ statim rejectâ debet aliam sumere & incipiens à canone missam prosequi. Secundò si post consecrationem; imo si post hujus Hostiæ non triticeæ, & sanguinis sumptionem debet aliam accipere triticeam, eamque consecrare, incipiens à verbis illis canonis: *Qui pridie quàm pateretur*, ne sacrificium remaneat imperfectum. Tertiò si Sacerdos ante consecrationem sanguinis & post consecrationem corporis advertat vinum, vel aquam non esse in calice, debet statim apponere, & consecrare: Quartò si post sumptionem corporis advertat in calice non esse species vini; debet illud ponere, & consecrare cum pauxillo aquæ, & canonem resumere, imò & aliam hostiam simul consecrare, ut sacrificium fiat integrum, quia si Sacerdos sola verba consecrationis proferret, non servaretur debitus ordo consecrandi; Præterea juxta communiorem sententiam, sacrificium novæ legis consistit in utraque consecratione panis, & vini, quia in utraque consistit separatio sanguinis à corpore, in qua separatione habetur ratio sacrificii: Quintò si Sacerdos post consecrationem panis, ægrotaret, vel decederet, deberet alius Sacerdos substitui, qui vinum consecraret, & perficeret sacrificium; ut etiam si post sumptionem corporis statim moreretur, deberet alius Sacerdos sumere sanguinem, ut sacrificium consummaretur, ut habetur in rubricis Missalis Romani. Sexto, si post consecrationem advertatur, quod hostia sit corrupta, vel non triticea, & si populi adsit frequentia, & timeatur scandalum, tunc facta secretò oblatione, & prolata forma consecrationis hostiæ alium deberet consecrare, ac sumere, ut etiam si advertat post sumptionem corporis non adesse in calice vinum; deberet illud apponere, & factâ secretò oblatione, & prolata tantùm forma consecrationis sanguinis ab illis verbis *simili modo* Sacerdos statim sumet sanguinem. Septimò si musca vel araneus deprehendatur in calice ante consecrationem, vel etiam quid aliud venenorum; tunc effuso vino, & abluto calice, aliud vinum, cum modico aquæ infundendum, & consecrandum; si autem post consecrationem id obtigerit, tunc musca, vel quid aliud debet diligenter erui, lavari, & comburi, & ablutio una cum cinere mitti in sacrarium: sin verò contingeret, fuisse venenum immissum, tunc non debet Sacerdos vinum illud consecratum sumere, neque alteri extradere ad bibendum, ne calix vitæ fiat, ferertrum mortis; sed debet in aliquo decente vase reponi, ac servari, ubi reliquiæ sanctorum asservantur; & ne sacrificium sit imperfectum, abluendus, & diligenter abstergendus est calix, & aliud vinum cum modica aqua iterum consecranda, ut perficiatur, compleaturque sacrificium: ita docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 3. Quod dicitur de calice, in quem venenum sit immissum; hoc idem etiam dicendum de calice fulmine icto, quia quæ fulmine tanguntur, veneno censentur infecta. Refert Gavantus *in Rubricis part.* 3. *tit.* 10. hunc casum contigisse anno 1601. & ita à Theologis fuisse responsum.

CAPUT XII.

Quænam sit forma Eucharistiæ, & quibus verbis constet utraque consecratio.

Nulli dubium esse debet, requiri necessariò ex Christi institutione aliqua verba, ut conficiatur Sacramentum Eucharistiæ, id enim certum est ex firmissima definitione ecclesiæ, fundata in certa traditione Apostolica, & sacris scripturis, quæ cum fuerint dictatæ à Spiritu S., non sunt falsitati obnoxiæ. Difficultas est, an omnia verba, quibus de facto utuntur Sacerdotes ad hoc Sacramentum conficiendum sint necessaria. Certum est, verba quæ subsequuntur formam consecrationis corporis, & sanguinis Christi, non esse necessaria ad validitatem Sacramenti, quia statim ac proferuntur verba formæ, conficitur hoc Sacramentum, adeo ut verba consequentia illud præsupponant factum, quia post prolationem formæ statim proponitur adorandum à fidelibus. Rursus neque ullum verbum antecedens formam corporis Christi, & sanguinis, est necessarium ad veritatem Sacramenti, quia ex Concilio Florentino in decreto unionis Armenorum verba, quibus hoc Sacramentum conficitur, sunt Salvatoris, in cujus persona Sacerdos loquens, hoc conficit Sacramentum: sed verba, quæ antecedunt formam consecrationis, non sunt verba Salvatoris, illis exceptis: *Accipite, & manducate ex hoc omnes. Bibite ex eo omnes*, quæ Sacerdos tantùm recitative narrat; neque pertinent ad formam. Hinc

Asserendum est primò, & validitatem consecrationis neque antea, neque post solemnia verba Christi, requiri essentialiter quid aliud; sed statim prolatis verbis formæ poni corpus Christi sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini. Et contra Græcos recentiores, qui negantes sufficere verba consecrationis ad ponendum sub speciebus Eucharisticis corpus, ac sanguinem Christi, volunt esse necessarias aliquas preces, quem errorem fusè confutat Cardinalis Perronius *in Basilio cap.* 2. & Cardinalis Bessarion Græcus *in opusculo de hac re.* Ratio est, quia Christus non consecravit per ullas preces; sed per verba illa, quæ id efficiunt, quod significant: ergo cum nos consecremus per verba illa, quibus Christus consecravit, sequitur, quòd consecremus per verba, quæ id efficiunt, quod significant: unde D. Augustinus *serm.* 28. *de verbis Domini* ante: *Ante Christi verba panis dicitur: ubi verba deprompta fuerint, jam non panis sed corpus appellatur*: sed hæc verba non sunt ullæ preces antecedentes, sed tantù' illa, *hoc est corpus meum*, quia hæc verba efficiunt, quod significant. Præterea, quia verba consecrationis significant notam transsubstantiationem, ergo etiam illam efficiunt: alioquin male ecclesia prolatis verbis consecrationis statim exponeret hostiam adorandam à populo, & perperam Sacerdos eam elevaret, ac ostenderet populo; & perperam populus in utraque ecclesia Latina, & Græca statim post prolata verba consecrationis elevatam à Sacerdote hostiam adoraret. Quin imò apud Æthiopes populus repetit per *amen*,

amen, & subjungit alta voce, *credimus*, *& confitemur*, *& laudamus Domine Deus noster*, *hoc verum corpus tuum*: ergo ut valida sit consecratio, neque antea, nec post solemnia Christi verba requiritur essentialiter quidquam aliud: sed statim completa forma consecrationis ponitur corpus Christi sub speciebus Eucharisticis.

Asserendum secundò, in prima consecratione præter hæc verba: *Hoc est corpus meum* nihil aliud requiri ad valorem ejusdem consecrationis. est contra Scotum, & alios censentes requiri hæc alia verba: *Quipridie quàm pateretur*: Est etiam contra Græcos, putantes esse essentialia hæc alia verba: *Quod pro vobis tradetur*. Ratio est, quia per sola Christi verba: *Hoc est corpus meum*, conficitur totum hoc Sacramentum, ut definiunt Concilia, docent Sancti Patres, approbat Ecclesia, & communiter asserunt Doctores; sed hæc verba, *priusquam pateretur*, non sunt verba prolata à Christo, sed ab Evangelistis modo narrativo, & historicè: proinde sine illis conficitur hoc Sacramentum Eucharistiæ. Præterea si prærecensita verba requirerentur essentialiter, utique pertinerent ad formam Sacramenti, quod nullus hactenus concessit. Rursus neque hæc alia verba: *Quod pro vobis tradetur*, sunt essentialia; quia verba præcedentia significant adæquatè totam conversionem, & ab Evangelistis sola ponuntur, & est certum ab ipsis non fuisse omissum quidquam essentiale. Præterea formam consecrationis panis esse tantùm verba hæc, *hoc est corpus meum*; & formam consecrationis vini esse ista: *Hic est calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, & præter hæc verba non esse necessarias alias preces, ut putant recentiores Græci, ostenditur ex Evangelistis *Matth. cap. 16. Marc. 14. Luc. 22.* & ex Apostolo *ad 1. Corinth. cap. 11.* Etenim à Sancto Matthæo dicitur: *Cœnantibus autem eis accepit JEsus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite. Hoc est corpus meum; & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* S. Marcus: *Accepit JEsus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, sumite. Hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens, dedit eis: & biberunt ex illo omnes; & ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* S. Lucas: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, deditque eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* D. Paulus scribit *1. ad Corinth. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem; similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.*

Sancti Patres hanc eandem docuerunt veritatem, etenim Justinus Martyr *Apologia 2.* ait: *Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt, præcepisse JESUM, cum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse. Hoc facite in mei recordationem. Hoc est corpus meum, & poculo similiter accepto, & gratiis actis, dixisse: Hic est sanguis meus; ac solis ipsis ea tradidisse. Verbum porro DEI ab ipso Christo profectum, sunt ipsa verba, quibus usus est Dominus, ac Salvator noster, cùm Eucharistiam instituit, hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Non preces, quæ illa in Græcorum liturgiis sequuntur. Sanctus Irenæus *lib. 5. cap. 2.* ait: *Quando ergo mixtus calix, & fractus panis, percipit verbum DEI, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi.* Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 11.* ait: *professus itaque, se concupiscentia concupisse edere pascha, ut suum, indignum enim, ut quid alienum concupisceret Deus, acceptum panem, & distributum discipulis, corpus illum suum effecit, hoc est corpus meum dicendo.* Sanctus Gregorius Nissenus *orat. Catechet.* ait: *panis statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est à verbo, hoc est corpus meum.* Sanctus Joannes Chrysostomus *Homil. 2. in epist. 2. ad Timot. Quemadmodum verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronuntiant; ita & oblatio eadem est.* Et *Homil. de proditione Judæ* ait: *Hoc est corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur, & sicut illa vox, quæ dixit, Crescite, & multiplicamini, semel quidem edita est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem.* Sanctus Ambrosius *lib. 4. de Sacrament. cap. 4.* ait: *Oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: ubi autem venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi*: ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum, non preces, quæ præcedunt, verba autem Christi, quibus instituit hoc Sacramentum ex Evangelistis, & Apostolo Paulo sunt hæc: *Hoc est corpus meum*, & D. Hieronymus *epist. ad Evagrium* loquens de sacerdotibus ait: *Ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur, similesque locutiones apud alios quosdam Patres reperiuntur, sed precum nomine mystica etiam verba, quibus mysteriorum perficitur celebratio, apud veteres significari, nemo negaverit, qui libros ipsorum non perfunctorie legerit.*

Rursus præfata verba: *Hoc est enim corpus meum*, esse formam essentialem primæ consecrationis, edisserit D. Thomas *3. part. quæst. 78. art. 1. & seq.* ubi id probat ex discrimine institutionis Eucharistiæ ab aliis Sacramentis, siquidem usu ipso materiæ consecratæ perficiuntur, sed Eucharistia per ipsam consecrationem materiæ, quia verba consecrationis admirabilem conversionem substantiæ panis in corpus Christi operantur, hinc formæ aliorum Sacramentorum tantùm significant usum materiæ, ut ablutionem in baptismo, Chrismationem in confirmatione, Unctionem in extrema unctione. Forma verò Eucharistiæ solam consecrationem materiæ significat, & vim habet transsubstantiationis operatricem ut cum dicitur, *hoc est corpus meum*: *hic est calix sanguinis mei.* Præterea quia formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona Ministri exercentis actum, quapropter ait Minister: *Ego te baptizo*, *Ego te confirmo*, sive per modum imperantis, *ut, accipite potestatem*, sive deprecantis, ut cum dicitur in Sacramento extremæ unctionis: *Per istam sanctam unctionem* DEUS deleat peccata tua, quæ per quinque

sensus

Digitized by Google

sensus exteriores commisisti, sed forma Eucharistiæ profertur quasi ex persona Christi loquentis, ut significetur Ministrum consecrantem hoc Sacramentum nihil agere, nisi quod profert verba Christi. Alia ratio petitur in Catechismo *part. 2. de Juramento Eucharistia* §. 19. quia forma ea est, qua illud significatur, quod in hoc Sacramento efficitur; sed verba, quæ hoc Sacramentum significant, ac declarant panis conversionem in verum Domini Nostri corpus, sunt prædicta, ergo forma in illis ipsis verbis constituenda est: in quam sententiam, quod ab Evangelista dictum est, *benedixit*, licet accipere: perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset, accipiens panem benedixit dicens: *Hoc est corpus meum.* Eadem ratio demonstrat verba, quæ ad vini consecrationem adhibemus, esse veram & convenientem ipsius Sacramenti formam.

Sed dices in favorem Scoti: Propositio causalis, si sola sit, & non habet quidquam præcedens à quo dependeat, est falsa, sed hæc propositio: *Hoc est enim corpus meum*, est causalis; ergo erit falsa, si nihil aliud præmittatur, à qua dependeat, ergo præter præfata verba sunt etiam essentialiter necessaria alia præcedentia, seu hæc, qui *pridie quàm pateretur &c.* Sed contra, quia sive hæc propositio, *hoc est enim corpus meum*, propriè sit causalis, sive non, continet in se duas propositiones, quarum prima est. *Hoc est corpus meum*, & secundum hanc habetur ratio præcedentis dicti: est enim commune omnibus propositionibus exponibilibus, non enim est absurdum primam ex illis esse veram, à qua totus dependet effectus consecrationis: altera existente falsa: si enim nihilominus præmitteretur, tunc secunda propositio esset falsa, & prima vera, proinde perficeretur consecratio, quæ non dependet ab hac propositione, ut vera in ratione causalis, sed tantùm ut significat: *Hoc est corpus Christi.* Hinc particula *enim* non pertinet ad essentiam formæ, ut docet Catechismus Romanus de Eucharistia, neque illà additur ab omnibus Evangelistis, ut ex præcedentibus constat, neque significat aliquid intrinsecum, & essentiale Sacramento, sed solam conjunctionem verborum subsequentium, cum præcedentibus quæ connexio non est necessaria ad validitatem Sacramenti, verum tamen est, quòd si particula *enim* omitteretur scienter, non excusaretur Sacerdos à gravi peccato, eò quia non se conformaret in re gravi communi Ecclesiæ, Suarez tamen censet, Sacerdotem peccaturum tantùm venialiter, eò quia non omittat quidquam essentiale.

Dices secundò, ut verba consecrationis sint efficacia, necesse est, quod Sacerdos illa proferens loquatur in persona Christi, & per illa verba non designat suum corpus, sed corpus Christi: Sed si nihil aliud diceret, quàm *hoc est corpus meum*, designaret suum corpus, nec corpus Christi, ergo illa sola non sunt sufficientia ad consecrationem, sed requiruntur præcedentia verba: *qui pridiè quam pateretur*, &c. Sed contra, quia tametsi verum sit verba consecrationis debere proferri in persona Christi, ac determinari ad ejus corpus, id autem potest sufficienter fieri per solam intentionem proferentis, cujus personam sustinet, eo ipso quod vult consecrare: perinde ac eam sustinet in Sacramento pœnitentiæ, cum dicit, *ego te absolvo*, consequenter non sunt necessaria essentialiter alia præcedentia verba.

Sed instabis, in forma absolutionis, *ego te absolvo*, potest omitti illud pronomen *ego*, quod tamen est magis essentiale quàm particula *enim*, ergo hæc particula potest absque peccato omitti. Sed contra, quia est alia ratio de forma absolutionis, etenim circa ipsam non adest tam stricta præscriptio Ecclesiæ: secus particula *enim* licet non sit essentialis, eò quia Evangelistæ, & D. Paulus recensentes verba consecrationis eam non ponant, nihilominus ponitur ex præcepto Ecclesiæ, ut liquet ex præscriptione liturgiarum, consequenter, si omittatur, fit contra præceptum Ecclesiæ in re gravi pertinente ad formam consecrationis. Quod si dicas, particulam *enim* omitti in aliquibus liturgiis Græcorum, consequenter non esse ex præcepto Ecclesiæ. Contra est, quia exinde tantùm sequitur, non esse ex præcepto Ecclesiæ apud Græcos, bene tamen apud Latinos.

Asserendum tertiò in secunda consecratione illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, esse essentialia; ratio est, quia omnia illa verba sunt essentialia, quæ sunt necessaria ad significandum sanguinem Christi sub speciebus: sed præfata verba sunt omnino necessaria, ut significetur sanguis Christi sub speciebus: consequenter sunt essentialia. Sed difficultas est, an præter prærecensita verba sint etiam essentialia hæc alia, *qui pro multis effundetur.* Scotus in 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. Durandus *ibid.* Major, Marsilius, Vasquez. Suarez. Hortadus & alii affirmant, negant tamen Thomistæ cum D. Thoma *hic quæst.* 78. & *super primam epistolam ad Corinth.* 11. Sed asserendum est, omnia illa sola verba esse essentialia, quæ una cum vini conversione significant etiam sanguinis pro nobis effusionem, adeo ut hæc omnia & sola verba, sint de essentia formæ calicis: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur*, reliqua verò esse tantùm accidentaliter, quibus adhuc non prolatis fieret consecratio sanguinis. Ratio ex eo petitur, quia hæc sola & omnia verba referuntur ab Evangelistis *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22 & etiam reperiuntur in omnibus liturgiis approbatis, in illa enim S. Jacobi legitur: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum.* In illa S. Marci: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & multis effundetur, & distribuitur in remissionem peccatorum.* In illa S. Basilii: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & multis effundetur in remissionem peccatorum.* In illa S. Chrysostomi: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & plurimis effundetur in remissionem peccatorum.* Cum igitur in omnibus liturgiis hæc eadem verba repetantur, sequitur esse de essentia formæ calicis, adeo ut quamvis hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei*, sufficienter significent conversionem vini in sanguinem Christi, adhuc sunt essentialia alia verba, quæ significant effusionem sanguinis.

Ratio autem est, quia ea omnia, & sola verba sunt de essentia formæ calicis, quæ adæquatè exprimunt naturam Eucharistiæ: sed, Eucharistia non solum constat ex ratione Sacramenti, verum etiam sacrificii, cujus natura non potest significari nisi per effusionem sanguinis: perinde ac natura Sacramenti nonnisi per sanguinis præsentiam sub speciebus sensibilibus vini significatur: ergo omnia & sola illa prærecensita verba sunt de essentia, & forma calicis, quia significant præsentiam sanguinis sub speciebus sensibilibus vini, & sanguinis effusionem. Major ostenditur, quia ex eo, quod baptismus institutus sit in professionem fidei, non solum sunt de essentia formæ ipsius verba, quæ effectum Sacramenti proprium significant, sed etiam quæ exprimunt Trinitatem divinarum personarum, eò quia sit præcipuum mysterium Christianæ fidei. Rursus eatenus Sacramentis novæ legis addita sunt verba, ut explicitè significent, quod dicit implicitè ipsa natura Sacramenti,

menti, quapropter ad Sacramenta novæ legis non sufficiunt res, sed sunt etiam necessaria verba Minor, seu Eucharistiam non solum constare ex ratione Sacramenti, sed etiam Sacrificii, liquet ex verbis Christi dicentis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis, ut docet Concilium Tridentinum *sess. 22. can. 2.* ordinavit Christus, ut ab Apostolis, & eorum Successoribus ipsius corpus, & sanguis offeratur in sacrificium: quapropter Tridentinum *loc. cit. cap. 1.* definit, in missa non solum dari nobis Christum ad manducandum, verùm etiam in eo offerri DEO verum & proprium sacrificium. Præterea quia ratio Sacrificii est præstantior ratione Sacramenti, quia sacrificium immediatè respicit DEUM, in cujus excellentiæ, & dominii recognitionem offertur: Sacramentum verò respicit immediatè Sanctitatem nostram: ergo principalius à Christo fuit intentum Sacrificium, quam Sacramentum. Præterea quia, ut ait Divus Paulus *ad Hebra. 9.* Sacrificium consummatur, & completur in sanguinis effusione, eò quia per victimam, quam in sacrificio offerimus DEO, protestamur, illum esse Authorem vitæ & mortis, & nonnisi per Sanguinis effusionem possumus id protestari; quia quamdiu animal non immolatur per sanguinis effusionem, non repræsentat dominium, quod DEUS habet in vitam & mortem: ergo cum ex institutione Christi sit de essentia hujus mysterii, non solum ratio Sacramenti, sed etiam sacrificii, sequitur, non posse unam rationem perfici sine alia: ergo omnia & solùm illa verba sunt de essentia formæ calicis, quæ solùm cum vini conversione significant effusionem sanguinis pro nobis, cujusmodi sunt hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*, quia per priora verba: *Hic est calix sanguinis mei*, exprimitur tantùm ratio Sacramenti, & per subsequentia, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, ratio Sacrificii: unde cum hoc Sacramentum sit etiam sacrificium, debet utraque ratio Sacramenti, & sacrificii exprimi.

Firmari etiam ex eo potest, quia illa verba sunt necessaria ad consecrationem, quæ necessaria sunt ad fundandam debitam significationem: Sed ea est debita, & necessaria significatio, quæ necessaria est, ut adæquet significatum, quod ponitur ex vi verborum: sed sub speciebus vini non ponitur utcunque sanguis Christi, sed ut ordinatus ad redemptionem, per modum sacrificii repræsentantis cruentum sacrificium crucis, proinde verba consecrationis calicis debent ponere sub speciebus vini sanguinem Christi, ut ordinatum ad redemptionem, per modum sacrificii repræsentantis cruentum sacrificium: Sed ad hoc repræsentandum sunt necessaria hæc omnia verba: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*, quia per posteriora verba significatur sanguis Christi ordinatus ad redemptionem per modum sacrificii repræsentantis cruentum sacrificium crucis; ergo omnia & sola præfata verba sunt de essentia formæ calicis.

Si dicas, etiam corpus nnn poni utcunque sub speciebus panis, sed ut oblatum pro redemptione humani generis, & tamen in forma consecrationis non est necesse, ut hoc exprimatur, ergo quamvis Sanguis Christi non ponatur utcunque sub speciebus vini, sed ut ordinatur ad redemptionem, per modum sacrificii repræsentantis cruentum sacrificium: non tamen est necesse, ut hoc idem exprimatur in forma calicis. Sed contra negatur paritas, ratio discriminis est, quia corpus Christi non ordinatur ad redemptionem, nisi mediante morte, consequenter mediante effusione sanguinis, proinde sufficit, si hæc determinatio significetur in repræsentatione separationis sanguinis à corpore, quia ex hac separatione sequitur mors: hinc rectè ex traditione Ecclesiæ juxta Christi institutionem, hæc determinatio ponitur tantùm in consecratione calicis, & non in illa panis.

Quòd si dicas, prius perfici Sacramentum per conversionem vini in sanguinem, quàm denotetur Sacrificium, quia hoc præsupponit confectum Sacramentum, & postea significatur per verba exprimentia effusionem sanguinis, quia nisi priùs supponeretur sanguis, non posset exprimi ejus effusio, ergo quamvis posteriora verba, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, sint necessaria ad exprimendum sacrificium, non ita ad conficiendum Sacramentum, consequenter non sunt essentialia formæ Sacramenti. Contra est, quia hoc Sacramentum est simul sacrificium, siquidem consecratio sanguinis ex modo, quo fit per separationem Sacramentalem, & incruentam à corpore, est verè & realiter ex institutione Christi perfectum, & completum sacrificium altaris, perinde ac per realem & cruentam separationem sanguinis à corpore, fuit consummatum sacrificium crucis, quod repræsentatur in sacrificio missæ, ergo antequam proferantur verba exprimentia perfectum sacrificium, non conficitur Sacramentum per modum Sacramenti, & sacrificii simul: non enim ratio sacrificii in consecratione calicis potest separari à ratione Sacramenti, quia non minus Eucharistia causatur à verbis formæ in ratione sacrificii, quàm in ratione Sacramenti, quia ad utrumque significandum sunt adjuncta verba: sed in ratione Sacramenti non causatur, donec proferatur tota forma, à qua exprimitur in ratione Sacramenti: & in hâc ratione causatur à forma, quatenus ab illa significatur, unde neque causatur in ratione sacrificii, donec proferatur tota forma, à qua exprimitur in ratione sacrificii, ergo, cùm consecratio sanguinis, ut sacramentaliter separati à corpore, verè ex Christi institutione sit perfectum Sacramentum, non perficitur, nec ponitur, donec proferatur tota forma illud significans. Ratio est, quia quando effectus Sacramenti aliquid includit, quod significatur à forma Sacramenti, non ponitur in re, donec proferatur tota forma, à qua talis effectus significatur, sed formæ Sacramentorum efficiunt, quod significant, ergo earum effectus nunquam ponuntur in re, nisi ponatur ipsorum significatio, potest etiam hoc idem explicari per baptismum, cujus forma, cùm significet tam gratiam regenerativam, quam causat, & fidei protestationem, ad quam protestandam confert etiam specialem gratiam, non solum concurrit ad causandum suum effectum per verba exprimentia gratiam generativam: sed etiam per alia verba significantia fidei protestationem: nec ante confert gratiam generativam, quam proferantur omnia verba exprimentia fidei protestationem: ergo à fortiori non perficitur consecratio calicis per modum Sacramenti, & sacrificii, priusquam proferantur verba exprimentis rationem sacrificii, seu effusionem sanguinis, in qua propriè consistit ratio sacrificii: quia magis intrinsece, & per se consecratio sanguinis separati sacramentaliter à corpore, includit naturam perfecti sacrificii, quam in baptismo gratia regenerativa fidei protestationem.

Solet

Solet tamen in oppoſitum objici: quia Chriſtus in ſecunda conſecratione dixit: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſeu dixit eſſe ſuum ſanguinem, quod in calice continebatur ſub ſpeciebus vini, ergo contentum ſub iiſdem ſpeciebus in calice debet verè, & realiter eſſe ſanguis Chriſti, alioquin vera non eſſent Chriſti verba: ergo ſanguis Chriſti eſt ſub ſpeciebus vini ex vi tantum illorum verborum, ſed tunc habetur verum Sacramentum in calice, quando ſub ſpeciebus vini continetur ſanguis Chriſti, ergo ad formam Calicis præter hæc verba, *hic eſt calix ſanguinis mei*, non ſunt alia neceſſaria, primum antecedens definitum fuit in Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. & Sancti Patres communiter hoc idem aſſerunt, nominatimque Sanctus Cyprianus *de cœna Domini*, Ambroſius *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 5. Damaſcenus *lib.* 4. *fidei cap.* 14. & alii aſſignantes pro forma calicis tantùm hæc verba: *Hic eſt ſanguis meus*: ergo alia non ſunt de eſſentia formæ. Sed contra diſtinguitur antecedens per illa verba: *Hic eſt ſanguis meus*, prolata à Chriſto ponitur ſub ſpeciebus vini ſanguis Chriſti ſub præciſa ratione Sacramenti tantùm concedo; ſub ratione Sacramenti, & ſacrificii ſimul, nego, quia verò Chriſtus inſtituit conſecrationem calicis per modum Sacramenti, & ſacrificii ſimul, adeo ut in re, una ratio non ſeparetur ab alia, ideo ſubjunxit, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, ut exprimeret rationem ſacrificii, quod conſiſtit in effuſione ſanguinis: ergo ut perficiatur conſecratio ſanguinis per modum Sacramenti, & ſacrificii ſimul, non ſolum prima verba, ſed etiam poſteriora ſunt de eſſentia formæ, neque Tridentinum definivit oppoſitum, quia *loc. cit.* tantum infert præſentiam ſanguinis Chriſti ex veritate verborum, conſequenter non poſuit verba Chriſti neceſſaria, ſed tantùm ſubſtantialem ſignificationem. Quod verò ad Sanctos Patres attinet, reſpondetur Sanctos Patres non intendere præſcribere formam conſecrandi, ſed tantùm oſtendere verba habere vim convertendi vinum in ſanguinem Chriſti, qua ratione tantum ponunt verba, quæ ſervant ſubſtantiam ſignificationis.

Quòd ſi inſtes, hæc verba ſufficienter ſignificare converſionem vini in ſanguinem, proinde illa ſola eſſe eſſentialia, quia ea tantum ſunt eſſentialia, quæ ſignificant hanc converſionem; reſpondetur cum diſtinctione: illa verba ſignificant converſionem vini in ſanguinem ſimpliciter conceditur: ſignificant converſionem cùm illa determinatione, quam habet ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus, negatur, quia habent etiam rationem ſacrificii, & ideo præter prærecenſita verba ſunt etiam neceſſaria alia, quæ exprimant hanc ſpecialem determinationem, ſeu rationem ſacrificii. Rurſus poſſet etiam reſponderi, illa verba à Sanctis Patribus dici ſufficientia ad Euchariſtiam, non improbando oppoſitam ſententiam, quæ ob expenſas rationes mihi videtur probabilior.

Quòd ſi dicas, hanc rationem ſacrificii non eſſe neceſſe, ut exprimatur in forma corporis, & de facto non exprimitur, conſequenter non eſſe neceſſe, ut exprimatur in forma ſanguinis: quia ad ſacrificium incruentum miſſæ non minus concurrit corpus, quam ſanguis: ſicut ad ſacrificium cruentum crucis, cujus ſacrificium miſſæ eſt realiter expreſſivum. Contra eſt, negatur conſequentia, & ratio diſcriminis eſt aſſignatu facilis, quia corpus ad ſacrificium tantum concurrit inchoativè, ſanguis verò completivè; quia, ut ait Apoſtolus, *ſacrificium conſummatur in effuſione ſanguinis*; & hæc eſt ratio, cur expreſſio ſacrificii debeat potiùs fieri in ſanguine, quàm in corpore, quia corpus tantùm inchoat ſacrificium, quod effuſio ſanguinis complet.

Si inſtes, rationem ſacrificii in hoc Sacramento melius exprimi per ipſam ſeparationem Sacramentalem ſanguinis à corpore, eò quia hæc ſit major, & expreſſior, quàm exprimatur per verba: ſed hæc ſeparatio ſanguinis à corpore habetur præcisè per hoc, quòd ſanguis Chriſti ponatur ſub ſpeciebus vini; ſub quibus ponitur ex vi tantum horum verborum, *Hic eſt calix ſanguinis mei*: ergo hæc ſola ſufficiunt ad perficiendam conſecrationem calicis ſub utraque ratione Sacramenti & ſacrificii. Contra eſt, negatur aſſumptum, quia in reliquis Sacramentis non ſufficit, ſi effectus Sacramenti exprimatur ſolis verbis, ſed neceſſe eſt, ut exprimatur etiam verbis ſignificantibus hoc idem, quod res præſentat, unde neque in hoc Sacramento Euchariſtiæ ad exprimendum ſacrificium ſufficit ſola expreſſio rei, ſed ulterius requiritur eſſentialiter ſignificatio verborum, quia non minus ſignificatio ſacrificii, quàm Sacramenti, in nova lege eſt ad inſtruendum Chriſti fideles.

Objicies ulterius ex Concilio Florentino in decreto fidei ea verba tantum ſunt de eſſentia formæ calicis, quæ ſunt verba Salvatoris, & quibus Sacerdos loquens in perſona Chriſti conficit hoc Sacramentum; ſed verba illa *qui pro vobis & pro multis effundetur*, non profert Sacerdos in perſona Chriſti enunciativè, ſed tantum recitativè, quia ſanguis Chriſti non eſt amplius effundendus, & Sacerdos ea verba profert tantum in perſona Chriſti, quæ enunciativè profert, ergo formia calicis ſunt tantùm hæc verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*. Sed contra negatur minor, quia non ſolum illa verba, ſed etiam ſubſequentia profert Sacerdos in perſona Chriſti; dicitur enim effundetur, non autem effuſus eſt, quia debet ſignificari ſanguis, quatenus à Chriſto fuit ordinatus ad ſalutem humani generis. Præterea quia Sacerdos conſtituendo ſe per implicitam, & generalem intentionem præſentem tempori, quo illa fuerunt à Chriſto prolata, verè & enunciativè dicit: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur*.

Sed inſtabis, quia inde ſequitur, eſſe itidem eſſentialia formæ calicis hæc alia verba, quæ immediatè ſequuntur *in remiſſionem peccatorum*: ſiquidem hæc verba exprimunt naturam ſacrificii propitiatorii. Sed contra, quia hoc ſacrificium ex ſua inſtitutione non limitatur ad ſacrificium propitiatorium, quamvis hoc ſit in illo principaliter, ſed extenditur ad omne genus ſacrificii, quod poteſt pro nobis offerri, quod ſufficienter ſignificatur per illa verba, *qui pro vobis effundetur*.

Si urgeas hoc ſacrificium ex ſua natura conſtare tantùm rebus, & non verbis, conſequenter præfata verba non eſſe neceſſaria etiam ad exprimendum Sacramentum ſub ratione ſacrificii, contra eſt, diſtinguitur conſequens hoc ſacrificium, ut ſacrificium eſt formaliter, non exigit verba, conceditur, ut eſt Sacramentum, negatur, & quia eſt ſimul Sacramentum & ſacrificium, exigit rem, & verba: eſt enim ſacrificium, quatenus formaliter offertur Deo, & eſt Sacramentum, quatenus ſignificatur nobis. Præterea quia non ſolum nobis exprimitur hoc Sacramentum, ſeu ut ſanctificativum animarum, ſed etiam ut proteſtativum incarnati Verbi; perinde ac verba baptiſmi non ſolum ſignificant gratiam regenerativam, ſed etiam profeſſionem Chriſtianæ fidei.

Digitized by Google

fidei. Licet igitur ad hoc ſacrificium, ut eſt proteſtativum Dominii Dei, non requirantur verba, ſed ſufficiant res, quia tamen hæc ipſa proteſtatio nobis exprimitur ſub ea ratione, qua eſt Sacramentum, ideo præter res exigit etiam verba.

Quæritur primò, quomodo pronomina *hoc*, & *hic* in forma conſecrationis Euchariſtiæ ſignificent. Hæretici negantes præſentiam realem corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia cenſent per hæc pronomina *hoc* & *hic* ſignificari ſubſtantiam panis, & vini, Catholici verò in varias diſtrahuntur explicationes. Alexander cenſet, pronomen *hoc* ſupponere quidem pro ſubſtantia panis determinatè; & pronomen *hic* pro ſubſtantia vini, ſed tanquam pro ſignis corporis Chriſti extituri ſub illis accidentibus, adeo ut hæc propoſitio, *hoc eſt corpus meum* habeat hunc ſenſum: ſignificatur per hunc panem eſt corpus meum. Sed contra quia verbum *eſt* ſumi debet in ſenſu proprio, ut monet Tridentinum, dicens Chriſtum dixiſſe verè corpus ſuum eſſe id, quod ſub ſpecie panis offerebat. Aure[illegible]us *tr. 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2.* vult per illa pronomina tantùm demonſtrari accidentia panis & vini, quæ ſolum cadunt ſub ſenſum, & eadem perſeverant à principio ad finem uſque conſecrationis. Verum neque iſta explicatio ſatisfacit, quia accidentia non ſunt id, de quo prædicatur corpus Chriſti, & pronomen *hoc* demonſtrat aliquid, de quo prædicatur corpus Chriſti, conſequenter non demonſtrat tantùm accidentia panis. Rurſus quia copula *eſt* ſignificat identitatem prædicati cum ſubjecto; & cum accidentia panis non identificentur cum corpore Chriſti, copula *eſt* non ſignificaret identitatem prædicati cum ſubjecto, ſed tantùm continentiam corporis cum accidentibus, & ſenſus eſſet: *hoc continet corpus meum.* D. Bonaventura in 4. *diſt.* 8. *in* 2. *part. art.* 1. *quæſt.* 1. Vult pronomen *hoc* demonſtrare panem, non qui permanet, ſed qui convertitur in corpus Chriſti, adeo ut ſenſus ſit; *Hoc convertitur in corpus meum*, ratio, cui innititur, eſt, quia forma Euchariſtiæ ſignificat converſionem materiæ, quæ tranſit in corpus & ſanguinem Chriſti, converſio autem non ſolum importat terminum *ad quem*, ſed etiam *a quò*, ergo forma hujus Sacramenti non ſolum importat corpus, & ſanguinem, ut terminum *ad quem*, ſed etiam panem, & vinum ut terminum *à quo.* Verum nec iſta explicatio ſatisfácit, quia de pane non prædicatur corpus Chriſti, & juxta hanc explicationem verbum ſubſtantivum *eſt* non ſignificaret identitatem prædicati cum ſubjecto, ſed tantùm tranſitum ex termino *à quo* ad terminum *ad quem.* Ad rationem qua nititur D. Bonaventura, reſpondetur formam Euchariſtiæ exprimere quidem hanc converſionem, non tamen explicitè, ſed implicitè, quia ſignificat contentum ſub ſpeciebus eſſe corpus Chriſti, implicitè importat converſionem panis in corpus Chriſti.

Ad ſolvendam hanc difficultatem obſervandum eſt, pronomen *hoc* aliquando in propoſitionibus ſumi ſubſtantivè, tunc ſcilicet, quando eſt ſubjectum propoſitionis & ſignificat aliquid per ſe ſolum, quod ſaltem ratione ſit diſtinctum à prædicato, ut ſi dicatur, *hoc eſt optimum*: & aliquando ſumi adjectivè quando eſt prædicatum propoſitionis, & per ſe ſolum ſignificat non rationem diſtinctam à ſignificatione ſubjecti, ſed ſignificat illud, ut præſens, & deſignabile, ut ſi dicatur, *hoc eſt imago*, quapropter ſi pronomen *hoc* in forma conſecrationis ſumatur ſubſtantivè, ſenſus eſt; res contenta ſub accidentibus eſt corpus meum, ſin autem adjectivè, ſenſus eſt, corpus meum eſt præſens & deſignabile ſub his accidentibus. His poſitis,

Aſſerendum eſt, pronomen *hoc* in forma conſecrationis propriè ſumi ſubſtantivè, tanquam ſubjectum propoſitionis; ita tamen, ut, quando profertur, ſignificet aliquid de ſe commune & indifferens ſecundùm rationem ad panem, & corpus Chriſti, & ſignificet ſubſtantiam individuam vagè ſumptam, contentam ſub accidentibus, in fine prolationis verborum, adeo ut ſenſus ſit, hæc ſubſtantia contenta in fine prolationis ſub ſuis accidentibus eſt corpus meum: hinc pronomen *hoc* demonſtrat corpus Chriſti non in principio, ſed in fine prolationis formæ ponendum ſub ſpeciebus, ſicut in eadem propoſitione verbum *eſt* non ſignificat connexionem prædicati cum ſubjecto, quando profertur, ſed in inſtanti ultimo prolationis verborum, quando corpus Chriſti producitur ſub ſpeciebus, & ita cenſent plures Theologi. Ratio eſt, quia in hiſce practicis locutionibus, in quibus res, quæ ſignificatur, non ſupponitur, ſed tantùm fit ac ponitur, pronomina non demonſtrant rem ad ſenſum in principiis, ſed tantùm in fine locutionis: quia, cùm talis res debeat fieri ex vi locutionis ſignificativæ ejuſdem, non poteſt ad ſenſum demonſtrari ante prolationem completæ locutionis; etenim, cùm dico, hoc eſt, nihil determinatè ſignifico, ſed tantùm quid in communi, & indifferens ſecundùm rationem ad hoc vel illud compoſitum, ſiquidem poſſum dicere, hoc eſt ſaxum, lignum, corpus humanum: ergo pronomen *hoc* non ſignificat, nec demonſtrat rem ad ſenſum in principio, quando profertur ſed tantùm in fine locutionis completæ: ſic, quando cum actu, quo deſcribo circulum, dico, hic eſt circulus, propoſitio tantum demonſtrat ad ſenſum circulum non in principio, quando nondum eſt ductus, ſed in fine, quando eſt formatus: quapropter hæc pronomina in hiſce propoſitionibus practicis, in quibus res, quæ ſignificatur, non ſupponitur, ſed ponitur, manent ſuſpenſæ in ſignificando uſque ad completam prolationem propoſitionis. Tum quia hæc pronomina dicunt eſſentialem habitudinem ad prædicatum, à quo determinantur in ſua ſignificatione, conſequenter non poſſunt habere hanc determinatam ſignificationem, niſi in fine completæ locutionis, quando producitur, & ſignificatur prædicatum, & hoc pacto clarè explicatur, quomodo pronomen *hoc* demonſtret corpus Chriſti non in principio, ſed in fine prolationis formæ ponendum ſub ſpeciebus Euchariſticis.

Quæritur ſecundò, an ſi quis loco pronominis *hoc* diceret: *iſtud eſt corpus meum*, eſſet rata conſecratio, reſpondetur, conſecrationem fore quidem validam, ſed peccaturum Sacerdotem, eo quia non uteretur in re gravi verbis propriis Chriſti juxta morem, totius Eccleſiæ. Secus ſi diceret, *illud eſt corpus meum*, rata non eſſet conſecratio, & ratio diſcriminis eſt, quia *iſtud* demonſtrat rem præſentem, non autem *illud* quia poteſt ſignificare plura alia præter panem, & eſt quodammodo indifferens ad ſignificandum hoc vel illud. Quod ſi Sacerdos diceret, *hic eſt corpus meum*, ſumendo *hic* adverbialiter, non conſecraret, quia non ſignificaretur mutatio ſubſtantialis. Sin autem per ignorantiam grammaticæ aut lapſu linguæ diceret: *Hic eſt corpus*, & uſurparet illud *hic* pro pronomine *hoc*, conſecraret; ut etiam ſi diceret: *Hoc eſt calix ſanguinis mei*, rata foret conſecratio, quia tametſi eſſet incongrua locutio, juxta tamen communem loquen-

Digitized by Google

loquendi morem ſenſus eſſet idem, neque variaretur, perinde ac ſi ignarus Grammaticæ, ſed recta intentione, & fide Sacerdos diceret: *Hoc eſt corpus meus*, quia non variatur ſenſus, ſi pronomini *hoc* adderetur aliquid quod ſenſum non mutaret, quod ſi Sacerdos diceret, hic cibus eſt corpus meum, vel hoc contentum ſub ſpeciebus iſtis eſt corpus meum, graviter quidem peccaret Sacerdos, eò quia Chriſti verbis præſumeret aliqua addere, quæ Chriſtus non addidit, ſed rata eſſet conſecratio, quia ſenſus non variaretur: Secus ſi Sacerdos diceret, *ecce corpus meum*, probabilius non conſecraret, quia mutationem ſubſtantialem hæc verba non ſignificant, conſequenter nec illam operantur, vel ſaltem dubia eſſet conſecratio. Sin autem verbum *eſt* omitteretur, & Sacerdos diceret: *Hoc corpus meum, hic ſanguis meus*, ſacrilegii quidem reus eſſet, ſed conſecratio adhuc rata eſſet: quia verbum *eſt* ſubintelligitur, & eadem vis eſt propoſitionis, illo tacito, vel expreſſo, ſiquidem conſuetum eſt non ſolùm apud Latinos, verum etiam apud Hebræos, & Syros illud in enuntiatione ſubticere, adeo ut illud ſubintelligatur. Neque conſtat Chriſtum loquentem Hebraicè, vel Syriacè illud addidiſſe, nec in Græco eſt expreſſum in conſecratione calicis *Luc.* 22. Sin verò Sacerdos deſignato pane diceret: *Hoc eſt caro mea*, tunc probabilius eſt, quod Sacramentum non conficeret, quia caro, & corpus non æquivalent, quia corpus aliquid amplius ſignificat quàm caro. Si quis verò diceret; *Hoc eſt corpus Chriſti*, non conſecraret, quia Chriſtus ſuis verbis panem non conſecravit, nec inſtituit, ut conſecraretur ab Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus. Præterea quia modus loquendi eſt longe diverſus. Ex Chriſti enim perſona non proferuntur, ſicut hæc alia, *hoc eſt corpus meum*. Quod ſi Sacerdos diceret, *fiat hoc corpus meum*, rata non eſſet conſecratio, quia non uteretur verbis Chriſti, neque ſenſus eſſet idem: non enim ſignificaretur admirabilis converſio ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti facta vi verborum, nulla interpoſita mora. Potuiſſet quidem Chriſtus Dominus uti ſermone imperativo, ut admirabilem illam converſionem operaretur, dicendo, *fiat hoc corpus meum*. Sicut in mundo condendo dixit, fiat lux, & facta eſt lux, fiat firmamentum, & factum eſt, ſicut etiam Chriſtus in novo teſtamento, ut leproſum mundaret à lepra, dixit: *Volo, mundare*, & cum ſanaret Paralyticum imperavit ei, *ſurge, & ambula*: & ut revocaret ad vitam Lazarum illi itidem imperavit, ut exiret è ſepulchro; *Lazare veni foras*: Sed in inſtitutione hujus Sacramenti maluit uti modo indicativo, & ſermone enuntiativo: quia hic ſermo verbis præcedentibus magis congruebat, & ne dubitaretur prolatis myſticis verbis ſtatim ineſſe Euchariſtiæ corpus Chriſti: ſicuti minus aptè diceretur, accipite, & comedite: fiat enim *hoc corpus meum*, quia abſoluto ſermone dubitari poſſet, utrum jam factum eſſet, ſed cum dicitur, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, amputatur omnis dubitatio, & creditur eſſe ibi corpus Chriſti. Quod ſi Sacerdos poſt memento pro defunctis non recordaretur ſe verba conſecrationis panis vel calicis pronuntiâſſe in hoc caſu docet Divus Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 5. Non debere perturbari, ſed factum proſequi, & perficere, quia plura recitans, non ſemper recordatur omnium, quæ recitavit maximè, cum ita attendit, ad illa quæ recitat, ut ea ſe dicere minimè cogitet. Quod ſi Sacerdoti probabiliter conſtaret, ſe aliqua amiſiſſe, quæ non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ulterius debet procedere, & non ea repetere, quæ forte prætermiſit: Ordo enim Sacrificii ſine neceſſitate non debet immutari. Sin verò certus ſit ſe omiſiſſe formam conſecrationis, vel aliqua verba eſſentialia formæ, vel de quibus dubium eſt, an eſſentialia ſint: in iſto caſu conſecratio eſſet repetenda, & reliqua proſequenda, ne mutetur ordo Sacrificii; ut docet D. Thomas *loc. cit.*

Quæritur tertiò, an verba formæ proferantur à Sacerdote recitativè, vel enuntiativè. Reſpondetur, duplici intentione poſſe aliquam propoſitionem proferri. Primò enuntiativè, ſeu ſignificativè, & formaliter: Secundò tantùm recitativè, ſeu materialiter, & tunc verba propoſitionis proferri enuntiativè ſeu ſignificativè, & formaliter, quando per illa intendit proferens aſſerere, vel negare, quod verba vi ſignificationis aſſerunt, vel negant, ut cum aſſertivè enuntiamus, DEUM eſſe unum, & trinum. Recitativè verò, quando per illa proferens non intendit, aſſerere vel negare, quod verba aſſerunt vel negant, ſed tantùm ea referre, ut ab alio enuntiata, quo pacto Sacerdos recitat verba Chriſti, quæ immediatè præcedunt formam conſecrationis; *Accipite, manducate, bibite ex eo omnes*, quia tunc per talia verba non intendit ſignificatum ipſorum, quod eſt dare corpus, & ſanguinem Chriſti ad manducandum & bibendum Diſcipulis, unde proferre verba recitativè perinde eſt, ac intendere narrationem hiſtoricè, quod alius per illam propoſitionem affirmavit, ſive recitans verba illa intendat affirmare, vel non; & quæritur, an Sacerdos, quando intendit conſecrare, proferat verba conſecrationis tantùm recitativè, an tantùm enuntiativè: an ſimul recitativè, & enuntiativè.

Juvat animadvertere, ne hæc quæſtio confundatur cum alia, quæ habetur cum Hæreticis, an verba proferantur concionatoria, concedunt enim omnes catholici proferri conſecratoriè, ſed adhuc quæritur inter Catholicos, an Sacerdos intendens primario conſecrare, ita ut ſaltem implicitè velit verba illa proferre affirmativè: vel an ſufficiat ea velle tantùm proferre recitativè, ſeu narrativè, adeo ut ſi primariò vellet tantùm ſic proferre, & nullo modo affirmativè, an tunc conficeret Sacramentum, & reſpondetur, Sacerdotem non proferre verba formæ recitativè quaſi à Chriſto dicta, ſed ea proferre enuntiativè in perſona ipſius Chriſti, ac ſi Chriſtus ea proferret, & perſonaliter propria ſua voce illum panem, & illud vinum conſecraret.

Prima pars liquet ex Concilio Florentino in decreto unionis Armenorum, ubi habetur, quod Sacerdos, loquens in perſona Chriſti, conficiat hoc Sacramentum, ſed qui tantùm recitat verba alterius, non loquitur in perſona illius, ſed in perſona propria, ſiquidem recitatio eſt actus recitantis, non vero illius, cujus verba recitantur, propriè enim recitare eſt alterius verba narrare, & alterius geſta referre, quia autem tantùm narrat geſta alterius, non agit perſonam illius, conſequenter, qui tantùm refert verba alterius, non loquitur in perſona alterius, quia tametſi æque verba, quæ recitantur, ac geſta, quæ narrantur, ſint alterius

Digitized by Google

actus nihilominus, quo verba recitantur, vel gesta narrantur, est proprius recitantis, ac narrantis: ergo, si ex Concilio Florentino sacerdos loquens in persona Christi conficit hoc Sacramentum, non profert verba formæ recitativè, quia loqui in persona alterius est in loquendo inducere personam alterius, & illam in loquendo repræsentare: perinde ac si ille in ipso loqueretur: secus qui tantùm recitat verba alterius, non induit personam alterius, ut illam in se exprimat, & repræsentet.

Quòd si dicas, posse dupliciter aliquem loqui in persona alterius, primò ut ea repræsentet, & in ea loquatur, sicut qui in tragœdia agit Imperatorem, & repræsentat ejus personam, & in ea loquitur, ac si esset Imperator verus, qui loqueretur. Secundò, ut loquatur locutione alterius, & per eam efficiat, quidquid alter loquendo efficeret per virtutem ab altero sibi communicatam: quo pacto Minister per potestatem sibi à Principe communicatam loquitur, & efficit, quod Princeps ipse loquendo efficeret: & hoc secundo modo dicitur loqui Sacerdos in persona Christi. Sed contra, quia Sacerdos speciali titulo, ac nomine loquitur conficiendo hoc Sacramentum, quo non loquitur in aliis Sacramentis: sed Sacerdos conficit alia Sacramenta in virtute, & potestate sibi à Christo communicata, ergo in hoc Sacramento loquitur in persona Christi, ut definit Concilium Florentinum, ac si Christus ea proferret, ac personaliter propria sua voce illum panem, & illud vinum consecraret.

Secunda pars, scilicet Sacerdotem proferre verba formæ enuntiativè formaliter in persona ipsius Christi, ac si Christus ea proferret, ac personaliter propria sua voce panem illum,& illud vinum consecraret, constat: siquidem de fide est,verba formæ à Sacerdote prolata conficere hoc Sacramentum Eucharistiæ ex hoc pane,& ex hoc vino, super quæ proferuntur: ergo hæc verba id ipsum significant,quia verba Sacramentorum illud idem efficiunt, quod significant: sed si non proferuntur significativè enuntiativè, & formaliter, sed tantùm recitativè, & materialiter non significant, quod Sacerdos præ manibus habet esse corpus, & sanguinem Christi, quia, si præcisè proferantur recitativè, solùm referunt factum Christi,& solùm significant id,quod Christus habuit in manibus, esse suum corpus, & sanguinem, consequenter Sacerdos profert verba consecrationis enuntiativè, & formaliter, quinimò ita profert verba formæ enuntiativè, & formaliter, ut nullo pacto ea proferat recitativè in propria persona, quia loqui in persona alterius, & simul in persona propria, pro eodem tempore, & respectu ejusdem locutionis, sunt duo modi loquendi, saltem naturaliter inter se repugnantes, quia loqui in persona alterius excludit loqui in persona propria, siquidem loquens in persona alterius, debet induere personam illius, & exuere propriam; quia debet substituere propriam in locum alterius: ergo eo ipso quod Sacerdos profert verba formæ in persona Christi, ac si Christus ea proferret ac personaliter propria sua voce illum panem, & illud vinum consecraret; nullo pacto Sacerdos ea profert in persona propria, consequenter ita ea profert enuntiativè, & formaliter, ut nullo modo proferat recitativè.

Quòd si respondeas, id tantùm verum esse de persona reduplicativè sumpta, quia si loquatur nomine alterius, non potest ut sic simul loqui nomine proprio; non tamen naturaliter repugnare, ut eadem persona naturaliter sumpta exerceat eandem locutionem nomine propriæ personæ, eam recitativè referendo, & nomine alterius eandem assertivè enuntiando. Contra est, quia hæc duo non possunt simul saltem naturaliter convenire, ut simul pro eodem tempore, & respectu ejusdem locutionis agat quis personam propriam, & alienam,quia eo ipso quod personam propriam substituit loco alienæ, jam in eadem locutione enuntianda cessat propria, & tantum loquitur aliena per propriam repræsentata. Eo enim ipso, quòd eandem locutionem quis pro eodem tempore exercet nomine alterius, non habet, quod nomine proprio eandem prorsus locutionem efficiat: quia ita repræsentat locutionem alterius, ut non repræsentet propriam; non quod propriè simul recitet præteritam locutionem alterius; sed quia præsens locutio est simul necessariò repræsentativa præteritæ locutionis alterius. Hinc quando Sacerdos enunciat in persona Christi, *Hoc est corpus meum*, non recitat verba, quæ Christus protulit in ultima cœna,sed illa profert in persona Christi ac si nunc Christus ipse in persona Sacerdotis existens proferret eadem verba super materiam Eucharistiæ, consequenter Sacerdos proferens verba consecrationis non agit personam propriam, sed personam ipsius Christi,

C A P U T XIII.

De Transsubstantiatione seu Conversione Panis, & vini in corpus & sanguinem Christi.

HÆretici Zvvingliani, & Calvinistæ, negant verum Christi corpus, & verum ejusdem sanguinem in Eucharistia reipsa contineri,& adesse præsentiâ propiâ, & reali; asserentes adesse tantùm præsentia virtutis, & efficaciæ; sed non esse quoad propriam substantiam; sed tantum,quoad virtutem distinctam à substantia corporis, & sanguinis Christi Domini. Dogma verò fidei Catholicæ est totam substantiam panis, & vini ex vi, & efficacia verborum consecrationis transsubstantiari, seu converti in substantiam corporis, & sanguinis Christi. Juvat observare, quatuor ad veram conversionem & transsubstantiationem unius substantiæ in aliam requiri conditiones, quarum prima est, ut res, quæ dicitur converti, & est terminus *à quo* conversionis, designat esse, quia de re manente in se ipsa, non potest intelligi, quomodo sit in alteram conversa: defectu hujus conditionis D. Augustinus *lib.* 18. *de civit. DEI cap.* 18. demonstrat fuisse fabulosas,non ve-

ras,

Digitized by Google

ras, sed fictas transmutationes Apuleji in asinum Arcadiæ, Coticorum Diomedis in volucres; Ulyssis in varia bruta, & alias id genus somniatas conversiones, quas D. Augustinus vocat conversiones apparentes, & illusorias arte Dæmonis effectas.

Quòd si dicas, Uxorem Loth verè fuisse conversam in statuam salis *Genes.* 18. & nihilominus nullam ejus partem periisse, eo quia non perierit ejus anima, nec materia prima. Respondetur cum Bellarmino ad rationem conversionis sufficere, quod desinat esse id quod convertitur, & quia, quod fuit conversum in statuam salis, non fuit materia prima, neque anima rationalis, sed compositum, ut distinctum à partibus seorsim sumptis, & sine unione; ideo sufficit, si ipsum compositum desinat esse, sicut homo dicitur corrumpi, tametsi non desinat, nec corrumpatur materia prima, neque anima rationalis, quæ est ejus forma. In transubstantiatione, seu conversione; quæ fit in Eucharistia, quia non solum compositum panis, sed etiam utraque ejus pars convertitur in corpus Christi, ut etiam totum vinum quoad substantiam in sanguinem Christi, ideo omnia desinunt esse.

Secunda conditio est, ut res, in quam fit conversio, & est terminus *ad quem* conversionis, aliquo pacto fiat, ac incipiat esse. Ratio est, quia causa efficiens conversionem verè, & positivè influit efficiendo aliquid, ergo necesse est, ut terminus *ad quem* aliquo modo incipiat esse, quia non potest dari positivus influxus causæ efficientis, cui non respondeat fieri, & factum esse in re aliqua. Non enim sufficit, si hujusmodi influxus terminetur ad non esse termini *à quo*, quia si terminus *ad quem* perseveraret omnino immutatus, nulla esset ratio ante conversionem, ob quam terminus *à quo* diceretur converti in ipsam potiùs, quàm aliam rem, quia illa denominatio, quâ diceretur converti potius in hanc rem, quàm in aliam, careret omni fundamento, & temerè assereretur.

Tertia conditio est, ut habeatur connexio inter desitionem termini *à quo*, & inceptionem termini *ad quem*, adeo ut vi unius sequatur altera, quia si non haberetur hujusmodi connexio, nonnisi per accidens conjungerentur desito unius, & inceptio alterius: consequenter unum non converteretur in aliud; nec unum se haberet ut terminus *à quo*, & aliud ut terminus *ad quem*. Hinc si DEUS in loco annihilaret Angelum, & in eodem instanti alium in eodem loco crearet, non diceretur unus Angelus converti in alium, nec haberetur ulla conversio, quia annihilatio unius non sequitur ex vi creationis alterius, neque è converso, rursus hæc connexio inter desitionem termini *à quo*, & inceptionem termini *ad quem*, debet talis esse ex natura rei, adeo ut non sufficiat sola connexio extrinseca ex puro beneplacito operantis.

Quarta conditio est, ut uterque terminus *à quo* & *ad quem* sit positivus, siquidem, quod est nihil, non dicitur converti in aliud, sed tantùm de non esse traduci ad esse, non enim creatio est conversio, neque quod est aliquid, propriè dicitur converti in nihilum, sed cessare esse, quapropter annihilatio non est propriè conversio, ad quam propterea requiritur, ut fit inter duas res positivas, quarum una transeat in aliam, & una fit terminus *à quo*, & altera terminus *ad quem*.

Quòd si dicas, generationem esse conversionem formalem, & non esse inter terminos positivos, sed inter privativum, & positivum, siquidem homo non fit per se ex embryone, sed ex non homine, & ignis non fit ex ligno, sed ex non igne. Respondet D. Thomas generationem, & quamcunque aliam mutationem accidentalem non esse verè, & propriè conversionem, quia una forma non convertitur in aliam, sed tantùm una alteri succedit, & licèt hæc successio exigatur ex natura rei, non tamen est propriè conversio, quia entitas unius verè corrumpitur, & non transit in entitatem alterius.

An verò præter quatuor præexpensas conditiones requiratur etiam quinta, scilicet quòd præter terminos *à quo*, & *ad quem* detur aliquod tertium commune utrique termino, circa quod ipsi termini aliquo modo repugnent, sibique succedant in habitudine ejusdem generis, affirmant Vasquez *disput.* 184. *cap.* 2. Valentia 3. *part. disput.* 6. *quæst.* 3. *punct.* 3. & alii plures cum Suarez. Negant verò Scotus in 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. & 2. & communiter etiam Thomistæ. Sed videtur potius procedendum cum distinctione, si enim sermo sit de conversione simpliciter, & absolutè sumpta, non est necessaria hæc quinta conditio, quia Deus potest convertere totaliter unam substantiam, simul cum omnibus suis accidentibus in aliam substantiam, & accidentia propriè hujus secundæ substantiæ, quia sicut potest DEUS convertere unam substantiam in aliam, ita etiam accidentia propria primæ substantiæ, quæ convertitur, & est terminus *à quo* conversionis in accidentia propriæ secundæ substantiæ, quæ est terminus *ad quem* conversionis: in quo casu nil remaneret commune utrique termino; neque repugnat hujusmodi conversio ex parte facti, neque DEUS indiget aliquo instrumento. Sin verò sermo sit de modo speciali conversionis sacramentalis, sicut de facto habetur in Eucharistia per verba ostensiva ad sensum rei, in quam fit conversio, necessaria est hæc quinta conditio, quia illa pronomina *hoc* & *hic* non possunt verè enunciari, nisi substantia convertenda habeat accidentia intrinsecè sensibilia, quæ demonstrentur, & sub quibus succedat substantia, in quam fit conversio: hinc habitudo in ordine ad accidentia panis non est terminus formalis primarius conversionis, sed tantùm secundarius, & completivus primarii.

Asserendum est, in Eucharistia totam substantiam panis & vini ex vi utriusque consecrationis converti in corpus, & sanguinem Christi, adeo ut post consecrationem nil amplius maneat de substantia panis, & vini, sed totum substantiale converti in corpus & sanguinem Christi, estque dogma fidei, quia ita fuit definitum in pluribus Conciliis; præsertim Romano sub Gregorio V, Lateranensi sub Innocentio III, ubi dicitur, panem & vinum transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi in Concilio Constantiensi *sess.* 8. ubi damnatur error Wicleffi docentis substantiam panis, & vini manere in Sacramento altaris. In Florentino in instructione Armenorum, ubi expressis verbis ponitur hæc mutatio panis in corpus Christi, & in Tridentino *sess.* 13. *can.* 2. *Ubi habetur, si quis dixerit, in Sacramento Eucharistiæ remanere substantiam*

Digitized by Google

stantiam panis, & vini, una cum corpore, & sanguine Christi, anathema sit. tum quia P. P. unanimi consensu hoc idem docent, unde sic argumentor: De fide est, totam substantiam panis & vini converti in corpus, & sanguinem Christi, ut liquet ex præcitatis Conciliis, præsertim Tridentino sed, quod convertitur in aliud, post conversionem amplius non manet, ergo de fide est substantiam panis & vini non manere post consecrationem. Præterea hanc veritatem fusissimè jam probavi per plura capita hujus disputationis, ubi de vera & reali existentia corporis & sanguinis contra Calvinistas, item ubi contra Lutheranorum impanationem tractavi.

Ex hoc dogmate infertur, in Eucharistia post consecrationem non manere formam panis; si enim intelligatur de forma substantiali, est de fide definita in Conciliis, præsertim Tridentino *sess. 13. can. 2.* ubi dicitur, quod tota substantia panis convertatur in corpus Christi, manentibus tantum accidentibus: ergo forma substantialis panis convertitur in corpus Christi, alioquin non esset conversio totius substantiæ panis, sed tantùm partis. Quòd si vera esset sententia asserentium, formam panis non esse substantialem, sed accidentalem, adhuc dico eam non manere post consecrationem, quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* definit, totam substantiam panis converti in Christi corpus manentibus accidentibus panis, ergo forma panis post consecrationem non remanet in Eucharistia, quamvis dicatur accidentalis, quia forma panis, quamvis secundùm suam entitatem esset accidentalis, ac varia atomorum combinatio, ut censent plures, respectu tamen panis non est ejus accidens, sed constitutivum essentiale, perinde ac albedo, quamvis respectu muri, cui inhæret, sit accidens, non ita tamen respectu albi: ergo, si ex Conciliis peracta consecratione manent tantùm sola accidentia panis, sequitur non manere formam, qua panis constituitur in esse panis, & id adeo est certum, ut oppositum sit temerarium, & errori proximum, etenim temeritate non caret in re tam gravis momenti à communi omnium sententia discedere propter leve momentum, ratio itidem, cur errori sit obnoxium, est, quia hæc propositio, *forma panis perseverat post consecrationem, etiamsi forma sit accidentalis*, contradicit saltem aliquo pacto huic alteri, *panis convertitur in corpus Christi*, sed hæc propositio secunda est dogma fidei, ergo prima est errori proxima. Major ostenditur, quia manente formâ panis, tantùm potest verificari, quod substantia formæ panis convertatur, non verò quòd convertatur panis ipse: & inde sequeretur definitionem Concilii in sensu proprio non posse verificari.

Infertur secundò, peracta consecratione non manere in Eucharistia materiam primam panis & vini, idque esse dogma fidei, si materia prima dicatur esse substantia & pars essentialis compositi, quia Concilium Tridentinum *sess. 13. can. 2.* expreßè definit in hoc Sacramento fieri conversionem totius substantiæ panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi: sed si maneret materia, panis, quia hæc est altera ejus pars essentialis, non fieret conversio totius substantiæ panis, sed tantùm partis contra Concilium, ergo peracta consecratione non remanet substantia formæ, nec materiæ panis & vini, sed tota substantia convertitur in corpus, & sanguinem Christi.

Quòd si dicas cum Durando, totam substantiam panis converti quidem, eò quia non maneat panis, non tamen converti totaliter, sicut licèt maneat eadem materia prima in genito, quæ erat in corrupto, nihilominus tota substantia præcedens dicitur corrumpi, & transire in substantiam geniti. Contra est, quia in definitione Tridentini non solùm habetur, quod tota substantia panis convertatur in corpus Christi, sed etiam, ut ita tota convertatur, ut non remaneant, nisi sola accidentia ejusdem, ergo non solùm definitur, quod tota substantia panis convertatur, sed etiam quod convertatur totaliter: neque allatum exemplum est ad rem, quia prærecensita conversio, non est totalis, ut in casu nostro, sed tantùm formalis; proinde, non vocatur transsubstantiatio, sed generatio, quæ terminatur ad novam formam, tum quia vel materia panis maneret separata ab omni forma, vel informata aliqua, primum non est asserendum, quia inde sequeretur miraculum impertinens ad veritatem hujus Sacramenti, neque potest secundum asseri, quia vel maneret informata formâ corporis Christi, vel aliâ distinctâ. Primum non potest dici, quia vel maneret conjuncta, & continuata proprio corpori, & materiæ ipsius Christi per modum augmenti, ut contingit in nutritione, in qua materia alimenti adjungitur materiæ ipsius additi, cujus forma substantiali informatur, vel maneret separata, neutrum potest dici, non primum, quia inde sequerentur plura absurda, scilicet corpus Christi peracta consecratione mutari substantialiter per acquisitionem novæ materiæ, quod de corpore glorioso non potest asseri, secundò sequeretur corpus Christi absolutè crescere per hoc novum augmentum materiæ non solùm in Eucharistia, sed etiam in cœlis, quod est falsum. Tertiò, quia homo sumens Eucharistiam nutriretur corpore Christi perinde ac cibo naturali, quia uniret sibi per nutritionem materiam illam, quæ per consecrationem fuerat informata anima CHRISTI. Neque dici potest secundum, quia una, & eadem forma, non potest simul, & semel informare duas materias totales. Secundò, quia sequeretur in hostia consecrata esse duo corpora Christi, ac duas humanitates, quod est absurdum, quia anima Christi, ut informans materiam panis seorsim à propria materia constitueret cum illa aliud corpus, & aliam humanitatem distinctam. Tertiò, quia hoc miraculum esset impertinens ad veritatem Eucharistiæ, neque dici potest, quod materia prima maneat informata aliâ formâ distinctâ, quia hoc pacto non verificarentur verba consecrationis.

Infertur tertiò, transsubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi efficaciter colligi ex verbis consecrationis; siquidem hæc verba Christi. *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, non possunt verificari manente substantia panis, & vini simul cum corpore, & sanguine Christi: quia pronomina *hoc*, & *hic* demonstrant contentum sub illius accidentibus sensibilibus hostiæ, & calicis; vel igitur demonstrant panem solum, vel panem, & corpus Christi simul: sed neutro modo verificarentur verba Christi, quia neque sola substantia panis, neque aggregatum ex eo, & corpore, est corpus Christi, ergo ex veritate verborum colligitur efficaciter absentia totius substantiæ panis, & vini, & non

non solùm ex definitione Ecclesiæ. Firmari etiam potest, quia Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. ait: *Quoniam Christus Redemptor Noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, idque persuasum semper in Ecclesia Dei fuit; idque nunc denuo hæc sancta Synodus declarat per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius panis in substantiam corporis Christi Domini Nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sangvinis ejus:* quibus verbis Concilium expressè definit, non posse veritatem verborum consistere, manentibus substantiis panis & vini.

Neque ullum facessit negotium, quod respondent Lutherani cum Kemnitio *in Exam. Concil. Trident.* pronomen *hoc* esse ita intelligendum, ut, cùm Christus dixit, *hoc est corpus meum*, sensus sit, in hoc, vel sub hoc, aut simul cum hoc est corpus meum. Nam contra est, quia verba Christi debent intelligi in sensu proprio, præsertim in institutione hujus Sacramenti, ut superiùs fusè ostendimus, & nullum adest motivum ea intelligendi in sensu improprio: sed pronomen *hoc*, cùm sit substantiale, & substantivè sumatur, non designat locum, ubi est corpus Christi, neque potest per adverbium locale explicari, quasi Christus dixerit, in hoc loco, ubi est panis, est etiam corpus meum: sed propriè, & verè significat ipsam substantiam corporis sub accidentibus Eucharisticis.

Infertur quartò, absentiam substantiæ panis, & vini sequi ex natura rei, ad præsentiam corporis, & sangvinis Christi sub illis speciebus, ut docet D. Thomas 3. *part.* & *contra Gentes cap.* 60. & *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *artic.* 1. quia corpus Christi de facto fit præsens sub speciebus Eucharisticis ex vi actionis conversivæ panis in ipsum: ergo similiter panis desinit esse ex vi ejusdem actionis, consequenter ex natura rei: quia termini *à quo* & *ad quem* actiones conversivæ repugnant esse simul ex natura rei, siquidem terminus *à quo* debet converti, & transire ad terminum *ad quem*, sin autem panis maneat, non convertitur in corpus Christi; consequenter ex vi positionis corporis Christi sub speciebus panis, sequitur ex natura rei ejusdem panis desitio. Præterea hoc idem etiam à posteriori evincitur ex eo, quod corpus Christi existens sub speciebus panis includit munus, & officium ipsius substantiæ panis, quod perinde est, ac conservare effectivè ipsa panis accidentia: sed hoc pugnat ex natura rei cum existentia ipsius panis sub ejusdem accidentibus: ergo ex positione corporis Christi sub speciebus, sequitur ex natura rei desitio panis. Major liquet, quia corpus Christi de facto succedit loco substantiæ panis, cujus munus erat, conservare effectivè propria accidentia, & per hoc distinguitur præsentia, qua substantia est præsens suis propriis accidentibus, à præsentia tantùm locali, qua una res potest alteri esse præsens: sicut, si Deus poneret simul duo corpora in eodem loco, unum effectivè non conservaret accidentia alterius. Minor etiam constat, quia idem numero effectus nequit simul esse à duabus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis, ergo ex eo, quod corpus Christi conservet effectivè accidentia hostiæ consecratæ, ut causa proxima totalis, sequitur ex natura rei desitio substantiæ panis.

Quòd si quæras, an desitio substantiæ panis & vini ex vi consecrationis sit propriè, & formaliter annihilatio, respondetur cum D. Thoma negativè, quia substantiá panis & vini desinunt per veram conversionem in corpus, & sangvinem Christi, ut nos fides docet: sed conversio est actio, seu mutatio distincta ab annihilatione, ergo hæc desitio propriè, & formaliter non est annihilatio. Præterea, quia res, quæ annihilatur, non potest desinere per influxum, & actionem positivam, quia de ratione annihilationis est, ut fiat per subtractionem, seu negationem concursus conservativi. Præterea, quia omnis actio positiva exigit habere aliquod subjectum, & in annihilatione, si hæc esset actio positiva, non posset assignari hujusmodi subjectum, quia non esset res ipsa, quæ annihilatur; quia hæc non amplius existit in illo signo, in quo intelligitur esse annihilatio, tunc enim annihilatio intrinsecè existit, quando incipit suus terminus; & in illo signo, in quo habetur annihilatio, non amplius existit res annihilata, quod enim intelligitur existere pro aliquo signo, non potest pro eodem intelligi annihilatum: neque subjectum talis actionis potest esse alia res distincta ab illa, quæ annihilatur, quia res non mutatur intrinsecè in se ipsa per mutationem existentem in alia, & quia res, quæ annihilatur, mutatur intrinsecè in se ipsa, non potest annihilari per positivam actionem existentem in alio: ergo, cùm substantiæ panis, & vini desinant per actionem conversivam, quæ est actio positiva, talis desitio propriè, & formaliter non est annihilatio.

CAPUT XIV.

Reformantur & refelluntur, quæ contra transsubstantiationem panis in corpus Christi, & vini in sangvinem, objiciuntur ab Hæreticis Lutheranis.

Varii irrepserunt errores circa modum, quo Christus fiat præsens in Sacramento Eucharistiæ. Hæretici inficiantur, Christum fieri præsentem per conversionem substantiæ panis, & vini in ejus corpus & sangvinem; Catholici autem id affirmant, & Ecclesia Catholica in Concilio Tridentino sub anathemate hoc idem definivit, asserit enim Concilium, fieri in Eucharistia ex vi verborum, conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in Christi sangvinem, remanentibus tantùm accidentibus panis, & vini. Calvinistæ, negantes realem Christi præsentiam in Eucharistia, negant hanc transsubstantiationem, seu conversionem panis & vini in corpus, &

& sangvinem Christi, & rejiciunt dogma Catholicum de transsubstantiatione. Lutherani autem, quamvis concedant realem Christi præsentiam in Eucharistia saltem in ejus usu, cum quis actualiter communicat, licet non extra usum; quia tamen putant, etiam post verba consecrationis manere adhuc substantiam panis: & vini in Eucharistia, unà cum corpore & sangvine Christi, ab hac etiam abhorrent transsubstantiatione panis & vini in corpus & sangvinem Christi, & adhærent nonnullis antiquis Hæreticis, olim ab Ecclesia damnatis: siquidem Valeranus, ut refert Waldensis, paulò post Berengarium censuit, & docuit, manere in Eucharistia substantiam panis & vini, non solùm natura, sed etiam hypostasi propria distinctam à Christi corpore, & sangvine huic sententiæ visus est adhæsisse saltem partialiter Joannes Parys teste eodem Waldense, quia iste putavit, adesse quidem in Eucharistia substantiam panis, & vini, sed absque propria hypostasi; eo quia utraque substantia assumatur ibi hypostaticè à Verbo divino, seu à persona Christi mediante ipsius corpore, & sangvine, quæ tamen sententia de hypostatica hac unione panis, & vini cum corpore, & sanguine Christi in Eucharistia ab omnibus statim explosa, ac rejecta fuit, quia absque ullo fundamento temere excogitata contra scripturas, contra sensum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, & contra traditiones ab Apostolis ad nos derivatas. Neque verosimile est, toties Verbum divinum assumere substantiam panis hypostaticè, & iterum deserere, quoties Eucharistia conficitur, & absumitur, & illæ externæ species panis, & vini corrumpuntur. Præterea, quia Verbum divinum assumeret hypostaticè naturas panis, & vini, priùs terminatas propriis subsistentiis; quas propterea oporteret corrumpi; etenim panis, & vinum, antequam proferantur verba consecrationis, nulli est dubium, quin subsistant propriis subsistentiis, quapropter saltem hæ subsistentiæ deberent corrumpi, cùm repugnet, eandem naturam subsistere duplici substantia totali, ac totaliter terminante, & complente. Rursus fuit hæc sententia ab omnibus rejecta, & explosa, quia voluit assumi hypostaticè substantiam panis, & vini, mediante ipso corpore, & sangvine Christi, quod caret omni probabilitate, siquidem natura creata, & finita non habet perfectionem, nec virtutem assumendi hypostaticè aliam naturam extraneam: quod animadvertentes Lutherani rejecta hac opinione, maluerunt adhærere sententiæ Valerani, & asserere in Eucharistia substantiam panis, & vini cum propriis subsistentiis unà cum corpore, & sangvine Christi, speciali tamen quadam conjunctione, quam vocant sacramentalem; adeò ut in Eucharistia panis, & vinum quoad proprias substantias uniantur intimè, & penetrativè cum corpore, & sangvine Christi, perinde ac ignis, ut ipsi exemplificant, est in ferro candente, seu substantia ignis compenetrata substantia ferri, qua de causa Lutherani Panistæ audiunt, & Impanatores vocantur. Lutherus tamen *Lib. de abroganda missa.* priùs expressè docet, Christum, cùm dixit: *Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus,* mutâsse panem in suum corpus, & vinum in sangvinem, ac docuit, Christum fieri præsentem in Eucharistia per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sangvinem Christi, ut sentiunt Catholici: quinimò in confessione Augustana, prout primum Germanicè edita, & oblata Carolo V. Imperatori Augustæ Vindelicorum, habebantur hæc verba: *Sub speciebus panis, & vini adesse in cœna Dominica corpus, & sangvinem:* quem articulum Catholici, ut conformem veritati Catholicæ, concesserunt: & in aliquibus exemplaribus, quæ adhuc extant, ejusdem autographi Germanici præfatus articulus etiamnum legitur: sed in aliis editionibus modum illum loquendi obliterarunt, & loco *sub speciebus panis, & vini,* posuerunt: *Cum pane, & vino adesse corpus, & sangvinem Christi,* aliud enim est, adesse *sub speciebus panis,* & aliud cum pane, prima enim verba indicant, sub accidentibus tantum panis adesse corpus Christi sine substantia panis, posteriora autem verba, *cum pane,* significant corpus Christi esse in Eucharistia, simul cum ipsa substantia panis, quod adversatur fidei.

Asserendum est, Christum fieri præsentem in Eucharistia per transsubstantiationem panis, & vini in corpus, & sangvinem Christi. & id esse dogma fidei Catholicæ, & desumitur ex eo, quod Christus dixerit: *Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus,* quidquid enim substantiæ continebatur sub speciebus panis, & vini ante consecrationem, hac peracta, seu per prolationem verborum Christi, transit in substantiam corporis & sangvinis Christi, quia loco substantiæ panis, quæ antea fuit, ponitur corpus Christi, & loco vini ejus sangvis, non enim dici potest, quod maneat simul utraque substantia panis, & vini, cum substantia corporis, & sangvinis Christi, quia, si id verum esset, falsa essent verba Christi: *Hoc est corpus meum*; quia, quod esset sub speciebus panis, verè esset substantia panis, consequenter non possent verba Christi verificari.

Quod si dicas, ad veritatem propositionis Christi sufficere intimam præsentiam corporis, & sangvinis Christi cum substantia panis, & vini. Contra est, quia hæc intima præsentia corporis. & sangvinis Christi, non facit, quod id, quod demonstratur, sit corpus Christi, sicut demonstrato corpore, non dicitur, hoc est anima, nisi corpus converteretur in animam ex vi verborum.

Si instes, sufficere aliquam singularem unionem in spiritualibus, ut aliquid affirmetur de alio, contra est, quia si sufficeret singularis aliqua unio, posset dici in divinis, Patrem esse Filium, quia singulari modo sunt quid unum in natura, ergo qualibet unio non sufficit ad veritatem verborum Christi.

Si dicas, Christum posse esse præsentem in Eucharistia, tametsi ibi non desinat substantia panis, & vini. Contra est; quia, ut verificentur hæc verba, *hoc est corpus meum,* requiritur, ut quod demonstratur sub accidentibus, sit corpus Christi. Quòd si sub illis accidentibus perseveraret substantia panis, & vini, de ipsa etiam diceretur, quòd esset corpus Christi, siquidem ex vi verborum Christi totum, quod continetur sub illis accidentibus, dicitur esse corpus Christi, consequenter si maneret substantia panis, hæc deberet etiam dici corpus Christi, quod est absurdum. Ea enim est vis pronominis *hoc,* ut omnem rei præsentis substantiam demonstret. Sin autem substantia panis remaneret, verè non diceretur, *hoc est corpus meum,* sed potius dicendum esset, *hic est corpus meum,* scilicet in hoc loco, in quo est substantia panis, est etiam substantia mei corporis. Quamvis enim pronomen *hoc* demonstrare possit tam rem contentam,

quam continentem, ſi ea ſit vel ex natura ſua, vel ex uſu hominum inſtituta ad continendum, ſicut demonſtrato vini dolio, verè dicitur, *hoc eſt vinum*, & demonſtrata crumena plena pecuniis, verè dicitur: *Hoc eſt aurum*, *vel argentum*, non tamen ea potentia eſt hujus pronominis, cùm res aliqua non eſt ad alteram continendam conſtituta, quapropter, ſi ſub pane conderetur fruſtulum carnis, non rectè diceretur demonſtrato pane, *Hoc eſt caro*.

Præterea Chriſtus Dominus Joann. 6. ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*, vocat panem carnem ſuam, & poſtea ſubjicit, *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis*, & rurſus: *Caro mea verè eſt cibus, & ſangvis meus verè eſt potus*, & cùm tam claris & expreſſis verbis aſſerat, carnem ſuam panem, & verum cibum; & ſangvinem ſuum verum potum, ſatis apertè declaravit, nullam in Sacramento ſubſtantiam panis & vini amplius manere, alioquin illa ſubſtantia panis non eſſet caro Chriſti, proinde, cùm dixit, *hoc eſt corpus meum*, illud pronomen *hoc* non denotaret totum, quod continetur ſub accidentibus illis, eſſe carnem Chriſti.

Hoc idem Catholicum dogma docent omnes Sancti Patres, quorum Catalogum protexere nimis prolixum foret, ut etiam Concilia Oecumenica præſertim Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 1. & refertur *in cap. Firmiter. de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, cujus hæc ſunt verba: *Una verò eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino Salvatur: in qua idem ipſe ſacerdos eſt, & ſacrificium Jeſus Chriſtus, cujus corpus, & ſangvis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini, veraciter continentur transſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſangvinem poteſtate divina, ut ad perficiendum myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro.* Hanc eandem veritatem transſubſtantiationis panis, & vini in corpus & ſangvinem Chriſti, etiam probat Catechiſmus Concilii Tridentini: ſi verum Chriſti corpus ſub panis & vini ſpecie poſt conſecrationem habetur, omnino neceſſe eſt, cùm ibi antea non eſſet, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ſe converſione factum eſſe. At verò fieri non poſſe conſtat, ubi corpus Chriſti in Sacramento ſit, quod ex uno in alium locum venerit, ita enim fieret, ut à cœli ſedibus abeſſet, quoniam nihil movetur, niſi locum deſerat, à quo movetur. Creari autem corpus Chriſti minùs credibile eſt, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc poteſt. Relinquitur ergo, ut in Sacramento ſit corpus Domini, & quod panis in ipſum convertatur, & nulla panis ſubſtantia remaneat. Modus tamen, quo fiat transſubſtantiatio, non eſt curioſius inquirendus, cùm non poſſit nec in naturalibus mutationibus, nec in ipſa rerum creatione percipi, nec ejus rei exemplum aliquod exhiberi, quapropter Catechiſmus Concilii Tridentini vocat hanc transſubſtantiationem *mirabilem & ſingularem*, propterea tenemur intellectum flectere in obſequium fidei, & non curioſius inquirendum, quomodo fiat; quia illud *quomodo*, ut ait Cyrillus Alexandrinus *Lib. 4. in Joann. ſtultè de Deo proferunt*.

Verùm objiciunt Lutherani, nolentes intellectum flectere in fidei obſequium, ideo totum, quod continetur ſub ſpeciebus Eucharisticis, eſt corpus Chriſti, quia verba demonſtrant eſſe corpus Chriſti, id ſupra quod cadunt, ſed ſi inde probaretur, totum contentum ſub ſpeciebus eſſe corpus Chriſti, utique etiam probaretur, quod ipſa accidentia eſſent corpus Chriſti, quia per verba Chriſti demonſtrantur etiam ipſa accidentia, quia illud pronomen *hoc* demonſtrat totum, quod eſt ibi præſens, ſubſtantiam, & accidentia. Sed contra, quia pronomen *hoc* demonſtrat aliquid per ſe ſubſiſtens: ſed accidentia non demonſtrantur ut ſubſiſtentia, ſed tantùm ut manifeſtativa illius, quod per ſe ſubſiſtit, & ſupra quod cadit ipſum pronomen *hoc*, ergo conſtat, in Eucharistia non ſupereſſe quidquam de ſubſtantia panis, ſive ſubſiſtentia ſit, ſive exiſtentia, ſed totam ſubſtantiam panis converti in corpus Chriſti, & tantùm manere pura accidentia panis, & vini.

Sed reſpondent Lutherani, verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, eſſe intelligenda incluſivè, ſcilicet quod ſub ſpeciebus panis, & vini includatur corpus, & ſangvis Chriſti, non verò excluſivè ad excludendam ſubſtantiam panis, adeo ut perinde ſit, *Hoc eſt corpus meum*, ac aſſerere: *Hoc includit, ſeu continet corpus meum.* Hunc debere eſſe ſenſum verborum Chriſti, ex eo nituntur evincere, quia aliàs unà cum panis ſubſtantia deberent etiam accidentia ceſſare, cùm non ſit major ratio de illi, ac de iſtis, ergo, ſicut accidentia remanent, licet pronomen hoc ſignificet etiam ſpecies illas externas panis; ita remanet etiam ſubſtantia panis. Sed contra, quia Chriſtus uſus fuit verbis ſecundum propriam, & naturalem ſignificationem, ut ab hominibus, quos decipere noluit, in ſenſu obvio ejus locutio intelligeretur: ſed verbum *eſt* in propoſitione, ex vi proprii ſignificati, identificat prædicatum cum ſubjecto, ut cùm dicitur, *homo eſt animal rationale*, ergo, cùm Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum*, verbum *eſt* debet identificare corpus Chriſti cum ſubjecto ejusdem propoſitionis, adeo ut, quod importatur per pronomen *hoc*, revera ſit corpus Chriſti.

Præterea, ſi copulam *eſt* in Chriſti propoſitione vellemus impropriè interpretari, ut non ſignificaret identitatem prædicati cum ſubjecto, non poſſemus evincere, ex vi ejusdem propoſitionis Chriſti realem præſentiam in Euchariſtia, quia, ſi quod ſignificatur per pronomen *hoc* non eſt realiter corpus Chriſti, adeo ut copula *eſt* in eadem propoſitione non identificet corpus Chriſti cum ſignificato per pronomen *hoc*, quod eſt ſubjectum ejusdem enuntiationis, ſed tantùm ſignificet ſolam incluſionem, ſeu continentiam corporis Chriſti cum ſubſtantia panis; poſſet Calviniſta reſpondere, verbum *eſt* in præfata propoſitione non eſſe idem, ac verbum continet: ſed quod verbum *ſignificat*, adeo ut ſenſus ſit, *hoc eſt* (ſcilicet, ſignificat) *corpus meum*, ſeu eſt figura corporis mei, quod eſt abſens: ergo copula ſeu verbum *eſt* ſumi debet in proprio ſuo ſenſu, quatenus ſignificat identitatem prædicati cum ſubjecto, & dicit, demonſtratum per pronomen *hoc* eſſe corpus Chriſti, & nihil aliud, perinde ac, cùm dicimus: *Homo eſt animal rationale.*

Neque obstat, quòd accidentia dicantur permanere, est siquidem discrimen, quia accidentia propriè non demonstrantur per pronomen *hoc*, bene tamen ipsa substantia sub accidentibus: demonstratur enim, quod subsistit in se, & non in alio: accidentia non demonstrantur, ut subsistentia, sed ut manifestativa illius, quod sub iisdem subsistit, hæc enim est vis illius pronominis *hoc*, ut, si ad rem aliquam applicetur, quæ secundum naturalem suam conditionem non soleat aliam substantiam diversam à sua propria continere; cujusmodi sunt accidentia panis, quæ ex natura sua non solent aliam continere substantiam, præter illam panis, tunc demonstret, quidquid continetur substantiæ sub illis accidentibus, quæ sensu percipiuntur, hinc quia Christus, cum dixit: *Hoc est corpus meum*, applicavit pronomen *hoc* ad panem, qui tunc in ultima cœna aderat, utique totam substantiam sub illis accidentibus panis demonstravit, & affirmavit, ipsam esse suum corpus: quod verum fuit in fine prolationis verborum, adeo ut, cùm initio accepto pane dixit, *Hoc*, verè demonstraverit substantiam panis, contentam sub illis accidentibus, quæ cadebant sub sensus: cùm postea subdidit, *est corpus meum*, tunc asseruit eandem substantiam panis converti in suum corpus, adeò ut in fine prolationis verborum non maneat amplius quidquam substantiæ panis sub illis speciebus sensibilibus, sed tantùm corpus Christi, quia copula *est* ex se, & virtute sua propria, identificat prædicatum cum subjecto; ut cùm dicimus, *homo est animal rationale*, identificamus prædicatum cum homine, qui propterea est animal rationale: si igitur corpus Christi identificatur in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, cum toto illo substantiali, quod continetur sub accidentibus panis: sequitur manifestè in Eucharistia, peractâ consecratione, non manere amplius substantiam panis, alioquin subjectum præfatæ propositionis non esset idem cum prædicato, sed sub iisdem accidentibus essent duæ substantiæ realiter distinctæ, ergo in Eucharistia sub accidentibus sensibilibus panis continetur solùm corpus Christi, & tota substantia panis cessavit.

Respondent alii Lutherani, pronomen *Hoc* applicatum ad idem continens, posse demonstrare diversas substantias sub uno eodemque continente: etenim ponamus esse dolium, plenum vino, & per nomen *hoc* demonstretur idem dolium, tunc verè dicimus, *hoc est vinum*, scilicet substantia, quæ continetur in hoc dolio, est vinum. Rursus ponamus, idem dolium postea repleri oleo, valet tunc hæc alia propositio: *Hoc est oleum*, scilicet substantia contenta in dolio; ergo etiam in Eucharistia pronomen *hoc* æquè potest significare subsubstantiam corporis Christi, & panis, perinde ac sub iisdem accidentibus simul manet substantia panis, & corpus Christi. Sed contra distinguitur antecedens, potest demonstrare diversas substantias sub eodem contento successivè, & pro diversis temporibus, conceditur: simul & eodem tempore subdistinguitur, si continens sit indifferens ex natura sua ad illas substantias diversas, ac soleat eas continere per modum unius, in ordine ad explendum locum, absque ulla penetratione, conceditur: quia hoc pacto si accipiamus marsupium variis plenum monetis aureis, argenteis, cupreis promiscuè, rectè de eodem marsupio dicimus, *hoc est aurum, & argentum*: sin autem continens ex natura sua non soleat has diversas continere substantias, negatur antecedens, & consequentia; quia sub accidentibus panis non solet latere substantia alterius rei, præter eam, quæ immediatè, & proximè continetur sub illis, & est ipsa substantia panis, quæ proinde demonstratur per pronomen *hoc*, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, quæ propositio non posset verificari, nisi subjectum seu pronomen *hoc* esset idem ac corpus Christi: & quia pronomen *hoc* significat totam substantiam sub accidentibus panis, ideo totum, quod sub illis continetur, est corpus Christi absque ulla substantia panis. Bene igitur de marsupio pleno aureis, argenteis, & cupreis, dicimus, hoc est aurum, argentum, cuprum, connotando contentum in marsupio, quia ex conditione sua solet continere rem aliam præter suam propriam substantiam coriaceam, vel laneam, aut lineam, sub accidentibus sensibilibus. Quòd si unum vel alterum aureum iucluderem in pane, non rectè demonstrato pane simpliciter dicerem, *hoc est aurum*, ratio est, quia accidentia panis non solent aurum continere, neque ex natura sua sunt indifferentia ad continendam aliam substantiam, præter propriam panis, & viderer asserere, totam panis substantiam esse aurum, quod falsum est, quia solus Deus, si applicet pronomen *hoc* ad panem, dicatque, *hoc est aurum*, potest efficere, ut tota substantia panis convertatur in purum aurum, dixit enim Deus, *Genes.* 1. *Fiat lux, & facta est lux.*

Objiciunt tertiò Lutherani, quia potest Christi corpus verè, & propriè affirmari de ipsa substantia panis, ut panis est: quia, tametsi vera sit doctrina Aristotelis, docentis, rationem affirmationis per copulam *est* consistere in identitate prædicati cum subjecto, in spiritualibus tamen, ut aliquid affirmetur de alio, sufficit aliqua utriusque conjunctio, seu unio, qua ratione Christus homo dicitur Theologicè Deus, eò quia verbum hypostaticè uniatur humanitati Christi. Neque modus iste loquendi est in scripturis novus, nam Christus Joann. 20. quando insufflans in Discipulos suos dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, flatum ipsum significavit esse Spiritum Sanctum, non tamen per identitatem, quasi flatus fuerit transsubstantiatus in Spiritum Sanctum, sed tantùm propter specialem conjunctionem. Rursus *Joann.* 1. Joannes Baptista columbam, quæ super Christum apparuit, intellexit esse Spiritum Sanctum, inquiens: *Vidi Spiritum Sanctum descendentem sicut columbam*, Species itidem Angelicæ, in quibus olim in lege veteri apparebat Deus, dicebantur ob specialem conjunctionem Deus, non per identitatem. Demum, cùm progrederetur arca Domini, ajebat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*, vocabat Arcam ipsum Dominum non per identitatem, sed propter specialem conjunctionem. Sed contra, quia absque ullo sufficienti fundamento asseritur, ad affirmandum unum de altero sufficere specialem conjunctionem inter utrumque, siquidem communi notitia, quæ subest vocabulo affirmationis, sive Philosophicæ, sive Theologicæ, est ipsa identitas prædicati cum subjecto, de quo illud affirmatur: unde fingere affirmationem aliquam, unius de alio absque hac identitate, est abuti ipsa significatione affirmationis: verba autem sacræ scripturæ, si non sequatur inconveniens, debet intelligi in sensu proprio, & obvio: quòd si proprietas affirmationis, unius de alte-

altero, salvaretur per singularem aliquam utriusque conjunctionem, plura inde sequerentur pugnantia cum mysteriis nostræ fidei, siquidem in mysterio Sacrosanctæ Trinitatis hæc propositio, Pater est Filius, vera esset, quia Pater & Filius specialissima conjunctione sunt unum quiddam, ut fatetur Christus ipse *Joann.* 10. *Ego & Pater unum sumus*, *Joann.* 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Rursus Spiritus Sanctus esset Pater, & Filius: quia *Joann.* 5. habetur: *Hi tres unum sunt*, rursus in homine anima rationalis esset corpus, quia, ut habet Athanasius in Symbolo: *Anima rationalis, & corpus sunt unus homo.* Unde si hæc omnia absurda, & falsa sunt; satis constat ad affirmationem unius de altero, non sufficere specialem conjunctionem, sed veram requiri identitatem; alioquin nullius fuissent roboris argumenta veterum Patrum, & Conciliorum, quando adversus Nestorium argumentabantur: Hominem Christum quoad suppositum, seu personam esse idem cum Verbo Divino, eò quia in scriptura homo Christus dicatur propriè ac verè Deus: tota vis argumenti sita erat in illa affirmatione Deitatis de Christo homine, ex qua Sancti Patres inferebant, veram ac realem identitatem Verbi divini cum homine Christo quoad personam, adeo ut persona in illo homine Christo non esset humana, sed divina, eò quia in scripturis affirmetur de Christo. Allata exempla quod attinet, non sunt ad rem, quia Christus non affirmavit, flatum esse Spiritum Sanctum; sed cum flaret, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, scilicet, secundùm gratiam, cujus ille flatus erat quodammodo symbolum. Joannes Baptista nec ipse dixit, Spiritum Sanctum esse columbam, sed tantùm significavit, eam esse symbolum Spiritus Sancti: unde non dixit, Spiritum Sanctum esse columbam: sed Joann. 1. *Vidi Spiritum Sanctum, descendentem quasi columbam*, ubi illud adverbium *quasi* satis aperte significat similitudinem, ac rationem symboli, non verò identitatem; species itidem angelicæ non nisi impropriè dicebantur Deus, quem repræsentabant: sicut Ministri Principis, cùm aliquid ex mandato Principis agunt, nonnisi impropriè dicuntur Princeps. Arca nec ipsa dicta unquam propriè fuit Deus, sed tantùm cum arca progrederetur, Dei auxilium implorabatur, & dicebatur: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*, quatenus Deus ad præsentiam arcæ mirabiles operabatur effectus: quæ causa fuit, ut Deus unà cum Arca diceretur exsurgere.

Quòd verò peracta consecratione sub speciebus panis non maneat amplius panis substantia, sed totum contentum sub speciebus Evcharisticis, sit solùm corpus Christi, luculenter etiam adstruit Augustinus serm. 28. de verbis Domini inquiens: *Ante verba Christi quod offertur, panis dicitur, ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Quòd si, quod antea panis erat, post consecrationem, illud idem est corpus Christi, sequitur, nil manere amplius de substantia panis, alioquin non transiisset in corpus Christi, hinc S. Ambrosius *Lib. de iis qui myster. init. cap. 9.* ait: *Fortè dices, aliquid video, quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam? probemus igitur, inquit, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque esse vim benedictionis, quàm naturæ; quia benedictione etiam ipsa natura mutatur*, scilicet substantia panis, quam natura dederat, fit consecratione corpus Christi, in quod convertitur, adeò ut nihil permaneat de pane substantiæ.

Firmari etiam hoc fidei dogma potest ex fine, & figuris, quæ extiterunt, Evcharistiæ: etenim ad hunc Christus etiam finem instituit Evcharistiam, ut esset quasi memoria mirabilium suorum, ad quod propterea Sancti Patres accommodant illud Psalmistæ: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Sed quidquid olim fuit mirabiliter divina factum virtute, id habuit singularem aliquam rerum mutationem, quo pacto *Joann.* 1. ut manifestaret suam gloriam in Cana Galilææ, aquam mutavit in vinum: ergo consentaneum erat, ut quod Christus in ultima cœna mirabiliter instituit, ad perennem memoriam Dei mirabilium, singularem aliquam haberet rei mutationem; sicut est in Evcharistia mutatio substantiæ panis & vini in ejus corpus & sangvinem. Rursus figuræ hujus Sacramenti fuerunt Manna, quæ horis antelucanis pluit in deserto, & aquæ de petra fluentes: sed in hisce duabus rebus mirabiles contigerunt mutationes, Manna siquidem in varias ciborum substantias convertebatur, prout cuique magis arrideret: aquarum itidem ille fluxus fuit ex conversione ipsius petræ in aquas, dicente regio Propheta, Psal. 113. *Et convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*; quapropter scitè S. Gregorius Nissenus *in vita Moysis* ait: *Miraculi non obliviscar illius, quo dura, & solida lapidis natura in aquarum conversa mollitiem, potus sitientibus facta est*, ergo, si figuræ hujus Sacramenti mirabiles continent rerum mutationes, à fortiori debuit hoc Sacramentum mutationem continere panis in corpus Christi, & vini in ejus sangvinem; ne figuræ mirabiliores essent figurato. Tametsi hæ rationes non sint demonstrativæ, sunt tamen optimæ congruentiæ nostram Catholicam persuadentes assertionem.

Instant tamen Sectarii, quia ubi sunt proprietates rei, ibi debet reperiri substantia, seu natura ejusdem rei: sed in Evcharistia deprehendimus omnes panis proprietates, etiam post consecrationem, & sensus judicat ibi esse panem: ergo dicendum, ibi adesse substantiam panis, & firmari ex eo potest, quia etiam Christus probavit suis Discipulis veritatem sui corporis ex proprietatibus illius, inquiens *Luc.* 24. *Palpate, & videte &c.* Sed contra distinguitur antecedens, ubi sunt proprietates rei, ibi debet esse substantia ejusdem rei, si fides non corrigat sensum, aliudque edoceat intellectum conceditur: secus negatur antecedens, & consequentia. In Evcharistia licet maneant accidentia panis, & sensus judicet ex iisdem, panem ibi adesse: fides tamen sensum corrigit, & docet intellectum, sub illis accidentibus panis verum Christi corpus, unde non sensui, sed Christo tenemur credere, qui nos docet, esse sub illis accidentibus panis verum suum corpus. Ad confirmationem respondetur esse discrimen; quia eatenus Christus probavit se habere corpus ex proprietatibus ejusdem, quia fides tunc non revelabat quid aliud, non ita ex proprietatibus naturalibus, quæ Christo inerant, potuisset quis inferre Christi naturam humanam habuisse proprium suppositum; sicut habent cæteri homines, quia fides aliud docet in Christo, qui est simul Deus & homo, & subsistit per subsistentiam divinam; cæterum in Eucharistia sensus non decipitur circa proprium objectum, neque fallitur, quia objectum sensus non est substantia panis, sed acci-

dentia ejusdem, quæ manent peracta consecratione.

Sed urgent Lutherani, quia de ratione accidentium est, ut inhæreant proprio subjecto, sed in Eucharistia perseverant accidentia panis, quorum proprium subjectum inhæsionis est ipsa substantia panis, ergo ex eo, quod maneant accidentia panis, inferunt manere itidem substantiam panis, cui accidentia inhæreant, ut in proprio subjecto. Sed contra, quia non est de ratione accidentium, ut actu insint, sed ut inesse possint, adeo ut sola aptitudinalis inhærentia sit prædicatum constitutivum accidentis, non actualis. Hinc accidentia panis in Eucharistia, quamvis non inhæreant substantiæ panis, quia tamen retinent aptitudinem inhærendi, conservant proprium constitutivum accidentis. Neque est inauditum, quòd accidentia existant sine subjecto, cùm plures Sancti Patres etiam docuerint Deum ab initio produxisse, & conservasse lumen sine subjecto, priusquàm solem crearet.

CAPUT XV.

Expenditur, & rejicitur error Calvinistarum circa Eucharistiam.

QUia nemo vult videri errasse, satagit, quantùm potest, suum obtegere errorem, ne appareat: pari pacto Hæretici in id semper visi sunt incubuisse studii, ut nonnunquam teste D. Irenæo *Lib. 1. adversus hereses sub init. similia loquantur Orthodoxis, sed dissimilia sentiant*; idque vel maximè affectant Calvinistæ in explicanda doctrina de Eucharistia: docent enim, Christum in Eucharistia verè præsentem esse, verè spiritualiter percipi ore fidei; non corporaliter ore corporis, eò quia sit cibus mentis, non ventris. Asserunt, corpus Christi dupliciter sumi in Eucharistia, *spiritualiter & sacramentaliter*, sumere Eucharistiam *spiritualiter* perinde ajunt esse, ac eam sumere ore mentis, scilicet per fidem; & per arctissimam conjunctionem Christi cum anima communicantis: quæ conjunctio fit efficacitate Spiritus Sancti, operantis per gratiam efficacem in anima communicantis. Sumere Eucharistiam *sacramentaliter* dicunt esse Eucharistiam percipi ore corporis, eò quia non sumatur corpus Christi, nec ejus sangvis, sed signa duntaxat eorundem, seu panis, & vinum, quæ volunt esse veluti sigilla quædam, quibus Christus nobis promissionem corporis & sangvinis sui spiritualiter participandi, spiritualiter in Eucharistia obsignavit, hinc asserunt, per fidem in Eucharistia sumi spiritualiter Christum, non corporaliter, quasi non possit instrumento corporis id percipi, quod ad salutem animæ conducit, asserente Tertulliano, & quidem verè *Lib. de resurrect. carnis. Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro inungitur, ut anima consecretur, caro corpore, & sangvine Christi vescitur, ut anima Deo saginetur.*

Fides autem Catholica docet in Sacramento Eucharistiæ post consecrationem panis, & vini contineri sub speciebus panis, & vini verè, realiter, & substantialiter corpus, & sangvinem Christi, adeò, ut ex vi consecrationis facta fuerit conversio substantiæ panis, & vini, in substantiam corporis, & sangvinis Christi, sintque accidentia panis, & vini sensibilia signa Christi existentis non solùm in cœlis, verùm etiam sub iisdem accidentibus, ac proinde sumatur à communicantibus manducatione sacramentali, & spirituali, unde in hoc differunt Catholici & Calvinistæ, quia illi asserunt, corpus Christi non solùm in cœlis existere, sed etiam verè ac realiter contineri sub speciebus panis, & vini, ex vi consecrationis: & fideles, cùm communicat, sumere sacramentaliter non solùm accidentia panis; verùm etiam ipsum reale, ac substantiale Christi corpus, licet modo invisibili & admirabili, & quidem ore corporis, quamvis non ad naturale nutrimentum corporis, sed ad spirituale alimentum animarum, perinde ac corpore suscipitur baptismus non ad naturalem corporis generationem: sed ad animarum spiritualem regenerationem. Rursus docet fides Catholica, fideles dignè communicantes etiam manducatione spirituali sumere Christum in Eucharistia, quatenus ab ipso Christo, realiter præsente, ac contento sub accidentibus panis, accipiunt gratiam, & alimentum spirituale. Calvinistæ verò asserunt, eos corpus Christi manducare sacramentaliter ore corporis, qui in cœna Domini, seu cùm communicant, sumunt illa accidentia panis, & vini, non ut continent realiter corpus & sangvinem Christi; sed quatenus sunt signa, symbola, ac figuræ corporis Christi, unde Catholici asserunt, sub speciebus illis consecratis ore corporis sumi verum, & reale corpus Christi, adeò ut ore corporis simul sumantur accidentia panis ac verum corpus Christi, reale, ac substantiale. Calvinistæ vero volunt, non sumi sacramentaliter ore corporis ipsum reale corpus Christi, sed tantùm ejus signum sensibile, seu accidentia panis. Præterea volunt Calvinistæ, eos manducare corpus Christi manducatione spirituali, qui ore mentis, seu vera fide percipiunt corpus Christi, ejusque fiunt verè participes efficacitate Spiritus Sancti: hanc verò participationem asserunt fieri per conjunctionem arctissimam Christi cum anima communicantis, & cùm negent, esse conjunctionem cum corpore & sangvine Christi secundùm suum esse reale, & substantiale, quod nolunt contineri sub accidentibus Eucharisticis, nequit esse hæc conjunctio, nisi per fidem, ut ipsi docent.

Asserendum est, Christum sub speciebus Eucharisticis non solùm sumi spiritualiter ore mentis, verùm etiam corporaliter ore corporis, una cum speciebus panis & vini, sub quibus verè & realiter continetur, adeo ut sacramentaliter manducetur, non solùm quia manducantur accidentia panis, quæ à Calvinistis dicuntur signum Christi in cœlo existentis; sed quia etiam ipse Christus verè & realiter, ac substantialiter præsens in hoc Sacramento, licet modo invisibili, & admirabili verè sumitur ore corporis, non ad naturale nutrimentum corporis, sed ad spirituale alimentum animæ, ut docent omnes Catholici. Ratio est, quia Christi corpus, & ejus sangvis in Sacramento Eucharistiæ eo modo percipitur, quo Christus corpus suum & sangvinem in ultima cœna exhibuit Apostolis, & isti acceperunt, ut enim scitè D. Hilarius *Lib. 3. de Trinit.* loquens de hoc mysterio ait: *De naturali in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus*, quamobrem ex D. Hilario nonnisi impiè asserunt Calvini-

vinistæ, quæ de hoc Sacramento non didicerunt à Christo, cùm in ultima cœna hoc instituit Sacramentum, ac suis tradidit Discipulis, id enim Christus voluit, ut deinceps fieret in usu Eucharistiæ à se institutum, & eo modo, quo illud instituit, cùm dixerit *Luc.* 22. Hoc facite in meam commemorationem, hac de causa Apostolus inhærens Christi mandato, 1. *ad Corinth.* 11. scribit: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, sed Christus in ultima cœna ita instituit Sacramentum Eucharistiæ, ut ex vi consecrationis voluerit substantiam panis, & vini sub iisdem accidentibus transire in corpus, & sangvinem Christi, & sub iisdem accidentibus suum corpus, & sangvinem dedit Discipulis ad manducandum, & bibendum ore corporis, inquiens: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, similiter & calicem*, ex quibus clarè & evidenter constat, Christum in ultima cœna dedisse verum, ac reale suum corpus; verum ac realem suum sangvinem suis Discipulis assidentibus cœnæ illi, & Apostolos verè & realiter ore corporis comedisse verum ac reale Christi corpus, & bibisse ejus sangvinem.

Calvinistæ nihilominus Christi verba meridiana luce cæcutiente, nituntur in sensum, detorquere alienum ab obvio, & naturali, quem verba à Christo prolata exhibent, asserunt Christi sententiam fuisse quidem, ut Apostoli ore corporis comederent, & biberent accidentia panis, & vini, quæ sunt extrinseca signa corporis, & sangvinis Christi, & ore mentis ipsas res signatas per talia signa, scilicet corpus, & sangvinem Christi, quæ sub illis signis non continerentur, sed significarentur, ac obsignarentur veluti sigillis, quibus certi de Christi corporis, & sangvinis exhibitione spirituali redderentur. Sed contra, quia hæc interpretatio adversatur vero & clarissimo sensui verborum Christi, quia Christus dixit, *hoc*, scilicet, quod vobis ore corporis sumendum do, est, non figura, non signum mei corporis, sed *meum corpus*, seu illud idem reale, ac substantiale: *quod pro vobis tradetur*, Christus autem illud idem corpus suis tradidit Discipulis ad comedendum ore corporis, quod erat passionis tormenta subiturum, atqui, quod fuit in cruce passum, quod crucifixum, quod sangvinem fudit, non fuit solùm signum, nec ulla figura corporis Christi, sed ipsum verum, reale ac substantiale Christi corpus: ergo Apostoli assidentes ultimæ cœnæ verè, & realiter ore corporis verum, reale, proprium, ac substantiale Christi corpus comederunt; consequenter, etiamnum fideles, quoties communicant, illud idem percipiunt, quia sub illis accidentibus panis continetur verum, reale, ac substantiale Christi corpus, quòd unà cum iisdem accidentibus, quæ Calvinistæ vocant signa, & symbola, fideles verè, & realiter ore corporis comedunt. Hinc Catechismus Concilii Tridentini ait: Si verum Christi corpus sub panis & vini specie post consecrationem omnino necesse est, cùm ibi antea non esset hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipsum conversione factum esse, sed constat, non posse fieri, ut corpus Christi sit in Sacramento, quod ex uno in alium locum venerit, id enim ita fieret, ut à cœli sedibus abesset, quia nihil movetur, nisi locum deserat, à quo movetur, creari autem corpus Christi minus credibile est, ergo debet corpus Christi esse in Sacramento per transsubstantiationem seu conversionem substantiæ panis in ejus corpus, adeo ut Catholici sumentes Eucharistiam, unà cum accidentibus panis verè & realiter ore corporis sumant, & comedant verum, reale, proprium, & substantiale Christi corpus, & non tantùm signum, vel figuram ejus corporis.

Negant Calvinistæ, contineri in Eucharistia sub accidentibus panis corpus Christi, consequenter inficiantur sumi ore corporis, & asserunt, tantùm percipi ore mentis, seu cordis. Sed contra, quia si Christus realiter absens à Sacramento, verè nihilominus in Sacramento sumitur ore mentis, vel hoc pacto percipitur corpus Christi tantùm secundum ipsius effectum, seu gratiam, vel etiam secundum se, suamque substantiam realem, sed neutro modo potest percipi: ergo si semel Christus non contineatur verè, & realiter sub speciebus panis, nec sumatur verè & realiter ore corporis unà cum speciebus panis, nullo modo percipitur. Major est certa, quia si Calvinistæ volunt Christum licet absentem, & neutiquam sub accidentibus Eucharisticis contentum, adhuc à communicantibus percipi, necesse est alterutro ex duobus modis sumatur; scilicet vel secundum ipsius effectum, seu donum gratiæ, cujus beneficio Christus, licet existens in cælo, adhuc spiritualiter nutriat in terris animas communicantium, vel secundum suum esse reale, ac substantiale, adeo ut anima communicantis, & Christus tanto locorum intervallo à se distent, quantum cœlum à terra. Nihilominus corpus Christi, & anima communicantis efficacitate Spiritus Sancti arctissimè inter se, & secundum se conjungantur; & ex tali conjunctione habeatur alimentum illud spirituale animi & corpore, & sangvine Christi arctissimè sibi conjuncti: neque enim potest intelligi, quomodo Christus possit aliter percipi, nisi vel secundùm effectum, seu donum gratiæ; vel secundum suum esse reale, proprium, & substantiale.

Quod vero neutro modo percipiatur, si corpus Christi verè, & realiter secundum suum proprium esse substantiale non contineatur sub accidentibus Eucharisticis, & sumatur cum iisdem ore corporis, facile ostenditur. Etenim non percipitur secundum effectum tantùm, quia id in Eucharistia sumitur, quod Christus in ultima cœna suis dedit Discipulis, atqui Christus in ultima cœna non tradidit solùm effectum sui corporis, sed suum verum, reale, & substantiale corpus. non enim dixit: *Hoc est effectus corporis mei*, sed *Matth.* 26. *Hoc est corpus meum*, scilicet verum, reale, ac substantiale corpus: quod fuit cruci affixum, & mortem passum; subdit enim, *quod pro vobis tradetur*, seu crucifigetur, sangvinem fundet pro redemptione humani generis, & mortem subibit, ut vitam omnibus impertiatur, non enim quòd sangvinem fudit, quod mortem subivit, quòd tormenta fuit passum, fuit effectus corporis Christi, seu ipsa gratia, sed verum, proprium, ac reale Christi corpus. Præterea Apostolus 1. *Corinth.* 10. non dixit: *Panem, quem frangimus, communicationem effectus corporis Christi esse*, sed dixit expresse, *esse communicationem ipsius corporis Christi, & calicem, cui benedicimus, communicationem ipsius Christi sangvinis*, ergo in Eucharistia non percipitur seorsim à corpore Christi ejus effectus, ut putant Calvinistæ, sed ut docet fides Catholica, percipitur verum, ac reale ejus corpus, & cum vero Christi corpore dignè communicantes etiam sumunt ejus effectum, scilicet augmentum gratiæ sanctificantis.

Idque

Google

Idque clarè conſtat ex ipſis verbis Chriſti diſtinguentis expreſsè utramque communionem corporis realis, & gratiæ, prout eſt ejus effectus, juxta communem Sanctorum Patrum doctrinam: dixit enim Chriſtus, *qui manducat me*, hoc eſt, meum corpus verum, proprium, reale, ac ſubſtantiale, vivet propter me, ſeu accipiet gratiam, qua homo vivit Deo, & propter Deum, ſicut enim peccatum mortale eſt mors animæ, ita ſola gratia ſanctificans eſt ejus vita. Rurſus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſangvinem, habet vitam æternam*, neque quid aliud eſt vita æterna, quàm gratia conſummata & æterna gloria: ergo primum, quod in Evchariſtia percipitur, eſt corpus Chriſti, & hoc mediante, ejus effectus diſtinctus ab ipſo Chriſti corpore. Quamobrem ex ipſis Chriſti verbis clarè conſtat, fideles dignè communicantes utrumque percipere, ſcilicet Chriſti corpus, & ejus effectum, ſeu gratiam. Hinc Paſchaſius, qui floruit ante nongentos annos, ex ſententia eo tempore inter Catholicos communi, ſcripſit *in epiſtola ad Frudegardum*: *Chriſtus non ita dixit: Hæc eſt, vel in hoc myſterio quædam virtus, vel figura corporis mei? ſed ait\ſictè, ſed verè, Hoc eſt corpus meum: & ideo hoc eſt, quod ipſe dixit, non quod quisque fregit.* Cùm enim ante mille annos non deeſſent, qui aſſererent, in Evchariſtia non ſumi à fidelibus verum, & reale, ac proprium ſubſtantiale Chriſti corpus, ſed tantùm ejus virtutem, ſeu effectum, vel figuram, ideo hunc errorem Paſchaſius exploſit, eò quia Chriſtus non ſictè, ſed verè dixerit, *hoc eſt corpus meum*, unde Calvinus veterem crambem recoxit, & antiquatum errorem, ac hæreſin excitavit, non ſine ingenti animarum pernicie, & damno.

Neque percipitur Chriſti corpus ſecundùm ſe in Sacramento Evchariſtiæ, ſi abſit, & non contineatur ſub illis accidentibus panis, ut putant Calviniſtæ, aſſerentes, percipi nihilominus corpus Chriſti efficacitate Spiritus Sancti, ſcilicet per conjunctionem arctiſſimam Chriſti cum anima communicantis, quæ efficaciter Spiritus Sancti, & arctiſſima conjunctio Chriſti, cùm non habeatur In ſententia Calviniſtarum per verum, reale, ac proprium Chriſti corpus, non poteſt aliter haberi, quam per ejus gratiam, & charitatem, ac alia dona ſupernaturalia, ratio eſt, quia, ſi Chriſtus, non ſolùm ſecundum ejus ſpirituales effectus, qui ſunt fides, charitas, & alia dona gratiæ, verùm etiam ſecundum ſui corporis, & ſangvinis ſubſtantiam unitur arctiſſimè efficacitate Spiritus Sancti cum anima communicantis, jam præter unionem, qua ſecundum effectus ſpirituales fidei, gratiæ, & charitatis, Chriſtus unitur cum anima communicantis; debet neceſſariò dari aliqua alia unio, qua Chriſtus ſecundùm ſe, & ſuum corpus proprium, verum, & reale arctiſſimè conjungatur cum anima communicantis, non enim poteſt intelligi, quid ſit hæc alia unio arctiſſima corporis Chriſti ſecundùm ſe cum anima communicantis, niſi unio ſui proprii, veri, realis, ac ſubſtantialis corporis cum ipſo communicante, à quo comeditur: quævis enim alia unio, quæ non habeatur per gratiam, & dona ſupernaturalia, nec per verum, ac reale, & proprium Chriſti corpus eſt fictitia, & explicatui impoſſibilis. Major oſtenditur, quia, ſi hæc unio arctiſſima conſiſtit in ſolis donis gratiæ, tunc Chriſtus non aliter conjungitur cum anima communicantis, quàm per ſuos effectus: ſiquidem dona omnia gratiæ, quæ in Evchariſtia percipiuntur, ſunt effectus Chriſti, & unum extremum non nectitur alteri, niſi per id, ſecundum quod illi unitur, conſequenter, ſi hæc arctiſſima unio Chriſti cum anima communicantis conſiſtit in ſolis donis gratiæ, afficientibus animam, cui tunc impertiuntur, jam Chriſtus non aliter eidem unitur, quàm ſecundùm ſuos effectus, qui immediatè ut *quod* uniuntur cum anima, quam afficiunt, & cui inhærent.

Quòd ſi dicatur, hanc arctiſſimam unionem non conſiſtere in donis gratiæ afficientibus, & informantibus animam communicantis: ergo neceſſe eſt, quod ipſum Chriſti corpus ſecundum ſuum eſſe reale, ac ſubſtantiale percipiatur unà cùm accidentibus panis, ac uniatur cum ipſo communicante, ut docet fides Catholica, quia non poteſt concipi, quid aliud poſſit eſſe hæc arctiſſima unio, non enim explicatur per hoc, quod Calviniſtæ aſſerant, vinculum hujus conjunctionis eſſe Spiritum Chriſti, cujus nexu copulamur, quia quæſtio non eſt de cauſa efficiente hujus arctiſſimæ communionis, quam Calviniſtæ volunt fieri efficacitate Spiritus Sancti, ſed quæſtio eſt, quid ſit illud, quo proximè & formaliter Chriſtus & anima communicantis ita nectuntur, ut non ſolùm ſecundùm dona gratiæ, verùm etiam ſecundùm ſe dicantur, & ſint uniti, quapropter vel nexus hujus arctiſſimæ connexionis, & unionis, quæ dicitur haberi efficacitate Spiritus Sancti, eſt ipſemet Spiritus Sanctus præciſè, quatenus eſt Spiritus Sanctus, vel quatenus agit aliquid in anima communicantis, id etiam operante Chriſto: ſed Spiritus Sanctus, ut præciſè talis, nequit dici iſte nexus, quia hujusmodi nexus plerumque diſſolvitur, quoties ſcilicet homo lethaliter peccat, & Spiritus Sanctus, ut præciſè, & ſimpliciter talis non poteſt non eſſe, & nulli mutationi eſt obnoxius, unde vel nexus iſte foret perpetuus, & immutabilis, vel Spiritus Sanctus eſſet mutationi obnoxius. Sin autem nexus hujus conjunctionis dicatur eſſe Spiritus Snnctus, non præciſè qua talis, ſed quatenus unà cum Chriſto aliquem effectum in anima communicantis operatur, ut fidem, gratiam, charitatem, vel aliquod aliud donum ſupernaturale, hoc pacto non jam Spiritus Sanctus ſecundùm ſe eſt proximus, ac formalis nexus, ſed potiùs ille effectus Spiritus Sancti, & Chriſti ſimul cooperantis, & inde ſequitur, quòd Chriſtus non niſi ſecundùm ſuum effectum uniatur cum anima communicantis, & quod communicans in Evchariſtia non percipiat corpus Chriſti, ſed tantùm ejus effectus, cui ſoli unitur, quod adverſatur verbis Chriſti, dicentis: *Hoc eſt corpus meum*, non verò: *Hoc eſt effectus corporis mei.* Præterea, quia illud corpus eſt in accidentibus Evchariſticis, & à communicante ſumitur, quod pro nobis fuit paſſum, & morti traditum, & non effectus corporis Chriſti, ſed ipſummet verum, reale, proprium, ac ſubſtantiale corpus Chriſti ſangvinem fudit, ſeu pretium redemptionis humani generis, & mortem ſubivit, ut nobis vitam daret, *Matth. 23. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Firmari ex eo etiam poteſt, quia ex ſententia Calviniſtarum Chriſtus eodem genere conjunctionis unitur ſpiritualiter cum anima communicantis, quo fideles in veteri lege fuerunt uniti cum Chriſto venturo, ait enim Beza in Actis colloquii Mompelgardenſis pagina 77. *Patres in veteri teſtamento non minus participes fuerunt corporis, & ſangvinis Chriſti, quam nos ſumus in cœna Dominica.* ſed

sed in veteri lege fideles nonnisi secundùm spiritualem fidei, & gratiæ effectum, quem merito futuræ passionis Christi perceperunt, uniti fuerunt Christo: ergo in sententia Calvinistarum Christus in Eucharistia non percipitur à communicantibus, nisi secundùm effectum fidei & charitatis, & non secundùm verum ac proprium suum corpus substantiale; minor liquet, quia, quod actu non est, non potest actualiter revera uniri alteri, sed tantùm secundùm effectum, vel, ut causa moralis, ob cujus respectum aliquid fiat: in lege autem veteri Christus ut homo nondum fuit actu, neque extitit, sed tantùm erat exstiturus: ergo re ipsa secundùm se Christus non fuit unitus cum Patribus veteris testamenti, sed solùm secundùm gratiam, cujus fuit tunc Christus causa moralis, quatenus gratia impertiebatur ratione passionis futuræ Christi.

Probatur secundò, quia illud dogma circa mysteria Christianæ religionis censendum est commentitium, ac proinde omnino rejiciendum; quod per nullam vocabulorum notionem, mente concipi, & verbis explicari potest: sed hujusmodi est dogma Calvinistarum circa Sacramentum Eucharistiæ, ergo est commentitium, ac rejiciendum, ut fictitium. Major est certa, quia mysteria catholicæ Religionis debent posse concipi, ac explicari per communes vocabulorum notiones, quibus possimus in eorundem devenire cognitionem, alioquin verba sine sensu usurparemus, & essemus perinde, ac ii, quos Apostolus 1. *ad Timoth.* 1. dixerat: *Non intelligere, nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant*, & inde laxissima statim pateret occasio fingendi infinita mysteria in Religione ad confusionem invehendam, & ad fideles decipiendos: mysteria igitur nostræ Religionis debent posse per communes vocabulorum notiones, & mente concipi, & verbis explicari, ut fideles in unam eandemque coëant sententiam: & inter nostræ fidei mysteria nullum adest sublimius illo SS. Trinitatis, & nihilominus hoc mysterium per communes vocabulorum notiones cognoscere, & explicare valemus, dicimus enim in divinis dari tres personas, quarum in ratione personæ una non sit alia, & omnes tres unam eandemque simplicissimam habeant essentiam, & naturam, & id per communem notionem ternarii numeri; quia, ut scitè Augustinus *lib. 8. de Trinit. cap. 5. Cum credimus esse Trinitatem, novimus, quid sit Trinitas, quia novimus, quid sint tria*: ergo per communem vocabulorum notionem debemus etiam posse, & intelligere, & explicare Sacramentum Eucharistiæ. Minor probatur, quia per nullam communem notionem vocabulorum possumus concipere, & explicare, quod substantia corporis, & sanguinis Christi secundùm se ipsam vera, ac reali unione percipiatur in Sacramento Eucharistiæ, seu uniatur cum ipso communicante, si realiter non sit in Sacramento sub speciebus consecratis panis, & vini: quia secundùm communes vocabulorum notiones, quando duæ res simul uniantur realiter secundum illud esse reale, quod habent, si earundem una sit substantialis, & altera accidentalis, tunc accidens per informationem alteri rei substantiali, quo pacto habitus charitatis unitur substantiæ animæ ad constituendum unum secundùm quid: sin autem una se habeat per modum materiæ physicæ, & altera sit forma substantialis, tunc uniuntur per modum potentiæ, & actus substantialis in ordine ad constituendum unum per se simpliciter: quo pacto uniuntur in homine anima rationalis & corpus; in ligno materia prima, & forma ligni. Quòd si res ita uniantur, ut una alteram non informet, tunc uniuntur vel per continuitatem, ut duo palmi ligni bipalmaris, vel per contiguitatem, ut plures lapides in eodem acervo, vel per præsentiam internam localem, ut cùm duo corpora simul compenetrantur, & eundem occupant locum: præter has recensitas unionum notiones, non datur alia conjunctionis unio. Sed in sententia Calvinistica Christus nulla ex prærecensitis unionibus unitur cum ipso communicante: etenim non unitur informativè, ut accidens; quia Christi corpus est vera, & realis substantia. Neque informativè substantialiter, sicut forma auri unitur materiæ primæ, quia corpus Christi est ens in actu completo, & etiam ipse communicans, proinde non potest informativè substantialiter uniri, quia repugnat duo essentiæ substantialia in actu perfecto, & completo sic uniri, quia, quæ ita uniuntur, se habent per modum actus & potentiæ, ut constituant quid unum simpliciter: Neque Christi corpus unitur cum ipso communicante unione accidentali per continuitatem, nec per contiguitatem, nec intimam præsentiam localem seu indistantiam; quia hæ omnes uniones supponunt essentialiter extrema, quæ uniuntur præsentia secundum proprium suum esse reale, quod habent; & corpus Christi in sententia Calvinistica non est præsens Eucharistiæ secundùm suum esse verum, proprium, reale, & substantiale, imò abest longissimo locorum intervallo, quantum distat cœlum à terra: ergo per nullam verborum notionem potest explicari hæc Calvinistica arctissima unio, qua Christus in Eucharistia uniatur cum communicante, si non est præsens nec continetur sub accidentibus Eucharisticis secundum proprium esse reale.

Respondent Calvinistæ, posse hanc conjunctionem Christi cum anima communicantis explicari communibus notionibus, quæ habentur in scripturis, scilicet quod sit instar conjunctionis vitis & palmitis; stirpis, & plantæ; ædificii, & fundamenti; membrorum, & capitis; sponsi & sponsæ, domûs templi, & inhabitatoris. Sed contra quia in prærecensitis rebus non est talis arctissima conjunctio, quam fingunt Calvinistæ inter Christum, & Communicantem, quia asserunt, hanc propriè non esse secundum effectum, & influxum virtutis, sicut est in pluribus ex prærecensitis rebus: neque est substantialis, qualis habetur inter membrum & caput; vitem & palmitem; stirpem & plantam; quia corpus Christi non est ejusdem substantiæ cum communicante, sicut vitis cum palmite, caput cum membro corporis, & alia quæ sunt ejusdem speciei, & simul nectuntur. Neque est unio per continuitatem, vel contiguitatem, aut localem indistantiam, seu præsentiam localem, quia hæc itidem supponunt extrema simul existere & Calvinistæ nolunt corpus Christi secundùm suum esse verum, reale, proprium, substantiale esse in Eucharistia sub accidentibus Eucharisticis, sed tantum per figuram, signum, typum, vel symbolum, ut ipsi loquuntur, unde non Christi corpus uniretur cum ipso communicante, sed tantùm ejus figura, vel signum, quamobrem prærecensitæ similitudines depromptæ ex sacris scripturis non evincunt, neque explicant hanc Christi conjunctionem cum ipso communicante, quam adstruunt Calvinistæ. Hinc posset argumentum retorqueri: quia omnis spiritualis conjunctio Christi cum anima viri pii, quæ per supra recensitas similitudines, quibus in scripturis adumbratur unio Dei cum anima viri justi, non potest explicari, est omnino commentitia, & fictitia, proinde rejicienda: sed hujusmodi est hæc unio à Calvinistis invecta, quia in prærecensitis simili-

Digitized by Google

tudinib9 depromptis ex ſacris ſcripturis nulla innuitur ſpiritualis unio Chriſti cum nobis communicantibus: imò neque habetur conjunctio, quæ ſit rerum ſecundùm ſe, neque quæ ſit ſubſtantialis, nec accidentalis per informationem, nec per continuitatem, nec per contiguitatem, aut indiſtantiam, quia aſſerunt corpus Chriſti non contineri ſecundùm ſuum proprium, verum, & reale, ac ſubſtantiale eſſe in Euchariſtia; neque unà cum ſpeciebus Euchariſticis ſumi, & manducari à communicante, ſed tantùm in figura, vel ſigno per fidem, & quidem ore mentis, non ore corporis: ergo hæc Calviniſtica unio eſt omnino fictitia, ac rejicienda. Etenim ajunt Calviniſtæ, Chriſtum ſecundùm ſuum proprium, verum, reale, ac ſubſtantiale corpus eſſe in cœlis, cum ſuo ſanguine; non verò ſub accidentibus Euchariſticis: ergo ſecundùm ſuam realem ſubſtantiam per ipſos non unitur corpus Chriſti cum anima Communicantis, ſicut caput cum membris, vitis cum palmite, ſtirpis cum planta, quia hæ uniones exigunt extrema, quæ uniuntur, præſentia ſecundùm proprias entitates.

Reſpondent ſecundo, ſcripturas uti prærecenſitis ſimilitudinibus ad explicandam conjunctionem arctiſſimam Chriſti cum anima communicantis. Contra eſt, quia allatæ ſcripturarum ſimilitudines eò pertinent, ut declarent, Chriſtum cum hominibus piis uniri, vel ſecundùm effectum, ac influxum ſpiritualis virtutis, inſtar capitis, & membrorum; vitis & palmitis, ſtirpis ac plantæ: vel ſecundùm affectum, ſicut ſponſus unitur ſponſæ; Paterfamilias ſuis Domeſticis, quos diligit. Rurſus ex prærecenſitis ſimilitudinibus etiam intelligimus, quòd vita, & profectus omnis noſter ſpiritualis dependet à Chriſti gratia, ſine qua ſumus, ſicut membra ſine capite; palmites ſine vite, rami ſine ſtirpe: quæ omnia, ſi nullum recipiant vitalem influxum à capite, à vite, à ſtirpe ac radice, neceſſe eſt deficiant, & areſcant. Rurſus explicant, perinde nos à Chriſto diligi, ſicut à ſponſo dilectiſſima ſponſa, & à Patre familias diliguntur domeſtici: ſed Chriſtus in Euchariſtia unitur cum Communicantibus realiter ſecundùm propriam ſuam ſubſtantiam, ac per intimam localem præſentiam, quatenus recipitur, & manducatur unà cum accidentibus Euchariſticis, ſub quibus peracta conſecratione continetur verè, propriè, & realiter.

Hinc differunt Calviniſtæ à Catholicis, quia illi nolunt Chriſtum in Euchariſtia nobis eam ſumentibus uniri per fidem, & realiter ſecundùm effectum, non ſecundùm verum, proprium, ac reale ſuum corpus ſubſtantiale, quia volunt corpus Chriſti tantùm exiſtere in cœlis, & in Euchariſtia tantùm contineri ejus figuram, ſignum, ſigillum, vel ſymbolum, ut ipſi variant, conſequenter volunt, corpus Chriſti non uniri cum anima communicantis per hanc localem indiſtantiam, & intimam præſentiam: ſecus Catholici credunt, hanc unionem non ſolum fieri per effectum ſeu dona gratiæ, ſed etiam per localem indiſtantiam & intimam præſentiam veri, realis, proprii, ac ſubſtantialis corporis Chriſti contenti ſub ſpeciebus Euchariſticis conſecratis, cum quibus ſimul percipitur à communicantibus, ſeu ſumentibus Euchariſtiam.

Hoc fidei dogma docuerunt Apoſtoli, aſſeruerunt Sancti Patres, & tota fuit ſemper eccleſia faſſa, ait D. Auguſtinus *contra Julianum lib. 2. In eccleſia quod invenerunt, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis reliquerunt.* Quòd Sancti Patres hanc docuerit veritatem ab initio eccleſiæ conſtat; quia S. Irenæus *lib. 5. cap. 2.* ex hoc fidei dogmate probat animæ noſtræ immortalitatem, & carnem noſtram reſurrecturam immortalem, ait ipſe; *Quando negant, carnem capacem eſſe donationis Dei, quæ eſt vita æterna, quæ ſanguine, & corpore Chriſti nutritur.* Hoc autem argumentum nullius eſſet roboris, ſi communicantes ſub accidentibus Euchariſticis non ſumerent, & manducarent verum, reale, proprium ac ſubſtantiale Chriſti corpus, & ſanguinem, ſed tantùm utriusque ſigna, & figuras; quia pura ſigna in ſententia Calvini ſunt pura accidentia ſenſibilia, quæ vim non habent nutriendi, ſicut ſubſtantia: hinc Tertullianus *lib. de Reſurrect. carnis* ait: *Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur*, carnem noſtram veſci corpore, & ſanguine Chriſti, ut anima de Deo ſaginetur, eſt, non ore mentis, ſed ore corporis in Euchariſtia ſumere verum, ac reale Chriſti corpus, de quo loquebatur Tertullianus, & de quo *lib. 2. ad uxorem* ſcripſerat: *non credi à gentili homine eſſe in Euchariſtia.* Cyprianus *ſerm. 5. de lapſis* contra indignè ſumentes Euchariſtiam ait: *Exhalantibus nunc etiam ſuum ſcelus faucibus, & redolentibus funeſta contagia Domini corpus invadunt*: ſcilicet verum, reale, proprium, ac ſubſtantiale Chriſti corpus, quod ſub accidentibus continetur euchariſticis, quapropter paucis interjectis ſubdit: *Vis infertur corpori ejus, & ſanguini. Et plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negaverunt*, ſumere autem purum ſignum corporis Chriſti, non eſſet graviùs delinquere, quàm Chriſtum negaviſſe. Hinc de iiſdem ægrè ferentibus ſibi Euchariſtiam negari ſubdit: *Quòd non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.* S. Cyrillus Alexandrinus ac ſi prævidiſſet errorem Calviniſtarum egregiè eos pulſat inquiens: *Non negamus, recta nos fide, charitateque ſincera Chriſto ſpiritualiter conjungi. Sed nullam nobis conjunctionis rationem ſecundùm carnem cum illo eſſe, id profectò negamus. idque à divinis ſcripturis omnino alienum dicimus*; Poſtea non nullis interjectis ſubdit: *Unde conſiderandum eſt, non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verùm etiam participatione naturali. Non poteſt enim aliter corruptibilis hac natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, niſi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur.* Luculenter explicat Cyprianus hanc conjunctionem corporis Chriſti cum noſtro, quando ſub accidentibus Euchariſticis illud ſumimus, comedimus, ac deglutimus, per ſimilitudinem ceræ igni liquefactæ, quæ alteri ſimiliter liquefactæ ita immiſcetur, ut ex utraque factum eſſe quid unum videatur. Sicut igitur cera verè & realiter ſecundùm propriam ſubſtantiam, & non tantum ſecundum accidentia, ſignum, figuram incorporatur alteri ceræ liquefactæ; perinde cùm dignè ſub accidentibus Euchariſticis ſumimus corpus Chriſti, non ejus typum, figuram, ſigillum, & accidentia, ut ajunt Calviniſtæ, ſumimus, ſed veram, realem, propriam, & ſubſtantialem carnem, quæ fit nobis intimè præſens non ſolum per charitatem, fidem, & reliqua dona ſupernaturalia; ſed etiam per ſuam propriam, veram, ac realem ſubſtantiam. Unde Cyrillus Hieroſolymitanus 4. *Myſtag.* expreſsè ait: *Sub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis, ut ſumpto corpore, & ſanguine Chriſti efficiaris ei comparticeps corporis, & ſanguinis. Sic Chriſtophori erimus, ſeu Chriſtum ferentes, cum ejus corpus, & ſanguinem in membra noſtra receperimus*; *atque, ut B. Petrus*

Digitized by Google

Petrus dicit: divinæ naturæ conſortes efficiemur. Nil clariùs, nilque expreſſius ad confutandum errorem Calviniſtarum dici poſſit: ſi enim, ſub ſpeciebus panis, & vini datur nobis corpus, & ſanguis Chriſti, ſumusque participes verè, & realiter illius corporis, & ſanguinis, & Chriſtum nobiscum ferimus, evidenter ſequitur, in Euchariſtia eſſe verum, ac reale, & proprium ſubſtantiale Chriſti corpus, quod dignè communicantes ſecum ferunt, fiuntque Chriſtophori. Hinc D. Hieronymus *in cap. 1. Malach. Polluimus panem, id eſt, corpus Chriſti, quando indignè accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus*; diſtinguit accidentia panis à corpore Chriſti, & ait, communicantes non ſolum accidentia panis, ſed etiam ipſum Chriſti corpus ſumere, & comedere, quod etiam confirmat D. Auguſtinus *lib. 2. contra ad verſ. leg. & Prophet. cap. 9.* ubi ait: *Mediatorem Dei, & hominum Chriſtum JEſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde, atque ore ſuſcipimus*: aſſerit Auguſtinus Chriſtum in Euchariſtia non ſolum ſuſcipi fideli ore, ſeu corde ſed etiam corporis ore adeo, ut verum, ac reale Chriſti mediatoris corpus ſumatur in Euchariſtia una cum accidentibus. S. Gregorius Magnus *homil. 23. in Evangel.* ait: *Quid prodeſt, corpus & ſanguinem Chriſti ore percipere, & ei perverſis moribus contraire?* Quod verò Gregorius fuit locutus de vero, reali, ac ſubſtantiali Chriſti corpore, quod à communicantibus ſumitur una cum accidentibus Euchariſticis, ex eo liquet, quia ibi dixerat: *Quid ſit ſanguis agni, non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis: qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur: quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.* S. Joannes Chryſoſtomus *homil. 60. ad populum Antiochen.* ait: *Quod nunc dicunt, vellem ipſius formam aſpicere figuram veſtimenta calceamenta ecce ipſum vides, tandis ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta videre cupis. Ipſe autem tibi concedit: non tantum videre, verum & manducare, & tangere, & intra te ſumere.* Et rurſus *homil. 45. in Joan.* exclamat: *O miraculum! o Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Alii Sancti Patres, qui floruerunt primis Orientis eccleſiæ ſæculis, imò & tempore Apoſtolorum, quorum & fuerunt Diſcipuli hoc idem fidei dogma aſſertum à Chriſto in inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ ſemper docuerunt, ut eorum Succeſſores in doctrina morum probitate, & vitæ Sanctitate iisdem ſimiles ad noſtra uſque tempora ſemper docuerunt & ipſis potius tenemur credere, quam uni Calvino, & aliis ejusdem furfuris & Sectæ hominibus, qui non intelligentes, quomodo corpus Chriſti poſſit ſub accidentibus panis ſecundum propriam, veram & realem ſuum ſanguinem exiſtere, malunt uni Calvino credere, ibi non eſſe veram corporis Chriſti ſubſtantiam, ſed tantùm illius figuram, ſignum, & typum, nobis ſuggerens memoriam Chriſti paſſionis: Si non intelligunt humili & ſimplici fide credant ſub accidentibus panis eſſe in Euchariſtia præſentiam veri, ac realis corporis, & ſanguinis Chriſti mediante transſubſtantiatione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & ſubſtantiæ vini in pretioſum ſuum ſanguinem, flectant in obſequium fidei, cum tot Sanctis Patribus viriſque ſanctiſſimis, pientiſſimis, ac doctiſſimis, qui quovis tempore ab exordio Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum hoc fidei dogma crediderunt, & docuerunt, eò quia Magiſter Chriſtus hoc idem aſſeruit.

Mirum ſanè, quòd uni potius velint homines credere Calvino, quàm tot Sanctis Patribus, & univerſali Eccleſiæ hoc dogma docenti. Hoc idem illis contingit, quod ſub mundi initium Protoparenti; noluit Adam credere Deo dicenti; *In quocunque die comederis ex ligno ſcientiæ boni, & mali, morte morieris*: & maluit credere ſerpenti decipienti, quando *Geneſ. 1.* dixit: *Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum, & malum.* Quidni credidit Adam unico ſerpenti potius quàm Deo, & credidit, quod non vidit, non enim in illo fructu ligni virtus ſub ſenſum ullum cadebat, tantæ virtutis, quam ſerpens promittebat, & nihilominus maluit Adam ſerpenti credere, quàm primæ veritati dicenti: *In quocunque die comederis ex ligno*, ſeu ex eodem fructu *morte morieris*, & proinde, quia Deo non credidit, & à Dæmone ſub figura ſerpentis maluit decipi, ſe ipſum morti obnoxium conſtituit, imò & poſteros omnes reos æternæ mortis. Mirum, inquam, quod homines nolit credere Chriſto dicenti: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, & credant uni Calvino aſſerenti in Euchariſtia poſt conſecrationem non eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti. Sacrilegium illud Adami per Euchariſtiæ Sacramentum emendare Deus voluit, ut ſine ulla dubitatione crederemus ejus filio dicenti; *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, non autem crederemus ſerpenti dicenti: Hoc non eſt corpus Chriſti, ſed panis, & ejusdem corporis figura; ſed ſicut Adam, quia noluit Deo credere, voluitque fructum vetitum guſtare, & deglutire, unà cum fructu etiam mortem deglutivit, qua è vita æterna excidit: ita etiam Calviniſtæ nolentes Chriſto credere dicenti: *Hoc eſt corpus meum*, quod nobis dat ad manducandum, ut beneficio illius vitam recipiamus deperditam per deglutitum ab Adamo fructum, & maluit ſe à ſerpente ab homine nequam ſeduci, quam credere Chriſto offerenti ſuum corpus in refectionem animarum noſtrarum, & ut reſtituamur vitæ per comeſtionem, quam nobis perdiderat Adam per fructûs deglutitionem. Non quæramus cum Capharnaitis, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare, ad manducandum? ſed captivemus intellectum noſtrum in obſequium Chriſti, qui cum ſit filius Dei, & prima veritas, non poteſt falli, nec in dicendo nos fallere, & cum nobis dixerit *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, hoc accipiamus, & comedamus, credamusque ſimpliciter flectentes in obſequium fidei intellectum; hoc verè, realiter, ac propriè eſſe corpus Chriſti, ſicut ipſe fatetur, non verò figuram corporis, non ſignum, non typum. Non credamus Calvino cum ſerpente dicenti, Hoc non eſt corpus Chriſti, ſed panis, & ejusdem corporis figura, quia ſicut Adam quia guſtavit cibum à Deo vetitum, excidit à vita beata, ita & homines, quibus Chriſtus præcepit accipere, & comedere corpus ſuum, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, ſi flectant intellectum in obſequium fidei, & cum

Digitized by Google

& cum Capharnaitis non quærant, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*, ut vitam in primo parente deperditam iterum reſumant, & capitivent intellectum in obſequium Chriſti, potiùs quàm ſimplicis hominis, cùm omnis homo mendax ſit, & ſolus Deus verax, cùm *ipſe dixerit, & facta ſunt*: Non erat lux, & dixit, *fiat lux, & facta, eſt lux*: in ſubſtantia panis ante conſecrationem non erat corpus Chriſti, ſed per conſecrationem dixit Chriſtus Dei filius, qui non poteſt errare: *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, ergo cùm ſit verax jam ibi eſt ſubſtantia panis tranſmutata in verum, reale, proprium, ac ſubſtantiale Chriſti corpus, & non in ſolam figuram corporis, neque in ſolam charitatem, & alia dona ſupernaturalia, quibus arctiſſimè conjungimur Chriſto, ſed dixit, *hoc eſt corpus meum*, & *panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Cum igitur Chriſtus de veritate ſui corporis nos admoneat, non amplius quæramus cum Capharnaitis, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*, credamus primæ veritati, quæ nec falli poteſt, nec nos fallere, & præſertim, cum Angelus Chriſtum annuntians dixerit, non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum, & Apoſtolus aſſerat, quod tametſi Angelus de cœlo deſcenderet, aliudque annuntiaret, quàm quòd Chriſtus nos docuit, & ab eo audivimus, ei non credamus, & anathematizet illi credentes. Et Chriſtus verus homo, & verus filius Dei, qui propterea non poteſt mentiri, & ejus verbum in evangelio dicitur manere in æternum. Homines cum ſint mendaces, poſſunt nos decipere, & fallere, Chriſtus verò, quia eſt prima veritas, nec falli poteſt, nec nos fallere. Viderat Petrus in vertice Taboris Magiſtrum Chriſtum transfiguratum, audierat vocem de cœlo prolatam: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui ipſum audite*: & nihilominus *habemus firmiorem propheticum ſermonem.* Certius, ac firmius ei viſum fuit, quòd à Propheta ſcriptum legerat, quàm ipſa vox à cœlo allata, quam auribus audiverat. Quod ſi Propheticus ſermo adeo certus, & firmus viſus eſt, quanto magis nobis debet videri certior Chriſti ſermo.

Probari ulteriùs poteſt noſtrum fidei dogma, quia in uſu illo externo ſumptionis Euchariſticæ habetur verum, & reale Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ut fatentur ipſi Calviniſtæ: atqui non poſſet haberi verum, & reale Sacramentum, niſi corpus verum reale, & proprium Chriſti adeſſet, quod ore corporis unà cum accidentibus Euchariſticis à fidelibus communicantibus ſumeretur, etenim ſi tunc ſolis animis, ſeu ore mentis perciperetur, non ore corporis nullum in illo uſu externo manducationis Dominicæ cœnæ, & ſumptionis Euchariſticæ haberetur Sacramentum, ergo ſi in illo uſu ſumitur Sacramentum, conſequens eſt, ut tunc corpus, & ſanguis Chriſti ſumantur non ſolùm ore mentis, verum etiam ore corporis. Majorem concedunt Calviniſtæ, aſſerentes, Euchariſtiam eſſe verum, & reale Sacramentum. Minor oſtenditur, quia, ut aliqua externa actio, ſeu cæremonia ſit Sacramentum, debet eidem eſſe adnexa certa divina promiſſio, de danda gratia in uſu cæremoniæ, vel externæ actionis: id enim requiri ad veram rationem Sacramenti, fatentur omnes Sectarii & præſertim Calviniſtæ, qui ulterius volunt hanc divinam promiſſionem debere in ſcripturis expreſsè contineri: & hanc promiſſionem dicunt per Sacramentum, ſeu ſacrum ſignum, veluti ſigillo quodam obſignari: ſed hanc promiſſionem gratiæ conferendæ in uſu illo externo Euchariſtiæ non poſſunt Calviniſtæ ex ſcripturis probare, niſi fateantur cum Catholicis in illo externo uſu Euchariſtiæ, ſeu manducatione dominicæ cœnæ communicantes ore corporis ſumere verum reale, ac ſubſtantiale Chriſti corpus, etenim ex ſcripturis non poſſumus probare hanc divinam promiſſionem, niſi ratiocinemur hoc pacto, Omnis, qui verè, ac dignè communicat verum, & reale ac ſubſtantiale Chriſti corpus comedit, & bibit ejus ſanguinem, percipit gratiam ſupernaturalem ex Dei promiſſione: etenim hæc promiſſio nobis facta habetur *Joan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, & paulò ſuperiùs dixerat Chriſtus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; qui manducat me, vivet propter me*, ex iſtis enim & aliis textibus depromptis ex præcitato *cap. 6. Joan.* Chriſtus promiſit dignè communicantibus ſuam carnem, & bibentibus ſuum ſanguinem vitam æternam, ſeu gratiam, quæ eſt ſemen, ſeu inchoatio vitæ æternæ, ſed omnis qui dignè communicat, ac percipit Euchariſtiam, comedit verè, & realiter ore corporis, modo quidem divino, ac mirabili Chriſti corpus *Matth. 26. Accipite, & manducate. Hoc eſt corpus meum*, ergo omnis qui dignè percipit Euchariſtiam, eo ipſo ex certa Chriſti promiſſione percipit in illo externo uſu, ſeu in illa manducatione accidentium panis & corporis Chriſti ipſam gratiam, quam Chriſtus *Joan. 6.* ſpopondit manducantibus hunc panem, ſeu ejus carnem, & bibentibus ejus ſanguinem: ſi enim excipiamus ſermonem, quem Chriſtus habuit *Joan. 6.* Nullus alius ſupereſt locus novi teſtamenti, in quo habeatur Chriſti promiſſio de conferenda gratia in uſu Euchariſtiæ, non enim hæc promiſſio continetur in illis verbis *Matth. 26. Hoc eſt corpus meum*: quia hæc verba ſunt tantùm aſſertoria de præſenti, non promiſſoria de futuro, neque in illis aliis verbis: *Qui pro nobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, quia hæc verba directa fuerunt ad oblationem corporis, & ſanguinis Chriſti, quæ pro ſalute omnium facta eſt Deo Patri; non autem ad oblationem, qua corpus, & ſanguis Chriſti data fuerunt Apoſtolis in ultima cœna, & nunc exhibentur fidelibus in Euchariſtia; ſed per uſum externum Euchariſtiæ, quo dignè communicantibus ex Chriſti promiſſione confertur gratia, percipitur verum, reale, proprium, ac ſubſtantiale Chriſti corpus, quia promiſſio gratiæ conferendæ in hoc uſu habetur tantùm *Joan. 6.* ubi Chriſtus promittit gratiam, & vitam æternam comedentibus veram realem, propriam ac ſubſtantialem ejus carnem, & bibentibus ejus ſanguinem: & cum Calviniſtæ negent per illum externum Euchariſtiæ uſum percipi ore corporis carnem, & ſanguinem Chriſti, ideo in eorundem ſententia ſequitur, communicantes non comedentes ore corporis verum, reale, ac ſubſtantiale Chriſti corpus, non percipere gratiam, conſequenter neque externum illum uſum eſſe Sacramentum, Calviniſtæ ſiquidem aſſerunt ad rationem Sacramenti requiri, ut per ejus uſum conferatur gratia ex Dei promiſſione clarè expreſſa in ſcripturis, & in hiſce, ut oſtendimus nullibi clariùs, & expreſſiùs promittitur gratia conferenda in uſu Euchariſtiæ, quàm *Joan. 6.* ubi Chriſtus ait: Manducantibus in uſu Euchariſtiæ ejus carnem, & bibentibus ejus ſanguinem ſe eſſe daturum gratiam, & vitam æternam, & quia Calviniſtæ negant per uſum Euchariſtiæ, ſeu actionem illam externam non ſumi corpus Chriſti ore corpo-

corpo-

Digitized by Google

corporis; in eorum ſententia actio illa deſtituitur divina promiſſione, quam ipſi requirunt ad rationem Sacramenti, conſequenter per ipſos hæc eadem externa actio deſtituitur ratione Sacramenti.

Sed reſpondent Calviniſtæ percipi in uſu Euchariſtiæ corpus, & ſanguinem Chriſti, pro ut ſignificantur per panem, & vinum, adeo ut non ſumatur corpus Chriſti, niſi ut mortuum, & exangue; & ſanguis nonniſi fuſus à Chriſti corpore, & ab eodem ſeparatus. Sed contra, quia in uſu Euchariſtiæ corpus & ſanguis Chriſti ſumuntur ſecundùm illud eſſe, quod modo habent, non quod aliquando habuerunt, quia quæ non ſunt, ſed tantùm aliquando fuerunt, non poſſunt percipi ſecundùm ſe, cùm in ſe non amplius exiſtunt: ergo in ſententia Calviniſtica in uſu Euchariſtiæ vel non ſumuntur corpus, & ſanguis Chriſti, vel tantùm percipiuntur ſecundùm effectum, ſeu gratiam, & dona ſupernaturalia, etenim volunt Calviniſtæ corpus, & ſanguinem Chriſti in uſu Euchariſtiæ non aliter percipi, quàm per panem, & vinum ſignificentur: qua ratione panis, & vinum ab iiſdem vocantur ſigilla, ſigna corporis, & ſanguinis Chriſti: Sed ipſi cenſent, corpus nonniſi ut mortuum, & exangue ſignificari per panem, & ſanguinem nonniſi ut fuſum, ac ſeparatum à corpore per vinum, ergo per ipſos non percipitur in uſu Euchariſtiæ corpus Chriſti, prout nunc eſt; ſed ſicut aliquando fuit, conſequenter non percipitur ſecundùm ſe; ſed tantùm ſecundùm effectum, ſeu gratiam, quam Chriſtus nobis ſua morte promeruit. Rurſus in uſu Euchariſtiæ non aliter percipitur Chriſti corpus, quàm ſecundùm Chriſti inſtitutionem: ſed Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, ut in ejus uſu perciperetur verum, ac reale ſuum corpus animatum, quia cùm Chriſtus in ultima cœna dixit: *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, tunc vivebat, & Chriſtus tradidit Diſcipulis ſuum ipſum corpus, quod tunc habebat, & ſanguinem ut conjunctum corpori, ergo ſi in uſu Euchariſtiæ percipitur nunc illud idem corpus, quod in ultima cœna, quando fuit inſtitutum hoc Sacramentum, perceperunt Apoſtoli; nulli poteſt dubium eſſe, quin verum, reale, ac ſubſtantiale, & animatum Chriſti corpus percipiatur in uſu Sacramenti.

Hac ratione convicti non nulli Calviniſtæ fatentur, corpus Chriſti, quamvis diſtet à pane & vino Euchariſtiæ, tantùm, quantùm cœlum à terra, volunt in pane, & vino verè percipi, ſed ore mentis, non ore corporis, nec ore ventris. Sed contra, quia quod non eſt realiter præſens in pane, non poteſt realiter percipi in eodem pane; conſequenter ſi Calviniſtæ negant veram, ac realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, ſeu in pane, & vino, non poteſt percipi realiter in pane, & vino, quis enim diceret, me in pane turdum comedere, ſi turdus in pane non contineretur, ſed in ſylva volaret? ita non poteſt quis percipere in pane Euchariſtico corpus Chriſti, ſi hoc in illo pane non contineatur, ſed ab illo diſtet, quantùm cœlum à terra, ut aſſerunt Calviniſtæ, rurſus putant Chriſtum nullo corporali nexu conjunctum eſſe cum ſignis, ut ipſi vocant panis, & vini: neque ullo ſpirituali nexu; ſed tantùm ſolo reſpectu, quo res ſignata nectitur cum ſuo ſigno, & viciſſim ſignum cum re ſignata, ut loquitur Beza in colloquio Mompelgardenſi, & declaravit ſententiam Calviniſtarum, inquiens: *Sacramentalem conjunctionem ponimus in mutua ſignorum, & rerum ſignatarum relatione, & habitudine*; Sed nexus habitudinis, ſeu ordinis, ac relationis non ſufficit, ut corpus, & ſanguis Chriſti dicantur conjuncta cum illo pane, & vino, ac iiſdem præſentia: non enim pecunia dicitur ibi præſens, ubi ejus promiſſio literis obſignatis ſigillo confirmata eſt: Siquidem poteſt quis apud ſe detinere ſchedam continentem ſcriptam promiſſionem, & carere promiſſa ſibi pecunia, qua indiget. Præterea, quia, ut ait Apoſtolus *ad Coloſſ.* 2. & *ad Hebr.* 10. Sacrificia veteris legis typi & ſigna fuerunt Chriſti, & tamen nemo dixerit, Chriſtum fuiſſe illis Sacrificiis realiter præſentem. Apoſtolus enim ait, ſigna & typos rerum eſſe veluti umbras earundem; non autem eſſe res ipſas, quarum ſunt typi, ſigna, & figuræ. Unde ex eo, quòd accidentia panis, & vini ſint ſigna, & typi corporis, & ſanguinis Chriſti, non inde ſequitur, eſſe ipſum corpus, & ſanguinem Chriſti: Sicut ex eo, quòd in tabella ſit mea effigies depicta, non ſequitur, quòd in tali tabella ſit mea ſubſtantia.

CAPUT XVI.

Explicantur, & evertuntur præcipua fundamenta, quibus innititur error Calviniſtarum.

PRimùm fundamentum, cui innituntur Calviniſtæ inficiantes in Euchariſtia tranſubſtantiationem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, ac negantes in Euchariſtia poſt conſecrationem ſub accidentibus panis, & vini veram, propriam, ac realem præſentiam ſubſtantiæ corporis, & ſanguinis Chriſti deſumitur à pari, quia in Baptiſmo non tranſubſtantiatur aqua: Ergo neque in Euchariſtia panis; non enim poteſt ulla ſufficiens adduci ratio diſcriminis, æquè enim Baptiſmus, ac Euchariſtia ſunt Sacramenta in lege Evangelica à Chriſto inſtituta. Rurſus de Baptiſmo dicuntur in Scripturis ſimilia iis, quæ de Euchariſtia, etenim de Baptiſmo, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvabitur: & de Euchariſtia, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sed contra, negatur conſequentia, eſt enim diſcrimen, quia Chriſtus in ultima cœna, quando hoc Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, accipiens panem, dixit: *Hoc eſt corpus meum*, indicans ſubſtantiam panis tranſiiſſe in ſubſtantiam corporis Chriſti, de aqua autem in Baptiſmo non dixit, eſſe rem aliam: unde patet diſcrimen, quia cùm Chriſtus dixerit illa verba de pane, quem in ultima cœna acceperat in manibus, non de aqua, quando Baptiſmum inſtituit, aſſignatur diſcrimen, cur in Baptiſmo non tranſubſtantietur aqua, bene tamen panis in Euchariſtia.

Sed reſpondent Calviniſtæ ex verbis illis, *hoc eſt corpus meum*, non poſſe inferri tranſubſtantiationem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, eò quia verba Chriſti non ſint intelligenda propriè, ſed figuratè, ac tropicè, adeo ut tropus ſit vel in verbo *eſt*, quod idem ſit, ac *ſignificat*, & ſenſus ſit, hoc ſignificat corpus meum, perinde ac *Geneſ.* 14. dicitur: *Septem ſpicæ ſunt ſeptem anni ubertatis*, hoc eſt, *ſignificant* ſeptem annos ubertatis: & *Luc.* 8. dicitur: *Semen eſt*

Digitized by Google

verbum Dei, hoc eſt, *ſignificat* verbum Dei. *Matth.* 11. dixit etiam Chriſtus de Joanne: *Ipſe eſt Elias*, & Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 10. ait: *Petra autem erat Chriſtus*, id eſt, *ſignificabat* Chriſtum, vel tropus eſt in nomine *corpus*, ut ſenſus ſit: Hic panis eſt figura vel ſignum, aut typus mei corporis per figuram, quam Rhetores vocant metonymiam, qua nomen rei ſignificatæ tribuitur ſigno, quo pacto *Exodi* 7. virgæ præſeferentes ſimilitudinem Draconum, vocantur dracones, & indicata effigie Cæſaris in tabella, dicitur, hic eſſe Cæſar, vel demum tropus poteſt eſſe in pronomine *meum*, ut ſenſus ſit, *Hoc eſt corpus meum*, ſcilicet à me *productum*, ſicuti *Matth.* 6. dicitur: *Hic eſt Filius meus.*

Sed contra, quia verba à Chriſto prolata: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, continent infallibilem veritatem: Sed Chriſtus ea protulit ſupra panem, quem in manibus tunc habebat: ergo corpus Chriſti verè, ac realiter continetur ſub illis ſpeciebus panis, & vini: cùm ſit Chriſtus etiam Deus, & prima veritas non poteſt falli, nec nos fallere, ſeu falſum dicere, conſequenter verba illa debuerunt vera eſſe: nec alio modo potuerunt vera eſſe, quàm in illo ſenſu, quo intelligimus corpus Chriſti verè, & realiter eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini, neque poteſt per pronomina *hoc*, vel *hic* aliud ſignificari, quàm ipſum corpus Chriſti in fine prolatæ propoſitionis, vel ſubſtantia panis, antequam fiat tranſubſtantiatio, & prædicatum propoſitionis dicatur de ſubjecto, vel indeterminatè aliquid commune ad ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti.

D. Thomas 3. *part. art.* 5. aſſerit illud pronomen *hoc* ſignificare ſubſtantiam, ſed abſque determinatione propriæ naturæ, ſeu demonſtrare aliquid commune ad ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti. Hæc tamen reſponſio videtur pati aliquam difficultatem, quia, ſi demonſtrat aliquid commune ad ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti, vel eſt panis, vel corpus Chriſti, vel quid tertium, ſed non eſt panis, nec corpus, nec aliquid tertium, quia illud aſſignari non poteſt. Sed D. Thomas, quando dixit eſſe quid commune, intellexit, quod pronomen *hoc* ſit applicabile pluribus, ſcilicet ſubſtantiæ panis, vel corporis Chriſti, vel quia profertur ab initio propoſitionis, antequam determinetur prædicatum, quod dicatur de ſubjecto, ideo in hoc ſenſu dicitur quid commune abſque determinatione: Calviniſtæ, & Lutherani impanatores aſſerunt, pronomen *hoc* ſignificare panem, ejuſque ſubſtantiam, adeo ut panis ſit ſubjectum propoſitionis, Hoc eſt panis, ſeu idem etiam fatentur Calviniſtæ aſſerentes, in Euchariſtia non eſſe verum, & reale, ac proprium corpus Chriſti, ratio eorum eſt, quia pronomen *hoc* eſt demonſtrativum, quando profertur, ſiquidem debet aliquid demonſtrare, ſed quando profertur à Chriſto, non demonſtrat niſi panem, nam demonſtrat, quòd ipſe habet in manibus, & tunc habuit panem, quem Dominus accepit, fregit, benedixit, & dedit, omnia enim verba regunt eundem accuſativum panem, quem accepit, fregit, & benedixit, ex quo inferunt pronomen *hoc* demonſtrare panem. Catholici verò, quamvis conveniant in aſſerenda veritate corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini: diffident tamen in modo explicandi, quid propriè demonſtrant pronomina *hoc*, vel *hic*. Acatholici verò tam variè, & confuſè hæc quatuor verba: *Hoc eſt corpus meum*, explicarunt ad declinandam præſentiam realem Chriſti, & tranſubſtantiationem, quam profitetur Eccleſia Catholica, ut Sanctæus referat 84. eorundem expoſitione omnes falſas, & à veritate aberrantes, cùm una tantùm ſit Fides, una Veritas, unus Chriſtus, Joan. 14. *Ego ſum veritas.*

Reſponſio Calviniſtarum, & Lutheranorum facilè rejicitur, quia vel pronomen *hoc* ſumitur adjectivè, vel ſubſtantivè, ſi adjectivè, & debet concordare cum ſuo ſubſtantivo, & hoc pacto non poteſt demonſtrare panem, ſed corpus Chriſti: ſiquidem panis eſt maſculini generis tam græcè, quàm latinè, unde potius deberet dici, *hic eſt*, rurſus in altera ſpecie vinum græcè eſt maſculini generis, & ſanguis eſt neutrius, latinè autem è contrario vinum neutrius generis, & ſanguis maſculini, & nihilominus omnes legunt, *hic eſt ſanguis*, non verò *hoc*, ſcilicet vinum, & ſanguis. Si ſumatur ſubſtantivè, tunc ſenſus eſt, hoc ſcilicet contentum ſub iſtis accidentibus ſenſibilibus eſt corpus meum, proinde ſi pronomen *hoc* prædicaretur de pane, eſſet propoſitio abſurdiſſima, quia hoc non poteſt dici de re præſenti, quæ cernitur, & cognoſcitur, niſi res illa ſit generis neutrius, unde neque de pane, quem Diſcipuli videbant, rectè dici potuit: *Hoc eſt corpus meum.*

Ad id, quod addebant Sectarii, quòd Chriſtus acceperit panem, fregerit, benedixerit, & dederit Diſcipulis, reſpondetur, Chriſtum accepiſſe quidem panem, ac benedixiſſe, ſed non dediſſe illum eundem vulgarem panem, quem acceperat, ſed jam benedictum, & per benedictionem mutatum in corpus Chriſti, quia prius panem accepit, & poſtea benedixit, ſeu conſecravit, & tunc per conſecrationem, quod antea erat ſubſtantia panis, tranſmutatum fuit in corpus Chriſti, quod poſtea fregit, deditque Diſcipulis ſuis, unde quamvis omnia præfata verba regant eundem accuſativum, non tamen eodem modo ſe habentem, neque id videri debet inſuetum: nam ſi quis dicat, quidam percuſſit Petrum, occidit, & ſepelivit, non intelligitur, quòd Petrus, qui vivus fuit, percuſſus fuerit, etiam vivus ſepultus, hinc etiam ipſi Calviniſtæ tenentur id concedere, quia volunt, Chriſtum accepiſſe vulgarem panem, & dediſſe Sacramentalem ſuis Diſcipulis, adeo ut non eodem modo acceperit, & dederit in eorum ſententia.

Scotus vult pronomine *hoc* formaliter, & per ſe demonſtrari aliquid commune ſubſtantiæ panis, & corpori Chriſti, non tamen commune ſecundùm rem, ſed ſecundùm rationem, ſeu denominationem, ita ut ſenſus ſit, contentum ſub accidentibus panis eſſe corpus Chriſti, & aſſerit, pronomen *hoc* demonſtrare ſingulare entis, non per ſingulare minus univerſale, quàm hoc ens. Pro quo juvat obſervare propoſitionem tantùm veram eſſe in ultimo prolationis inſtanti, quia tunc tantùm eſt integra, quod patet, quia conceptus dictionis habetur in fine tantùm ejus prolationis, conſequenter etiam in fine propoſitionis, quia ſicut ſyllabæ ſunt partes dictionis, ita dictiones ſunt partes, propoſitionis, orationis, ſeu enuntiationis.

Quòd ſi dicas, ſignificatum propoſitionis haberi ex partium ſignificatione, & partes ſignificare, quando proferuntur, conſequenter conceptum orationis haberi ante ultimum prolationis. Contra eſt, quia aliud eſt loqui de partibus in ſe, & aliud, ut ſunt partes orationis complexæ, primo modo ſignificant, dum proferuntur, non verò ſecundo modo. Præterea non valet objectio, quia conceptus dictionis non habetur niſi tota dictione prolata, proinde nec propoſitio ſignificat, dum profertur, ſed tantùm in ultimo prolationis, non enim pronomina *hoc* & *hic*, & verbum *eſt* ſignificant compoſitionem inter pronomen *hoc*, & verbum *eſt*, ſi enim dicatur, *hoc eſt*, non eſt propoſitio determinata, niſi addatur præ-

Digitized by Google

prædicatum aliquod; propositio enim propriè sumpta, & completa constat tribus terminis subjecto verbo prædicato, ut in hac propositione: *Petrus est doctus*, Petrus est subjectum, de quo prædicatur doctrina, & verbum est simul nectit utrumque terminum, & est ratio, cur prædicatum enuntietur de subjecto. Hæc enim est natura propositionis, ut non habeat completam significationem, nisi posito prædicato. Rursus pronomen *hoc* potest dupliciter considerari, primò per se, ut est *simplex* pronomen, & hoc pacto non habet determinatam significationem, sed vagam, & indeterminatam, siquidem, cùm profero particulam *hoc*, possum designare substantiam, vel accidens, aut compositum ex utroque. Secundò potest considerari, ut est terminus, & subjectum propositionis, cujus significatum determinatur à prædicato, & tunc constituit unam integram significationem unà cum verbo, & prædicato; cùm autem ante prolationem verbi, & prædicati nondum completa sit essentia, & significatio propositionis, seu enuntiationis, si enim dicatur, *hic est*, non habetur propositio completa, bene tamen, si dicatur *hic est Petrus*. Igitur in Eucharistia illud pronomen *hoc* stat pro corpore, & pronomen *hic* pro sanguine consecrando, adeo ut non significet contentum sub speciebus pro eo signo, & tempore, quo pronomen *hoc* profertur, sive consideretur, ut simplex terminus, sive ut subjectum propositionis, consequenter non potest pro eo signo, quo profertur, significare panem, quia tunc non habet significationem determinatam, sed suspensam, donec determinetur ad significandum id, cui potest convenire prædicatum, scilicet corpus meum, quia autem id, cui prædicatum convenit, est corpus Christi, quod continetur sub speciebus panis, sequitur, quòd statim prolato prædicato illud pronomen *hoc* significet hoc idem prædicatum, seu corpus Christi: & pro eo etiam supponat, & sensus propositionis sit, quod continetur sub speciebus est verum, & reale corpus Christi, & idem dicendum de pronomine in secunda consecratione: *Hic est sanguis meus*.

Ad id, quod asserebant Calvinistæ, verba à Christo prolata esse intelligenda tropicè, respondetur juxta generalem Sanctorum Patrum regulam, quam tradit Augustinus *lib. 3. de doctrina Christiana cap. 20*. Verba sacræ Scripturæ semper in sensu obvio, & proprio intelligenda sunt, quoties ex illo non sequitur inconveniens: alioquin, si licitum esset, verba sacræ Scripturæ detorquere in sensus improprios, & locutiones figuratas nihil certi è sacris Scripturis inferri posset; cùm nullus sit in illis textus adeo expressus, & clarus, cujus sensus non possit ad tropos, & figuras deduci: qua ratione Ariani figuratè explicârunt illud Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, & Marcionistæ illud Joan. 1. *Verbum caro factum est*, ut Verbi Incarnationem negarent, & Origenistæ illud 1. *ad Corinth. 15. Mortui resurgent incorrupti*, ut carnis negarent resurrectionem, unde in explicandis Scripturis hæc regula observanda est, ut semper in sensu proprio, & obvio intelligantur verba textûs, nisi evidens falsitas, impossibilitas & absurditas adigat ad tropicas, & figuratas locutiones: & quia nulla absurditas, nulla impossibilitas nos adigit, ad deserendum sensum proprium, & obvium, quem verba à Christo prolata præseferunt in consecratione: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, debent hæc verba intelligi in sensu proprio, & obvio, sicut cùm dixit *Genes. 1. Fiat lux, & facta est lux*, seu traducta de non esse ad esse, non enim difficiliùs fuit Deo transubstantiare substantiam panis in suum corpus, & vinum in suum sanguinem, quàm ex nihilo tradúcere ad esse totam hanc mundi machinam.

Rursus quoties locutio sacræ Scripturæ est tropica, & figurata, tunc in alio Scripturæ loco habetur sensus proprius, adeo ut à sacris interpretibus traditur hæc alia regula, qua dicunt, nullum esse locum ex sacra Scriptura, in quo sit locutio figurata, quinimò in alio loco non explicetur clarè, & apertè, ac constet illam locutionem fuisse figuratam, quapropter si alicubi in Scripturis Deo tribuuntur membra humani corporis, hæc locutio est tunc intelligenda tropicè, ac figuratè, quia alibi Deus expressè dicitur spiritus, & negatur esse corporeus, sed nullus in Scripturis est assignabilis locus, in quo negetur realis præsentia corporis Christi in Eucharistia: neque ex quo possit constare hanc esse locutionem figuratam: quinimò, ubicunque loquitur Scriptura de hac reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, semper iisdem verbis hæc veritas explicatur, scilicet: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*: ergo hæc verba intelligenda sunt in sensu proprio, & obvio, non verò tropicè, & figuratè.

Præterea, quia locutio figurata, & tropica nunquam in sacris Scripturis invenitur, neque admittitur, ubi traduntur mysteria nostræ fidei, hæc enim semper explicantur per verba, quæ intelliguntur in sensu proprio, & obvio. Sed Christus, quando in ultima cœna accepto pane dixit: *hoc est corpus meum*, tradidit Discipulis & posteris mysterium Eucharistiæ, seu dogma nostræ fidei, ergo verba Christi accipi debent in sensu proprio, non figurato, quia verba, quibus traduntur dogmata fidei, debent esse clara, omnemque excludere ambiguitatem, & æquivocationem, qua possint diversimodè interpretari.

Præterea, quia verba à Christo prolata, quando in ultima cœna accepto pane instituit hoc Sacramentum, non possunt in alio sensu accipi, quàm in sensu proprio, & obvio, quo significant, quòd ante consecrationem erat sub speciebus panis substantia, quæ revera ex vi consecrationis fiat corpus Christi, quia illud verbum *est* ratione sui præcisè, non potest sumi in alia significatione, quàm in propria, siquidem est simplex verbum substantivum, quod ob sui simplicitatem in nullum aliud resolvitur; & reliqua omnia in ipsum resolvuntur, ut cùm dicitur: homo loquitur, comedit, bibit, dormit, sensus est, quòd homo sit loquens, comedens, bibens, dormiens, unde, cùm omnia alia verba trahantur ad ejus significationem, non potest ipsum verbum *est* trahi ad aliam significationem, alioquin deberet in se ipsum resolvi, quod implicat, ac ejus repugnat simplicitati.

Demum, quia verbum *est* in propositione de secundo adjacente, ut est hæc à Christo prolata, *hoc est corpus meum*, ut docet Aristoteles *lib. 1. Hermin. cap. 3.* nil significat præter unionem extremorum, qua ratione vocatur copula: ergo non potest in figuratam detorqueri significationem, alioquin non esset simplex copula, sed extremum.

Quod nec etiam ly *corpus* possit figuratè sumi, nec possit esse sensus, *hoc est figura corporis mei*, ut explicant Calvinistæ, est etiam probatu facile, quia pronomen *hoc* in propositione Christi denotat vel substantiam panis, vel Christi corpus, si dicatur hoc secundum, sequitur, corpus Christi non sumi figuratè, alioquin corpus Christi esset signum, & figura sui ipsius, neque Christus dixit: *hoc est figura corporis mei*, bene tamen, *hoc est corpus meum*.

Demum neque pronomen *meum* potest figuratè sumi, ut sensus sit ille Hæreticorum:

Hoc

Digitized by Google

Hoc eſt corpus, quod à me creatum eſt, quia ſtatim ſubdit, *quod pro vobis tradetur*; & conſtat, non panem, non figuram, non typum corporis Chriſti traditum fuiſſe pro hominibus redimendis, ſed verum, reale, ac ſubſtantiale Chriſti corpus, ut etiam verum, & realem, ac ſubſtantialem Chriſti ſanguinem, hinc *Joan. 6.* dixit Chriſtus: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.*

Hac ratione convicti Hæreticorum nonnulli reſpondent, Chriſtum ſolùm in ultima cœna fuiſſe præſentem ſub ſpeciebus illis panis à ſe conſecratis: non verò poſtea in his, quæ ab aliis Sacerdotibus conſecrantur. Sed contrà, quia Sacerdotes non proprio, ſed Chriſti nomine proferunt verba conſecrationis, & quidem ex ipſius inſtitutione, ac mandato, quapropter, etiam ut prolata à Sacerdotibus ſunt infallibilis veritatis, etenim dixit Chriſtus Diſcipulis ſuis, ac cæteris Sacerdotibus ſucceſſivè in Eccleſia: *Hoc facite in meam commemorationem*, & ſicut repugnat Chriſtum mentiri per ſe ipſum, eò quia ſit ſumma, & prima veritas, ita etiam implicat poſſe mentiri per ſuos Miniſtros, quoties loquuntur, & operantur nomine ipſius, quæ ipſe præcepit.

Inſtat tamen Boquinus Calviniſta, verba conſecrationis proferri quidem à Sacerdotibus nomine Chriſti, cujus ſunt Miniſtri, ſed negat inde ſequi, Chriſtum ex vi verborum eſſe realiter præſentem in Euchariſtia, ſed ſufficere. ſi ſit in illa tanquam in ſigno, quia cenſet verba conſecrationis eſſe tantùm vera per communicationem idiomatum. Sed contra: quia ad communicationem idiomatum non ſufficit quæcunque unio, ſed requiritur unio hypoſtatica duarum naturarum in uno ſuppoſito, ut in Chriſto Domino, in quo natura humana unitur perſonæ Verbi divini, ex qua unione, quæ dicuntur de natura divina, prædicantur de humana Chriſti. Præterea neque videtur hæc unio hypoſtatica ſufficere, ut una pars naturæ humanæ Chriſti prædicetur de Deo; non enim valet hæc propoſitio: *Anima Chriſti eſt Deus*; neque dicimus, *Corpus Chriſti eſt Deus*, ſumpto corpore pro altera parte naturæ humanæ Chriſti: unde ſi unio ſigni cum re ſignata ſufficeret ad communicationem idiomatum adhuc (ex vi talis unionis) non eſſet vera hæc Chriſti propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, ſed hæc alia: *Hoc eſt mea natura humana*; quia per communicationem idiomatum non dicimus: *Deus eſt anima Chriſti*: neque *Deus eſt corpus Chriſti*, ſed Deus eſt homo includens utramque partem, animam, & corpus ſimul. Demum quia communicatio idiomatum tantùm habetur de rebus, quæ uniuntur in uno tertio, in quo ſimul res diverſæ uniuntur; non enim dicimus, *Deitas eſt humanitas*: neque è converſo: bene tamen dicimus, *Verbum divinum eſt Deus, & homo*: quapropter ratione communicationis idiomatum non rectè diceretur: *Hic panis eſt corpus Chriſti*, quia Sacramentum eſſet illud tertium, in quo fieret unio ſigni cum re ſignata; & tantùm diceretur, hoc Sacramentum eſt panis, & corpus Chriſti.

Secundum Calviniſtarum fundamentum eſt, quia etiam poſt prolata verba conſecrationis non ſolùm à Sanctis Patribus: ſed etiam in Scripturis Euchariſtia vocatur panis: quòd ſi dicitur panis, non eſt corpus Chriſti, à quo diſtinguitur panis, ſed tantùm ſignum, vel figura, aut ſymbolum corporis Chriſti; Sicut in lege veteri manna, quod pluit in deſerto, non fuit corpus Chriſti futuri: ſed tantùm figura, ſignum, vel ſymbolum; pari pacto poſt conſecrationem panis aſſumitur, ſeu elevatur, ut ſit ſignum, vel figura Chriſti, qui jam extitit in terris, & nunc exiſtit in cœlis, ex quo inferunt, Chriſti corpus non eſſe in Euchariſtia poſt conſecrationem, niſi ut in ſigno, & figura, quatenus panis conſecratus eſt figura, & ſignum corporis Chriſti: Sed huic argumento jam ſuperius ſatisfecimus, & iterum reſpondemus; Euchariſtiam poſt conſecrationem in Scripturis, & Sanctis Patribus vocari panem, & vinum, non quòd ſubſtantia panis, & vini maneat in Euchariſtia poſt conſecrationem: ſed quia ex pane, & vino conſecrata eſt Euchariſtia: Unde quoties Sancti Patres vocant Euchariſtiam panem, ſemper addunt aliquod prædicatum, ex quo conjiciatur, ipſos non loqui de pane vulgari, ſed de pane cœleſti Angelorum, ſeu de corpore Chriſti. Hinc Tertullianus *lib. adverſus Judæos cap. 2.* ait: *Panem corpus ſuum appellans.* Origenes *homil. 35. in Matth. Panis eſt, quem Deus corpus ſuum eſſe fatetur.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 4. Myſtag. Dominus pronunciat, & dicit de pane: Hoc eſt corpus meum.* S. Cyprianus *epiſt. 56. Dominus corpus ſuum vocat de multorum granorum adunatione congeſtum.* S. Auguſtinus *ſerm. ad infantes*: *Panis eſt corpus, calix ſanguis Chriſti.* S. Hieronymus *epiſt. ad Hedibiam* ſcribit: *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque Diſcipulis, eſſe corpus Salvatoris*: Ex iſtis SS. Patrum locutionibus facilè apparet, de quo pane fuerint ipſi loquuti, cùm dixerunt, Euchariſtiam panem eſſe. Nullus dixit, in Euchariſtia non adeſſe verum, reale, proprium, & ſubſtantiale Chriſti corpus; nemo aſſeruit poſt conſecrationem manere ſubſtantiam panis; vocant igitur Patres Euchariſtiam panem, quia ex pane facta, quia conſervat ſpeciem, & accidentia panis. Hinc Lantfrancus *lib. de corpore, & ſanguine Chriſti* ait: *Solemus aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur nominibus appellare, quamvis in aliam naturam translata, jam non poſſint eſſe illud, quod ſunt res illæ, ex quibus probantur effecta. Sicut B. Auguſtinus in extremo Pſalmorum explanationis opere chriſtallum vocat nivem multorum annorum duratam tempore, & ſerie ſæculorum, cùm nix ſit liquida, & humida; criſtallo verò natura exiſtat dura, & ſicca. Ac per hoc, cùm tam diverſa natura ſint in utriſque; non rectè quis criſtallum nivem vocaverit, niſi eo locutionis modo, quo res effecta materiali ſolet nomine appellari. Et creator, creato ex terra primo homine Geneſ. dicit: Terra es, & in terram ibis: Quaſi diceret, quia factus es ex terra, quandoque fies terra, & reverteris in terram.* Et nonnullis interjectis ſubdit Lantfrancus: *Sicut qui dicit, Chriſtus eſt lapis angularis, non revera Chriſtum lapidem eſſe conſtituit, ſed propter aliquam ſimilitudinem, quam ad ſe invicem gerunt, et nomen imponit; eodem modo cùm divina pagina corpus Domini panem vocat ſacratum, myſtica locutione id agit; ſeu quoniam ex pane conficitur; ejuſque nonnullas retinet qualitates, ſeu quia animam incomprehenſibiliter paſcendo ſatiat, eique æternæ vitæ ſubſtantiam ſubminiſtrat? vel quod corpus eſt Filii Dei, qui eſt panis Angelorum.* Vocatur igitur Euchariſtia poſt conſecrationem panis, quia ex pane effecta eſt.

Tertium fundamentum petitur ex eo, quòd ſenſus exteriores circa propria objecta non poſſunt errare, quia à Deo fuerunt determinata ad illa, ut ſibi propria, attingenda, præſertim ſi ſint bene diſpoſiti; ſed ſenſus viſûs, tactûs, guſtûs, odoratûs, uniformiter, & in omnibus, ac perpetuò teſtantur, in Euchariſtia peracta conſecratione eſſe panem, & vinum; & non præſentiam corporis Chriſti: ergo cùm ſenſus circa propria objecta non errent, aſſerendum eſt, in Euchariſtia etiam poſt conſecrationem non eſſe corpus Chriſti, ſed ſubſtantiam panis, & vini. Sed con-

Digitized by Google

contra, quia licet ſenſus rectè diſpoſiti, & quovis ſublato impedimento non poſſint errare circa propria ſenſibilia, ad quæ ſunt à natura determinati, in judicio de re ſenſibili, quæ illorum eſt objectum proprium, cujusmodi ſunt qualitates ſenſibiles; ſecus in judicio de natura, & ſubſtantia rei, quod proprium eſt mentis non ſenſus, ſunt ſenſus exteriores erroribus obnoxii, & poſſunt errare. Unde ſenſus non falluntur, quando proprium objectum ſenſibile attingunt ſecundum impreſſionem ab iisdem objectis ſenſibilibus factam in ſenſibus. Falluntur tamen circa rerum ſubſtantias, & naturas, quæ cum non cadant ſub ſenſus, quamvis naturaliter ſint alligatæ talibus accidentibus ſenſibilibus, divinitus tamen poſſunt ab iisdem liberari; ut in caſu noſtro, quamvis naturaliter ſubſtantia panis ſit alligata talibus accidentibus ſenſibilibus, ſeu colori, ſapori aliisque qualitatibus ſenſibilibus; divinitus poteſt ſubſtantia panis transſubſtantiari in aliam ſubſtantiam; in quo caſu licet ſenſus externi non fallantur circa accidentia exteriora, & ſenſibilia, falluntur tamen, ſi ex iisdem inferant, adeſſe ſub iisdem talem ſubſtantivam panis, quia panis ſubſtantia non eſt objectum ſenſus, à quo ſenſibiliter non attingitur, ſed tantùm infertur ex accidentibus ſenſibiliter, à quibus poteſt ſeparari. Imò fallitur etiam intellectus, ſi ex iisdem accidentibus inferat ſubſtantiam propriam eorundem, quando à Deo in aliam transmutatur. Hinc D. Auguſtinus *lib. 9. de civit. Dei cap. 27.* ait: *Hæc omnia corporalia latentes in natura cauſas habent, ſed formas ſuas, quibus mundi hujus viſibilis ſtructura formata eſt, ſentiendas ſenſibus præbent, ut proeo, quod noſſe non poſſunt, quaſi innoteſcere velle videantur. Sed nos ea ſenſu corporis ita capimus, ut de iis non ſenſu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis ſenſum iſto longè præſtantiorem.* Licet ſenſus exteriores ritè diſpoſiti circa ſua propria objecta ſenſibilia ſint à deceptione immunes, & in Euchariſtia non fallantur circa ſenſibiles qualitates panis, & vini, fallitur tamen intellectus, ſi ex accidentibus illis ſenſibilibus inferat, latere ſub illis ſubſtantiam panis, quia Chriſtus verus DEUS, & homo illam transmutavit in ſubſtantiam proprii corporis, & conſervat accidentia absque proprio ſubjecto, & fides corrigit errorem intellectus, creditque verè, ibi adeſſe corpus Chriſti, ſub accidentibus panis; & latere ejus ſanguinem ſub ſpeciebus vini: erraret intellectus, ſi peractâ conſecratione judicaret, ſuperſtites manere ſubſtantias panis, & vini: hoc enim judicium advertatur fidei, dicente Chriſto, *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.*

Quartum Calviniſtarum fundamentum deſumitur ex eo, quia hæc realis Chriſti præſentia ſub accidentibus Euchariſticis adverſatur ſcripturis: etenim *Matth.* 26. Chriſtus dixit: *Si quis dixerit vobis, ecce, hic eſt Chriſtus, aut certè ibi, nolite credere. Matth. 26. Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Joan. 16. Relinquo mundum, & vado ad Patrem. Joan. 17. Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos*: ex his, & aliis ſcripturæ locis habemus, Chriſtum non eſſe ampliùs nobis præſentem in hoc mundo, ſed ſuum corpus exiſtere in cœlis, & ejus figuram, ſignum, vel ſymbolum in Euchariſtia, quatenus hæc ſignat, ac figurat Chriſti paſſionem. Sed contra negatur conſequentia; & ad primum textum deſumptum ex *Matth.* 24. reſpondetur, ibi Chriſtum non fuiſſe locutum de ſua propria perſona, ſed de ſua doctrina, eo quia eſſent inſurrecturi Pſeudo-Chriſti, qui jactarent, ſe veram docere Chriſti doctrinam, & non niſi falſa, & deceptoria edocebant; proinde monet nos Chriſtus, ne illis credamus. Ad alios textus communis ſanctorum Patrum reſponſio eſt: Chriſtum in iisdem loqui de ſua præſentia viſibili in propria ſpecie corporali, ac ſenſibili, non de præſentia Sacramentali. Idque ex eo oſtendunt, quia Chriſtus *Matth. ult.* ait: *Ecce, ego vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſæculi.* Et *Joan.* 13. *Vado, & venio ad vos.* Inſtant tamen Sectarii, quia Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 10. loquens de Euchariſtia expreſsè ait: *Patres veteris teſtamenti eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe*: at illa eſca fuit manna, ſeu figura corporis Chriſti; ergo. Si nos eandem eſcam manducamus, ſicut & ipſi manducaverunt; hinc ipſi manducaverunt ſpiritualiter figuram corporis Chriſti; ita & nos in Euchariſtia non verum, proprium, & ſubſtantiale Chriſti corpus, ſed tantùm ejus figuram, ſignum & typum in Euchariſtia comedimus. Sed contra quia verba Apoſtoli non intelliguntur de eadem eſca ſimpliciter, ſed proportione, accommodatè, prout figura, & figuratum poſſunt aliquo modo dici unum: & hunc eſſe ſenſum Apoſtoli ex eo liquet, quia ipſe etiam dicit, antiquos Patres fuiſſe baptizatos eodem baptiſmo, & tamen inde non ſequitur, eorum baptiſmum, & noſtrum eſſe omnino eundem.

Sed adhuc urgent, quia pronomen *hoc* demonſtrat in verbis conſecrationis panem: ſed panis, & Chriſti corpus non poſſunt de ſe invicem verificari quia ſunt termini diſparati: ergo verba conſecrationis, *hoc eſt corpus meum*, non poſſunt intelligi in ſenſu proprio, ſed tantùm in figurato. Minor, & conſequentia clarent. Major probatur; quia illud idem demonſtratur per pronomen *hoc*, quod Chriſtus accepit in manibus, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & hoc nil aliud fuit, quàm panis. Quòd ſi dicas, pronomen *hoc* eſſe generis neutrius, conſequenter non poſſe panem demonſtrare, cum ſit panis generis maſculini, reſpondent in lingua hebraica non dari hoc genus neutrum; ſicque in originali pronomen illud non ponitur. Contra eſt, quia pronomen *hoc* in verbis conſecrationis non demonſtrat panem à Chriſto vel Sacerdotibus acceptum; ſed demonſtrat, contentum ſub accidentibus panis eſſe corpus Chriſti in termino prolationis verborum, & ante hunc terminum demonſtrat contentum ſub accidentibus panis abſtractè ſignificatum, ut docet D. Thomas. Vel ſi ſignificet ab initio ſubſtantiam panis, per ſequentia verba eſt corpus meum, hæc ſubſtantia transſubſtantiatur in verum, reale, ac ſubſtantiale corpus Chriſti, adeo ut nihil maneat ſub illis accidentibus ſubſtantiæ panis, ſed tota tranſeat in verum, & reale Chriſti corpus, quod poſt conſecrationem ſolùm remanet ſub accidentibus panis. Ad aliud, quod addebatur, linguam hebraicam carere pronomine neutro, conſequenter in originali non poſſe demonſtrari corpus Chriſti, quod eſt generis neutrius: reſpondet Bellarminus, quòd ſicut in lingua hebraica non ſunt pronomina neutra, ita neque nomina neutrius generis, hinc oſtendit corpus in lingua hebræa eſſe maſculini generis, ac potuiſſe demonſtrari pronomine maſculino.

Quintum fundamentum Calviniſtarum eſt, quia verba conſecrationis, ſicut ſunt Sacramentalia ita nonniſi ſacramentaliter ſunt intelligenda: ſed intelligere ſacramentaliter, eſt idem ac intelligere in ratione ſigni, eſt enim Sacramentum ſignum: ergo verba conſecrationis, ſunt hoc pacto intelligenda: *Hoc eſt ſignum corporis mei*, firmant ex eo, quia Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſignum ſenſibile corporis Chriſti, conſequenter corpus Chriſti non continetur in eo realiter, & propriè, ſed duntaxat, ut ſignum quod non continet realiter id, quod ſignificat. Sed contra diſtinguitur antecedens: verba conſecrationis ſunt Sacramentalia: ſi per locutionem Sacramentalem intelligatur locutio, quæ

Digitized by Google

tantùm aſſeritur præſentia ſigni externi, & excluditur præſentia rei ſignificatæ, ut cenſent Hæretici, negatur antecedens; ſi per locutionem Sacramentalem intelligatur locutio, qua ſenſibiliter ſignificatur Sacramentum effici, conceditur antecedens, & negatur conſequentia, & ſub eadem diſtinctione minoris ſubſumptæ, negatur ultima conſequentia, quia inde non ſequitur, verba conſecrationis eſſe Sacramentaliter intelligenda in ſenſu Hæreticorum, ut ſenſus ſit: *Hoc eſt ſignum corporis mei*, ſed eſſe intelligenda Sacramentaliter, quatenus pronomen, *hoc*, demonſtrat contentum ſub accidentibus panis in termino prolationis verborum conſecrationis eſſe verum, & reale Chriſti corpus. Præterea, quia etiam verba illa: *Ego te baptizo*, ſunt Sacramentalia, & Sacramentaliter intelligenda; & nihilominus non debent, nec poſſunt intelligi de ſigno aquæ, & ablutionis, ſed intelligenda ſunt de vera & propria ablutione, & de reali aqua abluente: ita à pari quamvis hæc alia verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſint Sacramentalia, & intelligenda Sacramentaliter, non inde ſequitur, quod non ſint intelligenda de vero, ac reali corpore Chriſti, ſed tantùm de illius ſigno, ut putant Hæretici. Ad confirmationem, reſpondeo, Sacramentum Euchariſtiæ principaliter in ratione Sacramenti ſignificare gratiam, cujus propterea eſt ſignum ſenſibile; hinc quia Euchariſtia non conſtituitur in ratione Sacramenti per ſignificationem corporis Chriſti, ſed per ſignificationem gratiæ, ut communiter docent Theologi; ideo poteſt in ſe continere realiter corpus Chriſti: nec inde ſequitur Sacramentum eſſe ſignum ſui ipſius, quia eſt ſignum rei ſignificatæ principaliter ſeu gratiæ: &, licèt etiam ſignificet corpus Chriſti, illud ſignificat, ut realiter contentum ſub accidentibus Euchariſticis.

Sed dices, repugnat præſentia realis rei ſignificatæ cum ipſo ſigno: ergo ſi Euchariſtia ſignificat corpus Chriſti, non poteſt illud ſignificare ſub accidentibus panis, alioquin illud ſignificaret, ut realiter perſona in ſuo ſigno. Contra eſt, negatur antecedens, quia non repugnat realis præſentia rei ſignificatæ cum ipſo ſigno, etenim in animalibus ſanguis dicitur ſignum vitæ, & nihilominus in tali ſigno continetur etiam vita animalis. Rurſus ex Sacris Scripturis columba, qua Spiritus Sanctus ad Chriſtum deſcendit, erat ſignum Spiritus Sancti, & nihilominus Spiritus Sanctus erat in tali ſigno realiter præſens, ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 39. art. 7.* ex D. Ambroſio *lib. de his qui myſter. initiant.* Rurſus linguæ igneæ, quæ die Pentecoſtes ſuper diſcipulorum capita diſpertitæ apparuerunt, ſigna fuerunt Spiritus Sancti, qui tamen erat iiſdem realiter præſens, ex quibus conſtat, non repugnare ſignum continere rem ſignatam.

Sextum fundamentum eſt, quia communis regula explicandi ſcripturas in ſenſu figurato eſt, quando ſequitur inconveniens ex ſenſu proprio: ſed verba conſecrationis non poſſunt accipi in ſenſu proprio, quia inde ſequitur inconveniens, ut colligitur ex verbis antecedentibus: *Accipite*, & *manducate*, quæ non poſſunt verificari in ſenſu proprio de corpore Chriſti, quod neque dentibus teritur, neque colore ſtomachi concoquitur: ergo verba conſecrationis ſunt figuratè intelligenda, & ex eo firmari etiam poteſt, quia præfata verba ſumpta in ſenſu proprio continent abſurditatem, quia corpus Chriſti ſi realiter concederetur, deſerviret nutritioni, & ejus pars demitteretur, per ſeceſſum, quod eſt blaſphemum; ait enim Chriſtus *Matth. 15. Omne quod intrat per os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Sed contra negatur ullum, ſequi inconveniens ex eo, quod verba conſecrationis intelligantur in ſenſu proprio, quia, ut corpus Chriſti verè ac realiter dicatur manducari, ſufficit, ſi ſumatur per os, & demittatur in ſtomachum, quod verificatur de Chriſti corpore ratione ſpecierum, ſub quibus continetur, perinde ac ratione earundem verificatur localis motio, qua corpus Chriſti dicitur deferri de loco in locum: neque ad veram rei alicujus manducationem requiritur, quod res dentibus teratur; plures enim ſunt cibi molles, qui abſque ullo dentium attritu verè, & realiter comeduntur. Neque ad veram, & realem manducationem requiritur illa in ſtomacho concoctio, ac digeſtio ope caloris naturalis, quia Chriſtus, ut habetur *Luc. ult.* poſt reſurrectionem verè, & realiter manducavit, quamvis nulla in ejus ſtomacho tunc contigerit digeſtio: ergo ex eo, quòd Chriſti corpus à communicantibus verè, & realiter comedatur corporaliter, non ſequitur inconveniens: neque quod Chriſtus ſit cibus naturalis: quia de ratione cibi corporalis eſt, ut ultra corporalem manducationem ſuſtentet etiam corpus, quod non convenit Chriſti corpori. Neque obſtat allatum ex *Matth. 15.* Quia Chriſtus ibi non loquitur de cibo ſpirituali, ſed de communi, ac uſitato corporali.

Cæterum corpus Chriſti tamdiu manet ſub accidentibus panis, quamdiu hæc non corrumpuntur, nec ita alterantur, ut ſenſibiliter deperdant ſuum eſſe. Cum primum autem incipiunt corrumpi, ac deperdere proprium eſſe, tunc, ut cum D. Thoma docent communiter Theologi, Deus ſub illis accidentibus ita mutatis ponit aliam materiam corpori nutriendo idoneam, adeo ut ſi quis per longum tempus nutriretur ſpeciebus conſecratis, adeo ut nihil aliud comederet, aut biberet, revera nutriretur, & aliquid in ſeceſſum mitteret, adeo ut, ſicut in aliis cibis pars deſervit nutrimento, & pars in excrementum abit: ita in hoc caſu contingeret abſque ullo inconvenienti: quia dum in ſtomacho corrumpuntur ſpecies panis, ceſſat ſub illis eſſe corpus Chriſti, & Deus ponit aliam materiam nutritioni corporis aptam. Neque cenſendum eſt inconveniens, Chriſtum ſimul cum ſpeciebus conſecratis deſcendere ad locum ſordidum ſtomachi: quia, cum Sacramentum hoc fuerit à Chriſto inſtitutum per modum cibi, & potus; & ut à nobis ſumatur tanquam cibus, & potus, ideo ex eo, quod corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus panis deſcendat in ſtomachum vel hominis, vel beſtiæ, vel in loco maneat ſordido, vel hoſtia conſecrata à mure corrodatur, aut à beſtia devoretur; non propterea Chriſti corpus inquinamentis eſt obnoxium, nec ullum inde patitur detrimentum; nec hoc audito piæ offenduntur aures.

Quòd ſi dicas, D. Ambroſ. *lib. 5. de ſacram. c. 4.* docere oppoſitum, ut etiam D. Auguſtin. *ſerm.* 28. de verbis Domini: *Non eſt iſte panis, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ præſtantiam fulcit.* Contra eſt, quia nomine corporis in allato textu non intelligitur ſtomachus, ſed alvus, in quem excrementa deſcendunt; adeo ut præcitati Patres tantùm docuerint, hunc panem Euchariſticum non eſſe panem, qui poſt digeſtionem deſcendat in alvum, ſeu ventrem, & inde vadat in ſeceſſum, quia corpus Chriſti tamdiu eſt præſens ſpeciebus panis, & non ultra, quamdiu ſub iiſdem conſervaretur ſubſtantia panis, ſi adeſſet, idem etiam dicendum de ſanguine ſub ſpeciebus vini: ratio eſt, quia Chriſtus ſuccedit ſpeciebus panis & vini, quæ virtute conſecrationis convertuntur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, proinde tamdiu manet Chriſtus ſub illis accidentibus, quamdiu perſeveraret utraq; ſubſtantia panis, & vini, ſi adeſſet: quamobrem corpus, & ſanguis Chriſti non ſolùm ſunt ſub accidentibus Euchariſticis panis, & vini ſtatim poſt conſecrationem, & ante uſum, ſeu

ſumptio-

Digitized by Google

sumptionem actualem Eucharistiæ, verum etiam post usum, & sumptionem, usque dum tales species Sacramentales calore stomachi alterentur, & corrumpantur, alioquin non posset verificari, quòd corpus Christi verè manducaretur, & ejus Sanguis verè biberetur, quod adversatur verbis Christi *Joan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem*, manducare enim, & bibere non solum est ore sumere, aut gustare, sed etiam deglutire, ac in stomachum demittere cibum, gustare, non esse idem, ac bibere, liquet ex illo *Matth. 26.* ubi de Christo ait: *Et cum gustasset, noluit bibere*, unde si corpus, & sanguis Christi tamdiu essent sub speciebus panis, & vini, quamdiu duntaxat ore sumantur, ejus corpus propriè non diceretur manducari, neque ejus sanguis bibi.

Quod si quæras, quomodo a Deo producatur hæc nova substantia, quando accidentia panis, & vini corrumpuntur in Eucharistia, adeo ut ex hac nova substantia dicantur generari vermes aut cineres, respondet D. Thomas *in 3. part. quæst. 73. art. 5. & 6.* panem ideo nutrire & esse subjectum generationis, quia ejus materia duo præstat, quorum primum est: ut sit subjectum dispositionum præcedentium formam producendam per generationem, vel introducendam per nutritionem. Secundum est, ut ipsa, cùm posita fuerint omnia requisita, in se recipiat formam, quæ generatione producitur, vel introducitur nutritione. In Sacramento Eucharistiæ quantitas ex ratione sua propria, quæ una cum cæteris accidentibus manet post consecrationem, præstat primo, seu suscipit dispositiones præcedentes formam producendam per generationem, vel introducendam per nutritionem; possunt enim dispositiones ad formam dependere in esse ad fieri à quantitate, veluti à potentia passiva, & receptiva, seu tanquam à subjecto. Secundum præstat quantitas non secundum propriam suam rationem, sed secundum communem potentiæ passivæ, & receptivæ, quatenus transit in quandam, ut ita dicam, materiam, quam in ipso instanti generationis, vel aggenerationis novæ formæ Deus producit, ut possit substantialiter formam nutriti, vel geniti suscipere, adeo ut divina virtute quantitas convertatur in hanc novam materiam susceptivam novæ formæ substantialis; & ex hac doctrina clarè ostenditur, quomodo generatio, & nutritio fiat in hoc Sacramento divinitus ex quantitate panis, quæ in Eucharistia vicem gerit materiæ panis, ut explicat D. Thomas *loc. cit.* Neque id censendum est novum miraculum, sed quoddam pendens ex ipso mysterio transsubstantiationis.

Sed dices, si Christi corpus realiter contineretur sub accidentibus panis, inde sequeretur, quod manibus Sacerdotum frangeretur, quando hostia consecrata frangitur, sed hoc est absurdum, ergo corpus Christi secundum esse reale, & substantiale non continetur sub accidentibus Eucharisticis. Sed contra negatur sequela, quia quando Sacerdos frangit hostiam consecratam, non dilaceratur Christi corpus, quia integrum perseverat, sub quavis particula etiam minima, dummodo hæc sit sensibilis: sed tantùm frangitur quantitas, quæ subjicitur reliquis accidentibus, ut docet D. Thomas *loc. cit.* Quantitas enim, ut subjecta accidentibus densitatis, & duritiei, & ex eo, quòd sit ipsa continua, verè & realiter dividitur, & frangitur. Determinata dispositio pororum secundum raritatem, & densitatem, est causa, cur corpus verè frangi possit, ut docet Philosophus, & quia hæc eadem dispositio manet in quantitate subjectante reliqua accidentia Eucharistica, rectè sequitur, hanc eandem quantitatem frangi posse.

Ex hactenus expensis constat adeo crassos, & supinos esse errores Sectariorum circa hoc Sacramentum Eucharistiæ, ut vel ipsi falsitatem sui dogmatis cognoscant, & fateantur; etenim David Pereus Calvinista Heidelbergensis in prælectionibus catechisticis in solutione cujusdam argumenti Lutheranorum ait: Lutherani reprobantes doctrinam Calvini argumentantur hoc pacto. Doctrina Calvinistica de Eucharistia profecta est à Dæmone, qui eam Zvvinglio nocte inspiravit: ergo non potest vera esse, utpote dictata à Patre mendaciorum. Respondet, & retorquet argumentum: doctrina Lutherana de abroganda missa est etiam à Dæmone inspirata, ergo similiter non est vera, sed falsa, & perinde agunt Hæretici hac super quæstione, ut ipsis congruat, quod Poëta occinuit: *Væ tibi, tu nigra dicebat cacabus olla.*

C A P U T XVII.

De usu Sacramenti Eucharistiæ, seu communione, & à quibus sumi possit.

EUcharistia tripliciter sumi potest ex Concilio Tridentino, primo Sacramentaliter tantùm, secundo spiritualiter tantùm, & tertio Sacramentaliter & spiritualiter simul. Eucharistiam Sacramentaliter tantùm sumunt peccatores, qui corpus Christi quidem recipiunt in hoc Sacramento, sed absque ulla spirituali refectione, & sine participatione Spiritus, adeo ut peccatores, & existentes in peccato lethali nullam hauriant virtutem, nullumque fructum spiritualem in ordine ad salutem animæ sumentis hoc Sacramentum, & de quibus propterea ait Apostolus *1. Corinth. 10. non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum*, & *cap. 11.* ait: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*, & nonnullis interjectis: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini.* Hinc D. Augustinus *Tract. 27. in Joan.* ait: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi, & sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali, sed usque ad Spiritus participationem manducemus, & bibamus ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut ejus Spiritu vegetemur, & non scandalizemur, etiam si multi modo nobiscum manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.*

Sacramentaliter manducantium tria sunt genera; alii enim sunt malevoli, alii dolosi, & alii præsumptuosi. Primi sumunt corpus Domini in peccandi voluntate. Secundi sunt Hypocritæ, qui foris boni videntur, cum occultè sint pravi, & tanquam justi accedant ad altare. Præsumptuosi hi dicuntur, qui maximè sunt mali, & tamen audent sacram Synaxim sumere. Malevolis convenit illud *Isaiæ 29. Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me*, quatenus ore ad Deum appropinquant per sumptionem Sacramenti, sed eorum cor per voluntatem peccandi longè aberrat à Deo, & iisdem etiam convenit illud Christi,

Digitized by Google

Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare illum canibus.* Dolosis, ac Hypocritis convenit illud Apostoli 2. *ad Timot.* 3. *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Dicuntur habere speciem pietatis, quia participes sunt eorundem Sacramentorum, cum hominibus piis. Et virtute pietatis, seu ipsam charitatem dicuntur abnegare, ob peccata lethalia, quibus inficiuntur. Præsumptuosis, quia Christi corpus sumere non verentur, licet lethalibus peccatis infecti, dicitur *Matth.* 6. *Nolite Sanctum dare canibus*, & Psalmista *Psal.* 34. *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*; & Apostolus *ad Hebr.* 10. *Quando putas deteriora mereri supplicia, qui filium DEI conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est.*

Spiritualiter tantùm hi dicuntur communicare, qui voto propositum cœlestem panem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem percipiunt: & homines ita manducantes in tres dividuntur classes, prima est incipientium, secunda proficientium, & tertia perfectorum. *Matth.* 16. *v.* 38. *Erant autem qui manducaverint quatuor millia hominum extra parvulos, & mulieres*, ubi *parvuli* intelliguntur incipientes, *mulieres* proficientes, & *viri* perfecti; *incipientes* manducant spiritualiter ratione fidei salutaris; *proficientes* ratione bonæ conversationis, & *perfecti* ratione devotæ meditationis, Ad homines primi ordinis pertinet illud Apostoli *ad Hebr.* 10. *Justus ex fide vivit.* Hinc Augustinus: *Crede, & manducasti.* Proficientibus convenit illud *Ecclesiastici.* 24. *Qui timet Deum, faciat bona*, & nonnullis interjectis, *cibavit eum Dominus pane vitæ*, ut etiam illud *Joan.* 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Perfectis convenit illud *Ecclesiastici* 23. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Hinc *Job.* 35. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut saturemur?*

Sacramentaliter simul, & spiritualiter illi communicant, ait Tridentina Synodus *sess.* 13. *cap.* 8. *qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.* & S. Thomas 3. *part. quæst.* 80. *art.* 2. ait: Perfectus igitur modus sumendi hoc Sacramentum est, quando aliquis ita hoc Sacramentum suscipit, quod percipit ejus effectum, & hoc pacto solum homines justi Christiani sumunt Eucharistiam sacramentaliter simul, & spiritualiter, non verò mali, ac peccatores, qui æterna morte propterea peribunt; & hi dividuntur in tres classes, quia plures ex infidelitate, multi ex negligentia, & alii ex contemptu à Sacra abstinent Eucharistiæ mensa. Infideles dicuntur, qui per malitiam decipiente Dæmone excæcantur, ut non credant, nec cognoscant divina Sacramenta pro salute mundi mirabili sapientia Dei instituta, ac propterea negant, Sacramenta à Christo Domino fuisse instituta, de quibus dicitur *Sapient.* 2. *Erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum, & nescierunt Sacramenta DEI.* Rursus *Joan.* 3. *v.* 36. *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Negligentes sunt, qui divitiis inhiantes ita negotiis implicantur sæcularibus, ut sacram communionem etiam debito tempore sumere negligant, & de his intelligitur parabola, quam Christus exhibet *Matth.* 22. *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire, iterum misit alios servos dicens, dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias, illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam.* Et hi homines desides, qui ad sacram Eucharistiæ cœnam negligunt venire, ne spiritualiter reficiantur, tametsi fidem, imò & charitatem videantur habere, adhuc & ipsi, nisi pœnitentiam egerint, peribunt, cum dicat Christus *Joan.* 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Horum figura fuerunt illi, de quibus dictum est *Num.* 11: *Si quis & mundus est, & in itinere non fuit* (seu legitimum non habuit impedimentum) *& tamen non fecit phase, exterminabitur anima illius de populis suis quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo, peccatum suum ipse portabit.* Tertium genus hominum, qui ex contemptu ab accessu abstinent à cœna Eucharistiæ, adumbratur in iis, qui pissimum Regem Ezechiam ad celebrandum pascha Judæos omnes invitantem, & excitantem contempserunt, ejusque Nuntios irriserunt. 2. *Paralip. cap.* 30. *Perrexeruntque Cursores cum epistolis ex Regis imperio, & principium ejus in universum Israel, & Judam, id, quod rex jusserat, prædicantes, filii Israel, revertimini ad Dominum Deum*, & paucis interjectis: *Et venite ad sanctuarium ejus; igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem per terram Ephraim & Manasse usque ad Zabulon illis irridentibus, & subsannantibus eos, attamen quidam acquiescentes consilio venerunt Jerusalem.*

Hinc, accedentes ad hanc Eucharisticam cœnam, eamque manducantes indignè, Sacramentaliter quidem manducant Christi corpus, sed rei sunt Sacrilegæ noxæ, dicente Apostolo, 1. *Corinth.* 11. *Quicunque manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit:* quapropter D. Augustinus *Tractat.* 26. *in Joan.* ait: *Nam & nos hodie accipimus cibum: sed aliud est Sacramentum, & aliud virtus Sacramenti: quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, unde dicit Apostolus, judicium sibi manducat, & bibit. Non enim buccella dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit, non quia malum accepit, sed quia malè bonum malus accepit.* Quapropter canit Ecclesia in sequentia per octavam corporis Christi: *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitus; mors est malis, vita bonis, vide, panis sumptionis quàm sit dispar exitus.* An verò Judas dominicum corpus sumpserit, S. Hilarius *cap.* 30. *in Matth.* videtur negare, ait ipse: *Dignus æternorum Sacramentorum communione non fuerat; neque sane bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in regno; cum universos, tum bibentes ex vitis istius fructu bibituros postea secum polliceretur.* Sed contra, quia tametsi S. Hilarius in ea fuerit opinione, qua censuit Judam institutioni, & distributioni Eucharistiæ non interfuisse, utpote jam antea è cœnaculo egressum ad perpetrandum scelus proditionis, nunquam tamen asseruit Judam, aut quemcunque peccatorem sumendo Eucharistiam, non sumere verum Christi Domini corpus. Cæterum opinio S. Hilarii adversatur evangelicæ historiæ, & aliis Sanctis Patribus, & etiam D. Thomæ 3. *part. quæst.* 81. *art.* 2. ubi ait: Quòd *Christus, quantum est in se, etiam cum Juda vinum in regno DEI bibit, sed hoc convivium ipse Judas repudiavit.* Imò opinioni S. Hilarii non favent Christi verba: *Non bibo amodo*

de

Digitized by Google

de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.

Hinc, ſi quis ſibi conſcius ſit lethalis alicujus noxæ ad Sacram Synaxim accedere non debet, niſi reus velit fieri graviſſimi Sacrilegii, quia Euchariſtia fuit à Chriſto inſtituta, ut eſſet cibus animæ viventis, ſeu exiſtentis in ſtatu gratiæ, quæ enim jacet in peccati ſepulchro, mortua eſt, ait enim Chriſtus *Joan. 6.* *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & cibus non eſt mortuorum, ſed viventium, qui beneficio cibi reficiuntur, vireſque reſumunt corroboratas. Hac de cauſa cœleſtis Paterfamilias excluſit à parata à ſe cœna illos, qui veſtem nuptialem gratiæ, & charitatis non induerunt; *Matth. 22.* *Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? at ille obmutuit. Tunc dixit rex Miniſtris, ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Hoc idem etiam probat parabola de filio prodigo, qui ad paternum convivium admiſſus non fuit: donec Patri reconciliatus eſſet, ac prima ſtola indutus, ſcilicet priſtinæ paternæ gratiæ reſtitutus: hæc enim parabola oſtendit, neminem peccatorem ad cœleſte Euchariſtiæ convivium accedere debere, niſi prius fuerit cum DEO, quem deſeruerat, reconciliatus, & gratiæ, ac charitatis indumento veſtitus *Luc. 15.* *Surgens venit ad Patrem ſuum. Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum, Dixitque ei filius: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus, vocari filius tuus, dixit autem Pater ad ſervos ſuos, citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus. Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt, & cœperunt epulari.* Nemo igitur ſi per peccatum receſſit à DEO, ac prodegit ſua bona, ſeu dona gratiæ, & charitatis vivendo cum filio prodigo luxurioſè, audeat accedere ad hanc Euchariſticam cœnam, niſi priùs reſipiſcens dicat DEO, peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, & confeſſus ſua delicta veterem hominem exuat, novumque induat, ac ornetur ſtolâ primâ, ſeu habitu charitatis, & gratiæ, & epuletur cum cœleſti Patrefamilias, & hæc cauſa ſunt, cur Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 2 ſcripſerit: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit, indignè judicium ſibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini*, neque hæc probatio eſt intelligenda de ſola fide, ut cenſent Hæretici, quia Apoſtolus non reprehendit Corinthios, eò quia non crederent, fidem enim in iiſdem recens converſis ſupponebat; ſed quia irreverenter accederent, cum aliorum contemptu & neglectu; profana convivia poſt ſacram communionem inſtituentes etiam in iiſdem Eccleſiis, in quibus ſumpſerunt Euchariſtiam, & ad ſua convivia dedignabantur pauperes accerſere; ſubdit enim Apoſtolus: *Unusquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam DEI contemnitis, aut confunditis eos, qui non habent? quid dicam vobis? laudo vos in hoc? non laudo;* & in hunc ſenſum intellexit Apoſtolum D. Auguſtinus *epiſt. 54. ad Jannar: cap. 3.* *Contemptum ſolum, inquit, non vult cibus iſte, ſicut nec manna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita, continuo quippe; cùm dixiſſet, judicium ſibi manducat, & bibit, addidit, ut diceret, non dijudicans corpus Domini: quod ſatis toto ipſo loco in epiſtola ad Corinthios prima, ſi diligenter attendatur, apparet.* Unde Apoſtolus cum dixit: *probet autem ſe ipſum homo*, de illa approbatione loquitur, quam Eccleſia ſemper intellexit, & docuit, eſſe adhibendam, ut nimirum fideles diligenter ſe ipſos examinent, num revera veſte ſint nuptiali induti, ſeu in ſtatu gratiæ, habeantque charitatem, qua gloriam Chriſti quærant, & num ex ſola conſuetudine, vel timore humano, vel cupiditate aliqua terrena ad ſacram illam menſam accedant, num ſint bonæ voluntatis. Quod ſi conſcii ſibi ſint alicujus lethalis noxæ, peccata omnia ex animo deteſtentur, & in omnibus bene converſari, ſtatuant piè, & ſanctè vivere, adeo, ut impoſterum ſoli DEO velint adhærere.

Et hanc fuiſſe ſemper Eccleſiæ Catholicæ mentem, ac doctrinam, probat traditio Patrum teſtimoniis firmata, etenim S. Juſtinus Martyr *Apolog. 2.* ait: *Porro alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia, quod nulli alii participare licitum eſt, quam, veram eſſe doctrinam noſtram, credenti & lavacro propter remiſſionem peccatorum, & generationem abluto: & ita ut Chriſtus tradidit viventi.* S. Cyprianus *lib. de lapſis* ait: *à diaboli alis revertentes ad Sanctum Domini, ſordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contage funeſta redolentibus, domini corpus invadunt; quando occurrat ſcriptura divina, exclamet, & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque manducaverit ex carne ſacrificii ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia ejus ſuper ipſam eſt: peribit anima illa de populo ſuo. Apoſtolus item teſtatur, & dicit, non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum, idem contumacibus & prædicacibus comminatur, & denuntiat, dicens: Quicunque ederit panem, & biberit calicem Domini, indignè reus erit corporis & ſanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemptis vis infertur corporis ejus, & ſanguinis: & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negaverunt.* S. Ambroſius *lib. 6. in Luc.* ait: *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus. Ubique igitur myſterii ordo ſervatur, ut priùs per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet.* S. Auguſtinus *Tractat. 26. in Joan.* ait: *Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? unde dicit Apoſtolus, judicium ſibi manducat, & bibit. Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ; & tamen accepit, & cùm accepit in eum inimicus intravit, non quia malum accepit. Videte ergo, fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etſi ſint quotidiana, vel non ſint mortifera.* S. Leo Papa *epiſt. 82. ad Theodorum Foro Julienſem Epiſcopum* ait: *Mediator DEI, & hominum homo Chriſtus JESUS, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Digitized by Google

Hinc Sacra Tridentina Synodus Hæreticorum errorem asserentium solam fidem sufficientem dispositionem esse ad sumptionem Eucharistiæ, damnavit, & hoc asserentes anathemate percussit *sess.* 13. *can.* 11. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit.* Et ne tantum Sacramentum indignè, adeoque in mortem & condemnationem sumatur, declarat illis, quos conscientia peccati lethalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessariorum, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem: si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere præsumpserit, eo ipso sit excommunicatus.

Quòd si dicas, non esse majoris dignitatis, Christum sub Sacramento sumere, quam in specie propria illum tangere, sed peccatores Christi corpus sub propria specie tangentes non peccabant, imò veniam peccatorum ipsi consequebantur. *Luc.* 7. Quia mulier peccatrix ad ipsum accessit, eumque tetigit, dixit ei Christus: *remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, Matth.* 14. *Quicunque tetigerunt fimbriam vestimenti ejus, salvi facti sunt.* Peccatores igitur Sacramentum corporis Christi sumentes non videntur peccare, quinimò & salutem consequi. Sed contra, respondet enim D. Thomas esse maximum discrimen inter Christi contactum, dum in terris versaretur, & illius in Eucharistia sumptionem; non ex majori dignitate objecti, sed ex institutione Sacramenti sumendum, quia Christus in propria specie se tangendum hominibus non exhibebat in signum spiritualis unionis cum ipso, sicut in Sacramento Eucharistiæ sumendus exhibetur, ideoque peccatores in propria specie eum tangentes crimen falsitatis circa divina non committebant, sicut peccatores sumentes hoc Sacramentum, quia per sumptionem se Christo ejusque membris conjunctos significant, cùm tamen per peccatum lethale sint à Christo totaliter alieni. Rursus Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati, & ideo convenienter se peccatoribus tangendum exhibebat: sed remota similitudine carnis peccati per gloriam resurrectionis se tangi prohibuit à muliere, quæ defectum fidei circa ipsum patiebatur, *Joan.* 20. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, ideoque peccatores, qui defectum fidei operantes per dilectionem patiuntur circa Christum, ab hujus Sacramenti contactu, & sumptione repelluntur.

Si dicas, Eucharistiam spiritualem esse medicinam, proinde peccatoribus tribuendam, dicente Christo *Matth.* 11. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus.* Contra est, quia ut respondet D. Thomas, non quæcunque medicina in quovis ægritudinis statu infirmis est adhibenda, nam medicina, quæ congruenter datur, liberatis à febre ad sanitatis confirmationem, febricitantibus noceret. Ita etiam baptismus, & pœnitentia sunt medicinæ spirituales purgativæ ad extinguendam, ac delendam febrem peccati; Eucharistia autem est medicina corroborans, & confirmans vires spirituales animæ, & magis stabiliens sanitatem, proinde non debet dari nisi sanis, & liberis à noxa peccati lethalis.

Pueris tamen & rationis usu totaliter destitutis hominibus Eucharistia non est administranda, tametsi nullius sint peccati macula infecti, quia isti Sacram Eucharistiam à communi, & profano pane discernere non possunt, consequenter, nec ea animi religione, cordis fervore, & pietate ad hanc spiritualem refectionem accedere, ut par est. Hoc idem etiam colligitur ex ipsa Christi Domini institutione, ait enim, *Accipite, & comedite*, infantes autem non sunt idonei ad accipiendum, & comedendum, hinc D. Thomas in 4. *sent. dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstione* 4. circa pueros admittendos ad Sacram Synaxim, ait: Si in eis signa discretionis appareant, & devotionis circa decimum, vel undecimum ætatis annum poterit eos admittere ad sumptionem Eucharistiæ. De prima autem puerorum communione ait S. Carolus *in Synodo Diœcesana IX. Parochi singulis mensibus semel certa constituta die pueros, qui annos novem attingunt, ad Ecclesiam evocent, sigillatimque ad rectam confitendi rationem instruant regulis in sacramentali libro traditis, illos autem, qui decennium attigerint, hebdomadæ septuagesimæ initio accersant, & singillatim instruant atque erudiant ad cognitionem, cultumque quam humiliter & religiosè reverenterque ad eam sumendam accedant.*

Viri autem adultæ ætatis, qui nullum unquam rationis usum habuerunt, nulloque pietatis sensu affecti fuerunt erga hoc Sacramentum, non debent ad Eucharistiam admitti, quòd, si aliquem rationis usum habeant, quamvis debilem, & aliquo pietatis, & reverentiæ sensu erga hoc Sacramentum afficiantur, non est illis denegandum. Alii verò qui rationis usu fuerunt semper à nativitate destituti, si aliquando mentis suæ compotes fuerunt, piam, & religiosam animi pietatem ac devotionem erga hoc venerabile Sacramentum ostenderint, iis debet in articulo mortis Eucharistia administrari, nisi fortassis adsit periculum vomitus, & exspuitionis, vel alterius incommodi, ut habetur *cauf.* 26. *quæst.* 6. *cap.* 15. *Qui pœnitentiam*, & desumptum est ex Concilio Carthaginensi IV. *can.* 76. ubi dicitur: *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & absolvatur à peccatis; & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manuum impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Concilium Arausicanum 1. *can.* 13. hoc idem statuit, & habetur in cap. *Qui recedunt, cauf.* 26. quæst. 6. Et loquens de mente captis ait: *Amentibus quæcunque pietatis sunt, conferantur, si habeant lucis intervalla.* Hoc idem docet etiam D. Thomas 2. *part. quæst.* 8. *art.* 9. Energumenis itidem baptizatis possunt administrari Sacramenta in illis intervallis, quibus à Dæmone non vexantur, si Episcopus, vel Sacerdos prudenti judicio judicaverit id congruum: quia hæc fuit Ecclesiæ consuetudo, ut habetur in Concilio Arausicano 1. *can.* 14. ubi dicitur: *Energumeni jam baptizati, si de purgatione sua curant, & se solicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodè communicent: Sacramenti ipsius virtute, vel muniendi, vel incursu Dæmonis, quo infestantur; vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior.* Quòd in ultimo vitæ discrimine sint Energumeni Sacramentis muniendi, etiam statuit Concilium Illiberitanum. Cassianus itidem in suis Collationibus *collat.* 7. *cap.* 30. ait: *Eis qui ab immundis spiritibus vexantur, communionem sacrosanctam à Sacerdotibus nostris nunquam meminimus interdictam.*

Peccatoribus tamen manifestis sive per evidentiam facti, ut publicis concubinariis, adulteris, usurariis, raptoribus, meretricibus, histrionibus, aleatoribus, vel aliquo judicio ecclesiastico, aut sæculari

Digitized by Google

ſæculari convictis atque damnatis, non debet adminiſtrari Euchariſtia, tametſi ab iiſdem expetatur: quia ex Chriſti præcepto *Matth.* 7. *Nolite ſanctum dare canibus*, ſeu publicis peccatoribus, & rurſus *Matth.* 15. *Non eſt bonum ſumere panem* (ſeu Euchariſtiam) *& mittere canibus*, ſeu tradere publicè peccantibus, Nomine enim canis manifeſtus peccator deſignatur ob impudentiam, quia abſque ulla erubeſcentia in omnium oculis cum gravi ſcandalo Eccleſiæ peccant,& in peccato ſordeſcunt; hinc S. Cyprianus *epiſt.* 61. *ad Eucratium*, & refertur *in cap. pro dilectione diſt.* 2. *de conſecrat.* ait: *Pro dilectione tua & verecundia mutua conſulendum me exiſtimaſti, frater chariſſime, quid mihi videatur de hiſtrione quodam, qui apud vos conſtitutus in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat, & Magiſter, & Doctor non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque inſinuat, an talis debeat communicare nobiſcum. Puto nec Majeſtati divinæ, nec evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.*

Sin verò peccatores ſint occulti, dummodo reſipiſcant, & ſtatuant vitæ emendationem, non eſt deneganda Euchariſtia; quia quilibet Chriſtianus eo ipſo quod baptizatus eſt, eſt etiam admiſſus ad ſumenda reliqua Sacramenta, ad quæ ratione baptiſmi habet jus, præſertim ad Euchariſtiam, qua vires animæ reficiuntur, neque ſine legitima cauſa debet hoc jure privari: & ſicut publicè privatur Euchariſtia, ita cauſa hujus privationis debet itidem eſſe manifeſta, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 6. Hinc D. Auguſtinus *homil.* 1. *inter* 50. ait: Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus (quamvis hæc prohibitio non ſit mortalis, ſed medicinalis) niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum. Quis enim ſibi utrumque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator, & Judex, idque etiam ſuo exemplo nos edocuit Magiſter Chriſtus, quando in ultima cœna Judæ Iſcarioti meditanti proditionem, ſeu ſacrilegum ſcelus, corpus ſuum, & ſanguinem ſuppeditavit, & furem ad corporis,& ſanguinis ſui communionem admiſit, unde Auguſtinus *epiſt.* 43. *ad Eleuſium cap.* 8. ait: *Tolerat ipſe Dominus Judam Diabolum, furem & venditorem ſuum, ſinitque accipere inter innocentes Diſcipulos, quod fideles noverunt pretium noſtrum.* Quamvis mereretur Judas privari hac communione, ſpectato ejus ſcelere, quod meditabatur, ut tamen nobis Chriſtus daret exemplum, & edoceret occulta ſcelera abſque ullo accuſatore, & manifeſta probatione no n eſſe cauſam ſeparandi à communione fidelium occultè peccantem, & quamvis Chriſto ſcelus Judæ innoteſceret, quia tamen ei non erat notum,eo modo, quo ſolet delictum aliquod hominibus innoteſcere, ideo Judam non excluſit à communione, ut nos edoceret,peccatores occultos non eſſe ab aliis ſacerdotibus excludendos à communione, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 81. *art.* 2. imò nos etiam edocuit, quomodo debeamus juſtitiam exercere, non enim poteſt Judex ſecundum ſpecialem, quam habet ſcientiam de alterius delicto, eum ut reum damnare, niſi delictum aliis etiam innoteſcat, & delinquens accuſetur, & delictum juridicè probetur. Quia charitas prævalet, & jubet, ut famæ proximi conſulatur, & non detur aliis cauſa ſcandali: proximi autem fama læderetur, ut ſcandalum aliis crearetur: ſi crimen aliàs occultum manifeſtaretur; qua de cauſa docet D. Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 5. Illi, cujus occultum eſt crimen, non eſſe communionem, & Euchariſtiam denegandam, & quamvis pejus ſit peccatori occulto peccare mortaliter, eò quia indignè communicet, quàm infamari; pejus eſt tamen ſacerdoti communionem adminiſtranti peccare mortaliter infamando injuſtè peccatorem occultum, quàm quòd peccator occultus peccet, ut docet D. Thomas.

Quòd ſi dicas, non eſſe licitum dare ægroto pharmacum mortiferum, neque furioſo depoſitum gladium, ſi velit alium occidere, reſpondet D. Thomas eſſe diſcrimen inter pharmacum mortiferum exhibendum ægroto, & Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum peccatori occulto,quia pharmacum per ſe,& naturaliter operatur mortem proximi,ſi ſit mortiferum, & venenum, ſecus hoc Sacramentum Euchariſtiæ, ſed tantùm culpa indignè ſumentis eſt ejus mors. Præterea, quia ægrotus non habet jus ad vitam ſibi adimendam, quia ſolus Deus eſt Dominus vitæ noſtræ,non autem homo, imò jus habet ad vitam, quæ per mortiferum pharmacum extinguitur, & ſicut ipſe tenetur, quantum poteſt vitam protrahere, & conſecrare, ita tenetur mortiferum pharmacum reſpicere: ſecus peccator occultus habet jus ad ſumptionem Euchariſtiæ, eò quia in facie Eccleſiæ non conſtat ipſum amiſiſſe jus ſuum, & hæc in illius poſſeſſione, à qua non debet deturbari niſi per delictum aliquod manifeſtum,& probatum. Neque eſt par ratio de gladio à furioſo petita ad mortem ſibi vel alteri inferendam, quia per hanc ſubtractionem gladii impeditur mors proximi: ſecus per ſubtractionem Sacramenti non vitatur peccatum illud volentis indignè communicare,ſed tantùm actus exterior: ipſa ſiquidem petitione jam peccavit mortaliter,& conſenſit in peccata, ut docet D. Thomas *loc. cit.* Secundò, quia per ſubtractionem gladii, famæ proximi non detrahitur, & per negationem Sacramenti gravè vulnus famæ, & charitati infligitur. Tertio, quia vita corporis reparari non poteſt, bene tamen damnum animæ poteſt reſarciri, ſi DEI bonitas voluntatem mutet peccantis. Quartò, quia Sacerdos agit ut publicus bonorum communium Eccleſiæ diſpenſator, & non poteſt peccatori occulto denegare hanc privationem bonorum ſpiritualium, qui verò denegat depoſitum gladium furioſo, privata eſt perſona,cujus proinde actio dirigi debet ſcientia privata: ſecus teneretur homo per ſententiam Judicis gladium apud ſe depoſitum reſtituere furioſo; quia Judex agit perſonam publicam, cujus ſententia, & actio non dirigitur ſcientia privata, ſed tantùm juxta probata, & allegata. Si tamen furioſus vellet occidere vel ipſum depoſitarium vel alium, tunc deberet gladium ei denegare, quia Judex non habet poteſtatem condemnandi innocentem ad mortem. Ita peccatori, ut denegetur fidelium communio, debet ejus delictum non eſſe occultum, ſed manifeſtum, ut deſumitur *ex cauſa* 6. *quæſt.* 2. *cap. ſi tantùm.* ubi habetur: *Si tantùm Epiſcopus alieni ſceleris ſe conſcium novit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat, ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret.* Quòd ſi peccator occultus, cujus crimen Sacerdoti innoteſceret, ab eodem peteret in occulto communionem, eſſet hæc eidem deneganda, imò & peccator monendus,ne publicè eam petat, quia, ut docet D. Thomas in 4. *ſent. diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 5. Nullum tunc ſcandali, aut infamiæ periculum oritur, & aliàs conſulitur conſcientiæ peccantis,qui impeditur,ne indignè,& ſacrilegè comunicet.

Quòd

Digitized by Google

verbum Dei, hoc eſt, *ſignificat* verbum Dei. *Matth.* 11. dixit etiam Chriſtus de Joanne: *Ipſe eſt Elias*, & Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 10. ait: *Petra autem erat Chriſtus*, id eſt, *ſignificabat* Chriſtum, vel tropus eſt in nomine *corpus*, ut ſenſus ſit: Hic panis eſt figura vel ſignum, aut typus mei corporis per figuram, quam Rhetores vocant metonymiam, qua nomen rei ſignificatæ tribuitur ſigno, quo pacto *Exodi* 7. virgæ præſeferentes ſimilitudinem Draconum, vocantur dracones, & indicata effigie Cæſaris in tabella, dicitur, hic eſſe Cæſar, vel demum tropus poteſt eſſe in pronomine *meum*, ut ſenſus ſit, *Hoc eſt corpus meum*, ſcilicet à me *productum*, ſicuti *Matth.* 6. dicitur: *Hic eſt Filius meus.*

Sed contra, quia verba à Chriſto prolata: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, continent infallibilem veritatem: Sed Chriſtus ea protulit ſupra panem, quem in manibus tunc habebat: ergo corpus Chriſti verè, ac realiter continetur ſub illis ſpeciebus panis, & vini; cùm ſit Chriſtus etiam Deus, & prima veritas non poteſt falli, nec nos fallere, ſeu falſum dicere, conſequenter verba illa debuerunt vera eſſe: nec alio modo potuerunt vera eſſe, quàm in illo ſenſu, quo intelligimus corpus Chriſti verè, & realiter eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini, neque poteſt per pronomina *hoc*, vel *hic* aliud ſignificari, quàm ipſum corpus Chriſti in fine prolatæ propoſitionis, vel ſubſtantia panis, antequam fiat tranſubſtantiatio, & prædicatum propoſitionis dicatur de ſubjecto, vel indeterminatè aliquid commune ad ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti.

D. Thomas 3. *part. art.* 5. aſſerit illud pronomen *hoc* ſignificare ſubſtantiam, ſed abſque determinatione propriæ naturæ, ſeu demonſtrare aliquid commune ad ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti. Hæc tamen reſponſio videtur pati aliquam difficultatem, quia, ſi demonſtrat aliquid commune ad ſubſtantiam panis, & corporis Chriſti, vel eſt panis, vel corpus Chriſti, vel quid tertium, ſed non eſt panis, nec corpus, nec aliquid tertium, quia illud aſſignari non poteſt. Sed D. Thomas, quando dixit eſſe quid commune, intellexit, quod pronomen *hoc* ſit applicabile pluribus, ſcilicet ſubſtantiæ panis, vel corporis Chriſti, vel quia profertur ab initio propoſitionis, antequam determinetur prædicatum, quod dicatur de ſubjecto, ideo in hoc ſenſu dicitur quid commune abſque determinatione: Calviniſtæ, & Lutherani impanatores aſſerunt, pronomen *hoc* ſignificare panem, ejuſque ſubſtantiam, adeo ut panis ſit ſubjectum propoſitionis, Hoc eſt panis, ſeu idem etiam fatentur Calviniſtæ aſſerentes, in Euchariſtia non eſſe verum, & reale, ac proprium corpus Chriſti, ratio eorum eſt, quia pronomen *hoc* eſt demonſtrativum, quando profertur, ſiquidem debet aliquid demonſtrare, ſed quando profertur à Chriſto, non demonſtrat niſi panem, nam demonſtrat, quòd ipſe habet in manibus, & tunc habuit panem, quem Dominus accepit, fregit, benedixit, & dedit, omnia enim verba regunt eundem accuſativum panem, quem accepit, fregit, & benedixit, ex quo inferunt pronomen *hoc* demonſtrare panem. Catholici verò, quamvis conveniant in aſſerenda veritate corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini: diſſident tamen in modo explicandi, quid propriè demonſtrant pronomina *hoc*, vel *hic*. Acatholici verò tam variè, & confusè hæc quatuor verba: *Hoc eſt corpus meum*, explicarunt ad declinandam præſentiam realem Chriſti, & tranſubſtantiationem, quam profitetur Eccleſia Catholica, ut Sanctæus referat 84. eorundem expoſitione omnes falſas, & à veritate aberrantes, cùm una tantùm ſit Fides, una Veritas, unus Chriſtus, Joan. 14. *Ego ſum veritas.*

Reſponſio Calviniſtarum, & Lutheranorum facilè rejicitur, quia vel pronomen *hoc* ſumitur adjectivè, vel ſubſtantivè, ſi adjectivè, & debet concordare cum ſuo ſubſtantivo, & hoc pacto non poteſt demonſtrare panem, ſed corpus Chriſti: ſiquidem panis eſt maſculini generis tam græcè, quàm latinè, unde potius deberet dici, *hic eſt*, rurſus in altera ſpecie vinum græcè eſt maſculini generis, & ſanguis eſt neutrius, latinè autem è contrario vinum neutrius generis, & ſanguis maſculini, & nihilominus omnes legunt, *hic eſt ſanguis*, non verò *hoc*, ſcilicet vinum, & ſanguis. Si ſumatur ſubſtantivè, tunc ſenſus eſt, hoc ſcilicet contentum ſub iſtis accidentibus ſenſibilibus eſt corpus meum, proinde ſi pronomen *hoc* prædicaretur de pane, eſſet propoſitio abſurdiſſima, quia hoc non poteſt dici de re præſenti, quæ cernitur, & cognoſcitur, niſi res illa ſit generis neutrius, unde neque de pane, quem Diſcipuli videbant, rectè dici potuit: *Hoc eſt corpus meum.*

Ad id, quod addebant Sectarii, quòd Chriſtus acceperit panem, fregerit, benedixerit, & dederit Diſcipulis, reſpondetur, Chriſtum accepiſſe quidem panem, ac benedixiſſe, ſed non dediſſe illum eundem vulgarem panem, quem acceperat, ſed jam benedictum, & per benedictionem mutatum in corpus Chriſti, quia prius panem accepit, & poſtea benedixit, ſeu conſecravit, & tunc per conſecrationem, quod antea erat ſubſtantia panis, tranſmutatum fuit in corpus Chriſti, quod poſtea fregit, deditque Diſcipulis ſuis, unde quamvis omnia præfata verba regant eundem accuſativum, non tamen eodem modo ſe habentem, neque id videri debet inſuetum: nam ſi quis dicat, quidam percuſſit Petrum, occidit, & ſepelivit, non intelligitur, quòd Petrus, qui vivus fuit, percuſſus fuerit, etiam vivus ſepultus, hinc etiam ipſi Calviniſtæ tenentur id concedere, quia volunt, Chriſtum accepiſſe vulgarem panem, & dediſſe Sacramentalem ſuis Diſcipulis, adeo ut non eodem modo acceperit, & dederit in eorum ſententia.

Scotus vult pronomine *hoc* formaliter, & per ſe demonſtrari aliquid commune ſubſtantiæ panis, & corpori Chriſti, non tamen commune ſecundùm rem, ſed ſecundùm rationem, ſeu denominationem, ita ut ſenſus ſit, contentum ſub accidentibus panis eſſe corpus Chriſti, & aſſerit, pronomen *hoc* demonſtrare ſingulare entis, non per ſingulare minus univerſale, quàm hoc ens. Pro quo juvat obſervare propoſitionem tantùm veram eſſe in ultimo prolationis inſtanti, quia tunc tantùm eſt integra, quod patet, quia conceptus fictionis habetur in fine tantùm ejus prolationis, conſequenter etiam in fine propoſitionis, quia ſicut ſyllaba ſunt partes dictionis, ita dictiones ſunt partes, propoſitionis, orationis, ſeu enuntiationis.

Quòd ſi dicas, ſignificatum propoſitionis haberi ex partium ſignificatione, & partes ſignificare, quando proferuntur, conſequenter conceptum orationis haberi ante ultimum prolationis. Contra eſt, quia aliud eſt loqui de partibus in ſe, & aliud, ut ſunt partes orationis complexæ, primo modo ſignificant, dum proferuntur, non verò ſecundo modo. Præterea non valet objectio, quia conceptus dictionis non habetur niſi tota dictione prolata, proinde nec propoſitio ſignificat, dum profertur, ſed tantùm in ultimo prolationis, non enim pronomina *hoc* & *hic*, & verbum *eſt* ſignificant compoſitionem inter pronomen *hoc*, & verbum *eſt*, ſi enim dicatur, *hoc eſt*, non eſt propoſitio determinata, niſi addatur præ-

Digitized by Google

prædicatum aliquod; propositio enim propriè sumpta, & completa constat tribus terminis subjecto verbo prædicato, ut in hac propositione: *Petrus est doctus*, Petrus est subjectum, de quo prædicatur doctrina, & verbum est simul nectit utrumque terminum, & est ratio, cur prædicatum enuntietur de subjecto. Hæc enim est natura propositionis, ut non habeat completam significationem, nisi posito prædicato. Rursus pronomen *hoc* potest dupliciter considerari, primò per se, ut est *simplex* pronomen, & hoc pacto non habet determinatam significationem, sed vagam, & indeterminatam, siquidem, cùm profero particulam *hoc*, possum designare substantiam, vel accidens, aut compositum ex utroque. Secundò potest considerari, ut est terminus, & subjectum propositionis, cujus significatum determinatur à prædicato, & tunc constituit unam integram significationem unà cum verbo, & prædicato; cùm autem ante prolationem verbi, & prædicati nondum completa sit essentia, & significatio propositionis, seu enuntiationis, si enim dicatur, *hic est*, non habetur propositio completa, bene tamen, si dicatur *hic est Petrus*. Igitur in Eucharistia illud pronomen *hoc* stat pro corpore, & pronomen *hic* pro sanguine consecrando, adeò ut non significet contentum sub speciebus pro eo signo, & tempore, quo pronomen *hoc* profertur, sive consideretur, ut simplex terminus, sive ut subjectum propositionis, consequenter non potest pro eo signo, quo profertur, significare panem, quia tunc non habet significationem determinatam, sed suspensam, donec determinetur ad significandum id, cui potest convenire prædicatum, scilicet corpus meum, quia autem id, cui prædicatum convenit, est corpus Christi, quod continetur sub speciebus panis, sequitur, quòd statim prolato prædicato illud pronomen *hoc* significet hoc idem prædicatum, seu corpus Christi: & pro eo etiam supponat, & sensus propositionis sit, quod continetur sub speciebus est verum, & reale corpus Christi, & idem dicendum de pronomine in secunda consecratione: *Hic est sanguis meus*.

Ad id, quod asserebant Calvinistæ, verba à Christo prolata esse intelligenda tropicè, respondetur juxta generalem Sanctorum Patrum regulam, quam tradit Augustinus *lib. 3. de doctrina Christiana cap. 20.* Verba sacræ Scripturæ semper in sensu obvio, & proprio intelligenda sunt, quoties ex illo non sequitur inconveniens: alioquin, si licitum esset, verba sacræ Scripturæ detorquere in sensus improprios, & locutiones figuratas nihil certi è sacris Scripturis inferri posset; cùm nullus sit in illis textus adeo expressus, & clarus, cujus sensus non possit ad tropos, & figuras deduci: qua ratione Ariani figuratè explicabant illud Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus*, & Marcionistæ illud Joan. 1. *Verbum caro factum est*, ut Verbi Incarnationem negarent, & Origenistæ illud 1. *ad Corinth.* 15. *Mortui resurgent incorrupti*, ut carnis negarent resurrectionem, unde in explicandis Scripturis hæc regula observanda est, ut semper in sensu proprio, & obvio intelligantur verba textûs, nisi evidens falsitas, impossibilitas & absurditas adigat ad tropicas, & figuratas locutiones: & quia nulla absurditas, nulla impossibilitas nos adigit, ad deferendum sensum proprium, & obvium, quem verba à Christo prolata præseferunt in consecratione: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, debent hæc verba intelligi in sensu proprio, & obvio, sicut cùm dixit *Genes. 1. Fiat lux, & facta est lux*, seu traducta de non esse ad esse, non enim difficiliùs fuit Deo transsubstantiare substantiam panis in suum corpus, & vinum in suum sanguinem, quàm ex nihilo traducere ad esse totam hanc mundi machinam.

Rursus quoties locutio sacræ Scripturæ est tropica, & figurata, tunc in alio Scripturæ loco habetur sensus proprius, adeo ut à sacris interpretibus tradatur hæc alia regula, qua dicunt, nullum esse locum ex sacra Scriptura, in quo sit locutio figurata, quinimò in alio loco non explicetur clarè, & apertè, ac constet illam locutionem fuisse figuratam, quapropter si alicubi in Scripturis Deo tribuuntur membra humani corporis, hæc locutio est tunc intelligenda tropicè, ac figuratè, quia alibi Deus expressè dicitur spiritus, & negatur esse corporeus, sed nullus in Scripturis est assignabilis locus, in quo negetur realis præsentia corporis Christi in Eucharistia; neque ex quo possit constare hanc esse locutionem figuratam: quinimò, ubicunque loquitur Scriptura de hac reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, semper iisdem verbis hæc veritas explicatur, scilicet: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: ergo hæc verba intelligenda sunt in sensu proprio, & obvio, non verò tropicè, & figuratè.

Præterea, quia locutio figurata, & tropica nunquam in sacris Scripturis invenitur, neque admittitur, ubi traduntur mysteria nostræ fidei, hæc enim semper explicantur per verba, quæ intelliguntur in sensu proprio, & obvio. Sed Christus, quando in ultima cœna accepto pane dixit: *hoc est corpus meum*, tradidit Discipulis & posterius mysterium Eucharistiæ, seu dogma nostræ fidei, ergo verba Christi accipi debent in sensu proprio, non figurato, quia verba, quibus traduntur dogmata fidei, debent esse clara, omnemque excludere ambiguitatem, & æquivocationem, qua possint diversimodè interpretari.

Præterea, quia verba à Christo prolata, quando in ultima cœna accepto pane instituit hoc Sacramentum, non possunt in alio sensu accipi, quàm in sensu proprio, & obvio, quo significant, quòd ante consecrationem erat sub speciebus panis substantia, quæ revera ex vi consecrationis fiat corpus Christi, quia illud verbum *est* ratione sui præcisè, non potest sumi in alia significatione, quàm in propria, siquidem est simplex verbum substantivum, quod ob sui simplicitatem in nullum aliud resolvitur; & reliqua omnia in ipsum resolvuntur, ut cùm dicitur: homo loquitur, comedit, bibit, dormit, sensus est, quòd homo sit loquens, comedens, bibens, dormiens, unde, cùm omnia alia verba trahantur ad ejus significationem, non potest ipsum verbum *est* trahi ad aliam significationem, alioquin deberet in se ipsum resolvi, quod implicat, ac ejus repugnat simplicitati.

Demum, quia verbum *est* in propositione de secundo adjacente, ut est hæc à Christo prolata, *hoc est corpus meum*, ut docet Aristoteles *lib. 1. Hermen. cap. 3.* nil significat præter unionem extremorum, qua ratione vocatur copula: ergo non potest in figuratam detorqueri significationem, alioquin non esset simplex copula, sed extremum.

Quod nec etiam ly *corpus* possit figuratè sumi, nec possit esse sensus, *hoc est figura corporis mei*, ut explicant Calvinistæ, est etiam probatu facile, quia pronomen *hoc* in propositione Christi denotat vel substantiam panis, vel Christi corpus, si dicatur hoc secundum, sequitur, corpus Christi non sumi figuratè, alioquin corpus Christi esset signum, & figura sui ipsius, neque Christus dixit: *hoc est figura corporis mei*, bene tamen, *hoc est corpus meum*.

Demum neque pronomen *meum* potest figuratè sumi, ut sensus sit ille Hæreticorum:

Hoc

Hoc eſt corpus, quod à me creatum eſt, quia ſtatim ſubdit, *quod pro vobis tradetur*; & conſtat, non panem, non figuram, non typum corporis Chriſti traditum fuiſſe pro hominibus redimendis, ſed verum, reale, ac ſubſtantiale Chriſti corpus, ut etiam verum, & realem, ac ſubſtantialem Chriſti ſanguinem, hinc *Joan.* 6. dixit Chriſtus: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.*

Hac ratione convicti Hæreticorum nonnulli reſpondent, Chriſtum ſolùm in ultima cœna fuiſſe præſentem ſub ſpeciebus illis panis à ſe conſecratis: non verò poſtea in his, quæ ab aliis Sacerdotibus conſecrantur. Sed contrà, quia Sacerdotes non proprio, ſed Chriſti nomine proferunt verba conſecrationis, & quidem ex ipſius inſtitutione, ac mandato, quapropter, etiam ut prolata à Sacerdotibus ſunt infallibilis veritatis, etenim dixit Chriſtus Diſcipulis ſuis, ac cæteris Sacerdotibus ſucceſſivè in Eccleſia: *Hoc facite in meam commemorationem*, & ſicut repugnat Chriſtum mentiri per ſeipſum, eò quia ſit ſumma, & prima veritas, ita etiam implicat poſſe mentiri per ſuos Miniſtros, quoties loquuntur, & operantur nomine ipſius, quæ ipſe præcepit.

Inſtat tamen Boquinus Calviniſta, verba conſecrationis proferri quidem à Sacerdotibus nomine Chriſti, cujus ſunt Miniſtri, ſed negat inde ſequi, Chriſtum ex vi verborum eſſe realiter præſentem in Euchariſtia, ſed ſufficere, ſi ſit in illa tanquam in ſigno, quia cenſet verba conſecrationis eſſe tantùm vera per communicationem idiomatum. Sed contra: quia ad communicationem idiomatum non ſufficit quæcunque unio, ſed requiritur unio hypoſtatica duarum naturarum in uno ſuppoſito, ut in Chriſto Domino, in quo natura humana unitur perſonæ Verbi divini, ex qua unione, quæ dicuntur de natura divina, prædicantur de humana Chriſti. Præterea neque videtur hæc unio hypoſtatica ſufficere, ut una pars naturæ humanæ Chriſti prædicetur de Deo; non enim valet hæc propoſitio: *Anima Chriſti eſt Deus*; neque dicimus, *Corpus Chriſti eſt Deus*, ſumpto corpore pro altera parte naturæ humanæ Chriſti: unde ſi unio ſigni cum re ſignata ſufficeret ad communicationem idiomatum adhuc (ex vi talis unionis) non eſſet vera hæc Chriſti propoſitio: *Hoc eſt corpus meum*, ſed hæc alia: *Hoc eſt mea natura humana*; quia per communicationem idiomatum non dicimus: *Deus eſt anima Chriſti*: neque *Deus eſt corpus Chriſti*, ſed Deus eſt homo includens utramque partem, animam, & corpus ſimul. Demum quia communicatio idiomatum tantùm habetur de rebus, quæ uniuntur in uno tertio, in quo ſimul res diverſæ uniuntur; non enim dicimus, *Deitas eſt humanitas*: neque è converſo: bene tamen dicimus, *Verbum divinum eſt Deus, & homo*: quapropter ratione communicationis idiomatum non rectè diceretur: *Hic panis eſt corpus Chriſti*, quia Sacramentum eſſet illud tertium, in quo fieret unio ſigni cum re ſignata; & tantùm diceretur, hoc Sacramentum eſt panis, & corpus Chriſti.

Secundum Calviniſtarum fundamentum eſt, quia etiam poſt prolata verba conſecrationis non ſolùm à Sanctis Patribus; ſed etiam in Scripturis Euchariſtia vocatur panis: quòd ſi dicitur panis, non eſt corpus Chriſti, à quo diſtinguitur panis, ſed tantùm ſignum, vel figura, aut ſymbolum corporis Chriſti; Sicut in lege veteri manna, quod pluit in deſerto, non fuit corpus Chriſti futuri: ſed tantùm figura, ſignum, vel ſymbolum; pari pacto poſt conſecrationem panis aſſumitur, ſeu elevatur, ut ſit ſignum, vel figura Chriſti, qui jam extitit in terris, & nunc exiſtit in cœlis, ex quo inferunt, Chriſti corpus non eſſe in Euchariſtia poſt conſecrationem, niſi ut in ſigno, & figura, quatenus panis conſecratus eſt figura, & ſignum corporis Chriſti. Sed huic argumento jam ſuperius ſatisfecimus, & iterum reſpondemus; Euchariſtiam poſt conſecrationem in Scripturis, & Sanctis Patribus vocari panem, & vinum, non quòd ſubſtantia panis, & vini maneat in Euchariſtia poſt conſecrationem: ſed quia ex pane, & vino conſecrata eſt Euchariſtia: Unde quoties Sancti Patres vocant Euchariſtiam panem, ſemper addunt aliquod prædicatum, ex quo conjiciatur, ipſos non loqui de pane vulgari, ſed de pane cœleſti Angelorum, ſeu de corpore Chriſti. Hinc Tertullianus *lib. adverſus Judæos cap.* 2. ait: *Panem corpus ſuum appellans.* Origenes *homil.* 35. *in Matth. Panis eſt, quem Deus corpus ſuum eſſe fatetur.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 4. *Myſtag. Dominus pronunciat, & dicit de pane: Hoc eſt corpus meum.* S. Cyprianus *epiſt.* 56. *Dominus corpus ſuum vocat de multorum granorum adunatione congeſtum.* S. Auguſtinus *ſerm. ad infantes*: *Panis eſt corpus, calix ſanguis Chriſti.* S. Hieronymus *epiſt. ad Hedibiam* ſcribit: *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, dedítque Diſcipulis, eſſe corpus Salvatoris*: Ex iſtis SS. Patrum locutionibus facilè apparet, de quo pane fuerint ipſi loquuti, cùm dixerunt, Euchariſtiam panem eſſe. Nullus dixit, in Euchariſtia non adeſſe verum, reale, proprium, & ſubſtantiale Chriſti corpus; nemo aſſeruit poſt conſecrationem manere ſubſtantiam panis; vocant igitur Patres Euchariſtiam panem, quia ex pane facta, quia conſervat ſpeciem, & accidentia panis. Hinc Lanfrancus *lib. de corpore, & ſanguine Chriſti* ait: *Solemus aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur nominibus appellare, quamvis in aliam naturam tranſlatæ, jam non poſſint eſſe illud, quod fuerunt res illæ, ex quibus probantur effectæ. Sicut B. Auguſtinus in extremo Pſalmorum explanationis opere chriſtallum vocat nivem multorum annorum duratam tempore, & ſerie ſæculorum, cùm nix ſit liquida, & humida; criſtallo verò natura exiſtat dura, & ſicca. At per hoc, cùm tam diverſæ naturæ ſint in utriuſque; non rectè quis criſtallum nivem vocaverit, niſi ea locutionis modo, quo res effecta materiali ſolet nomine appellari. Et creator, creato ex terra primo homine Geneſ. dicit: Terra es, & in terram ibis: Quaſi diceret, quia factus es ex terra, quandoque fies terra, & reverteris in terram.* Et nonnullis interjectis ſubdit Lanfrancus: *Sicut qui dicit, Chriſtus eſt lapis angularis, non revera Chriſtum lapidem eſſe conſtituit, ſed propter aliquam ſimilitudinem, quam ad ſe invicem gerunt, et nomen imponit; eodem modo cùm divina pagina corpus Domini panem vocat ſacratum, myſtica locutione id agit; ſeu quoniam ex pane conficitur; ejuſque nonnullas retinet qualitates, ſeu quia animam incomprehenſibiliter paſcendo ſatiat, eique æternæ vitæ ſubſtantiam ſubminiſtrat? vel quod corpus eſt Filii Dei, qui eſt panis Angelorum.* Vocatur igitur Euchariſtia poſt conſecrationem panis, quia ex pane effecta eſt.

Tertium fundamentum petitur ex eo, quòd ſenſus exteriores circa propria objecta non poſſunt errare, quia à Deo fuerunt determinata ad illa, ut ſibi propria, attingenda, præſertim ſi ſint bene diſpoſiti; ſed ſenſus viſûs, tactûs, guſtûs, odoratûs, uniformiter, & in omnibus, ac perpetuò teſtantur, in Euchariſtia peracta conſecratione eſſe panem, & vinum; & non præſentiam corporis Chriſti: ergo cùm ſenſus circa propria objecta non errent, aſſerendum eſt, in Euchariſtia etiam poſt conſecrationem non eſſe corpus Chriſti, ſed ſubſtantiam panis, & vini. Sed con-

Digitized by Google

contra, quia licet sensus rectè dispositi, & quovis sublato impedimento non possint errare circa propria sensibilia, ad quæ sunt à natura determinati, in judicio de re sensibili, quæ illorum est objectum proprium, cujusmodi sunt qualitates sensibiles; secus in judicio de natura, & substantia rei, quod proprium est mentis non sensus, sunt sensus exteriores erroribus obnoxii, & possunt errare. Unde sensus non falluntur, quando proprium objectum sensibile attingunt secundum impressionem ab iisdem objectis sensibilibus factam in sensibus. Falluntur tamen circa rerum substantias, & naturas, quæ cum non cadant sub sensus, quamvis naturaliter sint alligatæ talibus accidentibus sensibilibus, divinitus tamen possunt ab iisdem liberari; ut in casu nostro, quamvis naturaliter substantia panis sit alligata talibus accidentibus sensibilibus, seu colori, sapori aliisque qualitatibus sensibilibus; divinitus potest substantia panis transsubstantiari in aliam substantiam; in quo casu licet sensus externi non fallantur circa accidentia exteriora, & sensibilia, falluntur tamen, si ex iisdem inferant, adesse sub iisdem talem substantiam panis, quia panis substantia non est objectum sensus, à quo sensibiliter non attingitur, sed tantùm infertur ex accidentibus sensibiliter, à quibus potest separari. Imò fallitur etiam intellectus, si ex iisdem accidentibus inferat substantiam propriam eorundem, quando à Deo in aliam transmutatur. Hinc D. Augustinus *lib. 9. de civit. Dei cap. 27.* ait: *Hæc omnia corporalia latentes in natura causas habent, sed formas suas, quibus mundi hujus visibilis structura formata est, sentiendas sensibus præbent, ut proeo, quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nos ea sensu corporis ita capimus, ut de iis non sensu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longè præstantiorem.* Licet sensus exteriores ritè dispositi circa sua propria objecta sensibilia sint à deceptione immunes, & in Eucharistia non fallantur circa sensibiles qualitates panis, & vini, fallitur tamen intellectus, si ex accidentibus illis sensibilibus inferat, latere sub illis substantiam panis, quia Christus verus DEUS, & homo illam transmutavit in substantiam proprii corporis, & conservat accidentia absque proprio subjecto, & fides corrigit errorem intellectus, creditque verè, ibi adesse corpus Christi, sub accidentibus panis; & latere ejus sanguinem sub speciebus vini: erraret intellectus, si peractâ consecratione judicaret, superstites manere substantias panis, & vini: hoc enim judicium advertatur fidei, dicente Christo, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.*

Quartum Calvinistarum fundamentum desumitur ex eo, quia hæc realis Christi præsentia sub accidentibus Eucharisticis adversatur scripturis: etenim *Matth. 26.* Christus dixit: *Si quis dixerit vobis, ecce, hic est Christus, aut certè ibi, nolite credere. Matth. 26. Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Joan. 16. Relinquo mundum, & vado ad Patrem. Joan. 17. Cum essem cum eis, ego servabam eos:* ex his, & aliis scripturæ locis habemus, Christum non esse ampliùs nobis præsentem in hoc mundo, sed suum corpus existere in cælis, & ejus figuram, signum, vel symbolum in Eucharistia, quatenus hæc signat, ac figurat Christi passionem. Sed contra negatur consequentia; & ad primum textum desumptum ex *Matth. 24.* respondetur, ibi Christum non fuisse locutum de sua propria persona, sed de sua doctrina, eo quia essent insurrecturi Pseudo-Christi, qui jactarent, se veram docere Christi doctrinam, & non nisi falsa, & deceptoria edocebunt; proinde monet nos Christus, ne illis credamus. Ad alios textus communis Sanctorum Patrum responsio est: Christum in iisdem loqui de sua præsentia visibili in propria specie corporali, ac sensibili, non de præsentia Sacramentali. Idque ex eo ostendunt, quia Christus *Matth. ult.* ait: *Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et *Joan. 13. Vado, & venio ad vos.* Instant tamen Sectarii, quia Apostolus *1. ad Corinth. 10.* loquens de Eucharistia expresiè ait: *Patres veteris testamenti eandem escam spiritualem manducasse*: at illa esca fuit manna, seu figura corporis Christi; ergo. Si nos eandem escam manducamus, sicut & ipsi manducaverunt; hinc ipsi manducaverunt spiritualiter figuram corporis Christi; ita & nos in Eucharistia non verum, proprium, & substantiale Christi corpus, sed tantùm ejus figuram, signum & typum in Eucharistia comedimus. Sed contra quia verba Apostoli non intelliguntur de eadem esca simpliciter, sed proportione, accommodatè, prout figura, & figuratum possunt aliquo modo dici unum: & hunc esse sensum Apostoli ex eo liquet, quia ipse etiam dicit, antiquos Patres fuisse baptizatos eodem baptismo, & tamen inde non sequitur, eorum baptismum, & nostrum esse omnino eundem.

Sed adhuc urgent, quia pronomen *hoc* demonstrat in verbis consecrationis panem: sed panis, & Christi corpus non possunt de se invicem verificari quia sunt termini disparati: ergo verba consecrationis, *hoc est corpus meum*, non possunt intelligi in sensu proprio, sed tantùm in figurato. Minor, & consequentia clarent. Major probatur; quia illud idem demonstratur per pronomen *hoc*, quod Christus accepit in manibus, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & hoc nil aliud fuit, quàm panis. Quòd si dicas, pronomen *hoc* esse generis neutrius, consequenter non posse panem demonstrare, cum sit panis generis masculini, respondent in lingua hebraica non dari hoc genus neutrum; sicque in originali pronomen illud non ponitur. Contra est, quia pronomen *hoc* in verbis consecrationis non demonstrat panem à Christo vel Sacerdotibus acceptum; sed demonstrat, contentum sub accidentibus panis esse corpus Christi in termino prolationis verborum, & ante hunc terminum demonstrat contentum sub accidentibus panis abstractè significatum, ut docet D. Thomas. Vel si significet ab initio substantiam panis, per sequentia verba est corpus meum, hæc substantia transsubstantiatur in verum, reale, ac substantiale corpus Christi, adeo ut nihil maneat sub illis accidentibus substantiæ panis, sed tota transeat in verum, & reale Christi corpus, quod post consecrationem solùm remanet sub accidentibus panis. Ad aliud, quod addebatur, linguam hebraicam carere pronomine neutro, consequenter in originali non posse demonstrari corpus Christi, quod est generis neutrius: respondet Bellarminus, quòd sicut in lingua hebraica non sunt pronomina neutra, ita neque nomina neutrius generis, hinc ostendit corpus in lingua hebræa esse masculini generis, ac potuisse demonstrari pronomine masculino.

Quintum fundamentum Calvinistarum est, quia verba consecrationis, sicut sunt Sacramentalia ita non nisi sacramentaliter sunt intelligenda: sed intelligere sacramentaliter, est idem ac intelligere in ratione signi, est enim Sacramentum signum: ergo verba consecrationis, sunt hoc pacto intelligenda: *Hoc est signum corporis mei*, firmant ex eo, quia Sacramentum Eucharistiæ est signum sensibile corporis Christi, consequenter corpus Christi non continetur in eo realiter, & propriè, sed duntaxat, ut signum quod non continet realiter id, quod significat. Sed contra distinguitur antecedens: verba consecrationis sunt Sacramentalia: si per locutionem Sacramentalem intelligatur locutio, que tantùm

tantùm aſſeritur præſentia ſigni externi,& excluditur præſentia rei ſignificatæ, ut cenſent Hæretici, negatur antecedens; ſi per locutionem Sacramentalem intelligatur locutio, qua ſenſibiliter ſignificatur Sacramentum effici, conceditur antecedens, & negatur conſequentia, & ſub eadem diſtinctione minoris ſubſumptæ, negatur ultima conſequentia, quia inde non ſequitur, verba conſecrationis eſſe Sacramentaliter intelligenda in ſenſu Hæreticorum,ut ſenſus ſit: *Hoc eſt ſignum corporis mei*,ſed eſſe intelligenda Sacramentaliter, quatenus pronomen, *hoc*, demonſtrat contentum ſub accidentibus panis in termino prolationis verborum conſecrationis eſſe verum, & reale Chriſti corpus. Præterea, quia etiam verba illa: *Ego te baptizo*, ſunt Sacramentalia, & Sacramentaliter intelligenda; & nihilominus non debent,nec poſſunt intelligi de ſigno aquæ,& ablutionis, ſed intelligenda ſunt de vera & propria ablutione, & de reali aqua abluente: ita à pari quamvis hæc alia verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſint Sacramentalia, & intelligenda Sacramentaliter, non inde ſequitur, quod non ſint intelligenda de vero, ac reali corpore Chriſti, ſed tantùm de illius ſigno, ut putant Hæretici. Ad confirmationem,reſpondeo,Sacramentum Euchariſtiæ principaliter in ratione Sacramenti ſignificare gratiam, cujus propterea eſt ſignum ſenſibile; hinc quia Euchariſtia non conſtituitur in ratione Sacramenti per ſignificationem corporis Chriſti, ſed per ſignificationem gratiæ,ut communiter docent Theologi;ideo poteſt in ſe continere realiter corpus Chriſti: nec inde ſequitur Sacramentum eſſe ſignum ſui ipſius, quia eſt ſignum rei ſignificatæ principaliter ſeu gratiæ: &, licèt etiam ſignificet corpus Chriſti,illud ſignificat, ut realiter contentum ſub accidentibus Euchariſticis.

Sed dices, repugnat præſentia realis rei ſignificatæ cum ipſo ſigno: ergo ſi Euchariſtia ſignificat corpus Chriſti, non poteſt illud ſignificare ſub accidentibus panis, alioquin illud ſignificaret, ut realiter perſona in ſuo ſigno. Contra eſt,negatur antecedens, quia non repugnat realis præſentia rei ſignificatæ cum ipſo ſigno, etenim in animalibus ſanguis dicitur ſignum vitæ, & nihilominus in tali ſigno continetur etiam vita animalis. Rurſus ex Sacris Scripturis columba, qua Spiritus Sanctus ad Chriſtum deſcendit, erat ſignum Spiritus Sancti, & nihilominus Spiritus Sanctus erat in tali ſigno realiter præſens, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 39. *art.* 7. ex D. Ambroſio *lib. de his qui myſter. initiant.* Rurſus linguæ igneæ, quæ die Pentecoſtes ſuper diſcipulorum capita diſpertitæ apparuerunt, ſigna fuerunt Spiritus Sancti, qui tamen erat iiſdem realiter præſens, ex quibus conſtat, non repugnare ſignum continere rem ſignatam.

Sextum fundamentum eſt, quia communis regula explicandi ſcripturas in ſenſu figurato eſt, quando ſequitur inconveniens ex ſenſu proprio: ſed verba conſecrationis non poſſunt accipi in ſenſu proprio, quia inde ſequitur inconveniens, ut colligitur ex verbis antecedentibus: *Accipite*, & *manducate*, quæ non poſſunt verificari in ſenſu proprio de corpore Chriſti, quod neque dentibus teritur, neque colore ſtomachi concoquitur: ergo verba conſecrationis ſunt figuratè intelligenda, & ex eo firmari etiam poteſt, quia præfata verba ſumpta in ſenſu proprio continent abſurditatem, quia corpus Chriſti ſi realiter concederetur,deſerviret nutritioni,& ejus pars demitteretur, per ſeceſſum,quod eſt blaſphemum;ait enim Chriſtus *Matth.* 15. *Omne quod intrat per os,in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Sed contra negatur ullum, ſequi inconveniens ex eo, quod verba conſecrationis intelligantur in ſenſu proprio, quia, ut corpus Chriſti verè ac realiter dicatur manducari, ſufficit, ſi ſumatur per os, & demittatur in ſtomachum, quod verificatur de Chriſti corpore ratione ſpecierum, ſub quibus continetur, perinde ac ratione earundem verificatur localis motio, qua corpus Chriſti dicitur deferri de loco in locum: neque ad veram rei alicujus manducationem requiritur, quod res dentibus teratur; plures enim ſunt cibi molles, qui abſque ullo dentium attritu verè, & realiter comeduntur. Neque ad veram, & realem manducationem requiritur illa in ſtomacho concoctio, ac digeſtio ope caloris naturalis, quia Chriſtus, ut habetur *Luc. ult.* poſt reſurrectionem verè, & realiter manducavit, quamvis nulla in ejus ſtomacho tunc contigerit digeſtio; ergo ex eo, quòd Chriſti corpus à communicantibus verè,& realiter comedatur corporaliter, non ſequitur inconveniens: neque quod Chriſtus ſit cibus naturalis: quia de ratione cibi corporalis eſt, ut ultra corporalem manducationem ſuſtentet etiam corpus, quod non convenit Chriſti corpori. Neque obſtat allatum ex *Matth.* 15. Quia Chriſtus ibi non loquitur de cibo ſpirituali, ſed de communi, ac uſitato corporali.

Cæterum corpus Chriſti tamdiu manet ſub accidentibus panis, quamdiu hæc non corrùmpuntur, nec ita alterantur, ut ſenſibiliter deperdant ſuum eſſe. Cum primum autem incipiunt corrumpi, ac deperdere proprium eſſe, tunc, ut cum D. Thoma docent comuniter Theologi, Deus ſub illis accidentibus ita mutatis ponit aliam materiam corpori nutriendo idoneam, adeo ut ſi quis per longum tempus nutriretur ſpeciebus conſecratis, adeo ut nihil aliud comederet, aut biberet, revera nutriretur, & aliquid in ſeceſſum mitteret,adeo ut,ſicut in aliis cibis pars deſervit nutrimento, & pars in excrementum abit: ita in hoc caſu contingeret abſque ullo inconvenienti: quia dum in ſtomacho corrumpuntur ſpecies panis,ceſſat ſub illis eſſe corpus Chriſti, & Deus ponit aliam materiam nutritioni corporis aptam. Neque cenſendum eſt inconveniens,Chriſtum ſimul cum ſpeciebus conſecratis deſcendere ad locum ſordidum ſtomachi: quia, cum Sacramentum hoc fuerit à Chriſto inſtitutum per modum cibi, & potus; & ut à nobis ſumatur tanquam cibus,& potus,ideo ex eo,quod corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus panis deſcendat in ſtomachum vel hominis, vel beſtiæ, vel in loco maneat ſordido, vel hoſtia conſecrata à mure corrodatur, aut à beſtia devoretur; non propterea Chriſti corpus inquinamentis eſt obnoxium, nec ullum inde patitur detrimentum; nec hoc audito piæ offenduntur aures.

Quòd ſi dicas, D. Ambroſ. *lib.* 5. *de ſacram. c.* 4. docere oppoſitum, ut etiam D. Auguſtin. *ſerm.* 28. de verbis Domini: *Non eſt iſte panis, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ praſtantiam fulcit.* Contra eſt, quia nomine corporis in allato textu non intelligitur ſtomachus, ſed alvus, in quem excrementa deſcendunt; adeo ut præcitati Patres tantùm docuerint, hunc panem Euchariſticum non eſſe panem, qui poſt digeſtionem deſcendat in alvum, ſeu ventrem, & inde vadat in ſeceſſum, quia corpus Chriſti tamdiu eſt præſens ſpeciebus panis, & non ultra, quamdiu ſub iiſdem conſervaretur ſubſtantia panis, ſi adeſſet, idem etiam dicendum de ſanguine ſub ſpeciebus vini: ratio eſt,quia Chriſtus ſuccedit ſpeciebus panis & vini, quæ virtute conſecrationis convertuntur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, proinde tamdiu manet Chriſtus ſub illis accidentibus, quamdiu perſeveraret utraq; ſubſtantia panis, & vini, ſi adeſſet: quamobrem corpus, & ſanguis Chriſti non ſolùm ſunt ſub accidentibus Euchariſticis panis, & vini ſtatim poſt conſecrationem, & ante uſum, ſeu

ſumptio-

Digitized by Google

ſumptionem actualem Euchariſtiæ, verum etiam poſt uſum, & ſumptionem, usque dum tales ſpecies Sacramentales calore ſtomachi alterentur, & corrumpantur, alioquin non poſſet verificari, quòd corpus Chriſti verè manducaretur, & ejus Sanguis verè biberetur, quod adverſatur verbis Chriſti *Joan. 6.* *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem*, manducare enim, & bibere non ſolum eſt ore ſumere, aut guſtare, ſed etiam deglutire, ac in ſtomachum demittere cibum, guſtare. non eſſe idem, ac bibere, liquet ex illo *Matth. 26.* ubi de Chriſto ait: *Et cum guſtâſſet, noluit bibere*, unde ſi corpus, & ſanguis Chriſti tamdiu eſſent ſub ſpeciebus panis, & vini, quamdiu duntaxat ore ſumantur, ejus corpus propriè non diceretur manducari, neque ejus ſanguis bibi.

Quod ſi quæras, quomodo à Deo producatur hæc nova ſubſtantia, quando accidentia panis, & vini corrumpuntur in Euchariſtia, adeo ut ex hac nova ſubſtantia dicantur generari vermes aut cineres, reſpondet D. Thomas *in 3. part. quæſt. 73. art. 5. & 6.* panem ideo nutrire & eſſe ſubjectum generationis, quia ejus materia duo præſtat, quorum primum eſt: ut ſit ſubjectum diſpoſitionum præcedentium formam producendam per generationem, vel introducendam per nutritionem. Secundum eſt, ut ipſa, cùm poſita fuerint omnia requiſita, in ſe recipiat formam, quæ generatione producitur, vel introducitur nutritione. In Sacramento Euchariſtiæ quantitas ex ratione ſua propria, quæ una cum cæteris accidentibus manet poſt conſecrationem, præſtat primo, ſeu ſuſcipit diſpoſitiones præcedentes formam producendam per generationem, vel introducendam per nutritionem; poſſunt enim diſpoſitiones ad formam dependere in eſſe ad fieri à quantitate, veluti à potentia paſſiva, & receptiva, ſeu tanquam à ſubjecto. Secundum præſtat quantitas non ſecundum propriam ſuam rationem, ſed ſecundum communem potentiæ paſſivæ, & receptivæ, quatenus tranſit in quandam, ut ita dicam, materiam, quam in ipſo inſtanti generationis, vel aggenerationis novæ formæ Deus producit, ut poſſit ſubſtantialiter formam nutriti, vel geniti ſuſcipere, adeo ut divina virtute quantitas convertatur in hanc novam materiam ſuſceptivam novæ formæ ſubſtantialis; & ex hac doctrina clarè oſtenditur, quomodo generatio, & nutritio fiat in hoc Sacramento divinitus ex quantitate panis, quæ in Euchariſtia vicem gerit materiæ panis, ut explicat D. Thomas *loc. cit.* Neque id cenſendum eſt novum miraculum, ſed quoddam pendens ex ipſo myſterio tranſſubſtantiationis.

Sed dices, ſi Chriſti corpus realiter contineretur ſub accidentibus panis, inde ſequeretur, quod manibus Sacerdotum frangeretur, quando hoſtia conſecrata frangitur, ſed hoc eſt abſurdum, ergo corpus Chriſti ſecundum eſſe reale, & ſubſtantiale non continetur ſub accidentibus Euchariſticis. Sed contra negatur ſequela, quia quando Sacerdos frangit hoſtiam conſecratam, non dilaceratur Chriſti corpus, quia integrum perſeverat, ſub quavis particula etiam minima, dummodo hæc ſit ſenſibilis: ſed tantùm frangitur quantitas, quæ ſubjicitur reliquis accidentibus, ut docet D. Thomas *loc. cit.* Quantitas enim, ut ſubjecta accidentibus denſitatis, & duritiei, & ex eo, quòd ſit ipſa continua, verè & realiter dividitur, & frangitur. Determinata diſpoſitio pororum ſecundum raritatem, & denſitatem, eſt cauſa, cur corpus verè frangi poſſit, ut docet Philoſophus, & quia hæc eadem diſpoſitio manet in quantitate ſubjectante reliqua accidentia Euchariſtica, rectè ſequitur, hanc eandem quantitatem frangi poſſe.

Ex hactenus expenſis conſtat adeo craſſos, & ſupinos eſſe errores Sectariorum circa hoc Sacramentum Euchariſtiæ, ut vel ipſi falſitatem ſui dogmatis cognoſcant, & fateantur; etenim David Pereus Calviniſta Heidelbergenſis in prælectionibus catechiſticis in ſolutione cujusdam argumenti Lutheranorum ait: Lutherani reprobantes doctrinam Calvini argumentantur hoc pacto. Doctrina Calviniſtica de Euchariſtia profecta eſt à Dæmone, qui eam Zvvinglio nocte inſpiravit: ergo non poteſt vera eſſe, utpote dictata à Patre mendaciorum. Reſpondet, & retorquet argumentum: doctrina Lutherana de abroganda miſſa eſt etiam à Dæmone inſpirata, ergo ſimiliter non eſt vera, ſed falſa, & perinde agunt Hæretici hac ſuper quæſtione, ut ipſis congruat, quod Poëta occinuit: *Væ tibi, tu nigra dicebat cacabus olla.*

CAPUT XVII.

De uſu Sacramenti Euchariſtiæ, ſeu communione, & à quibus ſumi poſſit.

Euchariſtia tripliciter ſumi poteſt ex Concilio Tridentino, primo Sacramentaliter tantùm, ſecundo ſpiritualiter tantùm, & tertio Sacramentaliter & ſpiritualiter ſimul, Euchariſtiam Sacramentaliter tantùm ſumunt peccatores, qui corpus Chriſti quidem recipiunt in hoc Sacramento, ſed absque ulla ſpirituali refectione, & ſine participatione Spiritus, adeo ut peccatores, & exiſtentes in peccato lethali nullam hauriant virtutem, nullumque fructum ſpiritualem in ordine ad ſalutem animæ ſumentis hoc Sacramentum, & de quibus propterea ait Apoſtolus 1. *Corinth.* 10. *non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum*, & *cap.* 1, ait: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini*, & nonnullis interjectis: *Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini.* Hinc D. Auguſtinus *Tract. 27. in Joan.* ait: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectiſſimi, ut carnem Chriſti, & ſanguinem Chriſti non edamus tantùm in Sacramento, quod & multi mali, ſed usque ad Spiritus participationem manducemus, & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut ejus Spiritu vegetemur, & non ſcandalizemur, etiam ſi multi modo nobiſcum manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta.*

Sacramentaliter manducantium tria ſunt genera; alii enim ſunt malevoli, alii doloſi, & alii præſumptuoſi. Primi ſumunt corpus Domini in peccandi voluntate. Secundi ſunt Hypocritæ, qui foris boni videntur, cum occultè ſint pravi, & tanquam juſti accedant ad altare. Præſumptuoſi hi dicuntur, qui maximè ſunt mali, & tamen audent ſacram Synaxim ſumere. Malevolis convenit illud *Iſaiæ* 29. *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me*, quatenus ore ad Deum appropinquant per ſumptionem Sacramenti, ſed eorum cor per voluntatem peccandi longè aberrat à Deo, & iisdem etiam convenit illud Chriſti, *Matth.*

Digitized by Google

Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare illum canibus.* Doloſis, ac Hypocritis convenit illud Apoſtoli 2. *ad Timot.* 3. *In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Dicuntur habere ſpeciem pietatis, quia participes ſunt eorundem Sacramentorum, cum hominibus piis. Et virtute pietatis, ſeu ipſam charitatem dicuntur abnegare, ob peccata lethalia, quibus inficiuntur. Præſumptuoſis, quia Chriſti corpus ſumere non verentur, licet lethalibus peccatis infecti, dicitur *Matth.* 6. *Nolite Sanctum dare canibus*, & Pſalmiſta *Pſal.* 34. *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*; & Apoſtolus *ad Hebr.* 10. *Quando putat deteriora mereri ſupplicia, qui filium DEI conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum dixerit, in quo ſanctificatus eſt.*

Spiritualiter tantùm hi dicuntur communicare, qui voto propoſitum cœleſtem panem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem percipiunt: & homines ita manducantes in tres dividuntur claſſes, prima eſt incipientium, ſecunda proficientium, & tertia perfectorum. *Matth.* 16. *v.* 38. *Erant autem qui manducaverint quatuor millia hominum extra parvulos, & mulieres*, ubi *parvuli* intelliguntur incipientes, *mulieres* proficientes, & *viri* perfecti; *incipientes* manducant ſpiritualiter ratione fidei ſalutaris; *proficientes* ratione bonæ converſationis, & *perfecti* ratione devotæ meditationis. Ad homines primi ordinis pertinet illud Apoſtoli *ad Hebr.* 10. *Juſtus ex fide vivit.* Hinc Auguſtinus: *Crede, & manducaſti.* Proficientibus convenit illud *Eccleſiaſtici.* 24. *Qui timet Deum, faciat bona*, & nonnullis interjectis, *cibavit eum Dominus pane vitæ*, ut etiam illud *Joan.* 4. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.* Perfectis convenit illud *Eccleſiaſtici* 23. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Hinc *Job.* 35. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur?*

Sacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter illi communicant, ait Tridentina Synodus *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. *qui ita ſe prius probant, & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant.* & S. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 2. ait: Perfectus igitur modus ſumendi hoc Sacramentum eſt, quando aliquis ita hoc Sacramentum ſuſcipit, quod percipit ejus effectum, & hoc pacto ſolum homines juſti Chriſtiani ſumunt Euchariſtiam ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter, non verò mali, ac peccatores, qui æterna morte propterea peribunt; & hi dividuntur in tres claſſes, quia plures ex infidelitate, multi ex negligentia, & alii ex contemptu à Sacra abſtinent Euchariſtiæ menſa. Infideles dicuntur, qui per malitiam decipiente Dæmone excæcantur, ut non credant, nec cognoſcant divina Sacramenta pro ſalute mundi mirabili ſapientia Dei inſtituta, ac propterea negant, Sacramenta à Chriſto Domino fuiſſe inſtituta, de quibus dicitur *Sapient.* 2. *Erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta DEI.* Rurſus *Joan.* 3. *v.* 36. *Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Negligentes ſunt, qui divitiis inhiantes ita negotiis implicantur ſæcularibus, ut ſacram communionem etiam debito tempore ſumere negligant, & de his intelligitur parabola, quam Chriſtus exhibet *Matth.* 22. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire, iterum miſit alios ſervos dicens, dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias, illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam.* Et hi homines deſides, qui ad ſacram Euchariſtiæ cœnam negligunt venire, ne ſpiritualiter reficiantur, tametſi fidem, imò & charitatem videantur habere, adhuc & ipſi, niſi pœnitentiam egerint, peribunt, cum dicat Chriſtus *Joan.* 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Horum figura fuerunt illi, de quibus dictum eſt *Num.* 11: *Si quis & mundus eſt, & in itinere non fuit* (ſeu legitimum non habuit impedimentum) *& tamen non fecit phaſe, exterminabitur anima illius de populis ſuis quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo, peccatum ſuum ipſe portabit.* Tertium genus hominum, qui ex contemptu ab acceſſu abſtinent à cœna Euchariſtiæ, adumbratur in iis, qui piiſſimum Regem Ezechiam ad celebrandum paſcha Judæos omnes invitantem, & excitantem contempſerunt, ejuſque Nuntios irriſerunt. 2. *Paralip. cap.* 30. *Perrexeruntque Curſores cum epiſtolis ex Regis imperio, & principium ejus in univerſum Iſrael, & Judam, id, quod rex juſſerat, prædicantes, filii Iſrael, revertimini ad Dominum Deum*, & paucis interjectis: *Et venite ad ſanctuarium ejus; igitur curſores pergebant velociter de civitate in civitatem per terram Ephraim & Manaſſe uſque ad Zabulon illis irridentibus, & ſubſannantibus eos, attamen quidam acquieſcentes conſilio venerunt Jeruſalem.*

Hinc, accedentes ad hanc Euchariſticam cœnam, eamque manducantes indignè, Sacramentaliter quidem manducant Chriſti corpus, ſed rei ſunt Sacrilegæ noxæ, dicente Apoſtolo, 1. *Corinth.* 11. *Quicunque manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit*: quapropter D. Auguſtinus *Tract.* 26. *in Joan.* ait: *Nam & nos hodie accipimus cibum: ſed aliud eſt Sacramentum, & aliud virtus Sacramenti: quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, unde dicit Apoſtolus, judicium ſibi manducat, & bibit. Non enim buccella dominica venenum fuit Judæ. Et tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit, non quia malum accepit, ſed quia malè bonum malus accepit.* Quapropter canit Eccleſia in ſequentia per octavam corporis Chriſti: *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitus; mors eſt malis, vita bonis, vide, paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus.* An verò Judas dominicum corpus ſumpſerit, S. Hilarius *cap.* 30. *in Matth.* videtur negare, ait ipſe: *Dignus æternorum Sacramentorum communione non fuerat; neque ſane bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in regno; cum univerſos, tum bibentes ex vitis iſtius fructu bibituros poſtea ſecum polliceretur.* Sed contra, quia tametſi S. Hilarius in ea fuerit opinione, qua cenſuit Judam inſtitutioni, & diſtributioni Euchariſtiæ non interfuiſſe, utpote jam antea è cœnaculo egreſſum ad perpetrandum ſcelus proditionis, nunquam tamen aſſeruit Judam, aut quemcunque peccatorem ſumendo Euchariſtiam, non ſumere verum Chriſti Domini corpus. Cæterum opinio S. Hilarii adverſatur evangelicæ hiſtoriæ, & aliis Sanctis Patribus, & etiam D. Thomæ 3. *part. quæſt.* 81. *art.* 2. ubi ait: Quòd *Chriſtus, quantum eſt in ſe, etiam cum Juda vinum in regno DEI bibit, ſed hoc convivium ipſe Judas repudiavit.* Imò opinioni S. Hilarii non favent Chriſti verba: *Non bibo amodo*

de

Digitized by Google

de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.

Hinc, ſi quis ſibi conſcius ſit lethalis alicujus noxæ ad Sacram Synaxim accedere non debet, niſi reus velit fieri graviſſimi Sacrilegii, quia Euchariſtia fuit à Chriſto inſtituta, ut eſſet cibus animæ viventis, ſeu exiſtentis in ſtatu gratiæ, quæ enim jacet in peccati ſepulchro, mortua eſt, ait enim Chriſtus *Joan. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & cibus non eſt mortuorum, ſed viventium, qui beneficio cibi reficiuntur, viresque reſumunt corroboratas. Hac de cauſa cœleſtis Paterfamilias excluſit à parata à ſe cœna illos, qui veſtem nuptialem gratiæ, & charitatis non induerunt; *Matth. 22. Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? at ille obmutuit. Tunc dixit rex Miniſtris, ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Hoc idem etiam probat parabola de filio prodigo, qui ad paternum convivium admiſſus non fuit: donec Patri reconciliatus eſſet, ac prima ſtola indutus, ſcilicet priſtinæ paternæ gratiæ reſtitutus: hæc enim parabola oſtendit, neminem peccatorem ad cœleſte Euchariſtiæ convivium accedere debere, niſi prius fuerit cum DEO, quem deſeruerat, reconciliatus, & gratiæ, ac charitatis indumento veſtitus *Luc. 15. Surgens venit ad Patrem ſuum. Cum autem adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum, Dixitque ei filius: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus, vocari filius tuus, dixit autem Pater ad ſervos ſuos, citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus. Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt, & cœperunt epulari.* Nemo igitur ſi per peccatum receſſit à DEO, ac prodegit ſua bona, ſeu dona gratiæ, & charitatis vivendo cum filio prodigo luxurioſè, audeat accedere ad hanc Euchariſticam cœnam, niſi priùs reſipiſcens dicat DEO, peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, & confeſſus ſua delicta veterem hominem exuat, novumque induat, ac ornetur ſtolâ primâ, ſeu habitu charitatis, & gratiæ, & epuletur cum cœleſti Patrefamilias, & hæc cauſa ſunt, cur Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 2 ſcripſerit: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit, indignè judicium ſibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini*, neque hæc probatio eſt intelligenda de ſola fide, ut cenſent Hæretici, quia Apoſtolus non reprehendit Corinthios, eò quia non crederent, fidem enim in iiſdem recens converſis ſupponebat; ſed quia irreverenter accederent, cum aliorum contemptu & neglectu; profana convivia poſt ſacram communionem inſtituentes etiam in iiſdem Eccleſiis, in quibus ſumpſerunt Euchariſtiam, & ad ſua convivia dedignabantur pauperes accerſere; ſubdit enim Apoſtolus: *Unusquisque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam DEI contemnitis, aut confunditis eos, qui non habent? quid dicam vobis? laudo vos in hoc? non laudo;* & in hunc ſenſum intellexit Apoſtolum D. Auguſtinus *epiſt. 54. ad Januar. cap. 3. Contemptum ſolum, inquit, non vult cibus iſte, ſicut nec manna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non diſcernebant à cæteris cibis veneratione ſingulariter debita, continuo quippe; cùm dixiſſet, judicium ſibi manducat, & bibit, addidit, ut diceret, non dijudicans corpus Domini: quod ſatis toto ipſo loco in epiſtola ad Corinthios prima, ſi diligenter attendatur, apparet.* Unde Apoſtolus cum dixit: *probet autem ſe ipſum homo*, de illa approbatione loquitur, quam Eccleſia ſemper intellexit, & docuit, eſſe adhibendam, ut nimirum fideles diligenter ſe ipſos examinent, num revera veſte ſint nuptiali induti, ſeu in ſtatu gratiæ, habeantque charitatem, quâ gloriam Chriſti quærant, & num ex ſola conſuetudine, vel timore humano, vel cupiditate aliqua terrena ad ſacram illam menſam accedant, num ſint bonæ voluntatis, Quod ſi conſilii ſibi ſint alicujus lethalis noxæ, peccata omnia ex animo deteſtentur, & in omnibus bene converſati, ſtatuant piè, & ſanctè vivere, adeo, ut impoſterum ſoli DEO velint adhærere.

Et hanc fuiſſe ſemper Eccleſiæ Catholicæ mentem, ac doctrinam, probat traditio Patrum teſtimoniis firmata, etenim S. Juſtinus Martyr *Apolog. 2.* ait: *Porro alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia, quod nulli alii participare licitum eſt, quam, veram eſſe doctrinam noſtram, credenti & lavacro propter remiſſionem peccatorum, & generationem abluto: & ita ut Chriſtus tradidit viventi.* S. Cyprianus *lib. de lapſis* ait: *à diaboli alis revertentes ad Sanctum Domini, ſordidis, & intectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene luctantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contage funeſta redolentibus, domini corpus invadunt; quando occurrat ſcriptura divina, exclamet, & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque manducaverit ex carne ſacrificii ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia ejus ſuper ipſam eſt: peribit anima illa de populo ſuo. Apoſtolus item teſtatur, & dicit, non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum, idem contumacibus & prædicacibus comminatur, & denuntiat, dicens: Quicunque ederit panem, & biberit calicem Domini, indignè reus erit corporis & ſanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemptis vis infertur corporis ejus, & ſanguinis: & plus modo Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negaverunt.* S. Ambroſius *lib. 6. in Luc.* ait: *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus. Ubique igitur myſterii ordo ſervatur, ut priùs per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet.* S. Auguſtinus *Tractat. 26. in Joan.* ait: *Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? unde dicit Apoſtolus, judicium ſibi manducat, & bibit. Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ; & tamen accepit, & cùm accepit in eum inimicus intravit, non quia malum accepit. Videte ergo, fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etſi ſint quotidiana, vel non ſint mortifera.* S. Leo Papa *epiſt. 82. ad Theodorum Foro Julienſem Epiſcopum* ait: *Mediator DEI, & hominum homo Chriſtus JESUS, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Digitized by Google

Hinc Sacra Tridentina Synodus Hæreticorum errorem aſſerentium ſolam fidem ſufficientem diſpoſitionem eſſe ad ſumptionem Euchariſtiæ, damnavit, & hoc aſſerentes anathemate percuſſit *ſeſſ.* 13. *can.* 11. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſima Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit.* Et ne tantum Sacramentum indignè, adeoque in mortem & condemnationem ſumatur, declarat illis, quos conſcientia peccati lethalis gravat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſariorum, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem: ſi quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere præſumpſerit, eo ipſo ſit excommunicatus.

Quòd ſi dicas, non eſſe majoris dignitatis, Chriſtum ſub Sacramento ſumere, quam in ſpecie propria illum tangere, ſed peccatores Chriſti corpus ſub propria ſpecie tangentes non peccabant, imò veniam peccatorum ipſi conſequebantur. *Luc.* 7. Quia mulier peccatrix ad ipſum acceſſit, eumque tetigit, dixit ei Chriſtus: *remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, Matth.* 14. *Quicunque tetigerunt fimbriam veſtimenti ejus, ſalvi facti ſunt.* Peccatores igitur Sacramentum corporis Chriſti ſumentes non videntur peccare, quinimò & ſalutem conſequi. Sed contra, reſpondet enim D. Thomas eſſe maximum diſcrimen inter Chriſti contactum, dum in terris verſaretur, & illius in Euchariſtia ſumptionem; non ex majori dignitate objecti, ſed ex inſtitutione Sacramenti ſumendum, quia Chriſtus in propria ſpecie ſe tangendum hominibus non exhibebat in ſignum ſpiritualis unionis cum ipſo, ſicut in Sacramento Euchariſtiæ ſumendus exhibetur, ideoque peccatores in propria ſpecie eum tangentes crimen falſitatis circa divina non committebant, ſicut peccatores ſumentes hoc Sacramentum, quia per ſumptionem ſe Chriſto ejusque membris conjunctos ſignificant, cùm tamen per peccatum lethale ſint à Chriſto totaliter alieni. Rurſus Chriſtus adhuc gerebat ſimilitudinem carnis peccati, & ideo convenienter ſe peccatoribus tangendum exhibebat: ſed remota ſimilitudine carnis peccati per gloriam reſurrectionis ſe tangi prohibuit à muliere, quæ defectum fidei circa ipſum patiebatur, *Joan.* 20. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, ideoque peccatores, qui defectum fidei operantes per dilectionem patiuntur circa Chriſtum, ab hujus Sacramenti contactu, & ſumptione repelluntur.

Si dicas, Euchariſtiam ſpiritualem eſſe medicinam, proinde peccatoribus tribuendam, dicente Chriſto *Matth.* 11. *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus.* Contra eſt, quia ut reſpondet D. Thomas, non quæcunque medicina in quovis ægritudinis ſtatu infirmis eſt adhibenda, nam medicina, quæ congruenter datur, liberatis à febre ad ſanitatis confirmationem, febricitantibus noceret. Ita etiam baptiſmus, & pœnitentia ſunt medicinæ ſpirituales purgativæ ad extinguendam, ac delendam febrem peccati; Euchariſtia autem eſt medicina corroborans, & confirmans vires ſpirituales animæ, & magis ſtabiliens ſanitatem, proinde non debet dari niſi ſanis, & liberis à noxa peccati lethalis.

Pueris tamen & rationis uſu totaliter deſtitutis hominibus Euchariſtia non eſt adminiſtranda, tametſi nullius ſint peccati macula infecti, quia iſti Sacram Euchariſtiam à communi, & profano pane diſcernere non poſſunt, conſequenter, nec ea animi religione, cordis fervore, & pietate ad hanc ſpiritualem refectionem accedere, ut par eſt. Hoc idem etiam colligitur ex ipſa Chriſti Domini inſtitutione, ait enim, *Accipite, & comedite*, infantes autem non ſunt idonei ad accipiendum, & comedendum, hinc D. Thomas in 4. *ſent. diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſtione* 4. circa pueros admittendos ad Sacram Synaxim, ait: Si in eis ſigna diſcretionis appareant, & devotionis circa decimum, vel undecimum ætatis annum poterit eos admittere ad ſumptionem Euchariſtiæ. De prima autem puerorum communione ait S. Carolus *in Synodo Diœceſana IX. Parochi ſingulis menſibus ſemel certa conſtituta die pueros, qui annos novem attingunt, ad Eccleſiam evocent, ſigillatimque ad rectam confitendi rationem inſtruant regulis in ſacramentali libro traditis, illos autem, qui decennium attigerint, hebdomadæ ſeptuageſimæ initio accerſant, & ſigillatim inſtruant atque erudiant ad cognitionem, cultumque quam humiliter & religiosè reverenterque ad eam ſumendam accedant.*

Viri autem adultæ ætatis, qui nullum unquam rationis uſum habuerunt, nulloque pietatis ſenſu affecti fuerunt erga hoc Sacramentum, non debent ad Euchariſtiam admitti, quòd, ſi aliquem rationis uſum habeant, quamvis debilem, & aliquo pietatis, & reverentiæ ſenſu erga hoc Sacramentum afficiantur, non eſt illis denegandum. Aliis verò qui rationis uſu fuerunt ſemper à nativitate deſtituti, ſi aliquando mentis ſuæ compotes fuerunt, piam, & religioſam animi pietatem ac devotionem erga hoc venerabile Sacramentum oſtenderint, iis debet in articulo mortis Euchariſtia adminiſtrari, niſi fortè iis adſit periculum vomitus, & exſpuitionis, vel alterius incommodi, ut habetur *cauſ.* 26. *quæſt.* 6. *cap.* 15. *Qui pœnitentiam.* & deſumptum eſt ex Concilio Carthaginenſi IV. *can.* 76. ubi dicitur: *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit; ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & abſolvatur à peccatis; & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manuum impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Concilium Arauſicanum 1. *can.* 13. hoc idem ſtatuit, & habetur in cap. *Qui recedunt.* cauſ. 26. quæſt. 6. Et loquens de mente captis ait: *Amentibus quæcunque pietatis ſunt, conferantur, ſi habeant lucis intervalla.* Hoc idem docet etiam D. Thomas 2. *part. quæſt.* 8. *art.* 9. Energumenis itidem baptizatis poſſunt adminiſtrari Sacramenta in illis intervallis, quibus à Dæmone non vexantur, ſi Epiſcopus, vel Sacerdos prudenti judicio judicaverit id congruum: quia hæc fuit Eccleſiæ conſuetudo, ut habetur in Concilio Arauſicano 1. *can.* 14. ubi dicitur: *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſolicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodè communicent: Sacramenti ipſius virtute, vel muniendi, vel incurſu Dæmonis, quo infeſtantur; vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior.* Quòd in ultimo vitæ diſcrimine ſint Energumeni Sacramentis muniendi, etiam ſtatuit Concilium Illiberitanum. Caſſianus itidem in ſuis Collationibus *collat.* 7. *cap.* 30. ait: *Eis qui ab immundis ſpiritibus vexantur, communionem ſacroſanctam à Sacerdotibus noſtris nunquam meminimus interdictam.*

Peccatoribus tamen manifeſtis ſive per evidentiam facti, ut publicis concubinariis, adulteris, uſurariis, raptoribus, meretricibus, hiſtrionibus, aleatoribus, vel aliquo judicio eccleſiaſtico, aut

ſæculari

Digitized by Google

ſæculari convictis atque damnatis, non debet adminiſtrari Euchariſtia, tametſi ab iiſdem expetatur: quia ex Chriſti præcepto *Matth.* 7. *Nolite ſanctum dare canibus*, ſeu publicis peccatoribus, & rurſus *Matth.* 15. *Non eſt bonum ſumere panem* (ſeu Euchariſtiam) *& mittere canibus*, ſeu tradere publicè peccantibus. Nomine enim canis manifeſtus peccator deſignatur ob impudentiam, quia abſque ulla erubeſcentia in omnium oculis cum gravi ſcandalo Eccleſiæ peccant, & in peccato ſordeſcunt; hinc S. Cyprianus *epiſt.* 61. *ad Eucratium*, & refertur *in cap. pro dilectione diſt.* 2. *de conſecrat.* ait: *Pro dilectione tua & verecundia mutua conſulendum me exiſtimaſti, frater chariſſime, quid mihi videatur de hiſtrione quodam, qui apud vos conſtitutus in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat, & Magiſter, & Doctor non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque inſinuat, an talis debeat communicare nobiſcum. Puto nec Majeſtati divinæ, nec evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.*

Sin verò peccatores ſint occulti, dummodo reſipiſcant, & ſtatuant vitæ emendationem, non eſt deneganda Euchariſtia; quia quilibet Chriſtianus eo ipſo quod baptizatus eſt, eſt etiam admiſſus ad ſumenda reliqua Sacramenta, ad quæ ratione baptiſmi habet jus, præſertim ad Euchariſtiam, qua vires animæ reficiuntur, neque ſine legitima cauſa debet hoc jure privari: & ſicut publicè privatur Euchariſtia, ita cauſa hujus privationis debet itidem eſſe manifeſta, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 6. Hinc D. Auguſtinus *homil.* 1. *inter* 50. ait: Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus (quamvis hæc prohibitio non ſit mortalis, ſed medicinalis) niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum. Quis enim ſibi utrumque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator, & Judex, idque etiam ſuo exemplo nos edocuit Magiſter Chriſtus, quando in ultima cœna Judæ Iſcarioti meditanti proditionem, ſeu ſacrilegum ſcelus, corpus ſuum, & ſanguinem ſuppeditavit, & furem ad corporis, & ſanguinis ſui communionem admiſit, unde Auguſtinus *epiſt.* 43. *ad Eleuſium cap.* 8. ait: *Tolerat ipſe Dominus Judam Diabolum, furem & venditorem ſuum, ſinitque accipere inter innocentes Diſcipulos, quod fideles noverunt pretium noſtrum.* Quamvis mereretur Judas privari hac communione, ſpectato ejus ſcelere, quod meditabatur, ut tamen nobis Chriſtus daret exemplum, & edoceret occulta ſcelera abſque ullo accuſatore, & manifeſta probatione non eſſe cauſam ſeparandi à communione fidelium occultè peccantem, & quamvis Chriſto ſcelus Judæ innoteſceret, quia tamen ei non erat notum, eo modo, quo ſolet delictum aliquod hominibus innoteſcere, ideo Judam non excluſit à communione, ut nos edoceret, peccatores occultos non eſſe ab aliis ſacerdotibus excludendos à communione, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 81. *art.* 2. imò nos etiam edocuit, quomodo debeamus juſtitiam exercere, non enim poteſt Judex ſecundum ſpecialem, quam habet ſcientiam de alterius delicto, eum ut reum damnare, niſi delictum aliis etiam innoteſcat, & delinquens accuſetur, & delictum juridicè probetur. Quia charitas prævalet, & jubet, ut famæ proximi conſulatur, & non detur aliis cauſa ſcandali: proximi autem fama læderetur, ut ſcandalum aliis crearetur: ſi crimen aliàs occultum manifeſtaretur, qua de cauſa docet D. Thomas *in* 4. *ſent. diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 5. Illi, cujus occultum eſt crimen, non eſſe communionem, & Euchariſtiam denegandam, & quamvis pejus ſit peccatori occulto peccare mortaliter, eò quia indignè communicet, quàm infamari; pejus eſt tamen ſacerdoti communionem adminiſtranti peccare mortaliter infamando injuſtè peccatorem occultum, quàm quòd peccator occultus peccet, ut docet D. Thomas.

Quòd ſi dicas, non eſſe licitum dare ægroto pharmacum mortiferum, neque furioſo depoſitum gladium, ſi velit alium occidere, reſpondet D. Thomas eſſe diſcrimen inter pharmacum mortiferum exhibendum ægroto, & Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum peccatori occulto, quia pharmacum per ſe, & naturaliter operatur mortem proximi, ſi ſit mortiferum, & venenum, ſecus hoc Sacramentum Euchariſtiæ, ſed tantùm culpa indignè ſumentis eſt ejus mors. Præterea, quia ægrotus non habet jus ad vitam ſibi adimendam, quia ſolus Deus eſt Dominus vitæ noſtræ, non autem homo, imò jus habet ad vitam, quæ per mortiferum pharmacum extinguitur, & ſicut ipſe tenetur, quantum poteſt vitam protrahere, & conſecrare, ita tenetur mortiferum pharmacum reſpicere: ſecus peccator occultus habet jus ad ſumptionem Euchariſtiæ, eò quia in facie Eccleſiæ non conſtat ipſum amiſiſſe jus ſuum, & hæc in illius poſſeſſione, à qua non debet deturbari niſi per delictum aliquod manifeſtum, & probatum. Neque eſt par ratio de gladio à furioſo petita ad mortem ſibi vel alteri inferendam, quia per hanc ſubtractionem gladii impeditur mors proximi: ſecus per ſubtractionem Sacramenti non vitatur peccatum illud volentis indignè communicare, ſed tantùm actus exterior: ipſa ſiquidem petitione jam peccavit mortaliter, & conſenſit in peccata, ut docet D. Thomas *loc. cit.* Secundò, quia per ſubtractionem gladii, famæ proximi non detrahitur, & per negationem Sacramenti gravè vulnus famæ, & charitati infligitur. Tertiò, quia vita corporis reparari non poteſt, bene tamen damnum animæ poteſt reſarciri, ſi DEI bonitas voluntatem mutet peccantis. Quartò, quia Sacerdos agit ut publicus bonorum communium Eccleſiæ diſpenſator, & non poteſt peccatori occulto denegare hanc privationem bonorum ſpiritualium, qui verò denegat depoſitum gladium furioſo, privata eſt perſona, cujus proinde actio dirigi debet ſcientia privata: ſecus teneretur homo per ſententiam Judicis gladium apud ſe depoſitum reſtituere furioſo; quia Judex agit perſonam publicam, cujus ſententia, & actio non dirigitur ſcientia privata, ſed tantùm juxta probata, & allegata. Si tamen furioſus vellet occidere vel ipſum depoſitarium vel alium, tunc deberet gladium ei denegare, quia Judex non habet poteſtatem condemnandi innocentem ad mortem. Ita peccatori, ut denegetur fidelium communio, debet ejus delictum non eſſe occultum, ſed manifeſtum, ut deſumitur *ex cauſa* 6. *quæſt.* 2. *cap. ſi tantùm.* ubi habetur: *Si tantùm Epiſcopus alieni ſceleris ſe conſcium novit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat, ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret.* Quòd ſi peccator occultus, cujus crimen Sacerdoti innoteſceret, ab eodem peteret in occulto communionem, eſſet hæc eidem deneganda, imò & peccator monendus, ne publicè eam petat, quia, ut docet D. Thomas in 4. *ſent. diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 5. Nullum tunc ſcandali, aut infamiæ periculum oritur, & aliàs conſulitur conſcientiæ peccantis, qui impeditur, ne indignè, & ſacrilegè comunicet.

Quòd

Quòd ſi exiſtens in peccato lethali, & nolens conſuetudinem peccandi omittere peteret à Sacerdote Euchariſtiam, & publicè communicaret, rogaretque Sacerdotem, ut hoſtiam non conſecratam ei traderet, ut videretur in paſchate præcepto Eccleſiæ ſatisfacere, in tali caſu non poſſet ſacerdos hoſtiam non conſecratam loco conſecratæ ei porrigere, quia à circumſtantibus crederetur conſecrata, propterea adoraretur, & ſacerdos occaſionem iiſdem daret idololatriæ, quapropter Innocentius III. *cap. de homine. Extrà de celebrat. miſſar.* ait: *Cum ergo falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora, licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter, ad illud: gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare: cum ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat, iſte verò non ſolùm Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat.* Præterea, quia in Sacramento veritatis nulla debet fictio intercedere: unde dare hoſtiam non conſecratam pro conſecrata, cùm ſit fingere, removenda eſt hæc fictio omnino ab hoc Sacramento. Præterea, quia, ut notat D. Auguſtinus *in Pſal.* 21. expendens verba illa, *Manducaverunt, & adoraverunt*, ait, neminem carnem Chriſti manducare, quin prius eam adoret.

An verò poſſit fidelis dignè ſumere Euchariſtiam, ut hæc proſit aliis, & communicare pro aliis, reſpondetur, hunc modum applicandi communionem, & refectionem ſpiritualem, aliis eſſe devotionem in Eccleſia novam, quæ nec authoritate, neque ratione videtur fulciri. Deſiderarentur enim Sancti Patres, & vitæ Spiritualis Moderatores, qui aſſererent, poſſe fidelem dignè communicantem totum fructum communionis, ſeu ſumptæ Euchariſtiæ aliis applicare: ſiquidem Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit per modum cibi, & potus: cibus autem, & potus non prodeſt, niſi ipſi ſumenti talem cibum, & potum, ſi enim cibus corporeus non reficit vires, niſi illum ſumentis, & quamvis intendat etiam reficere vires alterius jejunantis, & fame languentis, non tamen ei prodeſt quidquam, ita cibus ſpiritualis eſt tantùm utilis ipſi ſumenti Euchariſtiam; non enim quis poteſt alterum rogare, ut pro ſe manducet, & bibat, ita nec etiam, ut pro ſe communicet. Rurſus, quia ſumptio pertinet ad rationem Sacramenti, & oblatio ad rationem Sacrificii, & ideo ex hoc, quod aliquis ſumit Chriſti corpus, vel etiam plures, non accreſcit aliis aliquod juramentum, ut docet D. Thomas *quæſt. 79. art. 7. ad* 3.

Quòd ſi dicas, communionem ab uno factam prodeſſe alteri non per modum refectionis, ſed ſatisfactionis. Contra eſt, quia hoc Sacramentum non fuit à Chriſto inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad nutriendum ſpiritualiter per unionem ad Chriſtum, & membra, perinde ac nutrimentum unitur nutrito, ut docet D. Thomas *loc. cit.* Quamobrem cenſerem communionem unius tantùm poſſe prodeſſe alteri per preces poſt comunionem ferventius fuſas, quia, cùm effectus hujus Sacramenti ſit augmentum gratiæ, & charitatis, ideo qui dignè, & ritè communicavit, particeps factus eſt hujus incrementi gratiæ, & charitatis, proinde, ſi ferventius oret pro alio, ei magis prodeſt mediante effectu hujus Sacramenti. Præterea, quia preces & alia opera ſatisfactoria, ut jejunia, eleemoſynæ quæ fiunt ſtatim poſt communionem, majus ad ſe trahunt meriti incrementum ex communione præcedente, ita ſicut hæc opera poſſunt alteri applicari, uberius etiam beneficium eiſdem impertiuntur, in quo ſenſu dici poteſt, quod communio unius alteri proſit, non quidem ipſa communio per ſe ſimpliciter, ſed per ejus effectum, quatenus opera, quæ fiunt, ſunt magis meritoria ex præcedente communione, & incrementa gratiæ, & charitatis, quia ſub ratione Sacramenti communio non prodeſt niſi ſumentibus, ſicut & fructus baptiſmi, confirmationis, extremæ unctionis, non prodeſt niſi ſumentibus hæc Sacramenta, non enim unus pro alio poteſt baptizari, nec confirmari, neque ordines Sacros ſuſcipere, neque extremam unctionem, nec peccata confiteri, & abſolvi, eſſet enim in Eccleſia quid inauditum, ſi quis vellet ordines ſacros ſuſcipere pro alio, vel baptizari, vel alia Sacramenta ſuſcipere, id enim repugnaret rectæ rationi, & adverſaretur Eccleſiæ moribus, imò & Chriſti inſtitutioni: ita fructus communionis ad eum duntaxat pertinet, qui Chriſti corpus dignè recipit, & non ad alios, qui non communicant; hinc D. Thomas *loc. cit. art. 7.* ſibi proponit hanc objectionem: *Hoc Sacramentum eſt unius generis cum aliis Sacramentis: ſed alia Sacramenta non poſſunt niſi ſumentibus, ſicut effectum baptiſmi non ſuſcipit niſi baptizatus: ergo nec hoc Sacramentum prodeſt niſi ſumenti.* Reſpondet Angelicus Doctor, dicendum, quòd hoc Sacramentum præ aliis habet, quod eſt ſacrificium, & ideo non eſt ſimilis ratio, unde ex doctrina D. Thomæ, Euchariſtia non applicatur aliis, ut eſt Sacramentum, quia, ut tale, tantùm prodeſt ſumentibus, non verò aliis non ſumentibus, ſicut nec alia Sacramenta in ratione Sacramenti proſunt aliis non ſuſcipientibus: unde hoc Sacramentum Euchariſtiæ prodeſt aliis, quibus poteſt applicari, ut eſt ſacrificium, adeo ut tale proſit tam vivis, quàm defunctis. Hinc Euchariſtia prodeſt ſumentibus non ſolùm quatenus eſt Sacramentum, ſed etiam ut ſacrificium, & non ſumentibus tantùm ut ſacrificium affert ſpiritualem utilitatem, etenim Sacramentum Euchariſtiæ offertur pro omnibus, conſequenter etiam pro ſumentibus; dicitur enim in canone Miſſæ: *Ut quotquot ex hac altaris participatione Sacroſanctum filii tui corpus, & ſanguinem ſumpſerimus omni benedictione cæleſti, & gratia repleamur.* Præterea, quòd proſit, ut ſacrificium etiam aliis, liquet quoq; ex verbis Canonis; habetur enim: Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ; utrumque etiam Chriſtus edocuit Matth. 26. & Luc. 22. inquiens: *Qui pro vobis* (ſcilicet ſumentibus) *& pro multis* (ſcilicet aliis) *effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Ut tamen quis dignè, ac ritè accedat ad hoc Sacramentum, prævia requiritur tum animi, tum corporis præparatio. Unuſquiſque enim fidelis ita paratus, & inſtructus eſſe debet, ut diſcernat menſam à menſa, ſeu hanc ſacram ab aliis profanis, adeo ut accedens ad communionem integram fidem habeat circa hoc Sacramentum, ac firmiſſimè credat in eo præſens eſſe corpus & ſanguinem Domini, quem in cœlis adorant Angeli, & ad cujus nutum pavent, & contremiſcunt columnæ cœli, & hoc eſt, quod dixit Apoſtolus, non debere fideles dijudicare corpus Domini, ſed firmiter credere, eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini ejus corpus & ſanguinem.

Præterea ad præparationem pertinet, propriam conſcientiam prævio examine introſpicere, ne fortè aliqua lethali macula inficiatur; priùs enim per ſacramentalem confeſſionem aperienda eſt clavibus Eccleſiæ, ſi lethalis noxa adſit, & cultro doloris, & contri-

contritionis delenda, vel lachrymis eluenda juxta præceptum ab Apoſtolo promulgatum: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane hoc edat, & de calice bibat.* Rurſus, ut ait Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 7. Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videretur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illi copia Confeſſoris: quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur.* In hoc tamen caſu urgentis neceſſitatis & defectus Confesſarii, in quo Tridentina Synodus aſſerit, Sacerdotem abſque prævia confeſſione poſſe licitè celebrare, tenetur Sacerdos, quantum poteſt, elicere actum veræ contritionis, alioquin potius abſtinendum à ſacra communione, quàm ad ipſam accedere, non præmiſſa Sacramentali confeſſione.

Quòd ſi Laicus ultimo die paſchatis non haberet copiam Confeſſoris, nec regularis nec ſæcularis, & ſibi eſſet conſcius peccati alicujus lethalis, eneretur potius abſtinere à communione, quia quævis impotentia, & neceſſitas excuſat ab obſervantia præcepti Eccleſiaſtici, & propter illius obſervantiam non licet præceptum divinum transgredi. Præceptum autem de communione paſchali eſt eccleſiaſticum quoad determinationem talis temporis, propterea ab ejus obſervantia excuſat impotentia, vel neceſſitas, ſed quando quis ſibi conſcius alicujus lethalis noxæ nec copiam habet Confeſſarii, nec abſentem adire poteſt, cenſetur impotens in illis anguſtiis ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ de communione paſchali, proinde poteſt illam differre, donec poſſit Sacramentaliter confiteri, vel abſentem adire, & quia divinum eſt præceptum: ne quis accedat ad Euchariſtiam, niſi prius ſe probet, ſeu propriam conſcientiam emundet, & præceptum divinum prævaleat eccleſiaſtico, debet divinum ſervari.

Neque metus diminutionis famæ eſt ſufficiens ratio, qua debeat Clericus vel Monachus communicare etiam diebus quibus generalis communio Clericis Monachis & Monialibus juxta ſtatuta Ordinis eſt indicta, ſi mortalis noxæ ſibi ſint Conſcii, niſi præmiſerint Sacramentalem confeſſionem, idque declaravit Innocentius III. *lib. 4. de myſter. Miſſ. cap. 13.* ubi ait: *Peccator debet potiùs eligere, ut abſtinendo reddatur ſuſpectus, quàm ut communicando manducet indignus*, rationem etiam adducit Divus Thomas *3. part. quæſt. 80. art. 6.* Quia *prius eſt peccatori occulto peccare mortaliter ſumendo corpus Chriſti, quàm infamari, quapropter peccator occultus potius tenetur eligere infamari, quam indignè ad menſam Domini accedere.* Neque ſufficit elicere actum contritionis, quia cum non ſit Sacerdos, non urget neceſſitas celebrandi, & in Euchariſtia continetur Sanctum Sanctorum, propterea qui ad eadem accedit, adniti debet, ut ſit ſanctificatus. Sin vero ſit Sacerdos, debet hic, ſi neceſſitas urgeat celebrandi, verum contritionis actum elicere, ſeu ſincerum de peccatis dolorem ob DEUM offenſum, & quidem conceptum ex dilectione DEI ſuper omnia. Non enim minor eſt præparatio neceſſaria ad ſumendam Euchariſtiam ei, qui confeſſionem non poteſt præmittere communionis urgente neceſſitate, & non habita copia Confeſſarii, quam adulto accedenti ad baptiſmum; tenetur enim adultus, ut baptizetur, *DEUM tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere*, ut loquitur Tridentina Synodus *ſeſſ. 6. cap. 6. ac propterea, ut moveatur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem.* Et eadem præparatio neceſſaria eſt exiſtenti in peccato lethali, quod confiteri non poteſt urgente neceſſitate celebrandi, vel communicandi.

Non ſolum anima eſt præparanda, verùm etiam corpus, adeo ut teneantur fideles omnino jejuni accedere ad hanc ſacram cœnam & hoc jejunium ſervandum eſt à media antecedentis diei nocte usque ad tempus ſequentis diei, quo quis Euchariſtiam ſumit, quod jejunium debet eſſe naturale, adeò ut nihil prorſus comederit, aut biberit, qui intendit communicare, non tamen hoc jejunium eſt ſervandum divino præcepto, ſed tantùm eccleſiaſtico, quia ut docet Divus Thomas *3. part. quæſt.* 80 *art.* 8. decens eſt, ut debita reverentia ad tantum Sacramentum accedamus, & ut corpus Domini primum in noſtro corpore occupet locum, ac præferatur cuilibet alteri cibo, vel potui, & *virgine adhuc ſaliva*, ut loquitur Tertullianus, ore ſuſcipiatur, deglutiatur, & in ſtomachum trajiciatur. Præterea ut intelligamus Chriſtum, & ejus charitatem debere primo fundari in cordibus noſtris, juxta illud *Matth. 6. Quærite primo regnum DEI.* Et tertiam etiam rationem addit Divus Thomas, ne ſi alius cibus vel potus ſumatur, repletus ſtomachus una cum ſuſcepto cibo etiam corpus Chriſti evomat. Hinc Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 11. ſcribit: Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt, quapropter praxis Eccleſiæ ſemper fuit, præmittere ſumptioni Euchariſtiæ jejunium naturale, ut teſtes ſunt Tertullianus *lib. 2. ad uxorem cap. 5.* inquiens: *Maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur.*

Et quamvis aliquando toleravit Eccleſia, ut anniverſario die cœnæ Domini Euchariſtia poſt cibum & potum à fidelibus ſumeretur, ut teſtatur Divus Auguſtinus, non tamen mos ille fuit univerſalis, nec diuturnus, & Concilium Carthaginenſe III. *can. 29.* ſtatuit, ut hac una die excepta Sacramentum altaris à jejunis tantùm hominibus ſumatur. Et Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 13. decrevit, ut ſecundum antiquam eccleſiæ diſciplinam, & conſuetudinem Euchariſtia nonniſi à jejunis ſumeretur, ſolo infirmitatis, vel alterius neceſſitatis ab Eccleſiæ approbatæ caſu excepto; dicitur enim *can. 29. Concilium ſacrum Conſtantienſe in Spiritu Sancto legitimè congregatum declarat, ex definit, quod licèt Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & diſcipulis ſuis adminiſtraverit hoc venerabile Sacramentum: Tamen hoc non obſtante ſacrorum canonum authoritas, & eccleſiæ approbata conſuetudo, ſervavit, & ſervat, quod hujusmodi Sacramentum nec poſt cœnam conficiatur, nec ſumatur à non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, à jure vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo.* Ut ſi contingeret Sacerdotem mori poſt conſecrationem, vel ante ſumptionem ſanguinis, quamvis ſumpſiſſet corpus Chriſti tantum: tunc ab alio Sacerdote, quamvis non jejunio, deberet ſanguis, qui ſupereſt ex tali ſacrificio ſumi, ſi non inveniatur alius Sacerdos jejunus, ut refertur *cauſ. 7. quæſt. 1. cap. nihil contra.* Item quando aquam pro vino infuſam fuiſſe Sacerdos in ipſa communione

ne animadvertit, quamvis non ſit amplius jejunus, tenetur vinum infundere, pauxillum aquæ admiſcere, & iterum conſecrare, ac ſumere, quia præceptum divinum de integritate Sacrificii prævalet legi Eccleſiaſticæ, qua jubemur jejuni communicare. Hinc ſi quis poſt mediam noctem aliquid ſumpſerit cibi vel potus, quamvis per modum medicinæ, & in parva quantitate, non poteſt miſſam celebrare, nec ſacram communionem percipere, ne lethale peccatum perpetret. Sin autem ante mediam noctem cibum, vel potum ſumpſerit, quamvis poſtea nihil dormierit, neque fuerit digeſtus, non peccat, ſi ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, Sacerdos celebret, conveniens tamen eſt, eum abſtinere à ſacto faciendo, quia Sacerdos ille, de quo habetur *in cap. Conſtiterit. extra de accuſationibus.* non fuit amotus à regimine Eccleſiæ ab Alexandro III. quam habebat ſibi commendatam ex cauſa, quia nullam poſt cœnam præmiſſa dormitione miſſam celebrâſſet, & tota nocte illa calicibus exſiccandis in caupona conſumpſiſſet, & inde perrexiſſet ad altare & miſſam celebrâſſet, eo quia præſumptio erat, quòd Sacerdos ille jejunus celebraverit. Quod ſi reliquiæ cibi in ore intra dentes, vel extra remanentes caſu transglutiantur, non impediunt communionem, cùm non trajiciantur in ſtomachum per modum cibi, ſed per modum ſalivæ, & idem judicium eſt de gutulis aquæ vel vini, quibus os abluitur, ſi præter intentionem aliquid deglutiatur juxta rubricas miſſalis Romani: ſecus ſi ſaccharum, aut bellaria fuerint in ore poſita, neque ante ſomnum fuerint conſumpta, & dubium ſit, an poſt mediam noctem trajecta fuerint in ſtomachum, tunc tutius, & decentius eſt abſtinere à celebratione, & communione. Sacerdos ſi poſt communionem, & ablutionem grandiores vel minimas in calice, vel corporali inveniat particulas, quamuis non amplius jejunus poteſt illas abſumere, imò etiam in Sacriſtia: ſi in abſterſione calicis vel in corporali reperiat aliquam particulam, quamvis non amplius jejenus, poteſt ſumere, quia ſumptio ad ejusdem ſacrificii cnnſummationem pertinet, imò & hoſtiam integram vel etiam plures ſi absque irreverentiæ periculo ſervari non poſſint, ut ſi illas ab infidelibus aut Hæreticis irreverenter tractandas prævideat, Sacerdos verò ſi inter miſſæ initia recordetur per modum cibi vel potus poſt mediam noctem demiſiſſe in ſtomachum, debet ab altari diſcedere, & à miſſæ celebratione ea die abſtinere, ſi abſit periculum ſcandali: ſin verò poſt conſecrationem meminerit ſe jejunum non eſſe perficere tenetur ſacrificium, & Chriſti corpus, & ſanguinem ſumere.

Infirmus tamen ſi mortis periculum immineat, communicare poteſt, quamvis non jejunus, idque per modum viatici, ut declaravit Concilium Conſtantienſe juxta praxim Eccleſiæ: neque graviter decumbens tenetur cum gravi incommodo differre medicinæ vel juſculi, aut communis cibi ſumptionem, ut poſtea jejunus communicet. Neque tenetur procurare, ut ſtatim prima hora poſt mediam noctem ſibi deferatur Euchariſtia, ut eam jejunus ſumat; quia, cum illam ad infirmos honorificè deferendam Tridentina Synodus ſanxerit, non videtur conveniens, ut horis intempeſtivis deferatur, niſi gravis, & improviſa id exigat neceſſitas, quinimò poteſt etiam ſæpius infirmo non jejuno Euchariſtia per modum viatici adminiſtrari perſeverante eadem ægritudine per plures dies, & præſertim ſi mortis periculum magis ingraveſcat, dummodo inter utramque communionem decem, vel duodecim dies interfluxerint. Cæterum dignitas hujus Sacramenti exigit, ut fideles majori ſtudio ad illud ſuſcipiendum ſe præparent, ac proinde pridie, quàm ad ſacram communionem venerint, jejunent, & alia pia opera exerceant, vel ſaltem veſperè parcius cœnent, & diutius orent, ut conſueverunt homines pii agere, qui potiorem noctis partem in recitandis precibus, vel ſacris meditationibus impendebant.

Alia itidem diſpoſitio ex parte corporis, ut dignius quis accedat ad ſacram communionem, eſt corporis caſtitas, cujus figuram exhibuerunt Iſraelitæ, qui agnum paſchalem non comedebant niſi accinctis renibus in Symbolum Caſtitatis, quapropter Achimelech Sacerdos panes propoſitionis Davidi, & ejus comitatui manducandos exhibere recuſavit, priusquam de illorum continentia certior factus eſſet; etenim 1. *Reg.* 21. ait: *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum, ſi mundi ſunt pueri, & maximè à mulieribus, & reſpondit David Sacerdoti, & dixit ei: equidem ſi de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum Sancta. Dedit ergo eis Sacerdos ſanctificatum panem.* Rurſus cum deſcendiſſet Dominus per montem Sinai in igne, & nubis caligine coram omni plebe, Moyſes præparaturus populum illum ad Domini adventum *Exodi* 19. ait: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris*: Quòd ſi talis continentia ſervata eſt propter figuram, quantò magis propter veritatem corporis Chriſti, hoc idem etiam habetur in *cap. Vir cum propria, cauſa* 33. *quæſt.* 4. & *cap. Omnis homo, diſt.* 2. *de conſecratione.* Hinc coitus conjugalis ſi ſit ſine peccato, ſeu ſiat ex pura cauſa gignendæ prolis, vel reddendi debitum, non impedit communionem ex neceſſitate, bene tamen ex congruitate propter immunditiam corporalem, mentisque diſtractionem, ut etiam pollutio nocturna, quæ tantum eſt peccatum mortale propter conſenſum, & ratione ſuæ cauſæ, etiam ex neceſſitate impedit ſumere Euchariſtiam, niſi peccatum priùs pœnitentia eluatur. Imo tametſi peccatum ſacra exomologeſi expiatum ſit, adhuc ex congruitate impedit die illo Euchariſtiam ſumere propter fœditatem corporis, mentisque evagationem, reverentia enim debita tanto Sacramento exigit, ut ad illud accedamus cum corporis puritate. Quòd ſi quis ſit pollutionem paſſus & dubitet de conſenſu à ſacra communione etiam debet abſtinere, ſin verò expreſsè inveniat conſenſum non præceſſiſſe, nec fuiſſe comitatum, nec ſubſecutum, & neceſſitas urgeat, tunc poteſt accedere, vel etiam celebrare non obſtante tali immunditia, quia hæc fuit involuntaria, & immunis à peccato, ſatius tamen eſt ob reverentiam debitam conſcientiam expiare vel abſtinere, ut docet Divus Thomas in 4. *ſentent. diſt.* 9. quæſt. 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. ubi ait: *Quando ex illuſione accidit, ſi cauſa illuſionis in nobis præceſſit, puta, ſi quis indevotus ad dormiendum acceſſerit, idem eſt judicium de pollutione, quæ ex cogitatione præcedente cauſatur, quia poteſt eſſe & mortale, & veniale peccatum, & quia non ita de facili poteſt percipi, ex qua cauſa contingat, ideo tutius eſt abſtinere, niſi neceſſitas incumbat.* Hoc idem etiam adſtruit S. Gregorius *epiſt.* 31 *lib.* 12. *in reſponſ. ad quæſtiones propoſitas ab Auguſtino Epiſcopo Anglorum*, ubi ait: *In eadem illuſione valde eſt neceſſaria diſcretio,*

quia

Digitized by Google

quia valdè subtiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormientis, aliquando enim ex crapula, aliquando ex natura superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit: & quidem, cùm ex natura superfluitate, vel infirmitate evenerit omnimodo, hac illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam fecisse. Cum verò ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur: habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel celebrandi missarum solemnia, cum fortasse aut dies festus exigit, aut exhiberi mysterium pro eo, quod Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit.

Rursus quo die quis ad sacram accedit Synaxim, debet à mundi deliciis, voluptatibus, & jocis se temperare, & tempus impendere in frequentandis Ecclesiis, fundendis precibus, erogandis eleemosynis, invisendis ægrotis, & spirituale solatium iisdem afferendo. Quòd si Apostolus 1. *ad Timoth.* 5. scribit: Quæ in deliciis vivit, mortua est: multo magis tunc morietur, si velit eo tempore mundi voluptatibus ac deliciis fulciri, diebus enim sacræ communionis præsertim Charitas, & beneficentia in pauperes est effusius exercenda, quia cum Christus suo corpore nos cibaverit, & spiritualiter animas nostras refecerit, par est, ut nos membris Christi, seu pauperibus rependamus aliquid beneficii, & beneficentiam in eos exerceamus, nec solum in alios debent communicantes esse benefici, verum etiam in se ipsos excitantes devotionem ferventiorem ex seria perpensione beneficiorum, quæ continuo accipiunt à Deo.

Circa verò frequentiorem communionem, si nil obstet, frequentior præferenda est rariori, quia cum Eucharistia sit spiritualis animæ cibus, perinde ac corpus, frequenter & in singulos dies alimenta indiget, quo vires reficiat, seque nutriat, ita etiam anima hoc Sacramento frequenter refici indiget ad Charitatis, & devotionis incrementum. Tum quia fructus uberiores ex Sacramentali communione percipimus, ut sunt incrementa gratiæ habitualis, & charitatis, remissio peccatorum venialium, imminutio concupiscentiæ, præsidium contra tentationes, & antidotum contra peccata futura, & demum vita, & gloria æterna, unde perspicuum est frequentiorem communionem, si nihil obstet, præstare rariori. Quòd si Israelitis proficiscentibus per desertum singulis diebus, ut corporis vires reficerent, è cœlo manna pluit, donec ad terram promissam pervenissent, & manna illud figura fuit Eucharistiæ, & fideles in hac vita mortali sint in deserto, & proficiscantur non ad terram promissionis, sed ad sibi promissam æternam gloriam, debent frequentius hoc cœlesti manna, seu Sacramento Eucharistiæ refici. Hinc sub Ecclesiæ initiis fideles etiam à tempore Apostolorum Eucharistiam sumpsisse quotidie, legimus in actis Apostolorum *Act.* 11. *v.* 12. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus: siquidem omnes fideles tunc fidem Christianam profitebantur & sincera charitate ita ardebant, ut, cùm sine intermissione orationibus aliisque pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra dominici corporis mysteria sumenda parati invenirentur, & SS. Patres communiter commendant frequentem communionem & ad eandem adhortantur fideles, etenim S. Cyprianus *lib. de orat. dominica* ait: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente graviori aliquo delicto, dum abstinentes & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* D. Hieronymus *epist.* 28. *ad Lucinium* ait: *Utinam omni tempore jejunare possimus, & Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri, & pungente conscientia semper accipere, & Psalmistam audire dicentem: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* S. Basilius *epist.* 289. *ad Cæsaream Patritiam* ait: *Singulis certè diebus communicare, & participem esse sancti corporis, & sanguinis Christi, bonum, & fructuosum est, cum dixerit ipse, qui comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, vitam æternam habet. Jam verò, quis dubitat, quin frequentius participare, non sit aliud omnino, quàm frequenter vivere? Quater igitur nos singulis septimanis communicamus, dominico die, feria quarta in parasceve, & in Sabbatho, sed per dies etiam alios, si Martyris alicujus memoria celebretur.* Hanc eandem frequentiorem communionem suadent reliqui Sancti Patres, ut D. Ambrosius *lib.* 5. *de Sacramentis cap.* 4. ubi ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* S. Augustinus *epist.* 54. *ad Januarium* ait: *Alia verò quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quòd alii jejunant Sabbatho, alii non, alii quotidie communicant corpori, & sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbatho tantum & dominico, alibi tantùm dominico, & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam, quæsieris, quare? quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus purius homo, continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat, qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Alius contra: imo, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint authoritate Antistitis, debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam; & eadem authoritate reconciliari: hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet pœnitentiam agere; non ut arbitrio suo, cùm libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterum peccata, si tanta non sint, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debent à quotidiana medicina Dominici corporis separare.*

Cæterum frequens communio iis tantùm permittenda est, qui vehementi desiderio corpus Christi percipiendi, & eo quidem ex charitate profecto, sunt incensi, & ex animo dicunt cum Davide: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Hinc S. Bonaventura *in* 4. *sententiar. part.* 2. *quæst.* 2. ait: *Si quæritur, utrum expediat frequentare alicui? dicendum est quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est, quotidie communicare. Sin autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum est, quod rarò; sin autem medio modo, debet etiam medio modo se habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore, quia tali hospiti debetur. & tunc secundum illam partem, in quam viderit se melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo solum experientia discit.* Non tamen frequens Communio iis permittenda est, qui vel in peccata lethalia persæpe labuntur, vel ab effectu venialium peccatorum non liberi, idque habetur in *cap. quotidie dist.* 2. *de consecrat.* & est exceptum ex dogmatibus ecclesiasticis Gennadii *cap.* 23. ubi

ubi ait: *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis diebus cõmunicandum suadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit; nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari.* Hoc idem etiam docet S. Isidorus *lib. 1. sententiar. cap. 24.* ubi ait: *Qui sceleratè vivunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad mundationem sibi proficere, dicente Propheta: Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecerit scelera multa? nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?*

Quod verò ad affectum pertinet venialium peccatorum juvat observare, aliud esse veniale peccatum, & aliud affectum non habere ad illud, siquidem à peccato veniali ne ipsi quidem viri justi & perfecti sunt immunes, cùm justus dicatur septies in die cadere, sed absque affectu peccati venialis possunt viri justi esse, & plures hunc statum sunt assecuti, dum ipsis ex animo displicent quotidiana humanæ fragilitatis peccata, quæ propterea ex viribus satagunt cavere, & ex iisdem, si cadant, fiunt humiliores, & surgunt ferventiores, quia dolent de hisce peccatis venialibus, de concupiscentiæ motibus, quibus obsistunt, eosque coercent, ne regnent in mortali eorum corpore, quod si tumultum moveant, ad Deum jugiter ingemiscunt, & per gratiam JEsu Christi efflagitant liberari; hi enim licèt non sine peccatis venialibus, sunt tamen sine affectu ad peccata venialia, propterea iisdem permittenda, imò & suadenda frequentior communio, ut scilicet vel singulis diebus, vel pluries in hebdomada, vel singulis diebus dominicis Eucharistiam sumant. Cæterum, ut ait S. Antoninus 3. *part. tit. 33. cap. 6.* tota vita illius, qui frequenter communicat, esse debet præparatio ad susceptionem tantæ rei, & præsertim, debet mortificare vitia, coërcere passiones, fugere vanitates, & occasiones peccatorum, etiam levium, & venialium, occupationes non necessarias, quibus homo potest averti à seria custodia cordis sui, exercendo se in virtutibus, excitando se per meditationem, ac profundam humilitatem, amorem ardentem, fervens desiderium supernorum, inserendo se vulneribus JEsu Christi, non de suis meritis, sed de illius pietate vehementer confidendo.

Sunt tamen, qui piè viventes, & sacram communionem frequentantes nullam exiguam sentiunt devotionem, ideoque, conqueruntur, quod nullum ex eadem fructum percipiant, nec charitate & divino amore exardeant; nam licet actualis devotio ad communionem plena sit spirituali fructu, non tamen ad frequentem communionem necessaria est sensibilis devotio, quam plures conqueruntur eò, quia experiantur se illa carere: alia enim est devotio actualis, & alia sensibilis, illa est quidem necessaria, non hæc; devotio siquidem actualis sine spirituali communione devotio non est, hæc autem spiritualis devotio in eo est sita, ut vita æterna, quæ est Christus, spirituali desiderio appetatur, ut recordatio mandatorum ejus super mel, & favum dulcior habeatur, ut fraterna Charitas, cujus hoc Sacramentum est signum, pro Christi amore diligatur, ut dulciter, atque salubriter in memoria recondatur, quòd pro hominum salute contumeliis sit affectus, cruce suspensus, lanceâ vulneratus, ut disserit Landfrancus *lib. de corpore, & sanguine Domini.* Et D. Thomas *in 4. sent. dist. 12. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3.* ait: *Cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini; Ad hoc quod effectum suum plenè habeat in sumente, oportet, quòd adsit devotio actualis,* quæ consistit in piis affectibus, & desideriis voluntatis circa hoc venerabile Sacramentum in actibus fidei, spei, charitatis. Hinc S. Augustinus ait, totam actualem devotionem in hisce consistere actibus virtutum Theologalium. Devotio autem sensibilis ad communionem non est necessaria, adeo ut possit communio sine illa sortiri suum fructum, seu causare in sumente augmentum gratiæ, hoc enim sensibilis devotio in cordis sensibili compunctione, fervore mentis, teneritudine cordis, lacrymarum profusione, quæ omnia plerumque ab eo sentiuntur, qui non tantam participat divinam gratiam, quantam alius, qui hæc omnia neque sentit, neque in se experitur, ait D. Antoninus 3. *part. tit. 13. cap. 6.* *Si quis autem illam dispositionem in se judicare voluerit ex sensibili cordis compunctione, fervore mentis, profusione lacrymarum, ita quod tunc credat se dispositum, quando tale quid sentit, & quando non percipit, indispositum; incautè valde ambulat, & sæpissimè decipitur. Multoties qui nihil talium habent, sunt in magno statu gratiæ, & qui habent, sunt omnino extra gratiam.* Præterea docent Sancti Patres carentiam sensibilis devotionis plurimum adferre utilitatis; ut gaudium tribulatione temperetur, ut, cum se privatum optato bono experiatur, magis timeat Deum, cui propterea ferventius serviat in timore, & tremore, caveatque, ne lethali ulla noxa illum offendat, studeatque per exercitia virtutum arctiùs illi adhærere; ut per fidei obscuritatem ambulantes, uberiora enanciscantur meritorum incrementa; & ut humilitati studeamus; & bona cuncta (quæ agimus) soli divinæ gratiæ tribuamus, nilque nobis.

CAPUT XVIII.

Communio sub utraque specie à Christo Laicis non est præcepta, nec necessaria ad salutem.

CErtum est, sub primis ecclesiæ temporibus moris fuisse, ut fideles quandoque communicarent sub utraque specie etiam laici, tametsi jure divino non fuerit ipsis communio sub utraque specie præcepta, nec propterea necessaria sit cuilibet fidelium ad salutem æternam. Sacerdotes tamen celebrantes tenentur communicare sub utraque specie panis, ex vini, quia conficiunt sacrificium, quod coalescit & corpore, & sanguine Christi, & sumptio utriusque speciei pertinet ad consummationem talis sacrificii; unde respectu Sacerdotis celebrantis cõmunio sub utraque specie est necessaria necessitate præcepti, quod tamen intelligendum est, quoties Sacerdos celebrat ut principalis, quia Neomystæ, qui Sacerdotio initiantur, & simul cum Episcopo celebrant, non communicant sub utraque specie, quia principaliter non celebrant.

An verò hoc præceptum sit divinum, vel tantùm ecclesiasticum, non videtur ita certum: quia tametsi fateantur omnes, intentionem & præceptum Christi esse, ut hoc sacrificium consummetur ab aliquo: nihilominus videtur sufficere, si totum quod consecratum est, sumatur totum vel ab eo qui consecravit, vel partim ab illo, & partim ab alio, seu species panis sumantur ab uno, & species vini ab alio Sacerdote, quia hoc pacto consumitur totum sacrificium.

Controversia inter Catholicos ac Hæreticos est, an communio sub una tantùm specie panis fuerit primis ecclesiæ

Digitized by Google

ecclesiæ temporibus usitata à Laicis; vel isti consueverint communicare sub utraque specie. Excitarunt hanc controversiam Petrus Dresdensis, & Jacobellus Misnensis, qui fautorem hujus opinionis habuerunt Joannem Huss Bohemum, & cum ipso totam propemodum Bohemiam; hi omnes asseruerunt, communionem sub utraque specie fuisse à Christo præceptam, & ecclesiam non posse Laicis subtrahere speciem vini. Lutherus postea in hac controversia varius fuit, constans tamen in hac, ecclesiam usum calicis non posse laicis subtrahere: hoc idem asseruit etiam Calvinus; adeout omnes ferè sectarii in hoc idem conveniant, ut dicant, usum calicis omnibus necessarium esse ex præcepto Christi, quod à nemine potest violari.

Asserendum est, nullum posse jus divinum assignari, ratione cujus teneantur Laici communicare sub utraque specie, ita definitum fuit in Tridentino *sess.* 21. *can.* 2. Ratio est, quia si aliquod extaret jus divinum, quo laici tenerentur communicare sub utraque specie, utique deberet hoc jus colligi, vel ex facto Christi, vel ex scripturis, vel ex antiqua praxi ecclesiæ; vel demum ex natura hujus Sacramenti, sed ex neutro capite potest hoc jus divinum colligi, ergo nullum extat jus divinum, quo teneantur laici communicare sub utraque specie. Major, & consequentia tenent.

Probatur minor quoad primam partem, scilicet non posse id colligi ex facto Christi, quia quidquid Christus fecit, non præcepit, ut ab aliis etiam fieret, alioquin, cùm Christus consecraverit vespere post cœnam, ex hoc Christi facto tenerentur Sacerdotes tantùm vespere post cœnam consecrare. Præterea Christus duobus Discipulis in Emaus proficiscentibus panem benedictione sua sanctificatum dedit, & illi cognoverunt eum in fractione panis, consequenter in sola panis specie communicavit hos suos Discipulos, quia *Luc.* 24. habetur: Quod Christus cùm primum Discipulis consecratum porrexit panem, evanuit ex oculis eorum: quòd vero panis iste à Christo consecratus fuit Eucharistia, ex eo communiter probatur, quia ut ibidem dicitur: *Discipuli cognoverunt Dominum in fractione panis*, & per fractionem panis simpliciter dictam in scripturis significatur Eucharistia ex illo D. Pauli 1. *ad Corinth.* 10. *Panem quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est*? Præterea quamvis non esset omnino certum, panem illum fuisse Eucharistiam, certum tamen est fuisse typum, & figuram Eucharistiæ, ut edisserit D. Augustinus *lib. de consensu Evangelistarum cap.* 25. *& epist.* 149. *ad Paulinum c.* 3. *& quod ab illis duobus in fractione panis est agnitus, Sacramentum esse, quod nos in agnitionem suam congregat, nullus debet ambigere.* Igitur benedictione, & distributione panis facta duobus illis discipulis euntibus Emaus demonstravit effectum communionis sub una tantùm specie, siquidem statim aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.

Neque colligi potest hoc jus divinum ex sacris scripturis, quia *Actor.* 2. fit tantùm mentio de sola communione sub specie panis: *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*, & *c.* 20. fideles dicuntur una Sabbathi convenisse ad fractionem panis, quod omnes de communione Sacramentali communiter intelligunt. Tum quia, ut rectè notavit Tridentina Synodus *sess.* 21. *c.* licet *Joan.* 6. habeatur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, adhuc ibidem etiam dicitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; quinimo unde meminit solius panis alloquens Laicos, & Sacerdotibus, quales erant ejus Discipuli, injunxit, ut celebrantes ejus carnem manducent, & ejus sanguinem bibant, adeo ut priora verba directa fuerint ad Discipulos, qui erant celebraturi, & posteriora ad alios Discipulos laicos; Quinimo Christus in eodem capite *Joan.* 6. undecies meminit hujus Sacramenti sub specie tantùm panis; & sub nomine carnis, & sanguinis simul nonnisi quater, scilicet ut significaret, ad salutem sufficere solam speciem panis, quapropter concludit Christus, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, quod etiam dixerat paulo ante: *si quis manducavit ex hoc pane, vivet in æternum*; *& panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Unde, cùm in Act. Apostol. *c.* 2. ubi de fidelibus dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, textus est intelligendus de communione Eucharistiæ sub sola specie panis, ut fatetur vel ipse Calvinus *lib.* 4. *Instit. c.* 17. cùm enim nulla ibi fiat mentio calicis, ritè colligitur Apostolos primis illis fidelibus sub sola specie panis administrâsse, idque etiam firmatur, quia plerique eorum fidelium voto erant Nazareatus obstricti, dicti propterea Nazarei, eò quia ab haustu vini abstinerent; propterea credibile est S. Lucam meminisse tantum fractionis panis, eò quia sub specie panis sumenda erat Eucharistia à primis illis fidelibus, quorum aliqui abstinebant ab haustu vini, & quidem voti religione.

Neque obstat, quod D. Paulus 1. *Corinth.* 10. *v.* 13. loquens de calice dicat, calix benedictionis, cui benedicimus, *nonne communicatio sanguinis Christi est?* non ait: Calix benedictionis, quem distribuimus; sed dicit, calix benedictionis, cui benedicimus, unde licet calix à Sacerdotibus sacrificium offerentibus consecrari debeat, non tamen singulis fidelibus communicantibus debet necessariò distribui. Rursùs de corpore Christi loquens, quod sub specie panis continetur, ait: *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est*? significans, corpus Christi sub specie panis esse semper fidelibus distribuendum ad manducandum, quapropter paulo post subdit: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Firmari etiam ex eo potest, quia Christus non retardavit effectum manducationis corporis suis Apostolis, donec sanguinem suum bibissent, sed fuerunt incorporati Christo, & ex ejus substantia nutriti, statim ac ejus corpus sumpserunt, ut manifesto colligitur ex Apostolo 1. *Corinth.* 11. ubi scribit: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Hinc si unum vel alterum quis sumat indignè, utrumque violare censetur, sitque utriusque reus & alterutrum dignè sumens gratiæ ex utroque derivatæ, utriusque sumptioni adnexæ, particeps est. Præterea licet Christus Joan. 6. dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & rursus *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, ut tamen ostenderet, se non loqui conjunctivè, sed tantùm disjunctivè, subdidit in eodem capite: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; & rursus *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; & etiam: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, in quibus, & aliis pluribus locis cum meminerit solius panis, satis apertè constat, in aliis locis, in quibus simul mentionem facit de carne, & sanguine, nonnisi disjunctivè fuisse locutum.

Constat igitur neque ex facto Christi Domini, neque ex sacris scripturis posse evinci communionem sub utraque à Christo præceptam fuisse laicis, & propter-

Digitized by Google

propterea non esse ad salutem necessariam, quod verò neque hoc jus divinum de laica communione sub utraque specie possit colligi ex praxi Ecclesiæ, ex eo liquet, quia olim in primitiva Ecclesia moris fuit, ut fideles sub una tantùm communicarent specie panis, ut referunt Clemens Alexandrinus *stromat. sub init.* Cyprianus *lib. de lapsis.* Basilius *epist. ad Cæsaream Patritiam,* Augustinus *serm.*222. & reliqui Patres, qui floruerunt primis Ecclesiæ temporibus, ex quibus S. Basilius testatur, Monachos suo tempore Eremi cultores consuevisse secum deferre sacram synaxim, sub sola specie panis, quia cum non habuerint copiam sacerdotum, eam in propriis cellulis asservabant ad usum diebus dominicis; aliisque festis, unde in Eremo Monachi non communicabant sub utraque specie, sed tantùm sub una specie panis. Rursus D. Augustinus *serm.*222. refert solitas fuisse mulieres Eucharistiam sumere in mundo linteolo, quod tantùm de Eucharistia sub specie panis potest intelligi, & non sub specie vini. Præterea, hoc idem colligitur ex disciplina & praxi antiquissima, quæ semper in Ecclesia viguit, ut in die parasceves hoc Sacramentum sub sola specie panis sumatur à Sacerdote officium illo die celebrante, ut colligitur & D. Gregorio Magno in suo sacramentali, & significatur etiam in sexta Synodo apud Trullum *can.* 52. Quapropter Innocentius I. *epist.* 1. *cap.*4. asserit, fuisse traditionem Ecclesiæ in die Parasceve non sacrificari, nec Sacramenta celebrari; rationem itidem assignat D.Thomas 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. quia veniente veritate cessat figura, & quia hoc Sacramentum est figura, & repræsentatio dominicæ passionis, non videbatur congruum, ut ea ipsa die, qua ab Ecclesia recolitur Christi passio, missæ sacrificium offerretur, quapropter Hugo Victorinus 2. *Cod. Miscel. lib.* 5. ait: *Hodie non consecramus, quia nobis hostia de manibus tollitur, non sacrificant amici, dum illam trucidant inimici,* tum quia Nazarei plures fuerunt ad fidem Christi conversi, propterea etiam ipsi communicabant, sed sub specie panis tantùm, quia ex lege Mosaica, quæ initio conversionis permittebatur servari ab Apostolis, non erat licitum Nazareis vinum bibere.

Plurima hujus veteris disciplinæ exempla legimus in historiis Ecclesiasticis. Unum refert exemplum Sozomenus mulieris cujusdam Macedonianæ *lib.* 8. *histor. cap.* 5. inquiens: *Vir quidam ex Secta Macedoniorum uxorem habebat ejusdem Secta. Hic cum Joannem Chrysostomum aliquando docentem audisset, quomodo de divinitate sentiendum sit, fidem ejus amplexus est: Uxoremque hortari cœpit, ut idem secum sentire vellet. Sed cum illa priori consuetudine, & familiarium sibi mulierum congressibus quasi captiva teneretur, nec maritus crebris admonitionibus quidquam proficeret, tandem ille: Nisi, inquit, in divinis Mysteriis mecum communicaveris, nec vita consors mihi eris in posterum. Tum mulier id se facturam pollicita, consilium aperit ancilla, quam sibi fidam esse judicabat, eamque sibi sociam adjungit ad fallendum maritum. Illapso igitur tempore Mysteriorum mulier, id, quod acceperat, retinens, quasi Deum oratura caput submisit. Ancilla verò quæ ei adstabat, id, quod domo attulerat, clanculum ei tradidit. Quod cum mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit. Tum mulier verita, ne quid sibi gravius eveniret, tanto erga se patrato miraculo, confestim ad Episcopum pergens, se ipsam accusavit, simulque lapidem ostendit, qui morsus vestigia retinebat, materia quadam prorsus ignota, & colore insufitato præditum, cumque effusis lachrymis veniam postulâsset, eandem fidei cum viro deinceps permansit. Quòd si cui forte hæc minus credibilia videntur, testis est lapis ipse, qui in thesauro Ecclesiæ Constantinopolitanæ etiamnum servatur.* Quòd si communio sub una vel utraque specie libera non fuisset in Ecclesia, mulier illa non potuisset simulare sumptionem Eucharistiæ, non enim pro calice Domini quid aliud sumere ei licuisset, nec calix dabatur in manus, sed tantùm manu Diaconi ori communicantium admovebatur, ut pauxillum sanguinis sumerent.

Hæc consuetudo communicandi sub una tantùm specie etiam ostenditur ex communione infirmorum, quibus sub una tantùm specie sacrum viaticum porrigebatur, idque patet exemplo Senis Serapionis, de quo S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib.* 6. *histor. Ecclesiast. cap.* 44. ait: *Puer ad Presbyterum concurrit, jam nox erat: Presbyter autem ægrotabat: sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris, si peterent, & maxime, si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bona spei pleni ex hac vita migrarent, exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens, ut in aquam intinctam seni in os instillaret, redit igitur puer buccellam afferens, & cum appropinquaret, priusquam ingreditur, recreatus iterum senex: venisti, inquit, Fili, ac Presbyter quidem ipse venire non potuit, tu verò fac citiùs quod imperatum est, & dimitte me, mox puer buccellam intingit, & in os Senis infudit, qui ea paulatim absorpta continuo animam exhalavit.* Undè constat, sub illis primitivæ Ecclesiæ temporibus moris fuisse, ut periclitantibus de vita Eucharistia per modum viatici ministraretur sub una tantùm specie panis, consequenter non esse præceptum Christi, ut Laici communicent sub utraque specie, alioquin Ecclesia non potuisset dispensare, ut sub una tantum communicarent specie, quia non potest Ecclesia dispensare in præceptis divinis, non enim minor habet potestatem in majorem. Hoc idem etiam firmatur ex ultima communione divinitus extradita D. Ambrosio, sub unica tantùm specie panis; refert enim D. Paulinus in ejus vita, modum, quo D. Ambrosius divinitus communicavit, inquiens: *Ambrosius, morte imminente, ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam, qua emisit Spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit. Honoratus autem Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiori domo se ad quietem composuisset, tertiò vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est excessurus: qui descendens, obtulit Sancto Domini corpus, quo accepto, ubi deglutivit, emisit Spiritum.* Unde ex Paulino constat, Ambrosium communicâsse tantùm sub specie panis. Hoc idem etiam confirmat communis Ecclesiæ usus, siquidem monumenta antiquitatis testantur, ad infirmorum communionem tantum fuisse delatam Eucharistiam sub sola specie panis, non calicis, ut constat ex decreto Leonis IV. ex epist. Rotherii Veronensis *epist. Synodica ad Presbyteros suæ diœcesis*, & ex pluribus Conciliis, præsertim Aurelianensi sub Roberto Rege *tom.* 2. *Spicilegii*, imò ad hunc usum fabrefactæ etiam fuerunt columbæ argenteæ, vel aureæ, quæ suspendebantur ante altare, & quarum meminit Sanctus Episcopus Turonensis. Rursus ex consuetudine Cœnobii Cluniacensis, ubi Monachi in vitæ extremis constituti, nonnisi sub specie panis Sacram sumebant Eucharistiam. Rursus consuetudo comunicandi sub una tantùm specie etiam evincitur ex communione infantium, quibus sub sola specie vini Eucharistia administrabatur, ut constat ex miraculo patrato in puella, quæ panem vino

no

no imbibitum ex reliquiis sacrificii idolis oblati comederat, & à matre ignara facti ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacrificium illata divinorum quoque Mysteriorum pro more particeps facta est, ut refert S. Cyprianus *lib. de lapsis*, ubi ait: Eo præsente id contigisse, inquiens: *Ubi verò, solemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit; faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obdurantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt, de Sacramento Calicis infudit, tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit; tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub ejus Luce detecta sunt, Sacerdotem Dei, nec occulta crimina fefellerunt. Non minus admirabiles effectus Christi corpus sub speciebus panis porrectum produxisset*, unde cum S. Cyprianus hanc parvulæ tam stupendam commotionem narrat contigisse cum sacer ipsi calix propinatus est, argumento utique est ipsi traditam non fuisse Eucharistiam sub specie alimenti parum ejus ætati convenienti, scilicet sub specie panis, sed tantùm specie vini. Hinc usum ministrandi Eucharistiam sub specie vini perseveràsse in Ecclesia Orientali usque ad sextum sæculum, refert Jobius Monachus *lib. 3. de Verbi Incarnatione cap. 18.* apud Photium *Codic. 222. Bibliotheca*, & apud Græcos perseveràsse per plura posteriora sæcula referunt Arcadius, & Allatius, quinimò morem hunc etiam in Ecclesia Latina viguisse undecimo, & duodecimo sæculo constat ex decretis Paschalis II. Pontificis Maximi, & ex Hugone à S. Victore *lib. 3. erudit. Theolog. cap. 20.* Pueris autem ætate provectioribus, nondum tamen rationis usu pollentibus communio sub sola specie panis administrata olim fuit, quatenus illis reliquiæ corporis Christi consumendæ dabantur in Ecclesia Constantinopolitana, & Gallicana, ut testantur Evagrius *lib. 4. histor. Eccles. cap. 36.* & secunda Synodus Matisconensis *can. 6.* celebrata anno 585. Probatur etiam usus communionis sub sola specie panis ex missis præsanctificatorum, in quibus corpus, & sanguis Christi non consecrabantur, sed Eucharistia antea consecrata, & asservata sub sola specie panis proponebatur, & sumebatur præmissis Psalmis quibusdam, Canticis, Lectionibus, & Orationibus. Hujus ritus origo refertur ad Synodum Laodicenam, cujus *canone* 49. statutum est: *Non oportere in quadragesima panem offerre, nisi sabbatho, & Dominicis tantùm*, de quo ritu etiam Concilium Trullanum *can. 52.* ait: *In omnibus sanctæ quadragesimæ jejunii diebus præterquam Sabbatho & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.* Et hunc morem adhuc perseverare in Ecclesia Orientali liquet ex Euchologio. Ecclesia autem Latina hunc etiam ritum olim servavit, & etiamnum servat die Parasceves, quo memoria passionis, & mortis Domini recolitur.

Neque hoc jus divinum potest colligi ex natura hujus Sacramenti; quia hoc Sacramentum integrè consolvatur in qualibet specie, eò quia in alterutra contineatur totus Christus, & tota refectio animæ. Præterea, quia una species in ratione Sacramenti non dependet ab alia, quamvis dependeat in ratione Sacrificii. Præterea, quia, si ex natura hujus Sacramenti colligeretur necessitas communicandi sub utraq; specie in ordine ad laicos, utique deberet colligi, vel ex ejus effectu, vel significatione, vel re contenta vel ex speciebus continentibus: sed non potest colligi ex effectu, quia hic totus tribuitur communicanti sub una tantùm specie, adeo ut communicans sub utraque specie non plus gratiæ recipiat, quàm communicans sub una tantùm, ut infra demonstrabimus, unde ex effectu non potest colligi hoc jus divinum. Præterea, quia licèt communicans sub utraque specie majorem effectum reciperet, non tamen hic est necessarius ad salutem. Unde ex illo non possumus inferre hoc jus divinum, quo fideles teneantur communicare sub utraque specie, neque ex ipsa significatione, quia hæc per se pertinet ad hoc Sacramentum, ut Sacramentum est, & ad ejus effectum; est enim significatio unionis membrorum Ecclesiæ cum Christo ut capite; hæc autem unio perfectè reperitur sub singulis speciebus, scilicet sub pane, quatenus ex multis granis conficitur; & sub vino, quatenus unus liquor ex multis uvis, & azymis exprimitur: repræsentatio enim expressa dominicæ passionis magis pertinet ad rationem sacrificii, quàm Sacramenti. Tum quia non est ratione sacrificii, ut omnes adstantes illud participent, sed satis est, si publicus Minister illud consummet. Neque colligi potest ex re contenta in hoc Sacramento, quia res contenta est Christus, qui totus continetur sub singulis speciebus. Neque denique ex ipsis speciebus continentibus, quia sumptio specierum est tantùm vel propter significationem, vel propter effectum, vel propter rem contentam, ergo, cùm ex his tribus non sequatur necessitas communicandi sub utraque specie, sequitur nec ex ipsis speciebus continentibus posse colligi hanc necessitatem communicandi sub utraque specie: ex quibus constat, hoc jus divinum de laica communione sub utraque specie non posse colligi ex facto Christi, neque ex scripturis, neque ex antiqua praxi Ecclesiæ, neque ex natura hujus Sacramenti, proinde nullum dari jus divinum, quo teneantur laici communicare sub utraque specie. Præterea, si communio sub utraque specie foret de jure divino, & ex præcepto Christi; non posset potestas ulla humana circa jus hoc dispensare, neque permittere, ut nonnunquam laici sub una specie tantum communicarent: sed Ecclesia, ut superius ostendimus ex variis historiis ecclesiasticis, dispensavit, prout magis conducebat ad bonum spirituale Ecclesiæ, & fidelium; ut isti modò sub una tantùm, modò sub utraque specie panis, & vini communicarent: ergo, quia nunquam censuit Ecclesia communionem sub utraque specie esse de jure divino; alioquin ipsa non potuisset dispensare, nec quidquam permittere contra præceptum divinum. Præterea, vel ipsi hæretici in suis ordinationibus ecclesiasticis circa hæc dispensant, permittentes, ut abstemii communicent sub sola specie panis, ac sibi manifestè contradicunt, asserentes, communionem sub utraque specie esse de jure divino, & ex institutione ac præcepto Christi omnibus necessariam ad salutem.

Objiciunt tamen Hæretici, quia sententia Christi præceptum continet de carne illius manducanda, & bibendo sanguine *Joan. 6. nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ex quo inferunt communicare sub utraque specie, seu comedere carnem Christi, & ejus sanguinem bibere, esse præceptum Christi. Sed contra,

contra, quia præceptum illud ad solam sumptionem refertur, non verò ad modum sumendi. Sumuntur enim tam corpus quàm sanguis sub qualibet specie, Præterea, præceptum illud Christi hunc sensum habet, si neque manducaveritis carnem Filii hominis, nec biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Conjunctio copulans in Sacra Scriptura persæpe ponitur pro disjungente, quo pacto *Joan.* 15. ait Christus: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent,* & *Actor.* 3. *Argentum & aurum non est mihi*, & in eodem sensu sumenda sunt Christi verba *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et hoc probant sequentia verba: *Et qui manducat me, & ipse vivet propter me*, & *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; particula igitur illa *Et* in Christi sententia stat disjunctivè pro particula *Vel* juxta subjectam materiam, ut notant Jurisconsulti de præpositione *Et de V. S. tit. de hoc dict.* 2. *n.* 2. Gonzales *ad reg.* 8. *Cancell, Gloss.* 3. *n.* 14. Portel. *de consort. cap.* 1. *n.* 20. & tunc sumitur particula *Et* disjunctivè, quando ponitur inter ea, quæ sunt ejusdem potestatis, & effectus, ut declarant Oldradus *consil.* 186. *n.* 8. Bursatus *consil.* 8. *n.* 20. Thesaur. *decis.* 189. *n.* 2. & alii: sed Eucharistia sub specie panis, & vini est ejusdem potestatis, & effectus, quia sub utraque specie continetur totus Christus. Præterea, quamvis particula *Et* sumeretur conjunctivè, non tamen exigeret concursum utriusque copulati, sed sufficeret unum, ut docent Alexander *Consil.* 101. *num.* 8. *lib.* 3. & *consil.* 64. *n.* 9. *lib.* 7. Roman. *consil.* 104. *n.* 4. Albanus *tit.* 1. *art.* 4. *n.* 7. Tulcus *litt. E. conclus.* 274. *n.* 54. & tunc præsertim habet locum, quando duæ orationes copulantur principaliter per se, ut in verbis Christi, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*; sufficit enim manducare, aut bibere, ergo ex verbis Christi non colligitur necessitas in laicis communicandi sub utraque specie, unde Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 1. hoc asserit inquiens: *Ecclesiæ judicium, & consuetudinem Sacra Synodus secuta declarat, nullo divino præcepto laicos, & clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum: neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat: nam & si Christus Dominus in ultima cœna Venerabile hoc Sacramentum sub panis, & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio, & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem sumendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Joannem cap.* 6. *rectè intelligitur utriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur.* Nam qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* dixit quoque, *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam, *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, is denique, qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo,* dixit etiam, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Objiciunt secundò, dicentes, hoc præceptum communicandi sub utraque specie colligi ex facto Christi, quia non solùm instituit hoc Sacramentum sub utraque specie, verùm etiam sub utraque illud distribuit: ergo cùm factum Christi ordinatur ad ejus passionem commemorandam, debet eodem modo commemorari, quo instituit esse commemorandam, consequenter ex facto Christi sufficienter colligitur necessitas in laicis communicandi sub utraque specie. Sed contra, negatur antecedens, quia, ut paulò superiùs ostendimus, factum Christi circa Sacramenta non semper inducit obligationem, sed tantum quoad ea, quæ sunt substantialia ipsis Sacramentis, etenim Christus vespere post cœnam consecravit, ac distribuit non jejunis, & tamen hæc duo non inducunt obligationem. Præterea, Christus Eucharistiam instituit non solùm per modum Sacramenti, verùm etiam per modum sacrificii. Unde quia simul est Sacramentum & Sacrificium, & in sacrificio fit separatio sanguinis à corpore, ideo exigit utramque speciem, & quia Sacerdos debet consumere sacrificium, ideo debet illud sumere sub utraque specie, & in hoc sensu dixit Christus Apostolis, & aliis successoribus, qui erant officio Sacerdotis functuri, ac sacrificium perfecturi, *Joan.* 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Aliis verò præsertim laicis, qui sumunt Eucharistiam, ut Sacramentum, non ut Sacrificium, non est necesse, quod sumant sub utraque specie, quia sufficit, si recolant passionem Christi participando de Sacrificio, ut est Sacramentum.

Quòd si dicas, Christum, quando instituit calicem, dixisse: *Bibite ex eo omnes*, consequenter omnes fideles teneri communicare sub utraque specie. Contra est, quia dictio *omnes* in illo loco tantum supponit pro ipsis Apostolis, & aliis Discipulis, qui erant Sacerdotio functuri, idque ex eo perspicuum est, quia unicus tantùm erat ibi calix, de quo omnes Discipuli biberunt. Præterea, quia etiam *Marci* 14. habetur: *biberunt ex illo omnes*, tamen soli Apostoli biberint.

Quòd si dicas, Apostolus 1. ad Corinth. cap. 11. loquens de communione sub utraque specie dixit: *Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis*, proinde communicare sub utraque specie est præceptum divinum, contra est, quia Apostolus ibi tantùm refert se tradere, quod acceperat, adeo ut nihil ponat novi, sed tantùm explicet institutionem Eucharistiæ, eam relinquendo in ea forma, & mensura, in qua fuerat à Christo Domino instituta.

Quòd si dicas, Christum Dominum instituentem hoc Sacramentum legavisse corpus suum, & sanguinem non tantùm Sacerdotibus, sed etiam cæteris, & non esse licitum hæreditatem dividere, consequenter neque subtrahere laicis sumptionem sanguinis, quod perinde esset, ac Christi hæreditatem dividere. Contra est, quia tamesi non liceat subtrahere sanguinem quoad esse sacramentale, licet tamen subtrahere quoad specialem modum significationis sacramentalis: sed per hoc quod subtrahatur sub specie vini, non subtrahitur quoad esse sacramentale, quia adhuc simul cum corpore est sub speciebus panis, licèt non quoad significationem, quapropter tantùm subtrahitur quoad specialem modum significationis, quatenus hæc refectio per species vini significatur sub ratione potùs.

Si dicas, plures Patres ſignificare hanc neceſſitatem comunicandi ſub utraque ſpecie, conſequenter hanc comunionem eſſe de præcepto divino. Contra eſt, negatur conſequentia: quia, quando Patres videntur ſignificare neceſſitatem utriusque ſpeciei, vel tantùm loquuntur de ſumptione ſpirituali, quatenus in Euchariſtia ſignificatur conjunctio hominis cum Chriſto per fidem & charitatem. Cæterum comunicare ſub utraque ſpecie non eſt de jure divino, imò nec de jure eccleſiaſtico, quia de facto Eccleſia interdicit Laicis comunionem ſub utraque ſpecie. Prætetea ſi fuiſſet de jure eccleſiaſtico, jam hoc jus eſſet ablatum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. Poteſt enim Eccleſia auferre, quæ ſunt de jure eccleſiaſtico.

Objiciunt tertiò, Chriſtus non præcepit communionem dimidiatam, & mutilam, ſed integram, ſed de integritate communionis eſt utraque ſpecies: ergo fideles tenentur ex præcepto divino communicare ſub utraque ſpecie, conſequenter non poteſt eccleſia iiſdem prohibere communionem calicis. Sed contra diſtinguitur major: Chriſtus præcepit communionem integram, integritate reſpiciente ſubſtantiam Euchariſticæ communionis, conceditur, reſpiciente ſignificationem Euchariſticæ communionis minus expreſſæ, conceditur, magis expreſſæ, negatur major, & eodem pacto diſtinguitur minor, utraque ſpecies eſt de integritate communionis magis expreſſæ, conceditur, minùs expreſſæ, negatur, quia ſub una tantùm ſpecie panis continetur primariò corpus Chriſti, & per concomitantiam, etiam ſangvis, adeo ut communicantes id ſub ſpecie tantùm panis ſumant integram Euchariſticam communionem, quoad ſubſtantiam, quatenus ſumunt corpus Chriſti, non tamen mortuum, & cadaver, ſed vivum, conſequenter, ut continens carnem, & ſangvinem, cùm non poſſit ſine ſangvine corpus vivere, unde Laici ſumunt integram Euchariſticam communionem, quoad ſubſtantiam, & ſignificationem minùs expreſſam, quatenus ſumunt ſub eadem ſpecie panis verum corpus, & verum ſangvinem Chriſti. Integritas ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ communionis Euchariſticæ in eo eſt ſita, ut ſumamus Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum totum integrum cum corpore ſimul & ſangvine, anima & divinitate: hæc enim omnia ſumuntur ſub ſpecie etiam ſolius panis, quamvis ſangvis tunc ſumatur minus expreſſè, ſeu per concomitantiam, quia Verbum divinum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; Integritas ſignificationis quoad finem in eo conſiſtit, ut recordemur corpus, & ſangvinem Chriſti, quæ nos ſumimus, fuiſſe ſeparata in paſſione, & morte Chriſti cruci affixi, juxta illud D. *Pauli* 1. *ad Corinth.* 1. *Quotiescunque manducamus panem hunc, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus, donec veniat.* Laici verò, quamvis comunicant ſub ſola ſpecie panis, adhuc per concomitantiam ſumunt etiam ſangvinem, quia cum corpore ſumunt Verbum divinum, quod nunquam dimiſit ſangvinem, quem aſſumpſit.

Sed inſtabis. communio integra etiam quoad ſignificationem magis explicatam, ſeu ſub utraque ſpecie eſt de præcepto divino, quia *Joan.* 6. ait Chriſtus: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis:* ergo Laici & non conficientes ſacrificium, tenentur communicare ſub utraque ſpecie. Tum quia Chriſtus in ultima cœna, quando inſtituit hoc Sacramentum, diſtribuit omnibus Diſcipulis non ſolùm ſuum corpus ſub ſpecie panis, verùm etiam ſuum ſangvinem ſub ſpecie vini. Sed contra diſtinguitur antecedens, communio integra quoad ſignificationem magis explicitam, ſeu ſub utraque ſpecie eſt de præcepto divino, quoad conficientes ſacrificium Miſſæ, conceditur quoad non conficientes, negatur antecedens, & conſequentia. Ad illud deſumptum ex Joann. 6. reſpondetur, ibi Chriſtum non præcipere, ut Laici communicent ſub utraque ſpecie, quia particula *Et*, ut colligitur ex contextu, eſt disjunctiva, & idem ſonat, ac *vel*, ut ſuperius oſtendimus, etenim Chriſtus etiam *Joann.* 6. ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ubi communicantibus ſub ſola ſpecie panis promittit vitam æternam. Neque obſtat, Chriſtum in ultima cœna diſtribuiſſe Diſcipulis corpus, & ſangvinem ſuum ſub utraqe ſpecie, quia Diſcipuli, utpote Sacerdotes, erant ſacrificaturi in altari, & ad eos & alios Sacerdotes direxit verba illa: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Cum igitur ſoli Sacerdotes ſacrificent ipſi ſoli, tenentur tunc ſumere corpus, & ſangvinem Chriſti ſub utraque ſpecie panis, & vini. Laici verò, & non celebrantes, non tenentur communicare ſub utraque ſpecie, ſed hoc dependet ab ordinatione Eccleſiæ, quæ poteſt concedere laicis, vel prohibere communionem ſub utraque ſpecie. Unde præceptum communionis in eo, quod reſpicit integritatem magis expreſſam ſignificationis, ſeu communionem ſub utraque ſpecie ab Eccleſia poteſt diſpenſari cum laicis, & non conſecrantibus. Quatenus verò præceptum reſpicit integritatem ſignificationis minùs expreſſæ, ſeu ſub una tantùm ſpecie, nequit diſpenſari reſpectu celebrantium & conficientium ſacrificium. Diſpenſatio autem præcepti quoad non conſecrantes, ut communicent ſub una tantùm ſpecie panis, non tangit integritatem ſignificationis magis expreſſæ, quæ ſervatur in perſonis conſecrantium, & comunicantium ſub utraque ſpecie, unde integritas ſignificationis magis expreſſæ, quæ eſt diſpenſabilis reſpectu non celebrantium; non poteſt diſpenſari, reſpectu celebrantium, quibus Chriſtus dixit, *Hoc quotiescunque feceritis* (ſeu conficietis ſacrificium) *in mei memoriam facietis*, illis enim antea dixerat: *bibite ex eo omnes*, ſcilicet ex meo ſangvine.

Quamobrem comunionem ſub utraque ſpecie non fuiſſe à Chriſto præceptam non ſacrificantibus, liquet etiam ex eo, quia ipſe Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum miniſtravit in ſola ſpecie panis duobus Diſcipulis, euntibus in Emaus, ut explicant Theophylactus, & S. Auguſtinus, animadvertentes, quod S. Lucas *cap.* 24. poſtquam dixit: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, porrigebat illis*, nec uno verbo facto de benedictione, & diſtributione Calicis, poſtea ſubjungitur: *Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis, & ipſe evanuit ab oculis eorum.* Eodem modo fuiſſe Sacramentum Euchariſtiæ ab Apoſtolis miniſtratum, ſcilicet in ſola ſpecie panis, legitur in Act. Apoſtol. *cap.* 3. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: ubi nulla fit mentio de comunione Calicis. Hinc Eccleſia, ut refert S. Ambroſius, in obitu Satyri fratris, conſueverat primis illis temporibus concedere non conſecrantibus comunionem Euchariſticam ſub ſpecie panis tantùm, præſertim navigantibus, qui Euchariſtiam ſecum ferebant, ut imi-

& hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Tunc dixit illis Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me nocte iſta: ex quibus infertur, verba illa, *Bibite ex hoc omnes*, ad ſolos Apoſtolos, & futuros ſacerdotes eorundem ſucceſſores Chriſtum direxiſſe, non verò præceptum injunxiſſe omnibus fidelibus, ut ex calice illi biberent. Præterea Evangeliſta Marcus præceptum illud Chriſti, *bibite ex hoc omnes*, ait in ultima cœna fuiſſe impletum *cap. 14. v. 23. Et accepto calice gratias agens dedit illis, & biberunt omnes*, id eſt, omnes Apoſtoli, qui aderant. Quia, quando Chriſtus aliquid præcepit Apoſtolis, quod non ipſis ſolùm, ſed etiam omnibus fidelibus faciendum incumbit, illud ad omnes pertinere ſignificat, vel ex ipſa rei, de qua eſt ſermo, natura, & circumſtantiis, vel ex aliis textibus colligitur, id ad omnes pertinere: quo pacto, quando ſelegit quatuor Diſcipulos, ſocios itineris ad hortum Gethſemani, cùm illis dixiſſet, *Marc. 13. Vigilate, & orate*, poſtea ſubjunxit: *Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Præterea Chriſtus inſtituit Evchariſtiam non ſolùm per modum Sacramenti, ſed etiam Sacrificii, ut, quia eſt Sacrificium cruentum, exigit utramque ſpeciem corporis, & ſangvinis, qui verò communicant laici, ſeu ſumunt Evchariſtiam ut Sacramentum; non eſt neceſſe, ut ſumant utramque ſpeciem, ſed ſufficit una ad integritatem Sacramenti: Sacerdotes vero, quia ſumunt Evchariſtiam non ſolùm ut Sacramentum, ſed etiam ut Sacrificium, tenentur Sacrificium conſumere, proinde utramque ſpeciem ſumere, quia ratio Sacrificii conſiſtit in ſeparatione ſangvinis à corpore, per hanc enim ſeparationem mactatur victima Deo oblata, & perficitur Sacrificium. Hinc laici, quia non ſacrificant, non eſt neceſſe, ut ſumant utramque ſpeciem, ſed ſufficit, ſi recolant paſſionem Chriſti participando de Sacrificio, ut eſt Sacramentum.

Quòd ſi urgeas, Chriſtum inſtituentem hoc Sacramentum, legaſſe ſuum corpus, & ſangvinem non ſolùm ſacerdotibus, verùm etiam cæteris fidelibus, conſequenter non poſſe Eccleſiam dividere hæreditatem, ſubtrahendo laicis ſangvinem, reſpondetur cum diſtinctione, non poteſt Eccleſia ſubtrahere ſangvinem ſimpliciter, quoad eſſe ſacramentale, conceditur, neque hoc pacto ſubtrahit, quia laici communicantes ſub ſola ſpecie panis ſumunt etiam per concomitantiam ſangvinem, quia Verbum divinum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit: non poteſt ſubtrahere ſangvinem quoad ſpecialem modum ſignificationis ſacramentalis, negatur. In unica enim ſpecie panis ſumitur etiam ſangvis, licèt quoad ſignificationem minus expreſſum, quatenus non ſumitur ſangvis per modum potûs.

Quinimò cenſendum eſt de fide, laicos & non celebrantes non teneri communicare ſub utraque ſpecie, idque deducitur ex praxi Eccleſiæ, quæ in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 13. Baſileenſi *ſeſſ.* 31. Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. & *can.* 1. expreſſè prohibuit laicis, & non celebrantibus communionem ſub utraque ſpecie, etenim ſi Eccleſia, ut liquet ex ſcripturis, eſt fundamentum, & columna veritatis, adeo ut ob peculiarem aſſiſtentiam Spiritus Sancti non poſſit errare, ſequitur, de fide non erraſſe, cùm prohibuit non celebrantibus communionem calicis, conſequenter de fide deducitur, non teneri laicos communicare ſub utraque ſpecie, hinc nulla fit injuria laicis; cùm illis miniſtratur Evchariſtia ſub una tantùm ſpecie panis, quia ibi non habetur injuria, ubi non violatur juſtitia, quæ non violatur, niſi quando jus alienum violatur, ſed laici non habent jus ad communionem ſub utraque ſpecie: ut conſtat ex hactenus dictis, quia laici tantùm habent jus ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod perfectè habetur ſub una vel altera ſpecie.

Quòd ſi dicas, Chriſtum inſtituiſſe, ac conceſſiſſe omnibus hoc Sacramentum ſub utraque ſpecie, conſequenter etiam laicos habere jus ad utramque ſpeciem. Contra eſt, quia Chriſtus eatenus inſtituit hoc Sacramentum ſub utraque ſpecie, quia voluit, ut ſimul eſſet Sacrificium, & ſub utraque ſpecie ſumeretur ab omnibus, qui Sacrificium hoc perficiunt, cujusmodi ſunt ſacerdotes. Præterea Chriſtus ita inſtituit Sacramenta; ut tamen modum adminiſtrationis reliquerit diſpoſitioni Eccleſiæ, ut liquet in Sacramento baptiſmi, quod ab Eccleſia non amplius adminiſtratur per trinam immerſionem in fluviis, ut in primitiva Eccleſia, & colligitur etiam ex illo Pauli ad 1. Corinth. *cap.* 2. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quinimò idem Apoſtolus ordinatis nonnullis circa uſum Evchariſtiæ ſubjungit, 1. *ad Corinth. cap.* 11. *Cætera cùm venero, diſponam*, ergo fideles non habent jus ad Sacramenta, niſi juxta diſpoſitionem Eccleſiæ.

Quòd ſi dicas, ſaltem fieri injuriam laicis, eò quia defraudentur ea majori gratia, quæ recipitur per ſumptionem utriusque ſpeciei. Contra eſt, quidquid enim ſit, an per ſumptionem utriusque ſpeciei recipiatur major gratia, de quo in ſequenti cap. negatur inde ſequi, fieri injuriam laicis, quia illi non habent jus ad illam majorem gratiam, quia per unicam ſpeciem recipiunt ſufficienter gratiam reficientem, alioquin non poſſet Eccleſia denegare ordines ſacros nec ſumptionem Evchariſtiæ pluries eodem die, quia in his caſibus fideles reciperent uberiorem gratiam.

Si dicas, Apoſtolum 1. *Corinth.* 11. ſcribere: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, cùm igitur Corinthii tunc communicarent ſub utraque ſpecie, id tradidit illis Apoſtolus, & accepit à Domino. Contra eſt, quia D. Paulus non accepit à Domino præceptum de calice ſumendo ab omnibus, & ſingulis fidelibus, neque id Corinthiis tradidit; quando enim loquitur de ſumptione corporis Chriſti ſub ſpecie panis, tantùm loquitur, & ſcribit, Chriſtum dixiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba abſolutum præceptum exprimunt, & faciendi quod in cœna fecerat, & hoc ipſum in Chriſti memoriam faciendi. Sed cùm de calice loquitur, refert verba Chriſti dicentis, *Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*, quæ verba præceptum abſolutum non exprimunt hoc faciendi, ſeu bibendi de calice, ſed quotiescunque, & quando biberent in memoriam Dominicæ paſſionis id faciendi.

Si dicas, Apoſtolum de hoc Sacramento loquentem aſſerere: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit*, reſpondetur, Apoſtolum ibi non præcipere, nec indicare præceptum à Domino injunctum fidelib⁹ ſingulis, ut panem cœleſtem, qui eſt ejus corp⁹, edant, & ſangvinem de calice bibant; ſed tantùm illum modû, quo ſe ad cōmunionem corporis, & ſangvinis Chriſti, ſive ſub una ſpecie, ſive ſub utraque præparare debent, ne judicium ſibi manducent, & bibant, corpus

errorem ſuum de divinitatis in tribus perſonis diviſione confirmari, Eccleſia ad hanc hæreſin evellendam juſſit, per unam tantum immerſionem miniſtrari impoſterum Sacramentum baptiſmi, præſertim cum ſacerdotibus quibuſdam in Hiſpaniis trinam immerſionem, aliis unicam uſurpantibus periculum adeſſet, ne ſchiſma fieret, & fidei unitas in illis Regionibus ſcinderetur: ut conſtat *canone* 6. Concilii Toletani IV. & ex epiſtola S. Gregorii *ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum,* ad hoc periculum avertendum juſſit Eccleſia baptiſmum non amplius adminiſtrari per trinam immerſionem, hanc itidem in Eccleſia poteſtatem mutandi modum adminiſtrandi Sacramenta fatentur etiam Hæretici, quia, quæ non ſunt de eſſentia Sacramentorum poteſtati ſubjiciuntur Eccleſiæ, quæ eſt regula ſententiis operandi, imò quod potuerit Eccleſia ſubtrahere laicis, & non ſacerdotibus uſum calicis, tenentur itidem fateri Calviniſtæ, qui in ſuis Synodis poteſtatem hanc & ipſi cognoſcant permittendi abſtemiis, ut ſub ſola panis ſpecie Sacramentum Evchariſtiæ ſumant; calicem vero non ſumant, ſed ſolis labris tantum contingant cauſa vitandi ſcandali, ita enim ſancitum fuit *cap.* 12. *Calviniana Diſciplinæ art.* 7. Præterea, ſi calix ad ſubſtantiam Sacramenti pertinet, diſpenſare cum abſtemiis non potuiſſet Synodus Calvinianæ Diſciplinæ, cùm & ipſi Calviniſtæ fateantur, homines non diſpenſare in iis, quæ de ſubſtantia, & eſſentia ſunt Sacramentorum. Quòd ſi uſus calicis non pertinet ad eſſentiam, nec eſt de ſubſtantia Sacramenti Evchariſtiæ, & tamen authoritatem diſpenſandi in tali uſu calicis ſibi arrogavit Synodus illa, nonniſi immeritò eam denegant Eccleſiæ Catholicæ. Juvat tamen obſervare, quòd Calviniſtica diſciplina cum ejuſdem Sectæ apertè pugnat Catechiſmo, etenim Dominica 53. in quo uſum calicis omnibus, & ſingulis indiſcriminatim à Chriſto Domino præceptum profitentur, & neminem de hoc præcepto poſſe diſpenſare, cùm de facto Synodus Calviniſticæ diſciplinæ diſpenſaverit cum abſtemiis, ipſis tantùm injungendo, ut labris calicem tantùm contingerent ad removendum ſcandalum, unde cenſuit Synodus, non eſſe de præcepto Chriſti. Lutherus itidem *lib. de captivit. Babyl.* agnoſcit, fideles neceſſitate præcepti ad communionem ſub utraque ſpecie non cogi, ait enim Lutherus, *itaque non hoc ago. ut vi rapiatur utraque ſpecies, quaſi neceſſitate præcepti ad eam cogamur*, unde nulli dubium, quin potuerit Eccleſia juſtis de cauſis ſubtrahere Laicis uſum calicis, & conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbare, & pro lege habendam eſſe decernere, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ authoritate pro libito mutare non liceat. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. 2. & 3. *in can.* 1. 2. & 3. ſtatuit: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel neceſſitate ſalutis omnes, & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Sacramenti Evchariſtiæ ſumere, anathema ſit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam catholicam non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe; ut laicos atque etiam Clericos non conficientes ſub panis tantùm ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit.* Et can. 3. *Si quis negaverit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & Authorem, ſub una ſpecie panis ſumi, quia (ut quidam falſo aſſerunt) non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.*

Juſtæ igitur cauſæ hujus prohibitionis plures ſunt: prima eſt ad refellendam hæreſin aſſerentium, ſub ſpecie panis eſſe tantùm corpus, & ſub ſpecie vini tantum ſangvinem, ut referente Bellarmino *Lib.* 4. *de Evchariſtia cap.* 8. aſſerebant plures Lutherani, ridentes concomitantiam ſangvinis Chriſti cum corpore ſub ſpecie panis. Secunda eſt periculum irreverentiæ erga ſanctiſſimum Sacramentum, quod cavendum erat, ne ſangvis Domini in terram vel ſuper linteamina funderetur, quod quidem [illegible] posse videbatur, præſertim ſi in magna populi multitudine hoc Sacramentum miniſtraretur, & mos iſte, quo laici communicarent ſub utraque ſpecie, perſeveravit uſque ad ſæculum duodecimum, ut conſtat ex Roberto Pullo S. R. E. Cardinali *ſent. par.* 1. 8. *cap.* 3. ubi ait: *Prius corpus, poſtea ſangvis à Presbyteris eſt ſumendus. Inſtitutio Chriſti mutanda non eſt.* Et [illegible] mediis interjectis ſubdit: *Verum qualiter à laicis Evchariſtia ſumi debeat, ſponſæ ſuæ commiſit arbitrio, cujus conſilio, & uſu pulchrè fit, ut caro Chriſti laicis diſtribuatur. Nimirum periculosè fieret, ut ſangvis ſub liquida ſpecie multitudini fidelium in Eccleſia divideretur, longe periculoſius, ſi infirmis per parochiam deferretur.* Et mos iſte communicandi ſub una ſpecie panis præceptus fuit ſæculo XIII. teſte Alexandro Alenſi, qui docuit, Chriſtum integrè ſumi ſub utraque ſpecie, & bene à laicis ſumi corpus Chriſti ſub ſpecie panis tantùm. Et D. Thomas 3 *part. quæſt.* 80. *art.* 7. ait; *Circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, unum ex parte ipſius Sacramenti, & aliud ex parte ſumentium. Ex parte quidem ipſius Sacramenti convenit, quod utrumque ſumatur, ſcilicet corpus, & ſangvis, quia in utroque conſiſtit perfectio Sacramenti, & ideo, quia ad ſacerdotem pertinet, hoc Sacramentum conſecrare, & perficere nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſangvine. Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reverentia & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti myſterii, quod præcipuè poſſet accidere in ſangvinis ſumptione, qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhiberent, ideo providè in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſangvis ſumendus non detur, ſed tantùm à ſacerdote ſumatur.* Unde juſta cauſa ſubtrahendi Laicis uſum calicis eſt periculum irreverentiæ maximè cavendum, ne ſangvis Domini in terram effundatur. Tertia ad præcavendum periculum erroris, quia, ſi populus ſumeret ſangvinem ſub ſpecie vini, vix crederet, illum eſſe ſub ſpecie panis concomitanter cum corpore. Quarta ad confutandum errorem, quod ſola ſpecies panis non ſufficiat ad aſſecutionem ſalutis. Quinta petitur ex communione infirmorum cum Evchariſtia ægrotis præſto debet eſſe, timendum erat, ne ſi diutius vini ſpecies aſſervaretur, aceſceret, & non libenter ab infirmo ſumeretur. Sexta, quia Eccleſia animadvertens plures natura eſſe à vino abſtemios, ac ipſius odoris impatientes, ut etiam vinum pluribus in locis non poſſe in tanta copia haberi, ut plura millia hominum poſſent communicare, ac durum eſſet ſacerdoti, reliquias abſumere ſpecierum vini, quæ ab omnibus jam delibatæ erant, præſertim, cùm ad communicandum accederent plures malè affecti, ſordidi, ac morbis infecti, qui etiam alios à communione deterrerent, eò quia ex eodem calice debuiſſent & ipſi bibere, unde ne quod ſpiritualis ſalutis cauſa datur, corporis valetudini noceret, prudenter ab Eccleſia ſancitum eſt, ut Laici fideles tantum ſub ſpecie panis communicarent,

ultimo inſtanti completivo Sacramenti. Eadem ratione poteſt tribui uni ſpeciei Euchariſticæ, quod producitur per aliam, ut etiam toti Sacramento conſtanti ex utraque ſpecie, quod fit per unam tantùm ſpeciem: eo enim ipſo, quod quælibet ſpecies integrat hoc Sacramentum cum altera, quidquid cauſatur per unam, tribui etiam poteſt alteri, ut integranti idem Sacramentum cum altera.

Objicies ſecundò, ſi ſpecies panis, & vini non cauſarent diverſas gratias, ſed unam tantùm, & eandem ſequeretur, quòd tota hæc gratia conferretur Sacerdoti in ipſa ſumptione ſpeciei panis, & ſpeciem vini non eſſe verum Sacramentum, quia non cauſaret gratiam, quam ſignificat: neque enim dici poteſt, gratiam conferri partim in ſumptione hoſtiæ, & partim in hauſtu calicis; quia non videtur poſſe ratio aſſignari, cur ſpecies panis ſumpta à laico ſtatim conferat totam ſuam gratiam, quam apta eſt conferre, non item Sacerdoti; ſed tantùm dimidiatam: ergo coñunicans ſub utraque ſpecie plus gratiæ recipit, quam coñunicans ſub unica tantùm, quamvis uterque cenſeatur æqualiter diſpoſitus. Sed contra, quia, tametſi in ipſa ſumptione hoſtiæ, ſeu ſpeciei panis, conferatur Sacerdoti tota gratia, non tamen inde ſequitur, ſumptionem calicis non eſſe verum Sacramentum; quia, ut ſit verum Sacramentum, non eſt neceſſe, ut gratiam actu conferat. Euchariſtia enim in pixide aſſervata eſt verum, ac reale Sacramentum; quamvis actu non cauſet gratiam: unde ad rationem Sacramenti ſufficit, ſi quantum eſt ex ſe, poſſit eam conferre ſubjecto diſpoſito: hinc quia Sacerdos in ſumptione hoſtiæ accipit totum effectum Sacramenti, in ſumptione Calicis hunc effectum non recipit ratione ſubjecti, quod non eſt diſpoſitum. Hinc etiam Laicus, ſi poſt ſumptam ejus particulam conſecratam immediatè ſumeret aliam; & poſt hanc aliam immediatè, poſt receptionem gratiæ in ſumptione primæ particulæ, non reciperet aliam gratiam, quia ſubjectum non eſſet diſpoſitum, & quia totum effectum Sacramenti recepit in ſumptione primæ particulæ. Quod ſi poſt ſumptionem unius ſpeciei vel particulæ creſceret ſubjecti diſpoſitio, vel haberetur nova diſpoſitio, tunc ratione hujus recentis diſpoſitionis Sacerdos in ſumptione Calicis novam conſequeretur gratiam. Hinc conſultius, ac utilius eſſet, ſi Sacerdos poſt ſumptam ſpeciem panis paululum immoraretur, ut per actus amoris in ſe majorem excitaret devotionem, quâ ſe diſponeret ferventius ad ſumptionem Calicis, ut ratione hujus novæ diſpoſitionis novam acciperet gratiam. Ratione itidem ſacrificii, quod Sacerdos offert, gratiam itidem ſuſcipit ſpecialem, quam Laicus non recipit, quia Sacrificium non offert.

LIBER OCTAVUS.

DE

Quidditate, & proprietatibus Sacrificii.

QUia Euchariſtia in lege Evangelica non ſolùm habet rationem Sacramenti, ſed etiam Sacrificii; ſicuti in veteri lege agnus Paſchalis non ſolùm habuit rationem Sacramenti, verùm etiam Sacrificii. Euchariſtia non ſolùm inſtituta fuit, ut cætera Sacramenta in ſalutem animarum noſtrarum; verùm etiam in peculiarem Dei cultum, hac ratione eſt itidem Sacrificium, quo proteſtamur ſupremum Dei dominium, ac poteſtatem, quam habet in vitam, & mortem omnium: ideo, cùm egerimus de Euchariſtia, quatenus eſt Sacramentum, ſupereſt, ut de eadem agamus, ut eſt Sacrificium contra Novatores, nitentes hoc Sacrificium inficiari.

CAPUT I.

De Sacrificio legis naturæ.

SAcrificia legis naturæ ea ſunt, quæ ab Adamo uſque ad Moyſem Deo oblata fuerunt ante legem ſcriptam, vel etiam poſt Moyſem ab eis, qui legem Moſaicam non receperunt; ſive ex ſolo naturæ inſtinctu oblata ſint, ſive ex peculiari Dei inſtitutione, cujuſmodi fuerunt Sacrificia, Abel, & Cain, Noë, Abraham, Melchiſedech, Iſaac, Jacob, Job, & etiam Sacrificium agni paſchalis, qui ante legem ſcriptam juſſu Dei offerri conſueverat. In lege igitur naturæ primi, qui Sacrificia Deo obtulerunt, fuerunt Abel, & Cain, fratres, de quibus *Geneſ.* 4. dicitur: *Fuit Abel paſtor ovium, & Cain agricola, factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain verò, & munera illius non reſpexit.* Ex quo inferimus, Abelem obtuliſſe primogenita ſui gregis, & eorum adipem Deo, & Cain fratrem ſuum de fructibus terræ, ille enim erat paſtor ovium, & hic Agricola, & oblationem Abelis fuiſſe Deo gratam, non illam Caini, *Geneſ.* 8. *v.* 21. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*, ſeu Sacrificium ab Abele oblatum. Quòd ſi quæratur, undenam ſub illis

contra, quia præceptum illud ad solam sumptionem refertur, non verò ad modum sumendi. Sumuntur enim tam corpus quàm sanguis sub qualibet specie, Præterea, præceptum illud Christi hunc sensum habet, si neque manducaveritis carnem Filii hominis, nec biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Conjunctio copulans in Sacra Scriptura persæpe ponitur pro disjungente, quo pacto *Joan.* 15. ait Christus: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, & *Actor.* 3. *Argentum & aurum non est mihi*, & in eodem sensu sumenda sunt Christi verba *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et hoc probant sequentia verba: *Et qui manducat me, & ipse vivet propter me*, & *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; particula igitur illa *Et* in Christi sententia stat disjunctivè pro particula *Vel* juxta subjectam materiam, ut notant Jurisconsulti de præpositione *Et de V. S. tit. de hoc dict.* 2. *n.* 2. Gonzales *ad reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 3. *n.* 14. Portel. *de consort. cap.* 1. *n.* 20. & tunc sumitur particula *Et* disjunctivè, quando ponitur inter ea, quæ sunt ejusdem potestatis, & effectus, ut declarant Oldradus *consil.* 186. *n.* 8. Bursatus *consil.* 8. *n.* 20. Thesaur. *decis.* 189. *n.* 2. & alii: sed Eucharistia sub specie panis, & vini est ejusdem potestatis, & effectus, quia sub utraque specie continetur totus Christus. Præterea, quamvis particula *Et* sumeretur conjunctivè, non tamen exigeret concursum utriusque copulati, sed sufficeret unum, ut docent Alexander *Consil.* 101. *num.* 8. *lib.* 3. & *consil.* 64. *n.* 9. *lib.* 7. Roman. *consil.* 104. *n.* 4. Albanus *tit.* 1. *art.* 4. *n.* 7. Tulcus *litt. E. conclus.* 274. *n.* 54. & tunc præsertim habet locum, quando duæ orationes copulantur principaliter per se, ut in verbis Christi, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*; sufficit enim manducare, aut bibere, ergo ex verbis Christi non colligitur necessitas in laicis communicandi sub utraque specie, unde Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 1. hoc asserit inquiens: *Ecclesiæ judicium, & consuetudinem Sacra Synodus secuta declarat, nullo divino præcepto laicos, & clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum: neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat: nam & si Christus Dominus in ultima cœna Venerabile hoc Sacramentum sub panis, & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio, & traditio eò tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem sumendam adstringantur. Sed neque ex sermone illo apud Joannem cap.* 6. *rectè intelligitur utriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur.* Nam qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque, *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam, *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, is denique, qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, dixit etiam, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Objiciunt secundò, dicentes, hoc præceptum communicandi sub utraque specie colligi ex facto Christi, quia non solùm instituit hoc Sacramentum sub utraque specie, verùm etiam sub utraque illud distribuit: ergo cùm factum Christi ordinetur ad ejus passionem commemorandam, debet eodem modo commemorari, quo instituit esse commemorandam, consequenter ex facto Christi sufficienter colligitur necessitas in laicis communicandi sub utraque specie. Sed contra, negatur antecedens, quia, ut paulò superiùs ostendimus, factum Christi circa Sacramenta non semper inducit obligationem, sed tantum quoad ea, quæ sunt substantialia ipsis Sacramentis, etenim Christus vespere post cœnam consecravit, ac distribuit non jejunis, & tamen hæc duo non inducunt obligationem. Præterea, Christus Eucharistiam instituit non solùm per modum Sacramenti, verùm etiam per modum sacrificii. Unde quia simul est Sacramentum & Sacrificium, & in sacrificio fit separatio sanguinis à corpore, ideo exigit utramque speciem, & quia Sacerdos debet consumere sacrificium, ideo debet illud sumere sub utraque specie, & in hoc sensu dixit Christus Apostolis, & aliis successoribus, qui erant officio Sacerdotis functuri, ac sacrificium perfecturi. [illegible] 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Aliis verò præsertim laicis, qui sumunt Eucharistiam, ut Sacramentum, non ut Sacrificium, non est necesse, quod sumant sub utraque specie, quia sufficit, si recolant passionem Christi participando de Sacrificio, ut est Sacramentum.

Quòd si dicas, Christum, quando instituit calicem, dixisse: *Bibite ex eo omnes*, consequenter omnes fideles teneri communicare sub utraque specie. Contra est, quia dictio *omnes* in illo loco tantùm supponit pro ipsis Apostolis, & aliis Discipulis, qui erant Sacerdotio functuri, idque ex eo perspicuum est, quia unicus tantùm erat ibi calix, de quo omnes Discipuli biberunt. Præterea, quia etiam *Marci* 14. habetur: *biberunt ex illo omnes*, tamen soli Apostoli biberint.

Quòd si dicas, Apostolus 1. ad Corinth. cap. 11. loquens de communione sub utraque specie dixit: *Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis*, proinde communicare sub utraque specie est præceptum divinum, contra est, quia Apostolus ibi tantùm refert se tradere, quod acceperat, adeo ut nihil ponat novi, sed tantùm explicet institutionem Eucharistiæ, eam relinquendo in ea forma, & mensura, in qua fuerat à Christo Domino instituta.

Quòd si dicas, Christum Dominum instituentem hoc Sacramentum legavisse corpus suum, & sanguinem non tantùm Sacerdotibus, sed etiam cæteris, & non esse licitum hæreditatem dividere, consequenter neque subtrahere laicis sumptionem sanguinis, quod perinde esset, ac Christi hæreditatem dividere. Contra est, quia tametsi non liceat subtrahere sanguinem quoad esse sacramentale, licet tamen subtrahere quoad specialem modum significationis sacramentalis: sed per hoc quod subtrahatur sub specie vini, non subtrahitur quoad esse sacramentale, quia adhuc simul cum corpore est sub speciebus panis, licèt non quoad significationem, quapropter tantùm subtrahitur quoad specialem modum significationis, quatenus hæc refectio per species vini significatur sub ratione potûs.

Si dicas, plures Patres ſignificare hanc neceſſitatem cõmunicandi ſub utraque ſpecie, conſequenter hanc cõmunionem eſſe de præcepto divino. Contra eſt, negatur conſequentia: quia, quando Patres videntur ſignificare neceſſitatem utriusque ſpeciei, vel tantùm loquuntur de ſumptione ſpirituali, quatenus in Eucharistia ſignificatur conjunctio hominis cum Chriſto per fidem & charitatem. Cæterum cõmunicare ſub utraque ſpecie non eſt de jure divino, imò nec de jure eccleſiaſtico, quia de facto Eccleſia interdicit Laicis cõmunionem ſub utraque ſpecie. Præterea ſi fuiſſet de jure eccleſiaſtico, jam hoc jus eſſet ablatum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. Poteſt enim Eccleſia auferre, quæ ſunt de jure eccleſiaſtico.

Objiciunt tertiò, Chriſtus non præcepit communionem dimidiatam, & mutilam, ſed integram, ſed de integritate communionis eſt utraque ſpecies: ergo fideles tenentur ex præcepto divino communicare ſub utraque ſpecie, conſequenter non poteſt eccleſia iisdem prohibere communionem calicis. Sed contra diſtinguitur major: Chriſtus præcepit communionem integram, integritate reſpiciente ſubſtantiam Euchariſticæ communionis, conceditur, reſpiciente ſignificationem Euchariſticæ communionis minus expreſſæ, conceditur, magis expreſſæ, negatur major, & eodem pacto diſtinguitur minor, utraque ſpecies eſt de integritate communionis magis expreſſæ, conceditur, minùs expreſſæ, negatur; quia ſub una tantùm ſpecie panis continetur primariò corpus Chriſti, & per concomitantiam, etiam ſangvis, adeo ut communicantes id ſub ſpecie tantùm panis ſumant integram Euchariſticam communionem, quoad ſubſtantiam, quatenus ſumunt corpus Chriſti, non tamen mortuum, & cadaver, ſed vivum, conſequenter, ut continens carnem, & ſangvinem, cùm non poſſit ſine ſangvine corpus vivere, unde Laici ſumunt integram Euchariſticam communionem, quoad ſubſtantiam, & ſignificationem minùs expreſſam, quatenus ſumunt ſub eadem ſpecie panis verum corpus, & verum ſangvinem Chriſti. Integritas ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ communionis Euchariſticæ in eo eſt ſita, ut ſumamus Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum totum integrum cum corpore ſimul & ſangvine, anima & divinitate: hæc enim omnia ſumuntur ſub ſpecie etiam ſolius panis, quamvis ſangvis tunc ſumatur minus expreſſè, ſeu per concomitantiam, quia Verbum divinum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; Integritas ſignificationis quoad finem in eo conſiſtit, ut recordemur corpus, & ſangvinem Chriſti, quæ nos ſumimus, fuiſſe ſeparata in paſſione, & morte Chriſti cruci affixi, juxta illud D. *Pauli* 1. *ad Corinth.* 1. *Quotieſcunque manducamus panem hunc, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus, donec veniat.* Laici verò, quamvis cõmunicant ſub ſola ſpecie panis, adhuc per concomitantiam ſumunt etiam ſangvinem, quia cum corpore ſumunt Verbum divinum, quod nunquam dimiſit ſangvinem, quem aſſumpſit.

Sed inſtabis, communio integra etiam quoad ſignificationem magis explicatam, ſeu ſub utraque ſpecie eſt de præcepto divino, quia *Joan.* 6. ait Chriſtus: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis vitam in vobis:* ergo Laici & non conficientes ſacrificium, tenentur communicare ſub utraque ſpecie. Tum quia Chriſtus in ultima cœna, quando inſtituit hoc Sacramentum, diſtribuit omnibus Diſcipulis non ſolùm ſuum corpus ſub ſpecie panis, verùm etiam ſuum ſangvinem ſub ſpecie vini. Sed contra diſtinguitur antecedens, communio integra quoad ſignificationem magis explicitam, ſeu ſub utraque ſpecie eſt de præcepto divino, quoad conficientes ſacrificium Miſſæ, conceditur, quoad non conficientes; negatur antecedens, & conſequentia. Ad illud deſumptum ex Joann. 6. reſpondetur, ibi Chriſtum non præcipere, ut Laici communicent ſub utraque ſpecie, quia particula *Et*, ut colligitur ex contextu, eſt disjunctiva, & idem ſonat, ac *vel*, ut ſuperius oſtendimus, etenim Chriſtus etiam *Joann.* 6. ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ubi communicantibus ſub ſola ſpecie panis promittit vitam æternam. Neque obſtat, Chriſtum in ultima cœna diſtribuiſſe Diſcipulis corpus, & ſangvinem ſuum ſub utraque ſpecie, quia Diſcipuli, utpote Sacerdotes, erant ſacrificaturi in altari, & ad eos & alios Sacerdotes direxit verba illa: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Cum igitur ſoli Sacerdotes ſacrificent ipſi ſoli, tenentur tunc ſumere corpus, & ſangvinem Chriſti ſub utraque ſpecie panis, & vini. Laici verò, & non celebrantes, non tenentur communicare ſub utraque ſpecie, ſed hoc dependet ab ordinatione Eccleſiæ, quæ poteſt concedere laicis, vel prohibere communionem ſub utraque ſpecie. Unde præceptum communionis in eo, quod reſpicit integritatem magis expreſſam ſignificationis, ſeu communionem ſub utraque ſpecie ab Eccleſia poteſt diſpenſari cum laicis, & non conſecrantibus. Quatenus verò præceptum reſpicit integritatem ſignificationis minùs expreſſæ, ſeu ſub una tantùm ſpecie nequit diſpenſari reſpectu celebrantium & conficientium ſacrificium. Diſpenſatio autem præcepti quoad non conſecrantes, ut communicent ſub una tantùm ſpecie panis, non tangit integritatem ſignificationis magis expreſſæ, quæ ſervatur in perſonis conſecrantium, & cõmunicantium ſub utraque ſpecie, unde integritas ſignificationis magis expreſſæ, quæ eſt diſpenſabilis reſpectu non celebrantium; non poteſt diſpenſari, reſpectu celebrantium, quibus Chriſtus dixit, *Hoc quotieſcunque feceritis* (ſeu conficietis ſacrificium) *in mei memoriam facietis*, illis enim antea dixerat: *bibite ex eo omnes*, ſcilicet ex meo ſangvine.

Quamobrem cõmunionem ſub utraque ſpecie non fuiſſe à Chriſto præceptam non ſacrificantibus, liquet etiam ex eo, quia ipſe Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum miniſtravit in ſola ſpecie panis duobus Diſcipulis, euntibus in Emaus, ut explicant Theophylactus, & S. Auguſtinus, animadvertentes, quod S. Lucas *cap.* 24. poſtquam dixit: *Accepit panem & benedixit, ac fregit, porrigebat illis*, nec uno verbo facto de benedictione, & diſtributione Calicis, poſtea ſubjungitur: *Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis, & ipſe evanuit ab oculis eorum.* Eodem modo fuiſſe Sacramentum Euchariſtiæ ab Apoſtolis miniſtratum, ſcilicet in ſola ſpecie panis, legitur in Act. Apoſtol. *cap.* 1. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus*: ubi nulla fit mentio de cõmunione Calicis. Hinc Eccleſia, ut refert S. Ambroſius, in obitu Satyri fratris, conſueverat primis illis temporibus concedere non conſecrantibus cõmunionem Euchariſticam ſub ſpecie panis tantùm, præſertim navigantibus, qui Euchariſtiam ſecum ferebant, ut imminente

& hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Tunc dixit illis Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me nocte iſta: ex quibus infertur, verba illa, *Bibite ex hoc omnes*, ad ſolos Apoſtolos, & futuros ſacerdotes eorundem ſucceſſores Chriſtum direxiſſe, non verò præceptum injunxiſſe omnibus fidelibus, ut ex calice illi biberent. Præterea Evangeliſta Marcus præceptum illud Chriſti, *bibite ex hoc omnes*, ait in ultima cœna fuiſſe impletum *cap. 14. v. 23. Et accepto calice gratias agens dedit illis, & biberunt omnes*, id eſt, omnes Apoſtoli, qui aderant. Quia, quando Chriſtus aliquid præcepit Apoſtolis, quod non ipſis ſolùm, ſed etiam omnibus fidelibus faciendum incumbit, illud ad omnes pertinere ſignificat; vel ex ipſa rei, de qua eſt ſermo, natura, & circumſtantiis, vel ex aliis textibus colligitur, id ad omnes pertinere: quo pacto, quando ſelegit quatuor Diſcipulos, ſocios itineris ad hortum Gethſemani, cùm illis dixiſſet, *Marc. 13. Vigilate, & orate*, poſtea ſubjunxit: *Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Præterea Chriſtus inſtituit Eucharistiam non ſolùm per modum Sacramenti, ſed etiam Sacrificii, ut, quia eſt Sacrificium cruentum, exigit utramque ſpeciem corporis, & ſangvinis, qui verò communicant laici, ſeu ſumunt Eucharistiam ut Sacramentum; non eſt neceſſe, ut ſumant utramque ſpeciem, ſed ſufficit una ad integritatem Sacramenti: Sacerdotes verò, quia ſumunt Euchariſtiam non ſolùm ut Sacramentum, ſed etiam ut Sacrificium, tenentur Sacrificium conſumere, proinde utramque ſpeciem ſumere, quia ratio Sacrificii conſiſtit in ſeparatione ſangvinis à corpore, per hanc enim ſeparationem mactatur victima Deo oblata, & perficitur Sacrificium. Hinc laici, quia non ſacrificant, non eſt neceſſe, ut ſumant utramque ſpeciem, ſed ſufficit, ſi recolant paſſionem Chriſti participando de Sacrificio, ut eſt Sacramentum.

Quòd ſi urgeas, Chriſtum inſtituentem hoc Sacramentum, legâſſe ſuum corpus, & ſangvinem non ſolùm ſacerdotibus, verùm etiam cæteris fidelibus, conſequenter non poſſe Eccleſiam dividere hæreditatem, ſubtrahendo laicis ſangvinem, reſpondetur cum diſtinctione, non poteſt Eccleſia ſubtrahere ſangvinem ſimpliciter, quoad eſſe ſacramentale, conceditur, neque hoc pacto ſubtrahit, quia laici communicantes ſub ſola ſpecie panis ſumunt etiam per concomitantiam ſangvinem, quia Verbum divinum, quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit: non poteſt ſubtrahere ſangvinem quoad ſpecialem modum ſignificationis ſacramentalis, negatur. In unica enim ſpecie panis ſumitur etiam ſangvis, licèt quoad ſignificationem minus expreſſum, quatenus non ſumitur ſangvis per modum potûs.

Quinimo cenſendum eſt de fide, laicos & non celebrantes non teneri communicare ſub utraque ſpecie, idque deducitur ex praxi Eccleſiæ, quæ in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 13.* Baſileenſi *ſeſſ. 31.* Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 1. & can. 1.* expreſſè prohibuit laicis, & non celebrantibus communionem ſub utraque ſpecie, etenim ſi Eccleſia, ut liquet ex ſcripturis, eſt fundamentum, & columna veritatis, adeo ut ob peculiarem aſſiſtentiam Spiritus Sancti non poſſit errare, ſequitur, de fide non erràſſe, cùm prohibuit non celebrantibus communionem calicis, conſequenter de fide deducitur, non teneri laicos communicare ſub utraque ſpecie, hinc nulla fit injuria laicis; cùm illis miniſtratur Euchariſtia ſub una tantùm ſpecie panis, quia ibi non habetur injuria, ubi non violatur juſtitia, quæ non violatur, niſi quando jus alienum violatur, ſed laici non habent jus ad communionem ſub utraque ſpecie: ut conſtat ex hactenus dictis, quia laici tantum habent jus ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod perfecte habetur ſub una vel altera ſpecie.

Quòd ſi dicas, Chriſtum inſtituiſſe, ac conceſſiſſe omnibus hoc Sacramentum ſub utraque ſpecie, conſequenter etiam laicos habere jus ad utramque ſpeciem. Contra eſt, quia Chriſtus eatenus inſtituit hoc Sacramentum ſub utraque ſpecie, quia voluit, ut ſimul eſſet Sacrificium, & ſub utraque ſpecie ſumeretur ab omnibus, qui Sacrificium hoc perficiunt, cujuſmodi ſunt ſacerdotes. Præterea Chriſtus ita inſtituit Sacramenta; ut tamen modum adminiſtrationis reliquerit diſpoſitioni Eccleſiæ, ut liquet in Sacramento baptiſmi, quod ab Eccleſia non amplius adminiſtratur per trinam immerſionem in fluviis, ut in primitiva Eccleſia, & colligitur etiam ex illo Pauli ad 1. Corinth. *cap. 2. Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quinimo idem Apoſtolus ordinatis nonnullis circa uſum Euchariſtiæ ſubjungit, *1. ad Corinth. cap. 11. Cætera cum venero, diſponam*, ergo fideles non habent jus ad Sacramenta, niſi juxta diſpoſitionem Eccleſiæ.

Quòd ſi dicas, ſaltem fieri injuriam laicis, eò quia defraudentur ea majori gratia, quæ recipitur per ſumptionem utriuſque ſpeciei. Contra eſt, quidquid enim ſit, an per ſumptionem utriuſque ſpeciei recipiatur major gratia, de quo in ſequent. cap. negatur inde ſequi, fieri injuriam laicis, quia iſti non habent jus ad illam majorem gratiam, quia per unicam ſpeciem recipiunt ſufficienter gratiam reficientem, alioquin non poſſet Eccleſia denegare ordines ſacros nec ſumptionem Euchariſtiæ pluries eodem die, quia in his caſibus fideles reciperent uberiorem gratiam.

Si dicas, Apoſtolum 1. *Corinth.* 11. ſcribere: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, cùm igitur Corinthii tunc communicarent ſub utraque ſpecie, id tradidit illis Apoſtolus, & accepit à Domino. Contra eſt, quia D. Paulus non accepit à Domino præceptum de calice ſumendo ab omnibus, & ſingulis fidelibus, neque id Corinthiis tradidit; quando enim loquitur de ſumptione corporis Chriſti ſub ſpecie panis, tantùm loquitur, & ſcribit, Chriſtum dixiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba abſolutum præceptum exprimunt, & faciendi quod in cœna fiebat, & hoc ipſum in Chriſti memoriam faciendi. Sed cùm de calice loquitur, refert verba Chriſti dicentis, *Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem*, quæ verba præceptum abſolutum non exprimunt hoc faciendi, ſeu bibendi de calice, ſed quotieſcunque, & quando biberent in memoriam Dominicæ paſſionis id faciendi.

Si dicas, Apoſtolum de hoc Sacramento loquentem aſſerere: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit*, reſpondetur, Apoſtolum ibi non præcipere, nec indicare præceptum à Domino injunctum fidelibus ſingulis, ut panem cœleſtem, qui eſt ejus corpus, edant, & ſangvinem de calice bibant; ſed tantùm illum modû, quo ſe ad communionem corporis, & ſangvinis Chriſti, ſive ſub una ſpecie, ſive ſub utraque præparare debent, ne judicium ſibi manducent, & bibant, corpus

errorem ſuum de divinitatis in tribus perſonis diviſione confirmari, Eccleſia ad hanc hæreſin evellendam juſſit, per unam tantum immerſionem miniſtrari impoſterum Sacramentum baptiſmi, præſertim cùm ſacerdotibus quibusdam in Hiſpaniis trinam immerſionem, aliis unicam uſurpantibus periculum aderat, ne ſchiſma fieret, & fidei unitas in illis Regionibus ſcinderetur: ut conſtat *canone* 6. Concilii Toletani IV. & ex epiſtola S. Gregorii *ad Leandrum Hiſpaienſem Epiſcopum*, ad hoc periculum avertendum juſſit Eccleſia baptiſmum non amplius adminiſtrari per trinam immerſionem, hanc itidem in Eccleſia poteſtatem immutandi modum adminiſtrandi Sacramenta fatentur etiam Hæretici, quia, quæ non ſunt de eſſentia Sacramentorum poteſtati ſubjiciuntur Eccleſiæ, quæ eſt regula ſeu ſtylus operandi, imò quod potuerit Eccleſia ſubtrahere laicis, & non ſacerdotibus uſum calicis, tenentur itidem fateri Calviniſtæ, qui in ſuis Synodis poteſtatem hanc & ipſi cognoſcunt permittendi abſtemiis, ut ſub ſola panis ſpecie Sacramentum Evchariſtiæ ſumant; calicem verò non ſumant, ſed ſolis labris tantùm contingant cauſa vitandi ſcandali, ita enim ſancitum fuit *cap.* 12. *Calviniana Diſciplinæ art.* 7. Præterea, ſi calix ad ſubſtantiam Sacramenti pertinet, diſpenſare cum abſtemiis non potuiſſet Synodus Calvinianæ Diſciplinæ, cùm & ipſi Calviniſtæ fateantur, homines non diſpenſare in iis, quæ de ſubſtantia, & eſſentia ſunt Sacramentorum. Quòd ſi uſus calicis non pertinet ad eſſentiam, nec eſt de ſubſtantia Sacramenti Evchariſtiæ, & tamen authoritatem diſpenſandi in tali uſu calicis ſibi arrogavit Synodus illa, nonniſi immeritò eam denegant Eccleſiæ Catholicæ. Juvat tamen obſervare, quòd Calviniſtica diſciplina cum ejusdem Sectæ apertè pugnat Catechiſmo, etenim Dominica 53. in quo uſum calicis omnibus, & ſingulis indiſcriminatim à Chriſto Domino præceptum profitentur, & neminem de hoc præcepto poſſe diſpenſare, cùm de facto Synodus Calviniſticæ diſciplinæ diſpenſaverit cum abſtemiis, ipſis tantùm injungendo, ut labris calicem tantùm contingerent ad removendum ſcandalum, unde cenſuit Synodus, non eſſe de præcepto Chriſti. Lutherus itidem *lib. de captivit. Babyl.* agnoſcit, fideles neceſſitate præcepti ad communionem ſub utraque ſpecie non cogi, ait enim Lutherus. *itaque non hoc ago. ut vi rapiatur utraque ſpecies, quaſi neceſſitate præcepti ad eam cogamur*, unde nulli dubium, quin potuerit Eccleſia juſtis de cauſis ſubtrahere laicis uſum calicis, & conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbare, & pro lege habendam eſſe decernere, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ authoritate pro libito mutare non liceat. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. 2. *&* 3. *in can.* 1. 2. *&* 3. ſtatuit: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel neceſſitate ſalutis omnes, & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem ſanctiſſimi Sacramenti Evchariſtiæ ſumere, anathema ſit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam catholicam non juſtis cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, ut laicos atque etiam Clericos non conficientes ſub panis tantùm ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit.* Et can. 3. *Si quis negaverit totum, & integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & Authorem, ſub una ſpecie panis ſumi, quia (ut quidam falſò aſſerunt) non ſecundum ipſius Chriſti inſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.*

Juſtæ igitur cauſæ hujus prohibitionis plures ſunt: prima eſt ad refellendam hæreſin aſſerentium, ſub ſpecie panis eſſe tantùm corpus, & ſub ſpecie vini tantùm ſangvinem, ut referente Bellarmino *Lib.* 4. *de Evchariſtia cap.* 8. aſſerebant plures Hæretici, negantes concomitantiam ſangvinis Chriſti cum corpore ſub ſpecie panis. Secunda eſt periculum irreverentiæ erga ſanctiſſimum Sacramentum, quod cavendum erat, ne ſangvis Domini in terram vel ſuper linteamina funderetur, quod quidem facile vitari poſſe non videbatur, præſertim ſi in magna populi multitudine hoc Sacramentum miniſtrari oporteret, & mos iſte, quo laici communicarent ſub utraque ſpecie, perſeveravit usque ad ſeculum duodecimum, ut conſtat ex Roberto Pullo, S. R. E. Cardinali *ſent. part.* 8. *cap.* 3. ubi ait: *Primo corpus, poſtea ſangvis à Presbyteris eſt ſumendus. Inſtitutio Chriſti mutanda non eſt.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Verum qualiter a laicis Evchariſtia ſumi deberet, ſponſæ ſuæ commiſit judicio, cujus conſilio, & uſu pulchrè fit, ut caro Chriſti laicis diſtribuatur. Nimirum periculosè fieret, ut ſangvis ſub liquida ſpecie multitudini fidelium in Eccleſia divideretur, longe periculoſius, ſi infirmis per parochiam deferretur.* Et mos iſte communicandi ſub una ſpecie panis præceptus fuit ſeculo XIII. teſte Alexandro Alenſi, qui docuit, Chriſtum integrum ſumi ſub utraque ſpecie, & bene à laicis ſumi corpus Chriſti ſub ſpecie panis tantùm. Et D. Thomas 3 *part. quæſt.* 80. *art.* 7. ait: *Circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, unum ex parte ipſius Sacramenti, & aliud ex parte ſumentium. Ex parte quidem ipſius Sacramenti convenit, quod utrumque ſumatur, ſcilicet corpus, & ſangvis, quia in utroque conſiſtit perfectio Sacramenti, & ideo, quia ad ſacerdotem pertinet, hoc Sacramentum conſecrare, & perficere nullo modo debet corpus Chriſti ſumere ſine ſangvine. Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reverentia & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti myſterii, quod præcipuè poſſet accidere in ſangvinis ſumptione, qui quidem, ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhiberent, ideò providè in quibusdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſangvis ſumendus non detur, ſed tantùm à ſacerdote ſumatur.* Unde juſta cauſa ſubtrahendi Laicis uſum calicis, eſt periculum irreverentiæ maximè cavendum, ne ſangvis Domini in terram effundatur. Tertia ad præcavendum periculum erroris, quia, ſi populus ſumeret ſangvinem ſub ſpecie vini, vix crederet, illum eſſe ſub ſpecie panis concomitanter cum corpore. Quarta ad confutandum errorem, quod ſola ſpecies panis non ſufficiat ad aſſecutionem ſalutis. Quinta petitur ex communione infirmorum cum Evchariſtia ægrotis præſto debet eſſe, timendum erat, ne ſi diutius vini ſpecies aſſervaretur, aceſceret, & non libenter ab infirmo ſumeretur. Sexta, quia Eccleſia animadvertens plures natura eſſe à vino abſtemios, ac ipſius odoris impatientes, ut etiam vinum pluribus in locis non poſſe in tanta copia haberi, ut plura millia hominum poſſent communicare, ac durum eſſet ſacerdoti, reliquias abſumere ſpecierum vini, quæ ab omnibus jam delibatæ erant, præſertim, cùm ad communicandum accederent plures malè affecti, ſordidi, ac morbis infecti, qui etiam alios à communione deterrerent, eò quia ex eodem calice debuiſſent & ipſi bibere, unde ne quod ſpiritualis ſalutis cauſa daretur, corporis valetudini noceret, prudenter ab Eccleſia ſancitum eſt, ut Laici fideles tantum ſub ſpecie panis communicarent,

ſeſſ. 22. de conceſſione calicis ait: *An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes ſacerdotes ſub una panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione calicis uſus, cuiquam ſit permittendus. An ſi honeſtis, & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui, vel Nationi, vel regno calicis uſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit.* Quæ verò ſint hujuſmodi conditiones, Synodus retulit in ſum̃um Pontificem, qui pro ſua ſingulari prudentia id ſtatuit, quod congruentius viſum fuerit, & ad majorem utilitatem ſpiritualem animarum. Hinc Pius IV. Anno 1564. enixim rogante Ferdinando Imperatore, quibuſdam Epiſcopis Germaniæ facultatem impertivit cōmunionem ſub utraque ſpecie permittendi in locis, ubi allatas cauſas veras eſſe cognoſcerent, quibuſdam certis conditionibus à ſe præſcriptis, quæ conceſſio Viennæ Auſtriæ ſumma cum lætitia excepta fuit, eò quia videretur inde ſpes maxima affulgere converſioni Hæreticorum, ſed non propterea propriam deſeruerunt iſti pertinaciam, imo acrius viſi ſunt contra Eccleſiam inſurrexiſſe, & quia plures inde irrepſerunt abuſus Pius V. revocavit, quidquid ea de re Pius IV. permiſerat, & conceſſerat, imò & præcepit ſub pœna excōmunicationis, ut decretum de cōmunione laicorum ſub una tantùm ſpecie ab omnibus inviolabiliter ſervaretur. Neque congruum eſſet Hæreticis noſtri temporis permittere cōmunionem ſub utraque ſpecie, quamvis vellent ad fidem Catholicam converti, quia iſti non moventur ad calicis uſum petendum ex juſta aliqua ratione, ſed ex pertinaci tantùm exiſtimatione, qua ſentiunt talem uſum eſſe à Chriſto præceptum, & ut inde habeant occaſionem Eccleſiam Catholicam carpendi, ut repugnantem Chriſti inſtitutioni, & transgredientem ejus præceptum. Hinc annuere eorum votis, perinde eſſet, ac hæreſi magis favere, & eos firmare in ſua pertinacia, & alii Hæretici magis itidem in ſuis erroribus confirmarentur, & contra Catholicos ſe jactarent Hæretici de victoria tandem delata contra Catholicos, ſibique de victoria eblandirentur. Præterea Catholici inde occaſionem haberent ſe ſcandalizandi, & calicis uſum etiam ipſi exigerent, & quia non ſint deterioris conditionis quàm Hæretici, recens ad fidem Catholicam converſi. Demum non ſervaretur in Eccleſia Catholica illa uniformitas, qua fideles in unum, eundemque cœtum ſub ſupremo uno Paſtore, & ſacerdote ſimul coeunt, & confuſio potius oriretur, quàm fidelium ullum emolumentum.

An verò hoc Sacramentum cauſet majorem gratiam ſub duplici ſpecie, quàm ſub una tantùm, videtur aliqua eſſe difficultas, & quæſtio procedit de ſpeciebus diverſæ rationis, ſcilicet panis, & vini, quibus hoc Sacramentum integratur per modum perfecti convivii ſpiritualis, non verò de pluribus ſpeciebus ejuſdem rationis, & ordinis: ſiquidem certum eſt, ſpecies ejuſdem rationis, quamvis multiplicatas, non conferre per ſe ex vi Sacramenti, majorem gratiam, quam conferret quælibet minima pars hoſtiæ conſecratæ, idque ex vi Sacramenti: quia ratione melioris diſpoſitionis ſubjecti poteſt conferri major gratia, quamobrem quæſtio procedit, an ſacerdos, qui cōmunicat ſub duplici ſpecie panis, & vini, plus gratiæ recipiat, quàm laicus, qui nonniſi ſub unica panis ſpecie cōmunicat, & aſſerimus, ſacerdotes cōmunicantes ſub duplici ſpecie panis, & vini, cæteris paribus, non plus gratiæ recipere, quàm laicum, qui ſub una tantùm ſpecie panis cōmunicat, dico cæteris paribus, quia uterque deberet æqualiter eſſe diſpoſitus, & eſt D. Thomæ *opuſcul.* 58. *cap.* 29. ubi docet tam utilem eſſe laico cōmunionem ſub una ſpecie tantùm, quàm ſacerdoti ſub utraque, & 3. *part.* 80. *art.* 12. *ad* 3. ait: Poſſe hoc Sacramentum abſque ullo detrimento ſumi ſub una tantùm ſpecie, quam ſententiam tenent communiter Thomiſtæ, & alii æquè cōmuniter, & aſſertio probatur ab aliquibus cum Salmerone: quia, ſi ſumptio utriuſque ſpeciei majoris eſſet efficaciæ, ac uberius cauſaret incrementum gratiæ, non potuiſſet Eccleſia propria authoritate privare laicos cōmunione ſub utraque ſpecie, quia Eccleſia non eſt auctrix, ſed tantum diſpenſatrix donorum Chriſti: quinimo Eccleſia egiſſet contra juſtitiam & Chriſti ſponſionem: quia non diſpenſaret legata juxta voluntatem legantis. Cùm igitur Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum debeat ſe gerere, ut fidelis diſpenſatrix bonorum, quæ Chriſtus ut parens amantiſſimus ſuis legavit filiis, non potuiſſet Eccleſia privare laicos uberiori hoc fructu ſpirituali, qui ex cōmunione utriuſque ſpeciei perciperetur: ergo ſacerdos cōmunicans ſub duplici ſpecie panis, & vini, non plus recipit gratiæ, quàm laicus cōmunicans ſub unica panis ſpecie, ex hypotheſi, quòd uterque ſit æqualiter diſpoſitus: ſed hæc ratio videtur pati aliquam difficultatem, quia potuiſſet Eccleſia propter reverentiam hujus Sacramenti, & ob morale periculum effundendi ſanguinem, vel ob alia incōmoda privare laicos aliquo fructu ſpirituali ad ſalutem non neceſſario, præſertim, cum ob hujuſmodi periculum Eccleſia privet infantes, qui alioquin capaces eſſent fructus hujus Sacramenti, & ob eandem rationem etiam privet phreneticos, & eos, qui vomitum patiuntur. Unde Eccleſia non egiſſet contra juſtitiam & Chriſti voluntatem, ſi negaſſet laicis cōmunionem ſub utraque ſpecie, quia Chriſtus reliquit ſuam voluntatem pro tempore, loco, & perſonis interpretandam Eccleſiæ.

Alii probant aſſertum ex eo, quia ſi ſacerdos cōmunicans ſub utraque ſpecie plus gratiæ reciperet, quàm laicus cōmunicans ſub una tantùm ſpecie, vel hæc inæqualitas oriretur ex ſpeciebus diverſis, vel ex re contenta ſub ipſis: ſed ex neutro capite poteſt provenire hæc inæqualitas, non ex ſpeciebus continentibus, quia ſpecies ſecundùm ſe, & ut abſtrahunt à re contenta, non habent vim productivam gratiæ, neque à re contenta ſub ſpeciebus, quia idem Chriſtus æquè totus ſumitur ſub una ac ſub utraque ſpecie: ergo ſacerdos cōmunicans ſub duplici ſpecie panis, & vini: non plus recipit gratiæ, quàm laicus, qui ſub unica tantùm panis ſpecie cōmunicat, ſi uterque ſupponatur æque diſpoſitus. Verum neque ratio hæc videtur plenè ſatisfacere, quia tantùm probat de integritate rei contentæ, non verò de integritate fructus, poteſt enim integer Chriſtus ſub una tantùm ſpecie ſumi, & nihilominus plus gratiæ accipi ſub utraque. Præterea, quia integritas effectus non dependet in Sacramento ex integritate cauſæ, ſed ex ipſa Chriſti voluntate: ſiquidem potuit Chriſtus inſtituere, ut plus gratiæ conferretur cōmunicanti ſub utraque ſpecie, quàm ſub una tantùm. Quòd ſi dicas, Chriſtum nonniſi ut determinatum, & applicatū per ſpecies ſacramentales ſenſibiles cauſare gratiam Eucharisticam, & Chriſtum æquè eſſe applicatum per unam ac per duas ſpecies, eò quia ſit totus ſub unaquaque earum, conſequenter non conferre majo-

ultimo inſtanti completivo Sacramenti. Eadem ratione poteſt tribui uni ſpeciei Evchariſticæ, quod producitur per aliam, ut etiam toti Sacramento conſtanti ex utraque ſpecie, quod fit per unam tantùm ſpeciem: eo enim ipſo, quod quælibet ſpecies integrat hoc Sacramentum cum altera, quidquid cauſatur per unam, tribui etiam poteſt alteri, ut integranti idem Sacramentum cum altera.

Objicies ſecundò, ſi ſpecies panis, & vini non cauſarent diverſas gratias, ſed unam tantùm, & eandem ſequeretur, quòd tota hæc gratia conferretur Sacerdoti in ipſa ſumptione ſpeciei panis, & ſpeciem vini non eſſe verum Sacramentum, quia non cauſaret gratiam, quam ſignificat: neque enim dici poteſt, gratiam conferri partim in ſumptione hoſtiæ, & partim in hauſtu calicis; quia non videtur poſſe ratio aſſignari, cur ſpecies panis ſumpta à laico ſtatim conferat totam ſuam gratiam, quam apta eſt conferre, non item Sacerdoti; ſed tantùm dimidiatam: ergo comunicans ſub utraque ſpecie plus gratiæ recipit, quam comunicans ſub unica tantùm; quamvis uterque cenſeatur æqualiter diſpoſitus. Sed contra, quia, tametſi in ipſa ſumptione hoſtiæ, ſeu ſpeciei panis, conferatur Sacerdoti tota gratia, non tamen inde ſequitur, ſumptionem calicis non eſſe verum Sacramentum; quia, ut ſit verum Sacramentum, non eſt neceſſe, ut gratiam actu conferat. Evchariſtia enim in pixide aſſervata eſt verum, ac reale Sacramentum; quamvis actu non cauſet gratiam: unde ad rationem Sacramenti ſufficit, ſi quantum eſt ex ſe, poſſit eam conferre ſubjecto diſpoſito: hinc quia Sacerdos in ſumptione hoſtiæ accipit totum effectum Sacramenti, in ſumptione Calicis hunc effectum non recipit ratione ſubjecti, quod non eſt diſpoſitum. Hinc etiam Laicus, ſi poſt ſumptam ejus particulam conſecratam immediatè ſumeret aliam; & poſt hanc aliam immediatè, poſt receptionem gratiæ in ſumptione primæ particulæ, non reciperet aliam gratiam, quia ſubjectum non eſſet diſpoſitum, & quia totum effectum Sacramenti recepit in ſumptione primæ particulæ. Quod ſi poſt ſumptionem unius ſpeciei vel particulæ creſceret ſubjecti diſpoſitio, vel haberetur nova diſpoſitio, tunc ratione hujus recentis diſpoſitionis Sacerdos in ſumptione Calicis novam conſequeretur gratiam. Hinc conſultius, ac utilius eſſet, ſi Sacerdos poſt ſumptam ſpeciem panis paululum immoraretur, ut per actus amoris in ſe majorem excitaret devotionem, quà ſe diſponeret ferventius ad ſumptionem Calicis, ut ratione hujus novæ diſpoſitionis novam acciperet gratiam. Ratione itidem ſacrificii, quod Sacerdos offert, gratiam itidem ſuſcipit ſpecialem, quam Laicus non recipit, quia Sacrificium non offert.

LIBER OCTAVUS.

DE

Quidditate, & proprietatibus Sacrificii.

QUia Evchariſtia in lege Evangelica non ſolùm habet rationem Sacramenti, ſed etiam Sacrificii; ſicuti in veteri lege agnus Paſchalis non ſolùm habuit rationem Sacramenti, verùm etiam Sacrificii. Evchariſtia non ſolùm inſtituta fuit, ut cætera Sacramenta in ſalutem animarum noſtrarum; verùm etiam in peculiarem Dei cultum, hac ratione eſt itidem Sacrificium, quo proteſtamur ſupremum Dei dominium, ac poteſtatem, quam habet in vitam, & mortem omnium: ideo, cùm egerimus de Evchariſtia, quatenus eſt Sacramentum, ſupereſt, ut de eadem agamus, ut eſt Sacrificium contra Novatores, nitentes hoc Sacrificium inficiari.

CAPUT I.

De Sacrificio legis naturæ.

SAcrificia legis naturæ ea ſunt, quæ ab Adamo usque ad Moyſem Deo oblata fuerunt ante legem ſcriptam; vel etiam poſt Moyſem ab eis, qui legem Moſaicam non receperunt; ſive ex ſolo naturæ inſtinctu oblata ſint, ſive ex peculiari Dei inſtitutione, cujusmodi fuerunt Sacrificia, Abel, & Cain, Noë, Abraham, Melchiſedech, Iſaac, Jacob, Job, & etiam Sacrificium agni paſchalis, quod ante legem ſcriptam juſſu Dei offerri conſueverat. In lege igitur naturæ primi, qui Sacrificia Deo obtulerunt, fuerunt Abel, & Cain, fratres, de quibus *Geneſ.* 4. dicitur: *Fuit Abel paſtor ovium, & Cain agricola, factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain verò, & munera illius non reſpexit.* Ex quo inferimus, Abelem obtuliſſe primogenita ſui gregis, & eorum adipem Deo, & Cain fratrem ſuum de fructibus terræ, ille enim erat paſtor ovium, & hic Agricola, & oblationem Abelis fuiſſe Deo gratam, non illam Caini. *Geneſ.* 8. *v.* 21. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*, ſeu Sacrificium ab Abele oblatum. Quòd ſi quæratur, undenam ſub illis

debuit. *Levit.* 11, 2. *Deuter.* 14, 3. An verò animalia, quæ tempore Noë erant munda vel immunda reſpectu Sacrificii: poſtea ſub lege Moſaica fuerunt etiam munda vel immunda reſpectu comeſtionis, plures cenſent etiam reſpectu comeſtionis fuiſſe munda vel immunda.

Aliud Sacrificium in lege naturæ fuit Abrahæ, qui erexit altare, & nomen Domini invocavit & juſſus eſt ſumere vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Et rurſus non ſolum animalia juſſus eſt offerre in Sacrificium, ſed etiam, quod difficilius proprium filium ſuum unigenitum, quamvis poſtea, eum mactare prohiberetur, & juſſus pro filio arietem occidere, cùm enim egreſſus fuiſſet è terra, & cognatione ſua, & veniſſet in terram Canaan prope Sichem, apparuit ei Dominus, *Geneſ.* 12. *v.* 7. *Apparuit autem Dominus Abraham, & dixit ei, ſemini tuo dabo terram hanc, qui ædificabit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Rurſus in monte inter Bethel & Hai, *Geneſ.* 12. *v.* 8. *Et inde tranſgrediens in monte, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai, ædificavitque quoque ibi altare Domino, & invocavit nomen ejus.* Rurſus *Geneſ.* 13. *v.* 4. *Reverſuſque eſt pariter, quo venerat à meridie in Bethel, uſque ad locum, ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai in loco altaris, quod fecerat prius, & invocavit ibi nomen Domini.* Præterea juxta convallem Mambre, quæ eſt in Hebron, *Geneſ.* 13. *v.* 18. *Movens igitur tabernaculum ſuum Abraham venit, & habitavit juxta convallem in Mambre, quæ eſt in Hebron: ædificavitque ibi altare Domino*, ex quibus conſtat, Abrahamum quoties erexit altare non ſola voce, & interna fide, ſed etiam externo Sacrificio coluiſſe, & invocaſſe Deum. Hoc idem etiam conſtat, quia altaria non ſolent in alium finem erigi, quàm ad uſum Sacrificii, excipitur tamen unus caſus, quia filii Ruben, & Gad erexerunt altare juxta Jordanem, non tam ad uſum, quàm ad ſignificationem Sacrificii, extra hunc caſum, ubicunque fuit erectum altare, ibi etiam oblatum Sacrificium. An verò Abraham erexerit altare ex terra, vel ex lapide, non poteſt definiri, ſed in lege Moyſis præceptum extitit, quo altaria nonniſi ex terra vel ex lapide, non ſecto erigerentur, *Exodi* 20. *v.* 24. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra. Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim levaveris cultrum ſuper eo, polluetur.* Hoc idem etiam legitur *Deuter.* 27. *v.* 5. *Ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus, & impollutis, & offeres ſuper eo holocauſta.* Abraham igitur erecto altari juſſus eſt ſumere vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, & turturem quoque & columbam, ut legitur *Geneſ.* 15. ut hæc omnia animalia in Sacrificium offerret Deo. An verò etiam ratione fœderis cum Deo inibi plures affirmant. Præter hæc animalia juſſus etiam fuit Abraham, offerre in Sacrificium filium ſuum unigenitum, quamvis poſtea prohiberetur filium occidere, & loco illius arietem, ut habetur *Geneſ.* 22, & hæc oblatio proprii filii in Sacrificium, illuſtris fuit figura oblationis Chriſti in cruce, ut notavit D. Auguſtinus *ſerm.* 71. quia ſicut Abraham obtulit filium ſuum unigenitum Iſaac, quem maximè diligebat, ita Deus Pater obtulit unigenitum filium ſuum Chriſtum, Joann. 3. *v.* 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Hinc Auguſtinus *ſerm.* 71. *de tempore* ait: *Abraham quando Iſaac filium ſuum obtulit, typum habuit Dei Patris, Iſaac verò typum geſſit Domini Salvatoris.* Rurſus ſicut Iſaac typum geſſit Domini Salvatoris, & fuit obediens ſuo Patri in re omnium difficillima, ita Chriſtus æterno Patri obedivit in morte pro humano genere ſubeundo: & ſicut Iſaac propriis humeris portavit ligna holocauſti, ita Chriſtus ductus ad verticem Calvariæ montis portavit lignum crucis: & ſicut Iſaac, cum ad altare veniſſet, non erat mactatus, ſed aries pro ipſo ſubſtitutus: ita Chriſtus ſecundùm Divinitatem non fuit paſſus, ſed huic fuit humanitas ſubſtituta, quæ mortem ſubivit, ut generi humano vitam impertiret, ut interpretatur Auguſtinus, inquiens: *In beato Iſaac ſignificata eſt Divinitas, in ariete verò humanitas Chriſti.* Quod ſi Iſaac alligatus fuerat, & poſitus ſuper ſtruem lignorum, ita etiam Chriſtus fuerat cruci alligatus.

Aliud Sacrificium in lege naturæ legitur oblatum à Melchiſedech *Geneſ.* 14. *v.* 18. *At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt*, ex quibus tria inferuntur, ſcilicet Melchiſedechum fuiſſe ſacerdotem Dei altiſſimi; obtuliſſe panem & vinum in Sacrificium, idque in gratiarum actionem pro victoria delata ab Abrahamo, & ea oblatione præfiguraſſe Sacrificium Chriſti, quod in ultima cœna ſub ſpecie panis & vini peractum eſt. Et hac ratione Chriſtum in ſcripturis vocari ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, non verò ſecundum ordinem Aaronis, quia Chriſtus in ultima cœna obtulit panem & vinum in Sacrificium, quod propterea non fuit cruentum ex animalibus, ſicut fuerunt Sacrificia Aaronica, ſed incruentum ſub ſpeciebus panis & vini. Quòd Melchiſedech fuerit ſacerdos, & Rex, omnes fatentur, & aperte id ſignificant verba Moyſis, dicentis, *Geneſ.* 14. *At verò Melchiſedech Rex Salem*, & etiam Apoſtolus *ad Hebr.* 7. ait: *Melchiſedech Rex Salem eſt Sacerdos Dei ſummi.* Hæretici tamen negant, Melchiſedechum obtuliſſe panem & vinum in Sacrificium, proinde non geſſiſſe typum Chriſti offerentis Eucharitiam. Calvinus tamen vult, Melchiſedechum protuliſſe panem & vinum non in typum Sacrificii, ſed in refectionem Abrahami, & ſociorum ejus, qui defatigati ex prælio revertebantur fame preſſi. Verum hæc Calvini ſententia adverſatur omnibus Sanctis Patribus, aſſerentibus Melchiſedechum obtuliſſe panem & vinum in uſum Sacrificii, etenim Clemens Alexandrinus *Lib.* 4. *ſtromat. cap.* 8. ait: *Melchiſedech Rex Salem, ſacerdos Dei altiſſimi, qui panem & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ.* Non enim poterat clariùs aſſerere, neque Melchiſedech obtulit panem & vinum profanum, ſed ſanctificatum, nec aliter quàm per Sacrificiū; ac proinde Sacrificium Melchiſedech typus & figura fuit Euchariſtiæ. S. Cyprianus *Lib.* 2. *epiſt.* 3. *ad Cæcilium* ait: *In ſacerdote Melchiſedech Sacrificii dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod ſcriptura divina teſtatur, & dicit, Melchiſedech protulit panem & vinum.* D. Hieronymus *epiſt. ad Marcel.* ait: *Recurre ad Geneſin, & Melchiſedech regem Salem hujus principem invenies civitatis (Bethlehem) qui jam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Salvatoris corpore & ſanguine dedicavit.*

agnus, quàm panis & vinum, unde ex hac parte difficilius Apoſtolus ſuaviſſet Hebræis, Sacerdotium Melchiſedechi fuiſſe excellentius Aaronico.

Sed inſtabis, quia oblatio panis & vini fuit etiam uſitata in Sacrificiis Aaronicis, & non tantùm in Sacrificio Melchiſedechi; propterea ob hanc oblationem non minus Aaron, quàm Melchiſedech fuit figura Chriſti. Sed contra, quia panis & vini oblatio in Sacerdotio Aaronico non fuit principale, quod offerebatur, ſed tantum acceſſorium, & minus principale, ſecus in Sacerdotio Melchiſedech oblatio panis & vini erat principale, & integrum, quod in Sacrificio offerebatur, quia non legitur, Melchiſedech quid aliud obtuliſſe, ſed non erat principale & integrum in Sacrificio Aaronis, & quando inſtituitur collatio inter Sacrificia, debet collatio fieri inter principale, & integrum, non verò in aliquo minus principali. In Sacerdotio Aaronico principale, quod offerebatur, conſtabat ex animalibus, & in Sacerdotio Melchiſedechi in oblatione panis, & vini, propterea fuit Melchiſedech figura Chriſti inſtituentis Sacrificium novæ legis: quia ſicut Melchiſedech obtulit panem & vinum ſine animalibus, ita Chriſtus in ultima Cœna obtulit ſuam carnem & ſangvinem ſub ſpeciebus panis & vini, abſque oblatione animalium.

Alia Sacrificia legis naturæ fuerunt Iſaac, Jacob, & Job. Siquidem Iſaac ſemel tantum legitur Sacrificium obtuliſſe in Berſabee, *Geneſ. 26. v. 23. Aſcendit autem ex illo loco in Berſabee, ubi apparuit ei Dominus in ipſa nocte, dicens: Ego ſum Deus Abraham Patris tui: noli timere, quia ego tecum ſum; benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſervum meum Abraham, itaque ædificavit ibi altare, & invocato nomine Domini extendit tabernaculum,* ex quibus conſtat, Deum promiſiſſe Iſaaco ſuam protectionem, & benedictionem, ac multiplicationem poſterorum, & Iſaacum pro hac promiſſione ædificâſſe altare, & Sacrificium obtuliſſe in ſignum ſuæ gratitudinis, Jacob verò legitur pluries ſacrificâſſe in monte Galaat, *Geneſ. 21. v. 53.* Juxta Oppidum Sichem, *Geneſ. 33. v. 20.* In Bethel, *Geneſ. 35. v. 7.* Et iterum in eodem loco, *Geneſ. 35. v. 13.* Et tandem ad puteum juramenti, *Geneſ. 49. v. 1.* quæ omnia Sacrificia conſtat fuiſſe Evchariſtica pro diverſis beneficiis à Deo acceptis, ſiquidem Jacob, quoties à Deo novum aliquod accipiebat beneficium, ſtatim pro gratiarum actione ei Sacrificium offerebat, hinc in monte Galaat obtulit Sacrificium pro felici compoſitione litis, quæ inter ipſum & Laban orta erat, prope oppidum Sichem, eò quia in itinere redux ex Meſopotamia Syriæ iram evaſiſſet fratris ſui Eſau, In Bethel ob eandem cauſam, & iterum pro promiſſione futuri ſeminis, & benedictionis à Deo impertitæ. Et tandem ad Puteum juramenti, eò quia intellexerit filium ſuum Joſeph, quem putaverat mortuum, adhuc vivere, ac dominari in Ægypto. Job itidem in lege naturæ Sacrificium obtulit, ut legitur *Job. 1. v. 4. Ibant filii ejus, & faciebant convivium per Domos, unusquisque in die ſuo. Cumque in orbem tranſiiſſent dies convivii, mittebat ad illos Job, & ſanctificabat illos, conſurgensque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis, dicebat enim, ne forte peccaverint filii mei, ſic faciebat Job cunctis diebus:* Ex quibus conſtat præparatio ante Sacrificium, ipſum Sacrificium, & cauſa ipſius: præparatio ſignificatur per illa verba, *ſanctificabat illos*, Sacrificium deſignatur per verba illa: *offerebat holocauſta pro ſingulis*, ſcilicet præmiſſa ſanctificatione: ſicut enim Sacrificium eſt triplex, legis naturæ, Moſaicæ, & gratiæ, ita triplex eſt ſanctificatio, quæ conſuevit præcedere Sacrificium, una in lege naturæ, altera in lege Moſaica; de qua intelligitur illud 1. *Regum 16. cap 5. Ad immolandum Domino veni: ſanctificamini, & venite mecum, ut immolem, ſanctificavit ergo Iſai, & filios ejus, & vocavit ad Sacrificium.* Tertia in lege gratiæ, ſeu Evangelii, de qua Apoſtolus 1. *Corinth. 11.* ait: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Prima autem ſanctificatio, quæ fiebat in lege naturæ, qualis fuit illa filiorum Job, fiebat juxta dictamen rectæ rationis ex divino inſtinctu; ſecunda, quæ erat Judæorum ex præſcripto legis Moſaicæ, & conſiſtebat in ablutione veſtimentorum, in abſtinentia ab immundis, & præſertim à mulieribus, ut patet *Exodi 9. v. 10. Levit. cap. 22. v. 4.* Tertia benedictio, quæ eſt Chriſtianorum, fit ex præſcripto Chriſti, & conſiſtit in diligenti examine conſcientiæ, munditia cordis, & expiatione peccatorum per contritionem, ut habetur 1. *Corinth. 11. v. 28.* Finis vero Sacrificii Job fuit, ne filii, & filiæ ejus peccarent, *ne forte peccaverint filii mei*, quapropter Sacrificium Jobi fuit propitiatorium.

Sacrificium Agni Paſchalis, cùm à Deo fuerit inſtitutum paulò ante, quàm filii Iſrael egrederentur ex Ægypto, & primò cœpit celebrari pridiè egreſſionis ad veſperam cum divino mandato, ut quot annis primo menſe die 14. menſis ad veſperam repeteretur. Quod verò in hoc Sacrificio offerebatur, debuit eſſe agnus, qui tres haberet conditiones, ut eſſet maſculus, anniculus, ſeu unius tantùm anni, & ſine macula, ſcilicet ſanus, & integer, non morbidus, ac vitioſus, idque patet ex illo *Exodi 12. v. 3. Decima die menſis hujus paret unusquisque agnum per familias, & domos ſuas. Erit autem agnus abſque macula, maſculus, & anniculus.* Maculæ autem erant cæcitas cicatrix, claudicas, ſcabies; quæ arcebantur à Sacrificio. Neque licitum erat, loco agni aliud immolare, niſi hœdum, qui pariter debuit eſſe maſculus anniculus ſine macula. Sic enim legimus *Exodi 12. v. 5. Erit autem agnus abſque macula, anniculus, maſculus, juxta quem ritum tolletis & hœdum.*

Sed objici poteſt illud *Devter. 16. v. 2. Immolabis phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*: ex quo textu videtur, licitum fuiſſe præter agnum, & hœdum, etiam bovem, & vitulum immolare, & offerre in Sacrificium, ſed contra, quia nomen phaſe dupliciter ſumi ſolet: Primo propriè, ac ſtrictè pro agno paſchali, qui quot annis immolabatur decimo quarto die Menſis primi ad veſperam: & in hoc ſenſu non erat licitum pro agno immolari aliud animal, niſi hœdum. Secundò ſumitur phaſe impropriè & laxè pro hoſtiis pacificis, quæ perſeverante ſolemnitate paſchali offerebantur diebus azymorum, qui ſequebantur veſperam & immolationem agni paſchalis: & hujusmodi hoſtiæ poterant ſumi etiam ex bobus & vitulis, & in hoc ſenſu intelligitur textus depromptus ex Devter. ut etiam habetur *Numer. 28. v. 16.* unde per agnum paſchalem etiam intelligebantur, ſed laxe, victimæ illius ſolemnitatis, quæ in ſcriptura phaſe vocantur: quapropter explicatur illud *Joan. 18. v. 28. Erat autem manè, & ipſi non introierunt*

ut etiam Saul ob eandem cauſam à Deo fuit regno ſpoliatur, 1. *Reg. cap.* 13. Sin verò quæratur, quinam in ſtatu legis naturæ fuerint ſacerdotes, reſpondetur, reſpectu Sacrificii agni paſchalis fuiſſe omnes Patresfamilias, qui legitimè poterant offerre, ac reſpectu illius Sacrificii erant ſacerdotes. Sin verò ſpectentur alia Sacrificia, quæ in lege naturæ offerebantur, plures exiſtimant, à primogenitis, veluti ordinariis ſacerdotibus, offerri conſueviſſe, quod tamen non ita generatim ſumitur, ut ſoli primogeniti officio ſacerdotali fungerentur, quia aliquando etiam alii, qui non erant primogeniti, ut Abel, Abraham, & alii Sacrificium obtulerunt Domino Deo, idque ex ſpeciali Dei inſtinctu, alioquin primogeniti erant ſimul reges, & ſacerdotes.

CAPUT II.

De Sacrificiis Legis Moſaicæ.

SAcrificia legis Moſaicæ ſimpliciter dividuntur. Primò ratione materiæ dividebantur in victimas, immolationes, & libamina. Secundò ratione formæ, ac finis in holocauſta: hoſtias pacificas, & hoſtias pro peccatis. Tertiò ratione temporis in plura alia Sacrificia, quæ in quibusdam ſolennitatibus offerebantur. Ratione materiæ, triplex hæc fuit à Deo deſignata, quæ in Sacrificiis Judæorum offerri poterat, ſcilicet animalia, ut oves, capræ, hœdi, boves, vituli, & ex avibus columbæ, turtures, paſſeres, hæc omnia animalia offerri poterant. Rurſus præter animalia poterant etiam offerri fructus terræ, ut panis, ſimila, ſal, thus, manipulus ſpicarum viventium, & triticum. Præter fructus poterant etiam offerri liquores, ut ſangvis animalium, vinum, oleum, aqua; & hæc omnia ratione materiæ. Quando igitur in Sacrificiis offerebantur animalia, vocabantur Sacrificia hoſtiæ, vel victimæ. Quando offerebantur fructus, dicebantur immutationes; & quando liquores, vocabantur libamina, adeo ut, ratione materiæ, diverſas ſortirentur nomenclationes. Modus offerendi hæc omnia, erat diverſus: animalia enim offerebantur mactatione, & combuſtione; fructus terræ immutatione, & liquores effuſione. Rurſus immutatio fructuum erat diverſa, & varia, panis enim in plura fruſta diſſecabatur, ſimila ſartagine, clibano, vel craticula coquebatur; ſal urebatur, & thus adolebatur, manipulus ſpicarum torrebatur, & triticum conterebatur. Quod ſi quæratur, cur alia animalia, nec alios fructus, neque liquores liceret offerre in Sacrificiis legis Moſaicæ, quàm prærecenſita; ſiquidem ſunt alia plura præſtantiora, & meliora; & Deo offerenda ſunt meliora, ut præſtitit Abel, cujus Sacrificium propterea fuit Deo gratum, quia Abel primogenita, & præſtantiora, ac pingviora ex ſuo grege obtulit: Cain vero deteriora, cujus propterea Sacrificium non fuit Deo gratum, quia non obtulit de primitiis frugum. Reſpondetur, non poſſe pro lege Moſaica aliam rationem aſſignari, quàm ipſam voluntatem Dei Legiſlatoris, potuiſſe plura alia tam de animantibus, quàm de frugibus, ac liquoribus admittere, & permittere offerenda in Sacrificiis, ſed voluit illa tantùm præſcribere, non ob aliam rationem, niſi quia voluit: ſicut potuiſſet in mundo condendo plures alias reddere creaturas jam conditis, & voluit, quia ipſe eſt ſupremus Dominus. *& omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra*, & ita reſpondet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 103.

A forma, ac fine tripliciter itidem dividebatur Sacrificium in lege Moſaica, ſcilicet in holocauſtum, Sacrificium pro peccato, & in hoſtiam pacificam. Holocauſtum erat Sacrificium cæteris perfectius, quia in illo tota res oblata cremabatur, & in fumum ſoluta ſurſum ad Deum, cui offerebatur, aſcendebat, adeo ut ex re oblata nihil in terris ſupereſſet in uſum hominis: per hoc enim holocauſtum ſignificabatur pleniſſimum, ac diſpoſitum Dei Dominium in res omnes, quæ ſicut à Deo fuerunt conditæ, ita & diſpoſitio, ac pleniſſimo ejus ſubjiciuntur Dominio, propterea ſunt res omnes ad ipſius honorem referendæ, ad quem propterea finem inſtitutum fuit hoc Sacrificii genus, quamvis interdum etiam pro peccato populi, & ſacerdotum offerretur. In Sacrificio pro peccatis res oblata partim comburebatur: & partim cedebat in uſum ſacerdotum, qui in atrio templi illam comedebant; & per hoc ſignificabatur, ut explicat D. Thomas, quod tametſi expiatio peccatum ſit à Deo, ſit tamen in terris per miniſteria ſacerdotum. Hoc Sacrificii genus inſtitutum fuit pro expiandis quibusdam peccatis externis, ut etiam pro peccatis commiſſis per ignorantiam, vel etiam negligentiam circa ritus, & cæremonias legis Moſaicæ, ut habetur *Levit.* 4. & 5. ut etiam pro peccato furti, perjurii, & calumniæ, *Levit.* 6 & 7. Rurſus ſicut diverſæ erant perſonæ, & diverſa peccata, diverſa itidem erant Sacrificia pro peccatis, aliud enim offerebatur pro perjurio, aliud pro aliis peccatis: ut etiam aliud pro Pontifice, & aliud pro rege, aliud pro univerſa Synagoga; & aliud pro privatis perſonis. In Sacrificio hoſtiæ pacificæ offerebatur res in gratiarum actionem pro beneficiis à Deo bonorum omnium largitore ſuſceptis, ut etiam pro impetrandis aliis beneficiis; & hæc hoſtia pacifica dividebatur in tres partes, quarum prima comburebatur in honorem Dei; ſecunda cedebat in uſum ſacerdotum; & tertia in uſum offerentium; & per hoc ſignificabatur, quòd ſalus hominum unicè dependeat à Deo, à quo in homines derivatur per directionem ſacerdotum, & cooperationem illius, qui ſalutem conſequitur, aſſerente D. Auguſtino, *qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, requiritur, ut cooperemur divinæ gratiæ. Dividebatur itidem Sacrificium in Latreuticum, Evchariſticum, Impetratorium, & Propitiatorium. Fiebat Sacrificium Latreuticum ad Deum colendum cultu Latriæ, qui ſoli Deo debetur, & per tale Sacrificium proteſtabatur, quomodo Deus erat ſupremus omnium Princeps, & nos ejus famuli: Evchariſticum fiebat in gratiarum actionem pro ſuſceptis beneficiis. Impetratorium pro beneficiis accipiendis, & utrumque in veteri lege hoſtia pacifica. Sacrificium propitiatorium eſt, quod offertur pro peccatorum pœnis avertendis, quod coincidit cum Sacrificio pro peccatis, adeo ut hæc diviſio coincidat cum præcedente.

Inter hæc tamen Sacrificia legis Moſaicæ ſi conferantur inter ſe, primum locum, ut notat D. Thomas *quæſt.* 102. *art.* 3. *ad* 8. obtinet Holo-

propitiatus fuit peccato populi vitulo aureo cultum exhibenti. 7. Scenopegia, seu festum tabernaculorum in memoriam suscepti beneficii, quo DEUS voluit Judæos habitare in tabernaculis, quando egressi ex Ægypto versabantur in solitudine. Hoc festum fuit solemne apud Judæos, quia tunc sicut in festo paschæ, & Pentecostes omnes masculini sexus jubebantur venire in Hierusalem, juxta illud *Deuter.* 16.16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei sui in loco, quem elegerit, in solemnitate azymorum in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.* 8. Solemnitas fuit festum cœtus, seu Collectæ, in quo populus colligebat, quæ necessaria erant ad expensas cultus divini, & significabatur adunatio populi, & pax præstita in terra promissionis. Ex istis solemnitatibus quatuor posteriores seu festum tuborum, Expiationis, Tabernaculorum, & collectarum incidebant in mensem septimum anni, quia sicut dies septimus ita & mensis septimus, ut etiam annus septimus apud Judæos erat in honore; & primus dies hujus septimi mensis duo habebat festa, unum Neomeniæ, quod erat illi commune cum aliis mensibus, & alterum tubarum, quod erat illi speciale. Decimo die erat festum expiationis: Decimo quinto incipiebat Scenopegia, seu festum tabernaculorum, quod protrahebatur per septem sequentes dies. Et vigesimo secundo die erat festum collectæ, ut etiam notat D. Thomas 1.2. *quæst.*101. *art.* 4. ad 10. Sacrificium Sabbathi habetur *Numer.* 28. *v.* 9. *die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & libamina* quæ ritè funguntur per singula Sabbatha in holocaustum sempiternum. Sacrificium Neomæniæ habetur *Numer.* 28. *v.*7. ubi describitur, ut etiam Sacrificium paschæ, & azymorum *ibid. v.* 16. Sacrificium verò Pentecostes describitur *Levit.* 23. *v.* 25. ut etiam Sacrificium in festo tubarum *ibid. v.* 24. ubi dicitur: *Mense septimo prima die mensis erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus tubis, & offeretis holocaustum Domino.* Notandum in festo tubarum tria fuisse Sacrificia offerenda, unum ratione festi tubarum, aliud ratione Neomeniæ, & tertium juge Sacrificium, quod singulis diebus offerebatur, & hoc ostendit scriptura *Numer.* 29. *Præter holocaustum Kalendarum cum Sacrificiis suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis.* Sacrificium, quod offerebatur festo expiationis, describitur *Levit.* 23. & 27. ubi dicitur, *decima die mensis septimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino.* Holocaustum autem describitur *Numer.* 29. *v.* 7. Sacrificium Scenopegiæ, seu tabernaculorum describitur *Levit.* 23. *v.* 24. ubi dicitur: *A quinto decimo die mensis septimi erunt feria tabernaculorum septem diebus Domino, septem diebus offeretis holocausta Domino,* & hæc holocausta describuntur *Numer.* 29. *v.* 13. Et in hisce septem diebus omnia sacrificia cum vitulis, quia primo die offerebantur tredecim vituli, secundo duodecim. Tertiò undecim. Quarto decem. Quinto novem, sexto octo, & septimo septem. Nec soli vituli offerebantur, sed etiam singulis diebus duo arietes, & quatuordecim agni, hircus pro peccato, & etiam juge Sacrificium. Tandem Sacrificium collectæ, seu cœtus, quod celebrabatur octavo die post septem dies tabernaculorum, describitur *Levit.* 23. *v.* 36. his verbis: *Dies quoque octavus erit celeberrimus, & offeretis holocaustum Domino, est enim cœtus, atque collecta.* Et *Numer.* 29. *v.* 35. dicitur: *die octavo offeretis vitulum unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem, & sacrifitia, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos ritè celebrabitis, & hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus, & libamine,* & subditur: *Hoc offeretis Domino in solemnitatibus vestris præter vota, & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine & in hostiis pacificis,* ex quibus constat duo fuisse in veteri lege genera sacrificiorum, alia enim erant necessaria ex præscripto legis, & alia voluntaria ex arbitrio, & devotione offerentium.

Quia verò hæc sacrificia non fiebant à Sacerdotibus sine igne, juvat observare circa hunc ignem, primò fuisse à DEO cœlitus datum: siquidem consumpsit primum Sacrificium, quod obtulit Aaron in deserto, postquam Sacerdos à Moyse consecratus est, quod contigit anno secundo egressionis Filiorum Israel ex Ægypto, *Levit.* 9. *v.* 24. *Apparuit gloria Domini omni multitudini; & ecce, egressus ignis à Domino devoravit holocaustum, & adipes, qui erant super altaria, quod cum vidissent turba, laudaverunt Dominum ruentes in facies suas.* Secundò, debuisse hunc ignem perpetuo enutriri, & conservari à Sacerdotibus, ne unquam in altari deficeret, *Levit.* 6. *v.* 12. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies.* Et infra: *Ignis est perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Tertiò non potuisse Sacerdotes uti alio igne in Sacrificiis, *Levit.* 10. *v.* 1. *Arreptisque Nabath, & Abiu Filii Aaron thuribulis posuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum noverat, egressusque ignis à Domino devoravit eos. & mortui sunt coram Domino.* Quartò hunc ignem à secundo anno egressionis ex Ægypto, quæ cœlitus datus fuit, jugiter conservatum fuisse in altari tabernaculi usque ad tempus captivitatis Babylonicæ, quo & templum incensum est, & Judæi in Babylonem adducti sunt. Tunc enim in quodam puteo à Sacerdotibus absconditus fuit, ut legitur 2. *Machabæor. cap.* 1. *v.* 19. *Cum in Persidem ducerentur Patres nostri Sacerdotes, qui tunc cultores DEI erant, acceptum ignem de altari occultè, absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut ignotus esset locus.* Ex quo infertur hunc ignem toto tempore, quod præcessit captivitatem, toties mutâsse locum, quoties tabernaculum cum altari translatum est, de loco in locum. Rursus hunc ignem per triginta novem annos custoditum, & servatum fuisse in solitudine, & cùm filii Israël trajecissent postea Jordanem, & venissent in terram promissionis, fuisse successivè in variis locis, in Galgala, in Silo, in Nobe, in Gabaon, in Hierusalem, ædificato jam Salomonis templo ibi mansit usque ad captivitatem Babylonicam, & rursus soluta captivitate jussu Nehemiæ à Nepotibus eorum Sacerdotum, qui illum in puteum absconderant, quæsitum fuisse, & minimè inventum, quia pro igne aqua crassa inventa fuit, quæ tamen injecta in oblatum Sacrificium divinitus conversa est in ignem, ut habetur 2. *Machabæor. Cum præteriissent anni multi, & placuit DEO, ut mitteretur Nehemias à Rege Persidis Nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam, & jussit eos haurire, & adferre sibi: & sacrificia, quæ imposita erant, Sacerdos Nehemias aspergit ipsa aqua, & ligna quæ erant superposita. Utque hoc factum est, & tempus adfuit, quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis* magnus

magnus, ita ut omnes mirarentur. Et dies iste, quo ignis fuit divinitus reaccensus, habitus fuit à Judæis in posterum solemnis, ut festum dati ignis vocaretur; & deinceps in secundo templo eodem igne usi fuerunt in sacrificiis. In hoc autem igne tria notanda sunt: Primò quod datus fuerit à Deo; secundò, quòd illo solo, & non alio licuerit uti in sacrificiis. Tertiò quod cùm fuisset extinctus in puteo, ex aqua crassa per Sacerdotum ministeria non sine magno miraculo recuperatus sit; quæ tria mysterium continent, ex primo enim discimus ignem illum, quo nos in novo testamento sacrificium perficimus, esse divinitus datum, nec quid aliud esse hunc ignem, quàm ipsum fervorem charitatis, quo tenemur accedere ad sacrosanctum sacrificium altaris. Secundò quia nullum sacrificium est DEO gratum sine hoc igne Charitatis, ut scribit Apostolus 1. *Corinth. cap.* 13. *v.* 3. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Tertiò hunc ignem charitatis aliquando in nobis tepescere, imò & totaliter extingui per peccatum lethale, quod se habet instar aquæ crassæ, sed postea accedente absolutione Sacerdotali iterum reviviscere, & recuperari.

CAPUT III.

De sacrificio novæ legis, & an Eucharistia sit verum, & propriè dictum sacrificium.

IN lege evangelica duplex est sacrificium: unum cruentum, quo Christus in ara crucis pro expiandis peccatis humani generis, & redemptione hominum Deo Patri oblatus est. Alterum incruentum, quo idem Christus quotidie à Sacerdotibus sub speciebus panis, & vini offertur in altari partim in memoriam cruenti illius sacrificii, & partim ob alias causas, & utrumque Sacrificium potest spectari, primò quoad rem oblatam, & sic non sunt duo, sed unum tantùm, quia in utroque est una, & eadem res oblata, scilicet Christus Dominus. Secundò quoad modum, & ritum offerendi, & hoc pacto sunt duo Sacrificia, quia in primo Christus oblatus est cruento modo, & sub propria specie humana per realem sui occisionem, & propterea primum sacrificium cruentum fuit: in secundo verò incruento modo offertur æterno Patri Christus Dominus sub aliena specie, scilicet panis, & vini, sine reali Christi occisione. Et utrumque Sacrificium est veluti primarium prototypon, ad quod præfigurandum omnia alia Sacrificia tam Mosaica, quàm legis naturæ ordinabantur, quia omnia illa Sacrificia fuerunt figuræ Sacrificii legis evangelicæ, cùm dicat Apostolus. 1. *Corinth.* 10. *v.* 11. *Hæc omnia in figuris contingebant eis; & ad Hebræ.* 10. *v.* 1. *Lex habuit umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem.*

In Sacrificio cruento, quo Christus in cruce oblatus est, multa spectari possunt. Primò quod res oblata fuerit unigenitus DEI filius. Secundò quòd à Patre oblatus fuerit in mortem. Tertiò quòd Patri obsequentissimus mortem obivit, quæ tria fuerunt præfigurata in Abrahæ Sacrificio in lege naturæ; obtulit enim unigenitum filium suum Isaac. Quartò quòd re ipsa Christus occisus fuerit; & hoc significant omnia illa Sacrificia legis Mosaicæ, quæ fiebant ex animalibus. Quintò quod effusione sanguinis liberaverit nos à servitute Diaboli, & id significat sanguis agni paschalis, qui super postes domorum aspersus, liberavit filios Israël à servitute Pharaonis. Sextò quod suo sanguine mundaverit nos à peccatis nostris; & hoc significat sanguis hircorum, & aliorum animalium, qui effundebatur in Sacrificiis veteris legis, unde Apostolus ad *Hebr.* 9. *v.* 13. *Si enim Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus iniquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* Septimo quod innocens occisus sit; & hoc significat mactatio agni paschalis, ut prædixerat *Isaias cap.* 53. *v.* 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Octavò, quod licet innocens fuerit, tamen cum nocentibus & latronibus deputatus est; & hoc significat hircus, qui loco agni paschalis offerri poterat: est enim hircus animal fœtidum. Nonò, quod crura ejus non sint fracta, & hoc significat agnus paschalis, de quo scriptum est, *Exodi* 12. *v.* 46. *Os non comminuetis ex eo.* Decimo, quòd se totum Patri obtulerit, nulla parte sibi reservata, & id significant omnia holocausta veteris legis, in quibus tota victima absumebatur.

In Sacrificio itidem incruento legis evangelicæ plura interveniunt, quæ præfigurata fuerunt per Sacrificia veteris legis. Primò quia Sacrificium incruentum in Ecclesia quotidie offertur in missa: & hoc præfiguravit juge Sacrificium, quod in lege Moysis singulis diebus offerebatur mane, & vespere. Secundò quòd caro Christi verè & realiter comedatur in Sacrificio hoc incruento, *Joan.* 6. *v.* 55. *Caro mea verè est cibus*: & hoc præfiguravit Sacrificium Melchisedech, qui panem obtulit, & vinum. Quartò quia comedentes ex hoc Sacrificio debent esse à quavis peccati lethalis macula mundati, ac puri, ne indignè accedentes panis vitæ sit illis causa mortis, ut scribit Apostolus 1. *Corinth.* 11. *v.* 29. *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*; & hoc significat Sanctificatio filiorum Job. Quintò, quòd comedentes de hoc Sacrificio incruento debeant verè conteri, & dolorem de peccatis anteactæ vitæ habere, ut ait Apostolus 1. *Corinth.* 11. *v.* 28. *probet autem se ipsum homo*; & hoc præfigurarunt lactucæ agrestes, quas in esu agni paschalis comedebant Judæi. Sextò quia participante, de hoc Sacrificio incruento debeant parati esse ad currendam viam mandatorum Dei, & tendere ad cœlestia; & hoc præsignificarunt Judæi, qui accincti lumbis, & calceati, cum baculis in manibus, festinanter comederunt agnum paschalem.

Oblationem, & mortem JEsu Christi in cruce fuisse verum Sacrificium, testatur Apostolus ad Hebræos per plura capita, ut etiam omnes Sancti Patres cum D. Augustino *lib.* 1. *contra adversarium legis & Prophetarum, cap.* 18. Neque de hoc ullus ex Christianis unquam dubitavit, siquidem ad Sacrificium verum & proprium quinque requiruntur, Sacerdos, qui offerat; victima seu hostia, quæ offeratur; immutatio victimæ oblatæ; altare, in quo fiat oblatio; & finis propter quem fiat: hæc autem omnia concurrunt in oblatione, & morte JESU Christi, quia ipse fuit verus Sacerdos, imo & summus Sacerdos, seu Pon-

Pontifex secundum ordinem Melchisedech, ut ait Apostolus *ad Hebr. 5. v. 5.* Secundo quia ita fuit Sacerdos, ut simul fuerit etiam victima, *1. Corinth. 5. v. 7. Pascha nostrum immolatus est Christus*, obtulit enim se ipsum, *ad Ephes. 4. v. 2. Christus tradidit se ipsum pro nobis in oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Tertiò obtulit se in mortem, *ad Philip. 2. v. 8. Factus est obediens usque ad mortem.* Quarto obtulit se in ara crucis. Quintò etiam se obtulit in sacrificium propitiatorium pro peccatis nostris, *1. Joan. 2. v. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Unde de hoc sacrificio dixit Leo Papa *epist. cap. 84. Quod unquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit?* Verum quia in Christo duæ sunt naturæ, divina, & humana, quæritur, an secundùm unam, & eandem naturam fuerit simul Sacerdos, & victima? non desunt ex Hæreticis, qui asserunt, fuisse tantùm Sacerdotem secundum divinitatem, & victimam secundùm humanitatem, sed Sancti Patres, & Ecclesia Catholica asserunt, fuisse Sacerdotem, & victimam simul secundùm humanitatem, unde D. Ambrosius *lib. 3. de fide cap. 5.* ait: *Idem Sacerdos, idem & hostia, Sacerdotium tamen & sacrificium humanæ conditionis est officium*, & nonnullis interjectis subdit: *Nemo ergo ubi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi jus divinitatis adscribat*, & communiter aliter Sancti Patres hoc idem adstruunt, præsertim Fulgentius *lib. de fide ad Petrum: Solus Sacerdos sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundùm rationem servi.* Quomodo verò Christus secundum humanitatem fuerit simul Sacerdos, & victima, cùm se ipsum non mactaverit; respondetur: quod tametsi se ipsum non interfecerit physicè, tamen moraliter se ipsum mactavit, quatenus voluntariè suscepit passionem, & in sacrificium se Deo obtulit: *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Quòd si dicas, hoc idem præstitisse Martyres, qui tamen Sacerdotes non fuerunt, respondetur esse discrimen, quia Christus adeo voluntariè mortem suscepit, ut posset eam declinare, si vellet, quod Martyres non possunt. Secundò quia Christus à Deo constitutus est, & consecratus, ut tali pacto se offerret pro peccatis totius mundi, non ita Martyres, quapropter Leo Papa *epist c. 4.* scribit: *Quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi*, quia Martyres non ideo voluntariè se in mortem obtulerunt, ut expiarent aliorum peccata, quod solus Christus præstitit, sed ut profiterentur fidem in Christum, qui sua morte sufficienter satisfecit pro peccatis totius mundi.

Major difficultas est, an Eucharistia in missa sit verum, & propriè sacrificium; quia sacrificium ex eo dicitur, quia per ipsum fiat aliquid sacrum, ideo dupliciter sumi potest, laxè, & strictè, seu impropriè, & propriè; priori modo omne opus bonum, si fiat ob DEI majorem gloriam, dicitur laxè sacrificium, in quo sensu *ecclesiastici 35.* dicitur: *Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate; & qui facit misericordiam, offert sacrificium.* Hinc Augustinus *lib. 10. de civit. DEI cap. 6.* ait: *Verum sacrificium est, omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus DEO.* Sacrificium verò propriè, & strictè sumptum distingui ab operibus misericordiæ asserit scriptura *Osea 6.* ubi DEUS ait: *Quia misericordiam, volo, & non sacrificium, & scientiam DEI, plus quàm holocausta.* Hinc etiam. *1. Reg. cap. 15.* habetur: *Melior est obedientia, quàm victima*, ex quibus claret sacrificium propriè sumptùm distingui ab operibus misericordiæ, & aliarum virtutum; an verò detur in Ecclesia verum, & proprium sacrificium, & hoc habeatur in missa, est controversia inter Catholicos, & Hæreticos, qui hoc nomen *missa* reprobant tanquam barbarum, & novum, tametsi ab omnibus catholicis à primis ecclesiæ temporibus usurpatum, & retentum semper fuerit: quod enim hoc nomen non sit novum, ex eo claret, quia antiquissimi Patres, & Pontifices illud usurparunt, ut Clemens Romanus anno 102. *epist. 3.* Eucharistus anno 112. Alexander I. qui post D. Petrum fuit sextus Pontifex *epist. 7. cap. 4.* Sixtus I. Alexandri Successor, & alii à primis Ecclesiæ temporibus, unde difficultas inter Catholicos est tantùm circa Etymologiam missæ, de qua fusè disserit Covarruvias 4. *varior.* 22. Bellarminus *lib. 1. de miss. cap. 7.* Sanctelius *in præfat. ad liturgias Græcas*, & alii plures, quorum aliqui censent, hoc nomen missæ esse hebraicum, alii verò esse latinum, & utraque sententia videtur probabilis, quia missa potest suam traxisse nomenclationem ab hebræo nomine *Missath*, quòd significat panem azymum, aut spontaneam oblationem, ut liquet ex variis scripturæ locis. Præterea, quia hoc nomen *missa* reperitur in liturgia S. Jacobi, qui referente Baronio sua liturgia missam vocavit. Potest itidem hæc vox esse latina, adeo ut missa idem sit ut missio, quapropter ad occasionem persæpe pro missione dicitur missa, perinde ac vulgo dicitur collecta pro collectione. Duplex enim in sacrificio incruento missæ fiebat missio prima Catechumenorum post symbolum Apostolorum; secunda omnium fidelium in fine missæ, hinc hoc sacrificium totum dictum est missa, imò & aliquando dicuntur missarum solemnia.

Asserendum est dari in Ecclesia Catholica verum, ac proprium sacrificium institutum à Christo, quodque in missa offertur DEO, estque dogma Catholicum. Ratio est, quia sacrificium definitur: *oblatio externa soli DEO facta, qua in recognitionem supremi ejus dominii à legitimo Ministro res aliqua sensibilis, & permanens ritu mystico consecratur, & immutatur.* Per oblationem intelligitur ipsa actio Ministri offerentis victimam, quæ actio in scripturis dicitur esse proprium munus & officium Sacerdotis: hinc D. Paulus, *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Hæc autem oblatio debet esse externa, quia sacrificium est visibile; est enim signum sensibile sacrum. Et hæc oblatio externa fieri debet *soli DEO*, quia ratio naturalis dictat, quòd homo subjiciatur alicui superiori ob defectus, quos in se experitur; sicut enim in naturalibus inferiora superioribus subduntur, ita etiam ratio naturalis dictat, ut homo ei, qui est supra hominem, honorem & subjectionem exhibeat secundum suum modum. Et quia oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum, significat enim sacrificium, quod offertur exterius, spirituale sacrificium interius, quo anima se ipsam offert DEO, juxta illud Davidis: *Sacrificium DEO Spiritus contribulatus*: anima se offert DEO in sacrificium, ut principio suæ creationis, & fini suæ glorificationis, ut luculenter probat Divus Augustinus *lib. 10. de Civit. DEI. cap. 5.* Finis autem hujus oblationis est, ut fiat in recognitionem supremi Dominii DEI. Externo enim sacrificio servitutem suam, infirmitatem, indigentiam, ac

Digitized by Google

reverentiam, erga summam DEI Majestatem homo profitetur, ac contestatur ipsum, ut nec bonis nostris, ita nec sacrificiis indigere, & ad hoc religionis officium non omnes promiscuè destinati sunt, sed qui à Deo tanquam Aaron vocantur, & ex populo assumpti pro hominibus constituuntur, in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerant dona & sacrificii pro peccatis, ut ait Apostolus ad *Hebræ.* 5. Quapropter excluduntur à ratione sacrificii propriè, & strictè dicti privatorum hominum oblationes, quæ soli Deo fiunt. Rursus dicitur oblatio rei sensibilis & permanentis, ut distinguatur à precibus, genuflexionibus, aliisque, quæ fiunt à Sacerdotibus externo actu sensibili in reverentiam, & obsequium DEI, quæ tamen propriè sacrificia non sunt. Præterea res oblata debet consecrari ritu mystico, adeo ut ex profana fiat sacra, & per hoc distinguitur ab oblationibus primitiis, & decimis, quia ut ait D. Thomas 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *ad* 3. *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur: quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur, & hoc ipsum nomen sonat; nam sacrificium dicitur ex hoc, quòd homo facit aliquid sacrum: Oblatio autem directè dicitur, cum DEO aliquid offertur, tametsi nihil circa ipsum fiat dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quod nihil fit, unde omne sacrificium est oblatio, non omnis oblatio est sacrificium; primitiæ autem oblationes erant, quia DEO offerebantur, non erant autem sacrificia, quia nihil sacri circa eas fiebat. Decimæ itidem propriè loquendo non sunt sacrificia, neque oblationes, quia non immediatè DEO, sed Ministris divini cultus exhibentur.* Res igitur oblata ut sit sacrificium, debet re ipsa mutari, seu modo quodam mystico destrui.

Quod igitur Eucharistia, quæ conficitur in missa per consecrationem panis, & vini, sit verum sacrificium propriè dictum, est dogma fidei, unde David *Psal.* 109, ait: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; etenim Sacerdotium Christi assimilavit Sacerdotio Melchisedechi, asserunt Patres ratione rei sacrificio oblatæ, scilicet panis, & vini *Genes.* 14. *v.* 18. *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi benedixit ei* & Christus *Matth.* 26. *Accepit panem, & benedixit, & fregit, deditque Discipulis suis, & ait, accipite, & comedite, hoc est corpus meum: Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Christus igitur instituit verum ac proprium sacrificium, quando instituit Eucharistiam, quapropter S. Cyprianus *epist.* 63. *ad Cæcilium* ait: *In Sacerdote Melchisedech sacrificii dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura divina testatur, & dicit. Et Melchisedech rex solem protulit panem, & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi & benedixit Abraham: Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus ex persona Patris ad filium dicens: Ante Luciferum genuite, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* D. Augustinus etiam *lib.* 16. *de civit. cap.* 22. ait, In oblatione Melchisedech primum apparuisse sacrificium, quòd nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum. Hoc idem fidei dogma probatur etiam ex Malachia 1. v. 11. ubi DEUS ait: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus.* Neque hoc vaticinium intelligi potest de sacrificiis crucis, quia sacrificium, de quo loquitur DEUS per Prophetam, non in uno duntaxat, sed in omni loco erat offerendum, neque potest intelligi de sacrificiis Hebræorum, quia in Gentibus offerendum prædicitur, *quia magnum est nomen meum in gentibus*, nec intelligi potest de precibus, & votis, aliisque religionis officiis, quæ laxè, & impropriè dicuntur sacrificia, quia scriptura nomen sacrificii non usurpat absolutè ad sacrificium latè sumptum indicandum, sed cum addito, *sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, hostiam vociferationis.* Unde vaticinium debet intelligi de sacrificio, quod in lege evangelica offertur in missa.

Rursus constat ex perpetuo usu Ecclesiæ, ex Conciliis, & Patribus: à primis enim ecclesiæ exordiis scriptæ fuerunt ab Apostolis liturgiæ, Clemens Romanus *lib.* 9. *Constit.* refert liturgiam Sancti Petri, & etiam illas Sancti Jacobi, Matthæi, & Marci, quæ nihil aliud sunt, quam ritus sacrificandi: & hunc usum confirmarunt etiam Concilia Nicænum 1. *can.* 13. Laodicenum *cap.* 19. & alia plura, quæ referuntur à Bellarmino: & hanc eandem veritatem semper docuerunt Sancti Patres, quos recto ordine digessit Gualterius in opere Chronologico, & ut amittam alios Sanctos Patres, hîc tantùm adjiciam verba Clementis Romani *lib.* 6. *constit. cap.* 23. ubi ait: *Qui pro sacrificio cruento, rationale, ac incruentum, & mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola panis, & vini celebratur.* Ratio hoc idem fidei dogma edocet, quia sacrificium est supremus cultus, ac honor perfectissimus, quem DEO possumus exhibere: Christus autem perfectissimam instituit religionem, quam propterea non poterat relinquere sine sacrificio, quo summo DEO exhiberetur supremus cultus, & honor. Præterea quia nulla hactenus fuit religio instituta, in qua non fuerint sacrificia, ut notavit D. Augustinus *lib.* 1. *de civit. cap.* 4. ubi ait: Nulla fuit gens tam barbara, quæ non sacrificaverit iis, quos putavit, aut finxit esse DEOS; etenim in lege naturæ fuisse sacrificia, constat ex sacrificiis Abel, Noë, Abrahæ, Job. In lege Mosaica constat ex integro libro Levitici, ubi proscribuntur eorum ritus, ergo Ecclesia Catholica non debuit sacrificio carere.

Præterea quia sicut in antiquis omnibus sacrificiis repræsentata fuit Christi passio futura: ita in Ecclesia catholica debuit Christi mors repræsentari ut præterita. Rursus cum sacrificium cruentum sit infiniti valoris, congruum erat, ut illius fructus nobis applicaretur per varia sacrificia: & sicut quotidiana currebat pro hominum salute redemptio, ita etiam perpetua debuit esse redemptionis oblatio. Hoc enim sacrificium incruentum, quod Christus in ultima cœna instituit, & quod quotidie in ecclesia peragitur, partim convenit cum sacrificio cruento, & partim ab eo discrepat; convenit enim tripliciter; primò in re oblata, in utroque enim offertur Christus per modum victimæ. Secundò in principali offerente: siquidem Christus, qui in utroque sacrificio est victima, est itidem in utroque principalis Sacerdos, & Pontifex. Tertiò in fine, quia sicut olim in cruce, ita nunc in altari offertur pro peccatis nostris, quamvis diversimodè. Discrepat verò quinque modis: Primò in externa specie, quia Christus in cruce sub propria forma humana, in altari vero sub speciebus panis, & vini offertur. Secundò in modo & ritu offerendi, quia in cruce per realem mortem, & in altari per

per mysticam consecrationem immolatur. Tertiò ex parte Ministri, quia, tametsi Christus utrobique sit principalis offerens, in altari tamen utitur ministerio Sacerdotum, quo neque in ultima cœna, nec in cruce usus est. Quartò ex parte effectus, quia fructus ille, qui per cruentum sacrificium acquisitus est, applicatur nobis partim per sacrificium incruentum, & partim per Sacramenta, & alia media, ut docet Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2.* Quintò ex parte significationis, quia sacrificium crucis non est typus, seu figura ullius alterius sacrificii, sed omnia alia sunt figura illius: sacrificium verò incruentum, quod quotidie offertur in missa, est repræsentativum cruenti in ara crucis, ut scribit Apostolus 1. *Corinth.* 11. 24. *Hoc facite in meam commemorationem quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* An verò hæ differentiæ sint accidentales; videntur esse tantum accidentales, quia secundum essentiam sacrificium incruentum non differt à cruento, cum in utroque sit idem Sacerdos qui offert, & eadem victima, quæ offertur, seu Christus Jesus. Accedit itidem Tridentina Synodus, quæ definivit, in missa offerri verum, ac proprium Sacramentum: etenim *sess. 22.* habet hos canones: *Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum ac proprium sacrificium, anathema sit.* Rursus: *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem Christi, anathema sit.*

Objiciunt primò Novatores, asserentes, missam in sacris scripturis non inveniri, neque quoad nomen, neque quoad cæremonias; & Apostolus ad Hebræ. 3. ait, quòd unicus tantum in novo testamento sit Sacerdos, cum Aaronici plures fuerint, eo quia morte prohiberentur permanere. Tum quia Christus dicitur semel tantum se obtulisse, & quod vera oblatione consummaverit in æternum sanctificatos, ex quo Apostolus concludit, voluntariè peccantibus nullam superesse hostiam pro peccato; ex quibus deducunt hæretici, nullum in lege evangelica dari sacrificium, consequenter in missa non dari hoc sacrificium. Sed contra, ad primum respondetur, missæ nomen in veteri testamento significare voluntariam oblationem, quæ significatio nostro sacrificio novæ legis convenit; quia licèt in scripturis non esset hoc nomen *missa*, res tamen significata per tale nomen reperitur in scriptura, quia quod substantialiter dicitur missa, est tantum consecratio, & communio; reliqua omnia sunt cæremoniæ tantum accidentales, & pertinentes ad ejus decentiam, non ad essentiam. Ad aliud quod addebatur ex Apostolo nullum in novo testamento esse Sacerdotem; respondetur Apostolum ibi tantùm significare, nullum in Ecclesia esse sacrificium, quod habeat meritum distinctum à merito sacrificii cruenti; non verò negat esse in ecclesia sacrificium, quod applicet meritum, & valorem sacrificii cruenti, ac unici quoad valorem sacrificii; quapropter Apostolus ait, Christum semel obtulisse se ipsum sacrificio cruento, cujus valor applicatur ab incruento, quod non distinguitur quoad essentialia à cruento, sed tantum accidentaliter, quia essentialia sunt eadem in utroque sacrificio cruento, & incruento; est enim eadem numero hostia, idem Sacerdos principalis, consequenter idem sacrificium ex parte rei oblatæ, & parte principalis Sacerdotis, & ex actionis sacrificandi.

Ex quo sequitur, sacrificium incruentum missæ non distingui essentialiter à sacrificio, quod in ultima cœna Christus instituit etiam incruentum; different tamen hæc duo sacrificia in accidentibus; quia in ultima cœna oblatus est Christus mortalis, & nunc in missa offertur Christus immortalis, & gloriosus. In cœna Christus se ipsum per se obtulit, nunc se offert in missa per ministrum. In cœna sacrificium incruentum fuit meritorium, & satisfactorium ex parte Christi offerentis, nunc non est tale in missa, quia Christus, cùm amplius non sit in via, non est in statu merendi, & satisfaciendi: Rursus sacrificium incruentum ultimæ cœnæ significabat mortem futuram Christi; & nunc in missa significat mortem præteritam Christi: differunt itidem hæc sacrificia in aliis circumstantiis temporis, loci, & aliis physicis, ut etiam in moralibus, ut in cæremoniis, ritibus, apparatu vestium, convenit itidem sacrificium incruentum missæ cum sacrificio cruento crucis in re oblata, & in principali offerente, quia in utroque res oblata est corpus Christi, & principalis offerens Christus, qui simul fit Sacerdos, & victima, quatenus voluntariè se obtulit æterno Patri, ut satisfaceret divinæ justitiæ, & pretio sui sanguinis redimeret genus humanum à servitute peccati; adeo ut sacrificium incruentum missæ, & cruentum crucis non differant ex parte rei oblatæ, proinde non distingui essentialiter, in quo sensu non sunt duo, sed unum tantum, & idem sacrificium secundùm speciem essentialem: distinguuntur tamen essentialiter ex parte ritus: seu actionis sacrificandi, quia actio utriusque est diversa; Christus enim in sacrificio crucis oblatus est per realem occisionem, & mortem; sed in sacrificio missæ offertur per consecrationem, quæ duo differunt inter se.

Rursus hæ actiones possunt tripliciter considerari. Primò secundùm entitatem physicam, ac hoc pacto differunt essentialiter; secundò ut fiunt ex motivo alicujus virtutis, & sic omnes actiones sacrificandi in omnibus sacrificiis tam legis Mosaicæ, quàm nostra possunt esse ejusd. speciei & essentiæ, si fiant ex eodem motivo virtutis, vel diversæ; si ex diverso motivo. Rursus hæc omnia sacrificia possunt considerari, ut sunt externa signa in cultum Dei ordinata, & sic eorum essentia potest spectari ex pluribus, ut ex victima, quæ offertur; ex principali offerente; ex actione offerendi quoad entitatem physicam: ex significatione, ex quibus omnibus æstimandum est, an actiones sacrificandi, quatenus sunt externa signa ad cultum Dei ordinata, sint ejusdem, vel diversæ speciei: etenim si in omnibus conveniant, sunt ejusdem speciei; si in omnibus discrepent, sunt diversæ speciei; si in aliquibus conveniant, & in aliis discrepent, non sunt nec ejusdem, nec diversæ speciei. Hinc sacrificium missæ essentialiter differt à sacrificiis veteris legis, differt essentialiter tam ex parte rei oblatæ, quàm ex parte oblationis, seu sacrificationis: differt accidentaliter & circumstantiis: ex quibus infertur sacrificium missæ esse perfectius sacrificiis omnibus veteris legis, & aliis excepto sacrificio crucis, & ultimæ cœnæ. Quòd verò D. Paulus dicat, pro voluntariè peccantibus non superesse hostiam pro peccato, id intelligitur de hostia, quæ meritum diversum habeat à prima, imò quæ ab illa sit diversa.

Objiciunt secundò, quod est Sacramentum, & testamentum, non est sacrificium propriè sumptum: sed Eucharistia est Sacramentum, & testamentum: ergo non est sacrificium, saltem propriè sumptum. Major ex eo evincitur, quia rationes Sacramenti, & testamenti sunt diversæ, & non possunt cohærere cum ratione sacri-

ſacrificii; quia ſacrificium offertur Deo, & Sacramentum à Deo nobis datur: ita teſtamentum eſt promiſſio hæreditatis à Deo accipiendæ, & hæres non dicitur dare aliquid teſtatori per ipſum teſtamentum: ex quibus conſtat miſſam utpote Sacramentum & teſtamentum non eſſe ſacrificium. Sed contra, quia tametſi, quod eſt ſacramentum, & teſtamentum ſecundùm unam eandemque rationem, non ſit ſacrificium, poteſt tamen eſſe ſacrificium ſecundùm aliam rationem. Hinc quamvis Euchariſtia ſecundùm illam rationem, quâ eſt Sacramentum, & teſtamentum, non ſit ſacrificium, bene tamen ſecundùm diverſam, quatenus per verba conſecrationis fit ſeparatio ſanguinis à corpore, & ſignificatur ſupremum Dominium Dei ſupra mortem, & vitam omnium: etenim etiam in lege veteri agnus paſchalis erat ſacramentum, & ſacrificium: ſcilicet ſacramentum quatenus erat ſignum ſenſibile gratiæ inviſibilis, & figura Sacramenti Euchariſtiæ in lege Evangelica: & ſacrificium, quatenus offerebatur Deo. Perinde Euchariſtia ut eſt ſignum ſenſibile noſtræ ſanctificationis habet rationem Sacramenti, & quatenus offertur DEO in recognitionem ſupremi dominii, quod habet in mortem, & vitam omnium, habet rationem ſacrificii: & rurſus, quatenus eſt portio legati nobis teſtamento relicti, & pignus accipiendi reſiduum, ſeu hæreditatem cœleſtis gloriæ, ſeu ut eſt inſtrumentum publicum divinæ voluntatis, & promiſſionis habet rationem teſtamenti; ſeu ſignaculi voluntatis, Chriſti teſtatoris. Neque repugnat illud idem, quod ſemel à Deo accepimus, iterum Deo offerri; quia nihil poſſumus Deo offerre, & dare, quod priùs ab ipſo nobis datum non ſit, 1. *Paralip.* 29. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.*

Objiciunt tertiò, Hoſtia, quæ in ſacrificio offertur, debet occidi, quia in occiſione victimæ & oblatione Deo facta habetur ratio ſacrificii; requiritur enim in ſacrificio immutatio victimæ. Sed Chriſtus, qui in miſſa offertur, non occiditur: ergo miſſa non eſt proprium, & verum ſacrificium. Sed contra, diſtinguitur major, hoſtia debet occidi, & immutari in ſacrificio cruento, cujuſmodi erant ſacrificia legis veteris, in quibus animalia immolabantur, & quale etiam fuit ſacrificium crucis, conceditur: in ſacrificio incruento, cujuſmodi fuit ſacrificium Melchiſedech, negatur: & conceſſa minore, negatur conſequentia, quia ſacrificium miſſæ eſt incruentum, quale fuit illud Melchiſedech, quamvis ſit repræſentativum ſacrificii cruenti, ſeu crucis ſemel à Chriſto oblati; ſiquidem in ſacrificio miſſæ ſanguis Chriſti ex vi conſecrationis ponitur ſeparatim à corpore, & ut loquitur Cyrillus, *gladio verborum fit in eo myſtica effuſio ſanguinis.* Igitur quamvis interfectio victimæ debeat intercedere in ſacrificio cruento; non ita in incruento: ſiquidem in ſacrificiis aliquibus, quæ incruenta erant, ut fuit ſacrificium Melchiſedech, non fiebat effuſio ſanguinis, nec victima occidebatur: Euchariſtia in miſſa eſt ſacrificium incruentum, in quo Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini, offertur æterno Patri; unde non eſt neceſſe, ut habeatur vera, & propria ratio ſacrificii, & res ipſa oblata occidatur; ſed ſufficit, ſi myſticè moriatur, quatenus conſecratione panis & vini corpus Chriſti, & ejus ſanguis ſub eorum ſpeciebus, ac ſymbolis ſiſtuntur, & exhibentur, &, ut loquitur Cyrillus, *gladio verborum* ſeparantur, ſiquidem vi verborum conſecratur] ſeorſim à vino ſubſtantia panis, quæ convertitur in corpus Chriſti; & poſtea ſubſtantia vini, quæ convertitur in ſubſtantiam ſanguinis, adeo ut virtute conſecrationis ſeparetur ſanguis à corpore, ut habeatur vera immutatio victimæ, ac propria ratio ſacrificii, ſolum enim corpus ſub ſpeciebus panis; & ſanguis ſub ſpecie vini ſunt ibi ſacramentaliter, quamvis per concomitantiam ſub ſpecie panis unà cum Chriſti corpore ſit etiam ſanguis, & ſub ſpecie vini unà cum ſanguine etiam per concomitantiam corpus, quia Chriſtus, quando in ultima cœna dixit, *Hoc eſt corpus meum*, non dixit: hoc eſt meum cadaver, ſeu corpus mortuum, ſed corpus meum tunc vivens; & corpus ſine ſanguine non vivit. Hinc Chriſtus ex mortuis reſurgens jam non moritur: & hæc mutatio corporis, & ſanguinis Chriſti, eſt immolatio, & mors myſtica, ſufficiens ad ſacrificium commemorationis, quo paſſio Chriſti Domini repræſentatur, & ejus fructus fidelibus applicatur. Non tamen nuda, & ſimplex eſt commemoratio paſſionis Chriſti, quia ibi repræſentatur ſub ſacris ſymbolis Agnus occiſus ab origine mundi, & ex eo, quod per conſecrationem corpus ejus, & ſanguis ſiſtuntur, divinæ Majeſtati, & Deo Patri offeruntur: ſicut Chriſtus mundum ingrediens, & Deo Patri ſe ſiſtens dixit: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam*, ſe ipſum tunc in ſacrificium obtulit, quamvis nondum ſit occiſus, ſed tantùm morti deſtinatus; ſicut etiam Chriſtus non in manufacta Sancta, ſed in cœlum ingreſſus, *ad Hebræ.* 9. *Ut appareat nunc vultui Dei, pro nobis ſacrificium æterno Patri repræſentat, quò ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*, ut ſcribit Apoſtolus *ad Hebræ.* 7. ſeque pergit offerre æterno Patri non modo cruento, quia hoc modo ſemel tantùm ſe obtulit, cùm ſemel tantùm mortem ſubierit, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*: & tamen licet in ſacrificium ſe offerat, jam non moritur. Quid ni etiam in Euchariſtia, quæ eſt commemoratio & repræſentatio ſacrificii in cruce oblati, Chriſtus corpus ſuum, & ſanguinem per miniſterium ſacerdotum exhibet Deo Patri, & myſticè immolatur, quamvis revera non occidatur, in quo ſenſu ſcripſit S. Cyprianus *epiſt.* 63. *Paſſio eſt Domini ſacrificium, quod offerimus*; & S. Chryſoſtomus *homil.* 3. *in epiſt. ad Epheſ.* ait: *Quid agis, o homo! juras ſupra ſacram menſam, & Chriſtus occiditur ovis Dominica*, ſcilicet occiditur myſticè.

Inſtabis, ſacrificium novæ legis, ſeu miſſæ, non eſt cruentum, ut dicitur, ſed incruentum: ſed repugnat rationi ſacrificii, quod non ſit cruentum per mortem propriam, & veram realem victimæ, quæ offertur: ſiquidem ſacrificium novæ legis continet novum teſtamentum, quod præſupponit mortem teſtatoris, ait Apoſtolus *ad Hebr.* 9. v. 16. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.* Ergò, cùm Chriſtus non moriatur, quoties in miſſa conficitur Euchariſtia, ſeu perficitur ſacrificium miſſæ, ſequitur non eſſe verum ſacrificium. Sed contra, quia tametſi repugnet rationi ſacrificii, quo novum teſtamentum primò conditum eſt, ac inſtitutum, ut ſit incruentum; non tamen eſt neceſſe, ut repræſentativum illius ſacrificii cruenti ſit & ipſum cruentum, quia Chriſtus ſemel tantùm mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, & quia ſacrificium cruentum crucis fuit novum teſtamentum, interceſſit nova mors teſtatoris, & realis effuſio ſanguinis,

Digitized by Google

guinis, ut scribit Apostolus ad *Hebræ. 2. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.* Sacrificium autem, quod quotidie in altari perficitur, non est institutio novi testamenti, sed tantùm commemoratio, repetitio, & repræsentatio prioris testamenti à Christo priùs instituti, ac confirmati per mortem illius. Sicut inter homines testamentum per mortem testatoris confirmatur, & sæpe in judicio exhibetur, & recitatur; vel etiam transcribitur, ad hæreditatem huic vel illi personæ legatariæ applicandum, & non est opus ad hanc rescriptionem, vel relectionem testamenti, ut iterum testator moriatur, ad hoc, ut rescriptio vel relectio, seu repetitio testamenti confirmetur, sed sufficit, si semel mortuus fuerit; & ante mortem suum testamentum non revocaverit: ita cùm in missa offertur sacrificium incruentum continens sub speciebus vini sanguinem Christi, quo novum, & æternum testamentum dedicatum est, & qui in ara crucis in pretium pro redemptione humani generis effusus est, non est necesse, ut Christus iterum moriatur, sed solùm, ut memoria mortis illius recolatur, & corpus pro nobis semel traditum, & occisum, ut etiam ejus sanguis pro nobis effusus verè, & realiter exhibeatur, ac mysticè in Sacramento fundatur in remissionem peccatorum, & Deo offeratur.

Objiciunt tertiò: Christus *Joan. 4.* interroganti Samaritanæ, an deberet Deus coli, & odorari in templo vel in monte Garizim, respondit: *Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierusalem adorabitis Patrem;* & adducens rationem subdit: *quia veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate & Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Sed adorare in loco illo idem est, ac sacrificare; seu Sacrificium offerre, siquidem erat quæstio inter Judæos, & Samaritanos, quo in loco deberet Sacrificium offerri; ergo in lege nova nullum habetur Sacrificium. Sed contra, quia Christus in illo colloquio cum Samaritana tantùm voluit declarare, quòd neque in monte illo, neque in Hierusalem in posterum adoraretur, & coleretur Deus Sacrificiis carnalibus Judæorum, non verò negavit futuram etiam adorationem, & Sacrificium, quod spirituale esset, quoad suam virtutem, modumque existendi rei oblatæ, sed quod Sacrificium Eucharistiæ, in quo Christus modo invisibili, & sacramentali continetur, quapropter colentes DEUM in hoc Sacrificio in Spiritu, & veritate illum adorant, unde Christus per verba illa: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*, abstulit cultum, & Sacrificium externum: Sed statuit præcipuè internum, simulque significavit, Sacramentum externum in posterum, neque in monte illo Garizim, neque Hierosolymis, sed per singulas mundi regiones, in locis ad id deputandis, & consecrandis offerendum fore DEO Patri in Sacrificium, sicut prædixerat Malachias Propheta; quamobrem Christus verbis illis significavit, tempore novæ legis DEI cultum, & Sacrificium futurum in Spiritu, & veritate, excussa Sacrificiorum umbra, quæ Jerosolymis à Judæis offerebantur; cultum tamen & Sacrificium externum non excludit: nam sicut spiritualis cultus est necessarius, cùm DEUS Spiritus sit, ita corporalis, externus, & sensibilis nobis convenit, cum simus nos corporei, & sensibiles; quapropter D. Basilius *lib. 2. de baptismo quæst. 8.* ait: *Nobis periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maximè si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus: propterea quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante; offendiculum quoque generat pro varietate actionum multifaria propter variam multorum in rerum divinarum scientia infirmitatem. Si verò quisquam objiciat, quid igitur est, quod Apostolus dixit: Volo viros precari in quovis loco, ob id quod Dominus ipse potestatem dedit adorandi eum in omni loco, ubi dixit, neque Hierosolymis postbac, neque in monte isto adorabitur Pater? Hoc dicendum est, quod illud, in omni loco, non comprehendit eos locos, qui humanis usibus, rebusque immundis, & profanis deputati sunt, sed dilatat, & deducit adorationem DEI ab arcto Hyerosolymæ ambitu in omnem totius orbis locum, secundùm Sacrificii prophetiam, qui studiosè videlicet DEO dicatus sit ad gloriosi mysterii Sacrificium celebrandum.*

Objiciunt quartò Sectarii, negantes Sacrificium Eucharistiæ in missa, quia Sacrificium crucis est infinitæ, ac perennis virtutis, & Christus unâ oblatione totius mundi peccata expiavit, ac totum humanum genus perfectè DEO Patri reconciliavit, ut dicit Apostolus *ad Hebræos 10. Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam accedentes perfectos facere: alioquin cessâssent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi, holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam DEUS voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat, in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis JESU Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem semper offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera DEI, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ex quo inferunt Sectarii, Catholicos admittentes in Ecclesia, & in missa Sacrificium Eucharistiæ, esse injurios Crucis Sacrificio, quasi Christus una oblatione non consummaverit in sempiternum sanctificatos contra Apostolum Paulum. Sed contra, quia tunc Catholici injurii essent Sacrificio crucis, si aliud Sacrificium admitterent, quo genus humanum redimeretur, vel crederent, præter Sacrificium cruentum crucis, adhuc esse necessarium aliud Sacrificium pro peccatis remittendis, & quod nullam acciperet virtutem à Sacrificio crucis, quasi hoc fuisset insufficiens, & per se non valeret ad omnium sanctificationem, sed Catholici hoc non asserunt: sed Sacrificium missæ, quamvis propriè, & verè habeat rationem Sacrificii non tamen est diversum à Sacrificio crucis, sed tantùm est ejus commemoratio, & repræsentatio per separationem sanguinis à corpore, perinde ac in cruce sanguis Christi fuit fusus: & separatus à corpore; dicunt igitur esse idem Sacrificium, sed repræsentatum in Sacrificio missæ, adeo ut tota virtus, & efficacia Sacrificii

missæ habeatur à Sacrificio crucis, à quo dependet, & omnem suam virtutem accipit, neque hæc virtus est distincta in Sacrificio missæ à virtute Sacrificii crucis, quia Sacrificium missæ applicat virtutem Sacrificii crucis ad consummationem nostræ sanctificationis, quapropter Tridentina Synodus *sess.* 22. *cap.* 1. ait: *Deus Dominus Noster, & si semel ipsum in ara crucis morte intercedente DEO Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur, ejusque memoria in finem sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini DEO Patri obtulit: & sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes instituebat, ut sumerent, tradidit, & iisdem eorumque successoribus in sacerdotio, ut offerrent, præcipit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, ut semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit*; & *cap.* 2. addit: *Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur, tantùm abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.*

Hinc constat ex Concilio Tridentino, & doctrina Ecclesiæ Catholicæ, Sacrificium missæ esse commemorativum, & repræsentativum Sacrificii cruenti in cruce peracti à Christo Domino, ut nimirum memoria hujus Sacrificii, quo humanum genus redemptum fuit usque in finem mundi permaneret, & ejus virtus per ejus repræsentationem, seu Sacrificium missæ nobis applicaretur in remissionem peccatorum, & Sacrificium missæ non est distinctum, & diversum à Sacrificio cruento crucis quoad essentialia, quia est eadem hostia, quæ mactatur, & offertur DEO Patri, scilicet Christus Dominus, & idem offerens, scilicet Christus unde quoad essentialia non differunt hæc Sacrificia, sed tantùm in modo offerendi, quatenus Sacrificium missæ offertur per Ministros Christi, seu Sacerdotes, cum Sacrificium cruentum crucis oblatum fuerit à Christo per seipsum, adeo ut Sacrificium missæ conveniat cum sacrificio crucis in re oblata, & in principali offerente, quæ duo sunt essentialia, quamvis differant in pluribus accidentibus, ut in ritu & ratione consacrificandi in externa specie rei oblatæ in proximo offerente, in significando, & in effectu, quia Christus in cruce sub propria forma humana se ipsum obtulit æterno Patri in redemptionem humani generis, in altari verò sub specie panis, & vini offertur. Quoad ritum offerendi in cruce per realem mortem Christus immolatur, & in missa per mysticam consecrationem: & quamvis Christus in utroque sacrificio sit principalis offerens in altari tamen utitur ministerio sacerdotum, quo nec in ultima cœna, neque in sacrificio crucis usus est: ex parte itidem effectus differunt, quia fructus ille, qui per cruentum sacrificium acquisitus est, nobis applicatur partim per sacrificium incruentum, & partim per Sacramenta, & alia media, ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. Ex parte itidem significationis sacrificium crucis non est figura alterius sacrificii, sed omnia alia sacrificia sunt figuræ, & repræsentationes illius, sacrificium enim incruentum quod quotidiè offertur in missa, est repræsentatio cruenti, quod in cruce peractùm est, ut scribit Apostolus 1. *Corinth.* 11. *v.* 24. *Hoc facite in meam commemorationem, quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Quod in Eucharistia quotidie instauratur, ut explicat S. Joannes Chrysostomus *homil.* 17. *in epist. ad Hebræ. offerimus quidem, ait ipse, sed ejus mortem revocamus in memoriam: & ipsa una est, non multa. Quomodo una est, non multa: quoniam semel fuit oblata, sicut illata fuit in Sancta Sanctorum. Hæc est figura illius, & ipsa illius, Eundem semper offerimus, non hunc quidem alium, sed semper eundem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem, quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? nequaquam, sed unus ubique Christus, qui & hic est plenus, & illic plenus, unum corpus, quomodo ergo multis in locis oblatus unum est corpus, & non multa corpora: ita etiam unum est sacrificium Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus, quod tunc factum est, hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam hostiam, inquit, sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius hostiæ seu sacrificii facimus recordationem.*

CAPUT IV.

Eucharistia, quæ conficitur in missa, quale sit Sacrificium, & in qua actione consistat.

QUatuor in scripturis leguntur species Sacrificiorum, aliud enim est Sacrificium Latreuticum, cujus finis est solus Dei cultus, & honor, cujusmodi in lege Moysis fuit holocaustum, quo tota victima in Dei honorem igne absumebatur. Aliud dicitur propitiatorium, quod pro peccato offerebatur, cujus finis præter Dei cultum erat, ut justa Dei ira ob injuriam ab hominibus ei illatam, placaretur, & peccata hominum condonarentur. Tertium sacrificium erat pacificum, & hoc duplex unum Eucharisticum oblatum in gratiarum actionem pro susceptis beneficiis, & alterum impetratorium, cujus finis erat impetratio novorum beneficiorum. Quod sacrificium Eucharistiæ in missa peractum omnibus hisce modis sit sacrificium, probat S. Joannes Chrysostomus *in Psalm.* 95. Ubi ait: *Omnia veterum Sacrificia nova superveniens gratia uno complectitur Sacrificio*; & Divus Augustinus *lib.* 17. *de civit. DEI cap.* 20. hoc idem asserit, inquiens: *Id*

Sacri-

Sacrificium ſucceſſit omnibus illis Sacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri, & nonnullis interjectis addit; *Pro illis omnibus Sacrificiis, & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur.* Quod Sacrificium Miſſæ ſit latreuticum, ſuam deſumens denominationem à Latria, quæ eſt cultus ſupremus ſoli Deo conveniens, ex eo evincitur, quia Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, & Miſſæ Sacrificium, ut ſupremus latriæ cultus uſque ad conſummationem ſæculi jugiter Deo exhiberetur non ſolum ab hominibus, verùm etiam ab ipſo homine Deo, qui in Euchariſtiæ Sacrificio adorat pro nobis, adorat in nobis, & adoratur à nobis: ſiquidem adorat pro nobis, ut ſacerdos noſter, adorat in nobis, ut caput noſtrum, & adoratur à nobis, ut Deus noſter. Rurſus Euchariſtia eſt itidem Sacrificium gratiarum actionis, quia in illo gratias agimus Domino Deo noſtro, ut habetur in Liturgiis, in quibus uſurpantur verba illa: *Gratias agamus Domino Deo noſtro,* ad quæ reſpondetur: *dignum, & juſtum eſt,* ait Auguſtinus *epiſt.* 140. *ad Honorianum cap.* 19. *Hæc eſt gratia, quæ gratis datur, non meritis operantis, ſed miſeratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo noſtro, quod eſt magnum Sacramentum in Sacrificio novi teſtamenti, quod, ubi, & quando, & quomodo offeratur, Cùm fueris baptizatus, invenies.* Et D. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 18. *in* 2. *epiſt. ad Corinth.* ait: *In tremendis myſteriis ut ſacerdos pro plebe, ita plebs pro ſacerdote vota facit, neque enim ipſe ſolus gratias agit, ſed etiam plebs univerſa. Nam cùm priùs illorum vocem ſumpſit, atque illi aſſenſerunt, id juſtè & dignè fieri. Tum demum gratiarum actionem auſpicatur.* Eſt itidem Sacrificium Miſſæ propitiatorium, quia in illo idem ille Chriſtus continetur, & immolatur in nobis, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruentè obtulit: *qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Rurſus idem ſangvis, qui fluxit è Chriſti latere, imo è toto corpore, continetur in Calice, & myſticè effunditur in remiſſionem peccatorum, ut ex ipſa Conſecrationis forma compertum eſt. Hoc autem ſalutis noſtræ pretium Deo repræſentatum, nobis ipſum propitium reddit, ſecundum illud Apoſtoli *ad Hebr.* 9. *Sangvis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.* Hinc S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* 5. *Myſtag.* vocavit Euchariſtiam, quæ conficitur in Miſſa, propitiationis hoſtiam, & Euſebius *Lib.* 1. *demonſt. evang. cap.* 10. dicit, Euchariſtiam eſſe *pro toto mundo piaculum, pro animâ cunctorum Sacrificium, pro omni macula, & peccato puriſſimam hoſtiam.* S. Hieronymus eam vocat *hoſtiam ſalutarem, illibatam victimam, victimam pro peccatis, Sacrificium pretii noſtri, victimam ſanctam, quâ deletum eſt Chirographum, quod erat contrarium nobis, quâ triumphatum eſt hoſtis, computantur delicta noſtra, unicum Sacrificium pro ſalute noſtra.* S. Auguſtinus quæſt. 57. in Levit. ait: *Sed, cùm Dominus dicat, niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſangvinem meum, non habebitis vitam in vobis, quid ſibi vult, quod à ſangvine Sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, ſi illis Sacrificiis unum hoc Sacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum, à cujus tamen Sacrificii ſangvine in alimentum ſumendo non ſolùm nemo prohibetur; ſed ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* Hinc, quia proprium ſacerdotis officium eſt, Sacrificia offerre pro peccatis, ut docet Apoſtolus *ad Hebr.* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Euchariſtiam offerri pro peccatis, & ignorantiis, liturgiæ adſerunt omnes, ut etiam colligitur ex illa ſolemni oratione, quæ Deo funditur in Miſſa dominicæ nonæ poſt Pentecoſten, ubi dicitur: *Concede nobis quæſumus hæc dignè frequentare myſteria, quia quoties hujus hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur.* Hoc idem aſſerunt Sancti Patres, præſertim S. Gregorius *homil.* 37. *in evangel.* ubi de Chriſto ait: *Mittamus ad hunc legationem noſtram flendo, tribuendo, ſacras hoſtias offerendo, ſingulariter namque ad abſolutionem noſtram oblata cum lachrymis & benignitate mentis ſacri altaris hoſtia ſuffragatur, quia is, qui in ſe reſurgens à mortuis, jam non moritur, adhuc per hunc in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram paſſionem illius reparamus.* Unde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *can.* 3. contra Hæreticos inſtituit Canonem, quo habetur: *Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium eſſe tantùm laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſolùm prodeſſe ſumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit.* Non tamen Sacrificium Miſſæ eſt ita propitiatorium, ut mereatur remiſſionem culpæ celebranti, & aliis ex opere operato ſine bono motu utentibus, & ſine pœnitentia, & vitæ emendatione, ſed tantùm per hoc, quod confidamus nos ſatisfacturos, ut Hæretici Catholicis improperant, ait enim Tridentina Synodus *cap.* 2. ut ſi cum vero corde & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit, una enim & eadem hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum Miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Demum quòd Miſſæ Sacrificium ſit etiam impetratorium, aſſerit Apoſtolus 1. *ad Timoth. cap* 2. inquiens: *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui ſunt in ſublimitate, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Servatore Noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* Hoc idem confirmant Sancti Patres: Tertullianus *Lib. ad Scapulam cap.* 2. ubi ait: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus, pura prece,* & nonnullis interjectis ſubdit: *Itaque magis oramus pro ſalute Imperatoris, ab eo eam poſtulantes, qui præſtare poteſt.* Euſebius Cæſareenſis *in vita Conſtantini cap.* 45. ubi commemorat pias exercitationes Epiſcoporum, qui ad dedicationem Eccleſiæ Jeroſolymorum convenerat, ait: *Incruentis Sacrificiis & myſticis immolationibus Deum placabant, pro pace communi, pro Eccleſia Dei, pro Imperatore tot bonorum Authore, ejusque piiſſimis liberis preces Deo ſuppliciter offerentes.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catechet.* 5. *Myſtag.* ait: *Deinde verò, poſtquam confectum eſt illud ſpirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus ſuper*

eſſentia Sacrificii etiam inadæquatè, quia hujuſmodi actiones non ſunt deſtructivæ victimæ, quæ eſt Chriſtus. Præterea, quia oblationes vocales non fuerant à Chriſto factæ, quem tamen certum eſt ſacrificaſſe, quinimò hæ oblationes poſſunt fieri etiam à quolibet Laico, qui tamen non dicitur ſacrificare: fractio itidem hoſtiæ non eſt mutatio Chriſti, ſed tantùm ſpecierum, quinimo hæc fractio non eſt neceſſaria ad Sacrificium, quia ſi caſualiter hoſtia in Calicem caderet, & tota madefieret, tunc quia non poſſet, convenienter frangi deberet, ita relinqui uſque ad ſumptionem, ut habetur in miſſali Romano, ex quo conſtat, fractionem hoſtiæ non poſſe fieri, remanente in ſua integritate hoc Sacrificio incruento Miſſæ: conſequenter non pertinere ad ejus eſſentiam, quia id, ſine quo poteſt aliquid eſſe, nequit eſſe de eſſentia illius. Demum neque ipſa ſumptio utriuſque ſpeciei facta à Sacerdote eſt de eſſentia hujus Sacrificii intrinſecè, quia Sacrificium fit in perſona Chriſti, qui eſt principalis offerens, & Sacerdos; & ſumptio non eſt actio facta in perſona Chriſti, ſed in perſona ſumentis, & pro ſuo beneficio. Præterea de fide eſt, Chriſtum in ultima Cœna verum obtuliſſe Sacrificium, ut definitur in Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. Sed non ex fide, ſaltem in plurium ſententia, Chriſtum ſacramentales ſpecies ſumpſiſſe, & D. Thomas *quæſt.* 81. *art.* 1. tantùm aſſerit probabilius eſſe, quòd ſit de fide. Rurſus quia Sacrificium eſt eſſentialiter immutativum rei oblatæ, & ſumptio non eſt hujuſmodi, quia per hoc, quod ſuſcipiatur hoc Sacramentum, non deſinit eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ſed tunc tantùm, quando ſpecies ita vi caloris naturalis alterantur, ut corrumpantur; & hæc immutatio non poteſt eſſe Sacrificium, quia fit in ſtomacho vi caloris naturalis. cùm Sacrificium debeat fieri in altari, ergo ſupereſt, ut ſola Conſecratio ſit tota, & adæquata eſſentia hujus Sacrificii. Quòd verò Conſecratio fiat propter ſumptionem, ad quam ordinetur, ut ad terminum extrinſecum, ex eo conſtat, quia hoc Sacrificium habet rationem cibi, & potus, & offertur ſub ſpeciebus panis, & vini, conſequenter ordinatur ad ſumptionem, quia panis & vinum ſunt propter ſumptionem. Hinc Sacerdos tenetur ſumere utramque ſpeciem, & Eccleſia, ſi Sacerdos moreretur ante ſumptionem ſpecierum, & poſt Conſecrationem, præcipit, ut alius Sacerdos etiam non jejunus propter integritatem Sacrificii ſumat ſpecies conſecratas, ex quo tantùm infertur, quod Sacerdos ſacrificans debeat eſſe particeps Sacrificii, conſequenter, quòd debeat ſumere utramque ſpeciem.

Objiciunt tamen Adverſarii, quia Sacrificium debet eſſentialiter conſiſtere in illa actione, quæ immutat, & deſtruit victimam oblatam: ſed in Sacrificio Miſſæ tantum abeſt, quod Conſecratio deſtruat victimam, ſeu Corpus Chriſti, ut potius illud ponat, ac producat ſub ſpeciebus, quia repugnat actionem productivam rei, eſſe deſtructivam ejuſdem, conſequenter Sacrificium Miſſæ nequit eſſentialiter conſiſtere in Conſecratione, ſed in ſola ſumptione. Hoc eſt potiſſimum fundamentum, cui innititur oppoſita ſententia.

Reſpondetur, de ratione cujuſvis Sacrificii eſſe, ut ſaltem ex modo, quo offertur Sacrificium, debeat connaturaliter ſequi mors victimæ, quamvis de facto non ſequatur, quia actio illa eſt per ſe immutativa victimæ. Quapropter, ſi in lege veteri poſt illatum victimæ lethale vulnus Deus miraculosè illam conſervaſſet, adhuc verum illud fuiſſet Sacrificium, quia eo ipſo, quod vulnus inflictum victimæ eſt lethale, per ſe ſignificat immutationem ejuſdem, & connaturaliter ac per ſe Dominium Dei in vitam ac mortem, adeo ut ſi mors non ſequatur, id tantùm contingat per accidens: ſed in Sacrificio incruento Miſſæ Conſecratio eſt per ſe & connaturaliter ex vi verborum immutativa, & deſtructiva victimæ, quia ſeparat ſangvinem à Corpore, quatenus illum ponit ſub ſpeciebus vini, & Corpus ſub ſpeciebus panis; & eo ipſo, quod habeatur ſeparatio ſangvinis à Corpore, habetur per ſe immutatio, & deſtructio victimæ, quæ non aliter deſtruitur, quàm per hanc ſeparationem: quod vero de facto non deſtruatur Chriſtus, id ſe habet per accidens ad Conſecrationem, quia hoc *gladio verborum* ſeparat ſangvinem à Corpore, & Corpus ſine ſangvine emoritur, ac deſtruitur naturaliter.

Quod ſi dicas, actionem productivam victimæ non poſſe eſſe deſtructivam ejuſdem, eò quia eadem ratio non poſſit ſimul ponere & deſtruere ſuum terminum: ſed Conſecratio eſt vera actio productiva victimæ, quia ex vi illius producitur Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini; conſequenter nequit eſſe deſtructiva ejuſdem. Contra eſt, quia, quamvis non poſſit eadem actio eſſe ſimul productiva, & deſtructiva alicujus termini, poteſt nihilominus fieri, ut actio, quæ efficit terminum aliquem, ſit etiam deſtructiva ejuſdem, ſi ex modo producendi terminum ita ipſum attingat, ut quantum eſt ex ſe, habeat etiam per ſe ſeparationem ſangvinis à Corpore: ſed hujuſmodi ſe habet Conſecratio, quia hæc ita producit corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis: ut ex ſe ſeparet etiam ſangvinem Chriſti ab ejus corpore, ſiquidem per conſecrationem panis, conſecratio tantùm ponit corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis: & per conſecrationem vini producit ejus ſangvinem ſub ſpeciebus vini, conſequenter ita eſt actio productiva, ut ſimul ſit actio ſeparativa ſangvinis à corpore, conſequenter per ſe vera actio immutativa.

Quòd ſi inſtes, actionem deſtructivam victimæ debere neceſſariò ſupponere ipſam victimam productam, eò quia nihil deſtruitur, quin ſupponatur productum, & habere ſuum eſſe, quod deſtruatur, id enim deſtruitur, quod exiſtit, & illud exiſtit, quod habet ſuum eſſe productum, ſi ſermo ſit de exiſtentibus creatis: ſed conſecratio non præſupponit victimam productam, ſed illam producit & ponit ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ſiquidem in hoc Sacrificio incruento victima non eſt Chriſtus, utcunque, ſed Chriſtus, ut exiſtens, ſub ſpeciebus panis & vini, & Chriſtus, ut ſic exiſtens ponitur per verba illa conſecrationis, non ſupponitur: ergo cùm conſecratio per ſe ponat, non ſupponat victimam, non videtur, quomodo poſſit eſſe actio immutativa, & deſtructiva victimæ. Sed contra, diſtinguitur major, actio immutativa & deſtructiva victimæ debet eſſentialiter præſupponere eam productam prioritate temporis, negatur, prioritate naturæ, vel rationis conceditur: vel debet ſupponere victimam ſub aliqua formalitate, conceditur, ſimpliciter, & abſolutè negatur. Hinc ad minorem reſpondetur, quod tametſi conſecratio non ſupponat victimam productivam ſub ea formalitate, qua eſt productiva corporis Chriſti ſub ſpeciebus Eucharisticis, eam tamen ſupponit ſub alia formalitate, hinc ſub eadem diſtinctione negatur conſequentia, etenim in conſecratione debent conſiderari, ac diſtingvi tres formalitates, quarum una præcedat aliam prioritate aliquâ naturæ, vel

di, & partim in re ſacrificata: & eſſentia Sacramenti nullo pacto conſiſtit in actione, ſed tantum in ſola re permanente, quæ reſultat ex actione. Secundo, quia eſſentia Sacrificii Miſſæ exigit repræſentationem mortis Chriſti, conſequenter Conſecrationem utriusque ſpeciei: Tertio, quia Sacrificium per ſe immediatè ordinatur ad cultum, & honorem Dei, & Sacramentum ad noſtram ſanctificationem. Cæterùm Sacramentum prius perficitur quoad eſſentiam, quàm Sacrificium, quia Sacramentum eſſentialiter perficitur per Conſecrationem unius ſpeciei: Sacrificium vero per Conſecrationem utriusque, & Conſecratio ſpeciei panis eſt prior tempore, quàm Conſecratio utriusque ſpeciei, quamvis in effectu contingat ordo oppoſitus; quia effectus Sacrificii confertur ex opere operato, & peracta Conſecratione utriusque ſpeciei, effectus vero Sacramenti confertur in uſu, ſeu ſumptione Eucharistiæ, quæ ordine temporis ſequitur Conſecrationem. Quod ſi loquamur de ordine naturæ, ſeu cauſalitatis, poteſt duplex eſſe in hoc myſterio, ſcilicet intentionis, & executionis: ordine intentionis prius eſt Sacrificium, quàm Sacramentum, quia principalius intenditur cultus, & honor Dei, quàm noſtra utilitas. Unde etiam poteſtas Sacerdotis primariò ordinata eſt ad Sacrificium Deo offerendum, & ſecundariò ad Sacramentum conficiendum. Ordine autem executionis Sacrificium eſt poſterius, quàm Sacramentum, quia ſupponit Conſecrationem unius ſpeciei, in qua perficitur ratio Sacramenti, & ulterius requirit Conſecrationem alterius ſpeciei.

Quod ſi dicas, inde ſequi, Sacrificium & Sacramentum poſſe re ipſa ſeparari, reſpondetur, hoc poſſe contingere, quia ſi ſacerdos conſecraret unam ſpeciem tantùm ſine altera, revera perficeret Sacramentum non Sacrificium. Cæterùm perfectio utriusque myſterii poteſt ſpectari phyſicè in eſſe rei, & moraliter in eſſe virtutis, ſi phyſicè fiat comparatio, tunc eſt eadem dignitas Sacrificii Miſſæ, & Sacramenti Eucharistiæ tam ex parte actionis, quàm ex parte termini, quia utrobique eſt eadem ratio Conſecrationis, & idem terminus actionis, ſcilicet Chriſtus Dominus. Sin verò conſideretur moraliter, tunc eſt perfectio major Sacrificii, quàm Sacramenti, quia major eſt in ratione virtutis conficere Eucharistiam ad Dei cultum, & honorem, quàm ad noſtram utilitatem: & ut Sacrificium ordinatur ad Dei cultum, & ut Sacramentum ad noſtram utilitatem.

Quod ſi dicas, etiam Sacramentum perinde ac Sacrificium ordinari ad Dei cultum & honorem. Tum quia ſicut Sacramentum ordinatur ad noſtram utilitatem, ita etiam Sacrificium, proinde eſt utrinque ſaltem par ratio. Contra eſt, quia Sacrificium per ſe, & principaliter ordinatur ad cultum, & honorem Dei, & ſecundario ad noſtram utilitatem & oppoſitū contingit in Sacramento, quia hoc per ſe inſtitutum eſt ad noſtram utilitatem ſeu ſanctificationem, & conſecutivè ad Dei gloriam.

Quòd ſi dicas, Sacrificium ordinari ad uſum Sacramenti, ut ad ſuum finem, & tunc eſſe perfectiorem, quàm medium ad finem; reſpondetur, Sacrificium per ſe, & primario ordinari ad cultum Dei, ſed tantùm per accidens, & ſecundariò ad uſum Sacramenti. Præterea res magis perfecta poteſt ordinari ad minus perfectum, ut conſtat in Verbi divini incarnatione, quæ pertinet ad noſtram redemptionem.

C A P U T V.

Quis ſit principalis offerens in Sacrificio Miſſæ, & cui offeratur.

TAmetſi Sacrificium incruentum Miſſæ conſiſtat in actione ſacrificandi, & in re oblata, nihilominus adhuc dependet à principali offerente, quia actio conſecrandi non ſolùm à re oblata, verum etiam à principali offerente ſortitur ſuum valorem, & dignitatem, & rurſus Sacrificium & Sacerdotium ſunt duo eſſentialiter connexa: conſequenter non poteſt perfectè explicari tota ratio Sacrificii, niſi conſtet de principali ſacerdote, qui ad illud offerendum ordinatur, unde quæſtio eſt, quisnam ſit principalis offerens in Sacrificio incruento Miſſæ. Bellarminus *Lib. 2. de Miſſa cap. 4.* diſtinguit triplicem offerentem, ſcilicet Chriſtum, Miniſtrum, & Eccleſiam, & aſſerit, Chriſtum eſſe primarium ſacerdotem, & offerre per alios ſacerdotes, tanquam per ſuos Miniſtros, Eccleſiam vero non offerre ut ſacerdotem per Miniſtrum, ſed ut populum per ſacerdotem. Hinc aſſerimus, Chriſtum eſſe ſummum Sacerdotem, principaliter offerentem Sacrificium Miſſæ in Eccleſia per alios Sacerdotes, veluti per ſuos Miniſtros, ita D. Thomas *3. p. quæſt. 82. art. 7. ad 3.* & pluribus aliis in locis, ubi docet, Sacerdotem conſecrare in perſona, & virtute Chriſti, & illius vicem gerere, hoc idem etiam aſſeritur à Concilio Lateranenſi *in cap. Firmiter. de ſumma Trinit. & fide Catholica*, ubi ait, Chriſtum in hoc Sacrificio incruento Miſſæ ſimul eſſe Sacerdotem, & Sacrificium, cui etiam adhæret Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 1. & 2.* ubi aſſerit, eundem Chriſtum, qui ſe in Cœna & Cruce obtulit, eſſe etiam principalem offerentem in Sacrificio Miſſæ, conſequenter hanc oblationem eſſe mundam, neque propter Sacerdotum offerentium peccata, & iniquitates poſſe inquinari, unde D. Cyprianus *epiſt. 63.* ſcribit: *Sacerdos in altari vice Chriſti fungitur.*

Evincitur etiam aſſertio ex Apoſtolo Paulo *ad Hebr. 7. v. 17.* ubi ait: *Chriſtum eſſe Sacerdotem in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, neque id poteſt aliter intelligi, quàm quod Chriſtus non quidem per ſe, ſed per ſuos Miniſtros offerat quotidie Sacrificium eo ritu, quo Melchiſedech obtulit ſcilicet ſub ſpecie panis & vini, & non ad certum & definitum tempus, ſed in æternum, usque ad mundi conſummationem. Per hoc D. Paulus diſtinguit vetus teſtamentum à novo, quia in veteri plures erant Sacerdotes mortales, quorum unus alteri ſuccedebat: ſed nunc in lege evangelica, ſeu novo teſtamento unus ſacerdos eſt æternus, & immortalis, qui propterea nullos habet ſucceſſores, ſed tantùm Miniſtros, qui juſſu ſuo offerant, & tametſi Miniſtri ſint obnoxii morti, & ſibi invicem ſuccedant, non tamen principalis offerens eſt mortalis: ſed æternus, & non habet alios ſucceſſores, qui ſint principales offerentes: & hic eſt Chriſtus Dominus, qui ſemel mortuus pro peccatis noſtris, vivit in Cœlis ad dexteram Patris. Ratio etiam id evincit, quia Sacrificium Miſſæ ex Malachia debet eſſe omnino mundum, & ſanctum, per quod dif-

ſeparatus, ejus orationes efficaciam non habent, in quo ſenſu hoc Sacrificium dicitur eſſe efficax & infructuoſum tam offerentibus, quàm operantibus. Vel intelligi poteſt, extra Eccleſiam non dari verum Sacrificium, ſcilicet extra ritum, quem ſervat Eccleſia. Si intelligatur de ritu, quo Chriſtus Dominus accepto pane, & vino pronuntiavit hæc verba: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, verum eſt, extra Eccleſiam non eſſe verum Sacrificium, quia extra hunc ritum nullum aliud datur Sacrificium in ſtatu gratiæ.

Quamvis principalis offerens in Miſſæ Sacrificio ſit Chriſtus Dominus, qui eſt ſummus Sacerdos, offerens Sacrificium incruentum æterno Patri per Sacerdotes, veluti per ſuos Miniſtros, adhuc tamen fideles, qui ſunt in Eccleſia, dicuntur etiam ſuo modo offerre Sacrificium, ut paſſim docent Theologi. Et ratio peti poteſt à ſimili, quia ſicut populus fidelis in veteri teſtamento offerebat Sacrificium, ut liquet ex illo *Exodi* 5. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto*, & *Numer.* 26. *v.* 3. *Hæc ſunt Sacrificia, quæ offerre debetis*, & liquet etiam exemplis Sauli, Davidis, Salomonis, & aliorum, qui leguntur, obtuliſſe non quidem per ſe, ſed per Sacerdotem, ut obſervat D. Auguſtinus *Lib. quæſtion. veteris teſtamenti quæſt.* 46. Ergo hoc idem aſſerendum eſt ſervata proportione de populo Chriſtiano, qui etiam per Sacerdotem poteſt Sacrificium incruentum offerre Deo pro ſuis neceſſitatibus, vel pro gratiarum actione, pro ſuſceptis beneficiis, vel ob alias cauſas, quia ut vidimus Sacrificium incruentum Miſſæ eſt etiam Sacrificium laudis, gratiarum actionis, propitiatorium, & impetratorium. Idque firmatur ex ipſo Canone Miſſæ, & præſertim ex illis verbis: *Et omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt Sacrificium hoc*, ut etiam ex verbis illis: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ; ſed & cunctæ familiæ tuæ.* Ratio itidem eſt, quia Sacrificium eſt cultus publicus, & ſolemnis totius populi, ac proinde nomine totius populi exhibetur Deo per Sacerdotem. Quòd ſi petatur, quomodo populus dicatur Sacrificium offerre? Reſpondetur, quia populus in veteri teſtamento ſub duplici titulo dicebatur offerre. Primò, quia offerebat materiam Sacrificii, ut panem, vinum, turtures, animalia, capras, imo agnos, & alia id generis. Secundò, eò quia Sacerdos nomine populi ſacrificaret, ut Sacrificium eidem prodeſſet, ut notat D. Auguſtinus *Lib. quæſtion. veteris teſtam. quæſt.* 46. Fideles verò in novo teſtamento dicuntur offerre triplici modo. Primò generatim, quia ſunt membra Eccleſiæ, cujus nomine Sacerdos offert. Secundò ſpeciatim, quia cooperantur Sacerdoti ſacrificanti vel eidem inſerviendo, vel procurando, ut pro ipſis offerat, & tertio, quia per internum actum deſiderat populus eſſe particeps Sacrificii.

Cui verò Sacrificium Eucharistiæ offeratur, certum eſt, ſoli Deo offerri incruentum Miſſæ Sacrificium, non Angelis, nec ſanctis hominibus: ut falsò Hæreticis accuſant Eccleſiam Catholicam, quaſi hæc Sacrificium Miſſæ offerret Angelis, vel ſanctis hominibus, quæ calumnia abſque ullo fundamento impingitur Eccleſiæ Catholicæ: ſiquidem hæc hoc idem exequitur, quod fides profitetur, ſed docet, ac profitetur, uni Deo Sacrificium eſſe offerendum, ut conſtat ex omnibus liturgiis, & ex verbis Canonis, quibus refellitur evidenter Hæreticorum error, habetur enim in Canone: *Te igitur, Clementiſſime Pater, ſupplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta Sacrificia illibata, imprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta.*

Neque obſtat, quòd Eccleſia in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas Miſſas celebret, & Sacrificia offerat, quia non docet Eccleſia, Sacrificium Angelis, vel ſanctis hominibus offerri, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit, ut aſſerit Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. quapropter *Sacerdos non dicit: offero tibi Sacrificium, Petre, Paule, ſed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris*, & hæc ſemper fuit doctrina Eccleſiæ, ut aſſerit D. Auguſtinus *Lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. ubi ait: *Populus Chriſtianus memorias religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: ſed, quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adjuvante poſſimus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate paſſionem paratum eſſe, ſentimus. Sed illos tantò devotiùs, quanto ſecuriùs poſt certamina ſuperata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in vita feliciore victores, quàm in iſta adhuc pugnantes*, ex quibus conſtat, Eccleſiam conſueviſſe, Martyrum commemorationes inter Sacrificia Deo oblata facere, nunquam tamen ipſis Martyribus, vel Angelis, aut Sanctis hominibus Sacrificia obtulit, aliud enim eſt commemoratio alicujus Martyris, vel ſancti Confeſſoris inter Sacrificia facta, & aliud, quod ipſum Sacrificium offerat ut Martyri, vel ſancto Confeſſori, ut ait S. Cyprianus *epiſt.* 37. ubi ſcribit: *Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, & commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus, quamvis Tertullianus ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere Beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum Domino protegente celebrabimus.*

quia hi fuerunt membra unita Chriſto: hæc autem unio cum Chriſto fundatur in baptiſmo, quo, cum parvuli decedant, deſtituti, non fuerunt membra unita Chriſto.

Pro pueris tamen baptizatis, ac decedentibus ante uſum rationis, poteſt Sacrificium Miſſæ Deo Patri offerri, ut Euchariſticum, ſeu in gratiarum actionem pro beneficiis iiſdem collatis, & præſertim pro illo, quo rapti fuerunt, antequam malitia eos immutaret, ac innocentiam deperderent, ut enim docet D. Thomas *in 4.* hoc Sacrificium poteſt offerri pro unoquoque juxta ejus capacitatem, & pueri, qui deceſſerunt cum baptiſmo ante uſum rationis, ſunt capaces gratiarum actionis, quia acceperunt à Deo beneficium æternæ ſalutis; unde cùm hoc Sacrificium ſit aptum, ut offeratur pro gratiarum actione, poterit ut Euchariſticum ita offerri pro talibus parvulis.

Pro Sanctis etiam in cœlo regnantibus in gratiarum actionem offertur Sacrificium incruentum Miſſæ, prout Eccleſiaſticum, non in remiſſionem culpæ vel pœnæ, neque ad gratiam, & gloriam eſſentialem iiſdem impetrandam, quia in Sanctis, qui cœleſti donantur beatitate, nil ſupereſt expiandum, quia nihil coinquinatum intrat in regnum cœlorum, & cùm viatores amplius non ſint, neque peregrinentur à Domino, ſed attigerint jam terminum cœleſtis patriæ, ac apprehenderint bravium æternæ beatitudinis, & non poſſit eorum gratia, nec gloria eſſentialis, nec viſio intuitiva divinæ eſſentiæ augeri & incrementum aliquod accipere, ideò non poteſt pro iiſdem offerri Sacrificium propitiatorium, ſed tantum Euchariſticum in gratiarum actionem, eò quia ſint cœleſtis participes beatitudinis. Hinc Auguſtinus de verbis Apoſtoli ait: *Incipitur à fide, ut perveniatur ad ſpeciem, via curritur, patria quæritur*; & in *Pſal. 37.* ait: *In peregrinatione dicit anima noſtra, quoniam ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. In patria verò nullus orandi locus erit, ſed tantùm laudandi. Quare orandi locus nullus erit? quia nihil deeſt, quod hic creditur, ibi videtur: quod hic ſperatur, ibi tenetur: quod hic petitur, ibi accipitur. Perfectio tamen in hac vita nulla eſt, ad quam Sancti Martyres pervenerunt. Ideoque habet eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Circa animas fidelium, qui in purgatorio igne emundantur, aſſerendum eſt, eſſe dogma fidei, Sacrificium incruentum Miſſæ poſſe offerri pro iiſdem, ut hujus oblatione Sacrificii juventur, & à pœnis illis liberentur, ita docent Sancti Patres, & Theologi omnes Catholici, fuitque hoc dogma definitum in pluribus Conciliis, præſertim in Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 3.* ubi dicitur: *Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium tantùm eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel ſolùm prodeſſe ſumenti; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatis, actionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit.* Et deſumitur hæc veritas ex *Lib. 2. Machabæor. cap. 12.* ubi Judas Machabæus juſſit offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum, habetur enim: *Fortiſſimus Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, benè, & religioſè de reſurrectione cogitans: niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum, orare pro mortuis: & quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam, Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Unde à ſacra ſcriptura approbatur, quòd Judas Machabæus juſſerit offerri Sacrificium pro peccatis mortuorum, ait enim: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*, ſi enim orare, & Sacrificia offerre mortuis provenit, & ex ſancta cogitatione, & ex ſpeciali motione Dei concurrentis ad ſanctas cogitationes, ſequitur, orare, & Sacrificium offerre pro mortuis, eſſe opus virtutis, inſpiratum à Deo; unde Auguſtinus *Lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1.* attendens ad præfatum Machabæorum *cap. 1.* inquit: *In Machabæorum libris legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium: ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas. ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet, etiam commendatio mortuorum.* Quòd verò Hæretici negent, Libros Machabæorum eſſe Canonicos, id nonniſi impudenter inficiantur, cum ab Eccleſia omni ævo habiti ſemper fuerint pro Canonicis, ut diſertè oſtendunt Sancti Patres, præſertim Auguſtinus *Lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. & cura pro mortuis cap. 1.* Neque urget, quòd objiciunt Hæretici, Authorem, qui ſcripſit libros Machabæorum, in fine veniam petere: quia non petiit veniam, quaſi dubitaverit de eorum veritate, ſed ſolùm quoad ea, quæ pertinent ad ſtylum ac modum ſcribendi, ſiquidem Spiritus Sanctus tantùm aſſiſtit Canonicis Scriptoribus, quoad veritatem dicendam, & quòd ita ſcribant, ut non inducant in errorem alios: modus autem ſcribendi & ſtylus dependet ab ingenio ſcribentium: & hæc eſt ratio, cur ſtylus librorum Jobi, & Machabæorum ſit à ſtylo cæterorum diverſus.

Præterea praxis offerendi Sacrificium pro mortuis ſuam traxit originem ab ipſis Apoſtolis, & ex Apoſtolica traditione fuit in Eccleſiam derivata, ut aſſerunt antiquiſſimi Patres, qui meminerunt hujus religioſæ obſervantiæ. Tertullianus *Lib. de corona milit. cap. 3. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus.* Unde moris fuit tempore Tertulliani, ut oblationes, & Miſſæ Sacrificium pro defunctis fierent, & paucis interjectis: *Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo Confirmatrix, & fides obſervatrix.* S. Cyprianus *epiſt. 66.* ſuo & Concilii Carthaginenſis nomine in memoriam revocat Epiſcoporum decretum, quo, ſi quis Clericum tutorem nominâſſet, prohibet, eo defuncto piaculare offerri Sacrificium pro illius anima, ex quo conjicitur, quod tempore Cypriani conſueverit Eccleſia piaculare Sacrificium offerre pro defunctis, ſi non adeſſet ullum impedimentum, ait enim Cyprianus: *Quòd Epiſcopi Anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: &, ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur, neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes,*

hanc vitam relevari quiſpiam, vel gravari, nemo autem ſe ſperet, quod hic neglexerit, cùm obierit, apud Deum promoveri. Non igitur iſta, quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt adverſa ſententiæ, qua dictum eſt, omnes enim adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum, ut ait Apoſtolus ad Roman. 14. *v.* 10. *&* 2. *ad Corinth.* 5. *quia etiam hoc meritum ſibi quiſque, dum in corpore viveret, comparavit, ut ei poſſint iſta prodeſſe. Non tamen omnibus proſunt, & quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ, quam quiſque geſſit in corpore: cùm ergo Sacrificia ſive altaris, ſive quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur; pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis, propitiationes ſunt; pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certè, ut tolerabilior fiat ipſa damnatio.* Expreſſè ait Auguſtinus pro valde bonis, ſeu in cœlo beatis eſſe gratiarum actiones, ac poſſe offerri incruentum Miſſæ Sacrificium, ut Eucharisticum, pro valde malis, ſeu pro detentis in carcere gehennali, non eſſe propitiationes, conſequenter non poſſe preces fundi, nec Sacrificia propitiatoria Deo offerri, ut iiſdem ſint levamini, quia nulla ſunt, ut loquitur Auguſtinus, adjumenta mortuorum damnatorum, quamvis poſſint eſſe vivorum conſolationes. Pro non valde malis, ſeu pro iis, qui ex hac vita deceſſerunt ſine lethali noxa, eo quia reſipuerint, & pœnitentiæ lachrymis maculas abſterſerint, quia tamen ſuperſunt aliquæ pœnæ luendæ, ac ſatisfactio aliqua temporalis divinæ juſtitiæ præſtanda, ideo pro iſtis non valde malis, quique flammis expiatoriis purgantur, ſunt propitiationes, quia orationes, quæ pro ipſis Deo funduntur, & Sacrificia incruenta Miſſæ, quæ omnipotenti Deo offeruntur, illis afferunt levamen, hinc ait Auguſtinus: *quibus autem proſunt,* (ſcilicet illis animabus, quæ purgantur flammis expiatoriis,) *aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certè, ut tolerabilior fiat ipſa damnatio.* Scilicet damnatio ad ſubeundas pœnas expiatorias in purgatorio, quia, ſi illis totaliter non remittuntur, attemperantur tamen, nec pœna eſt tam gravis, neque tam diuturna. Hoc idem etiam aſſerit Auguſtinus *Lib. de cura gerenda pro mortuis cap.* 18. Alii quoque Sancti Patres hoc idem ſemper docuerunt, & Doctores Eccleſiæ Catholicæ aſſerant, & docent, ideoque huic dogmati, quidquid contra ipſum oblatrent Sectarii, adhærendum eſt, quia, ut ait Auguſtinus *Lib.* 4. *de baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum, certiſſimè creditur.* Hoc idem fidei dogma etiam declaratur *diſt.* 1. *de conſecrat. cap. viſum.* 72. & deſumitur ex Concilio Gabilonenſi II. *can.* 39. ubi dicitur: *Viſum præterea nobis eſt, ut in omnibus Miſſarum ſolemnitatibus, pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur, ſicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viventibus, & pro quibuslibet neceſſitatibus Dominus deprecetur: ita nimirum nullus dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolemnibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem ſancta tenet Eccleſia, ut & in Miſſarum ſolemnibus, & in aliis precibus Domino ſpiritus quieſcentium commendet.*

Ratio ſiquidem eſt aſſignatu facilis, quia Sacrificium Miſſæ, utpote applicativum Sacrificii crucis, ejuſque virtutis, id præſtat, quod Sacrificium crucis: ſed Sacrificium crucis fuit Sacrificium pro peccatis humani generis, & pœnis debitis, fuitque oblatum pro exiſtentibus in purgatorio, ex vi cujus fuerunt conſtituti in ſtatu ſalutis, quia habet vim producendi ad gloriam, ergo Sacrificium Miſſæ eſt ſatisfactorium pro animabus fidelium defunctorum, quæ purgatorio igne adhuc expiantur, & firmari etiam poteſt, quia hæ animæ defunctorum ſunt membra corporis myſtici, cujus caput eſt Chriſtus, & ſunt in ſtatu purgationis in ordine ad perveniendum ad Eccleſiam triumphantem, in quam non ingreditur quid inquinatum: quapropter videntur aliquo pacto adhuc pertinere ad Eccleſiam militantem, quatenus debent ſolvere debita, quæ in illa contraxerunt, ergo, cum membra trahant capacitatem influxus capitis juxta menſuram ſui ſtatus, poſſunt percipere fructum ſatisfactorium, provenientem ex hoc Sacrificio.

Neque obſtat, quòd reſpondent Sectarii, animas illorum tantùm eſſe capaces fructus provenientis ex hoc Sacrificio, quæ capaces ſunt ſumendi Sacramentum Euchariſtiæ: quia quando Chriſtus locutus fuit de uſu hujus myſterii, dixit: *Accipite, & manducate,* ſed mortui non poſſunt accipere, nec manducare, conſequenter non poſſunt percipere fructum ſatisfactorium hujus Sacrificii, quod propterea non poteſt pro illis offerri. Nam contra eſt, quia, quando Chriſtus dixit: *Accipite, & manducate,* non fuit locutus de oblatione Sacrificii, ſed de participatione rei oblatæ, ſeu Sacramenti. Ut autem hoc Sacrificium offeratur pro aliis, non eſt neceſſe, ut illi accipiant, & manducent hoc Sacramentum, cùm Sacrificium offeratur pro abſentibus, qui nullo pacto poſſunt participare de re oblata, unde ut animæ, quæ purgatorio igne expiantur, fructum percipiant ſatisfactorium hujus Sacrificii, non eſt neceſſe, ut communicent, nec accipiant, & manducent rem oblatam, quapropter Sacrificium Miſſæ offerri poteſt pro omnibus & ſingulis, qui purgatorio expiantur igne, ſiquidem omnes & ſinguli ſunt membra viva Chriſti, & poſſunt participare influxus capitis, quorum ratione ſtatûs ſunt capaces, quia ad participandos ſuos fructus, ac influxus capitis, ſeu Chriſti, nihil aliud deſideratur, quàm unio fidelium cum capite, & quia, quæ detinentur animæ in purgatorio, ſunt in ſtatu gratiæ ſanctificantis, ratione cujus uniuntur Chriſto, ut capiti, ſequitur, eſſe capaces influxus capitis, & ut offeratur hoc Sacrificium, cujus fructum participent.

Objiciunt tamen Hæretici, quia poſt hanc vitam peccata non remittuntur, & quibus in hoc mundo remiſſa ſunt, nulla ſupereſt pœna in altero ſæculo luenda, eò quia per pœnitentiam, & reſipiſcentiam Deo jam ſatisfecerint, à quo propterea jam placato condonata ſunt illis peccata: ex quo inferunt, Sacrificium non poſſe pro defunctis offerri, ut percipiant ejus fructum. Sed contra, quia tametſi peccata mortalia in alio ſæculo non remittantur, eò quia ſine reſipiſcentia, & pœnitentia remitti non poſſiut, cujus peragendæ ſpatium in hac vita tantùm

provenientes expoſtulat applicari fidelibus Jeſu Chriſti, in quo ſenſu orat Eccleſia tempore adventûs: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, & hoc pacto celebrat ſolemnitates Nativitatis Domini, paſſionis, & reſurrectionis, & aſcenſionis, quæ ita ſupponuntur recoli, quaſi adhuc adimplenda eſſent, vel ipſa die impleta, cùm jam multò ante fuerint omnia adimpleta: Eccleſia igitur revocat in memoriam tempore adventus deſideria illa, quæ habuerunt Patriarchæ, Prophetæ, & alii viri juſti, antequam Verbum divinum noſtram indueret humanitatem, & eadem vota, ac ſi prævenientia eſſent, recolit, & reperit, ut etiam alia myſteria, quibus aliæ ſolemnitates in Eccleſia celebrantur, quapropter D. Auguſtinus *epiſt.* 98. *ad Bonifacium Epiſcopum* ait: *Nempe ſæpe ita loquimur, ut paſcha propinquante dicamus craſtinam vel perendinam Domini paſſionem, cùm ille ante tam multos annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel illa paſſio facta ſit, nempe ipſo die Dominico, dicimus, hodie Dominus reſurrexit, cùm, ex quo ſurrexit tot anni tranſierint, cur nemo tam ineptus eſt, ut nos ita loquentes arguat eſſe mentitos? niſi quia iſtos dies ſecundùm illorum, quibus hæc geſta ſunt, ſimilitudinem nuncupamus, & dicatur ipſe dies, qui non eſt ipſe, ſed revolutione temporis ſimilis ejus, & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed jam olim factum eſt.* Perinde Eccleſia, quando fundit preces, vel offert Sacrificia, pro defunctis recolit, in memoriam illud nittens, quo anima defuncti ſejuncta eſt à corpore, & Dominum Jeſum Chriſtum enixiùs orat, ut eum liberet de pœnis inferni, & de morte æterna.

CAPUT VII.

An Sacrificium Miſſæ offerri poſſit pro omnibus hominibus Viatoribus fidelibus, & infidelibus?

SEnſus quæſtionis eſt, an Sacrificium Miſſæ offerri poſſit pro omnibus hominibus, mortalem vitam agentibus, ſive Pagani ſint, & Judæi, ſive Hæretici, & Catechumeni. Certum eſt enim, hoc Sacrificium offerri poſſe, non ſolùm pro ipſo ſacrificante, ſed etiam pro aliis, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 79. *art.* 5. *in corpore*, ubi aſſerit: Euchariſtiam ut Sacramentum prodeſſe tantùm ſumenti, quatenus verò eſt Sacrificium, ſortiri etiam ſuum effectum in eo, qui offert, & in iis, pro quibus offertur: quia munus Sacerdotis eſt, pro aliis offerre Sacrificium, dicente Apoſtolo *ad Hebr.* 6. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis*, ſcilicet non tantùm pro peccatis propriis, ſed etiam alienis, ut liquet ex contextu; dicitur enim Sacerdos pro hominibus conſtitui ad offerendum, & ſubdit Apoſtolus, *propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre, pro peccatis*, quod etiam conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ non ſolùm applicat fructum Sacrificii pro aliis perſonis; ſed etiam in Canone Miſſæ declarat, ſe offerre Sacrificium pro aliis, & ſpeciales etiam inſtituit liturgias pro determinatis perſonis. Præterea, quia etiam in lege Moſaica Sacrificia offerebantur pro aliis, ut liquet ex Levit. Job etiam offerebat Sacrificia pro filiis. Quamobrem difficultas eſt, pro quibus poſſit hominibus viatoribus offerri hoc Sacrificium incruentum Miſſæ.

Aſſerendum eſt primò, Sacrificium Miſſæ de facto offerri pro tota Eccleſia, ſeu pleno cœtu fidelium, adeo ut Sacerdos teneatur pro illa offerre, & lethaliter peccet, ſi illi non offerat, non quòd debeat habere intentionem expreſſam offerendi pro illa, ſed ſufficiat, ſi intendat celebrare juxta ritum Eccleſiæ Catholicæ. Ita docent communiter Theologi cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 39. *art.* 7. Ratio primæ partis evincitur ex praxi Eccleſiæ præſcribentis, ut hoc Sacrificium offeratur pro tota Eccleſia, ſeu univerſo fidelium cœtu: etenim in Canone Miſſæ habetur: *Inprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica.* Et rurſus: *Pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus*, ex quibus liquet, ex inſtitutione Eccleſiæ offerri hoc incruentum Miſſæ Sacrificium pro ipſa Eccleſia, & toto fidelium cœtu, quo conficitur Eccleſia Catholica, quatenus fideles omnes ſimul collecti unum corpus myſticum efficiunt ſub uno viſibili capite Summo Pontifice. Hoc idem fuit itidem ſtatutum in Tridentina Synodo *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. juxta Apoſtolorum traditionem: Ratio itidem eſt, quia hoc Sacrificium ex ſui natura eſt publicum & commune; neque poteſt quisque illud offerre, ſed tantùm Sacerdotes: ergo, ut poſſet quisque ejus fructum participare, debuit de facto ex præſcriptione Eccleſiæ offerri pro toto cœtu fidelium, ſeu pro tota Eccleſia. Præterea, quia Eccleſia defert Deo ſupremum cultum Sacrificii per Sacerdotes, conſequenter debet offerri pro tota Eccleſia, ut hoc participet fructum provenientem ex tali cultu.

Neque obſtat, ſi dicas, plures fideles non concurrere ad hujus Sacrificii oblationem, imò neque de hoc cogitare, conſequenter pro ipſis non offerri. Nam contra eſt, negatur conſequentia, quia oblatio Sacrificii, & concurſus ad illam, non eſt ulla diſpoſitio ad recipiendum fructum Sacrificii, provenientem ab aliena oblatione, ergo, ut quis pro alio offerat Sacrificium, non eſt neceſſe, ut hic concurrat ad offerendum: etenim Job offerebat pro filiis non concurrentibus ad illam oblationem, Chriſtus itidem in cruce obtulit ſe ipſum in Sacrificium pro hominibus, qui tamen non fuerunt offerentes in illo Sacrificio, igitur Sacrificium ex ſe habet, ut poſſit offerri pro aliis. Rurſus Sacerdos ex vi ſui muneris debet pro aliis Sacrificium offerre, quamvis in eo, pro quo offertur Sacrificium, non requiritur, ut concurrat ad illud, quia hic concurſus non eſt ulla diſpoſitio ad recipiendum fructum Sacrificii, provenientem ab aliena oblatione, ſed ſufficit ſola capacitas in eo, quod offertur.

Quòd etiam Sacerdos teneatur offerre pro tota Eccleſia, conſtat, quia hæc obligatio oritur ex inſtitutione Eccleſiæ, præſcribentis talem univerſalem oblationem, quam ſignificat in Canone, adeò ut hanc tranſgredi ſit, graviter violare præceptum ritumque Eccleſiæ. Rurſus oritur hæc obligatio etiam ex natura Sacrificii, & ejus inſtitutione, ut declaravit Tridentina Synodus

Dei, ait Auguſtinus: *Dic ergo apertiſſimè, nos pro iis, quibus evangelium prædicamus, non debere orare, ut credant, ſed eis tantummodo prædicare. Exere contra orationem Eccleſiæ diſputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei, ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut Deus eos convertat ad fidem; & pro Catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret, & pro fidelibus, ut in eo, quod eſſe cœperunt, ejus munere perſeverent, ſubſanna pias voces, & dic te non facere, quod hortatur, id eſt, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quia non ſint iſta divinæ miſerationis beneficia, ſed officia humanæ voluntatis.* Pro illis igitur omnibus eſt Sacrificium incruentum Miſſæ offerendum, quos Deus vult ſalvos fieri, & ad [illegible] veritatis venire: ſed Deus vult omnes homines ſalvos fieri, pro quibus mortuus eſt, etenim, ut ait Apoſtolus *ad Roman. 5. v. 18. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Tota Apoſtoli antitheſis eo ſpectat, ut probet, quod ita juſtitia Chriſti omnibus hominibus profuit; ſicut peccatum Adæ obfuit: ſed Adæ peccatum omnibus hominibus obfuit (una excepta Virgine Matre ex ſpeciali privilegio avita labe immuni) ergo ſi Chriſtus, & ejus Sacrificium cruentum Crucis profuit omnibus hominibus, perinde Sacrificium incruentum Miſſæ, cum ſit repræſentativum, & applicativum Sacrificii cruenti Crucis: debet poſſe omnibus prodeſſe. Ergo, ſi Sacrificium pro omnibus illis poteſt offerri, quos Deus vult ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, & pro quibus Chriſtus pendens in Cruce, dignatus eſt orare, pro iiſdem poteſt Sacrificium incruentum Miſſæ offerri.

Hinc poteſt hoc Sacrificium offerri etiam pro peccatoribus, ut reſipiſcant. Ratio eſt, quia peccatores per fidem adhuc comprehenduntur in corpore myſtico Eccleſiæ, & Chriſti paſſio fuit præſertim ordinata in beneficium peccatorum; adeò ut in virtute illius accipiant auxilia ad reſurgendum: &, cum Sacrificium incruentum Miſſæ ſit applicativum Sacrificii cruenti Crucis, & participet ejus virtutem, ſequitur, poſſe Sacrificium Miſſæ applicari pro peccatoribus. Rurſus quia Sacrificium Miſſæ ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 1.* eſt hoſtia pro peccatis, ſicut fuit Sacrificium Crucis, ergo poteſt offerri pro peccatoribus, ut iis obtineatur, ut reſipiſcant, & remittantur peccata, hinc non poteſt hoc Sacrificium offerri pro peccatoribus, quatenus eſt ſatisfactorium, ut docet D. Thomas *3. part. quæſt. 79. art. 7. ad 2.* quia ſine remiſſione peccati non ſit remiſſio pœnæ, ut enim quis ſatisfaciat Deo, vel debet eſſe membrum vivum Chriſti, exiſtenti enim in lethali debetur pœna æterna, imò neque poteſt offerri, ut Satisfactorium pro peccatoribus cum relatione ad tempus, in quo erunt capaces ſatisfactionis, quia non eſt in poteſtate Sacerdotis ſuſpendere effectum Sacrificii: unde ſi quando offertur pro aliquo, hic eſt incapax ſatisfactionis, non ampliùs erit receptaturus fructum Sacrificii, ratio eſt, quia Sacrificium operatur ſuos effectus ad modum cauſæ naturalis, quæ applicata ſubjecto, ſi illud reperiat incapax, fruſtratur ſuo effectu. Præterea, quia Sacrificium producit ſuos effectus juxta menſuram ſuæ inſtitutionis: & Sacerdos non habet poteſtatem quâ [illegible] alterandi, Chriſtus autem inſtituit hoc Sacrificium, ut operaretur juxta præſentem capacitatem ſubjecti.

Quod ſi dicas, Sacramenta recedente fictione producere gratiam, conſequenter etiam hoc Sacrificium eſſe ſatisfactorium recedente peccato. Contra eſt, quia, tametſi Sacramenta, quæ non poſſunt iterari, recedente fictione producant gratiam; non tamen inde ſequitur, Sacrificium eſſe ſatisfactorium recedente peccato. Ratio diſcriminis eſt, quia Sacramenta ſunt ſigna ſanctificativa, quæ per ſe primò ordinantur ad cauſandam gratiam: hinc eatenus recedente fictione producunt gratiam, quia hic eſt effectus primarius Sacramentorum, quapropter, ne careant ſuo primario fine, producunt gratiam recedente fictione. Sed Sacrificium non ordinatur per ſe primò ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſed ad exhibendum debitum cultum Deo, quem finem, cum Sacrificium ſemper conſequatur; non eſt neceſſe, quod recedente peccato operatur effectum ſatisfactionis, quia ſine hoc jam obtinuit ſuum finem.

An verò applicari poſſit Sacrificium Miſſæ pro excommunicatis, reſpondetur affirmativè ad eum ſcilicet finem, ut depoſita animi contumacia convertantur, & ad gremium Eccleſiæ revertantur, etenim, quamvis eorum, ut etiam aliorum Eccleſiæ hoſtium nomina exprimi non debeant à Sacerdote ſacrificante, juxta veterem Eccleſiæ conſuetudinem, imò neque fas ſit, eorum meminiſſe inter Eccleſiæ membra, poteſt tamen ſuppreſſo nomine pro iiſdem applicari Sacrificium incruentum, ut depoſita contumacia ad Eccleſiam revertantur. Hinc D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 18. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 1.* ait: *Pro infidelibus oratur, ſed ipſi fructum orationis non percipiunt, niſi ad fidem convertantur, ſimiliter & pro excommunicatis orari poteſt, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ fiunt, & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent; ſed oratur, ut detur eis Spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione ſolvantur.* Rurſus *ad 3.* ſubdit S. Doctor: *Eccleſia per excommunicationis ſententiam ſeparat excommunicatos ab univerſitate fidelium, pro quibus ſuffragia facit: unde ſuffragia Eccleſiæ eis non proſunt, quæ pro tota Eccleſia fiunt, nec ex perſona Eccleſiæ oratio pro eis inter membra Eccleſiæ fieri poteſt, quamvis aliqua perſona privata poſſit ad eorum converſionem aliquod ſuffragium per intentionem dirigere.*

Quòd ſi dicas, D. Auguſtinum *Lib. 1. de origine animæ cap. 9.* aſſerere, Sacrificium corporis Chriſti non poſſe offerri, niſi pro iis, qui ſunt membra corporis Chriſti, ait enim: *Quis offerat ſacrificium corporis Chriſti, niſi pro iis, qui ſunt membra Chriſti?* reſpondetur, Sacrificium corporis Chriſti tantum poſſe offerri pro iis, qui ſunt membra Chriſti vel actu, vel potentia; ſufficit enim, ſi poſſint eſſe membra Chriſti, quia pro infidelibus offertur hoc Sacrificium, ut convertantur. Præterea verba Auguſtini ſunt intelligenda, ut Sacrificium corporis offeratur pro membris Chriſti, & tunc dicitur offerri pro membris Chriſti, quando offertur pro aliquibus, ut ſint membra Chriſti, ut explicat D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4.* Rurſus D. Auguſtinus *loc. citat.* loquitur de defunctis, non de vivis, & quia defuncti,

ſi

CAPUT VIII.

Quem effectum & valorem habeat Sacrificium incruentum Missæ?

CErtum est, Sacrificium incruentum Missæ non posse quidquam causare independenter à Sacrificio cruento Crucis, siquidem Sacrificium Crucis est causa generalis omnium effectuum gratiæ, siquidem Apostolus ait: Quòd Deus posuit Christum propitiationem in sangvine ipsius, adeò ut Sacrificium incruentum Missæ non solùm sit imago, verùm etiam applicatio fructuum Sacrificii incruenti Crucis. Hinc asserendum est, Sacrificium incruentum Missæ esse verè propitiatorium, & pro suo effectu habere quidem remissionem peccati, nunquam tamen per illud causari immediatè primam gratiam, nec remissionem peccati mortalis, nec augmentum gratiæ, neque remissionem peccati venialis, ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. ubi ait: *Docet S. Synodus, Sacrificium istud verè esse propitiatorium, & per ipsum fieri, ut si cùm vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatur Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*, & *can.* 3. ait: *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema sit.* Quapropter constat, esse de fide, hoc incruentum Sacrificium Missæ esse propitiatorium, & valere ad remissionem peccatorum, & pœnarum, pro illis debitarum, quia, ut ait Apostolus *ad Hebr.* 5. *Omnis Pontifex constituitur, ut offerat Sacrificia pro peccatis*: sed certum est, Sacerdotes novæ legis nonnisi Sacrificium incruentum Missæ posse offerre, consequenter hoc Sacrificium est propitiatorium, & Sacerdotes illud offerunt non solùm pro se ipsis, sed etiam pro peccatis populi, quia, ut ibidem subjungit Apostolus: *Debet* (scilicet Sacerdos) *quemadmodum pro populo, ita pro semetipso offerre pro peccatis*, qua de causa Cyprianus *serm. de Cœna Domini* ait, Evcharistiam esse holocaustum ad purgandas iniquitates, ex quo sequitur, Sacrificium incruentum Missæ esse propitiatorium pro remissione peccati mortalis, & venialis, adeò, ut hæc remissio sit aliquo pacto fructus ipsius. Præterea, quia Julius I. *epist. ad Episcopos Ægypti* ait: *Cùm omne crimen, atque peccatum oblatis Deo Sacrificiis deleatur.* Et Alexander I. *epist.* 1. *cap.* 4. ait: *Talibus hostiis placabitur Deus, & peccata remittet ingentia*, quæ verba etiam habentur in Concilio Tridentino, & fusiùs hoc fidei dogma ostendit Bellarminus *Lib.* 2. *cap.* 2. Rursus hoc Sacrificium esse propitiatorium, non solùm pro remissione mortalium, sed etiam venialium, ex eo probatur facile, quia huic Sacrificio id omne concedendum est, quod Sacramentalibus contribuitur: sed Sacramentalia habent vim remittendi culpas veniales: ergo à fortiori hoc Sacrificium incruentum. Præterea, quia in lege Mosaica erant quædam Sacrificia, quæ infallibiliter expiabant à legalibus immunditiis: ergo à fortiori lex gratiæ habere debet Sacrificium aliquod, quod expiat à culpis levibus & venialibus, in quas quotidie delabimur.

Quòd verò hoc Sacrificium incruentum Missæ non causet immediatè primam gratiam, neque remissionem peccati lethalis, eo modo, quo Sacramenta mortuorum eam causant, docent communiter Theologi, & constat ex Tridentino, asserente, quòd hujus *Sacrificii oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata ingentia dimittit*: ergo nonnisi mediatè per hoc Sacrificium incruentum dimittuntur peccata, seu mediante dono pœnitentiæ: quia tunc peccatum dimittitur tantùm mediatè, non immediatè, quando dimittitur mediante alio: sed ex Concilio Tridentino Deus per oblationem hujus Sacrificii dimittit peccata lethalia, quatenus concedit donum pœnitentiæ, quo mediante remittit peccatum ex opere operato: siquidem ille effectus causatur ex opere operato ab hoc Sacrificio incruento, qui causatur ex sola dignitate Sacrificii independenter à merito Sacerdotis, & illius, pro quo offertur: per hoc enim distinguitur effectus ex opere operato, ab effectu ex opere operantis, quia ille datur intuitu meritorum Christi, & ex institutione ipsius, quatenus sua merita tali, vel tali peculiari modo applicavit, effectus verò ex opere operantis, nonnisi intuitu meriti ipsius facientis opus datur: sed remissio peccatorum venialium causatur ex sola dignitate Sacrificii, independenter à merito Sacerdotis, aut ejus, pro quo offertur, ut habetur in Tridentino *sess.* 22. *Quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruentè obtulit: declarat Sancta Synodus, Sacrificium istud verè propitiatorium esse.* Sed hoc illi convenit ratione rei oblatæ, & principalis offerentis, & ejus propriæ dignitatis, consequenter remissio peccatorum venialium causatur ex hoc Sacrificio incruento Missæ ex opere operato, seu ex sola dignitate Sacrificii, quapropter stat, hoc Sacrificium incruentum Missæ esse propitiatorium, & causare ex opere operato remissionem peccatorum, non immediatè, sed mediante dono pœnitentiæ, quatenus nobis impetrat auxilium ad actum pœnitentiæ, quo peccata immediatè nobis remittuntur. Hinc etiam constat, hoc Sacrificium incruentum non causare immediatè primam gratiam, nec ejus incrementum, sed tantùm mediante aliquo auxilio ad actum pœnitentiæ. Præterea, quia neque ex scripturis, neque ex traditione, neque ex institutione hujus Sacrificii constat, quòd prima gratia causetur ab hoc Sacrificio incruento, ut causatur per Sacramenta mortuorum. Tùm quia, si proprius effectus Sacramentorum tribueretur huic Sacrificio, etiam effectus Sacrificii tribueretur Sacramentis, sicque confunderentur Sacramenta cùm Sacrificio. Rursus, quia Sacerdos consecrans in peccato, per solam Consecrationem justificaretur, sicque posset accedere cum peccato lethali etiam cognito, quia accederet ad remedium per se institutum ad delendum peccatum lethale. Præterea posset quilibet peccator ex eo, quòd daret stipendium pro Missa celebranda justificari cum sola attritione, quod est falsum.

Quod verò ad peccata venialia attinet, an illa remittat aliquo modo immediatè, vel tantùm mediatè, utrumque videtur probabile, & quidem quòd causet immediatè remissionem venialium, sequitur à fortiori ex eo, quòd mediatè causet remissionem mortalium. Cœterùm quòd probabile etiam immediatè causare remissionem venialium, ex eo ostendi potest, quia dupliciter possumus intelligere hanc immediatam remissionem; primò absque eo, quòd homo ponat ullum actum detestationis formalis, aut virtualis, etiam imperfectè: & hoc pacto censerem, non esse probabile, posse immediatè remitti venialia per hoc Sacrificium: quia peccata venialia de via ordinaria non tolluntur, absque aliqua mutatione facta in homine, in quo delentur venialia; Secundò potest ita intelligi, ut hæc remissio ita fiat, ut homo eliciat quidem aliquem actum, sed non ita perfectum, ut ex se sufficiat ad remissionem venialium, & nihilominus virtute hujus Sacrificii remittantur ei venialia, & in hoc sensu censerem probabile, hoc Sacrificium aliquo modo immediatè causare remissionem venialium, sicut Sacramentum pœnitentiæ dicitur immediatè remittere peccata mortalia ex opere operato, quia ea etiam remittit illi, qui non habet, nisi actum attritionis, qui ex se solo esset insufficiens ad remittenda lethalia.

Quòd si dicas, hoc Sacrificium ex propria sua ratione esse propitiatorium, & placare Deum justè iratum nobis propter injurias ipsi illatas per peccata, consequenter immediatè remittere peccata lethalia, alioquin si tantùm mediatè illa remitteret, non esset magis propitiatorium, quàm Sacramentalia, quia hæc etiam tribuunt auxilium gratiæ, per quæ movemur ad resipiscendum, & ad pœnitentiam agendam. Quinimò, si hoc tantùm modò causaret remissionem lethalium, esset tantùm impetratorium, non propitiatorium. Præterea, quia nulla est ratio probans gratiam immediatè produci per Sacramentum, quæ etiam non probet, eam itidem produci per Sacrificium, consequenter Sacrificium incruentum Missæ immediatè causet primam gratiam, & remissionem lethalium. Sed contra, quia hoc Sacrificium incruentum, eatenus est propitiatorium, quia delet reatum pœnæ, quod convenit nulli Sacramento. Ratio itidem, ob quam Sacramenta producant gratiam, non Sacrificium est, quia Sacramentum ex propria ratione est signum sensibile gratiæ: Sacrificium verò est tantùm signum supremi Dominii Dei.

Asserendum secundò, Sacrificium incruentum Missæ immediatè causare remissionem reatus pœnæ, & conferre auxilia, quibus homo disponitur ad obtinendam gratiam, & remissionem cujuslibet peccati, mortalis, & venialis, ad obtinendum augmentum gratiæ & bona, tùm temporalia, tùm spiritualia. Quòd tollat reatum pœnæ temporalis, docent communiter Theologi cum D. Thoma *quest. 3. art. 5.* & desumitur etiam ex Concilio Tridentino *sess. 22. c. 2.* & *sess. 25.* ubi dicitur, offerri hoc Sacrificium incruentum Missæ pro defunctis, in Purgatorio existentibus, quique tantùm habent reatum pœnæ. Ratio potest assignari, quia hic effectus nullius est Sacramenti proprius, & eo præsertim nomine dicitur propitiatorium, quia per illud satisfit Deo, quod est maximè proprium Sacrificii. Quòd etiam causet immediatè auxilia, quibus homo liberatur à peccatis, & crescit in gratia, definitur itidem in Concilio Tridentino *loc. cit.* ubi asserit, hujus Sacrificii oblatione placatum Dominum gratiam, & donum pœnitentiæ concedere, & ingentia peccata dimittere. Deinde ait, fieri per Sacrificium, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Rursus, quòd etiam valeat ad obtinenda bona temporalia, ex eo liquet, quia pro iis etiam offerri potest, seque extendit ad ea omnia, ad quæ extenditur oratio.

Asserendum tertiò, Sacrificium incruentum Missæ esse itidem impetratorium, adeò ut plurimum valeat ad impetranda beneficia à Deo, idque constat ex liturgiis SS. Jacobi, Clementis, Basilii, & Chrysostomi, in quibus jubemur inter offerendum orare pro pace, pro abundantia fructuum, & aliis beneficiis temporalibus: hoc idem etiam docent Sancti Patres. Tertullianus *ad Scapulam* ait: *Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Cyrillus *Catechesi quinta Mystagogica* ait: *Super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, afflictis, & pro omnibus, qui egent auxilio.* Augustinus *Lib. 2. de Civit. Dei cap. 8.* *Unus ex Presbyteris obtulit tibi* (nempe in domo infestata à Dæmonibus) *Sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, & Deo protinus miserante cessavit.* Similia habent alii Sancti Patres.

Hæc assertio fundatur in eo, quòd Missa sit Sacrificium propriè dictum, ut constat ex Scripturis. Isaias enim *cap. 66. v. 19.* prædixerat, in novo testamento fore Sacerdotes, altaria, Sacrificia: De Sacerdotibus ait: *Mittam ex eis, qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, Lydiam, Italiam, & Græciam, ad eos, qui non viderunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus Domino ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, & assumam ex eis Sacerdotes, & Levitas.* Quorum verborum hæc est interpretatio: *Mittam ex eis, qui salvati sunt*, scilicet Apostolos, & alios Discipulos Jesu Christi, qui ex Judæis sint in eum credituri, ad gentes in mare, in Africam, Lydiam, Italiam, Græciam ad convertendos gentiles, qui per totum orbem diffusi sunt, & *qui non audierunt de me*, quia non habuerunt Legem, & Prophetas, à quibus audire possent de venturo Messia, *& non viderunt gloriam meam*, scilicet Christum docentem, & miracula facientem, *& annuntiabunt gloriam meam Gentibus*, id est, gloriam resurrectionis, & ascensionis meæ, & præterita miracula facta in confirmationem meæ resurrectionis, *& adducent omnes fratres vestros*, scilicet Christianos, & fideles Jesu Christi famulos, *de cunctis Gentibus ad montem sanctum Hierusalem*, id est, ad Ecclesiam Christi, *& assumant ex eis*, scilicet ex Gentibus conversis, *in Sacerdotes*, quod factum est in exordio Ecclesiæ, quando Clemens, Dionysius Areopagita, & alii Gentiles post conversionem initiati sunt Sacerdotes, & Episcopi in Ecclesia Christi. Rursus de Altaribus, & Sacrificiis sic habet, *cap. 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Dominus juxta terminum ejus erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti*; & paulo post subdit: *Et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & muneribus*, ubi per Ægyptios intelliguntur Ægyptii convertendi ad fidem Jesu Christi, qui post conversionem offerent munera, & hostias vero Deo, adeò ut sensus sit, in die illa, quando Evangelium Christi promulgabitur, *erit altare in medio terræ Ægypti*, seu altare Christi erit in medio gentium; non enim ad solos Judæos pertinebit, sed etiam ad

Gen-

Digitized by Google

Gentes. *Et titulus Domini juxta terminum ejus erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti*, quæ verba intelliguntur de titulo, quem Pilatus affixit cruci Christi, & fuit *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, nam hic titulus toto orbe terrarum erectus est, in signum, & testimonium, quod ubique terrarum Christus prædicetur, & agnoscatur; *& agnoscent Ægyptii Dominum in die illa*, scilicet per fidem. *& colent eum in hostiis*, scilicet in Sacrificiis, in Sacrificio Missæ, quod, tametsi unicum sit, pluribus tamen hostiis, ac oblationibus in veteri testamento præfiguratum fuit, ideoque dicitur in hostiis, non in hostia, igitur ex Isaia constat de Sacrificio Missæ incruento, quòd non solùm sit propitiatorium, sed etiam impetratorium, siquidem in lege naturæ, & Mosaica fuerunt Sacrificia non solùm propitiatoria, sed etiam pacifica, seu impetratoria, ut constat ex Genesi, & Levitico; atqui Sacrificium Evcharistiæ continet eminenter aliorum Sacrificiorum tam legis naturæ, quàm Mosaicæ perfectionem, quòd si illa fuerunt impetratoria, etiam hoc Sacrificium incruentum Missæ erit impetratorium, præsertim, cùm Tridentina Synodus *sess.* 25. *cap.* 3. asserat, hoc Sacrificium esse oblationem illam, quæ per varias Sacrificiorum legis, & naturæ similitudines præfigurabatur, quatenus bona illa per Sacrificia legis naturæ, & Mosaicæ significata consummantur, ac perficiuntur in hoc Sacrificio incruento Missæ, unde hoc Sacrificium Missæ non solùm valet ad Deum placandum pro peccatis, sed etiam ad impetranda beneficia.

Hinc Sacrificium Missæ prodest ad expianda peccata; quo pacto dicitur Sacrificium propitiatorium, ut docet Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. *can.* 3. & asserunt Sancti Patres, præsertim Basilius *in Liturgia*, ubi asserit: *Effice nos dignos, qui offeramus Sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, & pro periculo populi tui*, & Chrysostomus *in Liturgia* ait: *Idoneos nos redde, ad offerenda tibi Sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantiis*, & D. Augustinus *quæst.* 17. *in Levit.* ait: *Illis Sacrificiis: quæ pro peccatis offerebantur, hoc unum Sacrificium significabatur, in quo revera fit remissio peccatorum.* Non poterat Augustinus clarius, & expressius loqui.

Neque urget, quòd respondent cum Huttero *in suo triumpho*, Augustinum fuisse locutum de Sacrificio crucis, in quo vera fit remissio peccatorum, quia Augustinus expresse loquitur de Sacrificio incruento Missæ, seu Evcharistiæ; ait enim: *Sed cùm Dominus dicat, nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sangvinem meum, non habebitis vitam in vobis, quid sibi vult, quòd à sangvine Sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus porhibetur, si illis Sacrificiis unum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum; à cujus tamen Sacrificii sangvine alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur:* quærit enim D. Augustinus, quare Judæi fuerint prohibiti sumere sangvinem Sacrificiorum, quæ in veteri testamento pro peccatis offerebantur, cùm tamen Christiani non prohibebantur, sed invitentur ad sumendum sangvinem Sacrificii illius, in quo fit vera peccatorum remissio, & quòd per Sacrificia legis naturæ, & Moysis fuit præfiguratum; non enim Christiani invitantur ad sumendum sangvinem Sacrificii crucis, sed Evcharistiæ, neque Christus de Sacrificio crucis fuit locutus, sed de Sacrificio Evcharistiæ, cùm dixit suis Discipulis, *nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sangvinem, non habebitis vitam æternam.*

Objiciunt tamen Sectarii, contendentes hoc Sacrificium incruentum Missæ non esse propitiatorium pro peccatis: siquidem ex Apostolo *ad Hebr.* 9. *v.* 22. nulla fit remissio peccatorum sine sangvinis effusione, sed in Evcharistia non reperitur hæc sangvinis effusio, consequenter in Evcharistia non fit remissio peccatorum; consequenter non est Sacrificium propitiatorium, ita argumentatur Calvinus, & cum illo alii Calvinistæ. Sed contra, quia argumentum potest potiùs contra ipsos retorqueri, quia, si nulla fit remissio peccatorum sine sangvinis effusione, certum est, in fide justificante per ipsos Calvinistas nullam fieri effusionem sangvinis, non enim fides, qua credimus, peccata nostra à Deo nobis remitti, est sangvis, & ejus fusio, nihilominus per hanc fidem docent nos justificari; quòd si per hanc fidem justificantur homines, sequitur, evidenter non justificari per sangvinis effusionem, consequenter per fidem solam non posse haberi eemissionem peccatorum. Unde falsum est, quod asserunt adversarii, peccatores justificari per fidem, seu ex eo, quòd certò quis credat, remitti sibi à Deo peccata, dum credit. Quamobrem verba Apostoli dicentis, non fieri remissionem peccatorum sine sangvinis effusione, sunt intelligenda de Sacrificiis veteris legis, loquitur enim in loco illo de Judæis, non verò de Christianis, ait: *Omnia pene in sangvine secundùm legem mundantur, & sine sangvinis effusione non fit remissio*, scilicet secundùm legem Mosaicam, in qua nullum erat Sacrificium pro peccato sine effusione sangvinis hircorum, aut aliorum animalium. Hæc omnia sunt clara, nec possunt ullo pacto intelligi in Sacrificio Missæ. Rursus, quamvis Apostolus loquatur de remissione peccatorum in veteri lege, quæ non fiebat sine effusione sangvinis animalium, verba tamen Apostoli possunt etiam intelligi in hoc sensu, scilicet, quòd nulla fiat remissio peccatorum, sive in veteri, sive in novo testamento sine sangvinis Christi effusione, quia nisi Christus suum pro humano genere redimendo sangvinem fudisset, nemo neque in veteri, neque in novo testamento potuisset Deo reconciliari, nec obtinere peccatorum remissionem. Verùm hæc reconciliatio, & remissio peccatorum, quæ per effusionem Sangvinis Christi facta est, non eodem modo applicatur in novo testamento nobis, ac in veteri applicata fuit Judæis, quia istis applicabatur per cruenta Sacrificia animalium, & nobis per Sacrificium incruentum Missæ, ut etiam per alia Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ.

Objiciunt secundò, quia ex Apostolo nullum Sacrificium sæpiùs iteratum potest perficere cultores, sed Missæ Sacrificium sæpiùs iteratur, consequenter non potest ex Apostolo perficere cultores, nec consequenter peccata remittere, ut infert Pareus Hæreticus ex *cap.* 10. *ad Hebræ.* Sed contra, quia hoc argumentum etiam in eodem retorquetur, ipsi enim docent, fidem, & alia pia opera esse Sacrificia Christianorum, quibus delentur peccata, & hæc Sacrificia ab iisdem sæpiùs iterantur, ergo; si ex Apostolo Sacrificium, quod sæpiùs iteratur, non potest perficere suos cultores, sequitur manifestè, fidem, & pia opera, quæ à Sectariis dicuntur Sacrificia Christianorum, non posse perficere cultores. Sed, ut directè respondeatur,

Digitized by Google

deatur, negatur major, quia Apostolus solùm confert Sacrificia Mosaica, cum Sacrificio crucis Christi, & asserit, id interesse discriminis, quia Sacrificia legis Mosaicæ, tametsi persæpe repeterentur, non tamen potuerunt per se perficere, & justificare Judæos, quod est verum: secus Sacrificium crucis, semel tantùm oblatum, quia per se fuit infiniti valoris, fuit etiam sufficientissimum ad justificandos homines, verùm hoc non obstante adhuc necessarium est, ut fructus Sacrificii crucis nobis applicetur, neque semel tantùm, sed quoties indigemus. Quòd si Sectarii asserunt, posse fructum Sacrificii crucis nobis applicari per fidem, & Eucharistiam sæpius iteratam, cur non etiam per Sacrificium Missæ sæpius iteratum. Quòd si in veteri testamento, quoties Judæi prolapsi erant in quædam peccata, jubebantur offerre Sacrificium propitiatorium, ut justificarentur in lege, & hæc Sacrificia sæpe iterabantur, cur non etiam in novo testamento Sacrificium incruentum Missæ potest iterari?

Ex hactenus præexpensis infertur, Sacrificium Missæ, prout à Christo institutum, ex opere operato, propriè, & infallibiliter causare remissionem pœnæ temporalis debitæ peccatis, & etiam auxilia, quibus disponimur ad gratiam suscipiendam. Quia hoc Sacrificium habet ex opere operato effectum aliquem, ut definitur in Tridentino *sess. 22. cap. 7.* ubi dicitur, quòd Christus instituerit hoc Sacrificium, ut illius salutaris virtus in remissionem eorum peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur, applicaretur, sed tunc fructus datur ex opere operato, quando datur propter opus, ut institutum à Christo, non verò propter bonam operantis dispositionem, ergo, cùm per hoc Sacrificium, ut institutum à Christo, applicentur merita Christi morientis, ut definivit Tridentinum, causat suos effectus ex opere operato, quòd verò hi effectus sint remissio pœnæ debitæ peccatis, & auxilia, quibus disponimur ad gratiam primò acquirendam, & hi effectus causentur ex opere operato propriè dicto, ex eo itidem constat, quia illud datur ex opere operato propriè dicto, quod confertur absque merito operantis, & absque ulla petitione: sed hujusmodi se habent remissio pœnæ debitæ peccatis, & auxilia, quibus disponimur ad gratiam primò acquirendam, ergo hi effectus causantur ex opere operato. Duplex fructus accipi potest ex Sacrificio Missæ, alter ex fide & devotione Sacerdotis sacrificantis, ut etiam ex fide & devotione populi circumstantis, & assistentis, ac consentientis sacrificanti, & hic fructus non debetur Sacrificio, quatenus est tale, sed tantùm prout est actio virtutis. Omnis enim actus virtutis, qui ab homine justo in hac vita exercetur, habet vim aliquam merendi, & satisfaciendi, ac impetrandi apud Deum: sicut igitur justus per actum eleemosynæ, aut orationis, aut jejunii potest sibi, & aliis aliquid impetrare apud Deum, ita etiam per oblationem Sacrificii Missæ. Fructus verò proprius Sacrificii incruenti Missæ, & ut tali, ac ex peculiari Christi promissione, illi debitus, & annexus, est impetratio beneficiorum, & remissio peccatorum, adeò ut, nisi ex parte nostra adsit aliquod obstaculum, semper Sacrificium hoc incruentum causat hos effectus, qui propterea non dependent à devotione Sacerdotis, sed ex munifica, & liberali Christi promissione, & fundatur in meritis, & satisfactionibus Christi. An verò Sacrificium Missæ etiam remittat peccata quoad culpam, vel tantùm quoad pænam, jam diximus superiùs, immediatè non remittere peccata, nisi quoad pœnam temporalem: nam culpa præsertim mortalis non solet ordinariè tolli, seu remitti, nisi per contritionem extra Sacramentum, vel per attritionem cum Sacramento, præsertim baptismi, pœnitentiæ. Unde sola pœna temporalis sive in hac vita, sive in purgatorio luenda remittitur per hoc Sacrificium incruentum Missæ, quod propterea prodest animabus, quæ expiatoriis flammis emundantur in purgatorio. Culpa enim per hoc Sacrificium tantùm mediatè tollitur, ut superiùs explicuimus.

An verò valor Sacrificii Missæ sit infinitus. Videtur enim esse infinitus, quia res oblata in hoc Sacrificio est infinita; scilicet Christus, cujus persona est infinita: videtur etiam esse valor finitus, quia oblatio est finita. Verùm ut hæc difficultas solvatur, procedendum est cum distinctione, siquidem aliud est valor, & aliud effectus Sacrificii. Valor significat moralem dignitatem, quam habet totum ex parte offerentis, & ex parte rei oblatæ, effectus autem est, quod de facto datur, intuitu illius dignitatis, hoc posito, facilis est solutio, Sacrificium enim Missæ secundùm se est infiniti valoris ad impetrandum, siquidem tam ex parte rei oblatæ, quàm ex parte oblationis est æquale Sacrificio crucis, quod, cùm fuerit infiniti valoris, sequitur, Sacrificium Missæ esse itidem infiniti valoris, quoad rem oblatam, & ex parte oblationis: secus quoad effectum illius, est effectus iste finitus, quia effectus non debet mensurari secundùm valorem, & dignitatem Sacrificii, sed secundùm institutionem, & promissionem Christi, simile est in Christi meritis, quæ, licèt secundùm se fuerint infiniti valoris, habuerunt nihilominus effectum finitum ex Dei ordinatione, quatenus Deus vult, ut non nisi finito modo nobis applicentur, unde, quamvis Sacrificium Missæ habeat valorem satisfactorium infinitum, non solùm intensivum, sed etiam extensivum, adeò ut Sacrificium oblatum pro pluribus æque prosit cuilibet, eò quia sit Sacrificium incruentum Missæ, & cruentum crucis, tam ex parte rei oblatæ, quàm principalis offerentis, & vis satisfactoria ex opere operato sit eadem in utroque Sacrificio, adeoque non solùm intensivè, sed etiam extensivè sit in se infiniti valoris, nobis tamen nonnisi modo finito applicatur, adeò ut effectus hujus Sacrificii sit finitus ex dispositione, institutione, & promissione Christi.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Quid senserint Prophetæ, Apostoli, Sancti Patres, Christiani Catholici, & Hæretici de hoc Sacrificio Missæ.

QUid vaticinatus fuerit de hoc Sacrificio incruento Isaias, jam explicuimus capite præcedente, neque opus est, idem bis repetere; Daniel itidem fuit de hoc Sacrificio vaticinatus, quòd Antichristus in fine mundi hoc Sacrificium erit deleturus, ait enim *cap.* 8. *v.* 11. *Usque ad principium fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit juge Sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus.* Et iterum *cap.* 12. *v.* 11. *Et à tempore, cùm ablatum fuerit juge Sacrificium, & posita fuerit abominatio desolationis, dies mille ducenti nonaginta.* Ubi Propheta priori loco intelligendus est de Antiocho Rege, qui obtulit juge Sacrificium Judæorum, in posteriori de Antichristo, qui erit ablaturus juge Sacrificium Christianorum, sicut enim Antiochus fuit figura seu typus Antichristi, ut infertur ex Daniele *cap.* 11. *v.* 36. & ex Apostolo Paulo 2. *Thessal.* 2. Ita juge Sacrificium Judæorum fuit figura jugis Sacrificii Christianorum, ut supra ostensum est. Rursus per hoc juge Sacrificium Christianorum non potest quid aliud intelligi, quàm Sacrificium Missæ, quod quotidie in Ecclesia Catholica sine ulla intermissione offertur, ut observat S. Hippolytus Martyr *Lib. de Antichristo.* Quòd enim aliqui ex Hæreticis dicant, esse intelligendam prædicationem Evangelii, quæ ab Antichristo impedietur, nullam præ se fert probabilitatem, siquidem debet intelligi de Sacrificio, cujus figura fuit juge Sacrificium Judæorum, in quo quotidie duo agni offerebantur Deo in holocaustum: sed juge Sacrificium Judæorum non fuit figura prædicationis Evangelii, sed veri alicujus Sacrificii. Sicut enim ipsum fuerat verum ac proprium Sacrificium, quod nemo hactenus negavit, ita debuit esse figura veri, ac proprii Sacrificii, alioquin non daretur proportio inter figuram, & figuratum. Neque prædicatio Evangelii potest dici Sacrificium verum, & proprium, quia hæc prædicatio non habet proportionem cum duobus illis agnis, qui in lege veteri quotidie offerebantur, ac immolabantur.

Aliàs insigne vaticinium est Malachiæ, qui opponit oblationem nostram oblationi Judæorum: & hanc vocat pollutam, illam mundam; quæritur enim, an opponat unam alteri ex parte offerentium tantùm, an potiùs ex parte rei oblatæ. Non esse potest oppositio tantùm ex parte offerentium, quia, sicut Sacerdotes legis Mosaicæ poterant esse mali, & polluti variis peccatis, ita etiam Sacerdotes Christiani, non enim omnes sunt sancti, & mundi omnes; ergo oppositio debet se tenere ex parte rei oblatæ, & hæc consistit in eo, quòd panes, libamina, & animalia, quæ offerebantur in veteri testamento, quamvis non semper essent polluta, erant tamen pollutioni obnoxia, secusque nuntiavit Malachias, Sacerdotes Christianos oblaturos Deo mundum Sacrificium omni tempore, ex qua parte illos præfert Sacerdotibus legis Mosaicæ; verba Malachiæ *cap.* 1. *v.* 6. sunt hæc: *Hæc dicit Dominus exercituum ad vos, ò Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, in quo despeximus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in eo, quod dicitis, mensa Domini despecta est. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est?* Et paucis interjectis subdit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Ex quibus claret, Malachiam agere contra Sacerdotes Judæorum, & duo dicere, illorum Sacrificia esse abroganda, & successivum novum Sacrificium Christianorum. In priori prænuntiat rejectionem, seu reprobationem Judæorum, & in posteriori electionem, seu vocationem Gentium. Ait Malachias: *Offertis super altare meum panem pollutum*, id est, in Sacrificiis vestris offertis panem, qui non est factus, nec paratus, secundùm præscriptum legis. *Et dicitis, in quo polluimus te?* id est, polluitis, seu contemnitis me, offerendo polluta munera contra præscriptum legis, & tamen, quasi nihil agatis mali, quæritis, in quo me polluatis? *In eo, quod dicitis, mensa Domini despecta est*, scilicet, in eo polluitis me, quia asseritis, non esse magni momenti, tametsi panes, qui offeruntur in altari, non sint facti, nec parati secundùm legem. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est?* scilicet, an non polluitis, & contemnitis me, quando levissima quæque ex animalibus offertis mihi, quæ prohibui vobis, ne cæca, clauda, ac languida mihi offerretis? *Levit.* 22. *v.* 22. *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra*, scilicet Sacrificia vestra, quæ hoc modo contra legem offertis, mihi non placent. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus*, scilicet, Christiani, qui ex Gentibus ad fidem convertentur, majori religione colent nomen meum toto orbe terrarum, quàm vos hactenus feceritis in Judæa: *& in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, seu ubique mihi offertur à Christianis non pollutum Sacrificium, quale vos offertis, sed mundum. Quòd verò per Sacrificium mundum intelligatur Sacrificium, quod offerunt Sacerdotes Christiani Deo, docent communiter SS. Patres, & Ecclesia Catholica, quia hoc Sacrificium consistit in oblatione corporis, & sangvinis Christi sub speciebus panis, & vini, quæ oblatio nequit esse purior, & mundior, & hoc Sacrificium est visibile, quia species panis & vini sub sensus cadunt.

Secus Calvinistæ censent, hoc Sacrificium mundum esse intelligendum de Sacrificio spirituali impropriè dicto, & quod consistit in bonis operibus, ut in fusis precibus, gratiarum actione, exercitio patientiæ, eleemosynarum elargitione, sed hoc re-

repugnat doctrinæ Calvinistarum, quia prærecensita opera per ipsos non sunt munda, sed coinquinata, & turpissima, ait enim Calvinus *Lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4. Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes, & quæ justitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas; & cap. 15. §. 3.* ait: *Nihil ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum*, quapropter in sententia Calvinistarum bona opera hominum, cùm sint inquinamenta & sordes, non possunt dici hæc munda oblatio, de qua fuerat Malachias locutus. Secundo, quia Propheta opponit Sacerdotes legis Mosaicæ Sacerdotibus Christianis, ex parte rei oblatæ, quæ consistit in eo, quia Sacerdotes veteris legis offerebant panes, libamina, & animalia, quæ tametsi non essent polluta, poterant tamen esse talia, & sæpe contingebat, ut aliquod secum vitium traherent, qua de causa conqueritur Deus per Prophetam: *Offertis super altare meum panem pollutum*, & rursus, offertis cæcum, claudum, & languidum ad immolandum, unde totum discrimen inter Sacerdotes legis Mosaicæ, & legis evangelicæ, se tenet ex parte rei oblatæ, & non solùm ex parte offerentium; quia, sicut Sacerdotes legis Mosaicæ poterant esse mali, & polluti variis peccatis, ita etiam Sacerdotes Christiani, qui non omnes semper sunt sancti, neque mundi. Præterea, quia Malachias non solum loquitur de munda, sed etiam de nova oblatione, quæ successura sit Sacrificio Mosaico, & propria futura Christianorum: sed bona opera fidei, spei, charitatis, orationis, patientiæ non sunt Sacrificia nova, neque succedunt Sacrificio Mosaico, neque solis Christianis sunt propria, cùm fuerint usitata à mundi exordio à Patriarchis, Prophetis, aliisque viris justis legis naturæ, & Mosaicæ, unde hæc bona opera non possunt esse hæc oblatio munda, de qua loquitur Malachias.

Neque obstat, quòd respondent Lutherani, cum Huttero *pagina* 211. per oblationem mundam non intelligi bona opera omnia, quæ faciunt Christiani, sed prædicationem Evangelii, quæ dicitur nova, non simpliciter, sed comparatè, quatenus est clarior, & illustrior in nova lege, quàm in veteri. Sed contra, quia Malachias ait, omnes fideles pios novi testamenti offerre Deo Sacrificium mundum, de quo loquitur Malachias, & quia constat, non omnes fideles promulgare evangelium, neque habere conciones ad populum, sequitur evidenter, quòd, cùm omnes fideles offerant Deo Sacrificium mundum, per hoc Sacrificium non posse intelligi prædicationem evangelii, quæ ab omnibus fidelibus non exercetur, sicut ab omnibus offertur Sacrificium mundum, siquidem Ecclesia singulis diebus nomine omnium fidelium offert sub speciebus panis, & vini Sacrificium incruentum Missæ Deo Patri. Denique, non est proportio inter Sacrificia Judæorum, & prædicationem evangelii: *Sacerdotes enim legis Mosaicæ*, ait Malachias, offerunt mihi panes pollutos, & animalia cœca, clauda, & languida, & fideles in lege evangelica hæc non offerunt, nec omnes prædicant evangelium, hinc conquerebatur Deus per Prophetam, quia Sacerdotes Mosaici illi offerebant victimas pollutas, & Christiani offerunt semper victimam sanctam, & impollutam, seu corpus, & sangvinem Christi sub speciebus panis & vini.

Christus itidem prænuntiare voluit hoc Sacrificium incruentum, antequam ab ipso institueretur, id enim colligitur ex colloquio Christi, & mulieris Samaritanæ, *Joann. 4. v. 19.* his verbis: *Dicit ei mulier, Domine video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolyma est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem, vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Judæis est: sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Conveniunt communiter Sancti Patres, Christum *Joann. 4.* cum muliere Samaritana fuisse locutum de adoratione solemni, & publica, quæque fit per Sacrificium propriè dictum, ut Sancti Patres loquuntur, siquidem usitatum est in scripturis, ut per adorationem intelligatur Sacrificium, ut constat ex illo *Joann. 12. v. 20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo*, seu, ut Sacrificium offerrent Deo die festo, & *Actor. 8. v. 27.* etiam dicitur: *Eunuchus venerat adorare in Jerusalem*, in quo loco *adorare*, est idem ac *sacrificare*. Ideò enim ex longinquis regionibus veniebant homines in Hierusalem, quia non liceret in alio loco Sacrificium offerre; si enim sermo fuisset de adoratione simplici, hæc in quovis loco potuisset fieri, sicut in omni loco funduntur ad Deum preces, unde Christus, loquens cum Samaritana, per adorationem non intellexit simplicem, & privatam, sed publicam, & solemnem, quæque fit per Sacrificium propriè dictum, idque etiam colligitur ex toto contextu. Samaritana enim, advertens Christum esse Prophetam, proposuit illi quæstionem de schismate Judæorum, & Samaritanorum, an rectiùs sentirent Samaritani; qui adorabant in monte Garizim juxta oppidum Sychimorum, an Judæi, qui contendebant non esse in monte illo adorandum, sed in Hierosolymis in templo: quæ adoratio procul dubio intelligebatur de adoratione per Sacrificium, ut notat Josephus *Lib. 11. antiquitat. cap. 7. & 8.* ubi narrans originem illius schismatis inter Judæos, & Samaritanos, & asserit: Mortuo Salomone divisum fuisse regnum in duas partes; unam, quæ constaret duobus Tribubus, & hanc retinebat Roboam, filius Salomonis: alteram, quæ constabat decem Tribubus, & hæc adhærebat Jeroboam, servo Salomonis: prior pars vocaretur regnum Judæ: & posterior regnum Israel, quapropter Jerobeam introducta hac separatione, & constituto novo regno, timuit, ne decem Tribus, quas sibi addictas habuit, occasione veniendi singulis annis Jerosolymam ad offerendum Sacrificium juxta legem, se conjungerent Regi Roboamo; eo quia esset legitimus Dominus regni Juda. Ad præcavendum igitur periculum curavit conflari duos vitulos, quorum alterum posuit in Bethel, & alterum in Dan, & per Sacrificia jussit adorari pro Numinibus, hac de causa, nemo addictus Jeroboamo proficiscebatur ampliùs Jerosolymam Sacrificii offerendi causa, & hinc prima orta est dissensio Religionis, quæ longè post in hunc modum confirmata fuit. Post captivitatem Babylonicam cùm Rex Persarum Darius regno potiretur, fuit Jerosolymis quidam Judæus ex genere Sacer-

Sacerdotali, nomine Manasses frater summi Sacerdotis, qui uxorem duxerat filiam Sanaballetis Cuthæi, qui sub Dario erat tunc Præfectus Samariæ, & propter has nuptias initas cum fœmina gentili, prohibitus fuit à fratre, & à reliquis Judæis, officio fungi Sacerdotali, qua de causa accessit Sanaballetem, seque excusavit, non posse filiam ipsius, quam sibi desponderat, retinere, eò quia propter illam arceretur à dignitate Sacerdotali; malle se uxore privari, quàm hac dignitate destitui. Verùm Sanaballetes satisfacturus Manassi, ei spondet, se ædificaturum templum in monte Garizim, æquale templo Hierosolymitano, & in eo summum Sacerdotium se illi daturum, hinc ab eo tempore cœperunt Samaritani in hoc novo templo sua offerre Sacrificia, sicut Judæi in templo Hierosolymitano; unde quæstio de oratione, quæ agitabatur inter Judæos, & Samaritanos, semper intelligebatur de adoratione per Sacrificium, quæ certo loco alligebatur, non verò de adoratione simplici, quæ poterat ubique fieri; & hanc adorationem publicam, seu oblationem Sacrificii Samaritana proposuit Christo, tanquam Prophetæ dissolvendam, eò quia videret, ipsum esse Prophetam, quidnam sentiret de hac controversia, & Christus respondit, horam venturam, quando neque in monte Garizim, neque Jerosolymis erunt homines adoraturi, sed in omni loco offerent Deo Sacrificium, & intellexit de Sacrificio legis evangelicæ, quia ubique offertur incruentum Christi Sacrificium, quod etiam prædixerat Malachias verbis illis: ***In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.***

Neque obstat, quod asserunt Sectarii, Christum tunc fuisse locutum cum Samaritana de adoratione interna: quæ fit per fidem, & adorationem, non de externa, quæ fit per Sacrificium, idque ex eo deducunt, quia sequitur, ***veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.*** Nam contra est, quia Christus citra omne dubium fuit locutus de ea adoratione, de qua rogabatur à Samaritana, à qua quærebatur de externa adoratione, quæ fit per Sacrificium publicum, & solemne. Neque obstant verba illa, ***in spiritu, & veritate***, quia, cùm litigarent Judæi, & Samaritani de loco Sacrificii, ideo mulier petebat à Christo, quid ipse sentiret, qui, cùm videret, ex utraque parte esse aliquid culpæ, utrique responsum accommodavit, siquidem Samaritani in eo delinquebant, quia Diis falsis sacrificarent, quapropter dixit Christus iisdem: ***Vos adoratis, quod nescitis***: Judæi, quamvis vero Deo Sacrificia offerrent, non tamen aliud, quàm carnem animalium offerebant ex mera cæremonia sine interno religionis, ac pietatis affectu, proinde utrosque reprobat verbis illis, ***Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate***, & opponit Spiritum carni, & veritatem falsitati, sitque verus sensus, quòd veri adoratores, seu Christiani, qui erunt verum Deum legitimè adoraturi; non falsum, ut Samaritani, nec verum, sed illegitimè, ut Judæi; sed erunt adoraturi Patrem, seu sacrificaturi vero Deo in spiritu devotionis, & veritate agnitionis, non sola carne, ut Judæi, neque in falsitate, ut Samaritani, sed in spiritu, & veritate.

Apostoli itidem laudes non reticuerunt hujus incruenti Sacrificii in lege evangelica, ait enim Apostolus Paulus 1. *Corinth.* 10. ***Fugite ab idolorum cultura. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Videte Israel secundum carnem: nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico, quod Idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quæ immolant Gentes, Dæmoniis immolant, non Deo. Nolo autem, vos socios fieri Dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum***: recenset Apostolus triplicem mensam, unam, in qua gentiles sacrificant Idolis, seu Dæmoniis. Alteram, in qua Judæi offerunt Deo victimas ex animalibus. Tertiam, in qua Christiani offerunt corpus, & sangvinem Christi sub speciebus panis, & vini. Apostolus autem ostendit, Corinthios debere abstinere ab Idololatriis, seu à carnibus, quæ Idolis, seu Dæmoniis offeruntur, & probat, quia comedens de victimis, quæ in altari idololatrico immolatæ sunt Idolis, seu Dæmoniis, ille est particeps altaris, seu Sacrificii idololatrici, consequenter est cultor idolorum, sitque idololatra, sed vos, ò Corinthii, cùm sitis Christiani, non debetis participes esse altaris, seu Sacrificii idololatrici, neque cultores Idolorum, propterea illis injungit: ***Fugite ab Idolorum cultura***, & non debetis comedere de victimis, quæ Idolis immolantur. Majorem probat à pari, quia Christiani, qui sumunt de corpore, & sangvine Christi, sunt participes altaris, seu Sacrificii Christi. Sed Judæi, qui comedunt de victimis Mosaicis, sunt participes altaris, seu Sacrificii Mosaici: ergo similiter, qui comedunt de victimis, quæ immolatæ sunt Idolis, seu Dæmoniis, sunt partici es altaris, seu Sacrificii idololatrici, & nemo potest esse simul particeps altaris Christi, & idolorum, consequenter, si vultis esse participes altaris Christi, debetis omninò abstinere ab altari, & Sacrificio idolorum, quòd, si ab hoc nolitis abstinere, non potestis esse participes altaris Christi. Rursus scribens Apostolus *ad Hebr.* 7. *v.* 12. ***Translato Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat.*** Apostolus autem nomine Sacerdotii comprehendit etiam Sacrificium, & per legem intelligit illam divini cultus, adeò ut sensus sit, Sacrificium, & lex divini cultus, ita sunt simul illigata, ut unum sine altero esse non possit, & uno translato, alterum quoque transferri necesse est, unde sicut est triplex lex, quæ præscribit divinum cultum, scilicet naturalis, ab Adamo usque ad Moysem, Mosaica, à Moyse usque ad Christum, & tertia Evangelica, à Christo usque ad finem mundi, ita triplex debuit dari Sacrificium, unum, quo colitur Deus juxta legem naturalem, alterum juxta legem Mosaicam, & tertium juxta legem Evangelicam, adeò ut quoties lex divini cultus mutatur, toties & Sacrificium mutetur, adeò ut ubicunque est peculiaris lex, & religio, ibi sit etiam peculiare Sacrificium, quo Deus ex præscripto illius legis colitur: sed apud Christianos est peculiaris lex, & religio, scilicet evangelica, distincta à naturali, & Mosaica, consequenter apud Christianos dari debet peculiare Sacrificium, quo Deus colitur, distinctum à naturali, & Mosaico, & hoc Sacrificium aliud non potest esse in lege evan-

evangelica, quàm incruentum Miſſæ, & Evchariſtiæ, non enim poteſt eſſe Sacrificium cruentum, quia hoc ſemel tantùm peractum fuit, & quidem pro communi totius humani generis redemptione; *pro omnibus* enim, ait Apoſtolus, *mortuus eſt Chriſtus*, ergo non poteſt aliud eſſe Sacrificium, quàm incruentum Miſſæ, quod eſt repræſentativum Sacrificii cruenti Crucis, & applicativum illius fructus.

Sancti Patres etiam encomia proferunt hujus Sacrificii incruenti, Miſſæ, & Evchariſtiæ; in quo Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini quotidie offertur in Eccleſia, quando enim loquuntur de Evchariſtia, utuntur hiſce vocibus, eamque vocant *Sacrificium*, *oblagationem*, *immolationem*, *hoſtiam*, *victimam*, & etiam uſurpant verba *offerendi*, *ſacrificandi*, *immolandi*, ut congerens Sanctos Patres aſſerit Bellarminus *Lib. 1. de Miſſa cap. 15.* Secundò, quia Sancti Patres aſſerunt, ad conficiendam Evchariſtiam eſſe neceſſarium altare; Sed hoc non erigitur, niſi ratione Sacrificii, propterea ſupponunt Evchariſtiam, quæ in Miſſa conficitur, eſſe Sacrificium; ut cenſent Sancti, Baſilius, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus. Tertiò, quia Sancti Patres vocant Sacerdotes Miniſtros conficientes hoc Sacramentum Evchariſtiæ: ſed officium, & proprium miniſterium Sacerdotis eſt, Sacrificium offerre, ut ſcribit Apoſtolus *ad Hebr. 5. v. 1. & cap. 8. v. 3.* ut obſervant Tertullianus, Auguſtinus, Ambroſius, Euſebius, Cyprianus, & alii. Quartò, quia aſſerunt, Evchariſtiam celebrari, & offerri poſſe pro vivis, & defunctis, pro pace, & tranquillitate reipublicæ, pro incolumitate populi, pro neceſſitatibus corporis, & animæ, quòd non aſſererent, niſi putârent eſſe verum, ac proprium Sacrificium. Quintò, quia dicunt, Melchiſedechum in lege naturæ fuiſſe verum Sacerdotem, & obtuliſſe Deo panem, & vinum in Sacrificium: & hoc Sacrificium præfiguraſſe incruentum inſtitutum à Chriſto in lege evangelica, ſeu in ultima Cœna, & ob hanc cauſam Chriſtum in ſcripturis vocari *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech*; ita aſſerunt Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, & alii. Neque opus eſt, eorum verba hîc attexere, cùm hoc idem concedant etiam ipſi Hæretici, etenim Kemnitius in examine ait: *Negari non poteſt, veteres, quando loquuntur de celebratione Dominicæ Cœnæ, uſurpare vocabula Sacrificii, immolationis, hoſtiæ, victimæ: item uti verbis offerre, ſacrificare, immolare.* Hoc idem aſſerunt Lutherus, & Calvinus, quamvis negent eſſe proprium Sacrificium.

Catholici igitur omnes cum Sanctis Patribus docent, Evchariſtiam, quando in altari conficitur, eſſe verum, ac propriè Sacrificium, ut liquet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 1. & ſequent.* & *can. 1.* ait: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, anathema ſit*, & in formula profeſſionis fidei ait: *Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, ac propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis.* Catholici ad id evincendum nituntur quinque fundamentis, ſcilicet figuris veteris teſtamenti: vaticiniis Prophetarum: Colloquio Chriſti cum Samaritana: authoritate Apoſtoli Pauli, & communi Sanctorum Patrum conſenſu, ex quibus totidem deſumunt argumenta, quibus evincunt hoc fidei dogma. Ex figuris ita diſcurrunt: in lege naturæ oblatio panis, & vini, facta à Melchiſedech; & in lege Moſaica oblatio Agni Paſchalis, & juge Sacrificium Judæorum fuerunt typi, & figuræ Sacrificii legis evangelicæ, ſeu Evchariſtiæ, quæ in altari conficitur: ſed illa erant vera, & propria Sacrificia, ergo etiam Evchariſtia, quæ conficitur in altari, eſt verum, ac proprium Sacrificium; ex vaticiniis Prophetarum hæc eadem veritas etiam conſtat: ſiquidem Iſaias, Daniel, Malachias, prædixerunt, in novo teſtamento fore Sacerdotes, & altaria, & juge Sacrificium, ſeu oblationem mundam in omni loco offerendam, quod non poteſt intelligi, niſi de Sacrificio incruento Miſſæ; & de illo Prophetæ vaticinati ſunt. Præterea Chriſtus declaravit diſcrimen inter Sacrificium Judæorum in lege Moſaica, & illud Chriſtianorum in lege evangelica; quia illud fuerit alligatum certo loco, iſtud verò in omni loco offerri poſſit, & Chriſtus fuit loquutus de vero, & proprio Sacrificio: unde nulli poteſt dubium eſſe, quia apud Chriſtianos detur verum, ac proprium Sacrificium, quale eſt incruentum Miſſæ, in quo offertur Corpus, & Sangvis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, quia frequenter reperitur, cùm Sacrificium cruentum Crucis ſemel tantùm fuerit peractum. Item Apoſtolus probaturus, eos eſſe participes Sacrificii idololatrici, qui comedunt de victimis oblatis in altari idololatrico, id oſtendit; quia ſumentes de corpore, & ſangvine Domini oblatis in altari Chriſti, ſunt participes Sacrificii Chriſtianorum: & pari pacto ſumentes de victimis oblatis in altari legis Moſaicæ, ſunt participes Sacrificii legis Moſaicæ: ut etiam ſumentes de oblatis in altari idololatrico, ſunt participes Sacrificii idololatrici: unde Apoſtolus, ſicut fatetur, & ſupponit in lege Moyſis, fuiſſe vera, ac propriè Sacrificia, ita ſupponit in lege evangelica eſſe verum Sacrificium propriè dictum, quia argumentatur à pari, quod argumentum nullius eſſet roboris, niſi utrinque eſſet verum Sacrificium propriè dictum. Præterea aſſerit Apoſtolus, ibi dari Sacrificium, ubi datur lex; & cùm aſſerat, apud Chriſtianos dari veram legem Jeſu Chriſti, aſſerit, dari itidem Sacrificium verum propriè ſumptum. Patres itidem à primo Eccleſiæ exordio ad hæc uſque noſtra tempora hanc veritatem ſemper docuerunt, ut & omnes Doctores Theologi Catholici, quotquot à primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt; & non eſt vero ſimile, omnes tam craſſè erraſſe in re tanti momenti; & totam Eccleſiam fuiſſe deceptam, & turpiſſimè erraſſe, cùm ab Apoſtolo dicatur *columna veritatis*; neque Spiritus Sanctus permittat eam erraſſe in articulis fidei juxta promiſſionem ſibi à Chriſto factam. Hiſce rationibus utuntur Catholici.

Hæretici verò nituntur; quia Lutherus hac ſuper re diſceptationem habuerit cum Cacodæmone, & quia negent omnia argumenta Catholicorum; ait Lutherus *Lib. de Captivitate Babylonica*: *Si nihil habetur, quod dicatur, tutiùs eſt omnia negare, quàm Miſſam Sacrificium eſſe concedere.* Contemnunt etiam Hæretici omnes authoritates SS. Patrum aſſerentes, omnes reſcribere, quod ſemel unus ſcripſit. Lutherus in Libro de Miſſa abroganda ait: *Profiteor inprimis adverſus eos, qui clamaturi ſunt, quod contra ritum Eccleſiæ, contra ſtatuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Rurſus in Libro *contra Regem Angliæ* ait: *Ultimò dicta Patrum adducit Rex pro Miſſarum Sacrificio, & ridet meam ſtultitiam, quòd ſolus velim ſapere præ omnibus. Hoc eſt, quòd dixi, Thomiſticos aſinos nihil habere, quod producant, niſi multitudinem hominum, & uſum antiquum.* Rurſus *in Libro de Miſſa privata* ait: *Hic non moramur, ſi clamitent Papiſtæ, Eccleſia, Eccleſia, Patres, Patres: quia, ut dixi, hominum dicta,*

Digitized by Google

dicta, aut facta nihil in magnis cauſis curamus. Scimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos; verbo Chriſti judicamus Eccleſiam, adeoque ipſos Angelos. Et Kemnitius *in Examine Concilii Tridentini* ait: *Neque veterum qualescunque ſententia, ſed ſcriptura canonica regula eſt in hac controverſia.* Neque Calviniſtæ diſſimilia ſuggerunt ad abolendum Sacrificium miſſæ, ait enim Calvinus *lib. 4. inſtit. cap. 8. §. 1. Peſtilentiſſimo errore Sathan totum pene orbem excæcavit, ut crederet miſſæ Sacrificium;* & infra §. 12. ſubdit: *Non eſt, cur ulla hominum authoritate vel annorum præſcriptione patiamur nos moveri.* Nihili faciunt Sectarii Sanctorum Patrum doctrinam, & authoritatem contemptui ſunt ipſis Doctores, quamvis numero propemodum infiniti, pietate, ſcientiâ clariſſimi, & ſe ipſos præferunt omnibus aliis, adducunt pro ſe ſcripturas ſacras, quas tamen vel corrumpunt, vel in ſenſus extorquent improprios, ac falſos, quibus errores ſuos tueantur contra communem Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, contra ſententias Sanctorum Patrum, & Theologorum Doctrinas.

Nituntur Hæretici, quia Chriſtus in ultima cœna, quando inſtituit Euchariſtiam, non dixit, *offerte*, ſed *comedite*, & *bibite*, ex quo inferunt, Euchariſtiam ex Chriſti inſtitutione non eſſe Sacrificium, ſed Sacramentum tantum, quia Sacrificium offertur, non comeditur. Sed contra, quia, tametſi Chriſtus non fuerit uſus illo vocabulo, *efferte*, fuit tamen uſus alio æquivalente, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem,* hoc eſt, celebrate Euchariſtiam, quam nunc inſtitui pro gratiarum actione in memoriam meæ paſſionis, & mortis, quam pro vobis & pro toto humano genere redimendo ſubiturus ſum. Duplex eſt gratiarum actio, interna una, qua quis interno affectu DEO gratum ſe exhibet pro ſibi impertito beneficio: externa altera, qua ſenſibili, & externo ſigno declaratur internus animi affectus, & voluntas gratificandi; & Chriſtus utramque actionem gratiarum, internam, & externam à nobis exigit pro beneficio ſuæ paſſionis, & mortis pro nobis toleratæ: & internam vult fieri per internum animi affectum: Externam pro celebratione Euchariſtiæ: & ſicut interna actio gratiarum conſiſtit in interna oblatione, qua quis ſe ipſum, ſuumque affectum DEO offert pro ſuſcepto beneficio: ita etiam externa conſiſtit in oblatione, qua externum ſignum ſui affectus DEO exhibet. Hinc ſequitur, omnem gratiarum actionem conſiſtere in quadam oblatione reſpectu DEI benefactoris. Cùm igitur Euchariſtiæ celebratio ex Chriſti inſtitutione ſit quædam externa gratiarum actio, debet hoc conſiſtere in externa oblatione, quapropter dixit Chriſtus, *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis longè plus explicat, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet: Offerte in memoriam tanti beneficii à me ſuſcepti. Præterea cùm Chriſtus ſe ipſum DEO obtulerit in cruce per modum cruenti Sacrificii, ut fatentur omnes cum Apoſtolo *ad Hebr. 9. & 10.* Simulque voluit, ut hæc cruenta oblatio repræſentaretur nobis, & quidem quotidie in memoriam revocaretur per celebrationem Euchariſtiæ, cùm dixit: hoc facite in meam commemorationem, procul dubio neceſſum eſt, in celebratione Euchariſtiæ fieri etiam oblationem incruentam, alioquin non eſſet repræſentatio cruentæ oblationis, quam Chriſtus in ara crucis fecit æterno ſuo Patri. Quòd ſi Euchariſtia, quæ conficitur in miſſa, eſt repræſentativa Sacrificii cruenti, quo Chriſtus ſe ipſum obtulit Patri in redemptionem humani generis, debet in Euchariſtiæ confectione etiam fieri oblatio; ait enim D. Auguſtinus *lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. Chriſtiani jam peracti Sacrificii in cruce memoriam celebrant Sacroſancta oblatione, & participatione corporis & ſanguinis Chriſti*, quibus verbis Auguſtinus adnectit Euchariſtiæ oblationem, & participationem corporis, & ſanguinis Chriſti, quapropter ex Auguſtino non ſolùm ſumitur in Euchariſtia corpus, & ſanguis Chriſti, ſed etiam offertur DEO ad ipſius honorem: ſumitur enim ad ſalutem, & utilitatem ſumentis, ſed offertur ad honorem DEI & inſtituentis.

Hinc nullius eſt roboris, quòd ſecundò objiciunt Hæretici, de ratione Sacrificii eſſe, ut DEO offeratur, non verò, ut comedatur ab hominibus, atqui Euchariſtia comeditur in utilitatem comedentis, conſequenter, nequit eſſe Sacrificium. Nam contra eſt, quia falſum eſt, Sacrificium non comedi ab hominibus, ſiquidem in lege veteri, ut fatentur etiam ipſi Hæretici, agnus paſchalis erat verum Sacrificium, & tamen comedebatur ab Hebræis. Non enim repugnat, quod Sacrificium totum offeratur DEO, & nihilominus pars ejus comedatur ab hominibus; etnim in lege Moyſis totus agnus paſchalis DEO offerebatur, & nihilominus ab Hebræis comedebatur, & non ſolùm id fiebat in agno paſchali, ſed etiam in hoſtiis pacificis, quæ integrè offerebantur DEO, & tamen pars eorum cedebat in uſum ſacerdotum, & offerentium. Hinc, tametſi Euchariſtia tota offeratur DEO ut Sacrificium in ejus honorem, adhuc tota comeditur in utilitatem ſpiritualem fidelium comedentium, non enim repugnat, unam eandemque rem ut honorificam ſervire uni, & ut utilem inſervire alteri, cùm commune ſit omnibus creaturis inferioribus, ut ſerviant DEO ad ipſius gloriam, & honorem, & ut hoc idem obſequium quod Deo præſtant, in noſtram commoditatem, & ſalutem itidem refundatur.

Quod ſi dicas, holocauſtum non comedi ab hominibus, ſed totum abſumi, ac deſtrui in honorem DEI, ex quo ſequitur, ſaltem Euchariſtiam non eſſe hoc Sacrificium, quod dicitur holocauſtum, & nihilominùs Catholici aſſerunt Euchariſtiam eſſe holocauſtum. Contra eſt, quia nullus Catholicorum docuit Euchariſtiam eſſe holocauſtum Moſaicum, quod totum debuit comburi, & in fumum reſolvi, ſed docent eſſe perfectius omnibus Sacrificiis legis Moſaicæ, etiam ipſis holocauſtis, non ſolum ex parte rei oblatæ, verùm etiam ex parte principalis offerentis, ſiquidem Chriſtus, qui in Sacrificio Euchariſtiæ eſt res oblata æterno Patri, eſt etiam principalis offerens, & in Sacrificiis Moſaicis res oblatæ erant tantùm animalia, vel aliæ res, quæ à Sacerdote Deo offerebantur.

Objiciunt tertiò, quod eſt Sacramentum, nequit ſimul eſſe Sacrificium: quia Sacramentum & Sacrificium opponuntur, ſiquidem in Sacramento nos accipimus aliquid à DEO, & in Sacrificiis nos donamus aliquid DEO, & ratio accepti nequit eſſe ratio dati, nec poſſunt ſimul eſſe in una eademque re: atqui Euchariſtia eſt Sacramentum, ergo non

go non potest simul esse Sacrificium, alioquin esset aliquid simul acceptum, & datum, quod repugnat. Sed contra, negatur major, quia vel ipsi Calvinistæ fatentur agnum paschalem in lege Mosaica fuisse simul Sacramentum, & Sacrificium, ut concedit Plesseus Calvinista una cum tota Synodo Capicensi Calvinistica *lib. 1. de Eucharistia cap. 1.* quod verum est, ut etiam docet Divus Thomas, sed si agno paschali non repugnavit esse simul Sacramentum, & Sacrificium, neque repugnabit Eucharistiæ, quòd simul sit Sacramentum, & Sacrificium: secundùm enim diversas rationes potest esse quid susceptum, & oblatum, non enim hæc repugnant huic Sacramento, quatenus enim illud comedimus, est Sacramentum institutum in utilitatem spiritualem sumentis, prout verò in consecratione dividitur corpus à sanguine, & DEO Patri offertur, induit rationem Sacrificii. Nam hæc duo etiam reperiebantur in agno paschali, qui totus offerebatur DEO ad ipsius honorem, & totus comedebatur à Judæis ad eorundem refectionem spiritualem, simile quid contingit in lege evangelica, ita enim offertur DEO Patri, & ad illius honorem corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini, ut simul comedatur, & spiritualiter proficiat sumentibus. Præterea, si hæc duo acceptum, & datum non possent simul cohærere, nihil possemus DEO offerre, quia bona omnia, quæ possumus alteri offerre, à DEO in nos derivantur, est enim DEUS munificus rerum omnium largitor, hinc sequeretur, quod nullum unquam fuisset Sacrificium neque in lege naturæ, neque in lege Moysis, quia omnia, quæ DEO offeruntur, ab ipso hominibus dantur, juxta illud 1. *Paralip. 29. v. 14. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

Objiciunt quartò, ex eo, quòd Christus sit Sacerdos in æternum, ex quo inferunt non habere ullum Successorem, nec Vicarium in Sacerdotio: ergo, si nulli sunt in lege evangelica sacerdotes, nullum erit Sacrificium, quod exigit essentialiter necti cum sacerdotio; hinc Apostolus *ad Hebræ. 7.* scribit, ideo in veteri testamento fuisse plures sacerdotes, quorum unus alteri succederet, quia singuli morti erant obnoxii, & quibus propterea necessum erat, ut alii semper succederent. Sed Christus est Sacerdos non deficiens: Sed perficiens, ac immortalis, consequenter non indiget successoribus, ac Vicariis in officio sacerdotali, sed contra, quia in lege evangelica Sacerdotes non sunt Successores Christi: sed tantùm ejus Ministri: aliud enim est, unum esse successorem alterius, & aliud, esse ejus Ministrum, ac vices ipsius gerere in aliquo officio: Siquidem Successor debet esse ejusdem dignitatis, ac potestatis cum eo, cui succedit: Secus Minister, seu Vicarius non debet esse ejusdem dignitatis cum Principali, cujus est Minister, vel Vicarius. Præterea quia Successor nonnisi post mortem aut depositionem alterius constituitur. Vicarius verò seu Minister solet constitui, dum adhuc vivit Principalis, cujus vices quis gerit, ut liquet in Prorege, qui vices gerit Regis in illo regno, quod administrat, neque Prorex est in eadem dignitate cum Rege, neque in eadem potestate, cùm possit à Rege deponi, non è converso Prorex regem spoliare sua dignitate. Christus igitur non habet Successores in Sacerdotio cum pari potestate, quia semper vivit, ut rectè argumentatur Apostolus, habet tamen Ministros, & Vicarios, qui illi subserviunt in officio sacerdotali, etenim etiam Aaron, quamdiu vixit, non habuit successores, cum pari potestate; & nihilominus habuit inferiores Sacerdotes Levitas, & Ministros, qui illi ministrabant.

Objiciunt quintò, quia Sacrificium crucis habet vim infinitam & æternam, consequenter non indigent homines alio Sacrificio, quia, quæ possunt præstari ab aliis Sacrificiis, hoc superabundanter præstatur à Sacrificio crucis, cujus virtus est infinita, & æterna. Ergo frustraneè multiplicantur Sacrificia missæ, imò & impiè, quia perinde hoc est ac detrahere Sacrificio crucis, cujus virtus cum sit infinita ipsa sola sufficit, & concedere alia Sacrificia est negare virtutem infinitam Sacrificii crucis, hinc Apostolus persæpe repetit, unam oblationem Christi in cruce sufficere, neque opus esse alia, *ad Hebræ. 9. v. 26. Semel ad destructionem peccati per hostiam suam apparavit,* & *v. 28. Christus semel oblatus est ad multorum exhauriendo peccata.* Rursus *cap. 10. v. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel,* & *v. 14. Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos,* ex quibus inferunt, frustraneum esse in lege evangelica missæ Sacrificium, & illud comedere perinde esse ac negare virtutem infinitam Sacrificii cruenti crucis. Contra est, retorquetur enim argumentum, quia Sacrificium crucis habet vim infinitam, & æternam, ergo non solùm non est necessarium aliud Sacrificium, sed nec etiam aliud Sacramentum, adeo ut non sit necessarius baptismus, imò neque actus meritorii fidei, spei, & charitatis, & aliarum virtutum, quia hæc omnia multiplicare perinde est, ac negare virtutem infinitam Sacrificii crucis, alioquin si infinita est, sufficit virtus Sacrificii crucis ad omnem sufficientiam. Præterea Sacrificium crucis habet vim infinitam & æternam respectu omnium hominum à mundi initio usque ad finem, ergo omnia alia Sacrificia sunt superflua, consequenter fuerunt supervacanea Sacrificia omnia legis Mosaicæ, & legis naturæ, imò & multiplicare illa Sacrificia nil aliud fuit, quàm negare vim & sufficientiam Sacrificii cruenti crucis: quamvis igitur Sacrificium crucis habeat infinitam, & æternam vim sanctificandi homines, & non sit opus alio Sacrificio crucis, neque repetitione ejusdem Sacrificii crucis, neque quod idem Christus iterum fundat suum Sanguinem, eò quia sufficientissimè satisfecerit DEO Patri pro nobis, ut loquitur Apostolus. Duo tamen requiruntur necessario: unum, ut simus memores illius tanti beneficii, vel jam accepti, vel olim promissi. Alterum, ut fructus illius beneficii, ac satisfactionis in particulari nobis applicetur, & utrumque fit per fidem, & actus aliarum virtutum per Sacramenta, per Sacrificia, & similia à DEO ordinata, non solùm in veteri testamento, sed etiam in novo, consequenter nihil eorum superfluum est, quamvis Sacrificium cruentum crucis sit virtutis, & valoris infiniti; unde non valet, Sacrificium crucis habet infinitam virtutem, ergo superflua sunt Sacramenta novæ legis: consequenter superfluum est Sacrificium incruentum missæ, etenim nec alia Sacramenta novæ legis, neque Sacrificium incruentum missæ sunt superflua, nec ulla fit injuria vel detractio

Digitized by Google

detractio Sacrificio cruento crucis, neque negatur ejus infinita virtus, quia hæc alia Sacrificia non ordinantur ad augendam vim sacrificii crucis, quæ, cùm sit infinita, non indiget augmento, sed alia sacrificia requiruntur, ut ejus fructus nobis applicetur juxta Christi institutionem: & speciatim sacrificium missæ est necessarium, ad repræsentandum sacrificium cruentum crucis.

Instant tamen Acatholici, dicentes, opus non esse applicare fructum sacrificii crucis per sacrificium missæ, eò quia fructus iste sufficienter applicetur nobis per fidem, Baptismum, Eucharistiam, & alia opera bona, non verò necesse est, ut per aliud sacrificium incruentum missæ nobis applicetur, sed contra, quia inde sequeretur, nec opus esse applicari hunc fructum per baptismum; & Eucharistiam, quia sufficienter posset applicari per solam fidem, & Sacrificium missæ. Neque possunt Sectarii quid aliud opponere circa hoc, cum hoc totum dependeat à Christi institutione, & ordinatione, & quia ipse instituit Sacrificium incruentum missæ in memoriam Sacrificii cruenti crucis, cùm dixit Apostolis, & suis successoribus, *hoc facite in meam commemorationem*, tenemur stare, ac parere ordinationi Christi, cùm enim fructus Sacrificii cruenti crucis, quem percipimus per Sacrificia incruenta missæ, sit finitus, eò quia non debet mensurari secundùm valorem & dignitatem Sacrificii, sed secundùm institutionem, & promissionem Christi, ideo multiplicantur, & repetuntur Sacrificia incruenta missæ, ut magis nobis prosit Sacrificium crucis, cujus valor, & virtus est infinitus tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte oblationis, & quamvis Sacrificium incruentum missæ sit æquale Sacrificio crucis ex parte rei oblatæ, & oblationis, non tamen ratione effectus, quia hic non mensuratur secundùm valorem, & dignitatem Sacrificii cruenti crucis, sed tantùm secundùm institutionem & promissionem Christi.

CAPUT X.

De Missis privatis, an legitimæ sint, & licitæ.

Quamvis, si velimus propriè loqui, nullæ sint missæ privatæ, eò quia ipsum Sacrificium sit publicum, & offeratur publico nomine totius Ecclesiæ in commemorationem mortis Christi, quæ est publicum beneficium, & Sacerdos gerat etiam officium Ministri publici, nihilominus usus invaluit, ut missa alia dicatur privata, & alia publica, seu solemnis, hoc est, quæ cum cantu, & solemni cæremoniarum apparatu assistentibus Ministris, & Clero, & exercentibus propria officia suorum ordinum solet in Ecclesiis publicis celebrari, & antiquitus moris fuit, ut populi in hisce missis solemnibus offerrent, & communicarent. Hinc omnes orationes, & ipsa verba Canonis in numero plurali, seu nomine plurium proferuntur, & ipse Sacerdos populum ipsum invitat ad orationem dicens, *Oremus*, & quando adstantes salutat, ait: *Dominus vobiscum.* Rursus moniti fideles, ut corda erigant ad DEUM, respondent, *habemus ad Dominum*. Et in canone etiam nomine populi recitantur collectæ; dicitur enim, *Supplices te rogamus, ac petimus, hanc oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ offerimus præclara Majestati de tuis donis, ac datis.* Ex quibus, & aliis constat, missam nihil aliud esse quàm Sacerdotis, & totius populi adstantis actionem, hinc plures semper solent interesse Sacrificio missæ, qua ratione Sacerdos profert in canone verba illa: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel, qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* Ad communionem itidem circumstantium ea spectant, quibus Sacerdos DEUM precatur, ut fiat corpus, & Sanguis Domini omnibus sumentibus in vitam æternam: & post communionem ait: *Quod ore sumpsimus Domine pura mente capiamus satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris*, & reliquæ preces, quæ recitantur in missæ Sacrificio, sunt fermè ejusdem tenoris, ex quibus infertur Sacrificium incruentum missæ esse actionem ita peractam à Sacerdote, ut simul sit communis adstantibus.

Missa privata illa dicitur, quæ sine cantu, sine Diacono, & Subdiacono, uno tantùm ministrante celebratur, sive in Ecclesia, sive in Oratorio, sive plures eidem intersint, sive pauci, imò sive nullus adsit, & etiam sive solus celebrans communicet, sive alii etiam adsint communicantes. Et hæc missa diis etiam solet quotidiana, eò quia singulis diebus ad commodum populi in Ecclesiis celebretur. Hinc Justinus Martyr referens missæ publicæ ritum, ait *in Apologia, quæ secunda inscribitur: Ei qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem pro eo, quod non donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest, omnis fausta approbatione acclamat, dicens, Amen. Amen autem voce hebræa fiat, significat, præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Ministri distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos appellatur, Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum abluto, & ita ut Christus tradidit viventi. Non enim, ut communem panem, neque ut communem potum, ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum DEI caro factus JESUS Christus Servator Noster, & carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eundem modum etiam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratia sunt acta, alimoniam unde sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse, edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ evangelia vocantur, ita tradiderunt, præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse, Hoc facite in mei recordationem, Hoc est in corpus meum, & poculo similiter accepto, & gratiis*

Digitized by Google

gratiis actis dixiſſe, hic eſt ſanguis meus, ac ſolis ipſis tradidiſſe. Nos autem poſt hæc deinceps nobis invicem iſta in memoriam revocamus.

Miſſas privatas quod attinet, reprobant Hæretici, & Lutherus contra ipſos acriter invehit, ac debacchatur, librumque edidit de abroganda miſſa privata Dæmone præceptore, ut ipſemet teſtatur *lib. de miſſa privata, & unctionem Sacerdotum tom.* 7. *pag.* 228. *editionis VVittenbergenſis* & maluit fidem præſtare Patri mendacii, quàm æternæ veritati ſeu Spiritui Sancto per Eccleſiam loquenti, Chriſtus enim non legitur præcepiſſe, ut Sacerdos nonniſi in ſolemni & in publico populi conventu Sacrificium offerat, nec, ut communicet ſolum cum populo, ſine quo non liceat ipſi communicare: neque conſtat Apoſtolos tale quid præcepiſſe, quapropter liberum ſemper fuit Sacerdotibus, quotidie offerre, etiam ſine cœtu fidelium, & communione aliorum, qui mors ſemper fuit in Eccleſia, ut & miſſæ privatæ ſemper in uſu, ſive hæc dicatur, quia fiat in privatis locis, ſive quia extra frequentem Chriſtiani populi conventum, ſive dicatur illa, in qua ſolus Sacerdos communicat, ſunt enim hujusmodi miſſæ ſemper legitimæ, ac licitæ, hinc Tertullianus narrat conſueviſſe Orientalis Eccleſiæ fideles, noctu privatim celebrare ad declinandam tyrannorum perſecutionem ait ipſe *lib. de fuga in perſecutione cap.* 14. *Si colligere interdiu non potes, habes noctem. Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia.* Et Euſebius *lib.* 4. *de vita Conſtant. cap.* 17. narrat Conſtantinum Imperatorem ſuſcepto baptiſmo ſtatim curâſſe in proprio palatio exſtrui Oratorium, imò & habuiſſe portatile templum, cùm in caſtra proficiſcebatur, & ejus exemplum nobiles Palatinos fuiſſe ſecutos, ne miſſæ Socrificio unquam carerent in caſtris, & Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 8. aſſerit: Epiſcopus, qui ex omnibus Provinciis ad dedicationem Eccleſiæ Hieroſolymorum convenerant incruenta Sacrificia ſæpius obtuliſſe, quod etiam teſtatur Euſebius *lib.* 4. *cap.* 45. & D. Gregorius Nazianzenus *orat.* 19. *in laudem Patris* refert, cum in cubiculo ſuo celebrâſſe, & in oratione in commendationem Sororis ſuæ Gorgoniæ, aſſerit domeſticum ei fuiſſe altare, in quo ſacra agerentur, quinimò S. Paulinus Nolanus ante lectulum ſuum juſſit ſibi altare parari, in quo Sacrificium obtulit paucis horis ante ſuum obitum, ut teſtatur Uranius in ejus vita. Et D. Ambroſius cum invitatu cujusdam clariſſimæ fœminæ trans Tiberim pergeret, ut Sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix, quæ paralytica in lecto jacebat, ſellula ad eandem domum juſſit ſe portari, & veſtes S. viri exoſculata ſanitatem recepit, ut refert Paulinus in ejus vita, plura alia congeruntur exempla, quibus deprehendimus viros pientiſſimos & Sanctos conſueviſſe miſſas privatas etiam in locis privatis celebrare, ſi neceſſitas & charitas urgerent, & Concilium Agathenſe *can.* 11. privata oratoria in agris permiſit, eo fine, ut in iisdem miſſæ privatæ celebrarentur: & Sanctus Gregorius Magnus *epiſt.* 43. Joanni Syracuſano Epiſcopo præcipit, ut miſſas celebrari permittat in domo Venantii Patritii. Et *homil.* 37. *in evangel.* aſſerit morem fuiſſe Caſſio Narnienſi Epiſcopo, quotidianas DEO hoſtias offerre, adeo ut pene nullos fluxerit dies vitæ, quo Omnipotenti DEO hoſtiam placationis non immolaret.

Miſſas itidem, in quibus ſolus Sacerdos communicaret priſcis temporibus fuiſſe in uſu, teſtis eſt S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 3. *in epiſt. ad Epheſ.* inquiens: *Fruſtra eſt quotidianum Sacrificium, fruſtra adſtamus altari, nemo eſt, qui participet.* Fidelem populum diebus tantùm dominicis Euchariſtiam ſumere hortatur S. Auguſtinus, & eos etiam, qui frequenter vel raro communionem ſacram percipiunt, dummodo pio affectu, & ſincera devotione ad eam accedat, pariter laudat *epiſt.* 54. *ad Januarium* & nihilominus Sacrificium Euchariſtiæ quotidie offerri ſummo DEO, teſtatur *epiſt. ad Bonifacium.* Præterea Gennadius Maſſilienſis Epiſcopus *lib. de eccleſiaſticis dogmatibus cap.* 53. ſuadet fidelibus, ut communicent omnibus diebus dominicis, ſi tamen animo fuerint ab omni affectu peccandi libero. Concilium Agathenſe præcipit ſæcularibus, ut diebus dominicis interſint ſacro, ac miſſæ, & tamen non præcipit eos communicare, niſi diebus ſolemnioribus Nativitatis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes. Concilium itidem Toletanum XII. *can.* 5. ſtatuit, ut Sacerdos communicet, quoties ſacrificium offert, non tamen communionem plebi imperat. Accedit denique Tridentina Synodus *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. inquiens: Optaret quidem Sacro Sancta Synodus, ut in ſingulis miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ participatione communicarent, quoad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberius perveniret: nec tamen ſi id non ſemper fiat, propterea miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas damnat, ſed probat, atque adeo commendat: ſiquidem illæ quoque miſſæ verè communes cenſeri debent, partim, quod in iis populus ſpiritualiter communicet, partim verò, quòd à publico Eccleſiæ Miniſtro non pro ſe tantum, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur. Et *can.* 8. ait: *Si quis dixerit, miſſas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat illicitas eſſe, ideoque abrogandas, anathema ſit.*

Objiciunt tamen Hæretici, quibus ſacrificium miſſæ eſt exoſum, illud Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 11. Cœnam dominicam opponentis privatæ, ait enim Apoſtolus: *Hoc non eſt cœnam dominicam manducare. Unusquisque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum,* quæ verba explicans D. Joannes Chryſoſtomus ait: Quod dominicum eſt, privatum fecerant. Cœna enim Domini debet eſſe communis. Sed contra, quia per cœnam dominicam Apoſtolus Paulus & Joannes Chryſoſtomus, non intellexerunt celebrationem Sacrificii incruenti, nec ſumptionem Euchariſtiæ, quæ ab Eccleſia æquè pauperibus, ac divitiis affluentibus adminiſtrabatur, ſed per cœnam dominicam intellexerunt dominicum, quod primi Chriſtiani *Agapem* vocabant & conſueverant peractis ſacris myſteriis, quaſi in ſymbolum charitatis peragere vitabantur tantùm divites, & amici, & qui erant ejusdem dignitatis, & fortunæ, non verò pauperes, & propterea eos reprehendit Apoſtolus, eò quia dominicam cœnam non imitarentur, quam Chriſtus ſuis condiſcipulis pauperibus, communem habuit, ſed privatam facerent excluſis, aut non expectatis pauperibus, ut colligitur ex verbis Apoſtoli 1. *ad Corinth.* 11. inqnieus: *Unusquisque præſumit cœnam ſuam ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Laudo vos, in hoc non laudo.* Inſtant tamen Hæretici, & adferunt Chriſti factum; etenim Chriſtus cum cœnam dominicam inſtituit omnibus adſtantibus Euchariſtiam diſtribuit, & injunxit ſuis

diſcipu-

Digitized by Google

discipulis, ut facerent verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ex quibus inferunt missas privatas, in quibus solus Sacerdos communicat repugnare institutioni Christi, consequenter has missas privatas, in quibus solus Sacerdos communicat, non esse licitas. Sed contra, quia non quidquid Christus in instituendo Eucharistiæ sacrificio fecit injunxit etiam Sacerdotibus, ut facerent, alioquin non esset licitum, Eucharistiam conficere nisi post cænam, & præsentibus tantùm duodecim ac mensæ assidentibus exclusis mulieribus, siquidem Christus ita legitur instituisse Eucharistiam. Quamobrem Christus tantùm injunxit, ut Sacerdos consecrans, primus de Sacrificio participet, ac deinde aliis adstantibus, si petant exemplo Christi eroget, non vero jussit, ut si præter Ministrum nemo alius adsit, aut si adstantium nemo communionem petat, Sacerdos à sacrificii oblatione abstineat, quapropter sine ullo fundamento asseritùr, non esse licitum Sacerdoti Eucharistiam conficere, & Sacrificium incruentum missæ offerre omnipotenti DEO, nisi præter ipsum sint etiam alii, qui communicent. Sunt enim aliqua, quæ ad Sacrificii substantiam pertinent, & quæ Dominus Noster perpetua imitatione Ecclesiæ suæ servanda tradidit, scilicet gratias agere, benedicere, consecrare, offerre, Sacerdotem sacrificantem corpus & sanguinem Christi sumere, atque hæc in memoriam passionis ejus peragere. Alia verò, quæ pro temporis, & loci tantùm circumstantiis ab eo facta sunt, ut dispensare aliis præsentibus, iisque sedentibus post cœnam, & sub utraque specie à fidelibus fieri non jussit, quinimo quædam non esse imitanda, per suam Ecclesiam declaravit.

Objiciunt secundò, quia in *can. 9. Apostolorum & can. 2. Antiocheni Concilii*, ut etiam *cap. peracta. dist. 2. de consecrat.* habetur, à Sacris mysteriis exclusos fuisse omnes, qui non communicarent, ex quibus etiam inferunt, nullam esse licitam missam, nec olim celebratam absque communione adstantium. Sed contra quia ex citatis locis nihil colligitur contra missas privatas, quia tametsi supponantur præcipere communionem fidelibus, qui intersunt Sacrificio missæ, non tamen præcipiunt Sacerdotibus, ut abstineant à Sacrificii oblatione, si nullus adsit, qui petat sacram synaxim, & communionem. *Can. enim 9.* ex illis, qui dicuntur Apostolorum, seu potiùs falsò tribuuntur Apostolis illos perstringit, qui Ecclesiam ingredientes, & verbum DEI audientes, neque in precatione, neque sacra communione permanent, seu qui dum celebratur sacrificium, usque ad finem non permanent, ut explicant, Zonaras, Aristeus, & Balsamon. Idque ex eo firmari potest, quia *canon octavus* Clericos adstantes oblationi significat à communione posse dispensari ob causam legitimam, quòd si Clerici dispensantur, à fortiori etiam laici Sæculares verba Canonis sunt hæc: *Si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel ex Sacerdotali Catalogo, facta oblatione non communicaverit, causam dicat; & si probabilis fuerit, veniam consequatur: sin verò minus, segregetur, ut qui populo causa sit offensionis, & suspicionem dederit adversus eum, qui obtulit, tanquam non dignè obtulerit.* Ad aliud, quod addebatur ex *can. 2. Concilii Antiocheni*, respondetur, Concilium tantùm damnare eos, *qui Sanctam Eucharistia participationem propter aliquam insolentiam aversantur, seu qui pro quadam intemperantia, se à perceptione Sancta communionis avertunt*, ut explicat Dionysius Exiguus; non autem eos, qui ob legitimam causam à communione abstinerent, quamvis sacris interessent mysteriis, siquidem requirebat Ecclesia, ut saltem graviori aliquo crimine sese indignos communione non præberent fideles. Ad aliud ex cap. *peracta*, respondetur, ibi non esse sermonem de Laicis, sed de Clericis, qui Episcopo diebus solemnioribus celebranti ministrant ad altare, ut explicant Canonistæ.

Neque obstant verba S. Joannis Chrysostomi, quæ à Sectariis contra missam privatam afferri solent: *Frustra habetur oblatio, frustra adstamus ad altare, nemo est, qui participet*; nam respondetur, fuisse tantùm frustra celebratum sacrificium spectato fine secundario, cùm nullus participaret, eò quia ex intentione ecclesiæ consecratur Eucharistia non solùm, ut sacrificium, verum etiam ut Sacramentum; non ad celebrantis duntaxat Sacerdotis, sed etiam fidelis populi spiritualem refectionem. Verum non frustra fuisse factam oblationem spectato fine primario, qui est DEI cultus, honor & laus, erga peccatores propitiatio. Hunc enim finem obtineri posse cognovit S. Joannes Chrysostomus, quamvis nemo præter celebrantem communicaret. Neque missas privatas inutiles existimavit ex eo, quod præter Sacerdotem celebrantem nullus adsit alius, qui communicet.

Verum tamen est, quòd nemine adstante, nemine respondente, non liceat missam celebrare: nisi sit saltem unus Minister, qui Sacerdoti respondeat, & si fieri possit, sit Clericus superpellicio indutus & veste talari, alioquin missæ absque ullo ministro respondente prohibentur à Conciliis, præsertim Moguntino sub Leone III. *can.* 43. ubi ait: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare valet rectè, quomodo enim dicet Dominus vobiscum, quomodo sursum corda admonebit habere, & alia pleraque his similia? cùm nemo alius cum eo sit.* Concilium itidem Parisiense sub Gregorio IV. *lib. 1. c.* 48. ait: *Irrepsit in plerisque locis, partim incuriâ, partim avaritiâ reprehensibilis usus, & congrua emendatione dignus, eo quòd nonnulli Presbyterorum sine Ministris missarum solemnia frequentent. Unde conveniendus, imò interrogandus nobis videtur hujusmodi corporis & sanguinis Domini solitarius Consecrator, quibus dicit, Dominus vobiscum, & à quo illi respondetur, & cum Spiritu tuo, vel pro quibus supplicando Domino inter catera, memento Domine, & omnium circumstantium, cum nullus circumstet, dicit*, quod vero ex decentia Minister missæ Clericus debeat esse cum veste talari, & superpellicio indutus etiam definiverunt plura Concilia in Galliis, ut Aquense, Tholosanum, Avenionense, & Narbonense anno 1609. cap. 19. debet itidem Minister missæ esse vir, non fœmina, etiam sanctimonialis, id enim sacris canonibus prohibitum est, ut etiam in Conciliis, præsertim Laodiceno *can.* 44. ubi ait: *Non oportet mulierem ad altare ingredi*, & Gelasius I. summus Pontifex *epist.* 9. *ad Episcopos Lucania cap.* 26. *Impatienter audivimus, tantum divinarùm rerum subisse despectum, ut fœminæ sacris altaribus ministrare ferantur, & cuncta quæ nonnisi virorum famulatui deputata sunt, sexum, cui non competit, exhibere.* Concilium itidem Parisiense VI. *lib. cap.* 45. *Quædam nostrorum virorum relatu, quædam visu didicimus, in quibusdam Provinciis contra legem divinam canonicamque institutionem fœminas sanctis altaribus se ultro ingerere & sacrata vasa impudenter contingere, & indumenta Sacerdotalia Presbyteris administrare.* Et paucis interjectis subdit: *Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto à christiana religione abhorret, ne ulterius fiat, inhibendum est.* Factu itidem optimum, si præter Clericum vel idoneum Laicum Ministrantem alii etiam

etiam adsint, quamvis id non sit simpliciter necessarium, fuerunt ex Sacerdotibus aliqui ita meticulosi, ut ne mendaces fierent, si ad unum solum præsentem in numero plurali salutationes dirigerent à sacrificii oblatione abstinerent, nisi præter Clericum ministrantem unus vel alter etiam interesset, quibus cum veritate posset proferri *Dominus vobiscum*, & *orate fratres*, de qua re exstat canon apud Gratianum *dist.* 1. *de consecrat. cap.* 41. sub nomine Soteri quamvis ab aliis tribuatur Anacleto, ubi dicitur: *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur, quia, cum pluraliter ab eo dicitur Dominus vobiscum, & illud in secretis, orate pro me, aptissimè convenit, ut illius respondeatur salutationi*, verum hic, & alii canones declarant, quid decentius sit, non verò quid simpliciter necessarium, etenim Eremitis perpetuo inclusis olim permittebatur, ut soli sine respondente missam celebrarent, ut refert Cardinalis Bona *lib.* 1. *rerum liturgicarum cap.* 13. Id interdum concessum fuisse à Romano Pontifice, & hoc etiam confirmat Glossa *dist.* 1. *de consecrat. cap.* 41. Alii etiam fatentur, id olim fuisse toleratum apud Monachos, ut scribit Odo in expositione Canonis, neque id visum fuerat à ratione alienum, ut qui solus esset, diceret, *Dominus vobiscum*, quia his verbis se ecclesiam salutare asserebant, quæ est una in multis, & tota in singulis, ut explicat S. Petrus Damiani *in opusculo ad Leonem inclusum*, quod inscripsit: *Dominus vobiscum.* Rursus quia Sacerdos cùm solus recitat divina officia nocturna, & diurna omnia pluraliter profert, sicuti in numero plurali enunciantur in divinis officiis, dicit enim, *venite, adoremus, procidamus ante DEUM, oremus, benedicamus*, quamvis nullus alius adsit, & cum ipso adoret, genuflectat, oret, benedicat. Non igitur repugnat rationi, si Sacerdos absque Ministro & circumstantibus celebrans dicat: *Dominus vobiscum*, vel omnes circumstantes DEO commendat, quia hujusmodi verba fideles omnes spectant, qui assistunt quasi præsentes, fide & charitate Sacramentis communicantes. Verum nunc id non licèt, nec etiam ipsis inclusis Eremitis absque speciali licentia sedis Apostolicæ, ut decrevit Alexander III. *cap. Proposuit. Extra. de filiis Presbyterorum.*

Missa tamen privata, quæ *sicca* dicitur, tametsi aliquando fuerit tolerata permitti non debet. Dicitur enim Missa *sicca*, quæ à Sacerdote induto vestimentis sacris absque oblatione sine secretis, canone consecratione, & communione, propterea sine calice, & hostia celebrabatur, quæ etiam missa *nautica* vocari consueverit, eò quia in mari & etiam fluminibus celebrari soleret, & ob motum navis & agitationem fluctuum semper aderat periculum effusionis sanguinis, ideo *sicca* vel *nautica* dicebatur quia sine hostia, sine calice, & hanc missam fuisse in usu tempore S. Ludovicus Regis Galliarum refert Guilielmus de Nangiaco in ejus vita. Ritus missæ hujus siccæ describit Durandus in suo rationali divinorum officiorum *lib.* 4. *cap.* 1. Meritò sicca dicitur, quia sine fructu, sine gratia, sine humore confectionis Eucharistiæ, nilque fidelibus prodest; & in eam invehunt Estius *orat.* 13. & Joannes Echius eam vocat *irrisionem DEI, & illusionem Christi*, & addit illius usum esse potius illicitum, ob falsitatem, quam continet in facto, & verbo, eo quia Sacerdos simulet omnia quæ sunt celebrantis, licèt reverà non celebret, nec Sacrificium offerat; & quia recitat orationes, quæ promittunt Sacrificium, & aguntur postea gratiæ, quasi Sacrificium oblatum fuisset: de hac missa *sicca* ait eruditissimus Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturgicarum cap.* 9. *Missa sicca ab indiscreta, & privata nonnullorum devotione duxit originem, cui nimium indulgenter fuerunt Sacerdotes. Larva est, & simulatio quadam missæ veræ, sicca procul dubio, & jejuna; exsucca & sterilis utpote carens non solùm consecratione, sed etiam sumptione corporis Christi, similis cœna lignea, & lapidea, quam Lampridius, & alii referunt convivis suis Heliogabalum exhibuisse.*

Non tamen missæ privatæ debent in privatis domibus celebrari, sed tantùm in illis oratoriis extra ecclesiam, quæ designata fuerint ab Ordinario; ita statuit Concilium Tridentinum *sess.* 22. Usus tamen obtinuit etiam à primis Constantini magni temporibus, ut in castris licitè celebretur in altari portatili. Quin imo possunt etiam Episcopi licentiam concedere missam celebrandi in Capellis, & Oratoriis Domûs privatæ ob gravem aliquam necessitatem, & ex justa causa; neque Concilium hanc potestatem Episcopis ademit, vel abstulit; neque derogat. *cap. concedimus. cap. missarum dist.* 1. *de consecratione.* quibus Episcopis talis facultas conceditur: sed Synodus Tridentina tantum intendit auferre abusus occurrentes in celebratione missarum; & statuere de communi celebrandi modo, & non exclusit exceptiones licitas jure communi, ut notat Barbosa *lib. de offic. & potestate Episcopi part.* 2. *alleg.* 32. Non tamen solet ab Episcopis aliis concedi, quàm prænobilibus, eo quia valdè distent ab ecclesia parochiali, vel sint notabiliter debiles, vel aliqua detineantur ægritudine, ob quam debeant immorari domi. Concilium Mediolanense 4. *part.* 2. ait: *Episcopus omnibus missam in oratorio privato celebrandi facultatibus hactenus concessis certos limites, modumque præfiniat; ita ut præter eausas, quas magnas, & urgentes is judicaverit in ipsis privatis oratoriis missam celebrari ex facultatibus illis deinceps non liceat; nisi hoc à sede Apostolica induitum fuerit.* Excipiendæ tamen sunt majores solennitates, quibus tenentur omnes interesse ecclesiæ, & ibi audire sacrum *cap. si quis dist.* 1. *de consecratione.* Excipiuntur præter Natale Domini, Epiphaniam, Pascha, ascensionem, Pentecostem, Natale S. Joannis Baptistæ; etiam solennitas corporis Christi, Assumptio Beatæ Mariæ Virginis & festum omnium Sanctorum, quibus omnibus diebus festis tenetur quisque in publicis ecclesiis sacro interesse. Imò neque in oratoriis, capellisque privatis licitum est aliis diebus missam audire, nisi dispensationis litteræ priùs ab Episcopo legantur, & approbentur ut Apostolicæ: quia sedes Apostolica dispensationes contra ordinem ecclesiæ non intendit concedere, si juribus derogent Episcoporum *cap. cum capella. de Privilegiis. cap. cum plantare. ibid.* & Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Refor. cap.* 11. Hinc Pontifex in litteris privilegiorum semper addit clausulam, *si preces veritate nitantur.*

Fideles diebus Dominicis, & solemnioribus festis debent propriam frequentare parochiam, ibique interesse solemni sacro, & Concioni, ut ait Concilium Tridentinum, *sess.* 22. *in decreto de observandis, & evitandis in celebratione missarum. Ordinarii locorum Episcopi moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant.* Fideles tamen si diebus Dominicis, & aliis festis frequentent ecclesias Regularium, ibique missam audiant, satisfaciunt ecclesiæ præcepto de audienda missa; ita enim declaravit Leo X. in suo diplomate dato Romæ die 13. Novembris

bris anno millesimo quingentesimo decimo septimo, ubi ait: *Intelleximus, quosdam in dubium revocare, & perinde timoratis conscientiis scrupulum injicere, si Christi fideles, qui Dominicis, & Festis diebus extra ecclesias suas parochiales missas audiant in ecclesiis Fratrum ordinum mendicantium, ecclesiæ præcepto de missa audienda satisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujusmodi tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique DEO creatori suo serviant, Autoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus, omnes Christi fideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote parochiali) in ecclesiis fratrum ordinum mendicantium Dominicis, & diebus festis missas audiunt, satisfacere præcepto ecclesiæ de audienda missa, neque in aliquam labem peccati mortalis pœnamve incurrere*, quam declarationem etiam confirmavit S. Pius Quintus in suo diplomate dato Romæ anno 1567. ubi ait: *Christi fideles audiendo missas, & alia divina officia in ecclesia Fratrum hujusmodi diebus Dominicis aut festivis præcepto ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur*, quod tamen intelligitur excluso contemptu proprii Parochi.

Quamvis valor sacrificii missæ seu vis & dignitas illius, si spectetur res oblata, & principalis offerens, sit infinita, cum sit eadem victima, quæ in cruce pro omnibus hominum peccatis oblata est; & idem Sacerdos, seu Christus, unum proinde, & idem sit sacrificium, sola offerendi ratione diversum, ut docet Tridentina Synodus, adeo ut idem Christus sit Sacerdos, & victima, ac propterea sit infinitæ dignitatis, ac virtutis. Si tamen spectetur ratione effectus, quem ex Christi institutione habet, quatenus per ministros ecclesiæ offertur, est finiti valoris, ac virtutis: siquidem oblatio, quatenus est actio Sacerdotis, est finita. Præterea cùm Christus hoc Sacrificium instituerit, ut per illud nobis applicaretur virtus sacrificii, quo se semel in cruce obtulit pro redemptione totius humani generis; nec cruentum illud Sacrificium fuerit infinitæ virtutis, quoad efficaciam, sed quoad sufficientiam; idem dicendum potiori jure de sacrificio Eucharistiæ: siquidem illud instituit Christus, ut pluries repeteretur; & sacrificium crucis, ut semel tantùm offerretur. Hinc Sacrificium missæ quatenus intentione, & orationibus Sacerdotis aliis applicatur, non æquè prodest singulis, acsi pro uno solùm offerretur: quia vis illius secundum hanc rationem est finita; & quod est finitum, quò inter plures dividitur, eò fit minus, & non æquè prodest pluribus, ac si divideretur inter paucos, vel uni tantùm applicaretur. Aliud est sacrificium missæ, ratione rei oblatæ esse infiniti valoris quoad sufficientiam; & aliud quoad efficaciam. Licèt sit infiniti valoris in se, non tamen his valor infinitus actualiter applicatur modo infinito, & pro infinitis; nec alia potest ratio assignari, nisi ipsa voluntas Christi, qui noluit ordinare hoc Sacrificium ad conferendum efficaciter fructum infinitum pro infinitis subjectis: de facto enim Christus non redemit Angelos, sicut potuisset ipsos redimere ratione valoris rei oblatæ, & Sacerdotis offerentis, unde illa infinitas est tantùm quoad sufficientiam, non quoad efficaciam, & quia Christus merita suæ passionis voluit applicare pro Angelis, sicut ea applicavit pro hominibus. Præterea ad infinitam efficaciam sacrificii præter hostiæ & principalis offerentis infinitatem, requiritur etiam infinitas illius, à quo immediatè offertur: seu Sacerdotis, qui est immediatus offerens; sed Sacerdos est finitæ dignitatis, ergo etiam valor sacrificii quoad actualem influxum, & efficientiam est finitus, quia actio illa à supposito finito, immediatè producitur, & in hoc differt à sacrificio crucis, quod fuit immediatè à supposito infinito, proinde illa oblatio fuit actio secundùm esse morale infinita, & Deo patri infinitè grata. Favet huic assertioni etiam praxis ecclesiæ, ac fidelium, qui pro se, & pro suis defunctis curant plura sacrificia offerri; quod neutiquam facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Præterea, quia posset Sacerdos unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod decreta ecclesiæ prohibent: frustra enim pro uno defuncto plura, & plura multiplicarentur missæ sacrificia: Rursus sequeretur, quòd si missæ sacrificium esset infiniti valoris quoad efficaciam, missa cujuslibet Sacerdotis æquaret Christi sacrificium in cruce, quod ideo unicum fuit, quia infiniti valoris. Non enim quod in sacrificio missæ continetur, debet considerari ut quoddam agens naturale, nec secundum summum gradum suæ virtutis, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habeat efficaciam, quantam vult contentum sub accidentibus panis, & vini habere, seu agens principale Christus noster Redemptor, qui in hoc incruento missæ sacrificio, vult nobis applicari fructum finitum, ac limitatum suæ passionis ex se valoris quidem infiniti, sed quia nobis applicatur ex libera voluntate Christi volentis, ut tantùm finitum, & limitatum fructum participemus ex infinito, quem in se habet: ideo non nisi finitus est fructus, quem ex missæ sacrificio percipimus. Igitur sacrificium missæ habet efficaciam finitam in ordine ad suos effectus, excepta vi imperativa, quæ infinita est, quia non consistit in aliquo, quod producitur à sacrificio, sed in excellentia, & dignitate ipsius, quatenus objectivè movet Deum ad id, quod petitur, concedendum, quamvis non semper concedat, nisi cùm judicat saluti nostræ expedire, ut concedatur. Non igitur fructus sacrificii missæ æquè prodest pluribus simul sumptis, ac uni tantum. Hinc in Concilio Constantiensi damnata fuit propositio Joannis Wiclefi asserentis: *speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel religiosos, non plus prosunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.* Cum igitur sacrificium missæ intentione, & oratione Sacerdotis celebrantis applicetur illis, pro quibus offertur; non ita prodest singulis, ac si pro uno solum offerretur. Fructus enim finitus est major, si totus uni tantùm detur, quàm si dividatur aut distribuatur inter plures: si enim centum nummi dentur distribuendi, & dentur omnes uni tantùm, hic plus accipit, quàm viginti alii, quibus distribuitur, quia isti non accipiunt, nisi quinque pro singulis, cum ille unus accipiat centum: ita à pari de fructu sacrificii incruenti applicato uni vel pluribus.

Hinc Sacerdotes, qui stipendia seu honoraria accipiunt pro missis pluribus celebrandis, non possunt unam tantùm missam pro omnibus celebrare, ac graviter peccant, ac tenentur ad restitutionem, quia dantes eleemosynam intendunt, ut totidem celebrentur missæ, quot dant eleemosynas, & pro ipsis applicetur fructus ille, quem intendit Ecclesia applicare pro missis celebrandis, quo pacto sua fraudantur fideles intentione, si non tot missæ celebrentur, quot ipsi dederunt eleemosynas, imò neque Sacerdos potest missam applicare etiam pro aliis, si ab una persona tantùm accepit eleemosynam, ea intentione, ut totus fructus ab Ecclesia applicabilis pro dante eleemosynam, ut sibi applicetur. Neque obstat, quòd stipendia sint incongrua ad sustentationem Sacerdotis pro uno die,

eò

Digitized by Google

eò quia altari inservientes de altari vivere debent, quia dantes eleemosynam Sacerdotibus pro missa celebranda non tenentur ex toto ei extradere pro tota sustentatione diurna, non enim tenentur ad solam missam celebrandam, cum etiam obligentur ad alia officia pro ecclesia membris omnibus persolvenda, quapropter Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 2. de reformatione* statuit. Ne quis deinceps clericus sæcularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius constet, *eum beneficium ecclesiasticum, patrimonium, vel pensionem habere*, unde constat, non esse necesse, ut stipendium, quod Sacerdos accipit pro missa celebranda, sufficiat ad totalem sustentationem diurnam, cùm supponatur Sacerdos aliunde habere, ut possit se alere, adest etiam decretum sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum authoritate Urbani VIII. editum die 21. Junii anno 1625, ubi habetur: *Ubi pro pluribus missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia quantumcunque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, congregationibus, Domibus, ac locis piis, quibuscunque, tam sæcularibus, quam Regularibus, Sacra congregatio sub obtestatione divini Judicis mandat, ac præcipit, ut absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Id verò, ut deinceps observetur exactiùs sacra congregatio eadem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus, quàm Regularibus, cujuscunque Ordinis, Congregationis, & instituti, quamcunque ob causam, concessa, quibus, indulgetur, ut certarum missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus, in futurum suscipiendis satisfiat.*

Neque potest Sacerdos celebrationem missæ anticipare pro incertis postulaturis, ac in eum finem eleemosynas collaturis, quia hoc pacto pia fidelium intentio defraudaretur, qui Sacrificium offerri volunt speciatim ad gratiam aliquam suscipiendam à DEO, vel auxilium necessitate aliqua urgente sibi vel suis à DEO impetrandum, quapropter sacra Congregatio supra Concilium Tridentin. authoritate Pauli V. Pontificis Maximi hanc anticipatam missarum celebrationem prohibuit, & damnavit die 15. Novembris 1605. *Tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, & à vetusto ecclesiæ more nimium abhorrentem.* Decretum refert Barbosa *lib. de officio & potestate Episcopi part. 2. allegat. 24.* & asserit consuetudinem anticipatè celebrandi, non esse in praxi approbandam, nec tolerandam, quia redolet nimiam cupiditatem lucri ex missis celebrandis, quæ cupiditas in Sacerdote datur vitio. Rursus, quia æquitas exigit, ut, qui dat eleemosynam pro missa celebranda in tali altari in honorem talis peculiaris Sancti, sciat missam illam pro se, & juxta suam intentionem celebrari, quo pacto melius se disponit ad recipiendum fructum illius. Neque obstat, si Sacerdos danti eleemosynam dicat, applico tibi Sacrificium, quod alias celebravi; quia Sacerdos non potuit prævidere, ex qua causa velit fidelis dans eleemosynam sibi missam celebrari, quapropter defraudaretur sua intentione quoad hoc, & fideles facile sibi persuaderent, Sacerdotem accipere stipendium, & non applicare missam pro ipso dante eleemosynam: Excipitur tamen, quando quis ex obligatione alicujus capellæ tenetur tot missas singulis hebdomadibus celebrare, quia huic oneri potest Sacerdos satisfacere eas celebrando hebdomada antecedente pro subsequente, nisi fortassis in litteris fundationis sit aliter expressum.

Rursus si Sacerdos pro missa celebranda certam suscepit eleemosynam, non potest alteri celebrandam committere parte eleemosynæ sibi retenta, tametsi justum, & consuetum honorarium persolvat celebranti; quia nullus est justus titulus illi, qui missam cum certa eleemosyna suscepit, & alteri celebrandam committit, retinendi sibi hanc partem eleemosynæ, quia illa tota, quanta est, ob missam celebrandam erogata, adeoque illi indebita, qui non celebrat, ac proinde ab ipso non solum absque turpis lucri nota, verùm etiam furti crimine non potest pars illa sibi retineri, quod si illam retineat, tenetur ad restitutionem, & huic legi non solum privati Sacerdotes subjacent, verùm etiam Æditui, sive Sacristæ Ecclesiarum, quia nec isti possunt justo titulo partem illam sibi retinere, ut si ex viginti crucigeris decem sibi retinerent, & alios offerrent Sacerdoti, tametsi id redundet in commodum, & utilitatem ecclesiæ, quia peccatur contra justitiam, quando totum stipendium non datur celebranti missam, quia illud totum eidem est debitum; Sacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum authoritate Urbani VIII. decretum edidit anno 1625. ubi habetur: *Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri partem ejusdem eleemosynæ sibi retenta celebrandam committat*; quia verò ab eadem congregatione quæsitum postea fuisset, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt, an verò sufficiat, si dent celebrantibus eleemosynam consuetam. Respondit Sacra Congregatio teneri absolutè integram eleemosynam Sacerdoti celebranti tribuere, nulla sibi retenta parte. Præterea quia Alexander VII. Pontifex Maximus damnavit illam propositionem, *post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Hinc neque Æditui, neque Administratores Ecclesiarum ex Missarum celebrandarum eleemosynis pro expensis ornamentorum, cereorum, hostiarum, vini, possunt sibi partem eleemosynæ retinere, si Ecclesia alios reditus habeat, quos in talem usum expendat, hoc enim etiam prohibetur in decreto sacræ congregationis, ubi habet, *permittendum non esse, ut Ecclesia, & loca pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam utcunque, minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeant in missarum celebratione, nisi cùm ecclesia & loca ipsa alios non habent reditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ. Et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ superfunt expensis, supra deductis, absolutè tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerant ab offerentibus.*

Quinimò

Digitized by Google

Quinimò, ſi Sacerdos pro Miſſa celebranda accipiat ab uno eleemoſynam, non licet aliam quoque eleemoſynam accipere ab altero, cui partem illam fructus propriam Sacerdotis pro eodem applicet. Eſt enim triplex portio valoris Miſſæ, ſeu triplex fructus applicabilis; primus pertinet ad omnes fideles: ſecundus eſt proprius celebrantis; & tertius ſubeſt diſpoſitioni Sacerdotis, ut eum applicet, cui voluerit. Primus igitur ex eo provenit, quia generaliter pro omnibus fidelibus vivis, & defunctis offertur, quia Sacrificium incruentum Miſſæ, quoad ſubſtantiam eſt idem, cum Sacrificio cruento crucis, eſt enim eadem res oblata, ſeu Chriſtus Dominus, & idem Sacerdos offerens principaliter ſeu Chriſtus, ſed Sacrificium cruentum crucis pro omnibus oblatum eſt, ut conſtat ex canone, qua ratione tenetur Sacerdos etiam pro omnibus applicare Miſſam pro Papa, pro Epiſcopo, pro Imperatore, pro Rege, & tota Eccleſia militante, immò etiam purgante, & non poteſt non applicare, cum ſit ab Eccleſia ad id ſpecialiter deputatus, quapropter hic fructus extenditur ad omnes fideles, qui ab Eccleſiæ unitate non ſunt præciſi, nec ponunt obicem, quò minùs talem fructum recipiant, & hic fructus non ſolùm impetrationem, verùm etiam ſatisfactionem an includat, videtur controverti. Secundus fructus, qui dicitur proprius Sacerdotis offerentis, fundatur in eo, quia Sacerdos etiam offert pro ſe ipſo, ait ipſe: *Offero pro innumerabilibus peccatis, offenſionibus, & negligentiis meis.* Ait enim Apoſtolus: *Quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemet ipſo offerre debet pro peccatis.* Et hic fructus provenit Sacerdoti, quatenus ab ipſo offertur, ut publico Miniſtro, ideoque non eſt alteri applicabilis, quia, dum offert pro ſe, utitur verbis illis, *pro peccatis & offenſionibus meis*, ideò eo ipſo, quod talem fructum ſibi applicat, non poteſt alteri eſſe applicabilis, quia jam eſt applicatus: & quamvis ſpecialis ille Sacrificii fructus à Deo Sacerdoti deſtinatus, non eſſet beneficium perſonale, & inapplicabile alteri adhuc tamen Sacerdoti non liceret eſſe ſalutis ſuæ, & ſpiritualis profectus incuroſum, ac negligentem, & ita turpis lucri cupidum, ut propter decem vel viginti crucigeros vellet deſtitui augmento gratiæ, & remiſſione pœnæ, noviſque gratiarum auxiliis, quæ per Sacrificium incruentum Miſſæ obtinere à Deo poteſt. Hinc ſacra Congregatio Cardinalium ſuper Concilium Tridentinum, authoritate Alexandri VII. ſummi Pontificis, ob aſſertionem quorundam Doctorum, qui licitam aſſeruerant talem applicationem fructus proprii Sacerdotis pro aliis. Poſt maturum examen talem aſſertionem reprobavit die 25. Januarii Anno 1659. & declaravit: *Nulli Sacerdoti licitum eſſe præfata ratione, ſeu prætextu aliam eleemoſynam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Miſſam offerre tenetur: ac proinde caſum hunc eſſe comprehenſum in decretis alias per eandem ſacram Congregationem Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex ſtipendium pro unica Miſſa recipiatur.* Tertia portio fructus percepti ex Sacrificio incruento Miſſæ colligitur ex natura Sacrificii, quod ita inſtitutum eſt, ut pro hominibus offeratur, quibus propterea prodeſſe debet, præſertim pro quibus offertur, & de hoc fructu, qui etiam dicitur *medius*, communis ſententia eſt, non eſſe infinitum extenſivè, ſed eò magis in ſingulis minui, quò magis extenditur. Et tenetur Sacerdos, hunc fructum illi applicare, pro quo ſpecialiter tenetur celebrare ratione beneficii; vel eleemoſynæ, vel præcepto ſuperioris, vel ex alio titulo, & hæc applicatio debet fieri ante Miſſam, vel in Miſſa ante conſecrationem, quia Sacrificium conſiſtit in ipſa conſecratione, ut ferè communiter ſentiunt Theologi, debet, antequam fiat Sacrificium applicari.

Rurſus cujuſvis generis mercedem, conditiones, & pacta pro celebratione Miſſarum, & quidquid pro miſſis nobis celebrandis datur, imo etiam illiberales eleemoſynarum exactiones potius quàm poſtulationes, & alia hujuſmodi, quæ à Simoniacæ labe, vel turpi quæſtu non longè abſunt, omninò debent Epiſcopi prohibere, & non permittere in Sacerdotibus ſibi ſubjectis juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. in decreto de obſervandis, & vitandis in celebratione Miſſæ, quia, ut docet D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 25. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 4. Facere pactionem de Miſſa celebranda eſt Simoniacum ſemper. Si tamen Sacerdos non habeat alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt recipere denarios (ſicut conducti Sacerdotes faciunt) non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ.* Redolet enim turpem quæſtum, ſi de Miſſarum celebratione ars fiat panem lucrandi, id enim eſt, inhiare lucro, & Miſſæ Sacrificium proſtituere cupiditati, hinc S. Bernardus ait: *Ipſa quoque eccleſiaſticæ dignitatis officia in turpem quæſtum, & tenebrarum negotium tranſiere: nec in his ſalus animarum, ſed luxuria quæritur divitiarum, propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Eccleſias, Miſſas celebrant, Pſalmos decantant.*

Neque Sacrificium Miſſæ poteſt applicari hodie pro perſona die craſtina determinanda, ſi Sacrificium fuerit heri peractum, quia tunc applicatio Sacrificii pro perſonæ poſtea determinanda non eſt propriè applicatio, ſed potiùs ſuſpenſio applicationis: atqui Sacrificium, ut offeratur, debet tunc ap-applicari, quando exiſtit: tum quia applicatio eſt determinatio perſonæ, pro qua offertur Sacrificium, conſequenter, ſi non determinatur perſona, nulla tunc intervenit applicatio, quando Sacrificium conficitur. Firmari etiam ex eò poteſt, quia facultas applicandi Sacrificium convenit Sacerdoti, quatenus offert in perſona Chriſti, ut ipſius Miniſter: ſed Sacerdos tunc tantum offert in perſona Chriſti, ut ejus Miniſter, quando præſuit hoc Sacrificium; ergo poſt abſolutum Sacrificium non habent amplius authoritatem illud applicandi, perinde ac delegatus ſemel depoſita delegatione non poteſt exercere actus ſibi delegatos ratione delegationis. Tum quia Sacrificium Miſſæ debet applicari juxta intentionem alterius, ut id ſervatur in Eccleſia, Sacerdotes ſiquidem celebrantes ex ſuſceptis oneribus, applicant Sacrificia juxta aliorum intentionem, ut ſuis ſatisfaciant obligationibus, in hoc enim modo applicandi intervenit virtualis determinatio perſonæ, cui applicatur fructus Sacrificii, quando enim celebrans intendit applicare Sacrificium, cui Petrus dedit eleemoſynam, intendit applicari virtualiter illud idē, quod Petrus, & tunc applicatio rectè procedit. Hinc Sacrificium incruentum Miſſæ non poteſt anticipatè offerri, & id fuit etiam declaratum à ſancta Congregatione Concilii Tridentini de mandato Clementis Papæ VIII. ubi ſacra Congregatio damnat oppoſitam ſententiam, ſiquidem, ut hoc Sacrificium uni potiùs, quàm alteri perſonæ proſit, debet ſpecialiter determinari à Sacerdote offerente, qui applicet huic potiùs, quàm alteri fructum Sacrificii, ſed quando offertur Sacrificium juxta intentionem illius, qui primò daturus eſt eleemoſynam, quamvis Deus ſciat, quisnam ſit, eò quia Deo omnia ſunt præſentia in æternitate; adhuc Sacerdos non determinat oblationem, ut fructus Sacrificii ſit pro hac potiùs, quàm alia per-

LIBER NONUS.

DE

Sacramento Pœnitentiæ.

VAriis hoc Sacramentum inſignitur nominibus à Sanctis Patribus, etenim vocatur manuum impoſitio, à quadam cæremonia externa, quæ olim fuit in uſu, quatenus Sacerdos, abſolvens pœnitentem, conſueverat, eidem manus imponere: qui tamen ritus, denominans Sacramentum, nec neceſſarius eſt, neque huic Sacramento peculiaris, quia etiam in aliis Sacramentis, Ordinationis, & Confirmationis uſurpatur. Dicitur etiam, ſecunda poſt naufragium tabula, quia poſt peccatum lethale, quo anima naufragium patitur per ſolam pœnitentiam in portum ſalutis deducitur, quapropter D. Hieronymus *epiſt. in Salinam* ait: *Ne ſtatim nobis pœnitentiæ ſubſidia blandiantur; cavendum eſt vulnus, quod dolore curatum. Aliud eſt integra nave, & ſalvis mercibus portum ſalutis intrare: aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum concurſibus ad aſperrima ſaxa collidi.* Rurſus dicitur Exhomologeſis, quæ vox, teſte Tertulliano *de pœnitentia cap. 9.* idem eſt græcè, quod latinè confeſſio, & *Lib. de orat.* eam definit: *Exhomologeſis eſt petitio veniæ, quia, qui petit veniam, delictum confitetur.* Hinc latinè etiam dicitur confeſſio, quia propriam exigit peccatorum confesſionem. Dicitur etiam baptiſmus laborioſus, propter dolorem, & rigorem ſatisfactionis, quam exigit, & colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2.* Aliis etiam donatur nominibus, quibus vocatur myſterium reconciliationis, pharmacum, remedium, medicina, indulgentia, remisſio, comminutio veteris hominis, & interioris cordis confractio. Comparatur itidem Balneo ſalutaris aquæ & ſangvinis, quæ fluxerunt ex latere Chriſti morientis, ut in illo peccata rubra ut coccinum, quaſi nix dealbentur. Mari rubro, ubi mergitur Pharao cum curribus, & equitibus, juxta Michææ vaticinium *cap. 7. Deus omnia peccata noſtra in profundum maris illius, quod ex una Chriſtiana confeſſionis lachrymula ortum habuit, projicit.* Ut loquitur S. Ambroſius *Lib. 4. in Luc. cap. 5.*

CAPUT I.

De Sacramenti Pœnitentiæ diviſione & definitione.

POenitentia in laxa ſignificatione dolorem ſignificat non ſolùm de perpetrato peccato, verùm etiam de quacunque alia re aliter facta, vel aliter ſe habente, ac nos vellemus, ſe habere, ut etiam ſumitur pro actu, quo diſplicet, quod ante placuerat, nulla habita ratione hujus cogitationis, num bonum, vel malum fuerit, cujusmodi ſunt, quos pœnitet operis bene facti, ut, quòd ſuas diviſerit opes pauperibus, aut Eccleſiæ contulerint, cujusmodi fuerunt Ananias, & Zaphira, quos pœnitent votorum, quæ Deo in ſolemni Religionis profeſſione emiſerant, & in hac acceptione nomen pœnitendi iis omnibus convenit, qui juxta ſæculum, & mundum triſtitia ſunt affecti, non ſecundum Deum, ait enim Apoſtolus 2. *ad Corinth. cap. 7. Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſeculi autem triſtitia mortem operatur.* Secundò ſumitur magis preſſè pœnitentia pro dolore, qui concipitur ob patrata crimina, & commiſſa flagitia, non ſolùm cauſa Dei, ſed etiam ſui ipſius, quo pacto doluit Eſau de venditione ſui majoratus, & primogenituræ ob unam eſcam: quapropter poſtea exoptans hæreditare benedictionem reprobatus eſt: *non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiviſſet eam.* Hoc pacto doluit Antiochus à Deo percuſſus, & ex gravi ſuperbia deductus ad agnitionem ſui, divina admonitus plaga per momenta ſingula, doloribus ſuis augmenta capientibus: & cùm ipſe non poſſet ſuum ferre fœtorem, dixit: *Juſtum eſt, ſubditum eſſe Deo, & mortalem, non paria Deo ſentire. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Doluit etiam Judas de Chriſti Domini proditione, quando pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: *Peccavi tradens Sangvinem Juſtum.* Rurſus ſumitur magis propriè pœnitentia pro intima animi diſplicentia, & dolore ob peccata commiſſa, & hic dolor cauſa unius Dei, cui fuit injuria irrogata, concipitur, de qua pœnitentia dicit Deus per Johelem Prophetam: *Convertimini ad me in toto corde veſtro;*

miſſa mala cum propoſito emendationis plangimus, & plangenda ulterius committi nolumus. Cæterum circa malum apprehenſum ut præſens, duplex ineſt voluntatis affectus, unus puræ diſplicentiæ ſine vitali anxietate, animique triſtitia, qualis eſt in Deo, & in beatis de peccatis noſtris, imo & in illis de peccatis propriis, alias in ſtatu viæ perpetratis. Et hæc pura diſplicentia ſine vitali animi anxietate, & triſtitia, vocatur odium, & deteſtatio. Alter effectus rationem diſplicentiæ, & importat vitalem quandam inquietudinem, animique angorem, & afflictionem alienam à Deo Beatis, & hic actus dicitur dolor, & triſtitia de peccato commiſſo quæ triſtitia eſt formaliter actus pœnitentiæ, ſiquidem deteſtatio pura eſt ſolum radicaliter pœnitentia, quatenus eſt cauſa affectus doloris: eo enim ipſo, quod quis odio habet malum aliquod apprehenſum, aliquo modo præſens, regulariter ob illud angitur, & triſtatur.

In hiſce autem eliciendis actibus pœnitentiæ, quia voluntas experitur difficultatem, ideo docent Theologi, dari habitum inclinantem voluntatem ad eorum elicientiam, & hic habitus inclinans ad præfatos actus, eſt ſimpliciter vera virtus pœnitentiæ: ſiquidem virtus ſecundum ſe formaliter, & ſimpliciter eſt habitus rectificativus humanæ operationis, ut definitur à D. Auguſtino *Lib. 2. de libero arbit. cap. 18.* Hujuſmodi autem eſt pœnitentia, quia ea operatio eſt rectificativa humanæ operationis, quæ conformis eſt primæ regulæ, & actus eliciti ab habitu pœnitentiæ conformantur primæ regulæ, ſiquidem ſunt juxta regulas rationis in genere moris, alioquin non eſſent ſub præcepto, & conſilio, nec eſſent actus meritorii, quod adverſatur ſcripturis, & Conciliis: ſiquidem pœnitentia præcipitur à Chriſto *Matth. 4. Pœnitentiam agite*, quæ pœnitentia non impletur ſine gratia, ut definitur in Tridentino *ſeſſ. 6. can. 3.* Unde pœnitentia verè, & propriè eſt virtus, quia actus ejuſdem ſunt virtuoſi, proinde eliciti ab habitu virtuoſo. Præterea: quia pœnitentia deteſtatur peccatum ob ſuam turpitudinem, & ut deſtructivum ordinis ad finem ſupernaturalem, ac læſivum divini Juris, conſequenter rectificat humanam operationem, qua homo, deteſtando peccatum, intendit ſuum finem ſupernaturalem, ac reſarcire jus divinum per offenſam læſum, deteſtari autem peccatum, quatenus eſt læſivum divini juris, eſt procul dubio conforme rectæ rationi, conſequenter eſt actus virtuoſus: ſiquidem regula virtutis eſt recta ratio, à qua omnes actus humani regulantur, unde habitus, ex quo talis actus procedit, eſt propriè, & ſimpliciter virtus. Præterea quia id intereſt diſcriminis inter habitum, & potentiam, quia hæc eſt indifferens ad actum bonum vel malum, ille verò eſt determinatus vel ad bonum, vel ad malum, conſequenter impoſſibile eſt, ut habitus non ſit virtus, ſi ejus actus eſt virtuoſus. Præterea non eſt minus rationi conformis fuga mali, quàm perſecutio boni, etenim recta ratio utrumq; dictat, & bonum eſſe proſequendum, & malum fugiendum, ac deteſtandum, & eadem natura inclinat ad perſecutionem boni convenientis ſibi, & ad fugam ſibi diſconvenientis.

Quòd ſi dicas eſſe proprium virtutis non ſolùm rectè, ſed etiam delectabiliter operari, ut docet Ariſtoteles. Sed pœnitentia non elicit ſuos actus cum delectatione, ſed potius cum triſtitia, conſequenter non eſt virtus propriè & ſimpliciter dicta. Contra eſt, quia licèt ſit proprium virtutis perfectæ, & conſummatæ, quæ non ſolùm includit habitum, ſed etiam excludit omnia impedimenta, cujuſmodi ſunt paſſiones animi, quæ non niſi multorum actuum exercitatione ſedantur, non tamen eſt proprium virtutis inchoatæ, & non conſummatæ omnes ſuos actus elicere cum delectatione. Rurſus poſſet abſolutè concedi major, & diſtingui minor, quia licèt pœnitentia non exerceat ſuos actus cum delectatione reſpectu turpis facti, ſimpliciter tamen eos elicit cum delectatione, quia etiam triſtitia delectat, quatenus voluntas delectatur de ſua triſtitia, ut de quodam bono animæ in ordine ad finem ſupernaturalem. Sicut enim anima cum delectatione tendit in ſuum finem, ita etiam delectabiliter exercet omnes actus, qui ſunt media ducentia ad eundem finem, & actus pœnitentiæ ducunt ad vitam ſupernaturalem, qua ratione exercentur cum delectatione.

Si dicas, virtutem debere eſſe per ſe expetibilem, qualis non eſt pœnitentia, utpote dicens eſſentialem ordinem ad peccatum, quod non eſt expetibile. Contra eſt, diſtinguitur minor, non eſt per ſe expetibilis conſecutivè ad peccatum, negatur, quia ſuppoſito errore jam commiſſo, ejus emendatio eſt bona, & per ſe expetibilis. Antecedenter ad peccatum non eſt pœnitentia abſolutè expetibilis, conceditur, conditionatè, negatur: etenim medicina morbum ſupponit, & nihilominus conditionatè eſt expetibilis ante morbum, & abſolutè poſt morbum contractum, de ratione autem virtutis eſt, quòd ſit expetibilis per ſe, ſcilicet gratia ſui præſcindenda ab omni alio, ſive abſolutè, ſive ex ſuppoſitione.

Dices, objectum virtutis debet eſſe bonum, ſed objectum pœnitentiæ eſt malum, quia odium, deteſtatio, & fuga verſantur circa malum, conſequenter pœnitentia non videtur eſſe virtus. Contra diſtinguitur major, quia, licèt objectum virtutis per modum proſecutionis debeat eſſe bonum, non tamen per modum averſionis: actus verò odii, fugæ, & deteſtationis eò ſunt meliores, quò objectum eſt deterius: quia ſicut laudabile eſt, complecti bonum, ita eſt etiam laudabile malum fugere. Contra ſecundò negatur minor, quia ut docet D. Thomas *quæſt. 85. art. 3.* Virtus pœnitentiæ primariò tendit ad proſecutionem boni, & ſecundariò ad fugam, & deteſtationem mali. Hinc pro objecto pœnitentiæ aſſignat jus divinum ut reſarciendum, ac compenſabile per actus pœnitentiæ: ex quo infert, per ſe primò tendere ad jus divinum ſervandum illæſum, circa quod ante peccatum commiſſum verſari poteſt voluntas affectu complacentiæ: & affectu ejuſdem complacentiæ pœnitens deteſtatur peccata ſive commiſſa, ſive committenda. Ratio eſt, quia omnis averſio mali fundatur in amore alicujus boni, quod movet appetitum ad deteſtandum malum præteritum: ſiquidem omne malum eſt deteſtabile per comparationem ad aliquod bonum, quo privat: conſequenter, quod primariò movet appetitum ad deteſtandum malum, eſt ipſum bonum, cujus malum eſt privativum: ex eo enim, quòd malum ſit reſpectivum, non movet, niſi in ordine ad bonum, & ſicut natura non tendit ad deſtitutionem unius, niſi propter generationem, & conſervationem alterius, quod principaliter movet; ita neque voluntas tendit ad deteſtandum malum, niſi propter bonum, quod principaliter intendit.

Quòd ſi dicas, pœnitentiam formaliter importare fugam mali, conſequenter non poſſe conſiſtere in perſecutione boni. Contra eſt, quia dupliciter ſumi poteſt pœnitentia, primò inadæquatè ſecundùm præciſam & formalem habitudinem deteſtandi malum: ſecundò adæquatè, ſecundùm utramq; habitudinem, quam eſſentialiter includit deteſtandi malum, & proſequendi bonum; ut enim docet D. Thomas 1. 2. *qu. 60. art. 4.* per eandem prorſus indiviſibilem rationem inclinat ad bonũ illud proſequendo, & declinat à malo illud deteſtando, hinc pœnitentia, quamvis ex nominis ſignificatione videatur tantũ importare ipſã in-

Pœnitentia, quatenus eſt Sacramentum, poteſt definiri multipliciter juxta varias, ac diverſas rationes: etenim ab effectu definitur Sacramentum reconciliationis, eò quia beneficio hujus Sacramenti peccator Deo ſe reconciliat, ex cujus gratia per peccatum lethale exciderat: à parte principali, & conſpicua hujus Sacramenti, definitur Sacramentum Confeſſionis, ſcilicet à parte ipſius pœnitentis neceſſaria ante remiſſionem peccati, quia, niſi peccator ſua confiteretur peccata, ei non remitterentur. Ab Actu Sacerdotis, ſeu à forma definitur Sacramentum abſolutionis, quia Sacerdos, cùm profert illa verba, *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, verè peccata, quæ audivit à pœnitente, abſolvit, perinde ac per illa verba in baptiſmo, *Ego te baptizo*, abluuntur, & delentur peccata illius, qui baptizatur. Definitur etiam manuum impoſitio, à cæremonia externa, quam Eccleſia olim conſueverat adhibere, quæ tamen neceſſaria non eſt neceſſitate Sacramenti, nec propria huic Sacramento, ſiquidem etiam alia Sacramenta, ut Confirmatio, & ordinatio, eodem nomine deſignantur. Hinc à S. Cypriano *Lib. de lapſis* definitur: *Ante expiata delicta, ante Exhomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam Sacrificio, & manu Sacerdotis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant.* Alii Sancti Patres etiam meminerunt hujus manuum impoſitionis in Sacramento pœnitentiæ. Optatus Milevitanus *Lib. 2.* ait: *Dum manus imponitis, & delicta donatis.* D. Auguſtinus *Lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. Manus impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt: quid eſt enim aliud, niſi oratio ſuper hominem?* ac ſi dicat, baptiſmum quidem iterari non poſſe, pœnitentiam verò poſſe iterari; & D. Leo *epiſt. 2. ad Ruſticum Narbonenſem* aſſerit, *eos, qui eſcis immolatis Idolis uſi ſunt, manus impoſitione purgari.* Tertullianus *Lib. de pœnitent. cap. 4.* ait: *Pœnitentia vita eſt, cùm præponitur morti. Eam tu peccator mei ſimilis, imò ne minor, (ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem, hæc te peccatorum fluctibus merſum prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit, rape occaſionem inopinatæ felicitatis*; exactius tamen definitur pœnitentia, eſſe Sacramentum abſolutionis: quo Sacerdos ſibi ſubditum peccata ſua juſto dolore & propoſito ſatisfaciendi legitimè confitentem abſolvit ab iiſdem peccatis. Vel pœnitentiæ Sacramentum, conſiſtens in actibus pœnitentis, & abſolventis, inſtitutum à Deo per modum judicii emendativi ad remiſſionem peccatorum. Vel eſt Sacramentum, in quo relapſis verè pœnitentibus, & confeſſis, ſaltem cum propoſito ſatisfaciendi, Sacerdotalis abſolutio impenditur. Vel eſt ſignum ſenſibile ad reconciliationem eorum, qui poſt baptiſmum lapſi ſunt, à Deo inſtitutum, & in hiſce definitionibus recenſentur omnes cauſæ, ſiquidem materialis in actibus pœnitentis, formalis in verbis Sacerdotis abſolventis, efficiens miniſterialis in Sacerdote, principalis in Deo, qui Sacerdote utitur, ut viſibili Miniſtro in aliis eſt remiſſio peccatorum, ob quam fuit à Chriſto hoc Sacramentum inſtitutum, non enim fuit ante Chriſti inſtitutionem, neque antiqui in lege veteri, & naturæ habuerunt hanc certitudinem de remiſſione peccatorum, quam nos habemus virtute abſolutionis, maximè, cùm ſufficiat unà cum Sacramento pœnitentiæ attritio ſupernaturalis, cum in veteri lege requireretur contritio perfecta, quam elicere eſt procul dubio difficiliùs. Igitur virtute hujus Sacramenti voluit Deus ſupplere imperfectionem noſtræ diſpoſitionis, & contritionis: ſicque anxietati & ſollicitudini noſtræ de remiſſione peccatorum dignatus eſt ſubvenire, quatenus per hoc Sacramentum nobis applicat merita, & efficaciam Sangvinis Chriſti, quo pacto ſignum habemus gratiæ nobis collatæ, & eruimur à periculo damnationis, quapropter D. Hieronymus *ad Demetriam epiſt. 8.* rectè vocat Sacramentum Pœnitentiæ ſecundam poſt naufragium tabulam, quia, niſi quis tabulam hujus Sacramenti arripiat poſt naufragium in aliquod lethale, non evadit æternam mortem.

Hinc virtus pœnitentiæ lapſis in aliquod peccatum lethale quovis tempore fuit neceſſaria, ut aſſerit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 1.* ubi: *Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abjecta, & emendata tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur.* quapropter ait *Ezech. 28. Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas; Dominus etiam dicit, niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et Princeps Apoſtolorum Petrus Peccatoribus baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum. Porro nec ante Adventum Chriſti pœnitentia erat Sacramentum; nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante baptiſmum.* Fuiſſe tamen ſemper neceſſariam hanc virtutem pœnitentiæ probat D. Thomas *3. part. quæſt. 84. art. 7. ad 1.* quia eſt de jure naturæ, ut homo peccator pœnitentiam agat, doleatque ex animo de delictis, quæ patravit, & doloris remedium quærat, quaſi pharmacum ſalutare ad ſanandos contractos morbos, ut etiam, quod ſigna doloris exterius præ ſe ferat, ſicut præſtiterunt Ninivitæ, ut legitur *Jonæ 3.* in quibus tamen aliquid fuit adjunctum fidei, quam Ninivitæ conceperant ex prædicatione Jonæ, ut ſcilicet hoc agerent cum ſpe veniam conſequendi à Deo, ajebant: *Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus.* In lege autem Moſaica pœnitentia, ut ait D. Thomas, aliquam accepit determinationem, præſertim quantum ad dolorem, ut hic magis intus foveretur in animo, quàm exterius in ſignis ſenſibilibus oſtenderetur, juxta illud Johelis 2. *Scindite corda veſtra, non veſtimenta veſtra*, ut etiam quoad remedium doloris quærendum, ut Dei Miniſtris peccata ſua generatim ſaltem confiterentur, quapropter ait Deus *Levit. 5. Anima ſi peccaverit, per ignorantiam offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta menſuram, & æſtimationem peccati, qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit, & dimittetur ei.* Siquidem oblatio facta pro peccato, confeſſio tunc quædam erat peccati, quæ fiebat Sacerdoti, in quo ſenſu intelligitur illud *Proverb. 28.* ubi dicitur: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Verùm in lege veteri nondum aderat poteſtas Clavium, quæ à paſſione Chriſti derivatur, proinde nondum erat inſtitutum, ut homo

in

CAPUT II.

An Pœnitentia exterior ſit Sacramentum, & quando à Chriſto inſtituta.

POenitentia, ut in præcedente capite diximus, alia eſt interna, alia externa; illa eſt virtus, quæ lapſis in peccatum lethale quovis tempore fuit neceſſaria, ut peccantes priſtinæ reſtituerentur gratiæ: externa, quæ & ſenſibilis dicitur, eſt Sacramentum, quod in lege gratiæ inſtitutum eſt in remedium peccatorum, quæ poſt baptiſmum committuntur. Inſtitutionem tamen hujus remedii, cujus beneficio peccata delentur, negârunt olim plures Hæretici, & nunc etiam impugnant Novatores, quibus inviſum eſt hoc remedium, quo curantur vulnera peccatorum, hinc inſanabilis facta eſt plaga eorum, exhorrent enim tribunal illud, in quo peccata deteguntur, pudet enim lucis filios tenebrarum, hujus hæreſis Author fuit Montanus, teſte Tertulliano *Lib. de pœnit.* & Paciano *epiſt. ad Sympronianum*: Montano poſtea adhæſit Novatus Epiſcopus Africanus, ut conſtat *ex epiſt.* 49. Cypriani; & Novatianis adnumerantur Maſſaliani à Damaſceno *Lib. de hæreſ. cap.* 80. Ut etiam Jacobitæ à Guidone Carmelita: & hæc eadem ſententia placet etiam Novatoribus noſtri temporis, qui confeſſionem exhorreſcentes, hanc Eccleſiæ authoritatem, ac poteſtatem dimittendi peccata nituntur impugnare in Sacramentali Confeſſione, cenſentes, ſolam fidem ſufficere, ut deleantur peccata, ſi quis credat, Deum remiſiſſe; vel non imputare ob merita Jeſu Chriſti, qui paſſus eſt, & ſatisfecit pro omnibus noſtris peccatis, ut docuerunt Wiccleffus, Lutherus, Zvvinglius, Calvinus, & alii, quibus nil videtur acerbius, quàm propria peccata alteri homini revelare. Verùm, dari in Eccleſia hoc remedium remittendi peccata per confeſſionem, quæ fiat Sacerdoti cum vero dolore de peccato patrato, & firmo propoſito non amplius peccandi, conſtat ex verbis Chriſti *Matth.* 18. *Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*, quibus verbis utuntur Patres Concilii Carthaginenſis apud S. Cyprianum *epiſt.* 54. ut probent, lapſos poſt baptiſmum non eſſe admittendos ad pacem, niſi facta diu pœnitentia, niſi fortaſſis ingraveſcentis infirmitatis urgeret periculum. Conſtat etiam ex aliis ſcripturæ locis, quibus baptizati incitantur ad pœnitentiam poſt lapſum, *Actor.* 8. ubi Petrus dixit ad Simonem Magum, qui jam crediderat, & baptizatus erat: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* D. *Paulus* 1. *Corinth.* 5. & 2. *Corinth.* 7. & alibi frequenter redarguit Corinthicum fornicarium, & alios Chriſtianos ad pœnitentiam hortatur, quinimò etiam ipſe Chriſtus *Matth.* 6. præcipit omnibus baptizatis ita orare, *dimitte nobis debita noſtra*, ſin autem peccata poſt baptiſmum commiſſa eſſent irremiſſibilia, & nullum in Eccleſia daretur remedium inſtitutum pro remiſſione peccatorum, fruſtra Chriſtus nobis præciperet talem orationem. Quamobrem Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 1. ait: *Si quis dixerit, in Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè ac propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties in peccata labuntur, ipſis Deo reconciliandis à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.* Ratio eſt, quia, cùm magna ſit proclivitas in hominibus etiam baptizatis ad peccandum, & ad peccati remiſſionem vi perfectæ contritionis procurandam ingens difficultas, ideò ad ſuavem Jeſu Chriſti providentiam pertinebat, ut remedium aliquod inſtitueret, ſuæque relinqueret militanti in terris Eccleſiæ, quo lapſi poſt baptiſmum poſſent à peccatis reſurgere. Hinc D. Leo Papa *epiſt. ad Theodorum* ſcribit: *Multiplex miſericordia ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut, qui regenerationis donum violâſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent.*

Neque urget, quòd objiciunt Hæretici, quia, ſi Chriſtus inſtituiſſet hoc Sacramentum, præbuiſſet incentivum delinquendi, ſiquidem, ut ait D. Ambroſius *Canone* 8. *in Pſal.* 118. *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*: proinde, ſi Chriſtus inſtituiſſet hoc remedium pro peccatis commiſſis poſt baptiſmum, dediſſet hominibus incentivum delinquendi, conſequenter non datur in Eccleſia hoc remedium. Nam contra eſt, quia, ut reſpondet huic objectioni D. Auguſtinus *homil.* 27. *ex* 50. Tantùm abeſt, quòd remedium iſtud præbeat hominibus incentivum delinquendi, ut potiùs ſit coercitio delictorum: ſi enim tale remedium non daretur promptius, & faciliùs homines peccarent, cùm *abyſſus abyſſum invocet*, ait Auguſtinus: *Si clauderetur habitus pœnitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis ſibi deſperaret ignoſci? diceret enim ſibi, ecce peccavi; ecce ſcelus admiſi, jam mihi veniæ nullus eſt locus, pœnitentia infructuoſa eſt, damnatus ſum, quare jam non vivo, ut volo? quia ibi non invenio charitatem, hic ſaltem habeam cupiditatem meam. Quare enim abſtineam?* poſtea concludit: *Ergo, ſi abſtinueris partum pœnitentiæ, augebuntur peccata.*

Aſſerendum igitur eſt, dari in Eccleſia legis gratiæ remedium, quo peccata poſt baptiſmum commiſſa remittuntur, & hoc remedium eſſe verum, ac proprium Sacramentum. Prima pars aſſertionis conſtat ex præcedentibus, poſterior pars, ſcilicet hoc remedium pœnitentiæ exterioris eſſe verum Sacramentum novæ legis, eſt dogma fidei. Ratio eſt, quia Sacramentum novæ legis propriè ſumptum, eſt ſignum practicum, & efficax gratiæ à Chriſto inſtitutum, ſed externa pœnitentiæ ritu, quo adminiſtratur in Eccleſia, eſt ſignum ſenſibile practicum, aliquid Sanctum ſignificans, tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm Sacerdotis abſolventis: ſiquidem peccator pœnitens rerum, & verborum notis planè oſtendit cor ſuum per peccatum receſſiſſe à rectitudine, & ſummo bono. Rurſus quæ à Sacerdote etiam geruntur, ac proferuntur, miſericordiam, & operationem Dei, peccata remittentis ſignificant: hoc autem eſt ſignum ſenſibile practicum, aſſumptum ex Chriſti inſtitutione, ut conſtat ex verbis

Christi *Matth.* 16. *v.* 19. ubi alloquens S. Petrum ait: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c; ostea reliquis Apostolis dixit Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*. & post resurrectionem iterum dicit iisdem: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sacerdotes autem solvunt, & remittunt peccata, quoties pœnitentem ritè dispositum, & confitentem sua peccata ab iisdem absolvunt: ligant vero, cum peccata legitimas ob causas retinent, scilicet peccatoribus non pœnitentibus, uti oportet, absolutionis, & reconciliationis gratiam, vel ad tempus suspendunt, vel omnino negant. Rursus ligant, quando satisfactionem confessis injungunt, solvunt verò, cùm de illa ipsâ satisfactione justis de causis aliquid remittunt, vel per eam purgatos ad Sacramentorum participationem admittunt, juxta verba Christi: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Hanc eandem potestatem remittendi peccata in Sacramento pœnitentiæ fuisse communicatam Apostolis, & eorum legitimis successoribus, consequenter etiam Episcopis, & Sacerdotibus ad id approbatis, est sententia communis Sanctorum Patrum contra Montanistas, & Novatianos hanc potestatem remittendi peccata in Ecclesia pertinaciter negantes, quos propterea Ecclesia Catholica, ut Hæreticos damnavit, & ut tales declaravit, sicut etiam sacra Synodus Tridentina, præcipiens, & probans verissimum verborum Christi sensum damnavit, commentitias Hæreticorum interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei detorquere ausi sunt: unde Tridentina Synodus *seß.* 14. *cap.* 1. & *can.* 3. ait: *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, retorserit autem contra institutionem illius Sacramenti, ad authoritatem prædicandi evangelium, anathema sit.* Rursus, quia Christus promisit Ecclesiæ Pastoribus potestatem remittendi peccata post baptismum commissa: sed hæc potestas tantùm exercetur in Sacramento pœnitentiæ, si enim Ecclesiæ Pastores habent potestatem remittendi peccata, utique exercitium hujus potestatis est signum, & causa gratiæ, consequenter verum Sacramentum, ex quo satis perspicuè constat, hoc remedium institutum à Christo, in nova lege evangelica esse verè, & propriè Sacramentum. Major ostenditur ex scripturis, ubi habetur promissio illa Christi, facta primùm D. Petro, quando eum constituit caput, & fundamentum totius Ecclesiæ. *Matth.* 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris, erit solutum.* Hanc eandem potestatem extendit postea ad Apostolos, ut Ecclesiæ Ministros *Matth.* 18. ubi postquam præscripsisset ordinem correctionis fraternæ ait: *Si Ecclesiam, non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, postea constituens eos Judices cum potestate remittendi, vel retinendi peccata, subjungit: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis, erunt soluta*; non enim hæc verba quid aliud significant, quàm potestatem retinendi & remittendi peccata: quia habere clavem regni cœlorum, alligare, solvere, nihil aliud est, quàm peccata vel retinere, vel remittere, ut explicant Sancti Patres, præsertim Cyprianus *epist.* 54. *ad Cornel. Papam*, ubi ait: *Statueramus quidem jam pridem, frater Charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab Adversario, & lapsi fuissent, & Sacrificiis illicitis se maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret pacem sub ictu mortis acciperent.* Et nonnullis interjectis subdit: *Quando permissum est, ... legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur.* Hoc idem etiam asserit S. Chrysostomus *homil. in illud: Ite in castellum, quod contra vos est*; & D. Augustinus *Tractat.* 29. *in Joann.* Neque potuit hæc potestas retinendi, vel remittendi peccata commodius explicari, quàm nomine clavium, quia, cum sit clavis instrumentum, quo aperimus, vel claudimus januas, vel cistas, apposite à Christo hujusmodi potestas ligandi, & solvendi, clavis vocata est.

Alia ratio esse potest, quia Sacramentum est signum sensibile causativum gratiæ; sed hujusmodi est pœnitentia ex Christi institutione, ergo verè & propriè est Sacramentum. Major est ex definitione Sacramenti, minor etiam constat ex *Joan.* 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, sed hæc remissio, seu absolutio rei non potest aliter fieri, quàm per signa sensibilia: siquidem, ut fiat remissio activa, debet manifestari, quod remittitur, alioquin Sacerdos nesciret, quod remitteret: rursus remissio passiva debet innotescere resipiscenti, quæ omnia non possunt fieri, nisi per signa sensibilia.

Quòd si dicas cum Calvino, & Novatoribus, illud *Joan.* 20. esse intelligendum de prædicatione Evangelii, quatenus hæc est excitativa fidei, qua remittuntur peccata; contra est, quia hæc responsio non solum adversatur communi Sanctorum Patrum sensui, ac traditioni universalis Ecclesiæ, verum etiam ipsi lumini rationis: quia remittere & retinere dicit specialem potestatem in ordine ad peccata, quæ potestas non salvatur per solam prædicationem, quia prædicatio præcisè sumpta potest tantum excitare ad pœnitentiam; &, qui alium excitat ad conterendum, non remittit ipsi peccata.

Si dicas secundo, ex illo *Joan.* 20. non inferri, hanc remissionem esse irrogandam per signa sensibilia, quia comodè haberi potest per actum internum; sicut quilibet potest remittere in corde suo offensas sibi illatas, contra est, quia, cum hæc remissio exerceatur inter homines, debet fieri humano modo, sicut cæteræ actiones humanæ per signum aliquod externum sensibile. Neque allatum exemplum est illius momenti: quia, si creditor, remittat debitum solum internè, & id exterius non manifestet, remissio nondum est valida, & potest creditor uti jure suo, & debitum exigere. Verum tamen est, licèt hoc Sacramentum exerceatur per ritum extrinsecum, sensibilem, non tamē esse necesse, ut remissio tali exprimatur voce, ut à pœnitente audiatur, quia hoc Sacramentum non fuit institutū per modū donationis, aut contractus, in quib' requiritur, quod ipse contractus audiatur, & acceptetur; sed per modum judicii, & tribunalis, in quo pœnitens est accusator, & re', & Sacerdos est Judex, qui, audita accusatione, & probatione, sententiam profert absolutionis, ad cuj' validitatē non requiritur, quod audiatur à reo, sed sufficit, si proferatur in præsentia cū debita solemnitate, ut fit in hoc Sacramento pœnitentiæ, & sententia sit sensibilis respectu Judicis, alioquin sacer-

Sacerdos, auditis peccatis ſacramentaliter confeſſis ab omninò ſurdo, non poſſet ipſi remittere peccata, eò quia Sacerdos non poſſet audire verba abſolutionis, prolata à Sacerdote, quod dici nequit. Tum quia, ſi pœnitens poſt poſt confeſſionem peccatorum deperderet uſum ſenſuum, adhuc ritè abſolveretur à Sacerdote; ut etiam, ſi Sacerdos ſubmiſſa voce proferat verba abſolutionis, ut non audiatur à pœnitente in aliquantula diſtantia.

Quod verò Sancti Patres comuniter aſſerant, hanc exteriorem pœnitentiam eſſe verum Sacramentum novæ legis liquet, Cyprianus enim *epiſt. 55.* ait: *Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere, ſecundus, delicta cognoſcere. Illic currit innocentia integra, & illibata, quæ ſervet, hic ſuccedit medela, quæ ſanet. Quod utrumque iſti offenſo Deo perdiderunt, ut & amiſſa ſit gratia, quæ de baptiſmi ſanctificatione percipitur, & non ſubveniat pœnitentia, per quam culpa curatur.* S. Joannes Chryſoſtomus *Lib. 3. de Sacerdotio* ait: *Non ſolùm Sacerdotes, cùm regenerant (ſcilicet cùm baptizant) ſed etiam poſtea condonandorum peccatorum obtinent poteſtatem.* S. Ambroſius *Lib. 1. de pœnit. cap. 2.* Novatianos, negantes Sacramentum pœnitentiæ, ita refellit: *Sed ajunt, ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm, qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere, nam cùm ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quis eſt ergo, qui magis honorat, an qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, & peccatum, & alliget, & relaxet. Hæreſis in altero immitis, in altero inobediens. Vult ligare, quod non reſolvat, non vult ſolvere, quod ligavit, in quo ſe, ſuamque potentiam ſua damnat ſententia. Dominus enim par jus eſſe voluit, & ligandi, & ſolvendi, qui utrumque pari conditione permiſit.* Et paulò poſt: *Jus hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Rectè igitur hoc Eccleſia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet: Hæreſis vindicare non poteſt, quæ Sacerdotes Dei non habet.* S. Cyrillus Alexandrinus *Lib. 12. in Joan.* ait: *Duobus modis Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt, ac retinent, vel cùm dignos admittunt ad baptiſmum, & indignos excludunt, vel cùm filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoſcunt.* Alii itidem Sancti Patres eodem modo loquuntur de pœnitentia, ac de baptiſmo, quoad vim & efficaciam remittendi peccata, unde Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. can. 1.* definit: *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis à Chriſto Domino Noſtro inſtitutum, anathema ſit.*

Objiciebant tamen olim Novatiani illud Apoſtoli Pauli *epiſt. ad Hebræ. cap. 6. Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; Rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei, & oſtentui habentes,* ex quibus inferebant, homines poſt baptiſmum in aliquod peccatum lethale prolapſos, nullo Sacramento, aut Eccleſiæ Miniſterio poſſe amplius Deo reconciliari. Hoc idem etiam inferebant ex *eadem epiſt. cap. 10.* ubi Apoſtolus ait: *Voluntariè peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Sed contra, priorem locum quod attinet, intelligitur de gratia baptiſmatis, quam ſemel deperditam impoſſibile eſt iterum recuperare, quia cùm ſit gratia regenerationis, & renovationis, & baptiſmus non poſſit iterari, ſequitur, hanc gratiam ſemel deperditam non poſſe amplius recuperari, non verò Apoſtolus excludit veniam peccatorum per pœnitentiam, & juſtificationem ſecundam per gratiam ſanationis, & reconciliationis. Quod verba Apoſtoli referantur ad Sacramentum baptiſmi, non pœnitentiæ, ſatis perſpicuè colligitur ex verbis illis: *Qui ſemel ſunt illuminati rurſus renovari,* baptiſmus enim à Sanctis Patribus dicitur Sacramentum illuminationis, & renovationis. Rurſus hoc idem etiam oſtendunt verba illa, *rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei.* Nam in baptiſmo configuramur Chriſto crucifixo: unde ſicut Chriſtus non poteſt iterum crucifigi, ita neque baptiſmus poteſt repeti: Quod ſi quis tentaverit, is Filium Dei iterum crucifigit ſibi ipſi, id eſt ad ſuam renovationem, quam ex altero baptiſmo ferat. Unde quando excludit renovationem ad pœnitentiam, intelligit pœnitentiam ſimul cum baptiſmo conjunctam, & ad baptiſmum præparatoriam, ut colligitur ex verbis illis: *Non rurſus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni,* ita explicat verba Apoſtoli S. Ambroſius *Lib. 2. de pœnit. cap. 2.* cui adhærent Auguſtinus in expoſitione inchoata epiſt. ad Roman. S. Joannes Chryſoſtomus, Theophylactus, & alii. Quod verò ad alium ſcripturæ textum attinet, etiam intelligitur à D. Joanne Chryſoſtomo, & Auguſtino de iis, qui poſt baptiſmum in gravia ſcelera prolapſi ſunt, quia iiſdem non relinquitur hoſtia pro peccatis, ſeu applicatio Sacrificii à Chriſto in cruce oblati, qualis fit in baptiſmo, in quo ſine ulla conditione ſatisfactionis applicatur virtus Sangvinis Chriſti ad perfectam peccatorum remiſſionem quoad culpam, & pœnam. Ab aliis Sanctis Patribus verba Apoſtoli intelliguntur non de quolibet peccato; ſed tantùm de illo Apoſtaſiæ, quâ religio Chriſtiana ſemel ſuſcepta prorſus abjicitur: & hic ſenſus infertur ex verbis præcedentibus: *Non deſerentes collectionem noſtram,* ut etiam ex conſequentibus, *poſt acceptam notitiam veritatis,* loquitur enim ſcriptura de hujuſmodi peccato, ut de lapſu irreparabili, non quod verè pœnitenti non pateat locus veniæ per ſangvinem Chriſti, ſed quia, qui in tale genus peccati prolabuntur, vix ab eodem emergunt, & reſipiſcunt, eò quia ex certa malitia peccent. Et idem judicium eſt de peccato blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, quod dicitur remitti, nec in hoc, nec in futuro ſæculo, *Matth.* 12. Non quod blaſphemia, quâ manifeſta Spiritus Sancti opera Dæmoni tribuuntur, non poſſit remitti per Sacramentum pœnitentiæ, ſed quia perquam difficile eſt, quòd talis blaſphemus in Spiritum Sanctum reſipiſcat, & etiam, quia majorem obicem opponit gratiæ, & nullam habet peccati excuſationem, cùm non ex ignorantia, neque ex infirmitate peccet, ſed ex pura malitia, & ex prævia cognitione peccati, quod patratur, ſiquidem in aliis pluribus peccatis ignorantia, vel naturæ infirmitas culpam minuunt, quapropter ajebat Apoſtolus: *Mi-*

Digitized by Google

Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci, & miſericors Deus cognovit figmentum noſtrum, & recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus, ut loquitur David, ſecus peccatum in Spiritum Sanctum nihil continet, quod poſſit culpam minuere, eò quia ex deſtinata malitia comiſſum ſit. Sicut enim aliqui morbi dicuntur inſanabiles, quia ægroti ita affecti ſint, ut ſalutaris medicinæ vim oderint: perinde, ſunt etiam quædam peccata, quæ non condonantur propter eorum malitiam, & impœnitens Cor peccantium, dicitur etiam peccatum in Spiritum Sanctum non ſolum difficulter, ſed omnino nunquam remitti, eò quia in eo peccator usque ad extremum vitæ perſeveret, & in eodem moriatur, ſive illud ſit deſperatio de miſericordia Dei, ſive cordis durities, qua homo recuſet in unitate corporis Chriſti remiſſionem accipere peccatorum, vel etiam ſit oppugnatio, & invidia fraternæ charitatis; quæ tanta eſt, ut deprecandi humilitatem ſubire nolit, tametſi peccatum mala conſcientia cognoſcere, & annuntiare cogatur, unde ſola impœnitentia eſt, quæ non habet remiſſionem, neque in futuro ſæculo, & eſt propriè peccatum in Spiritum Sanctum cor impœnitens, ait enim D. Auguſtinus *ſerm. 71. de verbis Domini*, ubi agit de blaſphemia in Spiritum Sanctum irremiſſibili, inquiens: *Sed iſta impœnitentia, vel Cor impœnitens, quamdiu quisque in hac carne vivit, non poteſt judicari. De nullo enim deſperandum eſt, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Unum ergo ſuffugium eſt, ne ſit irremiſſibilis blaſphemia, ut cor impœnitens caveatur; nec aliter pœnitentia prodeſſe credatur, niſi ut teneatur Eccleſia, ubi remiſſio peccatorum datur, & ſocietas Spiritus in pacis vinculo cuſtodiatur.* Hinc peccatum finalis impœnitentiæ dicitur, peccatum eſſe ad mortem, de quo S. Joannes *epiſt. 1. cap. 5.* ait: Eſt peccatum ad mortem, non pro illo, dico, roget quis. Vel ſi aliud peccati genus intelligatur, ſenſus eſt, ut pro illius peccati remiſſione vulgares orationes non ſufficiant, ſed neceſſaria ſint Orationes ſacerdotum, vel alterius viri ſingularis, & eximii meriti, & ſanctitatis, qui pro ejus remiſſione Deo omnium ſupplicet, vel ut Eccleſia ſuis precibus indulgentiam hujus criminis reo obtineat, non verò ita intelligitur, quod pro talis peccati venia Deus nullo modo ſit exorandus,

Aſſerendum ſecundò, hoc pœnitentiæ exterioris ſacramentum ita fuiſſe à Chriſto immediate inſtitutum, ut non ſolum quoad formales, ſeu quoad poteſtatem abſolvendi à peccatis, verum etiam quoad materiale, ſeu quoad confeſſionem peccatorum fuerit inſtitutum, ſiquidem Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 1.* definit omnia Sacramenta novæ legis fuiſſe inſtituta à Chriſto Domino inquiens: *Si quis dixerit Sacramenta nova legis, non fuiſſe omnia à Chriſto Domino inſtituta, aut etiam aliquid horum ſeptem non eſſe verum, ac proprium Sacramentum, anathema ſit*: Cum igitur oſtenderimus pœnitentiam exteriorem eſſe verum Sacramentum novæ legis, ſequitur, fuiſſe inſtitutum immediatè à Chriſto, non ſolum quantum ad formale, ſeu quoad poteſtatem abſolvendi à peccatis, verum etiam quantum ad materiale, ſeu confeſſionem peccatorum, ſiquidem Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1.* & *can. 1.* loquens ſpeciatim de hoc Sacramento pœnitentiæ ait: *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè vel propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.* Sed ſi aliqua hujus Sacramenti pars non fuiſſet immediatè à Chriſto inſtituta, non poſſet aſſeri totum Sacramentum fuiſſe à Chriſto inſtitutum, ergo ſi totum fuit inſtitutum à Chriſto, ſequitur non ſolum quantum ad formale, ſeu poteſtatem abſolvendi à peccatis, verum etiam quantum ad materiale, ſeu quoad confeſſionem peccatorum fuiſſe immediatè à Chriſto inſtitutum.

Quòd ſi dicas, Concilium expreſsè non definire, hoc Sacramentum fuiſſe à Chriſto immediatè inſtitutum; Contra eſt, quia tametſi Concilium explicitè non utatur illa particula immediatè, colligitur tamen evidenter ex verbis Concilii, quia eo ipſo, quòd Concilium definit Authorem Sacramentorum alium non fuiſſe quàm Chriſtum Dominum, ſequitur neceſſariò, fuiſſe Sacramenta immediatè à Chriſto Domino inſtituta, quia ut rectè diſſerit D. Thomas *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 5.* Miniſtri Eccleſiæ inſtituuntur in Eccleſia divinitus fundata, conſequenter inſtitutio Eccleſiæ proſupponitur ad operationem Miniſtrorum, perinde ac corpus creationis præſupponitur ad opus naturæ, & quia Eccleſia fundatur in fide, & Sacramentis, ideo adminiſtros Eccleſiæ non pertinet novos articulos fidei edere, neque editos abrogare, nec Sacramenta nova inſtituere, nec inſtituta removere, quia id pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quæ ſoli debetur Chriſto, qui eſt Eccleſiæ fundamentum. Rurſus quia ſi aliqua pars Sacramenti fuiſſet ab Eccleſia inſtituta, poſſet Eccleſia in illa diſpenſare: ſiquidem poteſt diſpenſare in omnibus, quæ dependent ex ipſius poteſtate, ſed Eccleſia non poteſt diſpenſare in ulla parte Sacramenti; ergo nulla pars hujus Sacramenti fuit ab Eccleſia inſtituta, ſed tota ejus inſtitutio fuit immediatè à Chriſto Domino.

Quod ſi dicas ante legem Evangelicam fuiſſe hoc Sacramentum pœnitentiæ, quod propterea videtur fuiſſe inſtitutum à Deo in ipſo paradiſo, quando Adamo quærenti latebras poſt peccatum dixit: *Ubi es?* noluit exprimere ab eo confeſſionem delicti, & impertiri miſericordiam. Præterea quia extra paradiſum, cum interrogaſſet Cainum fratricidam dixit: *Ubi eſt frater tuus Abel? quid feciſti* Præterea in lege ſcripta etiam fuiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, conſtat ex illo *Joſue cap. 7.* ubi dicitur ad Acham: *Fili da gloriam DEO confitere, & indica mihi*, ex quibus inferunt Sectarii, hoc Sacramentum pœnitentiæ non fuiſſe à Chriſto immediatè inſtitutum. Sed contra, quia tametſi tam in lege naturæ quàm in lege Moyſis fuerit pœnitentiæ internæ, ut virtus, non tamen externa, ut ſacramentum, quia pœnitentia externa tantum à Chriſto Domino fuit elevata, ut haberet rationem Sacramenti. Præterea omnia prærecenſita fuerunt tantum figuræ hujus noſtri Sacramenti pœnitentiæ, non verò fuerunt Sacramenta, quia non fuerunt cæremoniæ firmiter à DEO inſtitutæ. Sacrificia itidem pro peccatis potuerunt eſſe Sacramenta, ſed vacua, quia illis nulla inerat virtus productiva gratiæ ex opere operato: hæc enim prærogativa eſt legis novæ, ubi ex fontibus Salvatoris ſcaturiunt aquæ omnium gratiarum in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ.

Aſſerendum tertiò, hoc pœnitentiæ exterioris Sacramentum fuiſſe à Chriſto imediatè inſtitutum poſt

reſur-

Digitized by Google

reſurrectionem. Cùm enim Chriſtus, poſtquam reſurrexiſſet, apparuiſſet Mariæ Magdalenæ in ſpecie Hortulani, & Diſcipulis euntibus in Emaus, qui eodem die, quo Chriſtus reſurrexit, egreſſi Hieroſolymam, annunciarunt Apoſtolis, ſe vidiſſe Dominum, venit Chriſtus ad Apoſtolos congregatos uno eorum abſente Thoma, & ingreſſus domum, cùm fores eſſent clauſæ, ſtetit in medio eorum, & per inſufflationis viſibile ſignum Spiritum Sanctum eſt illis elârgitus, *Joann. cap. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, quam poteſtatem collatam etiàm Univerſis, qui iiſdem legitima ordinatione inpoſterum eſſent ſucceſſuri uſque ad conſummationem ſæculi, omnes concedunt, & tunc inſtituit Chriſtus Dominus hoc ſingulare novæ legis Sacramentum exterioris pœnitentiæ, uſ certum ratumque ſemper fuit apud Sanctos Patres, & Concilia, ait enim Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 1.* & *can. 10. Iſtud Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et quamvis Chriſtus initio ſuæ prædicationis pœnitentiam indixerit hominibus, ut determinatos modos actuum ſignificaret, qui ad hoc Sacramentum neceſſarii ſunt, cùm Chriſtus ait: *Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* quod pertinet ad officium Miniſtrorum, determinaverit, cùm promiſit Petro, ſe ei daturum clavem Regni Cœlorum, *Matth. 16,* dixit Petro, tibi dabo claves regni cœlorum, nihilominus inſtitutionem hujus Sacramenti promiſit Apoſtolis, cùm ipſis dixit: *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo,* Inſtitutionem tamen hujus Sacramenti tunc peregit, quando poſt reſurrectionem inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ratio, cur diſtulerit Chriſtus inſtituere hoc Sacramentum poſt reſurrectionem, ea eſt, quia, cùm hoc Sacramentum ſuam habeat efficaciam ex virtute nominis Jeſu Chriſti patientis, & reſurgentis, conveniens fuerat, ut nonniſi poſt paſſionem, & reſurrectionem Salvatoris plenè, ac perfectè inſtitueretur, ac ejus virtus prædicaretur juxta illud Luc. ult. *Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.* Unde, quamvis ante paſſionem fuerit hoc Sacramentum promiſſum D. Petro *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cœlorum,* & etiam reliquis Apoſtolis *Matth. 18.* cùm dixit: *Quæcunque ligaveritis ſuper terram &c.* ejus tamen inſtitutio peracta tantùm fuit poſt reſurrectionem, ut communiter docent Patres, & Concilia, & cùm ſit ſolius Dei proprium peccata remittere, hinc evincitur tradita hac facultate Sacerdotibus, ut ſuis Miniſtris, eos elevâſſe ſupra Angelos. Et quia nequeant Sacerdotes intima cordium penetrare, nec rectè judicare de peccatis, an remitti debeant, an retineri, ideò inſtituit Chriſtus, ut qui noxarum ſuarum veniam cupiunt à Deo obtinere, tali ſint notati facultate, ut iis ſuam conſcientiam aperiant, confeſſionemque diſtinctam de peccatis ſingularibus faciant, & illis, ut Judicibus ſubjiciantur, ut etiam illorum ſententiæ, vel abſolutionis, vel retentionis, ſeu condemnationis, prout Miniſtri Chriſti deprehenderint conſultius expedire pro ſalute reorum.

Cæterùm, exteriorem pœnitentiam fuiſſe à Chriſto elevatam ad rationem Sacramenti, evincitur itidem ex verbis *Joan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt;* ex quibus, dico, infertur, ritum aliquem externum à Chriſto inſtitutum eſſe, quo Apoſtoli, & eorum in Sacerdotio ſucceſſores de peccatis juridicè cognoſcerent, & ea ſic cognita vel remitterent, vel retinerent, ut fit in judiciis humanis, & id aliquo ſigno manifeſtaretur; & huic ritui divinitùs inſtituto adjunctam eſſe promiſſionem gratiæ ſanctificantis, ut apertè indicant verba Chriſti, *remittuntur eis*: ſiquidem peccatorum remiſſio nonniſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis fieri poteſt, quapropter conſtat, pœnitentiam eſſe ritum externum, inſtitutum à Chriſto, quo gratia confertur, ac proinde eſſe Sacramentum, ut docet D. Thomas *in Comment, cap. 16. Matth.* ubi tres errores in explicandis verbis Chriſti monet irrepſiſſe, quorum primus eſt eorum, qui opinati ſunt, Sacerdotes poſſe quemlibet pro arbitrio ſolvere, aut ligare, peccata remittere, aut retinere, quod falſum eſt, quia Chriſtus ſupra allegatis verbis vices ſuas tantùm demandavit Sacerdotibus, ut facerent, quod ipſe facturus eſſet, ſi viſibilis in terra manere voluiſſet, conſequenter, ut peccata remitterent, vel retinerent non pro libitu, ſed prout ipſe remiſiſſet, aut retinuiſſet, quòd Sacerdotes tenentur diſcere à ſenſu Eccleſiæ. Secundus error eſt eorum, qui arbitrati ſunt, ſolvere, & ligare nihil aliud eſſe, quàm pœnitentem ſolutum, aut ligatum declarare, quod etiam falſum eſt, alioquin Chriſtus debuiſſet potius dicere: Quæcunque ſoluta erunt in cœlis, ſolvetis ſuper terram, cùm poſtea oppoſitum dixerit: *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo,* & hic error etiam damnatus fuit à Synodo Tridentina *ſeſſ. 14, can. 9.* Tertius error fuit, Sacerdotem, antequam abſolutionis verba proferat, ſupponere debere pœnitentiam per actum Contritionis à culpa peccati, & æternæ pœnæ reatu jam factum eſſe liberum, conſequenter abſolvendo illum tantummodo à pœna temporali, quæ plerumque, peccato quoad culpam remiſſo, luenda ſupereſt, non tota quidem, ſed aliqua ejus parte illum eximere. Quæ interpretatio etiam falſiſſima eſt, & prorſus aliena à vero ſenſu verborum Chriſti. Quis enim dicat, remittere peccata nil aliud eſſe, quàm ipſa peccata ſupponere jam remiſſa, & tantùm remittere aliquid de pœna temporali, peccatis quoad culpam jam remiſſis.

Cur verò Chriſtus voluerit, elevare pœnitentiam exteriorem ad rationem Sacramenti, duplex ſolet ratio aſſignari, prima ut nobis de remiſſione peccatorum, quam Deus pollicitus eſt, cùm ait *Ezech 33. Si impius egerit pœnitentiam à peccato ſuo &c. vita vivet, & non morietur,* minus dubitare liceret, cùm enim de ſuo judicio cuique in iis, quæ agit, ac dicit, maximè timendum ſit; maximè anxii eſſemus, num intimam, & veram pœnitentiam egiſſemus. Quamobrem, ut Chriſtus huic noſtro ſollicitudini ſubveniret, pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, quo per Sacerdotis abſolutionem peccata nobis eſſe remiſſa credamus ob fidem, quæ Sacramentorum virtuti meritò habenda eſt. Hinc Chriſtus dixit Paralytico: *confide fili, remittuntur peccata tua,* quam fiduciam debemus & in nobis excitare, cùm Sacerdos in perſona Chriſti ejuſque authoritate profert verba illa: *Ego te abſolvo à peccatis tuis,* ait enim Auguſtinus *ſerm 351. de utilitate agendæ pœnitentiæ: Sed, fac incertum eſſe, utrum ignoſcat Deus: Quid perdit, cùm ſupplicat Deo, qui ſalutem perdere non dubitavit, cùm offenderet Deum? Quis enim certus eſt, quòd etiam Imperator ignoſcat, & tamẽ pecunia funditur, maria tranſmeantur procellarũ*

incerta ſubeuntur, & pene, ut mors evitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per homines homini: ſine dubitatione ſiunt iſta, cùm ſit dubium, quo ſine proveniant. Et tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ, quàm corda Regum: quibus clavibus, quodcunque in terra ſolvitur, etiam in cœlo ſolutum promittitur. Et multò eſt honeſtior humilitas, qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ Dei, & labor minor imponitur: & nullo temporalis mortis periculo, mors æterna vitatur. Alia ratio, cur Chriſtus pœnitentiam exteriorem in numerum Sacramentorum obtulerit, eſt, quia nemo ſalutem, niſi per Chriſtum, ejusque paſſionis beneficio conſequi poteſt, unde conſentaneum nobis, & perquam utile fuit, quòd pœnitentia exterior referretur in numerum Sacramentorum, cujus vi, & efficacia Chriſti Sangvis ad nos defluens peccata poſt baptiſmum comiſſa elueret; & ita in reconciliationis beneficium illi uni Salvatori Noſtro acceptum nos profiteremur referre, *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſangvine ſuo.*

Objiciunt tamen Sectarii, quia in novo teſtamento non eſt alia pœnitentia, quàm fuerit in veteri, ſed in veteri non fuit pœnitentiæ Sacramentum, ergo neque in novo; Majorem probant ex illo *Actor.* 10. *v.* 43. ubi D. Petrus dicit: ſe illam pœnitentiam docere, quæ teſtimonium habet à Prophetis, & Paulus *cap.* 26. recitans ſummam ſuæ doctrinæ de pœnitentia dicit, ſe nihil docuiſſe extra ea, quæ Prophetæ locuti ſunt. Sed contra, quia in lege veteri fuit tantùm virtus pœnitentiæ; non verò Sacramentum pœnitentiæ; unde, quamvis virtus ſit eadem in novo, ac veteri teſtamento, non item Sacramentum, quod tantùm habetur in lege nova, non veteri, Contritio enim, ut manifeſtatur per confeſſionem externam ſingulorum peccatorum, & per judiciariam abſolutionem Sacerdotis, non fuit inſtituta in veteri teſtamento, ſed tantùm in novo, & D. Petrus *Actor.* 10. tantùm dixit, Prophetas perhibere teſtimonium Chriſti, eò quia in ipſius nomine accepturi ſint credentes in eum remiſſionem peccatorum. Paulus autem loquitur de pœnitentia, quæ baptiſmum præcedit. Hinc pœnitentia, quam in deſerto prædicavit Baptiſta, non erat Sacramentum, quia hoc tantùm fuit inſtitutum à Chriſto.

Sed inſtant, quia nullibi legitur in ſcripturis, quòd Apoſtoli exegerint numerationem peccatorum, & omnium recenſionem ad remiſſionem, vel retentionem eorundem, neque legitur, eos impoſuiſſe mulctam iis, quibus peccata condonabant. Neque legitur, quòd Paulus abſolverit inceſtuoſum Corinthium. Sed contra, quia ex antecedentibus negativis non poteſt legitimè concludi: ſiquidem non legimus, eos remiſiſſe alicui peccata, & tamen non ſequitur, eos non remiſiſſe, cùm in tanta fidei propagatione, & Gentium converſione debuerunt Apoſtoli peccata remiſiſſe. Prætereà Apoſtoli plura fecerunt, & docuerunt, quæ ſcripta non ſunt, non enim legimus quidquam de eorum baptiſmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & tamen certum eſt, fuiſſe baptizatos, & baptizâſſe etiam hoc ritu. D. Paulus non abſolvit inceſtuoſum, ſed abſolutionem à Corinthiis datam approbavit, quæ ſine mulcta, quam Paulus vindictam vocat, non fuit.

Sed urgent, quia non rectè colligitur ex *Joan.* 20. *Quorum remiſeritis &c.* Sacramentum pœnitentiæ, quia peccata infidelium, non fidelium declarat intelligi, Lucas enim *cap. ult.* ait: Oportebat in nomine ejus prædicare pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in Gentes, quæ remiſſio datur infidelibus per baptiſmum. Sed contra, quia Chriſtus dedit poteſtatem ſuis Diſcipulis remittendi peccata fidelium 2. *Corinth.* 5. *Deus dedit nobis miniſterium reconciliationis, poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Unde illud *Joan.* 20. *Quorum remiſeritis &c.* intelligitur de peccatis juxta ſenſum Eccleſiæ, ac Sanctorum Patrum. Ad aliud *Luc. ult.* reſpondetur, ibi non eſſe ſermonem de poteſtate tradita Apoſtolis remittendi peccata; ſed prænuntiatur futura remiſſio peccatorum in nomine Chriſti per omnes gentes, quod diverſum ab eo eſt, quod intendit Chriſtus, *Joan.* 20.

Neque ullum faceſſit negotium, quod reſpondent Hæretici. Illud *quorum remiſeritis Joan.* 20. eſſe intelligendum de remiſſione, & abſolutione à cenſuris, non à peccatis. Nam contra eſt, quia per cenſuras non remittitur peccatum, ſed tantùm vinculum relaxatur, & pœna impoſita ab Eccleſia, & Chriſtus *Joan.* 20. loquitur propriè de remiſſione peccatorum: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Unde falluntur Sectarii, cenſentes, poteſtatem ibi traditam conſiſtere in uſu cenſurarum eccleſiaſticarum ſuſpenſionis, & excomunicationis, quibus fidelis ob delictum aliquod excluditur à communione Eccleſiæ: tunc enim Sacerdos cenſetur parcere, & condonare peccatori reſipiſcenti, quando cenſuram relaxat, & remittit, & fidelem cenſuris ligatum reſtituit comunioni fidelium; idque probant *ex cap.* 18. *Matth*, ubi Chriſtus tradidit ſuis Diſcipulis poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, cum promiſſione ratihabendi, quæ egerint: vult ligatum cenſuris eccleſiaſticis habendum eſſe veluti Ethnicum, & publicanum, qui excludebantur à Sacrificiis, & officiis publicis. Unde Novatores volunt verba Chriſti *Joann.* 20. & *Matth.* 18, eſſe intelligenda de foro eccleſiaſtico, non de foro judiciario Dei, & conſcientiæ in ordine ad remittenda peccata occulta; hinc ajunt, quòd ſi quiſpiam injuſtè eſſet abſolutus à cenſuris, adhuc Deus poſſet illum condemnare in ſuo judicio peccatorum, ex quo inferunt, non fuiſſe abſolutum à peccatis, alioquin non poſſet condemnari, ſed contra, quia, ſi in præcitatis locis *Joan.* 20. & *Matth.* 18. non eſſet ſermo de vera remiſſione peccatorum ſecretorum in foro conſcientiæ ac judiciali; ſequeretur, peccatorem poſt ſuſceptum baptiſmum fore deſtitutum omni remedio, & Chriſtum defuiſſe in neceſſariis, cùm humana fragilitas perſæpe delinquat, & eſſet abſque ſpe à lapſu reſurgendi. Si igitur fideles poſt peccata occulta in foro conſcientiæ habent remedium, quo poſſint reſurgere: hoc remedium eſt Sacramentum pœnitentiæ, ut habetur *Joan.* 1. ubi Apoſtolus, loquens de remedio peccatorum, quæ baptizati comittunt, ait: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis, & emundet nos ab omni iniquitate*: ergo, quando *Joan.* 20. datur facultas Clavium ad remittenda peccata, & *Matth.* 18. intelliguntur textus præcitati de vera remiſſione peccatorum, & non de relaxatione cenſurarum.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT III.

Ostenditur contra Hæreticos, pœnitentiæ Sacramentum distingui à baptismo, ac pluries esse repetendum.

Hæretici, quibus invisum est Sacramentum pœnitentiæ, illudque propterea inficiantur, ne fidelibus peccantibus post baptismum aliquod superesset remedium, quo possint resurgere, asserunt, hoc remedium non esse Sacramentum pœnitentiæ, sed excitatam memoriam suscepti baptismi, cujus beneficio delentur omnia peccata, & cujus lavacro omnes noxarum maculæ delentur: hoc pacto asserunt, posse peccatores post baptismum reconciliari Deo, & hanc reconciliationem non fieri sine aliquo Sacramento, eò quia lapsi habeant ipsum baptismum, per cujus memoriam Deo reconciliantur, non quidem quòd baptismus debeat re ipsa iterum repeti, sed sufficiat, si ejus memoria recolatur, & eliciatur actus fidei, quo credant, per virtutem baptismi, & meritorum Christi esse peccatoribus remissa omnia peccata. Et exibilant illud Sanctorum Patrum effatum, præsertim D. Hieronymi *in cap. 3. Isaiæ & in epist. ad Demetrium*. Ambrosii *Lib. ad Virginem lapsam*. Tertulliani *Lib. de pœnit.* Quòd pœnitentiæ Sacramentum sit secunda post naufragium tabula, quatenus, qui post baptismum in lethale peccatum sunt prolapsi, æternum pereant, nisi arripiant hanc tabulam Sacramenti pœnitentiæ, cujus auxilio reducantur ad portum salutis, quia sine ipsa necesse est, submergantur in profundum gehennæ. Hanc Sanctorum Patrum doctrinam de Sacramento pœnitentiæ æquiparato tabulæ post naufragium explodunt Hæretici, asserentes, non esse opus tabula, cùm pateat aditus ad navim baptismi, quæ cùm integra semper maneat, nos ad illam reduces expectat. Hoc pacto explicant, quomodo peccatores post lapsum possunt resurgere, quamvis non detur Sacramentum pœnitentiæ, cùm sufficiat memoria suscepti baptismi unà cum actu fidei, quo credimus, nobis esse peccata remissa.

Asserendum est, esse dogma fidei, pœnitentiam esse Sacramentum à baptismo diversum. Idque desumi ex Concilio Tridentino *sess. 14. can. 2.* ubi habetur: ***Si quis Sacramenta confundens, ipsum baptismum, pœnitentiæ Sacramentum esse, dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideò pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit***: Pœnitentiam verè, & propriè esse Sacramentum, jam superiùs evincimus, siquidem esse signum practicum gratiæ, & omne signum intrinsecum, & essentialiter constat ex re ipsa significante, tanquam ex subjecto, & ex ipsa significatione, veluti ex forma totali, consequenter Sacramentum pœnitentiæ debet essentialiter coalescere ex his partibus, ut physicè ipsum constituentibus, ita, ut res significans sit actus pœnitentis, significatio absolutio, & res significata, remissio peccatorum, seu gratia. Præterea, quia in hoc Sacramento res significans, & significatio causant rem significatam per modum judicii, ergo requiruntur ea, ex quibus essentialiter constat judicium, quod necessariò coalescit ex actibus rei, ut ex materia, supra quam cadit sententia Judicis, quæ est veluti forma illius, sequitur, pœnitentiam esse verè, & propriè Sacramentum, & ex parte Ministri dicere absolutionem & sententiam Judicis, & ex parte pœnitentis, seu rei confessionem, & reliquos actus, ut materiam. Quòd verò Sacramentum pœnitentiæ sit distinctum à Sacramento baptismi, etiam constat: quia baptismus habet distinctam materiam, & formam, secundò, quia Minister pœnitentiæ debet esse Sacerdos, & Judex, cùm Minister baptismi possit esse non Sacerdos, imò etiam Laicus, & urgente necessitate etiam fœmina, si mas non adsit. Tertiò, quia per baptismum delentur omnia peccata quoad culpam, & pœnam; & post pœnitentiam semper superest luenda pœna temporalis. Quartò etiam distinguuntur hæc duo Sacramenta ratione finis, siquidem finis baptismi est delere ea tantùm peccata, quæ ante baptismum patrata sunt, ideoque repeti non potest. Pœnitentia aûtem ordinatur ad tollenda peccata post baptismum commissa, in quo sensu scripserat Apostolus ad *Hebr. 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati*, (scilicet baptizati) *& prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam*, ubi D. Paulus non negat, posse lapsos post baptismum reconciliari Deo per Ecclesiam, ut falsò existimasse Novatianum, etiam adversantur recentiores Sectarii, volentes, posse post baptismum lapsos in lethales noxas, iterum Deo reconciliari, licet non per Sacramentum pœnitentiæ: quod negant, sed per excitatam memoriam baptismi, unà cum actu fidei, quo credant sibi remissa peccata. Hinc D. Paulus, qui incestuosum Corinthium reconciliari permisit, negat, posse renovari peccantem lethaliter post baptismum per baptismum, ut communiter explicant Sancti Patres, præsertim Augustinus *in epist. ad Rom.* & circumstantiæ textus hoc idem ostendunt: nam initio capitis Apostolus monet Hebræos, ut non respiciant iterum ad primordia baptismi, & fidei, ejusque pœnitentiæ, quæ baptismum præcessit, & est veluti fundamentum ædificii spiritualis: & etiam adfert causam, eò quia *impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati*, seu baptizati, quasi dicat, quia hæc renovatio per baptismum fit tantùm semel, & renovatio, seu reconciliatio repetitur, quoties fidelis labitur in aliquod peccatum. Quòd baptismus describatur per illuminationem, docent Sancti Patres, qui interdum vocant Sacramentum luminis, ex fide scilicet infusa. Cùm igitur impossibile sit, aliquem renovari per eam Pœnitentiam, quæ cum baptismo conjuncta est, ideò necessarium est, vel negare lapsis reconciliationem, ut præstitit Novatianus tertio sæculo, qui propterea primum schisma invexit, aut cum Catholicis admittere novum testamentum à baptismate distinctum.

Quòd si dicas, Apostolum Paulum tantùm velle esse repetendam memoriã baptismi, non verò ipsum baptismum, ut quis lapsus in peccatum lethale Deo reconcilietur. Non enim Paulus de cæremonia, sed ejus effectu, & renovatione loquitur, unde si baptismi effectum iterum habere non possumus, nec aliud Sacramentum quærere debemus. Præterea, quòd hæc

reno-

renovatio post susceptum baptismum, seu reconciliatio cum Deo post patratam lethalem noxam non fiat per baptismum, neque [illegible] ejus memoriam liquet, quia in Scripturis [illegible] exempla illorum, qui post baptismum [illegible] sunt, ut Simonis Magi *Actor.* 8. [illegible] & tamen eos iterum remissionem [illegible] baptismi non legimus. [illegible] quod mirabile, quod solum [illegible] baptismi [illegible] in tota vita esset remedium, & in Scriptura nullam de hoc remedio fieri mentionem. Præterea, quia contra Apostolum est, qui voluit baptizatos deterrere à peccatis, [illegible] posse [illegible] eadem facultate reconciliari: facilius enim esset, excitare memoriam [illegible] baptismi, [illegible] ipsi illum suscepere, unde frustra Apostolus baptizatos deterreret à peccatis. Hinc etiam Sancti Patres vocant baptismum laboris, & lachrymarum, ipsam pœnitentiam, & omnes Sancti Patres unanimiter cum D. Augustino *epist.* 23. *ad Bonifacium* ajunt: *Peccata post baptismum commissa, non regenerantione auferuntur, sed alia curatione sanantur, scilicet Sacramento pœnitentiæ.* [illegible] Deum facilius ignoscere iis, qui post fidem, & baptismum peccant, quam [illegible] peccatum in [illegible] *Ille [illegible] qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit plagis multis, qui autem non cognovit, paucis vapulabit.*

Demum [illegible] fidei habetur ex Apostolica traditione, & Ecclesiæ [illegible] contra Novatianos, & [illegible] Patres, qui de pœnitentia ut de Sacramento [illegible] à baptismo locuti sunt. Tertullianus *Lib. de pœnitentia cap.* 9. *Pervicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit: at quin tunc maxime facit, cum hominem plene sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat, ingemiscat, necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis suæ evasisse.* Et paulo infra: *Hæc igitur venena ejus providens Deus clausa licet ignoscentiæ janua & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* S. Athanasius *Lib. de peccato in Spiritum Sanctum ad Serapionem* ait: *Est inter pœnitentiam, & baptisma non leve discrimen, quem enim pœnitet, is desinit quidem peccare, sed tamen retinet vulnerum cicatrices: qui autem baptizatur, jam veterem hominem exuit, dum superne renovatur, quasi de integro regeneratus Spiritus gratia.* S. Cyprianus *epist.* 52. *Miror autem, quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit, memento, unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera, quod utique ei dicitur, quem constat, cecidisse; & quem Dominus hortatur per opera rursus exurgere: quia scriptum est, eleemosyna à morte liberat, & non utique ab illa morte, quam semel Christi sanguis extinguit, & a qua nos salutaris baptismi, & Redemptoris Nostri gratia liberavit: sed ab ea, quæ per delicta postmodum serpit.* S. Joannes Chrysostomus *homil.* 9. *in epist. ad Hebr.* ait: *Novos facere est solius baptismi. Pœnitentiæ autem est, eos, qui novi facti sunt, deinde in peccatis inveteraverunt, liberare à vetustate, seipsosque reducere, ad illum antem splendorem non licet reducere, illic enim totum est gratia.* Et ut reliquos Sanctos Patres asserentes distinctionem inter baptismum,& pœnitentiam omittam, unicum addam Augustinum *serm.* 393. *ex ho-*

[illegible] ad [illegible] tur, & [illegible] est [illegible] pœnitentiam, [illegible] Sacramentum, [illegible] est ad [illegible] tur, & [illegible] cem, cum [illegible] discrimen inter [illegible] & pœnitentiæ assignat. [illegible] ex contra Novatianos [illegible] Sacramento pœnitentiæ. [illegible] tis rationibus à baptismo [illegible] præter quam quod [illegible] Sacramenti effectus [illegible] constat certè, [illegible] oportere; cùm Ecclesia [illegible] ceat, qui non prius [illegible] fuerit ingressus. [illegible] 1. *Corinth.* 5. de his, qui foris [illegible] est de domesticis fidei, [illegible] vacro baptismi, [illegible] nam hos, si se postea [illegible] rint, non jam repetito baptismo [illegible] Ecclesia Catholica [illegible] hoc tribunal, tanquam [illegible] Sacerdotum sententiis non [illegible] admissis peccatis [illegible] pœnitentiæ pellent liberari. [illegible] pœnitentiæ tradens. [illegible] sti induente novam [illegible] aturam, plenam, [illegible] remissionem [illegible] novitatem, & [illegible] tentiæ sine magnis [illegible] vinam id exigente [illegible] possumus, ut merito [illegible] baptismus à Sanctis Patribus [illegible]

Hæc ex Scripturis, Apostolica [illegible] Conciliis, & Sanctis Patribus [illegible] Hæretici [illegible] pœnitentiæ [illegible] tum memoriam [illegible] peccatorum [illegible] ac si pœnitentiam [illegible] excitationem [illegible] guatur ab ipso Sacramento [illegible] hic errant, quoniam [illegible] scilicet, quod sola fides justificat [illegible] Secundo, quod Sacramenta [illegible] tollenda peccata [illegible] excitare subjiciendo [illegible] Dei de remittendis peccatis [illegible] enim falsis principiis [illegible] Sacramento pœnitentiæ [illegible] sicut ipse subjectum [illegible] hoc pacto exercitium [illegible] inde posset [illegible] vel Eucharistia [illegible] sufficit ad fidem excitandam, [illegible] ticos non esset [illegible] sint, neque Eucharistia, [illegible] cundò, inferunt, [illegible] suscepti, ac memoria repetita [illegible] baptismus reipsa susceptus [illegible] solum quoad culpam, verum etiam quoad pœnam [illegible] ita asserunt, hanc virtutem [illegible] memoriæ, ex quo falsò supponunt [illegible] satisfactiones, indulgentias, purgatorium [illegible] ta, quia dicunt hæc locum non habere, si nulla

nulla pœna temporalis ſuperſit luenda. Sed eodem pacto poterant etiam tollere baptiſmum, & Euchariſtiam, quia hæc fides poteſt excitari per ſolam prædicationem evangelii; ſi enim ſola fides omnem extinguit pœnam, ſequitur nos non indigere ullo Sacramento baptiſmi, nec Euchariſtia.

Quòd ſi dicant Hæretici, quod, tametſi baptiſmus non maneat, nihilominus fœdus in baptiſmo inter nos, & DEUM initum eſſet perpetuum juxta promiſſionem Chriſti *Marci* 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, ex quo inferunt, virtute hujus promiſſionis nos poſſe ſemper ſalvari per baptiſmum ſemel ſuſceptum, & firmant ex eo, quia Judæi in veteri teſtamento poterant etiam DEO reconciliari, ſi ad memoriam revocaſſent exitum de Ægypto. Sed contra, quia promiſſio apud Marcum eſt quidem perpetua, non tamen abſoluta, ſed conditionata in hoc ſenſu, ſi quis manſerit in fide, & fœdere baptiſmi, erit ſalvus, quòd, ſi non manſerit, non ſalvabitur hoc remedio, ſed aliud illi quærendum eſt. Præterea licèt conſueverint Judæi commemorare exitum ab Ægypto, non tamen, ut per eam commemorationem purgarentur à peccatis, ſed ut commemorato tam inſigni beneficio ſuam erga DEUM agnoſcerent gratitudinem, & ita ſe ad pœnitentiam provocarent. Quod etiam poſſumus præſtare, quoties cogitamus de beneficio baptiſmi.

Quòd ſi dicas, ſcripturam loquentem de effectu baptiſmi omnia uſurpare tempora, ait enim Apoſtolus *ad Titum* 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1. *Petri* 3. *Nos facit ſalvos baptiſmo.* *Marci* 16. *Qui baptizatus fuerit, ſalvus erit*, & firmant ex Auguſtino *lib. de nuptiis, & concupiſ. cap.* 33. ubi expreſsè aſſerit: per baptiſmum non ſolùm remitti peccata præterita, ſed etiam futura, contra eſt, quia ex allegatis ſcripturæ textibus tantùm colligitur, quod baptiſmus aliquos laverit à præteritis peccatis, eos ſcilicet, qui jam baptizati ſunt, & aliquos nunc, ſcilicet eos, qui baptizantur: & loturus ſit aliquos, qui baptizandi ſunt. S. Auguſtinus intendit tantùm aſſerere, peccata remitti mediante effectu baptiſmi, qui eſt gratia, quia qui habet gratiam baptiſmalem, poteſt impetrare remiſſionem venialium, quinimò mediante etiam charactere dicitur remittere mortalia, quia qui baptizatus eſt, habet jus ad pœnitentiæ Sacramentum, quo purgantur peccata mortalia. Unde non manet baptiſmus in ſe, nec in ſuo effectu, ſeu gratia, quæ per peccatum amittitur; ſed ſola memoria baptiſmi ſufficit, ut baptiſmus dicatur manere, quod ſi hoc eſſet, ſola Euchariſtiæ memoria ſemel peractæ, ſeu ſuſceptæ ſufficeret, & fruſtra repeteretur.

Aſſerendum ſecundò, Pœnitentiam ſive interiorem, quæ virtus eſt, ſive exteriorem, quæ Sacramentum, poſſe, ac debere pluries iterari, & id eſſe fidei dogma, quod deſumitur ex verbis Chriſti *Matth.* 16. & 18. *Joan.* 20. quibus traditur Apoſtolis, ac eorum ſucceſſoribus poteſtas abſolvendi peccatores absque ulla reſtrictione, ac limitatione; adeo ut toties poſſint abſolvere, quoties fideles ſubjiciunt clavibus eccleſiæ ſua peccata, quoad ſpeciem, gravitatem, & numerum. Neque in ſacris Scripturis Dei miſericordia limitatur; quinimo ſcriptura cujuscunque peccati, quantumvis gravis, & ſæpe iterati reos invitat ad pœnitentiam, & ſpondet veniam pœnitentibus; & quia peccata poſt ſuſceptum baptiſmum non poſſunt amplius per baptiſmum remitti, neque per ejus lavacrum deleri, cùm non poſſit baptiſmus iterari; ſequitur quòd remittantur per ſolum Sacramentum pœnitentiæ, quod propterea toties erit iterabile, quoties fideles lapſi in peccatum grave reſipuerint, illudque ſubjecerint clavibus eccleſiæ. Rurſus Chriſtus ſe ipſum exhibet exemplum miſericordiæ *Luc.* 6. *Eſtote miſericordes*, inquit, *ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Et Chriſtus nobis injungit, præcipitque, ut fratri noſtro ſeu fideli; non ſolùm *ſepties*, ſed etiam *ſeptuagies ſepties*, ſi peccaverit, & ipſum pœnituerit peccatorum, abſolvamus; & ſi in nos peccaverit, etiam dimittamus: ſicut dicimus Deo: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, ſcilicet quoties nobis injuriam irrogaverint: quod ſi non *ſepties*, ſed *ſeptuagies ſepties*, ſeu quoties peccati reus, reſipuerit, debemus ipſi remittere peccata; iterata remiſſio ſupponit iterata peccata, ac iteratam pœnitentiam, ſine qua non remittitur peccatum; & non datur pœnitentia externa, ſine interna; conſequenter utraque pœnitentia, ut virtus, & Sacramentum eſt pluries iteranda, quoties quispiam ſe gravis peccati reum noverit. Hinc Chriſtus *Luc.* 17. remiſſionem peccati conjungit cum pœnitentia, inquiens: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi.* Hoc idem fidei dogma oſtendunt, explicantque Sancti Patres. S. Joannes Chryſoſtomus *in Paræneſi priori ad Theodorum Monachum lapſum* ait: *Talis eſt erga homines pietas Dei; nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincere, ac ſimpliciter offeratur. Etiamſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, ſuſcipit libenter, & amplectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem revocet ſtatum*; & refertur *in can. Talis. diſt. 3. de Pœnitentia.* Tertullianus *lib. de Pœnit. cap.* 4. *Omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu Spiritu, ſeu facto, ſeu voluntate, commiſſis, qui pœnam pro delictis deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit*; & *cap.* 7. pulchrè ſubdit: *Verùm non ſtatim ſuccidendus, ac ſubruendus eſt animus deſperatione; ſi ſecunda quis pœnitentiæ debitor fuerit. Pigeat ſanè peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat: Pigeat iterum periclitari, ſed non pigeat iterum liberari. Neminem pudeat iteratæ valetudinis: iteranda medicina eſt. Gratus in Dominum exſtiteris, ſi quod tibi Dominus offert, non recuſaveris.* Sicut iteratur peccatum, ita repetatur pœnitentia, quæ unicum poſt baptiſmum eſt à Deo pharmacum inſtitutum contra lethales peccatorum morbos: quòd ſi ægritudines corporis, ſi pluries obvenerint, pluries & repetitur remedium; quare non idem præſtandum, ſi anima peccati febre laboret, non ſemel, & iterum, ſed pluries, ac pluries? D. Auguſtinus *ſerm.* 71. *de verbis Domini* ait: *Pœnitentiæ quorumcunque criminum locum in Eccleſia non negavi*; & *ſerm.* 351. *cap.* 5. *Si jam de ſanitate deſperans addis peccata peccatis, ſicut ſcriptum eſt: Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit: noli contemnere, noli deſperare, clama etiam de profundo ad Dominum, & dic ei: De profundis clamavi ad te, Domine, de tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & hanc propitiationem invenerunt.* S. Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 10. Meritò reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto; Nam ſi verè agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent; quia ſicut unum baptiſma; ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur: nam quotidiani nos debet peccati pœnitere, ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.

Quòd ſi dicas, iterare Sacramentum pœnitentiæ perinde eſſe, ac anſam exhibere peccandi, ſiquidem ſpes iterandi confeſſionem Sacramentalem fa-

ciliorem aperit ad peccata [illegible] non videtur debere pollicerias, [illegible] via ad peccata iteranda [illegible] S. Gregorius *homil.* 34. [illegible] *mala praeterita* [illegible] cui assentitur D. [illegible] 2. [illegible] 16. inquiens: [illegible] *quod poeniteat* [illegible] non peccat, [illegible] poenitentiam [illegible]. Contra est, [illegible] respondet D. Thomas [illegible] *quaest.* 84. *art.* 10. [illegible] vera [illegible] tes poenitentiae, [illegible] tamen, [illegible] potest denotare; [illegible] da necessaria [illegible] Sanctis Patribus dicitur secunda post naufragium tabula, & naufragium [illegible], aeternum esset naufragium [illegible] non intenderet [illegible] actu [illegible] D. Thomas [illegible] *non* [illegible] *poenitet* [illegible] *alter* [illegible]. Ad verum [illegible] non peccandi. [illegible] ait D. Th[illegible]

[illegible]

cùm primum peccavit, & resipiscens ad DEUM convertatur, ac divina afflante gratia verum concipiat dolorem, quo ipsum pœnitet peccati, ac illius consequatur remissionem, juxta illud *Ezechielis* 23. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita vivet, & non morietur.* Nihilominus debet in homine hæc perseverare poenitentia, ne iterum in noxam labatur.

Quòd verò poenitentia exterior, quæ Sacramentum est, non sit necessaria usque ad ultimum vitæ, ex eo probat D. Thomas, quia canones certum tantum tempus præscribant poenitentibus ad hanc peragendam poenitentiam; juxta illud *Jeremiæ* 13. *Quiescat vox tua à plorato, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operis tui*; hæc autem merces operis ipsa est remissio peccatorum quoad culpam, & pœnam; post cujus consecutionem non est necessaria ulterior pœnitentia.

Rursus D. Thomas assignat discrimen inter utramque pœnitentiam, interiorem, & exteriorem, quia agere pœnitentiam interiorem, & exteriorem simul pertinet ad statum insipientium, qui est primus gradus vitæ spiritualis, quem magistri vitæ mysticæ vocant viam purgativam: Pœnitentia vero interior locum habet etiam in proficientibus, ac perfectis, juxta illud *Davidis Psal.* 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*; & D. Paulus hoc pœnitentiæ exardens desiderio ajebat: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei.* Rursus pœnitentia si consideretur in ratione actus, non est necesse, ut perseveret per totam vitam, alioquin nunquam cessaret, quod est falsum, quia somno sopiti non elicimus talem actum. In ratione tamen habitus debet pœnitentia interior esse continua usque ad extremum vitæ. Peccata verò venialia quod attinet, eorum pœnitentia interna, & externa debet perpetua esse, quia cum septies dicatur justus in die cadere, debet pœnitentia venialium esse continua, quæ propterea à S. Augustino *serm.* 351. vocatur *pœnitentia quotidiana*, quia sicut peccata venialia sunt quotidiana, ita & pœnitentia eorundem interior, & exterior: hinc quotidie dicimus; *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; non petimus, ut nobis dimittantur peccata, quæ jam in baptismo dimissa sunt, sed petimus nobis dimitti peccata quotidiana, in quæ ex humana fragilitate labimur, pro quibus etiam sacrificia eleemosynam jejunorum, & ipsarum orationum, ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cesset.

C A P U T IV.

De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

CErtum est, Sacramentum pœnitentiæ fuisse à Christo institutum, ut nobis remitterentur peccata, hinc primus effectus pœnitentiæ est, omnium peccatorum remissio, estque dogma fidei desumptum ex scripturis *Ezechiel* 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, & c.* 33. *v.* 14. *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur, omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei, judicium & justitiam fecit, vita vivet. Micha* 7. *v.* 18. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Hinc etiam Isaiæ 1. dicitur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversa, discite benefacere. Si fuerint peccata vestra ut Coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Et licèt hujusmodi textus intelligantur de pœnitentia interiori, conveniunt etiam pœnitentiæ exteriori, seu ipsi Sacramento, quod à Prophetis fuerat prævisum, ut instituendum à Christo, cùm enim DEUS sit summè bonus & ejus opera sint perfecta, ideo peccatoris resipiscentis, ac verè pœnitentis non ex parte tantùm miseretur, ut quædam ei peccata condonet, non omnia, quia id non patitur ratio amicitiæ, in quam resipiscens restituitur, quia amicitia non initur cum Deo, nisi beneficio gratiæ sanctificantis, quæ, cum non possit cohærere cum peccato lethali, quod est destructivum amicitiæ & aversivum à Deo fine ultimo, ideo simul ac peccator resipiscens ac verè pœnitens restituitur amicitiæ Dei, non unum tantùm vel alterum dimittitur peccatum; sed omnia statim remittuntur & totum debitum per gratiam sanctificantem quoad culpam extinguitur. Hinc patet discrimen inter debitum pecuniarum, & peccatorum, quia in debito pecuniario creditor potest debitori remittere ex centum, quæ sibi debentur, quinquaginta, & exigere alia quinquaginta à debitore, quia id ex sola dependet liberalitate Creditoris, secus in debito peccatorum, non potest unum vel alterum extingui, nisi quoad culpam remittantur peccata omnia lethalia, quia peccatum mortiferum non remittitur quoad culpam, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, qua Deus creaturam diligit amore amicabili: & quia gratia non stat cum ullo peccato lethali, à quo destruitur, sequitur, quod si peccator resipiscens restituitur pristino statui gratiæ sanctificantis, non unum tantum, vel alterum, sed omnia peccata lethalia remittantur. Id etiam exigit gratia amicitiæ, quia amor amicitiæ ita fertur in personam amatam, ut amans exigat à persona amata iterum redamari: & sine gratia remissiva omnium peccatorum lethalium, & charitate infusa, nequit creatura rationalis Deum amare, consequenter necesse est, sit affecta gratia sanctificante & charitate, quapropter *Jerem.* 13. ait Deus: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Non enim amor Dei sterilis est, nil producens in persona amata, sed fœcundissimus, adeo ut non feratur in terminum amatum: nisi aliquam in eodem producat bonitatem, qua miserans attrahat ad se creaturam, quapropter si Deus in charitate diligit peccatorem resipiscentem, diffundit in ejus corde per Spiritum Sanctum gratiam & charitatem, qua omnia peccata lethalia quoad culpam extinguuntur, hinc non potest unum peccatum lethale remitti, quin remittantur omnia, quia singula æque pugnant cum gratia fortificante, & charitate.

Rursus Deus veniam promisit peccatori, si verè ipsum pœnituerit ejus peccati, ac ex corde resipuerit, & vera pœnitentia non habetur, quin omnia, & singula peccata detestentur, ac ab iisdem peccator recedat, quia vero pœnitenti, ac resipiscenti debet displicere peccatum, eò quia avertat à summo bono, & fine ultimo creaturæ rationalis, & quia omnia peccata lethalia avertant à Deo, ut fine ultimo, sequitur, verè pœnitentem, ac resipiscentem omnium debere peccatorum pœnitere. Rursus quia vera pœnitentia est, qua peccator à statu peccati resurgit ad statum gratiæ: sed

ſed non poteſt reſurgere ab uno peccato lethali, quin ſimul reſurgat ab omnibus, alioquin non reſurgeret, quia per quodlibet peccatum lethale ſemper jacet mortuus in cœno peccati, & eſt impoſſibile aliquem eſſe ex parte vivum, & ex parte mortuum, eſt enim peccatum lethale mors animæ, & divina gratia Sanctificans vita ejuſdem, hinc D. Auguſtinus *Tract.* 19. *in Joan.* ait: *Cum vivit anima in iniquitate, mors ejus eſt: Cùm autem fit juſta, fit particeps alterius vitæ, quæ non eſt, quod ipſa: erigendo ſe quippe ad DEUM, & inhærendo DEO, ex illo juſtificatur. Et deficiendo ab illo fit iniqua, proficiendo ad illum fit juſta.* Et *ſerm.* 2. *in Pſal.* 70. ait: *Cum animam ſuſcitat DEus, niſi adſit, qui ſuſcitavit, ſuſcitata non vivit. Non enim ſuſcitat, & dimittit, ut vivat ſibi. Sicut Lazarus, quando reſuſcitatus eſt quatriduanus mortuus, ſuſcitatus eſt corpore per Domini corporalem præſentiam. Reſuſcitatus eſt Domino præſenti, ſed vixit & Domino abſente. Non ſic anima ſuſcitat illam DEUS, moritur, ſi diſceſſerit DEUS, duæ vitæ ſunt, una corporis, & altera animæ ſicut vita corporis eſt anima, ita vita animæ eſt DEUS, quomodo, ſi anima deſerat, moritur corpus, ſic anima moritur, ſi deſerat DEUS. Ipſa eſt ergo gratia ejus, ut ſuſcitet, & ſit nobiſcum.* Hoc fidei dogma etiam ſtatuit Concilium Tridentinum docens effectum pœnitentiæ eſſe omnium peccatorum remiſſionem, ait enim *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. loquens de Sacramento pœnitentiæ: *Res & effectus hujus Sacramenti, quoniam ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum DEO, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus conſcientiæ pax, & ſerenitas cum vehementi Spiritus conſolatione conſequi ſolet.* Quòd ſi effectus pœnitentiæ eſt reconciliatio cum DEO, procul dubio eſt etiam remiſſio omnium peccatorum, quia ſi unum tantùm ſuperſit peccatum lethale, cùm hoc ſit averſivum à DEO, ut ut fine ultimo, non poteſt eſſe reconciliativum cum illo, neque poteſt peccator ſimul eſſe reconciliatus cum DEO ob peccatum aliquod á Deo ei remiſſum, & ſimul averſus á Deo ob lethale peccatum, quod ſupereſt, & non eſt remiſſum à DEO, quo pacto eſſet, & non eſſet reconciliatus cum Deo, quod eſt implicatorium.

Rurſus pœnitentia non ſolum remittit omnia peccata lethalia quoad culpam, verum etiam quoad reatum pœnæ æternæ, licèt non extinguat debitum pœnæ temporalis, ſaltem ſemper. Quòd remittat reatum pœnæ æternæ deducitur ex illo *Ezechielis.* 18. *v.* 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam vita vivet,* & *non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor. & cap.* 33. ait: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* Quod eſt intelligendum de vita æterna, & beata: Quòd ſi peccator reſipiſcens beneficio pœnitentiæ vita viver, & non morietur, ſequitur quod pœnitentia extinguat reatum pœnæ æternæ, alioquin non viveret, ſed moreretur. Hinc Chriſtus ipſe *Matth.* 3. Peccatoribus reſipiſcentibus, ac veram agentibus pœnitentiam pollicetur regnum cœlorum inquiens: *Pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum cælorum,* cùm enim peccator per pœnitentiam ex injuſto fiat juſtus, ex inimico amicus, & ex ſervo peccati, ac famulo Dæmonis filius adoptivus DEI, conſequenter hæres hæreditatis æterni Patris, ſiquidem per gratiam ſanctificantem collatam in remiſſione peccatorum fit reſipiſcens, ut loquitur Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. Hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ: Si quiſpiam autem jus habeat ad vitam æternam, nequit in ipſo remanere reatus pœnæ æternæ, alioquin eſſet reus æternæ damnationis, & ſimul particeps æternæ beatitudinis, quod fieri nequit, ſcribit enim Apoſtolus ad *Roman.* 8. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu,* quod ſi nihil damnationis, ſequitur nullum remanere reatum pœnæ æternæ in verè reſipiſcentibus.

Quòd verò reatus pœnæ temporalis non ſemper tollatur, ex eo liquet, quia tametſi contritio & charitas pœnitentis tanta & tam fervens eſſe poſſit, ut non ſolum reatum pœnæ æternæ, verum etiam pœnæ temporalis extinguat, non tamen id ſemper contingit, ſed poſt ſuam reconciliationem cum DEO, & ſuſceptam gratiam ſanctificantem ab eodem, quaſi ſemper ſupereſt luenda pœna temporalis, in quam pœna æterna ex Dei miſerendis bonitate transmutatur, idque evincitur exemplo Iſraëlitarum obmurmurantium in deſerto, quibus, quamvis Deus dimiſerit peccatum murmurationis, & pœnam æternam, quam incurriſſent, adhuc tamen ipſis non condonavit omnem pœnam temporalem, cum in peccati ultionem neminem eorum voluerit terram promiſſam ingredi, ut habetur *Numer.* 14. *v.* 20. *& ſequent.* Quinimò eadem pœna punitus etiam fuit Aaron, eò quia incredulus fuiſſet verbo Domini ad aquas contradictionis, ut habetur *Numer.* 30. *v.* 24. Imò etiam Moyſes ob eandem culpam licèt ipſis à DEO condonata fuerat *Numer.* 28. *v.* 13. Id etiam liquet exemplo Davidis Regis, cui tametſi Deus, ob peractam pœnitentiam & fuſas lachrymas, condonâſſet peccata homicidii, & adulterii, non tamen omnem pœnam temporalem evaſit, quia reatum pœnæ æternæ in pœnam temporalem transmutavit, quæ illi fuit irrogata 2. *Reg.* 11. *v.* 13. *Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter hoc filius, quia natus eſt tibi, morte morietur;* tranſtulit enim Deus pœnam mortis æternæ patris peccantis in mortem temporalem filii, quinimò idem Rex David ob recenſitum ex ſuperbia populum ab Agad Propheta correptus, impetrata licèt peccati venia, triduana peſte ex tribus flagellis à Deo oblatis electa, populum Iſraël ob patratum peccatum percuti vidit, ac indoluit, *Dixitque David ad Dominum, cùm vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccavi, ego iniquè egi, iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* Hinc nulli eſt dubium, quin Dei bonitas interdum reatum pœnæ æternæ ob peccata patrata commutet in reatum pœnæ temporalis, & pœnitentia licet extinguat reatum pœnæ æternæ, non tamen ſemper reatum pœnæ temporalis, quapropter D. Auguſtinus *in Pſal.* 50. expendens verba illa: *Ecce enim, veritatem dilexiſti,* pulchrè ad rem noſtram, ait: *Impunita peccata etiam eorum, quibus ignoſcis, non reliquiſti: Sic miſericordiam prærogâſti, ut ſervares, & veritatem. Ignoſcis confitenti, ignoſcis, ſed ſe ipſum punienti, ita ſervatur miſericordia, & veritas; miſericordia, quia homo liberatur, & veritas, quia peccatum punitur.* Veritatem Deus diligit, cum delinquentes punit, & miſericordiam exercet, cùm ſuam impertitur peccantibus gratiam, qua reſipiſcant, & lachrymarum fuſu, quas contraxerunt, peccatorum maculas abſtergant, deleantque, & nonnullis interjectis ſubdit Auguſtinus: *aliquando Deus, cui ignoſcit in futuro ſæculo, corripit eum de peccato in iſto ſæculo; nam & ipſi David, cui dictum fuerat per Prophetam, dimiſſum eſt peccatum tuum: evenerunt quædam, quæ minatus erat Deus propter ipſum*

pecca-

peccatum. Nam filius ejus Absolon adversus eum cruentum bellum gessit, & in multis humiliavit Patrem suum. Ambulabat ille in dolore in tribulatione humilitatis suæ, ita subditur Deo, ut omnia justa, et tribuens confiteretur, quod nihil pateretur indignè, habens jam rectum cor, cui non displicebat Deus. Injuriosum quemdam, & in ossibus plura maledicta jacientem patienter audiebat, ex adversa parte unum ex militibus, quærat cum filio ejus impio; & cum ille jaceret maledicta in Regem, iratus unus ex comitibus David voluit ire, & percutere eum; sed prohibetur à David. Et quomodo prohibetur? ut diceret, DEUS illum misit, quod mihi malediceret, agnoscens culpam suam, amplexus est pœnam suam, quærens gloriam non suam. Alii Sancti Patres hoc idem dogma asseruere, & semper docuerunt, præ cæteris D. Gregorius *lib. 9. Moral.* ait: *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit, Dominus transtulit peccatum tuum, & tamen multis post cruciatibus afflictibus, ac fugiens reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit.* Parcit quidem Deus, remittitque reatum pœnæ æternæ ob patrata flagitia, non tamen totaliter impunitum peccantem remittit, sed mitiori pœna eum torquet, ut imposterum à peccato abstineat, & ita de DEI misericordia confidat, ut divinam etiam timeat justitiam, & licet per baptismum non solùm reatus pœnæ æternæ extinguatur, sed etiam pœna temporalis dimittatur, eo quia passio Christi homini per lavacrum baptismi renascenti ita applicatur, ut omnis reatus culpæ & pœnæ æternæ, & temporalis in eo deleatur, non ita tamen per Sacramentum pœnitentiæ totus reatus pœnæ etiam temporalis condonatur, licèt pœnitentibus ac resipiscentibus etiam applicetur passio Christi, ut iis, qui recèns baptizantur, quia illi per baptismum regenerantur, isti verò post regenerationem prolapsi sunt ac ausi injurias DEO irrogare, quapropter DEUS ita suam cum ipsis misericordiam exerceat, ut ejus dulcedini aliquem justitiæ amarorem immisceat, cum scilicet concessa, venia peccatorum, & soluto reatu pœnæ æternæ, adhuc exigat pœnam temporalem luendam, vel in hoc sæculo, vel in altero, ut dulcedo misericordiæ temporetur justitiæ amaritudine. Hinc Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 8. declarat falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quia universa etiam pœna condonetur: perspicua enim, & illustria in sacris litteris reperiuntur exempla, quibus præter divinam traditionem hic error, quam manifestissimè revincitur, sana, & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel à peccati, & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono scientes templum DEI violare, & Spiritum Sanctum contristare non dubitaverint.* Et *can. 12.* anathematizat asserentes totam pœnam simul cum culpa pœnitentibus semper à DEO remitti, quem errorem damnat, inquiens: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.*

Alius effectus pœnitentiæ est, restituere gratiam deperditam per peccatum lethale, & virtutes, quas cum charitate peccatum extinxit, idque colligitur ex parabola filii prodigi, cui in patriam reduci jussit Pater restitui stolam primam, & annulum, & calceamenta, narratur *Luc. 15.* Tametsi lethaliter peccans hæreditatem dissipet æterni Patrisfamilias, & ornamenta virtutum infusarum dissipet, stolam primam divinæ gratiæ abjiciat, si tamen verè resipiscat misericors DEUS, hæc omnia ei restituit, ait enim D. Ambrosius *lib. 2. de pœnit. cap. 3. Pater peccavi in cœlum & coram te, ut venienti, & adhuc longè posito occurrat, osculum tribuat, quod est insigne sacræ pacis, stolam proferri jubeat, quæ vestis est nuptialis, quam si quis non habuerit, à convivio nuptiali concluditur. Det annulum in manus ejus, quod est fidei pignus, & Sancti Spiritus signaculum, Calceamenta deferri præcipiat (celebraturus enim pascha Domini, epulaturus Agnum, tectum debet adversus omnes incursus bestiarum spiritualium morsusque serpentis vestigium) Vitulum præcipiat occidi, quia Pascha nostrum immolatus est Christus, sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescunque peccata donantur corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat remissio.* Rursus quamvis prima innocentia baptismalis non possit per pœnitentiam recuperari; nihilominus interdum resipiscens beneficio pœnitentiæ uberius accipit gratiæ incrementum, ut ostendit D. Gregorius *homil. 34. in evangelica*, ubi expendens verba illa: *Dico vobis, quod ita gaudium in cœlo erit super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.* in quæ verba ait S. Gregorius, *quia plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorum maculis noverint; stant quidem in viâ justitiæ, nulla illicita perpetrant; sed tamen ad cœlestem patriam non anhelant, nec anxiè ire cupiunt, tantòque sibi in rebus licitis usum præbent, quanto se perpetrâsse nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua: quia valde sibi securi sunt, quòd nulla commiserint mala graviora, at contra, nonnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei, se seque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia Sancti certaminis appetunt, omnia mundi relinquunt, honores fugiunt acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cœlestem patriam anhelant, & quia se errâsse à DEO considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Majus igitur de peccatore converso, quàm de stante justo gaudium fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas uvas & fruges profert, quam eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit.*

Præterea quamvis DEUS peccatorem resipiscentem, ac verè pœnitentem pristinæ suæ gratiæ restituat, hicque divinæ fiat naturæ consors, & inter DEI filios adoptivos per gratiam censeatur, nihilominus ab Ecclesia statutum est, ne graviorum quorundam criminum reis ecclesiasticæ dignitates, ordinumque ministeria restituantur, idque vitandi scandali, ac disciplinæ manutenendæ causa, ut explicat Sanctus Augustinus *epist. 185. ad Bonifacium Comitem*, cui hæc scribit: *Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel clericatui restituatur, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo. Sed ne*

 forsitan

forſitan etiam de tectis criminibus ſpe honoris eccleſiaſticæ animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam, ſaveriſſimè ſtatuit, ut poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo ſit Clericus, ut deſperatio temporalis altitudinis medicina major, & verior eſſet humilitatis. Nam & S. David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore ſuo perſtitit. Et beatum Petrum quando amariſſimas lacbrymas fudit, utique Dominum negaſſe pœnituit, & tamen Apoſtolus manſit. Sed non ideo ſupervacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutiùs muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Hac de cauſa nonnullis criminibus annexa eſt irregularitas, ne, qui ea patrarunt, promoveatur ad dignitates eccleſiaſticas in pœnam anteacti peccati, neque hæc irregularitas ſolvitur, vel deletur per poenitentiam, adeo ut quamvis reſipiſcens, ac verè poenitens priſtinæ reſtituatur gratiæ, adhuc maneat irregularis, & incapax ad officia eccleſiaſtica.

Alius effectus poenitentiæ eſt, operibus mortificatis per ſubſequens peccatum, vitam impertiri, ut reviviſcant per poenitentiam, quemadmodum per peccatum fuerant mortificata. Ex operibus alia dicuntur viva, alia mortua, & denique alia mortificata; opera viva ea ſunt, quæ in ſtatu gratiæ ſanctificantis fiunt, eſt enim hæc gratia, quæ dat vitam animæ, quæ propterea opera, quæ elicit, viva ſunt, ac ſecum trahunt meritum vitæ æternæ, totam enim vim & efficaciam hæc opera viva à gratia ſanctificante hauriunt, & charitate. Opera mortua dicuntur, quæ nullam vim habent perducendi operantem ad vitam æternam talia ſunt, quæ fiunt in ſtatu peccati lethalis, quod mors eſt animæ, à qua propterea nihil boni, quod perducat ad vitam æternam, habeatque rationem vitæ, produci poteſt, quapropter ſcribit Apoſtolus 1. *ad Corinth. 13. v. 3. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, hinc opera ex genere ſuo bona, ſed nihilominus mortua, eò quia elicita ab homine deſtituto gratia, & charitate, quæ ſunt principia vitæ ſpiritualis, nunquam per poenitentiam reviviſcunt, quia fieri nequit, ut reviviſcat, quod nunquam vixit, reviviſcere enim ſupponit præcedentem vitam, quæ reſarciatur: & opera, quæ aduntur in ſtatu peccati lethalis, nunquam proceſſerunt ex principio vitæ, quia non fuerunt profecta ex gratia ſanctificante; & charitate, ſed potius ex peccato, quod cum ſit mors animæ, opera, quæ ab hac eduntur, dicuntur mortua. Hinc per poenitentiam non poſſunt reviviſcere, neque Deus ullam habet eorum rationem, ut aliquod præmium iis deſtinet, ac illa remuneret in vita æterna, quæ ſolis operibus vivis, ſeu ex charitate factis promittitur, tametſi interdum præmio aliquo temporali ea remuneret, quo pacto opera Paganorum, quæ naturaliter fuerunt bona, præmio aliquo temporali leguntur à Deo remunerata; hinc S. Gregorius *homil.* 40. ait: *Iſta ſententia pavere potius indiget, quam expoſitione. Nam ſi qui eſtis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepiſtis, ipſum, ut ita dicam, donum exterius pertimeſcere debetis, ne vobis pro quorundam veſtrorum actuum recompenſatione ſit datum: ne Judex, qui hic bona exteriora reſtituit, à retributione boni intimi repellat; ne honor hic, vel divitiæ non adjumentum virtutis, ſed remuneratio ſint laboris. Ecce enim, cum dicitur, recepiſti bona in vita tua, indicatur & dives iſte boni aliquid habuiſſe, ex quo in hac vita bona reciperet. Rurſumque dum Lazaro dicitur, quia recipit mala, profecto monſtratur, & Lazarus habuiſſe malum aliquod, quo purgaretur. Sed mala Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas tranſeuntis vitæ. Quicunque ergo bona in hoc ſæculo habetis, cum vos bona egiſſe recolitis, valde de ipſis pertimeſcite, ne conceſſa vobis proſperitas eorundem remuneratio ſit bonorum operum.* Opera mortificata ſunt, quæ edita ſtatu gratiæ ſanctificantis, & charitatis meritoria ſunt vitæ æternæ, ſed per ſubſequens peccatum mortale poſtea mortificantur, quatenus carent ſuo effectu, & operatione, quæ eſt promotio, & perductio ad vitam æternam, hic enim effectus impeditur per peccatum lethale, quo expellitur ab anima gratia, & charitas. Hinc DEUS per Ezech. 18. v. 24. ait: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, & Apoſtolus Paulus, quia Galatæ poſt plura virtutum opera in Judaiſmum ceciderunt, ſcribit ad eoſdem *cap. 3. Sic ſtulti eſtis, ut, cùm Spiritu cœperitis, nunc carne conſummamini? tanta paſſi eſtis ſine cauſa?* quia bona opera in ſtatu fidei, & converſionis edita per lapſum in judaiſmum omne meritum perdiderunt in ordine ad vitam æternam, propterea eos redarguit, quia incipientes cum Spiritu, poſtea vitam conſumment in carne, ſeu in judaiſmo, & omnia opera Spiritus deperdant, & quæ paſſi fuerant, ſine cauſa amittant, unde S. Joannes *epiſt. 2. n. 8. Videte vosmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis;* & *Apocal. 3. v. 2. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et D. Hieronymus expendens illud *Aggæi 1. v. 6. Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum*, ait ipſe: *Si quis è nobis bona operatur, & digna mercede, quam nobis redditurus eſt Dominus iſte, congregat conſervandas, menſuratque mercedes, & virtutibus virtutes ſemper adjungens coacervat pecunias in ſacculum non pertuſum: qui autem poſt bona opera non ſemel, vel bis, ſed frequenter peccat, & præteritam charitatem ſequentibus vitiis obſcurat, & ſordidat, iſte in pertuſum ſacculum pecunias congregat.* Hæc igitur opera bona elicita ab homine Viatore in ſtatu gratiæ & charitatis vivifica ſunt, & meritoria vitæ æternæ, ſed per ſubſequens peccatum lethale mortificantur & deperdunt totam ſuam virtutem, & efficaciam, quam hauriebant à gratia ſanctificante, & charitate, ſed beneficio veræ poenitentiæ hæc eadem opera, quæ per peccatum erant mortificata, iterum reviviſcunt, & totam ſuam priſtinam enanciſcuntur efficaciam, neque quid aliud eſt opera bona mortificata per ſubſequens peccatum mortale reviviſcere per poenitentiam, quam recuperare ſuam efficaciam perducendi hominem ad æternam vitam, hanc enim efficaciam amiſerant per ſuperveniens peccatum, quo peccans indignus factus fuerat vitæ æternæ, ſed per pœnitentiam iterum ſuam recuperant efficaciam, quapropter de peccatore poenitente, ac verè reſipiſcente dicit DEUS per *Ezechiel.* 18. *Omnium iniquitatum ejus non recordabor, in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet*, & Johel. 2. DEUS ait: *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, & poſtea ſubdit *v.* 25. *Et reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca*, quæ à Divo Hieronymo intelliguntur de meritis per ſubſequens peccatum deperditis, ait ipſe: *Ne timeas terra, imò confide, atque lætare, quia*

prius

prius ſementem dominicam tua ariditate perdideras, quia magnificavit Dominus, ut faceret tecum miſeſericordiam, & lignum crucis afferret fructum ſuum, & Spiritus Sancti dona dulciſſima ſuam cunctis tribueret largitatem, vos quoque, quos juſtè per pœnitentiam voca filios Sion, & Eccleſiæ, lætamini, atque gaudete, quia dedit vobis Deus Pater Doctorem juſtitiæ, ſeu tribuit vobis alimenta juſtitiæ, & deſcendere fecit ad vos pluvias temporaneas, atque ſerotinas. Pluvia tempeſtiva eſt, quando primam doctrinam ſuſcipimus: pluvia ſerotina, quando laboris noſtri fructus recipimus. Et non ſolum inquit, hoc dedit, ſed fecit vos novis virtutum frugibus abundare, & annos, quos perturbationibus antea regnantibus perdideratis in vobis, quando opera veſtra locuſta, bruchus, rubigo, & eruca conſumpſerant, Deus vobis perire non paſſus eſt. Tunc comeditis fructus juſtitiæ, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui facit vobiſcum mirabilia. Si autem poſt pœnitentiam tantam ubertatem rerum omnium pollicetur, quid reſpondebit Novatus, negans pœnitentiam, & reformari poſſe peccatores in priſtinum ſtatum, ſi digna fecerint opera pœnitentiæ.

Ut autem per pœnitentiam remittantur peccata, plus doloris, ac perfectioris pœnitentiæ requiritur ad remittenda peccata lethalia, quàm venialia, quia, ut remittatur lethale, neceſſe eſt, ut homo actualiter peccatum mortale commiſſum deteſtetur, quantum in ipſo eſt, adeoque requiritur, ut per diligens examen omnem adhibeat diligentiam ad rememoranda ſingula peccata lethalia, ut valeat ſingula deteſtari. Secus ad remiſſionem peccatorum venialium, non requiritur adeo diligens examen, ut ſingula memoria recolantur, ſed ſufficit pœnitentia virtualis, quæ tamen non eſt ſufficiens ad remiſſionem lethalium, niſi eorum, quæ memoria exciderunt, nec poſt diligentem inquiſitionem poſſunt occurrere. Cæterum, ſicut peccatum mortale non poteſt remitti, quamdiu voluntas peccato adhæreſcit, ita neque peccatum veniale, quod propterea tamdiu manet, quamdiu perſeverat voluntas ad creaturam præter modum converſa, & ea converſione retardata, ne promtè in Deum feratur, eſt enim amor rerum terrenarum viſcus alis ſpiritualibus, quæ ſurſum volare non permittuntur viſco irretitæ, ſeu amore rerum terrenarum retentæ. Hinc D. Auguſtinus *ſerm.* 311. *Quod amas in terris, impedimentum eſt: Viſcus eſt pennarum ſpiritualium, hoc eſt, virtutum, quibus volatur ad DEUM: capi non vis, & viſcum amas, nunquid ideo non caperis, quia dulciter caperis. Quanto magis delectat, tantò fortiùs ſtrangulat.*

Rurſus pœnitentia de peccatis lethalibus id exigit, ut includat neceſſario firmum propoſitum abſtinendi impoſterum ab omnibus, & ſingulis mortiferis peccatis, ſecus pœnitentia venialium tametſi exigat propoſitum à ſingulis, non tamen ab omnibus, cùm id humana infirmitas non patiatur, cum dicatur 1. *Joan.* 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, unde, ſi excipiatur Deipara Virgo, omnes DEUM rogamus, *dimitte nobis debita noſtra*, ad peccata autem venialia per pœnitentiam delenda requiritur etiam propoſitum, quo homo ſe diſponat ſaltem ad minuendum numerum venialium, alioquin eſſet ei periculum deficiendi, cùm desereret appetitum proficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectus, quæ ſunt peccata venialia, ut docet D. Thomas, quod etiam confirmat ex verbis Domini *Luc.* 9. *v.* 62. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno DEI*, ad quod etiam faciunt plures ſcripturæ textus, ut *ad Epheſ.* 4. *Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput. Chriſtus*, 2. *Petri* 3. *Creſcite in gratia & in cognitione Domini Noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti. Apocal.* 22. *v.* 2. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc*, non poſſumus autem in charitate creſcere, nec in perfectione proficere, ac juſtitia, niſi per diminutionem imperfectionum, ſeu peccatorum venialium, adeo ut parati ſimus, omnia venialia cavere. Hinc S. Auguſtinus *ſerm.* 169. de verbis Apoſtoli ait: *Viatores ſumus. Dicitis, quid eſt ambulare? breviter dico, proficere, ne forte non intelligatis & pigriùs ambuletis, ſemper tibi diſpliceat, quod es, ſi vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti, ſi autem dixeris ſufficit, & periiſti. Semper adde, ſemper ambula, ſemper profice, noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit, retro redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abſceſſerat; deviat, qui apoſtatat, melius it claudus in via, quam currens præter viam.* Ad hanc tamen venialium diminutionem requiritur propoſitum obſiſtendi omnibus concupiſcentiæ motibus, & juge certamen contra pravos noſtros affectus, qui ſemper coerceantur, quo pacto deſtruitur corpus peccati, & Spiritus rectè incedit per viam ſalutis.

CAPUT V.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

HUjus Sacramenti pœnitentiæ materia remota ſunt peccata actualia pœnitentis, non quòd ſint materia, *ex qua*, perinde ac ex ligno fit ſtatua: ſiquidem peccata tantùm ſunt materia *circa quam* Sacra Exhomologeſis verſatur. Peccator enim eſt ſubjectum commune omnibus Sacramentis. Materia remota, alia eſt neceſſaria, & alia ſufficiens, illa dicitur, ſine qua non poteſt Sacramentum perfici, & dicitur neceſſaria, eò quia ſi exiſtat in conſcientia pœnitentis, debet neceſſario neceſſitate medii, & præcepti ſubjici clavibus Eccleſiæ, & operiri Sacramento pœnitentiæ. Sufficiens ea dicitur, quæ ex ſe ſufficit, ut ſuper illam cadat abſolutio, quamvis non ſit neceſſaria, propterea dicitur materia ſufficiens ad abſolutionem, cujuſmodi ſunt peccata venialia. Peccata enim lethalia ſunt materia neceſſaria, quatenus neceſſariò ſubjicienda ſunt clavibus Eccleſiæ, & aperienda in confeſſione Sacramentali.

Aſſerendum primò, peccatum originale non eſt materia hujus Sacramenti, quia hoc non fuit à Chriſto inſtitutum ad delendum peccatum originale, ſiquidem pro ipſo delendo inſtituit Sacramentum Baptiſmi, ut definivit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. Præterea, quia originale non eſt materia propria accuſationis, quia non eſt à propria voluntate phyſicè com-

commissum, imò neque peccata actualia commissa ante baptismum etiam Catechumenorum [illegible] Sacramento [illegible] peccata [illegible] Sacramentum [illegible]

[illegible]

Attendum [illegible], omnia peccata lethalia post baptismum commissa, & [illegible] [illegible] Sacramento [illegible] [illegible] Concilium Tridentinum [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] peccata lethalia, & [illegible] confessione, ratio est, quia peccata lethalia, [illegible]

[illegible]

Neque [illegible] Sacramentum, & [illegible]

[illegible]

[illegible] non esse remissa [illegible]

Asserendum tertio, peccata venialia esse materiam idoneam, & sufficientem confessionis, licèt non necessariam, estque dogma fidei definitum in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. Quia illud totum est materia hujus Sacramenti, quod continetur sub potestate Apostolis concessa, quando hoc Sacramentum fuit institutum, sed sub tali facultate comprehenduntur etiam venialia, quia est facultas simpliciter remissiva peccati, *Joan.* 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, unde comprehendit omne peccatum remissibile, consequenter etiam veniale, si verè peccatum est remissibile, & materia hujus Sacramenti.

Quòd si dicas, facultatem Apostolis concessam esse simul remittendi, & retinendi, & venialia non posse retineri, consequenter neque remitti. Contra est, quia non est potestas remittendi, & retinendi conjunctim ex parte objecti secundùm subjectam materiam, hoc est remittendi, quæ sunt remissibilia, & retinendi, quæ possunt retineri, venialia autem licèt sint remissibilia, non tamen possunt retineri: siquidem retentio, quæ à Sacerdote fit in terris, rata habetur & in cœlis; alligatus enim in terris obligatur & in cœlis: venialia autem non possunt hominem in cœlis ligare seu excludere, à visione beatifica, quia venialia cohærent cum gratia sanctificante, quæ est semen gloriæ.

Quod verò peccata venialia non sint materia necessaria hujus Sacramenti, ex eo liquet quia hæc peccata utpote leviora carent efficacia demergendi in profundum malorum, nec causant naufragium. Sacramentum verò pœnitentiæ est simpliciter necessarium ex Christi institutione post naufragia, ergo venialia non sunt materia necessaria hujus Sacramenti: quapropter amittere in confessione venialia, non est peccatum, ut declarat Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. ubi ait: *Venialia quamvis rectè & utiliter in Sacramentali confessione aperiantur, possunt tamen absque culpa reticeri.* Hinc venialia sunt tantùm materia secundaria Sacramenti pœnitentiæ, quia si homo conservasset primam gratiam receptam in baptismo, non fuisset institutum Sacramentum pœnitentiæ, quod propterea nonnisi secundario est institutum pro venialibus.

Quòd si dicas, cum solis venialibus confici hoc Sacramentum, proinde pertinere ad materiam primariam. Contra est, quia venialia possunt tantùm dici materia primaria in hoc sensu, quatenus hoc Sacramentum potest per se primo circa venialia versari, non verò sunt materia primaria quoad intentionem, & finem institutionis, quia hoc Sacramentum fuit primariò institutum pro delendis lethalibus.

CAPUT VI.

De Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, seu de Contritione.

Contritio definitur à Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. *quod sit animi dolor, ac detestatio peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero.* Ubi nomine doloris non intelligitur, quem percipimus corporis sensu, quia contritio propriè est actus voluntatis omnino liberæ, & non mera passio necessaria, & terror incussus à DEO Peccatoribus etiam renitentibus, & perperam asserunt Lutherani apud Bellarminum *lib.* 2. *cap.* 2. quia cùm ex apprehensione mali præteriti voluntas moveatur ad detestanda peccata antecacta, liquet eam ex recordatione peccati, quatenus est malorum maximum, eo quia avertat à DEO summo bono posse se ipsam movere ad illud detestandum omnino liberè. Præterea quia inde sequeretur actum contritionis nihil in se habere meriti, quod adversatur scripturis & SS. Patribus, præsertim D. Augustino *in Psal.* 74. ubi ait: *Qui se conterit, irascitur sibi, se habet iratum, ut DEUM habeat propitium.* Rursus contritio est perfecta aversio à peccato, & includit essentialiter execrationem peccati, quapropter dicitur actus pœnitentiæ generatim sumptæ, quatenus significat, quamlibet peccati honestam detestationem, sive hæc detestatio proveniat ex motivo Charitatis, sive ex aliquo alio motivo: unde dicitur actus pœnitentiæ generalis, quatenus hoc dicit honestam detestationem peccati: quapropter contritio non est actus virtutis specialis pœnitentiæ: duplex enim assignatur virtus pœnitentiæ una generica, quæ simpliciter importat honestam detestationem peccati: siquidem omnes virtutes detestantur pecoata opposita bono proprio quapropter hæc pœnitentia generica transcendit per omnes, & singulas virtutes, propterea sortitur nomen pœnitentiæ genericæ, in quo sensu detestatio peccati ex motivo charitatis, seu perfecta contritio, dicitur actus pœnitentiæ genericæ, quamvis specificæ sit actus Charitatis. Pœnitentia specialis est, quæ elicit suos actus ex speciali motivo divini Juris vel conservandi, vel resarciendi. Rursus ex actibus fugæ, quibus avertimur à peccatis. Contritio est formaliter ipsa detestatio peccati, adeo ut reliqui actus se habeant ad illam antecedenter, vel concomitanter vel consequenter. Ratio est, quia contritio ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. est proprius, ac perfectus actus pœnitentiæ consistens in ipsa detestatione, & quamvis addat esse detestationem peccati commissi cum pio animi dolore; hoc ita debet cum proportione intelligi, ut contritio sit formaliter illa detestatio, & pius animi dolor se habeat concomitanter, vel antecedenter effectivè, ex quo infert Vega, *lib.* 13. *in Tridentino.* Quòd si contingeret peccatorem resipiscentem detestari peccatum absque eo, quod nullus ex tali detestatione resultaret dolor, adhuc censendus esset formaliter contritus, quia sola detestatio per se est propriè, & in potestate liberæ voluntatis, & dolor resultat ex ipsa hinc D. Augustinus *serm.* 351. *inter homil.* 50. asserit dolorem esse comitem pœnitentiæ, non vero ipsam pœnitentiam formaliter, ait ipse, *sicut enim comes pœnitentiæ dolor est est, ita lachryma sunt testes doloris.* Nihilominus SS. Patres hanc peccatorum detestationem, & odium significant nomine doloris, quia sacræ scripturæ in eo sensu usurpant pœnitentiam, hinc David *Psal.* 12. *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem.* Præterea, quia dolor in inferiori etiam animæ parte, quæ vim habet concupiscendi ex ipsa contritione plerumque oritur, hinc contritio non incommodè per dolorem definitur, quatenus causat dolorem, ad quem significandum solent pœnitentes vestes mutare, & Christus *Matth.* 11. ait: *Væ tibi Corazim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tiro, & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in Cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.*

Cæterum nomen contritionis peractæ explicatur per internum dolorem ducta similitudine à rebus corporeis; si enim saxum minutatim conteratur, vel alia durior materia confringatur, totum dicitur illud saxum

ſaxum conteri, & in plures diſſilire minutas partes. Et quia corda noſtra per peccata obduruerunt, ideo pœnitentiæ vi contundi, ac conteri debent, facta tranſlatione vocabuli à corpore ad animam. Hinc Catechiſmus Concilii Tridentini, ait: Quare nullus alius dolor vel parentum, & filiorum obitu, vel cujusvis alterius calamitatis causâ ſuſceptus hoc nomine appellatur: ſed illius tantum doloris proprium eſt nomen, quo ex amiſſa Dei gratia, & innocentia afficimur. Dicitur igitur pœnitentia dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, quia efficacia contritionis in eo tantùm non eſt poſita, ut quis peccare deſinat, aut propoſitum ei ſit novum vitæ genus inſtituere, ſed malè actæ vitæ odium debet concipi, ac deteſtatio peccati, ac expiatio ſuſcipienda. Hic enim dolor veram pœnitentiam ſignificans tria includit, primo ceſſationem à peccatis: Secundo eorundem odium, & deteſtationem, tertiò propoſitum novæ vitæ, & inchoationem ejuſdem, ſiquidem nemo poteſt de peccatis patratis dolere, niſi prius ab iiſdem ceſſaverit, *Iſaiæ* 1. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſè, diſcite benefacere*, & *cap.* 55. *derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum*; hinc Apoſtolus ſcribens *ad Rom. c.* 13. priùs illos hortatur, ut abjiciant opera tenebrarum, & poſtea induantur arma lucis, ait ipſe: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominum JESUM Chriſtum.* Qui enim vult alteri reconciliari, priùs ceſſat injuriis eum afficere, ſeu ab illis impoſterum abſtinet, ut facilius poſſit ab ipſo priſtinæ gratiæ reſtitui, & poſtea prodit ſigna doloris, quia ipſum offenderit; ita quem verè pœnitet peccatorum, prius neceſſe eſt, ceſſet à peccatis, in quibus, vel in proximis eorum occaſionibus quamdiu perſeverat aliquis, nulla ratione dici poteſt, ea deteſtari, & de illis ex corde dolere. Quamobrem, ut quis ritè reſipiſcat, ipſumque pœnitet peccatorum, neceſſe eſt, ut ante omnia ceſſet à peccatis, ſed hoc non ſufficit, ſed debet ulterius procedere, & dolere, quod talia peccata perpetraverit, quòd ſi antea ei placuerunt, debent modo eidem diſplicere, ac deteſtari, ac odiſſe, hinc *Ezechiel* 18. *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis; & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Huc etiam ſpectant nomina triſtitiæ, doloris, pœnitentiæ, gemitus, quibus utitur ſacra Scriptura *Luc.* 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* 2. *ad Cor.* 7. *Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Et David ait: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo, exaudivit Dominus vocem fletus mei. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Gemitus meus à te non eſt abſconditus*, & dein Rex Ezechias reſipiſcens ait: *Iſa.* 38. *Domine, vim patior, reſponde pro me. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hæc omnia vocabula exprimentia dolorem & triſtitiam ſignificant odium anteactæ vitæ, & deteſtationem peccatorum, quia, ut ait Auguſt. *ſerm.* 352. *Nemo eligit vitam novam, niſi quem veteris pœnitet.* Hinc non ſufficit ad reſipiſcentiam, veramque pœnitentiam renovatio vitæ, ſed ulterius requiritur vera deteſtatio peccatorum, quapropter meritò damnata fuit à Concilio Tridentino propoſitio illa Lutheri: *optima pœnitentia nova vita.* Aſſerebat enim Lutherus Deum non aliam à nobis exigere pœnitentiam, quàm vitam bonam impoſterum, unde Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *c.* 4. ait: *Contritionem non ſolum ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed etiam veteris odium continere.* Definit Concilium præter ceſſationem à peccatis, adhuc requiri deteſtationem eorundem. Imò addit, *cum propoſito non peccandi de cætero*, quia pœnitentia ſincera non eſt, niſi pœnitens certam & ſtabilem vitæ emendationem, cogitationem, ac firmam voluntatem ſuſcipiat, ut ait Deus per ſuum Prophetam Ezechielem c. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus, peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et nonnullis interjectis ait: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & Spiritum novum.* Chriſtus etiam mulieri deprehenſæ in adulterio dixit *Jo.* 8. *Vade, & amplius noli peccare.* Et Paralytico, quem ad probaticam piſcinam concupitæ reſtituerat ſanitati, *Jo.* 5. *Ecce, ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Hinc ad veram pœnitentiam requiritur ceſſatio à peccatis, & rurſus deteſtatio eorundem ut retractet, quæ perperam egit.

Cæterum contritio ſufficiens ad juſtificationem oritur ex motivo perfectæ charitatis, ſeu Dei ſuper omnia dilecti, quia ut ait Joannes de Lugo *diſput.* 5. *ſect.* 1. *n.* 15. Culpa lethalis eradicat à Peccatore habitum charitatis, quem poſtea juſtificatio reſtituit, ſed non debet reſtitui & habitus charitatis, niſi per præcedentem aliquem actum ejuſdem charitatis, unde, cum actus præcedens juſtificationem, cujus eſt ultima diſpoſitio, ſit contritio, ſequitur hanc debere elici ex motivo charitatis. Probat minorem à pari, quia fides, quæ per hæreſim expellitur, non reſtituitur, niſi exerceatur, ac præcedat aliquis actus fidei: ergo cum habitus charitatis tollatur per culpam lethalem, ſequitur, non reſtitui, niſi per actum ejuſdem charitatis.

Verum hæc ratio aliquam patitur difficultatem, quia certum eſt, juſtificatum unà cum habitu charitatis accipere cæteras virtutes ſupernaturales infuſas, cujuſmodi ſunt religio, fortitudo, temperantia, & aliæ hujuſmodi; & tamen, ſi quiſpiam contra ipſas deliquerit, & ob tale delictum perdiderit habitum charitatis, non tamen eſt neceſſarius aliquis actus earundem, qui præcedat tanquam diſpoſitio ad earundem reparationem: ergo à pari dicendum eſt de charitate.

Si dicas eſſe diſcrimen, quia per actum dilectionis diſponitur homo ad habitum charitatis, proinde ſufficienter etiam diſponitur ad reliquas virtutes infuſas, quæ eminenter continentur in habitu charitatis, quo pacto, non eſt neceſſarius earum actus præcedens. Contra eſt; quia aſſignatum diſcrimen fundatur in falſa hypotheſi, quia tametſi virtus charitatis ſit perfectior cæteris virtutibus, non tamen præcontinet aliarum perfectiones eminenter, alioquin reliquæ virtutes non infunderentur ad eliciendos ſuos peculiares actus; quia iſti poſſent elici à ſolo habitu charitatis. Siquidem quod præcontinet eminenter aliud, poteſt hoc idem præſtare ac aliud; quia DEUS præcontinet eminenter omnes perfectiones creaturarum, poteſt ſe ſolo præſtare ea omnia, quia ſimul cum creaturis præſtat; ſed falſum eſt, habitum charitatis elicere actus omnium

cætera-

Digitized by Google

cæterarum virtutum infuſarum; quia iſta eliciunt ſuos actus ex propriis motivis formalibus diſtinctis à motivo formali charitatis.

Igitur probatur ex actius aſſertum, ſcilicet contritionem ſufficientem ad juſtificationem oriri ex motivo perfectæ charitatis. Quia contritio utpote ultima diſpoſitio ad gratiam extra Sacramentum, debet avertere hominem à peccato, & convertere in Deum: ſed hoc non fieret, niſi contritio eliceretur ex motivo charitatis, quia ut habetur *Joan. 3. Qui non diligit, manet in morte* ergo contritio eſt actus elicitus ex motivo perfectæ charitatis. Idque firmari poteſt, quia omnis actus eſt inferior, vel ſuperior, quatenus reſpicit inferius vel ſuperius motivum; ſic actus procedentes ex motivo creato ſunt longè inferiores actibus procedentibus ex motivo increato; & inter virtutes ſupernaturales Religio eſt inferior charitate, quia illa habet pro motivo formali cultum Dei; & charitas ipſum Deum; ſed contritio eſt peccati commiſſi perfectiſſima, & præſtantiſſima, & ſuprema deteſtatio ſimpliciter ſuper omnia, conſequenter debet eſſe ex ſupremo motivo omnium excellentiſſimo, quod eſt motivum charitatis; ſi enim eſſet ex motivo, vel pœnitentiæ, vel religionis, non eſſet ex motivo ſupremo, ſed inferiori, nec eſſet ſimpliciter ſuper omnia ex parte motivi, quia hæc motiva eſſent inferiora, unde contritio debet procedere ex perfecto motivo charitatis, hinc Johel *cap.* 2. ait Deus: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ubi duo ſunt conſideranda, unum, quod exigit Deus ab homine, ſcilicet converſionem ad ipſum, & aliud, quòd infallibiliter promittit Deus, ſcilicet veniam peccatorum. Primum eſt perfecta contritio, quia nullus alius actus eſt perfecta converſio ad Deum; non actus fidei, quia hic poteſt ſimul cohærere cum actuali averſione à ſummo bono; nec actus ſpei actus ex deſiderio beatitudinis, quia per hunc actum, cùm oriatur ex amore concupiſcentiæ, creatura principalius ſe ipſam amat, quàm Deum; & vult potiùs Deum ſibi, proinde creatura non convertitur ad Deum. Præterea actus fidei, ſicut & actus ſpei poſſunt ſimul cohærere cum peccato lethali, ut actus cæterarum virtutum, quia hi actus non habent Deum pro objecto immediato, ſed tantùm ut objectum *cui*; conſequenter per ipſos non poteſt haberi perfecta converſio in Deum. Demum quia nulli alteri actui in Deum promiſſa eſt per ſe remiſſio peccatorum extra Sacramentum, ſed tantùm actui contritionis, qui propterea debet elici ex motivo perfectiſſimo charitatis. Rurſus, quia omne peccatum lethale eſt verum, ac proprium malum DEI ſummi boni: illud enim vocatur malum Dei, quod opponitur bono infinito, quo Deus eſt dignus, & quod ipſe Deus eſt: & peccatum tripliciter opponitur huic bono, primò quia quantum poteſt, & in ſe eſt, deſtruit Deum, diſſolvit ejus amicitiam, tollit ejus gaudium, cum illi ſummè diſpliceat, & adimit illi etiam, quantum poteſt, rationem finis ultimi, quia creatura per peccatum lethale avertit à Deo fine ultimo, & ponit ſuum finem ultimum in creatura, in quam per peccatum convertitur. Rurſus, quia peccatum lethale, quantum poteſt, & ex ſe eſt, Deum contriſtat, cui ſummè diſplicet, quia, cùm ſit Deus ſuprema ſanctitas, & prima regula rationis, non poteſt non ei ſummè, ac infinitè diſplicere peccatum lethale, quod directè illi opponitur, unde Deus tantùm abominatur peccatum oppoſitum ſuæ ſanctitati, ac æternæ rectitudini, quantum amat ipſe ſuam ſanctitatem, ac æternam ſuam rectitudinem.

Præterea, quia diſplicet Deo contemptus ſui, adeo ut ſi eſſet capax triſtitiæ quodlibet peccatum lethale cauſaret in Deo infinitum mœrorem. Rurſus, quia per peccatum multipliciter Deus contemnitur, ſcilicet ut finis ultimus, quia poſtponitur creaturæ; ut amicus, & nihil æſtimatur, & diſſolvitur tota, quæ cum eo erat, amicitia: ut benefactor, quia ejus beneficiis non flectitur peccator, nec ab ejus injuria ſe abſtinet: ut Judex, quia tametſi pœnis deterreat, & præmiis alliciat, non tamen obtinet, ut creaturæ ejus mandatum non transgrediatur, ac parvi pendat: ex quibus conſtat, peccatum lethale eſſe verum, ac proprium Deo malum, oppoſitum ſummæ illius bonitati, & beatitudini, ac majeſtati. Econverſo ſicut munus proprium charitatis eſt, velle Deo bonum, eò quia ſit dignus amore ob bonitatem & perfectionem intrinſecam, ac infinitam, ita maximè & proprium eſt charitati, abominari omne malum Deo, ut oppoſitum amori, quo propter eminentem bonitatem diligendus eſt. Sicut enim bonum Dei propter illud motivum amat, deſiderat, & de illo gaudet; ita malum Dei charitas odit, fugit, deteſtatur, ex quo ſequitur neceſſario charitatem ex munere ſibi maximè proprio deteſtari peccatum, ut Deo malum, & illum actum eſſe charitatis optimum ac perfectiſſimum, quo creatura dicit nollem peccâſſe; quia Deus ſummum bonum, ſummè neceſſarium, æternum, & infinitum, quantum in me fuit, deſtruere ſategi: nollem peccâſſe, quia Deo ſummè beato vehementer diſplicui, eumque contriſtavi, nollem peccâſſe, quia Deum Patrem optimum, Dominum amantiſſimum contempſi, dehonoravi, ut benefactorem ejus beneficia neglexi, ut Judicem præſentem, ac inſpicientem, pœnis deterrentem, ac præmiis allicientem, nihil feci. Omnes enim hi actus, qui propriis ſunt charitatis, pertinent ad contritionem, quæ propterea procedit ex motivo perfectæ charitatis.

Quòd ſi dicas, propriæ ac veræ pœnitentiæ promiſſam eſſe in ſcripturis remiſſionem peccatorum, & deteſtationem peccati ex proprio motivo formali pœnitentiæ eſſe propriiſſimè pœnitentiam, proinde contritionem eſſe actum pœnitentiæ. Contra eſt, quia remiſſio peccati tunc promiſſa eſt veræ pœnitentiæ, ſi hæc ſit formata charitate, ſecus ſi charitate deſtituatur, quia *qui non diligit, manet in morte*; & D. Auguſtinus *lib. de vera & falſa pœnitentia cap.* 9. ait: *Sine amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam aſſecutus eſt*; & *lib.* 2. *contra Creſconium* loquens de charitate ait: *Qua ſi abſit, cætera fruſtra fiunt*; ergo, remiſſio peccati promittitur quidem pœnitentiæ, ſed ut formatæ charitate, ſeu quatenus in ſe charitatem continet.

Non tamen ad contritionem requiritur formalis, & explicitus amor Dei, diſtinctus ab ipſa deteſtatione peccati, ſufficit enim ipſa deteſtatio peccati, emanata ex motivo charitatis, quamvis explicitè non requiratur formalis Dei amor ſuper omnia. Ratio eſt, quia contritio, qua impius extra Sacramentum juſtificatur, non eſt explicitè formalis actus amoris Dei ſuper omnia, ſed præter hanc contritionem, ut juſtificetur impius, nullus alius requiritur actus, conſequenter ad contritionem non requiritur actus explicitus, & formalis amoris in Deum. Major oſtenditur, quia actus amoris Dei debet ferri in Deum directè ut in objectum *quo*, & *quod*, nec ſufficit, ſi tantùm feratur in Deum ut objectum *quo*; ſiquidem actus quò diligimus proximum ex charitate propter divinam bonitatem, non eſt explicitè formalis amor DEI, ſed tantùm proximi, quia non reſpicit DEUM ut objectum *quod*, & contritio cum reſpicit tantùm ut objectum *quo*, deteſtatur peccatum, ut objectum *quod*,

Minor etiam oſtenditur, quia peccator eo ipſo, quòd deteſtatur peccatum, quamvis eliciat amorem diſtinctum à deteſtatione, conſequitur gratiam, quia ſcriptura non exigit pro reconciliatione cum Deo, niſi perfectam averſionem à peccato, ut colligitur ex illo *Ezechiel 33. Si averterit ſe peccator ab injuſtitia ſua iniquitatem ejus non recordatur amplius.* Hæc enim deteſtatio peccati profecta ex Dei bonitate, eſt perfecta contritio, quia non juſtificatur impius extra Sacramentum ſine perfecta contritione. Firmari etiam poteſt, quia amor explicitus eſt actus proſecutionis, quo amans fertur in objectum amatum, & cum illo vinculo affectivo conjungitur: contritio verò eſt actus deteſtationis, & fugæ, quo reſipiſcens avertitur à peccato, conſequenter, non eſt explicitè formalis actus amoris.

Quòd ſi dicas, nolle infamiam Petro amico, tametſi actus ille ſit odii reſpectu objecti materialis ut *quod*; eſt nihilominus formaliter, & explicitè amor Petri, qui eſt objectum formale ut *quo*, ergo à pari actus, quo deteſtatur peccatum ex motivo divinæ bonitatis, eſt formalis, & expreſſus amor Dei. Contra eſt, negatur antecedens, quia actus amoris Dei ferri debet in rem amatam, ut in objectum *quo* & *quod*, unde actus, quo nolo infamiam amico, quia fertur in infamiam, ut in objectum, *quod* eſſet tantùm explicitè actus deteſtationis: ergu ita philoſophandum de deteſtatione peccati ex motivo divinæ bonitatis. Ratio eſt, quia actus, quamvis eliciantur ſub eodem motivo formali, poſſunt tamen multiplicari materialiter juxta diverſitatem materiæ ſui objecti materialis, charitas unicum habet motivum formale, ſcilicet divinam bonitatem, & plura objecta materialia, ſcilicet Deum, qui eſt objectum primarium *quod*, & proximum, qui eſt objectum ſecundarium *quo*; & rurſus quamvis actus proſecutionis, & deteſtationis proveniant ab eodem motivo formali, adhuc diſtinguuntur materialiter, & explicitè unus actus non eſt alius.

Actus tamen contritionis virtualiter, & implicitè includit etiam actum dilectionis, ſeu amoris, quia charitas eminenter, & virtualiter includit utrumque actum contritionis, & dilectionis, ſeu converſionis in Deum, & averſionis à peccato: ſiquidem eſt commune principium ejuſdem virtutis, malum fugere, & contrarium bonum proſequi, conſequenter non implicat charitatem elicere actum contritionis, in quo implicitè includatur actus dilectionis: ſiquidem deteſtari peccatum, quia malum Deo, perinde eſt, ac velle Deo carentiam peccati, ſicut actus, quo volo amico ſanitatem, & actus, quo nolo amicum infirmum, quamvis primus ſit per modum proſecutionis & ſecundus per modum fugæ, & tamen ipſa habent idem objectum materiale virtualiter, & implicitè, quamvis non formaliter, & explicitè, ita contritio implicitè includit dilectionem, adeo ut idem actus reſpectu Dei ſit amor, & actus proſecutionis, & reſpectu peccati ſit deteſtatio, & actus fugæ.

Si dicas, amorem, & odium opponi inter ſe, conſequenter non poſſe coaleſcere in unum, & eundem actum. Contra eſt, diſtinguitur antecedens, opponuntur inter ſe in ordine ad idem objectum materiale, concedo; in ordine ad diverſa negatur: Contritio enim explicitè deteſtatur peccatum, & implicitè vult Deum non offendi, unde averſio explicita à peccato, eſt implicita converſio in Deum, & actus amoris, qui directè etiam fertur in Deum ut in objectum *quod*. Hinc non repugnat reſipiſcentem priùs elicere actum contritionis ſeu deteſtationis peccati propter Deum, quàm actum dilectionis, quia objecta materialia horũ actuum diſtinguuntur, objectum enim contritionis eſt peccatum, & objectum amoris, eſt Deus propter ſe amabilis, unde ſicut intellectus poteſt priùs attente conſiderare peccatum; ita poteſt voluntas priùs illud deteſtari, ut ſimpliciter oppoſitum divinæ bonitati, & poſtea velle Deum, ut ſummum bonum, & eum amare propter ſuam bonitatem.

Quòd ſi dicas, Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* aſſerere amorem Dei antecedere contritionem. Contra eſt, quia eatenus Tridentinum ponit amorem ante contritionem, quia ut plurimum ita contingit: non verò quia neceſſe ſit dilectionem ſemper præcedere contritionem. Quòd ſi inſtes, primum actum voluntatis ex natura ſua eſſe amorem, conſequenter contritionem non poſſe præcedere dilectionem. Contra eſt, primus actus voluntatis eſt amor, vel explicitè, vel implicitè, conceditur ſemper, explicitè, negatur; ſufficit enim ſi implicitè includatur in actu contritionis. Sed urgebis, actus imperfectior non poteſt continere perfectiorem: ſed dilectio eſt perfectior contritione, ſeu deteſtatione peccati: ergo non poteſt in hac contineri. Contra eſt, diſtinguitur major, continentia eminentiali, qualis ineſt cauſæ efficienti æquivocè reſpectu ad diverſos effectus, quos poteſt effectivè producere, conceditur, continentia implicitè, & virtuali, negatur major, idem enim motus, ut eſt acceſſus ad terminum ad *quem*, poteſt plus perfectionis continere, ac contineat, ut eſt receſſus à termino *à quo*, quamvis talis receſſus contineat implicitè acceſſum illum, & ita aſſerendum de contritione, ſeu deteſtatione peccati reſpectu dilectionis.

CAPUT VII.

An quælibet perfecta Contritio in quocunque gradu perfectionis juſtificet extra Sacramentum?

CErtum eſt, Contritionem elicitam ex motivo amoris Dei ſuper omnia dilecti poſſe eſſe magis, vel minus perfectam, quoad intenſionem, & durationem, etenim dupliciter poteſt unus actus alium excedere, tametſi uterque procedat ex eodem motivo formali, primò intenſivè, quatenus voluntas majori conatu fertur in amorem, ac deteſtationem, per hunc enim conatum entitas actus plures ſortitur gradus intenſionis. Secundò poteſt unus actus alium excedere appretiativè, quatenus unus aliis præfertur, & pluris æſtimatur: hæc major appretiatio poteſt cohærere cum minori intenſione, vel è contra: quo pacto videmus nonnullos vehementiſſimè dolere de morte filiorum, ac in lachrimas diſſolvi, qui propter patrata peccata nec ullam emittunt lachrymulam, nec ſenſibilem experiuntur dolorem; & nihilominus, ita deteſtantur peccata, ut mallent omnia perdere, quàm Deum ulterius offendere. Hujus ratio eſt, quia major, vel minor intenſio actus voluntatis dependet ex parte ſenſitiva, quæ magis valet, ut voluntatem in affectum vehementem impellat, vel retardet juxta imaginationem apprehendentem objectum magis, vel minus commodum. Appretiatio verò tantùm oritur ex judicio rationis, quo unum præfertur cæteris ac pluris æſtimatur: & ex voluntate libertatis illud ut tale proſequentis, & quia ſæpe, quod judicatur majus bonum, minus afficit partem inferiorem, vel quia ſit abſens, vel quia non ſit illius objectum proportionatum, inde oritur, quòd minùs ametur intenſivè, quamvis magis appretiativè. Ex quo liquet hanc perfectionem intenſionis eſſe actui accidentalem, quia poteſt abeſſe, & adeſſe entitati actus, abſque illius corruptione, idem enim actus reſpectu ejuſdem objecti eodem

Digitized by Google

modo propoſiti poteſt intendi, vel remitti ſolùm ratione diverſæ diſpoſitionis ſubjecti, & conatus potentiæ, conſequenter talis intenſio eſt actui accidentalis: ſecus perfectio appretiativa eſt magis principalis, & quaſi ſubſtantialis actui, etiam ſi præcisè conſideretur in phyſica entitate, quia, non poteſt quis aliquid eodem actu amare appretiativè perfectiùs, & imperfectiùs, quin mutetur tota entitas actûs, conſequenter hæc appretiatio eſt actui ſubſtantialis, quia hæc major, vel minor perfectio oritur ex diverſa apprehenſione objecti, in quo nunc aliquid apprehenditur, quod antea non apprehendebatur: hoc autem non poteſt fieri abſq; mutatione totius entitatis, quia tunc voluntas aliter fertur in objectum, quam antea.

Contritio autem de peccato commiſſo ſufficit, ſi ſit appretiativè ſumma, non verò intenſivè, prima pars liquet ex illo *Johel. 2. Convertimini ad me in toto corde veſtro*: atqui converſio in Deum toto corde, perinde eſt, ac illum anteponere rebus omnibus, & magis appretiativè illum diligere quam reliqua omnia, in quo ſenſu Chriſtus *Matth.* 10. ait: *Qui amat Patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus*, conſequenter, ita debemus deteſtari peccatum, ut potiùs velimus quodvis malum ſubire, quam Deum optimum offendere, quod eſt deteſtari appretiativè peccatum ſupra omnia. Secunda pars, ſcilicet, quod contritio non ſit neceſſe, intenſive ſumma, probatur, quia contritio ſolum exigit illam deteſtationem, quæ eſt proportionata proprio motivo: ſed motivum tantum exigit deteſtationem ſummam appretiativè, non intenſivè, ſiquidem eſt motivum charitatis, quod facit ſolum Deum amari ſuper omnia appretiativè, conſequenter etiam deteſtari peccatum ſumè appretiativè. Hinc ad contritionem ſufficit deteſtatio peccatorum ex motivo charitatis, cujuscunque ſit gradus intenſionis, idque colligitur ex ſcripturis *Zachar. cap. 1. Convertimini ad me. & ego convertar ad vos*: hæc autem converſio eſt vera contritio, quæ in quacunque ſit intenſione, ſemper reddit cor contritum, quia intenſio non mutat eſſentiam, nec entitatem actus, ſed tantùm variat perfectionem accidentalem ejusdem: ſicut enim calor, in quacunque intenſione, ſemper eſt calor, ita etiam contritio. Præterea quia quælibet contritio quamvis remiſſa, ſi facta ſit ex motivo charitatis, ſemper eſt diſpoſitio proportionata, & ſufficiens ad aliquem ſaltem gradum gratiæ, quia eſt vera charitas, cui promiſſa eſt gratia, & quælibet minima gratia ſanctificans expellit quælibet maxima peccata, ergo etiam minima contritio expellit quælibet peccata, unde Chryſoſtomus *ad Theodor. lapſ.* ſcribit: *Non patitur etiam minimæ pœnitentiæ amitti mercedem, qui quantulamcunque, & quamlibet brevi tempore non deſpicit pœnitentiam.* Major oſtenditur, quia ut aliqua diſpoſitio ſit proportionata cum minima gratia ſufficit, ſi ſit ejusdem ordinis ſupernaturalis, ſi ſit efficax, & abſoluta, & voluntatem, ſeparet à peccato, & quælibet contritio ita ſe habet ex motivo charitatis, conſequenter eſt proportionata cum minima gratia.

Neque neceſſe eſt, ut verus actus contritionis duret aliquo determinato tempore, adeo ut ſufficiat, ſi fiat in inſtanti, quia contritio eſt qualitas, & actus immanens habens totum eſſe ſimul, conſequenter debet fieri in inſtanti, alioquin in illo priori non haberet totum ſuũ eſſe ſimul, quod eſt contra exigentiam rei ſpiritualis, rurſus, quia converſioni ad Deum ac veræ pœnitentiæ promittitur peccatorum remiſſio, & contritio, cum primum elicitur, eſt vera converſio ad Deum, conſequenter ſtatim delet peccata, *Iſa.* 30. *Cum ingemueris, tunc ſalvus eris*; & Cœleſtinus Papa *in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ* ait: *Vera converſio mente, potiùs, quàm tempore metienda eſt, dicente Propheta, cùm converſus fueris, ſalvus eris.* Hinc ad veram contritionem nulla exigitur mora temporis, & ſufficit quælibet minima morula, quamvis tota converſio hominis ſecundum omnia, quæ includit, tum in intellectu, tum in voluntate nequeat fieri in unico inſtanti, quia cum in præſenti vita homo non operetur, niſi per diſcurſum, impoſſibile videtur ei tam celeriter omnia expendere, & examinare, quæ neceſſaria ſunt, ut excitetur ad veram contritionem, quamvis poſtea ipſe actus contritionis poſſit elici in inſtanti.

Hinc aſſerendum eſt, omnem contritionem elicitam ex amore Dei ſuper omnia dilecti juſtificare hominem extra Sacramentum pœnitentiæ, ut communiter docent Theologi contra Michaelem Bajum, Janſenium, Molanum, & alios aſſerentes, non ſemper, imò neque frequenter contritionem habere conjunctam remiſſionem peccatorum extra Sacramentum pœnitentiæ, quamvis dicatur includere dilectionem Dei ſuper omnia, & volunt id tantùm contingere in mortis articulo, & quando non habetur copia Confeſſarii, vel quando ipſa contritio eſt ſummè intenſa, cui aſſertioni licèt adhæſerit Sylv. à. 5. *ſup. art.* 1. in 1. edit. excuſa an. 1622. re tamen exactiùs perpenſa in ſecunda editione facta an. 1645. mutavit opinionem, & cum communi Theologorum ſententia aſſeruit, omnem contritionem elicitam ex motivo amoris Dei ſuper omnia dilecti eſſe perfectam, & juſtificare hominem extra Sacramentum pœnitentiæ, ratio eſt, quia ex ſcripturis conſtat, Deum abſque ulla limitatione ad certam moram temporis, & ſine reſtrictione ad certum gradum intenſionis hujus contritionis ſimpliciter promittere reciprocam Dei dilectionem, & peccatorum remiſſionem; *Joan.* 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, ubi tantùm Chriſtus exigit veram dilectionem, non verò intenſionem vel durationem dilectionis; & nemo Dei gratiam impetrat per Sacramentum, niſi à Deo prius diligatur, ideo nemo juſtificatur, niſi Deum diligat, hinc *Jo. 3. Qui non diligit, manet in morte*, & Apoſtolus *1. ad Cor. ult. Si quis non amat Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema*, neque juſtus quiſpiam poteſt cenſeri, qui eſt anathema coram Domino, & in morte peccati manet. *Prov.* 8. *Ego diligentes me diligo. Jo. 14. Si quis diligit me, mandata mea ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ad Col.* 1. ubi *charitas* dicitur *vinculum perfectionis*; & *1. Petri 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Jo. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt*, & ex pluribus aliis ſcripturæ locis apertè ſignificatur hæc efficacia contritionis ad reconciliandum Deo peccatorem, adeo ut infallibilis ſit connexio charitatis, & remiſſionis peccatorum.

Neque urget, quod reſpondent aliqui præcitatos textus eſſe intelligendos de charitate habituali, non verò de actu amoris; quia ſive ſpectetur tenor verborum, ſive eorum interpretatio, & ſenſus, facilè intelligitur majus eſſe fundamentum aſſerendi, ſenſum eſſe de charitate actuali, quàm de habituali. Præterea, quia habitus eſt propter actum, & ſi nunquam erumperet in actum, fruſtraneus eſſet, & otioſus; quòd ſi non eſt otioſus, debet exire in actum, qui propterea eſt reconciliativus cum Deo actualiter, & per modum fluxus, & exercitii, perinde ac habitus eſt permanens reconciliatio; & infuſio habitus ſupponit actum, quo peccator de ſtatu peccati tranſeat ad ſtatum juſtificationis, hic autem tranſitus habetur per actũ, quia eſt exercitium voluntatis beneficio gratiæ cooperantis, elicientis actũ amoris Dei ex motivo divinæ bonitatis. Præterea quia SS. Patres præfatos ſcripturarum textus intelligunt de dilectione actuali; etenim D. Auguſt. *tract. 5. in Jo.* ait: *Si quis in corde ſuo invenerit charitatem, ſecurus ſit, quia tranſiit de morte ad vitam, jam in dextera eſt*;

Non enim Auguſtinus poteſt loqui de dilectione, & charitate habituali, quia hanc homo non dicitur in ſe invenire, quia nec illam cognoſcit, cùm non cadat ſub ſenſus, nec in ſe experitur; propterea dicitur homo *neſcire, an amore vel odio dignus ſit*; ſin autem inveniret in ſe habitum charitatis, certo ſciret ſe dignum eſſe amore, cùm habitus charitatis ſit participatio divinæ naturæ; quòd ſi tantùm per actus poſſumus inferre habitum: loca ſcripturarum ſunt intelligenda ab Auguſtino de dilectione actuali, quam qui habet, tranſit de ſtatu peccati ad illum gratiæ ac juſtificationis. Rurſus tract. 9. in Joan. expendens verba illa: *Nos diligimus, quia prior ipſe dilexit nos*, ait: *Unde diligeremus, niſi prior ille dilexiſſet nos? diligendo amici facti ſumus*, hoc eſt, per actus amoris Dei ſuper omnia ejus efficimur amici, quatenus intuitu talis actus nobis ſuam impertitur gratiam ſanctificantem, ſeu dilectionem habitualem, qua divinæ ſumus conſortes naturæ. Poſtea ſubdit D. Auguſtinus: *Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur*; hic autem tranſitus de fœditate peccati ad pulchritudinem gratiæ debet neceſſariò haberi per aliquem motum, ſine quo non datur mutatio, hic autem motus eſt ipſe actus voluntatis, quæ beneficio gratiæ cooperantis actualiter amat Deum ſuper omnia; etenim, niſi anima eliceret talem actum, non deponeret fœditatem peccati, ut pulchritudinem gratiæ indueret, converſio enim ad Deum nulla eſt, niſi peccandi voluntas deponatur, & nova ſecundùm Chriſtum vita inchoetur, ut docet D. Auguſtinus: & peccandi voluntas non deponitur; niſi quis juſtitiam, rectitudinem, ſeu Deum ipſum ſuper omnia diligat, & toto corde amet: neque novam vitam auſpicatur, niſi hunc eliciat amoris actum, quo ad Deum convertatur: ergo dilectio actualis, quæ ſecum trahat habitum charitatis, neceſſaria eſt, ut peccator de ſtatu peccati tranſeat ad ſtatum gratiæ, & convertatur ad Deum, adeo ut actualis charitas, & amor in Deum, ſi verè ſit amor, hominem juſtificet, quapropter ſcribit D. Bernardus *epiſt.* 170. *Nemo ſe amare diffidat, ſi jam amat.*

Hoc idem etiam declaravit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi aſſerit, contritionem Deo reconciliare, prius quàm Sacramentum actu ſuſcipiatur, ubi Concilium loquitur de contritione, & amore Dei ſuper omnia actualiter, & non de habitu charitatis, quo peccator in ſtatu peccati deſtituitur, & tantùm adjutus gratia cooperante, poteſt actum elicere contritionis, & amoris Dei ſuper omnia. Neque Concilium exigit ullam intenſionem vel durationem in charitate, ſed tantùm ut perfecta ſit ſeu ex motivo divinæ bonitatis, ait enim Concilium: *Etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam*, ubi Concilium clarè aſſerit, Contritionem Deo reconciliare priusquam Sacramentum actu ſuſcipiatur, quando charitate perfecta, non enim dicit, quando intenſa vel diuturna charitate perfecta, ſed ſimpliciter charitate ſeu ex motivo charitatis, ac divinæ bonitatis: quia Conciliū in dicta *ſeſſ.* 14. *c.* 4. diſtinguit apertè, & clarè Contritionem perfectam ab imperfecta, non quia perfecta ſit magis intenſa, & imperfecta minus, ſed ratione diverſitatis motivorum, quatenus perfecta charitas dicitur, & eſt, quæ nititur motivo charitatis, ſeu elicitur ex motivo divinæ bonitatis, quæ propriè eſt motivum charitatis, ſeu elicitur ex motivo divinæ bonitatis, quæ propriè eſt motivum charitatis perfectæ; & rurſus charitatem imperfectam vocat, eò quia pro motivo non habet divinam bonitatem, ſed turpitudinem peccati, aut malum gehennæ, verba Concilii ſunt hæc: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, vel pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolum hominem non facere hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem peccatorem perducere nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit, hoc enim timore Jonæ 3. utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt.* Ubi expreſsè Conciliū diſtinguit contritionem perfectam ab imperfecta, non penes majorem, vel minorem intenſionem doloris, ſed penes diverſitatem motivorum, & eam dici charitatem perfectam, non quæ ſit intenſior vel diuturnior, ſed quæ nititur motivo charitatis, ſeu elicitatur, ex motivo divinæ bonitatis: & imperfectam dici, non quia ſit ex eodem motivo, & in ſe ſit remiſſior, ſeu minus intenſa, minuſque diuturna, ſed quia nitatur ex diverſo motivo omnino diſtincto à motivo charitatis perfectæ; expreſsè enim, aſſerit Concilium motivum contritionis imperfectæ quæ attritio dicitur, procedere ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, ut communiter concipitur contritio imperfecta, ſeu attritio, quæ propterea non accidentaliter tantùm, penes majorem vel minorem intenſionem diſtinguitur, ſed eſſentialiter ex diverſo motivo formali præbente ſpeciem diverſam. Cum igitur Concilium aſſerat per contritionem ſimpliciter peccatorem reconciliari DEO, priusquam Sacramentum actu ſuſcipiatur, quando charitate perfecta eſt, ſequitur contritionem ſimpliciter talem eſſe juſtificativam peccatoris extra Sacramentū pœnitentiæ, ſeu priusquam Sacramentum actu ſuſcipiatur cum voto tamen illud ſuſcipiendi.

Hoc idem etiam evincitur ex eodem Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 7. ubi ait: *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum Apoſtoli 1. Corinth. 11. probet ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quamtumvis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illi copia Confeſſoris: quòd ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quàm primùm confiteatur*: Ubi Concilium ſi neceſſitas urgeat, concedit Sacerdoti exiſtenti in peccato lethali, & deſtituto copia Confeſſarii celebrandi facultatem cum ſola contritione, quamvis poſtea teneatur quàm primùm poteſt confiteri: hanc autem facultatem celebrandi in tali ſtatu, non conceſſiſſet Concilium, niſi contritio perfecta, ſeu elicita ex motivo divinæ bonitatis præſcindendo ab intenſione, & duratione, ferret gratiam ſanctificantem, quia Sacerdos non poſſet cognoſcere, an ejus contritio ſit in tali, vel tali gradu intenſa, ſicut ſcit ipſum pœnitere peccati ex motivo charitatis, ſeu divinæ bonitatis. Cùm igitur Concilium poſt elicitam contritionem permittat Sacerdotem conſcium lethalis ſui ſceleris accedere ad Euchariſtiam, mens Concilii eſt, quamlibet Contritionem, ſi talis fuerit

ſuffi-

sufficere ad conferendam gratiam sanctificantem, qua sacerdos accedit ad Eucharistiam. Neque obstat obligatio illa confitendi injuncta à Concilio, quia hæc oritur ex speciali præcepto, & ex ecclesiastica consuetudine, non verò ex eo, quòd sacerdos contritus gratiam sanctificantem non obtinuerit.

Hæc eadem veritas etiam evincitur ex Catechismo Romano *part. 2. cap. 5. n. 26. & sequent.* ubi agens de contritione, quamvis ad illam requirat maximum, & vehementissimum dolorem, imò talem, & tantum, ut nullus major cogitari possit, id tamen non ex præcepto, sed tantùm ex Consilio, quia *num. 27.* addit: *Quòd si minus id nobis consequi liceat, ut perfecta sit, vera tamen, & efficax contritio esse possit.* Unde ad perfectam contritionem efficacem in ordine ad conferendam gratiam non requirit hanc intensionem ex præcepto, sed tantum ex consilio, quia *n. 29.* explicat, quid ad veram contritionem de necessitate requiratur, nullius meminit intensionis, nec durationis, & alias tantùm quatuor conditiones ad illam requisitas commemorat, quibus enumeratis ait: *Hæc sunt, quæ fidelibus in contritione observanda sunt, cætera, quæ hanc ad rem à Pastoribus colligi facile poterunt, efficient quidem, ut in suo genere contritio sit magis perfecta, & absoluta: verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his vera, & salutaris pœnitentia ratio constare non possit.* Et *n. 30.* loquens de hac vera pœnitentia ait: *Statim ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à DEO tribui*, ubi nullius meminit intensionis vel durationis, quæ propterea non sunt de essentia veræ ac perfectæ contritionis justificativæ peccatoris extra Sacramentum. Et Catechismus iterum repetit *n. 30.* inquiens: *Ex quo licet cognoscere veræ contritionis, de qua supra dictum est, eam esse vim, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Deo impetremus.* Sufficit igitur, si contritio sit vera, & elicita ex motivo amoris, ac divinæ bonitatis, ut justificet impium etiam, antequam actu Sacramentum pœnitentiæ suscipiat.

Præterea hoc idem definiverunt etiam S. Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla contra Michaelem Bajum Cancellarium Lovaniensem, qui præter alias sequentes damnârunt propositiones, scilicet inter Bajanas 31. quæ erat: *Charitas perfecta, & sincera, quæ ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Rursus 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Rursus 70. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem.* Demum 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto Sacramentum suscipiendi conjuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii sine actuali Sacramenti susceptione.* Quòd si non omnis actus Charitatis Theologicæ extra Sacramentum justificaret, jam aliqua charitas perfecta, & sincera procedens ex corde puro, & conscientia bona, non remitteret peccata, quod adversatur Scripturis, Conciliis, Sanctis Patribus, & Bullis Pontificiis, siquidem censura S. Pii V. & Gregorii XIII. contra Bajanas propositiones sic habet: *Has respectivè esse hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, ac quacunque super iis verbo scriptoque missa præsentium authoritate damnamus, circumscribimus, abolemus, deque eisdem, & similibus post hac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi* (scilicet propugnandi causa, non verò impugnandi) *facultatem quibuscunque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus. Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus, Romano Pontifice inferior valeat ipsos excepto mortis articulo enodare.* Neque dici potest, Pontifices in Bajanis propositionibus tantùm damnare, habitualem charitatem stare cum peccato, siquidem Pontifices Bajanas propositiones damnarunt in eo sensu, quo à Michaele Bajo intelligebantur, ipse autem fuit locutus de charitate actuali, & non habituali, ait enim in propositione 31. *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum*; habitus autem charitatis, & gratia sanctificans non stat cum peccato, ut ipse Bajus concedit, unde fuit locutus de actu charitatis, qui elicitur ex corde puro, & conscientia bona: Charitas enim habitualis non est ex corde, non elicitur à corde, sed à Deo infunditur in corde, actualis autem procedit ex corde. Præterea Bajus in damnatis propositionibus loquitur de charitate actuali, & de illa, quæ ut dispositio prærequiritur ad remissionem peccatorum in Sacramento obtinendam, ut constat ex propositione 71. in qua ait: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum voto suscipiendi Sacramentum conjuncta, non remittitur crimen extra casum necessitatis*, unde loquitur de illa contritione, quæ est dispositio ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum, ad quòd non disponimur per habitum, sed per actum. Præterea, quia Bajus loquitur de charitate, qua divina præcepta adimplentur, ut ipse asserit propositione 32. Hæc autem charitas non est habitualis, sed actualis, quia per actus tantùm, & non per habitus præcepta divina adimplentur.

Objiciunt tamen in oppositum illud Deuter. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ*; & *Jerem.* 39. *Invenietis, cùm quæsieritis me in toto corde*, ex quo inferunt, ad inveniendum Deum, seu ad veram reconciliationem cum Deo, requiri actum contritionis summè intensum, qui sit ex toto corde, quia si non sit summè intensus, jam deest aliquid ex corde, consequenter non est ex toto corde: Sed contra, quia si verba *Deuter.* & *Jerem.* sumantur in sensu rigoroso, asserunt requiri amorem, & dolorem intensissimum: siquidem qui amat, & dolet etiam intensè, si possit intensius amare, & dolere, non dicitur amare, nec dolere ex toto corde, aut ex tota tribulatione, quod ferme videretur homini impossibile, unde non in hoc sensu sumenda sunt verba illa, ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ, sed quòd quærens DEUM, ut ipsum inveniat, ex vero corde, veroque dolore, & pœnitentia debeat illum quærere; sufficit enim, si Deum amemus super omnia, & plus doleamus de offensa illata DEO, quam de qualibet alia re à nobis deperdita, unde illud, ex toto corde, non intelligitur intensivè, sed appretiativè; tunc enim ex toto corde dicimur DEUM quærere, si ipsum amemus super omnia; unde peccator dicitur amare, & dolere ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ, quando DEUM amat appretiativè super omnia, doletque de peccato super omnia, ad quod non requiruntur gradûs intensionis, sed sola ratio appretiationis, ut docet D. Thomas *in supplem. quæst. 5. art. 3. in corp.* ubi ait: *Sic ergo dicendum, quod, quantumque parvus sit dolor, dummodo* ad

ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. Ubi expressè Angelicus Doctor ad veram contritionem justificativam extra Sacramentum asserit non esse necessariam intentionem nec durationem doloris, sed sufficere, si veram attingat rationem contritionis, seu amoris ex motivo divinæ bonitatis, ait enim *dolor quantumcunque parvus*, seu minus intensus minorisque durationis, dummodo veram induat rationem contritionis, sufficit ad dolendam culpam. Unde illud *in toto corde* debet intelligi non intensivè, sed appretiative, ut Deus super omnia ametur, & doleat de peccato super omnia, ad quod non requiritur intensio.

Objiciunt secundò, quia D. Augustinus *lib. 9. de confess. cap. 2.* asserit, se habuisse actum amoris Dei, quo Deus cor ejus vulneraverat vulnere amoris, & *cap. 1.* describens hunc amorem ait: *Quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat: ejiciebas enim eas à me, vere tu, & summa suavitate ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior,* Sed peccata tunc fuerant illi jam pridem dimissa in baptismo, siquidem *eod. cap. 2. in fine* ait: *Peccata sua horrenda funera sibi à Deo remissa in aqua Sancta,* scilicet in lavacro baptismi, cujus beneficio, quas contraxerat maculas abstersit divina gratia ei impertita, ex quò inferunt, non omnem amorem Dei extra Sacramentum conferre gratiam sanctificantem, ac esse justificativam. Sed contra, quia quando peccata omnia dimittuntur per baptismum, subsequens actus amoris magis confirmat, & veluti ratificat eandem remissionem jam ante factam per baptismum, & conducit novum augmentum gratiæ, quo pacto etiam peccata dimissa per contritionem perfectam remittuntur iterũ per absolutionem Sacramentalem; Præterea amor ille, quo Deus vulneraverat cor D. Augustino, non erat vulgaris, sed perquam intensus, & prædominans, ut constat ex ejus descriptione superaddita, consequenter per adversarios erat sufficiens ad justificationem, siquidem ipsi tribuunt charitati intensæ & prædominanti vim justificandi extra Sacramentum, unde, quantum erat ex se, sufficiens erat talis amor, quo æstuabat Augustini cor ad delenda omnia peccata. Quòd si ea non delevit, id non contigit ex imbecillitate & insufficientia ipsius amoris, sed ex defectu peccatorum, quæ amplius non erant remissibilia, cùm diu jam fuerint remissa per Sacramentum baptismi. Quamvis Beatissima Virgo ab omni fuisset immunis peccato actuali, imò & originali, actus nihilominus amoris in Deum, quos elicuit, fuerunt adeo perfecti, ut ex se potuissent delere omnia peccata, & ideo ea non deleverunt, quia subjectum non erat capax peccati ob præventionem divinæ gratiæ. Sicut igitur peccata quamvis dimissa per contritionem perfectam adhuc dicuntur remitti per absolutionem sacramentalem, ita potuit D. Augustinus asserere remissa sibi per baptismum sua peccata funerea, quamvis jam antea fuissent deleta per contritionem perfectam, quam elicuit August. ante susceptionem baptismi, ut liquet ex ardentissimis in Deum affectibus toties in libris confessionum repetitis. Contritio igitur perfecta, si præcedit baptismum, remittit peccata, quia infundit gratiam habitualem, & per baptismum remittit perinde ac per absolutionem Sacramentalem dicuntur remitti, non enim potest ante baptismum quispiam elicere verum actum amoris sine voto baptismi. Augustinus igitur potuit asserere remissa sibi per baptismum sua peccata funerea, quamvis jam antea fuissent deleta per contritionem perfectam, qualem habuit Augustinus, antequam susciperet baptismum. Præterea S. Doctor ibi fuit locutus secundùm suam conscientiam, qua ipse ita existimavit, nec poterat homo pius, & humilis aliter censere, quamvis id verum in re non sit, quia etiam plures Sancti se dixerunt horrendos peccatores, dignosque gehenna, & quidem sine mendacio, quia dicunt, quod ipsimet sentiunt, licet falsum dicant, non tamen mentiuntur, quia non proferunt dictum contra mentem, sed potius juxta mentem, & ut ipsi sentiunt mentiri enim & falsum dicere, sunt dico diversa, quia mentiri est contra mentem ire, & falsum dicere, est non se conformare rei, quæ asseritur.

Objiciunt tertiò, si intensa charitas non requireretur ad justificandum impium extra Sacramentum, sequeretur, quod perfecta charitas non esset necessaria ad justificationem impii extra Sacramentum, Sed ex Concilio Tridentino, scripturis, & Sanctis Patribus requiritur perfecta charitas, ut extra Sacramentum pœnitentiæ justificetur impius, ergo requiritur contritio quæ sit intensa. Major probatur quia ab actu remisso ac debili, viribusque destituto subjectum non dicitur perfectum, consequenter nec contritio dicitur ex charitate profecta, ab actu amoris debili, & remisso, quemadmodum nec intellectus dicitur perfectus scientia à quolibet actu remisso, perinde nec voluntas dici debet charitate perfecta, si actum remissum & debilem amoris eliciat. Sed contra, quia, ut superius explicuimus, actus non est, nec dicitur perfectus ratione graduum intensionis, vel durationis, sed ratione suæ essentiæ, & motivi formalis, ex quo elicitur; & quia actus amoris in Deum, seu ipsa contritio elicita ex motivo divinæ bonitatis, sortitur totam suam essentiam specificativam contritionis, ideo dicitur perfecta, tametsi minùs habeat intensionis, minusque durationis, quia hi gradus sunt omnino accidentales, & potest quis magis intensè dolere de mortuo filio, vel consanguineo, aut amico, quàm de offensa Deo illata, & nihilominus contritio, quamvis intensivè minor, est tamen appretiative major, & sufficit, ut sit perfecta contritio, quia procedit ex motivo formali divini amoris, seu ex divina bonitate: quamobrem ab actu debili & remisso subjectum non dicitur perfectum, si talis debilitas, & remissio sit eidem substantialis, conceditur, secus, si tantum accidentalis, omnis enim amor, quo Deus super omnia propter se diligitur, est actus charitatis perfectæ, quoad substantiam, seu essentiam, quia essentia talis actus in eo est sita, quod Deus propter se super omnia diligatur, hæc enim essentialis perfectio sufficit, ut contritio dicatur justificare extra Sacramentum Pœnitentiæ, cæterùm intensio actus est tantum accidentalis, à quâ non dependet virtus, quam habet justificandi impium, extra Sacramentum. Contritio quamvis remissa, & debilis, dummodo eliciatur propter Deum super omnia dilectum est perfecta quoad prædicata sua essentialia: & hæc perfectio sufficit ad justificandum impium extra Sacramentum, quia scriptura tantum loquitur de hac perfectione essentiali, non verò de accidentali, sita in intentione actûs. Præterea quia talis contritio, quæ elicitur propter Deum super omnia dilectum, est etiam appretiativè perfecta, quæ appretiatio sufficit ad constituendam veram contritionem, quamvis hæc sit minus intensa. Non enim major æstimatio consistit in majori intentione, sed in majore appretiatione, unde perperam ad perfectam contritionem requiritur major intensio amoris. Istud tamen exigit Deus à nobis, ut nihil creatum quispiam amore appretiativo præ se complectatur, adeo ut perfectè contritus teneatur DEI amicitiæ postponere quodvis aliud bonum, ac pluris facere DEI gratiam, quàm bona omnia creata, ac paratus sit potius omnia bona temporalia amittere, quàm DEI amicitiam:

cùm

cum quo tamen amore ſtare poteſt major ſenſus, quem natura percipit, dum deſtituitur deliciis, ut etiam major ſenſitivus dolor ex amiſſione Patris, filii, vel amici, hic enim major ſenſus non officit amori divino, dummodo obfirmatus ſit animus, nihil agere in favorem creaturæ, ſi hoc divina lege prohibeatur: & hoc perinde eſt, ac Deum appretiativè ſuper omnia diligere.

Objiciunt quartò ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. in Catechumeno, ut cum fructu baptiſmum ſuſcipiat, prærequiritur Contritio ex motivo Charitatis, per quam Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat, ac propterea moveatur ad deteſtationem anteactæ vitæ: ſed illa Contritio non reconciliat Catechumenum, priusquam baptiſmum ſuſcipiat, ex quo inferunt, non omnem Contritionem ex mente Concilii, quæ ex motivo Charitatis elicitur, hominem Deo reconciliare, priùs quàm Sacramentum actu ſuſcipiatur. Sed contra negatur minor, quia ſi eſt perfecta Contritio, hominem Deo reconciliat, quia hæc includit totum Sacramentum ſuſcipiendi, ut docet D. Thomas *in* 4. *ſententiar. diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 5. *quæſtiunc.* 1. ubi ait: Quòd *pœnitentia, in quantum eſt Sacramentum, præcipuè in confeſſione conficitur, quia per eam homo miniſtris Eccleſiæ ſe ſubdit, qui ſunt Sacramentorum diſpenſatores, Contritio enim votum confeſſionis annexum habet, & ſatisfactio pro judicio Sacerdotis, cui fit confeſſio, taxatur. Et, quia in Sacramento pœnitentiæ gratia infunditur, per quam fit remiſſio peccatorum, ſicut in baptiſmo, ideò eodem modo confeſſio ex vi abſolutionis conjuncta remittit culpam, ſicut baptiſmus. Liberat enim baptiſmus à morte peccati, non ſolùm, ſecundùm quod actu recipitur, ſed etiam, ſecundùm quod in voto habetur; ſicut patet in illis, qui jam ſanctificati ad baptiſmum accedunt: &, ſi aliquis impedimentum non præſtaret, ex ipſa collatione baptiſmi gratiam conſequeretur remittentem peccata, ſi prius ei remiſſa non fuiſſent, & ſimiliter dicendum eſt de confeſſione (adjuncta abſolutione) quòd; ſecundùm quod in voto pœnitentis præceſſit, à culpa liberavit, poſtmodum autem in actu confeſſionis & abſolutionis gratia augetur, & etiam remiſſio peccatorum daretur, ſi præcedens dolor de peccatis non fuiſſet ſufficiens ad contritionem, & ipſe tunc obicem gratiæ non haberet.* Conſtat igitur ex doctrina Angelici Doctoris, baptiſmum non ſolùm, ſecundùm quod actu recipitur, verùm etiam, ſecundùm quod in voto habetur, liberare à morte peccati, & contritionem præcedentem ſuſceptionem actualem baptiſmi includere votum baptiſmi, ac reconciliare Catechumenum, priùs quàm actu baptiſmum ſuſcipiat, & ex collatione baptiſmi gratiam uberiorem conſequi, qua remitterentur peccata, ſi prius ei remiſſa non fuiſſent, perinde ac accedens ad confeſſionem Sacramentalem, ſi ante verè & perfectè ſit contritus ex vi præcedentis contritionis liberatur à culpa, & poſtea in actu confeſſionis, & abſolutionis gratia ei augetur, & etiam remiſſio peccatorum daretur, ſi præcedens dolor de peccatis non fuiſſet ſufficiens ad contritionem perfectam, & tunc ipſe alium obicem ad gratiam ſuſcipiendam non haberet. Sufficit igitur, ſi perfecta contritio ex motivo charitatis, qua Deum diligimus, ut omnis juſtitiæ fontem includat in ſe votum Sacramenti baptiſmi, vel pœnitentiæ ſuſcipiendæ, ut omnia peccata deleat, & peccatorem reconciliet Deo.

Quòd verò perfecta contritio ex motivo charitatis, qua Deum diligimus, tanquam omnis juſtitiæ fontem, includat votum ſuſcipiendi Sacramentum, expreſſè docet D. Thomas *opuſculo* 22. *de forma abſolutionis cap.* 2. ubi ait: *Nullus reputatur contritus, niſi habeat propoſitum ſubjiciendi ſe Eccleſiæ clavibus, quod eſt habere Sacramentum in voto.* Hanc eandem veritatem etiam docet Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. hiſce verbis: *Et ſi contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu recipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Quia, ſi Contritio excludat votum Sacramenti ſuſcipiendi, non eſt perfecta contritio, conſequenter non includit virtutem, & efficaciam delendi peccata, & reconciliandi peccatorem Deo, quapropter Sixtus IV. Pontifex Maximus damnavit propoſitionem Petri Oxonienſis, quæ erat: *Peccata mortalia delentur per ſolam cordis contritionem ſine ordine ad claves Eccleſiæ,* hoc eſt, ſine voto Sacramenti, quia tunc cordis contritio non eſt perfecta, neque efficax ad reconciliandum impium Deo. Hoc idem etiam confirmat D. Auguſtinus *ſerm.* 351. *inter homil.* 50. ubi ait: *Quiſquis ergo poſt baptiſmum aliquorum priſtinorum malorum opere obligatus tenetur, itaque adeò ne ſibi inimicus eſt? ut adhuc dubitet vitam mutare, cùm tempus eſt, cùm ita peccat, & vivit? Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantùm Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri, nec veridico illo Dominicæ vocis tonitruo contremiſcit. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed, qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Judicet ergo ſe ipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores convertat in melius: Ne, cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et, cùm ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur; & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito à Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo Sacrificio cordis contribulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolùm ipſi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum.*

Objiciunt quintò, charitas perfecta debet eſſe affectu, & effectu ſuper omnia, hoc eſt adeò firma, & robuſta, ut in occaſione gravioris tentationis, ut cùm de tormentis aut jactura vitæ agitur, prorſus interpretanda ſit omni timore ſuperior, quæque hominem in obſervantia mandatorum Dei actu, ſeu effectu contineat, ipſamque tentationem vincat, motus concupiſcentiæ rebellantes rationi coerceat: & hanc charitatem vocant ſimpliciter prædominantem, quatenus animi paſſionibus, carniſque concupiſcentiis prædominatur, easque vincit; & charitatem imperfectam vocant eam, quæ ſolo affectu eſt ſuper omnia, dum afficitur Deo ſummo bono, & nulla occurrit occaſio, quòd ſi occurrat aliquod objectum alliciens ad bonum delectabile, & illicitum, facilè deficit, & extinguitur, ideòque non eſt ſuper omnia effectu, qualis erat in S. Petro, qui ante tentationem ancillæ dixit Chriſto *Joann.* 13. *Animam meam pro te ponam*, etenim, cùm fuiſſet interrogatus ab Ancilla, defecit Charitas, & amor in Ma-

Magiſtrum Chriſtum, & ſuccubuit ipſe: hoc pacto diſtinguunt Charitatem perfectam, & imperfectam, aſſerentes, priorem juſtificare impium extra Sacramentum, & poſteriorem nonniſi intra Sacramentum. Sed contra, hoc enim diſcrimen inter perfectam, & imperfectam Contritionem diſplicet, quia eſt contra Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi definit perfectam Contritionem, quòd ſit animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito, non peccandi de cætero, etiam diſtinguit à Contritione imperfecta, eò quia hæc, quæ etiam attritio dicitur, provenit ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur: unde motivum formale, & ſpecificativum perfectæ Contritionis, cùm ſit ex motivo divini amoris, & ſi deteſtatio peccati propter Deum ſuper omnia dilectum, & motivum formale Contritionis imperfectæ, ſeu attritionis ſit vel peccati turpitudo, vel gehennæ, & pœnarum metus, ſequitur, Charitatem perfectam diſtingui ab imperfecta, eò quia illa ſit affectu, & effectu ſuper omnia firma, & robuſta, ut obſiſtat cuilibet gravi tentationi, & iſta ſit, quæ ſolo affectu eſt ſuper omnia, non verò effectu, eò quia occurrente objecto aliquo alliciente ad malum, facile deficiat, & extinguatur. Hoc enim diſcrimen diſplicet, quia Charitas, ſeu Contritio perfecta, ut oſtenditur ex ſcripturis, Conciliis, & Sanctis Patribus, eſt juſtificativa extra Sacramentum, quamvis poſtea quiſpiam, qui antea elicuit talem actum Contritionis, occurrente gravi tentatione, vel imminente vitæ periculo cadat, ac deficiat, quia ille poſterior lapſus non eſt connexus cum præcedente actu Contritionis, alioquin nemo cenſendu eſſet habuiſſe priùs perfectam Charitatem, tametſi conatus fuerit, elicere actum amoris Dei ſuper omnia. Præterea, qui Charitate imperfecta accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, ſi poſt acceptam abſolutionem novis tentationibus occurrentibus relabatur in idem peccatum, quod ante Confeſſionem, hic cenſeretur acceſſiſſe ad Sacramentum pœnitentiæ ſine ſufficienti imperfecta Charitate excluſiva peccati, & quæ ſuffeciſſet unà cum Sacramento ad juſtificationem. Hinc perpauci eſſent abſolvendi: ſiquidem ſpectata humana fragilitate, multitudine occaſionum occurrentium, & tentationum ex humana fragilitate relabantur in eadem peccata, hinc Janſeniſtæ occaſionem haberent, frequenter dimittendi pœnitentes ſine abſolutione, etiam ad plures menſes. Quamobrem verum diſcrimen inter Contritionem juſtificativam extra Sacramentum, & Contritionem imperfectam, ſeu attritionem eſt, quia illa conſiſtit in Dei amore appretiativè ſuper omnia, non neceſſariò per comparationem èxplicitam & formalem, ſed per implicitam, & virtualem, qualis includitur in Contritione, vi cujus hic, & nunc ita adhæremus Deo, & à peccatis recedimus, ut ſtante tali actu in nullius gratiam velimus Deum offendere, tametſi omnia tormenta perpeti deberemus, & omnia bona temporalia perdere, non enim neceſſaria eſt alia explicita comparatio, quæ perſæpe periculoſa foret, circa mala magis abſterrentia, ut mallem potius vivus comburi, & ut mihi detrahatur pellis, aut alio crudeliſſimo modo amittere vitam, quàm ſemel peccare mortaliter, hæc enim explicita comparatio non requiritur, ſed ſufficit implicita, & virtualis, ut Dei amor ſit appretiativè ſuper omnia, & Contritio procedat ex tali amore. Contritio verò imperfecta jam diximus, quòd procedat non ex amore Dei appretiativè ſuper omnia, ſed vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, & pœnarum [illegible] Concilio Tridentino.

Hinc Contritio perfecta non eſt neceſſaria ad juſtificationem peccatoris in Sacramento pœnitentiæ, ſed imperfecta, quæ attritio dicitur, ſufficit cum Sacramento, idque conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi declarat, *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Sed nihil magis haberet cum Sacramento conjuncta, & per ſe ſpectata ſine Sacramento, niſi ſufficeret ad juſtificationem peccatoris, [illegible] do nectitur cum Sacramento, ſiquidem Contritio imperfecta per ſe ſpectata ſine Sacramento [illegible] non juſtificet: diſponit tamen ad gratiam impetrandam. Quòd verò Contritio perfecta [illegible] non ſit cum Sacramento, ex eo liquet, quia [illegible] ſequeretur, abſolutionem Sacerdotis non eſſe [illegible] rum judicium, nec verè peccata remittere, [illegible] tantum remiſſa declarare: ſiquidem [illegible] Contritio operatur remiſſionem peccatorum, & Charitas perfecta cum reatu peccati nequit [illegible] qui tamen error damnatur à Tridentina Synodo *ſeſſ.* 14. *can.* 9. ubi ait: *Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, [illegible] credat ſe eſſe abſolutum, anathema ſit.* [illegible] jam aſſerit Catechiſmus Romanus *part.* [illegible] *pœnitentiæ Sacramento* §. 47. ubi ait: [illegible] *doctrina omnibus credendum, & conſtanter [illegible] dum eſt: ſi quis ita animo affectus ſit, [illegible] miſſa doleat, ſimulque impoſterum non [illegible] tuas: & ſi hujuſmodi dolore non [illegible] ad impetrandam veniam ſatis eſſe [illegible] cùm peccata Sacerdoti ritè confeſſus fuerit, [illegible] um ſcelera omnia remitti, [illegible] Sanctiſſimis viris Patribus noſtris [illegible] Eccleſiæ clavibus aditum in cœlum [illegible] mini dubitare fas eſt, cùm à Florentino Concilio [illegible] tum legamus, pœnitentiæ effectum eſſe [illegible] peccatis.*

Quòd ſi dicas, Chriſtum Dominum [illegible] Lazarum mortuum revocâſſe ad vitam, [illegible] Diſcipulis fuiſſe ſolutum, & hoc exemplo [illegible] Gregorium Magnum oſtendere, peccatorem [illegible] morte peccati ad vitam & gratiam revocari [illegible] ſit niſi per perfectam Contritionem, [illegible] abſolvatur, ac proinde Contritionem [illegible] juſtificationem peccatoris in Sacramento [illegible] requiri neceſſariò; & imperfectam ſeu [illegible] cum Sacramento non ſufficere; ſic enim D. Gregorius *homil.* 26. *in evangel.* *Cauſæ penſandæ ſunt, & tunc ligandi, atque ſolvendi poteſtas [illegible] videndum eſt, quæ culpa præceſſit, [illegible] pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos [illegible] ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt [illegible] dentis, cùm æterni arbitrium ſequitur [illegible] bene quatriduanus mortui reſuſcitatio illa [illegible] quæ videlicet demonſtrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens: Lazare veni foras: & poſtmodum is, qui vivens [illegible] fuerat, à Diſcipulis eſt ſolutus, [illegible] tumque egreſſus eſſet, qui fuerat ligatus, [illegible] tunc dixit Diſcipulis, ſolvite eum, & ſinite abire,*

ecce illum Diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitaverat mortuum. Si enim Diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent, quam virtutem, ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos non debemus per paſtoralem authoritatem ſolvere, quos Authorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare. Ex hiſce inferunt, Contritionem perfectam neceſſariam eſſe intra Sacramentum pœnitentiæ. Sed contra, quia, licèt Sacerdos non abſolvat peccatorem in Sacramento pœnitentiæ, niſi prius fuerit à Deo ſuſcitatus à morte peccati ad vitam gratiæ, non tamen eſt neceſſe, quòd hæc ſuſcitatio ſit perfecta & conſummata, ſed ſufficit, ſi ſit inchoata, hæc autem inchoatio ſuſcitationis à morte peccati ad vitam ſpiritualem, eſt effectus gratiæ actualis interius excitantis, & moventis animam. Suſcitatio verò ſpiritualis perfecta, & conſummata eſt effectus non gratiæ excitantis, ſed juſtificantis. Prior ſeu ſuſcitatio inchoata præcedit abſolutionem ſacramentalem, perinde ac reſurrectio Lazari præceſſit ſolutionem illius ab inſtitis factam Miniſterio Diſcipulorum Chriſti: poſterior verò ſuſcitatio fit virtute, & efficacia abſolutionis, cujus beneficio pœnitens accipit gratiam ſanctificantem. Suſcitatio inchoata avertit voluntatem ab affectu peccati, & illam convertit ad Deum: & ſuſcitatio conſummata liberat à reatu peccati, & cauſat gratiam ſanctificantem, quæ eſt vita ſpiritualis. Prior ſuſcitatio tribuitur gratiæ excitanti, & poſterior Sacramento abſolventi, ſeu Sacramentali Confeſſioni, & abſolutioni. Vita igitur inchoata oritur ex impulſu Spiritus Sancti, & operatur Contritionem imperfectam, ſeu attritionem, quæ ſi conjungatur cum Sacramento Pœnitentiæ, aufert vitam perfectam. Hinc D. Thomas *opuſculo* 22. *cap.* 21 ait: *Conſtat, quòd Dominus Lazarum ſuſcitavit, & Diſcipulis ſolvendum mandavit: ergo Diſcipuli abſolvunt. Per hoc ergo non oſtenditur, quòd Sacerdos non abſolvat, aut debeat dicere, ego te abſolvo, ſed quòd eum non debeat abſolvere, in quo ſigna Contritionis non videt, per quam homo juſtificatur interius à Deo culpa remiſſa.*

Cæterum, gratia collata per Contritionem ſemper certa eſt, quia ipſa Contritio ſemper Deo eſt grata, & accepta, unde David *Pſal.* 50. ait: *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies,* quæ verba expendens D. Auguſtinus ait: *In te habes, quod offeras. Noli extrinſecus dura comparare, ſed dic, in me ſunt vota tua, quæ reddam laudis tibi. Noli extrinſecus pecus, quod mactes, inquirere, habes in te, quod occidas. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit. Prorſus ſpernit taurum, hircum, arietem. Jam non eſt tempus, ut hæc offerantur. Oblata ſunt, cùm aliquid indicarent, cùm aliquid promitterent, venientibus rebus promiſſis promiſſiones oblatæ ſunt. Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit. Noſtis, quia excelſus eſt Deus, ſi te excelſum feceris, longinquabit à te; ſi te humiliaveris, propinquabit ad te.* Hoc idem confirmat, David *Pſal.* 31, inquiens: *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei,* hoc eſt, nondum David peccatum ſuum confeſſus ore fuerat; ſed corde pronuntiaverat. Hinc Auguſtinus, expendens verba Davidis ait: *Confeſſio ergo mea nondum ad os venerat, dixeram enim, pronuntiabo adverſum me: verumtamen Deus adjuvit vocem cordis mei, vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei jam in corde erat.* Tunc peccator pronuntiat iniquitatem ſuam adverſum ſe ipſum, quando ipſum ex corde pœnitet peccati ſui, ac offendiſſe Deum ſummum bonum, & cùm David dicit: *Ego dixi Domine, miſerere mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi.*

Et hæc Contritio ſemper habet adnexum in ſtatu gratiæ votum Sacramenti pœnitentiæ.

CAPUT VIII.

An ad Contritionem perfectam requiratur recogitatio omnium peccatorum, & deteſtatio ſingulorum in ſpeciali; quomodo expellat peccatum & ſit ſub præcepto.

Cum peccata lethalia plura & plura ſubjiciantur interdum clavibus Eccleſiæ in Sacramentali confeſſione; vel etiam plerumque extra Sacramentum per Contritionem perfectam deteſtentur; oritur dubium, an tot ſint neceſſarii actus deteſtationis, quot ſunt peccata. Communior ſententia eſt, non eſſe neceſſarios tot actus deteſtationis, quos ſunt peccata; quia unicus ſolus actus ſufficit ad perfectam Contritionem & Converſionem in Deum, ſi talis actus ſit Sacramento adnexus, quia tunc talis deteſtatio ſe extendit ad omnia peccata, quæ tunc aperiuntur in Confeſſione Sacramentali, omnia enim, & ſingula, ſicut ſubjiciuntur clavibus Eccleſiæ, ita etiam unico actu deteſtantur. Difficultas eſt, an etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, uno eodemque actu omnia, & ſingula deteſtentur, vel debeant omnia, & ſingula peccata in particulari deteſtari.

Aſſerendum eſt, ad veram Contritionem, quæ ſufficiat pro juſtificatione extra Sacramentum, non requiri deteſtationem omnium peccatorum in particulari; ſed ſufficere in communi. Quia hæc obligatio tot eliciendi actus deteſtationis extra Sacramentum pœnitentiæ, quot ſunt peccata, non fundatur in aliquo præcepto naturali, neque in aliquo poſitivo; imò ex ſcripturis oppoſitum potius deducitur: non enim videtur vero ſimile, Magdalenam, & Matthæum recogitaſſe ita in ſpeciali numerum, & ſpecies peccatorum, priuſquàm juſtificarentur. Præterea, quando plura conveniunt in aliqua ratione generica poſſunt diſtingui unico actu ſub illa ratione generica: ſed omnia peccata lethalia in hoc conveniunt, quòd ſint deteſtabilia ex motivo charitatis; adeò ut deteſtabilitas illis conveniat ratione offenſæ: ergo ad perfectam Contritionem non requiritur neceſſariò, ut homo diſtinctè recogitet omnia peccata, ut tot eliciat actus deteſtationis, quot ſigillatim ſunt peccata; ſed ſufficit, ſi in communi

eſt, ſiquidem eodem pacto licitum eſſet exponere Concilium etiam de dolore virtuali, imò & de ipſa deteſtatione, ac pœnitentia ſolum virtuali; ex eo igitur, quod Concilium ad perfectam contritionem exigat deteſtationem formalem, & explicitam, requirit etiam propoſitum formale de cætero non peccandi, quod procul dubio optimum eſt omnibuſque conſulendum, ac inculcandum. Unde quoties contritio elicitur, ſi memoriæ occurrat propoſitum illud, erit procul dubio eliciendum expreſſè, & formaliter, alioquin ſignum eſſet deteſtationem præteriti peccati non niſi imperfectam eſſe, quapropter Parochi tenentur docere populum hoc propoſitum formale, & explicitum eſſe neceſſarium, quia hæc ſententia eſt tutior.

Regula autem cognoſcendi, an revera contritio Petri includat propoſitum efficax de cætero non peccandi, hæc eſt: ſi enim actualis illa deteſtatio peccati, quam elicit Petrus, ſit incompoſſibilis cum affectu actuali ad peccatum, adeout, ſtante tali actu, ſit impoſſibile Petrum peccare; tunc propoſitum illud eſt optimum, & ſufficiens ad juſtificationem: ſin autem actus deteſtationis ſtare poſſit cum actuali peccato, tunc voluntas Petri eſt tantum ſimplex effectus inefficax, fallax & vana contritio.

Obſervandum eſt propoſitum de cætero non peccandi, & judicium, quo quis judicat ſe impoſterum non peccaturum eſſe actus diverſos, quia primus elicitur à voluntate, ſecundus in intellectu, quamvis perſæpe reperiantur in eodem: ſiquidem hoc judicium non poteſt opponi voluntati, de cætero non peccandi: unde poteſt quis verè conteri, ac deteſtari peccatum, tametſi judicet, ſe poſtea peccaturum: dummodo nunc certam, & firmam habeat voluntatem non peccandi. Hinc quamvis frequens ad peccatum relapſus ſit ſignum probabiliſſimum aliquid defuiſſe contritioni, vel nullam fuiſſe veri peccati deteſtationem, non tamen eſt ſignum omnino infallibile, quia, cùm voluntas mutari continuò ſoleat, poteſt quis verè nunc deteſtari peccatum, & nolle in illud iterum relabi, & nihilominus mutata poſtea voluntate, illud iterum amplecti.

An verò contritio formaliter expellat peccata lethalia, certum eſt, veram pœnitentiam peccata omnia, etiam graviſſima, delere, ut patet ex ſcripturis: *Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum* (ſeu enormiſſima, ac inveterata) *quaſi nix dealbabuntur*, ut ſcilicet oſtendatur, non limitari tempus, neque numerum peccatorum, & gravitatem, cùm Deus dixerit: *In quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non memorabor amplius*, quapropter ſancti Patres, præſertim Cyprianus *de cœna Domini ait*: *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas excludit à venia.* Et D. Chryſoſtomus *in Pſal.* 10. ait: *Peccati pœniteat te, millies peccaſti, millies pœniteat te.* Hoc idem docet D. Thomas, & probat ex illo *Johelis* 2. ubi Deus dicitur *præſtabilis ſuper malitia*, quod verum non eſſet, ſi peccatum aliquod Deus non dimitteret, quia tunc hominis malitia videretur ſuperare Dei miſericordiam. Præterea quia hoc eſſet Christo injurioſum, plurimumque detraheret ejus infinitis meritis. Rurſus contritio perfecta etiam ante realem Sacramentorum ſuſceptionem ſemper ex infallibili lege Dei remittit peccata, ut colligitur ex ſcripturis *Iſa. cap.* 30. *Plorans nequaquam plorabis, miſerens miſerebitur tui ad vocem clamoris tui, ſtatim, ut audierim, reſpondebo tibi*: & alibi: *In quacunque hora converſus fuerit ab impietate ſua, impietas impii non nocebit ei.* Et David, cum primum protulit illa duo verba: *Peccavi Domino*, audivit Prophetam dicentem ſibi: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, quod cum gratiarum actione memorans ait: *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Hinc in lege veteri contritio, & amor Dei ſuper omnia hanc habuit virtutem delendi peccata: ergo multo magis in lege nova. Præterea ſequeretur neminem poſſe ſuſcipere Sacramenta Confirmationis, Matrimonii, & Ordinis conſcius alicujus peccati lethalis, ſi non poſſet confiteri, quia tunc non ſufficeret, ſi actum eliceret contritionis, ſiquidem illa Sacramenta tenetur quiſque ſuſcipere in ſtatu gratiæ. Circa autem modum, quo contritio expellit peccatum, eſt difficultas.

Aſſerendum eſt, peccatum lethale non expelli formaliter per contritionem quantumvis perfectam, ita docent ferè communiter Doctores. Probatur aſſertum ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. ubi poſt varios enumeratos actus præcedentes juſtificationem, inter quos recenſet dilectionem Dei ſuper omnia, ſubdit: *Hanc diſpoſitionem juſtificatio ipſa conſequitur*; & *can.* 6. ait: *Juſtitiam, qua juſtificamur, dari unicuique ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & operationem*; & *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ait: Remiſſionem peccatorum impetrari per contritionem; ait enim: *Fuit omni tempore ad impetrandam remiſſionem peccatorum contritionis motus neceſſarius*; & poſtea ſubdit: *Hominem contritione præparari ad remiſſionem peccatorum*, hinc juvat argumentari, quod diſponit hominem, quem præparat ad remiſſionem peccatorum, & illam tantum impetrat, non poteſt eſſe forma juſtificans, quæ ſua tantum præſentia in ſubjecto expellat peccatum: Sed contritio ex Tridentino eſt tantum diſpoſitio, impetratio, & præparatio ad juſtificationem, ergo non eſt ipſa forma juſtificans.

Neque urget, quod reſpondet Vaſquez, Concilium tantum fuiſſe locutum de contritione imperfecta. Contra eſt, quia Concilium loquitur de illa diſpoſitione, quæ fuit neceſſaria omni tempore, conſequenter non potuit loqui de ſola contritione imperfecta, ſeu attritione.

Rurſus ex ſcripturis, & Patribus remiſſio peccati, & juſtificatio dicitur eſſe actus Dei, & contritio actus ipſius hominis. *Pſal.* 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Pſal.* 146. *Qui ſanat contritos corde. Jerem. Convertimini filii reverſionis, & ſanabo vos. Iſa.* 35. *Revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus*, in quibus locis juſtificatio dicitur eſſe actus Dei, & quia contritio eſt actus hominis, hæc formaliter non juſtificat. Sancti Patres etiam idem docent. D. Chryſoſtomus homil. 8. ad populum: *Ne tuæ confidas pœnitentiæ, tua enim pœnitentia nequit peccata delere, ſed poſtquam in tua pœnitentia Dei admiſcetur miſericordia, confide.* S. Greg. *in Pſal.* 31. *Quanta miſericordia Dei commendatio, ut pœnitentis deſiderium comitetur venia*, ex quibus clarè, & expreſſè conſtat, contritionem, & veniam peccatorum eſſe duo diſtincta.

Ratio itidem hoc evincit, quia contritio ex ſe non habet condignitatem, & æqualitatem ſufficientem ad delendam lethalem culpam: Sed reſipiſcens non ſanctificatur, donec deleatur culpa, ergo contritio ex ſe non ſanctificat formaliter. Minor probatur, quia actus contritionis, quamvis elicitus per auxilium gratiæ actualis, eſt nihilominus finitæ,

& limitatæ perfectioni, quæ procedit [illegible] finitis, ut sunt voluntas, & gratia [illegible] tentia vero DEI ob infinitatem personæ [illegible] fentæ contrahit infinitam malitiam, sed [illegible] non potest habere condignitatem, & æqualitatem cum infinito, ex quo sequitur contritionem [illegible] formaliter non sanctificare, sed tantum, ut loquitur Tridentinum, dispositive, quatenus est dispositio, impetratio, & præparatio ad justificationem quia si contritio esset forma sanctificans [illegible] deberet esse condigna satisfactio pro peccato, quod est absurdum: quia licet gravitas offensæ petitur ex dignitate personæ qua satisfacit; unde contritio non expellit peccatum formaliter, quia non est condigna, nec proportionata ad exaltationem formæ. Propterea, quia id, quo formaliter homo fit sanctus, & justus, est totum, [illegible] remittitur peccatum formaliter: sed homo fit justus, & sanctus per formam permanentem, ut definitur in Tridentino, siquidem unica formalis justificationis est forma: ergo id, quo remittitur peccatum, est aliquid permanens, [illegible] vero actus, qui præterit, ac se habet per modum fluxus, & transeuntis [illegible] [illegible] contritio. Præterea quia gratia [illegible] [illegible], & adultis per Sacramenta infusa, per unicam formam [illegible] peccatum remittitur, & sanctum est integre [illegible] ex opere operantis est [illegible] formalis [illegible] gratiæ: alioquin si [illegible] homo esset justus, [illegible] haberet gratiam, mereretur etiam de condigno ipsam gratiam, quod dici nequit.

Sed dices, illud formaliter expellit peccatum sed a subjecto, quod est radicaliter oppositum peccato: contritio opponitur contradictorie peccato lethali: ergo ipsa formaliter expellit peccatum. Probatur minor, quia conversio ad DEUM opponitur formaliter aversioni a DEO: contritio autem est formaliter conversio ad DEUM: ergo formaliter opponitur peccato, quod propterea expellit formaliter. Præterea quia contritio tantum cum peccato actuali habet hanc oppositionem, ut [illegible] [illegible] esse possit cum illo: sed peccatum habituale est ipsum actuale in recto, ut moraliter perseverans: ergo contritio habet formalem oppositionem contradictoriam cum prima existentia peccati, consequenter illud expellit formaliter. Firmatur, quia si contritio formaliter, & contradictorie opponitur cum prima existentia peccati, opponitur etiam morali ejus perseverantiæ, [illegible] quod opponitur rei, ut primo existenti, opponitur etiam eidem, ut conservatæ, ergo contritio formaliter peccatum expellit. Sed [illegible] quod licet conversio hominis ad Deum opponatur aversioni a Deo absolute sumptæ, non tamen opponitur ejus aversioni, ut moraliter perseveranti, & connotanti aversionem Dei ab homine, duplicite: siquidem potest considerari aversio a Deo absolute, & physice, & prout moraliter perseverat, eo quia connotat negationem divinæ condonationis, seu aversionem Dei ab homine. Hinc falsum est contritionem contradictorie opponi peccato habituali etiam sumpto inadæquate, quia peccatum præteritum, ut sic, non est peccatum habituale, sed tantum connotat negationem divinæ condonationis, seu aversionem Dei ab homine: siquidem aversioni a Deo prout connotat negationem condonationis, contradictorie opponitur Dei condonatio. Hinc ad confirmationem respondetur, quod, licet conversio in Deum opponatur aversioni absolute sumptæ, non ita opponitur aversioni, ut connotanti negationem divinæ condona-

[illegible] [illegible] [illegible] Sed urgebis [illegible] [illegible] dum Deum: quamol [illegible] [illegible] justitiæ rigorosæ [illegible]

non foret æqualis pro offenſa Deo illata. Hinc contritio ſolùm diſpoſitivè debet peccatum, & impetratoriè, quatenus eſt diſpoſitio, impetratio, & præparatio ad juſtificationem, ut oſtenſum fuit ex Tridentino *ſeſſ. 6. can. 3.* ubi inter actus, quibus ad juſtificationem diſponimur, ponit ipſum pœnitere, ſicut oportet. & ratio, quia nulla ſolet forma intro duci in ſubjecto ſine prævia aliqua diſpoſitione præparante ſubjectum ad formam recipiendam.

Quod verò præceptum attinet contritionis, certum eſt contritionem eſſe ſub præcepto, ut communiter docent omnes, quia ut habetur *Luc. 13.* Niſi *pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis*: ex quibus verbis inferunt Theologi, contritionem cadere ſub præcepto, ut etiam ex illo *Joan. 6. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam æternam in vobis*, infertur, Evchariſtiam cadere ſub præcepto: ratio eſt, quia quando medium neceſſarium ad ſalutem eſt in noſtra poteſtate, eſt etiam ſub præcepto: ſed contritio, quæ eſt medium neceſſarium ad ſalutem, mediante auxilio divinæ gratiæ actualis eſt ſub noſtra poteſtate, conſequenter eſt ſub præcepto. Probatur major, quia præcepta dantur in ordine ad finem ultimum obtinendum, quapropter ſi aſſecutio finis ultimi cadit ſub præcepto; erit itidem ſub præcepto medium neceſſarium ad aſſecutionem talis finis, alioquin Deus ſapientiſſimus Legislator rectè hominibus non providiſſet: ſi media ad ſalutem neceſſaria in ſuis legibus prætermiſiſſet. Nam tamen præceptum contritionis obligat abſolutè, ſed tantum relativè ad peccatum lethale commiſſum, & nondum dimiſſum, quia hoc præceptum tantùm obligat ratione juſtificationis: ſed juſtificatio ſimpliciter abſolutè haberi poteſt ſine contritione: ſiquidem poteſt obtineri cum ſola attritione, ut conjuncta cum Sacramentò pœnitentiæ, unde præceptum contritionis non obligat abſolutè, ſed tantum ex ſuppoſitione peccati lethalis commiſſi, & nondum dimiſſi.

Cæterum præceptum contritionis oritur ex virtute charitatis, quia virtus charitatis erga Deum obligat, ut Deum amemus ſuper omnia: ſed in hoc actu includitur contritio, quæ propterea oritur ex præcepto charitatis, quia eo ipſo, quod diligimus Deum ſuper omnia, præferimus illius amorem omni amori creaturarum, conſequenter hic amor includit implicitè retractationem peccati, quod opponitur huic delectationi, quia eſt impoſſibile, ut diligamus Deum ſuper omnia, & adhuc retineamus affectum ad objectum creatum, quod præferamus Deo. Colligitur etiam hoc præceptum contritionis ex virtute pœnitentiæ, ſeu ex juſtitia ad Deum, cui media contritione ſatisfacimus, quia virtus ſpecialis pœnitentiæ eſt pars poteſtativa juſtitiæ commurativæ hominis ad Deum, & intendit conſervare jus divinum illæſum; etſi fuerit læſum per peccatum, illud intendit reparare per pœnitentiam: ſed per peccatum lethale læditur divinum jus. ergo ex ſpeciali virtute pœnitentiæ oritur obligatio reparandi hoc jus læſum, & cum hæc reparatio non habeatur, niſi per contritionem: ſequitur præceptum contritionis oriri ex virtute pœnitentiæ: ex quo deducitur eſſe præceptum proprium pœnitentiæ ſatisfacere media contritione pro injuria Deo illata: ſiquidem æquitas juſtitiæ adfert obligationem reſtituendi oblatum juxta illud vulgatum effatum: *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Quod ſi dicas, nullum hominem teneri pro quavis temporis differentia conteri ex motivo reſarciendi jus divinum læſum: ſiquidem ex quocunque affectu eliciatur contritio, ſatisfit præcepto conterendi, proinde hoc præceptum non oriri ex ſpeciali virtute pœnitentiæ. Contra eſt, negatur conſequentia, quia obligatio aliquid faciendi non dicitur oriri ex peculiari virtute, eò quia obſtrictus præcepto teneatur opus præceptum elicere ex motivo illius virtutis: eſt enim commune axioma, quod motivum præcepti non cadat ſub præceptum; ſed quia præceptum actionis impoſitum fuit ex motivo talis virtutis, & contritio præcepta fuit ad compenſandam DEI offenſam, quæ compenſatio, cum ſit motivum pœnitentiæ ſpecialis; ideo ſequitur præceptum contritionis oriri ex virtute pœnitentiæ: alioquin ſi argumentum urgeret, ſequeretur, obligationem reſtituendi rem furto ſublatam non oriri ex virtute juſtitiæ, cujus motivum eſt æqualitas, fur enim non intendit reſtituere rem furto ſublatam ex affectu ponendi talem æqualitatem: & nihilominus ex quavis fine id præſtet ſemper ſatisfacit præcepto reſtituendi.

Præceptum tamen ſatisfaciendi DEO in genere pro offenſa ei illata eſt de jure naturæ, id intereſt diſcriminis inter præceptum de jure divino, & juris naturæ, quia præceptum juris divini poſitivi verſatur circa objectum, quod niſi propriè præciperetur à DEO, non deberetur, cujusmodi eſt baptiſmus; peccatorum confeſſio, & alia id genus. Præceptum verò de jure naturæ eſt, quod fertur in objectum, ad quod ipſum dictamen rationis oſtendit adeſſe obligationem, ut reſtituere rem furto ſublatam: & omnia illa, quæ fundantur in illo primo principio naturæ lumine omnibus noto: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & quod tibi prodeſt, alteri eſt faciendum.* Ratio igitur quod præceptum ſatisfaciendi Deo in genere pro offenſa ei illata ſit de jure naturæ, eſt, quia omnis juſtitia ad alterum ſervata proportione intrinſecè, & naturaliter obligat, ad ſatisfaciendum, & ad ponendam æqualitatem, quæ per injuriam fuit ablata, quantum homini poſſibile eſt: ergo obligatio reſarciendi jus divinum læſum per offenſam eſt de jure naturæ.

Quod ſi dicas ad impoſſibile non dari præceptum, nec naturale, nec poſitivum de jure divino: ſed reparare divinum jus per peccatum lethale læſum, eſt homini impoſſibile; quia non poteſt homo dare niſi finitum, quod nunquam ſufficit pro compenſatione infiniti læſi, conſequenter non datur hoc præceptum ſatisfaciendi Deo. Sed contra diſtinguitur minor eſt homini impoſſibile reparare jus divinum de condigno, & ad perfectam æqualitatem, conceditur; de congruo, negatur, hoc autem præceptum tantùm obligat ad ſatisfaciendum tantum eſt homini poſſibile; juſtitia enim quæ obligat ad æqualem compenſationem, ſi eſt poſſibilis à fortiori obligat ad exhibendam illam ſatisfactionem, quæ ſaltem de congruo præſtari poteſt ab homine reſpectu Dei. Quinimò præceptũ pœnitentiæ, quatenus præcipit actum contritionis ad ſatisfaciendum Deo offenſo de congruo, eſt poſitivum de jure divino. Ratio à priori eſt, quia præceptum naturale obligat ſimpliciter ad exhibendam reparationem juris divini: ergo quod reſarciamus hoc Jus læſum potius per actũ contritionis, quàm per aliquem alium actum, dependet ex libera Dei ordina-

ordinatione, ac dispensatione: quæ sicut Deus de facto exigit à nobis actum contritionis pro congrua satisfactione, ita poterat exigere aliquem alium actum: sicut enim Sacramento pœnitentiæ sufficit ad nostram justificationem solus actus attritionis.

Potest tamen per accidens homo justificari per solum formalem amorem Dei super omnia extra Sacramentum, siquidem non repugnat, ut quis suorum immemor peccatorum excitetur ad cogitandum de Dei bonitate, divinisque beneficiis, & antequam peccati memoria occurrat eliciat actum perfectæ charitatis, ac Deum amet ex toto corde: siquidem est connaturale homini [illegible] bonitatem perfectionis unum sine alio cogitare: [illegible] absoluta Dei dilectio super omnia, non potest simul cohærere cum peccato lethali, siquidem maximè consentaneum est, divinæ bonitati, ut, de lege ordinaria, eum redamet, qui ipsum ex toto corde diligit: ergo per accidens potest quis extra Sacramentum justificari explicita contritione sita formaliter in actu detestationis: verum tamen est, quod in praxi [illegible] amor ad Deum super omnia includatur implicitè, & virtualiter ipsa contritio: quia, qui Deum amat super omnia, non potest peccatum præferre Deo: consequenter talis actus includit contritionem implicitè. Hinc præter contritionem, & actum amoris Dei super omnia nulla [illegible] dispositio ad justificationem extra Sacramentum seclusò tamen speciali privilegio martyrii, quia est valde probabile adultum posse justificari cum sola [illegible] susceptione martyrii etiam sine contritione, & explicito amore formali. Ratio [illegible] nullus actus possit esse ultima dispositio ad justificationem, est, quia nulli alteri actui promissa est justificatio, cum id non colligatur ex Scripturis.

Rursus præceptum contritionis etiam urget extra Sacramentum in casu, quo quis sibi sit conscius alicujus peccati lethalis: quia, [illegible] se convertere in finem suum supernaturalem, debet necessario se avertere ab alio fine [illegible], consequenter à peccato per actum contritionis, & detestationis. Quod si petas, quonam tempore obliget præceptum eliciendæ contritionis, respondetur hoc præceptum contritionis elicitæ sive ex motivo charitatis, sive ex motivo specialis virtutis pœnitentiæ, non obligare statim post commissum peccatum, ratio à pari est, quia præceptum pœnitentiæ non est negativum sed affirmativum, quod non obligat pro semper, ergo præceptum eliciendi actum contritionis, utpote affirmativum, non obligat pro semper: ergo nec statim post peccatum. Secus præcepta negativa non occidendi, non furandi, non lædendi jus alienum, & alia hujusmodi obligant statim, & pro semper.

Si dicas, qui ex motivo justitiæ abstulit invito Domino rem alienam, tenetur statim, & quam primum potest restituere, consequenter etiam, qui per offensam lethalem læsit jus divinum, tenetur ex lege justitiæ illud statim reparare, quia [illegible] [illegible] præceptum restituendi [illegible] etiam præceptum [illegible] [illegible] quod obligat statim, & pro semper, [illegible] ex dilatione restitutionis [illegible] [illegible], tenetur [illegible] alienæ, ex vi præcepti [illegible] minum, statim restituere. Re[illegible] [illegible] reparationis [illegible] [illegible] [illegible] præceptum [illegible] [illegible] non [illegible] obligat statim ad reparandum [illegible] eliciendam contritionem, [illegible] [illegible] nostras culpas, [illegible] ex cujus carentia [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] commissum, [illegible]

Si dicas, [illegible] contritionem [illegible] obligat ad restituendum, [illegible] [illegible] reparationem. [illegible] [illegible] personæ, cui faciendæ [illegible] [illegible] quia tunc revera ex dilatione [illegible] dilatione nullum sequitur [illegible] minum, ut in casu [illegible] tem solum offensivum [illegible] verò per dilationem [illegible]

Sed dices, [illegible] per offensam in bon[illegible] [illegible] interdum patitur in bo[illegible] [illegible] fama, & honore: ergo [illegible] vel minimè crescat, [illegible] statim conterendi: sed [illegible] dens, quia ex mera dilatione [illegible] non crescit detrimentum in b[illegible] DEI; & quamvis [illegible] obligatio [illegible] [illegible], hoc pertinet ad [illegible] endi famam oblitam [illegible] ad præceptum pœnitentiæ [illegible] tentia, & contritione potest [illegible] [illegible]: quapropter, si aliquid [illegible] gloriæ DEI extrinsecæ, [illegible] ex dilatione contritionis, sed [illegible] restituendæ, quæ restituti[illegible] [illegible] rationem justitiæ ex motivo [illegible] per malitiam aversionis [illegible] to, verum etiam per [illegible] sionis: siquidem restitutio [illegible] quædam justitia [illegible] [illegible] à pœn[illegible]

CAPUT IX.

An attritio adnexa Sacramento pœnitentiæ ut juſtificet, debeat procedere ex metu gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati.

CErtum eſt, attritionem eſſe efficacem deteſtationem peccati proprii ex aliquo motivo ſupernaturali, dicitur enim efficax deteſtatio, quia ſaltem virtualiter debet includere propoſitum non peccandi de cætero, quod ex Tridentino neceſſarium eſt tam contritioni perfectæ, quàm imperfectæ, ſeu attritioni: ſiquidem attritio debet avertere voluntatem à peccato, alioquin non eſſet vera pœnitentia; quòd ſi avertit, debet ſaltem virtualiter includere propoſitum de cætero non peccandi, alioquin non averteret à peccato proprio, quia ſicut de peccato alieno non poſſumus elicere actum contritionis, quo extra Sacramentum juſtificemur, ita neque de illo poſſumus habere attritionem, qua cum Sacramento juſtificemur. Additur ex aliquo motivo ſupernaturali, quia attritio eſt ſupernaturalis elicita à conprincipio ſupernaturali, ſcilicet à gratia excitante, & cooperante proinde ejus motivum debet eſſe ſupernaturale. An vero hoc motivum ſit Deus, vel turpitudo peccati, vel metus gehennæ communis ſententia eſt, hoc motivum ſupernaturale non eſſe Deum, ut ſummum bonum, quia ratione hujus motivi aſſignatur diſcrimen inter contritionem perfectam, & imperfectam, ſeu attritionem. Hinc attritio eſt deteſtatio de peccatis ſolum ejusdem rationis genericæ cum perfecta contritione: ſiquidem conveniunt attritio, & contritio in ratione generica, ſi conveniant in eo, quod utraque ſit actus pœnitentiæ conferens ad delendum peccatum: ſed in hoc conveniunt, quia attritio debet eſſe diſplicentia efficax peccati, & abſolutè ſupernaturalis ex honeſto aliquo motivo, alioquin etiam cum Sacramento non poſſet conferre ad delendum peccatum, ut contingeret, ſi tantùm eſſet ſimplex diſplicentia peccati ex motivo humano purè naturali.

Aſſerendum eſt, motivum ſpecificativum attritionis eſſe omne id, quod non eſt motivum charitatis, dummodo ſit aliquid honeſtum, & ſupernaturale, propter quod verè, & ex animo peccator ſummè deteſtatur peccatum, & hæc attritio, quæ & imperfecta contritio dicitur, ſi nectatur cum Sacramento pœnitentiæ, eſt juſtificativa. Ratio eſt, quia omnis deteſtatio peccati honeſta, & ſupernaturalis, quæ non eſt contritio perfecta, vocari ſolet attritio: conſequenter omne motivum, quod non eſt ſufficiens ad contritionem, & ex quo laudabiliter, & ſupernaturaliter deteſtari poſſumus peccatum, eſt verum motivum attritionis: ſcilicet omne illud, propter quod proponere poteſt fides peccatum eſſe deteſtabile. Docet ſiquidem fides, intemperantiam eſſe contrariam rectæ rationi, ac per ipſam violari virtutem temperantiæ, lædi jus divinum, incurri pœnas inferni, amitti jus ad hæreditatem Dei, fieri jacturam boni infiniti, ac eſſe malum, quod ipſe peccator ſibi intulit: ſi peccator deteſtetur ſuam intemperantiam ob hæc motiva, talis deteſtatio eſt vera attritio, quæ adnexa Sacramento pœnitentiæ juſtificat, & remittit peccata. Sin autem doleret quis de peccato commiſſo, quia publicè inde infamatus eſt, ſeu quia odium incurrat amicorum, & propter alia hujusmodi damna temporalia, absque alio motivo ſupernaturali, eſſet quidem talis actus retractatio, non tamen ſupernaturalis, quia non eſſet ex ſupernaturali motivo: quia mala illa temporalia ſunt motiva intra ordinem naturæ: unde ſi quis habeat motivum purè naturale, eo quia ratio naturalis dictet, peccatum eſſe fugiendum propter hoc, vel aliud motivum naturale, quamvis attritio tunc ſit honeſta, & laudabilis, non tamen eſt juſtificativa, neque cum Sacramento pœnitentiæ confert gratiam ſanctificantem; quia eſt attritio ex motivo naturali. Hinc

Aſſerendum ſecundo: Attritionem naturalem non ſufficere, etiam cum Sacramento ad hominem Deo reconciliandum, eúmque juſtificandum. Ratio eſt, quia attritio naturalis eſt, quam rationes merè naturales excitant, quæque ſolis naturæ viribus concipitur, ut, cùm quis dolet de peccato perpetrato ob infamiam, quam incurrit apud alios, vel ob aliud temporale damnum, ob quod illum pœnitet peccâſſe, vel quia debeat inde ſubire pœnam aliquam; vel quia egerit contra honeſtatem naturalem, vel quia ſentiat, ſe exprobrari ab amicis, vel parentibus, aliisque viris probis: ſi enim eum peccati perpetrati pœniteat ob hæc motiva; tunc dolor eſt attritio tantùm naturalis, quæ, licèt adnexa Sacramento, non tamen quidquam obtinet efficaciæ ad remittenda, & delenda peccata: quia ſacræ Scripturæ, ut peccator reconcilietur, cum Deo requirunt veram ad ipſum converſionem, & quidem ex toto corde, & cum propoſito de cætero non peccandi, *Ezechiel.* 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Cap.* 33. *Si impius non fuerit converſus à via ſua mala, ipſe in iniquitate ſua morietur. Jerem.* 29. *Quæretis me, & non invenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, Scindite corda veſtra, & convertimini ad Dominum; quia benignus, & miſericors eſt. Actor.* 2. *Pœnitemini, convertimini, ut deleantur peccata veſtra,* 2. *ad Corinth.* 8. *Quæ ſecundum DEUM eſt juſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur:* ſed qui attritionem naturalem tantùm habet de peccato, non convertitur ad DEUM ex toto corde; nec ejus triſtitia eſt ſecundùm DEUM; quia etiam infideles, & peccatores dolent de patratis peccatis ob ſupplicia, quæ timent, ob infamiam, quam incurrerunt; quo pacto doluit Antiochus, ut habetur 2. *Machab.* 9. Rurſus quia contritio fuit quovis tempore neceſſaria ad juſtificationem peccatoris, ut docet Tridentina Synodus. Attritio autem naturalis non eſt vera contritio, cùm non ſit *donum Spiritus Sancti*, ſine cujus gratia non valemus quidquam agere, quod conducat ad ſalutem, juxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *can.* 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti operatione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Hoc idem definitum fuerat antea à Concilio Arauſicano 2. Hinc ut attritio juncta Sacramento proſit ad ſalutem, debet eſſe ex impulſu Spiritus S. & motivo ſupernaturali, à quo attritio ſuam ſupernaturalitatem deſumit;

quia dispositio debet esse in eodem genere, in quo est forma, ad quam disponit: hæc autem forma est gratia sanctificans, quæ supernaturalis est, consequenter attritio, quæ est dispositio ad illam, debet esse supernaturalis ex impulsu Spiritus Sancti, ac motivo supernaturali. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

Imò neque attritio, nisi contineat firmum propositum de cætero non peccandi, seu voluntatem absolutam, & efficacem abstinendi à peccato, quamvis doleat de peccato patrato, ut offensa DEI, quem nollet offendisse, non est sufficiens ad reconciliandum peccatorem cum Deo, eúmque justificandum: quia hæc attritio de peccato, ut de offensa Dei, non excludit voluntatem efficacem peccandi, proinde non est verus dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, neque est verum odium malè anteactæ vitæ, proinde etiam, ut adnexa Sacramento pœnitentiæ, non est sufficiens ad remittenda peccata: siquidem dolor adnexus Sacramento debet includere firmum propositum de cætero non peccandi, odium vitæ perperam anteactæ, & firmum propositum novam inchoandi. Qua ratione usurarii, concubinarii, aliique peccati mortalis habitu, consuetudine, & occasionibus implicati dolent interdum de peccato, quatenus est Dei offensa, non tamen voluntate absoluta, & efficaci, sed tantùm inefficaci, & suspensa, quæ potiùs quædam est velleitas, quàm vera voluntas. Hisce enim inutilis est dolor, quia, cùm perseverent in peccato, & illo magis indurescant, non habent veram voluntatem emendandi vitam, & abstinendi à peccato.

Dicendum est tertiò: Attritionem esse in sua entitate supernaturalem, adeo ut detestatio peccati ex timore pœnæ æternæ sit actus honestus, ac supernaturalis, dummodo non sit timor servilis cum servilitate. Timor enim alius est filialis, alius reverentialis, alius servilis sine servilitate, alius servilis cum servilitate, & alius denuum timor mundanus: timor filialis est, quo quis abominatur, ac detestatur peccatum ut malum DEI summè boni, summèque amabilis; *quem*, ut loquitur Cassianus *Col.* 11. *cap.* 3. *non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo filius indulgentissimum Patrem, vel conjugem conjux solicito reveretur affectu, dum ejus non verbera, nec convicia sed vel tenuem amoris formidat offensam: atque in omnibus non solum actibus, sed etiam verbis solicita pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque fervor dilectionis illius intepescat.* Timor reverentialis est, qui ex Majestatis divinæ, & nostræ utilitatis accurata reputatione omnino efficit, ut mereamur libere nimis, ac familiariter cum Deo agere: & hic dicitur etiam Spiritus timoris Dei, quem Isaias dixit supra Christum requievisse: neque in Christum potuit ullus alius timor cadere præter summam reverentiam. Timor servilis sine servilitate est, qui detestatur peccatum, quia per illud redditur homo dignus æterna pœna, ad quam subeundam ex merito peccati obligatur, vel quia hominem privat jure, quod habebat ad æternam beatitudinem; ita tamen, ut nullo pacto dicat, vel implicitè, vel explicitè *peccarem, si peccato non esset adnexa pœna æterna*, & hunc timorem describit D. Augustinus *enarratione* 25. *in Psalm.* 118. expendens verba illa: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Timor servilis cum servilitate est, qui abominatur peccatum, eò quod reddat hominem dignum pœna, adeo ut si non esset pœna illa, omnino placeret peccare, & hunc timorem describit Augustinus conjugis adulteræ: *Timet adultera ne maritus veniat, & ne minus castam deserat,* uterque timor detestatur peccatum, quia reddit hominem dignum pœna; hoc tamen discrimine, quia timor servilis sine servilitate neque explicitè, neque implicitè & virtualiter, neque sub conditione includit voluntatem peccandi, si pœna non incurreretur: timor verò servilis cum servilitate includit alium actum, & excludit omnem alium actum, quo magis peccatum detestantur, quàm pœnam. Demum timor mundanus est, quo vitamus peccatum propter malum aliquod inferendum vel à Principe, vel ab alio homine.

Quod verò attritio ex timore servili sine servilitate pœnæ æternæ, sit honesta, & supernaturalis, liquet ex scripturis *Matth.* 10. *Timete illum, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam,* est enim illi sermo de timore pœnæ, de quo etiam loquens David *Psal.* 118. ait: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*; & Tridentinæ Synodus *sess.* 6. *can.* 8. definiens hunc timorem ait: Esse *gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus*; & tunc ait bonum esse, imò & *sess.* 14. *cap.* 4. asserit, hanc attritionem esse donum Dei, & impulsum Spiritus S. Sancti Patres hoc idem etiam docent, præsertim D. Augustinus *in Psal.* 32. ubi ait: *Non facio malè, quare? quia timeo, nondum amas justitiam, adhuc servus es, esto filius, sed ex bono servo, fit bonus filius.* Ratio itidem hoc evincit, quia ille actus est bonus, & honestus, qui oritur ex virtute spei Theologicæ: sed hic timor est actus spei Theologicæ, quia eadem virtus, quæ desiderat beatitudinem, timet etiam, & fugit miseriam illi oppositam, consequenter talis timor est bonus & honestus, cùm enim teneamur vitare pœnas æternas, easque odisse, tenemur etiam sperare gloriam æternam, quod est quid honestum: ergo actus ille est per se honestus.

Rursus quòd talis timor sit etiam in sua entitate supernaturalis, constat ex Conciliis Arausicano II. *cap.* 6. Milevitano *cap.* 4. & Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ubi asserit: Contritionem, quæ intra Sacramentum disponit hominem ad gratiam, esse donum Dei, ac impulsum Spiritus Sancti, consequenter est supernaturalis quoad suam entitatem, quia impulsus Spiritus S. est gratia in sua entitate supernaturalis. Ratio itidem hoc suadet, quia dispositio ad formam debet esse proportionata ipsi formæ, consequenter in eodem ordine cum illa, à quacunque agente introducatur, ut connaturaliter præparet subjectum, quod disponit ad formam, sed attritio intra Sacramentum pœnitentiæ est dispositio ad gratiam supernaturalem justificantem, consequenter etiam ipsa dispositio, cùm sit in eodem ordine cum forma, debet esse quoad entitatem, & substantiam supernaturalis. Præterea, quia attritio juncta, cum Sacramento pœnitentiæ meretur de congruo primam gratiam sanctificantem, ut communiter docent Theologi *in Tractat. de merito*, sed inter meritum, & præmium etiam de congruo debet dari proportio, quia meritum debet habere aliquam connexionem cum præmio, consequenter attritio debet esse supernaturalis, quoad substantiam, alioquin, si esset naturalis, non posset connecti cum ente supernaturali, ut dispositio ad illud.

Quòd si dicas, gratiam actualem non exigere talem dispositionem supernaturalem quoad substantiam, consequenter nec illam exigere gratiam habitualem, contra est, negatur consequentia: quia dispositio

poſitio fundatur in congruentia moralis providentiæ, cui conſonum eſt, ut qui ad dona ſupernaturalia poteſt ſe diſponere; propriis actibus ſe diſponat: ſed ad gratiam actualem non poteſt dari diſpoſitio ſupernaturalis, quia hæc eſt prima gratia, quæ nullam præſupponit aliam præcedentem, cujus ope voluntas poſſit ſe diſponere, alioquin non eſſet prima gratia, quia præſupponeret aliam. Ad gratiam verò habitualem poteſt dari diſpoſitio, quia hæc in adultis præſupponit gratiam excitantem, & cooperantem, conſequenter ex congruentia moralis providentiæ oritur, quod ad gratiam ſanctificantem debeat homo ſe diſponere, non verò ad gratiam actualem, quia hæc diſpoſitio deberet eſſe ex gratia, & hæc ex alia in infinitum, quia ſemper ad gratiam actualem excitantem requireretur diſpoſitio prævia. Quamvis igitur dari poſſit deteſtatio naturalis de peccato, non tamen hæc deteſtatio eſt vera attritio, quia non avertit voluntatem à peccato averſione abſoluta, ſed tantùm ita avertit, ut convertat in aliud, ſi enim abſolutè averteret, importaret initium aliquod ſalutis, quod dari non poteſt ſine auxilio gratiæ.

Neque neceſſe eſt, ut actus attritionis ſufficiens cum Sacramento pœnitentiæ ad juſtificationem peccatoris, includat amorem ſuper omnia, & quamvis controverſia excitetur inter Theologos Catholicos, ex ſcripturis, & traditionibus nil expreſsè certi colligi poteſt pro utralibet parte, quapropter Tridentina Synodus tantum contra Lutherum pronuntiavit: *Eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ, eſſe verum, & utilem dolorem, præparare ad gratiam, & non facere hominem Hypocritam, & magis peccatorem; & illum dolorem non eſſe coactum, ſed liberum & voluntarium*, & contrarium ſentientes, anathemate percutit. Concilium autem aſſerit talem timorem provenientem ex conſideratione peccatorum ſuorum, eorundem turpitudine, gravitate, multitudine, fœditate, amiſſione æternæ beatitudinis, vel etiam timorem provenientem ex incurſu æternæ damnationis cum propoſito melioris vitæ intra Sacramentum eſſe verum, & utilem dolorem cauſativum gratiæ. Patres enim Concilii Tridentini ſategerunt, ut error Hæreticorum damnaretur, aſſerebant enim, talem timorem non eſſe honeſtum, & illi præſcindebant ab eo, quòd includeret contritionem, ſeu actum amoris, propterea concilium illius non meminit, ſed tantum ſolius timoris procedentis, vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel pœnæ æternæ, quæ incurritur: hinc Tridentina Synodus *cap. 4.* Hunc timorem eſſe utilem, probat exemplo Ninivitarum, qui ex timore pœnæ pœnitentiam egerunt, & talis timor eiſdem profuit, non enim eo tempore exiſtit Sacramentum pœnitentiæ, & illa formidoloſa pœnitentia non ſuffeciſſet ad peccatum delendum, ſed tantùm vim habuit ad impetrandam novam gratiam, cujus auxilio affectus amoris, & charitatis eliceretur, qui actus neceſſarius erat, ut quiſpiam ante legem evangelicam juſtificaretur: & licet Epiſcopus Granatenſis aliquid de hac controverſia in Tridentina Synodo attigerit, negans neceſſarium eſſe hunc actum amoris cum attritione intra Sacramentum, Joannes tamen Æmilianus Epiſcopus Tudetanus, ut refert Pallavicinus in ſua hiſtoria Concilii Tridentini, oppoſitum propugnabat, & aſſerebat, actum amoris neceſſarium eſſe, ut attritio intra Sacramentum juſtificaret, imò voluit opus eſſe contritione perfecta, & ajebat non inde ſequi, quod per Sacramentum pœnitentiæ non remittantur peccata, eò quia per talem actum perfectæ contritionis remittantur, & Sacramentum pœnitentiæ, ſicut ſupponit actum prævium contritionis perfectæ, ita etiam remiſſionem peccatorum: ad hoc enim reſpondebat Tudetanus contritionem non per ſe ſolam, & præcisè ſumptam delere peccata, ſed cum addito, ſeu cum virtute Sacramenti, cujus votum in tali contritione perfecta continetur, & addit Pallavicinus hac controverſia maturè utrinque diſcuſſa, ac examinata, ſacram Synodum Tridentinam decreviſſe. Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quòd imperfecta ſit, & ſolùm vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, qui ſervilis timor dicitur, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de commiſſis delictis exprimit, ſtatuit hæc ſancta Synodus, & declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidem blaſphemare non verentur) verùm etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum DEI eſſe, & Spiritus Sancti impulſum veriſſimum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat, viam ſibi ad juſtitiam munit; & per eum ad Dei gratiam faciliùs impetrandam diſponitur. Hinc hanc attritionem ſufficere unà cum Sacramento pœnitentiæ ad delenda peccata, & juſtificandum impium, communis poſtea fuit Theologorum ſententia, quamvis pauci poſt Tridentinum Concilium oppoſitam partem liberè propugnaverint. Sed cum iterum hæc controverſia excitaretur in Belgio, & etiam inter Doctores Lovanienſes, & hinc inde ferverent diſputationes, res tota delata fuit ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum, qui decreto edito die 5. Maji anno 1667. decrevit. *In virtute ſanctæ obedientiæ ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſervatæ Sedi Apoſtolicæ, aliiſque pœnis ejuſdem ſedis arbitrio taxandis præcipit cunctis & ſingulis fidelibus quocunque gradu, & dignitate Epiſcopali, & majori, imò etiam Cardinalitia fulgentibus, ut ſi deinceps de materia attritionis ſcribent, vel libros edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut ſcholares, cæteroſque erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alterutram ſententiam*, hoc eſt, ſive negantem neceſſitatem alicujus dilectionis Dei in præfata contritione ex metu gehennæ concepta, ut communior fert Theologorum ſententia: ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec à Sede Apoſtolica fuerit aliquid ſuper hac re definitum.

Cæterum ex Concilio Tridentino attritio, quæ intra Sacramentum ſufficit ad remiſſionem peccatorum, bipartitur in eam, quæ eſt ex turpitudine peccati, & in eam, quæ eſt ex timore pœnæ, adeo ut ad hæc duo capita reducantur omnes attritiones, ait enim Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 4.* *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur: ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum*

eſſe actum fugæ virtutis. Contra eſt, diſtinguitur conſequens, non eſſet actus fugæ virtutis ſpecialis, conceditur; virtutis univerſalis, negatur; ſicut enim datur ſpecialis honeſtas ſpecificativa virtutis particularis, ita etiam datur præciſa per intellectum honeſtas univerſalis ſpecificativa virtutis itidem univerſalis, ita deteſtatio peccati ob turpitudinem in genere eſt actus fugæ virtutis univerſalis, ac genericæ; quod ut clarius intelligatur, obſervandum eſt, triplicem poſſe concipi abſtractionem boni honeſti ut ſic, primo poteſt concipi honeſtas, ut abſtracta abſtractione univerſaliſſima, ſcilicet ab omnibus bonis honeſtis naturalibus, & ſupernaturalibus; & amor, qui fertur in hanc honeſtatem, eſt in entitate naturalis, quia non elicitur ex motivo, ſeu objecto formali ſupernaturali, quia motivum illius amoris eſt honeſtas generica, quæ cum ſit abſtracta à ſupernaturali, non poteſt eſſe ſupernaturalis: hinc attritio peccati ob omnem turpitudinem in genere oppoſitam, huic honeſtati eſt naturalis; & quamvis diſſentiant Theologi in aſſignanda cauſa effectiva hujus operis, & averſionis, cùm plures cenſeant, eſſe habitum peculiarem virtutis diſtinctæ à cæteris, probabilius tamen eſt cauſam effectivam talis amoris eſſe ſolam voluntatem, quia ſine neceſſitate non videntur entia multiplicanda; & voluntas per ſe eſt ſatis propenſa, ac determinata ad amandum bonum honeſtum in genere, eò quia ut tale poteſt eidem repræſentari ab intellectu; & cùm in illo bono ſic repræſentato non adſit ſpecialis difficultas, quæ tantùm oritur ex bonis ſpecialibus temperantiæ fortitudinis, ſequitur poſſe à voluntate proſequi. Secundò poteſt honeſtas abſtrahi ab omnibus bonis honeſtis naturalibus tantùm, & ita à fortiori ejus amor erit tantùm naturalis, perinde actus, quo deteſtatur turpitudo oppoſita, huic honeſtati ſic abſtracta, ſiquidem hos actus probabilius eſt oriri à ſola voluntate, unde deteſtatio peccati ob hanc turpitudinem non eſt attritio ſupernaturalis. Tertiò poteſt abſtrahi honeſtas ſupernaturalis ab omnibus bonis honeſtis ſpecialibus, & ſupernaturalibus tantùm; ſiquidem voluntas poteſt etiam ferri in hanc honeſtatem ſic abſtractam, per modum proſecutionis ſupernaturalis, ut etiam deteſtari peccatum ob turpitudinem oppoſitam tali honeſto, quæ deteſtatio eſt vera, ac propria attritio: Verùm hi actus perſecutionis, & fugæ non poſſunt provenire, à ſola voluntate, ſed etiam à virtute ſupernaturali, diſtincta à cæteris peculiaribus. Ratio eſt, quia prædicti actus honeſti ſupernaturales eliciuntur connaturaliter, conſequenter debet aſſignari principium intrinſecum proportionatum, quòd non poteſt eſſe ſola voluntas, quia de ſe eſt improportionata ad actus ſupernaturales eliciendos, unde neceſſe eſt, fundetur habitus ſupernaturalis diſtinctus à cæteris virtutibus, quæ ſpecificantur à ſpecialibus motivis, quia hic actus ſpecificatur ab honeſtate ſupernaturali, ut ſic, hinc attritio peccati ob turpitudinem genericam oppoſitam honeſtati genericæ ſupernaturali eſt actus hujus virtutis.

CAPUT X.

An Attritio juſtificativa intra Sacramentum debeat neceſſario habere adnexam formalem, & expreſſam dilectionem deſuper omnia propter ſe, vel ſufficiat diſpoſitiva, & inchoativa.

Dilectio Dei ſuper omnia, ut ſit formalis, & expreſſa, debet habere pro motivo formali, quo elicitur, ipſam divinam bonitatem, qua Deus eſt ſummè dignus, ut ex toto corde, totiſque viribus ametur à creaturis. Amor verò diſpoſitivus, vel inchoatus eſt, qui licèt non eliciatur ex divina bonitate formaliter, ſed ex alio motivo ſupernaturali, diſponit tamen voluntatem ad eliciendum actum formalem amoris Dei ſuper omnia per habitum charitatis. Quod ſi attritioni ſuccedat contritio perfecta, quæ eliciatur mediante actu charitatis, tunc attritio dicitur, ut adnexa Sacramento pœnitentiæ amor inchoatus, quatenus ut annexa Sacramento ſecum trahit habitum charitatis, & gratiam habitualem, qua producitur actus formalis dilectionis Dei ſuper omnia, & in hoc ſenſu contritio dicitur ſuccedere attritioni, & amor inchoatus virtute Sacramenti dicitur matureſcere, adoleſcere, ac perfici, ſcilicet per infuſionem in animam habitus charitatis, à quo velut principio facile actus contritionis, & amoris perfecti oriuntur. Hinc D. Bonaventura *in 4. ſententiar. diſt. 16. quæſt. 3. ad 1. & 2.* aſſerit, tria ineſſe peccato, ſcilicet actionem malam; interiorem maculam, & ſequelam, & ait actionem malam expelli timore, maculam dolore, & ſequelam charitatis ardore: unde timor ſervilis eſt in juſtificatione veluti præparatio ad juſtitiam: Dolor, ut infuſio juſtitiæ: & ardor charitatis in conſummatione. Et 1. 2. *diſt.* 17. *quæſt.* 4. ait: *Attritio frequenter ad confeſſionem ſuperadjunctam, & abſolutionem Sacerdotis formatur per gratiam, ut fiat contritio, ſeu ut ad ipſam ſubſequatur contritio.* Quinimò ordinariè motivum attritionis eſt etiam adnixum, cum motivo divini amoris: ſiquidem attritio debet excludere voluntatem peccandi, quæ non habetur, niſi per averſionem à peccato; non poteſt autem quis averti à peccato, quin aliquo pacto convertatur ad Deum, quæ converſio non fit, niſi per actum amoris. Cæterum attritio formaliter, & expreſſè in ſe non eſt contritio, quia ejus motivum formale ſupernaturale eſt, vel timor honeſtus, & ſupernaturalis gehennæ, vel motivum turpitudinis peccati, quatenus præcisè opponitur regulæ rationis in ordine ad declinandam ipſam peccati turpitudinem, adeo ut attritio ſit efficax deteſtatio peccati proprii ex aliquo motivo ſupernaturali, quòd non ſit Deus, ut ſummè bonum: & contritio perfecta eſt efficax deteſtatio peccati proprii, ex motivo divinæ bonitatis, quæ meretur ſummè amari, à creatura rationali. Hinc quamvis omnis attritio verè ſupernaturalis, nexa cum Sacramento eſt ſufficiens ad juſtificationem, includat aliquem actum charitatis in Deum diſpoſitivum ad actum perfectum, & formalem, qui & actus charitatis imperfectæ, & inchoatæ dicitur, non tamen eſt neceſſe,

cesse, quod attritio exigat actum charitatis perfectæ, seu dilectionis Dei super omnia propter se, ut fere communiter docent Theologi, asserentes, ad justificationem peccatoris sufficere attritionem supernaturalem ex metu gehennæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati, cum Sacramento pœnitentiæ, quamvis non habeatur hæc formalis, & explicita dilectio super omnia propter se, sed sufficiat dilectio inchoata sita in attritione, ut disponente ad recipiendum habitum charitatis, cujus beneficio elicitur verus, formalis, & expressus actus charitatis, seu expressa dilectio Dei super omnia propter se.

Probatur quia ille dolor ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ut capite præcedente explicuimus, ad Sacramenti constitutionem, & justificationem sufficit, qui disponit pœnitentem, ad impetrandam peccatorum veniam, sicut extra Sacramentum disponeret contritio, quæ est charitas perfecta: sed ille dolor, quem Tridentina Synodus docet, eatenus est imperfectus, & dicitur tantùm attritio, quia vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, siquidem disponit peccatorem in Sacramento, ita ultimè, & immediatè ad gratiam, & peccatorum veniam, perinde ac perfecta contritio extra Sacramentum, ut docet Tridentina Synodus, ergo talis attritio formalis, & explicita, proveniens, vel ex turpitudine peccati, vel ex metu gehennæ, ut adnexa Sacramento, sufficit ad reconciliandum Deo peccatorem absque eo, quòd requiratur formalis, & expressa dilectio Dei super omnia propter se, sed tantùm dispositivè seu inchoativè, quatenus talis attritio intra Sacramentum est dispositio ad habitum charitatis, & gratiam sanctificantem, quæ tunc infunditur, cujus beneficio resipiscens elicit formalem & expressam dilectionem Dei super omnia propter se; etenim Concilium *sess.* 14. *cap.* 4. dividens attritionem in suas species, asserit esse, vel ex metu gehennæ, & pœnarum, vel ex consideratione turpitudinis peccati, & quia verba Concilii depromunt doctrinam, sequitur talem divisionem non solùm congruam esse, sed adæquatam, ut cum Suarezio communiter docent Theologi, alioquin in materia dogmatica nil esset satis tutum, si ad valorem Sacramenti summè necessarii ad salutem, & à Sectariis totis viribus oppugnati, præter duo illa motiva formalia à Tridentina Synodo assignata disjunctivè necessarium, esset aliud motivum distinctum, & à Concilio prætermissum. Hoc autem sequeretur, si attritio adnexa Sacramento præter illa duo prærecensita, à Concilio motivo hoc tertium adhuc requireret, ergo sola attritio, ut adnexa Sacramento, elicita ex solo motivo turpitudinis peccati, vel ex timore gehennæ pœnarum sufficit, ad reconciliandum Deo peccatorem in Sacramento; hinc D. Augustinus *epist.* 180. Supponit æternam salutem persæpe pendere ultimatè, ex absolutione Sacerdotis, & Episcopos, ac Presbyteros reos esse animarum, si pœnitentibus in articulo mortis negligant absolutionem impertiri, ut etiam habetur in pluribus decretis, quæ referuntur *in causa* 26. ubi pariter asseritur, quod pœnitenti, quando esset periturus sine absolutione Sacerdotali, etiam usu rationis destituto danda sit, ergo quia talis attritio, quæ præcedit absolutionem impertitam à Sacerdote, non habet annexam Dei dilectionem super omnia propter se, alioquin hæc dilectio per se remitteret peccata etiam independenter ab absolutione, quæ in voto semper includitur in vera, & perfecta contritione. Præterea *in cap. si Presbyter.* 26. *quæst.* 6. quia Sacerdos morientibus absolutionem negaverit, à Julio Papa reus judicatur animarum, quod neque supponi posset, nec dici, si ex parte pœnitentium, pro debita animæ præparatione requireretur aliqua Dei propter se dilectio super omnia, quia omnis hæc dilectio, ut liquet se sola, etiam ante actualem, absolutionem justificat, unde ex defectu negatæ absolutionis, non potuisset peccator incurrere periculum æternæ damnationis, si, quantum est ex se, eliceret actum perfectæ contritionis: ergo hoc constat, solam attritionem, ut adnexam Sacramento, sufficere ad reconciliandum Deo peccatorem.

Præterea, quia si ad constituendum Sacramentum pœnitentiæ requireretur, ut absolutionem præcederet in pœnitente dolor habens annexum Dei amorem super omnia propter se, inde sequeretur, quòd in nullo casu justificaretur pœnitens per absolutionem Sacramentalem, sed semper supponeretur per præcedentem actum perfectæ contritionis, seu dilectionis super omnia propter se, restitutus statui gratiæ: quod dici nequit, nisi evertatur potestas concessa Sacerdoti in eum finem, ut per sententiam absolutionis authoritate divina prolatam solvat à vinculo peccatorum pœnitentem, & à reatu debito culpæ, ut asserit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 6. ubi ait: *Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium declarandi, remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut à Judice, sententia pronuntiatur.* Quinimò Tridentina Synodus *sess.* 14. *cap.* 6, *can.* 9. anathemate percutit eum, qui dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, unde etiam damnata est à Pio V. & Gregorio XIII. hæc Michaelis Baii propositio: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo*, quam propositionem ante Bajum falsitatis redarguerat S. Chrysostomus *lib.* 3. *de Saderd. cap.* 4. inquiens: *Nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes, non dicas purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*; unde si Sacerdos verè purgat à peccatis, quatenus impertit absolutionem mediante attritione peccatoris, sequitur non esse necessariam dilectionem Dei super omnia propter se, quæ adnectatur attritioni.

Præterea, quia si ad justificationem in Sacramento pœnitentiæ semper requireretur conceptus ex motivo charitatis Dei super omnia dilecti, tunc Sacramentum pœnitentiæ frequenter foret invalidum, quamvis bona fide susceptum à pœnitente, idque ob difficultatem hujus doloris communem pluribus peccatoribus, & ob ignorantiam judicum, nescientium, ex quo motivo debeat actum doloris elicere, cum plerumque rudes, & magni peccatores passim cum attritione concepta ex metu gehennæ, & pœnarum recipiant Sacramentum pœnitentiæ, & Parochis ad id sufficit, si rusticos instruant: plura autem Sacramenta pœnitentiæ bona fide suscepta esse, invalida est, contra providam Christi institutionem, unde malè provisum esset saluti animarum. Præterea, quia onus Christi ejusque legis evangelicæ suave est, & jugum leve *Matth.* 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, sin autem in lege evangelica ad reconciliandum peccatorem Deo, non sufficeret pura attritio,

cum

Digitized by Google

cum Sacramento, ſed ulterius requireretur perfecta contritio, adnexa contritioni, onus legis evangelicæ eſſet longè gravius, ac difficilius, quia præter contritionem perfectam in lege veteri ſufficientem ad reconciliandum peccatorem Deo, in lege evangelica ulterius requireretur confeſſio peccatorum, quoad ſpeciem, & numerum, ac circumſtantias mutantes ſpeciem, quod onus adeo cenſetur grave, ut plures Sectarii malint Sacramentum pœnitentiæ inficiari, quàm huic oneri ſuccumbere, unde difficilius juſtificarentur peccatores in lege evangelica, quàm in lege veteri.

Præterea, quia eſt ſpeciale beneficium Sacramenti pœnitentiæ, quod ex attrito faciat contritum, quatenus attritio adnexa Sacramento æquivalet contritioni, & tàm bene confert gratiam, quàm ipſa contritio, unde attritus in Sacramento pœnitentiæ fit contritus, quamvis non formaliter, quia attritio eſt actus ſpecificè diſtinctus à contritione ob diverſa motiva formalia, ex quibus procedunt, ut ſuperius diximus: vel ex attrito fit contritus efficienter, quatenus attritus in Sacramento pœnitentiæ ſecum trahit ipſum habitum charitatis, & gratiam ſanctificantem, quibus reſipiſcens poſtea elicit actum perfectæ dilationis in Deum ſuper omnia propter ſe, in quo ſenſu diximus attritionem, eſſe diſpoſitionem ad contritionem perfectam, & includere Dei dilectionem ſuper omnia propter ſe inchoativè, ac eſſe hanc dilectionem inchoatàm; ſed beneficium hoc nullum eſſet, & axioma Theologorum falſum, neque ſalvaretur, quòd Sacramentum pœnitentiæ ſit Sacramentum mortuorum, quia ſemper præſupponeret præcedentem contritionem juſtificativam ante abſolutionem Sacerdotalem.

Præterea quia Alexander VII, & alii Pontifices ſententiam de ſufficientia attritionis ex metu gehennæ conceptæ permiſſerunt deduci ad praxim in Eccleſia, cùm ſcirent ipſam eſſe communem, ac publicè doceri in præcipuis Orbis Chriſtiani Academiis etiam Romana, conſequenter hæc ſententia vera eſt, ac tuta fundata in communi praxi Eccleſiæ, & Concilio Tridentino, alioquin, ſi non eſſet probabilis, Pontifices præſertim Alexander VII. & VIII. & Innocentius XI. qui plures alias damnarunt propoſitiones minoris momenti, & periculi, procul dubio etiam hanc damnaſſent, nec permiſiſſent ad praxin deduci: ſi non eſſet tuta, & certa. Rurſus Innocentius XI. in decreto continente ſexaginta quinque propoſitiones damnatas, & prohibitas anno 1679. præ aliis hanc damnavit: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis, ſequi ſententiam probabilem, de valore Sacramenti relicta tutiore.* Si igitur communis ſententia, de ſufficientia attritionis, cum Sacramento eſſet minus tuta, procul dubio Pontifices eam damnaſſent, & cùm id non præſtiterint, ſequitur licitum eſſe, ſequi hanc ſententiam de ſufficientia attritionis, ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati ad valorem Sacramenti, relicta tutiore, adeo ut hæc ſententia ſit vera, & tuta.

Probatur ſecundò, quia non eſt imponenda obligatio, gravis in re tanti momenti, ſine fundamento convincente: Sed requiri ad attritionem ſufficientem ad Sacramentum pœnitentiæ, ut etiam eliciatur, ex motivo charitatis actus dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe, eſt gravis obligatio, & nullum eſt convincens argumentum in oppoſitum, conſequenter non eſt imponenda hæc obligatio, præſertim, cùm ſit pluribus obnoxia ſcrupulis; licèt enim conſultius eſſet, ſi ſemper reſipiſcens adniteretur, hunc actum dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe elicere, non tamen ſunt fideles ad id adigendi, præſertim cùm ruſticis plerumque magis moveantur, ex timore pœnæ, quàm ex amore divinæ bonitatis, unde potiùs relinquendi ſunt in optima ſua fide, & perſuaſione de ſufficientia attritionis conceptæ ex metu gehennæ, quam doctrinam à prima ætate à ſuis Parochis didicerunt.

Rurſus quia ex oppoſita ſententia, ſi vera eſſet, plura ſequerentur incommoda. Primò, abſolutiones impertitæ ſine dilectione hac Dei ſuper omnia eſſe omnes invalidas, adeoque repetendas ob defectum doloris ſufficientis. Secundò perperam agere catechiſtas docentes populum, ad juſtificationem ſufficere dolorem conceptum, vel ex turpitudine peccati, vel ex metu Gehennæ unà cum Sacramento pœnitentiæ, & eſſe ab eccleſia puniendos, utpote docentes errorem populum, & doctrinam falſam, ac debere adigi ad dedocendum populum, ſuamque doctrinam retractandam, quod falſum eſt: imò eccleſia permittit, catechiſtas ita docere populum, juxta doctrinam Tridentinæ Synodi. Epiſcopi enim, & Pontifices ſciunt paſſim à Parochis, aliisque Sacerdotibus hac doctrina imbui Chriſti gregem, & nihilominus eos non reprehendunt, tanquam perperam agentes, imo permittunt juxta Concilium Tridentinum, ita edoceri populum. Tertiò quia ſi hæc doctrina falſa eſſet, Chriſtus permiſiſſet ſuam in terris militantem eccleſiam per tot ſæcula, ſcilicet à temporibus Apoſtolorum ad noſtra usque ſæcula, jugiter cæcutiiſſe, in hoc errore perſeveraſſe, & in materia graviſſima in ordine ad validitatem Sacramenti, & aſſecutionem æternæ ſalutis fuiſſe deceptam: hinc eccleſia non eſſet columna veritatis, contra Apoſtolum; neque Spiritus Sanctus ei aſſiſteret, ne erret, quod eſt contra ſcripturas; quod aſſeri nequit: ergo doctrina aſſerens, attritionem conceptam ex turpitudine peccati, vel ex metu gehennæ intra Sacramentum pœnitentiæ ſufficere ad reconciliandum peccatorem Deo, & ad juſtificationem ejusdem, eſt vera; & oppoſita docens, ſine contritione perfecta peccatorem etiam in Sacramenti ſuſceptione non juſtificari, eſt falſa, ac prorſus rejicienda, & Sanctus Pius V. 1567. damnavit propoſitiones Michaelis Baii Cancellarii Univerſitatis Lovanienſis, quarùm prima erat: *Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta in catechumenis, & Pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Et alia propoſitio erat: *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non ſemper eſt conjuncta cum remiſſione peccatorum:* quia charitas ſi perfecta ſit extra Sacramentum pœnitentiæ ſemper juſtificat, & reconciliat Deo peccatorem reſipiſcentem; ſecus contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, & amor inchoatus, ac imperfectus, pœnitentem non juſtificat ante Sacramentalem abſolutionem. Hinc Catechumenus, qui imperfecto tantùm amore, & inchoato Deum diligit, aut tantùm attritus deſiderat baptiſmum ſuſcipere, non juſtificatur ante ſuſceptionem baptiſmi, huc pertinet doctrina D. Auguſtini *tract. 13. in Joan.* ubi ait: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc Sarcinam ſuæ iniquitatis portat, non ei dimittitur, niſi cùm venerit ad baptiſmum; quomodo non caruit populus Iſrael, populo Ægyptiorum, niſi cùm veniſſet ad mare rubrum, ſic preſſuris peccatorum nemo caret, niſi cùm ad fontem baptiſmi pervenerit,* loquitur Auguſtinus de charitate imperfecta Catechumeni, quæ ſine baptiſmo inſufficiens eſt ad juſtificationis gratiam percipiendam.

Quòd

Quòd ſi dicas, eum ſpiritualiter vivere, qui Deum amat, conſequenter non eſſe neceſſarium, eum amare ipſum Sacramentum, contra eſt, quia amor ſuos habet gradus intenſionis, & perfectionis, alius enim eſt amor tantùm inchoatus, & hic dicitur imperfectus, inſufficiens ad reconciliandum cum Deo peccatorem extra Sacramentum; alius eſt amor provectus, & hic eſt progreſſus in vita ſpirituali; alius eſt amor perfectus ſeu perfecta contritio, quæ, cùm includat votum ſubjiciendi peccata clavibus eccleſiæ reconciliat peccatorem cum Deo, eique imperrat gratiam ſanctificantem ratione voti ſubjiciendi peccata clavibus Eccleſiæ. Hinc Auguſtinus ait: Inchoata charitas, inchoata juſtitia eſt: provecta charitas, provecta juſtitia eſt: perfecta charitas, perfecta juſtitia eſt. Peccator igitur imperfectè contritus, ſive attritus, dum incipit Deum diligere, ut omnis juſtitiæ fontem, incipit vivere vita inchoata, quæ diſpoſitio eſt ad vitam perfectam ex charitate perfecta, & à Sacramento ipſam conferente præcedentem. Rurſus baptiſmus adultorum & pœnitentia lapſorum in peccatum mortale poſt baptiſmum dicuntur Sacramenta mortuorum, quia jam divinæ gratiæ virtute excitati è tumulo, ſeu ex affectu peccati prodire cœperunt inſtar Lazari, quem prius Chriſtus vivificavit, dicens: *Lazare veni foras*, hæc enim vita ſpiritualis extra Sacramentum pœnitentiæ, non habetur niſi per contritionem perfectam, includentem votum Sacramenti; quia ſicut Lazarus à Chriſto priùs vivificatus poſtea ſolutus fuit à vinculis, quibus illigabatur, ita peccator mortuus divinæ gratiæ quamvis prius per actum perfectæ charitatis, & dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe vivificetur, adhuc tamen tenetur abſolvi à vinculis peccatorum, ut ait S. Gregorius homil. 26. in evangel. ubi ait: Loquens de peccatoribus: *Illos debemus per paſtoralem authoritatem ſolvere, quos authorem noſtrum cognoſcimus, per ſuſcitantem gratiam vivificare.* Et D. Auguſtinus *ſerm. 2. in Pſal.* 101. ait: *Cum audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit, licèt nondum ſit ſolutus, remiſſio enim peccatorum ſolutio eſt; quid enim prodeſſet Lazaro, qui proceſſit de monumento, niſi diceretur, ſolvite eum, & ſinite abire? Ipſe quidem voce de ſepulchro ſuſcitavit, ipſe clamando animam reddidit, ipſe terrenam molem ſepulto impoſitam vicit, & proceſſit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, ſed virtute producentis. Fit hoc in corde pœnitentis: cùm audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum jam revixit, cum audis confitendo proferre conſcientiam jam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? à quibus ſolvitur? quæ ſolveritis, inquit, in terra erunt ſoluta & in cœlo. Meritò per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt: ſuſcitari autem ipſe mortuus nonniſi intus clamante Domino poteſt: hoc enim Deus interius agit.* Eſt Lazarus à mortuis à Chriſto reſuſcitatus Symbolum peccatoris reſipiſcentis, & de morte peccati ad ſtatum vitæ gratiæ ſanctificantis reſurgentis, priùs enim à Deo vocatur, per quam vocem divinam, & interiùs clamantem in corde ſuſcitatur peccator, qui erat mortuus, & excitatus à divina gratia efficaci elicit actum amoris, ſeu perfectæ dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe, & quia hæc perfecta charitas, ſeu dilectio includit neceſſariò votum ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, ac ſubjiciendi peccata omnia lethalia Eccleſiæ clavibus, ideo poſt ſuſceptam vitam à Domino vocante, & intus clamante in corde, adhuc debet ſicut Lazarus ſolvi à vinculis, ut poſſit procedere, ac rectè ambulare, & quamvis per charitatem perfectam reſuſcitetur peccator à morte peccati, non tamen per imperfectam contritionem, ſeu attritionem, ita extra Sacramentum gratiam recipit vivificantem, ſed tantùm beneficio Sacramenti pœnitentiæ, ac ſibi impertitæ abſolutionis.

In oppoſitum tamen plura objiciuntur, primò ex ſcripturis illud: 1. *Joan.* 3. *Nos ſcimus quoniam de morte tranſlati ſumus ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit, manet in morte.* Quòd ſi tranſlatio à morte peccati ad vitam gratiæ cauſatur à ſola dilectione, ſequitur evidenter neminem poſſe à morte peccati reſurgere, niſi eliciat actum dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe, quia quamdiu non diligit, manet in morte, propterea, qui accedit ad Sacramentum per ſolum actum attritionis, non dilectionis, manet in morte, quia hic adhuc non diligit. Sed contra diſtinguitur textus deſumptus 1. *Joan.* 3. Qui non diligit dilectione perfecta, vel inchoata, & diſpoſitiva, manet in morte, conceditur: qui non diligit dilectione perfecta, manet in morte, ſubdiſtinguitur, ſi nihil aliud agat, conceditur; ſi eliciat verum actum attritionis, vel ex timore gehennæ, vel ex turpitudine peccati, ut loquitur Tridentinum, & eundem actum adnectit Sacramento pœnitentiæ, manet in morte, negatur, quia beneficio Sacramenti, & abſolutionis à peccatis reſurgit à morte, & accipit gratiam vivificantem, ſeu gratiam ſanctificantem. Præterea præfatus textus deſumptus ex *Joan.* 3. intelligi poteſt de dilectione proximi, quando urgente neceſſitate obligamur ad opera charitatis, ut ſi pauper, & miſer ſit in extrema neceſſitate, & illi negligimus opitulari, tunc qui non diligit proximum hunc, manet in morte, ſeu peccat lethaliter, eò quia ex præcepto charitatis tenemur eidem ſuccurrere, & hunc eſſe verum ſenſum verborum Joannis colligitur ex iis, quæ ipſe ſubdit inquiens: *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt, & ſcitis, quoniam omnis homicida, non habet vitam in ſe ipſo manentem.* Quòd ſi velis Joannem fuiſſe locutum de Dei dilectione ſuper omnia propter ſe, reſpondetur hanc dilectionem eſſe neceſſariam extra Sacramentum, ut quis non maneat in morte, quia perfecta Dei dilectio ſuper omnia propter ſe, operatur in nobis vitam ſpiritualem oppoſitam morti peccati, & nobis confert gratiam ſanctificantem; vel poteſt reſponderi, eſſe illi ſermonem de charitate præſcindente ab actuali, & habituali, & ſenſus ſit, quod qui non habet habitum charitatis, nec habet gratiam ſanctificantem, propterea manet in morte, ſeu deſtitutus gratia ſanctificante, ac vivificante. Cæterum ſi intelligeretur de actu dilectionis Dei ſuper omnia, adeo ut, qui non elicit hunc actum, maneat in morte, inde ſequeretur hoc abſurdum, quòd parvuli ſtatim poſt ſuſceptum baptiſmum uſque ad uſum rationis ſemper manerent in morte, eò quia actualiter hunc actum Dei dilectionis ſuper omnia propter ſe non agunt. Quamobrem, ſi verba Joannis intelligantur de dilectione actuali, & dicatur illum manere in morte, qui actualiter non diligit Deum, ſeu elicit actum dilectionis ſuper omnia propter ſe, reſtringenda eſt aſſertio ad juſtificationem extra Sacramentum, quia quilibet homo tenetur ſubinde elicere actus fidei, ſpei, & charitatis, adeò ut, qui toto tempore vitæ ſuæ nunquam elicuerit, nec eliciat hos actus, dicatur

Digitized by Google

manere in morte, quatenus transgreditur præceptum divinum de diligendo DEUM, & quia hoc præceptum eſt affirmativum, non obligat ſemper, & pro ſemper, ſed tantùm aliquando, ut cenſent plures, quoties periculum aliquod vitæ imminet, vel intra quinquennium, non verò quòd teneatur diligere toties, quoties confitetur. Hinc ab Alexandro VII. damnata fuit illa propoſitio, qua dicebatur: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Imò ab Innocentio XI. rejecta etiam fuit hæc alia propoſitio: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.* Quòd ſi hæc propoſitio itidem damnata fuit, ſequitur, quòd ad minimum ſingulis quinquenniis teneamur hos actus elicere: imò & frequentius. Præterea non deſunt expoſitores, qui cum Cornelio à Lapide explicent præcitatum textum de dilectione fratrum, & proximi, ut paulò ſuperius innuimus, adeo ut dilectio proximi ſit ſignum, ex quo tanquam ex effectu inferamus ſtatum vitæ ſpiritualis, vel mortis peccati, quia, cùm ex præcepto teneamur in extrema neceſſitate proximo ſuccurrere, ſi negligamus eidem opitulari, procul dubio transgredimur præceptum, & manemus in morte peccati, adeo ut negatio dilectionis ſit ſignum, quod maneat in morte, qui non diligit.

Objicitur ſecundò illud Apoſtoli 2. *Corint.* 7. ubi ait: *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur:* Sed triſtitia ſecundùm Deum eſt, quæ propter Dei offenſam, adeoque ex charitate concipitur: Dolor verò propter pœnam tantùm non eſt ſecundùm Deum, neque dolor ex ſola turpitudine peccati, quia eſt potius ex noſtra erubeſcentia, & ſecundùm nos, ſiquidem tunc triſtamur de peccato propter nos, quatenus nocumentum nobis intulimus. Hinc D. Thomas *Lect.* 3. *in cap.* 7. *epiſt.* 2. *ad Corinth.* ait: Duplex eſt amor: unus quo diligitur Deus, & ex hoc cauſatur triſtitia, quæ eſt ſecundùm Deum; alius quo amatur ſæculum, & ex hoc cauſatur triſtitia ſæculi. Amor, quo diligimus Deum, facit nos libenter ſervire Deo, ſollicitè quærere honorem Dei, & vacare Deo dulciter; & quia peccando impedimur à ſervitio Dei, & ideo ei non vacamus, nec ejus honorem quærimus, ideo amor Dei cauſat triſtitiam de peccato, & hæc eſt triſtitia ſecundùm Deum. Sed contra, quia triſtitia, de qua loquitur Apoſtolus, favet potius noſtræ aſſertioni: ſiquidem Apoſtolus loquitur de triſtitia, quæ ſtabilem pœnitentiam operatur, & ait hanc debere eſſe ſecundùm Deum: ſed triſtitia, dolor, vel attritio concepta ex metu gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati eſt etiam ſecundùm Deum, ſiquidem præcipit Deus, ut ex timore gehennæ abſtineamus à peccatis, unde attritio ex metu gehennæ, vel pœnæ à DEO infligendæ, eſt ſecundùm Deum. Hinc Chriſtus apud Lucam ait: *Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occidit corpus, habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.* Quòd ſi hic timor, quo metuimus eum, qui poteſt nos mittere in gehennam, præcipitur à Deo, ſequitur, hunc timorem eſſe ſecundùm Deum, conſequenter verba Apoſtoli 2. *Corinth.* 7. non adverſari, ſed potius favere noſtræ aſſertioni. Aliud eſt, triſtitiam, & dolorem pœnitentis eſſe ſecundùm Deum, ſeu juxta Dei voluntatem, & aliud eſſe ex motivo charitatis Dei ſuper omnia, verba D. Pauli tantùm exigunt timorem ſecundùm Deum, ſeu juxta Dei voluntatem, non verò ex charitate Dei ſuper omnia dilecti. Neque authoritas allegata ex D. Thoma quidquam obeſt, quia quamvis S. Doctor aſſerat, amorem ſæculi cauſare triſtitiam ſæculi, non tamen dicit, triſtitiam, quæ ſecundùm Deum, unicè cauſari ab amore, quia eſt dilectio Dei ſuper omnia propter ſe, quòd ſi S. Doctor id non exprimit, nihil contra noſtram aſſertionem producit. Præterea cùm D. Thomas ſcripſerit ante Concilium Tridentinum, in hac controverſia potius attendenda eſt mens Tridentinæ Synodi.

Objiciuntur tertiò plura alia deſumpta ex ſacris Scripturis, præſertim *Luc.* 7. ubi Chriſtus de Magdalena peccatrice ait: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cui autem minus dimittitur, minus diligit,* ex quo inferunt dilectionem eſſe menſuram remiſſionis peccatorum, quod etiam Chriſtus ſignificet, cùm dicat: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit,* unde illi ideo multa fuerunt condonata peccata, quia multum dilexit, ſi enim minus dilexiſſet, non fuiſſent ei peccata remiſſa. Secundò illud *Joan.* 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo,* & nemo Dei gratiam impetrat per Sacramentum, niſi à Deo diligatur: unde nemo juſtificatur etiam in Sacramento, niſi DEUM diligat. Tertiò illud Apoſtoli 1. *ad Corinth. ult. Si quis non amat Dominum Noſtrum JESUM Chriſtum, anathema ſit.* Sed hi Scripturæ textus noſtræ non adverſantur aſſertioni, ad illud de Magdalena peccatrice reſpondetur: ipſam dilexiſſe multum extra Sacramentum ob divinam gratiam efficacem, quam Deus fuit illi impertitus, ideoque quia elicuit actum charitatis perfectæ extra Sacramentum, fuerunt ei dimiſſa peccata multa, ſed inde non ſequitur, quòd per contritionem imperfectam, ſeu amorem inchoatum, & diſponentem ad habitum charitatis intra Sacramentum non remittantur peccata, hinc Chriſtus dixit: *Cui minus dimittitur, minus diligit,* quatenus qui tantùm diligit diſpoſitivè, & inchoatè minus dimittatur, hoc eſt non dimittatur extra Sacramentum, ſed tantùm cùm Sacramento, & quia elicienti perfectum actum charitatis extra Sacramentum dimittuntur peccata, ideo qui multum diligit, multa ſunt ei peccata dimiſſa abſolutè, & cui minus dimittitur, ſeu tantùm cum Sacramento pœnitentiæ minus diligit, ſeu diſpoſitivè tantùm ad actum charitatis impetrandum, ac inchoativè. Ad aliud deſumptum ex *Joan.* 14. reſpondetur, diligentem Deum diligi à Deo, quia nemo poteſt diligere Deum, ſicut oportet, niſi à Deo accipiat gratiam ſupernaturalem, & efficaciam, qua mediante eliciat actum ſupernaturalem dilectionis Dei, & quia hæc gratia efficax eſt donum Dei, & procedit ex amore, cùm omne bonum in nos derivetur à Dei amore, ſequitur, quòd ametur à Deo, unde nemo Dei gratiam impetrat, niſi præveniatur à Dei gratia, neque eſt neceſſe, quòd hæc gratia ſit ſemper nobis impertita extra Sacramentum, ſi loquamur de gratia ſanctificante, quia hæc nobis etiam impertitur per Sacramentum pœnitentiæ, mediante prævio actu attritionis elicito ex metu gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati; & quamvis tunc reſipiſcens cum actu attritionis non eliciat actum perfectæ dilectionis, diſpoſitivè tamen elicit actum amoris inchoati, quatenus attritio adnexa Sacramento pœnitentiæ impetrat gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis, quo reſipiſcens elicit poſtea verum actum charitatis perfectæ, unde, cùm dicitur; neminem DEI gratiam impetrare per Sacramentum,

Digitized by Google

niſi à Deo diligatur, id intelligendum eſt, quòd Deus prius impertiatur reſipiſcenti gratiam excitantem, & cooperantem, quæ eliciat actum attritionis, non verò, quòd reſipiſcens, ut juſtificetur in Sacramento, debeat unà cum actu attritionis, etiam elicere Dei dilectionem ſuper omnia propter ſe. Ad aliud petitum ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. ult.* reſpondetur, non amantem Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, eſſe anathema, ſeu in ſtatu mortis peccati, eò quia ex divino præcepto tenemur diligere, quem ſi non diligamus, peccamus transgredientes Dei præceptum, non tamen ita intelligenda ſunt verba Apoſtoli, ut ille ſit anathema, qui quoties ſubjicit peccata ſua clavibus Eccleſiæ, non elicit Dei dilectionem ſuper omnia propter ſe, ſed ſufficit, ſi tunc eliciat actum attritionis, qui adnectatur Sacramento, quia tunc diſpoſitivè, & inchoative elicit actum dilectionis, quatenus diſponitur beneficio Sacramenti ad recipiendam gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis, quo reſipiſcens poſſit elicere actum verum, ac perfectum dilectionis DEI ſuper omnia propter ſe.

Objiciuntur quartò plura petita ex D. Auguſtino docente, ſinceram converſionem nullam eſſe, niſi peccandi voluntas deponatur, & nova ſecundùm Chriſtum vita inchoetur: Sed voluntas peccandi non deponitur, ſi quis juſtitiam, ſeu Deum ipſum non amet: neque novam vitam auſpicatur, quamdiu ex ſolo timore gehennæ abſtinet à peccato, quia timor ille, tametſi revocet ab opere peccati, & removeat affectionem animi à peccato, non tamen avertit: unde nemo juſtus eſſe poteſt, niſi ex Dei amore à peccato abſtineat, ait D. Auguſtinus *lib. de ſpiritu & littera cap. 8.* ubi de Judæis ſic ait: *Illis lex iram operabatur abundante peccato, quod à ſcientibus perpetrabatur: quia, & quicunque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat malle, ſi fieri poſſet impunè committere.* Sed hoc D. Auguſtini teſtimonium noſtræ non obeſt aſſertioni, quia in lege veteri, ubi Judæis lex iram operabatur abundante peccato, non juſtificabantur impii in Sacramento pœnitentiæ, ſed tantùm extra Sacramentum per perfectam Dei dilectionem ſuper omnia propter ſe, unde lex illa, licèt juberet, non tamen adjuvabat, quia totum auxilium oriebatur à Spiritu Sancto impertiente ſuam gratiam, qua poſſent Deum diligere ſuper omnia propter ſe, & quia Judæi timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ, ideo ex ſolo timore non juſtificabantur, quia timor iſte non adnectabatur Sacramento. Cæterum verum eſt, quòd aſſeritur, ſinceram converſionem nullam eſſe, niſi peccandi voluntas deponatur, ſed hæc voluntas peccandi dupliciter poteſt deponi, vel extra Sacramentum per perfectam Dei dilectionem ſuper omnia propter ſe: vel per attritionem, ſeu dolorem conceptum ex timore gehennæ, vel ex conſideratione turpitudinis peccati intra Sacramentum pœnitentiæ, tunc enim diſpoſitivè, & inchoativè reſipiſcens dicitur, Deum amare, quatenus recipit beneficio Sacramenti gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis, cujus beneficio elicit perfectam dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe.

Rurſus D. Auguſtinus *eod. lib. cap. 14.* ait: *Mandatum ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter. Et ideo nec fit, non enim fructus eſt bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Et rurſus *cap. 29.* ait: *Ex hac promiſſione, hoc eſt, Dei beneficio lex impletur, ſine qua promiſſione Prævaricatorem facit, vel usque ad effectum mali operis, ſi etiam repagula timoris concupiſcentiæ flammâ tranſcenderit, vel certè in ſola voluntate timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit.* Hoc idem etiam repetit *lib. de natur. & grat. cap. 57.* inquiens: *Sub lege eſt, qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere, ab opere peccati nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipſa enim voluntate reus, qua mallet, ſi fieri poſſet, non eſſe, quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè deſiderat. Ergo ſi ſpiritu, inquit, ducimini, non adhuc eſtis ſub lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per legis litteram, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Hæc eſt lex libertatis, non ſervitutis, quia charitatis utique, non timoris.*

Rurſus hoc idem confirmat *epiſt. 145. ad Anaſtaſium* ſcribens: *Inaniter putat, ſe Victorem eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat, quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis, & quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri, quod vetatur, ſi ſubtrahas, quod timetur, ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet fieri, ſed ideo non facit, quia impunè non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem, atque punientem. Et utique, ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit, quod eam, ſi poſſet, auferret? & per hoc quomodo juſtus eſt juſtitiæ talis inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comitantem, vel judicantem ferat. Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat, amicus autem erit: ſi ejus amore non peccat.* Præterea *enarrat. 25. in Pſal. 118.* expendens verba illa: *Confige timore tuo carnes meas*, ait: *Timor iſte quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt, quia carnalis eſt: & ideo non crucifigit carnem, vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas: cùm vero pœna creditur ſecutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat: quia non ſpiritaliter delectatur ejus bono; ſed carnaliter malum metuit, quod minatur. Timore autem caſto ipſa, quæ tunc timorem foras mittit, peccare timet charitas, etiam ſi ſequatur impunitas: quia nec impunitatem judicat ſecuturam, quando amore juſtitiæ peccatum ipſum deputat pœnam.* Sed contra, quia præcitati textus; & alii plures, qui ſolent ex D. Auguſtino adduci, noſtræ non officiunt aſſertioni, quia in præcitatis locis D. Auguſtinus loquitur de timore ſervili cum ſervilitate, qui ut ſuperius oſtendimus, non ſufficit ad conciliandum Deo peccatorem etiam cum Sacramento pœnitentiæ, diximus enim, timorem ſervilem cum ſervilitate illum eſſe, qui deteſtatur quidem peccatum, eò quia conſtituat hominem dignum pœna, ita tamen, ut ſi non eſſet pœna, omnino placeret peccatum, ut explicat D. Auguſtinus exemplo conjugis adulteræ, quæ abſtinet ab adulterio ex timore mariti venientis, quem ſi certo ſciret non venturum, adulterium perpetraret, unde timor ſervilis cum ſervilitate non excludit abſolutè voluntatem peccandi, ſed affectum conſervat ad peccatum, cum hoc enim affectu ad peccatum timor ſervilis cum ſervilitate, quamvis adnectatur Sacramento

pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ non habet vim juſtificandi impium, quia neque abſolutè excludit voluntatem peccandi, neque includit diſpoſitivè, & inchoativè amorem Dei; duplex enim eſt timor ſervilis, unus ſine ſervilitate, & eſt, qui abominatur peccatum, quia per illud conſtituitur homo dignus ſubeundi æternum ſupplicium in gehenna, vel quia privat hominem jure, quod habebat ad æternam beatitudinem; ita tamen, ut nullo pacto dicat implicitè, nec explicitè, peccarem, ſi peccato adnexa non eſſet pœna æterna. Alius eſt timor ſervilis cum ſervilitate, & diſcrimen inter utrumque timorem eſt, quia licèt uterque deteſtetur peccatum, quia reddit hominem dignum pœna; timor tamen ſervilis ſine ſervilitate non includit nec implicitè, nec virtualiter, nec explicitè actum, qui dicat, *ſi non eſſet pœna, peccarem.* Timor verò ſervilis cum ſervilitate talem actum includit, & excludit omnem alium actum, quo magis peccatum deteſtamur, quàm pœnam. Hinc ait Auguſtinus *lib. de ſpiritu, & littera cap. 14. Mandatum, ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ ſerviliter fit, conſequenter ejus fructus non eſt bonus, quia de radice charitatis non ſurgit,* ſeu non includit diſpoſitivè, & inchoativè actum dilectionis Dei, cùm foveat voluntatem peccandi, quàm ſi non exequatur, eſt, quia timor gehennæ frœnum injicit concupiſcentiæ, quòd ſi ſupplicium non ſequeretur, adhuc peccaret, ideoque, quòd non peccet, non provenit ex Dei amore, ſed ex terrore ſupplicii, qui terror non extinguit abſolutè voluntatem peccandi, hinc *in cap.* 19. ait: *Si enim repagula timoris concupiſcentiæ flamma tranſcenderit; vel certè in ſola voluntate, ſi timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit, adhuc ſervat affectum mali operis.* Quod etiam expreſſè aſſerit *lib. de natur. & grat. cap.* 57. ubi ait: *Sub lege eſt, qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati*: & poſtea ſubdit: *Nondum liber nec alienus à voluntate peccandi,* unde quòd non peccet, provenit ex timore ſupplicii, cùm adhuc intus foveat voluntatem peccandi, quam exequeretur: ſi ſupplicium peccato non adjiceretur, unde Auguſtinus in hiſce locis tantùm loquitur de timore ſervili cum ſervilitate, qui non ſufficit etiam cum Sacramento pœnitentiæ ad reconciliandum peccatorem Deo, eò quia non excludat abſolutè voluntatem peccandi, ſed conditionatè illam foveat, ſi non adeſſet ſupplicium æternum.

Ad alind petitum ex epiſt. 145. ad Anaſtaſium etiam expreſſè loquitur de timore ſervili cum ſervilitate, ait enim: *Nam quantum in ſe ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem, atque punientem. Et utique, ſi mallet, non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit, quod eam, ſi poſſet, auferret.* Ubi Auguſtinus expreſſè loquitur de illo timore, quo peccator abſtinet à peccato, ne incurrat pœnam, quam ſi declinaret, adhuc peccaret, ac vellet poſſe auferre, ac totaliter delere talem pœnam, ut liberior illi eſſet voluntas peccandi, & laxior poteſtas indulgendi ſenſui. Etiam in alio textu petito *ex enarrat. 25. in Pſal.* 118. ubi expendit verba illa Davidis: *Confige timore tuo carnes meas*, licèt velit configi timore ſervili ſine ſervilitate, ait tamen, adeſſe timorem, quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna ſervilis cum ſervilitate, qui propterea non crucifigit carnem, quia vivit in timente adhuc peccandi voluntas, ut ait Auguſtinus, *quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas*, hoc eſt, quia cum tali timore ſervili cum ſervilitate adhuc fovetur affectus ad peccatum.

Cæterum, quòd metus ſervilis ſine ſervilitate adnexus Sacramento pœnitentiæ ſufficiat ad juſtificandum impium, eumque reconciliandum Deo expreſſè concedit D. Auguſtinus *in Pſal.* 127. ubi aſſerit: Metum illum gehennæ, & pœnarum eſſe ad ſalutem utilem, conſequenter non poſſe ſperni, & ratione hujus timoris aſſerit, *homines ſe à peccato continere, ut non conſentiant peccato, & mortificent membra ſua ſuper terram, & membra cœleſtia* (hoc eſt, in ſeipſis bona opera) *exerceant*, & *Tract. 9. in epiſt. Joan.* ait: *Ut bonam vitam retineant, bonam conſcientiam comparent.* Et *ſerm. 214. de tempore cap.* 1. aſſerit: talem timorem ſicut eſt bonus, & utilis, ita poſſe voluntatem graviter peccandi efficaciter excludere, unde tantum abeſt, quod D. Auguſtinus noſtræ adverſetur aſſertioni, ut potius eam propugnet. Solent etiam coacervari plures alii textus petiti ab aliis Sanctis Patribus, qui tamen loquuntur vel de timore ſervili cum ſervilitate ut explicuimus, vel de timore mundano, quo vitamus peccatum ob aliquod malum temporale, quod timemus, & neuter hic timor ſufficiens eſt ad reconciliandum peccatorem Deo, quia uterque foret ſaltem conditionatè ſi malum non incurreretur, voluntatem peccandi.

Præterea obſervandum eſt, Sanctos Patres plura circa Dei amorem aſſerere, quæ non poſſunt intelligi in rigore ſcholaſtico, adeo ut patiantur benignè interpretari, & cùm ipſi, ut plurimum loquantur concionatoriè, & cum quadam exaggeratione ad ſuadendum proximo Dei amorem, qui optimus eſt, & ſine ullo dubio reliquis omnibus præferendus, non tamen injungunt præceptum ſemper de tali amore eliciendo, ſed ſuggerunt conſilium, eò quia nil melius, nilque utilius, quàm Deum diligere ſuper omnia propter ſe, alioquin etiam D. Auguſtinus *lib. 3. de doctrin. Chriſtian, cap.* 10. ait: *Non præcipit Scriptura, niſi charitatem*, tametſi plura alia præcipiat, quæ expreſſè & formaliter non ſunt charitas, licèt ex charitate oriantur. Et in *Enchirid. cap.* 117. ait: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas*, quod tamen non intelligitur de charitate actuali, ſed de habituali, quæ connectitur cum gratia ſanctificante.

Quòd verò timor elicitus ex conſideratione æterni ſupplicii ſit utilis, & adnexus Sacramento pœnitentiæ reconciliet peccatorem Deo, docent Sancti Patres, præſertim S. Joannes Chryſoſtomus, qui ait: Peccatorem ingemiſcere utiliter, eò quia ſit pœnas æternas luiturus ob peccatum patratum, eò quia tunc doleat de peccato ſerviliter quidem, quia ob timorem gehennæ non ex amore divinæ bonitatis, ſed ſine ſervilitate, quòd ſi ingemiſceret timore ſervili cum ſervilitate, tunc non prodeſſet ingemiſcenti talis timor, quia non excluderet abſolutè voluntatem peccandi. Timor igitur ſervilis, dummodo excludat ſervilitatem, ſeu abſolutè voluntatem peccandi, utilis eſt, & diſpoſitio ad dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe, quia ſi annectatur Sacramento pœnitentiæ impetrat gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis, quo adjutus elicit actum amoris in Deum, hinc *Proverb.* 1. dicitur: *Timor Domini principium ſapientiæ*, & *Eccleſiaſt.* 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Et D. Auguſtinus *lib. 1. c. 16. contra adverſarium legis* ait: *Salubriter non ſolùm bonitatem, verùm etiam ſeveritatem Dei Scriptura commendat, quoniam amatur Deus utiliter & timetur.* Hinc Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. can.* 8. contra Lutherum ait: *Si quis*

Digitized by Google

dixerit, gehennæ metum; per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, vel peccatores facere, anathema ſit. Hoc idem etiam repetit *Seſſ.* 14. *can.* 5. inquiens: *Si quis dixerit, eam contritionem* (imperfectam ſcilicet, quæ dicitur attritio) *quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Demum illum eſſe dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema ſit.* Ubi damnatur hæreſis Lutheri aſſerentis, talem timorem conceptum ex gehennæ ſuppliciis inutilem eſſe.

Objiciunt quintò: ipſummet Concilium Tridentinum, ex quo infertur, quòd ad pœnitentiam non minùs requiratur diſpoſitio, quam ad Baptiſmum in adulto: Sed ad hunc fructuosè ſuſcipiendum requiritur à Tridentina Synodo amor Dei, ergo etiam ad pœnitentiæ Sacramentum ritè ſuſcipiendum. Major liquet; quia utrumque Sacramentum mortuorum eſt. Minor etiam conſtat ex Tridentino *Seſſ.* 6. *cap.* 6. ubi loquens de præparatione, quam adultus tenetur præmittere ante ſuſceptionem Baptiſmi ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt &c. & dum, peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam DEI miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, videntes Deum per Chriſtum ſibi propitium fore, illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Sed actus, quo incipimus diligere DEUM tanquam fontem omnis juſtitiæ, eſt amoris Dei propter ſe, ergo ſi ad recipiendam gratiam in Sacramento Baptiſmi eſt neceſſariò talis actus, quo incipimus Deum diligere tanquam fontem omnis juſtitiæ, ſequitur, quòd etiam ad recipiendam gratiam in Sacramento Baptiſmi ſit neceſſarius actus amoris Dei propter ſe. Sed contra, quia tantùm abeſt, quòd Concilium Tridentinum noſtræ adverſetur aſſertioni, ut potius eidem faveat, quia Concilium ad juſtificationem impii tantùm requirit aliquam Dei dilectionem, ſcilicet inchoatam charitatem, quæ etiam reperitur in attritione concepta ex metu gehennæ, quatenus adnexa Sacramento eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis, cujus beneficio elicitur Dei dilectio ſuper omnia propter ſe. Præterea D. Auguſtinus *lib.* 5. *de catechizandis rudibus cap.* 17. poſtquam attuliſſet quaſdam alias rationes, & affectiones animi perverſas, quibus catechumeni quidam inducti ad Sacramenti gratiam fruſtra conſequendam, eò quia ſine præviis debitis diſpoſitionibus acceperint ad Sacramentum, poſtea de attritis ait: *Quis autem propter beatitudinem ſempiternam, & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, verè ipſe eſt Chriſtianus.* Unde Auguſtinus aſſerit, dolorem conceptum ex timore ignis æterni, ſeu gehennæ eſſe utilem, ut quis verè ſit Chriſtianus; quapropter ſufficit amor inchoatus, qui includitur in attritione concepta ex metu gehennæ.

Objiciunt ſextò: Dolor, qui ſufficiat etiam cum Sacramento pœnitentiæ ad reconciliandum peccatorem Deo, debet neceſſariò habere oppoſitionem cum peccato, ſed dolor, qui non fundatur in amore Dei, non habet hanc oppoſitionem cum peccato, conſequenter non ſufficit etiam cum Sacramento ad reconciliandum peccatorem Deo. Major eſt certa, minor oſtenditur, quia per peccatum avertitur homo à Deo, & convertitur ad creaturas, illas amando, conſequenter ab oppoſito per dolorem debet homo averti à peccatis, & converti ad Deum, eum amando, dicente Deo per Iſaiam 31. v. 6. *Convertimini ad me, ſicut in profundum receſſeratis.* Firmari etiam poteſt, quia, quando Deus populum ſuum veluti ſervos, & mancipia comminationibus, & terroribus ad obſervantiam ſuorum mandatorum urgebat; & infinita Dei erga nos dilectio in Chriſti paſſione revelata ſignorum velo adhuc tegebatur, dilectio Dei benevola ad peccati remiſſionem, & juſtificationem neceſſariò requirebatur, quòd ſi in lege veteri, quæ fuit lex timoris, requirebatur ad juſtificationem Dei dilectio, à fortiori etiam in lege Evangelica, quæ lex eſt charitatis, & amoris, & ubi non datur ſpiritus ſervitutis, iterum in timore, ſed adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater, neceſſaria eſt dilectio Dei ſuper omnia, ut peccator Deo reconcilietur. Sed contra, diſtinguitur minor, dolor, qui non fundatur in amore Dei, ſeu qui non includit aliquam dilectionem Dei ſuper omnia, non habet oppoſitionem cum peccato, negatur minor, quia attritio concepta ex timore gehennæ, cùm non habeat motivum formale amoris, non fundatur in amore Dei, & tamen ſi annectatur Sacramento pœnitentiæ, habet oppoſitionem cum peccato, quod delet beneficio abſolutionis. Præterea, ut jam dixi attritio concepta ex timore gehennæ, cùm includat inchoatam dilectionem, quatenus diſponit ad habitum charitatis, etiam includit charitatem, ſi non perfectam, ſaltem imperfectam, & inchoatam, hæc enim ſufficit, ut dolor adnexus Sacramento impium juſtificet, ac Deo reconciliet, cæterum extra Sacramentum impius non reconciliatur Deo, niſi per charitatem, ac dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe: aliud enim eſt peccatorem reconciliari Deo intra, & aliud extra Sacramentum, in lege enim charitatis requiritur dilectio Dei benevola, ut peccator reconcilietur Deo, ſicut requirebatur in lege timoris, ſeu veteri: ſed in lege charitatis ad juſtificationem intra Sacramentum ſufficit amor inchoatus incluſus in ipſa attritione concepta ex metu gehennæ, alioquin ſi ad juſtificationem intra Sacramentum requireretur charitas perfecta, & non ſufficeret inchoata, ut ſuperius explicuimus, lex charitatis eſſet longè difficilior, quàm olim fuerit lex timoris, quia ſupra dilectionem Dei perfectam, & ſuper omnia haberetur etiam Sacramentum, quod in lege veteri non requirebatur: quòd ſi ſola attritio cum Sacramento ſufficit ad juſtificationem, tunc lex charitatis magis commendatur.

Sed dices, exiſtentem in peccato lethali ita debere eſſe mente conſtitutum, ut voluntatem omnem committendi deinceps peccatum lethale excludat, & quod ipſum commiſſi pœniteat: ſed attritio ex timore gehennæ orta, non facit, ut peccator ſit taliter conſtitutus, ut excludat voluntatem com-

Digitized by Google

committendi ulterius peccatum ullum lethale, eò quia licèt ſit pœnitens, & doleat de peccato patrato, adhuc retinet pravum affectum ad peccatum, cui antea adhæſerat, ex quo inferant, attritionem ex metu gehennæ conceptam non eſſe ſufficientem. Sed contra, negatur, quòd attritus ex timore gehennæ retineat pravum affectum ad peccatum, cui antea adhæſerat, quia timor iſte non eſt ſervilis cum ſervilitate, conſequenter excludit abſolutè voluntatem ulterius peccandi: quia timor ſervilis ſine ſervilitate, nullo pacto includit actum, quo dicat, ſi non eſſet pœna, peccarem; ſeu, ideo abſtineo à peccato, quia timeo pœnam, ſed abſolutè ex timore pœnæ abſtinet à peccato, adeò ut neque implicitè, neque explicitè, nec virtualiter, nec formaliter includat voluntatem peccandi, ſi non adeſſet pœna; ſed abſolutè illam excludat; & per hoc differt timor ſervilis cum ſervilitate à timore ſervili ſine ſervilitate, quia ille conditionatè includit voluntatem peccandi; & dicit, ſi non adeſſet pœna, vellem peccare, ac indulgere ſenſui: iſte vero abſolutè excludit voluntatem peccandi, quamvis ob timorem pœnæ eligat non peccare. Ratio eſt, quia, qui abſolutè vult finem, neceſſariò vult media annexa neceſſariò tali fini; ſed depoſitio omnis affectus ad peccatum lethale eſt medium neceſſarium ad vitandam gehennam: conſequenter qui ſeriò, & abſolutè vult evitare gehennam, neceſſariò vult excludere omnem affectum ad peccatum mortale, quia cum tali affectu non eſt velle gehennam, declinare, quia talis affectus ad illam neceſſario trahit: ergo volens abſolutè vitare gehennam, vult abſolutè excludere omnem voluntatem mortaliter peccandi: quiſquis enim efficaciter intendit vitare gehennam, intendit etiam vitare efficaciter, quidquid ducit ad gehennam: peccatum autem mortale, & affectus ad illud, ſeu voluntas peccandi mortaliter, ducit ad gehennam, ergo qui abſolutè, & efficaciter vult vitare gehennam, vult etiam abſolutè, & efficaciter vitare voluntatem peccandi. Præterea timor pœnæ coërcet voluntatem furandi, adeo, ut abſolutè, & efficaciter nolens patibuli mortem, nolit etiam abſolutè, & efficaciter furtum, ſeu affectum ad externum peccatum furti: ergo timor gehennæ coercet etiam internum peccatum, cùm propter illud incurratur gehenna, perinde ac propter furtum incurritur mors patibuli. Hinc Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. loquens de attritione ſervili ſine ſervilitate ait: *Si voluntatem peccandi excludat*; & contra Lutherum definit, talem attritionem excludentem voluntatem peccandi non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, ut docebat Lutherus: Si enim Concilium præfata verba, *ſi voluntatem peccandi excludat*, non retuliſſet ad attritionem, ſed ad actum amoris incluſum in actu attritionis, Concilium id expreſſiſſet; ac dixiſſet; attritionem ex timore gehennæ conceptam, ſi habeat adnexum actum amoris, quo voluntas peccandi excluditur, non ſolum non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſt; & tamen Concilium non meminit ullius actus amoris. Præterea, intentio Concilii erat, damnare hæreſin Lutheri, qui non aſſerebat attritionem conjunctam actui amoris facere hominem hypocritam; & magis peccatorem, & includere affectum ad peccatum: ſed Lutherus tantum aſſerebat de attritione ſeorſim ſumpta ab actu amoris, & docuit, hanc attritionem etiam ut conjunctam Sacramento Pœnitentiæ non ſufficere ad reconciliandum peccatorem Deo, ſeu timorem ſervilem ſine ſervilitate conceptum, vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel gehennæ incurrendæ, quam Concilium damnavit ut hæreticam, eo quia talis timor ſervilis ſine ſervilitate ſit utilis, & honeſtus, & in exemplum affert timorem conceptum à Ninivitis ad prædicationem Jonæ prophetæ. Aliud eſt loqui de timore ſervili cum ſervilitate; & aliud de timore ſervili ſine ſervilitate, ut ſuperius explicuimus, primus timor conſideratur abſolutè, & ſecundùm ſe præciſè, & conditionatè includit affectum ad peccatum, quia, ſi non eſſet gehenna, peccaret, & indulgeret ſenſui, & ideo non vult peccatum, quia timet gehennam, quam nollet eſſe, ut poſſet peccare, proinde conditionatè includit voluntatem peccandi, & eſt inſufficiens ad reconciliandum peccatorem Deo, etiam intra Sacramentum. Timor verò ſervilis ſine ſervilitate excludit omnem peccandi voluntatem, etiam conditionatam, quia vel per identitatem, vel per concomitantiam ſecum trahit firmum propoſitum de cætero non peccandi. Ratio eſt, quia cùm nobis conſtet, peccatum non remitti, neque declinari gehennam, niſi nobis proponamus non peccare de cætero, ſi quiſpiam ſibi proponat dolorem elicere de peccatis in ordine ad confeſſionem Sacramentalem, utique eum ſibi proponit, qui junctus Sacramento ſit ſufficiens ad remittenda peccata & reconciliandum peccatorem Dei, alioquin non ſubjiceret clavibus eccleſiæ ſua peccata: ſed iſte dolor, qui adnexus Sacramento reconciliat Deo, eſt attritio, ſeu timor ſervilis ſine ſervilitate conceptus ex conſideratione gehennæ, hic autem timor abſolutè, & efficaciter excludit omnem voluntatem peccandi etiam conditionatè, propterea timor iſte, ut adnexus Sacramento, ex Concilio Tridentino ſufficiens eſt ad reconciliandum peccatorem Deo.

Objiciunt ſeptimò Decretum Tridentinæ Synodi, *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi dicitur: *Illam autem contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quòd imperfecta ſit, & ſolum, vel ex turpitudine peccati conſideratione; vel ex metu gehennæ & pœnarum, quia ſervilis timor dicitur, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc ſacra Synodus, & declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, ut quidam blaſphemare non verentur, verum etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*; refert Cardinalis Pallavicinus compilator hiſtoriæ Concilii Tridentini *lib.* 12. *c.* 10. *ejuſdem hiſtoriæ*; Patres poſt maturum examen decreviſſe expungi ex illo decreto poſteriora illa verba, quæ erant: *Verùm etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*; Sed non eſt probabile Patres Concilii Tridentini voluiſſe definire, quod ex ſuo decreto expungi juſſerunt: ergo hic timor conceptus ex conſideratione turpitudinis peccati, vel tormentorum gehennæ, etiam ut adnexus Sacramento pœnitentiæ non ſufficit ad reconciliandum peccatorem Deo, niſi includat dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe. Sed contra eſt, quia licet Patres Concilii juſſerint, ex tali decreto expungi præfata verba: *Verùm etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem*, non ſequitur talem timorem ſervilem ſine ſervilitate non eſſe ſupernaturalem, & ſufficientem unà cum Sacramento ad reconciliandum peccatorem Deo: etenim in tali decreto contra Lutherum habetur: *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem verùm eſſe, donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis*: ſi pervenit talis timor ex impulſu Spiritus Sancti, jam eſt quoad entitatem ſupernaturalis, proinde ſufficiens cum Sacramento ad remittenda

peccata, & reconciliandum peccatorem Deo. Præterea ex præfato Decreto expuncta pariter fuerunt verba hæc: *cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix eſſe queat*, ideo hæ particulæ, & aliæ præfatæ fuerunt à Patribus expunctæ à Decreto illo, quia non pertinebant ad damnandam hæreſim Lutheri, qui non contendebat, an attritio ſervilis ſine ſervilitate concepta ex conſideratione gehennæ ſufficeret ad conſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ: neque an talis attritio, ut conſtitueret Sacramentum, deberet connecti cum dilectione Dei ſuper omnia propter ſe: ſed quia docebat, hanc attritionem eſſe inutilem ad remittenda peccata, & hominem hypocritam conſtituere, ac facere magis peccatorem, quæ propoſitio damnata fuit à Concilio, ut blaſphema, & hæretica, & declaravit eſſe donum Dei, & provenire ex impulſu Spiritus Sancti moventis, propterea eſſe ſupernaturalem, & gratiam Dei, quæ non facit hominem hypocritam, nec magis peccatorem, ut cenſuit Lutherus. Præterea illæ particulæ, *etiam ſufficere ad hujus Sacramenti conſtitutionem*, deletæ à Patribus fuerunt, quia talis locutio non videbatur propria, quia non proprie dicitur, quod pars ſufficiat ad conſtitutionem totius, quia non conſtituitur ex una tantum parte, ſed ex omnibus ſimul, vel etiam Patres prædictas particulas voluerunt expungi à Decreto, ne damnaretur ſententia Scoti docentis, totam hujus Sacramenti eſſentiam conſiſtere in abſolutione Sacerdotis, & actus pœnitentis tantùm requiri, ut præviam diſpoſitionem; unde ſatis fuit Concilio declaraſſe, attritionem diſponere ad gratiam unà cum Sacramento pœnitentiæ obtinendam. Demum ex eo, quòd Patres juſſerint expungi præfatas particulas, *etiam ſufficere ad hujus Sacramenti conſtitutionem*, tantùm ſequitur, attritionem ſine dilectione Dei ſuper omnia propter ſe non eſſe expreſſo definitam definitione ſtrictè ſumpta, & propoſita toti eccleſiæ, ut omnes fideles teneantur eidem aſſentiri: quia oppoſita ſententia non eſt authenticè falſa; quia ut notat Gormazius, ut aliqua ſententia ſit authenticè certa, certitudine authentica, requiritur, ut oppoſita non poſſit publicè abſque ulla cenſuræ nota propugnari, juxta Decretum Alexandri VII. Unde opinio aſſerens attritioni eſſe adnectendam aliquam dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe ad valorem Sacramenti, non eſt authenticè falſa; adeoque neque opinio negans requiri talem dilectionem; proinde abſque ulla cenſuræ nota poteſt utraque ſententia propugnari.

Objiciunt octavo Decretum Alexandri VII. Pontificis Maximi, qui prohibuit, aliqua cenſuræ nota inuri ſententiam aſſerentem ad attritionem cum Sacramento reconciliantem peccatorem Deo requiri dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe; ajunt Romanum Pontificem vetuiſſe alicujus Theologicæ cenſuræ, vel alterius injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare ſententiam aſſerentem dilectionis Dei neceſſitatem in attritione concepta ex metu gehennæ ad reconciliandum Deo peccatorem in Sacramento: Decretum eſt iſtud: *SS. D. noſter Alexander Papa VII. cum acceperit non ſine gravi animi mœrore, Scholaſticos quoſdam acrius, nec abſque fidelium ſcandalo, inter ſe contendere, an illa attritio, quæ concipitur, ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento pœnitentiæ requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus aliis, & invicem adverſam ſententiam cenſurantibus; Sanctitas ſua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles ſervari, omnemque ſciſſuræ fomitem extinguere, hoc præſenti Decreto in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, huic ſanctæ ſedi reſervatæ, aliiſque pœnis ejuſdem ſanctæ ſedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & ſingulis fidelibus, ut ſi deinceps de materia attritionis præfatæ ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut Scholares, cæteroſve erudient, non audeant alicujus cenſuræ theologicæ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare alteram ſententiam ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter ſcholaſticos communior videtur; ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec ab hac ſancta ſede aliquid in hac re fuerit definitum.* Verum cum Alexander VII. in hoc Decreto aſſerat ſententiam aſſerentem actum dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta non requiri hodie inter Scholaſticos videri communiorem, & præcipiat in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſedi Apoſtolicæ reſervatæ, ne quis audeat verbo, vel ſcripto eam taxare alicujus Theologicæ cenſuræ, injuriæ, vel contumeliæ notâ, ut neque oppoſitam ſententiam, aſſerentem neceſſitatem dictæ dilectionis cum attritione adnexa Sacramento pœnitentiæ, ſequitur evidenter Pontificem neutram ſententiam damnâſſe; ſed utramque reliquiſſe cum illa probabilitate, donec quid aliud definiatur à ſede Apoſtolica; ſed tantum inhibuiſſe, ne quis inurere præſumat alicujus theologicæ cenſuræ notâ ſententiam negantem, vel aſſerentem in attritione dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe: ſiquidem Romanus Pontifex ſuo Decreto eò unicè intenderat, ut nullus cenſurâ, injuriâ, vel contumeliâ alterutram ſententiam inureret; ut fomites diſſidiarum inter Scholaſticos extingueret; & pacem inter ipſos inveheret. Quia autem Pontifex in præfato Decreto aſſerat ſententiam negantem neceſſariam dilectionem Dei adjunctam attritioni intra Sacramentum hodie videri communiorem inter Scholaſticos, potius videtur huic ſententiæ utpote communiori favere. Præterea non negamus attritioni intra Sacramentum adnexam eſſe dilectionem Dei inchoatam, ut ſuperius explicuimus, quia hæc attritio juncta Sacramento impetrat gratiam ſanctificantem, & habitum charitatis, cujus beneficio reſipiſcens producit actum dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe; adeout attritio concepta ex timore gehennæ, & conjuncta Sacramento pœnitentiæ ſit quædam inchoatio hujus amoris Dei ſuper omnia, qui elicitur poſtea ab habitu charitatis.

Objiciunt nonò, quia attritionem conceptam ex timore gehennæ junctam Sacramento pœnitentiæ remittere peccata, & reconciliare Deo peccatorem, non eſt de fide, cum adſint plures Theologi, qui doceant talem attritionem non delere peccata: ex quo inferunt, ſaltem id incertum eſſe: ergo hujuſmodi attritio non eſt adhibenda etiam intra Sacramentum, ſed eliciendus ſemper eſt actus dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe, ne æterna ſalus hominis periculo committatur, quod nefas eſſet: quia quoties ſunt duæ viæ, una certa & ſine ullo periculo, & alia incerta, non carens periculo perveniendi ad patriam illa eligenda eſt, quæ eſt certa, & tuta ſine periculo, & præferenda alteri incertæ ob periculum. Sed via perveniendi ad remiſ-

Digitized by Google

remiſſionem peccatorum, & reconciliationis cum Deo per prævium dilectionem Dei ſuper omnia propter ſe eſt certa, & alia per ſolam attritionem conceptam & timore gehennæ eſt incerta, cùm à pluribus Theologis aſſeratur inſufficiens ad reconciliandum peccatorem cum Deo: ergo hæc attritio videtur rejicienda, niſi adnexa fuerit dilutioni Dei ſuper omnia propter ſe. Sed contra negatur aſſumptum; quia talis attritio approbatur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 4.* ubi ait: *illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, & quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam Dei impetrarunt.* Præterea quamvis non eſſet noſtra ſententia certa de fide, adhuc eſſet in ſe certa Theologicè: non enim omne, quod eſt theologicè certum, eſt de fide obligante ad id credendum de fide, plura enim ſunt certa certitudine Theologica, quæ tamen nondum fuerunt declarata de fide, ut quòd beatiſſima Virgo Chriſti Mater concepta fuerit ſine macula peccati, originalis, quod eadem cum corpore in cœlum fuit aſſumpta, & tamen utrumque certum eſt certitudine theologica, non verò de fide. Rurſus de fide non eſt præceptum pœnitentiæ non obligare ſtatim poſt peccatum perpetratum, vel quoties peccatum occurrit memoriæ, & tamen id non dicitur incertum eſſe, quia peccator ſtatim patratum peccatum lethale reſipiſcat, illudque ſubjiciat clavibus Eccleſiæ certum eſt reconciliari Deo. Plura alia ſunt, quæ tametſi non ſint certa de fide, ſunt tamen certa certitudine Theologica, aliud enim eſt, certum quid eſſe certitudine Theologica, & aliud certitudine fidei, quamvis non eſſet certum certitudine fidei, quòd attritio concepta ex timore gehennæ intra Sacramentum pœnitentiæ impetret remiſſionem peccatorum, gratiam ſanctificantem, & habitus charitatis, adhuc eſſet certum certitudine Theologica, quæ ſufficit, ut ſalus æterna non committatur periculo, quia attritus ex timore gehennæ accedens ad Sacramentum pœnitentiæ non incurrit Dei offenſam; hac adhibita diſtinctione quæ aliquid poſſit eſſe certum certitudine fidei, & aliud certitudine Theologica facilè corruit argumentum.

Cæterum conſultius ſemper ſuadere pœnitenti reſipiſcenti, ut accedens ad Sacramentum pœnitentiæ eliciat actum perfectæ contritionis, ſeu amoris Dei ſuper omnia propter ſe, quia quod eſt perfectum præferendum cæteris paribus eſt imperfecto. Præterea quia contritio perfecta, & dilectio Dei ſuper omnia propter ſe efficacior eſt ad delenda peccata, & quia fidelis debet ſe promovere ad perfectiora, debet itidem adhibere efficaciora media, quibus conſequatur ſuam ſalutem, proinde contritio præ attritione ſuadenda eſt pœnitentibus reſipiſcentibus, hinc Deus ipſe per ſuam Prophetam *Jobelem 2. cap. 2.* ait: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, in planctu, & ſcindite corda veſtra,* ex eo autem, quòd nobis ſuadeat, flere, plangere & tundere cor, præcepit veram, & perfectam contritionem, ſine qua ex toto corde non poſſumus ad Deum converti: quia ſi convertimur ex toto corde convertimur converſione perfecta, & dilectione Dei ſuper omnia propter ſe. Hinc *Ezechielis 18. Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Iſaiæ 60. Dominus evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde,* ex quo infertur, quòd, qui vult ſanari per pœnitentiam, debeat eſſe corde contrito. Unde Tertullianus *lib. de pœnitentia cap. 9.* ait: *Itaque Exhomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu, atque victu mandat, Sacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare. Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum ſuum; Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari.* Eleganter itidem S. Cyprianus *tractat. de lapſis* ait: *Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſternat, illi mæſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipſe: Revertimini (inquit) ad me ex toto corde veſtro, ſimulque & jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Ad Dominum toto corde redeamus, Iram, & offenſam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus. Lamentari eum putamus, ex toto corde, jejuniis, fletibus planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus paſtus, & ſagina largiore diſtentus, cruditates ſuas poſtridie ructat, nec cibos & potus ſuos cum pauperum neceſſitate communicat? Qui hilaris, ac lætus incedit, quomodo mortem ſuam deflet? cumque ſcriptum ſit, non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ, barbam vellit & faciem ſuam comit: Et placere nunc cuiquam ſtudet, qui Deo diſplicet? An illa ingemiſcit, & plangit, cui vacat, cultum pretioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti, quod perdidit cogitare? Accipere pretioſa ornamenta & monilia elaborata, nec divini, & cœleſtis ornatus damna deflere? Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres pariter, & fleres, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris oſtenderes; Animam tuam miſera perdidiſti, ſpiritualiter mortua, ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare, cœpiſti, & non acriter plangis? non jugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis?*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XI.

Quid ſit Confeſſio, & quomodo neceſſaria?

Confeſſio Sacramentalis definitur à catechiſmo Concilii Tridentini *accuſatio legitima in Sacramento pœnitentiæ de propriis peccatis facta Sacerdoti ad abſolutionem eorundem ab eo recipiendam.* Dicitur accuſatio, quia peccata ita narranda ſunt, non quaſi ea oſtentemus, quemadmodum illi faciunt, qui, cùm malè egerint, lætantur de ſcelere. Neque ſunt commemoranda per modum rei alicujus geſtæ Auditoribus otioſis cauſa delectandi: ſed aperiri debent in confeſſione Sacramentali per modum doloroſæ accuſationis, ut ea in nobis cupiamus vindicare, ait enim Catechiſmus *peccata ſunt ita narranda, non quaſi rem aliquam geſtam otioſis auditoribus exponamus, ſed animo accuſatorio, ità enumeranda ſunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus.* Unde Tertullianus *lib. de pœnitentia cap.* 9. ait: *Exhomologeſis, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Exhomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu, atque victu mandat Sacco, cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare. Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, illacbrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum.* Additur *accuſatio legitima,* quia non quælibet accuſatio ſufficit, ſed ad illam quædam præſcribuntur lege divina conditiones inferiùs explicandæ. Subjungitur *in Sacramento pœnitentiæ*, quia Confeſſio, quæ fit in foro exteriori coram Judice ſæculari, vel Eccleſiaſtico, non eſt materia apta Sacramenti pœnitentiæ. Dicitur *de propriis peccatis*, quia non aliena peccata, ſed propria aperienda ſunt in confeſſione, ac ſubjicienda, clavibus Eccleſiæ. Additur *facta Sacerdoti*, quia ſolus Sacerdos eſt legitimus hujus Sacramenti Miniſter, qui propterea debet præſens eſſe: ſiquidem ex ſpeciali Clementis Papæ VIII. ſententia, opinio aſſerens confeſſionem Sacramentalem per litteras vel internuntium poſſe fieri, ut falſa, & ſcandaloſa damnata fuit, quia tunc confeſſio non eſſet ſecreta; neque certa materia abſolutionis: ſiquidem poſſet contingere, ut pœnitens tempore interjecto, quo ad Confeſſarium ſuam transmitteret epiſtolam, vel mutaret animum, vel laberetur in aliud peccatum, vel etiam è vivis excederet. Poteſt à pœnitente muto extradi confeſſario ſcriptum folium, in quo contineantur peccata, dummodo Confeſſarius ſit præſens, quando ea legit: & poſtea impertiatur immediatè abſolutionem pœnitenti muto: Ut etiam Confeſſarius, vel per ſigna ſenſibilia, vel per ſcripturam poteſt extradere pœnitenti ſurdo pœnitentiam, qua ſatisfaciat pro ſuis peccatis. Demum additur *ad obtinendam remiſſionem peccatorum*, quia, ut notat Catechiſmus, hæc abſolutio peccatorum in ordine ad impetrandam remiſſionem eorundem, & gratiam ſanctificantem eſt finis hujus Sacramenti instituti per modum judicii, in quo pœnitens eſt ſimul reus, & accuſator, & Sacerdos abſolvens eſt Judex, differt enim hoc judicium ab eo, quod agitur in tribunalibus forenſibus, in quibus confeſſionem ſequitur ſupplicium, & pœna, non culpæ liberatio.

Quod verò hæc Sacramentalis confeſſio plurimum præſeferat utilitatis, ex eo eſt certum, quia eſt medium efficaciſſimum ad placandam Dei juſtam iram, & ad ſatisfaciendum illius juſtitiæ pro peccatis noſtris, & plurimum etiam prodeſt ad morum emendationem, quod autem ſit efficax medium ad placandam Dei iram, liquet ex ſcripturis ſacris, ubi cum Adam peccaſſet, Deus ad peccati confeſſionem benigna vocatione hortatus eſt, ut eum à peccato abſolveret, *Geneſ.* 3. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: ubi es?* quæ verba interpretatus S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Geneſ.* ait: *Vel ex ipſa interrogatione, ac dignum eſt, ut obſtupeſcamus ad eminentem Dei Clementiam, non ſolùm quod vocavit, verum etiam, quod per ſe ipſum vocavit. Non ita Judices terreni, qui reos ad tribunal ſuum per Lictores vocant. Verùm Deus non ſic agit: ipſe per ſe vocat, & vocavit Dominus Adam, & dixit illi, Adam ubi es? vide in hac brevi dictione quanta vis recondita ſit. Nam & ipſum vocare, magnæ & ineffabilis eſt clementiæ, tum ob benignam interrogationem, qua erubeſcentem, & neque os aperire, neque linguam movere audentem animabat; tum, quod ipſum dicere, ubi es? plurimam unà cum benignitate vim habet. Adamum, & Evam non ignorans interrogat Deus, ſed ut ſuam declaret miſericordiam, & ad peccatorum confeſſionem provocat, illi verò peccatum excuſarunt, & Adamus in mulierem culpam refudit, mulier in ſerpentem, qua excuſatione culpam cumularunt, quam confeſſione expiaſſent.* Utilis etiam eſt Sacramentalis confeſſio ad ſatisfaciendum Dei juſtitiæ pro peccatis noſtris, quia ut ait S. Ambroſius *lib.* 2. *de Cain & Abel cap.* 9. *Confeſſio pœnarum compendium eſt, inde in judiciis ſæcularibus impoſiti eculeo torquentur negantes, & quadam tangit Judicem miſeratio confitentis, eſt quædam in peccatis verecundia, & pœnitentia portio crimen fateri, nec derivare culpam, ſed recognoſcere. Mitigat Judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium.* Quòd etiam ſit utilis ad emendationem morum, & correctionem vitæ ex eo liquet, quia ex expenſione, & examine, ac recenſione peccatorum, pudet ipſum delinquentem ſui peccati, vel ex conſideratione turpitudinis illius, vel ex timore gehennalis ſupplicii incurrendi, ideoque ad cavendam gehennam proponit morum emendationem, ac non amplius in tales criminum enormitates delabi, proinde ſatagit dolorem ex animo elicere, Sacerdotem adire, & eccleſiæ clavibus ſubjicere, quæ patravit crimina, ut inde beneficio abſolutionis impertitæ à Sacerdote & pœnitentiæ ſibi injunctæ à peccatis liberetur: adeo ut de hiſce peccatoribus dici poſſit, quod Tertullianus de Ethnicis ab Idolorum cultu ad Chriſtum reverſis, & baptiſmo initiatis, ut etiam de lapſis poſt baptiſmum reſipiſcentibus, & Sacramentali exhomologeſi peccata ſua eluentibus ajebat: ſcilicet *non aliunde noſcibiles, quàm de emendatione vitiorum priſtinorum.*

Hinc D. Thomas *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 17. *quæſt.* 3. quatuor recenſet hujus Sacramenti utilitates, quarum prima eſt, quia liberat à culpa, ſeu morte peccati, gratiam confert, & auget: ſecunda, quia liberat à pœna æterna, quam in temporalem purgatorii commutat, & purgatoriam item minuit vi clavium, ut proportionata remaneat viribus pœnitentis, adeo, ut per congruam ſatisfactionem poſſit ſe in hac vita purgare. Tertia quia paradiſum aperit, remotis impedimentis, culpa nimirum, & pœna. Quarta quia tribuit ſpem ſalutis, non

enim

Digitized by Google

enim nobis datur hæc ſpes niſi per Chriſtum; per confeſſionem autem ſe homo ſubjicit Eccleſiæ clavibus, quæ vim ſuam habent ex Chriſti paſſione. Unde D. Auguſtinus *in Pſal.* 66. ait: *Confiteri timor Deo, ne confeſſum damnet; ſi non confeſſus lates, confeſſus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo eſſe non potes occultus: damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus. Lætentur, & exultent Gentes. Unde? per ipſam confeſſionem. Quare? quia bonus eſt, cui confitentur; ad hoc exigit confeſſionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat ſuperbum: ergo triſtis eſto, antequam confitearis, confeſſus exulta, jam ſanaberis.* Et D. Bernardus *epiſt.* 113. *directa ad Sophiam Virginem* ſcribit: *Ama confeſſionem, ſi affectas decorem, confeſſioni jungitur decor, jungitur pulchritudo. Habes utrumque, confeſſionem, & decorem induiſti; & confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus. Si peccata ſunt, in confeſſione lavantur; ſi bona opera, confeſſione commendantur. Cùm mala tua confiteris, ſacrificium eſt Spiritus contribulatus: cùm DEI beneficia, immolas DEO ſacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & juſtum reddit purgatiorem. Abſque confeſſione juſtus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. A mortuo quippe, tanquam qui non ſit, perit confeſſio: Confeſſio igitur peccatoris eſt vita, juſti gloria.*

Quòd vero neceſſitatem attinet Sacramenti pœnitentiæ, certum eſt neceſſarium aliud dici neceſſitate medii, ſine quo non poteſt quis ſalutem conſequi: quo pacto parvulo recens nato eſt ſimpliciter neceſſarius baptiſmus in re neceſſitate medii, ſine quo non poteſt ſalutem conſequi, illud verò dicitur neceſſarium ad ſalutem neceſſitate præcepti, ad quod vel faciendum, vel fugiendum adeſt obligatio ſub lethali culpa, ut vitetur, quod eſt obex ad ſalutem. Hinc duplex intercedit diſcrimen inter neceſſitatem medii, & præcepti primò quia neceſſitas præcepti recipit excuſationem ab ignorantia invincibili: unde qui invincibiliter ignoraret præceptum aliquod obligare ſub lethali, & propterea illud non adimpleret, adhuc æternam ſalutem conſequeretur, ſed neceſſitas medii nullam admittit excuſationem, hinc infans decedens ſine baptiſmo, etiam ex invincibili ignorantia ei non applicato, excluditur à gloria. Secundò, quia quæ neceſſaria ſunt ex præcepto, tantùm negativè concurrunt ad ſalutem, quatenus eorum obſervatio facit, ne peccatum lethale incurratur. Quæ vero neceſſaria ſunt neceſſitate medii, concurrunt poſitivè; quatenus neceſſaria ſunt ad obtinendam gratiam juſtificantem; his prænotatis,

Aſſerendum eſt primò confeſſionem Sacramentalem eſſe de jure divino præceptam, & eſſe dogma fidei definitum in Tridentina Synodo *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & *can.* 6. contra Hæreticos noſtri temporis. Ratio petitur ex ſcripturis, quia Chriſtus *Joan.* 20. poſt reſurrectionem, quando foribus clauſis apparuit Diſcipulis, & inſtituit hoc Sacramentum pœnitentiæ in ſua Eccleſia militante, dixit Diſcipulis ſuis, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quòd ſi Chriſtus hanc remittendi, & retinendi peccata poteſtatem dedit Diſcipulis ſuis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, ſequitur eos Judices effeciſſe peccatorum, ac iiſdem dediſſe hanc poteſtatem retinendi, vel remittendi peccata: ſed Sacerdotes non poſſunt habere hanc poteſtatem retinendi, & judicandi peccata fidelium, ſi ipſi fideles præceptum à Chriſto non habeant confitendi Sacerdoti ſua peccata: quod ſi habeant hoc præceptum aperiendi in confeſſione Sacramentali ſua peccata, ſequitur hanc confeſſionem Sacramentalem eſſe de jure divino. Tum quia Chriſtus Sacramentum pœnitentiæ inſtituit quoad omnes ſuas partes, conſequenter ejus uſus & Sacramentalis confeſſio eſt de jure divino. Firmatur à pari, quia eatenus Sacramentum baptiſmi eſt de jure divino præceptum, quia inſtitutum à Chriſto, qui voluit ad illud ſervandum peculiari præcepto omnes obligari, ergo cùm etiam confeſſio Sacramentalis inſtituta fuerit à Chriſto, ſequitur etiam de jure divino eſſe præceptam. Præterea quia ad Sapientiam providi legiſlatoris pertinet, non ſolùm ſanctiſſimis legibus cives inſtruere: ſed ad eas etiam ſervandas, quantum fieri poteſt, eos obligere. Tum quia præceptum confeſſionis Sacramentalis in lege evangelica ſucceſſit præcepto contritionis, alioquin Chriſtus per præceptum confeſſionis non alleviaſſet in lege evangelica, ſed potius aggravâſſet onus, quia præcepto contritionis addidiſſet etiam præceptum confeſſionis, quod non eſt aſſerendum, cùm Chriſtus dicat, onus ſuum leve eſſe, & jugum ſuave, ſeu legem ſuam evangelicam eſſe levem, ac facilem ſervatu: ergo in lege evangelica confeſſio Sacramentalis eſt præcepta de jure divino, quia in lege veteri contritio erat ex præcepto divino, & obligabat peccatorem ex triplici capite, ſcilicet ex lege juſtitiæ, ut homines ſatisfacerent DEO pro injuria ei illata, ac jus divinum repararent, ſi fuerit læſum per peccatum lethale. Secundo ex lege Charitatis erga DEUM, quæ nos obligat ad ipſum amandum ſuper omnia, ac deteſtandum omne, quod ei diſplicet. Tertio ex lege amoris proprii, quatenus tenemur noſtris ſpiritualibus neceſſitatibus ſubvenire, ac æternæ gehennæ ſupplicia declinare: ſed ex iiſdem capitibus tenentur etiam Chriſtiani in lege evangelica peccata ſua Sacerdotibus confiteri, conſequenter confeſſio Sacramentalis, utpote inſtituta à Chriſto, quando poſt reſurrectionem apparuit diſcipulis januis clauſis *Joan.* 20. dixit illis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Firmatur etiam regula, quam tradit D. Auguſtinus *lib.* 4. *de baptiſmo cap.* 24. ubi ait: *Quod univerſa tenet Eccleſia, & non eſt Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur:* ſed neque ex Conciliis, neque Pontificum decretis conſtat ullum initium hujus præcepti, conſequenter cenſendum eſt, eſſe præceptum divinum traditum authoritate Apoſtolica, ſeu emanatum immediatè à Chriſto, & per Apoſtolos communicatum Eccleſiæ.

Aſſerendum ſecundò confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medii, iis, qui poſt baptiſmum in peccatum lethale ſunt lapſi. Idque probatur etiam ex ſcripturis, præſertim ex illo *Matth.* 18. ubi Chriſtus ſuos alloquens Diſcipulos ait: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt*

ſoluta & in cœlo, quibus verbis ſingularem, & excellentem poteſtatem ligandi, & ſolvendi, remittendi, & retinendi tradidit Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus: hanc autem poteſtatem non potuiſſent Apoſtoli in militanti eccleſia exercere, niſi Chriſtiani poſt ſuſceptum baptiſmum lapſi, omnia peccata lethalia, in quæ ceciderunt, Sacerdoti tenerentur aperire, & confiteri. Allegatio enim, & ſolutio, remiſſio, & retentio peccatorum eſt judicium, quod non poteſt exerceri incognita cauſa, ut aſſerit Concilium Tridentinum, & ejusdem Concilii Catechiſmus: ſi enim Sacerdos in foro pœnitentiæ conſtitutus eſt à Chriſto Judex ad ſolvendum & ligandum, ad remittendum, & retinendum, utique non præcipiti judicio, nec prohibito, ſed juſto, & prudenti arbitrio juxta merita cauſarum utatur tradita ſibi poteſtate: alioquin non haberetur ratum à Chriſto in cœlis, quod ipſe egerit in terris: non poteſt autem Sacerdos ut Judex id præſtare, niſi peccata illi innoteſcant: & peccantis cauſam, de qua judicium ferre debet, plene cognitam habeat, & perſpectam, & hæc cognitio, cùm haberi non poſſit ſine ſpontanea peccatoris confeſſione Sacramentali, qua peccata ſua ſigillatim manifeſtet Sacerdoti, ſequitur hanc Sacramentalem confeſſionem lapſis poſt baptiſmum in peccatum lethale eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum, & aſſecutionem æternæ ſalutis, quia niſi confiteantur peccata ſua, illis non remittuntur, nec ſalutem conſequuntur.

Non tamen hoc Sacramentum confeſſionis eſt neceſſarium neceſſitate medii in re, adeo ut teneatur quiſque pro quolibet eventu ſuſcipere hoc Sacramentum, ſed tantum hanc confeſſionem eſſe neceſſariam in re vel in voto ſeu propoſito confitendi incluſo in contritione, colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 14, *cap.* 4. ratio eſt, quia ſalus nullo modo poteſt obtineri, niſi vel media confeſſione facta in re, vel media Contritione perfecta, in qua includitur votum, ſeu deſiderium efficax confitendi, ergo confeſſio vel in re, vel in voto ſemper eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii. Neque eſt neceſſe, ut hoc votum ſit explicitum, ſed implicitum ſufficit, ut deducitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ubi æquiparat hoc Sacramentum quoad neceſſitatem cum baptiſmo, & votum implicitum baptiſmi ſufficit. Hinc confeſſio Sacramentalis peccatori lapſo poſt ſuſceptum baptiſmum, & habenti perfectam contritionem non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed tantùm neceſſitate præcepti, ratio eſt perſpicua; quia confeſſio ſolùm habet neceſſitatem medii, vel in re, vel in voto contritionis, unde, ſi habeatur hæc perfecta contritio, ceſſat neceſſitas medii, & tantùm urget neceſſitas præcepti, quia contritus, quam primum poteſt, tenetur ex præcepto peccata lethalia, in quæ lapſus eſt, ſubjicere clavibus Eccleſiæ, & aperire in Sacramentali confeſſione; quia tametſi peccata ſint remiſſa quoad culpam, imò & quoad pœnam, nihilominus peccata poſt baptiſmum ſuſceptum commiſſa divino jure ſunt ſubjicienda clavibus Eccleſiæ, unde ſi quis ex revelatione ſciret per actum perfectæ contritionis fuiſſe juſtificatum, adhuc teneretur poſtea tempore conſtituto ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, & ſubjicere eadem peccata clavibus Eccleſiæ, alioquin ſecus faciens peccaret.

Hinc liquet confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam utraque neceſſitate medii, & præcepti; neceſſitas medii etiam oſtenditur ex illo *Joan.* 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: ſiquidem in iſtis verbis continentur illæ duæ propoſitiones conditionales, quarum una eſt: ſi vos peccata remiſeritis, remiſſa erunt: & altera ſi vos peccata retinueritis, retenta erunt: ſed hoc poſterius non verificaretur, ſi hoc Sacramentum non eſſet neceſſarium neceſſitate medii ad obtinendam peccatorum remiſſionem, quia ſine illo obtineri poteſt remiſſio per ſolam contritionem, quamvis niterentur Sacerdotes retinere. Præterea, quia Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ait: Quòd Chriſtus baptizatos, & in crimen lapſos non jam repetito baptiſmo abluit, ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut à peccatis ſuis per Sacerdotum ſententiam liberentur, illa autem verba, *ſiſti voluit*, ſignificant neceſſitatem medii, quia niſi ſe ſiſtant Sacerdotibus non poſſunt abſolvi, quia abſolutio eſt ſententia, quæ non poteſt proferri niſi cognita cauſa, & hæc non poteſt cognoſci, niſi aperiantur in confeſſione peccata Sacerdoti abſolventi. Præterea quia ad hanc poteſtatem ligandi, & ſolvendi pertinet, ut Sacerdotes pœnitentiæ opera, quibus divinæ juſtitiæ ſit ſatis, & radices peccatorum extendantur, & iterati lapſus periculum avertatur, in ſacro illo judicio injungant pœnitentibus, ut docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. atqui ut Sacerdotes in pœnitentia operibus injungendis ita ſe gerant, neceſſe eſt ut peccata pœnitentium particulatim cognoſcant, hæc autem notitia, cùm non poſſit haberi, niſi ex ſpontanea peccatorum confeſſione, ideo neceſſe eſt: ut pœnitentes peccata lethalia, quorum ſe reos noſcunt, Sacerdotibus ſingillatim exponant. Semel enim, quod Chriſtus hanc remittendi, & retinendi peccata poteſtatem dedit Sacerdotibus, ipſos Judices peccatorum conſtituit: ad Judicem autem duo pertinent, unum, ut examinet, & diſcutiat, an reus debeat abſolvi, vel condemnari: ſecundum eſt ipſa poteſtas abſolvendi, & condemnandi, ut patet in omnibus judiciis: Cùm igitur CHRISTUS hæc duo tradiderit ſuis Apoſtolis, ac Sacerdotibus eorum Succeſſoribus, illos Judices effecit. Sed Judex de neceſſitate priusquam proferat ſententiam, tenetur cauſam rei cognoſcere, & hanc non poteſt cognoſcere: niſi illi manifeſtantur, & hæc manifeſtatio fiat ab ipſo pœnitente, qui ſimul eſt accuſator, & reus, non quidem modo miraculoſo, quia Chriſtus nullum modum miraculoſum voluit in hoc Sacramento inſtituere: ſed modo naturali, præſertim cùm hæc manifeſtatio fieri poſſit per modum naturalem: ergo ſi poſt baptiſmum lapſus in peccatum lethale vult abſolvi, & per ſententiam Judicis eccleſiaſtici liberari à culpa, debet neceſſario ſubjicere ſua peccata clavibus eccleſiæ, ſeu illa manifeſtare Sacerdoti, ut Judici, à quo abſolvatur, quæ propterea confeſſio eſt neceſſaria

neceſ-

Digitized by Google

neceſſitate medii iis, qui poſt baptiſmum in peccatum lethale ſunt lapſi, tenetur igitur lapſus poſt baptiſmum ſe ſiſtere huic tribunali ut reum, & peccata ſua per modum accuſationis recenſere. Hinc *Matth.* 16. CHRISTUS ſoli Petro promiſit poteſtatem clavium: *Tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis &c. & cap.* 18. Omnibus Apoſtolis hæc eadem promiſſio fit: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis, erunt ſoluta &c.* & hæc eadem promiſſio adimpleta poſtea fuit, quando poſt reſurrectionem Chriſtus foribus clauſis apparuit Diſcipulis, & inſtituit hoc Sacramentum pœnitentiæ & dicit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Claves enim etiam apud homines poteſtatem ſignificant operiendi, & claudendi, qua ratione Magiſtratibus claves dari ſolent in ſignum poteſtatis (non verò ut Hæretici imperitè interpretantur ad denuntiandam ipſam remiſſionem, & deſignandum miniſterium prædicandi) ad aperiendum effectivè aut claudendum, quapropter de Chriſto *Apocal.* 3. dicitur: *Qui habet clavem David, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit,* ubi Sacri interpretes per clavem illam intelligunt veram poteſtatem Chriſti, quæ effectivè ex propria authoritate abſolvit, & ligat, non verò, quæ tantum ſignificet poteſtatem declarandi, quis ſit ligatus, & quis ſolutus, ut perperam interpretantur Sectarii. Quamobrem cum Chriſtum claves ſuas Apoſtolis, & Sacerdotibus communicaverit veram illis ligandi, & ſolvendi poteſtatem ex authoritate judiciaria conceſſit, & quemadmodum nemo poteſt in clauſam domum ingredi, niſi qui ejus clavem habet, & oſtium ſibi aperit: ſic nemo, cui cœlum ob lethalem culpam eſt clauſum, illud ingredi poteſt, niſi miniſterio Sacerdotum ei janua aperiatur, ſeu abſolvatur à peccatis: quod ſi non eſſet neceſſe, ut per claves Eccleſiæ aperiretur peccatoribus janua cœlorum, vel aliunde pateret aditus ad cœleſtem patriam, fruſtra Chriſtus promiſiſſet Petro claves regni cœlorum, & Apoſtoli fruſtra has claves accepiſſent, ſi abſque clavibus invito etiam Oſtiario aditus pateret.

Quòd verò metaphora ligandi, & ſolvendi, hanc exprimat poteſtatem, perſpicuum eſt, quia ligare, & ſolvere non ſignificant denuntiare, vel declarare, nec tantummodo annuntiare, ſed re ipſa vincula injicere, vel ſolvere, ac demere, alioquin Chriſtus non dixiſſet Petro, quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, ſed dixiſſet, quodcunque erat ſolutum, quia Petrus tantum declaràſſet peccatorum ſolutum, non verò ipſe eum ſolviſſet. Rurſus ipſa cæremonia inſufflationis, qua Chriſtus uſus eſt, cum hanc poteſtatem dedit, eandem probat, quia ſicut *Actor.* 2. Spiritum Sanctum dedit in ſpecie linguarum, quia dedit tunc donum concionandi; ita *Joan.* 20. dedit Spiritum Sanctum inſufflando, quia dedit donum peccata remittendi, non concionando, ut male intelligunt Hæretici, ſed authoritativè extinguendo, & diſſolvendo vincula peccatorum, quia ut flatus ignem extinguit, & ventus nubes diſſipat, ita abſolutio impertita à Sacerdote peccata diſperdit, remittit, & extinguit, juxta illud *Iſaiæ* 44. *Delevi ut nubem peccata tria.*

Neque dici poteſt hanc poteſtatem remittendi, & retinendi peccata à Chriſto ſuis Miniſtris conceſſam nudum eſſe officium legatorum, & Nuntiorum, ſeu Præconum, qui peccatorum veniam, ac remiſſionem pœnitentibus annuntient, hoc enim Hæreticorum commentum falſum eſt, ut liquet ex authoritate Eccleſiæ, quam Patres ab Apoſtolis ad ſua usque tempora transmiſſam ſuis conſignarunt ſcriptis, etenim Chriſtus non dixit Apoſtolis, quorum remiſſa nuntiaveritis, & promulgaveritis peccata, remiſſa ipſis jam erant: Sed ait: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Rurſus nec Præco, nec Nuntius, qui gratiam à rege factam annuntiat, dicitur gratiam impertiri: nec Apparitor, qui ſententiam Judicis promulgat, dicitur damnare reum, vel innocentem abſolvere. Hinc clare infertur Confeſſionem peccatorum eſſe neceſſario faciendam non ſoli DEO, ut aſſerunt Calviniſtæ, ſed etiam homini, non quidem laico deſtituto clavibus Eccleſiæ, ſed Sacerdoti, cui concreditæ ſint claves Eccleſiæ. Idque etiam evincit proteſtatio Joan. 1. *cap.* 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus: ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Non enim ibi loquitur de confeſſione ſoli DEO facienda, ſiquidem *fidelis, & juſtus* referuntur ad promiſſionem divinam, ideo enim DEUS fidelis eſt & juſtus, quia confitentibus peccata remittit, & ſtat ſuis promiſſis, nec fidem fallit, ſed promiſſio de peccatis condonandis iis, qui ſoli DEO confitentur, non videtur ulla extare in ſcriptura evangelica, etenim apertè dicitur, *Joan.* 20. ii, qui Sacerdoti Miniſtro DEI confitentur, abſolvuntur à peccatis. Præterea quia, ſi confeſſio ſoli DEO facta promiſſionem remiſſionis peccatorum haberet, fruſtra dictum eſſet Apoſtolis, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: hinc ſequitur obligatio in lapſis poſt baptiſmum adeundi Sacerdotes, ut abſolvantur à peccatis; adeo ut abſolvi à Sacerdote ſit neceſſarium neceſſitate medii, ut peccator reconcilietur DEO. Præterea quia cùm multò facilius ſit DEO quàm homini confiteri, nemo eſſet, qui ab homine vellet remiſſionem quærere, & manifeſtare propria delicta alteri homini, & falſo dictum eſſet: *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt*, quia per confeſſionem ſoli DEO factam abſolverentur etiam invito Sacerdote. Unde Joannes intelligi aliter non poteſt, niſi de confeſſione Sacramentali.

CAPUT XII.

An Confessio auricularis, quâ Pœnitens distinctè confitetur omnia sua peccata lethalia Sacerdoti Confessario, & absolutio ejusdem sit de jure divino.

CONfessio Sacramentalis, quæ auricularis dicitur, eò quia secretò fiat ad aures Sacerdotis Confessarii de peccatis omnibus lethalibus præmisso debito dolore, & proposito firmo de cætero non peccandi, est humilis, ac dolorosa accusatio propriorum peccatorum apud legitimum Sacerdotem, habentem jurisdictionem absolvendi, in ordine ad obtinendam absolutionem à peccatis: quia, cùm hæc confessio peccatorum sit materia hujus Sacramenti reconciliativi hominis cum Deo mediante absolutione à peccatis, debet hæc confessio consistere in explicatione propriorum peccatorum apud legitimum Sacerdotem, habentem jurisdictionem absolvendi à peccatis. Quæritur, an hæc auricularis Sacramentalis confessio omnium peccatorum lethalium sit de jure divino, adeout teneantur omnes fideles ita confiteri sua peccata. Hæretici olim Montanistæ, & Novatiani negârunt hanc confessionem auricularem esse de jure divino, asserentes nullum adesse præceptum divinum, quo Christiani teneantur sua peccata in particulari manifestaré alteri homini; sed sufficere, si soli Deo, cui manifesta sunt secreta omnia cordium, cum cordis dolore se accusent peccatores, eumque rogent ut velit illis ignoscere, & fidem habeant, ex Dei bonitate, sibi esse condonata: hanc eandem male recoctam crambem excitarunt hæretici nostri temporis, quibus confessio auricularis Sacramentalis est exosa, asserentes, peccata propria non esse manifestanda alteri homini; sed plangenda coram Deo.

Prænotandum est, in confessione Sacramentali aliqua esse de essentia Sacramenti, ut materia, & forma, quibus constituitur essentialiter; & alia esse accidentalia, cujusmodi sunt ritus solemnes, & cæremoniæ, quæ ad confessionem Sacramentalem adhiberi solent, & hi propterea ritus dicuntur accidentales, quia non pertinent ad constitutionem Sacramenti, nec sunt de jure divino, quia hujusmodi cæremoniæ non fuerunt institutæ à Christo, sed ab ecclesia: & quamvis non pertineant ad rationem Sacramenti, ejus tamen dignitatem magis præ oculis ponunt, & confitentium animos pietate ac fervore amoris accensos ad Dei gratiam, suscipiendam ac remissionem peccatorum obtinendam facilius præparant. Quando enim aperto capite ad pedes Sacerdotis se abjiciunt, pectora tundunt oculus vultumque in humum demittunt; & alia hujusmodi Christianæ humilitatis produnt signa, quæ ad Sacramenti rationem, & essentiam non pertinent; ex iisdem tamen conjicimus internum dolorem confitentibus exteriùs peccata sua; & in ipso Sacramento vis quædam cœlestis apprehenditur; & studiosiùs divinam misericordiam præfatis signis imploramus.

Asserendum est, confessionem Sacramentalem particularem omnium & singulorum peccatorum, quæ secretò fit ad aures Sacerdotis, habentis jurisdictionem absolvendi, esse de jure divino, seu institutam à Christo Domino; & assertum esse dogma fidei, fundatum in sacris scripturis: etenim in lege Mosaica *Numer. cap. 5. v. 6.* legitur: *Vir, sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Ubi observatu dignum est, quod hebraicè verbum *Hithuadù* non significet, confitebuntur generaliter, non specificando singula peccata: sed particulariter, & specificativè distinguendo exactè omnia, & singula peccata. Ex novo testamento clarè itidem constat, nostram assertionem esse dogma fidei, Christus enim dedit Apostolis, ac eorum Successoribus potestatem absolvendi, & ligandi seu mittendi peccata *Matth. 18. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Joan. 20. Pax vobis; sicut misit me Pater; & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* Sed Apostoli non poterant remittere, aut retinere peccata aliorum, nisi eorum cognitionem haberent per externam confessionem singulorum peccatorum cum omnibus suis circumstantiis? fuerunt tunc Apostoli constituti judices in hoc sacro tribunali pœnitentiæ Sacramenti, in quo ipso peccator est reus, & accusator sui: Judex autem non potest ferre sententiam nisi causâ cognitâ; non enim judicium fertur in incognitum: neque de actionibus, quæ nobis non innotescunt, possumus judicium ferre, & sententiam pronunciare: ergo si Sacerdos fuit à Christo constitutus Judex peccatorum in ordine ad illa remittenda, vel retinenda; & Judex non potest suum obire munus, nisi sint ipsi explorata crimina rei; sequitur evidenter, esse itidem de fide teneri peccatorem sua peccata distinctè, ac exactè quoad numerum & circumstantias præsertim mutantes speciem manifestare Sacerdoti confessario, à quo possit absolvi: ergo hujusmodi confessio Sacramentalis omnium peccatorum est in ecclesia militante in terris ex institutione Christi; consequenter est de jure divino. *Jacobi 5. v. 6. Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem,* ubi Apostolus agit de Confessione Sacramentali, ut explicant omnes Sancti Patres: alioquin quid prodesset non Sacerdotibus peccata sua confiteri, cum ab iisdem absolvere non possint nisi Sacerdotes: jubet ergo Apostolus, ut peccata confiteamur hominibus habentibus à Christo potestatem absolvendi & ligandi, cujusmodi sunt Sacerdotes. Rursus 1. *Joan. 1. v. 9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est; & justus ut remittat peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate,* ubi est sermo non de confessione, quæ fit Deo, sed quæ fit Sacerdoti, ut constat ex promissione remissionis peccatorum, quæ Deo peccata sua confitenti nunquam facta est. Rursus si eatenus fidelis, & justus est Deus, quod peccata remittat confitenti, sequitur peccata necessario esse in confessione Sacramentali manifestanda Sacerdoti, à quo per sententiam absolutionis remittantur, & quidem sunt clavibus ecclesiæ subjicienda singula, si velimus in singulis habere justum & fidelem remissorem DEUM. Rursus Apostolus 2. *Corinth. 5. v. 18. & cap. 9.* ait: *Dedit nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis pro Christo, ergo legatione fungimur.* Hæc autem

verba

Digitized by Google

verba pertinere ad poteſtatem clavium etiam ipſi Hæretici non diffitentur, qui autem Legati mittuntur; ut Regis ſubditos regia authoritate reconcilient, id juſtè non exequerentur, niſi ſcirent, quantum, & in quibus ſubditi deliquerint, & quam pœnam illi parati ſunt ſubire: ſi igitur Sacerdotes pro Chriſti legatione funguntur, ut peccatores Chriſto reconcilient, neceſſe erit, ut prius ſciant, quantum, & in quibus deliquerint, quod aliter quam per confeſſionem particularem, & ſecretam ſingulorum peccatorum ſcire poſſunt, unde confeſſionem auricularem Sacramentalem, ac particularem, qua pœnitens clarè, & diſtinctè confitetur propria peccata in particulari, conſtat eſſe de jure divino, & dogma fidei, eô quia deſumatur ex ſacris Scripturis.

Quòd verò praxis hujus confeſſionis ſemper viguerit in Eccleſia à tempore Apoſtolorum, etiam liquet ex illo *Actor. cap.* 19. *v.* 18, ubi habetur: *Multi autem credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos: Multi autem ex eis, qui erant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus*, ex quibus claret, quod primi fideles tempore Apoſtolorum confitebantur actus ſuos, non quidem in genere, quia in textu Syriaco habetur: *Numerantes actus ſuos*, neque illud verbum *actus* miracula deſignabat, quia miracula non poterant appellare ſuos actus, cùm miracula ſint ſolius Dei; Præterea verſio Syriaca pro *actus ſuos* habet offenſas: ſed nec aliquos tantùm actus annuntiabant, ut putant Hæretici cum Brochmanno, ſed omnes, quia ubique ſcriptura remiſſionis peccatorum meminit, & ſi non ad unum aliquod reſtringat, intelligitur de omnibus, ut *Daniel.* 4. *Matth.* 1. *Joan.* 1. *Luc.* 11.

Hinc Sancti Patres hoc idem fidei dogma à primis eccleſiæ exordiis docuerunt, ut S. Dionyſius, qui floruit tempore Apoſtolorum, ſcribens ad Demophilum, eum reprehendit, quòd Sacerdotem ad fontem gratiæ, & miſericordiæ redeuntem nimis acerbè rejecerit à ſe non abſolutum, id eſt, in Sacramento pœnitentiæ. Clemens Rom. *epiſt.* 1. ſcribit: *Si fortè alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præeſt.* Secundo Sæculo S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 4. ait: *Cerdon ſæpe in eccleſiam veniens exomologeſin faciens, ſic conſummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologeſin faciens.* Tertullianus *lib. de Poenit.* explicat, quid ſit exomologeſis, inquiens: *Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum noſtrum Domino confitemur*: quòd autem dicat exomologeſin fieri Domino, ſignificat, per Sacerdotem Dei miniſtrum; non autem, ſoli Deo, quod clarè deducitur ex ſequentibus, ubi refert nonnullos ex pudore quodam, & humana verecundia ab exomologeſi, ſeu confeſſione Sacramentali abhorruiſſe; hæc autem erubeſcentia locum habet in confeſſione, quæ fit ſoli DEO, ait ipſe: *Pleroſque hoc opus, ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumere, pudoris magis memores, quam ſalutis, veluti illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & cum erubeſcentia ſua pereunt.* Quòd hæc exomologeſis facta fuerit Sacerdoti, & non ſoli Deo, expreſsè aſſerit Origenes 2. *in Levit.* inquiens: *Eſt per poenitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die, ac nocte, & cum non erubeſcit, Sacerdos Domini judicare peccatum ſuum, & quærere medicinam.* Hoc idem aſſerit Cyprianus *lib. de lapſis* inquiens: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.* Tertio Sæculo poſt Apoſtolos meminit hujus praxis in Eccleſia S. Athanaſius, qui expendens verba illa Chriſti: *Invenietis pullum ligatum*, ait: *Nos ipſos examinemus, num ſoluta ſint noſtra vincula, ut in melius proficiamus, quod ſi nondum ſoluta ſint, tradas te ipſum Diſcipulis Jeſu, adſunt enim, qui te ſolvant pro poteſtate ea, quam acceperunt, quæcunque enim ligaveritis in terra, inquit, erunt ligata & in cœlis, & ſi quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis.* S. Ambroſius *lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 6. ait: *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum, ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* Quarto Sæculo S. Chryſoſtomus *lib.* 2. *de Sacerdotio* habet: *Quamobrem multa quidem opus eſt arte, ut, qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere.* S. Hieronymus *ad cap.* 10. *Eccleſiaſt.* ait: *Si quem ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio peccati veneno infecerit, ſi tacuerit, qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri, & Magiſtro voluerit confiteri, Magiſter, qui habet linguam ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit, ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat Medicus, non curat.* S. Auguſtinus paſſim *lib.* 2. *de viſitatione infirm. cap.* 4. ait pulcherrimè: *quæ mentem gravius exacerbant facinora, Sacerdoti manifeſta, nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus involvens, nullis circumitionibus, quod verum eſt, aperiens, deſignanda etiam ſunt, in quibus peccâſti loca, ſi recordaris, & tempora.* Et in *lib.* 50. *homiliar. homil.* 49. *cap.* 3. ait: *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia: nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago*, quia non ſufficit ſoli Deo confiteri, ſed per Sacerdotem Dei Miniſtrum, alioquin ſine cauſa dictum fuiſſet, *quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cælo*, ergo ſine cauſa claves datæ eſſent eccleſiæ Dei. Fruſtramus evangelium Dei? fruſtramus verba Chriſti? promittimus ergo vobis, quod ille negat; per ſubſequentia ſæcula reliqui Sancti Patres hujus dogmatis veritatem, & praxin in Eccleſia ſemper docuerunt, adeo ut non poſſit quis ambigere, hanc auricularem confeſſionem Sacramentalem, ſecreto factam Sacerdoti, in remiſſionem peccatorum ſemper in militanti Eccleſia viguiſſe à tempore Apoſtolorum, ex quo evincitur fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutam, quando poſt reſurrectionem foribus clauſis apparuit diſcipulis *Joan* 20. quibus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Hoc idem fidei dogma Concilia itidem docuerunt, ut Laodicenum *can.* 2. Carthaginenſe III. *can.* 31 & quidem ante annos mille, & centum, ut etiam Cabilonenſe I. *can.* 8. & Gabilonenſe II. *can.* 32. Turonenſe *can.* 22. ante annos nongentos, ut etiam Moguntinum ſub Rabano *can.* 26. Wormacienſe *cap.* 25. Lateranenſe IV, *cap.* 21. Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. Florentinum *in Armenorum inſtructione*, & tandem Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. quæ hoc idem dogma definivit de fide contra Sectarios recentiores, ait enim Synodus: *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in poenis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, & ſingillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere à poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam ha-*

Digitized by Google

bent confeſſione recenſeri, & ſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adverſus duo ultima decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam gravius animam ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur. Hinc argumentor. Eſt de fide Chriſtum dediſſe Eccleſiæ facultatem relaxandi, & retinendi peccata, ut expreſsè conſtat ex prællegatis ſcripturis, adeo ut hæc facultas, remittendi, & retinendi peccata ſit de jure divino: Sed Eccleſia in Concilio Tridentino definivit hanc remiſſionem, retentionem peccatorum non poſſe ſacerdotes in Eccleſia exercere incognita cauſa, adeo ut pœnitentes, ut iiſdem remittantur peccata, teneantur in ſacramentali confeſſione declarare omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent: ergo hæc declaratio, quæ confeſſio auricularis ſecreta, & ſacramentalis dicitur, eſt de jure divino, quia nectitur eſſentialiter cum facultate data à Chriſto Eccleſiæ remittendi, & retinendi peccata, quæ facultas eſt de jure divino, quoties enim duo eſſentialiter nectuntur, ſi eorum unum eſt de jure divino, ſequitur etiam aliud eſſe de jure divino. Præterea, quia Eccleſia, quæ eſt fundamentum, & columna veritatis, non poteſt errare ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ut eſt de fide, & colligitur ex ſcripturis; Sed Eccleſia definivit, Sacerdotes incognita cauſa non poſſe remittere, & retinere peccata, adeo ut hæc facultas remittendi & retinendi peccata, non poſſit à Sacerdotibus in Eccleſia exerceri, niſi cognoſcant diſtinctè, qualia peccata remittant, vel retineant: hinc ſequitur hanc ſacramentalem, ſeu auricularem confeſſionem, qua pœnitentes declarant Sacerdotibus omnia ſua peccata mortalia, eſſe de jure divino: unde Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ait: *Ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit; inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariò exiſtere: quia Dominus Noſter Jeſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Judices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderunt, quo pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient.* Neque urget, quod reſpondent Hæretici, hanc poteſtatem à Chriſto datam Sacerdotibus eſſe tantùm declarationem, quatenus Sacerdotes declarant peccata eſſe remiſſa à Deo. Nam contra eſt, quia illa verba: *Quorum remiſeritis peccata*, non important poteſtatem declarativam, ſed relaxativam, cùm ſemper ſic intellexit Eccleſia, quapropter Sacerdotes non ſolùm declarant, ſed etiam verè & realiter remittunt peccata,

Ratione etiam evincitur, confeſſionem hanc auricularem factam Sacerdoti de omnibus, & ſingulis peccatis lethalibus eſſe de jure divino; ſiquidem, quæ ſunt in Eccleſia de jure humano, conſtat, ea ſuum duxiſſe initium vel ex Concilio aliquo Oecumenico, vel ex decreto alicujus ſummi Pontificis, ſed conſtat ex citationibus ſupra adductis hanc ſacramentalem confeſſionem factam ſecretò Sacerdoti in Sacramento Pœnitentiæ fuiſſe in Eccleſia tempore Apoſtolorum ante decreta Pontificum, & Conciliorum, conſequenter conſtat, eſſe de jure divino. Hoc idem etiam evincitur ex difficultate confeſſionis, etenim, ſi qua res eſt in Eccleſia Catholica, quæ gravis videatur ac difficilis, eſt procul dubio hujuſmodi confeſſio, unde hoc onus nullus purus homo in mundo injungere poterat, cùm Imperatores, Reges, Principes, imò eſt Pontifices ipſi debeant ſe eidem ſubjicere, idque argumento eſt, hoc onus non potuiſſe imponi, niſi à ſolo Chriſto, qui eſt Rex Regum, Dominus dominantium, & cui ſubjiciuntur omnes homines, quamvis dignitate præfulgentes: neque hanc rem graviſſimam de aperiendis ſecretis cordium animique intimioribus cogitationibus Præſules Eccleſiæ potuiſſent præcipere, niſi divina fulti authoritate; neque homines ad illam inclinarentur, niſi DEI præceptum, & Chriſti ſucceſſivè per Apoſtolos, promulgatum utile, & neceſſarium ad aſſecutionem ſalutis cognitum fuiſſet.

Hinc in primitiva Eccleſia triplex fuit in uſu pœnitentia, ſeu confeſſio ſacramentalis una publica pro peccatis publicis, alia ſecreta, & auricularis pro peccatis occultis, quæ ſoli Sacerdoti fiebat, & tertia, quæ, poſt ſecretam confeſſionem ſacerdoti factam, erat publica de peccatis occultis, & congregationi fidelium ſæpe fiebat, ſi ita expedire judicaſſet Præſul Eccleſiæ. De Pœnitentia publica frequens fit mentio apud Sanctos Patres, ut etiam ex Concilio Toletano III. *can.* 12. ubi dicitur: *Quicunque ab Epiſcopo, vel Presbytero ſanus, vel infirmus pœnitentiam poſtulat, ſi vir eſt, prius eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat; ſi verò mulier, prius tondeatur, aut mutet habitum; ſæpius enim Laicis cum fœminis tribuendo pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora, poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.* Et *can.* 11. Concilii Niceni habetur: *Quotquot igitur ſincerè pœnitent, tres annos inter audientes ſint &c. Placuit tamen Sancta Synodo aliquid humanitatis oſtendi circa eos, qui ſub tyrannide Licinii prævaricati ſunt.* De confeſſione ſecreta, & auriculari pro delictis ſecretis adſunt authoritates plurium Patrum Græcorum; etenim D. Baſilius *in regulis brevioribus cap.* 229. ait: *Confeſſio peccatorum his tantùm facienda eſt, qui ea curare valent*, ſcilicet ſacerdòtibus, quibus à Chriſto data eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi; & *cap.* 288. ait: *Neceſſario declaranda ſunt delicta, quibus commiſſa eſt diſpenſatio myſteriorum Dei*, ſcilicet Sacerdotibus. D. Gregorius Niſſenus *orat. in eos, qui alios acerbè judicant*, ait: *Oſtende libenter Sacerdoti occulta tua, aperi ei animæ tuæ ſecreta, ſicut occulta ulcera oſtenduntur Medico, curam habebit ille honoris, & ſalutis tuæ.* Ex Patribus Latinis S. Leo Magnus *epiſt.* 80. *cap.* 2. *ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos* poſt inhibitionem à ſe factam de evulganda confeſſione libellis ſcripta à pœnitentes cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari per ſecretam confeſſionem, ait: *Removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum DEO offertur, dum etiam Sacerdoti.* Confeſſionis publicæ peccatorum occultorum etiam veteres Patres meminerunt. S. Cyprianus *ſerm. de lapſis* ſcribit: Plures conſueviſſe ſe accuſare de idololatria, nec non & de concepta voluntate ſacrificandi Idolis. Origenes *in Levit. cap.* 1. & 2. *homil.* 2. duplicis generis confeſſionis meminit ſuo tempore uſurpatæ: Una, quæ ſoli Sacerdoti fiebat, altera, quæ repetebatur populo poſt primam factam Sacerdoti, & de hac ſcribit *in Pſal.* 36. *homil.* 2. *Circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum,*

Digitized by Google

tuum, ut ita demum, ſi quid ille dixerit, aut conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, & prævideris talem languorem tuum, quia in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt. Tertullianus etiam loquens de hac pœnitentia publica *lib. de pœnitentia* ait: *Grande planè emolumentum,* ait per ironiam *verecundia occultatio delicti pollicetur, proinde & DEUM celabimus? an melius eſt damnatum latere quàm palam abſolvi.* Hæc autem pœnitentia publica de occultis non fiebat ad gehennæ æternæ tantùm remiſſionem (quia ad hanc ſufficit ſecreta confeſſio ſacramentalis) ſed ad pœnæ temporalis plenariam ſolutionem per mulctam illam publicam voluntariè aſſumptam, illa enim concedebatur ad votum pœnitentium, ſed ſemel in vita, unde D. Hieronymus eam vocat ſecundam poſt naufragium tabulam, quod conſulto fiebat ad declinandum abuſus occaſionem: & D. Ambroſius *lib. 2. de pœnitentia cap. 10.* ait: *Sicut baptiſmus unicus eſt, ita & pœnitentia illa, inquam, quæ publicè fit,* ad evacuandam igitur totam temporalem pœnam, gravis hæc fuerat inſtituta pœnitentia in cinere & cilicio, in jejuniis, & quadrageſimali victu in tonſione capitis, pullato habitu, imò & in privatione uſus conjugalis, qua de cauſa requirebatur ante indictionem publicæ pœnitentiæ conſenſus uxoris pro viro, ut etiam mariti pro uxore, & Tertullianus *lib. de pœnitentia* deſcribens hujus generis pœnitentes ait: *Presbyteris advolvi, aris DEI adgeniculari, orationi diutiùs inſtare, calcatui ingredientium templum ſubmitti, &, quod durius mihi videtur, in pleno fidelium cœtu peccata ſua propalare, quorum abſolutionem die tantum Jovis ſancto præſtolabantur pœnitentes,* quæ tamen abſolutio fiebat in loco fori pœnitentialis, &, ut hæc omnia ritè fierent, & calumniandi occaſio reſcinderetur Novatianis; qui pœnitentiam ſacramentalem oppugnabant, & pœnitentes Apoſtatas reconciliari nolebant, ſed judicio DEI volebant relinquendos eſſe, qua Doctrina excludebant omnes canones pœnitentiales Eccleſiæ, & faciebant omnia peccata æqualia, unde primum Schiſma Novati ſuam traxit originem anno 254. contra Cornelium Papam, in qualibet enim Diœceſi ſtatutus fuit Sacerdos Pœnitentiarius, cujus officium erat, præſcribere pœnitentiæ publicæ leges, iis, qui eam requirerent: ideoque pœnitentes primò auricularitet excipiebat, ut diſcernere poſſet, quæ propalare expediret peccata, & quo ritu ea eſſent publicè expianda, non modica enim ad id requirebatur prudentia ne inde oriretur ſcandalum, aut nota inureretur infamiæ complicibus. Hinc refert Sozomenus *lib. 7. hiſtor. cap. 16.* Secreti taciturnitatem requiſitam fuiſſe in Pœnitentiario, ne exceptam jam pœnitentium confeſſionem ſecretam aperiret. Ad ejus itidem officium pertinebat præſcribere modum, & tempus, & in termino pœnitentiæ, diem ſtatuere, quo publicam facerent de præſcriptis peccatis confeſſionem.

Stat igitur confeſſionem ſacramentalem, quæ ſecreto fit ad aures Sacerdotis habentis facultatem abſolvendi, eſſe laudabilem & utilem, ac de jure divino neceſſariam poſt lapſum, & ſuſceptum baptiſmum, adeo ut omnis peccator baptizatus jure divino obligetur ad quærendam remiſſionem peccatorum, & cum DEO reconciliationem, ut habetur *Matth. 3.* & *Luc. 13.* ac in pluribus aliis ſcripturæ locis, & ſolis Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus datam à Chriſto fuiſſe hanc poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, *Joan. 20. v. 22. & 23. Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt,* adeo ut Apoſtoli, & ejus Succeſſores ſint veri Judices à Deo conſtituti, & quia Judices non poſſunt judicare niſi ſingula in particulari reorum crimina audiant, ſequitur peccatores teneri de jure divino Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus ſingula peccata per confeſſionem explicare. Etenim æternus Pater Chriſtum in terras miſit cum vera, & ampliſſima clavi ſeu cum plena & judiciaria poteſtate, & authoritate peccata ſolvendi, & ligandi *Apocal. 3.* Sed Chriſtus hanc eandem clavem, ſeu poteſtatem judiciariam ſuis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus conceſſit, conſequenter Succeſſores Apoſtolorum adhuc retinent hanc judiciariam poteſtatem, quod enim Chriſtus ſuis tradiderit Apoſtolis hanc poteſtatem, liquet ex *Matth. 16. v. 18. Tibi dabo claves regni cœlorum,* ubi fuit pollicitus, quod poſtea apud *Joan. 20. v. 22.* fuit executus. Chriſtus autem non accepit aliam clavem præter poteſtatem ſolvendi, & ligandi (ſiquidem poteſtas prædicandi non eſt clavis) proinde eandem clavem, quam acceperat à Patre ſolvendi, & ligandi, tradidit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, quapropter dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos,* Chriſtus autem fuit miſſus ut peccata remitteret, tanquam Judex vel ea retineret, ergo hanc eandem judiciariam poteſtatem dedit Apoſtolis, & ſuis ſucceſſoribus, quibus dixit: *Ego mitto vos ſicut Pater me miſit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Objiciunt tamen Hæretici, quibus exoſa eſt confeſſio, quæ fiat Sacerdoti ſecreto, hanc enim vocant carnificinam conſcientiarum, eò quia debeant ita confitentes omnia, & ſingula ſua peccata manifeſtare alteri homini, qua ratione eam etiam dicunt impoſſibilem eſſe, quia cùm juſtus in ſcripturis dicatur ſepties in die cadere, non videtur poſſibile, quod qui tantùm ſemel in anno confitetur omnium poſſit meminiſſe peccatorum. Sed contra, quia nulla in hac ſacramentali confeſſione habetur impoſſibilitas, nulla carnificina, quod enim attinet ad peccata illa minima, in quæ juſtus ſepties dicitur in die cadere, nulla adeſt obligatio ea confitendi, ſi adſint peccata lethalia, quæ ſunt materia hujus Sacramenti confeſſionis: ſiquidem peccata venialia cohærent cum gratia ſanctificante, & habitu charitatis, propterea, qui ſepties cadit in die, adhuc dicitur juſtus, ſeu cum gratia ſanctificante. Peccata verò lethalia tenemur confiteri quoad numerum, & circumſtantias præſertim mutantes ſpeciem, ſi poſt diligentem inquiſitionem factam memoriæ occurrant, & circa numerum, ſi quis non poſſit exactè illius meminiſſe, ſufficit, ſi addat circiter, plus, minusve, quod fieri ſine tanta difficultate poteſt, unde non eſt impoſſibilis confeſſio ſingulorum, neque hæc confeſſio, quæ ſecreto fit Sacerdoti, eſt carnificina conſcientiarum, ut vocant Hæretici. Præterea, docentes ipſi, peccata hæc tantùm enumeranda eſſe in particulari, quando DEO confitentur, tunc exigunt, ut numerentur peccata omnia, quorum recordantur, & tamen nullam tunc adeſſe carnificinam, putant, ſed tantùm, cùm fit Sacerdoti Miniſtro Chriſti, unde ſi non eſt impoſſibilis, quando confeſſio fit Deo, nec etiam quando fit Sacerdoti.

Obji-

Objiciunt secundò, quia Apostoli, & eorum Successores in remittendis peccatis non possunt alium modum, & processum servare, nisi illum, quem Christus servavit: sed modus, quem Christus servavit in remittendis peccatis, fuit sine processu judiciario; sed in animo dolentibus, & in se credentibus peccata remisit: ergo etiam nunc, ut in Ecclesia remittantur peccata, sufficit, si peccatores verè dolentes, eos pœniteat peccatorum coram DEO tantum, non ut manifestentur hominibus, & rursus eliciant actum fidei, quo credant, peccata illis remissa per merita passionis JESU Christi; ita docent Lutherani, inficiantur Sacramentum pœnitentiæ, & quibus confessio sacramentalis facta ad aures Sacerdotis est exosa. Sed contra, negatur assumptum; quia inde sequeretur, neque Sacramentum Baptismi fore necessarium ad assecutionem salutis, & ad remissionem peccatorum: quia sine baptismo Christus remisit peccata Magdalenæ, & Paralytico, & aliis pluribus; quia, cùm sit Christus Author Sacramentorum, quæ nondum instituerat, cùm peccata condonavit Magdalenæ, & Paralytico; talis remissio tunc non dependebat à Sacramentis nondum institutis: & cum Christus esset simul DEUS & homo, ideo peccata contra suam legem perpetrata tanquam supremus Princeps potuit simpliciter condonare, & cedere juri suo, quod habebat ad illa punienda. Sacerdotes autem cum sint puri homines, & Ministri Christi, à quo sunt instituti ad ligandum, & solvendum, modum sibi præscriptum acceperunt à Christo, quem modum ne perperam absolvant, vel temerè ligent, tenentur servare, scilicet, ut sententiam absolutionis, vel retentionis pronuncient, ut judices, cognitâ prius causa, ut superius explicuimus; non enim judicium ferri potest in incognitum; propterea tenentur resipiscentes non solum dolere ex animo coram DEO, & credere ob merita passionis JESU Christi remissa sibi peccata: verum etiam post diligens sacrum peccatorum examen tenentur dolentes, illa subjicere clavibus Ecclesiæ & secretò in sacramentali confessione manifestare distinctè, quod species, & numerum, Sacerdoti approbato, & habenti jurisdictionem, ut ab eodem, ut Christi ministro, absolvantur.

Sed urgent hæretici, quia in Sacris Scripturis ad obtinendam peccatorum remissionem tantùm requiritur internus dolor; & non requiritur, ut per confessionem peccata manifestentur alteri homini. DEUS enim resipiscenti ex corde ac verè pœnitenti pollicetur remissionem peccatorum sine ulla manifestatione peccatorum facta alteri homini, seu sine hac prævia confessione, quæ fiat apud homines. *Isa. 1. v. 16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra, quasi vermiculus, veluti lana alba erunt, Ezechiel. 18. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia mandata mea, & fecerit judicium, & justitiam; vitâ vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius.* Sed Deus in suis promissionibus fidelis, & veracissimus, semel, sine prævia manifestatione peccatorum facta hominibus promittit se remissurum peccata, dummodò peccator cesset perversè agere, mores corrigat, & bene vivat: ergo hæc sacramentalis confessio seu manifestatio propriorum peccatorum facta aliis hominibus non est necessaria; consequenter nec de jure divino: quia nostra conditio non est deterior, illâ Judæorum olim sub lege Moysis: sed ut Judæis remitterentur peccata, satis erat, si illi confiterentur apud Deum, si illos pœniteret peccatorum, & vitæ ante actæ, & meliorem instituerent: hæc enim confessio facta apud solum Deum illis obtinuit peccatorum remissionem, cur non etiam nobis in lege Evangelica, in qua Christi jugum suavius est, & onus levius: non enim servitus veteris testamenti præferenda est libertati legis evangelicæ, ut sit illa melioris conditionis.

Respondetur, Deum esse fidelissimum, ac veracissimum, ac polliceri veniam peccatorum illis, quos verè pœniteat peccatorum juxta leges à DEO statutas, & si media adhibeant ad id illis à Dei Providentia parata pro vario hominum statu: propterea sicut in lege veteri ad obtinendam peccatorum veniam, non solum requirebatur interior mentis conversio, & confessio peccatorum facta Deo, cum sincero proposito de cætero non peccandi; verùm etiam ut sacrificia juxta præscriptum legis offerrentur, ut sacrificiis, ac purificationibus peccata expiarentur, ita in lege Evangelica non sufficit sola confessio facta Deo, sed ulterius divina Providentia instituit Sacramentum pœnitentiæ, quò peccata manifestarentur secretò Sacerdotibus Ministris Christi, à quibus absolverentur à peccatis, qui modus obtinendi veniam peccatorum est semper ubique obvius, ac facilior quàm per sacrificia, & purgationes expiare peccata. Unde non sequitur conditionem Christianorum esse deteriorem illâ Judæorum, siquidem, excusso per Christum jugo veterum Sacramentorum, Sacrificiorum, ac ceremoniarum legalium, Christus Dominus alia media, seu Sacramenta nobis dedit virtute majora, actu faciliora, effectu meliora, imo & numero pauciora, ut loquitur D. Augustinus *lib. 9. contra Faustum cap. 13.* Cæterum, quod Hæretici vocant confessionem sacramentalem factam secretò Sacerdoti jugum intolerabile, id omnino temerè adstruunt, quia est Sacramentum in nova lege institutum à Christo, cujus jugum suave est, & onus leve, & cùm lex vetus diceretur lex servitutis, lex evangelica est libertatis, neque confessio sacramentalis est gravior Sacrificiorum apparatu, quæ lex Moysis ad expianda peccata præscribebat. Rursus, quia in lege veteri timore potius pœnæ, quàm amore justitiæ ob legis minas, & terrores populi abstinebant à transgressionibus legis, secus in lege evangelicâ per Spiritum Sanctum intus mentes hominum inflammantem, simulque allicientem, ac suaviter flectentem ad amorem Dei super omnia eliciendum, & peccata sua humili & dolorosa confessione manifestandum, veniam obtinent peccatorum.

Objiciunt ulterius Hæretici celebre Nectarii Episcopi Constantinopolitani, qui Presbyterum Pœnitentiarium Constantinopoli abrogavit: eò quia nobilis quædam Mulier confessa fuerat, Diaconum stupri consuetudinem cum ipsa habuisse, & Nectarium abrogâsse hanc confessionem, & permisisse unumquemque pro arbitrio, & animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere; referunt enim hanc historiam Socrates *lib. 5. histor. Ecclesi. cap. 19* & Sozomenus *lib. 7. cap. 16.* ex quo inferunt Sectarii, Confessionem Sacramentalem tunc non fuisse in usu, vel saltem à Nectario fuisse abrogatam, idque firmant, eò quia S. Joannes Chrysostomus in eadem Constantinopolitana sede succes-

Digitized by Google

ſucceſſit Nectorio, & approbat confeſſionem peccatorum ſoli DEO factam ad obtinendam peccatorum veniam, ait enim *homil. 21. ad populum Antiochenum*: *Neque hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittit, verum & quod ipſa non revelat, nec manifeſta facit, nec conſpicua, nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus, enuntiare, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri.* Unde Chryſoſtomus approbat confeſſionem, quæ ſoli ſit DEO ad obtinendam peccatorum veniam, & non eſſe neceſſe, enuntiare aliis hominibus peccata ſua, ſed ſibi tantùm confiteri, ſibique ſoli rationem reddi jubet, quod exequuntur Sectarii noſtri temporis, quibus confeſſio ſacramentalis eſt exoſa. D. Chryſoſtomus *homil. 2. in Pſalm. 50.* ait: *Peccata tua dicito, ut ea deleas. At pudet dicere, te peccâſſe: dic ea quotidie in oratione. Num enim dico, ut ea conſervo dicas, qui tibi exprobret? Dic DEO, qui eis medetur.* Rurſus *homil. 31. in epiſt. ad Hebr.* ait: *Non tibi dico, ut peccata tanquam pompam in publicum efferas, neque ut apud alios oculos accuſes; ſed ſuadeo, ut pareas Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam, apud DEUM ea confitere, apud Judicem confitere peccata tua orans, ſi non lingua, ſaltem memoria, & ſic miſericordiam impetra.* Hoc eſt argumentum, cui potiſſimum innituntur Hæretici, ut videantur ſibi epinicium canere. Sed contra, quia factum Nectarii favet potiùs noſtræ aſſertioni, & non obficit; etenim ſi Nectarius privatam, & publicam ſuſtulit ſacramentalem confeſſionem, ſequitur neceſſariò hanc antea viguiſſe, non enim potuiſſet auferre, & delere, ſi antea non fuiſſet. Quòd ſi ante Nectarium vigebat in Eccleſia Conſtantinopolitana privatæ & publicæ confeſſionis ſacramentalis uſus, quomodo potuit Nectarius privatæ Eccleſiæ tantùm Præſul legem ſancire univerſali Eccleſiæ derogatoriam Sacramenti inſtituti à Chriſto Domino. Cæterum Pœnitentiarius ille excipiebat primò privatam confeſſionem, & publicè pœnitentiam concedebat, cumque obtigiſſet, quod præfata nobilis fœmina, quæ cum Diacono confeſſa fuit, conſuetudinem ſtupri habuiſſe, & obtinuiſſe facultatem à pœnitentiario publicè pœnitendi, hinc indicta fuerunt jejunia, orationes, & determinata peccata, quæ in termino pœnitentiæ propalaret, ait enim Socrates *loc. cit.* *Mulier longius in confitendo progreſſa, alterius culpa ſe ipſam inſimulat, docet, Diaconum Eccleſiæ cum ipſa dormiviſſe: & ob hoc peccatum hoc modo manifeſtatum Diaconus ab Eccleſia ejectus fuit, & ingens tumultus in populo excitatus.* Hinc Nectarius omnium conſenſu abrogavit Pœnitentiarium, pœnitentiam publicam, & confeſſionem publicam, non verò abrogavit, nec potuiſſet abrogare confeſſionem ſacramentalem, & pœnitentiam privatam, quia hoc Sacramentum, cum fuerit inſtitutum à Chriſto, non poteſt ab homine abrogari, præſertim à Nectario, cùm non eſſet Chriſti Vicarius, nec Petri ſucceſſor in regimine totius Eccleſiæ Catholicæ, ſed tantùm eſſet Præſul privatæ Eccleſiæ. Præterea uſum privatæ confeſſionis ſacramentalis ſemper viguiſſe in Eccleſia Græca, ſatis apertè conſtat ex *can. 102. conſ. 6.* & Nomocanone Græcorum, cui inſerta eſt epiſtola Sancti Gregorii Niſſeni de pœnitentia, & reſponſione Jeremiæ Patriarchæ. Non igitur Nectarii factum ullo modo favet hæreſi Sectariorum negantium Sacramentum privatæ confeſſionis, quia Nectarius nullo modo omnem confeſſionem ſuſtulit, ſed tantùm publicam, non verò privatam, & ideo abrogata fuit confeſſio illa publica, quia mulier illa peccatum, quod erat ignotum, publicè propalavit cum tali ſcandalo cæterorum, ut tumultus fuerit in populo excitatus, ait enim Sozomenus, *à Diacono ſe ſtupratam prodidit, non enim prodidiſſet, niſi ſtuprum occultum fuiſſet, & reſeraſſet, quod intus latebat.* Rurſus conſtat, quòd non ſolùm quædam capitalia crimina, ſed ſigillatim omnia poſt Baptiſmum commiſſa explicare conſueverat Sacerdoti pœnitentiæ Præfecto, ait enim Socrates *loc. cit.* *Delicta poſt Baptiſmum à ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat.* Rurſus quia Pœnitentiarius pro aliis peccatis præter crimen ſtupri, quæ confeſſione privata detexerat hæc mulier, pœnitentiam publicam injunxit, ait enim Socrates: *Presbyter verò, præcepit mulieri, ut jejuniis, & orationibus continuò vacaret, quo ſcilicet unàcum delictorum confeſſione opus etiam pœnitentiæ conveniens oſtenderet,* opus verò conveniens pœnitentiæ occultæ non manifeſtatur publicè, unde peccata occulta præter ſtuprum hæc mulier Pœnitentiario confeſſa fuerat, pro quibus pœnitentiam cùm in Eccleſia perageret, à Diacono violata fuit. Hoc idem etiam confirmat Sozomenus *lib. 7. hiſtor. Eccleſ. cap. 16.* ubi ait: *In petenda venia, peccata neceſſariò confiteri oportere.* Quod verò Nectarius dicatur permiſiſſe, ut unusquisque pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accederet, nihil aliud ſignificat, niſi jugo publicæ confeſſionis, ac publicæ pœnitentiæ ob occulta crimina ſubeundæ ſolutos eſſe fideles in Eccleſia Conſtantinopolitana & Pœnitentiarium ſublatum, rebus reſtitutis in eum ſtatum, in quo erant, antequam Pœnitentiarius inſtitueretur, ut nimirum unusquisque confeſſione ſecreta peccatorum, cùm opus eſſet, expiatus, ad Euchariſtiam accederet.

Quod ad authoritates Sancti Joannis Chryſoſtomi Succeſſoris Nectarii attinet. Reſpondetur D. Joannem Chryſoſtomum non officere confeſſioni ſacramentali privatæ, quam diſſertè, & eleganter adſtruit in libris præſertim de ſacerdotio, unde in præcitatis locis præſertim *homil. 21. ad populum Antiochenum*, & *homil. in Pſalm. 50.* illius tantùm confeſſionis excludit neceſſitatem, ex qua peccatorum infamia publica ſequitur: vel tantum excluſit miniſterium, ſeu teſtimonium ab examine quotidiano conſcientiæ, ſeu à quotidiana pœnitentia, non autem à pœnitentiæ Sacramento: moris enim fuit, ut ſedulo examine ſingulis diebus quisque propriam conſcientiam expiaret, & publicè, quæ die illa acta eſſent, propalarentur aliis hominibus, quam manifeſtationem ob reorum infamiam, quæ paſſim ſequebatur, prohibuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ideoque *homil. 2. in Pſalm. 50.* ait: *Peccata tua dicito, ut ea deleas, at pudet dicere, te peccâſſe, dic ea quotidie in oratione, num enim dico, ut ea conſervo dicas, qui tibi exprobret? Dic DEO, qui eis medetur.* Hoc eſt, non quòd confeſſio ſacramentalis privata ſoli DEO fieri debeat, ſed ne ſimplex examen conſcientiæ aliis manifeſtetur, ne inde oriatur infamia, hinc ait: *Num dico, ut ea conſervo dicas, qui tibi exprobret?* non enim conſervo, vel famulo potuit confeſſio ſacramentalis privata fieri, cùm hæc ſit neceſſariò facienda Sacerdoti, ut Miniſtro Chriſti, unde Chryſoſtomus non fuit locutus de Sacramento pœnitentiæ, quod in Eccleſia adminiſtratur à Sacerdotibus, Miniſtris Chriſti, & habentibus poteſtatem clavium. Præterea loquitur D. Chryſo-

ſtomus de illa confeſſione, qua reſipiſcentes infamiam poſſunt incurrere, & ſcandalum in aliis excitare, & ait, DEUM talem confeſſionem non exigere à peccatoribus, quæ ipſos in diſcrimen poteſt conjicere ſalutis, vel honoris, qualis exigitur ab iis, qui capitalium ſcelerum rei ad tribunalia deferuntur Magiſtratuum, hinc *homil. 31. in epiſt. ad Hebr.* ait: *Non tibi dico, ut peccata tanquam pompam publicam efferas, neque ut apud alios oculos accuſes, ſed ſuadeo, ut pareas Prophetæ dicenti, revela Domino viam tuam.*

Objiciunt tertiò D. Ambroſium *lib. 10. in Luc.* ubi loquens de D. Petro reſipiſcente ait: *Petrus doluit, & flevit, quia erravit ut homo, non invenio quid dixerit, invenio, quòd fleverit, lachrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego, ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri.* Ex hiſce Ambroſii verbis inferunt Hæretici, non eſſe neceſſariam confeſſionem peccatorum, quæ fiant ſecretò Sacerdotibus, eò quia D. Petrus non legitur, hanc confeſſionem feciſſe, ſed tantùm lachrymis deleviſſe ſuum peccatum. Sed contra, quia licèt D. Petrus non confeſſione ſacramentali, ſed fuſu lachrymarum peccatum ſuum deleverit, inde non ſequitur, neceſſarium non eſſe confeſſionem ſacramentalem, quia tunc, quando D. Petrus negavit Magiſtrum ſuum Chriſtum in atrio Pilati, nondum Sacramentum pœnitentiæ erat inſtitutum à Chriſto, conſequenter non fuit neceſſe, ut ſuum peccatum manifeſtaret alteri Sacerdoti, ſed ſatis fuit, ſi vera contritione, & lachrymis contractam maculam deleverit, confeſſio enim eſt pars hujus Sacramenti, quod, cùm nondum fuerit inſtitutum, non potuit D. Petrum obligare ad illud ſuſcipiendum, ſed ſola perfecta contritio ſatis fuit, ut remiſſionem talis peccati obtineret, etenim etiam nunc tantæ eſt contritio efficaciæ, ut ante vocalem confeſſionem dimittat peccata, & quia Sacramentum pœnitentiæ jam inſtitutum eſt à Chriſto, debet perfecta contritio includere votum confeſſionis ſacramentalis peragendæ, adeo, ut quamprimùm poteſt, perfectè contritus teneatur Sacerdotem adire, & clavibus Eccleſiæ peccata ſua ſubjicere, neque D. Ambroſius excludit hanc neceſſitatem edendæ confeſſionis ſacramentalis apud Sacerdotem, imò diſertè adſtruit *lib. 2. de pœnit. cap. 6.* ubi ait: *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum: ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum:* & *cap. 10.* ait: *An quiſquam ferat, ut erubeſcas DEUM rogare, qui non erubeſcis rogare hominem? & pudeat te DEO ſupplicare, quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri.*

Imò tanta eſt neceſſitas ſacramentalis confeſſionis, ut unusquiſque Chriſtianus, cùm ad annos diſcretionis pervenerit, ſeu ad eam ætatem, qua rationis uſum habere poteſt, & bonum ac malum diſcernere teneatur ſacramentaliter confiteri, ut declaravit Concilium Lateranenſe IV. *can. 21.* cujus initium eſt: *Omnis utriusque ſexus.* Neque præſcribi poteſt ad uſum rationis determinatum tempus præciſè, quamvis ordinariè in ſeptennio contingat infantes, uti ratione, ut ait Catechiſmus Concilii Tridentini, *ſed illud univerſè ſtatuendum videtur, ab eo tempore confeſſionem puero indictam eſſe, cum inter bonum, & malum diſcernendi vim habet, in ejusque mentem dolus cadere poteſt. Nam cum ad id vitæ tempus quiſque pervenerit, in quo de ſalute æterna [illegible] eſt, tum primum Sacerdoti peccata [illegible], cum aliter ſalutem ſperare nemini liceat, [illegible] conſcientia premitur.* Qui verò [illegible] ſunt ſibi conſcii, non poſſunt ad [illegible] Euchariſtiæ accedere, nec aliud [illegible] cipere, vel adminiſtrare, niſi prius [illegible] ter confiteantur, ut tradit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 7.* ubi ait: *[illegible] re, revocandum eſt in memoriam [illegible] ptum: Probet autem ſe ipſum homo [illegible] autem conſuetudo declarat, eam [illegible] ſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius [illegible] quantumvis ſibi contritus videatur [illegible] ſacramentali confeſſione ad ſacram [illegible] accedere debeat: quod à Chriſtianis [illegible] ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio [illegible] lebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo [illegible] decrevit.* Quinimo tenemur etiam [illegible] mentalis confeſſionis quoties mortis [illegible] minet, quia, ut docet D. Thomas *in 4. [illegible] 17. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula 4.* ea [illegible] de neceſſitate ſalutis, tenetur homo [illegible] quoties neceſſitas urget, ea implendi, [illegible] ſalutem amittamus, hinc ſi periculum [illegible] mineat, tenetur homo ad ſuſcipiendum [illegible] & ſi jam ſuſceperit ad ſacramentalem [illegible] nem peragendam. Hinc etiam S[illegible] Apoſtolus præceptum edidit de con[illegible] genda, & extrema unctione ſuſcipienda, [illegible] pter tenentur Medici ſub pœna excommunicatio[illegible] nis monere infirmos periculosè de[illegible] conſcientiam expient per ſacramentalem [illegible] ſionem, ut ſtatuitur in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. *can. 22.* & hoc [illegible] innovavit Clemens V. in Concilio [illegible] *cap. 15.* de pœnitentiis, ubi prohibe[illegible] ci ad infirmos vocati ulterius accedant, [illegible] pergant curare, niſi prius iiſdem [illegible] dictos infirmos Medicum accerſiviſſe [illegible] ac illis proviſum fuerit de ſalute animæ, [illegible] perint Sacramenta Eccleſiæ. Hinc [illegible] les præcepto confeſſionis peragendæ, qui ſe in mortis diſcrimen adducendos pr[illegible] dent, ut mulieres puerperæ, mi[illegible] ineant certamen, & mercatores, [illegible] loſas navigationes inſtituentes, [illegible] ineuntes, imò conſilium utile eſt, ſi [illegible] cramentaliter ſubjiciantur clavibus Eccleſiæ, quoties rem arduam, & perdifficilem [illegible] ditur.

Cæterum hoc præceptum non [illegible] ac quis lapſus eſt in peccatum [illegible] quamvis conſultius eſſet, ſi ſtatim [illegible], ut priſtinæ gratiæ ſtatui reſtituatur, & [illegible] bona egerit, eidem proſit ad meritum, [illegible] confeſſionis præceptum, cùm ſit affirmativum, quamvis ſemper obliget, non tamen ad [illegible], & per hoc affirmativa diſtinguantur [illegible], quia hæc obligant ſemper & ad ſemper, [illegible] mœchaberis, non occides, non falſum teſtimonium dices, ſemper obligant, & ad ſemper, [illegible] pro nullo eventu licitum ſit mœchari, [illegible] innocentem: Tum quia, ut ait D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſtiuncula 4. eadem eſſe videtur ratio de confeſſione, [illegible] differendo, quia utrumque eſt Sacramentum [illegible] tis. Ad Baptiſmum autem [illegible] tur aliquis ſtatim, poſtquam habet [illegible]*

[illegible]

ptiſmi; ita quod peccet mortaliter, niſi ſtatim baptizetur, nec eſt aliquod tempus determinatum, ultra quod, ſi Baptiſmum differat, peccatum mortale incurrat. Sed poteſt contingere, quod in dilatione Baptiſmi mortale erit peccatum, vel non erit: & hoc penſandum eſt ex cauſa dilationis. Hinc ſi ſtatim oblata opportunitate, quis non confitetur, etiam ſi major opportunitas non expectetur, non peccat mortaliter: ſed quando ex articulo temporis neceſſitas confeſſionis inducitur: quia præcepta affirmativa non obligant ad ſtatim, ſed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commodè impleri poſſunt (quia tunc, ſi non daret aliquis eleemoſynam de ſuperfluo, quandocunque pauper monſtraretur, peccaret mortaliter, quod eſt falſum) ſed ex hoc, quod tempus neceſſitatem urgentem adducit.

CAPUT XIII.

De forma Sacramenti pœnitentiæ, ſeu abſolutione, an & moribundo eam non petenti impertiri poſſit.

CErtum eſt, Sacramenti pœnitentiæ formam ſitam eſſe in verbis ore prolatis, ut definitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ubi ait: *Docet præterea ſancta ſynodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe. Ego te abſolvo &c.* Ratio eſt, quia quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramentorum, dependent eſſentialiter ex inſtitutione Chriſti, à quia habetur, quod forma conſiſtit in his verbis, ut habetur ex perpetua praxi, & traditione Eccleſiæ, & Concilio Tridentino, unde forma hujus Sacramenti, ſita eſt in verbis ſupra citatis à Concilio.

Quod ſi dicas, de eſſentia judicii non eſſe, quod ſententia verbis proferatur, ſed Sacramentum pœnitentiæ ſe habet per modum judicii; cujus abſolutio eſt ſententia, ergo non eſt neceſſe, quod proferatur verbis. Contra eſt, diſtinguitur major de eſſentia judicii humani, ac civilis non eſt, quod ſententia proferatur verbis, conceditur, non eſt de eſſentia hujus particularis judicii, negatur, quia, quamvis hoc Sacramentum conficiatur per modum judicii, habet nihilominus aliquot ſpecialia ex Chriſti inſtitutione, ſcilicet quod ſententia proferatur verbis ore ſenſibiliter prolatis.

Sed inſtabis, quia non eſt de eſſentia hujus Sacramenti, quod accuſatio fiat voce, conſequenter nec quod abſolutio exprimatur voce, ſeu ſententia exprimatur verbis ore ſenſibiliter prolatis. Contra eſt, quia Chriſtus determinavit formam hujus Sacramenti in verbis ſenſibilibus, non verò accuſationem, ne muti, qui loqui non poſſunt, commodo deſtituerentur hujus Sacramenti. Si dicas, in matrimonio non requiri neceſſariò verba, ſed ſufficere nutus, conſequenter etiam in hoc Sacramento pœnitentiæ, contra eſt, negatur conſequentia, quia Sacramentum matrimonii fuit aliter inſtitutum à Chriſto: alioquin ſi argumentum valeret, ſequeretur, quod nec formæ aliorum Sacramentorum deberent in verbis conſiſtere.

Quamobrem aſſerendum eſt, formam abſolutionis in Sacramento pœnitentiæ conſiſtere in verbis illis: *Ego abſolvo te à peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, adeo ut preces, quæ ſolent præmitti, vel quæ ſubſequuntur, non pertineant ad ipſam formam, nec neceſſariæ ſint ad hujus Sacramenti adminiſtrationem, imò nec omnia prærecenſita verba ſunt neceſſaria, invocatio enim Trinitatis non eſt neceſſaria, quia nec ex Chriſti inſtitutione, nec ex traditione Eccleſiæ colligitur, hanc invocationem neceſſariam eſſe, conſequenter non eſt de eſſentia abſolutionis.

Quòd ſi dicas, hanc invocationem Trinitatis eſſe de eſſentia Baptiſmi, & confirmationis. Contra eſt, quia invocatio Trinitatis eſt neceſſaria, quia ſpecialiter habetur ex verbis, & inſtitutione Chriſti in Sacramentis Baptiſmi, & confirmationis, non ita in Sacramento pœnitentiæ, conſequenter adeſt diſparitas.

Imò neque pronomen *Ego*, & quidem explicitè prolatum eſt de eſſentia formæ abſolutionis: quia illud pronomen *ego* in re nihil addit præter verbum *abſolvo*, in quo includitur pronomen *ego*, & quidem intrinſecè, proinde ſi omittatur, remanet idem prorſus ſenſus. Major difficultas eſt, an illa duo verba tantùm, *abſolvo te*; ſufficiant ad eſſentiam abſolutionis. Plures affirmant ea innixi ratione, quia illa tantùm verba ſunt de eſſentia formæ abſolutionis, quæ principalem effectum Sacramenti pœnitentiæ ſignificant: ſed ſola hæc duo verba, *abſolvo te*, hunc effectum ſignificant, conſequenter illa tantùm ſufficiunt, & ſunt eſſentialia abſolutioni ſacramentali, & ſufficiunt ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, major probatur, quia de eſſentia Sacramentorum novæ legis eſt, ſignificare id, quod in illis efficitur, proinde ea tantùm ſunt de eſſentia, quæ ſufficiunt ad ſignificandum effectum Sacramenti. Minor oſtenditur, quia verba quoad ſignificationem ſumenda ſunt ex circumſtantiis adjunctis, quibus ex communi hominum inſtitutione determinantur verba ad hoc, vel illud ſignificandum. ſed hæc ſola verba, *abſolvo te*, conſideratis omnibus circumſtantiis, in quibus proferuntur, ſignificant principalem effectum Sacramenti pœnitentiæ; quia quamvis ex ſe ſint indifferentia ad ſignificandam tam abſolutionem à cenſuris, quàm à peccatis; nihilominus, ut prolata ſupra pœnitentem, quia ſua peccata confeſſus eſt Sacerdoti, determinantur ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, quæ eſt principalis effectus hujus Sacramenti.

Nihilominus aſſerendum eſt ſecundò, probabilius eſſe non ſufficere ad eſſentiam abſolutionis illa duo verba: *abſolvo te*, ſed ulterius requiri *à peccatis tuis*, ratio eſt, quia verba abſolutionis cauſant illum effectum, quæ ſe ſolis, & ſecluſa omni circumſtantia ſignificant, adeo ut, ſi ſolum ſignificent effectum indeterminatum, illum cauſent: ſed illa verba, *abſolvo te*, præciſè & ſe ſolis tantùm ſignificant effectum indeterminatum; ſiquidem verbum illud, *abſolvo*, re vera eſt indifferens ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, vel à cenſuris, vel ab aliquo

CAPUT XI.

Quid ſit Confeſſio, & quomodo neceſſaria?

COnfeſſio Sacramentalis definitur à catechiſmo Concilii Tridentini *accuſatio legitima in Sacramento pœnitentiæ de propriis peccatis facta Sacerdoti ad abſolutionem eorundem ab eo recipiendam.* Dicitur accuſatio, quia peccata ita narranda ſunt, non quaſi ea oſtentemus, quemadmodum illi faciunt, qui, cùm malè egerint, lætantur de ſcelere. Neque ſunt commemoranda per modum rei alicujus geſtæ Auditoribus otioſis cauſa delectandi: ſed aperiri debent in confeſſione Sacramentali per modum doloroſæ accuſationis, ut ea in nobis cupiamus vindicare, ait enim Catechiſmus *peccata ſunt ita narranda, non quaſi rem aliquam geſtam otioſis auditoribus exponamus, ſed animo accuſatorio, ita enumeranda ſunt, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus.* Unde Tertullianus *lib. de pœnitentia cap.* 9. ait: *Exhomologeſis, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Exhomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu, atque victu mandat Sacco, cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare. Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, illacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum.* Additur *accuſatio legitima*, quia non quælibet accuſatio ſufficit, ſed ad illam quædam præſcribuntur lege divina conditiones inferiùs explicandæ. Subjungitur *in Sacramento pœnitentiæ*, quia Confeſſio, quæ fit in foro exteriori coram Judice ſæculari, vel Eccleſiaſtico, non eſt materia apta Sacramenti pœnitentiæ. Dicitur *de propriis peccatis*, quia non aliena peccata, ſed propria aperienda ſunt in confeſſione, ac ſubjicienda, clavibus Eccleſiæ. Additur *facta Sacerdoti*, quia ſolus Sacerdos eſt legitimus hujus Sacramenti Miniſter, qui propterea debet præſens eſſe: ſiquidem ex ſpeciali Clementis Papæ VIII. ſententia, opinio aſſerens confeſſionem Sacramentalem per litteras vel internuntium poſſe fieri, ut falſa, & ſcandaloſa damnata fuit, quia tunc confeſſio non eſſet ſecreta; neque certa materia abſolutionis: ſiquidem poſſet contingere, ut pœnitens tempore interjecto, quo ad Confeſſarium ſuam transmitteret epiſtolam, vel mutaret animum, vel laberetur in aliud peccatum, vel etiam è vivis excederet. Poteſt à pœnitente muto extradi confeſſario ſcriptum folium, in quo contineantur peccata, dummodo Confeſſarius ſit præſens, quando ea legit: & poſtea impertiatur immediatè abſolutionem pœnitenti muto: Ut etiam Confeſſarius, vel per ſigna ſenſibilia, vel per ſcripturam poteſt extradere pœnitenti ſurdo pœnitentiam, qua ſatisfaciat pro ſuis peccatis. Demum additur *ad obtinendam remiſſionem peccatorum*, quia, ut notat Catechiſmus, hæc abſolutio peccatorum in ordine ad impetrandam remiſſionem eorundem, & gratiam ſanctificantem eſt finis hujus Sacramenti inſtituti per modum judicii, in quo pœnitens eſt ſimul reus, & accuſator, & Sacerdos abſolvens eſt Judex, differt enim hoc judicium ab eo, quod agitur in tribunalibus forenſibus, in quibus confeſſionem ſequitur ſupplicium, & pœna, non culpæ liberatio.

Quod verò hæc Sacramentalis confeſſio plurimum præſeferat utilitatis, ex eo eſt certum, quia eſt medium efficaciſſimum ad placandam Dei juſtam iram; & ad ſatisfaciendum illius juſtitiæ pro peccatis noſtris, & plurimum etiam prodeſt ad morum emendationem, quod autem ſit efficax medium ad placandam Dei iram, liquet ex ſcripturis ſacris; ubi cum Adam peccaſſet, Deus ad peccati confeſſionem benigna vocatione hortatus eſt, ut eum à peccato abſolveret, *Geneſ.* 3. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: ubi es?* quæ verba interpretatus S. Joannes Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Geneſ.* ait: *Vel ex ipſa interrogatione, ac dignum eſt, ut obſtupeſcamus ad eminentem Dei Clementiam, non ſolùm quod vocavit, verum etiam, quòd per ſe ipſum vocavit. Non ita Judices terreni, qui reos ad tribunal ſuum per Lictores vocant. Verùm Deus non ſic agit: ipſe per ſe vocat; & vocavit Dominus Adam, & dixit illi, Adam ubi es? vide in hac brevi dictione quanta vis recondita ſit. Nam & ipſum vocare, magnæ & ineffabilis eſt clementiæ, tum ob benignam interrogationem, quæ erubeſcentem, & neque os aperire, neque linguam movere audentem animabat; tum, quòd ipſum dicere, ubi es? plurimam unà cum benignitate vim habet. Adamum, & Evam non ignorans interrogat Deus, ſed ut ſuam declaret miſericordiam, & ad peccatorum confeſſionem provocat, illi verò peccatum excuſarunt, & Adamus in mulierem culpam refudit, mulier in ſerpentem, qua excuſatione culpam cumularunt, quam confeſſione expiaſſent.* Utilis etiam eſt Sacramentalis confeſſio ad ſatisfaciendum Dei juſtitiæ pro peccatis noſtris, quia ut ait S. Ambroſius *lib.* 2. *de Cain & Abel cap.* 9. *Confeſſio pœnarum compendium eſt, inde in judiciis ſecularibus impoſiti eculeo torquentur negantes, & quædam tangit Judicem miſeratio confitentis, eſt quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec derivare culpam, ſed recognoſcere. Mitigat Judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium.* Quòd etiam ſit utilis ad emendationem morum, & correctionem vitæ ex eo liquet, quia ex expenſione, & examine, ac recenſione peccatorum, pudet ipſum delinquentem ſui peccati, vel ex conſideratione turpitudinis illius, vel ex timore gehennalis ſupplicii incurrendi, ideoque ad cavendam gehennam proponit morum emendationem, ac non amplius in tales criminum enormitates delabi, proinde ſatagit dolorem ex animo elicere, Sacerdotem adire, & eccleſiæ clavibus ſubjicere, quæ patravit crimina, ut inde beneficio abſolutionis impertitæ à Sacerdote & pœnitentiæ ſibi injunctæ à peccatis liberetur: adeo ut de hiſce peccatoribus dici poſſit, quod Tertullianus de Ethnicis ab Idolorum cultu ad Chriſtum reverſis, & baptiſmo initiatis, ut etiam de lapſis poſt baptiſmum reſipiſcentibus, & Sacramentali exhomologeſi peccata ſua eluentibus ajebat: ſcilicet *non aliunde noſcibiles, quàm de emendatione vitiorum priſtinorum.*

Hinc D. Thomas *in* 4. *ſentent. diſtinct.* 17. *quæſt.* 3. quatuor recenſet hujus Sacramenti utilitates, quarum prima eſt, quia liberat à culpa, ſeu morte peccati, gratiam confert, & auget: ſecunda, quia liberat à pœna æterna, quam in temporalem purgatorii commutat, & purgatoriam item minuit vi clavium, ut proportionata remaneat viribus pœnitentis, adeo, ut per congruam ſatisfactionem poſſit ſe in hac vita purgare. Tertia quia paradiſum aperit, remotis impedimentis, culpa nimirum, & pœna. Quarta quia tribuit ſpem ſalutis, non

enim

Digitized by Google

enim nobis datur hæc ſpes niſi per Chriſtum, per confeſſionem autem ſe homo ſubjicit Eccleſiæ clavibus, quæ vim ſuam habent ex Chriſti paſſione. Unde D. Auguſtinus *in Pſal.* 66. ait: *Conſiteri timor Deo, ne confeſſum damnet; ſi non confeſſus lates, confeſſus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo eſſe non potes occultus: damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus. Lætentur, & exultent Gentes. Unde? per ipſam confeſſionem. Quare? quia bonus eſt, cui confitentur; ad hoc exigit confeſſionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat ſuperbum: ergo triſtis eſto, antequam confitearis, confeſſus exulta, jam ſanaberis.* Et D. Bernardus *epiſt.* 113. *directa ad Sophiam Virginem* ſcribit: *Ama confeſſionem, ſi affectas decorem, confeſſioni jungitur decor, jungitur pulchritudo. Habes utrumque, confeſſionem, & decorem induiſti; & confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus. Si peccata ſunt, in confeſſione lavantur; ſi bona opera, confeſſione commendantur. Cùm mala tua confiteris, ſacrificium eſt Spiritus contribulatus: cùm DEI beneficia, immolas DEO ſacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & juſtum reddit purgatiorem. Abſque confeſſione juſtus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. A mortuo quippe, tanquam qui non ſit, perit confeſſio: Confeſſio igitur peccatoris eſt vita, juſti gloria.*

Quòd vero neceſſitatem attinet Sacramenti pœnitentiæ, certum eſt neceſſarium aliud dici neceſſitate medii, ſine quo non poteſt quis ſalutem conſequi: quo pacto parvulo recens nato eſt ſimpliciter neceſſarius baptiſmus in re neceſſitate medii, ſine quo non poteſt ſalutem conſequi, illud verò dicitur neceſſarium ad ſalutem neceſſitate præcepti, ad quod vel faciendum, vel fugiendum adeſt obligatio ſub lethali culpa, ut vitetur, quod eſt obex ad ſalutem. Hinc duplex intercedit diſcrimen inter neceſſitatem medii, & præcepti primò quia neceſſitas præcepti recipit excuſationem ab ignorantia invincibili: unde qui invincibiliter ignoraret præceptum aliquod obligare ſub lethali, & propterea illud non adimpleret, adhuc æternam ſalutem conſequeretur, ſed neceſſitas medii nullam admittit excuſationem, hinc infans decedens ſine baptiſmo, etiam ex invincibili ignorantia ei non applicato, excluditur à gloria. Secundò, quia quæ neceſſaria ſunt ex præcepto, tantùm negativè concurrunt ad ſalutem, quatenus eorum obſervatio facit, ne peccatum lethale incurratur. Quæ vero neceſſaria ſunt neceſſitate medii, concurrunt poſitivè; quatenus neceſſaria ſunt ad obtinendam gratiam juſtificantem; his prænotatis,

Aſſerendum eſt primò confeſſionem Sacramentalem eſſe de jure divino præceptam, & eſſe dogma fidei definitum in Tridentina Synodo *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. & *can.* 6. contra Hæreticos noſtri temporis. Ratio petitur ex ſcripturis, quia Chriſtus *Joan.* 20. poſt reſurrectionem, quando foribus clauſis apparuit Diſcipulis, & inſtituit hoc Sacramentum pœnitentiæ in ſua Eccleſia militante, dixit Diſcipulis ſuis, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quòd ſi Chriſtus hanc remittendi, & retinendi peccata poteſtatem dedit Diſcipulis ſuis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, ſequitur eos Judices effeciſſe peccatorum, ac iiſdem dediſſe hanc poteſtatem retinendi, vel remittendi peccata: ſed Sacerdotes non poſſunt habere hanc poteſtatem retinendi, & judicandi peccata fidelium, ſi ipſi fideles præceptum à Chriſto non habeant confitendi Sacerdoti ſua peccata: quod ſi habeant hoc præceptum aperiendi in confeſſione Sacramentali ſua peccata, ſequitur hanc confeſſionem Sacramentalem eſſe de jure divino. Tum quia Chriſtus Sacramentum pœnitentiæ inſtituit quoad omnes ſuas partes, conſequenter ejus uſus & Sacramentalis confeſſio eſt de jure divino. Firmatur à pari, quia eatenus Sacramentum baptiſmi eſt de jure divino præceptum, quia inſtitutum à Chriſto, qui voluit ad illud ſervandum peculiari præcepto omnes obligari, ergo cùm etiam confeſſio Sacramentalis inſtituta fuerit à Chriſto, ſequitur etiam de jure divino eſſe præceptam. Præterea quia ad Sapientiam providi legiſlatoris pertinet, non ſolùm ſanctiſſimis legibus cives inſtruere: ſed ad eas etiam ſervandas, quantum fieri poteſt, eos obligere. Tum quia præceptum confeſſionis Sacramentalis in lege evangelica ſucceſſit præcepto contritionis, alioquin Chriſtus per præceptum confeſſionis non alleviaſſet in lege evangelica, ſed potius aggravâſſet onus, quia præcepto contritionis addidiſſet etiam præceptum confeſſionis, quod non eſt aſſerendum, cùm Chriſtus dicat, onus ſuum leve eſſe, & jugum ſuave, ſeu legem ſuam evangelicam eſſe levem, ac facilem ſervatu: ergo in lege evangelica confeſſio Sacramentalis eſt præcepta de jure divino, quia in lege veteri contritio erat ex præcepto divino, & obligabat peccatorem ex triplici capite, ſcilicet ex lege juſtitiæ, ut homines ſatisfacerent DEO pro injuria ei illata, ac jus divinum repararent, ſi fuerit læſum per peccatum lethale. Secundo ex lege Charitatis erga DEUM, quæ nos obligat ad ipſum amandum ſuper omnia, ac deteſtandum omne, quod ei diſplicet. Tertiò ex lege amoris proprii, quatenus tenemur noſtris ſpiritualibus neceſſitatibus ſubvenire, ac æternæ gehennæ ſupplicia declinare: ſed ex iiſdem capitibus tenentur etiam Chriſtiani in lege evangelica peccata ſua Sacerdotibus confiteri, conſequenter confeſſio Sacramentalis, utpote inſtituta à Chriſto, quando poſt reſurrectionem apparuit diſcipulis januis clauſis *Joan.* 20. dixit illis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Firmatur etiam regula, quam tradit D. Auguſtinus *lib.* 4. *de baptiſmo cap.* 24. ubi ait: *Quod univerſa tenet Eccleſia, & non eſt Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur:* ſed neque ex Conciliis, neque Pontificum decretis conſtat ullum initium hujus præcepti, conſequenter cenſendum eſt, eſſe præceptum divinum traditum authoritate Apoſtolica, ſeu emanatum immediatè à Chriſto, & per Apoſtolos communicatum Eccleſiæ.

Aſſerendum ſecundò confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medii, iis, qui poſt baptiſmum in peccatum lethale ſunt lapſi. Idque probatur etiam ex ſcripturis, præſertim ex illo *Matth.* 18. ubi Chriſtus ſuos alloquens Diſcipulos ait: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt*

Digitized by Google

ſoluta & in cœlo, quibus verbis ſingularem, & excellentem poteſtatem ligandi, & ſolvendi, remittendi, & retinendi tradidit Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus: hanc autem poteſtatem non potuiſſent Apoſtoli in militanti eccleſia exercere, niſi Chriſtiani poſt ſuſceptum baptiſmum lapſi, omnia peccata lethalia, in quæ ceciderunt, Sacerdoti tenerentur aperire, & confiteri. Allegatio enim, & ſolutio, remiſſio, & retentio peccatorum eſt judicium, quod non poteſt exerceri incognita cauſa, ut aſſerit Concilium Tridentinum, & ejuſdem Concilii Catechiſmus: ſi enim Sacerdos in foro pœnitentiæ conſtitutus eſt à Chriſto Judex ad ſolvendum & ligandum, ad remittendum, & retinendum, utique non præcipiti judicio, nec prohibito, ſed juſto, & prudenti arbitrio juxta merita cauſarum utatur tradita ſibi poteſtate: alioquin non haberetur ratum à Chriſto in cœlis, quod ipſe egerit in terris: non poteſt autem Sacerdos ut Judex id præſtare, niſi peccata illi innoteſcant: & peccantis cauſam, de qua judicium ferre debet, plene cognitam habeat, & perſpectam, & hæc cognitio, cùm haberi non poſſit ſine ſpontanea peccatoris confeſſione Sacramentali, qua peccata ſua ſigillatim manifeſtet Sacerdoti, ſequitur hanc Sacramentalem confeſſionem lapſis poſt baptiſmum in peccatum lethale eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad remiſſionem peccatorum, & aſſecutionem æternæ ſalutis, quia niſi confiteantur peccata ſua, illis non remittuntur, nec ſalutem conſequuntur.

Non tamen hoc Sacramentum confeſſionis eſt neceſſarium neceſſitate medii in re, adeo ut teneatur quiſque pro quolibet eventu ſuſcipere hoc Sacramentum, ſed tantum hanc confeſſionem eſſe neceſſariam in re vel in voto ſeu propoſito confitendi incluſo in contritione, colligitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ratio eſt, quia ſalus nullo modo poteſt obtineri, niſi vel media confeſſione facta in re, vel media Contritione perfecta, in qua includitur votum, ſeu deſiderium efficax confitendi, ergo confeſſio vel in re, vel in voto ſemper eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii. Neque eſt neceſſe, ut hoc votum ſit explicitum, ſed implicitum ſufficit, ut deducitur ex Tridentino, *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ubi æquiparat hoc Sacramentum quoad neceſſitatem cum baptiſmo, & votum implicitum baptiſmi ſufficit. Hinc confeſſio Sacramentalis peccatori lapſo poſt ſuſceptum baptiſmum, & habenti perfectam contritionem non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed tantùm neceſſitate præcepti, ratio eſt perſpicua; quia confeſſio ſolùm habet neceſſitatem medii, vel in re, vel in voto contritionis, unde, ſi habeatur hæc perfecta contritio, ceſſat neceſſitas medii, & tantùm urget neceſſitas præcepti, quia contritus, quam primum poteſt, tenetur ex præcepto peccata lethalia, in quæ lapſus eſt, ſubjicere clavibus Eccleſiæ, & aperire in Sacramentali confeſſione; quia tametſi peccata ſint remiſſa quoad culpam, imò & quoad pœnam, nihilominus peccata poſt baptiſmum ſuſceptum commiſſa divino jure ſunt ſubjicienda clavibus Eccleſiæ, unde ſi quis ex revelatione ſciret per actum perfectæ contritionis fuiſſe juſtificatum, adhuc teneretur poſtea tempore conſtituto ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, & ſubjicere eadem peccata clavibus Eccleſiæ, alioquin ſecus faciens peccaret.

Hinc liquet confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam utraque neceſſitate medii, & præcepti; neceſſitas medii etiam oſtenditur ex illo *Joan.* 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: ſiquidem in iſtis verbis continentur illæ duæ propoſitiones conditionales, quarum una eſt: ſi vos peccata remiſeritis, remiſſa erunt: & altera ſi vos peccata retinueritis, retenta erunt: ſed hoc poſterius non verificaretur, ſi hoc Sacramentum non eſſet neceſſarium neceſſitate medii ad obtinendam peccatorum remiſſionem, quia ſine illo obtineri poteſt remiſſio per ſolam contritionem, quamvis niterentur Sacerdotes retinere. Præterea, quia Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ait: Quòd Chriſtus baptizatos, & in crimen lapſos non jam repetito baptiſmo abluit, ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut à peccatis ſuis per Sacerdotum ſententiam liberentur, illa autem verba, *ſiſti voluit*, ſignificant neceſſitatem medii, quia niſi ſe ſiſtant Sacerdotibus non poſſunt abſolvi, quia abſolutio eſt ſententia, quæ non poteſt proferri niſi cognita cauſa, & hæc non poteſt cognoſci, niſi aperiantur in confeſſione peccata Sacerdoti abſolventi. Præterea quia ad hanc poteſtatem ligandi, & ſolvendi pertinet, ut Sacerdotes pœnitentiæ opera, quibus divinæ juſtitiæ fit ſatis, & radices peccatorum extendantur, & iterati lapſus periculum avertatur, in ſacro illo judicio injungant pœnitentibus, ut docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. atqui ut Sacerdotes in pœnitentia operibus injungendis ita ſe gerant, neceſſe eſt ut peccata pœnitentium particulatim cognoſcant, hæc autem notitia, cùm non poſſit haberi, niſi ex ſpontanea peccatorum confeſſione, ideo neceſſe eſt: ut pœnitentes peccata lethalia, quorum ſe reos noſcunt, Sacerdotibus ſingillatim exponant. Semel enim, quod Chriſtus hanc remittendi, & retinendi peccata poteſtatem dedit Sacerdotibus, ipſos Judices peccatorum conſtituit: ad Judicem autem duo pertinent, unum, ut examinet, & diſcutiat, an reus debeat abſolvi, vel condemnari: ſecundum eſt ipſa poteſtas abſolvendi, & condemnandi, ut patet in omnibus judiciis: Cùm igitur CHRISTUS hæc duo tradiderit ſuis Apoſtolis, ac Sacerdotibus eorum Succeſſoribus, illos Judices effecit. Sed Judex de neceſſitate priuſquam proferat ſententiam, tenetur cauſam rei cognoſcere, & hanc non poteſt cognoſcere: niſi illi manifeſtantur, & hæc manifeſtatio fiat ab ipſo pœnitente, qui ſimul eſt accuſator, & reus, non quidem modo miraculoſo, quia Chriſtus nullum modum miraculoſum voluit in hoc Sacramento inſtituere: ſed modo naturali, præſertim cùm hæc manifeſtatio fieri poſſit per modum naturalem: ergo ſi poſt baptiſmum lapſus in peccatum lethale vult abſolvi, & per ſententiam Judicis eccleſiaſtici liberari à culpa, debet neceſſario ſubjicere ſua peccata clavibus eccleſiæ, ſeu illa manifeſtare Sacerdoti, ut Judici, à quo abſolvatur, quæ propterea confeſſio eſt neceſſaria

neceſ-

Digitized by Google

neceſſitate medii iis, qui poſt baptiſmum in peccatum lethale ſunt lapſi, tenetur igitur lapſus poſt baptiſmum ſe ſiſtere huic tribunali ut reum, & peccata ſua per modum accuſationis recenſere. Hinc *Matth.* 16. CHRISTUS ſoli Petro promiſit poteſtatem clavium: *Tibi dabo claves regni Cœlorum, & quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis &c.* & *cap.* 18. Omnibus Apoſtolis hæc eadem promiſſio fit: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis, erunt ſoluta &c.* & hæc eadem promiſſio adimpleta poſtea fuit, quando poſt reſurrectionem Chriſtus foribus clauſis apparuit Diſcipulis, & inſtituit hoc Sacramentum pœnitentiæ & dicit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Claves enim etiam apud homines poteſtatem ſignificant operiendi, & claudendi, qua ratione Magiſtratibus claves dari ſolent in ſignum poteſtatis (non verò ut Hæretici imperitè interpretantur ad denuntiandam ipſam remiſſionem, & deſignandum miniſterium prædicandi) ad aperiendum effectivè aut claudendum, quapropter de Chriſto *Apocal.* 3. dicitur: *Qui habet clavem David, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit,* ubi Sacri interpretes per clavem illam intelligunt veram poteſtatem Chriſti, quæ effectivè ex propria authoritate abſolvit, & ligat, non verò, quæ tantum ſignificet poteſtatem declarandi, quis ſit ligatus, & quis ſolutus, ut perperam interpretantur Sectarii. Quamobrem cum Chriſtum claves ſuas Apoſtolis, & Sacerdotibus communicaverit veram illis ligandi, & ſolvendi poteſtatem ex authoritate judiciaria conceſſit, & quemadmodum nemo poteſt in clauſam domum ingredi, niſi qui ejus clavem habet, & oſtium ſibi aperit: ſic nemo, cui cœlum ob lethalem culpam eſt clauſum, illud ingredi poteſt, niſi miniſterio Sacerdotum ei janua aperiatur, ſeu abſolvatur à peccatis: quod ſi non eſſet neceſſe, ut per claves Eccleſiæ aperiretur peccatoribus janua cœlorum, vel aliunde pateret aditus ad cœleſtem patriam, fruſtra Chriſtus promiſiſſet Petro claves regni cœlorum, & Apoſtoli fruſtra has claves accepiſſent, ſi abſque clavibus invito etiam Oſtiario aditus pateret.

Quòd verò metaphora ligandi, & ſolvendi, hanc exprimat poteſtatem, perſpicuum eſt, quia ligare, & ſolvere non ſignificant denuntiare, vel declarare, nec tantummodo annuntiare, ſed re ipſa vincula injicere, vel ſolvere; ac demere, alioquin Chriſtus non dixiſſet Petro, quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum, ſed dixiſſet, quodcunque erat ſolutum, quia Petrus tantum declaráſſet peccatorum ſolutum, non verò ipſe eum ſolviſſet. Rurſus ipſa cæremonia inſufflationis, qua Chriſtus uſus eſt, cum hanc poteſtatem dedit, eandem probat, quia ſicut *Actor.* 2. Spiritum Sanctum dedit in ſpecie linguarum, quia dedit tunc donum concionandi; ita *Joan.* 20. dedit Spiritum Sanctum inſufflando, quia dedit donum peccata remittendi, non concionando, ut male intelligunt Hæretici, ſed authoritativè extinguendo, & diſſolvendo vincula peccatorum, quia ut flatus ignem extinguit, & ventus nubes diſſipat, ita abſolutio impertita à Sacerdote peccata diſperdit, remittit, & extinguit, juxta illud *Iſaiæ* 44. *Delevi ut nubem peccata tria.*

Neque dici poteſt hanc poteſtatem remittendi, & retinendi peccata à Chriſto ſuis Miniſtris conceſſam nudum eſſe officium legatorum, & Nuntiorum, ſeu Præconum, qui peccatorum veniam, ac remiſſionem pœnitentibus annuntient, hoc enim Hæreticorum commentum falſum eſt, ut liquet ex authoritate Eccleſiæ, quam Patres ab Apoſtolis ad ſua uſque tempora tranſmiſſam ſuis conſignarunt ſcriptis, etenim Chriſtus non dixit Apoſtolis, quorum remiſſa nuntiaveritis, & promulgaveritis peccata, remiſſa ipſis jam erant: Sed ait: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Rurſus nec Præco, nec Nuntius, qui gratiam à rege factam annuntiat, dicitur gratiam impertiri: nec Apparitor, qui ſententiam Judicis promulgat, dicitur damnare reum, vel innocentem abſolvere. Hinc clare infertur Confeſſionem peccatorum eſſe neceſſario faciendam non ſoli DEO, ut aſſerunt Calviniſtæ, ſed etiam homini, non quidem laico deſtituto clavibus Eccleſiæ, ſed Sacerdoti, cui concreditæ ſint claves Eccleſiæ. Idque etiam evincit proteſtatio Joan. 1. *cap.* 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus: ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Non enim ibi loquitur de confeſſione ſoli DEO facienda, ſiquidem *fidelis, & juſtus* referuntur ad promiſſionem divinam, ideo enim DEUS fidelis eſt & juſtus, quia confitentibus peccata remittit, & ſtat ſuis promiſſis, nec fidem fallit, ſed promiſſio de peccatis condonandis iis, qui ſoli DEO confitentur, non videtur ulla extare in ſcriptura evangelica, etenim apertè dicitur. *Joan.* 20. ii, qui Sacerdoti Miniſtro DEI confitentur, abſolvuntur à peccatis. Præterea quia, ſi confeſſio ſoli DEO facta promiſſionem remiſſionis peccatorum haberet, fruſtra dictum eſſet Apoſtolis, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: hinc ſequitur obligatio in lapſis poſt baptiſmum adeundi Sacerdotes, ut abſolvantur à peccatis; adeo ut abſolvi à Sacerdote ſit neceſſarium neceſſitate medii, ut peccator reconcilietur DEO. Præterea quia cùm multò facilius ſit DEO quàm homini confiteri, nemo eſſet, qui ab homine vellet remiſſionem quærere, & manifeſtare propria delicta alteri homini, & falsò dictum eſſet: *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt,* quia per confeſſionem ſoli DEO factam abſolverentur etiam invito Sacerdote. Unde Joannes intelligi aliter non poteſt, niſi de confeſſione Sacramentali.

Digitized by Google

CAPUT XII.

An Confessio auricularis, quâ Pœnitens distinctè confitetur omnia sua peccata lethalia Sacerdoti Confessario, & absolutio ejusdem sit de jure divino.

Confessio Sacramentalis, quæ auricularis dicitur, eò quia secretò fiat ad aures Sacerdotis Confessarii de peccatis omnibus lethalibus præmisso debito dolore, & proposito firmo de cætero non peccandi, est humilis, ac dolorosa accusatio propriorum peccatorum apud legitimum Sacerdotem, habentem jurisdictionem absolvendi, in ordine ad obtinendam absolutionem à peccatis: quia, cùm hæc confessio peccatorum sit materia hujus Sacramenti reconciliativi hominis cum Deo mediante absolutione à peccatis, debet hæc confessio consistere in explicatione propriorum peccatorum apud legitimum Sacerdotem, habentem jurisdictionem absolvendi à peccatis. Quæritur, an hæc auricularis Sacramentalis confessio omnium peccatorum lethalium sit de jure divino, adeout teneantur omnes fideles ita confiteri sua peccata. Hæretici olim Montanistæ, & Novatiani negârunt hanc confessionem auricularem esse de jure divino, asserentes nullum adesse præceptum divinum, quo Christiani teneantur sua peccata in particulari manifestare alteri homini; sed sufficere, si soli Deo, cui manifesta sunt secreta omnia cordium, cum cordis dolore se accusent peccatores, eumque rogent ut velit illis ignoscere, & fidem habeant, ex Dei bonitate, sibi esse condonata: hanc eandem male recoctam crambem excitarunt hæretici nostri temporis, quibus confessio auricularis Sacramentalis est exosa, asserentes, peccata propria non esse manifestanda alteri homini; sed plangenda coram Deo.

Prænotandum est, in confessione Sacramentali aliqua esse de essentia Sacramenti, ut materia, & forma, quibus constituitur essentialiter; & alia esse accidentalia, cujusmodi sunt ritus solemnes, & cæremoniæ, quæ ad confessionem Sacramentalem adhiberi solent, & hi propterea ritus dicuntur accidentales, quia non pertinent ad constitutionem Sacramenti, nec sunt de jure divino, quia hujusmodi cæremoniæ non fuerunt institutæ à Christo, sed ab ecclesia: & quamvis non pertineant ad rationem Sacramenti, ejus tamen dignitatem magis præ oculis ponunt, & confitentium animos pietate ac fervore amoris accensos ad Dei gratiam, suscipiendam ac remissionem peccatorum obtinendam facilius præparant. Quando enim aperto capite ad pedes Sacerdotis se abjiciunt, pectora tundunt oculos vultumque in humum demittunt; & alia hujusmodi Christianæ humilitatis produnt signa, quæ ad Sacramenti rationem, & essentiam non pertinent; ex iisdem tamen conjicimus internum dolorem confitentibus exteriùs peccata sua; & in ipso Sacramento vis quædam cœlestis apprehenditur; & studiosiùs divinam misericordiam præfatis signis imploramus.

Asserendum est, confessionem Sacramentalem particularem omnium & singulorum peccatorum, quæ secretò fit ad aures Sacerdotis, habentis jurisdictionem absolvendi, esse de jure divino, seu institutam à Christo Domino; & assertum esse dogma fidei, fundatum in sacris scripturis: etenim in lege Mosaica *Numer. cap. 5. v. 6.* legitur: *Vir, sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Ubi observatu dignum est, quod hebraicè verbum *Hithuadù* non significet, confitebuntur generaliter, non specificando singula peccata: sed particulatiter, & specificativè distinguendo exactè omnia, & singula peccata. Ex novo testamento clarè itidem constat, nostram assertionem esse dogma fidei, Christus enim dedit Apostolis, ac eorum Successoribus potestatem absolvendi, & ligandi seu mittendi peccata *Matth. 18.* *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in cœlo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Joan. 20.* *Pax vobis; sicut misit me Pater; & ego mitto vos.* *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* Sed Apostoli non poterant remittere, aut retinere peccata aliorum, nisi eorum cognitionem haberent per externam confessionem singulorum peccatorum cum omnibus suis circumstantiis? fuerunt tunc Apostoli constituti judices in hoc sacro tribunali pœnitentiæ Sacramenti, in quo ipso peccator est reus, & accusator sui: Judex autem non potest ferre sententiam nisi causâ cognitâ; non enim judicium fertur in incognitum: neque de actionibus, quæ nobis non innotescunt, possumus judicium ferre, & sententiam pronunciare: ergo si Sacerdos fuit à Christo constitutus Judex peccatorum in ordine ad illa remittenda, vel retinenda; & Judex non potest suum obire munus, nisi sint ipsi explorata crimina rei; sequitur evidenter, esse itidem de fide teneri peccatorem sua peccata distinctè, ac exactè quoad numerum & circumstantias præsertim mutantes speciem manifestare Sacerdoti confessario, à quo possit absolvi: ergo hujusmodi confessio Sacramentalis omnium peccatorum est in ecclesia militante in terris ex institutione Christi; consequenter est de jure divino. *Jacobi 5. v. 6. Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem,* ubi Apostolus agit de Confessione Sacramentali, ut explicant omnes Sancti Patres: alioquin quid prodesset non Sacerdotibus peccata sua confiteri, cum ab iisdem absolvere non possint nisi Sacerdotes: jubet ergo Apostolus, ut peccata confiteamur hominibus habentibus à Christo potestatem absolvendi & ligandi; cujusmodi sunt Sacerdotes. Rursus *1. Joan. 1. v. 9.* *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est: & justus ut remittat peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate,* ubi est sermo non de confessione, quæ fit Deo, sed quæ fit Sacerdoti, ut constat ex promissione remissionis peccatorum, quæ Deo peccata sua confitenti nunquam facta est. Rursus si eatenus fidelis, & justus est Deus, quod peccata remittat confitenti, sequitur peccata necessario esse in confessione Sacramentali manifestanda Sacerdoti, à quo per sententiam absolutionis remittantur, & quidem sunt clavibus ecclesiæ subjicienda singula, si velimus in singulis habere justum & fidelem remissorem DEUM. Rursus Apostolus *2. Corinth. 5. v. 18. & cap. 9.* ait: *Dedit nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis pro Christo, ergo legatione fungimur.* Hæc autem verba

Digitized by Google

verba pertinere ad poteſtatem clavium etiam ipſi Hæretici non diffitentur, qui autem Legati mittuntur: ut Regis ſubditos regia authoritate reconcilient, id juſtè non exequerentur, niſi ſcirent, quantum, & in quibus ſubditi deliquerint, & quam pœnam illi parati ſunt ſubire: ſi igitur Sacerdotes pro Chriſti legatione funguntur, ut peccatores Chriſto reconcilient, neceſſe erit, ut prius ſciant, quantum, & in quibus deliquerint, quod aliter quam per confeſſionem particularem, & ſecretam ſingulorum peccatorum ſcire poſſunt, unde confeſſionem auricularem Sacramentalem, ac particularem, qua pœnitens clarè, & diſtinctè confitetur propria peccata in particulari, conſtat eſſe de jure divino, & dogma fidei, eò quia deſumatur ex ſacris Scripturis.

Quòd verò praxis hujus confeſſionis ſemper viguerit in Eccleſia à tempore Apoſtolorum, etiam liquet ex illo *Actor. cap. 19. v. 18.* ubi habetur: *Multi autem credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos: Multi autem ex eis, qui erant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus*; ex quibus claret, quod primi fideles tempore Apoſtolorum confitebantur actus ſuos, non quidem in genere, quia in textu Syriaco habetur: *Numerantes actus ſuos*, neque illud verbum *actus* miracula deſignabat, quia miracula non poterant appellare ſuos actus, cùm miracula ſint ſolius Dei; Præterea verſio Syriaca pro *actus ſuos* habet offenſas: ſed nec aliquos tantùm actus annuntiabant, ut putant Hæretici cum Brochmanno, ſed omnes, quia ubique ſcriptura remiſſionis peccatorum meminit, & ſi non ad unum aliquod reſtringat, intelligitur de omnibus, ut *Daniel.* 4. *Matth.* 1. *Joan.* 1. *Luc.* 11.

Hinc Sancti Patres hoc idem fidei dogma à primis eccleſiæ exordiis docuerunt, ut S. Dionyſius, qui floruit tempore Apoſtolorum, ſcribens ad Demophilum, eum reprehendit, quòd Sacerdotem ad fontem gratiæ, & miſericordiæ redeuntem nimis acerbè rejecerit à ſe non abſolutum, id eſt, in Sacramento pœnitentiæ. Clemens Rom. *epiſt.* 1. ſcribit: *Si fortè alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hac huic, qui præeſt.* Secundo Sæculo S. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 4. ait: *Cerdon ſæpe in eccleſiam veniens exomologeſin faciens, ſic conſummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologeſin faciens.* Tertullianus *lib. de Pœnit.* explicat, quid ſit exomologeſis, inquiens: *Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum noſtrum Domino confitemur*: quòd autem dicat exomologeſin fieri Domino, ſignificat, per Sacerdotem Dei miniſtrum; non autem, ſoli Deo, quod clarè deducitur ex ſequentibus, ubi refert nonnullos ex pudore quodam, & humana verecundia ab exomologeſi, ſeu confeſſione Sacramentali abhorruiſſe; hæc autem erubeſcentia locum habet in confeſſione, quæ fit ſoli DEO, ait ipſe: *Pleroſque hoc opus, ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumere, pudoris magis memores, quam ſalutis, veluti illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & cum erubeſcentia ſua pereunt.* Quòd hæc exomologeſis facta fuerit Sacerdoti, & non ſoli Deo, expreſsè aſſerit Origenes 2. *in Levit*, inquiens: *Eſt per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die, ac nocte, & cum non erubeſcit, Sacerdos Domini judicare peccatum ſuum, & quærere medicinam.* Hoc idem aſſerit Cyprianus *lib. de lapſis* inquiens: *Confiteantur ſinguli, quaſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.* Tertio Sæculo poſt Apoſtolos meminit hujus praxis in Eccleſia S. Athanaſius, qui expendens verba illa Chriſti: *Invenietis pullum ligatum*, ait: *Nos ipſos examinemus, num ſolutaſint noſtra vincula, ut in melius proficiamus, quod ſi nondum ſoluta ſint, tradas te ipſum Diſcipulis Jeſu, adſunt enim, qui te ſolvant pro poteſtate ea, quam acceperunt, quæcunque enim ligaveritis in terra, inquit, erunt ligata & in cœlis, & ſi quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis.* S. Ambroſius *lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 6. ait: *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum, ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* Quarto Sæculo S. Chryſoſtomus *lib.* 2. *de Sacerdotio* habet: *Quamobrem multa quidem opus eſt arte, ut, qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere.* S. Hieronymus *ad cap.* 10. *Eccleſiaſt.* ait: *Si quem ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio peccati veneno infecerit, ſi tacuerit, qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri, & Magiſtro voluerit confiteri, Magiſter, qui habet linguam ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit, ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat Medicus, non curat.* S. Auguſtinus paſſim *lib.* 2. *de viſitatione infirm. cap.* 4. ait pulcherrimè: *quæ mentem gravius exacerbant facinora, Sacerdoti manifeſta, nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus involvens, nullis circumitionibus, quod verum eſt, operiens, deſignanda etiam ſunt, in quibus peccâſti loca, ſi recordaris, & tempora.* Et in *lib.* 50. *homiliar. homil.* 49. *cap.* 3. ait: *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia: nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago*, quia non ſufficit ſoli Deo confiteri, ſed per Sacerdotem Dei Miniſtrum, alioquin ſine cauſa dictum fuiſſet, *quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cœlo*, ergo ſine cauſa claves datæ eſſent eccleſiæ Dei. Fruſtramus evangelium Dei? fruſtramus verba Chriſti? promittimus ergo vobis, quod ille negat; per ſubſequentia ſæcula reliqui Sancti Patres hujus dogmatis veritatem, & praxin in Eccleſia ſemper docuerunt, adeo ut non poſſit quis ambigere, hanc auricularem confeſſionem Sacramentalem, ſecreto factam Sacerdoti, in remiſſionem peccatorum ſemper in militanti Eccleſia viguiſſe à tempore Apoſtolorum, ex quo evincitur fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutam, quando poſt reſurrectionem foribus clauſis apparuit diſcipulis *Joan* 20. quibus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Hoc idem fidei dogma Concilia itidem docuerunt, ut Laodicenum *can.* 2. Carthaginenſe III. *can.* 31 & quidem ante annos mille, & centum, ut etiam Cabilonenſe I. *can.* 8. & Gabilonenſe II. *can.* 32. Turonenſe *can.* 22. ante annos nongentos, ut etiam Moguntinum ſub Rabano *can.* 26. Wormacienſe *cap.* 25. Lateranenſe IV. *cap.* 21. Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. Florentinum *in Armenorum inſtructione*, & tandem Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. quæ hoc idem dogma definivit de fide contra Sectarios recentiores, ait enim Synodus: *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, & ſingillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent*

bene confeſſione recenſeri, & ſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adverſus duo ultima decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam gravius animam ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur. Hinc argumentor. Eſt de fide Chriſtum dediſſe Eccleſiæ facultatem relaxandi, & retinendi peccata, ut expreſsè conſtat ex præallegatis ſcripturis, adeo ut hæc facultas, remittendi, & retinendi peccata ſit de jure divino: Sed Eccleſia in Concilio Tridentino definivit hanc remiſſionem, retentionem peccatorum non poſſe ſacerdotes in Eccleſia exercere incognita cauſa, adeo ut pœnitentes, ut iisdem remittantur peccata, teneantur in ſacramentali confeſſione declarare omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent: ergo hæc declaratio, quæ confeſſio auricularis ſecreta, & ſacramentalis dicitur, eſt de jure divino, quia nectitur eſſentialiter cum facultate data à Chriſto Eccleſiæ remittendi, & retinendi peccata, quæ facultas eſt de jure divino, quoties enim duo eſſentialiter nectuntur, ſi eorum unum eſt de jure divino, ſequitur etiam aliud eſſe de jure divino. Præterea, quia Eccleſia, quæ eſt fundamentum, & columna veritatis, non poteſt errare ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ut eſt de fide, & colligitur ex ſcripturis: Sed Eccleſia definivit, Sacerdotes incognita cauſa non poſſe remittere, & retinere peccata, adeo ut hæc facultas remittendi & retinendi peccata, non poſſit à Sacerdotibus in Eccleſia exerceri, niſi cognoſcant diſtinctè, qualia peccata remittant, vel retineant: hinc ſequitur hanc ſacramentalem, ſeu auricularem confeſſionem, qua pœnitentes declarant Sacerdotibus omnia ſua peccata mortalia, eſſe de jure divino: unde Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ait: *Ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariò exiſtere: quia Dominus Noſter Jeſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderunt, quo pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient.* Neque urget, quod reſpondent Hæretici, hanc poteſtatem à Chriſto datam Sacerdotibus eſſe tantùm declarationem, quatenus Sacerdotes declarant peccata eſſe remiſſa à Deo. Nam contra eſt, quia illa verba: *Quorum remiſeritis peccata,* non important poteſtatem declarativam, ſed relaxativam, cùm ſemper ſic intellexit Eccleſia, quapropter Sacerdotes non ſolùm declarant, ſed etiam verè & realiter remittunt peccata,

Ratione etiam evincitur, confeſſionem hanc auricularem factam Sacerdoti de omnibus, & ſingulis peccatis lethalibus eſſe de jure divino: ſiquidem, quæ ſunt in Eccleſia de jure humano, conſtat, ea ſuum duxiſſe initium vel ex Concilio aliquo Oecumenico, vel ex decreto alicujus ſummi Pontificis, ſed conſtat ex citationibus ſupra adductis hanc ſacramentalem confeſſionem factam ſecretò Sacerdoti in Sacramento Pœnitentiæ fuiſſe in Eccleſia tempore Apoſtolorum ante decreta Pontificum, & Conciliorum, conſequenter conſtat, eſſe de jure divino. Hoc idem etiam evincitur ex difficultate confeſſionis, etenim, ſi qua res eſt in Eccleſia Catholica, quæ gravis videatur ac difficilis, eſt procul dubio hujusmodi confeſſio, unde hoc onus nullus purus homo in mundo injungere poterat, cùm Imperatores, Reges, Principes, imò eſt Pontifices ipſi debeant ſe eidem ſubjicere, idque argumento eſt, hoc onus non potuiſſe imponi, niſi à ſolo Chriſto, qui eſt Rex Regum, Dominus dominantium, & cui ſubjiciuntur omnes homines, quamvis dignitate præfulgentes: neque hanc rem graviſſimam de aperiendis ſecretis cordium animique intimioribus cogitationibus Præſules Eccleſiæ potuiſſent præcipere, niſi divina fulti authoritate; neque homines ad illam inclinarentur, niſi DEI præceptum, & Chriſti ſucceſſivè per Apoſtolos, promulgatum utile, & neceſſarium ad aſſecutionem ſalutis cognitum fuiſſet.

Hinc in primitiva Eccleſia triplex fuit in uſu pœnitentia, ſeu confeſſio ſacramentalis una publica pro peccatis publicis, alia ſecreta, & auricularis pro peccatis occultis, quæ ſoli Sacerdoti fiebat, & tertia, quæ, poſt ſecretam confeſſionem ſacerdoti factam, erat publica de peccatis occultis, & congregationi fidelium ſæpe fiebat, ſi ita expedire judicaſſet Præſul Eccleſiæ. De Pœnitentia publica frequens fit mentio apud Sanctos Patres, ut etiam ex Concilio Toletano III. *can.* 12. ubi dicitur: *Quicunque ab Epiſcopo, vel Presbytero ſanus, vel infirmus pœnitentiam poſtulat, ſi vir eſt, prius eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat: ſi verò mulier, prius tondeatur, aut mutet habitum: ſæpius enim Laicis cum fœminis tribuendo pœnitentiam, ad lamentanda rurſus facinora, poſt acceptam pœnitentiam relabuntur.* Ex *can.* 11. Concilii Niceni habetur: *Quotquot igitur ſincerè pœnitent, tres annos inter audientes ſint &c. Placuit tamen Sancta Synodo aliquid humanitatis oſtendi circa eos, qui ſub tyrannide Licinii prævaricati ſunt.* De confeſſione ſecreta, & auriculari pro delictis ſecretis adſunt authoritates plurium Patrum Græcorum; etenim D. Baſilius *in regulis brevioribus cap.* 229. ait: *Confeſſio peccatorum his tantùm facienda eſt, qui ea curare valent.* ſcilicet ſacerdotibus, quibus à Chriſto data eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi; & *cap.* 288. ait: *Neceſſariò declaranda ſunt delicta, quibus commiſſa eſt diſpenſatio myſteriorum Dei,* ſcilicet Sacerdotibus. D. Gregorius Niſſenus *orat. in eos, qui alios acerbè judicant,* ait: *Oſtende libenter Sacerdoti occulta tua, aperi ei animæ tuæ ſecreta, ſicut occulta ulcera oſtenduntur Medico, curam habebit ille honoris, & ſalutis tuæ.* Ex Patribus Latinis S. Leo Magnus *epiſt.* 80. *cap.* 2. *ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum conſtitutos* poſt inhibitionem à ſe factam de evulganda confeſſione libellis ſcripta à pœnitentes cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari per ſecretam confeſſionem, ait: *Removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum DEO offertur, dum etiam Sacerdoti.* Confeſſionis publicæ peccatorum occultorum etiam veteres Patres meminerunt. S. Cyprianus *ſerm. de lapſis* ſcribit: Plures conſueviſſe ſe accuſare de idololatria, nec non & de concepta voluntate ſacrificandi Idolis. Origenes *in Levit. cap.* 1. & 2. *homil.* 2. duplicis generis confeſſionis meminit ſuo tempore uſurpatæ: Una, quæ ſoli Sacerdoti fiebat, altera, quæ repetebatur populo poſt primam factam Sacerdoti, & de hac ſcribit *in Pſal.* 36. *homil.* 1. *Circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum*

tuum,

Digitized by Google

tuum, ut ita demum, ſi quid ille dixerit, aut conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, & prævideri talem languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt. Tertullianus etiam loquens de hac pœnitentia publica *lib. de pœnitentia* ait: *Grande planè emolumentum,* ait per ironiam *verecundiæ occultatio delicti pollicetur, proinde & DEUM celabimus? an melius eſt damnatum latere quàm palam abſolvi.* Hæc autem pœnitentia publica de occultis non fiebat ad gehennæ æternæ tantùm remiſſionem (quia ad hanc ſufficit ſecreta confeſſio ſacramentalis) ſed ad pœnæ temporalis plenariam ſolutionem per mulctam illam publicam voluntariè aſſumptam, illa enim concedebatur ad votum pœnitentium, ſed ſemel in vita, unde D. Hieronymus eam vocat ſecundam poſt naufragium tabulam, quod conſultò fiebat ad declinandum abuſus occaſionem: & D. Ambroſius *lib. 2. de pœnitentia cap.* 10. ait: *Sicut baptiſmus unicus eſt, ita & pœnitentia illa, inquam, quæ publicè fit*, ad evacuandam igitur totam temporalem pœnam, gravis hæc fuerat inſtituta pœnitentia in cinere & cilicio, in jejuniis, & quadrageſimali victu in tonſione capitis, pullato habitu, imò & in privatione uſus conjugalis, qua de cauſa requirebatur ante indictionem publicæ pœnitentiæ conſenſus uxoris pro viro, ut etiam mariti pro uxore, & Tertullianus *lib. de pœnitentia* deſcribens hujus generis pœnitentes ait: *Presbyteris advolvi, aris DEI adgeniculari, orationi diutiùs inſtare, calcatui ingredientium templum ſubmitti, &, quod durius mihi videtur, in pleno fidelium cœtu peccata ſua propalare, quorum abſolutionem die tantum Jovis ſancto præſtolabantur pœnitentes*, quæ tamen abſolutio fiebat in loco fori pœnitentialis, &, ut hæc omnia ritè fierent, & calumniandi occaſio reſcinderetur Novatianis; qui pœnitentiam ſacramentalem oppugnabant, & pœnitentes Apoſtatas reconciliari nolebant, ſed judicio DEI volebant relinquendos eſſe, qua Doctrina excludebant omnes canones pœnitentiales Eccleſiæ, & faciebant omnia peccata æqualia, unde primum Schiſma Novati ſuam traxit originem anno 254. contra Cornelium Papam, in qualibet enim Diœceſi ſtatutus fuit Sacerdos Pœnitentiarius, cujus officium erat, præſcribere pœnitentiæ publicæ leges, iis, qui eam requirerent: Ideoque pœnitentes primò auricularitet excipiebat, ut diſcernere poſſet, quæ propalare expediret peccata, & quo ritu ea eſſent publicè expianda, non modica enim ad id requirebatur prudentia ne inde oriretur ſcandalum, aut nota inureretur infamiæ complicibus. Hinc refert Sozomenus *lib. 7. hiſtor. cap.* 16. Secreti taciturnitatem requiſitam fuiſſe in Pœnitentiario, ne exceptam jam pœnitentium confeſſionem ſecretam aperiret. Ad ejus itidem officium pertinebat præſcribere modum, & tempus, & in termino pœnitentiæ, diem ſtatuere, quo publicam facerent de præſcriptis peccatis confeſſionem.

Stat igitur confeſſionem ſacramentalem, quæ ſecreto fit ad aures Sacerdotis habentis facultatem abſolvendi, eſſe laudabilem & utilem, ac de jure divino neceſſariam poſt lapſum, & ſuſceptum baptiſmum; adeo ut omnis peccator baptizatus jure divino obligetur ad quærendam remiſſionem peccatorum, & cum DEO reconciliationem, ut habetur *Matth.* 3. & *Luc.* 13. ac in pluribus aliis ſcripturæ locis, & ſolis Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus datam à Chriſto fuiſſe hanc poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, *Joan.* 20. *v.* 22. & 23. *Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, adeo ut Apoſtoli, & ejus Succeſſores ſint veri Judices à Deo conſtituti, & quia Judices non poſſunt judicare niſi ſingula in particulari reorum crimina audiant, ſequitur peccatores teneri de jure divino Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus ſingula peccata per confeſſionem explicare. Etenim æternus Pater Chriſtum in terras miſit cum vera, & ampliſſima clavi ſeu cum plena & judiciaria poteſtate, & authoritate peccata ſolvendi, & ligandi *Apocal.* 3. Sed Chriſtus hanc eandem clavem, ſeu poteſtatem judiciariam ſuis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus conceſſit, conſequenter Succeſſores Apoſtolorum adhuc retinent hanc judiciariam poteſtatem, quod enim Chriſtus ſuis tradiderit Apoſtolis hanc poteſtatem, liquet ex *Matth.* 16. *v.* 18. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ubi fuit pollicitus, quod poſtea apud *Joan.* 20. *v.* 22. fuit executus. Chriſtus autem non accepit aliam clavem præter poteſtatem ſolvendi, & ligandi (ſiquidem poteſtas prædicandi non eſt clavis) proinde eandem clavem, quam acceperat à Patre ſolvendi, & ligandi, tradidit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, quapropter dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, Chriſtus autem fuit miſſus ut peccata remitteret, tanquam Judex vel ea retineret, ergo hanc eandem judiciariam poteſtatem dedit Apoſtolis, & ſuis ſucceſſoribus, quibus dixit: *Ego mitto vos ſicut Pater me miſit, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Objiciunt tamen Hæretici, quibus exoſa eſt confeſſio, quæ fiat Sacerdoti ſecreto, hanc enim vocant carnificinam conſcientiarum, eò quia debeant ita confitentes omnia, & ſingula ſua peccata manifeſtare alteri homini, qua ratione eam etiam dicunt impoſſibilem eſſe, quia cùm juſtus in ſcripturis dicatur ſepties in die cadere, non videtur poſſibile, quod qui tantùm ſemel in anno confitetur omnium poſſit meminiſſe peccatorum. Sed contra, quia nulla in hac ſacramentali confeſſione habetur impoſſibilitas, nulla carnificina, quod enim attinet ad peccata illa minima, in quæ juſtus ſepties dicitur in die cadere, nulla adeſt obligatio ea confitendi, ſi adſint peccata lethalia, quæ ſunt materia hujus Sacramenti confeſſionis: ſiquidem peccata venialia cohærent cum gratia ſanctificante, & habitu charitatis, propterea, qui ſepties cadit in die, adhuc dicitur juſtus, ſeu cum gratia ſanctificante. Peccata verò lethalia tenemur confiteri quoad numerum, & circumſtantias præſertim mutantes ſpeciem, ſi poſt diligentem inquiſitionem factam memoriæ occurrant, & circa numerum, ſi quis non poſſit exactè illius meminiſſe, ſufficit, ſi addat circiter, plus, minusve, quod fieri ſine tanta difficultate poteſt, unde non eſt impoſſibilis confeſſio ſingulorum, neque hæc confeſſio, quæ ſecreto fit Sacerdoti, eſt carnificina conſcientiarum, ut vocant Hæretici. Præterea, docentes ipſi, peccata hæc tantùm enumeranda eſſe in particulari, quando DEO confitentur, tunc exigunt, ut numerentur peccata omnia, quorum recordantur, & tamen nullam tunc adeſſe carnificinam, putant, ſed tantùm, cùm fit Sacerdoti Miniſtro Chriſti, unde ſi non eſt impoſſibilis, quando confeſſio fit Deo, nec etiam quando fit Sacerdoti.

Obji-

Digitized by Google

Objiciunt secundò, quia Apostoli, & eorum Successores in remittendis peccatis non possunt alium modum, & processum servare, nisi illum, quem Christus servavit: sed modus, quem Christus servavit in remittendis peccatis, fuit sine processu judiciario; sed in animo dolentibus, & in se credentibus peccata remisit: ergo etiam nunc, ut in Ecclesia remittantur peccata, sufficit, si peccatores verè dolentes, eos pœniteat peccatorum coram DEO tantum, non ut manifestentur hominibus, & rursus eliciant actum fidei, quo credant, peccata illis remissa per merita passionis JESU Christi; ita docent Lutherani, inficiantur Sacramentum pœnitentiæ, & quibus confessio sacramentalis facta ad aures Sacerdotis est exosa. Sed contra, negatur assumptum; quia inde sequeretur, neque Sacramentum Baptismi fore necessarium ad assecutionem salutis, & ad remissionem peccatorum: quia sine baptismo Christus remisit peccata Magdalenæ, & Paralytico, & aliis pluribus; quia, cùm sit Christus Author Sacramentorum, quæ nondum instituerat, cùm peccata condonavit Magdalenæ, & Paralytico; talis remissio tunc non dependebat à Sacramentis nondum institutis: & cum Christus esset simul DEUS & homo, ideo peccata contra suam legem perpetrata tanquam supremus Princeps potuit simpliciter condonare, & cedere juri suo, quod habebat ad illa punienda. Sacerdotes autem cum sint puri homines, & Ministri Christi, à quo sunt instituti ad ligandum, & solvendum, modum sibi præscriptum acceperunt à Christo, quem modum ne perperam absolvant, vel temerè ligent, tenentur servare, scilicet, ut sententiam absolutionis, vel retentionis pronuncient, ut judices, cognitâ prius causa, ut superius explicuimus; non enim judicium ferri potest in incognitum; propterea tenentur resipiscentes non solum dolere ex animo coram DEO, & credere ob merita passionis JESU Christi remissa sibi peccata: verum etiam post diligens sacrum peccatorum examen teneantur dolentes, illa subjicere clavibus Ecclesiæ & secretò in sacramentali confessione manifestare distinctè, quod species, & numerum, Sacerdoti approbato, & habenti jurisdictionem, ut ab eodem, ut Christi ministro, absolvantur.

Sed urgent hæretici, quia in Sacris Scripturis ad obtinendam peccatorum remissionem tantùm requiritur internus dolor; & non requiritur, ut per confessionem peccata manifestentur alteri homini. DEUS enim resipiscenti ex corde ac verè pœnitenti pollicetur remissionem peccatorum sine ulla manifestatione peccatorum facta alteri homini, seu sine hac prævia confessione, quæ fiat apud homines. *Isa. 1. v. 16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, veluti lana alba erunt, Ezechiel. 18. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia mandata mea, & fecerit judicium, & justitiam; vitâ vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius.* Sed Deus in suis promissionibus fidelis, & veracissimus, semel, sine prævia manifestatione peccatorum facta hominibus promittit se remissurum peccata, dummodò peccator cesset perversè agere, mores corrigat, & bene vivat: ergo hæc sacramentalis confessio seu manifestatio propriorum peccatorum facta aliis hominibus non est necessaria; consequenter nec de jure divino: quia nostra conditio non est deterior, illâ Judæorum olim sub lege Moysis: sed ut Judæis remitterentur peccata, satis erat, si illi confiterentur apud Deum, si illos pœniteret peccatorum, & vitæ ante actæ, & meliorem instituerent: hæc enim confessio facta apud solum Deum illis obtinuit peccatorum remissionem, cur non etiam nobis in lege Evangelica, in qua Christi jugum suavius est, & onus levius: non enim servitus veteris testamenti præferenda est libertati legis evangelicæ, ut sit illa melioris conditionis.

Respondetur, Deum esse fidelissimum, ac veracissimum, ac polliceri veniam peccatorum illis, quos verè pœniteat peccatorum juxta leges à DEO statutas, & si media adhibeant ad id illis à Dei Providentia parata pro vario hominum statu: propterea sicut in lege veteri ad obtinendam peccatorum veniam, non solum requirebatur interior mentis conversio, & confessio peccatorum facta Deo, cum sincero proposito de cætero non peccandi; verùm etiam ut sacrificia juxta præscriptum legis offerrentur, ut sacrificiis, ac purificationibus peccata expiarentur, ita in lege Evangelica non sufficit sola confessio facta Deo, sed ulterius divina Providentia instituit Sacramentum pœnitentiæ, quò peccata manifestarentur secretò Sacerdotibus Ministris Christi, à quibus absolverentur à peccatis; qui modus obtinendi veniam peccatorum est semper ubique obvius, ac facilior quàm per sacrificia, & purgationes expiare peccata. Unde non sequitur conditionem Christianorum esse deteriorem illâ Judæorum, siquidem, excusso per Christum jugo veterum Sacramentorum, Sacrificiorum, ac cæremoniarum legalium, Christus Dominus alia media, seu Sacramenta nobis dedit virtute majora, actu faciliora, effectu meliora, imo & numero pauciora, ut loquitur D. Augustinus *lib. 9. contra Faustum cap. 13.* Cæterum, quod Hæretici vocent confessionem sacramentalem factam secretò Sacerdoti jugum intolerabile, id omnino temerè adstruunt, quia est Sacramentum in nova lege institutum à Christo, cujus jugum suave est, & onus leve, & cùm lex vetus diceretur lex servitutis, lex evangelica est libertatis, neque confessio sacramentalis est gravior Sacrificiorum apparatu, quæ lex Moysis ad expiànda peccata præscribebat. Rursus, quia in lege veteri timore potius pœnæ, quàm amore justitiæ ob legis minas, & terrores populi abstinebant à transgressionibus legis, secus in lege evangelica per Spiritum Sanctum intus mentes hominum inflammantem, simulque allicientem, ac suaviter flectentem ad amorem Dei super omnia eliciendum, & peccata sua humili & dolorosa confessione manifestandum, veniam obtinent peccatorum.

Objiciunt ulterius Hæretici celebre Nectarii Episcopi Constantinopolitani, qui Presbyterum Pœnitentiarium Constantinopoli abrogavit: eò quia nobilis quædam Mulier confessa fuerat, Diaconum stupri consuetudinem cum ipsa habuisse, & Nectarium abrogâsse hanc confessionem, & permisisse unumquemque pro arbitrio, & animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere; referunt enim hanc historiam Socrates *lib. 5. histor. Ecclesi. cap. 19* & Sozomenus *lib. 7. cap. 16.* ex quo inferunt Sectarii, Confessionem Sacramentalem tunc non fuisse in usu, vel saltem à Nectario fuisse abrogatam, idque firmant, eò quia S. Joannes Chrysostomus in eadem Constantinopolitana sede succes-

Digitized by Google

ſucceſſit Nectorio, & approbat confeſſionem peccatorum ſoli DEO factam ad obtinendam peccatorum veniam, ait enim *homil. 21. ad populum Antiochenum*: *Neque hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittit, verùm & quod ipſa non revelat, nec manifeſta facit, nec conſpicua, nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus, enuntiare, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri.* Unde Chryſoſtomus approbat confeſſionem, quæ ſoli fit DEO ad obtinendam peccatorum veniam, & non eſſe neceſſe, enuntiare aliis hominibus peccata ſua, ſed ſibi tantùm confiteri, ſibique ſoli rationem reddi jubet, quod exequuntur Sectarii noſtri temporis, quibus confeſſio ſacramentalis eſt exoſa. D. Chryſoſtomus *homil. 2. in Pſalm. 50.* ait: *Peccata tua dicito, ut ea deleas. At pudet dicere, te peccâſſe: dic ea quotidie in oratione. Num enim dico, ut ea conſervo dicas, qui tibi exprobret? Dic DEO, qui eis medetur.* Rurſus *homil. 31. in epiſt. ad Hebræ.* ait: *Non tibi dico, ut peccata tanquam pompam in publicum efferas, neque ut apud alios oculos accuſes: ſed ſuadeo, ut pareas Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam, apud DEUM ea confitere, apud Judicem confitere peccata tua orans, ſi non lingua, ſaltem memoria, & ſic miſericordiam impetra.* Hoc eſt argumentum, cui potiſſimum innituntur Hæretici, ut videantur ſibi epinicium canere. Sed contra, quia factum Nectarii favet potiùs noſtræ aſſertioni, & non officit; etenim ſi Nectarius privatam, & publicam ſuſtulit ſacramentalem confeſſionem, ſequitur neceſſariò hanc antea viguiſſe, non enim potuiſſet auferre, & delere, ſi antea non fuiſſet. Quòd ſi ante Nectarium vigebat in Eccleſia Conſtantinopolitana privatæ & publicæ confeſſionis ſacramentalis uſus, quomodo potuit Nectarius privatæ Eccleſiæ tantùm Præſul legem ſancire univerſali Eccleſiæ derogatoriam Sacramenti inſtituti à Chriſto Domino. Cæterum Pœnitentiarius ille excipiebat primò privatam confeſſionem, & publicè pœnitentiam concedebat, cumque obtigiſſet, quod præfata nobilis fœmina, quæ cum Diacono confeſſa fuit, conſuetudinem ſtupri habuiſſe, & obtinuiſſe facultatem à pœnitentiario publicè pœnitendi, hinc indicta fuerunt jejunia, orationes, & determinata peccata, quæ in termino pœnitentiæ propalaret, ait enim Socrates *loc. cit.* *Mulier longius in confitendo progreſſa, alterius culpæ ſe ipſam inſimulat, docet, Diaconum Eccleſiæ cum ipſa dormiviſſe: & ob hoc peccatum hoc modo manifeſtatum Diaconus ab Eccleſia ejectus fuit, & ingens tumultus in populo excitatus.* Hinc Nectarius omnium conſenſu abrogavit Pœnitentiarium, pœnitentiam publicam, & confeſſionem publicam, non verò abrogavit, nec potuiſſet abrogare confeſſionem ſacramentalem, & pœnitentiam privatam, quia hoc Sacramentum, cùm fuerit inſtitutum à Chriſto, non poteſt ab homine abrogari, præſertim à Nectario, cùm non eſſet Chriſti Vicarius, nec Petri ſucceſſor in regimine totius Eccleſiæ Catholicæ, ſed tantùm eſſet Præſul privatæ Eccleſiæ. Præterea uſum privatæ confeſſionis ſacramentalis ſemper viguiſſe in Eccleſia Græca, ſatis apertè conſtat ex *can. 102. conſ. 6.* & Nomocanone Græcorum, cui inſerta eſt epiſtola Sancti Gregorii Niſſeni de pœnitentia, & reſponſione Jeremiæ Patriarchæ. Non igitur Nectarii factum ullo modo favet hæreſi Sectariorum negantium Sacramentum privatæ confeſſionis, quia Nectarius nullo modo omnem confeſſionem ſuſtulit, ſed tantùm publicam, non verò privatam, & ideo abrogata fuit confeſſio illa publica, quia mulier illa peccatum, quod erat ignotum, publicè propalavit cum tali ſcandalo cæterorum, ut tumultus fuerit in populo excitatus, ait enim Sozomenus, *à Diacono ſe ſtupratam prodidit, non enim prodidiſſet, niſi ſtuprum occultum fuiſſet, & reſeràſſet, quod intus latebat.* Rurſus conſtat, quòd non ſolùm quædam capitalia crimina, ſed ſigillatim omnia poſt Baptiſmum commiſſa explicare conſueverat Sacerdoti pœnitentiæ Præfecto, ait enim Socrates *loc. cit.* *Delicta poſt Baptiſmum à ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat.* Rurſus quia Pœnitentiarius pro aliis peccatis præter crimen ſtupri, quæ confeſſione privata detexerat hæc mulier, pœnitentiam publicam injunxit, ait enim Socrates: *Presbyter verò, præcepit mulieri, ut jejuniis, & orationibus continuò vacaret, quo ſcilicet unà cum delictorum confeſſione opus etiam pœnitentiæ conveniens oſtenderet,* opus verò conveniens pœnitentiæ occultæ non manifeſtatur publicè, unde peccata occulta præter ſtuprum hæc mulier Pœnitentiario confeſſa fuerat, pro quibus pœnitentiam cum in Eccleſia perageret, à Diacono vitiata fuit. Hoc idem etiam confirmat Sozomenus *lib. 7. hiſtor. Eccleſ. cap. 16.* ubi ait: *In petenda venia, peccata neceſſariò confiteri oportere.* Quòd verò Nectarius dicatur permiſiſſe, ut unusquisque pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accederet, nihil aliud ſignificat, niſi jugo publicæ confeſſionis, ac publicæ pœnitentiæ ob occulta crimina ſubeundæ ſolutos eſſe fideles in Eccleſia Conſtantinopolitana & Pœnitentiarium ſublatum, rebus reſtitutis in eum ſtatum, in quo erant, antequam Pœnitentiarius inſtitueretur, ut nimirum unusquisque confesſione ſecreta peccatorum, cùm opus eſſet, expiatus, ad Euchariſtiam accederet.

Quod ad authoritates Sancti Joannis Chryſoſtomi Succeſſoris Nectarii attinet. Reſpondetur D. Joannem Chryſoſtomum non officere confesſioni ſacramentali privatæ, quam diſſertè, & eleganter adſtruit in libris præſertim de ſacerdotio, unde in præcitatis locis præſertim *homil. 21. ad populum Antiochenum*, & *homil. in Pſalm. 50.* illius tantùm confeſſionis excludit necesſitatem, ex qua peccatorum infamia publica ſequitur: vel tantùm excluſit miniſterium, ſeu teſtimonium ab examine quotidiano conſcientiæ, ſeu à quotidiana pœnitentia, non autem à pœnitentiæ Sacramento: moris enim fuit, ut ſedulo examine ſingulis diebus quisque propriam conſcientiam expiaret, & publicè, quæ die illa acta eſſent, propalarentur aliis hominibus, quam manifeſtationem ob reorum infamiam, quæ pasſim ſequebatur, prohibuit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ideoque *homil. 2. in Pſalm. 50.* ait: *Peccata tua dicito, ut ea deleas, at pudet dicere, te peccâſſe, dic ea quotidie in oratione, num enim dico, ut ea conſervo dicas, qui tibi exprobret? Dic DEO, qui eis medetur.* Hoc eſt, non quòd confesſio ſacramentalis privata ſoli DEO fieri debeat, ſed ne ſimplex examen conſcientiæ aliis manifeſtetur, ne inde oriatur infamia, hinc ait: *Num dico, ut ea conſervo dicas, qui tibi exprobret?* non enim conſervo, vel famulo potuit confesſio ſacramentalis privata fieri, cùm hæc ſit neceſſariò facienda Sacerdoti, ut Miniſtro Chriſti, unde Chryſoſtomus non fuit locutus de Sacramento pœnitentiæ, quod in Eccleſia adminiſtratur à Sacerdotibus, Miniſtris Chriſti, & habentibus poteſtatem clavium. Præterea loquitur D. Chryſo-

ptiſmi; ita quod peccet mortaliter, niſi ſtatim baptizetur, nec eſt aliquod tempus determinatum; ultra quod, ſi Baptiſmum differat, peccatum mortale incurrat. Sed poteſt contingere, quod in dilatione Baptiſmi mortale erit peccatum, vel non erit: & hoc penſandum eſt ex cauſa dilationis. Hinc ſi ſtatim oblata opportunitate, quis non confitetur, etiam ſi major opportunitas non expectetur, non peccat mortaliter; ſed quando ex articulo temporis neceſſitas confeſſionis inducitur: quia præcepta affirmativa non obligant ad ſtatim, ſed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commodè impleri poſſunt (quia tunc, ſi non dares aliquis eleemoſynam de ſuperfluo, quandocunque pauper monſtraretur, peccares mortaliter, quod eſt falſum) ſed ex hoc, quod tempus neceſſitatem urgentem adducit.

CAPUT XIII.

De forma Sacramenti pœnitentiæ, ſeu abſolutione, an & moribundo eam non petenti impertiri poſſit.

Certum eſt, Sacramenti pœnitentiæ formam ſitam eſſe in verbis ore prolatis, ut definitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ubi ait: *Docet præterea ſancta ſynodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe. Ego te abſolvo &c.* Ratio eſt, quia quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramentorum, dependent eſſentialiter ex inſtitutione Chriſti, à qua habetur, quod forma conſiſtit in his verbis, ut habetur ex perpetua praxi, & traditione Eccleſiæ, & Concilio Tridentino, unde forma hujus Sacramenti, ſita eſt in verbis ſupra citatis à Concilio.

Quod ſi dicas, de eſſentia judicii non eſſe, quod ſententia verbis proferatur, ſed Sacramentum pœnitentiæ ſe habet per modum judicii; cujus abſolutio eſt ſententia, ergo non eſt neceſſe, quod proferatur verbis. Contra eſt, diſtinguitur major de eſſentia judicii humani, ac civilis non eſt, quod ſententia proferatur verbis, conceditur, non eſt de eſſentia hujus particularis judicii, negatur, quia, quamvis hoc Sacramentum conficiatur per modum judicii, habet nihilominus aliquot ſpecialia ex Chriſti inſtitutione, ſcilicet quod ſententia proferatur verbis ore ſenſibiliter prolatis.

Sed inſtabis, quia non eſt de eſſentia hujus Sacramenti, quod accuſatio fiat voce, conſequenter nec quod abſolutio exprimatur voce, ſeu ſententia exprimatur verbis ore ſenſibiliter prolatis. Contra eſt, quia Chriſtus determinavit formam hujus Sacramenti in verbis ſenſibilibus, non verò accuſationem, ne muti, qui loqui non poſſunt, commodo deſtituerentur hujus Sacramenti. Si dicas, in matrimonio non requiri neceſſariò verba, ſed ſufficere nutus, conſequenter etiam in hoc Sacramento pœnitentiæ, contra eſt, negatur conſequentia, quia Sacramentum matrimonii fuit aliter inſtitutum à Chriſto: alioquin ſi argumentum valeret, ſequeretur, quod nec formæ aliorum Sacramentorum deberent in verbis conſiſtere.

Quamobrem aſſerendum eſt, formam abſolutionis in Sacramento pœnitentiæ conſiſtere in verbis illis: *Ego abſolvo te à peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, adeo ut preces, quæ ſolent præmitti, vel quæ ſubſequuntur, non pertineant ad hanc formam, nec neceſſariæ ſint ad hujus Sacramenti adminiſtrationem, imò nec omnia prærecenſita verba ſunt neceſſaria, invocatio enim Trinitatis non eſt neceſſaria, quia nec ex Chriſti inſtitutione, nec ex traditione Eccleſiæ colligitur, hanc invocationem neceſſariam eſſe, conſequenter non eſt de eſſentia abſolutionis.

Quòd ſi dicas, hanc invocationem Trinitatis eſſe de eſſentia Baptiſmi, & confirmationis. Contra eſt, quia invocatio Trinitatis eſt neceſſaria, quia ſpecialiter habetur ex verbis, & inſtitutione Chriſti in Sacramentis Baptiſmi, & confirmationis, non ita in Sacramento pœnitentiæ, conſequenter adeſt diſparitas.

Imò neque pronomen *Ego*, & quidem explicitè prolatum eſt de eſſentia formæ abſolutionis: quia illud pronomen *ego* in re nihil addit præter verbum *abſolvo*, in quo includitur pronomen *ego*, & quidem intrinſecè; proinde ſi omittatur, remanet idem prorſus ſenſus. Major difficultas eſt, an illa duo verba tantùm, *abſolvo te*; ſufficiant ad eſſentiam abſolutionis. Plures affirmant ea innixi ratione, quia illa tantùm verba ſunt de eſſentia formæ abſolutionis, quæ principalem effectum Sacramenti pœnitentiæ ſignificant: ſed ſola hæc duo verba, *abſolvo te*, hunc effectum ſignificant, conſequenter illa tantùm ſufficiunt, & ſunt eſſentialia abſolutioni Sacramentali, & ſufficiunt ad valorem Sacramenti pœnitentiæ; major probatur, quia de eſſentia Sacramentorum novæ legis eſt, ſignificare id, quod in illis efficitur, proinde ea tantùm ſunt de eſſentia, quæ ſufficiunt ad ſignificandum effectum Sacramenti. Minor oſtenditur, quia verba quoad ſignificationem ſumenda ſunt ex circumſtantiis adjunctis, quibus ex communi hominum inſtitutione determinantur verba ad hoc, vel illud ſignificandum, ſed hæc ſola verba, *abſolvo te*, conſideratis omnibus circumſtantiis, in quibus proferuntur, ſignificant principalem effectum Sacramenti pœnitentiæ; quia quamvis ex ſe ſint indifferentia ad ſignificandam tam abſolutionem à cenſuris, quàm à peccatis; nihilominus, ut prolata ſupra pœnitentem, quia ſua peccata confeſſus eſt Sacerdoti, determinantur ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, quæ eſt principalis effectus hujus Sacramenti.

Nihilominus aſſerendum eſt ſecundò, probabilius eſſe non ſufficere ad eſſentiam abſolutionis illa duo verba: *abſolvo te*, ſed ulterius requiri *à peccatis tuis*; ratio eſt, quia verba abſolutionis cauſant illum effectum, quæ ſe ſolis, & ſecluſa omni circumſtantia ſignificant, adeo ut, ſi ſolùm ſignificent effectum indeterminatum, illum cauſent: ſed illa verba, *abſolvo te*, præciſè & ſe ſolis tantùm ſignificant effectum indeterminatum; ſiquidem verbum illud, *abſolvo*, re vera eſt indifferens ad ſignificandam abſolutionem à peccatis, vel à cenſuris, vel ab aliquo

poſtquam aſſeruit, eos non eſſe judicandos, qui contrariam diſciplinam uſurpant, & baptizare eos non audent, qui pro ſe reſpondere nequiverunt, ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium; eorum ſcrupulum excutit, & eliminat ſequentibus verbis: *Sed non ſolum incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari catechumenum velle, verùm etiam, ſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt, nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit, eum ſi poſſet velle, ſe potiùs fuiſſe dicturum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit, ſe non oportere è corpore exire.* Et pluribus interjectis ex hypotheſi facta de catechumeno adultero conſtituto in extremis, & vocis uſu, ac ſenſuum deſtituto, eum etiam cenſet baptizandum eſſe, inquiens: *Ergo non ſolum alios catechumenos, verum etiam eos, qui inventi non conjugii copulati retinent adulterina conſortia, cùm ſalvo corpore in his permanentes non admittamus ad baptiſmum, tametſi deſperati, & intra ſe pœnitentes tacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum, cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebras uſque ad baptiſmum ſtatuerint detinere.* Hæc, quæ D. Auguſtinus attulit de baptiſmo conferendo Catechumeno conſtituto in vitæ extremis, & uſu ſenſuum omnium, & voce deſtituto, valent itidem de pœnitente, qui antea vel vocaverat confeſſarium, vel ſigna ediderat pœnitentiæ, ſicut igitur Catechumeno ex ſententia D. Auguſtini conferendum eſt ſacramentum baptiſmi, ita pœnitenti impendenda eſt abſolutio, quamvis nullum amplius det ſignum ſenſibile pœnitentiæ, ſi antea ſignum illud ediderit, vel confeſſarium vocaverit, ait enim Auguſtinus: *Quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipſos enim, ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire, velle debet mater Eccleſia.* Hoc idem etiam firmatur authoritate S. Leonis *epiſt. 83. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum: Oportet, unum quemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat. Nec ſatisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat: Quia periculosè hac ſe conditione fragilitas, & ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum ſe reſervet incertum; & cum poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium, vel confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis, verùm etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia, ſi eam etiam omiſſo vocis officio, per indicia etiam integri ſenſus poſtulant, non negetur. At ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant. Teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.*

Concilia itidem hoc idem ſtatuerunt, ut Concilium Carthaginenſe IV. *can. 76.* ubi hæc habet: *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate, obmuteſcat, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et, ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia, ſin verò ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus ſuæ petitioni ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu ſacerdos, qui pœnitentiam probaverit.* Concilium itidem Arauſicanum I. *can. 12.* ait: *Subitò obmuteſcens prout ſtatutum eſt, baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Concilium Toletanum XII. *can. 2.* hoc idem ſancit inquiens: *Multos ſæpe conſpeximus in ſalute poſitos ultimum deſiderantes pœnitentiæ fructum, & rurſus nimietate ægritudinis ita loquendi & ſentiendi naturale perdidiſſe officium, ut nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe, nullo etiam priſtinæ devotionis noſcerentur deſiderio anhelare: quorum tamen caſibus fraternitas condolens, ita talium neceſſitates in fide ſuſcepit ſua, ut ultimum illis tribuatur viaticum, ſcilicet, ne ſine fructu pœnitentiæ tranſire videantur è ſæculo.* Hoc idem etiam confirmat Concilium Toletanum XIII. *can. 9.* ubi hæc habet: *Sicut baptiſma, quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur, ita pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur abſque impugnantia violationis hi, qui illud acceperint, obſervabunt.* Concilia enim argumentantur à pari, quia ſicut ad ſuſcipiendam baptiſmi gratiam non eſt neceſſaria cognitio adminiſtrationis baptiſmi ſibi factæ, ut apparet in baptiſmo parvulorum: ita nec ad gratiam reconciliationis ſuſcipiendam in Sacramento pœnitentiæ eſt neceſſe, ut pœnitens ſit ſui compos, vel det ſigna pœnitentiæ, & interni doloris, ſed ſufficit, ſi conſtitutus in uſu ſenſuum ediderit ſigna doloris, ipſum pœnituerit ſuorum peccatorum, & petierit Confeſſarium.

Quod ſi moribundus deſtitutus uſu ſenſuum, & voce, antequam ullum pœnitentiæ & doloris ſignum daret, & ſacerdotem peteret pro ejus confeſſione audienda, tunc eſt ei abſolutio Sacramentalis deneganda, præſertim ſi mundi illecebris, ac voluptatibus indulſerit, & peccandi occaſionibus proximis implicatus fuerit, quia tunc, cùm nullum ediderit ſignum pœnitentiæ, præſumitur perſiſtere in prava peccandi voluntate, & donec eam depoſuiſſe fateatur, abſolvi non poteſt, quia abſolutio ſupponit reſipiſcentiam, & deteſtationem peccati, quæ deteſtatio debet conſtare ſigno aliquo ſenſibili, ut inde ſacerdos, ut Judex poſſit ei impertiri abſolutionem, idque firmatur ex D. Auguſtino *loc. cit.* ubi Catechumenos retinentes adulterina conſortia docet baptizandos eſſe, ſi in infirmitate amiſerunt uſum ſenſuum, & vocis, dummodo antea ſignum doloris dederint, & rogaverint pro Sacramento eis conferendo, quia tunc infert Auguſtinus, illos in adulterinæ carnis illecebra noluiſſe perſeverare, & ſibi propoſuiſſe concubinas dimittere ante baptiſmum, & deteſtari peccata, & illos, quamvis uſu ſenſuum deſtitutos intra ſe pœnitere peccatorum; hæc enim omnia, argumenta ſuppeditabant, conjiciendi Catechumenos reſipiſcere, ac deſiderare Sacramentum baptiſmi, & in iiſdem perſeverare voluntatem baptiſmum ſuſcipiendi: ita à pari de pœnitente, ſi ſit in extremis vitæ conſtitutus, ſenſuum uſu deſtitutus, ſi antea ediderit ſigna doloris, & pœnitentiæ, vel petierit confeſſorium, præſumitur perſeverare in eadem voluntate, & reſipiſcentia, conſequenter debet ipſi impendi abſolutio, & miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ. Quòd ſi vitiis indulſerit, & nullus adſit teſtis fide dignus, quòd dederit ſignum pœnitentiæ, & nec quod piè & Chriſtianè vixerit, tunc non videtur ipſi impertienda abſolutio.

Imò neque homo moribundus, qui vocis uſu,

ex partibus ſenſibilibus, ſine quibus nequit Miniſter conficere hoc Sacramentum ſenſibile, conſequenter non poteſt abſolvere ſub conditione, quia ex materia non ſenſibili, non poteſt conſtitui Sacramentum ſenſibile, tale enim eſt totum, quales ſunt partes ex quibus coaleſcit. Præterea tota menſura miniſtrandi, hoc Sacramentum dependet ex Chriſti inſtitutione, qua fuit hoc Sacramentum inſtitutum, per modum judicii abſoluti, & non conditionati, & in judicio Judex non profert ſententiam niſi cognita cauſa; neque procedit, niſi reus præcedat; & in hoc Sacramento accuſator, & reus eſt pœnitens, qui, niſi præcedat per ſigna ſenſibilia, non poteſt Sacerdos, ut Judex, procedere ad conficiendum hoc Sacramentum ſenſibile, & pronuntiandam ſententiam.

Ut autem in hoc Sacramento Sacerdos abſolvat, debet pœnitens antecedenter ad ſententiam, ſeu abſolutionem pronuntiandam à Sacerdote præmittere actum contritionis, vel attritionis, adeo ut, ſi deteſtatio peccatorum non præcedat, abſolutio ſuum non ſortiatur valorem, quia contritio perfecta, & imperfecta, quæ & attritio dicitur, eſt diſpoſitio neceſſaria ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendam, imò quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis modus fuit neceſſarius. Unde qui peccata ſua confitetur absque prævia contritione, vel attritione, non potuit conditionem neceſſariam, ad recipiendam gratiam beneficio hujus Sacramenti, & ejus pœnitentia, ac confeſſio, nulla & invalida eſt, quia Sacramento ſacrilegè abutitur, non enim pœnitentia conſtat ex ſola confeſſione, ſeu recitatione peccatorum, ſed etiam ex contritione, & ſatisfactione ex parte pœnitentis, & ſunt materia hujus Sacramenti, ut fatetur Concilium Tridentinum; propterea confeſſio illa, utpote Sacrilega, eſt repetenda cum prævia contritione, vel attritione de omnibus, & ſingulis peccatis: *A mortuo enim, quaſi qui non ſit, perit confeſſio*, ut dicitur: *Eccleſiaſtici* 17. ergo confeſſio, quæ fit à peccatore, in quo nullum eſt vitæ novæ initium, per contritionem ſaltem imperfectam, invalida eſt & ſacrilega, ait enim D. Auguſtinus: *Qui confitetur, foras prodit, foras prodire non poſſet, niſi viveret. Vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.* Rurſus vera contritio debet eſſe renovatio pacti, cum Deo in baptiſmate initi, quapropter Joannes Climachus *gradu.* 5. ait: *Pœnitentia eſt revocatio baptiſmatis: pœnitentia eſt pactum cum Deo initum de vita priore emendanda, & meliore inſtituenda.* Et Gregorius VII. Pontifex Maximus *lib.* 7. *epiſt.* 10. *ad Epiſcopos Britanniæ*, ſcribit: *Quisquis dignè vult pœnitere, neceſſe eſt, ut ad fidei recurrat originem, & quod in baptiſmo promiſit, Diabolo ſcilicet, pompiſque ejus abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo ſentiendo, mandatis ipſius obedire, ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire.* Hinc moris in primitiva eccleſia fuit, ut pœnitentes non prius abſolverentur, quàm elevata manu in altum promiſiſſent, ſe deinceps non peccaturos, ſed acturos vitam Chriſtianis dignam. Neque ſatis eſt: ſiquis tantum legat formulam eliciendi actum contritionis, ſed ulterius requiritur, ut toto conatu ipſum actum deteſtationis peccati contritionis, vel attritionis adnexæ Sacramentali confeſſioni eliciat. Quamvis formulæ peccatoriæ, & aliæ quæ inſcribuntur actus contritionis piæ ſint, & utiles pœnitentibus, non tamen ſufficit, verba illa recitâſſe: quia verba illa, per ſe, non ſunt actus contritionis, niſi materialiter: Contritio eſt amor Dei ſuper omnia propter ſe, & deteſtatio peccati, eò quia ſit contra Deum, qui actus ſunt voluntatis, non mentis, neque linguæ proferentis verba formulæ: ſiquidem formulæ illæ precum, vel actus contritionis, ſive ore proferantur, ſive interius absque ſono verborum concipiantur, non ſunt actus voluntatis, nec propenſiones cordis in Deum, ſed actuum ſignificationis, propenſionis, & amoris teſtimonia, hinc D. Auguſtinus *lib.* 13. *confeſſ. cap.* 8. Deum alloquens ait: *Da mihi te Deus meus, redde te mihi, te enim amo: & ſi parum eſt, amem validius, non poſſum metiri, quantum deſit mihi amoris, ad id, quod ſatis eſt, ut currat vita mea in amplexus tuos nec avertatur, donec abſcondatur in abſcondito vultûs tui. Hoc tantùm ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolum extra me, & in me ipſo, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non eſt, inopia mihi eſt.*

Signa autem, ex quibus poteſt dignoſci vera contritio, plura ſolent aſſignari, quorum primum eſt, reſcindere & fugere omnes peccandi occaſiones, unde D. Bernardus *ſerm. de paſchate* ait: *Non ſatis cecidiſſe piget hominem, (ut videtur) qui adhuc diſponit manere in lubrico, aut erráſſe, qui lucem non quærit; ſic vera compunctionis judicium opportunitatis fuga ſubtractio occaſionis.* Secundum eſt frequens de Deo cogitatio, & diligere Deum ſuper omnia, ait enim S. Bonaventura: *Vis ſcire, ſi Deum perfectè diligas, vel aliud plus Deo amas, attende, ſi de Deo plus, quàm de aliis rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas, ubi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum eſt, veritas hoc docet, quæ mentiri non poteſt, ergo ſi plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de carnali amico, vel ſocio, quàm de Chriſto, amas iſta plus quàm Chriſtum, & ob hanc cauſam, ait Dominus, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Tertium ſignum eſt ſtudium ardens quærendi Deum, quandò nos ab illo per peccata lethalia avertimus, ait D. Gregorius *homil.* 25. *in evangel. Vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis*, quapropter ſponſa præ amore, & abſentia ſponſi languens ardentiſſima ſollicitudine, eum per vicos, & plateas quærit. Quartum ſignum eſt ſtudium bonorum operum, & deſiderium, quo anima fertur ad omnia, quæ Deo ſunt placita, ait enim Auguſtinus: *Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem: dilectio vacare non poteſt, niſi & malè nihil operetur: & quidquid poteſt boni, operetur. Quid enim facit dilectio, declina à malo, & fac bonum.* Quintum ſignum eſt vindicta peccati, quia rectus juſtitiæ ordo exigit, ut peccatum non abeat impunitum, proinde neceſſe eſt, puniatur vel ab homine pœnitente, vel à Deo vindicante. Sextum ſignum eſt conſtantia, ac perſeverantia in fuga peccati, & obſervatione divinorum mandatorum: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*: hæc ſigna veræ, & ſinceræ converſionis in Deum recenſet Apoſtolus 2. *ad Corinth. cap.* 7. ubi ſcribit: *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum contriſtavi vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, & defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam.* Quæ verba expendens D. Thomas in Commentario ait: Triſtitiam, de qua loquitur Apoſtolus, oriri ex amore: Triſtatur enim quis, quia caret eo, quod amat; duplex enim eſt triſtitia ex amore orta, una, qua quis triſtatur, eò quia ſe averterit à Deo, & hæc triſtitia eſt ſecundùm Deum: & alia eſt triſtitia, quæ naſcitur ex amore, quo quis creaturam amat, & dicitur triſtitia ſecundum carnem.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Satisfactione Sacramentali, ejusque necessitate.

SAtisfactio, quæ est tertia pars [illegible] Sacramento pœnitentiæ, [illegible] quia, qui alterum læsit, [illegible] est ad injuriam compensandam, vel [illegible] injuste læsus est [illegible] homo possit pro peccatis [illegible] condonatur aliqua [illegible] ex parte ipsius Dei, supposita tamen [illegible] per Christi meritis collata [illegible] nem Deo exhibere [illegible] opera quæ [illegible] duplex [illegible] Sacramentalis, & alia [illegible] & est [illegible] quia non solum ex opere [illegible] ex opere operato [illegible]

[illegible]

[illegible] dispositio pœnitentis [illegible] gratiam uberius [illegible] in [illegible] pœnitentiæ [illegible] pendens. Alia [illegible] de qua [illegible] satisfactio, quæ [illegible] vel [illegible] vel eleemosynis [illegible] ero [illegible] vel [illegible] jejunio, [illegible] pro [illegible] peccatis [illegible] debet [illegible] & de hac [illegible] Synodus *sess.* 6. *cap.* 14. [illegible] *per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa, remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut Sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non [illegible] cipit*, at etiam [illegible] esse Deo exhibendam, non quidem pro pœna æterna, [illegible] Sacramento, [illegible] cum culpa [illegible] fit, [illegible]

Asserendum est, esse fidei dogma, remissa culpa

peccati in Sacramento pœnitentiæ [illegible] debet per se ipsum [illegible] post peccatum [illegible] *Adamum ubi* [illegible] præcepto [illegible]

[illegible]

Respondeo [illegible] §. 3. [illegible] quoad culpam [illegible] Joannem C[illegible] ubi ait: [illegible] *peccatis* [illegible] Sed contra quæ 2. *Reg.* 12. [illegible] causam mortis [illegible] in [illegible] non [illegible] catum [illegible] ubi ait: Davide [illegible] peccatum prætextum.

tum, quamvis remissum, & condonatum à Deo: quia Dominus delictum sine ultione non relinquit. Præterea plura sunt alia testimonia in scripturis sacris, quæ indicant mortem ipsam infligi in pœnam peccati, etiam post culpam remissam.

Neque dici potest morte puniri homines, ut imposterum cautius vivant, si enim semel mortui sunt, quo modo deincepi cautius in hoc sæculo vivent, ubi amplius non sunt, hoc autē absurdum sequerentur ex responsione allata à Calvino. *Numr.* 20. Aaron moritur ante ingressum in terram promissionis. Moyses itidem quamvis in osculo Domini expiraverit ob idē peccatum moritur in monte Abarim. Rursus 3. *Reg. cap.* 13. de Propheta Domini dicitur: Qui ob peccatum quoddam occisus fuit in itinere, & quia paulò ante pædicta fuerat ei calamitas dubium esse non potest, quin egerit pœnitentiam, & remissionem impetraverit. Siquidem in testimonium sanctitatis, in qua vitam clauserat, Leo juxta cadaver impastus non est ausus attingere, nec asinum lædere Prophetæ, & tandem D. Paulus 1. *Corinth.* 11. scribit: Plures eorum qui indigne communicabant esse infirmos, multosq; mortuos in pœnam peccati, quos ante mortem reconciliatos esse asserit, ait enim Apostolus, *à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur*, unde nulli potest dubium esse, quin post remissum peccatum quoad culpam, & pœnam æternam, adhuc supersit luendus reatus pœnæ temporalis.

Probatur ex sanctis Patribus Origenes *in exord. homil.* 6. ait: *Misericors, & miserator est Dominus, & creaturæ suæ non vult mortem, sed ut convertatur, & vivat pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est: dicit enim Propheta, quia si conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Cyrillus Hierosolymitan⁹ *Catechef.* 2. ait: *Beatus David, quamvis audiverit Dominum traduxisse peccatum ipsius non abstinuit tamen à pœnitentia, verum loco purpuræ sacco utebatur, & loco aurei throni in terra, & cinere Rex sedebat; neque tantum in cinere sedebat, verum etiam cinere vescebatur, quemadmodum ipse dicit, quia cinerem tanquam panem manducabam, vindicabat concupiscentem oculum, lavabo, inquiens, per singulas noctes lectum meum rigabo.* Non enim semper contingit, ut Dominus pœnam temporariam, quæ peccatis debetur una cum reatu culpæ, & pœnæ æternæ remittat, cùm David, cui Nathan Propheta dixerat 2. *Reg.* 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, adhuc gravissimas pœnas ultro subierit, ac divinam misericordiam die ac nocte imploraverit. *Psal.* 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, & causam addit subdens: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, his enim verbis petebat à Domino, ut non solum crimen, verum etiam pœnam pro peccato debitam condonaret, & à criminum reliquiis purgatum in pristinum decoris, & integritatis statum restitueret: & cum hæc fusis tam precibus, quam lachrymis enixim à Deo peteret, eum tamen Deus punivit morte filii ex adulterio suscepti, & Absalonis defectione, aliisq; pœnis, & calamitatibus domesticis, ac publicis, quibus eum vexavit, mulctavitque, & quarum minas illi antea intentaverat. D. Ambrosius *lib.* 1. *de pœnitentia cap.* 16. ait: *Cognovi quosdam in pœnitentia, sulcasse vultum lachrymis, exarâsse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper, & pallido, mortis speciem spirante in corpore prætulisse.* Et *lib. ad Virginem lapsam cap.* 8. scribit: *Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda &c. talis vita, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare, & si non gloriam, certe pœnæ evacuationem. Peccator ergo, si sibi non pepercerit, à Deo illi parcitum.* Et S. Augustinus *in Psal.* 90. ait: *Veritatem dilexisti, hoc est, impunita peccata eorum, quibus ignoscis, non dimisisti, sic prorogasti misericordiam, ut servares veritatem.* Hoc idem dogma docent reliqui sancti Patres, quorum catalogum tenere, nimis prolixum foret, & pro cæteris S. Gregorius *lib.* 9. *Moral. cap.* 27.

Ratio itidem hanc evincit veritatem, quia Deus misericors est, & justus, proinde, si ex misericordia pura totam culpam remittit, totumque reatum pœnæ condonat in baptismo: ratio justitiæ videtur exigere, ut, qui semel à peccati, & dæmonis servitute liberati sunt, ac dono Spiritus Sancti ditati, scienter postea templum Dei coinquinare, & Spiritum Sanctum contristare non formidârunt, aliquam exhibeant Deo satisfactionem, seu aliquam compensationem pro injuria eidem illata, est enim satisfactio injuriæ alteri illatæ compensatio. Hinc Tertullianus *lib. de pœnit. cap.* 9. agens de confessione, prostratione, & satisfactione pœnitentiali ait: *Exhomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina.* Et recenset varios actus pœnitentiæ: qui pœnitentibus injungebantur, ut divinæ aliquo pacto satisfacerent justitiæ. Quòd si peccata Deus permitteret omnino impunita abire post remissum reatum culpæ, & pœnæ æternæ, facile fieret, ut illa existimantes leviora injurii Spiritui Sancto liberius peccarent homines, & sibi thesaurizarent iram in die iræ: requirebatur igitur frœnum aliquod, quo homines coercerentur à peccato, cujusmodi sunt pœnæ temporariæ, quibus tenentur vel in hac vita, vel in alia expiatorio igne purgatorii divinæ justitiæ satisfacere cautiores fierent, sibique magis invigilarent, ne peccata iterarent, qua propter D. Paulus 2. *Corinth.* 7. ait: *Gaudeo, quia contristati estis ad pœnitentiam, contristari enim secundum Deum, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed timorem, sed vindictam.* D. Thomas 3. *part. quæst.* 86. *art.* 4. asseret, duo esse in peccato mortali, aversionem à summo bono, seu Deo, & conversionem inordinatam ad bonum commutabile, seu creaturam, & ratione primi habetur reatus pœnæ æternæ, oò quia ausus fuerit homo delinquere contra bonum æternum, & injuriam irrogare Deo, & ob hoc meretur in æternum puniri. Ratione conversionis inordinatæ ad creaturam sequitur peccatum mortale, & reatus alicujus pœnæ, quæ inordinatio, cum fuerit finita, habet ex hac parte, quod pœna ei debita sit etiam finita: unde quando per gratiam aversio à Deo tollitur, reatus etiam pœnæ æternæ remittitur: & potest remanere reatus aliquis pœnæ temporalis, qui correspondeat finitæ conversioni inordinatæ ad bonum commutabile.

Objiciunt nihilominus Sectarii, quia omnis reatus pœnæ fundatur in culpa, consequenter culpa per contritionem remittitur, *Ezechiel.* 18. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Isaia 60. *Dominus evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde* vel per Sacramentum pœnitentiæ, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, tunc remittitur omnis pœna debita peccatorū

Ezechiel. 18. dicat: *In quacunque hora ingemuerit peccator, ejus peccati non recordabor amplius.* ſi ſupereſſet, dimiſſa culpa, & reatu pœnæ æternæ, adhuc luenda aliqua pœna temporaria, procul dubio illius peccati recordaretur Deus contra ſuam promiſſionem. Sed contra, quia reatus pœnæ æternæ fundatur in culpa nondum deleta, ſed adhuc habitualiter perſeverante, & per quam homo remanet Deo inimicus, ac dignus pœna æterna: & fundamentum reatus pœnæ temporalis eſt culpa, quæ præceſſit, & pro qua nondum eſt ſatisfactum: cum igitur recipiens Sacramentum pœnitentiæ, vel eliciens actum contritionis poſt peccatum commiſſum non ſemper plenè compenſet divinæ juſtitiæ pro injuria Deo irrogata, nec plenè ſatisfaciat pro peccato commiſſo, ideo non ſemper remittitur totus reatus pœnæ temporalis, D. Thomas ait: Per contritionem, vel Sacramentum pœnitentiæ removeri aversionem à Deo, quæ eſt veluti formale peccatum, & per gratiæ infuſionem tolli mentis averſionem, conſequenter, & reatum pœnæ æternæ, & tantùm remanere id, quod eſt materiale, ſeu inordinatam converſionem ad bonum creatum, pro quo debetur reatus pœnæ temporalis. Alii reſpondent per contritionem, vel Sacramentum pœnitentiæ mutari pœnam æternam in temporariam, quia remittitur reatus pœnæ æternæ, & ſupereſt tantum reatus pœnæ temporariæ: & ideo Deus ratione dimiſſionis pœnæ æternæ reatus, dicitur non amplius recordari peccatorum; & ratione reatus pœnæ temporalis dicitur juſtus *Michae.* 7. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi.*

Inſtant Sectarii dicentes, Chriſti ſatisfactionem eſſe infinitam, & copioſam redemptionem noſtram, conſequenter nihil ſupereſſe ſatisfaciendum ei è confeſſo, vel contrito, ſcribit enim D. Paulus *ad Rom.* 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Sed contra, reſpondetur Chriſti ſatisfactionem eſſe quidem ſuperabundantem, & de ſe omnem reatum tollere ſed ejus fructus nonniſi finito modo communicatur Creaturis, alioquin, cum Chriſti ſatisfactio ſit ſimpliciter infinita, ſequeretur, quod non ſolum homines, ſed etiam Angeli fuiſſent redempti, quod eſt falſum, eò quia meritum ſatisfactionis Chriſti fuerit tantùm hominibus, non verò Angelis applicatum, unde homo tantùm participat de ſatisfactione Chriſti ſecundùm modum, quo ei applicatur, hinc in Baptiſmo participat totaliter virtutem paſſionis Chriſti, utpote per aquam & Spiritum Chriſto commortuus peccato, & in eo regeneratus ad novam vitam. In pœnitentia autem conſequitur virtutem paſſionis Chriſti ſecundum modum propriorum actuum, qui ſunt materia pœnitentiæ, ſicut aqua eſt materia Baptiſmi, ideoque non ſtatim per primum actum pœnitentiæ, quo remittitur culpa, ſolvitur reatus totius pœnæ: ſed expletis omnibus pœnitentiæ actibus non excluduntur noſtræ ſatisfactiones, ſed exiguntur, quod ſi dignos pœnitentiæ fructus facimus, hoc idem etiam habemus ex merito Chriſti adeo, ut nihil habeat homo, unde poſſit gloriari. Quòd verò pia opera ſatisfaciant pro reatu pœnæ temporalis declaravit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 13. inquiens: *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis à Deo inflictis, & patienter toleratis, vel à ſacerdote injunctis; ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, atque ideo, optimam pœnitentiam eſſe tantum novam vitam, anathema ſit.* Hinc

Aſſerendum ſecundò, opera noſtra verè & propriè eſſe ſatisfactoria pro reatu pœnæ temporalis in hac, vel altera vita debitæ peccatis, & eſt iterum dogma fidei fundatum in ſcripturis, *Eccleſiaſt.* 23. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Tobiæ.* 4. *Eleemoſyna à peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras,* ſed eleemoſyna non remittit peccatum quoad reatum culpæ, quia hæc remiſſio tantùm habetur à Deo per actum contritionis elicitum à creatura, vel per Sacramentum pœnitentiæ, ergo remittit tantum quoad pœnam. Præterea quia Deus *Jeremiæ* 18. promittit ſe remiſſurum pœnitentiam agentibus debitas pœnas, quas pro eorum peccatis erat iisdem minatus: Sed Deus in ſua promiſſione non fallit, ergo per talia opera poſſumus efficere, ut Deus nobis has pœnas remittat. Tum quia Chriſtus *Matth.* 3. nos hortatur, ut faciamus fructus dignos pœnitentiæ: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Hinc tripliciter poſſumus ſatisfacere pro pœnis remanentibus poſt remiſſionem culpæ. Primo patienter tolerando pœnas nobis à Deo inflictas: ſecundò promptè, & alacriter exequendo quæ à confeſſario nobis injunguntur in ſatisfactionem noſtrorum peccatorum. Tertiò per opera pœnalia ſponte ſuſcepta. Ratio verò cur opera noſtra ſint propriè ſatisfactoria pro reatu pœnæ temporalis eſt, quia, cum homo, quamdiu eſt in hac vita, ſit viator, debet ei concedi modus, tempus, & locus, ut poſſit animæ ſuæ vacare negotio, eamque ab omni culpa, ac reatu purgare: ſed hoc non poſſet homo præſtare niſi per ſuas ſatisfactiones, ſeu operationes, ut manantes à Divina gratia, tanquam à proprio comprincipio, ergo hujusmodi ſatisfactiones, & operationes valent ad extinguendum reatum pœnæ temporalis: hinc homo juſtus etiam de condigno poteſt ſatisfacere pro reatu pœnæ temporalis remanentis poſt remiſſam culpam, id enim definitum fuit in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. & 9. & in Bullis Pii V, & Gregorii XIII, contra Michaelem Bajum, ubi dicitur: Non verè ac propriè ſatisfacere pro reatu pœnæ: ſed non poteſt eſſe vera, ac propria ſatisfactio, ubi non eſt condignitas, & æqualitas, non enim ſatisfit, niſi ponatur æqualitas, adeo ut ſatisfactio ſit tanta, quantum eſt debitum, Præterea ibidem dicitur. Non eodem modo mereri, quo ſatisfacimus: ſed certum eſt hominem juſtum mereri de condigno gloriam: ergo etiam ſatisfacit de condigno, & quia ſatisfacere pro reatu pœnæ temporariæ ſit aliquid minus, quam mereri gloriam æternam: eo ipſo, quod meremur condignè, poſſumus etiam condignè ſatisfacere. Præterea quia certum eſt, homines aliter ſatisfacere pro pœna æterna, quam pro temporali; ſed ſatisfaciunt de congruo pro æterna, ergo poſſunt ſatisfacere plus quam de congruo pro reatu pœnæ temporalis. Demum: quod proportionatur cum aliquo ſuperiori, à fortiori poteſt etiam proportionari cum inferiori: ſed homo juſtus per opera pœnalia poteſt de condigno mereri vitam æternam, ergo à fortiori poteſt etiam ſatisfacere de condigno pro reatu pœnæ temporalis. Minor oſtenditur, quia quamvis vita æterna ſit ordinis ſuperioris, quam opera pœnalia hujus vitæ: attamen ad condignitatem ſive in merito, ſive in ſatisfactione non eſt neceſſaria æqualitas phyſica, ſed ſatis eſt, ſi adſit æqualitas moralis, ſecundùm virtutem, & proportionem, qualis eſt inter ſemen, & fructum.

Quòd

Digitized by Google

Quid ſi dicas, peccata in ſcripturis dici remitti gratis, conſequenter non requiritur, ut exhibeatur æqualis ſatisfactio pro reatu pœnæ. Hinc D. Ambroſius *lib. 10. in Lucam. cap. 96.* ait: *Non invenio, quid Petrus dixerit, ſed quid fleverit, lachrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego,* conſequenter non poteſt homo juſtus de condigno ſatisfacere pro reatu pœnæ temporalis debitæ in altera vita peccatis. Sed contra, quia ex ſcripturis tantum habetur, peccata quoad culpam, & pœnam æternam remitti gratis, non verò quoad reatum pœnæ temporalis debitæ in altera vita peccatis; niſi fortaſſis aſſeras, hunc reatum etiam remitti gratis, quatenus gratia præveniens gratis datur; & ſatisfactio etiam acceptatur gratis. Neque obſtant præcitata Ambroſii verba: per ſatisfactionem intellexit executionem, in quo ſenſu dixit Apoſtolus bono animo pro me ſatisfaciam.

Si dicas, non poſſe quempiam ad æqualitatem ſatisfacere pro culpa, conſequenter, neque ſibi ſatisfacere ad æqualitatem pro reatu pœnæ, utrinque enim eſt par ratio: ergo non poteſt homo juſtus de condigno ſatisfacere pro reatu pœnæ temporalis, quia eſt diſcrimen inter ſatisfactionem pro culpa, ut pro pœna, ſatisfactio enim pro culpa eatenus exigit æqualitatem inter perſonam ſatisfacientem, & offenſam, quia reparat honorem perſonæ offenſæ, per honorationem perſonæ ſatisfacientis, conſequenter honoratio perſonæ ſatisfacientis debet adæquare dehonorationem perſonæ offenſæ, & nunquam poteſt adæquare, niſi utriuſque perſonæ dignitas ſit æqualis, dehonoratio ſiquidem, & honor proportionantur perſonæ, in qua ſunt, ſed ſatisfactio pro reatu pœnæ temporalis, non eſt reſtitutio honoris, ſed aliquid relictum ex offenſa remiſſa, conſequenter non exigit æqualitatem perſonæ ſatisfacientis.

Si inſtes ſatisfactionem ad æqualitatem eſſe faciendam ex bonis, quæ alio titulo non ſunt debita: & noſtræ ſatisfactiones, & operationes pluribus titulis eſſe Deo debitas, & præſertim, quia Deus habet pleniſſimum dominium, & jus ſuper omnes creaturas, ac eorum actus, conſequenter pro reatu pœnæ nullam poſſe eſſe æqualem ſatisfactionem, contra eſt, quia ſatisfactio condigna poteſt fieri ex bonis, quæ debita ſint alio titulo non importante diverſum debitum, quamvis non poſſit fieri ex bonis, quæ debentur alio titulo importante diverſum, debitum, quo pacto per idem ſacrum, cui interſum, poſſum ſatisfacere duplici præcepto audiendi miſſam die feſto, ut ſi die dominico occurrat feſtum alicujus ſancti de præcepto per auditionem unius ſacri utrique feſto ſatisfacio, non ita per ſolutionem unius aurei ſatisfacere poſſem pro furto aurei, & pro voto dandi in eleemoſynam pauperibus unum aureum. Igitur opera noſtra pluribus titulis debentur Deo, quæ non important diverſum debitum, unde per illa poſſumus Deo ſatisfacere.

Hinc neceſſaria eſt ſatisfactio pœnitentibus ad Deum placandum, & ad pœnam temporalem redimendam, cujus debitum poſt remiſſionem culpæ perſæpe remanet, quod enim non omnis pœna pœnitentiæ Sacramento condonetur explicat Tridentina Synodus *loc. cit.* his verbis, *Sane, & divina juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui ſemel à peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono ſcientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione, accepta peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ.* Ex quibus infertur teneri pœnitentem Deo ſatisfacere, ut injuriam ipſi per peccatum illatam aliquo pacto compenſet, & ſatagat placare, ut dignetur pœnam temporariam etiam remittere. Igitur imperitè Lutherani, & Calviniſtæ aſſerunt ſatisfactiones pœnitentium mera fuiſſe ſpectacula inſtituta tum exempli cauſa, tum ad probandos hos, qui recipi petebant ab Eccleſia, & has ſatisfactiones à pœnitentibus præſtitas, fuiſſe publicas, ac prorſus politicas, & ſcholaſticos finxiſſe eas non ad diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum valere, etenim, quid non fuerint mera ſpectacula, ut ajunt Hæretici, inſtituta cauſa exempli, & ad probandos eos, qui in Eccleſiam recipi poſtulabant, ſed vel maximè ad Deum placandum, & ad expiandas noxarum reliquias, & ad remittendas pœnas temporarias, quarum perſæpe debitores ſumus poſt remiſſionem peccatorum, communiter docent Sancti Patres ſuperiùs citati. Idque præſertim probatur ex D. Baſilio *epiſt. 3. ad Amphilochium*, ubi de mulieribus adulterium ſecreto confeſſis, dicitur, quod fuerit illis pœnitentia canonica injuncta, quam ſecreto etiam peregerunt, ut etiam ex S. Leone *epiſt. ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem*, cui ſcribit: Alienum eſſe à conſuetudine Eccleſiæ, ut Presbyteri, & Diaconi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, ait ipſe: *Unde hujuſmodi lapſus ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Plura erant ſatisfactionis genera, quibus eluebantur maculæ peccatorum, & pœnæ temporariæ definitæ remittebantur, aliud enim fuit ſatisfactionis genus, quod ſecundum ſacros canones proſcribebatur, & certo temporis ſpatio definiebatur, unde antiquiſſimo Eccleſiæ uſu receptum fuit, ut, cum pœnitentes à peccatis ſolvuntur, pœna aliqua illis injungatur, cujus pœnæ ſolutio ſatisfactio dicebatur. Aliud ſatisfactionis genus erat pœna quælibet non quidem à ſacerdote irrogata, ſed ſponte ſuſcepta, & tolerata, verum hæc pœnitentia ad Sacramentum non pertinet. Alia enim eſt ſatisfactio Sacramentalis, & eſt voluntaria perpeſſio pœnæ à ſacerdote in pœnitentiæ tribunali injunctæ ad compenſandum injuriam Deo illatam, & ipſum placandum cum firmo propoſito impoſterum non peccandi, ac evitandi occaſiones omnes peccatorum.

Hæc neceſſitas ſatisfaciendi pro peccatis quamvis remiſſis quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ præcipitur à Deo Luc. 3. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ:* neque per fructus pœnitentiæ quid aliud intelligitur, quam ſatisfactio per opera juſtitiæ: unde D. Joan. Chryſoſtomus *homil. 10. in Matth.* ait: *pœnitentiam dico, non ſolum, ut à malis prioribus deſiſtamus, verum etiam, ut bonorum operum fructibus impleamur: facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ, quo autem modo fructificare poterimus, ſi utique peccatis adverſa faciamus. Aliena rapuiſti, incipe jam donare propria; longo es tempore fornicatus, à legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugii, ac perpetuā continentiam ſæpius paucorū dierū caſtitate meditare injuriam vel opere cuiquā vel ſermone feciſti? Refer benedictionis verba conviciis, & percutientes te nunc officiis, nunc etiā beneficiis placare intende.*

Digitized by Google

Neque enim vulnerato ſuffit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore evellere; ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis ante, & temulentia diffluebas? jejunio, & aquæ potu utrumque compenſa, ut famem ſuperes imminentem: vidiſti impudicis alienum decorem oculis? fœminam jam omnino non videas, majore tactus cautione poſt vulnera. Hanc ſatisfactionis neceſſitatem exhibendam à peccatoribus eſſe de divino præcepto colligitur ex illo *Joel.* 2. ubi Deus adhortatur peccatores ad pœnitentiam inquiens: *Convertimini ad me in toto corde veſtro in jejunio, & fletu, & planctu*, & ex Apoſtolo 2. *Corinth.* 7. *Secundùm Deum contriſtavi vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed vindictam*; *& ad Roman.* 6. *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Quapropter tenetur confeſſarius ſub mortali injungere aliquam ſatisfactionem pœnitenti, ut ſtatuit ſacra Tridentina ſynodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. ubi ait: *Debent ſacerdotes Domini pro qualitate omnium, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere.* Ratio itidem eſt, quia tametſi actualis ſatisfactio non pertineat ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ, eſt nihilominus de illius integritate, & Miniſter hujus Sacramenti tenetur integrum illud conficere, conſequenter non tantùm reum abſolvere, verùm etiam eidem congruam pœnitentiam injungere alioquin delinqueret in re gravi. Prætereà in hoc tribunali ſacerdos eſt Judex, & ut talis tenetur ex juſtitia vindicativa in judicio Sacramentali æquitatem ſervare, imò & æqualitatem, prout fieri poteſt, ut pro qualitate criminum majorem vel minorem injungat ſatisfactionem, unde virtute juſtitiæ tenetur ſub lethali hanc ſatisfactionem injungere pœnitenti, quod verò teneatur imponere ſatisfactionem æqualem peccati, quantum fieri poteſt, ex eo itidem liquet, quia hoc Sacramentum fuit à Chriſto inſtitutum per modum judicii, in quo ſacerdos ſententiam profert, æquitas autem judicii exigit, ut æqualis pœna injungatur delicto, unde S. Cyprianus *lib. de lapſis* ait: *Quàm magna deliquimus tam granditer deploramus, alto vulnere diligens, & longa medicina non deſit, pœnitentia crimine minor non ſit.* Et D. Ambroſius *ad Virginem lapſam* ait: *Grandi plagæ alta, & prolixa opus eſt medicina, grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.* Ex quibus conſtat teneri Miniſtrum hujus Sacramenti injungere ſatisfactionem proportionatam pro peccatis. Non tamen hæc æqualitas ſatisfactionis debet eſſe mathematica, ſed ſufficit, ſi æquivalens ſit, quia confeſſarius citra revelationem non poteſt ſcire, quantam pœnam debeat pœnitens luere poſt mortem in flammis expiatoriis purgatorii, & qualis pœna illis ſit mathematicè æqualis, unde ſufficit, ſi hæc æqualitas ſit, quæ conducat pœnitentem ad vitam ſanctiorem, ad mores corruptos corrigendos, & ad declinandas occaſiones omnes peccandi.

Cæterum nulla eſt lex divina nec humana Eccleſiaſtica, quæ taxet determinatam ſatisfactionis menſuram, quam teneatur confeſſarius pro iis, vel illis peccatis injungere, & colligitur ex Concilio Niceno *cap.* 12. *& ex cap. Menſuram de pœnitentiis diſt.* 1. ſiquidem hæc ſatisfactio maxime ordinatur ad bonum, & curationem pœnitentis: ſed diſpoſitio pœnitentis poteſt tam eſſe mala, & multiplex: ut non poſſit eadem quantitas, nec idem modus pœnitentiæ illi expedire: unde circa injungendam ſatisfactionem pro peccatis, expediens erat, ut nulla eſſet lex taxans, ac determinans pro quovis perſonarum genere certam, & determinatam ſatisfactionem. Hinc menſura injungendi ſatisfactiones relinquitur arbitrio prudentis confeſſarii, ut deducitur ex Concilio Florentino *in litteris unionis*, ubi agens de partibus Sacramenti pœnitentiæ ait: *Tertia pars eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium ſacerdotis*, & hoc idem etiam declarat Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. ubi expreſsè docet: Nos ſatisfacere Deo pœnis ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis. Hinc canones pœnitentiales, ita dicti eò, quia in illis deſignentur variæ ſatisfactiones, ſeu pænitentiæ, quæ ſub initiis Eccleſiæ injungi conſueverant pro diverſis peccatis, potius pertinebant ad forum externum Eccleſiæ, ubi fidelibus publicè injungebantur pœnitentiæ, nec hoc arbitrium injungendi pœnitentiam redditum eſt abſolutè in poteſtatem ſacerdotis, ſed conſiderata gravitate peccatorum, ac diſpoſitione pœnitentis, aliiſque circumſtantiis perſonæ, & temporis, adeo ut ſacerdos juxta has omnes circumſtantias teneatur prudenter injungere ſatisfactionem proportionatam, ut habetur in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. ubi dicitur: *Debent ſacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia ſuggerit, pro qualitate peccatorùm convenientes ſatisfactiones injungere.* Ratio itidem eſt, quia ſacerdos in hoc tribunali pœnitentiæ eſt Judex, qui tenetur ſervare æquitatem, conſequenter injungere ſatisfactiones proportionatas; cæterum ex rationabili cauſa aliquando poteſt leviorem injungere pœnitentiam, ut ob fragilitatem pœnitentis, ut notat D. Thomas *in addit. queſt.* 18. *art.* 4. quia in hoc Sacramento magis attenditur emendatio, & ſalus pænitentis, quàm ſatisfactio pro pœna; & hac ratione poteſt excuſari hodierna praxis qua leviores injunguntur pœnitentiæ, & ſatisfactiones, id enim perſæpe fit propter ſpiritualem infirmitatem pœnitentium, qui graviores pœnitentias ægrè ferrent, & à ſacramentali confeſſione ſe averterent, vel ineptos adirent confeſſarios, qui eos curare neſcirent, in hoc tamen caſu conſultius eſt, ſi confeſſarium ſuadeat pœnitenti uſum indulgentiarum, & illum etiam injungere, ut hac ratione ſuppleatur defectus propriæ pœnitentiæ, imò in aliquibus caſibus poteſt ſacerdos non injungere pœnitenti ſatisfactionem, quia tametſi per ſe loquendo teneatur confeſſarius ſemper aliquam pœnitentiam injungere, eò quia hoc Sacramentum inſtitutum ſit per modum judicii, attamen per accidens in aliquibus caſibus contingit, ut ceſſet hæc obligatio, ut ſi pœnitens ſit in extremis vitæ conſtitutus, & morti proximus, ut non poſſit ſalutationem angelicam recitare, nec ullam aliam implere pœnitentiam. Secundò ſi remedium perfectæ remiſſionis ſit præſens, ut indulgentia moraliter certa ſit vel martyrium, ut etiam tertiò ſi confeſſarius ſciret pœnitentem perfectè ſatisfeciſſe.

Objiciunt tamen Sectarii, aſſerentes poſt remiſſam culpam non eſſe neceſſarium aliud opus bonum quod exigatur in ſatisfactionem peccatorum, ſiquidem ficta, & fraudulenta eſſet hominis cum ſuo inimi-

inimico reconciliatio, ſi poſt injuriæ condonationem, & ſponſionem amicitiæ aliquod damnum aut malum vellet ipſum pati, non enim eſſet perfecta cum inimico ſuo reconciliatio, nec totalis remiſſio injuriæ ſibi illatæ, cùm pro illa adhuc exigeret aliquam compenſationem; ergo Deus à pœnitentibus, quorum peccata ſunt remiſſa, non exigit alias pœnas, ſi verè ipſis peccata dimiſit, eosque reſtituit priſtinæ ſuæ gratiæ, & amicitiæ: Sed contra, quia in hominum reconciliatione non alia lege amicitia redintegratur, niſi ut violatus reparetur honor alterius, & injuria ei irrogata convenienti modo compenſetur, ut pro damnis illatis congrua ſatisfactio fiat: qui læſo ſatisfacere nolit amico, cenſetur amicitia indignus, ſed in reconciliatione hominis cum alio homine inimico, & cum Deo, eſt ingens diſcrimen, quia reconciliatio hominis cum homine tantùm æternis ſignis poteſt innoteſcere, ac probari, ac proinde meritò veniret in ſuſpicionem fraudis, ſi adhuc poſt reconciliationem grave aliquod malum inferret inimico ſibi reconciliato: etenim malum illud, quo afficeretur inimicus ad prioris injuriæ expiationem non pertineret, neque ad Confirmationem amicitiæ conferret. Secus reconciliatio, qua peccator Deo reconciliatur, & priſtinæ ſuæ gratiæ, & amicitiæ reſtituitur, eſt tota interior, & externa remiſſione pœnæ non indiget, ut probetur, hinc pœnæ, quas hic peccator pœnitens à ſe exigit ex mandato Confeſſarii, vel etiam ſponte aſſumit, ut ſe ipſum affligat, plurimum valent ad reſarciendum hominem Deo oblatum, & ad reparanda violata jura divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ: ſiquidem hæc jus ſuum exercet, quando peccata condonat, & juſtitia ſuum itidem jus exigit, cùm pœnas ſatisfactorias requirit, neque enim Deus penſari debet inſtar perſonæ privatæ, quæ non ſolùm injuriam, verùm etiam pœnam totam injuriæ debitam remittere debet inimico, ut ipſum in amicitiam ſuam cenſeatur ſincerè recepiſſe: ſed inſtar Judicis, qui leges, & ordinem Juris ſervare debet, ſic Juſtitia, & pax dicuntur ſeſe mutuò oſculari, ut notat D. Auguſtinus *in Pſal.* 50. ubi expendens verba illa Davidis: *Ecce enim veritatem dilexiſti*, ait: *Veritatem dilexiſti: id eſt, impunita peccata etiam eorum, quibus ignoſcis, non reliquiſti: ſic miſericordiam prærogaſti, ut ſervares, & veritatem. Ignoſcis confitenti, ignoſcis, ſed ſe ipſum punienti: ita ſervatur miſericordia, quia homo liberatur, & veritas, quia peccatum punitur.*

Sed inſtabis, quia Deus *Ezech.* 18. proteſtatur: quòd ſi impius vel reſipuerit, non amplius quidquam ab alio exiget, ait enim: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*, recordaretur autem iniquitatum, quas reſipiſcentibus condonavit, ſi poſt talem condonationem adhuc ſatisfactionem ab illis exigeret, Sed contra, quia Deum non recordari iniquitatum, quas reſipiſcentibus condonavit, idem ſignificat, ac Deum propter ipſas non amplius odiſſe hominem, neque voluiſſe, ipſum pœnis eſſe additum æternis, quæ, cùm Dei amicitia cohærere poſſunt. Cæterùm earundem iniquitatum eſt memor, quatenus pro iiſdem exigit pœnas temporarias, & ſatisfactiones non tam ſæveritate Judicis, quàm miſericordia Patris; qui à peccatorum reliquiis filios his ſatisfactionibus expiat, & ſaluberrimis pharmacis adverſus futuras peccatorum ægritudines præmunit, ut ſibi impoſterum caveant, & non amplius delinquant, quapropter filii ſui paſſioni, & morti conformes facit pœnitentiis ac ſatisfactionibus, quibus ſe ipſos flagellant, dilacerant, excruciant catenulis, & ciliciis, extenuant jejuniis, in quo ſenſu intelliguntur verba illa Ezechiel 18. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Rurſus, cùm Deus non ita obliviſcatur bonorum operum, quæ fiunt à viris juſtis, quando poſtea excidunt ex ſtatu gratiæ per peccatum lethale, quin ob illa præmiis donentur temporalibus, ita non obliviſcitur criminum impiorum, cùm pœnitentiam agunt, quin de iiſdem pœnas etiam exigat temporales.

Objiciunt ſecundò, quia eodem pacto remittuntur per baptiſmum peccata, ſicut per Sacramentum pœnitentiæ, ſi omnia ritè concurrant: ſed poſt remiſſionem peccatorum in baptiſmo nulli pœnæ obnoxii manent baptizati, ſiquidem baptiſmus omnia peccata delet, ac remittit, ergo etjam in Sacramento pœnitentiæ ii, quibus remittuntur peccata, nullius amplius pœnæ debent eſſe debitores, conſequenter hæ ſatisfactiones, & pœnitentiæ perperam injunguntur. Sed contra, quia eſt diſcrimen inter baptiſmum, & Sacramentum pœnitentiæ, ſiquidem baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis, & innovationis, ideoque culpam totaliter abolet, & debitum pœnæ delet: Sacramentum verò pœnitentiæ non eſt regenerationis, ſed ſanationis, in quo majores ex parte hominis pœnitentis diſpoſitiones poſtulantur: ſiquidem gravius peccatum eſt, quod poſt baptiſmum perpetratur, illo quod ante baptiſmum committitur, propterea majores etiam ad Deum placandum ſunt ſubeundi labores, ait enim D. Bernardus *ſerm. de Cœna Domini*: *Lavari quidem citò poſſumus, ſed ad ſanandum opus eſt multâ curatione.* Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ait: *Alius eſt baptiſmi, & alius pœnitentiæ fructus. Per baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illis efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus dictus fuerit.*

Sed inſtant Sectarii, ajentes, Chriſtum per ſuam paſſionem, & mortem ſuperabundanter ſatisfeciſſe pro omnibus hominibus, quos & revellit à ſervitute peccati in adoptionem filiorum Dei, quapropter Chriſtus *lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & propitiatio eſt pro peccatis noſtris.* Quòd ſi Chriſtus ſatisfecit pro delictis noſtris, adeò ut ejus ſatisfactio longè ſuperaverit debita noſtra pro peccatis, ſequitur, illius ſatisfactionem non ſolùm fuiſſe ſufficientem, verùm etiam abundantem, adeò ut ejus paſſioni & morti inferatur injuria, ſi præter illius ſatisfactionem infinitam etiam exigantur ſatisfactiones hominum ad Deum placandum neceſſariæ, quia hoc pacto redarguitur inſufficientiæ Chriſti ſatisfactio. Quapropter D. Ambroſius aſſerit, D. Petrum nullam dediſſe ſatisfactionem pro negatione Chriſti, licèt graviſſimum fuerit peccatum, ait enim ipſe *Lib.* 10. *in Lucam*: *Lachrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego.* Sed contra, quia tametſi Chriſti ſatisfactio ſuperabundans fuerit non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi peccatis in modum cauſæ, ac remedii univerſalis, adhuc tamen

Digitized by Google

hæc ſatisfactio, licèt in ſe infinita, nobis non applicatur, niſi per Sacramenta, vel noſtras ſatisfactiones, ut in nobis efficaciter operetur, ita nulla ſit inimica dolori, quem Chriſtus pro peccatis noſtris toleravit, nec lachrymis, quas pro illorum remiſſione ſubdit, quamvis Contritio, & lachrymæ pœnitentium ad expianda delicta dicantur neceſſariæ, ſicut nulla ſit injuria Chriſti orationibus, quamvis nos debeamus orare, ut nobis remittantur peccata, & divina impetremus beneficia: ita nulla ſit injuria ſatisfactionis Chriſti, quamvis ſatisfactio noſtra neceſſaria etiam ſit ex divino præcepto ad Deum placandum. Rurſus ſicut in obſervandis divinis mandatis ſemper conjunguntur duo, ſcilicet ex parte Dei gratia, & ex parte hominis liberum arbitrium, ita in remiſſione peccatorum ſimul concurrere debent Chriſti ſatisfactio, & noſtra, & ſicut liberum arbitrium ſine gratia nil poteſt boni operari, ita noſtra ſatisfactio, & pœnitentia, quantacunque dicatur eſſe, nihil poteſt prodeſſe ad remiſſionem peccatorum ſine Chriſti ſatisfactione, quæ cauſa eſt noſtræ ſatisfactionis, & cur nobis remittantur peccata: niſi enim Deus Chriſti paſſionem reſpiceret, ut originem, è qua ſcaturiunt noſtræ ſatisfactiones, hæ nihil pretii ſecum traherent in ordine ad peccatorum remiſſionem: & in hoc ſenſu dicitur *Joan. 1. Sanguis Jeſu emundat nos ab omni peccato*, & Apoſtolus 2. *Corinth.* 7. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Hoc idem declaravit etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. hiſce verbis: *Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus, ita non habet homo, unde glorietur: ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent: ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Quòd verò S. Ambroſius dicat, ſe non legiſſe ſatisfactionem Petri, ſed tantùm ejus lachrymas, reſpondetur, nomen ſatisfactionis à D. Ambroſio non uſurpari pro eo, quòd ſignificat exercitium bonorum operum, & veram reſipiſcentiam, qua dicimur ſatisfacere Deo, ſed ſumitur ſatisfactio pro excuſatione, qua qui alium offendit, apud ipſum ſe excuſat verbis, & rogat eum, ut velit ipſi condonare, eò quia ex inanimadvertentia, & non ſtudio id egerit, etenim vulgò dicitur ſatisfacere, qui apud alium ſe excuſat. Quamobrem D. Ambroſius commendat S. Petrum, qui poſt negationem non ſe excuſavit, neque ſe defendit, adducendo importunitatem ancillæ interrogantis, & alias loci circumſtantias, nec quòd uſus fuerit amphibologia, ſed ingenuè confeſſus fuerit ſuum peccatum, & illud non excuſavit, cæterùm D. Ambroſius ſatisfactionem propriè dictam pro pœnitentia non negat, ait enim; *nos excuſamus, ipſe non excuſavit. Maluit enim ipſe ſuum excuſare peccatum, ut juſtificaretur faciendo, quàm damnaretur negando, & ideo flevit, & doluit, quia erravit ut homo.*

Objiciunt tertiò Lutherani, opera hominis ex ſe non poſſunt eſſe ſatisfactoria, quia nullam ex juſtitia ſecum trahunt mercedem, neque reſipiſcentibus propter talia opera debetur dignitas, ſiquidem ut homo quidquam ex juſtitia mereatur, tria requiruntur: Primò ut opus, propter quod aliquid meretur, totum ſit ipſius, non alienum, ſecundò, ut opus, quod præſtatur, nullo alio titulo ſit debitum. Tertiò, ut inter opus, & ejus præmium juſta ſit proportio, & æqualitas, atqui opera juſtorum non eorum, ſed tota Dei ſunt, & Deo omni modo debita; & inter illa & eorum præmium nulla eſt proportio, conſequenter per opera bona non poteſt juſtus ex juſtitia quidquam mereri, conſequenter nec ſatisfacere, nec compenſare Deo pro injuria illi irrogata. Secundum eſt, quia corona vitæ, quæ datur Sanctis, non operatur ex meritis, ſed tota tribuitur divinæ miſericordiæ, ut ſcribit Apoſtolus ad *Roman* 6. *Gratia Dei vita æterna*, & ante ipſum hoc idem dixerat David *Pſal.* 102. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*, ex quibus conſtat, eſſe omnia attribuenda ſoli divinæ miſericordiæ. Sed contra, quia, quamvis juſti ſecluſa acceptatione, & promiſſione Dei nihil ex juſtitia mereantur, quia verò Deus mercedem operibus juſtorum promiſit, & ea ut præmianda excitavit, ſequitur, quod quando mercedem illam confert juxta ſuam ſponſionem, non eam gratis conferat, ſed ex debito, in quo ſenſu ſcribit Apoſtolus *ad Roman.* 4, *v.* 4. *Nam ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Quamvis igitur in bono opere, quod divini ſuffulti gratia facimus, nihil noſtrum ſit, quod non etiam ſit Dei; è contra tamen in tali opere nihil eſt Dei, quod non ſit etiam noſtrum, adeò ut totum opus bonum faciat Deus, & totum liberè operans faciat homo, prout enim bonum opus provenit ex libero arbitrio, dicitur provenire ab homine, & prout oritur ex gratia, ſine qua liberum arbitrium non poſſit quidquam, dicitur eſſe à Deo, unde quamvis opera bona ſint Dei, adhuc tamen ſunt noſtra, quia nos liberè ea facimus, quatenus per promiſſionem, & acceptationem Dei efficimur eorum Domini. Hinc quamvis omnia juſtorum opera titulis innumeris Deo debeantur, per cujus gratiam tantùm operamur, quia tamen Deus omninò liberè, & ex ſua infinita bonitate nobiſcum voluerit ſpontaneam inire conventionem, ſe ipſum obligaverit ad mercedem pro operibus reddendam, fit ut jus ſuum, quod ad opera noſtra Deus habet, in nos ipſos quodammodo transſcribat, ac eorum Dominos nos conſtituat, & nobis per gratiam ejus impertitam facta, non tanquam ſua, ſed tanquam noſtra opera ex juſtitia coronet, quemadmodum, ſi mancipium pecuniam ſui heri negotietur, & plurimum lucri inde hauriat, totum lucrum debetur hero ex duplici titulo, quia mancipium eſt totum ſub jure ſui heri, & omnes ejus actiones in ſolidum pertinent ad Dominum: & etiam ex alio titulo pecunia, quam negotiatur, non eſt propria, ſed ſui heri, quapropter, ſi mancipium ex tali negotiatione aliquid lucretur, nihil poteſt mercedis expoſcere, quamvis opus agat mercede dignum: hiſce tamen non obſtantibus, ſi herus paciſcatur cum ſuo mancipio, ac pactum omninò liberale ineat, ut, ſi multum lucretur, plus præmii ſit mancipium accepturum, ſin verò exiguum ſit lucrum, parvum debeat accipere; ex vi hujus conventionis, ſi mancipium ex tali negotiatione multum lucretur, Dominus non jam ex liberalitate tantùm, verùm etiam ex juſtitia tenetur ei promeritum præmium dare, non tantum, quia promiſit, verùm etiam, quia ejus opus in ſe dignum præmio fuit, alioquin præmium ejus non daret,

ita

Digitized by Google

ita à pari, quamvis omnes homines ſimus Dei mancipia ſub pleniſſimo ejus dominio, & jure, & illius ſint omnia opera noſtra ex pluribus titulis ei debita, proinde nulla ex juſtitia pro iisdem ſit debita nobis merces, nec eam petere poſſimus, quia tamen tale pactum nobiſcum iniit miſericors Deus, quo omnia per ſuam gratiam à nobis facta opera præmiaturum ſe promiſit; præmium promiſſum dare nobis ex juſtitia tenetur. Nam quamvis libertatis fuerit, hoc præmium promittere, ad quod dandum nullo pacto tenebatur; ex juſtitia tamen oritur, ut promiſſum ſolvat, cùm ad ipſum ſe obligaverit, ubi opus præmio promiſſo dignum à nobis factum fuerit. Quòd verò attinet ad proportionem, & æqualitatem noſtrorum operum cum præmio, reſpondetur, hanc ſufficientiam adeſſe, adeò ut opera noſtra bona à nobis mediante divina gratia peracta debitam cum præmio proportionem habeant, quia ut ſcribit Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 4. *v.* 17. *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur*, non quidem phyſicè, ſed meritoriè, conſequenter ſufficiens eſt proportio ad merendum. Præterea, cùm juſtorum opera ſint naturalia filiorum Dei, & membrorum Christi, & illa fiant per gratiam divinam, quæ proportionem ſufficientem ad omne præmium habet, habebunt etiam opera, per talem gratiam quodammodo informata, ad præmium quodlibet proportionem, imò non ſolùm adeſt proportio, verùm etiam condignitas in noſtris operibus, ut informatis divina gratia, adeò ut illa opera præmium per ſe promereantur. Non tamen inde ſequitur, quòd ſepoſita promiſſione ſimpliciter Deus teneatur dare præmium; quia hac in re verè ſeſe habet perinde ac Mercator, qui non tenetur vænum extradere ſuas merces pro æquali pretio, ſi nolit eas divendere; ſuppoſito autem, quòd contractum fecerit, & ſe pretium accepturum promiſerit, tenetur eos tradere: perinde Deus, quamvis opera noſtra cum gratia habituali digna ſint: ut vitam æternam Deus pro eis tribuat; non tamen teneretur eam dare, niſi hæc opera pro tanta mercede acceptâſſet, & eam ſe daturum promiſiſſet.

Ad aliud fundamentum Hæreticorum, quo aſſerebant, coronam vitæ æternæ non dari nobis ex operum meritis, ſed ex ſola divina miſericordia, cùm ſcribat Apoſtolus *ad Roman.* 6. *v.* 6. *Gratia Dei vita æterna*, & dicat David *Pſal.* 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, reſpondetur, hæc, & alia loca ſcripturæ, quæ totum præmium æternæ vitæ ſoli divinæ miſericordiæ adſcribunt, ſi propriè intelligantur, probarent etiam, neque fidem, neque baptiſmum neceſſarium eſſe ad ſalutem, quia ſi omnia ex pura Dei miſericordia, & indulgentia nobis impertiantur, & quæ taliter donantur, nullum omninò meritum habent, ſequitur, quòd nullam utilitatem conferre poſſit fides, vel baptiſmus. Deinde certum eſt, per ſe nullam habere vim præfata loca ſcripturæ ad noſtrum propoſitum, quia, ſicut æterna vita interdum à Spiritu Sancto nominatur *gratia*, & *corona miſericordiæ*, ita in pluribus aliis locis ab eodem Spiritu Sancto vocatur *corona juſtitiæ*; & quia Spiritus Sanctus non poſſit ſibi contradicere, conciliandi ſunt oppoſiti textus. Hinc quando D. Paulus nominat vitam æternam *coronam juſtitiæ*, aſſerit, illam ex meritis, & propter merita nobis conferri, quia, ut ait D. Auguſtinus, *non eſt injuſtus Deus, qui juſtos fraudat mercede ſua*; tunc enim vita æterna dicitur corona juſtitiæ ob conventionem, qua Deus nobis promiſit, ſe daturum vitam æternam benè operantibus: quia ſuppoſita tali conventione, & promiſſione facta à Deo, debita eſt benè operantibus vita æterna, quæ propterea nominatur *corona juſtitiæ*. Quando autem ipſa merita, quibus corona juſtitiæ debetur, ſoli divinæ miſericordiæ tribuitur, gratia enim omninò gratis nobis datur, alioquin ſi ex debito aliquo jam non eſſet gratia, ideò vita æterna dicitur corona miſericordiæ, quatenus nobis datur ex divina gratia, qua dignificantur opera hominum, & elevantur ad ſtatum ſupernaturalem, cùm enim gratis omninò nobis detur, & ſit opus miſericordiæ meritò reſpectu gratiæ vita æterna nominatur *corona miſericordiæ*, quæ reſpectu meritorum, quibus ſuppoſita conventione, & promiſſione Dei nobis datur *corona juſtitiæ* dicitur.

CAPUT XV.

De ſatisfactionis utilitate, & aliis requiſitis.

UTilitates, quæ ex condigna ſatisfactione oriuntur, fructus ſunt ejuſdem, & plures ſunt, quos recenſet Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. ubi ait: *Procul dubio magnoperè à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendum imminentem à Domino pœnam, quàm ut hac pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd, dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur.* Primus igitur ſatisfactionis fructus eſt, quia per ſatisfactorias pœnas homines quaſi fræno quodam coercéantur, & cautiores, ac vigilantiores fiant, quia, ut notat D. Auguſtinus *ſerm.* 278. de diverſis: *Si citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem, ludus illi eſſet, peccando cadere in morbum.* Unde magis cautus fit homo in tuenda propria ſanitate, & valetudine cùm ex gravi ac diuturna ægritudine ingenti cum difficultate liber evaſit, ſibique magis cavet, ne in eandem relabatur ægritudinem. Hinc Tertullianus *Lib. de pœnitentia cap.* 7. ait: *Abſit, ut aliquis ita interpretetur, quaſi via ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & redundantia clementiæ cæleſtis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcircò deterior ſit, quia Deus*

Digitized by Google

Deus melior eſt, toties delinquendo, toties ignoſcitur. Plerique naufragio liberali exinde repudium & mari, & navi dicunt, & Dei beneficium ſalutem ſuam. ſcilicet memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam. Nolunt iterum divinæ miſericordiæ oneri eſſe, formidant videri inculcare, quod conſecuti ſunt: bona certe ſollicitudine iterum experiri vitant, quod ſemel didicerunt timere, ita modus temeritatis teſtatio eſt timoris. Timor autem hominis Dei honor eſt.

Secundus fructus ſatisfactionis eſt dolor, quem ex patratis criminibus concipimus, pœnæ enim ſatisfactoriæ manifeſtant dolorem noſtrum internum, quem concipimus ob violatam divinam legem: & ut Eccleſiæ ſatisfaciamus, quæ graviter offenſa pro ſceleribus noſtris hujuſmodi pœnalitates nobis injungit. Hinc Auguſtinus *in Enchirid. cap.* 65. ait: *In actione pœnitentiæ, ubi tale commiſſum eſt, ut is, qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit: verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba, aut quæcunque ſigna procedit. cùm ſit coram illo, cui dicitur gemitus meus à te non eſt abſconditus, rectè conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiis præſunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat ſatis etiam Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata.*

Tertius fructus, quia per hanc ſuppliciorum perpeſſionem veſtigia imitamur patientis Chriſti, qui etiam ſupplicia, & mortem ſubivit, ut æterno Patri ſatisfaceret pro peccatis noſtris, hinc Apoſtolus ait: *Cohæredes Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur: ſi commortui ſumus, & convivemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*, Chriſtus enim, ait Apoſtolus, exemplum dedit nobis, ut ſequamur ejus veſtigia, ut ſicut ipſe tulit crucem ſuam, & carnem noſtram induit immunem ab omni peccato, ita & nos peccatis contaminati feramus crucem noſtram, cùm dicat Chriſtus: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

Quartus fructus eſt, ut deleantur ſuperſtites peccatorum reliquiæ, & habitus vitioſi radicitus evellantur, ut enim notat D. Joannes Chryſoſtomus: Non ſufficit ſagittam è ſaucio corpore extraxiſſe, ſed inflictum vulnus etiam curandum eſt: perinde etiam in anima poſt ſuſceptam peccati veniam pœnitentia curanda eſt plaga relicta, qua ratione David poſt condonatum ſibi peccatum Deum enixim rogabat, ut reliquias peccatorum deleret: *Amplius lava ab injuſtitia mea, & à delicto meo munda me*, in quæ verba S. Chryſoſtomus *homil. 2. in Pſal.* 50. ait: *Non ſatis habet, curatum eſſe vulnus, etiam cicatrices ſanari, priſtinum etiam decorem reſtitui, petit.* Quod etiam contingit in baptiſmo, cujus lavacro licèt deleatur reatus peccati originalis; ejus tamen reliquiæ manent, ut fomes concupiſcentiæ, quem per totam vitam tenemur coercere, & mortificare, ne inſurgat contra rationem, perinde etiam in Sacramento pœnitentiæ manent quædam proclivitates ad patrata peccata, quas propterea compeſcere per ſalubres ſatisfactiones neceſſe eſt.

Quintus fructus ſatisfactionis eſt, antevertere divini Judicis animadverſionem, & ſupplicia in nos conſtituta, ut præſtiterunt Achab 3. *Reg. cap.* 21. Manaſſes 2. *Paralip. cap.* 23. Ninivitæ *Jon.* 2. qui omnes per ſuſceptam pœnitentiam ſalutarem imminentem ſibi à Deo pœnam declinarunt. Hinc Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 11. *Quod ſi noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem à Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Neceſſe tamen eſt, ut ſatisfactio à Sacerdote injuncta pro peccatis exerceatur in ſtatu gratiæ, adeò ut qui ſatisfacit Deo pro ſuis peccatis, juſtus ſit, ac Dei amicus, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. ſeu ſupplement. quæſt.* 14. *art.* 2. ubi ait: *Oportet, quod opera ſatisfactoria ſint Deo accepta: quod dat ei charitas, & ideo ſine charitate opera facta non ſunt ſatisfactoria.* Eſt enim ſatisfactio pro peccatis virtus quædam, quæ delicta abolet. conſequenter debet ex charitate procedere, quia, ut habetur *Proverb.* 20. *Univerſa delicta operit Charitas*, opera enim ſatisfactoria, niſi proceſſerint ex Charitate, nullius ſunt momenti ad placandum Deum, & ad remiſſionem pœnæ peccato debitæ promerendam, quia Deo grata, & accepta non ſunt, quamdiu ſunt deſtitutæ Charitate i & in homine ea faciente permanet affectus peccati; ſed cùm affectum peccati depoſuerit, & ab amore creaturæ, in cujus fruitione ſibi finem ultimum conſtituerat, præceſſerit, & ad Deum per amorem, & reſipiſcentiam acceſſerit, opera illius Deo grata ſunt, tametſi homo ipſe pœnitens nondum forte ſit Deo plenè gratus, eò quia nondum ipſi reconciliatus, ſed tantùm attritus ſibi ſtatuat ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, cujus beneficio plenè reconcilietur Deo, & peccata illis remittantur.

Rurſus ad ſatisfactionem etiam deſideratur, ut ejus opera ſuſcipiantur, quæ natura ſua dolorem, & moleſtiam homini afferunt, quia opera ſatisfactoria debent eſſe compenſationes præteritorum ſcelerum, ſeu ut loquitur S. Cyprianus: *Redemptrices peccatorum*, adeo ut neceſſe ſit, ut aliquid pœnalitatis, & acerbitatis habeant, ut explicat D. Thomas *in 4. ſent. ſeu ſupplementi. quæſt.* 16. *art.* 1. ubi ait: *Satisfactio reſpicit, & præteritam offenſam, ut compenſetur, & futuram culpam, ut caveatur, ut utroque nomine debet ſatisfactio fieri per opera, quæ natura ſua dolorem, & moleſtiam homini afferant.* Ideò enim opus bonum eſt ſatisfactorium, quia aliquid moleſtiæ ſibi adnectit, ut ſunt jejunia, orationes, eleemoſynæ, & alia pietatis opera, etenim homini carnali, & mundi addicto voluptatibus, terreniſque aſſueto moleſtiam adfert omne opus, quo Deo ſervitur, & mens ad cœleſtia erigitur; ſicut enim in eleemoſyna ſubtrahit homini bonum utile, ita jejunium, & oratio bonum delectabile, quo pacto D. Thomas *in 4. ſentent. quæſt.* 15. *art.* 3. *ad* 1, ait: *Qualibet oratio rationem habet ſatisfactionis, quia tametſi habeat ſuavitatem Spiritus, habet tamen afflictionem carnis*, quia, ut ait D. Gregorius *homil.* 4. *in Ezech. Dum creſcit in nobis fortitudo amoris intimi. infirmatur procul dubio fortitudo carnis, unde & nervum femoris Jacob ex lucta Angeli emarcuiſſe legitur.* Quamobrem non ſolùm externa, verùm etiam interna pietatis opera, cujuſmodi ſunt piæ meditationes, & actus interni virtutum, offerri Deo,

Digitized by Google

Deo poſſunt in ſatisfactionem peccatorum, eò quia hæc opera ſunt Deo grata, & aliquid moleſtiæ homini inferunt: & ſive fiant ex voto, ſive ex præcepto, aliàs debito, ſatisfactoria eſſe poſſunt, & Deo grata, cùm ſint homini moleſta, Eccleſia enim jejunia inſtituit ſatisfactoria, ut Chriſtiani per pœnas debitas ſuis peccatis ſatisfaciant; ſic macerationes carnis, ciliciorum cruciatus, flagellorum excarnificationes, & alia hujuſmodi pia opera, quamvis religioſis viris præſcribantur ex regula, adhuc utilia ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis, ſi tali intentione tolerentur.

Præcipua verò ſatisfactionis opera ſunt oratio, jejunium, & eleemoſyna, ut docet D. Thomas *in ſupplement. quæſt.* 15. *art.* 3. Ratio eſt, quia ſatisfactio debet talis eſſe, per quam nobis aliquid ad honorem Dei ſubtrahamus. Non habemus autem niſi tria bona, quorum ſumus Domini, ſcilicet bona animi, bona corporis, & bona exteriora, quæ & fortiora dicuntur. Rurſus ex bonis fortunæ ſubtrahimus nobis aliquid per eleemoſynam, quam in ſinu pauperis abſcondimus: ex bonis corporis ſubtrahimus nobis aliquid per jejunium, quo caro emaciatur, & fomes concupiſcentiæ enervatur: ex bonis animæ non oportet, ut aliquid nobis ſubtrahamus, cùm per ea Deo grati efficiamur, ſed illa omnino ſubmittimus Deo per orationem. Hæc igitur opera utilia aſſumuntur ad ſatisfaciendum pro patratis noxis, & ad extirpandas omnium peccatorum radices, quia, ut habetur 1. *Joan.* 2. *Omne quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, & hiſce tribus morborum generibus medemur per jejunium, eleemoſynam, & orationem. Imò ad hæc tria ſatisfactionis genera omnia revocantur opera ſatisfactoria. Ad orationem quæcunque Deo exhibentur, ut ſacrificium, laus, gratiarum actio, meditatio, & contemplatio, piorum librorum lectio, quæ omnia ad meditationem & orationem ordinantur. Ad jejunium revocantur omnia, quibus caro macerari, caſtigari, & coërceri ſolet, ſcilicet aſperitas victus, & veſtitus, vigiliæ, humi cubationes, genuflexiones, terræ deoſculationes, ſeceſſus, ſolitudo, ſilentium, abſtinentia à vino, à ludis, flagellationes cruentæ, cilicia, & alia id genus, hinc D. Leo Papa *ſerm.* 1. *de jejunio decimi menſis* ait: *Tria ſunt, quæ maximè ad religioſas pertinent actiones, ſcilicet oratio, jejunium, & eleemoſyna. Oratione enim propitiatio Dei quæritur, jejunio concupiſcentia carnis extinguitur, eleemoſynis peccata redimuntur, ſimulque per omnia Dei in nobis imago renovatur, ſi & in laudem ejus ſemper parati, & ad purificationem noſtram ſine ceſſatione ſolliciti, & ad ſuſtentationem proximi indeſinenter ſimus intenti. Hæc triplex obſervantia omnium virtutum comprehendit effectus. Hæc ad imaginem, & ſimilitudinem Dei pervenit, & à Spiritu Sancto inſeparabiles facit, quia in orationibus permanet fides recta, in jejunio innocens vita, & in eleemoſynis mens benigna.*

Hinc pœnitens tenetur ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam ſibi à Confeſſario injunctam acceptare, adeo ut hæc obligatio ſit ex genere ſuo gravis, ut docent communiter cum D. Thoma, quia Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *cap.* 8. definit Sacerdotem teneri pœnitentiam condignam injungere pœnitenti, ne ſi levem injungat, fiat ipſe particeps peccatorum pœnitentis: ex quo infertur, teneri injunctam ſibi à Confeſſario acceptare, ac exequi; alioquin, ſi non teneretur illam acceptare, Sacerdos non peccaret, nec fieret particeps peccati pœnitentis imponendo levem pœnitentiam pro peccatis gravibus. Ratio itidem eſt, quia eatenus Sacerdos tenetur ſub mortali pœnitentiam imponere, ne incompletum maneat hoc Sacramentale judicium. Deficere enim in re gravi ſine cauſa, eſt peccatum grave: ſed ſi pœnitens non teneretur accipere pœnitentiam ſibi injunctam; redderetur hoc Sacramentum imperfectum, quia privaretur præcipua parte integrali, quæ eſt ſatisfactio; ergo ex eodem motivo, quo tenetur Sacerdos ſub peccato lethali pœnitentiam injungere, obligatur pœnitens etiam ſub lethali ad acceptandam pœnitentiam, & illam etiam ſub peccato mortali adimplere, quotieſcunque hæc eſt gravis ſive impoſita ſit pro venialibus, ſive pro mortalibus aliàs confeſſis. Quia gravitas vel levitas obligationis deſumitur ex gravitate, vel levitate materiæ, circa quam verſatur, non verò ex peccato, pro quo impoſita fuit: ergo obligatio injungendi pœnitentiam non eſt menſuranda ex gravitate, vel levitate peccatorum, ſed ex materia, in quam fertur. Antecedens conſtat; quia etiam ex eadem radice juſtitiæ læſæ oritur obligatio reſtituendi ſimpliciter: unde quòd hæc obligatio ſit levis, vel gravis deſumenda erit ex levitate, vel gravitate materiæ alteri debitæ: Satisfactio autem pro peccatis eſt debita Deo, cui per peccatum fuit injuria irrogata, & jus læſum: & ſi ſatisfactio ſit gravis, & non adimpleatur, læditur jus divinum in re gravi, conſequenter non excuſatur à peccato gravi. Imò tenetur pœnitens injunctam ſibi ſatisfactionem adimplere tempore determinato, ut à Confeſſario præceptum fuit; & cum omnibus illis circumſtantiis ab eodem præſcriptis, quia circumſtantia temporis pertinet ad integritatem ſatisfactionis, eo modo, quo injungitur à Confeſſario. Quòd ſi aliquando Confeſſarius non determinat ullum tempus implendi pœnitentiam, tunc non peccat mortaliter pœnitens, ſi eam protrahat adimplere. Secus ſi Confeſſarius determinet tempus, in quo debeat impleri; tunc per ſe loquendo, quamvis teneatur pœnitens illam implere intra definitum tempus, non tamen putarem eſſe peccatum lethale, eam differre; quia non eſt contra ſubſtantiam præcepti, ſed tantùm contra circumſtantiam, quæ non videtur graviter obligare: per accidens tamen poteſt dilatio eſſe peccatum lethale, ſi pœnitentia ſit medicinalis, ut ſi Confeſſarius injungat pœnitenti, ut confiteatur ſingulis ſeptimanis per integrum annum, ut etiam, ſi alliget diei hoc opus tanquam onus diei, ut eſſet, ſingulis diebus intereſſe ſacro, jejunare ſingulis diebus Sabbathinis; tunc, ſi pœnitens non adimplet hanc pœnitentiam tempore ſtatuto, peccat lethaliter. Quòd etiam pœnitentia ſit adimplenda cum omnibus circumſtantiis à Confeſſario præſcriptis, eſt etiam certum ob eandem rationem, quia licèt omiſſio circumſtantiæ interdum ſit tantùm peccatum veniale, poteſt tamen eſſe gravis circumſtantia, quæ ſi non impleatur, inducat culpam gravem.

An verò pœnitens poſſit injunctam ſibi pœnitentiam adimplere per alium, adeo ut unus pro altero poſſit ſatisfacere, & Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam implendam per alium, reſpondent aliqui affirmativè, eò quia in fidei ſymbolo profiteamur communionem Sanctorum, cùm enim omnes ſimus abluti eodem Baptiſmo, Chriſto renaſcimur, ac eorundem Sacramentorum ſimus participes, & in primis ejuſdem corporis, & ſan-

ſanguinis Chriſti, & omnes ſumus ejuſdem corporis membra ſub capite Chriſto, ut ſcribit Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus, etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, & omnes in uno ſpiritu potati ſumus. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui, operâ tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii: & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Sicut igitur opera unius membri toti corpori, ac reliquis membris eſt utilis, ita communia etiam ſunt inter fideles ſatisfactionis officia, & poteſt unus pro altero ſatisfacere, hinc Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 8. eos hortatur: qui terrenis opibus divites erant ad eleemoſynam Macedoniæ Chriſtianis inopibus tribuendam, ut, cùm illi ſua beneficentia corporalem iſtorum paupertatem ſublevaverint; hi viciſſim interiorem eorum tenuitatem ſpiritualibus divitiis ſublevent, & bonorum operum communicatione reddant Deum illis propitium, ait enim Apoſtolus: *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas*, & *ad Galat.* 6. ſcribit: *Alter alterius onera portate.* Alii verò negant, poſſe Confeſſarium imponere pœnitentiam implendam per alium; quia pœnitentia eſt actus proprius pœnitentis, ut definit Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 4. & debet eſſe in caſtigationem, & punitionem peccatorum, conſequenter non poteſt imponi ut implenda per alium, æquitas enim exigit, ut qui deliquit, ipſe per ſe pœnam luat, quia, ſi pœnitentia impleretur per alium, tunc non eſſet amplius actus proprius pœnitentis, nec caſtigatio peccatorum, nec ipſam pœnam lueret pro patratis peccatis,

Putarem nihilominus adhibendam eſſe diſtinctionem, quia dupliciter poteſt pœnitentia injuncta à Confeſſario conſiderari. Primò ſub ratione ſolutionis extinguentis debitum, & ſecundò per modum medicinæ ægritudinem ſanantis, quæ diſtinctio deſumitur ex D. Auguſtino *lib.* 2. *de conſenſu Evangeliſtarum cap.* 30. ubi ait: *Alia ſunt onera participandæ infirmitatis, & alia reddendæ rationis Deo de actibus noſtris: illa cùm fratribus ſuſtentanda communicantur: hæc propria ab unoquoque portantur.* Si igitur ſumatur pœnitentia ſub ratione ſolutionis debitum extinguentis poteſt unus pro altero ſatisfacere, & in hoc ſenſu vera eſt prima ſententia affirmativa, quapropter D. Ambroſius *lib.* 1. *in Lucam n.* 92. eleganter ait: *Etſi grave peccatum eſt, quod pœnitentiæ tuæ lachrymis ipſe lavare non poſſis, fleat pro te Mater Eccleſia, quæ pro ſingulis, tanquam pro unicis filiis, vidua Mater intervenit, compatitur enim quodam ſpirituali dolore naturæ, cùm ſuos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit geri. Viſcera ſumus de viſceribus ejus, ſunt enim & ſpiritualia viſcera, ut habet Paulus dicens ad Philemonem, ita frater ego te fruar in Domino, refice viſcera mea in Chriſto, Nos ergo viſcera ſumus Eccleſiæ, quoniam membra ſumus corporis ejus, & de oſſibus ejus. Doleat igitur pia mater, adſiſtat & turba: non ſolùm turba, ſed etiam multa compatiatur bono parenti. Jam reſurgis à funere, jam liberaberis à ſepulchro*, & *lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 10. ait: *Fleat pro te Sancta Mater Eccleſia, & culpam tuam lachrymis lavet, videat te Chriſtus mærentem.* Et infra: *In Evangelio motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit, ideo citius exaudivit JESUS Petrum, ut Dorcas reſurgeret, quia pauperes mortem mulieris ingemiſcebant.* Sin verò ſumatur pœnitentia injuncta à Confeſſario ratione medicinæ ſanantis ægritudinem peccatorum, tunc ſicut morbus eſt proprius, ita & medicina ſanantis ægritudinem peccatorum, tunc ſicut morbus eſt proprius, ita & medicina debet ſumi à laborante morbis, quia in illo tantum poteſt ſuum effectum producere, & ſanitatem in illo inducere, alius enim, qui ſanus eſt, non indiget pharmaco, quod ipſi adferat ſanitatem. Ut medicina igitur præſcribitur ad ſanandos pravi animi affectus, & ægritudinem propriam excutiendam, proinde ſicut morbus eſt proprius, ita & medicina debet propria eſſe, Hinc, ſi ſpectetur pœnitentia, ut ſolutio debiti, poteſt unus pro alio ſatisfacere, dummodo ſit in charitate, ut ejus opera ſatisfactoria eſſe poſſint, charitas enim magis poteſt apud Deum, quàm apud homines, & ſicut apud homines poteſt unus ex amore, & amicitia debitum alterius ſolvere: multò magis id fieri poterit in judicio divino: Sin verò opera ſatisfactoria conſiderentur ut medicinæ quædam, & curationes pravorum affectuum, & ægritudinum, quas pœnitens contraxit, ſatisfactio unius non poteſt alteri prodeſſe, non enim ex jejunio unius coercetur caro alterius, neque ex flagellatione unius, alter experitur dolorem.

Conſtat igitur, Confeſſarium teneri pœnitentibus ſatisfactionem injungere, quia pro viribus tenetur in id incumbere ſtudii, ut pœnitentiæ Sacramentum ſit integrum, & ſine ſatisfactione deſtitueretur ſua integritate. Rurſus quia Confeſſarius, cùm in hoc tribunali hujus Sacramenti ſit Judex, tenetur ſervare leges æquitatis, & obligare pœnitentem ut ſatisfaciat, cui per peccata injuriam irrogavit, idque ex poteſtate ſibi collata ligandi, & ſolvendi, ad quam pertinet impoſitio pœnæ ſatisfactoriæ, ut declarat Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *can.* 15. Quòd ſi Confeſſarius nullam injungat ſatisfactionem pœnitenti, non benè fungitur officio ſuo, ſitque lethalis criminis reus, ait enim Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *cap.* 8. *Debere Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere*, & ſubdit: *Habeant autem præ oculis ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* Non tamen eſt neceſſe, ut ſatisfactio Sacramentalis prius neceſſariò impleatur, quàm detur à Sacerdote abſolutio, ut docent omnes Catholici contra Novatores audentes hac in parte Eccleſiam Catholicam damnare turpiſſimæ depravationis, hinc Sixtus IV. damnavit hanc propoſitionem: *Satisfactio Sacramentalis prius implenda eſt, quàm detur à Sacerdote abſolutio.* Ut etiam damnata fuit, ut erronea, & hæretica hæc alia propoſitio, quæ docet, Eccleſiam approbare conſuetudinem, quam damnavit Chriſtus, & ex qua redditur inutile Sacramentum: atqui Eccleſia per plura ſæcula approbat abſolutionem dari ante impletam ſatisfactionem, ergo hæreticum eſt hoc damnare. Rurſus, ſi ſatisfactio deberet abſolutio-

nem

Digitized by Google

nam præcedere, redderetur impoſſibilis uſus hujus Sacramenti, & plures damnarentur, quibus in finem vitæ abſolutio negaretur, eò quia impleri ab ipſis non poſſet pœnitentia. Verum tamen eſt, quòd primis Eccleſiæ temporibus pœnitentes non prius abſolvi conſueverant, quàm pœnitentiæ ſanctis eſſent laboribus, & ſatisfactionem canonicam implevissent, niſi mortis aut imminentis perſecutionis periculum aliud exigeret, ut conſtat ex S. Leone *epiſt. ad Theodorum Forojulienſ. Epiſcop.* S. Gregorio Magno *homil. 26. in Evangel.* & ex veterum Conciliorum Canonibus, librisque pœnitentialibus. Sed hæc conſuetudo paulatim deleta eſt, & totaliter ceſſavit Eccleſia approbante, ſaltem tacito conſenſu, adeo ut hodierna Eccleſiæ diſciplina ſit, ut verè pœnitentibus impendatur abſolutio, antequam ſatisfactionem ſeu pœnitentiam ſibi injunctam expleverint, & Sixtus IV. ut paulò ſuperius dixi, damnavit propoſitionem Petri Oxonienſis, quæ erat: *Non ſunt abſolvendi pœnitentes niſi peracta prius pœnitentia eis injuncta.* Neque priſtina Eccleſiæ diſciplina approbavit, neque exiſtimavit, ut omnino neceſſarium, ut ſatisfactio pœnitenti injuncta à Confeſſario impleretur ante abſolutionem, & Innocentius I. antiquioris diſciplinæ ſæveritatem temperans abſolutionem concedi ſtatuit ante impletam injunctam pœnitenti pœnitentiam: *ut homines ejuſmodi, vel in ſupremis ſuis permittente Salvatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur*, & Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 76. eique pœnitentiam in infirmitate petit, ſi cùm ad eum Sacerdos venit, oppreſſus in infirmitate fuerit, vel phreneſi correptus ſuffragante eorum, qui ipſum audierunt, teſtimonio pœnitentiam imponi decernit, adeo ut *ſi continuo creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia, ea tamen lege, ut ſi ſupervixerit, ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.* Quamvis igitur ſatisfactio ſit pars requiſita ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, non tamen eſt neceſſe, ut ante abſolutionem impleatur, non enim in judicio accuſatio ſententia Judicis, & ſolutio pœnæ ſunt ſimul, quamvis ſint de integritate judicii. Prius enim eſt accuſatio rei apud Judicem, poſtea ejus probatio, tertiò ſententia Judicis, & tandem ipſa ſolutio pœnæ, quæ non præcedit, ſed ſubſequitur ſententiam Judicis: & quia hoc Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum judicii, in quo pœnitens eſt ſimul accuſator, & reus, Confeſſarius eſt Judex, & abſolutio ſententia ab ipſo prolata, ſequitur, quòd ſolutio pœnæ, ſeu ſatisfactio pro peccatis debeat potius ſe habere conſecutivè ad ſententiam, ut rectè in hoc judicio procedatur. Præterea, quia Sacerdotes tenentur imponere pœnitentibus ſatisfactiones gravitati criminum, & pœnitentium facultati correſpondentes, niſi velint participes fieri peccatorum alienorum, & quia peccata poſſunt plura fuiſſe patrata, & graviſſima, quæ exigant diuturnam pœnitentiam, inde ſequeretur, quòd abſolutio non poſſet dari, niſi adimpleta tota pœnitentia, quæ interdum protrahitur ad integrum annum, ut ſingulis diebus pro toto hoc tempore pœnitens exerceat aliquod opus bonum: quod ſit medicina ad curandam pravitatem affectuum, vel alias propenſiones ad peccandum, poſſet interim intra hoc tempus vel pœnitens emori ex tempore ſine abſolutione, vel etiam poſſet Confeſſarius mori, quo pacto adigeretur pœnitens iterum confiteri apud alium Confeſſarium & aliam pœnitentiam ſubire, quæ incommoda ſequerentur, ſi abſolutio proferri debet poſt adimpletam injunctam è Confeſſario ſatisfactionem.

Quòd verò teneatur Confeſſarius pœnitentibus injungere ſatisfactionem juxta gravitatem criminum, docent Sancti Patres, præſertim S. Cyprianus *tractat. de lapſis*, ubi ait: *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit; pœnitentia crimine minor non ſit.* Et poſtea ſubdit: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul atque inſtruit, fratrem promovet ad ſalutem. Quos diligo, ait Dominus, redarguo, & caſtigo: Sic oportet & Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus virus incluſum, dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum eſt, & putraminibus amputatis medela fortiori curandum. Vociferetur, & clamet, licèt æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cùm ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim fratres dilectiſſimi novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda planities contra Evangelii rigorem contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: irrita, & falſa pax periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi, extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis infixa viſceribus diſſimulato dolore contegitur.*

CAPUT XVI.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

Certum eſt, contra Wiclefum, Lutherum, & alios Sectarios, in Miniſtro hujus Sacramenti requiri eſſentialiter poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, adeo ut in nullo caſu quilibet alius non Sacerdos poſſit abſolvere à peccatis etiam venialibus, ex quacunque diſpenſatione, quamvis cenſeant Hæretici, hanc poteſtatem poſſe cuilibet laico competere. Ratio eſt, quia tota hæc poteſtas dependet à ſola voluntate Chriſti, proinde non poteſt aliis competere, niſi iis, quibus à Chriſto fuit collata; ſed Chriſtus ſolis Apoſtolis dedit hanc poteſtatem remittendi peccata, quia illis ſolis dixit *Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Digitized by Google

non enim omnibus, ſed ſolis Apoſtolis conſtat hæc verba dicta fuiſſe, & quibus in hac functione Sacerdotes ſuccedunt. Et id maximè videbatur conſentaneum, quia, cùm omne genus gratiæ, quæ hoc Sacramento tribuitur, à Chriſto Capite ad membra derivetur, congruum erat, ut ſoli Sacerdotes hunc gratiæ influxum toti corpori myſtico Chriſti, ſeu fidelibus propagarent, & adminiſtrarent, quia ſoli Sacerdotes ſunt, qui verum Chriſti corpus conficiunt, & Deo Patri offerunt in Miſſæ Sacrificio, & fideles beneficio hujus Sacramenti ſe præparent ad ſumendam Euchariſtiam, ut docet D. Thomas in 4. *ſentent. quæſt.* 8. *art.* 1. *ſupplement.* ubi ait: *Gratia quæ in Sacramentis datur, à capite ad membra deſcendit, & ideo ſolus ille Miniſter eſt Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet miniſterium ſuper Corpus Chriſti verum, quod ſolius Sacerdotis eſt, qui conſecrare Euchariſtiam poteſt: & ideo, cùm in Sacramento pœnitentiæ gratia conferatur, ſolus Sacerdos Miniſter eſt hujus Sacramenti, proinde ei ſoli facienda eſt Sacramentalis confeſſio, quæ Miniſtro Eccleſiæ fieri debet*, & hæc doctrina ſemper viguit in Eccleſia, quia his ſolùm confertur hæc poteſtas, qui in hoc munere ſuccedunt Apoſtolis, adeo ut nec ex poteſtate Pontificis poſſit non Sacerdos miniſtrare hoc Sacramentum, quia Pontifex non poteſt immutare inſtitutionem Chriſti. Præterea quia congruum fuit, ut ille ſolus, qui habet poteſtatem in corpus Chriſti, veram etiam haberet poteſtatem quoad forum internum in corpus myſticum Chriſti. Hinc nemo, quamvis immineat mortis periculum, poteſt inferioribus clericis, vel laicis confiteri, quia, cùm hæc confeſſio fiat ei, qui non eſt Sacerdos, non poteſt eſſe Sacramentalis, nec ullum habere effectum ex opere operato: & nemo tenetur hoc pacto confiteri, quia ſola confeſſio, quæ ordinatur ad abſolutionem Sacramentalem, eſt præcepta: ergo in Miniſtro hujus Sacramenti requiritur eſſentialiter poteſtas ordinis Sacerdotalis, adeo ut in nullo caſu poſſit alius quilibet abſolvere à peccatis, etiam venialibus.

Cæterum quòd Chriſtus ſolis Sacerdotibus hanc poteſtatem dederit, liquet ex perpetua traditione Eccleſiæ, ex praxi fidelium, ejusque uſu, nunquam per tot ſæcula interrupto: traditio enim Eccleſiæ & praxis fidelium regula ſunt omnino indubitata divinæ inſtitutionis. Præterea quia Concilium Florentinum *in decreto unionis*, & Tridentinum *Seſſ.* 4. *cap.* 5. & *cap.* 10. definiunt, poteſtatem abſolvendi à peccatis ineſſe ſolis Sacerdotibus, hoc idem etiam docuerunt unanimi conſenſu Sancti Patres à tempore Apoſtolorum. Hinc Irenæus ad Sacerdotes transfert illud Prophetæ: *Dabo Principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos in juſtitia*, & frequenter à Patribus dicuntur Sacerdotes redemptores, juxta illud Pſal. *Sacerdotes ejus induam ſalutari*, ſeu, ut legit Chaldæus; *Induam veſtibus redemptionum*. D. Ambroſius *lib.* 1. *de pœnitentia cap.* 2. ait: *Munus Spiritus Sancti, quod eſt, juſtos ex peccatoribus facere, ſolis convenire Sacerdotibus*. Et D. Joannes Chryſoſtomus propter hanc eandem poteſtatem præfert Sacerdotes Angelis, & Archangelis, quòd verò hæc poteſtas ligandi & ſolvendi tradita ſit, ſolis Sacerdotibus expreſſè aſſerit S. Auguſtinus *epiſt.* 228. *ad Honoratum* docens: Quando Epiſcopo, & Clericis liceat fugere ob imminens periculum obſidionis, aut excidii, & ait: *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, non eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſolet ab utroque ſexu, atque omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? ubi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati: quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vita æternæ requie non habebunt, quantus denique gemitus omnium, & quorundam, quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum, & Miniſtrorum? ſi autem Miniſtri adſint pro viribus, quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubvenitur; alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli dominici corporis communione fraudantur.* Sin autem non ſoli Sacerdotes, ſed etiam laici poſſent eſſe miniſtri hujus Sacramenti, imminente perſecutione, & excidii periculo ex fuga Epiſcopi & Sacerdotum non deeſſent alii miniſtri, à quibus hoc Sacramentum miniſtraretur, ſiquidem laici ſemper adſunt, qui in ſententia Hæreticorum ſunt, & ipſi miniſtri Sacramenti pœnitentiæ, unde nullum fideles in Sacramentis ſuſcipiendis ex abſentia Epiſcopi, & Sacerdotum paterentur detrimentum, cùm à laicis poſſent omnibus miniſtrari hæc Sacramenta, quod Auguſtinus inficiatur.

Sed objiciunt Hæretici illud *Jacobi* 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, ex quibus inferunt, Chriſtianos confeſſiones ſuorum peccatorum mutuo poſſe excipere, & non eſſe adeundum neceſſariò Sacerdotem. Sed contra, quia Apoſtolus Jacobus ibi tantùm loquitur de confeſſione facienda Sacerdotibus: Siquidem ſupponebat Apoſtolus ex divina inſtitutione eſſe Sacerdotibus Sacramentalem confeſſionem faciendam, cùm ipſis tantùm collata fuerit à Chriſto poteſtas clavium, ſeu remittendi, & retinendi peccata, ut habetur *Joan.* 20. Unde præmittit S. Jacobus: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes oleo eum in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittitur ei*, ſcilicet à Sacerdotibus, qui eum unxerunt oleo in nomine Domini; & ſtatim ſubdit: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*, quibus verbis ſignificat miniſterium abſolvendi à peccatis pertinere ad ſolos Sacerdotes, non minus quàm miniſtrare Sacramentum extremæ unctionis. Hoc idem etiam firmari poteſt, quia Chriſtus Dominus non quibuscunque, ſed ſolis Diſcipulis præcepit, ut Lazarum ſolverent, *Joan.* 21. & juſſit etiam lepram non laicis, ſed Sacerdoti oſtendi, ut de illa poſſet judicium ferre. Lepra autem peccatum indicat, quod alteri non eſt manifeſtandum ſacramentaliter in ordine ad obtinendam remiſſionem, niſi ſoli Sacerdoti. Venerabilis Beda verba illa Apoſtoli *Jacobi* 5. explicat de peccatis venialibus, quæ ad exercitium humilitatis poſſunt aliis etiam non Sacerdotibus manifeſtari, non in ordine ad recipiendam abſolutionem ſacramentaliter ab iisdem, ſed tantùm ad eos excitandum ut Deo preces fundant pro ipſo ad obtinendam à Deo gratiam, qua poſſint ſe corrigere, ait enim Venerabilis explicans ſententiam S. Jacobi: *In hac ſententia illa debet eſſe diſcretio ut quotidiana, & levia peccata coæqualibus alterutrum confiteamur: porrò gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus: atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore juſſerit purificari, conemur.* Alii Sancti Patres hoc idem docent, præſertim Sanctus Leo *Epiſt.* 82. *ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum cap.* 2. inquiens: *Multiplex miſericordia*

Dei

Digitized by Google

Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut, qui regenerationis dona violâſſent, proprio ſe judicio condemnantes ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Expreſsè aſſerit Chriſtum Dominum Præpoſitis eccleſiæ, ſeu Sacerdotibus tradidiſſe poteſtatem, ut confitentibus peccata ſua actionem pœnitentiæ darent, ſeu eos abſolverent à peccatis, & illos ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent, unde nulli dubium, quin Sancti Patres unanimi conſenſu ſemper aſſeruerint, Miniſtros Sacramenti pœnitentiæ eſſe ſolos Sacerdotes, & nullo pacto laicos, & Martinus V. in Concilio Conſtantienſi eos jubet interrogari qui ab hæreſi W' cleſfi ad Eccleſiam Catholicam revertebantur, *utrum credant, quod Chriſtianus ultra contritionem cordis habita copia Sacerdotis idonei ſoli Sacerdoti ex neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non laico, ſeu laicis quantumcunque bonis, & devotis.* Rurſus Eugenius IV. etiam in Decreto unionis declarat Miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ eſſe ſolum Sacerdotem, & Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. ait: *Falſas eſſe & à veritate evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium perniciosè extendunt, putantes, verba Domini, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcuè contra inſtitutionem hujus Sacramenti ita fuiſſe dicta, ut, quivis poteſtatem habeat remittendi peccata; publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem, cuicunque factam.* Et *can.* 10. Anathemate percutit aſſerentes, non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis.

Objiciunt tamen Sectarii ex hactenus conceſſis poteſtas abſolvendi data eſt à Chriſto Apoſtolis, quando dixit: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis,* ſed hæc verba non minus extendi poſſunt ad Laicos, quam ipſa poteſtas baptizandi, quæ itidem data fuit Apoſtolis, quando Chriſtus dixit: *Euntes baptizate*: ergo cum Laici in caſu neceſſitatis habeant poteſtatem baptizandi, cenſendi ſunt habere itidem poteſtatem abſolvendi, alioquin vel utraque poteſtas reſtringenda eſſet ad ſolos Sacerdotes, vel neutra, cùm verba Chriſti non ſint univerſaliora in uno, quam in altero. Sed contra, quia ex traditione perpetua Eccleſiæ ſatis apertè conſtat, verba Chriſti ad Apoſtolos, quibus poteſtatem dedit baptizandi non ad ſolos Sacerdotes ſpectâſſe; benè tamen poteſtatem abſolvendi à peccatis: hæc enim ita ſolis Sacerdotibus collata fuit, ut nullo pacto extendi poſſit ad laicos, ut conſtat ex continua praxi Eccleſiæ, & unanimi conſenſu Sanctorum Patrum.

Quod ſi dicas, apud Cyprianum aliquos inveniri, qui confeſſionem non fecerint Sacerdoti. Contra, qui quoties reperitur confeſſio non facta Sacerdoti, non poteſt intelligi de confeſſione Sacramentali, ſed tantùm de reconciliatione externa publici pœnitentis; vel de confeſſione facta potiùs ad humiliationem confitentis, quàm ad remiſſionem peccati. Igitur quamvis Sacramentum pœnitentiæ ſit poſt lapſum fidelibus neceſſarium, & propterea dicatur à Sanctis Patribus, ſecunda tabula poſt baptiſmum, perinde ac Sacramentum baptiſmi eſt etiam ſimpliciter neceſſarium, non ſequitur, quòd ſicut quilibet homo imminentis mortis periculo poteſt miniſtrare baptiſmum, poſſit itidem miniſtrare Sacramentum pœnitentiæ, ut docet D. Thomas *quæſt.* 8. *in ſupplement, art,* 1. *ad* 2. *Baptiſmus eſt magis Sacramentum neceſſitatis, quàm pœnitentia quoad confeſſionem, & abſolutionem; quia quandoque baptiſmus prætermitti non poteſt ſine periculo ſalutis æternæ, ut patet in pueris, qui non habent uſum rationis: ſed non eſt ita de confeſſione, & abſolutione, quæ tantùm ad adultos pertinet, in quibus contritio cum propoſito confitendi, & deſiderio abſolutionis ſufficit ad liberandum à morte æterna.*

Objiciunt ſecundò, quia Diaconis data fuit poteſtas audiendi confeſſiones, & imponendi pœnitentias à Concilio Eboracenſi anno 1194. celebrato, & ab alio Concilio Londonienſe anno ducenteſimo ſupra milleſimum, ergo poſſunt etiam non Sacerdotes eſſe Miniſtri Sacramenti pœnitentiæ. Sed contra, quia præfatæ Anglicanæ Synodi non permiſerunt Diaconis adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, ſed tantùm quaſdam cæremonias ex numero illarum, quæ à Theologis vocantur Sacramentalia, adeo ut Diaconi ex indulgentia ſibi facta ab utroque Concilio tantùm potuerint exercere horum Sacramentalium executionem; velut reſpondent alii Diaconi tantùm urgente neceſſitate potuerunt excipere confeſſiones Laicorum, non ut Sacramentalem abſolutionem iiſdem impertirent, ſed tantùm, ut eos excitarent ad eliciendum actum contritionis, & ad veram reſipiſcentiam, & Dei amorem accenderent, ut Deus motus precibus Eccleſiæ iiſdem effectum Sacramenti, ſeu gratiam tribueret, & in hoc ſenſu etiam docet D. Thomas *quæſt.* 8. *ſupplement. art.* 2. ejuſmodi generis confeſſionum urgente neceſſitate poſſe fieri laico, quæ tamen confeſſio non eſt Sacramentum perfectum, quia deeſt id, quod eſt ex parte Sacerdotis, ſcilicet abſolutio.

Objiciunt tertiò, quia, ut S. Cyprianus *epiſt.* 12. *ad Presbyteros, & Diaconos Carthaginenſes* ſcribit: Lapſos olim abſente Presbytero apud Diaconum Exhomologeſim facere delicti ſui potuiſſe, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, venirent ad Dominum cum pace. Sed contra quia in hac epiſtola Cyprianus nomine Exhomologeſis, quam lapſi apud Diaconos facere poterant, non deſignat Sacramentalem confeſſionem, ſed tantum ſolemnem quendam pœnitentiæ ritum, quo lapſi humi proſtrati crimina ſua palam deteſtabantur; & ea ſe nunquam perpetraturos conteſtabantur, & peracta pœnitentia Eccleſiæ reconciliari Sacramentorum communioni reſtitui ſupplices petebant. Hæc autem reſtitutio, ſeu abſolutio à cenſuris, & pœnis canonicis erat Epiſcopo reſervata: ſed abſente Epiſcopo, & imminente obitu pœnitentibus permittebatur Presbyteris, & Sacerdotibus, quibus abſentibus Diaconi ex Eccleſiæ conceſſione pœnitentes poterant reconciliare, eiſque pacem dare. Verùm hæc reconciliatio, quamvis facta ab Epiſcopis, & Presbyteris eſſet abſolutio Sacramentalis, ut tamen facta à Diaconis erat tantùm abſolutio canonica, quæ jus communionis dabat. Hæc autem abſolutio canonica forum exter-

Digitized by Google

externum tantùm ſpectabat, proinde poterat Diaconis, imò etiam aliis inferioribus ordinibus committi, quia hoc jus communionis potiùs pertinebat ad juriſdictionem, quàm ad poteſtatem clavium, &, quæ ſunt juriſdictionis, committi poſſunt Clericis non initiatis Sacerdotio, quo pacto ſimplices Clerici poſſunt ſententiam excommunicationis ferre, & ab excommunicatione abſolvere, indulgentias dare, quia hæc non pertinent ad poteſtatem ordinis, ſed tantùm juriſdictionis, quæ enim pertinent ad ordinem, ut abſolutio Sacramentalis, quamquam poſtulent juriſdictionem, non tamen poſſunt exerceri niſi à Sacerdotibus. Hinc S. Cyprianus lib. de lapſis ait: *Pœnitenti, operanti, roganti poteſt Clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus, & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Et paulò ante præmiſerat hæc verba: *Confiteantur ſinguli delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt. Quanta fide majores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes exhomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt, & modicis vulneribus exquirunt.* Aliud igitur eſt exercere, quæ pertinent ad poteſtatem juriſdictionis in foro exteriori, & abſolutionem Canonicam, & aliud exercere, quæ ſpectant ad poteſtatem ordinis, illa enim poterant Diaconi exercere, ut etiam adminiſtrare Euchariſtiam, ubi abſentes erant Sacerdotes, ut refert Alcuinus *lib. de divin. officiis in cap. jejunii,* ubi ait: *Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem, & det ſanctam communionem.* Non tamen Sacramentalis abſolutio conferri poterat, niſi à Sacerdotibus quacunque neceſſitate urgente.

In miniſtro tamen hujus Sacramenti præter poteſtatem ordinis, requiritur etiam juriſdictio, & valida ſit abſolutio, qua peccata remittit. Idque ſatis conſtat ex continuo uſu, & praxi eccleſiæ reſervandi caſus. Rurſus, quia in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 5.* declaratur nulla eſſe abſolutio, quæ à Sacerdote non habente juriſdictionem impertitur: quod etiam ſignificet Concilium Florentinum *in literis Eugenii,* & docetur etiam in pluribus canonibus: ex quibus colligitur, Sacerdotem validè non abſolvere, niſi habeat præter poteſtatem ordinis, & juriſdictionem ordinariam, vel delegatam in pœnitentes, quos abſolvit à peccatis. Patet itidem eſt, quia hoc Sacramentum fuit à Chriſto inſtitutum per modum Judicii: ſed natura, & eſſentia judicii exigit, ut ſententia tantùm feratur in ſubditos: & Sacerdos non habens juriſdictionem ordinariam, vel delegatam caret ſubditis, propterea non habet, quos poſſit validè abſolvere à peccatis: quia miniſter hujus Sacramenti debet eſſe judex: & quilibet judex, ut juridicè judicet, neceſſe eſt habeat juriſdictionem ordinariam, vel delegatam: & cùm ſimplex Sacerdos non ſit paſtor, non habet poteſtatem ordinariam: ergo debet habere ſibi delegatam ab aliquo paſtore.

Quòd ſi dicas, ad ritè miniſtranda alia Sacramenta ſufficere ordinationem: conſequenter etiam ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ debet ſufficere ſola ordinatio, adeout juriſdictio non requiratur eſſentialiter. Præterea quia eo ipſo quod Pœnitens alicui confitetur Sacerdoti, eidem juriſdictionem confert in ſe ipſam, quatenus ſe illi ſubjicit: ergo ut poteſtas ordinis ſufficiat ad abſolvendum à peccatis, ſatis eſt, ſi pœnitens ſe ei ſubjicit, quia per hanc ſubjectionem cenſetur illi impertiri juriſdictionem. Sed contra quia eſt diſcrimen inter baptiſmi, & alterius Sacramenti miniſtrationem; & pœnitentiæ: quia in aliis Sacramentis miniſter ſemel ordinatus, non poteſt impediri ab eccleſia, ne validè conficiat alia Sacramenta; ſed tantum in pœnam alicujus delicti poteſt ſuſpendere Sacerdotem à tali confectione. Secùs in hoc Sacramento Pœnitentiæ, Sacerdos nihil conficit, ſi eccleſia illum deſtituat authoritate juriſdictionis: quia in hoc Sacramento aliquid eſſentiale dependet ab eccleſia, ſcilicet juriſdictio eſſentialiter requiſita ad validè abſolvendum; qua ſi Sacerdos fuerit deſtitutus, non poteſt validè abſolvere. Ad aliud quod addebatur, de pœnitente, qui dat juriſdictionem Sacerdoti, eo ipſo quòd ſe ipſum eidem ſubjicit. Reſpondetur, Pœnitentem non poſſe Sacerdoti dare hanc juriſdictionem: quia nemo reus poteſt ſibi eligere judicem: hæc enim electio pertinet ad ſupremum principem: & Pœnitens in hac tribunali eſt reus, & accuſator; conſequenter non poteſt confeſſario dare hanc juriſdictionem, in ordine ad illum abſolvendum à peccatis.

CAPUT XVII.

An Sacerdos in ſuà conſecratione, ſeu Ordinatione accipiat aliquam juriſdictionem.

Diximus Sacerdotem abſque juriſdictione non poſſe validè miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, conſequenter neque validè abſolvere à peccatis: nunc quæritur, unde Sacerdos miniſtrans Sacramentum Pœnitentiæ accipiat hanc juriſdictionem; & aſſerimus Sacerdotem in ſua conſecratione accipere duplicem poteſtatem Ordinis, & Juriſdictionis; & deſumitur ex verbis Chriſti: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: Unde Sacerdos in ſua ordinatione non ſolum accipit poteſtatem offerendi ſacrificium; ſed etiam remittendi peccata; quæ, cùm non remittantur ſine juriſdictione, ſequitur, accipere etiam ſaltem aliquam juriſdictionem inchoatam in foro conſcientiæ, quia poteſtas, quam accipiunt in ordine ad remittenda peccata, eſt in ordine ad remittenda peccata in Sacramento pœnitentiæ: conſequenter eſt poteſtas judicialis, quia in hoc Sacramento non remittuntur peccata, niſi judicialiter, & poteſtas judicialis eſt poteſtas juriſdictionis.

Quòd ſi dicas, hanc poteſtatem eſſe Ordinis, quæ etiam dicitur judicialis, quatenus exercetur in ordine ad judicium. Contra eſt; quia eo ipſo, quod eſt poteſtas remittendi peccata, eſt facultas juriſdictionis, quæ

Digitized by Google

quæ importat modum judiciarium. Verùm tamen eſt, quòd hæc poteſtas jurisdictionis exigit determinari ab Eccleſia, ut poſſit exerceri, ac deduci ad actum per deputationem ſubditorum faciendam ab eccleſia, ut deducatur ad actum: quapropter eſt tantùm poteſtas jurisdictionis in actu primo, & incompleta tantum, quæ in rigore non eſt abſolutè jurisdictio, ſed capacitas proxima accipiendi jurisdictionem completam cum omnibus requiſitis, ut deducatur ad actum. Ratio eſt quia jurisdictio propriè ſumpta nequit exerceri niſi in ſubditos: ergo ut Sacerdos poſſit exercere hanc jurisdictionem debent ei aſſignari ſubditi, in quos exerceat ſuam poteſtatem.

Quod ſi dicas, non dari jurisdictionem ſine ſubditis: conſequenter ſi Sacerdos in ſua conſecratione accipit jurisdictionem, debent itidem illi conferri ſubditi, in quos illam exerceat. Sed contra eſt, diſtinguitur major: non datur jurisdictio ſine ſubditis vel aſſignatis, vel aſſignandis, conceditur, ſive ſubditis actù aſſignatis, ſubdiſtinguitur: non datur jurisdictio completè ſumpta, concedo: incompleta, ſeu inchoata, & in actu primo, negatur: hæc autem jurisdictio incompleta eſt tantum capacitas proxima recipiendi jurisdictionem completam.

Sed inſtabis, ſi hæc reſponſio valeret, inde ſequeretur, quòd ſummus Pontifex non poſſet pro libito ſibi eligere confeſſarium; quia nullus Sacerdos poteſt habere jurisdictionem in illum. Sed contra, quia, cùm ſummus Pontifex non poſſit ſe abſolvere, eò quia in hoc judicio debeat reus diſtingui à Judice; poteſt tamen alteri dare poteſtatem, ut ipſum ut hominem, & Chriſti fidelem abſolvant: poteſt enim, ut homo reus, ſe ſubjicere alteri homini, à quo, ut à Judice, abſolvatur. Præterea Pontifex ut Chriſti Vicarius habet poteſtatem jurisdictionis in ſe ipſum, ut eſt perſona particularis: ſuſtinet enim utramque perſonam privatam, & publicam, ut perſona privata poteſt ſe alteri Sacerdoti ſubjicere, licet non ut perſona publica, & ut ſummus Pontifex, quia ut talis nulli ſubjicitur alteri homini, ſed ipſe eſt ſupremus Paſtor, & Judex omnium fidelium.

Quamobrem ad impertiendam abſolutionem in Sacramento pœnitentiæ non ſufficit ſola poteſtas ordinis, ſed ulterius neceſſaria eſt poteſtas jurisdictionis completæ Ordinariæ, vel delegatæ, ſeu à ſuperiore demandatæ: quia hæc abſolutio Sacramentalis eſt à Chriſto inſtituta inſtar actus judicialis, quo ab ipſo Sacerdote, velut à judice ſententia abſolutionis proferatur; ait Tridentina Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur perſuaſum ſemper in eccleſia Dei fuit: nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet jurisdictionem.* Hoc idem Tridentina Synodus confirmat *cap.* 7. & ante Tridentinum etiam declaraverat Eugenius IV. in Concilio Florentino *in Decreto unionis*, & etiam ante Eugenium IV. Innocentius III. in Concilio Lateranenſi *can.* 21. diſertis verbis aſſerens: alienum Sacerdotem ſine licentia proprii ſolvere, & ligare non poſſe, defectu ſcilicet jurisdictionis, ait Concilium Lateranenſe: *Si quis autem voluerit alieno Sacerdoti juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à propriè Sacerdote: cùm aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, vel ligare.* Ratio itidem hoc ſuadet; quia imperare alteri nemo poteſt; neque eum adigere ad ſubeundam pœnam ſatisfactoriam pro delicto aliquo patrato, niſi in eundem habeat jurisdictionem: ſed miniſter Sacramenti pœnitentiæ poteſt obligare pœnitentem ad pœnam ſatisfactoriam ſubeundam pro patratis delictis, ſeu peccatis: ergo neceſſaria eſt in ipſo jurisdictio; adeo ut non ſufficiat ſola poteſtas ordinis ut in aliis Sacramentis miniſtrandis verùm etiam requiratur jurisdictio, ut validè Sacerdos valeat à peccatis abſolvere, ait D. Thomas *quæſt.* 8. *ſupplement. art.* 4. *Et ideo ſicut ille, qui non eſt Sacerdos, non poteſt hoc Sacramentum conferre; ita nec ille, qui non habet jurisdictionem; & propter hoc oportet ſicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti confeſſionem fieri. Cum enim Sacerdos non abſolvat, niſi ligando ad aliquod faciendum; ille ſolus poteſt abſolvere, qui poteſt per imperium ad aliquid faciendum ligare*: hæc autem poteſtas obligandi per modum imperii ad aliquid faciendum, eſt poteſtas jurisdictionis. Unde Sacerdos confeſſarius utramque poteſtatem exercet ſolvendi, cùm profert ſententiam abſolutionis & ligandi, cùm injungit pœnitenti pœnam aliquam ſatisfactoriam, ad quam ſubeundam illum obligat, quæ obligatio ſuadetur in poteſtate jurisdictionis. Hoc idem docet catechiſmus Concilii Tridentini *part.* 2. *de Sacram. Pœnit.* §. 21. inquiens; Confeſſarium non ſolum Ordinis, verùm etiam jurisdictionis poteſtatem ordinariam, vel delegatam, debere neceſſariò habere, & poſtea ſubdit: *Quanta olim religione in antiquiſſima eccleſia jus ordinarii Sacerdotis conſervatum fuerit, ex veteribus Patrum decretis facile intelligitur. Quibus cautum eſt, ne quis Epiſcopus, aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid agere auderet ſine ejus auctoritate, qui illi præeſt, aut niſi magna neceſſitas cogere videretur. Ita verò ab Apoſtolo ſancitum eſt, cùm Tito præcepit, ut in ſingulis civitatibus Sacerdotes conſtitueret, qui ſcilicet doctrina & Sacramentorum cæleſti pabulo fideles alerent, & educarent.*

Hinc jurisdictio ita eſt neceſſaria cuivis Sacerdoti non habenti beneficium parochiale, ut ſine illa collata, ſeu ſubdelegata à Præſide Eccleſiæ nullus validè poſſit audire confeſſiones Scholarium. Hæc autem approbatio eſt judicium authenticum, quo fides fit, Sacerdotem approbatum eſſe idoneum, & capacem, cui committatur jurisdictio adeoque unà cum approbatione Præſulis conferatur etiam jurisdictio, dicitur autem approbatio teſtimonium, quod Epiſcopus dat de capacitate alicujus Sacerdotis, & licet ſimul cum approbatione conferatur etiam jurisdictio, hæc tamen diſtinguitur ab approbatione, quia hæc eſt tantùm judicium de capacitate Sacerdotis, & jurisdictio non eſt judicium, neque teſtimonium, ſed poteſtas judicandi alium tanquam ſubditum. Hinc per approbationem non redditur Sacerdos proximè idoneus ad audiendas confeſſiones, ſed tantùm ad recipiendam jurisdictionem, quam Epiſcopus intendit conferre, quando Sacerdotem approbat in ordine ad audiendas confeſſiones, & per hanc jurisdictionem fit proximè idoneus ad abſolvendum, dummodo priùs habuerit approbationem. Præterea quia Epiſcopus non poteſt auferre capacitatem à Sacerdote, cùm ſit eidem intrinſeca independenter à poteſtate Epiſcopi, qui tamen abſque injuſtitia poteſt denegare jurisdictionem, quia hæc eſt favor, & ita etiam definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reformatione* ubi

Digitized by Google

ubi circa Sacramentum pœnitentiæ Concilium definivit, confeſſiones omnes ſæcularium eſſe irritas, quas Sacerdos non approbatus audivit: potuiſſe autem Eccleſiam hæc ſtatuere ex eo conſtat, quia cum Eccleſia conferat juriſdictionem, poteſt etiam ea privare omnem Miniſtrum non approbatum, ſicut de facto privat eum, qui non habet beneficium parochiale, & paſtorale habens annexam curam animarum. Hinc non ſufficit, ſi Sacerdos habeat teſtimonium ſuæ doctrinæ ab Academia, quia ex Decreto Concilii Tridentini debet ab Epiſcopo hujuſmodi teſtimonium habere, & nova Concilii Conſtitutio derogat omnibus juribus antiquis & privilegiis contrariis.

Cæterum circa confeſſionem Regularium non fuit quidquam innovatum à Concilio, unde omnes, qui beneficium parochiale non habent, ſive ſæculares ſint, ſive regulares, indigent approbari ab Epiſcopo, quia ſic ſtatuit Concilium, unde etiam Religioſi quamvis habeant juriſdictionem delegatam à Pontifice, adhuc indigent approbari ab Epiſcopis per Ordinarium loci, quia ille ſolùm poteſt validè approbare, & conferre juriſdictionem, qui eſt Epiſcopus, vel habet juriſdictionem Epiſcopalem, quia Concilium exponitur de ſolis Epiſcopis aut habentibus Epiſcopalem juriſdictionem, ut ſunt plures Prælati, qui nonniſi ſummo Pontifici ſubjiciuntur, & capitulum itidem ſede vacante. Epiſcopi autem electi, ſed nondum conſecrati, ſed tantum confirmati, vel non habentes juriſdictionem non poſſunt approbare, bene tamen confirmati à Pontifice, ſi juriſdictionem ab ipſo habeant. Rurſus Epiſcopus non poteſt approbare, niſi eum Sacerdotem, quem habet ſubditum; adeo, ut Sacerdos habeat fixum domicilium in Diœceſi Epiſcopi, cùm enim Concilium exigat, ut approbetur Confeſſarius, cùm naturalius eſt, ut hæc approbatio fiat à proprio Ordinario, unde Sacerdos approbatus in una diœceſi, ubi habet fixum domicilium, non poteſt audire confeſſiones in alia diœceſi ſine nova approbatione facta ab Epiſcopo novæ diœceſis.

Cæterum approbatio hæc juſtis de cauſis poteſt licitè, & valide dari cum limitatione ad certa loca, certum tempus, & certas perſonas: quia approbatio ita dependet à voluntate ordinarii, ut non valeat niſi quantum ſonant verba approbationis, quæ ſi aliquam habeat limitationem, ſive hæc juſta fuerit, ſive non, non valet approbatio, niſi juxta talem limitationem, conſequenter ſi approbatus aliquis ſit tantum pro Oppidanis, non poteſt confeſſiones audire in civitate; ut etiam, ſi tantùm pro viris fuit approbatus, non poteſt mulierum Confeſſiones audire; ut nec etiam qui tantùm approbatus fuit ad tres menſes, non poteſt ultra tale tempus amplius audire confeſſiones, perſæpe enim ex juſtiſſimis cauſis ſolent adhiberi ab Ordinariis hæ limitationes, etenim Sacerdotes interdum ſufficientem doctrinam habent pro audiendis confeſſionibus ruſticorum, non ita pro confeſſionibus Mercatorum, aut Judicum. Rurſus approbatio etiam absque limitatione conceſſa poteſt licitè, & validè revocari, tum ab eo, qui eam dedit: tum ab alio, ex aliqua tamen juſta cauſa, alioquin ſi injuſtè revocaretur, illicita foret revocatio: peccaret tamen graviter Confeſſarius, qui poſt eam revocationem præſumeret Confeſſiones audire, quia S. Pius V. & Urbanus VIII. in ſuis conſtitutionibus hac ſuper re editis declararunt, poſſe ab Epiſcopis vocari ad novum examen omnes Confeſſarios approbatos à ſuis Prædeceſſoribus, quapropter poſſunt etiam vocari, qui ab ipſis absque limitatione fuerunt approbati, quia poſſunt juſtæ intervenire cauſæ, ob quas Epiſcopus conveniens omnino judicet, approbationem prius datam eſſe revocandam, eò quia de novo cognoſcat incapacitatem illius, qui prius ei ſufficienter doctus, ac probus apparuerat. Cæterum ſi temerè, & ſine juſta cauſa, ut ſi ex odio, vel ex aliquo minus ordinato appetitu id præſtaret, tunc Epiſcopus peccaret, & illa revocatio valida non eſſet, quia approbatio non eſt favor, ſed judicium, conſequenter eo ipſo, quod Judex judicavit hominem eſſe dignum, non poteſt revocare ſuum judicium, quia non poteſt facere, quin judicaverit. Cæterum ordinariæ juriſdictionis poteſtatem habent, quotquot animarum regimini præficiuntur ab Eccleſia, ut ſummus Pontifex in tota Eccleſia Catholica, & in omnes fideles, Epiſcopus in ſua propria Diœceſi, Parochus in ſua propria parochia, Prælatus regularis in regulares tantum perſonas ſibi ſubditas: delegatam verò juriſdictionem habent quotquot ab Epiſcopis ad confeſſiones audiendas admittuntur.

Juriſdictio, prout pertinet ad Sacramentum pœnitentiæ, eſt facultas judicandi alterum in foro conſcientiæ, adeo ut ſine hac facultate nemo poſſit valide audire confeſſiones, & hac juriſdictio bipartitur, in ordinariam, & delegatam: illa eſt quæ alicui competit ratione proprii officii, ut ratione curæ animarum, quatenus eſt paſtor. Juriſdictio vero delegata ea dicitur, quæ non convenit ratione officii, ſeu curæ animarum, ſed tantùm ex voluntate alterius habentis juriſdictionem ordinariam: hinc juriſdictio delegata non habet curam animarum annexam, neque ſuperioritatem: Ordinaria verò oritur ex officio Paſtoris, & habet ſuperioritatem, ac jus imperandi alteri, ut ſubjecto. Præterea habens juriſdictionem ordinariam, poteſt alteri eam communicare, ac delegare: qui verò ab ordinario eſt delegatus, non poteſt alium ſubdelegare, neque dare illi poteſtatem quam habet, niſi expreſsè id conceſſerit Ordinarius: quia, cùm delegatus nihil aliud poſſit, quàm quod ab Ordinario ei conceſſum eſt, non poteſt præſtare, niſi quòd Ordinarius ei conceſſit: quapropter ſi Ordinarius tantùm ei permiſit, ut Confeſſiones audiat, non poteſt delegatus aliud præſtare, quàm Confeſſiones audire, non verò ſubdelegare, quia hoc non eſt audire Confeſſiones. Cæterum, qui habet juriſdictionem Ordinariam, dicitur proprius Sacerdos eorum, in quos habet juriſdictionem, ſive hæc immediata ſit, ſive immediata: quia Sacerdos non proprius is dicitur, qui tametſi curare poſſit animas, non tamen obligatur ad eam curam, proinde quidquid facit, non ex juſtitia, ſed ex charitate id præſtat. Hinc proprii Sacerdotis nomine Concilium Lateranenſe Parochum intellexit, ut Concilii decretum explicant Martinus IV. Conſtitut. quæ incipit: *ad uberes.* ubi ſtatuit, ut qui peccata ſua apud fratres minores depoſuerint, ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri teneantur, ſaltem ſemel in anno, prout Concilium Generale ſtatuit. Benedictus XI. Conſtitutione, quæ incipit, *inter cunctos.* proprii Sacerdotis nomine Parochum etiam intellexit, loquiens, *diſtrictè injungimus, ut fratres ipſi confitentes attentè moneant, & in ſuis prædicationibus exhortentur, quòd ſuis Sacerdotibus confiteantur in anno, aſſerendo, id ad animarum profectum procul dubio pertinere.* Sixtus IV. in Extravag. *Vices illius*, jubet, ut religioſi mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſunt obligati ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri. Hinc

Con-

Digitized by Google

Concilium Mediolanenſe I. ſub S. Carolo Borromæo *part. 1. titulo 6.* ait: *Innocentii III. Conſtitutionem in generali Concilio editam, qua ſancitum eſt, ut fideles ſaltem in anno proprio Parocho peccata ſua confiteantur, inviolatè omnes ſervent.* Verùm licèt proprii Sacerdotis nomine in canone *omnis utriuſque ſexus*, Parochus deſignetur, nihilominus ſummus Pontifex, & Epiſcopi, ut etiam ab iis delegati pro ipſo tempore Paſchatis, vel abſque ullo temporis, aut loci reſtrictione approbati non excluduntur, unde, qui apud ipſos peccata depoſuerunt, validè abſoluti ſunt, & cenſentur paruiſſe ipſi canoni, idque evincitur ex Concilio Lateranenſi *can. 10.* ubi præcipit, *tam in Cathedralibus, quàm aliis conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadjutores, & cooperatores habere, non ſolùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, & cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum.* In eo autem, qui coadjutores ad audiendas confeſſiones, & pœnitentias injungendas in cathedralibus, & conventualibus Eccleſiis inſtituere poteſt, reſidet juriſdictio ſuperior ea, quæ convenit Parochis, in hoc officio de confeſſionibus audiendis, unde cum Presbyteri, qui non ſint Parochi, poſſint confeſſiones audire, cum licentia Parochorum, dummodo approbati ſint ab Epiſcopo, hoc idem poſſunt etiam ſummus Pontifex, & Epiſcopi, quovis anni tempore deſtinare Regulares, vel alios Sacerdotes, non Parochos ad hoc ſacrum onus obeundum, quos abſque ullo temporis reſtrictione approbent.

Quinimò ſummus Pontifex, & Epiſcopi jus habent ſibi reſervandi abſolutionem quorumdam graviorum criminum, quia, quamvis poteſtas Ordinis, quæ confertur ſimpliciter Presbyteris in eorum ordinatione, ſe extendat ad omnia peccata remittenda, quia tamen ad uſum iſtius poteſtatis, ut diximus, neceſſaria eſt juriſdictio deſcendens à majoribus ad inferiores, quibus conceditur, ideo poteſt ſuperior aliqua ſibi reſervare, in quibus judicium inferiori non committat, & harum reſervationum decreta habentur in Jure Canonico *cap. Si quis ſuadente: cauſa 17. quæſt. 4. cap. Conqueſti: de ſententia excommunicationis, cap. Etſi dominici, in extravag. commun. tit. de pœnitentiis, & remiſſionibus. cap. Quicumque: in 6. de ſent. excommunicationis.* Unde Tridentina Synodus *Seſſ. 14. cap. 7.* ait: *Magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam crimina, non à quibusvis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde meritò Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ authoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere,* & *can. 11.* anathemate etiam percutit dicentes: *Epiſcopos habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam: atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quominùs Sacerdos à reſervatis verè abſolvat.* Cauſa autem reſervandi aliquos caſus duplex aſſignatur, quarum prima eſt, ad coercendam propenſionem quorumdam hominum ad peccandum fræno verecundiæ, cùm adeundi ſunt ſummus Pontifex vel Epiſcopus loci pro obtinenda abſolutione. Secunda, ut morbi graviores à medicis peritioribus curentur; hoc tamen intereſt diſcriminis inter caſum reſervatum, & cenſuram, quia hæc eſt pœna quædam eccleſiaſtica, & caſus reſervatus eſt peccatum quoddam, ſive habeat annexam cenſuram, ſive non, etenim ſunt aliqui caſus reſervati Epiſcopis, quibus nulla cenſura annexa eſt, ut etiam ſunt quædam cenſuræ, illis reſervatæ peccatis, ob quæ illæ feruntur minimè reſervatis, ut ſunt ſuſpenſiones, & quædam irregularitates.

CAPUT XVIII.

Quales debeant eſſe dotes, & obligationes Miniſtri hujus Sacramenti.

CErtum eſt ad validitatem abſolutionis non eſſe neceſſe, ut Miniſter ſit in ſtatu gratiæ: id enim habetur de fide in Tridentino *Seſſ. 14. cap. 10.* Ratio eſt, quia ut ritè, & validè pœnitens abſolvatur, ſufficit ſola facultas non impedita in Miniſtro, cum debita intentione abſolvendi, unde ſtatus miniſtri non ponit obicem validitati abſolutionis, quæ tamen, ut ſanctè ex parte miniſtri conferatur, neceſſe eſt, ut ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis, quia ſancta non niſi à Sanctis tractari, & miniſtrari debent, alioquin Miniſter conferens in ſtatu peccati hoc Sacramentum peccat lethaliter, eò quia indignè, ſeu cum peccato lethali illud miniſtrat. Hinc in Miniſtro hujus Sacramenti in primis requiritur mundities cordis, & ſtatus gratiæ, ut etiam pietas, de qua ſcribit Apoſtolus 1. *ad Timoth. 4. Exerce te ipſum ad pietatem. Pietas ad omnia utilis eſt.* Pietatis nomine cultus Dei, & miſericordia intelliguntur, ut interpretatur D. Thomas. Utroque enim ſenſu debet pius eſſe Miniſter hujus Sacramenti, ut ſit fervens in cultu, & obſequio Dei; aſſiduus in meditatione rerum divinarum, ac aſceticis libris legendis. Debet itidem compati infirmitati peccatorum, & exercere in illos miſericordiam, hinc S. Gregorius *part. 2. Paſtoralis curæ cap. 5.* ait: *Rector ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus; ut per pietatis viſcera in ſe infirmitatem cæterorum transferat, & per ſpeculationis altitudinem ſemetipſum quoque inviſibilia appetendo tranſcendat. Hinc Moyſes, crebro tabernaculum intrat, & exit. Qui intus in contemplationem rapitur, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis ſemper ad tabernaculum recurrit coram teſtamenti arca Dominum conſulit: exemplum procul dubio Rectoribus præbens, ut, cùm foris ambigunt, quid diſponant, ad mentem ſemper, quaſi ad tabernaculum, redeant, & veluti coram teſtamenti arca Dominum conſulant.*

Secunda dos eſt morum probabilitas, ſeu ſanctitas vitæ, ut irreprehenſibiles ſint; & ſint exemplo fidelibus in fuga vitiorum, & cultura virtutum, ſeu bonorum operum excitatione. Hinc S. Carolus in Confeſſorum inſtitutionibus de hac nota probitatis habet: cùm Sacramenti Miniſter peccet mortaliter, ſi in peccato mortali illud adminiſtraverit; ideo Confeſſores aliquem audire fugiant, ſi ipſi mortali peccato fuerint coinquinati, aut aliqua innodati cenſura eccleſiaſtica. Verum confeſſor animarum ſalutis cupidus, & earum in virtutibus inſtituendarum zelo flagrans, ut remedia aſſignet, quibus illæ à peccato liberentur, & ſalutis noſtræ inimici fraudes detegant; hominem denique veterem, quomodo exuendum, novum è contra induendum, ſciant, in quo Chriſtiana perfectio conſiſtit, non debet tantùm ſine peccato mortali hoc Sacramentum miniſtrare, ſed cùm ad prædictos effectus promovendos multum juvet, illud ſe primum oſtendere, quod in aliis poſitum deſiderat (plus enim movent exempla, quàm verba) nec alios valeat edocere virtutem, quam non in ſe habet, ad propriam perfectionem maximè attendat, & ad eam ſibi conciliandam ſe in virtutibus neceſſariis exerceat. Nam quantò magis in omni virtute, & præcipua charitate paterna, & zelo ſalutis animarum præcellentior erit, tantò aptius erit inſtrumentum bonitatis Dei.

Tertia dos eſt ſcientia, ut poſſit Sacerdos diſcernere ſpecies peccatorum, obligationes, quæ ex ipſis oriuntur: circumſtantias aggravantes, & mutantes ſpeciem; quid licitè vel illicitè agatur in contractibus. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum ſe habet per modum judicii; in quo Sacerdos eſt Judex, & pœnitens eſt accuſator, & reus ſimul: ſed Judex ut ritè, ac rectè ſententiam ferat, debet neceſſariò eâ eſſe præditus ſcientiâ, qua poſſit perfectè cognoſcere cauſam rei, alioquin exponeretur periculo injuſtè judicandi, quod adverſatur officio Judicis; quia *cæcus ſi cæco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt*: ergo Sacerdos Miniſter hujus Sacramenti tenetur ex officio, ſcire, quidquid poteſt reo obtingere, ut juſtè ac debitè in hoc foro judicium ferat. Firmatur, quia ſi Princeps conſtitueret Judicem Reipublicæ virum ignarum, qui neſciret juſtas ac rectas ferre ſententias, procul dubio eſſet cauſa graviſſimi damni in republica, propterea etiam graviter peccaret, ut etiam Judex, ſi à Principe petiiſſet tale officium, quia illud exerceret cum graviſſimo reipublicæ detrimento: ergo à fortiori in hoc judicio Miniſter tenetur ſcire, quæ neceſſaria ſunt ad rectum judicium ferendum, cùm enim agatur de conſcientia hominis, & de peccatis in eo latentibus, quæ diligenter examinanda ſunt juxta uniuſcujuſque ſpecies & circumſtantias, ut juſta itidem ſatisfactio injungatur, ſequitur Confeſſarium teneri ſcire, quænam ſint peccata reſervata, à quibus ipſe abſolvere non poſſit, & quænam ex illis cenſuram habeant adnexam, unde ſuperior exponens ſubditum carentem ſcientia requiſita ad confeſſiones audiendas peccat, ut etiam Confeſſarius, ſi ſine tali ſcientia miniſterium audeat tanti ponderis exercere, eſt enim grave peccatum, committere inſufficienti tantum miniſterium, & illud exercere. Confeſſarius enim fungitur munere Judicis, & Medici, conſequenter tenetur ea ſcire, quæ neceſſaria ſunt ad exercenda talia officia, ſeu ad cauſarum cognitionem in ordine ad rectam ſententiam ferendam, & ad morborum cognitionem, ac ſalutarium remediorum applicationem. Hinc *cap. Qui vult, diſt. 6. de pœnitentia* habetur: *Caveat ſpiritualis Judex, ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet enim, ut ſciat cognoſcere, quidquid debet judicare: judiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, ut, quod debet judicare, diſcernat.* Quapropter S. Gregorius *part. 1. paſtoralis curæ cap. 1.* ait: *Nulla ars doceri præſumitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo paſtorale magiſterium, qua temeritate ſuſcipitur, quando eſt ars artium regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora eſſe neſciat vulneribus viſcerum? ſed tamen ſæpe, qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim neſciunt; videri medici carnis non erubeſcunt.* Ex Scripturis, & ſacris Canonibus clarè infertur, neceſſariam eſſe Sacerdotibus ſcientiam, ſi Sacramentum pœnitentiæ velint adminiſtrare, ut docet *Can. ignorantia.* deſumptus ex Concilio Toletano IV. *diſt. 38.* ubi legitur: *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda eſt. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas ſanctas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos tam fidei ſcientia, quàm operum diſciplina*, & *Can. Nulli ead. diſt. Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod poſſit Patrum regulis obviare.* Debet autem Sacerdos pœnitentiæ adminiſtrandæ præfectus ſcientia præditus eſſe convenienti, licèt non ſit ſcientia eminens, quæ verò ſit ſcientia eminens, quæ mediocris, & conveniens, explicat Innocentius IV. *in cap. cum in cunctis, de electione, & electi poteſtate*, ubi ait: *Scientiam reputamus eminentem, qua ſubtiles quæſtiones diſcutere, & definire novit, & in promptu reſponſiones habet, ille habet mediocrem, qui ſcit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia neſciat reſpondere, & qui in libris veritatem eorum, quæ ſcire tenetur, ſcit quærere, & ſi in promptu omnia non habeat*; cui conſonat S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 17.* inquiens: *Hæc ſcientia, & ſi non ſit major, tamen tanta debet eſſe, ut ſciant diſtinguere inter peccatum, & non peccatum, vel etiam inter peccatum mortale, & peccatum veniale: quòd ſi in aliquo eſſet dubitatio, poſſet ad diſcretiones recurrere.* Hinc poteſt in aliquo caſu Miniſter ignarus excuſari à culpa lethali, ut ſi immineat mortis periculum, nec alii adſint Miniſtri. Secundò quando Miniſter ſcit, pœnitentem, cujus confeſſionem excipit, eſſe virum, qui rectè ſciat numerum & circumſtantias peccatorum explicare, & qui Miniſtri ignorantiam ſuppleat. Tertiò, quando audit confeſſiones virorum piorum, qui nonniſi venialia habent.

Quarta dos neceſſaria pœnitentiæ Miniſtro eſt prudentia ſingularis, tam ad opinionum delectum, & caſuum difficilium paſſim occurrentium ſolutionem, quam ad ſalutarium conſiliorum ſuggeſtionum, & convenientium remediorum applicationem, ſeu pœnitentiarum injunctionem, tum denique ad examen pœnitentis, & illius affectus explorandos, ut noverit, an abſolvere ipſum debeat, vel abſolutionis beneficium ipſi differre, hanc dotem Confeſſarii explicat Concilium Lateranenſe IV. *can. 21.* inquiens: *Sacerdos ſit diſcretus, & cautus, & more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati; quibus prudenter intelligat, quale debeat ei conſilium*

Digitized by Google

filium, & cujusmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum. Quâ verò prudentiâ debeat Sacerdos ſe gerere in examine pœnitentis; docet S. Thomas in 4. *ſentent. diſt.* 19. ubi ait: Tria eſſe attendenda, primò, ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ conſueverunt in hominibus illius conditionis abundare: non enim oportet, quod à milite quæratur de peccatis Clericorum, aut Religioſorum. Secundò, ut non fiat explicite interrogatio de peccatis, niſi de illis, quæ omnibus manifeſta ſunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum, ita debet à longinquo fieri interrogatio, ut ſi commiſit, dicat, & ſi non commiſit, non addiſcat. Tertiò ut de peccatis præcipuè carnalibus non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias, quia hujuſmodi delectabilia, quantò magis in ſpeciali conſiderantur, magis concupiſcentiam nata ſunt movere.

Aliæ dotes in Sacerdote Confeſſario ſunt patientia, & benignitas, quæ debent adhibere in miniſtrando hoc Sacramento, ut pœnitentium ruſticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, & alios affectus patienter ferat, & pœnitentes pro viribus juvet, paterna charitate ſuſcipiat, & pium ac miſericordem Patrem imitetur filii prodigi, qui porcorum ſordibus ſqualidum, contractis fœditatibus coinquinatum, & diſſipati patrimonii reum, luxurioſam ducendo vitam cum meretricibus, amanter, benignè, & patienter amplexus eſt, & ſuper eum lachrymas fudit miſericordiæ, & teneritudinis, debet enim Confeſſarius infirmitatibus pœnitentium compati, quam gratiam à Deo rogabat D. Ambroſius *lib.* 2. *de pænitentia cap.* 8. inquiens: *Sum minimus omnium Epiſcoporum, & infimus meritis. Tamen, quia & ego laborem aliquem pro ſancta Eccleſia tua ſuſcepi, hunc fructum tuere, ne quem perditum vocâſti ad Sacerdotium, eum Sacerdotem perire patiaris, ac primum, ut condolere noverim peccantibus affectu intimo. Hæc enim ſumma virtus; quia ſcriptum eſt: & non gaudebis ſuper filiis Juda in die perditionis eorum; ſed quotieſcunque peccatum alicujus lapſi exponitur, compatiar: nec ſuperbè increpem, ſed lugeam, & defleam: ut, dum alium fleo, me ipſum defleam, dicens: Juſtificata eſt magis Thamar, quàm ego. Fortaſſe adoleſcentula lapſa occaſionibus, quæ delictorum fomites ſunt, decepta, ac præcipitata eſt: peccamus & ſeniores. Repugnat in nobis lex hujus carnis legi mentis noſtræ, & captivos nos trahit in peccatum, ut faciamus, quod nolumus. Illi de ætate ſuppetit excuſatio, mihi jam nulla. Illa enim debet diſcere, nos docere. Ergo juſtificata eſt magis Thamar, quàm ego.*

Rurſus alia dos Confeſſario pernecceſſaria eſt, ſollicitudo ſalutis animarum, quâ placere non quærat hominibus, ſed prodeſſe ad æternam earum ſalutem procurandam, unde mollis & remiſſus eſſe non debet Confeſſarius, neque pulvillos ſub omni cubito manus ponere, ut ait Propheta, & facere cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas, ut pœnitentium, præſertim illuſtrium, nobilium, ac divitum frequentia fiat major ad ipſius ſedile. Ait enim S. Gregorius *part.* 2. *curæ paſtoralis cap.* 9. *Pulvillos ſub omni cubito manus ponere, eſt cadentes à ſua rectitudine animas, atque in hujus mundi ſe delectatione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceant, quem nulla aſperitas contradictionis pulſat.* Non tamen Confeſſarii debent ita eſſe moroſi, & ſeveri, ut pœnitentes à confeſſione abſterreant; debent enim Medicorum induſtriam imitari, qui amaris potionibus nonnihil mellis, aut ſucci ſuavioris inſtillant, ut facilius ab ægris ſorbeantur: & ſicut medici, ac chirurgi ferrum, & ignem vulneribus adhibent, quando id vulneris cura expoſtulat, nec aliter procurari poteſt ægroti ſanitas, ita pœnitentiæ miniſtri interdum ſeveriora debent remedia adhibere, ne pœnitentes in eadem peracta relabantur, quia, ut ait S. Cyprianus *in tractat. de lapſis qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta illa, ſed nutrit.*

Demum debet Miniſter hujus Sacramenti unicè intendere vitæ emendationem vitiorum fugam, & ita procedere, ut ſuaſionibus ſimul, & minis, ac terroribus peccantem avertat à peccatis, ut eleganter notat Petrus Pleſſenſis *tractat. de ſatisfactione* inquiens: *Sicut confitenti neceſſaria eſt humilis, & ſincera devotio, ſic pœnitentiali, id eſt, Sacerdoti, neceſſaria eſt diligens, & circumſpecta diſcretio, ut diſcernat inter lepram, & lepram, & habeat in ſe tria, bonitatem, ſcientiam, & diſciplinam: bonitatem in ſanctitate; ſcientiam in eruditione; diſciplinam in correctione, ſit Samaritanus infundens oleum miſericordiæ, vinumque juſtitiæ, habeat conſcientiam ejus, quaſi arca fœderis manna, & virgam, ut ſciat compati & ignoſcere, arguere & monere. Gaudeat de primitivis fructibus pœnitentis, ſicut bonus agricola; compatiatur infirmo, dubiumque conforter, recolens illud Apoſtoli: Quis infirmatur, & ego non infirmor? & audiens tentationes ejus, ſuam infirmitatem cogitans apud ſe dicat, ſi in tanta tentatione fuiſſem, gravius cecidiſſem. Nihil dicatur, ut fiat cum indignatione, & ira, ira enim viri juſtitiam Dei non operatur. Medium autem teneat, ne nimia remiſſio vel nimia auſteritas ſit in eo, certumque pœnitentiæ modum juxta Sanctorum Patrum inſtituta præſcribat.*

Obligationem quod attinet Confeſſarii, tenetur eſſe fidelis cuſtos eorum, quæ in confeſſione dicuntur: adeo, ut nihil eorum patefaciat, neque ullam circumſtantiam, ex qua conjici poſſit, peccatum illud fuiſſe tali Confeſſario manifeſtatum, eſt enim hoc ſecretum ſigillum ſacramentale, ſecum trahens indiſpenſabilem obligationem ea omnia occultandi, quæ in ſacramentali confeſſione audiuntur; hæc autem obligatio triplici nititur jure, naturali, divino, poſitivo, & eccleſiaſtico: naturali, quo arcanum fidei Confeſſarii concreditum tenetur omnino reticeri, & quo unum membrum aliis membris ejuſdem corporis infirmioribus compatitur, & manus vulneri inflicto pedi medetur, & vulnus pannis, linteis ligat & occultat, non verò aperit, nos verò fideles, ut loquitur Apoſtolus, ſumus corpus Chriſti, & membra de membro, quapropter ſicut inhoneſtis, & ignobilioribus corporis Chriſti membris *honorem abundantiorem circumcidamus*, ait Apoſtolus, ita Sacerdotes non ſolùm peccatoribus compati debent, ſed eorum peccata ſacramentali confeſſione patefacta ſilentii velo tenentur contegere, & ſacramentali ſigillo obſignare. Rurſus quòd ſigillum ſacramentale etiam nitatur divino jure, ex eo liquet, quia ipſa confeſſio ſacramentalis eſt de jure divino, & ſine ſecreti ſigillo non poſſet conſiſtere, & eo ſublato fieret confeſſio ſacramentalis hominibus exoſa, qui propterea ab ipſo ſe averterent, quapropter hujus ſigilli violatio, ſeu revelatio confeſſionis

enorme eſt ſacrilegium, redundans in graviſſimam Sacramenti injuriam. Eſt etiam de jure Eccleſiaſtico, ut conſtat ex *cap. Omnis utriuſque ſexus. de pœnitentia, & remiſſ.* quæ obligatio eſt tanta, ut nec pro defendenda tota Eccleſia, ſi per impoſſibile deberet perire, poſſit hoc ſigillum violare, unde aſſerendum eſt, tantùm eſſe obligationem ſervandi hoc Sacramentale ſigillum, ut non liceat quacunque ex cauſa ſive directè, ſive indirectè, illud violare. Ratio eſt, quia Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum tanquam medium neceſſarium ad obtinendam veniam peccatorum, etiam occultorum, ac graviſſimorum, conſequenter inſtituit etiam ea omnia, ſine quibus commodè hoc Sacramentum adminiſtrari non poteſt, ſed hujuſmodi eſt ſigillum Sacramentale, quia ſi permiſſum eſſet Sacerdoti, peccata revelare, confeſſio valdè odioſa, & oneroſa omnibus redderetur. Hinc pœnitentes non auderent peccata graviora aperire in confeſſione, & ita periret præcipuus hujus Sacramenti fructus, in eo ſitus, quòd per Confeſſionem peccatis opportuna adhibeantur remedia. Præterea homines facilè ab illius uſu averterentur, & exoſa omnibus fieret Confeſſio, unde pro nullo eventu licitum eſt hoc ſigillum violare, nec directè, nec indirectè, quia ex quacunque revelatione ſequerentur ſemper eadem incommoda.

Præterea quia quod intrinſecè eſt malum pro nullo eventu eſt faciendum, quia enim mentiri eſt intrinſecè malum, nunquam licitum eſt mentiri; ſed violare ſigillum confeſſionis eſt intrinſecè malum, quia revelans mentiretur, & mentiri nunquam eſt licitum; quod revelans confeſſionem mentiretur, ex eo liquet, quia dicit, ut homo, ſe ſcire, quod neſcit ut homo, ſed ut Deus, ſeu ut Dei Vicarius, ergo revelare confeſſionem eſt intrinſecè malum, conſequenter pro nullo eventu eſt licitum. Præterea quia agere contra ſignificationem ſacramenti eſt intrinſecè malum, quia eſt gravis injuria, quæ illi infertur, ſed violare ſigillum confeſſionis, eſt contra ſignificationem Sacramenti, quia Sacramentum ſignificando gratiam ſignificat remiſſionem peccatorum, quæ eſt quædam occultatio, & tectio, quam facit Deus de peccatis, quæ amplius non revelantur ad confuſionem pœnitentis: ergo revelare peccata in confeſſione manifeſtata eſt agere contra ſignificationem hujus Sacramenti.

Quòd ſi dicas, ſigillum non eſſe de eſſentia hujus Sacramenti, conſequenter ſaltem in aliquo caſu licitum eſſe revelare ſecretum confeſſionis: antecedens liquet, quia ſi ſigillum eſſet de eſſentia, non poſſet Confeſſarius etiam de licentia pœnitentis revelare confeſſionem. Contra eſt, negatur conſequentia, quia tametſi non ſit de eſſentia, nunquam tamen licitum eſt ſecretum confeſſionis revelare, quia id eſt intrinſecè malum, ut evicimus. Neque obſtat, quòd Confeſſarius de licentia pœnitentis poſſit confeſſionem revelare, quia tunc nulla fit injuria pœnitenti, volenti enim, & conſentienti non fit injuria. Præterea, quia eo ipſo, quòd pœnitens dat confeſſario licentiam, ut peccata ſua revelet, quoad illud, quod Sacerdos ſciebat tantùm, ut Dei Vicarius, & quatenus gerebat vices Dei, ſciat etiam ut homo, & ut perſona privata, ut docet D. Thomas *quæſt. 11. ſupplement. art. 4.* unde in illo caſu Confeſſarius non violaret ſigillum confeſſionis, ſed potius pœnitens illud ſolveret. Cæterum Confeſſarius ut cautius procedat, nec de licentia pœnitentis debet peccata, quæ audivit in confeſſione manifeſtare, quòd ſi pœnitens extra confeſſionem eadem peccata repeteret Sacerdoti, non ut Confeſſario, ſed ut ſimplici homini, tunc de licentia repetentis poſſit illa manifeſtare.

Ex dictis conſtat, nullum Sacerdotem, etiam Regularem, poſſe confeſſiones Sacramentales ſæcularium, quamvis Sacerdotum, audire, niſi parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopo fuerit approbatus; idque ex declaratione Concilii Tridentini *Seſſ.* 23. *cap.* 15. ubi ait: *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant. Decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam regularem confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, poſſe audire, neque ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Privilegiis, & conſuetudine quacunque etiam immemorabili non obſtantibus.* Per hanc declarationem abrogata ſunt privilegia Regularium virtute, quorum poterant confeſſiones ſacramentales ſæcularium audire independenter ab Epiſcopis, licèt ab iſtis non eſſent approbati, ut conſtat ex pluribus decretalibus, nempe Bonifacii VIII. *lib. 5. extravag. commun, cap. ſuper cathedram. titul. de ſepulturis. Cap. inter cunctas eod. lib. titul. de privilegiis*, & fuit privilegium conceſſum à Benedicto XI. Regularibus. *Clementina dudum tit. de ſepulturis.* hæ & aliæ Pontificiæ conſtitutiones, quibus indulgebatur, ut Regulares poſſent confeſſiones ſæcularium audire etiam Sacerdotum, quamvis non eſſent ab Epiſcopis approbati, ſunt omnes abrogatæ, & nullam amplius vim habent: adeo ut poſt Concilium Tridentinum non poſſint regulares audire confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, niſi prius ad id fuerint ab Epiſcopis locorum approbati. Decretum Tridentinæ Synodi confirmavit Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Romani Pontificis*, & huic legi ſubjicit etiam Lectores, & in ſacra Theologia traduntur; ut etiam Gregorius XV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Inſcrutabili*, & Alexander VII. inter alias propoſitiones erroneas die 24. Septembris 1665. damnavit hanc: *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſtè reprobato.*

Imò Sacerdos non approbatus ab Epiſcopo, neque confeſſiones venialium poteſt audire ſive ſæcularis, ſive Sacerdotis, quia, quamvis peccata venialia confiteri non ſit neceſſarium: ex quo tamen ſubjiciuntur clavibus Eccleſiæ, neceſſaria eſt eorum ſacramentalis confeſſio excipienda, conſequenter requiritur neceſſariò jurisdictio in Sacerdote excipiente talem confeſſionem venialium; idque ſpeciali decreto edito die 12. Februarii anno 1679. ſacræ Congregationis Concilii Tridentini approbante Innocentio XI. declaratum fuit. Prohibetur enim ſpecialiter, *ne venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Confeſſarii etiam Regulares aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant DEO Optimo Maximo ſe rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, & rigoroſam animadverſionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa, & facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione Sanctitas ſua probavit, ac præſens decretum typis mandari, ac publicari voluit.* Poſſunt tamen Sacerdotes Regulares à ſuis ſuperioribus approbati abſque approbatione Epiſcopi excipere cõfeſſiones

viro-

virorum Regularium ſui Ordinis, imò & ſæcularium ad familiam tamen pertinentium. Synodus enim Tridentina, id unum tantum ſtatuit: *Nullum regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis approbationem obtineat.* De audiendis autem regularium confeſſionibus nihil ſtatuit, adeoque ſupponit, ipſos poſſe cum ſola ſuorum ſuperiorum approbatione Confeſſiones Religioſorum ejuſdem ordinis hominum excipere, ſed dubitationem omnem ſuſtulit Clemens X. in ſua conſtitutione, quæ incipit *Superna*, edita 11. Kalendas Junii anno 1670. ubi ait: *Cæterum in Monaſteriis ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares quàm confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeu Collegiorum audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui Commenſales, non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt.* Hoc idem ante Clementem X. etiam declaraverat Gregorius XV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *inſcrutabili* edita nonis Februarii anno 1622. Quinimò Sacerdos tam ſæcularis, quàm regularis approbatus in una diœceſi etiam generatim Confeſſiones in altera diœceſi audire non poteſt ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani, idque conſtat *ex Clementina dudum titulo de ſepulturis*, quæ quoad hoc caput non fuit revocata, quin potiùs ab Apoſtolica ſede confirmata ubi habetur: *Extra civitates, & diœceſes, in quibus fuerint deputatæ confeſſiones nullatenus auditurae*, & Congregatio Concilii Tridentini die 6. Junii anno 1608. declaravit: *Tam ſæcularem, quàm Regularem in una diœceſi approbatos ad audiendas perſonarum ſæcularium confeſſiones, non poſſe in alia eaſdem confeſſiones audire abſque approbatione Epiſcopi Diœceſis.* Ut refert Barboſa *part. 2. de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 25. §. 23. & id etiam confirmavit Clemens X. In ſua inſtitutione, quæ incipit: *Superna*, ubi ait: *Adhæc religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua diœceſi audiendos approbatos, non poſſe in alia diœceſi eas abſque Epiſcopi diœceſis approbatione audire; quamvis pœnitentes ſubditi ſunt ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati.* Parochi tamen confeſſiones ſuorum ſubditorum in alienæ parochiæ territorio, & in aliena etiam diœceſi audire poſſunt, quia ordinariam in illos authoritatem habent, quam poſſunt ubique exercere quoad ea, quæ fiunt abſque ſtrepitu judicii, cujuſmodi eſt Sacramentalis confeſſio; & Concilium Lateranenſe *can.* 21. ſtatuit, ut fideles ſemel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, & nulla fit mentio loci, in quo confeſſiones excipere debet, vel poteſt. Laudabilis etiam eſt, & conveniens conſuetudo non admittendi Miniſtros Sacramenti pœnitentiæ, niſi viros provecta ætate, & maximè ad confeſſiones mulierum audiendas, qua ratione Patres Theatini ex ſuis Conſtitutionibus Sacerdotes juniores tantùm admittunt ad confeſſiones virorum audiendas, & non mulierum, niſi approbati fuerint per ſuſceptum vocalatum, & poſt duodecim ad minimum annos ab emiſſa profeſſione, hoc idem etiam ſtatuit Concilium Mediolanenſe I. ubi qui triginta annos nondum attigerit, nec Paſtor fuerit, prohibetur mulierum confeſſiones audire, niſi quis probitatis, & pietatis tot argumenta dederit, ut ad eaſdem audiendas capacem ſuperiores eum arbitrentur, & ita habet S. Carolus Borromæus in ſuis inſtructionibus.

Parochi non poſſunt eligere ſibi Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, ſive ſæcularem, ſive Regularem ab Epiſcopo non approbatum, ratio eſt perſpicua, quia Sacerdos ſine approbatione Epiſcopi nullam habet juriſdictionem, adeoque nullam poteſtatem excipiendi Confeſſiones, & abſolvendi, quapropter Alexander VII. Pontifex Maximus inter plures alias propoſitiones, quas damnavit die 14. Septembris anno 1665. hanc etiam ordine decimam ſextam damnavit: *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario*, poſſunt tamen ſibi eligere, quem voluerint Confeſſarium ex approbatis ab Epiſcopo, idque perſpicuum eſt ex cap. *Ne pro dilatione, de pœnitentiis, & remiſſionibus*, ubi habetur: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis ſuperioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter ſui ſuperioris licentiam providum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem*, nomine autem ſuperiorum, & Prælatorum veniunt etiam Parochi, quia *beneficia Principum ſunt laxè interpretanda*, ut habetur *cap. olim de regulis Juris, & favores convenit ampliari*: Præterea quia Parochis convenit ratio Canonis, ne periculum immineat animarum, cum enim frequens Sacroſancti ſacrificii celebratio, & quotidiana Sacramentorum adminiſtratio illis incumbat, in magno ſalutis periculo verſarentur, niſi præſto haberent Confeſſarium, ac propterea niſi quem vellent, ſibi poſſent eligere ex approbatis ab Epiſcopo. Rurſus quia Parochi verè ſunt ſuperiores, quia fidelibus præſunt, qui prælationis officio funguntur, ut ait Clemens III. *cap. tua nos. de Clerico ægrotante.* Demum quia ex conſuetudine antiqua hæc libera electio convenit Parochis, & quia hæc conſuetudo eſt rationabilis ac legitimè præſcripta; in Eccleſia vim legis habet *ex cap. cum tanto. extr. de conſuetudine.* Quæ conſuetudo legitimè præſcripta non immutatur juxta regulam D. Auguſtini *epiſt.* 54. *ad Januarium cap.* 5. ubi ait: His enim cauſis, id eſt, propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel inſtitui, quod non fiebat. Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt. Parochus tamen, qui beneficium parochiale dimiſit, non poteſt Sacramentales confeſſiones excipere abſque nova Epiſcopi approbatione: quia Sacerdos ex decreto Concilii Tridentini ex duplici tantum cauſa poteſt confeſſiones fidelium audire, vel quia beneficium parochiale obtineat, vel quia ab Epiſcopo approbatus eſt, ergo eo ipſo, quod Sacerdos amplius non habet beneficium parochiale, ceſſavit ejus juriſdictio, ſi eam non acquirat alio titulo, & approbatus non fuerit ab Epiſcopo, ideoque nova indigeat approbatione, ut declaravit ſacra Cardinalium Congregatio ſupra Concilium Tridentinum: cùm enim interrogaretur: *An Sacerdos, qui aliquando approbatus, & idoneus judicatus eſt, ideoque in Parochum aſſumptus fuerit, dimiſſa poſtea parochiali, haberi etiam nihilominus debeat adhuc idoneus ad confeſſiones validè audiendas, ita ut hæc particula decreti Concilii, beneficium obtineat, extendatur etiam &c. vel obtinuerit, & reſpondit Congregatio, non haberi*, ut refert Barboſa *part.* 2. *de officio & poteſtate Epiſcopi allegatione* 25. §. 17.

Digitized by Google

Invalida itidem eſt Confeſſio, quæ fit Sacerdotibus Hæreticis, Schiſmaticis, excommunicatis, ſuſpenſis, irregularibus, & degradatis, ratio eſt, quia iſtis nulla adeſt juriſdictio, eò quia Eccleſia iiſdem ſubditos ſubtraxerit, ſine quibus non datur juriſdictio, quæ non poteſt exerceri, niſi in ſubditos, dicit enim juriſdictio correlationem ad ſubditos, ut ad aliud correlativum, & ex duobus correlativis, ſi unum deficiat, neceſſe eſt, ut aliud etiam deſit, idque evincitur ex D. Auguſtino *Tractat. 121. in Joannem*, ubi ait: *Eccleſiæ Charitas, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus noſtris, participum ſuorum peccata dimittit, eorum autem, qui non ſunt ejus participes, retinet, ideo poſtquam dixerit: Accipite Spiritum S. continuo de peccatorum remiſſione, ac eorum retentione ſubjecit*: Sed Sacerdotes hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati avulſi ſunt ab Eccleſiæ Charitate, ac ſeparati ab ejus unitate, unde clavium uſum non habent in remittendis peccatis. Præterea ab hujuſmodi Sacerdotibus Sacramentum petit, ſine neceſſitate, lethaliter peccat, utpote tranſgrediens Eccleſiæ præceptum in re gravi, proinde à peccatis non abſolvitur. Verùm ſi excommunicatio lateat pœnitentem, nec ille aliunde ullum ponat obicem, validum videtur Sacramentum, & juriſdictionis uſum in illis tolerat Eccleſia, qui non ſunt denuntiati, ut conſtat ex *Extravag. ad evitanda ſcandala*: unde ſi Miniſter ligatus occulto excommunicationis vel alterius cenſuræ vinculo Sacramentum conferat, & nihil ex parte materiæ, formæ, vel intentionis deſit, ac nullus à ſuſcipiente ponitur obex, confeſſio eſt legitima, & abſolutio valida.

Confeſſarii Regulares ab Epiſcopo approbati non poſſunt abſolvere à caſibus ſummo Pontifici, vel etiam Epiſcopo reſervatis, niſi ſpecialem ab iiſdem acceperint poteſtatem, & nulla illis privilegia quoad hoc ſuffragantur; quia hanc poteſtatem abſolvendi à reſervatis Regularibus abſtulit Clemens V. in Concilio Viennenſi, ut legitur *in Clementin. Dudum. de ſepulturis*, ubi declarat, ſe Regularibus ad pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum deputatis poteſtatem ampliorem non impendere, quàm in eo Curatis vel Parochialibus Sacerdotibus eſt à jure conceſſa: *Niſi forſan eis Eccleſiarum Prælati uberiorem hac in parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam. Et in Clementina Religioſi. tit. de privilegiis, & privilegiatorum exceſſibus*, ubi Regularibus prohibet ſub interminatione maledictionis æternæ, ne in caſibus ſedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis quemquam abſolvere præſumant. Hoc idem etiam expreſsè declarat Tridentina Synodus *ſeſſ. 14. cap. 7.* ubi habetur: *In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis cenſuris, & peccatis abſolvere poſſe; extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant.* Id etiam poſt Concilium Tridentinum declarârunt plura Concilia Provincialia in Galliis, Hiſpaniis, & Italia celebrata, etenim abſolvere à caſibus ſedi Apoſtolicæ aut Ordinariis locorum reſervatis, illicitum eſt tam Regularibus quàm ſæcularibus Sacerdotibus, neque ulla quoad hoc illis privilegia ſuffragantur, adeo ut abſolutiones, quas ab his caſibus reſervatis impenderunt, nullius ſint valoris, & abſolventes ab iiſdem incurrant excommunicationis, & privationis officiorum, ac dignitatum, aut beneficiorum, imò etiam inhabilitatis ad audiendas confeſſiones, & ad quæcunque officia, prælaturas, beneficia impoſterum obtinenda, pœnas ipſo facto abſque ulla alia declaratione incurſuros, ſuper quibus à nemine niſi à Romano Pontifice habilitatio, diſpenſatio, & abſolutio poſſit impertiri, declararunt plures ſummi Pontifices, ut Clemens VIII. in decreto edito die 9. Januarii anno 1601. Paulus V. in decreto edito die 7. Januarii anno 1617. Urbanus VIII. in decreto edito die 7. Novembris 1628. Innocentius X. in litteris ad Archiepiſcopum Neapolitanum per ſacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſitam ſcriptis die 9. Decembris anno 1647. quæ omnia decreta, & litteræ afferuntur à Barboſa *part. 3. de officio & poteſt. Epiſcopi allegat. 52.* Hinc Alexander VII. inter alias propoſitiones hanc etiam damnavit ordine 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate*, quinimò damnavit etiam, & cenſura confixit hanc aliam ordine trigeſimam ſextam, quam etiam prohibuit: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti ſuis privilegiis, quæ ſunt expreſſè revocata per Concilium Tridentinum*, & demum Clemens X. in ſua conſtitutione quæ incipit *ſuperna Magni Patrisfamilias*, declarat: *Ex facultatibus per mare magnum, & alia privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, & Jeſu, conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis, & per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à ſede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.* Imò tametſi quis obtinuerit facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis ſummo Pontifici, non inde ſequitur, quod etiam illi inſit facultas abſolvendi à reſervatis Epiſcopo, quia aliud eſt abſolvere à caſibus reſervatis uni, & aliud à caſibus, qui ab altero reſervantur, ſiquidem cuilibet Epiſcopo ineſt ſua juriſdictio integra, quam ſummi Pontifices volunt integram ſervari, hinc S. Gregorius Magnus ait: *Si ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur.* Verùm Epiſcopi in ſibi reſervandis caſibus debent prudenter ſe gerere, quia Eccleſia eſt pia Mater, quæ ſuos filios emendatos deſiderat, & abſolutos à quolibet peccatorum vinculo, ut poſſint æternam conſequi ſalutem; ſin verò non poſſent à Confeſſariis approbatis abſolvi ob erubeſcentiam difficulter ad Epiſcopum accederent, vel ſaltem diu ſordeſcerent in peccato, quapropter, ut monet ſacra Congregatio Cardinalium interpretum Concilii Tridentini in declaratione emanata die 26. Novembris anno 1661. non debent Epiſcopi paſſim, ſed tantùm, ut conſultiùs viſum fuerit communi bono expedire, atrociorum tantùm & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervare. Quorum reſervatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat, & in ædificationem, non autem in deſtructionem cedat, ne alioquin Sacramenti pœnitentiæ Miniſtrorum coarctata poteſtate Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ menti contrarius ſubſequatur effectus. Peccata enim occulta non ſunt facile reſervanda, niſi plures ab eis deterreat reſervatio, quàm ab eorum confeſſione ſuperioribus facienda prohibeat pudor, quorum in peccatis carnis ut plurimum contingit, iis præſertim, quæ à ſexu muliebri, & à pueris committuntur.

Epiſcopi

Digitized by Google

Epiſcopi tamen poſſunt abſolvere ab omnibus caſibus occultis ſedi Apoſtolicæ reſervatis, & in omnibus irregularitatibus, ac ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus diſpenſare, ea tamen excepta, quæ oriuntur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentioſum, idem autem poſſunt Epiſcopi in ſua tantum diœceſi, non in aliena, & in ſuos tantùm ſubditos in foro conſcientiæ, per ſe ipſos aut Vicarium ad id ſpeciatim deputandum in foro conſcientiæ abſolvere aut diſpenſare poſſunt gratis, & impoſita pœnitentia ſalutari, id enim declarat Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. ubi incipit: Liceat Epiſcopis à publicis etiam criminibus Apoſtolicæ ſedi reſervatis abſolvere, ſi pœnitentes ita pauperes ſint, ut Romam ire, aut mittere, vel ſumptus expeditionum ſolvere, non valeant. Ab his autem caſibus abſolvere non poſſunt, quicunque generalem habent ab Epiſcopo diœceſano poteſtatem abſolvendi à caſibus illi reſervatis, ſed illi tantùm, quibus vices ſuas ſpeciatim committit, ut ab his caſibus abſolvant.

LIBER DECIMUS.

De Sacramentis extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.

SUperſunt probanda, ac explicatu donanda, tria poſtrema Sacramenta Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, quæ à Sectariis inficiantur. Eſt Sacramentum extremæ Unctionis, quod in eccleſia infirmis de vita periclitantibus ſolet adhiberi, ut beneficio hujus Sacræ Unctionis fideles tranſituri de hac vita fiant legitimi Athletæ, pugnentque contra Dæmones adnitentes in ultima lucta fideles proſternere. Negârunt hanc extremam Unctionem eſſe Sacramentum: Primò Albigenſes; poſtea Wicleffus 4. *lib. Trialogi cap.* 25. ubi expreſsè negat, hoc Sacramentum fuiſſe à Chriſto inſtitutum, quem errorem ſequuti ſunt hujus temporis hæretici, præſertim Lutherus & Calvinus, qui docet *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 10. hanc unctionem tantum pertinuiſſe ad gratiam curationum, & tantùm duràſſe tempore Apoſtolorum; qui error adverſatur doctrinæ Sanctorum Patrum, ſcripturis, & traditioni eccleſiæ emanatæ ab ipſis Apoſtolis; à quibus docemur Unctionem non ſemel tantum fuiſſe à Chriſto aſſumptam in Sacramentis; ſed ter, ſcilicet in Baptiſmo, Confirmatione, & in hoc Sacramento extremæ Unctionis, quæ trina Unctio fuit nobis præfigurata à Davide Rege, qui legitur tribus vicibus fuiſſe unctus. Primò in Domo Patris ſui. Secundò in Hebron, ut regnaret ſuper Domum Juda, & poſt hanc unctionem legimus, plura adverſa ei obtigiſſe, & plurima mala fuiſſe paſſum. Tertiò iterum unctus in regem ſuper omnem Iſraëlem: & poſt hanc unctionem regnavit in pace. Prima ſignificavit Unctionem, quæ fit in Baptiſmo, quâ conſtituimur participes regni cœlorum, quatenus per gratiam ſanctificantem, novamque regenerationem aſſumimur in filios Dei adoptivos, & Chriſti cohæredes ſeu cohæredes regni cœlorum, quod Deus miſericors nobis præparavit à conſtitutione mundi, & cujus non erit finis. Secunda præſignavit unctionem, quæ fit in Sacramento Confirmationis, per quam nobis confertur Spiritus Sanctus ad reſiſtendum Idoneis tentationibus, & aſſultibus, quibus toto vitæ noſtræ tempore adnititur nos expugnare, ac proſternere, ſitque propterea vita hominis militia ſuper terram. Tertia præſignabat unctionem noſtram extremam, poſtquam ſuperatis hoſtibus divino beneficio nobis datur, ut in regno illo, ad quod in baptiſmo inuncti ſumus, & inaugurati, æterna pace perfruamur, hæc autem tertia unctio pluribus ab antiquis Patribus donatur nominibus: dicitur enim Sacramentum unctionis infirmorum, vel Sacramentum exeuntium ex hac vita, vel etiam dicitur Extrema unctio eò, quia ex omnibus Sacris unctionibus, quas Eccleſia adhibet in aliis Sacramentis miniſtrandis, hæc ſit ultima. Vel etiam dicitur pœnitentiæ complementum, & conſummatio, quia hoc Sacramentum, ut ait Concilium Tridentinum: *Non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perfecta pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt Patribus.* Vel etiam dicitur cœleſtis Medicina, eò quia curandis reliquiis morborum, ſeu peccatorum corporis, & animæ ſit pharmacum idoneum ſpirituale, abſtergit enim Extrema Unctio reliquias peccatorum, & corporis Sanitatem interdum etiam reſtituit, quando nimirum eſt id profuturum ad æternam ſalutem obtinendam, & infirmus reſtitutus Sanitati corporis ſolertior ſit in cultura virtutum ad animam magis corroborandam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT I.

Oſtenditur, Extremam Unctionem eſſe Verum Sacramentum, contra Sectarios.

ASſerendum eſt, extremam Unctionem, quæ ſolet in eccleſia adhiberi infirmis, eſſe verum Sacramentum inſtitutum à Chriſto Domino; ſiquidem illud eſt verum Sacramentum, quod eſt ſignum efficax, & ſenſibile gratiæ inſtitutum ſtabiliter à Chriſto Domino, ſed Extrema Unctio, quæ in Eccleſia adhibetur infirmis, de vita periclitantibus, eſſe ſignum ſenſibile, permanenter inſtitutum cum promiſſione gratiæ per illud conferendæ: ergo eſt verum, & proprium Sacramentum: Major eſt clara, quia hæc unctio eſt ſignum ſenſibile, & in militante Eccleſia ſtabile, & ex Chriſti inſtitutione confert unctis gratiam, qua abſterguntur reliquiæ peccatorum. Minor etiam conſtat ex illo Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittuntur ei,* ex quibus verbis clarè conſtat Extremam Unctionem eſſe ſignum ſenſibile inſtitutum permanenter cum promiſſione gratiæ, ſiquidem ſignum ſenſibile gratiæ habemus in verbis illis, *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſupra eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Promiſſio gratiæ ſignificatur per verba illa, *& oratio fidei ſalvabit infirmum.* Rurſus hoc ſignum eſſe permanens, conſtat ex verbis illis: *Infirmatur quis in vobis,* quæ verba abſque temporis limitatione omnibus fidelibus utriuſque ſexus dicta eſſe, conſtat ex antecedentibus, & conſequentibus, quæ ad nos æquè ſpectant, ac ad eos, qui tunc vivebant: neque ullum habetur initium reſtringendi verba illa ad ſolos præſentes, ergo extrema unctio, quæ ſolet in eccleſia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, eſt verum Sacramentum, ſiquidem eſt ſignum ſenſibile perpetuum vim habens condonandi peccata, & conferendi gratiam ſanctificantem, hæc enim eſt definitio veri Sacramenti novæ legis, cùm enim extrema Unctio conſtat ex materia ſenſibili, ſcilicèt oleo ſacro, unctione, & præſcripta verborum forma, utique hæc omnia ſunt ſenſibilia, & ſigna gratiæ; eſt etiam hoc ſignum perpetuum, quia unctionis ritum, cujus meminit Sanctus Jacobus non ſolùm primis duobus ſæculis, ut putant Hæretici, ſed ſequentibus ad noſtra uſque tempora fuiſſe in eccleſia ſemper uſurpatum, teſtantur plura Concilia, Sancti Patres, & hiſtoriæ eccleſiaſticæ, imò & ipſa quotidiana praxis, qua ſemper conſueverunt periclitantes de vita hoc ſacro oleo inungi, ut reciperent gratiam non ſolùm abſtergentem reliquias peccatorum, ſed etiam corroborantem vires corporis. Et hanc fuiſſe ſemper veram eccleſiæ catholicæ fidem, ac perpetuam doctrinam, aſſerunt Sancti Patres; etenim Origenes *homil. in Levit.* ait: *Eſt adhuc & ſeptima licèt dura, & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lavat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die, ac nocte, & cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundùm eum qui ait: Dixi, pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. In quo impletur, & illud, quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Alludit Origines ad univerſam fidelium pœnitentiam complectentem ambo Sacramenta pœnitentiæ & extremæ Unctionis, quod à Patribus vocari ſolet conſummatio, & perfectio pœnitentiæ Chriſtianæ ad eum modum, quo Sacramentum confirmationis, dicitur eſſe conſummatio, ac perfectio baptiſmi.

Sancti Patres hanc extremam Unctionem eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum communiter docent; etenim Innocentius I. *ad Decentium* ſcribit: *Sanè quoniam de hoc ſicuti de cæteris conſulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Celeſtinus Diaconus in epiſtola ſua, eſſe à tua dilectione poſitum illud, quod in Beati Jacobi epiſtola conſcriptum eſt (Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Presbyteros & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi peccata fecit, remittentur ei) quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui Sancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo. Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris liceat, non dubium eſt. Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt, cujus eſt ipſum Chriſma conficere. Non pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi.* Innocentius I. igitur, qui ſedit in cathedra divi Petri anno 402. expreſsè aſſerit, hanc unctionem eſſe Sacramentum à D. Jacobo explicatum, & ideo non dari iis, qui non ſunt capaces aliorum Sacramentorum. Rurſus Patres Concilii Nicæni declarârunt, quod tranſacto anno debet Sacerdos benedicere aquam, & oleum, non ſicut fit in baptiſmo, neque ſicut benedicitur chriſma; ſed ſicut oleum infirmorum, unde Patres meminerunt hujus ſacri olei, quo inunguntur infirmi & periclitantes de vita S. Ephrem, qui vixit anno 300. *de vita ſpirituali puncto* 75. ait: *ſi charitatis officio perfungens oleo ægrotantem inungis, fac oculos, manus, linguamque cuſtodias.* Unde nulli poteſt dubium eſſe, quin Sacramentum extremæ unctionis primis illis eccleſiæ ſæculis fuerit infirmis miniſtratum. Tertullianus *lib. de precatorio ad Scapulum Carthaginenſium præſidentem* ait: *Refert Severum Imperatorem per Proculum Chriſtianum oleo illibitum atque curatum.* D. Joannes Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerdotio* ait: *Sacerdotes non ſolum, cùm nos regenerant, ſed poſtea habent poteſtatem indulgendi peccata. Infirmatur quis, inquit Apoſtolus, ex vobis? accerſat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* D. Hieronymus *in vita Hilarionis* ait: *Conſtantiæ Sanctæ fœminæ generum, & filium Hilarium unctione olei morte liberaverat, & Univerſi Agricolæ, & Paſtores à venenatis animalibus, & ſerpentibus percuſſi ad Hilarionem confugerunt, quo benedicto oleo vulnera tangente, certam ſalutem reſumebant.* S. Auguſtinus *in Speculo* verba S. Jacobi referens.

Infir-

Digitized by Google

Infirmatur quis in vobis &c. in præfatione autem libri dixerat: *De his igitur, quæ ita ſunt poſita in literis ſacris, vel jubendo, vel vetando, vel ſinendo, ut etiam nunc, id eſt, tempore Novi Teſtamenti, ad vitam exercendam, moréſque pertineant, hoc opus, quod in manus ſumpſi, componere aggreſſus ſum, ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de Canonicis libris colligam, atque, ut facile inſpici poſſint in unum tanquam ſpeculum congeram.* Cum igitur Sancti Jacobi verba de unctione infirmorum in libro referat, procul dubio exiſtimavit ſua ætate, generatimque tempore Novi Teſtamenti præceptum eſſe infirmis, & vocent Presbyteros, à quibus inungantur, ut per hanc unctionem junctam orationi eorum peccata deleantur, neque quid aliud hoc eſſe poteſt, quàm agnoſcere, & fateri unctionem illam eſſe in Eccleſia, ut ſignum perpetuum, quod habeat vim conferendi gratiam ſanctificantem. Rurſus Auguſtinus *in Tract. de Beatitudine Catholica converſationis* ait: *Qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia confidat Euchariſtiam cum fide, & devotione accipiat, oleumque benedictum ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum ungatur; & ſecundum Apoſtolum oratio ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Et *lib. 2. de inviſat. infirm.* ait: *Effectum hujus Sacramenti exprimit ipſe Jacobus, dum ait: Si in peccatis ſit, dimittentur ei. Materiam deſignavit oleum ſacrum, quibus dandum ſit, Sacramentum inſinuavit, dicens: Infirmatur quis,* innuens, hoc Sacramentum non eſſe miniſtrandum, niſi ſolis infirmis; & alibi ait: *Oleum enim viſibile in ſigno eſt, oleum inviſibile in Sacramento eſt. Oleum ſpirituale intus eſt, oleum viſibile exterius eſt.* Et iterum in alio loco ejuſdem libri ait: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille, qui ægrotat, accipiat: ac inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud, quod ſcriptum eſt, impleatur. Infirmatur quis in vobis.* Venerabilis Beda *in verba D. Marci cap. 6.* ait: *Unde patet, ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctum Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut Energumenus, & alii quilibet ægroti ungantur oleo pontificali conſecrato.* Non deſunt ex Sanctis Patribus, qui verba illa *D. Marci 6. Exeuntes, prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant,* interpretentur de Sacramento extremæ unctionis, verum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 1.* definit, eſſe hic tantùm inſinuationem, ſeu adumbrationem, & figuram quandam hujus æternæ unctionis, non autem eſſe ipſum Sacramentum extremæ unctionis, & ratio hoc idem etiam evincit, quia, quando Apoſtoli ungebant fideles, nondum erant Sacerdotes, quia fuerant Sacerdotio initiati tantùm in ultima cœna, tametſi potuiſſet Chriſtus etiam per non-Sacerdotes Sacramenta conferre, ut fit in Baptiſmo ob neceſſitatem talis Sacramenti. Nihilominus quia Apoſtoli, quoslibet ægrotos, cæcos, & claudos promiſcuè ungebant, quamvis non baptizatos, infertur unctionem illam non fuiſſe Sacramentum, quia hoc non miniſtratur non baptizatis, cum hi nondum ſint Eccleſiam ingreſſi, cujus janua eſt Baptiſmus. Addendum eſt, quod Sacramenta per ſe, ac primariò pertinent ad ſalutem animæ, ſecundariò tantùm, & quaſi per accidens ad ſanitatem corporis, hæc autem unctio conferebatur ad morborum curationem, ut ſanarentur inuncti: ſicut autem cùm Chriſtus variè imponeret manus *Matth. 19.* & alibi non dicitur tunc inſtituiſſe Sacramentum Confirmationis, ſed tantùm illud inſinuâſſe, perinde ut rectè explicat Tridentina Synodus in verbis *Marci 6.* agnoſcitur tantùm quædam hujus Sacramenti adumbratio, ac figura. Sanctus Cyrillus Alexandrinus *lib. 6. de adoratione in Spiritu & veritate* ait: *Tu verò, ſi qua tibi pars corporis dolet, & verè credis hæc verba Dominus Sabbaoth, & alias hujusmodi appellationes, quas DEO, qui ſecundùm naturam eſt, divina ſcriptura tribuit, vim habere putas pellendi malum illud, pro te ipſo preces fundens hæc verba pronuntia: ſic enim rectiùs, quàm illi facies, neque impuris ſpiritibus, ſed DEO gloriam tribues. Commemorabo etiam divinitus inſpiratam ſcripturam, quæ ait: Infirmatus quis in vobis inducat Presbyteros.* Agit Cyrillus contra incantationes, & duo genera remediorum proponit contra illas, ſcilicet orationem, qua Dominus Sabbaoth invocatur; & unctionem, quam Sanctus Jacobus Apoſtolus commendat, & proinde hujusmodi unctio uſitata erat, quinto etiam, illo ſæculo, quo floruit Sanctus Cyrillus: & hæc eadem unctio operabatur remiſſionem peccatorum, & conferebat gratiam abſterſivam reliquiorum peccatorum, ut docet Apoſtolus. Rurſus Sanctus Gregorius Magnus hoc Sacramentum extremæ unctionis oſtendit, in uſu fuiſſe in Eccleſia ſuo tempore, & refert ritum benedictionis olei ad infirmum ungendum, & habetur in officio feriæ 5. in cœna Domini, & in ordine ad viſitandum infirmum, in hoc enim ritu fit mentio unctionis quinque ſenſuum ſub hac verborum forma: *Inungo te oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic Spiritus immundus &c.* in extremis vitæ conſtitutis, ac in mortis periculo adhibitam fuiſſe hanc ſacram unctionem, hæc verba probant: *Et cum languor currat ad exitum, & virium defectus trahit ad occaſum.* Oratur DEUS, ut hac unctione peccati reliquias abſtergat, his verbis: *Ut caſtigationibus emundata continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatam, ut medelam tuam non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Viſcerumque, & cordium interna medica, medullarúmque, & cogitationum, propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos.* Rurſus divinum auxilium rogabatur contra tentationes his verbis: *Ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in anguſtiis, & neceſſitatibus laborantem conſolationibus attollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.* Hanc eandem veritatem docent omnes Sancti Patres, quorum Catalogum texere nimis prolixum foret.

Ratio itidem hoc fidei dogma evincit, etenim ratio, cur in Eccleſia DEI non debuit hoc Sacramentum deeſſe, ex eo deſumitur; quia neceſſitas illius temporis, in quo dæmon, ut hominem perdat, omnes ſuas exerit artes, ac vires procul dubio exigebat, ut in tali periculo fideles novis, ac majoribus præſidiis munirentur, ac illis vires concederentur, quibus Dæmonum aſſultus poſſent ſuperare. Tum quia quoties res aliqua continetur in ſcripturis, & Eccleſia declarat rem illam habere propriam rationem Sacramenti; fide divina tenendum eſt, rem illam verum eſſe Sacramentum, alioquin neque Baptiſmus, neque Euchariſtia dicerentur eſſe vera Sacramenta, ſed res illa, quæ ſignificatur per nomen extremæ unctionis, continetur in ſcripturis, ut conſtat ex verbis *Jacobi 5.* & Eccleſia declaravit, rem illam eſſe verum Sacramentum, conſequenter eſſe

Digitized by Google

certum de fide, extremam unctionem esse verum Sacramentum.

Neque obstat, quod objiciunt Hæretici, hanc extremam unctionem non legi fuisse institutam à Christo, consequenter non posse habere rationem Sacramenti. Contra est, quia Christus revera instituit hoc Sacramentum, quia cum nulla creatura possit signo alicui sensibili, imo nec insensibili dare vim effectivam gratiæ, sequitur hanc vim impertitam fuisse à solo Christo vero DEO & homine extremæ unctioni, quæ est signum sensibile. Præterea hanc institutionem à Christo factam nervosè confirmat certa universalis Ecclesiæ traditio, nunquam interrupta, si enim hæc institutio non fuisset facta à Christo, non perseverasset omnibus sæculis in Ecclesia, vel certè posset assignari tempus, in quo illa primum inceperit: sed hoc tempus non potest assignari, quia perennem hunc usum Ecclesiæ ungendi fideles de vita periclitantes testantur plura Concilia sub initiis Ecclesiæ, ut Nicænum I. *cap.* 69. Cabilonense sub Carolo Magno *cap.* 48. Aquisgranense sub Ludovico Pio *can.* 8. Moguntinum sub Leone IV, *cap.* 26, & demum Florentinum, & Tridentinum.

Si dicas, non constare, quo tempore fuerit hoc Sacramentum institutum. Contra est, quia hoc Sacramentum tunc fuit à Christo institutum, quando instituit Sacramentum pœnitentiæ, quod extrema unctio confirmat; & quamvis, quando *Marci* 6. jubentur Apostoli ungere oleo infirmos, præfigurata fuerit hæc institutio extremæ unctionis, non tamen tunc fuit hoc Sacramentum institutum, quia tunc Apostoli nondum erant Presbyteri, & non poterant administrare hoc Sacramentum: unde illa unctio tantùm ordinata erat ad sanitatem corporis: propterea longè probabilius est, hoc Sacramentum fuisse institutum, quando Christus instituit Sacramentum pœnitentiæ, quia tunc Apostoli erant apti ad illud ministrandum; & licet Christus potuisset illud instituere, ut etiam posset à non-Sacerdotibus ministrari; voluit nihilominus, ut à solis Sacerdotibus ministraretur.

Objiciunt primo Hæretici: Quia unctio, de qua loquebatur D. Jacobus, tantùm erat ad curationem corporis per donum miraculorum, quod tunc erat in Ecclesia: siquidem D. Jacobus loquitur de illa unctione, quæ tunc exercebatur in Ecclesia, & de qua lquitur D. Marcus *cap.* 6. sed hæc unctio erat tantùm ad curationem corporum: ex quibus inferunt, extremam unctionem non esse Sacramentum. Sed contra, quia Apostolus Jacobus loquitur de illa unctione, quâ remittebantur peccata; ait enim: *Et oratio fidei salvabit infirmum; & si in peccatis fuerit, remittentur ei*, unde unctio, de qua loquitur Sanctus Jacobus, non solum ordinabatur ad curationem corporum; sed etiam ad remittendas reliquias peccatorum, consequenter non loquitur de illa communi unctione, de qua fit mentio *Marci* 6. Præterea unctio, de qua loquitur Jacobus, debebat per manus Sacerdotum fieri, ut expressè constat ex ejus verbis; *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum:* secus unctio, de qua loquebatur Marcus, non fiebat per manus Sacerdotum; sed aliorum, qui non erant Sacerdotio initiati: siquidem ungebant multos ægrotos; tum quia Apostoli tunc nondum erant Sacerdotes, cùm tantum in nocte cœnæ fuerint à Christo Sacerdotio initiati, & fuerunt primi legis evangelicæ Sacerdotes. Tum quia unctione illa, de qua loquitur Marcus, utebantur Apostoli ad sanandos infirmos, & indiscriminatim ministrabatur omnibus, tam fidelibus, quàm infidelibus, qui, cùm non essent baptizati, nec erant capaces unctionis, quæ esset Sacramentum; quia Baptismus est janua, per quam ingredimur in Ecclesiam, & extra Ecclesiam non dantur, nec ministrantur Sacramenta: secus unctio, de qua loquitur Sanctus Jacobus, solis fidelibus ministrabatur. Hinc Tridentina Synodus declarat, hanc extremam unctionem fuisse à Christo institutam *tanquam verè, & propriè Sacramentum Novi Testamenti, apud Marcum quidem insinuatum* (ut loquitur sacra Synodus *sess.* 14. *cap.* 1.) *per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum per verba illa: Infirmatur quis in vobis &c. quibus verbis, ut ea Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia dirigit, & docet materiam, & formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti*, & declarat tribus Canonibus hanc doctrinam de extrema unctione instituta à Christo Domino, ut vero Sacramento legis evangelicæ pertinere ad fidei dogma contra Lutherum, & Calvinum, aliosque Sectarios negantes, extremam unctionem esse Sacramentum novæ legis à Christo institutum, in primo enim Canone dicit: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, à Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* In secundo: *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessâsse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.* In tertio: *Si quis dixerit extremæ unctionis ritum, & usum, quem observat Sacra Romana Ecclesia, repugnare sententiæ Beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni, anathema sit.*

Objiciunt secundo Lutherani, & Calvinistæ, quia extrema unctio, quæ à Papistis usurpatur, non est eadem cum illa unctione, de qua loquitur Sanctus Jacobus frater Domini. quia hæc jubetur dari ad sanitatem corporis absolutè conferendam, ut constat ex verbis illis: *Alleviabit eum Dominus, & oratio fidei salvabit infirmum*, & ad remissionem peccatorum nonnisi conditionatè. *& si in peccatis sit, remittentur ei.* E contra unctionis adhibitæ à Papistis finis primarius & absolutus est, remissio peccatorum, & restitutio sanitatum est tantùm finis secundarius, & conditionatus, si expediat saluti animæ. Quinimò ajunt, sanitatem corporis nullatenus per Papistas esse effectum hujus nostræ unctionis: siquidem Sacramenta effectum suum conferunt ex opere, ut ajunt, operato, quo pacto unctio extrema non confert sanitatem, alioquin non morerentur, quicunque extrema unctione delibuti essent. Præterea, quia unctio, de qua loquitur Sanctus Jacobus, omnibus infirmis adhibetur, & unctio, qua utuntur Papistæ, tantùm decernitur adhibenda moribundis. Sed contra, quia sanitas corporis eodem modo est effectus extremæ unctionis Catholicorum, ac illius, de qua loquitur Sanctus Jacobus, est enim hæc sanitas corporea effectus absolutus hujus unctionis, quamvis ab aliquibus exprimatur per particulam conditionalem; est enim sanitas ordinata ad salu-

Digitized by Google

salutem suscipientis, quam omnes ritè dispositi recipiunt, adeo ut, quando eam non recipiunt, id provenit, quia saluti animæ non videtur expedire. Neque obstat, quod primo loco exprimatur restauratio Sanitatis corporeæ: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittuntur ei*, quia ideo primo loco recensetur alleviatio, seu sanitas corporis, quia est effectus magis notus, & quia magis correspondet verbis præcedentibus, quibus Apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis*, vel ob aliam etiam, quemadmodum *Matth.* 19. de illo, qui relinquit patrem, & matrem dicitur: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, illa enim verba: *Centuplum accipiet*, exprimunt mercedem in hac vita reddendam, quæ procul dubio est minus præcipua, quamvis primo loco recenseatur, seu vitam æternam, quæ est merces præcipua, remissio itaque peccatorum in unctione, de qua loquitur Jacobus, est primarius effectus illius, qua etiam utuntur Catholici, cum sit una ac eadem unctio, de qua loquitur Jacobus, & quam adhibent Catholici. Cujus etiam effectus absolutus est remissio peccatorum, tametsi conditionali particula exprimatur à S. Jacobo, *& si in peccatis sit, remittentur*, non enim particula si semper in scripturis conditionem rei dubiæ significat, sed aliquando etiam concessionem rei certæ, sicut *Malach.* 1. dicitur: *Si Pater ego sum, ubi est honor meus, & si Dominus ego sum, ubi est timor meus*, id est, cum ego sim Pater, cur debitum mihi non impenditis honorem, & cum ego sim vester Dominus, cur non me timetis; eodem pacto 2. *ad Thessal.* D. Paulus scribit: *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant*, scilicet cum justum sit: pari pacto S. Jacobus *cap.* 1. ait: *Si quis vestrum indiget Sapientia*, scilicet vos qui estis vestrum indiget Sapientia, quæ locutio est absoluta, quamvis ab Apostolo expressa per particulam *si*: eodem pacto, cum Jacobus cap. 5. ait: *Si in peccatis sit, remittentur ei*, locutio est absoluta, & concessionem rei certæ significat, adeo ut sensus sit, per unctionem in nomine Domini à Sacerdotibus factam dimittentur infirmo peccata, in quibus est, & hunc esse verum sensum verborum Apostoli Jacobi docent communiter Sancti Patres. Neque obstat, quod unctio, de qua loquitur D. Jacobus adhiberetur etiam infirmis non moribundis, quia neque Catholici extremam Unctionem solis moribundis impendunt, sed aliis etiam infirmitate gravi decumbentibus. Neque Tridentina Synodus limitat illam ad solos morituros, ait enim: *Esse hanc unctionem, Infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ videantur constituti.* Neque ex eo quod S. Jacobus dicat: *Inducat Presbyteros*, loquaturque in plurali, plures Sacerdotes ad unctionem extremam administrandam necessario sunt vocandi, quia est valde usitata consuetudo loquendi in scripturis sumendo pluralem pro singulari, ut observat S. Augustinus *lib.* 3. *de consensu Evangelistarum cap.* 16. ubi exponit illud: *Matth.* 27. *Id ipsum & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, & nihilominus S. Lucas hanc improperationem factam fatetur ab uno tantum latrone *cap.* 23. Hinc D. Augustinus ait: *Nisi intelligamus Matthæum, & Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse. Sicut & in epistola ad Hebræos legimus pluraliter dictum. Clauserunt ora Leonum, cùm solus Daniel significari intelligatur. Et pluraliter dictum, Secti sunt, cum de solo Isaia tradatur, in psalmis etiam, quod dictum est, adstiterunt reges terræ, & Principes convenerunt in unum, pluralem numerum pro singulari positum, in Actis Apostolorum exponitur, siquidem Reges propter Herodem, & principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem psalmi adhibuerunt. Sed quia & Pagani solent calumniari evangelio videant, quemadmodum locuti sint Authores eorum, Phedras, Medeas, & Clytemnestras, cum singulæ fuerint. Quid autem usitatius, verbi gratia, quam ut dicat aliquis, & rustici mihi insultant, etiam si unus tantum sit, qui insultet? tunc enim esset contrarium, quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent ambos latrones convitiatos Domino. Ita enim non posset, sub numero plurali unus intelligi. Cum vero dictum est, Latrones, vel qui cum eo crucifixi erant, nec additum est ambo: non solum si ambo fecerunt, posset hoc dici, sed etiam, quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum singularis significari.*

Objiciunt tertio, extremam unctionem non fuisse à Christo institutam, eo quia in evangeliis nulla fiat de hac institutione mentio, sicut enim evangelia aliorum meminerunt Sacramentorum, ita procul dubio etiam hujus, si vere hoc Sacramentum fuisset à Christo institutum. Sed contra, quia tametsi Magister sententiarum, S. Bonaventura, & Hugo à S. Victore, & alii asserant fuisse hoc Sacramentum extremæ unctionis à Christo institutum saltem mediate, quatenus injunxit Apostolis, ut illud nomine Christi instituerent, & per potestatem sibi hanc à Christo concessam, superaddito instinctu Spiritus Sancti hoc Sacramentum instituisse, attamen reliqui omnes Theologi cum D. Thoma *in* 4. *sententiar. dist.* 23. *ad.* 1. docent, fuisse hoc Sacramentum extremæ unctionis à Christo institutum immediatè, & per se ipsum, non verò mediatè, & per Apostolos, quibus concesserit hanc potestatem. Neque ullam facessit negotium, quod in evangeliis nulla fiat expressa mentio hujus institutionis, quia ut docet D. Thomas *loc. cit.* *Multa Dominus fecit, & dixit, quæ in evangeliis non continentur: illa enim præcipuè curaverunt Evangelistæ tradere, quæ ad salutis necessitatem, & ad ordinem ecclesiasticæ dispositionis pertinent: & ideo potiùs institutionem baptismi, & pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & Ordinis à Christo factam narraverunt, quàm extremæ unctionis, vel confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, sive distinctionem ecclesiæ pertinent. tamen etiam de olei unctione fit mentio in evangelio Marci* 9. *ubi dicitur, quod Apostoli oleo ungebant infirmos.* Qua de causa Synodus Tridentina declarat, hoc Sacramentum fuisse à S. Marco insinuatum, seu prænuntiatum, & à S. Jacobo promulgatum, ac anathemate percutit asserentes, hoc Sacramentum extremæ unctionis, non fuisse à Christo institutum *sess.* 14. *can.* 1. *Si quis dixerit extremam unctionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Objiciunt quarto Sectarii, quia ritus ille, cujus nulla mentio occurrit apud Sanctos Patres, qui floruerunt quatuor primis Ecclesiæ sæculis, etiam cùm accurate sacros Ecclesiæ ritus & Sacramenta exponunt,

abſolutionem in migrantibus ex hac vita, ideo quibus concedebatur abſolutio, ſupponebatur etiam data extrema unctio, ut complementum pœnitentiæ, quapropter non erat opus, ut illius mentio fieret. Rurſus quia non nulli ſtatim, poſt ſuſceptum baptiſma obierunt, propterea Sacramentum extremæ unctionis non ſuſceperunt, eo quia perbreve tempus illud baptiſmalem cuſtodierunt innocentiam, hinc fortaſſis Conſtantinus Magnus, qui paulò ante obitum baptiſmum ſuſceperat, ut narrat Euſebius *lib. 4. de ejus vita.* unctionem extremam, opus non fuerat, ut ſuſciperet. Rurſus extrema hæc unctio iis non poteſt adhiberi, qui ex tempore decedunt, ſeu morte ſubitanea intercipiuntur ſine prævia ægritudine, qua morte ex hac vita migrarunt S. Joannes Chryſoſtomus, S. Paulus Eremita, Simeon Stilites, Parlaam, Joſaphat, Paphnutius & plures alii, ut referunt, qui eorum vitas ſcripſerunt, qui propterea non potuerunt meminiſſe, hujus extremæ unctionis ab iiſdem ſuſceptæ. Quod verò moris fuerit, ut extrema unctio miniſtraretur conſtitutis in mortis diſcrimine, conſtat ex Nicæna Synodo *can. 13.* ubi habetur: *De his, qui ad exitum veniunt etiam nunc lex antiqua, & regularis ſervabitur, ita ut, ſi quis egreditur à corpore ultimo, & neceſſario Viatico minimè privetur.* Unde quamvis Gregorius Nazianzenus in vitis Sororis Gorgoniæ, & Gregorii Patris & Baſilii; Gregorius Niſſenus in vitis Gregorii Neocæſarienſis, Ephremi, & Macrinæ Sororis. S. Ambroſius Orationibus de obitu Satyri fratris, & Theodoſii Auguſti; Severus Sulpitius in vita S. Martini; S. Hieronymus in vitis Nepotiani, & Marcellæ S. Auguſtinus in deſcriptione mortis S. Monicæ Matris, & Poſſidius in obitu S. Auguſtini nullius ſuſceptæ extremæ unctionis meminerint, adhuc ſupponebatur tunc hoc Sacramentum miniſtratum, quia ex praxi Eccleſiæ morituris adminiſtrabatur. Præterea neque meminerunt ſuſcepti viatici Euchariſtiæ, tametſi etiam hoc Sacramentum fuerit illis miniſtratum. Unde ex ſilentio illorum Authorum, non rectè colligitur homines pientiſſimos, quorum tranſitum ex hac vita deſcribunt, non fuiſſe Euchariſtiæ viatico munitos, ita neque rectè infertur, eos extrema unctione inunctos non fuiſſe, quia illius non meminerint.

CAPUT II.

De Materia, & forma Extremæ Unctionis.

CUm extrema unctio definiatur eſſe Sacramentum, ex unctione olei olivæ ab Epiſcopo benedicti, & oratione Sacerdotis ad conferendam homini infirmo, & de vita periclitanti ſalutem mentis, vel etiam corporis ex Chriſti inſtitutione, ideo explicandæ ſunt partes, ex quibus hoc Sacramentum conſtituitur, ſeu quænam ſit materia, & quæ forma hujus Sacramenti. Duplex eſt materia hujus Sacramenti, remota, & proxima, illa eſt oleum ab Epiſcopo benedictum & deſumitur, ex S. Jacobi *cap. 5. ungentes eum oleo,* quod etiam declaratum fuit in Concilio Florentino in decreto unionis, & in Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 1. de extrema unctione:* quamobrem materia remota hujus Sacramenti eſt oleum propriè dictum, ſeu expreſſum ex olivis. Quod etiam declaravit Concilium Florentinum, quia, cùm dicitur oleum, ex communi modo loquendi ſignificatur ſolum, quod ex olivarum baccis exprimitur. Præterea, quia hoc oleum aptiſſimum eſt, ad ſignificandum varios hujus Sacramenti effectus, ſiquidem oleum dolores mitigat, ægritudinem lenit, hilaritatem adfert, robur membris conciliat, eſtque luminis pabulum, & in ſcripturis pinguedinem ſpiritus, & gratiæ præſignificat, quapropter Theophylactus *in cap. 6. Marci: Sicut oleum ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis eſt effectivum: ita & Dei miſericordiam & gratiam S. Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatemque Spiritualem, quam accipimus, ſignificat.* Præterea oleum ex baccis olivarum expreſſum eſſe aptiſſimam, hujus Sacramenti materiam, aſſerit Catechiſmus Concilii Tridentini, inquiens: *Aptiſſimè autem hæc materia ſignificat illud, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit; ita Sacramenti virtus animæ triſtitiam, ac dolorem minuit. Oleum præterea ſanitatem reſtituit, hilaritatem adfert, & lumini tanquam pabulum præbet: dum verò ad recreandas defatigati corporis, vires maximè accommodatum eſt. Quæ omnia quid in ægroto divina virtute, per hujus Sacramenti adminiſtrationem efficiatur, declarant.* Hoc idem etiam oſtendit D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncul. 1.* inquiens: *Spiritualis curatio, quæ in fine adhibetur, debet eſſe perfecta; quia poſt eam alia non relinquitur; & lenis, ut ſpes, quæ exeuntibus maximè neceſſaria eſt, non frangatur, ſed foveatur, oleum autem lenitivum eſt, & penetrativum uſque ad intima, & etiam diffuſivum; & ideo eſt conveniens materia Sacramenti.* Quod autem hoc oleum debeat eſſe benedictum conſtat ex Sanctis Patribus, & Conciliis, & ex Eugenio IV. pro inſtructione Armenorum, & ex Concilio Tridentino; & ratio, cur hæc ſanctificatio requiratur, triplex aſſignatur à D. Thoma *loc. cit. quæſtiuncula 2.* Quarum prima eſt, quia omnis efficacia Sacramentorum à Chriſto deſcendit, ideoque Sacramenta, quibus ipſe eſt uſus, habent efficaciam ex ſuo uſu, ſicut tactus ſuæ carnis vim regenerativam contulit aquis: ſed hoc Sacramento non eſt uſus, nec aliqua corporali unctione, & ideo in omnibus unctionibus requiritur ſanctificatio materiæ. Secunda eſt, propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non ſolùm, ut culpam tollat, verùm etiam, ut reliquias, & infirmitatem corporis. Tertia quòd effectus ejus corporalis, ſeu ſanitas corporis non cauſatur ex materia naturali proprietate; & ideo oportet, quod hæc efficacia per benedictionem, ac ſanctificationem ei detur. Verùm hæc benedictio eſt tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti eccleſiaſtici, non Sacramenti, quia ad ejus ſubſtantiam benedictio non videtur pertinere, adeo ut valida debeat cenſeri extrema unctio, ſi non fieret ex oleo benedicto, neque per verba illa: *in nomine Domini,* ſignificatur olei benedictio, ſed tantùm, quòd oratio debeat fieri authoritate Chriſti. Ratio itidem cur oleum ex olivarum baccis expreſſum debeat eſſe materia hujus Sacramenti, & congruum itidem eſt, quod ſit benedictum, quia cum materia extremæ unctionis elevari debeat, ſicut materia confirmatio-

 nis

Digitized by Google

nis, ad cauſandam gratiam, conſentaneum eſt, ut prius ab Epiſcopo benediceretur, & conſecraretur, perinde ac materia confirmationis. Neque eſt eadem ratio de materia Baptiſmi, quæ non exigit priùs neceſſariò conſecrari, idque ob ſummam hujus Sacramenti neceſſitatem, ne ſcilicet defectu conſecrantis, ſæpe homo privaretur æterna ſalute: Secus cùm Sacramentum extremæ unctionis non ſit tantæ neceſſitatis, ſicut baptiſmus congruum erat, ut ejus materia benediceretur, hinc oleum, ut eſt materia remota Sacramenti extremæ unctionis debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, præſertim in eccleſia Occidentali, ut docent Innocentius I. *epiſtola ad Decentium*, S. Gregorius *in Sacramentario.* Venerabilis Beda *in epiſt. S. Jacobi*, & plura Concilia, præſertim Tridentinum, rationem etiam adfert D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncul. 13.* ubi ait: *Miniſter Sacramenti non propria virtute effectum Sacramenti inducit, ut principale agens, ſed per efficaciam Sacramenti, quod diſpenſat, quæ quidem efficacia primò eſt à Chriſto, & ab ipſo in alios deſcendit ordinatè, ſcilicet in populum mediantibus Miniſtris, qui Sacramenta diſpenſant: & in Miniſtros inferiores mediantibus ſuperioribus, qui materiam ſignificant. & ideo in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia ſanctificata, prima ſanctificatio materiæ fit per Epiſcopum, & uſus quandoque per Sacerdotem, ut oſtendatur Sacerdotalis poteſtas ab Epiſcopali derivata. Secundùm illud Pſal. 132. Sicut unguentum in capite, quod prius deſcendit in barbam, deinde uſque ad oram veſtimenti.* Debet autem hoc oleum, quod eſt materia remota hujus Sacramenti eſſe benedictum ab Epiſcopo in Eccleſia Occidentali, quia in Orientali ipſi Sacerdotes oleum benedicunt in ipſa Sacramenti extremæ unctionis adminiſtratione, ut conſtat ex Euchologiis in officio olei ſancti; quem ritum approbavit Clemens VIII. in inſtructione directa ad Epiſcopos Græcos, ubi ait: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta, præter chriſma ab Epiſcopis Latinis diœceſanis accipere: cùm ejuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.* Major difficultas eſt, an materia extremæ Unctionis poſſit eſſe chriſma, quale eſt materia confirmationis. Certum eſt, ex praxi præſentis eccleſiæ oleum infirmorum, quod eſt purum oleum, differre ab oleo Catechumenorum, & à chriſmate, ſed in antiquioribus ſæculis oſtendunt plures, præſertim Suarez, Henriquez, & alii, Chriſtianos fuiſſe uſos eodem chriſmate, ad utrumque Sacramentum confirmationis, & extremæ unctionis, & id etiam colligitur *ex epiſtola 9.* Gregorii Magni *ad Januarium lib. 3. Regiſtri.* quapropter valde probabile eſt, materiam illam poſſe ſufficere, cùm modicum tantùm balſami ei ſoleat ſuperaddi, ne deperdat nomen olei. Peccaret tamen lethaliter, qui abſque neceſſitate ab uſu communi Eccleſiæ nunc diſcederet, quamvis iterari non deberet Sacramentum. Quòd verò hoc oleum ex neceſſitate non ſolùm præcepti, ſed etiam Sacramenti debeat eſſe benedictum, & conſecratum, conſtat nunc ex praxi Eccleſiæ.

Materia proxima hujus Sacramenti, eſt ipſa unctio in quinque ſenſoriis, ſed non eſt neceſſaria unctio ſaltem ſimpliciter pedum, & renum, quamvis non deſint, qui cenſeant probabile eſſe in caſu neceſſitatis ſufficere unicam tantùm unctionem, factam in uno ſenſorio, prolata tamen integra forma, quæ eſt: *Per iſtam Sacram unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti.* Cæterum, quod debeant ungi ſenſoria, eſt certum de fide, quia ex iis omnibus oriuntur peccata, ut ex fontibus corruptis, non tamen eſt abſolutè neceſſe ungere duos oculos, & ambas aures, ſed unctio unius ſufficit, & in iis, qui manu carent, ſufficit, ſi ungatur pars vicinior, ut etiam in iis, qui à nativitate fuerunt cæci, ſufficit, ſi ungatur cavitas illa, in qua ſolent oculi reſidere. Neque inde ſequitur in hiſce caſibus falſificari formam Sacramenti, quia quamvis cæcus à nativitate, per actum externum illius ſenſus non peccaverit, potuit nihilominus peccatum internum commiſiſſe circa illum, ut ex deſiderio inordinato videndi. Præterea unctionem pedum, & renum non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ex eo conſtat, quia unctio in iis partibus ſolet in fœminis omitti; in Sacerdotibus non ungitur palma manus, ſed vel infra palmam, vel exterios pars manus: Quòd verò in neceſſitate poſſit ſufficere unica tantùm unctio prolata tota forma docent plures, ut Scotus, Medina, Paludanus, & alii, & nituntur, quia Sacra Scriptura exigit tantùm unctionem. Apud Græcos unctio adhibetur in fronte, genis, mento, & manibus referente Simeone Theſſalonicenſi *lib. de Sacramentis*, ſed nunc Græcos inungere prætereà pectus, & pedes, refert Arcadius. In Occidente verò, ut dixi, fit in quinque ſenſibus, ut refert D. Gregorius in Sacramentario, & additur unctio pedum, & etiam renum, & D. Thomas in 3. *ſententiar. diſt. 23. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncul. 2.* aſſignat rationem, eo quia triplex ſit in nobis potentia, ſeu peccandi principium, ſcilicet potentia cognoſcendi, potentia appetendi, & potentia exequendi. Facultatum, quibus cognoſcimus, prima origo eſt in quinque ſenſibus, vis concupiſcendi in renibus, vis exequendi in pedibus, quibus videlicet ad bonum, vel malum progredimur: & quia prima origo peccati eſt in ſenſibus; ideo illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus quaſi de neceſſitate Sacramenti, ſed quidam non ſervant alias: quidam verò illam ſervant, quæ ad pedes, non quæ ad renes, quia appetitiva, & motiva ſunt ſecundaria principia. Cæterum, ut dixi, non eſt neceſſaria unctio renum, neque neceſſitate Sacramenti, neque univerſim neceſſitate præcepti, cum nec fœminis propter pudorem adhiberi ſoleat, nec in omnibus Eccleſiis uſurpetur.

Neque urget, ſi dicas, Concilium Florentinum ſeptem enumerare unctiones, quia certum eſt, illas duas unctiones ad pedes, & renes non eſſe in fœminis neceſſarias etiam ex præcepto, & Serarius cap. 10. oſtendit, in Eccleſia olim unicam tantùm fuiſſe unctionem adhibitam. An verò ſit neceſſe, ut unctio fiat immediatè, per manus Sacerdotis, reſpondent plures cum Suarez *diſput. 44. ſeſſ. 3. num.* 10. id non eſſe neceſſe, & tempore peſtis poſſe Sacerdotem uti virgula, cujus miniſterio infirmum ungat. Quòd ſi Sacerdos ungens infirmum moreretur, antequam perficeret unctio-

Digitized by Google

unctionem in hoc caſu deberet alius Sacerdos perficere, quod deeſt, nec eſſet neceſſe ea repetere, quæ prius dicta ſunt. An verò unctio ita ſit facienda, ut deſcribatur figura crucis, reſpondetur negativè, quia D. Jacobus referens inſtitutionem hujus Sacramenti, ſolùm ſignificat, ungendum eſſe infirmum oleo, & Concilia, & Patres circa hoc nihil ſtatuerunt.

Quòd ſi dicas, in Sacramento confirmationis debere figura crucis neceſſariò deſcribi, eſt etiam diſpar ratio, quia in extrema unctione non unguntur fideles, ſicut in confirmatione, tanquam quam milites Chriſti, ad portandam ejus crucem coram tyrannis, ſed tantùm tanquam infirmi, ad recuperandam ſalutem; hæc enim ratio eſt, cur in Sacramento confirmationis, per unctionem deſcribatur figura crucis, non verò id neceſſarium ſit in Sacramento Extremæ Unctionis.

Forma hujus Sacramenti extremæ unctionis, ſunt verba illa à Sacerdote ungente infirmum prolata: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti, per viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quòd ſi dicas, S. Jacobum in ſua epiſtola *cap. 5.* non præſcribere hanc formam, ſed tantùm aliquas preces, ait enim Apoſtolus: *Et orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum*, quia ex hiſce verbis tantùm infertur, formam precationis eſſe proferendam, non verò quod forma ſint talia determinata verba, quæ Sacerdos debeat repetere, ad ſingulas unctiones ſcilicet: *per iſtam ſanctam unctionem indulgeat tibi Deus &c.* Sed contra quia tametſi Apoſtolus, id non expreſſerit, quibus potiſſimum verbis ſit hæc forma concipienda, nihilominus hæc forma promanavit ad nos ex fidelium Patrum traditione, adeò ut omnes Eccleſiæ hanc formæ rationem retineant, qua Mater, & Magiſtra Eccleſia Catholica Romana utitur, neque obſtat, quod aliqui nonnulla verba immutent, quia nulla fit ſententiæ immutatio, & conſtat eandem ab omnibus formam religioſè ſervari. In eccleſia Orientali apud Græcas forma eſt purè deprecatoriè, ut patet ex Euchologio, referente Neophyto Rhodino in ſua ſynopſi vernacula edita Romæ in collegio de propaganda fide, & approbata. Olim itidem forma ex abſoluta deprecatoria mixta erat, ſed abſoluta oratio potiùs erat diſpoſitio ad formam, quàm ipſa forma, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncul. 2. ad 3.* ubi ait: *Verba illa indicativi modi, quæ ſecundùm morem quorundam præmittuntur orationi, non ſunt forma hujus Sacramenti, ſed ſunt quædam diſpoſitio ad formam, in quantum intentio Miniſtri determinatur ad actum per illa verba.* Quo pacto in Sacramentario S. Gregorii abſoluta oratio deprecatoriè annectebatur hoc pacto: *Inungo te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Operare creatura olei, & in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic Spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Dei altiſſimi, & Spiritus S. per eundem &c.*

Neque debet mirum videri, ſi aliqua mutatio fuerit in hac forma facta, & precatione quadam abſolvatur forma hujus Sacramenti, cùm forma Sacramentorum alias abſolutè ſignificet, quod efficit, ut cùm dicimus: *Ego te baptizo, ſigno te ſigno crucis*, & in Sacramento Ordinis: *Accipite poteſtatem*, nam in hoc Sacramento Extremæ Unctionis optimo jure conſtitutum eſt, nam cùm hoc Sacramentum adhibeatur, ut præter Spiritualem gratiam, quam tribuit, ſanitatem itidem reſtituat ægrotis, tamen quia non ſemper ſequitur, ut ægri à morbis convaleſcant, hac de cauſa forma deprecatoriè hujus Sacramenti profertur, ut à Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis conſtanti & perpetuo ordine efficere non ſolet, ut obſervat Catechiſmus Concilii Tridentini. D. Thomas itidem plures addit rationes, cur forma hujus Sacramenti in modum precationis proferri debeat, ait enim *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncul. 3. Quia ſuſcipiens hoc Sacramentum eſt viribus propriis deſtitutus, unde indiget orationibus ſublevari. Secunda, quia datur exeuntibus, qui jam deſinunt eſſe de foro eccleſiæ, & in ſolius Dei manu requieſcunt; unde & ei per orationem committuntur. Tertia eſt, quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui ſemper ex operatione miniſtri conſequatur omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti ritè peractis, ſicut character in baptiſmo, & confirmatione, & tranſubſtantiatio in Eucharіſtia, & remiſſio peccati in Sacramento Pœnitentiæ exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus Sacramenti: & ideo in hoc Sacramento non poteſt eſſe forma indicativi modi, ſicut in prædictis Sacramentis.* Forma verò perquam conveniens eſt illa, quam adhibet eccleſia Romana: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus &c.* quæ repetitur in ſingulis quinque ſenſibus, quia in hac forma exprimitur Sacramentum, cum dicitur: *Per iſtam Sanctam Unctionem*; & etiam id quod operatur in hoc Sacramento, eſtque divina Miſericordia; *& ſuam piiſſimam miſericordiam*: imò etiam effectus Sacramenti, eſtque remiſſio peccatorum, per verba illa: *Indulgeat tibi Deus*: neque neceſſe eſt, ut in forma hujus Sacramenti exprimatur corporis ſanitas, quia ſufficit, ſi exprimatur effectus primarius, qui eſt remiſſio peccatorum, ſeu ſanitas animæ, quæ in homine eſt pars præcipua, hic enim effectus ſemper habetur, eſtque præcipuus, niſi adſit obex ex parte recipientis: ſecus ſanitas corporis non ſemper ſequitur.

Quamvis ab Eccleſia tot adhibeantur diſtinctæ unctiones, quot in homine diſtinguuntur ſenſus, & quidem in organis quinque ſenſuum; neque poſſit ulla omitti abſque gravi peccato: nihilominus quoad ſubſtantiam Sacramenti una tantum ſufficeret, quia per hanc unicam ſatisfit præcepto Chriſti promulgato per S. Jacobum in ſua Epiſtola *cap. 6.* ſicut enim per unicam abſolutionem ſatisfit præcepto Chriſti: *baptizantes eos*, ita per unicam unctionem: *ungentes eum oleo.* Et plura ritualia approbant, ut per unicam unctionem tempore peſtis ungantur periclitantes de vita, ne Miniſter periculum incurrat peſtem contrahendi. Cæterum oleum, quo inunguntur infirmi, non debet alteri liquori admixtum eſſe, quia ſi per eam admixtionem olei natura mutaretur, nullum eſſet hoc Sacramentum, ſin autem valde modica eſſet admixtio, illicita quidem eſſet, & graviter peccaret, qui chriſma, vel alium peregrinum liquorem,

quam-

Digitized by Google

quamvis in modica quantitate oleo infirmorum admiſceret, vel eo ſic mixto infirmum ungeret, tamen quia non mutaretur olei natura, adhuc hoc Sacramentum ſortiretur ſuum valorem, & effectum. Materia enim & forma Sacramentorum mutari ex induſtria non poſſunt, nec leviter, nec quoad accidentia, quia hæc mutatio adverſatur inſtitutioni à Chriſto factæ, & eſt contra eccleſiæ diſciplinam, ac reverentiam debitam Sacramentis, propterea non excuſaretur à gravi peccato, qui peregrinum liquorem, vel chriſma, quamvis in modica quantitate oleo admiſceret extremæ Unctionis. Quòd ſi oleum ab Epiſcopo benedictum deficeret, tunc poſſet modicum oleum, non conſecratum admiſceri conſecrato, & eo infirmus inungi, ut habetur *ex cap. Quod in dubiis. tit. de conſecrat. Eccleſ.* ubi dicitur: *Nec negamus, quin oleum, non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri.*

Cæterum ſummus Pontifex poteſt concedere, ut hoc oleum à ſimplici Presbytero benedicatur, quia cum in eccleſia Orientali benedicatur à Presbyteris, in ipſa hujus Sacramenti adminiſtratione poteſt Romanus Pontifex, hanc benedictionem concedere ſimplici Sacerdoti. Quòd ſi Sacerdos loco olei infirmorum, ad ægrotum ungendum adhiberet chriſma, vel oleum catechumenorum, tunc deberet iterare unctionem, & adhibere oleum ſacrum proprium infirmorum, & repetere formam, ut tradit S. Carolus in ſuis inſtructionibus de extrema unctione, ubi etiam declarat in mutilatis eſſe inungendas partes viciniores organis ſenſuum, ut etiam docet D. Thomas *in 4. ſentent. diſt. 26. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 3.* inquiens: *Mutilati inungi debent, quanto propinquius eſſe poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat, quia tametſi non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur ſaltem in radice, & interius peccare poſſunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.* Iis qui non ſunt Sacerdotio initiati, manus à parte interiori inungi debent, ſecus verò Sacerdotibus à parte exteriori, quia in parte interiori jam manus fuerunt unctæ in ſacra ordinatione. Rurſus in ungendis oculis, & aliis membris, quæ in homine paria ſunt, debet Miniſter utrumque membrum ita inungere, ut utriusque unctionem ſolvat ſub una tantùm verborum formula, quamvis duas cruces deſcribat in utroque oculo, & prius ungat dexterum, deinde ſiniſtrum, ait enim S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, de extrema unctione crucem eſſe ſacro oleo imprimendam membro, quod ungitur, ut inde diſcamus, hæc dona nobis concedi ex meritis crucis, & paſſionis Domini, & ut hoc ſignum crucis deferamus ad Chriſti tribunal, ut oſtendatur nos conſtanter ſub crucis vexillo, usque ad mortem pugnâſſe.

Non tamen pertinet ad quemlibet Sacerdotem, hoc Sacramentum extremæ unctionis adminiſtrare, quia id officii convenit tantùm proprio Paſtori, ſeu Epiſcopo, vel Parocho, vel cui illi facultatem conceſſerint adminiſtrandi hoc Sacramentum, ut declarat Catechiſmus Concilii Tridentini *part. 2. de Sacramento extremæ unctionis* §. 27. ubi habetur: *Neque tamen ex ſancta Eccleſiæ decreto cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſtori, qui juriſdictionem habeat, ſive alteri, cui ille hujus muneris poteſtatem fecerit, hoc Sacramentum adminiſtrare licet*; hinc Sacerdotes regulares extremam unctionem ulli ſæculari infirmo adminiſtrare non poſſunt absque licentia Parochi, vel Epiſcopi illius, alioquin graviter peccant, & excommunicationem incurrunt, ut habetur *in Clement. 1. de privilegiis*, & *Clement. dudum. tit. de ſepulturis.* Deficiente autem Parocho, & quavis alio habente poteſtatem ab Epiſcopo, tunc quilibet Sacerdos etiam Regularis poteſt hoc Sacramentum licitè adminiſtrare, quia quilibet Sacerdos poteſtatem habet abſolvendi ab omnibus peccatis, & cenſuris conſtitutos in mortis articulo, ita conveniens erat, ut in hoc caſu haberet etiam poteſtatem adminiſtrandi hoc Sacramentum extremæ unctionis, ut ſaluti conſulatur proximi præſertim, cùm hoc Sacramentum ſit complementum pœnitentiæ, ne fortè moribundi hoc beneficio carentes æterna deſtituantur ſalute, ut poſſet contingere, ſi ægrotus aliqua peccata mortalia haberet remittenda, vel ſi non confirmaretur hoc Sancto oleo, contra aſſultus Dæmonis in ultima illa lucta.

Hinc non eſt neceſſe expectare ultimum vitæ extremum, ut adminiſtretur hoc Sacramentum, ſed ſufficit, ſi periculum vitæ immineat, vel periculoſa ægritudine quis laboret, quia nec S. Jacobus, nec Sancti Patres, qui promulgarunt, & explicârunt hanc ſacram unctionem extremam, cenſuerunt, infirmum debere eſſe morti proximum, ut inungatur, ſufficit igitur ad hoc Sacramentum miniſtrandum, ſi ægrotus ex Medici judicio periclitetur de vita, vel poſſit aliquod obtingere Symptoma, quo ſtatim poſtea moriatur, hinc Sanctus Cyrillus Alexandrinus, & venerabilis Beda aſſerunt, poſſe hoc Sacramentum miniſtrari graviter decumbenti, ut ſanitati corporeæ reſtituatur. Unde poteſt conferri nondum deſperata decumbentis valetudine, alioquin ſi ſemper eſſet expectandum ultimum vitæ extremum, quando ægrotus eſt jamjam animam acturus, non poſſet hoc Sacramentum effectum ſuum ſecundarium exſerere, ſeu ſanitatem corporis reſtituere, niſi perraro; non enim extrema unctio operatur hunc ſecundum effectum, ſeu ſanitatem per modum miraculi, ſed virtute ordinaria ſupernaturali, quæ corroborat cauſas naturales. Idque confirmat D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 2.* ubi ait: *Hoc Sacramentum eſt ultimum remedium, quod poteſt eccleſia conferre, quaſi immediatè diſponens ad gloriam, & ideo illis tantùm infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc, quòd ægritudo nata eſt mortem inducere, & de periculo timetur.* Unde ex D. Thoma ſufficit, ſi timeatur de periculo, hinc conſultius ſemper eſt Sacramentum extremæ unctionis adminiſtrare, dum æger integris eſt ſenſibus, ut percipiat, ac plenè cognoſcat Sacramentum, quod recipit, & ut vires corporis poſſint in ipſo corroborari, quapropter miniſtratio hujus Sacramenti non eſt differenda, donec æger omnibus ſenſibus ſit deſtitutus, quia tunc fruſtraretur ſaltem, ut plurimum ſuo effectu ſecundario, qui eſt corroborare languentis corporis vires, & perſæpe mors poſſet unctionem prævenire, unde ſemper conſultius eſt, ut tempeſtivè adminiſtretur, adeo ut infirmus mente adhuc integra poſſit cognoſcere hujus Sacramenti efficaciam, ut injungit S. Carolus Parochis in ſuis inſtructionibus de Sacramento extremæ unctionis, ubi ait: *Miniſtrabit autem, dum æger integris ſenſibus eſt. Quòd ſi aliqua morbi vi infirmus*

Digitized by Google

infirmus oppreſſus dubitatur, vivusne ſit, an mortuus, tunc diligenter de hoc ſacerdos videbit, conſulto etiam Medico, ſi in tanta temporis brevitate poteſt. Si non poteſt, & in dubio eſt, utatur ea conditione, ſi es vivus, per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus. Quòd ſi infirmus in eo ſtatu ſit, ut Spiritum videatur exhalaturus, antequam Sacramenti hujus adminiſtrationem Parochus abſolvere poſſit, tunc pſalmis, & litaniis prætermiſſis ſtata verborum formula, ſingulas corporis partes, quas ungi ritus expoſtulat, innunget, ſi quæ ſuperſtes erit, tunc ſtatim reliquas preces, litaniaſque adhibebit. Si verò dum ungitur, Spiritum emiſerit, tunc Parochus ungere deſiſtet; hactenus S. Carolus.

Furioſis autem, & amentibus, qui non habent lucida intervalla, non eſt adminiſtrandum hoc Sacramentum extremæ unctionis, quia ut docet D. Thomas *loc. cit. quæſtiunc.* 3. ad effectum hujus Sacramenti ſuſcipiendum plurimum valet devotio ſuſcipientis, & perſonale meritum conferantium, ac generale totius Eccleſiæ; idque patet per hoc, quod per modum deprecationis forma hujus Sacramenti confertur; ideoque illis, qui non poſſunt cognoſcere, nec cum devotione debita ſuſcipere, hoc Sacramentum dari non debet, & præcipuè furioſis, & amentibus. Infirmis tamen qui dum erant ſanæ mentis, hoc Sacramentum petierunt, vel eſt veroſimile, quod petierint, quamvis poſtea in amentiam inciderint, vel ratione, & ſermone uti deſierint, debet miniſtrari, ut etiam aſſerit S. Carolus in ſuis inſtitutionibus. Pueris tamen hoc Sacramentum non miniſtratur, quia cum non peccaverint, ante ſeptennium non congruit illis forma hujus Sacramenti. Præterea quia hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in ſuſcipiente, ſicut & Euchariſtia, hinc ſicut Euchariſtia non datur pueris, ita, neque hoc Sacramentum, quod non datur contra reliquias peccati originalis, ſed tantum actualis. Mulieribus itidem in partu laborantibus, niſi ſint ex contracta ægritudine conſtitutæ in mortis periculo, non miniſtratur hoc Sacramentum, quamvis in frequenti vitæ diſcrimine verſentur: eò quia tunc non cenſentur parturientes periculosè ægrotare. Hinc neque hoc Sacramentum eſt miniſtrandum navigantibus, peregrinantibus, capite damnatis, quia ſubjectum proprium hujus Sacramenti eſt periculosè ægrotus, ac conſtitutus in vitæ periculo, & navigantes, peregrinantes, & damnati ad violentam mortem ſubeundam non ſunt ægroti, conſequenter ipſis non miniſtratur hoc Sacramentum extremæ Unctionis. Poteſt tamen extrema unctio adminiſtrari ſenio confectis in diem morituris, tametſi nulla alia laborent ægritudine, quia extrema ſenectus per ſe morbus eſt, & quidem periculoſus, & poſſunt vires ſtatim deficere, hinc plura Concilia jubent Sacramentum hoc adminiſtrari ſenio confectis tametſi leviter tantum laborent.

Poteſt etiam extrema unctio in eadem infirmitate repeti, ſi convaleſcat, & poſtea idem periculum incidat infirmus, quia, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 33. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc. 2. Hoc Sacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum; quia non debet dari niſi infirmis, qui ſecundum humanam æſtimationem videntur morti appropinquare: quænam ergo infirmitates non ſunt diuturnæ, unde ſi in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum ſtatum perveniat, ut ſit in periculo mortis, non recedit à ſtatu illo, niſi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi, ſed ſi recidivam patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quænam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut hectica & hydropiſis, & hujuſmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis, & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam infirmitatem reducatur, iterum poteſt inungi, quia jam eſt quaſi alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter.* Hoc tamen Sacramentum non poteſt adminiſtrari infirmo, niſi poſt confeſſionem peccatorum ſuorum, & poſt viaticum corporis Chriſti, ſi poſſit illud recipere, quia qui Sacramenta ſuſcipit, neceſſe eſt purgatam habeat conſcientiam, quia effectus Sacramenti eſt, cauſare gratiam in ſuſcipiente, & nihil magis impedit hanc Sacramenti gratiam, quàm mortiferi alicujus peccati conſcientia, proinde tenetur moribundus, antequam inungatur, confiteri, & omnia ſua peccata ſubjicere clavibus Eccleſiæ cum vero, & ſincero dolore. Et quamvis hoc Sacramentum extremæ unctionis non ſit ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium, ſunt tamen peccati lethalis rei, qui moniti recuſant, vel differunt hoc Sacramentum ſuſcipere, ſi id fiat in contemptum Sacramenti, quia poteſt contingere, ut poſt abſolutionem, & Euchariſtiam perceptam ægrotus in peccatum aliquod lethale lapſus fuerit, quod memoriæ non occurrat, ut illud confiteatur, tunc enim beneficio Unctionis vel ut medio ordinario daretur, & remittitur.

CAPUT III.

De Effectu, & Miniſtro hujus Sacramenti.

ASſerendum eſt, proprium, & primarium hujus Sacramenti effectum eſſe, tollere reliquias peccatorum, ſeu cauſare gratiam, qua hujuſmodi reliquiæ tollantur, ut declaratur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *de Sacramento Extremæ Unctionis*, ubi loquens de effectibus hujus Sacramenti ait: *Gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint, adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit.* Quid verò per reliquias peccatorum intelligatur, Theologi inter ſe diſſident. Alii enim per reliquas peccatorum intelligunt peccata, quæ interdum relinquuntur in anima poſt confeſſionem, & communionem infirmi, vel quia per inadvertentiam omiſſa fuerint in confeſſione, vel quia poſt illam, & viatici ſumptionem fuerunt commiſſa: ex quo inferunt, gratiam remiſſivam horum peccatorum eſſe proprium, ac primarium effectum hujus Sacramenti.

Alii per reliquias, peccatorum intelligunt peccata venialia nondum remiſſa, adeo, ut gratia remiſſiva venialium ſit primarius effectus hujus Sacramenti. Alii demum dicunt reliquias peccatorum nihil aliud eſſe niſi torporem quendam, & languorem ad bene operandum, & cauſatum partim ex præcedentibus peccatis mediantibus pravis habitibus, ac diſpoſitionibus relictis ex peccato, & partim ex ipſa corporis infirmitate, vel ex præcedentium peccatorum recordatione, & imminentis mortis propinquitate, vel etiam ex terrificis Dæmonis illuſionibus, ac tentationibus, & inde aſſerunt augmentum gratiæ cum jure ad ſpecialia iſta auxilia, quibus homo confortatur, ac corroboratur ad eliciendos actus ſupernaturales, ac vincendas in ultimo illo agone diabolicas tentationes eſſe proprium ac primarium hujus Sacramenti effectum, ut docent fere communiter cum D. Thoma *queſt. 3. art 1.*

Quapropter aſſerendum eſt, effectum primarium, & proprium Sacramenti extremæ unctionis eſſe augmentum gratiæ habentis jus ſpeciale ad auxilia, quibus infirmus confortetur, & roboretur contra languorem, & debilitatem relictam partim à peccatis præcedentibus, & partim ex infirmitate ad operandum bonum, adeo, ut per hoc augmentum gratiæ juvetur infirmus ad eliciendos actus ſupernaturales, ac vincendas Dæmonis tentationes, ut decumbens placide migret ex hac vita. Et deſumitur ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2.* ubi loquens de effectu hujus Sacramenti ait: *Gratia hæc Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc explicanda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat magnam in ea divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatur, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit.* Et alludit ad illud *Geneſ. 3.* ubi de muliere dictum eſt Dæmoni ſub figura ſerpentis, *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*, quaſi per calcaneum ſignificetur finis ipſius vitæ, in quo dæmon acriùs per terrificos aſſultus hominem inſectatur, quem vincat ac perdat. Ratio itidem ex eo petitur, quia ex Tridentino effectus proprius hujus Sacramenti eſt delere reliquias peccatorum: ſed per reliquias peccatorum non videtur quid aliud ſignificari, quam animi languor, & imbecillitas in ordine ad bene, & honeſte operandum: conſequenter proprius effectus hujus Sacramenti eſt augmentum gratiæ habentis ſpeciale jus ad hæc auxilia, quibus infirmus corroboretur contra languorem, & debilitatem ad honeſtè, ac benè operandum. Major, & conſequentia tenent, minor probatur, quia præter hunc languorem, ac imbecillitatem ad operandum benè, & honeſtè, nihil aliud reperitur, quod ex peccatis anteactæ vitæ relinquatur in anima, niſi ipſa macula, aut reatus pœnæ æternæ, aut obligatio ad pœnam temporalem, quæ relinquitur poſt remiſſam culpam, & reatum pœnæ æternæ, aut habitus vitioſus vel fomes peccati: atqui per reliquias peccatorum non poteſt intelligi ipſa macula, nec reatus pœnæ æternæ, quia hæc tolluntur per Sacramentum pœnitentiæ, quod etiam ſecundariò ordinatur ad remittendam pœnam temporalem. Neque poſſunt per reliquias peccatorum intelligi habitus vitioſi, aut fomes peccati; ſiquidem hæc remanent in infirmo, qui ſuſcepit extremam unctionem, ſi convaleſcat. Præterea, quia habitus vitioſi non tolluntur niſi per actus oppoſitos, & frequenter repetitos: ergo per reliquias peccatorum non poteſt quid aliud commodius intelligi, quam præfatus languor ad bene operandum, quatenus eſt effectus præcedentium peccatorum.

Quòd ſi dicas, per reliquias peccatorum intelligi ea peccata, quæ ex inadvertentia fuerunt in confeſſione à moribundo omiſſa; vel poſt viatici ſumptionem commiſſa, contra eſt, quia vel hæc peccata ſunt lethalia, vel tantùm venialia, ſed Sacramentum extremæ unctionis non eſt per ſe primò inſtitutum ad remiſſionem peccatorum lethalium, ad hunc enim effectum præſtandum fuit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, & Sacramentum extremæ unctionis fuit inſtitutum per modum medicinæ, unde ſicut medicina corporalis præſupponit vitam corporalem: ita ſpiritualis ſpiritualem: ſed per peccatum lethale tollitur vita ſpiritualis animæ, ergo, cùm Sacramentum extremæ unctionis ſit per ſe inſtitutum per modum ſpiritualis medicamenti, debet neceſſario ſupponere vitam ſpiritualem, quæ non tollitur niſi per peccatum lethale, conſequenter non eſt per ſe primo inſtitutum ad remittenda peccata lethalia. Rurſus quia Sacramenta vivorum non ſunt inſtituta, ut per ſe primò remittant peccata mortalia, ac producant primam gratiam, ſed tantum, ut cauſent augmentum illius cum jure ad illa auxilia, quæ conducunt ad proprios fines cujus vis Sacramenti vivorum, ut communiter docent Theologi, ſed extrema unctio eſt unum ex Sacramentis vivorum: ſiquidem Sacramenta mortuorum ſunt tantùm duo, baptiſmus, & pœnitentia: ergo effectus proprius, & primarius extremæ unctionis non eſt remiſſio peccati lethalis, & prima gratia, ſed tantùm ejus augmentum habens jus ſpeciale ad auxilia, quibus infirmus corroboratur contra languorem, ad operandum bonum, relictum ex peccatis præcedentibus.

Rurſus quòd primarius, & proprius effectus extremæ unctionis non ſit remittere ea peccata, quæ fortaſſis fuerunt commiſſa ab infirmo poſt peractam confeſſionem, & ſumptum viaticum, ex eo itidem claret, quia ex Tridentino hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad tollendas reliquias peccatorum, ſed peccata ab infirmo poſt confeſſionem, & viaticum commiſſa, non poſſunt dici reliquiæ aliorum peccatorum, quia hæc ſupponuntur per confeſſionem antea peractam remiſſa, ut enim aliquid dicatur eſſe reliquias alterius, non ſufficit, ſi illi ſimpliciter ſuccedat, ſed ulterius requiritur, quod ſit pars, & effectus illius, quo pacto languor, debilitas, macies, pallor, quæ ex ægritudine relinquuntur propriè dicuntur reliquiæ morbi, quatenus ſunt effectus illius, conſequenter primarius, & proprius effectus hujus Sacramenti non eſt remittere poſt confeſſionem, & viaticum ab infirmo remiſſo peccato.

Quamobrem extremæ unctionis Sacramentum remittit in primis peccata leviora, quæ venialia dicuntur: quia peccata lethalia tolluntur per Sacramentum pœnitentiæ: non enim extrema unctio primariò inſtituta fuit ad delenda peccata mortalia, quia hæc delentur per Sacramenta pœnitentiæ vel baptiſmi, ex ipſa enim ſignificatione Sacramenti præcipuus ejus effectus accipi debet, quia Sacramentum id efficit, quod ſignificat. Præterea Extrema unctio adhibetur ſecundum modum cujuſdam medicinæ: ſed medicina datur ad pellendam infirmitatem, & ad priſtinam ſanitatem promovendam, unde hoc Sacramentum primariò inſtitutum eſt ad ſanandam infirmitatem peccati; ſicut enim baptiſmus eſt quædam ſpiritualis

regen

Digitized by Google

regeneratio, & pœnitentia quædam ſpiritualis ſuſcitatio, ita extrema unctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio: & ſicut corporalis ſanatio vitam corporis ſupponit in eo cui datur medicina; ita ſpiritualis ſanatio vitam animæ ſupponit, ex quo infertur hoc Sacramentum non dari contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur, cujusmodi ſunt peccatum originale, & mortale, ſed tantùm contra defectus, qui ſupponunt vitam ſpiritualem, tametſi infirmam, & imbecillem, ut docet D. Thomas *in 4. ſentent. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2.* Nihilominus poteſt etiam remittere extrema unctio peccata lethalia, ſi quæ forte commiſſa ſunt à tempore ſusceptæ abſolutionis in infirmitate, præſertim ſi infirmis ignoret ſe ea commiſiſſe, ait enim D. Thomas 4. *contra Gentes cap. 73.* *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commiſit, notitiam vel memoriam non habet, ut poſſit per pœnitentiam ſingula purgare, ſicut etiam quotidiana peccata, ſine quibus præſens vita non agitur, à quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum emundari.*

Eſt etiam effectus extremæ unctionis delere reatum pœnæ temporalis, ac tollere pravas diſpoſitiones ad peccandum, quæ per iteratos peccatorum actus contrahuntur, ut etiam animi languorem, & infirmitatem quæ ex peccato relinquuntur, & vocari etiam ſolent reliquiæ peccatorum, eò quia fuerint hæc omnia cauſata à peccatis: quemadmodum curata corporis infirmitate remanet in homine quædam totius corporis debilitas ſeu defectus priſtini vigoris neceſſarii ad perfectè exercenda vitæ opera, ſi poſt deletionem peccati, remanet adhuc in homine quodam debilitas ad operationes vitæ ſpiritualis exercendas, & effectus hujus Sacramenti eſt has reliquias peccatorum abſtergere, & vires ſpirituales adaugere, ait enim D. Thomas *lib. 4. contra gentes cap. 73.* Hujusmodi quidem ſpirituales infirmitates per pœnitentiam ſunt curandæ, prout pœnitens per opera virtutis, quibus ſatisfaciendo utitur, à malis retrahitur, & ad bonum inclinatur: ſed quia homo vel per negligentiam, vel per occupationes varias vitæ autem etiam propter brevitatem, aut propter alia hujusmodi prædictos defectus in ſe perfectio non curat ſalubriter ei providetur, ut per hoc Sacramentum prædicta curatio compleatur, & à reatu pœnæ temporalis liberetur, ut ſic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ à corpore eam poſſit à preceptione gloriæ impedire. Verum tamen eſt, quod non ſemper omni ex parte remittatur reatus pœnæ temporalis, adeo ut homo poſt obitum nulli amplius ſit obnoxius pœnæ, quia adhuc flammis expiatoriis reatus pœnæ temporalis luendus eſt in purgatorio, ſed tunc tantùm, quando adeſt interior diſpoſitio ad remotionem talis reatus ſimul cum hoc Sacramento, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncul. 1. ad 2.* cujus hæc ſunt verba: *Reatum pœnæ temporalis dimittit ex conſequenti, in quantum debilitatem tollit, quia eandem pœnam levius portat fortis, quam debilis.*

Alius extremæ unctionis effectus eſt allevatio animæ, ejusque confirmatio, ut morbi incommodo levius ferat, & adverſariis ſalutis ſuæ potius reſiſtat: ſiquidem hoc Sacramentum excutit triſtitiam, ut ſereno, ac læto animo Domini adventum expectemus, ac ſimus parati depoſitum noſtrum reſtituere, quando voluerit ipſam à nobis exigere. Præterea, quia nullo tempore magis tartareus hoſtis admititur, ad nos perdendos, quàm in extremo illo vitæ conflictu, in quo ſpem divinæ miſericordiæ nobis eripere conatur, ideoque beneficio hujus Sacramenti arma nobis ſuppeditantur, & vires adaugentur, quibus aſſulto Dæmonis poſſimus compeſcere, ut enim ait Catechiſmus Concilii Tridentini: *Allevatur, & erigitur animus divinæ bonitatis ſpe, eaque confirmatus morbi omnia incommoda fert levius, ac ipſius Dæmonis Calcaneo inſidiantes artes, & calliditatem facilius eludit.*

Eſt etiam effectus hujus Sacramenti corporis ſanitas, ſi profutura ſit ad animæ ſalutem, ut colligitur ex verbis S. Jacobi, *& oratio fidei ſalvabit infirmum*, ut Patres, Concilia, & ritualia confirmant, & noviſſimè etiam Tridentina ſynodus, quæ de hujus Sacramenti effectu ita loquitur: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur, & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, res enim hæc gratia eſt Spiritus Sancti cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam allevìat, ac confirmat magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, quia infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Quòd ſi hos effectus ægrotus decumbens non conſequitur, id non vitio datur Sacramento, ſed hujus defectus cauſa tribuitur ipſi ægroto, vel Miniſtro indigenti, qui firmiore fide deſtituuntur, qua de cauſa refert ſanctus Matth. *cap. 12.* Dominum apud ſuos multas virtutes non feciſſe propter eorundem incredulitatem, quamquam etiam dici poſſit Chriſtianam religionem, ex quo altius ſuas radices egit in animis hominum, minus jam hujusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim ſub initiis Orientalis Eccleſiæ viderentur neceſſaria, ut catechiſmus Concilii Tridentini *ait* D. Thomas itidem *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunncul. 2.* ait: *Quod extrema unctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute divina, quæ operatur rationabiliter: & quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundùm quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem: & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis.*

Cæterùm hoc Sacramentum non imprimit charactarem, quia tria tantum ſunt Sacramenta, quæ characterem imprimunt, baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncul. 3.* ubi ait: Et character non imprimitur niſi in illis ſolis ſacramentis, quibus homo ad aliquod ſacrum deputatur. Sacramentum verò extremæ unctionis eſt ſolum in remedium, & per ipſum homo non deputatur ad aliquod ſacrum agendum, vel ſuſcipiendum, ideoque non imprimitur in eo character, Præterea quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt non poſſunt iterari, ſecus extrema unctio poteſt plurics miniſtrari eidem homini, variis infirmitatibus periclitanti, licet non defuerint, qui cenſerent extremam unctionem non eſſe iterandam, ut Yvo Carnotenſis, & Goſfridus Vindocinenſis, non tamen fuerunt in ea o-

Digitized by Google

pinione, ut putaverint hoc Sacramentum imprimere characterem: quod vero non eſſet hoc Sacramentum iterandum, probabant primò, quia eſt Sacramentum tale, quod non miniſtratur, niſi cùm homo tranſit ex hac vita. Secundò, quia hoc Sacramentum eſt ſpecies publicæ pœnitentiæ, quæ ſemel tantum olim concedebatur. Tertiò quia reliquæ unctiones non iterantur, conſequenter ajebant, nec iſtam eſſe iterandam, quæ tamen rationes non evincunt intentum, quia de ratione Sacramenti non eſt, quod non poſſit iterari, ut conſtat de Euchariſtia, pœnitentia, & matrimonio, quæ pluries iterari poſſunt. Quod verò pœnitentia publica ſub Eccleſiæ initiis non iteraretur ſola fuit ſanctio Eccleſiæ, non verò Chriſti inſtitutio. Cæterum aliæ unctiones ideo non iterantur, quia ſunt conſecratoriæ, & perſona ſemel conſecrata intelligitur ſemper conſecrata, conſequenter non eſt apta, ut iterum conſecretur. Unctio verò extrema non eſt conſecratoria, ſed ſanatoria, & ſe habet per modum medicinæ, quæ toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. Hinc cenſent fere communiter Theologi recentiores Sacramentum extremæ Unctionis non ſolùm in diverſis infirmitatibus, verum etiam in eadem, ſi periculosè quis ægrotet poſt unctionem convaleſcat, & deinde in eundem infirmitatis ſtatum relabatur.

Quod Miniſtrum hujus Sacramenti attinet, certum eſt eſſe ſolum ſacerdotem, qui poteſt validè hoc Sacramentum adminiſtrare, & evincitur ex dicta epiſtola D. Jacobi *cap.* 5. Ubi expreſsè ait: Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe ſolùm Presbyterum: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo*, ex his enim verbis clarè conſtat, Miniſtros hujus Sacramenti eſſe ſolos Presbyteros, quod etiam confirmat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de externa unctione cap.* 3. & 4. ubi ait: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos D. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum ungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate Seniores, in quavis communitate, & ob id extremæ unctionis Miniſtrum non eſſe ſacerdotem, anathema ſit.* Prætereà quia hoc eſt fidei dogma, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ nunquam hujus Sacramenti adminiſtrationem alteri quàm ſacerdoti commiſit. Ratio eſt, quia, cùm Sacramentum extremæ unctionis ex Tridentino ſit Sacramentum completivum ac conſummativum pœnitentiæ, congruum erat, ut ab aliis non adminiſtraretur, quam ab illis, qui ex proprio munere miniſtrant Sacramentum pœnitentiæ, ex quo infertur ſolos ſacerdotes poſſe validè miniſtrare hoc Sacramentum. Epiſcopus itidem, ſi ſacerdos eſt, poteſt etiam licitè, & validè adminiſtrare hoc Sacramentum, imò miniſtrare hoc Sacramentum proprium eſt officium Paſtoris, ſine cujus licentia extra caſum neceſſitatis nullus alius ſacerdos poteſt hoc Sacramentum miniſtrare, ut pluribus in locis ſacri Canones declarant, quod ſi Parochus non adſit, vel nolit ungere poteſt, tunc hoc munus uſurpari à quolibet alio ſacerdote, quia tunc charitas in proximum, quæ urget, & neceſſitas moribundi ſufficienter excuſant à peccato, obligantur tamen Paſtores ex juſtitia ad adminiſtrandum ſuis ſubditis petentibus hoc Sacramentum, præſertim ſi abſque vitæ periculo poſſint illud miniſtrare, quia ex proprio officio, & ſtipendio, quod accipiunt, tenentur Sacramenta miniſtrare ſuis ſubditis. Quod ſi Paſtor ſine probabiliſſimo vitæ periculo non poſſet infirmum ungere, ut ſolet contingere tempore peſtis, tunc ſi infirmus aliquod aliud Sacramentum ſuſceperit, ut ſi fuerit confeſſus, docent plures, non teneri tunc Parochum cum probabiliſſimo vitæ periculo ungere infirmum, eò quia hoc Sacramentum non ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, quam infirmus per ſolum Sacramentum pænitentiæ poteſt conſequi. Cæterum ſi infirmus nullius alterius eſſet capax Sacramenti, tunc teneretur Parochus neglecta propria vita corporali æternæ ſaluti ſui ſubditi conſulere.

Dubitari ſolet, an poſſit hoc Sacramentum ſimul validè miniſtrari à pluribus ſacerdotibus, & reſpondetur dupliciter poſſe intelligi, quod plures ſacerdotes ſimul hoc Sacramentum miniſtrent. Primò, ut unus ſacerdos ſubminiſtret materiam remotam, & proximam ſeu ungat, & alius proferat formam. Secundo, ut quando unus ungit unum ſenſum, & ſimul profert formam partialem, alter ungat alterum ſenſum, & ſimul proferat ſuam formam partialem accommodatam tali ſenſui. Certum eſt priori modo non poſſe plures ſacerdotes ſimul conferre hoc Sacramentum, quia ſicut non valeret baptiſmus, ſi ab uno ſacerdote fieret ablutio, & ab alio proferetur forma; ita neque valet extrema unctio, ſi unus ſacerdos ungat, & alter formam proferat, quia ex verbis S. Jacobi conſtat eundem debere eſſe ſacerdotem ungentem, & orantem. Sin verò intelligatur ſecundo modo, videtur id poſſe fieri, quia ſicut Sacramentum Euchariſtiæ, quia conſtat ex duplici materia, & forma partiali poteſt à duobus ſacerdotibus validè confici, ut ſi unus conſecraret hoſtiam, & alter calicem; ita pariter dicendum eſt, de hoc Sacramento extremæ unctionis, quod conſtat ex pluribus materiis, & formis partialibus, verum licitè id non poteſt fieri, eò quia ſit contra praxin univerſalis Eccleſiæ, à qua, ſine graviſſima urgente neceſſitate recedere non eſt licitum. Quòd ſi adeſſet evidens periculum, quod moribundus expiraret, priuſquam omnes quinque unctiones ab uno ſacerdote abſolverentur, tunc poſſent plures ſacerdotes ſimul hoc Sacramentum miniſtrare, adeo, ut quando unus ungit unum ſenſum, & profert partialem formam, alter ungat alterum ſenſum, proferatque aliam partialem formam. Imò ex conſuetudine Orientalis Eccleſiæ ſeptem ſacerdotes Eccleſiæ hoc Sacramentum adminiſtrant, ut conſtat ex Euchologio, & Simeone Theſſalonicenſi. Plures etiam in Eccleſia Occidentali hoc idem miniſterium ſimul exercebant, ut colligitur ex Sacramentario S. Gregorii. Sed ritus Eccleſiæ, & praxis eſt, ut ab uno tantum ſacerdote hoc Sacramentum miniſtretur, quia, ut notat D. Thomas 4. *contra Gentes cap.* 73. *hoc Sacramentum habet effectum perfectæ curationis, & in eo requiritur copia gratiæ; nec competit Sacramento, quod multi ſacerdotes interſint, ut orent DEUM pro infirmo, ſed unicus ſufficit ad inungendum ægrotum.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quid sit in Ecclesia militante Ordo, & an sit Sacramentum.

CUm Christus Jesus suam in terris instituerit Ecclesiam, non poterat in ipsa Ordo deesse, quia, quæ sunt à Deo, ordinata sunt; ea enim sunt perfecta, quæ ordinata; & ut Ecclesia, quam Christus sangvine suo instituit, perfecta esset, non debuit Ordo deesse, quo tartareas legiones prosterneret, fieretque terribilis, ut *castrorum acies ordinata.* Ait enim D. Augustinus *Lib. 1. de ordine cap. 9. Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum.* Significat Ordo habitudinem unius ad aliud, vel dispositionem partium alicujus totius, vel statum, in quo constituti sunt homines, aut Angeli, vel etiam gradum aliquem eminentem supra id, quod est infimum. Sed juxta præsens institutum duo tantùm potest significare Clericorum gradum, qui per Consecrationem ad sacra quædam ministeria in Ecclesia deputantur, & ut significat ipsam actionem sacram, per quam Ministri Ecclesiæ constituuntur, & hæc actio vocatur propriè ordo, de quo Tertullianus: *O singularis jam, & verissima in Deum Sacerdotis potestas; penes Sacerdotem est, ut in altari sub speciebus Eucharisticis Deum ipsum in Sacrificii materiam & victimam constituat, nec injuriam ullam summo Numini inferat, nec altius quam par est, Sacerdotis dignitatem evehat: qui dixerit, nisi homini placuerit in altari, & loco victimæ non erit, & humano arbitrio divinitas pensitatur:* quamobrem ordo magis propriè sumitur pro statu quodam, & dignitate hominum, qui Consecratione quadam insigniti, suis in Ecclesia militante funguntur muneribus, ad quæ per consecrationem destinantur, & habent jus ad Ministerium illud in Sacerdotii functione exercendum, quæ quidem benedictio, seu consecratio sacra vocatur ordinatio, & Sacramentum ordinis: unde placuit Sanctis Patribus, uti hoc vocabulo, quod latissimam habet significationem, ut dignitatem, & excellentiam Ministrorum Dei significarent: siquidem, cùm in Sacro Ministro altaris plures sint gradus: & omnes sint certa ratione distributi, & collocati rectè, & comodè Ordinis nomine hoc Ministerium donatur.

Hinc ordo, ut est Sacramentum Ecclesiæ, quædam est potestas spiritualis, tradita ordinato, seu consecrato, sive ad Sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, sive ad alias functiones, & Ministeria Ecclesiastica obeunda, quæ definitio omnes complectitur Ecclesiæ ordinationes, sed in primis Sacerdotium, quo traditur consecrandi Corporis Christi potestas, quæ omnium ordinationum est finis ultimus, cujus gratia institutæ sunt sacræ ordinationes, quæ omnes ordinantur ad conficiendum Christi Corpus sub speciebus Eucharisticis: hinc potestas Ecclesiastica duplex est, una ordinis, & alia jurisdictionis, illa refertur ad verum Christi Domini Corpus in Sacrosancta Eucharistia: hæc verò in Corpus Mysticum totius Ecclesiæ, siquidem ad potestatem jurisdictionis pertinet dominicum gregem, seu Christianum populum gubernare, ac moderari, & dirigere, ad æternam, & cœlestem beatitudinem, non enim Ecclesia minus indiget Sacerdote, ut regatur, & defendatur quàm Sacrificio ut nutriatur. Hinc Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 1.* ait: *A Domino Salvatore nostro Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sangvinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi,* quæ verba utramque potestatem complectuntur ordinis, & jurisdictionis. Præterea omnes Ordines, si prima eorundem institutio spectetur, instituti non sunt tantùm ad Sacrificium Ecclesiæ celebrandum, verùm etiam ad bonum Ecclesiæ regimen constituendum, sicut enim sublato Sacrificio necesse est, pereat religio, ita secluso regimine cessat Ecclesia, quia non amplius est cœtus ordinatus fidelium sub uno supremo Sacerdote, sed potiùs hominum tumultuaria turba temerè in unum congesta. Hanc autem spiritualem potestatem Ordinis contulit Christus Dominus suis Discipulis, quando corporis & sangvinis sui Sacramentum, & Sacrificium instituens dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem,* ut refert Apostolus *1. ad Corinth. 11.* ut enim asserit Tridentina Synodus, tunc Christus Apostolos suos novæ legis Sacerdotes instituit: & quando post resurrectionem insufflavit in eos, dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Asserendum est, Ordinem esse verum ac proprium Sacramentum novæ legis, & id esse dogma fidei contra Sectarios, quorum Ecclesia, cùm sit profana, Ministros Sanctos habere non potest. Assertio evincitur ex scripturis *1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii,* ubi per Prophetiam intelligitur forma sacramentalis, in qua mystica verba junguntur manuum impositioni, & per presbyterium intelligitur cœtus Episcoporum, in quo Episcopus Timotheus consecratus est per manuum impositionem, adeò ut per illa verba *cum impositione manuum Presbyterii,* significetur inauguratio Episcoporum, ut explicat S. Joannes Chrysostomus. Rursus *2. Timoth.* ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum:* hæc autem gratia quænam sit, explicat sequentibus verbis: *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & societatis:* quæ internam, & occultam Spiritus Sancti subministrationem significant, & alludunt ad gratiam in ordinatione collatam, ut explicat Tridentina Synodus *sess. 23 cap. 3.* & ad hanc gratiam referendum est, quòd ait Christus *Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum,* cùm enim daret potestatem exequendi sacri muneris etiam gratiam addere voluit, qua ad functionem illam sacram ritè & sanctè obeundam disponeretur: quòd verò hæc gratia pertineat ad sanctificationem hominis, constat, quia Spiritus Sanctus omnis sanctificationis est Author, ut explicant Sancti Patres, præsertim Cyrillus *Lib. 12. in Joan.* non enim gratia tantùm gratis data confertur in sacra ordinatione, cùm ut constat ex Apostolo gratia Timotheo data sit *per Prophetiam,* ubi Apostolus ait, fuisse Timotheo datam gratiam *Prophetiæ,* sed per *Prophetiam,* hoc est, secundùm præcedentem de illo Prophetiam, ut dicitur explicatiùs *cap. 1. Hoc præceptum commendo tibi, Fili Timothee, secundùm præcedentes in te* Pro-

certum de fide, extremam unctionem eſſe verum Sacramentum.

Neque obſtat, quod objiciunt Hæretici, hanc extremam unctionem non legi fuiſſe inſtitutam à Chriſto, conſequenter non poſſe habere rationem Sacramenti. Contra eſt, quia Chriſtus revera inſtituit hoc Sacramentum, quia cum nulla creatura poſſit ſigno alicui ſenſibili, imo nec inſenſibili dare vim effectivam gratiæ, ſequitur hanc vim impertitam fuiſſe à ſolo Chriſto vero DEO & homine extremæ unctioni, quæ eſt ſignum ſenſibile. Præterea hanc inſtitutionem à Chriſto factam nervosè confirmat certa univerſalis Eccleſiæ traditio, nunquam interrupta, ſi enim hæc inſtitutio non fuiſſet facta à Chriſto, non perſeveráſſet omnibus ſæculis in Eccleſia, vel certè poſſet aſſignari tempus, in quo illa primum inceperit: ſed hoc tempus non poteſt aſſignari, quia perennem hunc uſum Eccleſiæ ungendi fideles de vita periclitantes teſtantur plura Concilia ſub initiis Eccleſiæ, ut Nicænum I. *cap.* 69. Cabilonenſe ſub Carolo Magno *cap.* 48. Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio *can.* 8. Moguntinum ſub Leone IV. *cap.* 26, & demum Florentinum, & Tridentinum.

Si dicas, non conſtare, quo tempore fuerit hoc Sacramentum inſtitutum. Contra eſt, quia hoc Sacramentum tunc fuit à Chriſto inſtitutum, quando inſtituit Sacramentum pœnitentiæ, quod extrema unctio confirmat; & quamvis, quando *Marci* 6. jubentur Apoſtoli ungere oleo infirmos, præfigurata fuerit hæc inſtitutio extremæ unctionis, non tamen tunc fuit hoc Sacramentum inſtitutum, quia tunc Apoſtoli nondum erant Presbyteri, & non poterant adminiſtrare hoc Sacramentum: unde illa unctio tantùm ordinata erat ad ſanitatem corporis: propterea longè probabilius eſt, hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum, quando Chriſtus inſtituit Sacramentum pœnitentiæ, quia tunc Apoſtoli erant apti ad illud miniſtrandum; & licet Chriſtus potuiſſet illud inſtituere, ut etiam poſſet à non-Sacerdotibus miniſtrari; voluit nihilominus, ut à ſolis Sacerdotibus miniſtraretur.

Objiciunt primo Hæretici: Quia unctio, de qua loquebatur D. Jacobus, tantùm erat ad curationem corporis per donum miraculorum, quod tunc erat in Eccleſia: ſiquidem D. Jacobus loquitur de illa unctione, quæ tunc exercebatur in Eccleſia, & de qua lquitur D. Marcus *cap.* 6. ſed hæc unctio erat tantùm ad curationem corporum: ex quibus inferunt, extremam unctionem non eſſe Sacramentum. Sed contra, quia Apoſtolus Jacobus loquitur de illa unctione, quâ remittebantur peccata; ait enim: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum; & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*, unde unctio, de qua loquitur Sanctus Jacobus, non ſolum ordinabatur ad curationem corporum; ſed etiam ad remittendas reliquias peccatorum, conſequenter non loquitur de illa communi unctione, de qua fit mentio *Marci* 6. Præterea unctio, de qua loquitur Jacobus, debebat per manus Sacerdotum fieri, ut expreſsè conſtat ex ejus verbis; *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum:* ſecus unctio, de qua loquebatur Marcus, non fiebat per manus Sacerdotum; ſed aliorum, qui non erant Sacerdotio initiati: ſiquidem ungebant multos ægrotos; tum quia Apoſtoli tunc nondum erant Sacerdotes, cùm tantum in nocte cœnæ fuerint à Chriſto Sacerdotio initiati, & fuerunt primi legis evangelicæ Sacerdotes. Tum quia unctione illa, de qua loquitur Marcus, utebantur Apoſtoli ad ſanandos infirmos, & indiſcriminatim miniſtrabatur omnibus, tam fidelibus, quàm infidelibus, qui, cùm non eſſent baptizati, nec erant capaces unctionis, quæ eſſet Sacramentum; quia Baptiſmus eſt janua, per quam ingredimur in Eccleſiam, & extra Eccleſiam non dantur, nec miniſtrantur Sacramenta: ſecus unctio, de qua loquitur Sanctus Jacobus, ſolis fidelibus miniſtrabatur. Hinc Tridentina Synodus declarat, hanc extremam unctionem fuiſſe à Chriſto inſtitutam *tanquam verè, & propriè Sacramentum Novi Teſtamenti, apud Marcum quidem inſinuatum* (ut loquitur ſacra Synodus *ſeſſ.* 14. *cap.* 1.) *per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum per verba illa: Infirmatur quis in vobis &c. quibus verbis, ut ea Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia dirigit, & docet materiam, & formam, proprium miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sacramenti*, & declarat tribus Canonibus hanc doctrinam de extrema unctione inſtituta à Chriſto Domino, ut vero Sacramento legis evangelicæ pertinere ad fidei dogma contra Lutherum, & Calvinum, aliosque Sectarios negantes, extremam unctionem eſſe Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum, in primo enim Canone dicit: *Si quis dixerit, extremam unctionem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, à Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.* In ſecundo: *Si quis dixerit, ſacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; ſed jam ceſſâſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema ſit.* In tertio: *Si quis dixerit extremæ unctionis ritum, & uſum, quem obſervat Sacra Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ Beati Jacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis abſque peccato contemni, anathema ſit.*

Objiciunt ſecundo Lutherani, & Calviniſtæ, quia extrema unctio, quæ à Papiſtis uſurpatur, non eſt eadem cum illa unctione, de qua loquitur Sanctus Jacobus frater Domini. quia hæc jubetur dari ad ſanitatem corporis abſolutè conferendam, ut conſtat ex verbis illis: *Allevabit eum Dominus, & oratio fidei ſalvabit infirmum*, & ad remiſſionem peccatorum nonniſi conditionatè, *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* E contra unctionis adhibitæ à Papiſtis finis primarius & abſolutus eſt, remiſſio peccatorum, & reſtitutio ſanitatum eſt tantùm finis ſecundarius, & conditionatus, ſi expediat ſaluti animæ. Quinimò ajunt, ſanitatem corporis nullatenus per Papiſtas eſſe effectum hujus noſtræ unctionis: ſiquidem Sacramenta effectum ſuum conferunt ex opere, ut ajunt, operato, quo pacto unctio extrema non confert ſanitatem, alioquin non morerentur, quicunque extrema unctione delibuti eſſent. Præterea, quia unctio, de qua loquitur Sanctus Jacobus, omnibus infirmis adhibetur, & unctio, qua utuntur Papiſtæ, tantùm decernitur adhibenda moribundis. Sed contra, quia ſanitas corporis eodem modo eſt effectus extremæ unctionis Catholicorum, ac illius, de qua loquitur Sanctus Jacobus, eſt enim hæc ſanitas corporea effectus abſolutus hujus unctionis, quamvis ab aliquibus exprimatur per particulam conditionalem; eſt enim ſanitas ordinata ad ſalu-

Digitized by Google

ſalutem ſuſcipientis, quam omnes ritè diſpoſiti recipiunt, adeo ut, quando eam non recipiunt, id provenit, quia ſaluti animæ non videtur expedire. Neque obſtat, quod primo loco exprimatur reſtauratio Sanitatis corporeæ: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit remittuntur ei*, quia ideo primo loco recenſetur alleviatio, ſeu ſanitas corporis, quia eſt effectus magis notus, & quia magis correſpondet verbis præcedentibus, quibus Apoſtolus ait: *Infirmatur quis in vobis*, vel ob aliam cauſam, quemadmodum *Matth.* 19. de illo, qui reliquit patrem, & matrem dicitur: *Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, illa enim verba: *Centuplum accipiet*, exprimunt mercedem in hac vita reddendam, quæ procul dubio eſt minus præcipua, quamvis primo loco recenſita, ſeu ante vitam æternam, quæ eſt merces præcipua, remiſſio itaque peccatorum in unctione, de qua loquitur Jacobus, eſt primarius effectus illius, qua etiam utuntur Catholici, cum ſit una ac eadem unctio, de qua loquitur Jacobus, & quam adhibent Catholici. Cujus etiam effectus abſolutus eſt remiſſio peccatorum, tametſi conditionali particula exprimatur à S. Jacobo, *& ſi in peccatis ſit, remittentur*, non enim particula *ſi* ſemper in ſcripturis conditionem rei dubiæ ſignificat, ſed aliquando etiam conceſſionem rei certæ, hinc *Malachiæ* 1. dicitur: *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus, & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus*, ſcilicet, cùm ego ſim Pater, cur debitum mihi non impenditis honorem, & cùm ego ſim veſter Dominus, cur non me timetis: eodem pacto 2. *ad Theſſal.* D. Paulus ſcribit: *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant*, ſcilicet cùm juſtum ſit: pari pacto S. Jacobus *cap.* 1. ait: *Si quis veſtrum indiget Sapientia*, ſcilicet unuſquiſque veſtrûm indiget Sapientiâ, quæ locutio eſt abſoluta, quamvis ab Apoſtolo expreſſa per particulam *ſi*: eodem pacto, cum Jacobus cap. 5. ait: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*, locutio eſt abſoluta, & conceſſionem rei certæ ſignificat, adeo ut ſenſus ſit, per unctionem in nomine Domini à Sacerdotibus factam dimittentur infirmo peccata, in quibus eſt, & hunc eſſe verum ſenſum verborum Apoſtoli Jacobi docent communiter Sancti Patres. Neque obſtat, quod unctio, de qua loquitur D. Jacobus adhiberetur etiam infirmis non moribundis, quia neque Catholici extremam Unctionem ſolis moribundis impendunt, ſed aliis etiam infirmitate gravi decumbentibus. Neque Tridentina Synodus limitat illam ad ſolos moribundos, ait enim: *Eſſe hanc unctionem, Infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ videantur conſtituti.* Neque ex eo quod S. Jacobus dicat: *Inducat Presbyteros*, loquaturque in plurali, plures Sacerdotes ad unctionem extremam adminiſtrandam neceſſariò ſunt vocandi, quia eſt valdè uſitata conſuetudo loquendi in ſcripturis ſumendo pluralem pro ſingulari, ut obſervat S. Auguſtinus *lib.* 3. *de conſenſu Evangeliſtarum cap.* 16. ubi exponit illud: *Matth.* 27. *Id ipſum & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, & nihilominus S. Lucas hanc improperationem factam fatetur ab uno tantùm latrone *cap.* 23. Hinc D. Auguſtinus ait: *Niſi intelligamus Matthæum, & Marcum breviter perſtringentes hunc locum, pluralem numerum pro ſingulari poſuiſſe. Sicut & in epiſtola ad Hebræos legimus pluraliter dictum. Clauſerunt ora Leonum, cùm ſolus Daniel ſignificari intelligatur. Et pluraliter dictum, Secti ſunt, cum de ſolo Iſaia tradatur, in pſalmis etiam, quod dictum eſt, adſtiterunt reges terræ, & Principes convenerunt in unum, pluralem numerum pro ſingulari poſitum, in Actis Apoſtolorum exponitur, ſiquidem Reges propter Herodem, & principes propter Pilatum intellexerunt, qui teſtimonium ejuſdem pſalmi adhibuerunt. Sed quia & Pagani ſolent calumniari evangelio videant, quemadmodum locuti ſint Antheres eorum, Phedras, Medeas, & Clytemneſtras, cum ſingula fuerint. Quid autem uſitatius, verbi gratia, quàm ut dicat aliquis, & ruſtici mihi inſultant, etiam ſi unus tantùm ſit, qui inſultet? tunc enim eſſet contrarium, quod Lucas de uno manifeſtavit, ſi illi dixiſſent ambos latrones conviciatos Domino. ita enim non poſſit, ſub numero plurali unus intelligi. Cum verò dictum eſt, Latrones, vel qui cum eo crucifixi erant, nec additum ſit ambo: non ſolum ſi ambo feciſſent, poſſet hoc dici; ſed etiam, quia unus hoc fecit, potuit uſitato locutionis modo per pluralem numerum ſingularis ſignificari.*

Objiciunt tertio, extremam unctionem non fuiſſe à Chriſto inſtitutam, eò quia in evangeliis nulla fiat de hac inſtitutione mentio, ſicut enim evangelia aliorum meminerunt Sacramentorum, ita procul dubio etiam hujus, ſi verè hoc Sacramentum fuiſſet à Chriſto inſtitutum. Sed contra, quia tametſi Magiſter ſententiarum, S. Bonaventura, & Hugo à S. Victore, & alii aſſerant fuiſſe hoc Sacramentum extremæ unctionis à Chriſto inſtitutum ſaltem mediatè, quatenus injunxit Apoſtolis, ut illud nomine Chriſti inſtituerent, & per poteſtatem ſibi hanc à Chriſto conceſſam, ſuperaddito inſtinctu Spiritus Sancti hoc Sacramentum inſtituiſſe, attamen reliqui omnes Theologi cum D. Thoma *in* 4. *ſententiar. diſt.* 23. *ad.* 1. docent, fuiſſe hoc Sacramentum extremæ unctionis à Chriſto inſtitutum immediatè, & per ſe ipſum, non verò mediatè, & per Apoſtolos, quibus conceſſerit hanc poteſtatem. Neque ullum faceſſit negotium, quod in evangeliis nulla fiat expreſſa mentio hujus inſtitutionis, quia ut docet D. Thomas *loc. cit.*: *Multa Dominus fecit, & dixit, quæ in evangeliis non continentur: illa enim præcipuè curaverunt Evangeliſtæ tradere, quæ ad ſalutis neceſſitatem, & ad ordinem eccleſiaſticæ diſpoſitionis pertinent: & ideo potiùs inſtitutionem baptiſmi, & pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, & Ordinis à Chriſto factam narraverunt, quàm extremæ unctionis, vel confirmationis, quæ neque ſunt de neceſſitate ſalutis, neque ad diſpoſitionem, ſive diſtinctionem eccleſiæ pertinent: tamen etiam de olei unctione fit mentio in evangelio Marci 9. ubi dicitur, quod Apoſtoli oleo ungebant infirmos.* Qua de cauſa Synodus Tridentina declarat, hoc Sacramentum fuiſſe à S. Marco inſinuatum, ſeu prænuntiatum, & à S. Jacobo promulgatum, ac anathemate percutit aſſerentes, hoc Sacramentum extremæ unctionis, non fuiſſe à Chriſto inſtitutum *ſeſſ.* 14. *can.* 1. *Si quis dixerit extremam unctionem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum; ſed ritum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.*

Objiciunt quartò Sectarii, quia ritus ille, cujus nulla mentio occurrit apud Sanctos Patres, qui floruerunt quatuor primis Eccleſiæ ſæculis, etiam cùm accuratè ſacros Eccleſiæ ritus & Sacramenta ex-

abſolutionem in migrantibus ex hac vita, ideo quibus concedebatur abſolutio, ſupponebatur etiam data extrema unctio, ut complementum pœnitentiæ, quapropter non erat opus, ut illius mentio fieret. Rurſus quia non nulli ſtatim, poſt ſuſceptum baptiſma obierunt, propterea Sacramentum extremæ unctionis non ſuſceperunt, eo quia per breve tempus illud baptiſmalem cuſtodierunt innocentiam, hinc fortaſſis Conſtantinus Magnus, qui paulò ante obitum baptiſmum ſuſceperat, ut narrat Euſebius *lib. 4. de ejus vita.* unctionem extremam, opus non fuerat, ut ſuſciperet. Rurſus extrema hæc unctio iis non poteſt adhiberi, qui ex tempore decedunt, ſeu morte ſubitanea intercipiuntur ſine prævia ægritudine, qua morte ex hac vita migrarunt S. Joannes Chryſoſtomus, S. Paulus Eremita, Simeon Stilites, Parlaam, Joſaphat, Paphnutius & plures alii, ut referunt, qui eorum vitas ſcripſerunt, qui propterea non potuerunt meminiſſe, hujus extremæ unctionis ab iisdem ſuſceptæ. Quod verò moris fuerit, ut extrema unctio miniſtraretur conſtitutis in mortis diſcrimine, conſtat ex Nicæna Synodo *can. 13.* ubi habetur: *De his, qui ad exitum veniunt etiam nunc lex antiqua, & regularis ſervabitur, ita ut, ſi quis egreditur à corpore ultimo, & neceſſario Viatico minimè privetur.* Unde quamvis Gregorius Nazianzenus in vitis Sororis Gorgoniæ, & Gregorii Patris & Baſilii; Gregorius Niſſenus in vitis Gregorii Neocæſarienſis, Ephremi, & Macrinæ Sororis. S. Ambroſius Orationibus de obitu Satyri fratris, & Theodoſii Auguſti; Severus Sulpicius in vita S. Martini; S. Hieronymus in vitis Nepotiani, & Marcellæ S. Auguſtinus in deſcriptione mortis S. Monicæ Matris, & Poſſidius in obitu S. Auguſtini nullius ſuſceptæ extremæ unctionis meminerint, adhuc ſupponebatur tunc hoc Sacramentum miniſtratum, quia ex praxi Eccleſiæ morituris adminiſtrabatur. Præterea neque meminerunt ſuſcepti viatici Euchariſtiæ, tametſi etiam hoc Sacramentum fuerit illis miniſtratum. Unde ex ſilentio illorum Authorum, non rectè colligitur homines pientiſſimos, quorum tranſitum ex hac vita deſcribunt, non fuiſſe Euchariſtiæ viatico munitos, ita neque rectè infertur, eos extrema unctione inunctos non fuiſſe, quia illius non meminerint.

CAPUT II.

De Materia, & forma Extremæ Unctionis.

CUm extrema unctio definiatur eſſe Sacramentum, ex unctione olei olivæ ab Epiſcopo benedicti, & oratione Sacerdotis ad conferendam homini infirmo, & de vita periclitanti ſalutem mentis, vel etiam corporis ex Chriſti inſtitutione, ideo explicandæ ſunt partes, ex quibus hoc Sacramentum conſtituitur, ſeu quænam ſit materia, & quæ forma hujus Sacramenti. Duplex eſt materia hujus Sacramenti, remota, & proxima, illa eſt oleum ab Epiſcopo benedictum & deſumitur, ex S. Jacobi *cap. 5. ungentes eum oleo*, quod etiam declaratum fuit in Concilio Florentino in decreto unionis, & in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap. 1. de extrema unctione:* quamobrem materia remota hujus Sacramenti eſt oleum propriè dictum, ſeu expreſſum ex olivis. Quod etiam declaravit Concilium Florentinum, quia, cùm dicitur oleum, ex communi modo loquendi ſignificatur ſolum, quod ex olivarum baccis exprimitur. Præterea, quia hoc oleum aptiſſimum eſt, ad ſignificandum varios hujus Sacramenti effectus, ſiquidem oleum dolores mitigat, ægritudinem lenit, hilaritatem adfert, robur membris conciliat, eſtque luminis pabulum, & in ſcripturis pinguedinem ſpiritus, & gratiæ præſignificat, quapropter Theophylactus *in cap. 6. Marci: Sicut oleum ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis eſt effectivum: ita & Dei miſericordiam & gratiam S. Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatemque Spiritualem, quam accipimus, ſignificat.* Præterea oleum ex baccis olivarum expreſſum eſſe aptiſſimam, hujus Sacramenti materiam, aſſerit Catechiſmus Concilii Tridentini, inquiens: *Aptiſſimè autem hæc materia ſignificat illud, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit; ita Sacramenti virtus animæ triſtitiam, ac dolorem minuit. Oleum præterea ſanitatem reſtituit, hilaritatem adfert, & lumini tanquam pabulum præbet: dum verò ad recreandas defatigati corporis, vires maximè accommodatum eſt. Quæ omnia quid in ægroto divina virtute, per hujus Sacramenti adminiſtrationem efficiatur, declarant.* Hoc idem etiam oſtendit D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncul. 1.* inquiens: *Spiritualis curatio, quæ in fine adhibetur, debet eſſe perfecta; quia poſt eam alia non relinquitur; & lenis, ut ſpes, quæ exeuntibus maximè neceſſaria eſt, non frangatur, ſed foveatur, oleum autem lenitivum eſt, & penetrativum uſque ad intima, & etiam diffuſivum; & ideo eſt conveniens materia Sacramenti.* Quod autem hoc oleum debeat eſſe benedictum conſtat ex Sanctis Patribus, & Conciliis, & ex Eugenio IV. pro inſtructione Armenorum, & ex Concilio Tridentino; & ratio, cur hæc ſanctificatio requiratur, triplex aſſignatur à D. Thoma *loc. cit. quæſtiuncula 2.* Quarum prima eſt, quia omnis efficacia Sacramentorum à Chriſto deſcendit; ideoque Sacramenta, quibus ipſe eſt uſus, habent efficaciam ex ſuo uſu, ſicut tactus ſuæ carnis vim regenerativam contulit aquis: ſed hoc Sacramento non eſt uſus, nec aliqua corporali unctione, & ideo in omnibus unctionibus requiritur ſanctificatio materiæ. Secunda eſt, propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non ſolùm, ut culpam tollat, verùm etiam, ut reliquias, & infirmitatem corporis. Tertia quòd effectus ejus corporalis, ſeu ſanitas corporis non cauſatur ex materia naturali proprietate; & ideo oportet, quod hæc efficacia per benedictionem, ac ſanctificationem ei detur. Verum hæc benedictio eſt tantùm neceſſaria neceſſitate præcepti eccleſiaſtici, non Sacramenti, quia ad ejus ſubſtantiam benedictio non videtur pertinere, adeo ut valida debeat cenſeri extrema unctio, ſi non fieret ex oleo benedicto, neque per verba illa: *in nomine Domini*, ſignificatur olei benedictio, ſed tantùm, quòd oratio debeat fieri authoritate Chriſti. Ratio itidem cur oleum ex olivarum baccis expreſſum debeat eſſe materia hujus Sacramenti, & congruum itidem eſt, quod ſit benedictum, quia cum materia extremæ unctionis elevari debeat, ſicut materia confirmationis

Digitized by Google

nis, ad cauſandam gratiam, conſentaneum eſt, ut prius ab Epiſcopo benediceretur, & conſecraretur, perinde ac materia confirmationis. Neque eſt eadem ratio de materia Baptiſmi, quæ non exigit priùs neceſſariò conſecrari, idque ob ſummam hujus Sacramenti neceſſitatem, ne ſcilicet defectu conſecrantis, ſæpe homo privaretur æterna ſalute: Secus cùm Sacramentum extremæ unctionis non ſit tantæ neceſſitatis, ſicut baptiſmus congruum erat, ut ejus materia benediceretur, hinc oleum, ut eſt materia remota Sacramenti extremæ unctionis debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, præſertim in eccleſia Occidentali, ut docent Innocentius I. *epiſtola ad Decentium*, S. Gregorius *in Sacramentario.* Venerabilis Beda *in epiſt. S. Jacobi*, & plura Concilia, præſertim Tridentinum, rationem etiam adfert D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncul. 13.* ubi ait: *Miniſter Sacramenti non propria virtute effectum Sacramenti inducit, ut principale agens, ſed per efficaciam Sacramenti, quod diſpenſat, quæ quidem efficacia primò eſt à Chriſto, & ab ipſo in alios deſcendit ordinatè; ſcilicet in populum mediantibus Miniſtris, qui Sacramenta diſpenſant: & in Miniſtros inferiores mediantibus ſuperioribus, qui materiam ſignificant, & ideo in omnibus Sacramentis, quæ indigent materia ſanctificata, prima ſanctificatio materiæ fit per Epiſcopum, & uſus quandoque per Sacerdotem, ut oſtendatur Sacerdotalis poteſtas ab Epiſcopali derivata. Secundùm illud Pſal. 132. Sicut unguentum in capite, quod prius deſcendit in barbam, deinde uſque ad oram veſtimenti.* Debet autem hoc oleum, quod eſt materia remota hujus Sacramenti eſſe benedictum ab Epiſcopo in Eccleſia Occidentali, quia in Orientali ipſi Sacerdotes oleum benedicunt in ipſa Sacramenti extremæ unctionis adminiſtratione, ut conſtat ex Euchologiis in officio olei ſancti; quem ritum approbavit Clemens VIII. in inſtructione directa ad Epiſcopos Græcos, ubi ait: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta, præter chriſma ab Epiſcopis Latinis diœceſanis accipere: cùm ejuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.* Major difficultas eſt, an materia extremæ Unctionis poſſit eſſe chriſma, quale eſt materia confirmationis. Certum eſt, ex praxi præſentis eccleſiæ oleum infirmorum, quod eſt purum oleum, differre ab oleo Catechumenorum, & à chriſmate, ſed in antiquioribus ſæculis oſtendunt plures, præſertim Suarez, Henriquez, & alii, Chriſtianos fuiſſe uſos eodem chriſmate, ad utrumque Sacramentum confirmationis, & extremæ unctionis, & id etiam colligitur *ex epiſtola 9.* Gregorii Magni *ad Januarium lib. 3. Regiſtri.* quapropter valde probabile eſt, materiam illam poſſe ſufficere, cùm modicum tantùm balſami ei ſoleat ſuperaddi, ne deperdat nomen olei. Peccaret tamen lethaliter, qui abſque neceſſitate ab uſu communi Eccleſiæ nunc diſcederet, quamvis iterari non deberet Sacramentum. Quòd verò hoc oleum ex neceſſitate non ſolùm præcepti, ſed etiam Sacramenti debeat eſſe benedictum, & conſecratum, conſtat nunc ex praxi Eccleſiæ.

Materia proxima hujus Sacramenti, eſt ipſa unctio in quinque ſenſoriis, ſed non eſt neceſſaria unctio ſaltem ſimpliciter pedum, & renum, quamvis non deſint, qui cenſeant probabile eſſe in caſu neceſſitatis ſufficere unicam tantùm unctionem, factam in uno ſenſorio, prolata tamen integra forma, quæ eſt: *Per iſtam Sacram unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti.* Cæterum, quod debeant ungi ſenſoria, eſt certum de fide, quia ex iis omnibus oriuntur peccata, ut ex fontibus corruptis, non tamen eſt abſolutè neceſſe ungere duos oculos, & ambas aures, ſed unctio unius ſufficit, & in iis, qui manu carent, ſufficit, ſi ungatur pars vicinior, ut etiam in iis, qui à nativitate fuerunt cæci, ſufficit, ſi ungatur cavitas illa, in qua ſolent oculi reſidere. Neque inde ſequitur in hiſce caſibus falſificari formam Sacramenti, quia quamvis cæcus à nativitate, per actum externum illius ſenſus non peccaverit, potuit nihilominus peccatum internum commiſiſſe circa illum, ut ex deſiderio inordinato videndi. Præterea unctionem pedum, & renum non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ex eo conſtat, quia unctio in iis partibus ſolet in fœminis omitti; in Sacerdotibus non ungitur palma manus, ſed vel infra palmam, vel exterios pars manus: Quòd verò in neceſſitate poſſit ſufficere unica tantùm unctio prolata tota forma docent plures, ut Scotus, Medina, Paludanus, & alii, & nituntur, quia Sacra Scriptura exigit tantùm unctionem. Apud Græcos unctio adhibetur in fronte, genis, mento, & manibus referente Simeone Theſſalonicenſi *lib. de Sacramentis*, ſed nunc Græcos inungere præterea pectus, & pedes, refert Arcadius. In Occidente verò, ut dixi, fit in quinque ſenſibus, ut refert D. Gregorius in Sacramentario, & additur unctio pedum, & etiam renum, & D. Thomas in 3. *ſententiar. diſt. 23. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncul. 2.* aſſignat rationem, eò quia triplex ſit in nobis potentia, ſeu peccandi principium, ſcilicet potentia cognoſcendi, potentia appetendi, & potentia exequendi. Facultatum, quibus cognoſcimus, prima origo eſt in quinque ſenſibus, vis concupiſcendi in renibus, vis exequendi in pedibus, quibus videlicet ad bonum, vel malum progredimur: & quia prima origo peccati eſt in ſenſibus; ideo illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus quaſi de neceſſitate Sacramenti, ſed quidam non ſervant alias: quidam verò illam ſervant, quæ ad pedes, non quæ ad renes, quia appetitiva, & motiva ſunt ſecundaria principia. Cæterum, ut dixi, non eſt neceſſaria unctio renum, neque neceſſitate Sacramenti, neque univerſim neceſſitate præcepti, cùm nec fœminis propter pudorem adhiberi ſoleat, nec in omnibus Eccleſiis uſurpetur.

Neque urget, ſi dicas, Concilium Florentinum ſeptem enumerare unctiones, quia certum eſt, illas duas unctiones ad pedes, & tres non eſſe in fœminis neceſſarias etiam ex præcepto, & Serarius cap. 10. oſtendit, in Eccleſia olim unicam tantùm fuiſſe unctionem adhibitam. An verò ſit neceſſe, ut unctio fiat immediatè, per manus Sacerdotis, reſpondent plures cum Suarez. *diſput. 44. ſeſſ. 3. num.* 10. id non eſſe neceſſe, & tempore peſtis poſſe Sacerdotem uti virgula, cujus miniſterio infirmum ungat. Quòd ſi Sacerdos ungens infirmum moreretur, antequam perficeret unctio-

Digitized by Google

unctionem in hoc caſu deberet alius Sacerdos perficere, quod deeſt, nec eſſet neceſſe ea repetere, quæ prius dicta ſunt. An verò unctio ita ſit facienda, ut deſcribatur figura crucis, reſpondetur negativè, quia D. Jacobus referens inſtitutionem hujus Sacramenti, ſolùm ſignificat, ungendum eſſe infirmum oleo, & Concilia, & Patres circa hoc nihil ſtatuerunt.

Quòd ſi dicas, in Sacramento confirmationis debere figura crucis neceſſariò deſcribi, eſt etiam diſpar ratio, quia in extrema unctione non unguntur fideles, ſicut in confirmatione, tanquam quam milites Chriſti, ad portandam ejus crucem coram tyrannis, ſed tantùm tanquam infirmi, ad recuperandam ſalutem; hæc enim ratio eſt, cur in Sacramento confirmationis, per unctionem deſcribatur figura crucis, non verò id neceſſarium ſit in Sacramento Extremæ Unctionis.

Forma hujus Sacramenti extremæ unctionis, ſunt verba illa à Sacerdote ungente infirmum prolata: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti, per viſum, auditum, olfactum, guſtum, & tactum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quòd ſi dicas, S. Jacobum in ſua epiſtola *cap. 5.* non præſcribere hanc formam, ſed tantùm aliquas preces, ait enim Apoſtolus: *Et orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum*, quia ex hiſce verbis tantùm infertur, formam precationis eſſe proferendam, non verò quod forma ſint talia determinata verba, quæ Sacerdos debeat repetere, ad ſingulas unctiones ſcilicet: *per iſtam ſanctam unctionem indulgeat tibi Deus &c.* Sed contra quia tametſi Apoſtolus, id non expreſſerit, quibus potiſſimum verbis ſit hæc forma concipienda, nihilominus hæc forma promanavit ad nos ex fidelium Patrum traditione, adèo ut omnes Eccleſiæ hanc formæ rationem retineant, qua Mater, & Magiſtra Eccleſia Catholica Romana utitur, neque obſtat, quod aliqui nonnulla verba immutent, quia nulla ſit ſententiæ immutatio, & conſtat eandem ab omnibus formam religiosè ſervari. In eccleſia Orientali apud Græcas forma eſt purè deprecatoriè, ut patet ex Euchologio, referente Neophyto Rhodino in ſua ſynopſi vernacula edita Romæ in collegio de propaganda fide, & approbata. Olim itidem forma ex abſoluta deprecatoria mixta erat, ſed abſoluta oratio potiùs erat diſpoſitio ad formam, quàm ipſa forma, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncul. 2. ad 3.* ubi ait: *Verba illa indicativi modi, quæ ſecundùm morem quorundam præmittuntur orationi, non ſunt forma hujus Sacramenti, ſed ſunt quædam diſpoſitio ad formam, in quantum intentio Miniſtri determinatur ad actum per illa verba.* Quo pacto in Sacramentario S. Gregorii abſoluta oratio deprecatoriè annectebatur hoc pacto: *Inungo te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Operare creatura olei, & in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic Spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Dei altiſſimi, & Spiritus S. per eundem &c.*

Neque debet mirum videri, ſi aliqua mutatio fuerit in hac forma facta, & precatione quadam abſolvatur forma hujus Sacramenti, cùm forma Sacramentorum alias abſolutè ſignificet, quod efficit, ut cùm dicimus; *Ego te baptizo, ſigno te ſigno crucis*, & in Sacramento Ordinis: *Accipite poteſtatem*, nam in hoc Sacramento Extremæ Unctionis optimo jure conſtitutum eſt, nam cùm hoc Sacramentum adhibeatur, ut præter Spiritualem gratiam, quam tribuit, ſanitatem itidem reſtituat ægrotis, tamen quia non ſemper ſequitur, ut ægri à morbis convaleſcant, hac de cauſa forma deprecatoriè hujus Sacramenti profertur, ut à Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis conſtanti & perpetuo ordine efficere non ſolet, ut obſervat Catechiſmus Concilii Tridentini. D. Thomas itidem plures addit rationes, cur forma hujus Sacramenti in modum precationis proferri debeat, ait enim *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncul. 3. Quia ſuſcipiens hoc Sacramentum eſt viribus propriis deſtitutus, unde indiget orationibus ſublevari. Secunda, quia datur exeuntibus, qui jam deſinunt eſſe de foro eccleſiæ, & in ſolius Dei manu requieſcunt; unde & ei per orationem committuntur. Tertia eſt, quia hoc Sacramentum non habet aliquem effectum, qui ſemper ex operatione miniſtri conſequatur omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti ritè peractis, ſicut character in baptiſmo, & confirmatione, & tranſubſtantiatio in Eucharìſtia, & remiſſio peccati in Sacramento Pœnitentiæ exiſtente contritione, quæ eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, non autem de eſſentia hujus Sacramenti: & ideo in hoc Sacramento non poteſt eſſe forma indicativi modi, ſicut in prædictis Sacramentis.* Forma verò perquam conveniens eſt illa, quam adhibet eccleſia Romana: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus &c.* quæ repetitur in ſingulis quinque ſenſibus, quia in hac forma exprimitur Sacramentum, cum dicitur: *Per iſtam Sanctam Unctionem*; & etiam id quod operatur in hoc Sacramento, eſtque divina Miſericordia; *& ſuam piiſſimam miſericordiam*: imò etiam effectus Sacramenti, eſtque remiſſio peccatorum, per verba illa: *Indulgeat tibi Deus*: neque neceſſe eſt, ut in formâ hujus Sacramenti exprimatur corporis ſanitas, quia ſufficit, ſi exprimatur effectus primarius, qui eſt remiſſio peccatorum, ſeu ſanitas animæ, quæ in homine eſt pars præcipua, hic enim effectus ſemper habetur, eſtque præcipuus, niſi adſit obex ex parte recipientis: ſecus ſanitas corporis non ſemper ſequitur.

Quamvis ab Eccleſia tot adhibeantur diſtinctæ unctiones, quot in homine diſtinguuntur ſenſus, & quidem in organis quinque ſenſuum; neque poſſit ulla omitti abſque gravi peccato: nihilominus quoad ſubſtantiam Sacramenti una tantum ſufficeret, quia per hanc unicam ſatisfit præcepto Chriſti promulgato per S. Jacobum in ſua Epiſtola *cap. 6.* ſicut enim per unicam abſolutionem ſatisfit præcepto Chriſti: *baptizantes eos*, ita per unicam unctionem: *ungentes eum oleo.* Et plura ritualia approbant, ut per unicam unctionem tempore peſtis ungantur periclitantes de vita, ne Miniſter periculum incurrat peſtem contrahendi. Cæterum oleum, quo inunguntur infirmi, non debet alteri liquori admixtum eſſe, quia ſi per eam admixtionem olei natura mutaretur, nullum eſſet hoc Sacramentum, ſin autem valde modica eſſet admixtio, illicita quidem eſſet, & graviter peccaret, qui chriſma, vel alium peregrinum liquorem,

quam-

Digitized by Google

quamvis in modica quantitate oleo infirmorum admiſceret, vel eo ſic mixto infirmum ungeret, tamen quia non mutaretur olei natura, adhuc hoc Sacramentum ſortiretur ſuum valorem, & effectum. Materia enim & forma Sacramentorum mutari ex induſtria non poſſunt, nec leviter, nec quoad accidentia, quia hæc mutatio adverſatur inſtitutioni à Chriſto factæ, & eſt contra eccleſiæ diſciplinam, ac reverentiam debitam Sacramentis, propterea non excuſaretur à gravi peccato, qui peregrinum liquorem, vel chriſma, quamvis in modica quantitate oleo admiſceret extremæ Unctionis. Quòd ſi oleum ab Epiſcopo benedictum deficeret, tunc poſſet modicum oleum, non conſecratum admiſceri conſecrato, & eo infirmus inungi, ut habetur *ex cap. Quòd in dubiis, tit. de conſecrat. Eccleſ.* ubi dicitur: *Nec negamus, quin oleum, non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri.*

Cæterum ſummus Pontifex poteſt concedere, ut hoc oleum à ſimplici Presbytero benedicatur, quia cum in eccleſia Orientali benedicatur à Presbyteris, in ipſa hujus Sacramenti adminiſtratione poteſt Romanus Pontifex, hanc benedictionem concedere ſimplici Sacerdoti. Quòd ſi Sacerdos loco olei infirmorum, ad ægrotum ungendum adhiberet chriſma, vel oleum catechumenorum, tunc deberet iterare unctionem, & adhibere oleum ſacrum proprium infirmorum, & repetere formam, ut tradit S. Carolus in ſuis inſtructionibus de extrema unctione, ubi etiam declarat in mutilatis eſſe inungendas partes viciniores organis ſenſuum, ut etiam docet D. Thomas *in 4. ſentent. diſt. 26. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 3.* inquiens: *Mutilati inungi debent, quanto propinquius eſſe poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat, quia tametſi non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur ſaltem in radice, & interius peccare poſſunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.* Iis qui non ſunt Sacerdotio initiati, manus à parte interiori inungi debent, ſecus verò Sacerdotibus à parte exteriori, quia in parte interiori jam manus fuerunt unctæ in ſacra ordinatione. Rurſus in ungendis oculis, & aliis membris, quæ in homine paria ſunt, debet Miniſter utrumque membrum ita inungere, ut utriusque unctionem ſolvat ſub una tantùm verborum formula, quamvis duas cruces deſcribat in utroque oculo, & prius ungat dexterum, deinde ſiniſtrum, ait enim S. Carolus in ſuis Inſtructionibus, de extrema unctione crucem eſſe ſacro oleo imprimendam membro, quod ungitur, ut inde diſcamus, hæc dona nobis concedi ex meritis crucis, & paſſionis Domini, & ut hoc ſignum crucis deferamus ad Chriſti tribunal, ut oſtendatur nos conſtanter ſub crucis vexillo, usque ad mortem pugnâſſe.

Non tamen pertinet ad quemlibet Sacerdotem, hoc Sacramentum extremæ unctionis adminiſtrare, quia id officii convenit tantùm proprio Paſtori, ſeu Epiſcopo, vel Parocho, vel cui illi facultatem conceſſerint adminiſtrandi hoc Sacramentum, ut declarat Catechiſmus Concilii Tridentini *part. 2. de Sacramento extremæ unctionis* §. 27. ubi habetur: *Neque tamen ex ſanctæ Eccleſiæ decreto cuivis Sacerdoti, ſed proprio Paſtori, qui jurisdictionem habeat, ſive alteri, cui ille hujus muneris poteſtatem fecerit, hoc Sacramentum adminiſtrare licet*; hinc Sacerdotes regulares extremam unctionem ulli ſæculari infirmo adminiſtrare non poſſunt absque licentia Parochi, vel Epiſcopi illius, alioquin graviter peccant, & excommunicationem incurrunt, ut habetur *in Clement. 1. de privilegiis*, & *Clement. dudum, tit. de ſepulturis.* Deficiente autem Parocho, & quavis alio habente poteſtatem ab Epiſcopo, tunc quilibet Sacerdos etiam Regularis poteſt hoc Sacramentum licitè adminiſtrare, quia quilibet Sacerdos poteſtatem habet abſolvendi ab omnibus peccatis, & cenſuris conſtitutos in mortis articulo, ita conveniens erat, ut in hoc caſu haberet etiam poteſtatem adminiſtrandi hoc Sacramentum extremæ unctionis, ut ſaluti conſulatur proximi præſertim, cùm hoc Sacramentum ſit complementum pœnitentiæ, ne fortè moribundi hoc beneficio carentes æterna deſtituantur ſalute, ut poſſet contingere, ſi ægrotus aliqua peccata mortalia haberet remittenda, vel ſi non confirmaretur hoc Sancto oleo, contra aſſultus Dæmonis in ultima illa lucta.

Hinc non eſt neceſſe expectare ultimum vitæ extremum, ut adminiſtretur hoc Sacramentum, ſed ſufficit, ſi periculum vitæ immineat, vel periculoſa ægritudine quis laboret, quia nec S. Jacobus, nec Sancti Patres, qui promulgarunt, & explicârunt hanc ſacram unctionem extremam, cenſuerunt, infirmum debere eſſe morti proximum, ut inungatur, ſufficit igitur ad hoc Sacramentum miniſtrandum, ſi ægrotus ex Medici judicio periclitetur de vita, vel poſſit aliquod obtingere Symptoma, quo ſtatim poſtea moriatur, hinc Sanctus Cyrillus Alexandrinus, & venerabilis Beda aſſerunt, poſſe hoc Sacramentum miniſtrari graviter decumbenti, ut ſanitati corporeæ reſtituatur. Unde poteſt conferri nondum deſperata decumbentis valetudine, alioquin ſi ſemper eſſet expectandum ultimum vitæ extremum, quando ægrotus eſt jamjam animam acturus, non poſſet hoc Sacramentum effectum ſuum ſecundarium exſerere, ſeu ſanitatem corporis reſtituere, niſi perraro; non enim extrema unctio operatur hunc ſecundum effectum, ſeu ſanitatem per modum miraculi, ſed virtute ordinaria ſupernaturali, quæ corroborat cauſas naturales. Idque confirmat D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 22. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 2.* ubi ait: *Hoc Sacramentum eſt ultimum remedium, quod poteſt eccleſia conferre, quaſi immediatè diſponens ad gloriam, & ideo illis tantùm infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc, quòd ægritudo nata eſt mortem inducere, & de periculo timetur.* Unde ex D. Thoma ſufficit, ſi timeatur de periculo, hinc conſultius ſemper eſt Sacramentum extremæ unctionis adminiſtrare, dum æger integris eſt ſenſibus, ut percipiat, ac plenè cognoſcat Sacramentum, quod recipit, & ut vires corporis poſſint in ipſo corroborari, quapropter miniſtratio hujus Sacramenti non eſt differenda, donec æger omnibus ſenſibus ſit deſtitutus, quia tunc fruſtraretur ſaltem, ut plurimum ſuo effectu ſecundario, qui eſt corroborare languentis corporis vires, & perſæpe mors poſſet unctionem prævenire, unde ſemper conſultius eſt, ut tempeſtivè adminiſtretur, adeo ut infirmus mente adhuc integra poſſit cognoſcere hujus Sacramenti efficaciam, ut injungit S. Carolus Parochis in ſuis inſtructionibus de Sacramento extremæ unctionis, ubi ait: *Miniſtrabit autem, dum æger integris ſenſibus eſt. Quòd ſi aliqua morbi vi infirmus*

Digitized by Google

infirmus oppressus dubitatur, vivusne sit, an mortuus, tunc diligenter de hoc sacerdos videbit, consulto etiam Medico, si in tanta temporis brevitate potest. Si non potest, & in dubio est, utatur ea conditione, si es vivus, per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus. Quòd si infirmus in eo statu sit, ut Spiritum videatur exhalaturus, antequam Sacramenti hujus administrationem Parochus absolvere possit, tunc psalmis, & litaniis prætermissis stata verborum formula, singulas corporis partes, quas ungi ritus expostulat, inunget, si quæ superstes erit, tunc statim reliquas preces, litaniasque adhibebit. Si verò dum ungitur, Spiritum emiserit, tunc Parochus ungere desistet; hactenus S. Carolus.

Furiosis autem, & amentibus, qui non habent lucida intervalla, non est administrandum hoc Sacramentum extremæ unctionis, quia ut docet D. Thomas *loc. cit. quæstiunc.* 3. ad effectum hujus Sacramenti suscipiendum plurimum valet devotio suscipientis, & personale meritum conferantium, ac generale totius Ecclesiæ; idque patet per hoc, quod per modum deprecationis forma hujus Sacramenti confertur; ideoque illis, qui non possunt cognoscere, nec cum devotione debita suscipere, hoc Sacramentum dari non debet, & præcipuè furiosis, & amentibus. Infirmis tamen qui dum erant sanæ mentis, hoc Sacramentum petierunt, vel est verosimile, quod petierint, quamvis postea in amentiam inciderint, vel ratione, & sermone uti desierint, debet ministrari, ut etiam asserit S. Carolus in suis institutionibus. Pueris tamen hoc Sacramentum non ministratur, quia cum non peccaverint, ante septennium non congruit illis forma hujus Sacramenti. Præterea quia hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut & Eucharistia, hinc sicut Eucharistia non datur pueris, ita, neque hoc Sacramentum, quod non datur contra reliquias peccati originalis, sed tantum actualis. Mulieribus itidem in partu laborantibus, nisi sint ex contracta ægritudine constitutæ in mortis periculo, non ministratur hoc Sacramentum, quamvis in frequenti vitæ discrimine versentur: eò quia tunc non censentur parturientes periculosè ægrotare. Hincneque hoc Sacramentum est ministrandum navigantibus, peregrinantibus, capite damnatis, quia subjectum proprium hujus Sacramenti est periculosè ægrotus, ac constitutus in vitæ periculo, & navigantes, peregrinantes, & damnati ad violentam mortem subeundam non sunt ægroti, consequenter ipsis non ministratur hoc Sacramentum extremæ Unctionis. Potest tamen extrema unctio adminitrari senio confectis in diem morituris, tametsi nulla alia laborent ægritudine, quia extrema senectus per se morbus est, & quidem periculosus, & possunt vires statim deficere, hinc plura Concilia jubent Sacramentum hoc adminitrari senio confectis tametsi leviter tantum laborent.

Potest etiam extrema unctio in eadem infirmitate repeti, si convalescat, & postea idem periculum incidat infirmus, quia, ut docet D. Thomas *in 4. sententiar. dist. 33. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 2. Hoc Sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum; quia non debet dari nisi infirmis, qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare: quænam ergo infirmitates non sunt diuturnæ, unde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc cum homo ad illum statum perveniat, ut sit in periculo mortis, non recedit à statu illo, nisi infirmitate curata, & ita iterum non debet inungi, sed si recidivam patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quænam vero sunt ægritudines diuturnæ, ut hectica & hydropisis, & hujusmodi: & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis, & si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi, quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.* Hoc tamen Sacramentum non potest administrari infirmo, nisi post confessionem peccatorum suorum, & post viaticum corporis Christi, si possit illud recipere, quia qui Sacramenta suscipit, necesse est purgatam habeat conscientiam, quia effectus Sacramenti est, causare gratiam in suscipiente, & nihil magis impedit hanc Sacramenti gratiam, quàm mortiferi alicujus peccati conscientia, proinde tenetur moribundus, antequam inungatur, confiteri, & omnia sua peccata subjicere clavibus Ecclesiæ cum vero, & sincero dolore. Et quamvis hoc Sacramentum extremæ unctionis non sit ad salutem simpliciter necessarium, sunt tamen peccati lethalis rei, qui moniti recusant, vel differunt hoc Sacramentum suscipere, si id fiat in contemptum Sacramenti, quia potest contingere, ut post absolutionem, & Eucharistiam perceptam ægrotus in peccatum aliquod lethale lapsus fuerit, quod memoriæ non occurrat, ut illud confiteatur, tunc enim beneficio Unctionis vel ut medio ordinario daretur, & remittitur.

C A P U T III.

De Effectu, & Ministro hujus Sacramenti.

Asserendum est, proprium, & primarium hujus Sacramenti effectum esse, tollere reliquias peccatorum, seu causare gratiam, qua hujusmodi reliquiæ tollantur, ut declaratur in Concilio Tridentino *sess.* 14. *de Sacramento Extremæ Unctionis*, ubi loquens de effectibus hujus Sacramenti ait: *Gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint, adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Quid verò per reliquias peccatorum intelligatur, Theologi inter se dissident. Alii enim per reliquias peccatorum intelligunt peccata, quæ interdum relinquuntur in anima post confessionem, & communionem infirmi, vel quia per inadvertentiam omissa fuerint in confessione, vel quia post illam, & viatici sumptionem fuerunt commissa: ex quo inferunt, gratiam remissivam horum peccatorum esse proprium, ac primarium effectum hujus Sacramenti.

Alii per reliquias, peccatorum intelligunt peccata venialia nondum remiſſa, adeo, ut gratia remiſſiva venialium ſit primarius effectus hujus Sacramenti. Alii demum dicunt reliquias peccatorum nihil aliud eſſe niſi torporem quendam, & languorem ad bene operandum, & cauſatum partim ex præcedentibus peccatis mediantibus pravis habitibus, ac diſpoſitionibus relictis ex peccato, & partim ex ipſa corporis infirmitate, vel ex præcedentium peccatorum recordatione, & imminentis mortis propinquitate, vel etiam ex terrificis Dæmonis illuſionibus, ac tentationibus, & inde aſſerunt augmentum gratiæ cum jure ad ſpecialia iſta auxilia, quibus homo confortatur, ac corroboratur ad eliciendos actus ſupernaturales, ac vincendas in ultimo illo agone diabolicas tentationes eſſe proprium ac primarium hujus Sacramenti effectum, ut docent fere communiter cum D. Thoma *quæſt. 3. art 1.*

Quapropter aſſerendum eſt, effectum primarium, & proprium Sacramenti extremæ unctionis eſſe augmentum gratiæ habentis jus ſpeciale ad auxilia, quibus infirmus confortetur, & roboretur contra languorem, & debilitatem relictam partim à peccatis præcedentibus, & partim ex infirmitate ad operandum bonum, adeo, ut per hoc augmentum gratiæ juvetur infirmus ad eliciendos actus ſupernaturales, ac vincendas Dæmonis tentationes, ut decumbens placide migret ex hac vita. Et deſumitur ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2.* ubi loquens de effectu hujus Sacramenti ait: *Gratia hæc Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc explicanda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat magnam in ea divina miſericordia fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatur, & morbi incommodo, ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit.* Et alludit ad illud *Geneſ. 3.* ubi de muliere dictum eſt Dæmoni ſub figura ſerpentis, *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*, quaſi per calcaneum ſignificetur finis ipſius vitæ, in quo dæmon acriùs per terrificos aſſultus hominem inſectatur, quem vincat ac perdat. Ratio itidem ex eo petitur, quia ex Tridentino effectus proprius hujus Sacramenti eſt delere reliquias peccatorum: ſed per reliquias peccatorum non videtur quid aliud ſignificari, quam animi languor, & imbecillitas in ordine ad bene, & honeſte operandum: conſequenter proprius effectus hujus Sacramenti eſt augmentum gratiæ habentis ſpeciale jus ad hæc auxilia, quibus infirmus corroboretur contra languorem, & debilitatem ad honeſtè, ac benè operandum. Major, & conſequentia tenent, minor probatur, quia præter hunc languorem, ac imbecillitatem ad operandum benè, & honeſtè, nihil aliud reperitur, quod ex peccatis anteactæ vitæ relinquatur in anima, niſi ipſa macula, aut reatus pœnæ æternæ, aut obligatio ad pœnam temporalem, quæ relinquitur poſt remiſſam culpam, & reatum pœnæ æternæ, aut habitus vitioſus vel fomes peccati: atqui per reliquias peccatorum non poteſt intelligi ipſa macula, nec reatus pœnæ æternæ, quia hæc tolluntur per Sacramentum pœnitentiæ, quod etiam ſecundariò ordinatur ad remittendam pœnam temporalem. Neque poſſunt per reliquias peccatorum intelligi habitus vitioſi, aut fames peccati; ſiquidem hæc remanent in infirmo, qui ſuſcepit extremam unctionem, ſi convaleſcat. Præterea, quia habitus vitioſi non tolluntur niſi per actus oppoſitos, & frequenter repetitos: ergo per reliquias peccatorum non poteſt quid aliud commodius intelligi, quam præfatus languor ad bene operandum, quatenus eſt effectus præcedentium peccatorum.

Quòd ſi dicas, per reliquias peccatorum intelligi ea peccata, quæ ex inadvertentia fuerunt in confeſſione à moribundo omiſſa; vel poſt viatici ſumptionem commiſſa, contra eſt, quia vel hæc peccata ſunt lethalia, vel tantùm venialia, ſed Sacramentum extremæ unctionis non eſt per ſe primò inſtitutum ad remiſſionem peccatorum lethalium, ad hunc enim effectum præſtandum fuit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, & Sacramentum extremæ unctionis fuit inſtitutum per modum medicinæ, unde ſicut medicina corporalis præſupponit vitam corporalem: ita ſpiritualis ſpiritualem: ſed per peccatum lethale tollitur vita ſpiritualis animæ, ergo, cùm Sacramentum extremæ unctionis ſit per ſe inſtitutum per modum ſpiritualis medicamenti, debet neceſſario ſupponere vitam ſpiritualem, quæ non tollitur niſi per peccatum lethale, conſequenter non eſt per ſe primo inſtitutum ad remittenda peccata lethalia. Rurſus quia Sacramenta vivorum non ſunt inſtituta, ut per ſe primò remittant peccata mortalia, ac producant primam gratiam, ſed tantum, ut cauſent augmentum illius cum jure ad illa auxilia, quæ conducunt ad proprios fines cujus vis Sacramenti vivorum, ut communiter docent Theologi, ſed extrema unctio eſt unum ex Sacramentis vivorum: ſiquidem Sacramenta mortuorum ſunt tantùm duo, baptiſmus, & pœnitentia: ergo effectus proprius, & primarius extremæ unctionis non eſt remiſſio peccati lethalis, & prima gratia, ſed tantùm ejus augmentum habens jus ſpeciale ad auxilia, quibus infirmus corroboratur contra languorem, ad operandum bonum, relictum ex peccatis præcedentibus.

Rurſus quòd primarius, & proprius effectus extremæ unctionis non ſit remittere ea peccata, quæ fortaſſis fuerunt commiſſa ab infirmo poſt peractam confeſſionem, & ſumptum viaticum, ex eo itidem claret, quia ex Tridentino hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad tollendas reliquias peccatorum, ſed peccata ab infirmo poſt confeſſionem, & viaticum commiſſa, non poſſunt dici reliquiæ aliorum peccatorum, quia hæc ſupponuntur per confeſſionem antea peractam remiſſa, ut enim aliquid dicatur eſſe reliquias alterius, non ſufficit, ſi illi ſimpliciter ſuccedat, ſed ulterius requiritur, quod ſit pars, & effectus illius, quo pacto languor, debilitas, macies, pallor, quæ ex ægritudine relinquuntur propriè dicuntur reliquiæ morbi, quatenus ſunt effectus illius, conſequenter primarius, & proprius effectus hujus Sacramenti non eſt remittere poſt confeſſionem, & viaticum ab infirmo remiſſo peccato.

Quamobrem extremæ unctionis Sacramentum remittit in primis peccara leviora, quæ venialia dicuntur: quia peccata lethalia tolluntur per Sacramentum pœnitentiæ: non enim extrema unctio primariò inſtituta fuit ad delenda peccata mortalia, quia hæc delentur per Sacramenta pœnitentiæ vel baptiſmi, ex ipſa enim ſignificatione Sacramenti præcipuus ejus effectus accipi debet, quia Sacramentum id efficit, quod ſignificat. Præterea Extrema unctio adhibetur ſecundum modum cujusdam medicinæ: ſed medicina datur ad pellendam infirmitatem, & ad priſtinam ſanitatem promovendam, unde hoc Sacramentum primariò inſtitutum eſt ad ſanandam infirmitatem peccati; ſicut enim baptiſmus eſt quædam ſpiritualis

regen

Digitized by Google

regeneratio, & pœnitentia quædam ſpiritualis ſuſcitatio, ita extrema unctio eſt quædam ſpiritualis ſanatio: & ſicut corporalis ſanatio vitam corporis ſupponit in eo cui datur medicina; ita ſpiritualis ſanatio vitam animæ ſupponit, ex quo infertur hoc Sacramentum non dari contra defectus, quibus ſpiritualis vita tollitur, cujusmodi ſunt peccatum originale, & mortale, ſed tantùm contra defectus, qui ſupponunt vitam ſpiritualem, tametſi infirmam, & imbecillem, ut docet D. Thomas *in 4. ſentent. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2.* Nihilominus poteſt etiam remittere extrema unctio peccata lethalia, ſi quæ forte commiſſa ſunt à tempore ſuſceptæ abſolutionis in infirmitate, præſertim ſi infirmis ignoret ſe ea commiſiſſe, ait enim D. Thomas 4. *contra Gentes cap. 73. Contingit, quod homo omnium peccatorum, quæ commiſit, notitiam vel memoriam non habet, ut poſſit per pœnitentiam ſingula purgare, ſicut etiam quotidiana peccata, ſine quibus præſens vita non agitur, à quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum emundari.*

Eſt etiam effectus extremæ unctionis delere reatum pœnæ temporalis, ac tollere pravas diſpoſitiones ad peccandum, quæ per iteratos peccatorum actus contrahuntur, ut etiam animi languorem, & infirmitatem quæ ex peccato relinquuntur, & vocari etiam ſolent reliquiæ peccatorum, eò quia fuerint hæc omnia cauſata à peccatis: quemadmodum curata corporis infirmitate remanet in homine quædam totius corporis debilitas ſeu defectus priſtini vigoris neceſſarii ad perfectè exercenda vitæ opera, ſi poſt deletionem peccati, remanet adhuc in homine quodam debilitas ad operationes vitæ ſpiritualis exercendas, & effectus hujus Sacramenti eſt has reliquias peccatorum abſtergere, & vires ſpirituales adaugere, ait enim D. Thomas *lib. 4. contra gentes cap. 73.* Hujusmodi quidem ſpirituales infirmitates per pœnitentiam ſunt curandæ, prout pœnitens per opera virtutis, quibus ſatisfaciendo utitur, à malis retrahitur, & ad bonum inclinatur: ſed quia homo vel per negligentiam, vel per occupationes varias vitæ autem etiam propter brevitatem, aut propter alia hujusmodi prædictos defectus in ſe perfectio non curat ſalubriter ei providetur, ut per hoc Sacramentum prædicta curatio compleatur, & à reatu pœnæ temporalis liberetur, ut ſic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ à corpore eam poſſit à preceptione gloriæ impedire. Verum tamen eſt, quod non ſemper omni ex parte remittatur reatus pœnæ temporalis, adeo ut homo poſt obitum nulli amplius ſit obnoxius pœnæ, quia adhuc flammis expiatoriis reatus pœnæ temporalis luendus eſt in purgatorio, ſed tunc tantùm, quando adeſt interior diſpoſitio ad remotionem talis reatus ſimul cum hoc Sacramento, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncul. 1. ad 2.* cujus hæc ſunt verba: *Reatum pœnæ temporalis dimittit ex conſequenti, in quantum debilitatem tollit, quia eandem pœnam levius portat fortis, quam debilis.*

Alius extremæ unctionis effectus eſt allevatio animæ, ejusque confirmatio, ut morbi incommodo levius ferat, & adverſariis ſalutis ſuæ potius reſiſtat: ſiquidem hoc Sacramentum excutit triſtitiam, ut ſereno, ac læto animo Domini adventum expectemus, ac ſimus parati depoſitum noſtrum reſtituere, quando voluerit ipſam à nobis exigere. Præterea, quia nullo tempore magis tartareus hoſtis adnititur, ad nos perdendos, quàm in extremo illo vitæ conflictu, in quo ſpem divinæ miſericordiæ nobis eripere conatur, ideoque beneficio hujus Sacramenti arma nobis ſuppeditantur, & vires adaugentur, quibus aſſultus Dæmonis poſſimus compeſcere, ut enim ait Catechiſmus Concilii Tridentini: *Allevatur, & erigitur animus divinæ bonitatis ſpe, eaque confirmatus morbi omnia incommoda fert levius, ac ipſius Dæmonis Calcaneo inſidiantes artes, & calliditatem facilius eludit.*

Eſt etiam effectus hujus Sacramenti corporis ſanitas, ſi profutura ſit ad animæ ſalutem, ut colligitur ex verbis S. Jacobi, *& oratio fidei ſalvabit infirmum,* ut Patres, Concilia, & ritualia confirmant, & noviſſimè etiam Tridentina ſynodus, quæ de hujus Sacramenti effectu ita loquitur: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur, & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, res enim hæc gratia eſt Spiritus Sancti cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, ac confirmat magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Quod ſi hos effectus ægrotus decumbens non conſequitur, id non vitio datur Sacramento, ſed hujus defectus cauſa tribuitur ipſi ægroto, vel Miniſtro indigenti, qui firmiore fide deſtituuntur, qua de cauſa refert ſanctus Matth. *cap. 12.* Dominum apud ſuos multas virtutes non feciſſe propter eorundem incredulitatem, quamquam etiam dici poſſit Chriſtianam religionem, ex quo altius ſuas radices egit in animis hominum, minus jam hujusmodi miraculorum adminiculis indigere, quam olim ſub initiis Orientalis Eccleſiæ viderentur neceſſaria, ut catechiſmus Concilii Tridentini *ait* D. Thomas itidem *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 1.* *quæſtiuncul. 2.* ait: *Quod extrema unctio non facit corporalem ſanationem ex proprietate naturali materiæ, ſed ex virtute divina, quæ operatur rationabiliter: & quia ratio operans nunquam inducit ſecundarium effectum, niſi ſecundùm quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non ſequitur corporalis ſanatio ſemper, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem: & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis.*

Cæterum hoc Sacramentum non imprimit charactarem, quia tria tantum ſunt Sacramenta, quæ characterem imprimunt, baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, ut docet D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncul. 3.* ubi ait: Et character non imprimitur niſi in illis ſolis ſacramentis, quibus homo ad aliquod ſacrum deputatur. Sacramentum verò extremæ unctionis eſt ſolùm in remedium, & per ipſum homo non deputatur ad aliquod ſacrum agendum, vel ſuſcipiendum; ideoque non imprimitur in eo character, Præterea quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt non poſſunt iterari, ſecus extrema unctio poteſt pluries miniſtrari eidem homini, variis infirmitatibus periclitanti, licet non defuerint, qui cenſerent extremam unctionem non eſſe iterandam, ut Yvo Carnotenſis, & Goffridus Vindocinenſis, non tamen fuerunt in ea o-

pinione, ut putaverint hoc Sacramentum imprimere characterem: quod verò non eſſet hoc Sacramentum iterandum, probabant primò, quia eſt Sacramentum tale, quod non miniſtratur, niſi cùm homo tranſit ex hac vita. Secundò, quia hoc Sacramentum eſt ſpecies publicæ pœnitentiæ, quæ ſemel tantum olim concedebatur. Tertiò quia reliquæ unctiones non iterantur, conſequenter ajebant, nec iſtam eſſe iterandam, quæ tamen rationes non evincunt intentum, quia de ratione Sacramenti non eſt, quod non poſſit iterari, ut conſtat de Eucharistia, pœnitentia, & matrimonio, quæ pluries iterari poſſunt. Quod verò pœnitentia publica ſub Eccleſiæ initiis non iteraretur ſola fuit ſanctio Eccleſiæ, non verò Chriſti inſtitutio. Cæterum aliæ unctiones ideò non iterantur, quia ſunt conſecratoriæ, & perſona ſemel conſecrata intelligitur ſemper conſecrata, conſequenter non eſt apta, ut iterum conſecretur. Unctio verò extrema non eſt conſecratoria, ſed ſanatoria, & ſe habet per modum medicinæ, quæ toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. Hinc cenſent fere communiter Theologi recentiores Sacramentum extremæ Unctionis non ſolùm in diverſis infirmitatibus, verum etiam in eadem, ſi periculosè quis ægrotet poſt unctionem convaleſcat, & deinde in eundem infirmitatis ſtatum relabatur.

Quod Miniſtrum hujus Sacramenti attinet, certum eſt eſſe ſolum ſacerdotem, qui poteſt valide hoc Sacramentum adminiſtrare, & evincitur ex dicta epiſtola D. Jacobi *cap.* 5. Ubi expreſsè ait: Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe ſolùm Presbyterum: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo*, ex his enim verbis clarè conſtat, Miniſtros hujus Sacramenti eſſe ſolos Presbyteros, quod etiam confirmat Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de externa unctione cap.* 3. *&* 4. ubi ait: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos D. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum ungendum hortatur, non eſſe ſacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate Seniores, in quavis communitate, & ob id extremæ unctionis Miniſtrum non eſſe ſacerdotem, anathema ſit.* Præterea quia hoc eſt fidei dogma, ut conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ nunquam hujus Sacramenti adminiſtrationem alteri quàm ſacerdoti commiſit. Ratio eſt, quia, cùm Sacramentum extremæ unctionis ex Tridentino ſit Sacramentum completivum ac conſummativum pœnitentiæ, congruum erat, ut ab aliis non adminiſtraretur, quam ab illis, qui ex proprio munere miniſtrant Sacramentum pœnitentiæ, ex quo infertur ſolos ſacerdotes poſſe valide miniſtrare hoc Sacramentum. Epiſcopus itidem, ſi ſacerdos eſt, poteſt etiam licitè, & validè adminiſtrare hoc Sacramentum, imò miniſtrare hoc Sacramentum proprium eſt officium Paſtoris, ſine cujus licentia extra caſum neceſſitatis nullus alius ſacerdos poteſt hoc Sacramentum miniſtrare, ut pluribus in locis ſacri Canones declarant, quod ſi Parochus non adſit, vel nolit ungere poteſt, tunc hoc munus uſurpari à quolibet alio ſacerdote, quia tunc charitas in proximum, quæ urget, & neceſſitas moribundi ſufficienter excuſant à peccato, obligantur tamen Paſtores ex juſtitia ad adminiſtrandum ſuis ſubditis petentibus hoc Sacramentum, præſertim ſi absque vitæ periculo poſſint illud miniſtrare, quia ex proprio officio, & ſtipendio, quod accipiunt, tenentur Sacramenta miniſtrare ſuis ſubditis. Quod ſi Paſtor ſine probabiliſſimo vitæ periculo non poſſet infirmum ungere, ut ſolet contingere tempore peſtis, tunc ſi infirmus aliquod aliud Sacramentum ſuſceperit, ut ſi fuerit confeſſus, docent plures, non teneri tunc Parochum cum probabiliſſimo vitæ periculo ungere infirmum, eò quia hoc Sacramentum non ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, quam infirmus per ſolum Sacramentum pænitentiæ poteſt conſequi. Cæterum ſi infirmus nullius alterius eſſet capax Sacramenti, tunc teneretur Parochus neglecta propria vita corporali æternæ ſaluti ſui ſubditi conſulere.

Dubitari ſolet, an poſſit hoc Sacramentum ſimul valide miniſtrari à pluribus ſacerdotibus, & reſpondetur dupliciter poſſe intelligi, quod plures ſacerdotes ſimul hoc Sacramentum miniſtrent. Primò, ut unus ſacerdos ſubminiſtret materiam remotam, & proximam ſeu ungat, & alius proferat formam. Secundo, ut quando unus ungit unum ſenſum, & ſimul profert formam partialem, alter ungat alterum ſenſum, & ſimul proferat ſuam formam partialem accommodatam tali ſenſui. Certum eſt priori modo non poſſe plures ſacerdotes ſimul conferre hoc Sacramentum, quia ſicut non valeret baptiſmus, ſi ab uno ſacerdote fieret ablutio, & ab alio proferetur forma, ita neque valet extrema unctio, ſi unus ſacerdos ungat, & alter formam proferat, quia ex verbis S. Jacobi conſtat eundem debere eſſe ſacerdotem ungentem, & orantem. Sin verò intelligatur ſecundo modo, videtur id poſſe fieri, quia ſicut Sacramentum Euchariſtiæ, quia conſtat ex duplici materia, & forma partiali poteſt à duobus ſacerdotibus valide confici, ut ſi unus conſecraret hoſtiam, & alter calicem; ita pariter dicendum eſt, de hoc Sacramento extremæ unctionis, quod conſtat ex pluribus materiis, & formis partialibus, verum licitè id non poteſt fieri, eò quia ſit contra praxin univerſalis Eccleſiæ, à qua, ſine graviſſima urgente neceſſitate recedere non eſt licitum. Quod ſi adeſſet evidens periculum, quod moribundus expiraret, priusquam omnes quinque unctiones ab uno ſacerdote abſolverentur, tunc poſſent plures ſacerdotes ſimul hoc Sacramentum miniſtrare, adeo, ut quando unus ungit unum ſenſum, & profert partialem formam, alter ungat alterum ſenſum, proferatque aliam partialem formam. Imò ex conſuetudine Orientalis Eccleſiæ ſeptem ſacerdotes Eccleſiæ hoc Sacramentum adminiſtrant, ut conſtat ex Euchologio, & Simeone Theſſalonicenſi. Plures etiam in Eccleſia Occidentali hoc idem miniſterium ſimul exercebant, ut colligitur ex Sacramentario S. Gregorii. Sed ritus Eccleſiæ, & praxis eſt, ut ab uno tantum ſacerdote hoc Sacramentum miniſtretur, quia, ut notat D. Thomas 4. *contra Gentes cap.* 73. *hoc Sacramentum habet effectum perfectæ curationis, & in eo requiritur copia gratiæ; nec competit Sacramento, quod multi ſacerdotes interſint, ut orent DEUM pro infirmo, ſed unicus ſufficit ad inungendum ægrotum.*

CAPUT IV.

Quid sit in Ecclesia militante Ordo, & an sit Sacramentum.

CUm Christus Jesus suam in terris institueret Ecclesiam, non poterat in ipsa Ordo deesse, quia, quæ sunt à Deo, ordinata sunt; ea enim sunt perfecta, quæ ordinata; & ut Ecclesia, quam Christus sanguine suo instituit, perfecta esset, non debuit Ordo deesse, quo tartareas legiones prosterneret, fieretque terribilis, ut *castrorum acies ordinata*. Ait enim D. Augustinus *Lib. 1. de ordine cap. 9. Ordo est, quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum.* Significat Ordo habitudinem unius ad aliud, vel dispositionem partium alicujus totius, vel statum, in quo constituti sunt homines, aut Angeli, vel etiam gradum aliquem eminentem supra id, quod est infimum. Sed juxta præsens institutum duo tantum potest significare Clericorum gradum, qui per Consecrationem ad sacra quædam ministeria in Ecclesia deputantur, & ut significat ipsam actionem sacram, per quam Ministri Ecclesiæ constituuntur, & hæc actio vocatur propriè ordo, de quo Tertullianus: *O singularis jam, & verissima in Deum Sacerdotis potestas; penes Sacerdotem est, ut in altari sub speciebus Eucharisticis Deum ipsum in sacrificii materiam & victimam constituat, nec injuriam ullam summo Numini inferat, nec altius quam par est, Sacerdotis dignitatem evehat: qui dixerit, nisi homini placuerit in altari, & loco victima non erit, & humano arbitrio divinitas pensitatur*: quamobrem ordo magis propriè sumitur pro statu quodam, & dignitate hominum, qui Consecratione quadam insigniti, suis in Ecclesia militante funguntur muneribus, ad quæ per consecrationem destinantur, & habent jus ad Ministerium illud in Sacerdotii functione exercendum, quæ quidem benedictio, seu consecratio sacra vocatur ordinatio, & Sacramentum ordinis: unde placuit Sanctis Patribus, uti hoc vocabulo, quod latissimam habet significationem, ut dignitatem, & excellentiam Ministrorum Dei significarent: siquidem, cùm in Sacro Ministro altaris plures sint gradus: & omnes sint certa ratione distributi, & collocati rectè, & commodè Ordinis nomine hoc Ministerium donatur.

Hinc ordo, ut est Sacramentum Ecclesiæ, quædam est potestas spiritualis, tradita ordinato, seu consecrato, sive ad Sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, sive ad alias functiones, & Ministeria Ecclesiastica obeunda, quæ definitio omnes complectitur Ecclesiæ ordinationes, sed inprimis Sacerdotium, quo traditur consecrandi Corporis Christi potestas, quæ omnium ordinationum est finis ultimus, cujus gratia institutæ sunt sacræ ordinationes, quæ omnes ordinantur ad conficiendum Christi Corpus sub speciebus Eucharisticis: hinc potestas Ecclesiastica duplex est, una ordinis, & alia jurisdictionis, illa refertur ad verum Christi Domini Corpus in Sacrosancta Eucharistia: hæc verò in Corpus Mysticum totius Ecclesiæ, siquidem ad potestatem jurisdictionis pertinet dominicum gregem, seu Christianum populum gubernare, ac moderari, & dirigere, ad æternam, & cœlestem beatitudinem, non enim Ecclesia minus indiget Sacerdote, ut regatur, & defendatur quàm Sacrificio ut nutriatur. Hinc Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 1.* ait: *A Domino Salvatore nostro Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi*, quæ verba utramque potestatem complectuntur ordinis, & jurisdictionis. Præterea omnes Ordines, si prima eorundem institutio spectetur, instituti non sunt tantum ad Sacrificium Ecclesiæ celebrandum, verum etiam ad bonum Ecclesiæ regimen constituendum, sicut enim sublato Sacrificio necesse est, pereat religio, ita seclusso regimine cessat Ecclesia, quia non amplius est cœtus ordinatus fidelium sub uno supremo Sacerdote, sed potius hominum tumultuaria turba temerè in unum congesta. Hanc autem spiritualem potestatem Ordinis contulit Christus Dominus suis Discipulis, quando corporis & sanguinis sui Sacramentum, & Sacrificium instituens dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut refert Apostolus 1. *ad Corinth.* 11. ut enim asserit Tridentina Synodus, tunc Christus Apostolos suos novæ legis Sacerdotes instituit: & quando post resurrectionem insufflavit in eos, dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Asserendum est, Ordinem esse verum ac proprium Sacramentum novæ legis, & id esse dogma fidei contra Sectarios, quorum Ecclesia, cum sit profana, Ministros Sanctos habere non potest. Assertio evincitur ex Scripturis 1. *ad Timoth.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*, ubi per Prophetiam intelligitur forma sacramentalis, in qua mystica verba junguntur manuum impositioni, & per presbyterium intelligitur cœtus Episcoporum, in quo Episcopus Timotheus consecratus est per manuum impositionem, adeò ut per illa verba *cum impositione manuum Presbyterii*, significetur inauguratio Episcoporum, ut explicat S. Joannes Chrysostomus. Rursus 2. *Timoth.* 1. ait: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*: hæc autem gratia quænam sit, explicat sequentibus verbis: *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*: quæ internam & occultam Spiritus Sancti subministrationem significant, & alludunt ad gratiam in ordinatione collatam, ut explicat Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 3.* & ad hanc gratiam referendum est, quod ait Christus *Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum*, cùm eminenter potestatem exequendi sacri muneris etiam gratiam addere voluit, qua ad functionem illam sacram ritè & sanctè obeundam disponerentur: quod verò hæc gratia pertineat ad sanctificationem hominis, constat, quia Spiritus Sanctus omnis sanctificationis est Author, ut explicant Sancti Patres, præsertim Cyrillus *Lib. 12. in Joan.* non enim gratia tantum gratis data confertur in sacra ordinatione, cùm ut constat ex Apostolo gratia Timotheo data sit *per Prophetiam*, ubi Apostolus ait, fuisse Timotheo datam gratiam *Prophetiæ*, sed per *Prophetiam*, hoc est, secundùm præcedentem de illo Prophetiam, ut dicitur explicatiùs *cap. 1. Hoc præceptum commendo tibi, Fili Timothee, secundùm præcedentes in te*

Prophetias, ut milites in illis bonam militiam, ſcilicet ſecundùm revelationem priùs factam, qua ſignificatum fuerat, Timotheum, tanquam Eccleſiæ utilem Sacerdotem, & Epiſcopum eſſe inaugurandum. Rurſus *Actor.* 14. habetur, *cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros imponentes manus, & conſecrantes Presbyteros.* Ex quibus conſtat, ordinationem ſactam in Eccleſia militante eſſe Symbolum ſenſibile, ſeu manuum impoſitionem, per quam Presbyterium elevatur, & ſimul gratia, quæ per illud dabatur, propterea nulli dubium, quin Ordo in Eccleſia ſit verum Sacramentum, cùm ſit ſignum ſenſibile productivum gratiæ, hæc enim teſtimonia adeo ſunt evidentia, ut iiſdem convictus Calvinus tandem coactus fuerit fateri, Presbyteratum eſſe verum Sacramentum, ait enim *Lib. inſtit. cap.* 19. *num.* 28. *Quantum ad verum presbyterii munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo, illic enim cæremonia eſt primum ex ſcriptura ſumpta, deinde quam non eſſe inanem, nec ſupervacuam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum teſtatur Paulus.*

Neque urget, quòd reſpondent Sectarii, illam manuum impoſitionem fuiſſe aliquam cæremoniam, qua Apoſtoli utebantur, quando aliquem Deo commendabant, & pro illo rogabant. Nam, quam id falſum ſit, ex eo evidentiſſimè claret, quia Apoſtoli non imponebant manus cuique obvio, & ſeſe offerenti, ſed tantùm poſt diligens examen, & probatam vitam, ne ſcilicet incapacem, vel indignum aliquem ordinarent. Hinc D. Paulus *epiſt.* 1. *cap.* 5. *ad Timoth.* ait: *Manus citò nemini imponas, nec communicaveris peccatis alienis*, ex quibus verbis ſatis apertè conſtat, Apoſtolos non impoſuiſſe manus, quoties aliquem commendabant Deo, & pro illo orabant; ſed tunc, quando ordinabant Miniſtros Eccleſiæ, quia, tametſi aliquis oráſſet pro peccatore, non tamen ejus peccatis communicaſſet, ergo cùm D. Paulus moneat Timotheum, ne citò alicui manus imponat, & adfert etiam cauſalem, ne ſcilicet communicet peccatis alienis, ſequitur evidenter, per manus impoſitiones intellexiſſe ordinationem in ſacris ordinibus: neque ullum faceſſit negotium, quòd reſpondent alii Hæretici, nomine gratiæ in præcitatis ſcripturæ locis non intelligi gratiam gratum facientem, ſed gratis datam; quia Apoſtolus poſt verba *ex* 2. *epiſt. ad Timoth*, ſubjungit: Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis: ſed Spiritus dilectionis eſt charitas, quæ non habetur ſine gratia ſanctificante, conſequenter Apoſtolus fuit locutus de gratia ſanctificante, & gratum faciente, non verò de gratia gratis data.

Suadetur ſecundò ex traditione, & Sanctorum Patrum conſenſu, quia Ordo in Eccleſia militante ſemper habitus fuit verum Sacramentum novæ legis, ut docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 34 *art.* 2. & evincitur etiam ex illo *Joan.* 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, hæc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: ubi explicatur poteſtas ordinis, & juriſdictionis, quia ſine Sacramento Ordinis, non poteſt quis eſſe Sacerdos, & ſine poteſtate juriſdictionis non poteſt abſolvere, & ligare, quia ſententia abſolutionis præſupponit in abſolvente juriſdictionem, quam exerceat in ſubditum abſolutum. Rurſus manuum impoſitio perſpicua habetur in Actis Apoſtolorum *cap.* 6. *Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, &c. & hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*, præfati enim fideles fuerunt Diaconi, conſtituti ab Apoſtolis, ſicut etiam iiſdem ordinarunt Paulum, & Barnabam, ut habetur in *Act. Apoſtol. cap.* 13. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus dixit illis Spiritus Sanctus, ſegregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos, tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos.* Quòd autem impoſitio manuum conferat gratiam, & cum effectu conſiſtat, fatetur Apoſtolus *epiſt.* 1. *ad Timoth. cap.* 4. ubi ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, & quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*; & *epiſt.* 2. *ad Timoth. cap.* 1. ait: *Propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, ex quibus conſtat, ſacrum Ordinem fuiſſe ab ipſis Apoſtolis habitum, ut verum ac proprium Sacramentum novæ legis, & hanc traditionem ab ipſo tempore Apoſtolorum permanaſſe in Eccleſiam, conſtat ex Sanctis Patribus, etenim S. Ignatius Martyr *in epiſt. ad Smirnenſes* ſcribit: *Omnes Epiſcopum ſequimini, ſicut Chriſtus Deum Patrem, presbyteros ſicut Apoſtolos, Diaconos autem veneramini, ſicut Dei mandato miniſtrantes*: & infra ſubdit: *Omnia bene in vobis ordinate, quæ mandata ſunt in Chriſto. Laici Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopo, Epiſcopus Chriſto, ſicut ipſe Patri.* & in vita S. Anacleti Papæ, & Martyris 13. Julii legitur: Decrevit, ut Clerici ſacris ordinibus publicè à proprio Epiſcopo initiarentur. S. Leo I. *epiſt.* 81. *ad Dioſcorum Alexandrinum cap.* 1. Ordinationem vocat Sacramentum, jubetque à jejuniis dari, & accipi: *& epiſt.* 87. *ad Epiſcopos Mauritaniæ*, poſtquam dixiſſet ordinem Sacerdotii, nonniſi benè probatis & exercitatis conferendùm eſſè, ſubdit: *Quis diſſimulare audeat, quòd in tanto Sacramento perpetratur injuria?* Anaſtaſius II. *in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem part.* 7. ait: *Nullum de his, quos baptizavit Acatius, vel quos Sacerdotes, ſive Levitas ſecundùm canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acatii portio læſionis attingit, quo forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.* S. Gregorius Nazianzenus in laude Athanaſii ait: *In magnum hunc Clericorum ordinem cooptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum adſcribitur, & ſacroſanctæ ſtationis, & ordinis honore afficitur, cunctiſque Eccleſiaſticorum graduum muneribus deinceps perfunctus.* Ex quibus ait Iſidorus *de eccleſ. offic. Lib.* 2. *cap.* 1. *Quod omnes, qui in Eccleſiaſticis miniſterii gradibus ordinati ſunt, generaliter Clerici nominantur, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum.* Tertullianus *exhortat. ad caſtitatem cap.* 7. ait: *Differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatur: adeo ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & pingis, & Sacerdos eſt tibi ſolus.* Optatus Milevitanus *Lib.* 1. Miniſtros ſubjicit Diaconis inquiens: *Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Miniſtros, & turbam fidelium*, qui autem huic conſeſſui præeſſet, Præſes ſeu Præpoſitus vocabatur. S. Leo *epiſt.* 87. *ad Epiſcopos Africæ cap.* 1. ſcribit: *Quid eſt citò manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere, non probatis: & quid eſt communicare peccatis alienis? niſi talem effici ordinantem, qualis eſt ille, qui non meruit ordinari.* S. Gregorius *Lib.* 4. *in Lib. Reg. cap* 5. ait:

Et,

Digitized by Google

Is, qui promovetur, bene foris ungitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur. & *in cap.* 10. *Lib.* 1. *Reg.* Per oleum effuſum ſuper caput Saulis, aſſerit, fuiſſe præſignatam Sacerdotalem unctionem, ait ipſe: *Samuel Saul in Principem unxit, Deus autem ei cor ad aliud immutavit, quia ſacrorum Ordinum Sacramenta ab Eccleſiæ Doctoribus foris accipimus, ſed Sacramentorum virtute ab Omnipotente Deo interius roboramur: virtus verò Sacramenti gratia eſt Spiritus ſeptiformis.* D. Ambroſius *Lib. de dignitate Sacerdotii cap.* 5. ait: *Quis dat epiſcopalem gratiam? Deus an homo? reſpondes ſine dubio, Deus: ſed per hominem dat Deus, homo imponit manum, & Deus largitur gratiam.* D. Auguſtinus *Lib.* 2. *contra epiſtolam Parmeniani cap.* 13. loquens de Baptiſmo, & de Ordine: *Utrumque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione homini datur, illud, cùm baptizatur, iſtud, cùm ordinatur.* Et paulò poſt loquens de Schiſmaticis, qui priùs ordinati fuerant, ait: *Non eis in populo manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat injuria.* & rurſus: *Explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit admitti, & Sacramentum ordinati poſſit admitti*; ex quibus conſtat, ex traditione Apoſtolorum per antiquiſſimos Sanctos Patres in Eccleſiam promanata, & conſervata, ſacrum Ordinem eſſe verum Sacramentum novæ legis: unde D. Thomas *Lib.* 4. *contra Gentes cap.* 74. ait: *Manifeſtum eſt, quòd in collatione ſpiritualis poteſtatis, quoddam Sacramentum peragitur; quod dicitur Ordinis Sacramentum, ad divinam autem liberalitatem pertinet, ut, cui confertur poteſtas ad aliquid operandum, conferantur etiam ea, ſine quibus hujusmodi operatio exerceri non poteſt. Adminiſtratio autem Sacramentorum, quæ ordinantur ad ſpiritualem poteſtatem, convenienter non fit, niſi aliquis ad hoc divina gratia adjuvetur, & ideo in hoc Sacramento confertur.* Idque procedit, dummodo ſacris initiatus Ordinibus non ponat obicem.

Hinc Concilia hoc idem fidei dogma declararunt, ut in Concilio Florentino Eugenius IV. in decreto pro inſtructione Armenorum, ubi expreſsè aſſerit, Ordinem eſſe Sacramentum, & ejus effectum eſſe augmentum gratiæ, ut poſſit quis idoneus eſſe Miniſter; & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 3. ait: *Cum ſcripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu, perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem eſſe verè & propriè unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis.* Et *can.* 3. *Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram ordinationem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantùm ritum quendam eligendi Miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema ſit.*

Ratione etiam hoc fidei dogma ſuadetur, quia ad Sacramentum tria tantùm requiruntur, quòd ſit cæremonia ſenſibilis permanenter inſtituta, & habeat infallibilem promiſſionem gratiæ, ſeu quòd in ejus uſu, & exercitio gratia infallibiliter conferatur; ſed ordinatio, qua Miniſtri Eccleſiæ initiantur, hæc tria continet, quia non ſolùm exterius ordinantur, ſed etiam interius per Conſecrationem ſanctificantur, quapropter hæc ordinatio verè, & propriè eſt Sacramentum; major eſt certa ex ipſa definitione Sacramenti. Minor oſtenditur, quia hæc ordinatio, ut per ſe patet, eſt aliquod ſignum ſenſibile, quia Ordo ſemper in Eccleſia collatus fuit per ſignum ſenſibile, & externum, ut per manuum impoſitionem, quòd verò huic ſenſibili cæremoniæ permanenter inſtitutæ ſit infallibiliter promiſſa gratia, colligitur ex Apoſtolo 1. *ad Tim.* 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Propheriam cum impoſitione manuum Presbyterii*; unde cùm Ordo ſit ſignum ſenſibile, & permanens cauſativum gratiæ, conſtat, habere veram rationem proprii Sacramenti novæ legis. Præterea quia Deus, cujus perfecta ſunt opera, *Deuteron.* 22. cum dat poteſtatem, dat etiam quæ requiruntur ad legitimum & congruentem ejus uſum, idque experimur in rebus naturalibus, quibus Deus non tantùm impertitus eſt potentias operativas, verùm etiam quasdam qualitates, & inſtrumenta, quibus expeditè, & rectè illis utantur. In ordinatione autem ſacra datur homini poteſtas conficiendi, & miniſtrandi Sacramenta, quæ ab exiſtente in peccato lethali exerceri non poteſt, ergo Deus ſimul cum hac poteſtate, confert etiam gratiam ſanctificantem, ut rectè fungatur ordinatus tanto Miniſterio. Rurſus ſi in baptiſmo, in quo datur poteſtas ſuſcipiendi Eucharistiam, & alia Sacramenta, datur ſimul cum ea poteſtate gratia gratum faciens, quia ſine ipſa non rectè perciperentur reliqua Sacramenta; cur in ordine, in quo etiam datur poteſtas conferendi Sacramenta, non ſimul etiam dabitur gratia gratum faciens, cùm non minus peccatum ſit homini indigno Sacramenta tradere, quàm accipere. Sin autem in ordinatione datur gratia ſanctificans, ſequitur, ordinationem eſſe verum ac proprium Sacramentum novæ legis, quia omnis cæremonia ſenſibilis, & permanens, inſtituta in Eccleſia ad ſanctificandum, eſt Sacramentum propriè dictum. Præterea, quia juxta Philoſophicum effatum, propter quod unumquodque tale, illud magis tale, ſed propter ordinem fit homo diſpenſator Sacramentorum, ex quo ſequitur Ordinem à fortiori eſſe Sacramentum, cùm hoc nihil aliud ſit, quàm ſanctificatio quædam homini exhibita cum aliquo ſigno ſenſibili, & quia in ſuſceptione Ordinis fit Conſecratio per ſignum ſenſibile, cujusmodi eſt manuum impoſitio, ſequitur, ordinationem in Eccleſia militante eſſe ſignum ſenſibile, & permanens cauſativum gratiæ, conſequenter verè, & propriè eſſe Sacramentum novæ legis.

Quòd ſi dicas, inde ſequi, unctionem Regum eſſe itidem Sacramentum, reſpondetur, negando ſequelam, puta hæc unctio non ordinatur ad diſpenſationem Sacramentorum, ſiquidem definitio Ordinis, ſeu ordinationis ſacræ eſt, quòd ſit *Sacramentum, quo à Miniſtro idoneo, ſeu Epiſcopo traditur poteſtas ad conficiendum corpus, & ſanguinem Chriſti,* quæ definitio congruit omnibus, & ſingulis Ordinibus, ſi conſideremus poteſtatem, quæ per Ordinem confertur, ad Eucharistiam, duplicem eſſe, im̃ediatam, & mediatam: ſiquidem illa eſt, qua directè, ac immediatè confici poteſt Eucharistia, cujusmodi eſt poteſtas Sacerdotalis. Mediata eſt illa, per quam exercetur aliquod Miniſterium, quod dirigitur & ordinatur ad Eucharistiam, tanquam ad finem, quod Miniſterium reperitur in ſingulis ordinibus juxta eorum diverſas functiones. Rurſus dicitur à Miniſtro idoneo conferri, ſeu ab Epiſcopo, quantum ad ſacros Ordines, quia Abbates Cardinales, & Presbyteri non-Epiſcopi, conferre poſſunt primam tonſuram, & quatuor minores.

Objiciunt nihilominus Sectarii, quia Sacramentum verè, & propriè ſumptum, debet conſtare ex verbo, & elemento, juxta vulgatum illud Auguſtini effatum *Tractat.* 80. *in Joann. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum,* ſed in ordinatione Eccleſiaſtica nullum applicatur elementum, ergo non eſt proprium Sacramentum. Sed contra, quia per nomen elementi non poteſt intelligi elementum ſtrictè & propriè ſumptum,

quia

quia panis & vinum, quæ ſunt materia Sacramenti Eucharistiæ, non ſunt elementa propriè dicta; unde nomine elementi ſignificatur quodlibet ſenſibile, & quia in Sacramento Ordinis revera datur hoc ſenſibile, at eſt manuum impoſitio, & traditio alicujus rei ſenſibilis, cui adnexa eſt promiſſio gratiæ, ſequitur, Ordinem verè & propriè eſſe Sacramentum, & definiri poteſt, ſacra cæremonia, qua traditur poteſtas exercendi ſpirituale aliquod Miniſterium, & ſimul confertur gratia ſanctificans ad illud ritè, & convenienter obeundum.

CAPUT V.

Quot ſint Ordines, quando inſtituti, & an ſinguli ſint Sacramenta.

CErtum eſt, Ordinem eccleſiaſtium eſſe duplicem, dignitatis unum, ſeu juriſdictionis, ut Epiſcopatus, Patriarchatus, Primatus, & Papatus; & alterum poteſtatis in eo ſitum, ut ſacris Ordinibus initiatus poſſit Sacrificio altaris inſervire, & miniſtrare. Loquimur in præſenti de Ordine poteſtatis, qui dividitur in ſeptem Eccleſiaſticos Ordines, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorciſtarum, Lectorum, & Oſtiariorum, ut declaravit Synodus Tridentina *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. Præterea, quia antiqui Patres, præſertim Ignatius Martyr, Diſcipulus Apoſtolorum recenſet hos ſeptem in Eccleſia Ordines, ſcribens enim ad Antiochenos ait: *Saluto Sanctum Presbyterorum collegium, ſaluto ſacros Diaconos, Lectores, Cantores, Janitores, & Laborantes,* (ſeu eos, qui curam habebant mortuos ſepeliendi) *& Exorciſtas.* Rurſus Cornelius Papa *in epiſtola ad Fabium Antiochenum* ait: *In hac Eccleſia Catholica non ignorabat Presbyteros eſſe* 46. *Diaconos* 7. *Subdiaconos* 7. *Acolytos* 42. *Exorciſtas, & Lectores, unà cum Oſtiariis* 52. Unde conſtat, hos ſeptem Ordines ſemper fuiſſe in Eccleſia à tempore Apoſtolorum, & rationem adfert Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. ubi ait: *Cùm divina res ſit Sacerdotii Miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent Miniſtrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent; ita diſtributi, ut qui in clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores, ad Majores aſcenderent.* Unde viſum eſt Spiritui Sancto ſeptiformis gratiæ largitori, omnes Ordines ad verum Chriſti corpus, ſeu ad Eucharistiæ Sacrificium directè deſtinatos, ſeptenario numero concludere, quorum tres majores eſſent, & quatuor minores, tres enim majores propter excellentiam dicuntur majores & ſacri, eò quia proximiùs accedant ad Eucharistiam, ob quam omnes Ordines ſunt inſtituti, & hi habent etiam annexum votum caſtitatis: alii verò quatuor Ordines dicuntur minores, ſeu non ſacri, vel quia non habeant annexum ſolemne votum caſtitatis, vel quia nullum habeat actum circa rem ſacram immediatè, ſicut tres priores, ut Presbyteratus circa corpus & ſangvinem Chriſti conficiendum, & offerendum: Diaconatus circa Chriſti Sangvinem diſpenſandum populo: Subdiaconatus circa vaſa ſacra tangenda. Cæterùm, ut obſervat D. Thomas *ad quæſt.* 34. *ſupplementi art.* 3. Si Ordo ſecundùm ſe ſpectetur, etiam minores dici poſſunt ſacri, quatenus ordinantur ad ſacrandam animam per gratiam, & characterem, quem in ipſa cauſant. Ad ſeptenarium numerum ordinum, qui ad verum Chriſti corpus referuntur, addi ſolet octavus Ordo, qui cæteris eſt eminentior, eſtque Epiſcopatus, qui ad corpus Chriſti myſticum, ſcilicet ad Eccleſiam regendam ab ipſo Chriſto inſtitutus eſt, & hic apex eſt, & conſummatio Sacerdotii, & hunc eſſe verum ordinem diſtinctum à Presbyteratu propugnant plures Theologi, & ad hunc ſupremum gradum dignitatum, per inferiores Ordinum gradus pervenitur, etenim ſicut in militia temporali homo priùs fungitur officio ſimplicis militis, deinde fit decurio, poſtea Centurio, & poſtquam aliquamdiu Ordines duxit: idoneus judicatur, ut fiat ſtrategus, & tandem Præfectùs totius exercitûs: ita fieri oportet in Eccleſia, ut, ne quis ad ſupremum gradum ſubitò proſiliat; ſed priùs in minoribus aliquamdiu ſe exerceat, gradatim ad majores progrediatur, ut actum fuiſſe à Sancto Cornelio refert S. Cyprianus *epiſt.* 52. inquiens: Nam quòd Cornelium chariſſimum noſtrum Deo, & Chriſto, & Eccleſiæ ejus, item cum Sacerdotibus cunctis laudibili prædicatione commendat; non iſte ad Epiſcopatum ſubitò pervenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad Sacerdotii ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Hoc idem etiam adſtruit de Nepotiano S. Hieronymus *epiſt.* 3. inquiens: Fit Clericus, & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur.

Fuit autem Sacramentum Ordinis inſtitutum in ultima Cœna, quando Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus imperativis verbis actio communicandi, & conſecrandi præcipitur Apoſtolis, ſiquidem illud jubet facere, quod Apoſtoli videbant Chriſtum facere, & Chriſtus non ſolùm conſecravit corpus ſuum, ſed etiam diſtribuit, ergo, cùm actio excedens potentiam cujusvis creaturæ, non poſſit fieri ſine poteſtate divinitus collata, ſequitur, hanc faciendi poteſtatem, & conſecrandi, ac diſtribuendi fuiſſe illis conceſſam, maximè, cùm actiones iſtæ non ſemel, aut bis, aut pro tempore Apoſtolorum, ſed uſque in finem ſæculi exercere debuiſſent, ut explicat D. Paulus 1. *ad Corinth.* 11. ubi etiam oſtendit, hanc poteſtatem non ad ſolos Apoſtolos reſtringi, ſed ad Succeſſores eorum uſque in finem ſæculi extendi. Rurſus, quòd hæc ſucceſſio per Dei voluntatem fuerit in Eccleſia introducta, (h)is colligitur ex ſcripturis *Actor.* 20. ut idem Paulus indicat, qui cùm à Presbyteris Epheſiorum diſcederet, eos ſic affatur: *Attendite vobis, & univerſo gregi veſtro, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſangvine ſuo,* & *ad Titum* 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego conſtitui tibi*: ex quibus clarè conſtat, non ſolùm Apoſtolos ſuis ſucceſſoribus has poteſtates delegâſſe, ſed & ordinatos ab ipſis rurſus alios loco ſui cum ſimilibus prærogativis poſſe ſubrogare. Hinc Auguſtinus, expendens illud Pſal-

Digitized by Google

Pſalmi: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi Filii*, licitè explicat hanc ſucceſſionem, loquens enim cum Eccleſia ait: *Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi conſtituti Epiſcopi, hodie enim Epiſcopi, unde nati ſunt ipſa Eccleſia Patres ipſos appellat, ipſa illos genuit, ipſa illos inſtituit in ſedibus Patrum, non ergo te putes deſertam, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es: de prole tua tibi ſuccrevit paternitas, pro Patribus tuis &c. conſtitues eos ſuper terram.* Ratio itidem hoc ſuadet, quia, cum Chriſtus non ignoraret eccleſiam ſuam per omnes ætates propagandam, & ad utilitatem ejus, ut Paulus dicit; *ſive Paulus, ſive Cephas, ſive Apollo, omnia veſtra ſunt*, 1. *Corinth.* 3. & has poteſtates ordinaſſet, ac inſtituiſſet, procul dubio volebat cum ipſa jugi Eccleſiæ ſucceſſione has continuo à Patribus in filios, à filiis in Nepotes, & à Nepotibus in alios ſucceſſores uſque ad finem mundi derivari, ſiquidem ex neceſſitate finis deſumi debet neceſſitas eorum, quæ ſunt, & ordinantur ad finem. Ex quibus conſtat, Sacramentum ordinis fuiſſe inſtitutum in ultima cœna, quando Chriſtus *Luc.* 22. ſuis dixit Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem* & id eſſe fidei dogma, adeo ut Concilium Tridentinum contrarium aſſerentes anathemate feriat, ait enim *ſeſſ.* 22. *can.* 2. *Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinâſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum, anathema ſit.*

Quòd ſi dicas inde tantùm colligi inſtitutionem ordinis Sacerdotalis, non verò reliquorum Ordinum, contra eſt, quia reliqui Ordines nectuntur cum Sacerdotio, conſequenter implicitè fuerunt & ipſi inſtituti. Præterea quia Sacerdotium eminenter continet alios Ordines, qui omnes ad unum ordinantur Sacerdotium, cui inſerviunt. Quòd ſi dicas, Apoſtolos fuiſſe à Chriſto ordinatos, & conſecratos per verba illa *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, ergo ab Eccleſia non ordinari Sacerdotes, eò quia mutet formam in conſecratione, quia non profert verba Chriſti, cum Sacramenta fuerint à Chriſto inſtituta propriis verbis, ut in eorum uſu non erretur, ut notat Bellarminus *lib. de Euchariſtia cap.* 9. Sed contra, quia nulla hic intervenit eſſentialis mutatio formæ: ſiquidem Eccleſia, docente *Spiritu S.*, poteſt formam explicare. Præterea quia ſuppoſita veritate de realitate ſacrificii incruenti in Euchariſtia adhuc Epiſcopi ordinantes proferunt verba illa; *Accipe poteſtatem, offerendi Sacrificium Dei, & miſſas celebrandi*, quæ verba important illa Chriſti ordinantis Apoſtolos *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quod ſi in oblatione facta à Chriſto in ultima cœna, obtulit ſacrificium, quod fundatur in verbo illo, *pro vobis*, quando Deus aliquid jubet, ſupponitur dare potentiam ad id, & authoritatem hanc ſatis traditio Apoſtolica explicat per verba Epiſcopi; his poſitis,

Aſſerendum eſt, ordinem Sacerdotalem verè, & propriè eſſe Sacramentum, quia id definitum fuit in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *can.* 2. *& cap.* 1. etenim Sacerdotium ex duplici conſtat poteſtate, quarum prima eſt poteſtas conficiendi corpus reale Chriſti mediante conſecratione panis, & vini: Secunda eſt remittendi quælibet peccata: illa prior poſſet eſſe ſine ſecunda, non ita hæc poſterior ſine prima, quia illam neceſſario præſupponit, neque inde ſequitur, duplex eſſe Sacramentum, quia una poteſtas aliam complet; & unus character perficit alium priùs productum, & cum quo unum efficit characterem totalem. Præterea, quia eſt certum de fide, aliquam ordinationem eccleſiaſticam eſſe verè & propriè Sacramentum, ſed Ordo Sacerdotalis eſt omnium potiſſimus, & finis, ad quem reliqui inferiores Ordines referuntur, conſequenter Ordo Sacerdotalis verè & propriè eſt Sacramentum, & qui hoc Sacerdotii ordine ſunt initiati, dicuntur latinè Presbyteri, quod græcè idem ſignificat ac Seniores, non ſolum propter ætatis maturitatem, quæ huic Ordini maximè neceſſaria eſt, ſed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam & prudentiam, hinc *Sapientiæ* 4. vocatur ſenectus venerabilis, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt homines, & ætas ſenectutis, vita immaculata. Hinc Sacerdotalis Ordinis dignitas, & excellentia magna eſt, ut colligitur ex ejus officio in eo ſitum, ut circa Corpus Chriſti verſetur. Eſt autem corpus Chriſti duplex, *unum verum*, quod à Sacerdote conſecratum offertur in altari, & diſtribuitur fidelibus; alterum dicitur *myſticum*, quod eſt Eccleſia, ſeu cœtus fidelium ſub uno ſupremo Sacerdote, quia, ut ait Apoſtolus, *unum corpus multi ſumus, qui de uno pane participamus*, & circa utrumq; Chriſti Corpus verum, & myſticum verſatur officium Sacerdotis, nam quod attinet ad verum Chriſti Corpus, datur illi poteſtas conſecrandi & offerendi, ac diſtribuendi fidelibus volentibus ſumere, & id ex inſtitutione Chriſti, qui in ultima cœna Sacerdotes inſtituens ſecundùm Ordinem Melchiſedech ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod verò ad Corpus Chriſti myſticum attinet, ſeu eccleſiam, datur etiam Sacerdotibus poteſtas baptizandi, & abſolvendi, hinc D. Paulus 1. *ad Corinth.* 4. vocat Sacerdotes Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Quale autem ſit Sacerdotis miniſterium, docet 2. *ad Corinth.* 5. ubi ſcribit: *Deus nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis, pro Chriſto enim legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Et hoc munus legationis tunc Chriſtus demandavit ſuis Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, cùm poſt iteratam ſalutationem dixit illis: *Pax vobis, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ſiquidem Pater miſit Filium, ut reconciliaret homines Deo, & Chriſtus miſit ſuos in univerſum orbem Sacerdotes, & Epiſcopos, ut eorum miniſterio Deo reconciliarentur, qui ab illo ſe disjunxiſſet, hinc bis repetita voce dicit, *pax vobis*, indicaturus ſe pacem illis feciſſe, & pacem ſe per illos mittere hominibus, hinc Sacerdos nihil aliud eſt, quàm Chriſti Legatus, qua etiam de cauſa dictus eſt à Propheta *Angelus Domini exercituum.* Hinc Sacerdos eſt Miniſter reconciliationis non ſolùm, cùm prædicat evangelium, verum etiam, cum miniſtrat Sacramenta baptiſmi, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, & cùm preces fundit Deo pro populo, cùm ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti offert, & agit, ut concreditus ſibi populus fructum reconciliationis conſequi poſſit, verus tamen Mediator, & reconciliator Chriſtus eſt, de quo ait David *Pſal.* 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*; & 1. *Joan.* 2. dicitur: Ille eſt: qui baptizat, qui peccata remittit, qui reconciliat, qui interpellat pro nobis, ille enim eſt qui offert corporis, & ſanguinis ſui ſacrificium in altari, ſolus enim Chriſtus verè baptizat, & à ſordibus abluit peccatorum, & de quo dicitur in evangelio, *hic eſt, qui baptizat*, ſiquidem in remittendis peccatis ſolus Deus eſt, qui principaliter remittit, & Sacerdos eſt tantùm Chriſti Miniſter, & ſolum adhibet miniſterium, hinc rectè dicitur, quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus, quo peccato in conſecratione,

in oblatione, in distributione Eucharistiæ Sacerdos nonnisi ministerium adhibet, hinc S. Joan. Chrysost. *homil.* 83. *in Matth.* ait: *Cum Sacerdotem videris offerentem, ne tu Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.*

Asserendum est secundò Diaconatum itidem esse verum Sacramentum à Christo institutum, quamvis non desint ex Theologis Catholicis, qui id negent, asserentes nullam ordinationem inferiorem Presbyteratu esse verum Sacramentum. Bellarm. itidem quamvis asserat Diaconatum esse Sacramentum, negant tamen id esse de fide, & id probatur ex scripturis *Actor.* 6. ubi leguntur Diaconi septem, quorum unus erat Stephanus, solemniter per manuum impositionem ab Apostolis electi: & hoc etiam manifestè indicat munus illud mensarum, quod ut melius obirent ordinati fuerunt Diaconi, quapropter putarim de fide esse Diaconatum esse verum Sacramentum, quia Tridentin. *sess.* 23. *can.* 6. cum anathematizat, qui dixerit *in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam*: sed in eodem canone Concilium declarat hierarchiam componi non solùm ex Episcopis, & Presbyteris, verùm etiam ex aliis Ministris, per quos intelliguntur Diaconi, cum ipsi sint ordine proximiores Presbyteris, & præsertim cum D. Paulus cum Episcopis, & Presbyteris semper conjungat Diaconos, ut patet *ad Philipp.* 3. *Cum Episcopis, & Diaconis*, ergo juxta Tridentinum Diaconi sunt à Christo instituti perinde ac hierarchia ecclesiastica. Præterea quia officium Diaconi latius patet illo cujusvis alterius ordinis infra Sacerdotium, & sanctius cæteris inferioribus semper fuit habitum: ejus functiones plures sunt, ut episcopi lateribus jugiter assistere, eumque semper sequi, concionantem custodire, sacra facienti inservire, ut & alia ministeria exercenti, quâ de causa Diaconus vocatur in Ritualibus comminister, cooperator corporis, & Sanguinis Domini. Ejus officia itidem sunt in missæ sacrificio evangelium legere, ut scribunt S. Hieronymus *ad Sabinianum* S. Gregorius *epist.* 44. *lib.* 4. *indict.* 13. S. Isidorus *de divinis officiis c.* 8. Olim Diaconi fidelium animos sæpius in ecclesiis excitabant, ut sacris attente insisterent, quod etiam nunc præstant Diaconi Græci. Consueverunt etiam Christi Domini Sanguinem, imò & corpus fidelibus distribuere, ut referunt S. Justinus Martyr *Apologia* 2. S. Cyprianus *lib. de lapsis*, & Author constitutionum Apostolicarum, imò mos iste ante Concilium Nicænum adeo invaluerat, ut etiam Presbyteris Diaconi Eucharistiam ministrarent, quam tamen Diaconorum audaciam Nicæna Synodus compescuit, & abusum omnino delevit *can.* 18. hoc idem etiam præstiterunt plura alia Concilia, præsertim Carthaginense, Aurelianense *can.* 38. & alia, quæ prohibuerunt Diaconis, ne præsente Sacerdote, auderent fidelibus Corpus Domini distribuere, & nunc hæc facultas sublata omnino est, adeo ut non audeant Diaconi Corpus Domini tangere. Erat itidem officium Diaconorum bona Ecclesiastica distribuere indigentibus, prout cuique opus erat ad victum, & eleemosynas etiam distribuere, ut etiam fidelibus, & Confessoribus in odium Christianæ fidei in carcere detentis necessaria suppeditare, & eorum vota, & preces pro lapsis excipere, & ad Episcopum deferre, ut infelicibus illis Christianis, qui timore suppliciorum in persecutione ceciderunt, si pœnitentiam mox agerent, indulgentiam concederet, & pœnitentiæ tempus moderato rigore contraheret, ut scribit S. Cyprianus *lib. de lapsis*, quinimò in absentia Episcopi & Presbyteri interdum iisdem licuit pœnitentes reconciliare, eosque absolvere, non quidem Sacramentaliter, sed à pœnis satisfactoriis, vel etiam ab excommunicatione, qua prohibebantur communicare cum aliis fidelibus, & arcebantur à Sacramentis Ecclesiæ participandis, ait enim S. Cyprianus *epist.* 13. *Si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exhomologesin facere delicti sui possint, ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dare Martyres litteris ad nos actis desideraverunt.* Proprium itidem erat Diaconorum negotia ecclesiastica, & etiam viduarum apud Imperatorem procurare, catechumenorum recitare nomina, & Ordinis Sacramento initiandos ante Episcopum sistere, quod officium nunc exercent Archidiaconi.

Cæterum, quod Diaconatus sit verum Sacramentum, ex eo evincitur, quia est signum sensibile causativum gratiæ Sanctificantis, & quidem in Ecclesia stabile, habet enim materiam sensibilem, seu manuum impositionem, & porrectionem libri evangeliorum, ac specialem formam verborum, quæ signa procul dubio sunt omnia sensibilia, quod vero etiam causent gratiam, ex eo constat, quia primi Diaconi fuerunt ab Apostolis ordinati per manuum impositionem, ut habetur *Act.* 6. Et manuum impositio ordinativa Apostolorum conferebat Spiritum S. Præterea quia Episcopus in ordinatione Diaconi una cum manuum impositione profert hæc verba: *Accipe Spiritum S. ad robur & ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus*, & ex Tridentino *sess.* 23. *can.* 4. hæc verba non proferuntur ab Episcopo, quasi per illa Spiritus S. gratia non conferatur sicut significant, ergo in ordinatione Diaconi confertur gratia, consequenter, cùm Diaconatus sit signum sensibile causativum gratiæ sanctificantis, est verum, & proprium Sacramentum. Ab Apostolis autem electi fuerunt septem primi Diaconi occasione murmuris Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, ut habetur *c.* 6. non tamen electi sunt, ut tantùm mensis ministrarent communibus, sed etiam sacris, & eleemosynas quotidianas distribuendas viduis iisdem cura erat demandata, qua ratione dixerunt Apostoli: *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Ex vi itidem suæ ordinationis habebant jus administrandi solemni ritu baptismum, ut etiam jus promulgandi evangelium, si Episcopus hoc munus iisdem commiserit, ut probant exempla S. Stephani Protomartyris, & Philippi, & recensentur in actis Apostolorum, hinc S. Ignatius Martyr *in epistola ad Trallianos* ait: *Oportet & Diaconos Ministros existentes mysteriorum Jesu Christi secundùm omnem modum omnibus placere. Non enim ciborum, & potuum sunt Ministri, sed Ecclesiæ Dei Ministri*, & S. Hieronymus *epist.* 85. *ad Evagrium* refert, Diaconos veterum Levitarum vice in Ecclesia fungi, perinde ac Presbyteri legis Evangelicæ officia exercent filiorum Aaron, in quibus præcessit illorum typus.

Asserendum tertiò, etiam Subdiaconatum & quatuor minores in sententia probabiliori sunt vera Sacramenta; siquidem certum est, septem illos Ordines viguisse ab initio Ecclesiæ, ac deputatos fuisse ad Sacrum ministerium, ut liquet ex Pontificibus, & Patribus antiquissimis, ut ex Clemente Romano *lib.* 8. *Constit. c. ult.* Cornelio Papa *epist. ad Fabianum.* Ignatio Martyre *epist.* 2. & ex Concilio Romano sub Sylvestro Papa, & Carthaginensi IV. Præterea quia Subdiaconatus est signum sensibile causativum gratiæ: siquidem in ordinatione Subdiaconi habetur ritus externus constans ex rebus, & verbis, quæ etiam ipsa causant gratiam sanctificantem, ut constat ex Florentino in decreto Eugenii, ubi

poſt aſſignatas materias, & formas, & Ordinarium Miniſtrum Diaconatus, & Subdiaconatus, aſſerit, effectum hujus Sacramenti eſſe augmentum gratiæ, ex quibus conſtat, non ſolum Diaconatum, ſed etiam Subdiaconatum eſſe verum ac proprium Sacramentum; ſicut enim Diaconi à primis eccleſiæ initiis fuerunt ab Apoſtolis conſtituti, ita etiam Subdiaconi: ſiquidem Apoſtolos conſtituiſſe ſeptem primos Diaconos, habetur *Actor.* 6. & Romæ fuiſſe ſeptem Diaconos, & totidem Subdiacono, teſtatur S. Cornelius Papa & Martyr *in epiſt. ad Fabium*; ut etiam Euſebius *lib. 6. hiſtor. eccleſiaſt.* ut & S. Ignatius *epiſtola interpolata ad Antiochenos*, & Romæ à Diaconis continentia ſervabatur tempore Pelagii II. qui ſub Diaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus uxoribus ſuis admiſcerentur, quæ diſciplina ad alias Eccleſias occidentales propagata fuit, adeo ut Ordo Subdiaconatus incœperit tunc à minoribus ordinibus ſeparari, ac recenſeri inter majores, & Sacros, quibus adnexus eſt cœlibatus, ut etiam ſervatur apud Græcos. Subdiaconorum officia ſunt aquam præparare ad miniſterium altaris, & Diacono miniſtrare, palas altaris, & corporalia abluere, calicem, & patenam in uſum ſacrificii offerre Diacono, oblationes, quæ fiunt ad altare, ſuſcipere. Olim tamen nec calicem, nec patenam, nec oblationes in altari ponebant, ſed hæc omnia tantùm porrigebant Diaconis à quibus miniſtrabantur intra Sanctuarium. ut refert S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis *epiſt. ad Landifredum.* Epiſcopus in ordinandis Subdiaconis eis ſignificat perpetuæ continentiæ legem impoſitam eſſe huic ordini, & ſemel quod fuerint hoc ordine initiati, non poſſint ampliùs à propoſito reſilire, ſed tenentur Deo perpetuo famulari, cui tamen ſervire, regnare eſt. Rurſ9 eos admonet, quanta ſedulitate & ſanctimonia ſacra miniſteria exercere debeant. Rurſus Epiſcopus induit Subdiaconum ſacris veſtibus, ſcilicet amictu, manipulo, tunica, proferens verba in rituali notata, & tradit etiam ipſis librum epiſtolarum, quem, dum ſinguli manu dextra contingunt, hæc verba profert: *Accipite librum epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quòd etiam quatuor minores Ordines ſint Sacramenta, conſtat ex Concilio Florentino, quia poſtquam aſſeruit Ordinem eſſe Sacramentum, & ejus materiam eſſe rem, quæ traditur ab Epiſcopo in ordinatione; & formam, verba, quæ proferuntur ab Epiſcopo in traditione materiæ, & id nominatim declaraverit de ordine Sacerdotali, Diaconatu, & Subdiaconatu, poſtea ſubjungit, & ſic debet intelligi de reliquis Ordinibus, quapropter Concilium cenſuit in illis etiam reperiri materiam, & formam Sacramenti, conſequenter omnes ordines tam majores, quàm minores eſſe vera Sacramenta. Præterea quia hoc idem ſuadet Sanctitas muneris, ad quod homo deputatur per hos ordines. Præterea quia Ordo imprimens Characterem verè & propriè eſt Sacramentum, ſed quatuor minores ordines imprimunt Characterem, ergo ſunt verè & propriè Sacramentum, major liquet, quia præter Sacramentum nil aliud eſt aſſignabile, quod Characterem ſpiritualem imprimat in anima. Minor etiam eſt certa, quam docet D. Thomas *quaſt. 5. art. 2.* ubi expreſſè oſtendit per omnes Ordines majores, & minores imprimi Characterem, quod ex eo probat D. Thomas, quia, quod eſt irreiterabile ex benedictione perfectiva, & conſecrativa, imprimit Characterem ſpiritualem: ſed quilibet ex quatuor minoribus Ordinibus ſemel ſuſceptus eſt irreiterabilis non ex benedictione tantum extrinſecus deputante, ſicut prima tonſura, & benedictio Abbatiſſæ, ſed etiam perficiente & conſecrante, ergo omnes hi Ordines tam majores, quàm minores verè, & propriè ſunt Sacramenta.

Sed dices, ſi omnes ſeptem ordines verè, & propriè ſunt Sacramenta, ſequitur Sacramenta novæ legis non eſſe tantùm ſeptem, ſed tredecim, ſiquidem Ordo eſt Sacramentum, & ratio communis omnibus ſeptem Ordinibus: ſed multiplicato inferiori debet etiam neceſſariò multiplicari ſuperius, quapropter Sacramenta eccleſiæ eſſent tredecim, non ſeptem in lege evangelica. Hoc autem eſt contra fidem, & Concilium Tridentinum aſſerens ſeptem tantùm eſſe Sacramenta eccleſiæ à Chriſto Jeſu inſtituta, ergo præter Sacerdotium alii Ordines inferiores non ſunt Sacramenta. Neq; obſtat, ſi dicas Sacramentum Ordinis eſſe unum tantùm unitate generica, quatenus continet ſub ſe ſeptem ſpecies Sacramentorum. Nam contra eſt, quia ratio generica non poteſt conferre unitatem Sacramentis eccleſiæ, alioquin ſequeretur, quòd nonniſi unicum daretur Sacramentum, etenim Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia Extrema Unctio, & matrimonium genericè conveniunt in ratione Sacramenti, & tamen non ſunt unicum tantùm Sacramentum, ſicut habetur una tantùm ratio generica conveniens omnibus Sacramentis: ergo ex eo, quòd omnes ſeptem Ordinis conveniunt genericè in ratione Sacramenti Ordinis, non poſſunt dici unum Sacramentum Ordinis, quia unitas Sacramenti non deſumitur à ratione generica, ſed ſpecifica, ſicut (quamvis omnes homines conveniant in genere hominis, non tamen cenſentur eſſe unus homo tantùm. Reſpondetur igitur exactius quod licèt quilibet ex ſeptem Ordinibus ſit verum Sacramentum cauſativum gratiæ, & Characteris, quia tamen omnes ſubordinantur uni Sacerdotio, in quem tendunt, ut ad principale miniſterium. & ad ritè, & convenienter peragendam corporis Chriſti conſecrationem, ad quam ordinantur, ut ad finem, ſequitur, quod ratione unitatis Ordinis, quam habent inter ſe, & finis, ad quem tendunt, dicantur eſſe unicum tantùm Sacramentum, adeo ut Sacramentum Ordinis ſit quoddam totum potentiale, quod ſecundum completivam rationem ſit in uno, & in aliis ſit aliqua participatio illius major, vel minor prout magis, vel minus appropinquant Sacerdotio.

Alii itidem reſpondent ſeptem Ordines majores, & minores eſſe tantùm unicum Sacramentum unitate integrali; & multiplex unitate partiali, quia ſicut in uno toto comprehenduntur partes plures concurrentes ad unum integrale conſtituendum, ita ſi conſiderentur ſeorſim partes, multiplicantur inter ſe ratione ſui, non in ratione totius, quod integrant. Aſſerunt igitur, quemlibet ex illis ſeptem Ordinibus eſſe tantùm Sacramentum incompletum & partiale, & ex omnibus ſimul ſumptis integrari unum completum, ac perfectum Sacramentum Ordinis, perinde ac ex duplici ſpecie panis, & vini ſimul ſumpta conſtituitur unum totale, & integrum Sacramentum Euchariſtiæ per modum unius perfecti convivii, & integræ refectionis ſpiritualis inſtitutum: verùm prior reſponſio, quæ eſt D. Thomæ, eſt præferenda. An verò præter ſeptem prærecenſitos Ordines dentur alii, ſiquidem prima tonſura Chor-Epiſcopus, Archidiaconus, Archiepiſcopus, Patriarchæ, & Cardinales, cùm ſint conſtituti in dignitate eccleſiaſtica videntur importare diſtinctos Ordines. Sed contra, quia quod ad primam tonſuram attinet, non eſt Sacramentum, nec Ordo, ſed tantùm quædam præparatio, ac diſpoſitio ad ordines, ſeu ut loquitur D. Thomas, quoddam præambulum ad ipſos, ratio eſt, quia in omni

ordine participante veram rationem Sacramenti, neceſſe eſt conferatur aliqua ſpecialis gratia, & ſpiritualis poteſtas ordinato: ſed in prima tonſura nulla talis poteſtas traditur, quia per primam tonſuram non deſtinantur Clerici ad aliqua officia divini cultus, quæ à laicis non poſſunt exerceri, ſed tantùm ad divinas laudes perſolvendas, ad quod non requiritur ulla ſpecialis poteſtas: hinc prima tonſura clericalis, nec ordo nec Sacramentum Ordinis eſt, ſed tantùm quædam diſpoſitio, & præparatio ad Ordines: quod verò ad alias attinet prærecenſitas dignitates eccleſiaſticas, reſpondetur illas non eſſe ordines, ſed tantùm gradus dignitatum, etenim Chor-Epiſcopi fuerunt veri Epiſcopi, quos vocamus titulares, ut notet Baronius ad annum Chriſti 350. Alii cenſent Chor-Epiſcopus fuiſſe ſimpliciter Sacerdotes, quibus epiſcopalia munera committebantur, ut cenſent plures cum Vasquez. *diſput.* 238. *cap.* 7. Sed Bellarminus cenſet Chor-Epiſcopos interdum fuiſſe Epiſcopos titulares, & ſubinde Sacerdotes, & Vicarios Epiſcoporum. Archiepiſcopos, ſeu Metropolitanus ordine nonniſi Epiſcopus eſt, ſed tantùm juriſdictione eſt potior, eò quia pluribus Epiſcopis præſit, Archidiaconus itidem erat antiquiſſimus Diaconorum, quem perſæpe Epiſcopus ſolebat in Vicarium aſſumere. Patriarcha ſive primas ita ſe habet ad plures Archiepiſcopos, ſicut Archi-Epiſcopus ad plures Epiſcopos. Cardinalatus vero non eſt Ordo, ſed tantùm prærogativa dignitatis conceſſa jure humano Electoribus, & Conſiliariis Pontificis: cùm igitur prærecenſitæ dignitates ſint tantùm gradus dignitatum, & non Ordines, ſequitur ſeptem tantùm eſſe ordines, tres majores, & quatuor minores, ex quibus conſtituitur unicum tantùm Sacramentum ex habitudine, quam omnes habent ad Sacramentum Euchariſtiæ.

An verò Epiſcopatus ſit ordo vel tantùm conſummatio, & perfectio ordinis, ſeu Sacerdotii plures cenſent, epiſcopatum eſſe ordinem diſtinctum à Presbyteratu, & huic ſententiæ videtur favere Apoſtolus 1. *ad Timot.* 4. & 2. *Tim.* 1. ubi admonet Timotheum, ut gratiam, quam accepit in inauguratione epiſcopali, non negligat, ſed reſuſcitet, quod ſi epiſcopatus confert gratiam, & eſt etiam ejus inſtitutio ſignum ſenſibile in Eccleſia permanens, procul dubio eſt Sacramentum, & ordo diſtinctus à Presbyteratu, cui ſententiæ etiam favent SS. Patres, præſertim S. Epiphanius *hæreſ* 75. ubi contra Aërium ait: *Unum eſſe ordinem Epiſcopi.* Et Concilium Carthaginienſe IV. deſcribens ritum ſacrarum ordinationum aſſerit ordinationem epiſcopalem diſtinctam à cæteris, & *can.* 2. ait: *Epiſcopus, cùm ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant evangeliorum Codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangunt.* S. Leo Papa *epiſt.* 12. *ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem cap.* 4. etiam diſtinguit ordinem epiſcopalem à Presbyteratu, etenim de continentia Subdiaconis injuncta ait: *Quòd ſi in hoc Ordine, qui quartus à capite eſt dignum eſt cuſtodiri: quanto magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſervandum eſt, ne aut Levitico, & Presbyterali honore, aut epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe à voluptate uxoria necdum frænâſſe dignoſcitur.* Romanum itidem Pontificale aſſerit, epiſcopali conſecratione conferri Spiritum Sanctum, eò quia conſecrantes, & aſſiſtentes Epiſcopi ambabus manibus tangant caput conſecrandi, & proferant verba illa: *Accipite Spiritum Sanctum*, unde, cùm ſit ſignum ſenſibile cauſativum gratiæ, videtur eſſe ordo diſtinctus à Presbyteratu, præſertim cùm ſingularis & excellens poteſtas ſpiritualis tribuatur Epiſcopo, quæ ſimplici Sacerdoti non convenit, ſcilicet poteſtas conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, quæ poteſtas non ſolùm eſt juriſdictionis, ſed etiam Ordinis, & imprimit novum characterem.

Verùm quidquid ſit, de hac quæſtione, quam eccleſia permittit agitari à Theologis, An character epiſcopalis verè diſtinguatur à Sacerdotali, & ob id ſit epiſcopatus Ordo diſtinctus à Presbyteratu, vel tantum ſit major extenſio characteris Sacerdotalis; eſt certum de fide Epiſcopos jure divino eſſe Presbyteris ſuperiores ut conſtat ex continuata traditione & praxi Eccleſiæ contra plures Calviniſtas aſſerentes cum Blondello, Epiſcopos æquales eſſe Presbyteris, qui error fuit olim Aërii, & impugnatur à S. Epiphanio *hæreſi* 75. quem errorem excitarunt cum Blondello Sectarii noſtri temporis; Epiphanius enim loquens de Aërio ait: *Eſt illius dogma ſuper hominis captum furioſum, & immane, quãnam inquit in re Presbytero Epiſcopus antecellit? nullum inter utrumque diſcrimen eſt. Eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor, ac dignitas.* Unde aſſerere parem dignitatem, & honorem Epiſcopo & Presbytero hæreſis eſt, quam in Aërio Eccleſia damnavit, & Epiphanius eam itidem refellit, inquiens: *Epiſcoporum ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet, hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio, alter, cùm Patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres, aut Magiſtros. Quinam fieri poteſt, ut is Presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat, aut quomodo Presbyter Epiſcopo dici poteſt æqualis.* Quòd ſi jus ordinandi Presbyteros ſolis Epiſcopis convenit, non verò ſimplicibus Presbyteris, ſequitur evidenter Epiſcopos jure divino eſſe Presbyteris ſuperiores. Hinc S. Dionyſius *lib.* 5. *eccleſ. Hierarch.* ait: *divina lex Pontificalium ordinationum ſanctimoniam, ſacramque altaris conſecrationem reverendiſſimorum Pontificum, & officiis atque virtutibus æterna ferre diſtribuit.* Hæcque ratio eſt, cur in decretis aliquorum Conciliorum, & Patrum Confirmatio, & ordinatio Sacerdotis irrita eſſe, ac vana dicatur, ſi ab alio fiat, quàm ab Epiſcopo: etenim ante S. Epiphanium Synodus Alexandrina in cauſa S. Athanaſii congregata in Epiſtola Synodica, Iſchyram Presbyterum non fuiſſe, ex eo probat, quod Collutho ordinatus eſſet, qui non erat Epiſcopus, ſed ſimplex Presbyter, qui propterea Sacerdotes ordinare non poterat, unde ſacra Synodus Alexandrina cenſuit ordinandi poteſtatem divino jure ſolis Epiſcopis convenire, & è Presbyteris non poſſe alios Presbyteros conſecrari, neque Epiſcopos, quapropter Epiphanius contra Aërium hæreticum aſſerentem Presbyterum parem Epiſcopo, ait: *Dicere Epiſcopum, & Presbyterum æquales eſſe, quomodo erit poſſibile. Epiſcoporum enim ordo Patrum generator eſt, Patres enim generat Eccleſiæ, Presbyter verò non poteſt Patres generare,* & reſpondens ad Aërii objectionem fundatam in eo, quod indiſcriminatim in epiſtolis D. Pauli nomen Epiſcopi & Presbyteri aſſumitur quaſi unum, reſpondet, non omnes ſtatim Apoſtolos potuiſſe conſtituere, nec erat eis Miniſtrorum copia, qui officia pontificatûs obire poſſent, quapropter, ubi tales non reperiebantur Presbyteri neceſſitas urgebat, ut in multis Presbyteri exercerent officia Epiſcoporum, hinc D. Paulus quando ſcribebat Eccleſiis, ubi aderant Epiſcopi, nominabat Epiſcopos, & ubi aderant ſolum Presbyteri, ſcribebat ad Presbyteros, & Anacletus Papa, & Martyr *in tertia ſua epiſtola* ait: *Sacerdotum Ordo bipartitus eſt, & ſicut*

Dominus

Digitized by Google

Dominus illum inſtituit à nullo debet turbari, Epiſcopi locum tenent Apoſtolorum, Presbyteri autem ſeptuaginta diſcipulorum, Cæterum epiſcopatum eſſe excellentiorem, perfectiorem, & majorem Presbyteratu declarat Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. ubi ait: *Præter cæteros eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos ſicut Apoſtolus, ait, à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque ipſos peragere poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent,* & *can.* 7. anathemate ferit aſſerentes Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, ait enim: *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe communem cum Presbyteris, anathema ſit.* Præterea Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. loquens de charactere indelebili, qui in ordinis Sacramento, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione imprimitur, ſtatim aſſerit: hierarchicum ordinem præcipuè pertinere ad Epiſcopos, & ſuperiores eſſe Presbyteris, ac Sacramentum Confirmationis conferre, & Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere, quarum functionum poteſtatem reliqui inferiores ordines nullam habent.

Ratio id eam evincit, quia in eccleſia non eſt aliqua Spiritualis poteſtas, niſi Ordinis, vel jurisdictionis: ſed quæ pertinent ad epiſcopalem poteſtatem non tantùm ſunt jurisdictionis, alioquin poſſent committi non Epiſcopo, quod falſum eſt, ergo ſunt etiam poteſtatis ordinis, cujusmodi ſunt miniſtrare Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, conſequenter poteſtas Ordinis in Epiſcopo eſt excellentiam, & major quam in ſimplici Sacerdote. Rurſus quia epiſcopalis ordinatio imprimit characterem ſpiritualem, & confert gratiam, conſequenter epiſcopatus eſt etiam verum Sacramentum, quod imprimat characterem, ex eo conſtat, quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, non poſſunt iterari, atqui epiſcopalis ordinatio non poteſt iterari, nec repeti, conſequenter eſt verum, & propriè Sacramentum, hinc Epiſcopus poteſt duo Sacramenta conferre, Confirmationem, & Ordines ſacros, quæ non poſſunt ſimplices Sacerdotes conferre, & ſi conferant, nihil efficiunt, unde habet Epiſcopus ex ſua ordinatione ſpiritualem poteſtatem, conſequenter & novum characterem, non tamen putatim hanc poteſtatem, & novum characterem, inducere novum Sacramentum totaliter diſtinctum à Sacramento Presbyteratus, ſed tantùm eſſe ſummam perfectionem, & veluti ultimum gradum perfectivum, & conſummativum Ordinis Sacerdotalis, quia non eſt opus novo charactere, ſed ſatis eſt, ſi character Sacerdotalis per additionem gradus epiſcopatus perfectivi, & ultimo conſummativi ſuperaddatur augmentum characteris, & amplioris poteſtatis, ſe extendentis ad conferenda duo Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, quæ poteſtas non convenit ſimplici Sacerdoti, hoc enim pacto intelligitur, quomodo juxta Concilium Tridentinum epiſcopatus diſtinguatur, ac ſit major, ac perfectior Presbyteratu: diſtinguitur enim non ratione eſſentiæ, & entitatis, ſed ratione gradus ſuperadditi & novæ poteſtatis, qua Epiſcopus poteſt conferre aliqua Sacramenta, quæ non poſſunt à ſimplici Sacerdote conferri.

Quod ſi dicas, magis diſtare inter ſe poteſtatem confirmandi, & conſecrandi Euchariſtiam, quam poteſtatem legendi evangelium & epiſtolam in ſacrificio miſſæ, ſed propter poteſtatem legendi evangelium & epiſtolam ponuntur diverſi Characteres in Diaconis & Subdiaconis, ergo etiam in Sacerdote, & Epiſcopo; ſed contra, negatur minor, quia ut ſuperiùs oſtendimus Ordines minores, & majores Diaconatus, & Subdiaconatus, non differunt eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter, penes diverſos gradus, quibus, quo inferiores Ordines proximius accedunt ad Sacramentum Euchariſtiæ, ſunt perfectiores, ac plus continent excellentiæ, quapropter omnes Ordines, & characteres ab ipſis impreſſi, non differunt niſi ratione majoris, vel minoris perfectionis, & quia Epiſcopatus eſt Ordo cæteris aliis eminentior, ac perfectior; ita plus in ſe continet perfectionis, non ſolum in ratione jurisdictionis, ſed etiam Ordinis, ac poteſtatis conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, quæ non poſſunt ab aliis inferioribus Ordinibus nec à Presbyteris conferri. Neque ex eo, quod conſecratio epiſcopalis conferat gratiam, ſequitur, eſſe ordinem diſtinctum è Presbyteratu, quia etiam collatio Diaconatus, & Subdiaconatus conferat gratiam, & tamen non diſtinguuntur eſſentialiter, & totaliter à Presbyteratu cujus ſunt diſpoſitiones, & gradus. Sunt tamen qui cenſent epiſcopatum eſſe unum ordinem cum Presbiteratu genericè tantùm, non verò ſpecificè. Sed ex inde ſequeretur, quod alia Sacramenta eſſent iidem inter unum genericè, quia omnia conveniunt in ratione Sacramenti, & in eo, quod ſint Sacramenta. Exactiùs explicatur hæc diſtinctio inter utrumque Ordinem Presbyteratus, & Epiſcopatus per hoc, quòd Epiſcopatus ſuperaddat gradum perfectiorem, etiam in ratione Ordinis, quatenus character Sacerdotalis in Epiſcopo extenditur ad majorem perfectionem & excellentiam, ac poteſtatem conferendi Sacramenta Confirmationis, & Ordinationis; hinc Character epiſcopalis major eſt, & perfectior Sacerdotali, quia ad Sacerdotalem ſuperaddit gradum excellentiorem, ac præſtantiorem, quo major & excellentior epiſcopatus eſt presbyteratu. Cæterum ſi præciſè ſumatur Character Sacerdotalis, & comparetur cum Epiſcopali, Sacerdotalis eſt major, quia nil majus poteſt excogitari poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, unde quoad intenſionem perfectior eſt Character Presbyteratus, vel ſaltem non eſt minus perfectus epiſcopatu, qui tantùm extenſive eſt major, & excellentior, quatenus verò epiſcopatus etiam ſupponit characterem Presbyteratus, eſt intenſivè æqualis Sacerdotali, qui uterque dicit ordinem ad conficiendum Chriſti corpus.

Quod ſi dicas, Epiſcopum non habere ex ſua conſecratione, ut poſſit Euchariſtiam conſecrare, ſed tantùm ut poſſit miniſtrare Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, reſpondetur Epiſcopatum in ſua ratione & eſſentia includere etiam Sacerdotium loquendo de poteſtate Ordinis, de qua ſola hic eſt ſermo, non enim poteſt intelligi Epiſcopus, qui non ſit Sacerdos, cùm nihil aliud ſit Epiſcopus, niſi ſummus Sacerdos, ſeu ſummitas Sacerdotalis; perinde ac papatus includit intrinſecè papatum, quamvis ad plura alia ſe extendit, ad quæ ſimplex epiſcopatus non ſe extendit; hinc ordinatio epiſcopalis, ſi conſideretur in ſua integritate, includit etiam ordinationem, & characterem Presbyteratus.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De materia, & forma ſingulorum Ordinum, eorumque Miniſtro.

Aſſerendum eſt, in Eccleſia latina materiam Sacerdotii eſſe traditionem Calicis cum vino & patenæ cum pane, & deinde pro conſecratione poſteriore ſolam manuum impoſitionem, quæ ſequitur traditionem panis, & vini, ſiquidem Sacerdoti tribuitur poteſtas una in corpus reale Chriſti, ad illud producendum ſub ſpeciebus panis, & vini, & alia in corpus myſticum Chriſti, ad illud regenerandum per abſolutionem à peccatis. Prior poteſtas confertur per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane: poſterior verò per manuum impoſitionem. Cæterum materia remota Sacramenti Ordinis in generali eſt res illa, quæ ab Epiſcopo traditur ei, qui ordinem aliquem ſuſcipit, & proxima eſt traditio illius rei, ut poteſt, ex dictis de Sacramentis in genere, quia illa eſt materia Sacramenti, per quam illud conſicitur: & ſacramentum ordinis conficitur, ut eſt ſignum ſenſibile, ex re & traditione rei, adeo ut res, quæ traditur, ſit materia remota, circa quam verſatur materia proxima, quæ eſt ipſa traditio materiæ remotæ.

Aſſerendum ſecundo, materiam Diaconatûs eſſe traditionem libri evangeliorum, & impoſitionem manuum Epiſcopi, adeo ut utraque materia ſit eſſentialis huic ordinationi, ut colligitur ex *Actor.* 6. ubi ab Apoſtolis per impoſitionem manuum ſeptem Diaconi ordinati ſunt, & colligitur etiam ex Concilio IV. Carthaginenſi *can.* 4. de traditione libri evangeliorum conſtat ex Concilio Florentino in decreto unionis: Quamobrem utraque materia eſt eſſentialis huic ordinationis. Materiam verò Subdiaconatûs in Eccleſia latina eſſe traditionem patenæ, & calicis vacui, ut definivit Eugenius Papa in Concilio Florentino. Alii etiam addunt cum Vasquez traditionem libri epiſtolarum, ſed hæc materia non videtur eſſe eſſentialiter neceſſaria: quia poteſtas legendi epiſtolam in miſſa videtur tantùm eſſe juris humani. Materiam Acolytatûs eſſe candelabrum cum cereo extincto, & urceolos vacuos. Exorciſtæ traditionem libri Exorciſmorum, Lectoratûs traditionem libri epiſtolarum, Oſtiariatûs traditionem clavium eccleſiæ, traditio enim funium ad pulſandas campanas, cùm non fiat ab Epiſcopo non eſt niſi accidentalis: unde materia uniuscujusque ordinis eſt traditio rei proportionatæ muneri, ad quod deſtinatur ordinatus. An verò ſit eſſentiale, ut materia, quæ ab Epiſcopo traditur, tangatur ab eo, qui ordinatur, an neceſſe ſit, ut Sacerdos tangat calicem, & patenam, imò etiam hoſtiam patenæ impoſitam, & ita de cæteris Ordinibus Sacerdotii inferioribus. Victoria, Cajetanus, Vasquez, & alii negant hanc neceſſitatem contactus phyſici, & aſſerunt ſufficere contactum virtualem in eo ſitum, quòd ordinandus manum ponat ſuper materiam, quæ illi traditur ab Epiſcopo, tametſi eam phyſicè non tangat. Sed alii requirunt eſſentialiter contactum phyſicum, idque ex eo videtur certum, quia Epiſcopus conferens ordinationem dicit, *accipe*, & ſimul tradit rem tangendam, & hinc verbum illud, *accipe*, non ſignificat translationem Dominii in rem, quæ offertur, ſed tantùm materia illa tangenda traditur.

Ad formam quod attinet, reſpondetur, formam propriam ſingularum ordinationum contineri certis quibusdam verbis ſignificantibus effectum proprium earundem, ſeu poteſtatem collatam, ſiquidem determinat materiam ab Epiſcopo traditam, unde difficile non eſt ſtatuere, quænam ſit propria forma uniuscujusque Ordinis: Neque obſtat, quòd eadem verba proferantur in ordinatione Sacerdotis & Diaconi, quia aliunde ſit determinatio ad unam potiùs, quàm ad aliam poteſtatem. Hinc habent ſinguli Ordines propria miniſteria; officium enim Sacerdotis eſt ſacrificare, baptizare, abſolvere à peccatis, & miniſtrare alia ſacramenta præter confirmationem, & ordinem; quia hæc duo conficiuntur ab Epiſcopo. Rurſus benedicere, concionari, & alia hujusmodi munera obire. Diaconus ex proprio officio aſſiſtit ſacerdoti ſacrificanti, & legit evangelium, prædicat, inſtruit catechumenos, & Euchariſtiam olim fidelibus diſtribuebat: & ita dicendum de cæteris ordinibus, quia quilibet ordinatus ſe exercet circa proprium officium juxta materiam propriam.

An verò Chriſtus determinaverit in individuo omnes materias Sacramenti Ordinis, reſpondetur cum communiore ſententia, Chriſtum Dominum in Ordinum inſtitutione tantùm determinaſſe eorum materias, in genere ſcilicet, ut illa eſſet legitima cujusvis ordinis materia, quæ exiſtens ſenſibilis ſui traditione debitè, ac ſufficienter facta, tam ex parte Miniſtri, quàm intentionis ſignificaret tunc poteſtatem tali ordini propriam ei dare, qui materiam hanc ſenſibilem acciperet in ſua ordinatione, & particularem hujus ſenſibilis materiæ determinationem, ſeu imponere ſignificationem practicam hujus poteſtatis, huic vel illi rei ſenſibili particulari Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ, prout, & quando hæc judicaret eſſe conveniens, hinc Chriſtus non determinavit in individuo materiam, & formam ſacramenti ordinis materialiter ſumptas, ut nec materiam Euchariſtiæ: ſiquidem pro materia, & forma inſtituit ſignum ſenſibile ſignificativum poteſtatis, quæ traditur; & verba talem poteſtatem exprimentia, hinc pro materia Euchariſtiæ inſtituit panem non determinando hunc vel illum, ſed panem, quicunque eſſet, neque vinum album vel rubrum, ſed vinum quodcunque, quapropter Sacerdotes Græci conſecrant in fermentato, & Latini in azymo, & plerisque in locis conſecratur, vinum rubrum inter Latinos, & in aliis album. Rurſus in Eccleſia Græca Presbyteri, & Diaconi ordinantur per ſolam manuum impoſitionem ſub certa verborum forma, & in Eccleſia Latina non ſolùm per manus impoſitionem, ſed etiam per traditionem panis, & vini. Hinc cum utraque Eccleſia conferat ordinationem per ſignum ſenſibile accommodatum ad ſignificandam poteſtatem tali ordini propriam dari ei, qui materiam illam ſenſibilem, vel ſignum ſenſibile accipit in ſua ordinatione, & per verba ſignificantia traditionem talis ordinis, ſiquidem utraque Eccleſia validè conficit, & confert ordines, quia utraque ſervat materiam, & formam à Chriſto inſtitutam formaliter, licèt non materialiter, cùm ambæ Eccleſiæ ſignis utantur diverſis, unde Chriſtus non determinavit in ſpecie materias, & formas hujus ſacramenti ordinis, ſed tantùm genericè inſtituit, ut loco materiæ adhiberetur ſignum aliquod ſenſibile ſignificativum poteſtatis, quæ traditur, & loco formæ verba adhiberentur, quæ eandem poteſtatem ſufficienter exprimerent. Quo pacto facilè intelligimus, quomodo utraque Eccleſia Græca, & Latina ſervat omnia eſſentialia à Chriſto inſtituta circa materias ordinum.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum determinatio hujus vel illius materiæ in ſpecie, & materialis manus impoſitio facta fuit ab Apoſtolis, ut innuit Gregorius IX. *cap. Presbyter* & etiam habetur *Actor. 6.* & patet ſic ordinaſſe Diaconos, & Presbyteros *Actor.* 14. juxta vim textûs Græci, & etiam D. Paulus hoc pacto ordinavit Epiſcopus. *1. ad Timoth.* 4. & hunc ritum Eccleſia Græca hactenus ſervavit, ut etiam Latina in Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, ſed impoſitioni manuum addidit porrectionem inſtrumentorum ad majorem expreſſionem poteſtatis collatæ per tales Ordines, quamvis in rigore alterutra ſufficeret ad valorem Sacramenti: quòd enim ſufficiat ſola manuum impoſitio abſque porrectione inſtrumentorum, liquet ex ritu græco; græci enim per ſolam manuum impoſitionem validè conficiunt, & conferunt Ordines. Rurſus quod ſufficiat etiam ſola porrectio inſtrumentorum ſine manuum impoſitione videtur ſignificare Gregorius IX. *cap. Presbyter.* & id etiam ex eo oſtenditur, quia aſſerentes Subdiaconatum, & quatuor minores Ordines eſſe Sacramenta, tenentur aſſerere ad collationem Sacramenti Ordinis non eſſe neceſſariam manuum impoſitionem, quia Subdiaconatus, & quatuor minores ordines conferuntur per ſolam porrectionem inſtrumentorum ſine manuum impoſitione. Præterea quoad formam etiam conſtat, utramque Eccleſiam adhibere verba ſufficienter exprimentia poteſtatem, quæ confertur per ordinem, adeo ut utraque Eccleſia ſervet eſſentialia hujus Sacramenti, & tantùm differat penes determinationem accidentalem ſigni ſenſibilis verborum. Præterea Chriſtus non determinavit in unica tantùm cæremonia, vel multiplici debere Epiſcopatum conferri, vel Presbyteratum, aut Diaconatum, & in Eccleſia Latina confertur duplici cæremonia, & unica tantùm in græca: unde liberum relinquit Eccleſiæ in una vel multiplici cæremonia ſignificare hanc poteſtatem, quæ confertur per Sacramentum Ordinis.

Si dicas Concilium Florentinum, cui interfuerunt Patres Latini, & Græci tacitè damnâſſe ritum ordinandi Græcorum, & definiviſſe materiam ordinis eſſe id, per cujus traditionem confertur ordo. Reſpondet Arcadius *lib. 6, cap. 5.* Græcos non interfuiſſe, quando in fine Concilii factum eſt illud decretum Eugenii pro inſtructione, & unione Armenorum, qui per ſuos Legatos ſe Romanæ Eccleſiæ tunc adjunxerunt, adeo ut Eugenius Papa, & Concilium Florent. per illud decretum nihil contra Græcos definiverint, ſed tantùm voluerunt Armenos inſtruere de modo celebrandi Sacramenta, juxta ritum uſitatum in Eccleſia Romana, & facilè id conjicitur ex verbis decreti.

An verò in ordinatione Sacerdotis ſit neceſſe ut Neomyſta tangat ſimul calicem cum patena ad validè ſuſcipiendum ordinem. Certum eſt juxta communem ſententiam contactum materiæ eſſe de eſſentia, quia in quolibet Sacramento habente materiam neceſſe eſt, ut, qui illud ſuſcipit, materiam illam tangat, ut patet in baptiſmo, quapropter tenetur Neomyſta calicem tangere, & patenam ſaltem ex neceſſitate præcepti eccleſiaſtici, quia id expreſsè præſcribitur in rituali. Verùm quia tangens in ordinatione Sacerdotii calicem ſecundùm communem uſum videtur etiam tangere patenam ei impoſitam. Cenſerem valde probabile talem contactum ſufficere ad valorem Sacramenti, eò quia calix, & patena cenſentur ſe habere per modum unius; & qui tangit tantùm calicem, ſi non immediatè, ſaltem mediatè cenſetur tangere patenam, ſicut, qui tangit patenam ſolam, cenſetur ſaltem mediatè tangere, & hoſtiam eidem adjectam, & qui tangit calicem, in quo eſt vinum, cenſetur etiam mediatè tangere vinum: calix & patena in ordinatione Sacerdotis & etiam in Sacrificio miſſæ ſimul copulantur, & habent connexionem, ratione cujus Neo-myſta tangens unum immediatè cenſetur mediatè, & aliud tangere. Tutior tamen ſententia eſt, quæ aſſerit contactum phyſicum patenæ eſſe de neceſſitate Sacramenti, adeo ut, ſi Neo-miſta tantùm tangat phyſicè calicem, & non patenam, ſi iterum ordinandus ſub conditione, ſi non eſſet ordinatus: neque eſt par ratio de contactu hoſtiæ, & contactu calicis, & patenæ, quia patena eſt inſtrumentum inſtitutum pro hoſtia recipienda; perinde ac calix eſt inſtrumentum inſtitutum ad recipiendum vinum, quod in ſe continet, & qui tangit continens, cenſetur moraliter tangere contentum; quia continens, & contentum ſe habent per modum unius, qua ratione non eſt neceſſe, ut Neo-myſta, qui tangit calicem phyſicè, tangat etiam contactu phyſico vinum in calice contentum: perinde quia hoſtia continetur in patena, ſufficit, ſi phyſicè hæc tangatur. Tutiùs tamen ſemper eſt tangere calicem phyſicè patenam, & hoſtiam: quia in ultima cœna in conſecratione Apoſtolorum facta à Chriſto Domino, non ſolum fuit traditus calix, & panis; ſed etiam Apoſtoli Neo-myſtæ acceperunt calicem, & panem in ſuis manibus.

Aſſerendum tertiò, ſolum Epiſcopum verè conſecratum eſſe miniſtrum hujus Sacramenti ordinis. Id enim definitum fuit in Concilio Florent. *in Litter. unionis*, & Tridentino *ſeſſ. 23. can. 7.* ubi declaratum; quod Epiſcopi ſint Presbyteris ſuperiores, & habeant poteſtatem confirmandi, & ordinandi, quæ poteſtas non eſt illis communis cum Presbyteris. Hinc in ſcripturis dicuntur Epiſcopi ordinare *Actor.* 14. *1. ad Timoth.* 1. *ad Titum* 1. & nullibi fit mentio, quod alii Sacerdotes contulerint hoc Sacramentum. Ratio itidem id ſuadet: quia ſolus Epiſcopus eſt reipublicæ Chriſtianæ Præfectus, ad Hierarchia, ſeu Princeps Sacramentorum: & ad ſolum Principem ſpectat conferre ordines ſacros, ſi ſit eccleſiaſticus; ſicut ad principem ſæcularem ſpectat diſtribuere officia, & miniſteria ſæcularia. Hinc tantùm ex commiſſione ſummi Pontificis poteſt ſimplex Sacerdos conferre ordines minores. Id enim conſtat ex Tridentino, & præter eccleſiæ. Abbates, qui habent jus mitræ poſſunt ſuis monachis in propriis monaſteriis conferre hos quatuor minores ordines. Non tamen poteſt ſimplex Sacerdos etiam ex comiſſione ſummi Pontificis conferre ordines majores; quia ut docet D. Thomas *q. 38. art. 1. ad 1.* Summus Pontifex non habet majorem poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum in Euchariſtia quàm ſimplex Sacerdos, qui habet tantum poteſtatem circa ipſum ut conſecrandum: non poteſt ſummus Pontifex dare facultatem ſimplici Sacerdoti conferendi ordines ſacros, qui immediatum relationem habent ad corpus Chriſti, cujuſmodi ſunt ordines majores quia habent hanc immediatam relationem ad corpus Chriſti verum; quia tametſi non conſtet, ſubdiaconatum habere hunc immediatum ordinem ad corpus Chriſti; & plures cenſeant poſſe Pontificem ſimplici Sacerdoti dare facultatem inaugurandi clericum ſubdiaconum, ut putat Victoria, aſſerens à ſe viſam bullam, qua Pontifex concedit Abbatibus Ciſtercienſibus, ut poſſint ordinare Subdiaconos ſuos religioſos: attamen de Sacerdotio, & Diaconatu eſt manifeſtum, dicere immediatam relationem ad corpus Chriſti verum, quod dupliciter poteſt intelligi, primò ut conſecrandum, ſecundò ut diſtribuendum fidelibus: ut conſecrandum immediatè reſpicitur à Sacerdotio, cujus proprium

Digitized by Google

proprium munus eſt conficere corpus, & ſanguinem Chriſti per verba conſecrationis: ut deferendum ac diſtribuendum, reſpicitur immediatè ab ordine diaconatus. Quinimo Diaconi in primitiva Eccleſia ex officio diſtribuebant Eucharistiam fidelibus communicantibus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus vini: ergo non poteſt ſummus Pontifex concedere ſimplici Sacerdoti facultatem inaugurandi Sacerdotes, & Diaconos, ſeu conferendi Sacerdotium, & Diaconatum: quia ſi poteſtas ſummi Pontificis non eſt major illâ ſimplicis Sacerdotis, & poſſet ſimplex Sacerdos ex commiſſione ſummi Pontificis conferre ordines Sacros Presbyteratus, & Diaconatus, inde ſequeretur, quòd ſimplex Sacerdos poſſet ex ſe abſque factâ ſibi à Pontifice facultate conferre Sacerdotium, & Diaconatum: quia commiſſio Pontificis non auget poteſtatem ſimplicis Sacerdotis ſupra corpus verum Chriſti Domini: quod falſum eſt, & contra diſciplinam Eccleſiæ, quâ ordinatio Diaconi & Sacerdotis nunquam commiſſa fuit alteri, quàm Epiſcopo: ergo Pontifex non poteſt hanc facultatem concedere ſimplici Sacerdoti.

An verò jure divino Epiſcopi ſint ſuperiores, ac majores dignitate, ac poteſtate ſimplicibus Presbyteris, reſpondetur affirmativè, & fuit definitum in Concilio Conſtantienſi contra errores Wicleffi inter quos Martinus V. damnavit iſtum, quo Wicleffus Sacerdotes ſimpliciter pares aſſerebat Epiſcopis. Hoc idem fuit etiam definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap.* 4. Et ratio eſt, quam aſſignat D. Thomas 3. *part. quæſt.* 40. *art.* 4. Quia divina myſteria debent eſſe magis ordinata, quam humana: ſed ordo humanorum officiorum exigit, ut in quolibet officio aliis præponatur, qui in eodem officio ſit præſes: ſic militibus præponitur dux, & inferioribus artificibus Architectus, qui Princeps operis dicitur: pari pacto rectus ordo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ exigebat, ut Sacerdotibus præponeretur aliquis, qui eſſet Sacerdotum Princeps; & hic in qualibet Diœceſi eſt Epiſcopus. Præterea quælibet Poteſtas, quæ non poteſt exire in actum, niſi præſuppoſitis quibuſdam ordinationibus, dependet ab illa poteſtate, quæ facit illas ordinationes: ſed Sacerdos non poteſt abſolvere, & ligare, niſi præſuppoſita Prælati, vel Epiſcopi Juriſdictione, quâ ſibi ſubdantur illi, quos abſolvit: ergo poteſtas Sacerdotalis dependet ab Epiſcopali, eſtque illi inferior, conſequenter eſt de jure divino, quòd Epiſcopi ſint ſuperiores Presbyteris dignitate, & poteſtate.

CAPUT VII.
De Cœlibatu, ut Sacris annexo Ordinibus.

Cœlebs is propriè dicitur, qui caret, ſemperque caruit uxore: abuſivè tamen ſumitur pro eo, qui uxore caret, quam vis aliàs eam habuerit, & uſus fuerit matrimonio: hinc cœlibatus eſt ſtatus hominis ſine uxore, quem ii tantùm amplectuntur, qui continentiæ clypeo omnia retundunt Carnis blandimenta, omnia coërcent illecebrarum illicia, ut ſcitè ait D. Bernardus de contemptu mundi: *Qui continere non valent, cælibatui dare nomina vereantur; ſumptuoſa enim turris eſt, & verbum grande, quod omnes capere non poſſunt*; ſed quatenus ad noſtrum pertinet inſtitutum, tria inquirenda ſunt in cælibatu, & expendenda. Primò, quo jure conſtat dare hanc de cælibatu legem illis, qui ſacris ſunt ordinibus initiati. Secundò, ſi lex iſta eſt de jure tantùm eccleſiaſtico, quandonam ſuum in Eccleſia habuerit initium. Tertio, an lex cælibatus fuerit rectè inſtituta, & qualem ſecum adferat utilitatem. Rurſus hæc lex de cælibatu ad tria obligat, quorum primum eſt, ut nemo conjugatus Sacris initietur ordinibus, niſi ejus uxor perpetuam voveat caſtitatem, ut liquet *extra. de converſione Conjug. cap. Conjugatus & diſt.* 22. *Can. Seriatim & diſt.* 77. *can. Epiſcopus.* Secundum eſt, ut nemo, poſtquam Sacris eſt initiatus ordinibus, uxorem ducat, ut conſtat ex pluribus antiquis canonibus. Tertium, ut qui Sacris eſt initiatus ordinibus perpetuam ſervet continentiam non ſolùm ab actibus venereis per ſe illicitis, ſed etiam ab uſu matrimonii, ſi fortaſſis, antequam Sacris initiaretur, uxorem duxiſſet, & ipſa conjuge vovente perpetuam caſtitatem Ordines Sacros ſuſcepiſſet. De hoc igitur cælibatu Ordinibus Sacris adnexo aſſerunt Hæretici, non eſſe admittendum, eò quia nihil in Eccleſia ſecum adferat utilitatis, & plurimum nocumenti, quatenus Sacerdotes, qui uxores non ducunt, & nolunt ſe continere ob plures, quas habent occaſiones, cum mulieribus peccandi, perſæpe ſacrilegè celebrent: & quia impedit uſum matrimonii, & liberorum generationem, quæ omnia præcipiuntur à DEO, vel ab ipſo mundi initio, cùm præcepit hominibus, ut creſcant, & multiplicarentur. Secus omnes Catholici docent, quod tametſi cælibatus ex natura rei non repugnet uſui conjugali, utpote per ſe bono, & honeſto, & cælibatum nulla lege naturali vel divina eſſe præceptum Sacerdotibus, eſſe nihilominus ab Eccleſia præcepum, & ſtatutum, quæ tametſi neminem abſolutè poſſit cogere ad ſervandam continentiam, nihilominus ob majorem decentiam, & ut Sacerdotes nonniſi divino cultui ſint addicti, ſine curis temporalibus, ſine domeſticis negotiis, ſine liberis, & uxore, ut ſoli Deo & ſibi vacent, hanc continentiam ordinibus Sacris adjunxit; adeo ut, ſicut Eccleſia neminem adigit ad hos ordines ſuſcipiendos, ita neminem cogit ad ſervandam continentiam, & cælibatum, quòd ſi quis velit liberè, & ex ſe promoveri ad Ordines Sacros, debet etiam hanc continentiam iisdem adnexam ſervare, ſive id ſit per conditionem oppoſitam immediatè ordinibus Sacris, ſive per implicitam emiſſionem voti caſtitatis, ſive id fiat per utramque: Hoc autem votum eſt obligatio non ducendi uxorem poſt Sacros ordines ſuſceptos, & ſervandi impoſterum perpetuam continentiam, quæ obligatio vocari etiam ſolet votum implicitum continentiæ: ſiquidem non eſt neceſſe, ut qui Sacris initiantur Ordinibus, expreſſum emittant votum caſtitatis, quia eo ipſo, quod Sacros ſuſcipiunt ordines, cum hac annexa obligatione ad perpetuam continentiam ob Dei cultum, dicuntur implicitè vovere continentiam, quinimò hæc obligatio ſolet etiam vocari votum ſolemne, quatenus non ſolùm impedit matrimonium contrahendum; verùm etiam dirimit inſtar voti ſolemnis matrimonium contractum, & efficit, ut ſi quis Sacris initiatus Ordinibus, matrimonium contrahat, hoc ſit irritum & invalidum, & quoties Sacerdos, qui duxit uxorem, utitur matrimonio, toties ſacrilegè peccat; his præmiſſis,

Aſſerendum eſt, votum continentiæ nonniſi jure eccleſiaſtico Sacris eſſe annexum Ordinibus, adeo ut cælibatus in ſacris initiatis Ordinibus quoad tria recenſita

Digitized by Google

cenſita non ſit de jure divino, ſed tantum Eccleſiaſtico, ut cum D, Thoma 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 11. ferè communiter docent Theologi. Ratio eſt, quia ſi cœlibatus in homine ſacris initiato ordinibus eſſet de jure divino, aſſignandum eſſet aliquod Dei præceptum, quo Deus injungeret cœlibatum, ſed hujusmodi præceptum non eſt aſſignabile in teſtamento veteri, neque novo, conſequenter non eſt de jure divino. Major liquet, quia non poteſt quidquam affirmari de jure divino, niſi probetur exſtare hoc jus divinum, ſeu Dei præceptum. Minor oſtenditur, quia ſi probaretur ex Veteri Teſtamento, maximè ex illo *Deuteron* 33. ubi in benedictione Levitarum dicitur de iiſdem, *quod filios ſuos neſciverant*, ſed quod Levitæ non habuerint filios, ſed hoc nequit ad litteram intelligi de Leviticis Miniſtris veteris legis, quia conſtat, ipſos habuiſſe uxores, & ex eisdem filios genuiſſe, conſequenter debet intelligi ſpiritualiter, & prophetice de Leviticis, ſeu Miniſtris Novi Teſtamenti; ergo in lege evangelica conſtitutos in ſacris ordinibus teneri ad cœlibatum, videtur eſſe de jure divino. Verùm ex citato textu *Deut.* 33. non probatur, cœlibatum eſſe de jure divino, quia tametſi illa benedictio Levitarum intelligatur propheticè de Miniſtris Novi Teſtamenti, ut vaticinium verificetur, ſufficit, ſi ſacris iniciati ordinibus ſint in lege evangelica cœlibes, & continentes per legem Eccleſiaſticam, quia per id, præciſo quovis alio jure, verificatur vaticinium illud Deuter. *Quod filios non habebant.* Quamobrem ad veritatem hujus vaticinii non erat neceſſaria lex divina, quæ præciperet cœlibatum. Neque ex Novo Teſtamento cœlibatus poteſt evinci de jure divino, quia ſi probaretur maximè ex illis Chriſti verbis: *Attendite ne graventur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ*, quæ explicans S. Leo Papa *ſerm.* 8. *de jejunio decimi menſis* ait: Chriſtum præfatis verbis præcipere Adminiſtris Eccleſiæ continentiam, & cœlibatum, qui propterea eſt de jure divino, ſeu de Chriſti præcepto, unde Syritius Papa *in epiſt. ad Hymerium Taraconenſem Epiſcopum* ait, Chriſtum voluiſſe in Eccleſia ſua caſtitatem radiare. Verùm neque ex hoc evincitur, quod cœlibatus ſit de jure divino: quia Chriſtus prærecenſitis verbis non prohibuit omnino curis hujus vitæ, ſed nimias curas, & ſollicitudines, quæ avertunt à neceſſaria cura profectus, & ſalutis ſpiritualis: idque ex eo conſtat, quia Chriſtus direxit verba illa ad omnes fideles, quos ſollicitos voluit propriæ ſalutis, ac paratos pro reddenda ratione ſupremo judici, quod ad omnes pertinet, qui expectaturi ſunt extremum judicium, quapropter Syritius Papa ſcripſit, Chriſtum voluiſſe in communi, ut caſtitas eo modo effloreſceret in Eccleſia, quo videretur expediens ad optimum ejusdem ſtatum: quamobrem ex hac generali Chriſti voluntate non poteſt inferri eſſe cœlibatum de jure divino in iis, qui ſacris ſunt ordinibus initiati, cùm Chriſtus dederit præceptum illud omnibus fidelibus in communi, ut etiam expreſsè aſſerit S. Leo Papa *ſub initium ſerm.* 8. ubi ait: Chriſtum eo præcepto totam in Apoſtolis voluiſſe Eccleſiam inſtituere. Neque D. Leo in præfato ſermone ait: Præceptum illud pertinere ad ſolos Eccleſiæ Miniſtros, ſed etiam ſpectare peculiariter ad eos, qui proximiores ſunt extremo judicio, ut erat ipſe & cæteri omnes tùm Eccleſiaſtici, tum ſæculares, qui ſua viverent ætate. Apoſtoli autem quamvis cœlibatum Epiſcopis commendent, ut D. Paulus *ad Tit.* 1. ubi ait: *Oportere Epiſcopum eſſe ſobrium, juſtum, continentem*, ſeu abſtinentem à conjugio. 1. *Petri* 5. ubi Princeps Apoſtolorum monens Eccleſiarum ſubordinatos Paſtores, eos hortatur ad ſobrietatem, & abſtinentiam à conjugio, & ad vigilantiam, ne cadant: *Sobrii eſtote, & vigilate*, non tamen aſſerunt, cœlibatum eſſe de jure divino, quinimò inde potiùs inferimus, legem cœlibatus eſſe Apoſtolicam in iis, qui ſacris ſunt initiati ordinibus. Idque ex eo firmari poteſt, quia Eccleſia Romana pluribus pridem ſæculis conceſſit ſacerdotibus Græcis uſum matrimonii contracti ante ſacras ordinationes, ut patet *ex cap. Cum olim de Clericis conjugatis*: quamvis hæc pro tempore conceſſio in minus probatam poſtea abierit conſuetudinem ortam ex abuſu eorundem Græcorum. Præterea quia S. Gregorius Papa *lib.* 1. *Regiſt. epiſt.* 42. conceſſit ſubdiaconis Siciliæ, ut poſſent uti matrimonio inito ante ſacram ordinationem, quamvis prohibuerit impoſterum conjugatos ordinari; niſi una cum uxoribus perpetuam voverent continentiam. Conſtat etiam ex Concilio Ancitrano *cap.* 10. potuiſſe olim Diaconos poſt ordinationem ducere uxores ſi facultatem ab Epiſcopis impetraſſent, & hoc Concilium fuiſſe approbatum à Leone IV. atqui Pontifices, & Concilia non poſſunt diſpenſare in jure divino, ſed tantùm in Eccleſiaſtico, ergo cœlebatus in iis, qui ſacris ſunt ordinibus initiati, eſt de ſolo jure Eccleſiaſtico, cùm Eccleſia in eo diſpenſaverit: hinc in Concilio Tridentino lex iſta cœlibatus vocatur Eccleſiaſtica *ſeſſ.* 24. *can.* 9. ubi anathemate percutit improbantes cœlibatum lege Eccleſiaſtica *ſeſſ.* 24. *can.* 9. injunctum iis eſſe, qui ſacris ſunt ordinibus initati. Quapropter non rectè Clitoveus *lib. de continentia ſacerdotum cap.* 4. Ex eo, quod nunquam licuerit poſt ſacram ordinationem uxorem ducere, intulit, id eſſe de jure divino, conſequenter etiam uti matrimonio. Nam matrimonium iis, qui ſacris ſunt ordinibus initiati, non interdicitur propter ipſam actum contrahendi, ſeu ducendi uxorem; ſiquidem hujusmodi actus Sacramentum conſtituit, conſequenter eſt actus honeſtus, ſanctus, & religioſus: ſed prohibetur matrimonium propter ejus uſum, quia uti matrimonio non videtur decere dignitatem, & officium eorum, qui ſacris ſunt initiati ordinibus: uſus autem matrimonii non eſt jure divino prohibitus conſtituto in ſacris ordinibus, conſequenter neque uxorem ducere poſt ſacros ſuſceptos ordines, cum matrimonium inire in ſacris ordinibus ſit tantum prohibitum propter ejus uſum, quæ prohibitio eſt tantùm de jure Eccleſiaſtico, non divino, cùm certum ſit plures ex veteribus Epiſcopis uxores habuiſſe, quas ante ordinationes duxerant, & cum iiſdem habitâſſe, quod non contigiſſet, ſi uſus matrimonii fuiſſet Epiſcopis de jure divino interdictus. Præterea quia D. Paulus 1. *ad Timoth.* 3. ait: *Oportere Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, domi ſuæ bene præpoſitum, filios habentem ſubditos ſuos*, & quamvis plures verba D. Pauli ita explicent, ut per uxorem unam intelligant unam tantùm Eccleſiam, quæ eſt Epiſcopi ſponſa, & per filios intelligant diœceſanos pertinentes ad talem Eccleſiam, adeo ut non liceat Epiſcopo plures ſimul habere ſponſas, ſeu Eccleſias, & Epiſcopatus, ut melius poſſit ſuæ Eccleſiæ inſervire ejusque bonum ſpirituale promovere, nihilominus alii per uxorem intelligunt fœminam,

quam Epiſcopus promotus poſtea ad Epiſcopatum, antequam ſacris initiaretur, duxerat, & poſt ſuſceptos ſacros ordines ei non licere aliam poſtea ducere, tametſi prima decedat, quo pacto explicant, oportere Epiſcopum unius uxoris virum eſſe, & aſſerunt, poſt ſuſceptos ſacros ordines Epiſcopum non amplius filios ſuſcepiſſe, ſed ſuſceptos ante promotionem ad Epiſcopatum ſanctè, & piè inſtituiſſe, & ipſum una cum uxore continentiam voviſſe, ac caſtitatem ſervâſſe, quo pacto etiam D. Petrus legitur uxoratus fuiſſe, imò non deſunt, qui aſſerant, uno excepto Joanne, cæteros Apoſtolos ſuas habuiſſe uxores, quas tamen poſt Apoſtolatum retinuerunt, ut ſorores abſtinentes ſe ab uſu matrimonii, & voventes continentiam. Hinc.

Aſſerendum ſecundò, cœlibatum ſacerdotum fuiſſe in prima Eccleſia Apoſtolica præceptum, & Eccleſiam tempore Apoſtolorum hanc legem ſanxiſſe, ut conſtat ex Clementis Romani *Conſtit. Apoſtol.* 25. & aliis Patribus, qui floruerunt tempore Apoſtolorum: quapropter Calixtus apud Gratianum *diſt.* 27. ait. *Presbyteris, Diaconis, ſubdiaconis matrimonium contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujusmodi perſonis disjungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere, juxta ſacrorum canonum definitiones judicamus.* Idque evincitur ex illo D. Pauli ad Tit. *Oportet Epiſcopum,* quo nomine comprehenduntur etiam Presbyteri, *ſobrium juſtum, ſanctum continentem eſſe*, ſeu ut explicat S. Hieronymus *abſtinentem ab uxoris etiam amplexibus*, unde Paulus præcipit Tito ſobrietatem, juſtitiam, continentiam, & D. Hieronymus explicat verbum illud *ſobriè* in Græco idiomate idem ſonare, ac *caſtè*, & 1. *Timoth.* 3. loquens de Epiſcopo ait: *filios habentem ſubditos cum omni caſtitate*, ait Apoſtolus cum omni caſtitate, ut nullam excludat, ſed illam etiam includat, quæ conſiſtit in continentia cũ uxore. Evincitur etiam cœlibatus *ex epiſt. 2. ad Timoth. cap.* 2. ubi ſcribit: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, ex quibus potiſſimum eſt matrimonium, cùm idem Apoſtolus ſcribens ad Corinth. 7. de conjugatis dicat: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*, quia ut monet S. Baſilius *cap.* 1. *Conſtit. Monarch. Nullæ ſunt curæ graviores, quàm eæ, quæ à conjugio profectæ gregatim innumerabiles pene advolant.* Unde Concilium Carthaginenſe II. *can.* 2. ad Exemplum Apoſtolorum hanc cœlibatus legem confirmavit, inquiens: *Placuit ut Presbyteri, Epiſcopi, Diaconi & omnes, qui ſacra contrectant, ab uxoribus abſtineant, ut, quod Apoſtoli docuerant, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Cujus Eccleſiaſticæ legis antiquitas oſtenditur etiam ex Calixto, primo Pontifice, qui præfuit Eccleſiæ circa annum à reparata ſalute 218. hic enim Pontifex cœlibatum iis, qui ſacris initiantur ordinibus etiam injunxit, referente Gratiano *diſt.* 27. *cap. Presbyteris*, ubi Pontifex ſub primis Orientis Eccleſiæ initiis dixit *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab hujusmodi perſonis disjungi juxta ſacrorum canonum definitiones judicamus.* Unde Calixtus ſupponit, jam in Eccleſia extitiſſe canones injungentes ſacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis ſtudium cœlibatus. Quod ſi canones, definientes cœlibatum, in ſacris ordinibus inſtitutis fuerunt in Eccleſia Calixto antiquiores, tenemur fateri legem hanc Eccleſiaſticam de cœlibatu eſſe Apoſtolicam ac temporo incepiſſe Apoſtolorum, præſertim cùm in eorundem canonibus præcipiatur, ut minoribus duntaxat ordinibus initiati poſſint uxorem ducere, ex quo infertur, licitum id illis non fuiſſe, qui in ſacris erant conſtituti, alioquin non fuiſſet difficultas de ordinibus minoribus, neque opus fuiſſet, ut hoc idem per canones declararetur.

Præterea ſancti Patres communiter aſſerunt, initiatos ſacris ordinibus debere continentiam ſervare, ac cœlibatum, cum competat illis continuo vacare orationi, maximè dum ſanctum offerunt ſacrificium, ait enim Epiphanius *hæreſi* 59. *ſi populo præcipit Apoſtolus dicens, ut ad tempus vacent orationi; quanto magis ſacerdoti idem præcipit? ut indiſtrictus ſit, inquam, ad vacandum ſecundum Deum ſacerdotio, quod in neceſſitatibus Spiritualibus, ac uſibus perficitur*, idque etiam aſſeruit Origenes *homil* 23. *in Numer.* inquiens: *Certum eſt, quia impeditur ſacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt, unde videtur mihi, quod illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devoverit caſtitati*, & *homiliar. lib.* 4. *in Levit.* ait: *Ante omnia enim ſacerdos, qui divinis aſſiſtit altaribus, caſtitate debet accingi.* S. Baſilius præcipiens Paregorio Presbytero *epiſt.* 17. Ut deſiſtat à muliercula, quam domi retinebat, cùm adduxiſſet Concilium Nicænum prohibens, ne quis mulierculam ſubintroductam habeat, ait: *Ejice igitur illam ex ædibus tuis: & trade in monaſterium, ſit illa cum virginibus, & tu inter viros miniſtra, ne nomen Dei propter vos blaſphemetur &c. ſi verò ſine correctione tui ipſius auſus fueris, ſacerdotii retinere functionem, anathema eris omni plebi, & ſi qui te receperint, per omnem Eccleſiam excommunicabuntur*, & *epiſt.* 1. *ad Amphylochium* ſcribit: *Diaconus poſt diaconatum fornicatus à diaconatu quidem dejicitur, in laicorum autem locum extruſus à communione non arcebitur.* Euſebius Cæſarienſis *de demonſt. Evangel. lib.* 1. *cap.* 9. ait: *Verumtamen eos, qui ſacrati ſint, atque in Dei miniſterio cultuque occupati, continere deinceps ſe ipſos à commercio uxoris decet.* S. Joannes Chryſoſtomus *homil* 2. *in Job.* refert: Differe antiquum Eccleſiæ ſtatum in ſua erectione ab Eccleſia recenti inquiens: *Quoniam virgines raro inveniebantur, Paulus Epiſcopus ordinans Tito dixit: conſtitue Epiſcopos ſicut ego diſpoſui unius uxoris viros, non ex ratione, quod id nunc in Eccleſia obſervetur. Oportet enim omni prorſus caſtitate ſacerdotem donatum eſſe.* Quod vero Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 3. dicat, Epiſcopum oportere eſſe unius uxoris virum, D. Ambroſius explicat, ut Bigamus non debeat promoveri ad Epiſcopatum, non vero, quod initiatus ſacris ordinibus poſſit penes ſeſe mulierem retinere, quia id explicitè prohibetur *can.* 3. Nicænæ Synodi relata à Gratiano *in diſt.* 22. *can. interdixit*, unde D. Ambroſius *lib.* 3. *epiſt.* 25. *ad Vercellenſem Epiſcopum* ſcribit: *Neque iterum, ut filios in ſacerdotio creare Apoſtolica invitetur authoritate, habentem enim dixit filios non facientem, neque conjugium iterare*, & paulò poſt ſubdit: *Qui iteravit conjugium, culpam quidem non habet coinquinari, ſed prærogativa exuitur ſacerdotis*, & nonnullis interjectis ſubdit, cognoſcamus non ſolùm hoc Apoſtolum de Epiſcopo & Presbytero ſtatuiſſe; ſed etiam Patres Concilium Nicænum tractatu addidiſſe, neque Clericum quemquam debere eſſe, qui ſecunda con-

conjugis ſortitus ſit, unde quando Apoſtolus aſſerit Epiſcopũ debere eſſe unius uxoris virum, non fert legẽ, ut Epiſcopi uxorem habeant ſed, ut non habeant, ut notat S. Joannes Chryſoſtomus vel non habuerit, niſi unam, & virginem. Expreſſius itidem refert ſenſum litteralem moralem, & myſticum verborum Apoſtoli in *Tractatu de dignitate ſacerdotali cap. 4.* inquiens: *ſi ad ſuperficiem tantum litteræ reſpiciamus, prohibet, bigamum Epiſcopum ordinari; Sin verò ad altiorem ſenſum conſcendamus, inhibet, Epiſcopum duas habere Eccleſias: & ſi adhuc interiorſus profundiora perſcruteris, monet, ne poſt catholicam dogma ſenſum inveniatur Epiſcopus habere hæreticum, ſed Chriſtianam tantum, orthodoxam, & catholicam ſibi aſſociet fidem, ut unius tantummodo uxoris, & Catholicæ Eccleſiæ vir Epiſcopus vocitetur*, ait igitur Apoſtolus *1. ad Timoth. 3.* Oportere Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, ſcilicet eum tantum eſſe aſſumendum ad Epiſcopatum, qui unam tantum duxerit uxorem, & hanc virginem, & nullo pacto eum, qui plures uxores duxerit. excludit enim Apoſtolus bigamum, & tantùm concedit uxoratum cum una tantùm, & virgine poſſe promoveri ad epiſcopatum, dummodo una cum ſua uxore, ſi ſupervixerit, voveat continentiam, & caſtitatem, adeo ut ex ipſa non amplius generet filios, ſed quos ante Epiſcopatum genuit piè, & ſanctè inſtruat. D. Hieronymus ſupponit Apoſtolos non habuiſſe uxores præter Petrum, ait enim *lib. 1. contra Jovinianum cap. 14. Quamquam excepto Apoſtolo Petro non ſit manifeſtè relatum de aliis Apoſtolis, quod uxores habuerint, & cùm de uno ſcriptum ſit, & de cæteris tacitum, intelligere debemus ſine uxoribus eos fuiſſe, de quibus ſcriptura nihil ſignificat*, & *cap. 18.* ait: *Non dicit Paulus, eligatur Epiſcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat: Sed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina, certè confiteri non poſſe, eſſe Epiſcopum qui in Epiſcopatu filios faciat: alioquin, ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur: ſed quaſi adulter damnabitur.* Hoc idem etiam Juſtinianus Imperator præcipit *in authent. Epiſcopo Codice de Epiſcop. & Cleric.* ubi habetur: *Epiſcopo nullam mulierem ſecum habere permittitur: Sed ſi habere probetur, ab Epiſcopatu dejiciatur, quod ſe fecit indignum.* Ratio itidem eſſe poteſt, quia ſi ſacerdotes conjuges haberent, & filios, non ſolùm de his ſemper cogitarent, ſed etiam ad officium prædicationis redderentur inepti: quia ut ait D. Ambroſius non poteſt efficaciter ad continentiam, & caſtitatem exhortari viduas, & virgines, qui liberis progignendis perpetuo operam daret; & Auguſtinus *lib. 14. de civit. Dei cap. 16.* ait: *Aliud conjugii maximè hebetat aciem mentis, ac deprimit ad interiora, & perturbat, atque animum ipſum quodammodo carnaliter facit*, quapropter Apoſtolus ad initiatos ſacris ordinibus *ad Corinth. 7.* ait: *Volo autem omnes ſic eſſe, ſicut ego ſum*, ſcilicet continentes, & ſine uxoribus quia ut ipſe ait: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, nullique vitio mancipatum, unius uxoris virum, ſeu qui unam tantum uxorem habuerit, non habeat, *ſobrium, ſeu pudicum, hoſpitalem*, ut imitetur Abraham, & cum peregrinis, imo in peregrinis Chriſtum ſuſcipiat Doctorem. Nihil enim prodeſt conſcientia virtutum frui, niſi & concreditum ſibi populum poſſit inſtruere, *ut valeat exhortari in doctrina, & eos, qui contradicunt redarguere. Non vinolentum*, quia qui ſemper in ſanctis ſanctorum eſt, & qui offert hoſtias, vinum & ſiceram non bibit, quia in vino luxuria eſt, *Non percuſſorem*, ſeu qui conſcientias percutiat ſingulorum. Non enim pugilem Apoſtolus deſcribit, ſed Pontificem inſtituit, & à quibus debeat ſe abſtinere declarat, unde ſubdit *ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum domum ſuam benè regentem filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.* Hanc eandem continentiam plerique aliis in locis ſuadet, & imo inculcat Apoſtolus *ad Roman. 13. Induimini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam, ne feceritis in deſideriis*, & *1. Corinth. 2. Qui animalis eſt, & non recipit ea, quæ Spiritus Dei ſunt; ſtultitia enim illi eſt: nec poteſt intelligere, quia ſpiritualiter dijudicatur*, quia caſtitatem non excolit: ſed nuptias concupiſcit, & *1. ad Corinth. 15. Hoc autem dico fratres, quia caro, & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptionem poſſidebit.* Quod ſi corruptio ad matrimonium pertinet; incorruptio ad caſtitatem ſpectat, præmium pudicitiæ nuptiæ poſſidere non poſſunt. Et *ad Philippenſes 4. Quæcunque ergò ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ad caſtitatem pertinentia, his copulemur, hoc ſequamur.* Et rurſus *2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut poſſit ei placere, qui ſe elegit*, quod ſi vellem allegare omnes Apoſtoli textus, quibus hortatur fideles ad culturam caſtitatis, & præſertim Epiſcopos, alioſque ſacris ordinibus initiatos nimis prolixus eſſem.

Falluntur igitur Hæretici, aſſerentes legem cœlibatus repugnare ſcripturis, & antiquis Conciliis, & à ſolo Pontifice contra ſynodorum authorithatem fuiſſe ſancitam poſt undecimum ſæculum, & poſt duodecimum tantùm fuiſſe in Germania promulgatum, ut ſomniavit Melancton *in Examine cap. 9. ſeſſ. 24.* Etenim Zacharias in Petri cathedra ſedit ante nongentos annos, injunxit Bonifacio Epiſcopo Germaniæ, ut legem cœlibatus religioſè, ac ſanctè ſervarent, quotquot ſacris initiabantur ordinibus. Præterea in Conciliis Moguntino, & Wormatienſi celebratis in Germania ante octingentos annos inducitur lex cœlibatus ac ſervanda injungitur his, qui ad ſacros promoventur ordines. Hæretici verò, ut probent legẽ cœlibatus non eſſe in Eccleſia Apoſtolicam, ſed poſt plura ſæcula à Pontificibus ſancitam.

Objiciunt primò *Canonem 6. Apoſtolorum* ubi dicitur: *Epiſcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat*, ſecundò *canonem ſi quis eorum 81. diſt. & cap. ſane, & cap. ſi qui Clerici* ex quibus liquet uſitatum fuiſſe in Eccleſia, ut ſacerdotes matrimonium inirent, & uxores ducerent. Tertio Concilium Gangrenſe *can. 4.* ubi habetur, *Quicunque diſcernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo miniſtrante oblationem accipere, anathema ſit.* Verum ex hiſce textibus non probatur quidquam contra noſtram aſſertionem, ad primum reſpondetur, in illo canone tantùm præcipi, ne prætextu religionis Presbyter, vel Epiſcopus, qui ante ſacras ordinationes uxorem duxerat, curam illius abjiceret: ſiquidem injungebatur ut illam aleret, eique neceſſaria ad victum, & veſtitum ſuppeditaret, ut aſſerit Concilium Trullanum, & Turonenſe *can. 48.* Ad ſecundum de ſacerdotibus ducentibus uxorem, reſpondetur, nunquam in Eccleſia fuiſſe moris: ut

ſacerdotes uxores ducerent poſt ſacros ſuſceptos ordines, id enim nunquam licuit, & qui hoc pacto matrimonium contraxerunt, graviſſimè fuerunt puniti, ut liquet ex præcitatis textibus, quinimo Alexander II. in illo canone *ſiquis amodo* decrevit, ut ſacerdotes, qui auderent uxores ducere, ejicerentur è gradu Eccleſiaſtico: & nunc matrimonia, quæ contrahuntur à ſacerdotibus, & religioſis profeſſis, habentur ab Eccleſia nullius valoris, non ita ſacerdotium ſuſceptum ab uxorato, inſcia uxore, tametſi hæc nolit perpetuam vovere caſtitatem, imò velit à marito exigere debitum, tenetur maritus uxori petenti reddere, non tamen poſſet absque ſpeciali diſpenſatione illud ab uxore petere, & exigere, quia involuntaria ſuſceptione ſacri ordinis ex ſuppoſitione, & bona fide, quod ejus uxor fuerit mortua, implicitè vovit ipſe perpetuam caſtitatem: & in hoc caſu conſultius foret, ſi ſacerdos uxoratus ſuſpenderetur à celebratione Miſſæ, & communicaret perinde ac laici, non tamen deſunt, qui aſſerant, poſſe quidem celebrare, ſed non publicè niſi in ſolennioribus anni feſtis, in quibus uxor debitum ab ipſo non exigeret. Ad aliud petitum ex Concilio Gangrenſi reſpondetur, iis tantum anathema dici, qui à tali Presbytero, & ejus miniſterio abhorerent, ac ſi matrimonium fuiſſet per ſe malum, tametſi ſacerdos abſtineret ab uxore, quam ante ſuſceptos ſacros ordines duxerat, & hic eſt verus ſenſus illius canonis, ut liquet ex *can* 1. & 4. ejusdem Concilii.

Neque obſtat, ſi dicas, Eccleſiam neminem poſſe adigere ad ſervandam caſtitatem, conſequenter neque ad cœlibatum. Nam Eccleſia ſicut neminem adigit ad ſuscipiendos ſacros ordines, ita ad ſervandam continentiam, & cœlibatum; ſed quia conjuges debent cogitare, quomodo poſſint res domeſticas promovere, filios educare, inſtruere, filias matrimonio collocare, quæ omnia ſunt impedimento, quo minus poſſit conjugatus ſoli Deo vacare, & divinis obſequiis ſe totum impendere; ideo Eccleſia à tempore Apoſtolorum ordinibus ſacris adnexuit obſervantiam cœlibatus, ut hiſce initiati ordinibus exactius ſoli Deo inſerviant, ut unicè ſint divinis addicti obſequiis: præſertim, quia ut notat S. Ambroſius, ſacerdos conjugatus, quique matrimonio uteretur, non poſſet efficaciter ad continentiam, & caſtitatem viduas, & virgines adhortari contra præceptum Apoſtoli, cum ipſe proprio exemplo contrarium edoceret, & daret operam liberis progignendis. Rurſus quia *actus conjugii maxime hebetat aciem mentis, ac deprimit ad inferiora, et perturbat, atque animum ipſum quodam modo carnaliter facit*: ob has præcipuè cauſas conſultius viſum eſt Eccleſiæ, ordinibus ſacris adnectere legem ſervandam cœlibatus; & ſicut ipſa neminem adigit ad ſacros ordines ſuſcipiendos, ita neque ad ſervandum cœlibatum: quòd ſi quis velit liberè initiari ſacris ordinibus, tenetur illos ſuſcipere, cum hac conditione non ducendi uxorem, ac ſervandi caſtitatem, unius cultura propterea liberè eligitur; qui enim vult liberè unum, vult etiam liberè aliud, quod eidem eſt neceſſario adnexum; unde qui liberè ordines ſacros ſuſcipiunt, liberè itidem profitentur continentiam, non coactè. Neque lex iſta continentiæ adnexæ ſacris ordinibus eſt recens ab Eccleſia ſancita: ſed lata fuit primis temporibus: cum illius meminerint SS. Patres, qui floruerunt tempore Apoſtolorum; vel primis Eccleſiæ ſæculis, ut Clemens Rom. *Conſt. Apoſtol.* 25. origenes *in Levit. homil.* 4. Concil. Rom. c. 8. Concilium Nicænum 2. *can.* 3. Euſebius *in cap.* 3. *Iſaia.* D. Ambroſius *ad cap.* 3. 1. *Timoth.* & *lib.* 1. *offic. cap.* 50. Epiphanius *hereſi* 59. & 79. D. Hieronymus *adverſus vigilantium cap.* 1. & *lib.* 1. *contra Jovinianum cap.* 14. & 19. ut etiam *in Apologia ad Pammachium cap.* 3. & *cap.* 8. Concilium Carthaginenſe II. *cap.* 2. Innocentius I. *cap.* 9. & *epiſt.* 4. Joannes Cyprius *in vita S. Epiphanii* & plures alii, qui floruerunt primis illis Eccleſiæ ſæculis.

Solent tamen Sectarii objicere Eccleſiam Græcam, in qua ſacerdotes, & conjugati ſunt, & etiam matrimonio utuntur, ſed contra, quia nulli unquam Græco licitum fuit, neque nunc licitum eſt poſt ſuſceptum ſacerdotium uxorem ducere. Quod ſi ante ſacerdotium ſuſceptum matrimonium contraxiſſent, poſtea promiſſa mutuo conſenſu continentia ab uxoribus ſe continere jubebantur, tametſi id non in omnibus Orientalibus Eccleſiis ſemper obſervaretur, ſed tantum ubi canones Eccleſiaſticis in ſua ſinceritate ſervati fuerunt, & Obſervati. Verum tamen eſt, quod poſt ſynodum Trullanam non niſi paucis in locis hi canones fuerunt obſervati, adeò ut Eccleſia latina Romana in illam ſacerdotum conſuetudinem conſenſerit, ut licitam, & conceſſam Orientalibus, ut ſcilicet conjugibus ante ordinem ſacrum ductis licitè uteretur in ipſo ſacerdotio, ea tamen conditione, ut una uxore mortua ſacerdos non poſſet aliam ducere, ut habetur *in cap. quæſitum de pœnit & remiſſ.* non tamen hoc indultum ab Eccleſia latina conceſſum ſacerdotibus Græcis erat juxta priſcos canones, & antiquæ legis conſuetudinem. Rurſus in Eccleſia Græca votum caſtitatis non præcipiebatur, annecti ſacerdotio, ſed tantum lex ſimplex cœlibatus, in qua tamen lege Eccleſia adhuc humanæ infirmitati condeſcendens diſpenſabat ſecundum quid, ut nimirum ductis ante ſuſceptum ſacerdotium uxoribus cohabitare quidem poſſent, non verò poſt ſuſceptum ſacerdotium licitum illis erat, alias ducere uxores, ſi ducta ante ſuſceptum ſacrum ordinem deceſſiſſet.

Hinc conſtat, obſervantiam clericalem cœlibatus in primativa Eccleſia etiam à tempore Apoſtolorum uſitatam fuiſſe, & præceptam, & fundamentum hujus legis habetur in ſcripturis, ſiquidem Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 5. refert viduas, quæ ab Eccleſiæ ſubſtantia alebantur, non fuiſſe receptas, niſi prius continentiam Deo promiſiſſent, hinc infertur à fortiori, Miniſtros altaris, qui etiam alebantur de ſubſtantiis Eccleſiæ, debuiſſe hanc cœlebatus legem amplecti, & ſervare, cùm proximius altari inſerviant quàm viduæ, & immaculatum Euchariſticum agnum ſacrificent. Præterea quia in lege veteri Levitæ non eligebantur, niſi priùs promitterent caſtitatem. Et revera pluribus de cauſis congruum eſt, ut ſacris ordinibus ſit lex cœlibatus adnexa: primò ob ingentem reverentiam, quæ debetur myſterio Euchariſtiæ, ſiquidem, ſi veteris legis ſacerdotes, cùm eſſent ſacra tractaturi, & Laici etiam illa percepturi, continere ſe ab uxoribus debuerunt, ut habetur *Exodi* 12. *v.* 11. & 29. *v.* 15. ut etiam 1. *Reg. cap.* 21. *v.* 4. & 5. à fortiori Chriſtiani ſacerdotes, qui ferè quotidie panem

Ange-

Angelorum, ſeu corpus Chriſti tractant, perpetuò debebunt ab uxoribus abſtinere, præſertim cùm D. Paulus ſignificet, ita eſſe faciendum *ad Titum* 1, 7. ubi præter alias dotes Epiſcopi aſſerit, etiam continentiam eſſe ab eodem ſervandam. Rurſus, quia Apoſtolus jubet, conjugatos ex mutuo conſenſu abſtinere ab uſu matrimonii, ut inſtare poſſint orationi. 1. *Corinth.* 7. *v.* 5. Quapropter Sacerdotes legis evangelicæ, & qui perpetuò preces pro populo fundunt, & divinis inſiſtunt officiis, debent à fortiori ſe continere, ac propterea debuit ſacris ordinibus votum adnecti caſtitatis, ſive per implicitam emiſſionem faciendum, ſive per explicitam. Rurſus, quia rectum Eccleſiæ regimen, & utilitas id exigebat, ut Sacerdotes miniſtrantes quotidie altari continentiam ſervarent, ac cœlibatui eſſent addicti, ne eleemoſynæ, & reditus eccleſiaſtici, qui ad officium divinum à fidelibus offeruntur, uſibus applicarentur profanis, ſed in utilitatem ejuſdem Eccleſiæ, ſi enim Sacerdotes eſſent uxorati cum liberis, talia bona faciliùs uxori, & liberis extraderentur, ut domeſticis commoditatibus conſulerent. Demum, quia Apoſtolus jubet, Epiſcopos, & Sacerdotes hoſpitales eſſe *ad Tit.* 1. *v.* 7. & hanc hoſpitalitatem non exercerent, ſi uxori deberent conſulere, & copioſæ proli theſaurizare. Has ob cauſas rectè fuit cœlibatus à tempore Apoſtolorum, adnexus ordinibus ſacris.

CAPUT VIII.

An lex cœlibatus ſit in Eccleſia utilis, ac conſultius ſit, ut ſacris initiati ordinibus perpetuam ſervent caſtitatem.

D. Hieronymus errorem refert, & nervosè confutat Joviniani, qui nuptias prætulit virginitati, cenſuitque propterea non ſolùm ante, ſed etiam poſt ſacram ordinationem licitum eſſe Sacerdotibus, matrimonium inire, hac innixus ratione, quia, ſicut matrimonium eſt quid præſtantiùs, & Deo gratius, nulla videtur poſſe ratio aſſignari, qua Sacerdotes cauſa ſanctitatis, & Religionis debeant à conjugio abſtinere, & D. Auguſtinus *hereſ.* 82 refert, hanc ob rationem quaſdam Sanctimoniales viris nupſiſſe, ut magis gratum Deo præſtarent obſequium. Eundem errorem poſt plura ſecula inſtauravit Wicleffus apud Waldenſem *Tom.* 2. *de Sacramentis cap.* 128. cui adhæſit Lutherus *Lib. de abroganda Miſſa privata part.* 3. ubi legem cœlibatus vocat perditiſſimum, ac ſacrilegum decretum, hac de cauſa & ipſe matrimonium contraxit cum Sanctimoniali. Sed aſſerendum eſt, legem cœlibatus in cœtu præſertim Religioſorum, & eorum, qui ſacris ſunt ordinibus initiati, utiliſſimam eſſe, ac plurimum in Eccleſia adferre utilitatis, propterea fuiſſe ſanctè, & rectè ſancitam ab ipſis Apoſtolis, idque evincitur ex eo, quia Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. jubet, Conjugatos ad tempus debere ab uſu matrimonii abſtinere ob eam rationem, ut intenſius vacent Orationi, & hortatur non nuptos, qui ſe continere poſſunt, ut ſic permaneant, quatenus à ſæcularibus curis expediti, ferventiùs Deo inſerviant: Quòd ſi D. Paulus piè, & ſanctè præcepit continentiam Conjugatis, ut diligentiùs vacarent Orationi, à fortiori piè, & ſanctè Apoſtoli hanc ſanxerunt legem cœlibatus, ut homines Religioſi ex inſtituto divino cultui addicti, & Sacerdotes omnes à curis rerum domeſticarum liberi Deo inſervirent: cùm viri ſacris initiati ordinibus debeant perpetuò vacare Orationi, ac in divinis ſe occupare obſequiis, fas erat, ut per legem cœlibatus jugiter ſe continerent. Quòd ſi in lege veteri cautum erat, ut ii ab uſu matrimonii ſe abſtinerent, qui tractaturi erant res ſanctas, ac divino dicatas cultui: à fortiori conveniens itidem erat, ut in lege evangelica, quia res longe ſanctiores erant, perpetuò vel tractaturi, vel peracturi ſe perpetuò continerent à re uxorea; ſiquidem in lege veteri David, & ejus Socii non fuerunt admiſſi ad panes propoſitionis, niſi priùs proteſtarentur, ſe per aliquot dies à mulieribus abſtinuiſſe, ex quo infert S. Hieronymus *in cap.* 1. *ad Titum*: à fortiori etiam teneri ſacerdotes in lege evangelica continentiam religioſe cuſtodire, & à re uxorea prorſus abſtinere, cùm verum, & reale corpus Chriſti ſignificatum per panes propoſitionis veteris legis ſingulis diebus conſecrent, manibus tangant, & fidelibus miniſtrent; & ipſi etiam pane illo ſuaviſſimo de cœlo præſtito perpetuò veſcantur? Quòd ſi *Exodi* 19. Iſraelitæ, cùm eſſent legem accepturi, juſſi ſunt à re uxorea abſtinere, quanto magis ait S. Ambroſius *Lib.* 1. *de Offic. cap. ult.* expediens fuit, ut noſtri ſacerdotes, cùm ſint Miniſtri legis evangelicæ, per continentiam perpetuò à nuptiis abſtinerent? Si Hebræi comeſturi agnum paſchalem juberentur renes accingere, ſeu carnis coercere voluptates, ut expendit D. Gregorius *homil.* 22. *in Evangel.* Quantò magis in lege evangelica ſacerdotes tenentur concupiſcentias carnis compeſcere, ac ſenſum voluptatis edomare, cùm ſingulis diebus comedant immaculatum agnum, quem in altari ſacrificant? ſi in veteri teſtamento 1. *Paralip.* Sacerdotes, qui per vices miniſtrarunt in tabernaculo toto illo tempore abſfuerunt à propria domò, & uxoribus, quo ſanctius vacarent divinis, & accuratiùs ſacerdotio fungerentur? Conſentaneum procul dubio fuit, ut ſacerdotes legis evangelicæ, utpote perpetuò vacantes divino miniſterio, perpetuam itidem ſervarent continentiam.

Neque ullum faceſſit negotium, quòd objicit Calvinus *Lib.* 4. *inſtitut cap.* 12. *ſect.* 25. congruum fuiſſe, ut ſacerdotes veteris legis cœlibatum ſervarent, cùm ipſi Chriſtum ſignificarent venturum: non ita legem hanc cœlibatus convenire ſacerdotibus Evangelii, in quo figuræ veteris teſtamenti ceſſârunt: perinde ac ceſſârunt figuræ, ita & debuit cœlibatus ceſſare, adeò ut non ſit opus, ut ſacerdotes legis evangelicæ tempore miniſterii ſe contineant. Contra eſt, quia, ſi ſacerdotes veteris legis decuit continentia, eò quia figura fuerint Chriſti venturi,

à fortiori debuerunt ſe continere ſacerdotes in lege Evangelica, ſeque omninò abſtinere à conjugio, quia ſignificant ipſum Chriſtum, non ampliùs ut futurum, ſed ut præſentem, quem manibus contrectant, & ore comedunt; quod procul dubio plus eſt, quàm ſignificare Chriſtum futurum. Præterea, quia ſacerdotes Evangelii repræſentant Chriſtum, cujus perſonam in Sacrificio altaris gerunt, ſiquidem in perſona Chriſti dicunt: *Hoc eſt corpus meum.* Quòd ſi non ſolùm ſignificant, verùm etiam gerunt perſonam Chriſti, qui eſt agnus immaculatus, quem ſingulis diebus ſacrificant in altari, à fortiori debent & ipſi ſacerdotes legis Evangelicæ ſe continere juxta illud *Exodi* 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiam vos.* Major autem eſt ſanctitas perſonam gerere Chriſti, & ejus corpus conſecrare, manibus contrectare, ac ore comedere: ergo, ſi ob ſanctitatam miniſterii, quo fungebantur, debuerunt ſacerdotes veteris legis ſe continere; à fortiori lex cœlibatus conveniens erat Sacerdotibus Evangelii, cùm ſanctitas miniſterii ſit longè excellentior, & virtus præſtantior. Hinc legem hanc cœlibatus confirmarunt in Eccleſia plura Concilia, præſertim Romanum *cap.* 8. Nicænum II. *can.* 3. Arelatenſe *cap.* 3. Carthagineuſe II. *cap.* 2. Toletanum I. *cap.* 1. *&* 4. Arauſicanum I. *cap.* 22. *&* 23. Andegavenſe apud Baronium circa annum 453. I. Turonenſe *cap.* 1. 2. *&* 6. Agathenſe, Gerundenſe, Toletanum II. Aurelianenſe II. Avernenſe I. Aurelianenſe III. IV. V.

Diximus tamen, cœlibatum ut annexum Sacerdotio non eſſe abſolutè de jure divino, alioquin nunquam licuiſſet Oecumenicis Conciliis Lugdunenſi, & Florentino diſpenſare cum ſacerdotibus Græcis circa uſum matrimonii initi ante ſacram ordinationem, cùm nequeat Eccleſia in jure divino diſpenſare. Neque potuiſſet Ancirana Synodus *can.* 10. relata à Gratiano *can. Diaconi. diſt.* 28. permittere Diaconis uxorum conſuetudinem, ſi ante ordinationem proteſtati fuerint coram Epiſcopo nolle ſe, aut non poſſe ſtatum profiteri continentiæ, quamobrem certum eſt, cœlibatum tantùm eſſe de jure Eccleſiaſtico, ac eſſe legem ſeu præceptionem Apoſtolicam, ſeu traditam ab ipſis Apoſtolis confirmatam, poſtea à ſummis Pontificibus, ac pluribus Conciliis, præſertim à Nicæno I. *can.* 3. ubi expreſſè prohibetur, ne Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, nec ullus prorſus Clericus habeat domi mulierem ullam præter matrem, ſororem, materteram, aut amitam; aut eas ſolas perſonas, quæ ab omni ſuſpicione alienæ ſunt; & ſtatuitur, Clerico non licere, ſubintroductam habere mulierem, niſi prærecenſitas: neque ulla ſit in præfato canone mentio uxoris, non quia Clerico liceret habere; ſed quia nulla eſſe poterat ex lege Clericali cœlibatus.

Neque ullius eſt roboris, quòd Hæretici objiciunt Paphnutii inſtantiam continentiæ Clericali oppoſitam, cujus meminerunt Socrates, & Sozomenus, ſiquidem à Socrate plura fuerunt conficta, quæ ab ipſo poſtea hauſit Sozomenus abſque ullo delectu: niſi fortaſſis probabilius velimus aſſerere a Græcis Schiſmaticis, quibus eſt exoſa continentia Clericalis, fuiſſe inſtantiam illam inſertam: ſed, utut ſit, quamvis illa inſtantia fuiſſet vera, non tamen Concilium eidem adhæſit; nec ulla illius fuit à ſacro Concilio habita ratio. Datur in Conciliis facultas cuilibet ex Patribus exponendi, quid videatur magis congruere, non tamen totum Concilium uni vel alteri acquieſcit, ſi cæteri diſſentiant.

Rurſus Concilium Eliberitinum ſub ipſis Ethnicorum perſecutionibus in Hiſpania coactum hanc eandem cœlibatus legem confirmavit, quia ſicut Diocletiani cum Maximiniano, & inſequentium Imperatorum Galerii, Maxentii, Maximini, atque Licinii cruenta perſecutio pluribus recens baptizatis occaſio fuit triumphi, ita pleroſque ex oppoſito traxit in perditionem, unde oportuit, ut Patrum ſedulitate pluribus in locis occurreretur lapſis, ſicut in Oriente per Synodum Anciranam, cui præfuit Vitalis Antiochiæ Patriarcha, & per Synodum Alexandrinam, in qua fuit Petrus Patriarcha, qui poſtea ſub Maximino Martyr fuit, ſuos evulgavit canones pœnitentiales circa lapſos, ita in Occidente circa lapſos proviſum fuit per Concilium congregatum Eliberi, quæ eſt Hiſpaniæ Beticæ civitas, vulgò Elvira nuncupata, cui præ cæteris interfuit Oſius, Cordubæ Epiſcopus, qui poſtea Nicænæ Synodo præſedit, & Valerius Cæſar Auguſtanus Epiſcopus, qui Vincentium Martyrem habuerat Adminiſtrum. Hoc igitur Concilium, quod contigit anno reparatæ ſalutis 305. approbans, & confirmans legem cœlibatus, ſtatuit *can.* 33. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, poſitis in Miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus, & non generare filios, quod quicunque fecerit honore clericatus exterminetur.* Hæc eadem lex confirmata fuit in eadem Hiſpania in Concilio Toletano II. *can.* 1. rurſus in IV. *can.* 26. & in VIII. *can.* 6. in Gallia Concilium Arelatenſe II. coactum ante annos 1300. *in can.* 2. *&* 3. confirmavit cœlibatum ſacris annexum ordinibus, & prohibuit, ne ullus conjugatus ad Sacerdotium promoveatur, niſi fuerit promiſſa converſio, ſeu niſi priùs promiſerit continentiam ab uxore. In eadem Gallia cœlibatum etiam confirmârunt Concilium Turonenſe I. *can.* 1. *&* 2. Turonenſe II. *can.* 20. Agathenſe *can.* 9. Aurelianenſe III. *can.* 2. ubi ſtatuitur, ut nullus Clericorum à Subdiaconatus, & ſupra, propria, ſi forte jam habeat, miſceatur uxore. In Germania Concilium Aquiſgranenſe I. *cap.* 6. Wormatienſe *cap.* 9. Moguntinum II. decreverunt, ut Clerici ſacris ordinibus initiati à matrimonio ineundo abſtinerent, ac perpetuum ſervarent cœlibatum, & in Moguntino I. habetur: *Contubernia fœminarum nullatenus appetant, caſtimoniam inviolati corporis perpetuò conſervare ſtudeant.* In Africa lex cœlibatus ſtatuta fuit in Concilio Carthaginenſi II. *can.* 2. ubi dicitur: *Ita placuit, & condecet, ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ſe ab uxoribus contineant.* Ubi Concilium aſſerit, legem cœlibatus ſancitam fuiſſe in Eccleſia ab Apoſtolis, & viguiſſe in Eccleſia ſemper à tempore Apoſtolorum. Hanc eandem cœlibatus legem etiam ſtatuerunt Concilium Carthaginenſe V. *can.* 3. & etiam alia Concilia in Africa coacta.

In Eccleſiis Orientalibus fuiſſe itidem legem cœlibatus ſtatutam pro Clericis ſacris, liquet ex Concilio Ancirano, coacto ante annos 1300. Anciræ, quæ eſt Metropolis Galatiæ, dicta Ancira ab anchoris navium, captarum à Mitrithate, quas Ptolomæus, Ægypti Rex, ſuppetias Gallo-Græcis miſerat. Huic Synodo interfuerunt plures Epiſcopi, qui poſtea ſubſcripti leguntur in Nicæna Synodo Oecumenica, & videtur habita anno Chriſti 314. Igitur *in can.* 10. hujus Ancirranæ Synodi habetur: *Diaconi, ſi in ipſa ordinatione proteſtentur, ſe velle uxores habere, nec poſſe ſe continere, maneant in Miniſterio, propter quod Epiſcopus eis licentiam dederit. Sin autem tacuerunt, & ſuſceperunt manûs impoſitionem, profeſſi continentiam; ſi poſtea ad nuptias venerint, à Miniſterio ceſſare debuerunt*; ſeu deponi ab uſu ordinis ſacri; hinc conſtat evidenter, ſub initiis Eccleſiæ in Concilio Ancirano coacto initio quarti ſæculi fuiſſe Diaconis indictam legem de profeſſione continentiæ in ordinatione, niſi ab Epiſcopis impetrarent diſpenſationem. In Synodo Neocæſarienſi, quæ Nicænam præceſſit, in qua ſubſcriptus legitur Baſilius, Amaſeæ Epiſcopus, qui ſub Licinio Martyr occubuit, habetur *cap.* 9. *Presbyter, ſi uxorem duxerit, ordine moveatur*, & inhærens hoc Concilium Apoſtolicæ traditioni, ſacerdotibus injunxit cœlibatum, inhibuitque, ne uxores ducerent ſub pœna exclusionis ab uſu ſacri ordinis. In Synodo Trullana, quæ quinſexta dicitur, quaſi ſupplementum quintæ, & ſextæ Synodi, à quibus nulli editi ſunt canones, cùm in Trullana conditi fuerint duo ſupra centum, lex cœlibatus fuit itidem ſtabilita. Fuit hæc Synodus ſub Juſtiniano II. cui nomen Rhinotineto rerum potiente, habita Conſtantinopoli in Trullo, ſcilicet Imperialis Palatii Secretario ſuperbè fabricato. In hac igitur Synodo coacta anno à partu virgineo 707. *can.* 6. prohibetur, *ne Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus poſt ordinationem ducat uxorem*, & canone 48. *ne Epiſcopus etiam cohabitet uxori, licèt ante ordinationem ductæ*; eò quia ex traditione Apoſtolica debeant ſacris initiati ordinibus continentiam & cœlibatum ſervare. Hinc Sancti Patres, qui floruerunt primis Eccleſiæ temporibus, hanc cœlibatus legem commendârunt, etenim Origenes *homil.* 23. loquens de laudatiſſima conſuetudine, qua ſuo tempore ſacris initiati ordinibus vovebant caſtitatem, & profitebantur cœlibatum, ait: *Illius ſolius eſt, offerre Deo Sacrificium, qui indeſinenti ac perpetua ſe devoverit caſtitati.* Euſebius *Lib.* 1. *Demonſt. Evangel. cap.* 9. commendans in viris Eccleſiaſticis cœlibatum, ait: *Verumtamen eos, qui ſacrati ſunt, atque in Dei cultu & in Miniſterio occupati, continere ſe deinceps ab uxoris commercio decet*, & S. Baſilius *epiſt.* 18. *ex additis*, Sacerdotem ſeptuagenarium, qui dimiſſam in ſua ordinatione uxorem, in ſuis iterum ædibus receperat, graviter objurgat, & reprehendit, mandatque, ut conjugem ſuam Presbyteram in Monialium Monaſterium dimittat, & illi objicit canonem Nicænæ Synodi, quem ab eo violatum conqueritur, ob introductam in proprias ædes, dimiſſam in ſacris ordinationibus uxorem.

Ratio itidem ſuffragatur noſtræ aſſertioni, ſiquidem, quæ ſunt impedimento alicui miniſterio obeundo, vel ad debitum cultum Deo exhibendum, vel ad bonum Reipublicæ promovendum, ea lege humana prohibentur, ut homines, ad id officii deſtinati, abſque ullo obſtaculo paratiores ſint ad ſua munera obeunda: quapropter nulla eſt Reſpublica, quæ ſanctis legibus ea non prohibeat, quæ ſuos cives à ſuis impediunt exercendis officiis, ſed conſuetudo conjugalis, uſuſque matrimonii eſt ſacris miniſteriis impedimento, quo minus rectè, expeditè, ac diligenter ſuis fungantur officiis, pertinet enim ad ſacri Miniſtri officium, inſervire templis, tempus impendere in rebus divino cultui addictis, orationi vacare, rerum divinarum contemplationi operam dare, Sacrificium ſingulis diebus offerre, Sacramenta fidelibus adminiſtrare, & eorundem ſacramentales confeſſiones excipere, Verbum divinum prædicare, fideles docere, allicere ad culturam virtutum, deterrere à vitiis, hortare ad amorem cœleſtium, & contemptum bonorum temporalium, curamque peculiarem pauperum gerere; omnibus prodeſſe, ac viam ad æternam ſalutem voce, & exemplo ſternere. Conſuetudo autem conjugalis, cùm ſecum trahat educationem liberorum, ſollicitudines rerum domeſticarum, ne, quæ neceſſaria ſunt, ad victum & veſtitum deſint, curamque totius domus, præſertim Conjugii, ne pax domeſtica turbetur, negotiorum inſtitutiones ad divitias congerendas, ut inde liberi ditiores fiant, & plura alia negotia ſæcularia, quæ mentes à divinis diſtrahunt, procul dubio non mediocri ſunt impedimento rebus divinis, imò etiam culturæ virtutum, hæcque cauſa, cur Ethnici ipſi, & etiam Poetæ commendaverint obſervantiam cœlibatus, & plures, tùm viri, tùm fœminæ, ut liberiùs virtutes excolerent, cœlibatum nuptiis prætulerunt, ut notat D. Hieronymus *Lib.* 1. *adverſus Jovinianum cap.* 26. ubi plures recenſet, qui hoc ſtudium cœlibatus plurimum commendarunt, Poetæ, & Hiſtorici, ait: Referunt fabulas, Atalantam Calydoniam virginem ſemper in venatibus, ſemper in ſylvis, non tumentes uteros fœminarum, faſtidiaque conceptuum, ſed expeditam, & caſtam amâſſe virtutem. Harpalicem quoque virginem Thraciam inſignis Poeta deſcribit, & Reginam Volſiorum Camillam, quam Tuonus, cui auxilio venerat, laudare volens, non amplius habuit, quod diceret, niſi virginem nominaret. O decus Italiæ virgo! Chalcæns quoque filia illa λεω virgo perpetua peſtilentiam patriæ ſcribitur ſpontanea morte ſolviſſe, & Iphigeniæ virgines adverſus placâſſe ventos. Quid referam Sibyllas Erithræam atque Cumænam, & octo reliquas. nam Varro decem fuiſſe autumatus, quarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium divinatio? Quòd ſi Æolici genere ſermonis. Sibylla θεοβούλη apppellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas. Caſſandram quoque, & Chryteïn Vates Apollinis, ac Junonis, virgines legimus, & ſacerdotes Dianæ Tauricæ, & Veſtæ, innumerabiles extiterunt, quarum una minutia propter ſuſpicionem ſtupri viva defoſſa eſt, injuſta, ut reor, pœna, niſi grande crimen putaretur læſa virginitas certè, Romanus populus, quanto honore virgines ſemper habuerit, hinc apparet, quòd Conſules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de ſuperatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere ſolitus ſit. Claudia, virgo Veſtalis, cùm in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & ſimulacrum matris Idææ in vado Tyberis ha-

hæreret, ad comprobandam pudicitiam ſuam fertur, cingulo duxiſſe navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant. Melius tamen inquit Lucani Poetæ patruus cum illa eſſet actum, ſi hoc, quo dixerit, ornamentum potiùs exploratæ fuiſſet pudicitiæ, quàm dubio patrocinium. Nec mirum hoc de hominibus, cùm Minervam quoque & Dianam virgines Deas finxerit error Gentilium, & inter duodecim cœli ſigna, quibus mundum volvi putant, virginem collocârint. Magna injuria nuptiarum, ut ne inter ſcorpios quidem & Centauros & cancros, & piſces, & ægrocerotas, uxorem maritumque contruſerint. Triginta Athenienſium tyranni, cùm Phidonem in convivio necâſſent, filias ejus virgines ad ſe venire juſſerunt, & Scortarum more nudari, ac ſuper pavimenta, patris ſangvine cruentata impudicis geſtibus ludere: quæ, paulìſper diſſimulato doloris habitu, cùm temulentas convivas cernerent, quaſi ad requiſita naturæ egredientes invicem ſe complexæ præcipitaverunt in puteum, & virginitatem morte ſervârent. Demotionis Areopagitarum Principis, Virgo filia, audito Sponſi Leoſthenis interitu, qui bellum Lamiacum concitârat, ſe interfecit, aſſerens, quamquam intacta eſſet corpore, tamen ſi alterum accipere cogeretur, quaſi ſecundum acciperet, cùm priori mente nupſiſſet. Spartialæ, & Meſſenii diu inter ſe habuere amicitias, in tantùm, ut ob quædam ſacra etiam virgines ad ſe mutuo mitterent, quodam igitur tempore, cùm 50. virgines Lacedæmoniorum Meſſenii violare tentâſſent, de tanto numero ad ſtuprum nulla conſenſit, ſed omnes libentiſſimè pro pudicitia occubuerunt. Quamobrem grave bellum, & longiſſimum concitatum eſt, & poſt multum temporis Mamercia ſubverſa eſt. Ariſtoclites Orchomeni tyrannus adamavit virginem Stymphalidem, quæ, cum patre occiſo, ad templum Dianæ confugiſſet, & ſimulacrum ejus teneret, nec vi poſſet evelli, in eodem loco confoſſa eſt: ob cujus necem tanto omnis Arcadia dolore commota eſt; ut bellum publicè ſumeret, & necem virginis ulciſceretur. Ariſthomenes Meſſenius, vir juſtiſſimus, victis Lacedæmoniis & quodam tempore nocturno ſacra celebrantibus, quæ vocabantur Hyacinthina, rapuit decoris ludentium virgines quindecim, & tota nocte gradu concito fugiens exceſſit de finibus Spartanorum: cùmque eas comites ejus vellent violare, monuit, quantùm potuit, ne hoc facerent, & ad extremum quosdam non parentes interfecit, cæteris metu coercitis. Redemptæ poſtea à cognatis puellæ, cùm Ariſthomenem viderent cædis reum fieri, tamdiu ad patriam non ſunt reverſæ, quamdiu Judicum advolutæ genibus defenſorem pudicitiæ ſuæ cernerent abſolutum. Hactenus D. Hieronymus, qui proſequitur congerens plura exempla etiam Ethnicorum, quibus puellæ mortem potiùs ſelegerunt, quàm pati virginitatis jacturam. Et de Africanis fœminis cœlibatui addictis ait Tertullianus *Lib. 1. ad uxor. cap. 6. Viduas Africanæ Cereri aſſiſtere ſcimus duriſſima quidem oblivione matrimonii adlectas. Nam manentibus in æternum viris, non modo thoro decedunt, ſed alias eis utique videntibus loco ſuo inſinuant, adempto omni contactu uſque ad oſculum filiorum, & tamen durante uſu perſeverant in tali viduitatis diſciplina, qua pietatis etiam ſanctæ ſolatia excludit.* D. Clemens 3. *ſtrom. cap. 6.* ait: *Qui ex Indis vocantur honeſti, ac venerandi nudi totam viam tranſigunt. Ii veritatem exercent, & futura prædicunt, & colunt quandam pyramidem, ſub qua exiſtimant alicujus Dei oſſa eſſe repoſita, neque verò Gygnoſophiſtæ, neque, qui dicuntur venerandi, utuntur mulieribus, hoc enim præter naturam, & iniquum eſſe, exiſtimant. Qua de cauſa ſe ipſos caſtos conſervant. Virgines autem ſunt etiam mulieres, quæ dicuntur venerandæ, videntur autem obſervare cœleſtia, & per eorum ſignificationem futura prædicere.* Meminit horum cœlibum Gygnoſophyſtarum S. Auguſtinus *Lib. 15. de Civit. cap. 20.* & Porphyrius *Lib. 4. de abſtinentia,* dividit Cœtum univerſum Indorum Philoſophorum in duas claſſes, quarum utrique ſui præeſſent Antiſtites. Brachmanorum unam, qui ex eadem Gente, ac ſtirpe eſſent omnes; Alteram Samanæorum, qui ex omni Indorum genere deligebantur, & refert Brachmanes in ſumma victus ſeveritate vitam tranſegiſſe, nec minus aſperos dies ſuos exegiſſe Samanæos, & utroſque non ſolùm cœlibes vixiſſe, verùm etiam ab omni fœditate caſtitati noxia expertes, Cœnobium itidem illud Pythagoreorum, quod deſcribit Aulus Gellius *Lib. 1. cap. 9.* noctium Atticarum non dubium, quin fuerit cœlibatui addictum, in illo quàm plurimi Philoſophiæ Cultores collatis in communi facultatibus, omnibus rerum vacabant ſciendis, ait Gellius: *Id quoque non prætereundum eſt, quod omnes ſimul, qui à Pythagora in cohortem illam diſciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ pecuniæ æquè commune habeat, in medium dabant, & coibatur ſocietas inſeparabilis.* Notat itidem S. Hieronymus *contra Jovinianum cap. 3.* Cœlibatum Pythagoreas excoluiſſe, ne animi fortitudo per frequentiam, & multas oculorum, auriumque illecebras molleſceret; ejusque pudicitia conſtupraretur: & hac ratione frequentiam urbium declinâſſe, ac in locis conſueviſſe habitare deſertis. Cynici itidem, quos tanquam Philoſophiæ exemplaria proponit Epictetus, cœlibatui fuerunt addicti, ne à ſenſuum illiciis è ſtudio averterentur Philoſophiæ, ut refert Arianus *Lib. 3. cap. 22.* & Epictetus pluribus rationibus nititur oſtendere, eos cœlibes fuiſſe oportuiſſe. Heraiſci Philoſophi cœlibis caſtitatem inde maximè commendat Damaſus *apud Photium cod. 242.* quia, ſi nonnunquam impura loquentem mulierem audieret, ſtatim doleret capite, vel etiam toto corpore ægrotaret: ergo, cùm conjugium à rerum divinarum contemplationibus diſtrahat, congruum fuit, ut, qui ſacris initiarentur ordinibus, perpetuam voverent caſtitatem. Idque vel maximè, quia cùm auguſtiſſimum altaris Sacrificium ſanctiſſimum ſit, conveniens erat, ut, qui altari deſerviunt, inſigni quadam probitate corporis, ac ſanctitate mentis pollerent, & quamvis conjugalis conſuetudo ſit per ſe à peccato immunis, habet tamen neſcio quid turpitudinis provenientis ex peccato, ut D. Auguſtinus *Lib. 14. de Civitat. cap. 17.* probat ex naturali verecundia, quam uſus conjugalis prodit, ratione cujus vel ipſi Conjuges nonniſi in latebris locisque abditis conjugio utuntur; ſecus, qui legi ſunt cœlibatus addicti, qui incontaminatum excolunt caſtitatis florem, qui ſanctæ pudicitiæ ded-

Digitized by Google

dealbantur candore, ſanctitatem redolent, ac puritatis tum corporis tum animæ odorem efflant, ut ſcribit Apoſtolus *ad Corinth. 7. Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit Sancta corpore, & Spiritu.* Apoſtolus ſiquidem, quemdam majoris Sanctitatis gradum ineſſe cœlitibus, quo carent conjugati, adinſignificat: & hunc Sanctitatis gradum eos decere, qui ſanctiſſimum Chriſti corpus manibus contrectant, qui Dei ſervitio proximius mancipantur, non eſt dubium, rurſus reverentia, quæ Sacramentis eſt debita, id exigit, ut ſit diſcrimen inter Sacramenta miniſtrantes, & eos, quibus miniſtrantur Sacramenta, ne alioquin ut conquerebat *cap. 24. Sicut populus, ſic ſit & Sacerdos*, idque contigit in Germania tempore Gregorii VII. ubi, cùm Sacerdotes contra legem cœlibatus conjugio uterentur, ad id devenerunt Sacramenta contemptus, ut vel ab ipſis Laicis adminiſtrarentur, quia vix ullum Sacerdotes inter & Laicos diſcrimen ſecerneretur, eò quia ejuſdem ſæcularis ratione, & eodem cum ſæcularibus conjugio uterentur uxorati Sacerdotes, qui propterea, ut refert Nauclerus, Sacerdotes nullo diſcrimine à ſæcularibus diſtinguerentur, hinc cùm Sacerdotes vitam agerent ſæcularium, fungebantur ſæculares officiis Sacerdotum. Conveniens igitur fuit, ut in eccleſia Sacerdotes miniſterio addicti altaris, populiſque docendis deſtinati lege obſtringerentur cœlibatus, quia homo uxoratus ea caret authoritate, quæ requiritur in Eccleſiaſtico, ut virgines, & viduas caſtitatis ſtudia, & continentiæ culturam adhortetur, ut notat S. Ambroſius *lib. 1. de offic. cap. ult.* Rurſus ſunt homines conjugati minus idonei curæ gerendæ erga pauperes, cùm debeant ipſi res domeſticas utpote ſibi proximiores inſtituere, liberos educare, ac pro iiſdem divitias accumulare, ut eorundem commodis conſulant. Rurſus debet eiſdem collocare, & propriæ uxori commoda procurare, ne diſſidia ſuboriantur domeſtica, quæ omnia diſtrahunt mentem à divinis, & plurimum detrahunt de cura, quæ in paſcendis Spiritualiter ovibus ſibi concreditis adhibenda erat, qua de cauſa D. Paulus 1. *ad Corinth. 7.* cupiebat Sacri evangelii Miniſtros eſſe ſicut ſe ipſum, ſcilicet continentes, & hortatur eos ad cœlibatum, *ut facultas ſit abſque impedimento Dominum obſecrandi*; quia conſuetudo conjugalis eſt impedimento vacandi diligentiſſimè ſacris miniſteriis, ex quibus omnibus inferimus, legem cœlibatus plurimum utilitatis, & commodi afferre in Eccleſia.

CAPUT IX.

Referuntur, & refelluntur, quæ ab Hæreticis objiciuntur, contra legem cœlibatûs.

Abhorrent Sectarii à cœlibatu, & cultura caſtitatis, ut ſenſui, carniſque illecebris liberius indulgeant, & dicunt, hanc legem in Eccleſia ſervandæ caſtitatis exitialem eſſe, ac perniciofiſſimam humano generi, cujus impedit propagationem, propterea abolendam eſſe, ut legi adverſantem naturæ, ac divinæ. Volunt enim conjugium eſſe juris naturalis, idque inferunt ex inſita propenſione, quæ hominibus ineſt ad liberorum procreationem, imò etiam juris divini, cùm Deus ſub mundi initiis fuerit hominibus ſuam impertitus benedictionem, dixeritque *Geneſ. 1. Creſcite, & multiplicamini*: & ſubdunt hac de cauſa, Romanos olim leges ſanxiſſe, quibus cœlibes mulcta notarentur, & parentes plurium filiorum præmiis donarentur, eò quia conjugium ſit ſeminarium Juventutis, & quaſi fons humani generis, à quo ſcaturierunt plures fortiſſimi milites, qui vires, & laudem Romanis exercitibus ſuppeditarunt: ex quibus inferunt, cœlibatum, ut adverſantem legi naturæ, divinæ, ac propagationi humani generis, eſſe prorſus abrogandum, & totaliter abolendum, ut exitialem, & eos puniendos, ut Reipublicæ noxios, qui ſtudio cœlibatus liberis, & hominibus Rempublicam deſtituerent: ſed hoc argumentum, quod videtur Hæreticorum Achiles à S. Ambroſio *lib. de viduis ſub finem.* totaliter evertitur: ſiquidem loquens de Ethnicis, qui falſorum Numinum probra colebant, ait: *Illi qui Deorum ſuorum adulteria, & probra venerantur; cœlibatus, & viduitatis ſtatuere pœnas, ut æmuli criminum mulctarent ſtudia virtutum ſpecie quidem, quæ fœcunditatem quærerent, ſed ſtudio, quo propoſitum caſtitatis abolerent.* Perinde Sectarii prætextu propagationis hominum ſtudia nituntur delere virtutum, & ut ſenſuum, & carnis blandimentis ſatisfaciant, ac voluptatum illecebris indulgeant, ſpiritum excultæ virtutis deſtituunt ornamento, & dedecorant principem ac nobiliorem hominis partem, ut rebellantis ſenſus adhæreſcant illiciis, ſed ut directè reſpondeamus ad argumentum; concedimus eſſe conjugium juris naturalis; fatemur Deum præcepiſſe primis hominibus, ut creſcerent, ac multiplicarentur, conſequenter eſſe itidem juris divini, ſed ex inde tantùm ſequitur, licitum, & abſolutè licitum eſſe omnibus hominibus conjugium, ſeu matrimonium inire, quod nunquam inficias ivimus, non enim aſſerimus, legem cœlibatus prohiberi, ne quis ſtatum diligat conjugii, ac conſuetudine utatur matrimonii, id enim abſolutè liberum eſt omnibus: neque eccleſia inhibet ſæcularibus, contrahere nuptias, niſi tempore quadrageſimæ & Adventus. Sed ſi velit quis liberè ſtatum deligere eccleſiaſticum, velitque Sacris initiari Ordinibus, tunc tenetur lege cœlibatus, non quòd eccleſia ullum cogat ad Sacros Ordines, neque adigat ad cœlibatum. Sed quia, cùm ſit cœlibatus Sacris adnexus Ordinibus, ideo ex eo, quod velit quis liberè, & ultro ſuſcipere Sacros Ordines, ex hac hypotheſi ſuæ voluntatis liberè etiam ſe obligat legi cœlibatus. Quapropter cum hæc neceſſitas ſervandi legem cœlibatus ſit tantùm conſequens, & præſupponat liberam electionem ſtatus clericalis, cui ex juſtiſſimis, & rectiſſimis cauſis eſt adnexus cœlibatus, non tollit libertatem contrahendi matrimonium abſolutè, quia antecedenter ad liberam electionem cœlibatus liberum omnino fuit eligenti nubere, perinde ac liberum fuit eligere ſtatum clericalem. Tum quia, etiam qui liberè vovet caſtitatem, ſperans ſe habiturum donum continentiæ, non poteſt in ſententia adverſorum nubere, & nihilominus in eorundem ſententia, qui ita vovet, poteſt liberè non vovere, & liberè antecedenter ad votum poteſt nubere. Sicut igitur Eccleſia neminem cogit ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, ita neminem adigit ad cœlibatum, & ſinit conju-

Digitized by Google

gium eſſe omnino liberum, ac licitum jure naturali, ac divino. Non tamen ex eo, quod conjugium ſit omnibus licitum, ſequitur, eſſe omnibus & ſingulis præceptum jure naturæ divino, adeo ut cœlibatus repugnet huic præcepto, ac propterea teneantur omnes & ſinguli nubere, ne divinum transgrediantur præceptum, alioquin peccaſſent, qui ſanctiſſimè perpetuam excoluerunt virginitatem, ſemperque in ſtatu continentiæ vixerunt, quod falſiſſimum eſt, cùm Chriſtus, & Virgo Mater immunes fuerint ab omni peccato, tametſi Chriſtus nunquam nupſerit, & Beata Virgo ab uſu abſtinuerit conjugii, ſemperque incontaminatam ſervaverit virginitatem. Cum igitur naturalis, & inſita propenſio ad liberorum procreationem ſit tantùm propter propagationem, & perfectionem ſpeciei, ſeu bonum communitatis, non datur præceptum naturale, nec divinum, quod per ſe obliget omnes & ſingulos, ſed tantum obliget ipſam communitatem, ad cujus perfectionem & conſervationem ordinatur, illa inſita propenſio ad procreandam prolem: quamobrem, ut juri naturæ, & divino ſatisfiat, ſufficit, ſi is, cui cura incumbit communitatis, provideat, ne deſint, qui per uſum initi conjugii liberos generent. Non igitur hoc præceptum obligat ſingulos de communitate ad nuptias contrahendas; quia non pertinet ad propriam cujusque perfectionem, ſicut ſpectat præceptum comedendi. Tantùm igitur per accidens poſſet ſingulos obligare, ſi neceſſitas urgeret conſervandi ſpeciem hominum; quo pacto ſub mundi initiis, & ſtatim poſt Catecliſmum cenſent plures hoc præceptum obligaſſe, ut terra hominibus impleretur. Quamobrem verba illa: *Creſcite multiplicami* in hac ſententia habuerunt quidem vim præcepti, ſed pro eo tempore tantùm, quo terra erat vacua, quod infertur ex verbis ſubſequentibus, *& replete terram*, cùm verò fuit hominibus repleta, non amplius hoc præceptum obligavit. Quinimò reſpondent plures Sancti Patres, & Doctores, illa verba *Geneſ. 9. Creſcite, & multiplicamini*, nullam habere vim præcepti, nec omnes omnino obligare ad ducendas uxores, ſed dicunt fuiſſe tantum quandam benedictionem impertitam hominibus, ut creſcerent, & multiplicarentur, ac replerent terram, quemadmodum Deus etiam benedixit cunctis animantibus, & fructibus terræ, ut proſperè ſe haberent, ſed, ut ut eſt, an præceptum ſit, vel tantùm benedictio, quamvis præceptum eſſet, illud ſolùm dirigeretur ad humanum genus in communi, non ad ſingulos in particulari, proinde non obligaret ſingulos, quapropter etiam ex Sectariis plures reperiuntur, qui nolunt uxores ducere, & tamen ab ipſis non videntur violari divinum præceptum.

Ad aliud, quod addebatur de legibus Romanorum, reſpondetur, verùm eſſe apud Romanos cœlibes habitos fuiſſe reos violatarum legum Pappeæ, & Papiæ: ſed verùm itidem eſt, has leges per Principum reſcripta antiquatas poſtea fuiſſe, & omnino deletas, ut teſtatur Tertullianus *cap. 4. Apologet.* ubi Pamerius *num. 22.* latiſſimè diſſerit de hiſce legibus, de que earundem deciſionibus. Verum eſt, non defuiſſe ex Ethnicis, qui cœlebatui obſtreperent, eò quia ſi omnes caſtè viverent, & abſtinerent à conjugio, brevi totum periret humanum genus; nec ullus ſupereſſet, qui Deum coleret, quique virtutum ſtudiis operam navaret, & qui Philoſophiæ honeſtamentis ſplenderet, cui paralogiſmo ſatisfacit Porphyrius *lib. 4. de excellent.* reſpondens per aliam hypotheſin, qua omnes & ſinguli homines, ſi Reges eſſent, quid tunc? nemo regeret, quia nullus eſſet, qui regeretur, & quia nullus regeret, nemo Rex eſſet, quamvis omnes ſupponerentur Reges, & nihilominus oblata, ſibi regna non reſpiciunt homines, cum ſciant non omnes futuros Reges: alloquitur Porphyrius cœlibes inquiens: Ad eos autem, qui ita interrogant, quid tandem, ſi omnes vos imitentur? reſpondendum eſt illud Pythagoricum, cùm omnes Reges evaſerint, magna cum difficultate nobis erit vivendum: neque profectò dabitur fugiendi regni conſilium, atque eodem modo illi, qui rerum publicarum dignitatem metiuntur, à virtutis ſtudio nullum ſibi exitum invenire poterunt, ſi omnes fuerint ſtudioſi.

Objiciunt ſecundò illud *Geneſ. 2. v. 19. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, quæ verba diriguntur etiam ad Sacerdotes, ſeu ad omnes homines, alioquin, qui cœlibatum excolunt, non eſſent homines, ex quo inferunt, non eſſe bonum hominem eſſe ſine uxore, quapropter ſubjunxit Deus: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, ſcilicet uxorem. Sed contra, quia verba illa Dei eò tantùm tendunt, ut per illa ſignificaretur, ad multiplicationem humani generis neceſſariam tunc fuiſſe conſortem, quæ tamen talis neceſſitas, ut quilibet homo eſſet conjugatus, ſuamque haberet uxorem, non amplius viguit, quando Apoſtolus Paulus dixit: *Bonum eſſe homini mulierem non tangere.* Præterea ex inde non ſequitur Deum præcepiſſe, ut omnes Adæ poſteri uxores ducerent, ſed ſenſus eſt, nec bonum, nec utile fuiſſe futurum, ſi tantùm in humana ſpecie mares exiſterent, & non fœminæ, quia nulla inde propagatio humani generis haberetur, unde de ratione finis à Deo intenti non fuiſſet bonum hominem eſſe ſolum. Cæterum ſi propriam unius cujusque hominis utilitatem per ſe ſpectemus, rectè ait Apoſtolus *1. Corinth. 7. Bonum eſt homini mulierem non tangere*, & etiam illud aliud: *beatior erit, ſi ſic permanſerit.* Quamobrem verba illa à Deo prolata, *non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, nihil faciunt contra cœlibatum Sacerdotum, alioquin illa centum quadraginta quatuor millia, quæ ſequuntur agnum quocunque iverit, virgines enim ſunt *Apoc. 14. verſ. 4.* non fuiſſent homines, nec plures Sectarii, qui uxores non ducunt, homines eſſent, quod eſt abſurdum.

Objiciunt tertiò illud D. Pauli *ad Timoth. 5.* ubi ait de viduis quibusdam adoleſcentulis, quæ non ſe continebant: *Volo eàs nubere, & liberos procreare*, ex quo inferunt, per verbum illud: *volo*, Apoſtolum injunxiſſe præceptum nubendi viduis illis. Sed contra negatur conſequentia, quia communiter Sancti Patres nominatimque S. Chryſoſtomus ita explicant verbum illud, *volo*, ut non præceptum indicet voluntatis, ſed ſimplicem ſubindicet permiſſionem, poſita incontinentia viduarum, & quod nullum adſit voti impedimentum, in quo ſenſu etiam Apoſtolus dixit: *1. Corinth. 47. Melius eſt nubere, quàm uri*, ubi illud verbum *uri*, non ſignificat flamma libidinis tentari, quia hoc per ſe non eſt malum, quinimò beneficio divinæ gratiæ materiam ſuppeditat victoriæ, & meriti incrementum, ſi eidem obſiſtamus, motusque concupiſcentiæ coerceamus: ſed verbum, *uri*,

Digitized by Google

ſtri, ſignificat flamma libidinis ſuperari, & aſſenſum præſtare carnis tentationibus, illiſque ſuccumbere, ac in lethalem delabi noxam, in quo ſenſu dixit Apoſtolus melius eſſe nubere, quam ita uri, non verò quod præcipiat nuptias, ſed quia conjugium permittat. Hinc Chryſoſtomus expendens verba D. Pauli ait: *Non puto Apoſtolum ad delicias adhortari, ſed volo inquit, quia ipſæ volunt.*

Objiciunt quartò *epiſtolam 1. D. Pauli ad Timoth. 3. v. 4. & ad Tit. 1. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe unius uxoris virum*; ex quo inferunt debere Epiſcopos ex præſcripto Apoſtoli eſſe uxoratos, ſimulque contentos ſua tantùm propria uxore, ut verè ſint viri unius uxoris, & ſobrii, alias non agnoſcentes fœminas. Sed contra quia ſenſus Apoſtoli ibi non eſt, ut Epiſcopi poſitivè ſint uxorati, ac viri unius uxoris, cum qua poſitivè debent conſuetudinem habere, ſed textus tantùm eſt intelligendus negativè, ut ſenſus ſit, non eſſe in Epiſcopum eum eligendum, qui plures habuit uxores, ſed eum duntaxat, qui unam ſolum habuerit, non verò, quod de facto habeat, & tunc tantùm poſſe Epiſcopum eligi. In hoc ſenſu eſſe intelligendum Apoſtolum liquet *ex 1. ad Corinth. 7.* ubi loquens generatim de omnibus ait: *Beatiores eſſe, qui cœlibes permanſerint*, quod ſi hoc aſſerit de ſæcularibus, quanto magis de Miniſtris, & maximè Epiſcopis; quamobrem Apoſtolus nonniſi negativè intelligi debet, cùm ait, oportere Epiſcopum eſſe unius uxoris virum, adeo ut doceat, Epiſcopum debere tantùm habere unicam uxorem, vel de præſenti, vel habuiſſe de præterito. Siquidem fatemur ſub initiis Eccleſiæ viros conjugatos fuiſſe perſæpe aſſumptos ad Epiſcopatum juſtiſſimis de cauſis, ea tamen conditione ſervata, ut ab uxoribus mutuo conſenſu abſtinerent: quod etiam nunc poſſet fieri, ſi eadem neceſſitas urgeret, & eædem rationes exigerent: ſed Apoſtolus de hiſce Epiſcopis actualiter habentibus uxorem non agit: alioquin non diceret Epiſcopum debere unius uxoris virum eſſe, ſed nunquam licere eidem ea uti. Igitur loquitur de aſſumpto ad Epiſcopatum eo, qui unicam tantùm habuerit uxorem, non verò plures, hoc eſt, eſſe promovendum ad Epiſcopatum Monogamum, non verò poligamum, & in hoc ſenſu explicant verba Apoſtoli, omnes Doctores primitivæ Eccleſiæ, & Eccleſia univerſalis, ita ſemper intellexit, Apoſtolum voluiſſe Monogamum, non verò Poligamum eſſe promovendum ad Epiſcopatum, hinc Eccleſia nunquam Epiſcopum poligamum ordinavit ſine ſingulari diſpenſatione. Sicut enim D. Paulus 1. *Timoth. 5. verſ. 9.* excludit ab officio divino viduam, quæ fuit plurium maritorum uxor, ita hic etiam excludit ab Epiſcopatu virum, qui fuit vir plurium uxorum. Unde hæc dos ab Apoſtolo requiſita in Epiſcopo non cenſetur poſitiva, ſed tantùm negativa, adeo ut non fuerit præceptum habere unicam uxorem, ſed vetitum tantùm eſſe habere, vel habuiſſe ſucceſſivè plures, alioquin abſurdum eſſet, aſſerere ibi ab Apoſtolo tale præceptum affirmativum, adeo ut peccent virgines, niſi uxores ducant, ac ſint poſitivè viri unius uxoris. Neque obſtat, quod Apoſtolus in eodem loco dicat mulieres ſimiliter pudicas, quaſi imitantes Epiſcopos, maritos pudicos: quia Apoſtolus ibi loquitur de omnibus generatim mulieribus, quas jubet eſſe pudicas, ſcilicet quamlibet in proprio ſtatu, ut explicat Sanctus Ambroſius. Velut cenſent Chryſoſtomus, & Theophylactus, fuit ibi Apoſtolus locutus de Diaconiſſis, quæ erant viduæ continentes. Alii etiam explicant, fuiſſe quidem locutum de uxoribus Miniſtrorum, ſed quas duxiſſent ante ordinationes, non verò, quas ducere poſſent poſt ſuſceptos Sacros Ordines.

Objiciunt quintò illud Apoſtoli *ad Hebr. 13.* ubi D. Paulus vocat: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Quod ſi eſt honorabile in omnibus, ergo non eſt reprehenſibile in Sacerdotibus, alioquin non eſſet honorabile in omnibus, quia quod eſt honorabile, eſt dignum honore, proinde honeſtum, & licitum, ex quo inferunt, ex Apoſtolo licitum eſſe Sacerdotibus matrimonium inire, & conſuetudine uxoris uti. Sed contra, quia verba Apoſtoli intelliguntur, ut explicat Theophylactus in omnibus legitimè conjunctis, non verò in conjunctis illegitimè: non enim verba Apoſtoli ſunt ita intelligenda, ut omne conjugium inter homines cujuscunque ſint conditionis ſit honorabile, ac licitum, alioquin ſequeretur, quòd ſi Pater duceret in uxorem propriam filiam, vel filius matrem, tale connubium eſſet honorabile, & licitum, quod adverſatur præcepto naturæ injungenti debitum obſequium, ac reverentiam filiorum in proprios parentes, ſicut igitur ex eo, quod Apoſtolus vocet connubium honorabile, non ſequitur eſſe dignum honore, ac laude connubium inter filium, & matrem initum, ita neque ſequitur eſſe licitum matrimonium Sacerdotum, qui in ſuſceptione Sacrorum Ordinum implicitè voverunt caſtitatem. Quando igitur Apoſtolus vocat connubium honorabile *in omnibus*, illud *in omnibus* non eſt ſenſus, ut ſit honorabile in omnibus perſonis, cujuscumque ſint conditionis, ſed quòd ſit honorabile *in omnibus* partibus ſe tenentibus ex parte connubii, adeo ut ſit honorabile ratione contractus, ratione Sacramenti, ratione fidei, ratione gratiæ, quam hoc Sacramentum producit, ac tandem ratione prolis, qua multiplicatur, & conſervatur humanum genus, in quo ſenſu ait Apoſtolus, honorabile eſſe connubium in omnibus ſuis partibus. Sancti Patres tamen, cum Theophylacto paulò ante citato, communiter explicant verba Apoſtoli, connubium eſſe ſemper honorabile in omnibus, quibus licitum eſſe nubere, non verò in aliis, quibus non licet matrimonium inire; cujuſmodi ſunt conſanguinei in primo, & ſecundo gradu, & Sacris initiati Ordinibus, & hic ſenſus eſt etiam verior, quia verum eſt, connubium eſſe ſemper honorabile in omnibus, qui legitimè contrahunt nuptias abſque ullo impedimento, cujuſmodi ſunt omnes Laici nullo proximè conſanguinitatis vinculo juncti. Præterea quia Apoſtolus ibi loquitur potiſſimum cum Laicis; ad quos nonnullis interjectis ait: *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vos docuerunt verbum Dei.* Epiſcopi autem ſunt Præpoſiti, qui præponuntur populo.

Neque ex eo, quod perpetua continentia ſit ſervatu difficilis, ſequitur non debere Sacerdotes ad illam obligari, præſertim cum plures ſint, qui dono carentes continentiæ frequenter propriis ſinuntur concupiſcentiis vinci: nam quamvis difficilis videatur continentia iis, qui ſtudia negligunt caſtitatis; quia tamen fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, poſſunt omnes, ſi velint mediante divina gratia,

Digitized by Google

quæ non deeſt perpetuam ſervare continentiam, dummodo media adhibeant ad id conducibilia, & *membra ſua mortificent*, ut ſcribit Apoſtolus *ad Coloſ.* 3. redundantiam naturæ, parſimoniæ, cibi, & potus an putent, inſoleſcentis carnis motus improbos, & honeſtati diſſentaneos jejunia coerceant, & ad retinendas Diaboli ſuggeſtiones opem divinam implorent, ut contra blandimenta ſenſuum, carnisque illicia, vires illis ſuppeditentur, & ferventiores ad Deum preces fundant, contra illecebras externarum ſpecierum, quæ ad libidinem excitant, pravas declinent conſuetudines, aſpectus coerceant puellorum, ac mulierum, à verbis abſtineant turpibus, & malorum fugiant Sociorum colloquia, ſibique jugiter caveant. His artibus donum obtinetur continentiæ, & in bene exculto animæ agro caſtitas effloreſcit. Neque aliud eſt hoc donum, quàm ipſa perpetua continentia, proficiſcens non ſolùm ex voluntatis humanæ adhibitis remediis; verùm etiam ex divino auxilio, quòd beneficus, & miſericors Deus munifica impertitur largitate.

Objiciunt ſextò, quia Apoſtolus doctrinam, prohibentem etiam Sacerdotibus nubere, vocat gehennalem, ac Dæmoniacam ait ipſe 1. *ad Timoth.* 4. *Tempus futurum, in quo diſcedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum prohibentium nubere.* Cùm enim Apoſtolus generatim, & abſque ullâ reſtrictione, vocet Dæmoniacam doctrinam prohibentem nubere, utique reprobat etiam doctrinam prohibentem Sacerdotibus nubere, quia hæc doctrina verè prohibet nuptias, & Apoſtolus omnem generatim doctrinam prohibentem nuptias, vocat Dæmoniacam, ex quo inferunt, cœlibatum injunctum Sacerdotibus adverſari Sacris Scripturis. Sed contra, quia ab Apoſtolo ibi tantùm indicantur Hæretici illi, qui in noviſſimis diebus erunt damnaturi conjugium, tanquam per ſe malum, & à Dæmone in perniciem ſalutis, ac animæ introductum, ut præſtiterunt Manichæus, Marcion, Tacianus. Cæterum Eccleſia non prohibet Sacerdotibus conjugium, ut per ſe malum, ſed tantùm ut minus conveniens ſtatui Sacerdotali, & ita explicat Apoſtolum D. Auguſtinus *lib.* 30. *contra Fauſtum cap.* 4.

Quòd ſi dicas, Auguſtinum *lib.* 2. *de moribus Manichæorum cap.* 18. aſſerere, Manichæos nonniſi quibusdam electis prohibuiſſe conjugium, qui erant tunc perinde, ac nunc religioſi Sacerdotes, proinde hoc idem tunc feciſſe Manichæos, quod nunc facit Eccleſia. Contra eſt, quia Auguſtinus ibi oſtendit, Manichæos generatim prohibuiſſe conjugium, ut per ſe malum, & quidem indiſpenſabiliter iis, qui Sacerdotio fungebantur, & diſpenſabiliter, quoad alios, cùm non potuerint omnes à conjugio impedire; ſicut licèt transgreſſio legis ſit generatim mala, id non obſtat, quo minus poſſit Princeps aliquos eximere à legis obſervantia, ut oſtendit D. Auguſtinus *lib.* 30. *contra Fauſtum cap.* 6. Tametſi Manichæi generatim improbaverint matrimonium, & cenſuerint liberorum procreationem per ſe malam, permiſerunt nihilominus pluribus matrimonium, ex quo liquet, nihil commune habere legem Eccleſiaſticam cœlibatus cum Manichæorum doctrina.

Objiciunt ſeptimò palmare apud ipſos argumentum, ad cœlibatum funditus eradicandum; & deſumitur ex 1. *epiſt. ad Corinth.* 7. ubi Apoſtolus omnes hortatur, ut propriam habeant uxorem, ne fornicatione vincantur, ait enim Apoſtolus: *Unusquisque propter fornicationem ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum*, ex quo loco aſſerunt Hæretici, Apoſtolum omnibus indiſcriminatim præcipere, ut matrimonium ineant, & conjugio utantur, ſi dono careant continentiæ; ſubdunt ipſi, plerique dantur Sacerdotes, qui ſe minimè continent, aliisque ſunt ſcandalo, conſequenter ſaltem iſtis ab Apoſtolo præcipitur nubere. Sed contra, quia Apoſtolus in præcitata epiſtola 1. *ad Corinth.* 7. non loquitur de Sacerdotibus, neque de iis, qui Sacris erant Ordinibus initiati; ſed de Ethnicis recèns converſis ad fidem JEſu Chriſti, qui dubitarunt, num illis liceret, poſt ſuſceptum baptiſmum uxores ſuas adhuc retinere, & matrimonio uti, & dubium ex eo oriebatur, quia Apoſtoli vel uxores non admitterent; vel earundem conſuetudine non uterentur, ac eſſent cœlibatui religiosè addicti, ut explicat Tertullianus *lib. de Monogamia*, & D. Hieronymus *lib. contra Jovinianum.* Etenim Apoſtolum fuiſſe loquutum de Ethnicis recèns ad fidem converſis, conſtat ex initio ejuſdem capitis; incipit enim: *De quibus autem ſcripſiſtis mihi*; ſcilicet de recens ad fidem JEſu Chriſti converſis ex Ethniciſmo. Propterea Apoſtolus ibi nullum injungit præceptum, neque jubet omnes, qui experiuntur difficultatem in ſervanda caſtitate, & continentia, remedium adhibere conjugii; ſed tantùm illud permittit fidelibus ſæcularibus, non verò Sacris initiatis Ordinibus, de quibus in illa epiſtolà non loquebatur; ſed tantùm de Corinthiis recèns converſis, quos inſtruebat, de matrimonio, ejusque uſu, ac vinculo indiſſolubili; & quomodo fidelis cum conjuge infideli debeat ſe gerere; & innuptis commendat cœlibatum, & ſe ipſum exhibet illis in exemplum ait: *v.* 8. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*: ex quibus conſtat, Apoſtolum nullum Sacerdotibus injungere præceptum, ducendi uxorem; quinimò nec ſæcularibus non nuptis, cùm perſuadeat continentiam, & cœlibatum, & ſe ipſum exhibeat exemplum, à fortiori Sacris initiatis Ordinibus ſuadet cœlibatum; quòd ſi ſæculares recèns converſi non poſſint ſe continere, illis ſuadet uſum matrimonii: *Propter fornicationem autem unusquisque ſuam habeat uxorem; & una quæque ſuum virum*; ita explicat Apoſtolum D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum.* Quòd ſi Apoſtolus ſuadet cœlibatum non nuptis, à fortiori etiam Sacerdotibus: Neque poſſunt illi excipi, qui tentationes ſentiunt, & difficultatem experiuntur in ſervanda continentia; cùm & ipſe Apoſtolus hos fuerit motus concupiſcentiæ expertus, 2. *Corinth.* 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis, qui me colaphizet*, & nihilominus ſe ipſis exhibeat in exemplum, & velit eos cœlibes ſicut ſe ipſum. Quòd verò Apoſtolus in illo *capite ſeptimo* 1. *ad Corinth.* nullum injungat præceptum, ex eo liquet, quia ſubdit: *Hoc autem non ſecundùm præceptum; ſed ſecundùm indulgentiam dico*; quibus verbis apertè declarat, ſe nihil præcipere, cùm dixit paulò ante: *Unusquisque propter fornicationem ſuam habeat uxorem.* Alii per *unumquemque* intelligunt omnes homines liberos, nulli voto, morbo, vel ſenio, aut alio impedimento obſtrictos, & qui non poſſunt ſe continere;

nere; illis enim ſuadet matrimonium: *Quia melius eſt nubere, quàm uri*, ſeu aſſentiri peccato carnis: leges enim, & documenta accipienda ſunt pro ſubjecta materia, & tantum dantur capacibus, non verò impeditis; & Sacerdotibus, cùm ſint impediti, ob votum continentiæ adnexum Sacris Ordinibus, non ſunt capaces illius legis, vel documenti. Illis etiam, qui capaces ſunt, Apoſtolus non præcipit, ſed ſuadet, ac permittit; ut, ſi non poſſint ſe continere, uxorem ducant, & matrimonio utantur, ne cadant in peccatum carnis, ſeu incidant in fornicationem; alioquin Apoſtolus ſibi contradiceret, cum acto illo capite caſtitatem ſuadeat.

Quod ſi dicas, Apoſtolum in præfato capite 1. *Corinth.* 7. ſuaſiſſe nuptias; ut remedium incontinentiæ arcendæ, quoties ſtimuli carnis acrius urgent, excitantque concupiſcentiam; conſequenter etiam nuptias ſuaſiſſe Sacerdotibus, qui ſtimulis pulſantur concupiſcentiæ. Contra eſt, quia Apoſtolus non ſuaſit conjugium, ut remedium unicum, & neceſſarium coercendæ concupiſcentiæ, ne à recto deflectat honeſtatis: quamvis enim ſentiat quiſpiam rebellantis concupiſcentiæ ſtimulos, imò & acrius pulſetur, uraturque impudico igne, labaturque in flagitium libidinis; adhuc ſuperſunt eidem præter conjugalem conſuetudinem, pleraque alia remedia, ut oratio, abſtinentia, carnis maceratio, cilicia, flagellationes, declinationes, ac fuga occaſionum, cuſtodia ſenſuum externorum; & alia id generis, quibus poteſt quis ſibi conſulere, ac peccatum cavere. Præterea ſi conſuetudo conjugalis unicum foret ſuperandæ tentationis remedium, inde ſequeretur, ut argumentatur D. Auguſtinus: Conjuges cum illicitis pulſantur libidinibus, omni ferè deſtitutos remedio, eas coërcendi, ac ſuperandi, ſi aliquod obſtet impedimentum, quo minus poſſint matrimonio uti, vel propter abſentiam alterius conjugis, vel ob morbum aliquem; ſiquidem abſente altero conjuge vivente, non poteſt alius matrimonium inire, & uſu matrimonii coërcere concupiſcentiam: Abſurdum eſt aſſerere, conjuges abſentes omni eſſe prorſus remedio deſtitutos in ordine, ad compeſcendos carnis ſtimulos, & ſuperandas tentationes. Remedium igitur conjugii, quamvis peccatum impediat, quatenus conjuges, ſi carnis pulſentur ſtimulis, poſſint licitè uſu matrimonii iiſdem ſatisfacere, ordinando talem uſum ad generationem prolis, adhuc plura alia ſuperſunt remedia concupiſcentiæ coercendæ, imò & efficaciora uſu matrimonii, quia hujuſmodi uſus magis potius concupiſcentiam accendit, quam reſtingit. Præterea quia, ut ſcribit Apoſtolus 1. *Corinth.* 10. *Fidelis eſt Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus*: pateretur autem conjuges abſentes tentari ſupra id, quod poſſunt, ſi ſola conjugalis conſuetudo eſſet remedium unicum coërcendi motus concupiſcentiæ, & concupiſcendi ſtimulos carnis.

Objiciunt octavò, ex eo quòd Apoſtoli Sacris initiati Ordinibus, proprios habuerint uxores, quas ſecum circumducebant, cum D. Paulus 1. *Corinth.* 9. dicat: *Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas.* Paulus autem per ſororem mulierem intellexiſſe propriam conjugem, liquet ex eo, quia *ad Philip. ult.* ſcribit: *Rogo & te germane conjux*, ubi græcè exponitur in genere fœminino: *Rogo te Germana conjux, ſeu conjugalis*; quia juxta elegantiam Atticiſmi nonnunquam vox maſculini generis ponitur pro genere fœminino. Hinc S. Ignatius Martyr *epiſt. ad Philadelphios*, aſſerit Petrum, & Paulum, & omnes alios Apoſtolos uno excepto Joanne fuiſſe uxoratos. Et Clemens Alexandrinus *lib. 3. ſtrom.* cenſet plures Apoſtolos fuiſſe uxoratos. Hinc Hæretici inferunt; cœlibatum fuiſſe quidem in Eccleſia: ſed eidem ſolos Monachos fuiſſe addictos, non Sacerdotes ſæculares; quia ſoli Monachi ante tempora Apoſtolorum inceperant vitam cœlibem ducere, & in eodem cœlibatu perſeverarunt tempore Apoſtolorum, & poſt Apoſtolos usque ad noſtrum præſens tempus; ajunt igitur ſub Orientis Eccleſiæ primordiis Apoſtolos, & Sacerdotes fuiſſe uxoratos, ac uſos conjugii conſuetudine, non verò Sacerdotes ex ordine Monachali, eò quia Monachi ut diſtincti à Clericis vitam ſemper duxerint cœlibem: hoc eſt argumentum, quo plures ex Sectariis cœlibatus impugnatores Epicinium ſibi canunt. Sed reſpondet D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum* de ſolo Petro conſtare, fuiſſe conjugatum, cùm ejus Socrus recenſeatur in Evangelio. Cæterum, an, & qui ex aliis Apoſtolis fuerint conjugati, eſt penitus incertum: hoc unum tamen certum, Apoſtolos, qui, antequam vocarentur ad Apoſtolatum, habuerint uxores, vocatos ad Apoſtolatum, abſtinuiſſe ab uſu matrimonii, vitamque inſtituiſſe cœlibem; ut demonſtrat S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum*, ex illo Matthæi, ubi Petrus nomine Apoſtolorum omnium dixit Magiſtro Chriſto: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: ſi omnia*, ait D. Hieronymus: *Ergo etiam conjuges; ſi qui eas habuerunt, quoad conjugalem conſuetudinem, uſumque matrimonii*, eò quia vitam inſtituerint cœlibem; idque patet ex Chriſti reſponſione: etenim explicans Chriſtus, quid ſit relinquere omnia, ait: *Omnis, qui reliquerit Patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Ad illud igitur petitum ex D. Paulo 1. *Corinth.* 9. ubi Apoſtolus ſcribit: *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi*, reſpondent SS. Patres nominatimque S. Auguſtinus *lib. de operibus Monachorum, cap.* 4. & D. Hieronymo *lib. 1. contra Jovinianum*, Tertulliano *lib. de Monogamia*, non eſſe intelligendum de uxoribus; ſed de piis quibusdam mulieribus, quæ Apoſtolos ſequi conſueverant, quibus in rebus neceſſariis ſuis opitulabantur miniſteriis, quaſi famulæ cœlibes; ſicut *Luc.* 8. hujuſmodi mulieres dicuntur ſequutæ Chriſtum; & hæ mulieres vocabantur ſorores, propter ejuſdem fidei communicationem; perinde ac in actis Apoſtolorum fideles vocantur fratres; & quamvis D. Paulus aſſerat, ſe poteſtatem habuiſſe hujuſmodi mulieres circumducendi; non tamen loquitur de poteſtate, quæ jure conjugii Apoſtolis conveniret circumducendi mulieres; ſed de poteſtate, quam unusquiſque habet admittendi, & accipiendi oblatum ſibi beneficium, ac honeſtum obſequium: Cæterum Græcè itidem mulier idem ſonat, ac ſoror: unde mulieres, quarum meminit Apoſtolus, erant mulieres fideles, quarum liberalitate, vel miniſterio Apoſtoli juvabantur in itineribus juxta morem Judæorum. Quòd ſi per ſororem velis intelligere uxorem, exinde tantùm evinces, aliquos ex Apoſtolis habuiſſe quidem uxores, quas circumduxerunt; non tamen quod cum iiſdem conjugalem habuerint conſuetudinem, vel fuerint uſi matrimonio, & non duxerint vitam cœlibem: ſi habuerunt uxores, illas circumduxerunt, ut ſorores cœlibes; ſed prior ſenſus eſt probabilior, cum Tertullianus Apoſtolorum proximè floruerit dixeritque *lib. 1. de Monog. Petrum ſolum invenio maritum*, & ſentit cæteros Apoſtolos fuiſſe cœlibes, unde

 non

Digitized by Google

non poterant circumducere ſorores uxores; ſed tantum mulières ſorores, juxta primam explicationem. Ad aliud deſumptum ex Epiſtola ad Philippenſes reſpondetur; ibi non dici: *Germana conjux, ſed germane compar*; quia Apoſtolus ibi alloquebatur virum aliquem, quem comparem, ſeu conjugalem vocabat, eo quòd idem cum ipſo in miniſterio Evangelii opus exerceret, ut explicant Theodoretus, & Haymo. Oecumenius, & alii cenſent nomen illud comparis fuiſſe proprium cognomen illius hominis, quem tunc Apoſtolus alloquebatur. Quod verò Paulus tunc non fuerit loquutus de propria uxore, ex eo à pluribus probatur: quia Apoſtolus *1. ad Corinth.* aſſerit, ſe ex numero eorum eſſe, qui carent uxore, ut notat Theodoretus in Præfatione ſui Commentarii in *epiſt. 1. ad Corinth. 7.* & epiſtola ad Corinth. fuit prius ſcripta, quàm aliæ ad Philippenſes. Neque eſt credibile, quod D. Paulus poſtquam poſuerit ſuum exemplum de cœlibatu ſervando, & aliis illum ſuaſerit, poſtea uxorem duxerit; ait enim Apoſtolus *epiſt. 1. ad Corinth. 7. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant: ſicut & ego*; quod ſi Paulus, quando ſcripſit ad Corinth. non fuit uxoratus, non eſt probabile poſtea duxiſſe uxorem.

Neque verum eſt, ſub naſcentis Eccleſiæ primordiis cœlibatum non niſi à Sacerdotibus Monachis fuiſſe ſervatum, quatenus moris fuit, ut Monachi cœlibem vitam ducerent; quia non ſolùm Monachi, ſed etiam Clerici ſanctè cœlibatum ſervarunt; Neque Apoſtoli fuerunt Monaſticum; ſed clericalem ſtatum profeſſi, adeo ut Clericorum ordo fuerit coævus Apoſtolis; fueritque Regularium primogenitus, ac cæterorum ordinum religioſorum prima origo, primumque exemplar. Si enim loquamur de Monachis in lege Evangelica; hi D. Marcum S. Petri diſcipulum habuerunt Authorem; Clerici autem S. Petrum. Quinimo Inſtituti Monaſtici ita Marcus fundator fuit, ut tamen ipſe minimè monaſticè vixerit: e converſo D. Petrus, & reliqui Apoſtoli vitam clericalem nonnullis obſervantiis, à communi diſtinctam ſibi ſervandam indixerunt.

CAPUT X.

De inſtitutione matrimonii, quid ſit & quotuplex.

MAtrimonium ſuam ex eo trahit nomenclationem, quia mulier ad eum finem nubit viro, ut *mater fiat*, ut obſervat D. Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum Manichæum cap. 26.* Vel quia fœmina prolem concipiat, pariat, educet; ac ipſi conceptus infans ante partum ſit oneroſus, in partu doloroſus, & poſt partum laborioſus, in collactando, veſtiendo, & inſtruendo. Dicitur etiam conjugium à conjungendo, ut ſint duo in carne una: vel quia vir & mulier uni eidemque jugo ſubjiciantur, ſimulque alligentur. Vocatur etiam connubium, eò quia vir & fœmina ſimul connubant. Dicitur etiam conſortium, eo quia ambo eidem ſint ſorti, ac fortunæ obnoxii, *L. ſi donationum c. de Nuptiis.* Frequentiùs tamen nuptiarum nomine ſignificatur matrimonium à nubendo, ſeu velando, eo quia moris fuerit, ut fœminæ poſt contractum matrimonium conſueverint caput velo, quaſi nube cooperire; ut habetur *can. Fœminæ ex S. Iſidoro 2. de officiis cap. 19.* ubi ait: *Fœminæ dum maritantur, ideo velantur, ut noverint, ſe ſemper maritis ſuis ſubditas eſſe, & humiles*; quia ut ſcribit Apoſtolus *1. ad Corinth. 11.* Non eſt creatus vir propter mulierem; ſed mulier propter virum; & Rebecca deſponſata Iſaaco, cum primum ſuum vidit ſponſum obviam venientem, ſe cooperuit *Geneſ. 24. v. 65.* Qui textus expenditur à S. Ambroſio *lib. 1. de Abraham cap. 9.* & verba illius referuntur *can. nec illud cauſa 30. quæſt. 5.* ubi dicitur: *Nec illud otioſum, quod, cum veniret Rebecca, vidit Iſaac deambulantem, & cum interrogaſſet, quis eſſet, cognito, quod ipſe eſſet, cui duceretur uxor, deſcendit, & caput ſuum obnubere cœpit; docens verecundiam nuptiis debere præire: inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratiâ puellæ ſe obnuberent.*

Dupliciter ſumitur matrimonium, ſcilicet ut officium naturæ, & ut Sacramentum: priori modo eſt naturalis conjunctio viri cum fœmina; quæ conjunctio non ab hominibus inventa eſt, ſed à natura hominibus indita ad eum finem, ut ſpecies humana multiplicetur, & multiplicata conſervetur; & ut officium naturæ definitur matrimonium: *Viri & mulieris naturalis conjunctio inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Cùm in matrimonio plura requirantur, conſenſus interior; pactio externa verbis expreſſa, quâ internus conſenſus manifeſtetur; obligatio ſeu vinculum, quod ex illa externa pactione reſultat, & quo mas, & fœmina ſimul vinciuntur; & copulatio, qua matrimonium conſummatur: nihilominus ex iis omnibus, nihil propriè habet rationem matrimonii, ut eſt officium naturæ, niſi ipſa *obligatio*, ſeu *nexus*, quo mas & fœmina ſimul obligantur ad convivendum, ac vinciuntur, propterea dicitur conjunctio non utcunque, ſed maritalis, quia reliquæ pactiones, quibus viri & fœminæ ſimul obligantur ad aliquid præſtandum, non pertinent ad matrimonium: poſſunt enim hoc pacto paciſci, ſeque obligare ad præſtandum, vel agendum aliquid Mater & Filius; quæ tamen pactio non eſt matrimonium: Additur *viri, & mulieris*, ut excludatur polygamia in lege veteri Judæis permiſſa; & lege Evangelica prohibita; ponuntur poſtremæ particulæ: *individuam vitæ Societatem retinens*, quibus declaratur indiſſolubile vinculum matrimonii, quo vir & uxor ita conjunguntur, ut non poſſint amplius ſeparari; in hoc enim vinculo indiſſolubili ratio, & natura conſiſtit matrimonii. Quòd enim ab aliis definiatur matrimonium: *Conſenſus vel contractus legitimus maris & fœminæ*, debet intelligi, ut conſenſus ſit cauſa effectrix matrimonii, ut explicat Eugenius IV. *in decreto Unionis Armenorum*, edito poſt Concilium Florentinum: etenim conſenſus internus ut manifeſtatus per pactionem externam, ſeu per verba expreſſus eſt actus ſe habens per modum tranſeuntis; ut etiam verba externa ſignificantia conſenſum internum ſunt tranſitoria, & matrimonium ſe habet per modum permanentis, nam poſt contractum ambo conjuges manent matrimonio juncti, proinde manet ipſum matrimonium, quod propterea efficienter conſiſtit in conſenſu, & formaliter in obligatione, vinculo, ſeu nexu, qui oritur ex conſenſu interno ſignificato per externam pactionem, & verba illum ſignificantia, hoc enim obligatio ſimul convivendi permanet, eſtque propriè matrimonium. Sin verò ſpectetur matrimonium ut eſt novæ legis Sacramentum, rectè definitur: *Eſſe ſignum ſenſibile conjunctionis Chriſti, cum Eccleſia à Chriſto inſtitutum, promiſſionem habens gratiæ, perſonas legitimè conjunctas ad individuam vitæ ſocietatem [illegible].* Chriſtus enim, hunc matrimonii contractum voluit elevare ad rationem Sacramenti legis Evangelicæ, ut non ſolùm eſſet in officium naturæ; verum etiam in Symbolum gratiæ. Cù velles arctiſſimæ illius neceſſitudinis, quæ illi cum Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia intercedit, suæque ergo nos immensæ charitatis certum aliquod signum dare, hujus mysterii divinitatem, hac potissimum maris cum fœmina sanctissima conjunctione declaravit; quod quidem aptissimè factum est, ut ait Catechismus Romanus, & ex eo deprehendi potest, quia ex omnibus necessitudinibus humanis, nulla inter se homines arctius conjungat, quàm matrimonii vinculum; adeo ut maxima inter se vir, & uxor charitate, & benevolentia devincti sint: quo fit, ut sacræ literæ sæpe nuptiarum similitudine divinam hanc Christi, & ecclesiæ unionem nobis proponant percipiendam.

Si consideremus matrimonium, ut est officium naturæ; certum est, naturam ipsam sibi à Deo inditam habere propensionem, ad conservationem sui ipsius, consequenter ad media necessaria ad assecutionem hujus finis; hæc autem media sunt filii, qui beneficio matrimonii, ejusque usu generantur, cùm sit homo quilibet interitui obnoxius, & diesim moriatur, necessum fuit, uni succederet alter, ne deficerent omnia speciei humanæ individua, sed successivè alia succederent aliis, ut species perennaret humana. Hinc natura excluso peccato hominem excitat, stimulis concupiscentiæ ad prolis generationem, ac educationem; filii igitur à parentibus naturali propensione generantur, & geniti à matre foventur in utero, donec in lucem eduntur; nati cùm fuerint, aluntur, panno conteguntur, educuntur, ac ritè instituuntur, donec adoleverint; hoc autem non posset sine perpetuo societatis vinculo, quo mas, & fœmina simul manerent conjugati; hæcque ratio cur matrimonium referatur ad legem naturæ, dicaturque esse naturæ officium. Rursus cùm sit homo animal sociabile naturæ propensione, amat aliis associari; scilicet vir fœminæ, & è converso; quia aliqua opera viris competunt; & alia fœminis, & ex utrisque oritur completum, ac integrum opus non solum ad prolem gignendam, verùm etiam ad amicabilem promovendam societatem, quæ omnia præscribit naturæ lex, quæ significatur *Genes. 2. Masculum, & fœminam creavit eos; benedixitque illis Deus, & ait, crescite, & multiplicamini.* Hanc maritalem societatem etiam indicavit Deus verbis illis: *Non est bonum hominem esse solùm, faciamus ei adjutorium simile sibi*; & nonnullis interjectis subdit: *At verò non inveniebatur adjutor similis ejus, immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam. Quam tulerat de Adam in mulierem, & eduxit eam ad Adam, dixitque Adam, hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est, quamobrem relinquet homo Patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Hæc enim verba Christus *Matth.* 19. esse intelligenda de institutione matrimonii apertè significat, *itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet*, ex quibus verbis infertur, matrimonium etiam, ut est officium naturæ, esse vinculum indissolubile, adeo ut obligationis educandæ prolis aliisque matrimonii bonis repugnet hoc vinculum dissolvi, quòd etiam declaravit Tridentina Synodus *sess.* 24. inquiens: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cùm dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Christus Dominus apertius docuit, cùm postrema illa verba tanquam à Deo prolata referens dixit; itaque non sunt duo, sed una caro; statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: Quod ergo DEUS conjunxit homo non separet.*

Hinc constat crassissimè errâsse Hæreticos, Encratitas, Marcionitas, & Manichæos, aliosque ejusdem furfuris Sectarios, qui nuptias malas esse, ac illicitas asseruerunt, cùm natura ipsa eas suadeat, & Deus ab initio mundi eas benedixerit, dixeritque Adæ, & Evæ *crescite, & multiplicamini*, & Christus sua præsentia in Cana Galilææ, voluerit nuptias cohonestare, & matrimonium ad dignitatem Sacramenti evehere, & Apostolus ipse *1. ad Corinth.* 7. scripserit: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*, quòd verò nuptiæ malæ non sint apertè fatetur idem Apostolus inquiens paulò infra: *Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit*, & *1. Timoth.* 4. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & Doctrina Dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & prohibentium nubere.* Et ad *Hebræ.* 13. *Honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Hæresin hanc asserentem nuptias malas esse refellunt Sancti Patres Clemens, Alexandrinus *lib. 3. strom.* Tertullianus *lib. 1. contra Marcionem cap.* 29. D. Augustinus *lib. de bono conjugali*, & hunc errorem etiam damnavit Concilium Gangrense *can.* 1. *Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem, ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.*

Neque obstat, Hæreticos asserere matrimonium ab Apostolo tantùm concedi secundùm indulgentiam, non secundùm imperium, *1. ad Corinth.* 7. ex quo inferunt, matrimonium ex se malum esse, cùm non concedatur nisi ex indulgentia, quia quod bonum est in se, non indiget indulgentia, sed per se fieri potest, quia ut respondet D. Augustinus *lib. de bono conjugali. Non nuptias secundùm veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat, absurdissimè dici non eos peccâsse, quibus venia datur, sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant: si tamen non ita sit nimius, ut impediat, quæ seposita esse debent tempora orandi, nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam, concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis est, & solus ipse nuptialis est.* Hoc idem etiam confirmat *lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap.* 14. inquiens: *Cùm culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid secundùm veniam concedit Apostolus, nisi, quòd conjuges, dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam.*

Non tamen ex eo, quod matrimonium sit juxta legem naturæ, sequitur, positam esse omnibus legem matrimonii contrahendi; siquidem virginitas maximè commendatur in sacris scripturis, &, depre-

Digitized by Google

deprædicatur præstantior, perfectiorque statu matrimonii, ait enim Christus *Matth.* 19. *Sunt Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat*, & Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. scribit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis; igitur qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.*

Neque obstat, Deum sub mundi exordio benedixisse nuptias, & dixisse protoparentibus crescite, & multiplicamini, quia id tantùm eò spectat, ut declaret, institutionem matrimonii esse juxta naturam, non verò præceptum nubendi omnibus, & singulis injunxisse hominibus, illa enim benedictio fuit non præceptum, idque ex eo clarè evincitur, quia non solùm hominibus, sed etiam bestiis incapacibus præcepti dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; unde *Genes.* 2. fuit tantùm quædam benedictio, ad promovendam fœcunditatem tam in hominibus, quàm in bestiis, non vero præceptum, cujus bruta animalia non erant capacia. Præterea quia post diluvium etiam Deus ad Noë, ejusque filios eadem dixit verba: *Crescite, & multiplicamini*, tametsi constet Noë, post diluvium nullam genuisse prolem, ex quibus clarè constat, per præfata verba Deum non injunxisse omnibus, & singulis hominibus præceptum nuptias contrahendi, sed tantùm fuisse impertitum largitionem fœcunditatis, & benedictionem, ait enim Sacer textus: *Benedixitque Deus Noë, & filiis ejus.* Verum tamen est, quod sub mundi primordiis tenerentur omnes ad nuptias, donec ad justam multitudinem genus humanum excresceret: quia sicut naturæ præceptum est, ut quisque propriæ valetudini consulat, ac saluti corporis per sumptionem alimentorum, & quietem, somnumque post exantlatos diurnos labores; ita præceptum est, ut saluti etiam, & conservationi speciei humanæ consulatur per filiorum generationem: hoc autem præceptum non obligabat omnes, & singulos homines ad nuptias contrahendas, & gignendos filios, cùm plures in lege naturæ, & sub mundi initiis filios non genuerint, satis enim erat, si potior hominum pars nuptias contraheret, ut etiam nunc ad rem publicam pertinet, ut non desint, qui nuptias contrahant, & liberos gignent, ut in Successoribus Respublica conservetur.

Rursus præceptum erat matrimonium singulis pertinentibus ad populum Dei, eò quia populus ille multiplicandus esset. Quod non omnes usi fuerint matrimonio, plura ostendunt documenta, præsertim Josuë, Eliæ, Elisæi, & Jeremiæ Prophetæ, qui sine injuria legis divinæ, & naturalis vixerunt cœlibes, & castitatem excoluerunt, quapropter *Isa. cap.* 56. Eunuchis, legem suam servantibus, promittit locum in domo sua, & Eunuchorum nomine significantur homines cœlibes, continentes, & culturæ castitatis addicti quinimo *Sapient.* 3. laudatur castitas nescia conjugalis thori: *Quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum; & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem. Dabitur illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.* Constat etiam ex Josepho Essenos cœlibatum custodivisse, ac castitatis studio laudatos fuisse. Cæterum quamvis legamus *Exodi* 23. & *Deuteronom.* 7. sterilem non futurum quemquam in terra Israel, id non fuit præceptum, sed tantùm promissio, quâ fœcunditatis benedictio promittebatur conjugibus servantibus Dei mandata. Præterea, quia steriles non dicuntur, qui studio continentiæ non inierunt conjugium, sed qui conjugio usi liberos habere non possunt, & propterea hæc sterilitas probro vertebatur, ac vitio naturæ, in quo sensu S. Elisabeth *Luc.* 1. dixit: *Dominus respexit auferre opprobrium meum*, scilicet sterilitatem, qua laborabam, & non poteram filios gignere, demum nuptias non fuisse omnibus, & singulis præceptas, ex eo itidem clare constat, quia Joannes Baptista cœlebs vixit, & suos Discipulos ad vitam cœlibem ducendam hortatus fuit, quòd non permisissent Judæi, si nuptiæ fuissent sub præcepto, Christus etiam Discipulos selegit, qui cœlibatum servarent: si antea uxorem habuerint.

Cæterum, qui non possunt se continere, melius est, quod matrimonium ineant, imò & tenentur ad fugienda peccata, quæ alias committerentur, ut asserit S. Augustinus *lib. de bono conjugali cap.* 10. ubi etiam adfert Apostolum 1. *ad Corinth.* 7. ubi continentiæ consilium non capientibus injungit, ut debeant uxorem ducere, ait Augustinus: *Mihi videtur hoc tempore eos solos, qui se non continent, conjugari oportere, secundùm illam Apostoli sententiam: quod si se non continent, nubant: melius enim est nubere, quam uri.* Hinc conjugium, quod ante lapsum hominis naturæ tantum erat officium, post lapsum factum incontinentiæ remedium. Hoc idem etiam confirmat S. Gregorius *part.* 3. *pastoralis cap.* 28. ubi ait: *Peritus medicinæ cœlestis Apostolus, non tam sanos instituit, quam infirmis medicamenta monstravit, dicens: De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, & una quæque suum virum habeat. Qui enim fornicationis metum præmisit, profectò non stantibus præceptum contulit; sed ne fortásse in terram, lectum cadentibus ostendit.* Qui verò continentiam voverunt, & sentiunt concupiscentiæ carnalis stimulos, seque excitari ad nuptias, hi tenentur per fusas preces, & alia pia opera, præsertim per macerationes carnis, & usum cilicii, abstinentiæ, flagellationis, donum continentiæ à Deo impetrare nec iis, licet remedium adhibere nuptiarum, cùm votum emissum teneantur servare, licet enim votum libere emittatur, ejus observantia sequitur necessario, ut docet D. Augustinus *lib. de bono viduitatis cap.* 9. ait: *Sed quoniam, sicut ait Dominus, non omnes capiunt verbum hoc: quæ ergo potest capere, capiat, & quæ se non continet, nubat, quæ non capit, deliberet, quæ aggressa est, perseveret: Nulla Adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In conjugali quippe vinculo, si pudicitia conservatur, damnatio non timetur, sed in viduali, & virginali continentia excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita, & electâ, & voti debito oblata, jam non solùm capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle, damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus non ait: Cum in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed nubere volunt habentes (inquit) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Et si non nubendo, tantùm volendo, non quia ipsæ nuptiæ, vel talium voluntas damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio ab bono inferiore, sed ruina ex bono superiore: postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ*

nentia primam fidem irritam fecerunt. Hinc qui continentiam voverunt, & sentiunt se ad nuptias excitari, tenentur ferventer oratione perseverante à Deo illam petere, carnalis concupiscentiæ coërcere stimulos, jejuniis, vigiliis, flagellationibus, ciliciis, ac aliorum bonorum operum exercitationibus, sunt enim hæc arma peridonea carnis petulantiæ prosternendæ. Quòd si conjuges à mutuo consensu, & usu matrimonii impediuntur ob diuturnitatem morbi, vel necessariam absentiam alterius conjugis, vel ob justam divortii causam separentur à thoro, tenentur omnino continentiam servare, nullumque quærere à carnali commercio remedium. Idque edisserit D. Augustinus *lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 19.* ubi ait: *Quod facere deberent, si haberent conjuges diuturno languore marcescentes vel loco sibi inaccessibili absentes, vel animositate illicita continentes, hoc faciant, si habuerint conjuges adulterina inquinatione sordentes, & propter hoc à suo consortio divortiantes: non alia quærant conjugia, quia non erunt conjugia, sed adulteria. Non eos terreat sarcina continentiæ: levis erit, si Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à jubente, quod jusserit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis. Quia & illi, qui eam voluntate delegerunt, fecerunt esse necessitatis, quoniam sine damnatione ab illa deviare non possunt. Et qui in eam necessitatem contrusi sunt, faciunt eam esse voluntatis, si non de se ipsis, sed de illo, à quo est bonum omne, confidunt. Illi ad eam conscenderunt causa majoris gloriæ, ut aliquid amplius invenirent. Isti ad eam confugerunt cura salutis novissimæ, ne perirent. Utrique permaneant, utrique, in quod pervenerunt, ambulent usque in finem, ferveant studiis, supplicent votis. Quia & illis salus cogitanda est, ut ab eo, quod voluntas arripuit, cadere timeant; & istis, gloria desperanda non est, si in eo quod necessitas intulit, persistere diligant. Fieri enim potest, ut Deo terrente, & hortante, convertente, & implente humanus in melius mutetur affectus. Atque ita voveant sine conjugiis, & sine ullo concubitu, atque immunda libidinis attrectatione perseverantissimè vivere, ut etiamsi separata conjugia locum ducendi alias moriendo aperuerint claudatur ex voto, quod patet ex licito, & quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum.*

Nuptiæ igitur, quamvis honestæ sint, ac bonæ per se, si tamen contrahantur ad alium finem præter ipsum, ob quem institutum est matrimonium, scilicet ob gignendos filios, & ob alias rationes, propter quas à Deo institutæ sunt, fiunt malæ, ut fuit declaratum in Concilio Coloniensi anno 1536. ubi *cap. 12.* dicitur: *Cùm matrimonium ante lapsum Adæ propter procreandos liberos institutum, & benedictione Dei firmatum sit, nec ratio conjunctionis, seu benedictio post lapsum defecerit; sed tantum, quod sanis potuit esse officium, id ægrotis factum etiam sit remedium, dum utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut ait D. Paulus 1. Corinth. 7. Unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem scilicet vitandam: monendi sunt, qui matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipsos huc rapiat, ut sit honorabile conjugium, ac cubile impollutum. Nam si neque ad prolem suscitandam, neque ad fornicationem vitandam, sed potius divitiarum, aut opum nanciscendarum, aut alterius rei gratia matrimonium contrahatur, perperam agitur, ac graviter in Sacramentum peccatur. Hic quæ Tobiæ 6. 7. & 8. scribuntur enarrari, proponi, ac doceri, conveniet. Ubi locus pulcherrimus est exemplo commonstrans; quemadmodum bona uxor donum Dei sit debitum timenti Dominum: quomodo in timore Dei à parentibus non luxuriæ causa, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei in sæcula petenda; quo pacto conjugii conscriptione facta tradenda: quemadmodum etiam convivium nuptiale cum laude, & benedictione Dei agendum: denique quomodo precandus sit Deus per conjuges, ut benedictionem suam in ipsos, quos conjunxit, impleat.*

Hoc idem etiam asseritur in Catechismo Romano, ubi explicantur causæ, quibus mas & fœmina debeant conjungi, quarum prima est diversi sexus naturæ instinctu concupita societas, mutuique auxilii spe conciliata, ut alter alterius ope adjutus vitæ incommoda facilius gerat, & senectutis imbecillitatem sustineat, secunda est appetitus gignendi liberos, non ob eam tantùm causam, ut hæredes bonorum temporalium, & divitiarum relinquant sui successores, quàm ut veræ fidei, ac religionis cultores instituantur, ut habetur *Tobiæ 6. Accipies virginem cum timore Domini amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Tertia est, quia sicut homo post primi parentis lapsum originalem justitiam amisit, cœpitque appetitus inferior, seu concupiscentia carnis repugnare rectæ rationi; ne in carnis hac pugna succumberet, remedium matrimonii exhibitum ei fuit, ad vitanda libidinis peccata, dicente Apostolo 1. *ad Corinth. 7. Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat; & unaquæque suum virum habeat.* Ut igitur fideles Christiani ritè matrimonium ineant, debent prius per pluries fusas preces Dei voluntatem disquirere, non victi libidine, sed stimulati pietate; adeo ut imitentur veteris testamenti Patres, quoad intentionis puritatem in ducendis uxoribus; *qui*, ut ait D. Augustinus *lib. de bono conjugali cap. ult. non propter hoc sæculum; sed propter Christum parentes fuerunt.* Fideles Christiani ita nuptias contrahant, & filios habeant, ut illos Christo lucrentur; instituantque in disciplina, & timore sancto DEI, ut illi sua jugiter præstent obsequia; nunquam offendant.

Partitionem quod attinet matrimonii, hoc dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Dicitur matrimonium legitimum, quia est secundùm leges gentium, sicut sunt matrimonia, quæ contrahunt Judæi, Pagani, Turcæ, aliique infideles, qui non sunt in tali statu capaces Sacramentorum; propterea talia matrimonia sunt puri contractus humani inducentes obligationem inter marem, & fœminam simul cohabitandi, simulque reddendi debitum quoad usum matrimonii, ut habetur *in cap. Quanto, & in cap. Gaudemus. de divortiis*, & hoc matrimonium pertinet tantùm ad officium naturæ, ut docet D. Thomas, non ad rationem Sacramenti, & quamvis in lege veteri Judæorum matrimonia fuerint præstantiora, majorique prædita sanctitate, quàm illa Paganorum, & aliorum infidelium, eò quia Judæi promissionem acceperint, fore aliquando, ut omnes gentes in semine Abrahæ benedicerentur, ac propterea uberius pietatis officium esset apud Hebræos filios procreare, eò quia ex iisdem esset nasciturus Christus Salvator mundi, nihilominus adhuc matrimonia Judæorum caruerunt ratione Sacramenti, & tantùm fuerunt humani contractus, inducentes obli-

Digitized by Google

obligationem simul cohabitandi. Matrimonium ratum dicitur, quod ab Ecclesia est approbatum, & hoc propriè contrahitur inter Christi fideles legitimè contrahentes, & de isto S. Ambrosius *can. Cave. causa 28. quæst. 1.* ait: *Cave, Christiane, gentili, aut Judæo filiam tuam tradere: cave gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua accersas tibi*, prohibetur enim, ne fidelis Christianus nuptias contrahat cum infideli, sive sit Judæa, vel gentilis. Matrimonium consummatum est, quod interveniente carnali copula facit, ut *duo sint in carne una, & jam non sunt duo, sed una caro. Genes. 2. Matth. 19.* & hoc dicitur perfectum matrimonium quantum ad significationem, quia quoad vinculum, matrimonium est perfectum ante copulam, per solum contractum, quo simul obligantur sponsus, & sponsa, seu quoad vinculum, quod remanet ex præstito consensu ab utroque sponso, hic enim contractus sanctus est, eò quia à Christo elevatus ad sanctitatem Sacramenti: imò tantò est sanctius, quantò magis distat à carnali conjunctione: non tamen quoad significationem est ita perfectum sicut matrimonium consummatum, quia non significat ea omnia, quæ ab ista per carnalem copulam significantur, siquidem matrimonium ante copulam significat quidem charitatem, quæ consistit in conjunctione Dei cum anima justi, juxta illud Apostoli: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Post copulam autem significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est ejus corpus mysticum, & suam sponsam, quam sibi desponsavit per incarnationis mysterium, ut docet Innocentius III. *cap. debitum. de bigamis non ordinandis*, ubi Pontifex ait: *Cùm duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum, & commistio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum, & justam animam, ad quod pertinet illud, quod ait Apostolus: Qui adhæret Deo unus spiritus cum eo, reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, & Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Evangelista testatur: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Certè conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum, juxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplastus, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: statim subjungit, hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia.* Quamvis matrimonium consummatum quoad significationem sit perfectius rato: non propterea consummatio est de essentia matrimonii, quod in ratione vinculi perfectissimum est, tametsi nulla interveniat carnalis copula, qualem certum est non intercessisse inter Deiparam Virginem, & S. Josephum, quem Evangelista vocat virum Mariæ, & nihilominus fuit verum, & perfectissimum matrimonium, ut docent omnes Catholici, & nihilominus fidei dogma est, Beatam Virginem nunquam virum cognovisse, & illibatam virginitatem perpetuò servasse, ut etiam præ cæteris Sanctis Patribus luculenter ostendit S. Augustinus *lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. Quibus verò placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur. Imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ cariùs, concordiusque servanda sunt voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum, neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatur ex prima fide sponsationis quàm concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa Virgo, ideo & sanctius, & mirabilius jucunda suo viro, quia etiam fœcunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solùm illa mater, verùm etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus. Utrumque mente, non carne.* Et infra: *Sed cum ille non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius forma servi ambo parentes essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent.*

C A P U T XI.

De matrimonio, ut elevato à Christo ad rationem Sacramenti.

HÆretici plura finxerunt circa matrimonium & crassè errarunt, cùm eorum plures asseruerunt matrimonium esse figmentum Sathanæ, proinde illicitum, & alii etiam communes faciebant uxores promiscuam cum ipsis habentes commixtionem. Lutherani verò, & Calvinistæ, quamvis matrimonium à DEO esse fateantur, negant tamen esse Ecclesiæ Sacramentum, contra quos asserendum est, matrimonium esse verum, ac proprium novæ Legis Sacramentum à Christo institutum, & id esse fidei dogma: Siquidem D. Paulus *ad Ephes. 5.* vocat matrimonium Sacramentum: inquiens: *Sacramentum hoc magnum est, ego dico, in Christo, & in Ecclesia*, seu ut habetur in textu Græco, *in Christum, & in Ecclesiam*: ac si dicat: matrimonium esse magnum Sacramentum, quatenus repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ verba Apostoli expendens S. Augustinus *lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 21.* ait; *Hoc Sacramentum in Christo, & Ecclesia magnum, in singulis quibusque viris, atque uxoribus minimum; sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum*, quibus verbis docet matrimonium esse Sacramentum, quatenus Christi cum Ecclesia significat conjunctionem: minimum verò in dignitate, si conferatur cum aliis Sacramentis, unde & ultimo loco enumeratur, & allusit Paulus ad id, quod jam notaverat, *quòd homo relinquat patrem, & matrem, & adhæreat uxori suæ.* Est magnum Sacramentum, quia est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut edisserunt Sancti Patres.

Hære-

Hæretici tamen putant, Catholicos decipi, ex verſione vulgata, quæ hoc loco reddidit, *Sacramentum*, cùm debuiſſet reddere *myſterium*, eò quia idem ſit græcè *myſterium*, ac latinè *Sacramentum*. Neque potuit Paulus, qui græcè ſcripſit Sacramentum aliter exprimere, quàm græco vocabulo *μυστήριον*, Græci enim Sacramenta vocant myſteria, ut etiam myſteria corporis Chriſti vocant Sacramentum Euchariſtiæ; verùm falſum eſt, Catholicos ex ſola voce Sacramentum hic poſita inferre matrimonium eſſe Sacramentum propriè dictum, quia in plerisque aliis locis utriuſque teſtamenti habetur eadem vox, ut *Tobiæ* 12. *Daniel.* 2. *ad Coloſſ.* 1. I. *ad Timoth.* 3. *Apocal.* 1. & in hac epiſt. *ad Epheſ.* & tamen ex nullo horum locorum novum aliquod colligunt Sacramentum, unde non ex hac voce tantùm probant Catholici, matrimonium eſſe Sacramentum, ſeu integram ejus habere rationem, ſed probant, eſſe Sacramentum, eò quia ſit ſignum, ſeu ſymbolum aliquod ſacrum, & non contractum merè civilem, & naturalem. Præterea quia Apoſtolus accommodat verba hæc: *Sacramentum hoc magnum*, conjugio humano maris & fœminæ: Hæretici contendunt magnum arcanum vocari conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ex quo inferunt, matrimonium hoc in loco non vocari ſignum, ſeu ſymbolum, proinde nolunt accipi pro ſigno rei ſacræ, ſed pro ipſa re ſacra, & arcana, idque ex eo deducunt quia Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. *Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, & quia nullum eſt myſterium, ut ait Eraſmus, ſi viro uxor jungatur, cùm id quotidiè fieri conſpicimus. Sed falluntur, habent enim contra ſe omnes SS. Patres, & Doctores Interpretes D. Pauli *ad Epheſ.* 5. Præterea, quia pronomen *hoc*, demonſtrat, quod præceſſit ſcilicet matrimonium Adæ, & Evæ verbis illis explicatum: *Propter quod relinquet*, quaſi dicat Apoſtolus, quòd vir adhæreat uxori ſuæ, hoc magnum eſt Sacramentum.

Alii etiam probant, matrimonium eſſe Sacramentum novæ Legis, ex *Matth.* 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, verùm ibi Chriſtus reducit matrimonium ad primævum ſtatum, & reſcindit polygamiam, ac reſecat libellum repudii, propterea ait: Ab initio non fuit ſic, ſed maſculum, & fœminam creavit eos, quaſi dicat unum, & unam Deus conjunxit inſeparabiliter ad excludendam diſſolubilitatem hujus vinculi, & libellum repudii, dixit Chriſtus, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, unde ſaltem textus petitus ex *Matth.* 19. non ita clarè probat matrimonium eſſe Sacramentum, ſicut Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. Probatur etiam ex SS. Patribus, Tertull. *lib. de anima cap.* 21. *lib. de Monogamia cap.* 5. & *lib. de præſcript. cap.* 39. ubi expreſſè vocat matrimonium Sacramentum, D. Ambroſius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. ait: *Deum eſſe veluti præſidem, cuſtodemque conjugii &c. eumque, qui conjugis alterius polluit, peccare in Deum, ejuſque gratiam ſolvere, ac Sacramenti cœleſtis amittere conſortium.* Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap.* 18. ait: *In noſtrarum nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri*, & *lib. de fide & operibus cap.* 7. ait: *In Eccleſia nuptiarum non ſolùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere.* Patres Græci itidem agnoverunt matrimonium in lege Evangelica eſſe verum Sacramentum, ut S. Ignatius Martyr *epiſt. ad Philipp.* Juſtinus *in oratione ad Antoninum Pium.* Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *ſtromat.* Origenes *homil.* 11. *in Exodi.* Athanaſius *ſerm. in Hæret.* Baſilius *lib. de virginitate cap.* 8. & D. Chryſoſtomus *homil.* 20. *in cap.* 5. *ad Epheſ.* ait: *Quid eſt magnum myſterium in Chriſto, quomodo & ipſe dimiſſo Patre deſcendit, & venit ad ſponſam, & factus eſt in ſpiritum unum*, pulchrè dixit, magnum eſt myſterium, perinde ac ſi diceret, eſt allegoria, hinc quamvis ante Chriſti adventum matrimonium non fuerit Sacramentum, poſt tamen Chriſti adventum, ſi initum ſit inter fideles, adeo eſſentialiter eſt Sacramentum, ut fideles non poſſint illud contrahere in ratione contractus, quin etiam illud celebrent in ratione Sacramenti. Ratio potiſſima eſt, quia Chriſtus inſtituit, ut matrimonium inter fideles initum ſit Sacramentum, ſicut definiunt Concilia, ſed Chriſti inſtitutionem nemo poteſt mutare, conſequenter nemo poteſt efficere, ut illud ſit verum matrimonium, & non ſit Sacramentum, alioquin etiam Epiſcopus poſſet conferre Ordines, & non conferre Sacramentum: pari pacto poſſet quilibet ſine peccato velle contrahere matrimonium in ratione ſimplicis contractus, non in ratione Sacramenti; ſi enim hæc duo poſſint ſeparari, cùm non appareat præceptum illa non ſeparandi, poſſet quilibet pro ſuo libito ea ſeparare. Matrimonium verò inter duos infideles initum non eſt Sacramentum. Ratio eſt manifeſta, quia nemo eſt capax Sacramentorum Eccleſiæ, niſi ſit membrum Eccleſiæ, & non poteſt quis conſtitui membrum Eccleſiæ, niſi per baptiſmum, qui eſt ſola janua, per quam infideles ingrediuntur Eccleſiam.

Demum Concilium Florentinum hoc idem fidei dogma declaravit, ut etiam Tridentinum *Seſſ.* 24. ubi hæc veritas definitur de fide *cap.* 1. *Si quis dixerit, matrimonium non eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre, anathema ſit*, & deſumitur etiam ratio hujus dogmatis fidei, ex ipſa indiſſolubilitate matrimonii; germana enim ratio, cur vir infirmam, aut ſterilem uxorem nequeat dimittere, & aliam ducere, hæc aſſignatur, quia ſcilicet inter Chriſtianos matrimonium eſt ſymbolum unionis individuæ Chriſti cum Eccleſia, ſed hoc perinde eſt, ac eſſe Sacramentum, quia eſt ſignum rei ſacræ. Præterea, quia ante baptiſmum, qui eſt janua, per quam quis ingreditur Eccleſiam, fitque capax Sacramentorum, Apoſtolus permittit conjugatis ſeparationem, non verò fidelibus 1. *Corinth.* 7. *Quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro reconciliari*; & iterum alligata eſt legi, quamdiu vivit vir ejus, & id aſſerit omnipotum eſſe à Chriſto, cùm dicat: *Præcipio non ego, ſed Dominus*, eſſe autem ſignum rei ſacræ, dicit formalem rationem Sacramenti; propterea inficiari non poſſumus, quin matrimonium ſit propriè, & verè Sacramentum novæ Legis, ex eo autem, quod vinculum matrimonii ſit indiſſolubile, obligatur quodammodo Deus ad gratiam conferendam, quæ jugum matrimonii alleviet, ac libenti animo toleretur, alioquin deterioris conditionis eſſet fidelium matrimonium, quàm Ethnicorum, qui plures uxores ducebant, repudiantes etiam eam, quæ iiſdem minus placeret.

Poteſt etiam hæc veritas evinci ex eo, quod matrimonium inſtitutum eſt etiam in remedium ægrotis, ut aſſerit Auguſtinus *lib. de bono viduitatis*

cap. 8. atqui non poſſet eſſe in remedium, niſi aliquam haberet efficaciam: quòd ſi habet aliquid efficaciæ ad recipiendam concupiſcentiam, utique habet efficaciam conferendi gratiam, qua concupiſcentia coerceatur: neque urget, quod reſpondent aliqui, hanc gratiam id præſtare, ut quis recedat à malo, in quantum conſtringit concupiſcentiam, ne extra bona matrimonii feratur, non autem quòd det auxilium aliquod ad benè ſupernaturaliter agendum. Sed contra eſt, quia eadem gratia, quæ impedit peccatum, quæque ad bonum honeſtum inclinat: utrumque præſtat: ſicut idem calor, qui frigus depellit, & ſubjectum, cui inhæret, calefacit. Quamobrem matrimonium, quatenus contrahitur à fidelibus Chriſtianis, confert gratiam adjuvantem ad ea agenda, quæ in matrimonio requiruntur, ſiquidem, ubi datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus poſſit homo convenienter uti tali facultate: & cùm in matrimonio detur homini ex divina inſtitutione facultas utendi ſua uxore ad prolis procreationem, datur etiam gratia, ſine qua id præſtare convenienter non poſſit.

Quòd ſi dicas, Sacramenta novæ legis id efficere, quod ſignificant, ac præfigurant, & matrimonium præfigurare, ſed non efficere conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, conſequenter non eſſe Sacramentum. Contra eſt, quia unio Chriſti ad Eccleſiam non eſt res contenta in hoc Sacramento, Sed res ſignificata, & non contenta, & talem rem nullum Sacramentum efficit, ſed habet aliam contentam rem, & ſignificatam, quam efficit, nimirùm ipſam gratiam; in matrimonio reperiuntur Sacramentum tantùm, res tantùm, & res & Sacramentum ſimul. Sacramentum tantùm eſt illa ſenſibilis obligatio, quæ reſultat in contrahentibus matrimonium ex ipſo libero conſenſu interno, & exterius expreſſo per verba, qui conſenſus, cùm ſit tantùm cauſa hujus obligationis, quæ ſe habent per modum permanentiæ in eodem contrahente, ſequitur matrimonium formaliter conſiſtere in ipſa obligatione. Rurſus res tantùm eſt ipſa gratia, quæ cauſatur à Sacramento, & res, & Sacramentum ſimul poſſunt dici tria bona matrimonii, fides, proles, & Sacramentum, quod eſt ſignum rememorativum unionis Chriſti cum Eccleſia, & illius Paſſionis præmonſtrativum gratiæ.

Si dicas, nullibi in Scripturis legi, matrimonium eſſe divinitus inſtitutum ut ſignum ſacrum, ſed tantùm ut officium naturæ, ideoque dixiſſe Chriſtum *Geneſ.* 2. *Creſcite, & multiplicamini*, & benedixiſſe, quem benedictionem tantùm fuiſſe in ordine ad fœcunditatem inditam poteſtati generandi, & nihil conſtare de promiſſione gratiæ, quæ comitatur Sacramenta novæ legis. Sed contra, quia ex antecedente negativo nil concluditur, ex eo enim quòd non ſit in Scriptura, non ſequitur, matrimonium non habere hanc efficaciam conferendi gratiam, plura enim tradita ſunt ab Apoſtolis, quæ tamen ſacris Scripturis non conſtant. Hinc Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. ait: *Cùm matrimonium in Lege Evangelica præſtet veteribus connubiis, gratia per Chriſtum merito inter novæ Legis Sacramenta adnumerandum, Sancti Patres, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt*: & nihil innuit de eâ Scriptura, quam non omiſiſſet, ſi expreſſè hæc ſuffragaretur huic veritati.

Si dicas, Eccleſiam non poſſe mutare, nec variare Sacramenta; neque iiſdem apponere quidquam, quod ſit de illorum eſſentia, & neceſſitate, neque quòd intrare poſſit: Sed Eccleſia de facto matrimonium immutavit: ergo non eſt Sacramentum. Major, & conſequentia tenent; minor oſtenditur: quia matrimonium clandeſtinum ante Concilium Tridentinum ratum, ac legitimum ab Eccleſia habebatur; & Eccleſia in eodem Concilio declaravit, non eſſe amplius validum, conſequenter illud immutavit; & cùm non poſſit irritare Sacramenta, quæ ſunt de jure divino, utpote inſtituta à Chriſto, ſequitur matrimonium non eſſe Sacramentum. Sed contra, diſtinguitur minor, immutavit matrimonium in ratione Sacramenti, negatur; in ratione contractus, ſubdiſtinguitur; intrinſecè quò ad eſſentiam, negatur; extrinſecè quatenus eidem adjecit conditionem, quâ non ſervatâ, non ſit contractus validus, conceditur; & negatur conſequentia. In matrimonio duo conſiderantur, ratio contractus humani; & ratio Sacramenti: contractus conſiſtit in mutuo contrahentium interno, ac libero conſenſu, expreſſo exterius per verba ſignificantia internum, ac liberum conſenſum: & ratio Sacramenti eſt ſignum ſenſibile cauſativum gratiæ. Matrimonium ſub ratione contractus dependet ab Eccleſia, quæ ob bonum commune fidelium poteſt illi apponere aliquam conditionem, quâ non ſervatâ, non ſit contractus legitimus, conſequenter neque Sacramentum: quia Chriſtus non elevavit ad rationem Sacramenti quemcunque contractum matrimonii, ſed tantùm illum, qui ab Eccleſia ratus, ac legitimus habetur. Præterea poteſt Eccleſia declarare illas perſonas eſſe tantùm capaces validè contrahendi, quæ ſervaverint conditionem appoſitam contractui: aliàs verò non eſſe capaces validè contrahendi; non enim omnes perſonæ ſunt capaces validè contrahendi; alioquin Pater & filia poſſent matrimonium validè contrahere; pertinet ad Eccleſiam determinare, ac declarare perſonas capaces contrahendi matrimonium, ut etiam qui contractus habeatur ratus, & legitimus: Chriſtus enim hoc non declaravit, ſed præſuppoſito contractu humano legitimo inito inter legitimas perſonas, illum elevavit ad rationem Sacramenti. Cùm igitur Synodus Tridentina ad removenda plura incommoda, & ut conſuleret utilitati communitatis, appoſuit contractui matrimonii hanc conditionem, ut ſi non celebretur in facie Eccleſiæ, ſeu coram Parocho, vel Sacerdote ex ejus commiſſione, & duobus teſtibus, vel tribus, non habeatur ratus, & legitimus; conſequenter non participet rationem Sacramenti, cùm Chriſtus tantùm elevaverit contractum legitimum, & quia ante Concilium Tridentinum contractus matrimonii etiam ſine tali conditione habebatur ab Eccleſia legitimus, ideo tunc erat Sacramentum; non poſt tale Concilium.

Dices, ſine baptiſmo nemo eſt capax Sacramenti propriè dicti: ſed homo non baptizatus eſt capax matrimonii, ut Pagani & alii infideles non baptizati: ex quo inferunt Hæretici, matrimonium non eſſe Sacramentum: Sed contra diſtinguitur, minor eſt capax matrimonii, ut eſt officium naturæ, conceditur, ut eſt Sacramentum, negatur. Matrimonium infidelium, ut Judæorum, Paganorum, quamvis non ſit Sacramentum, eſt nihilominus verum matrimonium, quamvis non inſolubile, ut docet D. Thomas *in* 4. *ſent.* quia inſolubilitas eſt effectus Sacramenti. Matrimonium, ut eſt officium naturæ, non conſiſtit in ipſa copula, quæ tantùm eſt pars integralis, quia quod eſt poſterius alio, nequit eſſe de eſſentia illius, quia illud ſupponit jam conſtitutum in ſuo eſſe: & uſus matrimonii ſupponit ipſum

Digitized by Google

ipſum matrimonium: quod conſiſtit in mutua traditione, ſeu in mutuo conſenſu, quo unus ex Sponſis acquirit jus petendi uſum matrimonii ab altero: hinc D. Ambroſius *in inſtit. virg. cap. 6.* ait: *Non defloratio Virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis*: uterque enim paciſcens de præſenti acquirit jus in corpus alterius: matrimonium enim exigit conſenſum in copulam, ad quam datur reciproca poteſtas, quamvis uterque poſſit renuntiare huic uſui, & exercere caſtitatem.

Conſtat igitur matrimonium ante Chriſtum, non fuiſſe Sacramentum propriè dictum; ſed tantum naturæ officium, & concupiſcentiæ remedium: conſequenter etiam matrimonium Infidelium, non eſſe Sacramentum; quia ſolus baptiſmus eſt janua, qua baptizatus ingreditur eccleſiam, in qua ſola ſunt Sacramenta, ut declarat Innocentius *cap. Suademus. de divortiis.* Et *cap. Quanto. eod. tit.* ait apud infideles reperiri quidem matrimonium, non tamen ratum, quia careat ratione Sacramenti: & D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. ad 1.* ait: *Quamvis infidelibus non competat matrimonium, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpenſatione miniſtrorum eccleſiæ conſiſtens, competit tamen ei, in quantum eſt officium naturæ, & tamen matrimonium tale eſt aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eò quod actu non contrahunt in fide eccleſiæ.* Matrimonium autem inter fideles initum eſt verum Sacramentum cauſativum gratiæ, eſtque dogma fidei declaratum in Concilio Tridentino, ubi ait: *Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis eccleſiæ traditio ſemper docuerunt.* Per hanc enim gratiam fit, ut vir, & uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia quieſcat, & alienos illicitos amores non quærat, ſed in omnibus ſit connubium honorabile, ac thorus immaculatus, & ut inordinati motus concupiſcentiæ coerceantur, ac uſus matrimonii ſit moderatior: hinc D. Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap. 5.* ait: *Ad hoc nuptiæ ſunt, ut illa concupiſcentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis, & diſſoluta fluitaret; habens de ſe ipſa irrefrænabilem carnis infirmitatem; de nuptiis autem indiſſolubilem fidei Societatem, de ſe ipſa progreſſum immoderatè coeundi, de nuptiis modum caſtè procreandi.* Rurſus per hanc gratiam cauſatam à Sacramento matrimonii fit, ut conjuges Chriſtiani prolem non tantùm, quæ naſcatur mundo, ſed quæ renaſcatur Chriſto, cui omnia ſua exhibeat obſequia, ait enim Auguſtinus *lib. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 17. In nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum, ſed proles non ut naſcatur tantùm, verùm etiam ut renaſcatur* (ſcilicet Chriſto per baptiſmum) *Naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam.* Rurſus hac gratia ſuffulti conjuges inviolatam ac individuam ſibi vitam ſervant viciſſim; parentes prolem enutriant, ac ritè inſtituant: *In diſciplina, & correptione Domini*, ut loquitur Apoſtolus *ad Epheſ. 6.* & etiam onera, ac incommoda matrimonii ferant, quæ incommoda ſignificantur ab Apoſtolo *ad Epheſ. 6.* ſcribens de conjugatis: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi.* Quæ verò ſit hæc tribulatio, explicat D. Auguſtinus *lib. de Sancta virginitate cap. 16.* inquiens, conſiſtere hæc incommoda matrimonii, *in ſuſpicionibus Zeli conjugalis in procreandis filiis, atque nutriendis, in timoribus, & mœroribus orbitatis: quotus enim quiſque, cùm ſe connubii vinculis alligaverit, non iſtis trahatur, atque agitetur affectibus*, & ad hæc incommoda etiam accommodari poſſunt verba Davidis *Pſal. 40. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus, univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus*; Lectus autem doloris infirmitas eſt carnis, ut explicat D. Auguſtinus *in Pſal. 40.* ſed ad ferenda hæc omnia incommoda conducit gratia, quæ per Sacramentum matrimonii conjugatis confertur.

An verò matrimonium per Procuratores inter fideles abſentes contractum, ſit verè Sacramentum, Theologi ſimul non conſentiunt, quapropter conſultius ſemper erit, ſi matrimonium ita contrahentes, cùm primùm ſint præſentes, poſſuntque ad invicem loqui, eundem contractum ratum habeant, ac permittant iterari benedictionem nuptialem, ne fortè conſenſus fuerint interrupti, vel Sacramenti ratio tali matrimonio deſit; ſiquidem poterat contigiſſe, ut revocata fuerit procuratio, ignorante Procuratore, & fœmina, cum qua alterius nomine contraxit, in quo caſu matrimonium non ſolum non eſſet Sacramentum, ſed nec etiam contractus validus, ſed irritus, ut conſtat ex *cap. Procurator, tit. de Procuratorib. in 6.* ubi habetur: *Procurator non aliter cenſetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm ſi ad hoc mandatum habuerit ſpeciale.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Non poteſt deputare alium, niſi hoc ſpecialiter ſit commiſſum. Sanè, ſi Procurator, antequam contraxerit à Domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipſe, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignoraverint, nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequivit.*

Ex dictis ſequitur, Chriſtianum non poſſe matrimonium contrahere, niſi cum una tantum fœmina, adeo ut non poſſit ſimul plures habere, & polygamia omnino rationi matrimonii adverſetur, quia, cùm ſit hoc Sacramentum rememorativum unionis Chriſti cum Eccleſia, quæ una tantùm eſt in terris militans, ita Chriſtianus una tantùm ſponſa tenetur contentus eſſe, ut probat Concilii Tridentini Catechiſmus ex verbis illis Chriſti *Matth. 19. Non legiſtis, quia, qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, & poſtea ſubjungit: *Itaque non ſunt duo, ſed una caro*; quibus verbis clarè infertur à Deo inſtitutum eſſe, ut duorum tantùm, non plurium conjunctione definiretur, quia Deus non dixit, maſculos, & fœminas in plurali, ſed *maſculum, & fœminam*, neque dixit, *adhærebit uxoribus ſuis, ſed uxori*; Rurſus non dixit erunt tres, vel plures in carne una, ſed *duo in carne una*; unde ex Chriſti inſtitutione fideles unam tantùm fœminam poſſunt in uxorem ducere: & quidem perpetuò ſibi conjungendam, ut etiam declarat Innocentius III. Pontifex Maximus *in cap. gaudemus, de divortiis.* Hoc idem etiam evincitur ex verbis Chriſti *Matth. 19. Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*, etenim, ſi viro liceret plures ſimul uxores ducere, nulla omnino cauſa eſſe videretur, cur magis adulterii reus dicendus eſſet, quod præter eam uxorem, quam domi haberet, aliam duceret, quàm quòd priore dimiſſa cum alia conjungeretur, ut infert Innocentius III. *in citato cap. gaudemus de divortiis*, ubi ait: *Si ergo uxore dimiſſa duci alia de jure non poteſt, potiùs & ipſa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu, cùm non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam.* Judicat Innocentius, pares eſſe in matrimonio

contrahendo virum, & mulierem, & sicut mulieri non licet plures habere viros, alioquin sterilesceret, perinde ac meretrices, quod vergeret in exitium Reipublicæ, & extinctionem humani generis, ita non liceat uni viro plures habere uxores, quamvis omnes essent fœcundæ, prolique gignendæ aptæ; quia in matrimonio paritas servanda est, adeo ut, sicut una mulier non potest nubere nisi uni viro, ita neque unus vir nisi uni mulieri, alioquin non daretur paritas, & ratio etiam desumitur ex Apostolo 1. *ad Corinth.* 7. ubi ait: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Uxori vir debitum reddat.* Tametsi pluralitas uxorum non destituat virum fœcunditate; nec adversetur primario fini matrimonii, scilicet procreationi liberorum, sicut repugnat huic fini pluralitas virorum respectu unius uxoris; adhuc tamen repugnat honestati, & juri conjugali, quia uxori fieret injuria, si corpus viri, cujus dominium habet mulier ex vi ipsius matrimonii, alteri traderetur. Finis secundarius matrimonii, quamvis non omnino tollatur per polygamiam, multum tamen impeditur, siquidem, ubi sunt plures uxores in una, eademque familia, vix potest pax, & tranquillitas servari, hinc enim, si plures instituantur in uno eodemque officio, hæc communicatio est causa invidiæ, dissidiorum, rixarum, & odii, ita, si unus vir plures posset uxores ducere, lites inter ipsas orirentur, ut etiam concordia domestica penitus omnis exularet. Hinc pluralitas uxorum est quodammodo contra legem naturæ, ut adhuc erit D. Thomas.

Rursus hæc pluralitas uxorum adversatur divino juri, & institutioni Sacramenti, quod ita institutum à Christo fuit, ut esset unus tantum cum una indissolubili conjunctione, & rememorativum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ conjunctionem significat conjunctionem unius viri cum unica Sponsa castissima. Hinc lex illa Valentiniani Imperatoris, qua pluralitatem uxorum licitam esse declaravit; ad eum finem, ut Justinam vivente adhuc Severa conjuge sibi in matrimonium ducere posset communi omnium consensu improbata fuit, ait enim Augustinus *lib. de Bono conjugali cap. 7. Posset enim homo dimittere sterilem uxorem, & ducere, de qua filios habeat: & tamen non licet: & nostris quidem jam temporibus, & more Romano, neque superducere, ut amplius habeat quam unam vivam.* Hoc idem repetit *lib. 22. contra Faustum cap.* 47. & plerisque aliis in locis. Hinc si quispiam infidelis, qui patria consuetudine plures duxisset uxores, & ad Christi religionem, fidemque Catholicam converteretur, ecclesia statim ei injungeret, ut dimissis pluribus illis uxoribus, unam tantum, seu primam, cum qua nuptias contraxerat retineret, & ut propriam, ac veram uxorem haberet, ut declaratur *in cap. Gaudemus. de divortiis*, quia contrarium sentientes anathemate percutiuntur à Tridentina Synodo, quæ *sess.* 24. de matrimonio ait: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum, anathema sit.*

Quod si dicas, Patres veteris legis plures duxisse uxores, & tamen non perperam egisse contra legem naturæ, tametsi plures ex illis Patriarchis pietate, & sanctitate plurimum fuerint commendati, & *Matth.* 29. electi dicantur morituri cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cælorum, ait enim Christus, fore, ut *electi recumbant cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum*, ex quibus clarè infertur polygamiam non esse ex se, & ex intrinseco sui malam, nec ullum redolere vitium, alioquin, cùm David plures habuerit uxores, & gravissimè fuerit punitus ob unicum adulterium patratum cum Bethsabea uxore Uriæ, fuisset itidem punitus per usum matrimonii cum pluribus uxoribus, & tamen ob talem usum non fuit punitus, eo quia polygamia est ex se licita, seu plures simul habere uxores. Nam contra est, respondetur, Monogamiam, seu legem de unitate uxoris esse quidem divinam, & naturalem, sed ex earum numero, in quibus possit Deus dispensare, cum de facto dispensaverit: siquidem quædam sunt, quæ ad legem naturæ primariò pertinent cujusmodi sunt hæc Decalogi præcepta. Deus amandus est, parentes honorandi, vitandum homicidium, mendacium, furtum, & adulterium in quibus nulla potest dispensatio cadere, sunt enim ex se privata authoritate patratum, ut etiam adulterium, furtum, & mendacium sunt per se ab intrinseco mala, adeoque indispensabiliter semper illicita. Alia verò, nonnisi secundario pertinent ad legem naturæ, quæ, cùm per se mala non sint, sed tantum mala quia prohibita, Dei authoritate, & dispensatione licita fieri possunt, ut polygamiæ prohibitio, in qua Deus dispensavit suo nutu mirus, & cum Patriarchis veteris legis, quibus concessit, ut plures uxores ducerent, ad propagationem populi Dei, & significationem plurium mysteriorum: etenim mysterium in duabus uxoribus Abrahæ adumbratum fuisse, explicat Apostolus *ad Galat.* 4. hinc enim, *Illorum ipsius pietatis erat operatio etiam carnaliter populum propagare, quia illius populi generatio nuntia futuri nunc erat, & ad dispensationem propheticam pertinebat*, ut loquitur Augustinus *de Bono conjugali cap.* 18. Rursus Patriarchis veteris legis ideo Deus concessit uxorum pluralitatem, quia, ut notat idem Augustinus *de bono conjugali cap.* 19. de his nuptiis non propter Christum quærebant ad genus ejus secundum carnem distinguendum ab omnibus gentibus: sicut Deo disponere placuit, ut hoc præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod prænuntiabatur, ex quo etiam genere, & ex qua gente esset in carne venturus. Deum autem dispensâsse cum Patriarchis illis veteris legis, quamvis scriptura expressè non fateatur, ex illa tamen infertur: siquidem illorum sanctitati testimonium perhibet; neque illorum polygamiam unquam reprehendit, idque argumento, fuisse immunem ab omni culpa, quod non contigisset, nisi Deus dispensâsset, quapropter D. Augustinus *lib.* 2. *contra Faustum cap.* 67. ait: *Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam; alia contra mores; alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob? si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur: si morem illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur: si præceptum, nulla lege prohibebatur: nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia moribus, & legibus id non liceat.* Ostendit D. Augustinus polygamiam non fuisse contra legem naturæ, eò quia primis illis temporibus cum patriarchis Deus dispensaverit, licet enim præcisa dispensatione non fuisset consentanea legi naturæ, quia tamen non repugnavit mulierum fœcunditati, neque virorum generationi, Deus dispensavit, ut suus populus citiùs multiplicaretur, hinc polygamia nulla lege positiva tunc prohibebatur, nunc verò prohibita est Christianis in lege evangelica, quia Dei populus sufficienter jam multiplicatus fuit, & Christus in ... Rursum neque polygamia in lege veteri

fuit

fuit contra mores, quia eo tempore recepta erat, & à Deo permiſſa, unde Patriarchis non poterat vitio verti, cùm divina diſpenſatione fuerit iisdem conceſſum, ut plures poſſent uxores ducere. Cæterum ſublata divina diſpenſatione nunquam licitum fuit, plures uxores ducere. Quòd autem Patriarchæ antiquæ legis cognoverint hanc DEI diſpenſationem cum ipſis factam, ex interna inſpiratione fuit illis id exploratum, quapropter Innocentius III. *in cap. Gaudemus de divortiis* ait: *Nec ulli unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum; per quam, ſicut Jacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ, & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur.* Hoc idem etiam evincit D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2.* inquiens: *Lex de unitate uxoris non eſt humanitus, ſed divinitus inſtituta, nec unquam verbo aut literis tradita, ſed cordis impreſſa, ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent, & ideo in hoc à ſolo DEO diſpenſatio fieri potuit per inſpirationem internam, quæ quidem principaliter Sanctis Patribus facta eſt, & per eorum exemplum ad alios derivata eo tempore, quo oportuit prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ, ſemper enim principalior finis magis conſervandus eſt, quàm ſecundarius: unde, cùm bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire, ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.* & in reſponſione ad 3. ait: *Qualis eſt lex, talis debet eſſe diſpenſatio legis, & quia lex naturæ non eſt literis ſcripta, ſed cordibus impreſſa; propter hoc non oportuit diſpenſationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege ſcripta dari, ſed per internam inſpirationem fieri.*

Culpanda igitur non fuit Patriarcharum veteris legis polygamia, cùm plures polygami præſtantiores fuerint, ac commendatiores multis monogamis Legis Evangelicæ, tametſi continentia ſit matrimonio excellentior, ſi enim perſonam Abrahami polygami pluribus non ſolùm monogamis, ſed etiam qui continentiam profeſſi vitam cælibem egerunt, comparantes iſtis præponendus erit Abraham: quia non externum opus, ſed animi propoſitum conſiderandum eſt; ſeu ut ait D. Auguſtinus animi habitus ſpectandus eſt, in quo virtus potius conſiſtit, quàm in opere. Si igitur conſideremus habitum continentiæ in Abrahamo polygamo, in illo virtutem eximiam fuiſſe fatebimur: quòd ſi optio illi data fuiſſet, qualis revelato novo Teſtamento data eſt, dicente Chriſto: *Qui poteſt capere, capiat*, utique cœlibatum nuptiis prætuliſſet: ait D. Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap. 21.* ait: *Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui paſſus non eſt: ſic non eſt impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. Et illius enim cœlibatus, & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt; ſed continentiam Joannes, & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat.* Quòd ſi optio data fuiſſet Abrahæ, continentiam nuptiis prætuliſſet, ex eo evincit D. Auguſtinus, quia paratus fuit, ut Deo placeret, proprium filium immolare: ait Auguſtinus *lib. de Bono conjugali cap. 21.* *Qui unicum prolis pignus, propter quod nuptiæ caræ ſunt, potuit intrepidus immolare propter regnum cælorum.*

CAPUT XII.

De quidditate Metaphyſica, & Phyſica matrimonii: & quis ejus Miniſter.

SI ſpectemus matrimonium, ut eſt officium naturæ à Deo ordinatum ad propagationem humani generis, ejus quidditas metaphyſica conſiſtit in mutuo vinculo conjugali indiſſolubili orto ex mutuo jure & poteſtate, quam ex mutua traditione uterque conjux habet in corpus alterius, adeo ut hoc vinculum quoad conjuges vixerint, ſit indiſſolubile, ut infertur ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. 7. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit:* & eſt eadem ratio de viro, quanto tempore uxor ejus vivit. Oritur enim hoc vinculum indiſſolubilitatis ex fine, ad quem matrimonium ex ſuo jure dirigitur, eſtque ipſa prolis procreatio, & educatio, quæ ne incerta eſſet ex parte parentis, cui vel maximè incumbit cura prolis educandæ, reſpuit vagum concubitum, ut contrarium ſuo fini. Quòd autem quidditas metaphyſica matrimonii conſiſtat in hoc vinculo indiſſolubili ſuperius explicato: ex eo conſtat: quia, poſito hoc vinculo, ponitur matrimonium, perinde ac, poſito complexo ex animalitate, & rationalitate, ponitur homo; &, illo ſublato, tollitur: ergo in tali vinculo formaliter, & quidditativè conſiſtit matrimonium: quia id, ſine quo non poteſt intelligi rei eſſentia, eſt prædicatum conſtitutivum illius. Antecedens claret: quia nullo poſito ex parte conjugum conſenſu translativo dominii ſui corporis in alterum, poteſt intelligi verum eſſe matrimonium, ut ſi Deus ſupremus corporum, & animarum Dominus utriusque conjugis dominium transferat in alterum: unde hoc vinculum ſe habet conſecutivè ad conſenſum, qui eſt potius cauſa efficiens matrimonii, conſequenter non poteſt eſſe cauſa formalis conſtitutiva matrimonii: ſiquidem cauſa formalis debet eſſe intrinſeca; cùm cauſa efficiens ſit extrinſeca. Præterea quia mutuus conſenſus ſe habet per modum fluxus, non permanentiæ, & eo ceſſante perſeverat matrimonium, ut effectus diſtinctus à cauſa.

Quòd ſi dicas, perſeverare ſaltem moraliter conſenſum habitualem. Contra eſt: quia etiam ſi conjuges primum ſuum conſenſum retractent, adhuc inter illos perſeverat matrimonium, quamvis non maneat habitualis conſenſus, qui per diſſenſum ſubſequentem revocatur: ex quibus conſtat, matrimonium formaliter, & quidditativè non conſiſtere in mutuo conſenſu, qui potius eſt cauſa efficiens matrimonii.

Rurſus

Rurſus neque formaliter conſiſtit in mutuo jure utriusque conjugis in corpus alterius; nec in obligatione mutua ad debitum conjugale; quia tale jus, & obligatio ceſſant per adulterium alterius conjugis, manente vinculo matrimonii conſummati. Rurſus quia inter Deiparam, & S. Joſephum fuit verum, ac propriè matrimonium; tametſi obligatio reddendi debitum conjugale fuerit ſemper impedita: unde ſupereſt, ut quidditas matrimonii formaliter conſiſtat in ſolo vinculo, quo conjuges ſunt formaliter vincti: quia poſito hoc vinculo ponitur matrimonium formaliter, & illo ſublato tollitur: qua ratione definitur matrimonium: *Viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens*: Dicitur *conjunctio viri, & mulieris* ratione finis, ad quem ordinatur matrimonium, ſeu in ordine ad prolem gignendam: ad id enim requiritur conjunctio maris cum fœmina; quapropter Deus ſtatim ſub mundi conditi initio creavit virum, & ex coſta Adæ Evam efformavit, ut *eſſent duo in carne una*. Adduntur aliæ particulæ *inter legitimas perſonas*, quia non omnes perſonæ habiles ſunt ad contrahendum matrimonium, ut ſunt illæ, quæ vel impotentes ſunt ad generandum, vel ſunt alio matrimonio ligatæ, vel alio naturali, aut poſitivo vinculo impeditæ. Poſtremæ particulæ, *individuam vitæ conſuetudinem retinens*, ſignificant diſtinctionem matrimonii ab omnibus aliis conventionibus, vel unionibus ortis ex aliis contractibus, quia hujusmodi conventiones, & uniones tolluntur per mutuum utriusque contrahentis conſenſum, matrimonium verò eſt vinculum omnino indiſſolubile.

Quòd ſi dicas, matrimonium debere conſiſtere in fieri, non in facto eſſe, perinde ac alia Sacramenta conſiſtunt in uſu ſeu fieri, conſequenter non poſſe formaliter conſiſtere in vinculo maritali reſultante ex mutuo utriusque conjugis conſenſu; quia hoc vinculum, cùm ſit indiſſolubile, eſt quid permanens, ergo debet formaliter conſiſtere in ipſo conſenſu mutuo, non in vinculo maritali. Contra eſt, quia, tametſi cauſa efficiens matrimonii debeat eſſe per modum tranſeuntis, & conſiſtere in fieri, ſeu in mutuo conſenſu utriusque conjugis; nihilominus quoad ſuam rationem formalem, & quidditatem conſiſtit in aliquo permanente, ſeu in vinculo reſultante ex mutuo conſenſu utriusque conjugis: quia ſicut ceſſantibus verbis, quibus exprimitur exteriùs internus conſenſus adhuc remanet matrimonium, conſequenter neceſſe eſt, remaneat etiam ipſa quidditas matrimonii.

Sed inſtabis, quia non poteſt explicari, quid propriè ſit hoc vinculum reſultans ex mutuo conſenſu utriusque conjugis: conſequenter non videtur quidditas matrimonii conſiſtere in hoc vinculo. Contra eſt, quia, ut docet D. Thomas *quæſt*. 44. *art*. 3. Sicut matrimonium eſt in genere relationis, quæ explicatur per *conjunctionem* tanquam per genus, & per *maritalem* ut differentiam; ita vinculum, in quo formaliter conſiſtit quidditas matrimonii, eſt in genere relationis, eſtque relatio diſquiparantiæ, eo quia unus conjux ad hanc conjunctionem concurrit ut principium activum, & alter ut paſſivum; adeo ut ex parte ſubjecti ſit multiplex, quamvis ex parte termini, & finis ſit ſimplex, eo quia utriusque materialis conjunctionis finis ſit unus tantum.

Si dicas, matrimonium debere neceſſariò conſiſtere in aliquo ſigno ſenſibili; & hoc vinculum utpote in genere relationis non poſſe eſſe quid ſenſibile; conſequenter matrimonium non poſſe formaliter conſiſtere in hoc vinculo. Contra eſt, quia, ut docet D. Thomas *loc. cit, ad* 2. tametſi relatio non ſit quid ſenſibile, ejus tamen cauſæ ſunt ſenſibiles, quod ſufficit: non enim in Sacramento requiritur, ut ſit quid ſenſibile id, quod eſt res Sacramenti, ſed ſufficit ſi ejus cauſa efficiens, ſeu mutuus conſenſus ſit ſenſibilis.

Quod verò ad quidditatem phyſicam ſpectat, ſeu ad materiam, & formam matrimonii, docent plures materiam matrimonii eſſe mutuum utriusque conjugis conſenſum, & formam eſſe ſigna exteriora ſenſibilia exprimentia internum conſenſum; quæ ſigna regulariter ſunt verba: ita cenſent Covarruvias, Navarrus, Rebellius, Capreolus, & alii. E converſo cenſent alii internum conſenſum eſſe formam, & verba ſenſibilia exprimentia conſenſum internum eſſe materiam. Sed neutra ſententia videtur vera, quia materia ſaltem totalis hujus Sacramenti, & forma illius debent eſſe quid ſenſibile; ſed utriusque contrahentis internus conſenſus non eſt quid ſenſibile, ſed tantum fit ſenſibilis per verba ſenſibiliter illum exprimentia: conſequenter neutra ſententia videtur eſſe vera. Neque obſtat, quòd in Sacramento pœnitentiæ actus interni pœnitentis ſint materia illius Sacramenti, quamvis non ſint per ſe quid ſenſibile. Contra eſt, quia tales actus ſunt tantùm materia partialis, quæ fit per aliam materiam partialem ſenſibilis, ſcilicet per confeſſionem. Materia verò totalis debet eſſe, vel continere quid ſenſibile, & conſenſus purè internus non continet in ſe quid ſenſibile.

Alii cum Bellarmino duobus modis conſiderant matrimonium in fieri & facto eſſe, ſeu cùm fit, & poſtquam factum eſt: priori modo dicunt ſe habere per modum fluxus; & poſteriori modo per modum permanentiæ: & aſſerunt in priori conſideratione totam ejus eſſentiam conſiſtere in ſignis exprimentibus mutuum conſenſum: in poſteriori eſſe ipſos conjuges ſimul cohabitantes, ſeu externam conjugum ſocietatem, & conjunctionem eſſe materiale Symbolum externum Chriſti & eccleſiæ, repræſentans indiſſolubilem conjunctionem: ſicut in Sacramento Euchariſtiæ peractâ conſecratione remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſignum ſenſibile, atque externum interni alimenti ſpiritualis; & verba conjugum exprimentia mutuum conſenſum modo religioſo cum fide et pietate in Deum Nuptiarum Conciliatorem eſſe formam hujus Sacramenti. Sed contra, quia in fieri ſigna externa, ſeu verba non ſunt prædicata intrinſecè conſtitutiva matrimonii, ſed ſunt cauſa efficiens ejusdem, ut ſuperius evicimus. Quòd ſi per fieri intelligatur cauſa in actu ſecundo ponendi ſuum effectum in hoc ſenſu ſigna illa externa, ſeu verba exprimentia mutuum utriusque conjugis conſenſum, dicuntur matrimonium cauſativè. In facto eſſe licet corpora conjugum dici poſſint materia remota contractus matrimonii, ſeu materia circa quam verſatur matrimonium; non tamen ſunt materia proxima, quia hæc eſt, ex qua Sacramentum perficitur, & componitur, & matrimonium non perficitur, neque componitur ex ipſis contrahentibus: Matrimonium ſiquidem eſt contractus, quo contrahentes ſua corpora ſibi mutuo tradunt; & in contractibus id, quod traditur, non eſt materia proxima, alioquin contractus de agro, vel equo conſtaret intrinſecè ex agro vel equo; ergo corpora, quæ ſibi invicem contrahentes

tradunt,

Digitized by Google

tradunt, non poſſunt eſſe materia proxima hujus ſacramenti; quia materia proxima debet eſſe, quid intrinſecum rei conſtitutæ; & contrahentes non ſunt partes intrinſecæ contractus, ſed potiùs cauſæ extrinſecæ efficientes contractum. Hic enim à contrahentibus fit.

Alii aſſerunt, verba prolata à priori contrahente eſſe materiam hujus ſacramenti, & verba prolata à poſteriori contrahente eſſe formam; perinde ac in numeris, ultimus numerus eſt forma præcedentium, quia determinat, ut tota multitudo numerica ſit talis numerus, quinquagenarius, vel centenarius. ſed hæc ſententia non ſatisfacit, quia materia hujus ſacramenti non eſt in poteſtate contrahentium, ut poſſit fieri forma, ſed eſt certa, & invariabilis. Sin autem conſiſteret in verbis prolatis à priori contrahente, non eſſet materia certa, & invariabilis, ſed vaga, & in poteſtate contrahentium, ad quorum arbitrium, quod eſt materia, poſſet fieri forma, & vice verſa, quia poteſt mas vel fœmina priùs proferre verba; & verba fœminæ non ſunt illa maris. Præterea, ſi contingeret, quod ambo contrahentes ſimul tempore proferrent verba exprimentia mutuum conſenſum, nulla eſſent verba priora, & poſteriora, proinde non poſſet deſignari materia, & forma.

Alii volunt, materiam hujus ſacramenti eſſe corpora contrahentium; & formam eſſe verba ſacerdotis, *Ego vos conjungo*, & hæc tamen ſententia eſt cæteris improbabilior: quia præſentia Parochi eſt tantùm neceſſaria poſt Concilium Trident. tamen ante Tridentinum fuerunt vera matrimonia ſine verbis illis à Parocho prolatis: ergo forma hujus ſacramenti non poſſunt eſſe verba à Parocho prolata. Præterea verba Parochi ſunt tantùm ſacramentalia, non verò ipſum ſacramentum, ut docet D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 26. q. 2. art. 1.* ubi ait: *Verba, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus ſacramenti: non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale.* Et *in reſponſ. ad 2.* ait: *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui ſacramento utitur, ſicut pœnitentia; & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam, niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita eſt de matrimonio.*

Ut oſtendatur, quid probabilius eſſe videtur circa materiam, & formam hujus ſacramenti matrimonii, de quibus ideo diſputant Theologi, & Controverſiſtæ ac in varias diſtrahuntur ſententias, quia eccleſia ſilet, & hactenus nihil declaravit circa materiam, & formá hujus ſacramenti; quod poteſt conſiderari actualiter, & tunc ſe habet per modum fluxûs, quia complectitur actus contrahentium, ſeu verba ab iiſdem prolata, & exprimentia internum conſenſum, quæ verba materialiter ſumpta, vix prolata, ampliùs non ſunt: & habitualiter, quatenus cenſentur perſeverare in effectu, quem producunt, ſeu in vinculo; quo conjuges ſimul ligantur ad ſimul convivendum, & habitandum, cum jure petendi, & exigendi ab altero debitum, ſeu uſum matrimonii. Si conſideretur matrimonium actualiter, quando contrahitur ejus materia & forma, ſunt ipſa verba exterius ſenſibilia, & expreſſiva interni conſenſus utriuſque contrahentis; vel nutus, aut alia ſigna ſenſibilia ſignificantia eundem internum conſenſum: interni enim mentis conceptus, non ſolum verbis, ſed etiam nutibus exteriùs indicantur, ut notat D. Auguſt. *in verba Joan. 13. Innuit Petrus Joanni*, ait enim, *Petrum innuendo dixiſſe.* Habitualiter verò ſeu in ſtatu permanentiæ in vinculo cauſato, & remanente per mutuum conſenſum expreſſum per verba exterius ſignificantia internum conſenſum; poſſunt enim hæc verba dupliciter conſiderari, primò ut exprimunt mutuam traditionem, qua quilibet tradit alteri corporis ſui poteſtatem; & ſub hac ratione verba vel nutus dicuntur materia matrimonii ſumpti actualiter, ſeu ut actu producit vinculum, quod ſe habet conſequutive: ſecundò, ut exprimunt mutuam acceptationem, quatenus uterque acceptat traditionem ſibi ab altero factam de ſuo corpore, ſeu poteſtate in ſuum corpus quoad uſum matrimonii petendi, & exigendi, & ſub hac poſtrema conſideratione verba prolata ab utroque conjuge exprimentia conſenſum internum ſunt forma hujus ſacramenti matrimonii. Quia traditio eſt imperfecta, & exigit perfici, & per acceptationem perficitur, & completur: materia enim eſt quid imperfectum, & perfectibile, quod perficitur à forma, Et matrimonium ſimile Euchariſtiæ, quæ non ſolùm cum fit, ſed etiam in facto eſſe, & dum permanet, eſt ſacramentum, quamdiu enim conjuges vivunt, ſemper eorum ſocietas eſt ſacramentum. Hinc ſi matrimoninm conſideretur, dum fit, tota ejus eſſentia conſiſtit in ſignis exprimentibus mutuum conſenſum, nam congrua non concurrunt niſi ut materia circa quam, & idem videmus in aliis contractibus: nam cum venditur, aut emitur ager, vel equus, tota ratio contractus illa eſt in mutuo conſenſu vendentis, & ementis agrum: ager autem eſt materia, circa quam verſatur contractus, & non eſt pars ulla intrinſeca contractus: ſed quia verba unius conjugis determinant verba alterius, & ab illis pariter determinantur; ideo in iiſdem verbis diſtinguitur materia, & forma; verba enim quatenus determinant verba alterius, per acceptationem traditionis, dicuntur forma, quatenus verò determinant, dicuntur materia, quia exigunt perfici, ac determinari à verbis alterius: & ita docet D. Thomas *loc. cit.* Verùm ſacramentum matrimonii hoc pacto conſideratũ in fieri magis proprio dicitur matrimonium cauſativè, quatenus illud fieri, eſt, quo fit matrimonium formaliter, quod in facto eſſe importat vinculum, quo mas, & fœmina ſimul remanent conjuncti, ſimulq; obligati ad reddendũ debitum, ſeu uſum matrimonii alteri illud petenti, ut ſint duo in carne una, qua pacto repræſentant conjunctionem Chriſti cùm eccleſia: ſicut in Euchariſtia peracta conſecratione remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſymbolum ſenſibile externum interni alimenti ſpiritualis,

Ratio itidem eſt, quia in contractibus civilibus traditio, ut facta per ſignum ſenſibile, habet rationem materiæ, & acceptatio verbis expreſſa habet rationem formæ, ſed matrimonium in ratione contractus non differt à reliquis contractibus civilibus; neq; ut ſacramentum diverſam habet materiam, aut formam à ſe ipſo, ut eſt contractus: ergo in matrimonio eadem verba, & ſigna conjugum exprimentia mutuum conſenſum, quatenus ſunt traditio corporum, ſunt materia, & quatenus ſignificant acceptationem eorundem ab utroque conjuge, ſunt forma: major liquet, quia id habet rationem materiæ, quod ſe habet per modum determinabilis; & rationem formæ, quod ſe habet per modum determinativi: in contractibus civilibus, traditio ſe habet per modum determinabilis, quia completur, & perficitur per acceptationem, quæ ſe habet per modum determinativi; ergo traditio facta per ſignum ſenſibile habet rationem materiæ, & acceptatio rationem formæ, quia determinat, ac complet traditionem ad rationem contractûs: & quamvis in aliquo caſu traditio videatur complere acceptationem, ut cùm quis vult prius habere dono equum ab amico, & hic poſtea ei donat, hoc tamen per accidens procedit; quia regulariter, & per ſe traditio præcedit, & inchoat contractum, & acceptatio perficit,

Digitized by Google

deprædicatur præstantior, perfectiorque statu matrimonii, ait enim Christus *Matth.* 19. *Sunt Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum, qui potest capere capiat*, & Apostolus 1. *ad Corinth.* 7. scribit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis; igitur qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.*

Neque obstat, Deum sub mundi exordio benedixisse nuptias, & dixisse protoparentibus crescite, & multiplicamini, quia id tantùm eò spectat, ut declaret, institutionem matrimonii esse juxta naturam, non verò præceptum nubendi omnibus, & singulis injunxisse hominibus, illa enim benedictio fuit non præceptum, idque ex eo clarè evincitur, quia non solum hominibus, sed etiam bestiis incapacibus præcepti dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; unde *Genes.* 2. fuit tantùm quædam benedictio, ad promovendam fœcunditatem tàm in hominibus, quàm in bestiis, non verò præceptum, cujus bruta animalia non erant capacia. Præterea quia post diluvium etiam Deus ad Noë, ejusque filios eadem dixit verba: *Crescite, & multiplicamini*, tametsi constet Noë, post diluvium nullam genuisse prolem, ex quibus clarè constat, per præfata verba Deum non injunxisse omnibus, & singulis hominibus præceptum nuptias contrahendi, sed tantùm fuisse impertitum largitionem fœcunditatis, & benedictionem, ait enim Sacer textus: *Benedixitque Deus Noë, & filiis ejus.* Verum tamen est, quod sub mundi primordiis tenerentur omnes ad nuptias, donec ad justam multitudinem genus humanum excresceret: quia sicut naturæ præceptum est, ut quisque propriæ valetudini consulat, ac saluti corporis per sumptionem alimentorum, & quietem, somnumque post exantlatos diurnos labores; ita præceptum est, ut saluti etiam, & conservationi speciei humanæ consulatur per filiorum generationem: hoc autem præceptum non obligabat omnes, & singulos homines ad nuptias contrahendas, & gignendos filios, cùm plures in lege naturæ, & sub mundi initiis filios non genuerint, satis enim erat, si potior hominum pars nuptias contraheret, ut etiam nunc ad rem publicam pertinet, ut non desint, qui nuptias contrahant, & liberos gignent, ut in Successoribus Respublica conservetur.

Rursus præceptum erat matrimonium singulis pertinentibus ad populum Dei, eò quia populus ille multiplicandus esset. Quod non omnes usi fuerint matrimonio, plura ostendunt documenta, præsertim Josuë, Eliæ, Elisæi, & Jeremiæ Prophetæ, qui sine injuria legis divinæ, & naturalis vixerunt cœlibes, & castitatem excoluerunt, quapropter *Isa. cap.* 56. Eunuchis, legem suam servantibus, promittit locum in domo sua, & Eunuchorum nomine significantur homines cœlibes, continentes, & culturæ castitatis addicti quinimo *Sapient.* 3. laudatur castitas nescia conjugalis thori: *Quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum; & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem. Dabitur illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.* Constat etiam ex Josepho Essenos cœlibatum custodivisse, ac castitatis studio laudatos fuisse. Cæterum quamvis legamus *Exodi* 23. & *Deuteronom.* 7. sterilem non futurum quemquam in terra Israël, id non fuit præceptum, sed tantùm promissio, quâ fœcunditatis benedictio promittebatur conjugibus servantibus Dei mandata. Præterea, quia steriles non dicuntur, qui studio continentiæ non ineunt conjugium, sed qui conjugio usi liberos habere non possunt, & propterea hæc sterilitas probro vertebatur, ac vitio naturæ, in quo sensu S. Elisabeth *Luc.* 1. dixit: *Dominus respexit auferre opprobrium meum*, scilicet sterilitatem, qua laborabam, & non poteram filios gignere, demum nuptias non fuisse omnibus, & singulis præceptas, ex eo itidem clare constat, quia Joannes Baptista cœlebs vixit, & suos Discipulos ad vitam cœlibem ducendam hortatus fuit, quòd non permisissent Judæi, si nuptiæ fuissent sub præcepto, Christus etiam Discipulos selegit, qui cœlibatum servarent: si antea uxorem habuerint.

Cæterum, qui non possunt se continere, melius est, quod matrimonium ineant, imò & tenentur ad fugienda peccata, quæ alias committerentur, ut asserit S. Augustinus *lib. de bono conjugali cap.* 10. ubi etiam adfert Apostolum 1. *ad Corinth.* 7. ubi continentiæ consilium non capientibus injungit, ut debeant uxorem ducere, ait Augustinus: *Mihi videtur hoc tempore eos solos, qui se non continent, conjugari oportere, secundùm illam Apostoli sententiam: quod si se non continent, nubant: melius enim est nubere, quàm uri.* Hinc conjugium, quod ante lapsum hominis naturæ tantum erat officium, post lapsum factum incontinentiæ remedium. Hoc idem etiam confirmat S. Gregorius *part.* 3. *pastoralis cap.* 28. ubi ait: *Peritus medicina cœlestis Apostolus, non tam sanos instituit, quam infirmis medicamenta monstravit, dicens: De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, & una quæque suum virum habeat. Qui enim fornicationis metum præmisit, profecto non stantibus præceptum contulit; sed ne fortasse in terram, lectum cadentibus ostendit.* Qui verò continentiam voverunt, & sentiunt concupiscentiæ carnalis stimulos, seque excitari ad nuptias, hi tenentur per fusas preces, & alia pia opera, præsertim per macerationes carnis, & usum cilicii, abstinentiæ, flagellationis, donum continentiæ à Deo impetrare nec iis, licet remedium adhibere nuptiarum, cùm votum emissum teneantur servare, licet enim votum liberè emittatur, ejus observantia sequitur necessariò, ut docet D. Augustinus *lib. de bono viduitatis cap.* 9. ait: *Sed quoniam, sicut ait Dominus, non omnes capiunt verbum hoc: qua ergo potest capere, capiat, & qua se non continet, nubat, qua non capit, deliberet, qua aggressa est perseveret: Nulla Adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio. In conjugali quippe vinculo; si pudicitia conservatur, damnatio non timetur, sed in viduali, & virginali continentia excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita, & electâ, & voti debito oblata, jam non solùm capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle, damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus non ait: Cum in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed nubere volunt habentes (inquit) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Et si non nubendo, tantùm volendo, non quia ipsæ nuptiæ, vel talium voluntas damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio ab bono inferiore, sed ruina ex bono superiore: postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia conti-*

nentia

nentia primam fidem irritam fecerunt. Hinc qui continentiam voverunt, & sentiunt se ad nuptias excitari, tenentur ferventer oratione perseverante à Deo illam petere, carnalis concupiscentiæ coërcere stimulos, jejuniis, vigiliis, flagellationibus, ciliciis, ac aliorum bonorum operum exercitationibus, sunt enim hæc arma peridonea carnis petulantiæ prosternendæ. Quòd si conjuges à mutuo consensu, & usu matrimonii impediuntur ob diuturnitatem morbi, vel necessariam absentiam alterius conjugis, vel ob justam divortii causam separentur à thoro, tenentur omnino continentiam servare, nullumque quærere à carnali commercio remedium. Idque edisserit D. Augustinus *lib. 2. de adulterinis conjugiis cap.* 19. ubi ait: *Quod facere deberent, si haberent conjuges diuturno languore marcescentes vel loco sibi inaccessibili absentes, vel animositate illicita continentes, hoc faciant, si habuerint conjuges adulterina inquinatione sordentes, & propter hoc à suo consortio divortiantes: non alia quærant conjugia, quia non erunt conjugia, sed adulteria. Non eos terreat sarcina continentiæ: levis erit, si Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à jubente, quod jusserit. Non eos frangat, quod videtur eorum continentia necessitatis esse, non voluntatis. Quia & illi, qui eam voluntate delegerunt, fecerunt esse necessitatis, quoniam sine damnatione ab illa deviare non possunt. Et qui in eam necessitatem contrusi sunt, faciunt eam esse voluntatis, si non de se ipsis, sed de illo, à quo est bonum omne, confidunt. Illi ad eam conscenderunt causa majoris gloriæ, ut aliquid amplius invenirent. Isti ad eam confugerunt cura salutis novissima, ne perirent. Utrique permaneant, utrique, in quod pervenerunt, ambulent usque in finem, ferveant studiis, supplicent votis. Quia & illis salus cogitanda est, ut ab eo, quod voluntas arripuit, cadere timeant; & istis, gloria desperanda non est, si in eo quod necessitas intulit, persistere diligant. Fieri enim potest, ut Deo terrente, & hortante, convertente, & implente humanus in melius mutetur affectus. Atque ita voveant sine conjugio, & sine ullo concubitu, atque immunda libidinis attrectatione perseverantissimè vivere, ut etiamsi separata conjugia locum ducendi alias moriendo aperuerint claudatur ex voto, quod patet ex licito, & quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum.*

Nuptiæ igitur, quamvis honestæ sint, ac bonæ per se, si tamen contrahantur ad alium finem præter ipsum, ob quem institutum est matrimonium, scilicet ob gignendos filios, & ob alias rationes, propter quas à Deo institutæ sunt, fiunt malæ, ut fuit declaratum in Concilio Coloniensi anno 1536. ubi *cap.* 12. dicitur: *Cùm matrimonium ante lapsum Adæ propter procreandos liberos institutum, & benedictione Dei firmatum sit, nec ratio conjunctionis, seu benedictio post lapsum defecerit; sed tantum, quod sanis potuit esse officium, id ægrotis factum etiam sit remedium, dum utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut ait D. Paulus 1. Corinth. 7. Unusquisque uxorem suam habeat propter fornicationem scilicet vitandam: monendi sunt, qui matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipsos huc rapiat, ut sit honorabile conjugium, ac cubile impollutum. Nam si neque ad prolem suscitandam, neque ad fornicationem vitandam, sed potius divitiarum, aut opum nanciscendarum, aut alterius rei gratia matrimonium contrahatur, perperam agitur, ac graviter in Sacramentum peccatur. Hic quæ Tobiæ 6. 7. & 8. scribuntur enarrari, proponi, ac doceri, conveniet. Ubi locus pulcherrimus est exemplo commonstrans: quemadmodum bona uxor donum Dei sit debitum timente Dominum: quomodo in timore Dei à parentibus non luxuriæ causa, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei in sæcula petenda; quo pacto conjugii conscriptione facta tradenda: quemadmodum etiam convivium nuptiale cum laude, & benedictione Dei agendum: denique quomodo precandus sit Deus per conjuges, ut benedictionem suam in ipsos, quos conjunxit, impleat.* Hoc idem etiam asseritur in Catechismo Romano, ubi explicantur causæ, quibus mas & fœmina debeant conjungi, quarum prima est diversi sexus naturæ instinctu concupita societas, mutuique auxilii spe conciliata, ut alter alterius ope adjutus vitæ incommoda facilius gerat, & senectutis imbecillitatem sustineat, secunda est appetitus gignendi liberos, non ob eam tantùm causam, ut hæredes bonorum temporalium, & divitiarum relinquant sui successores, quàm ut veræ fidei, ac religionis cultores instituantur, ut habetur *Tobiæ 6. Accipies virginem cum timore Domini amore filiorum magis, quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Tertia est, quia sicut homo post primi parentis lapsum originalem justitiam amisit, cœpitque appetitus inferior, seu concupiscentia carnis repugnare rectæ rationi; ne in carnis hac pugna succumberet, remedium matrimonii exhibitum ei fuit, ad vitanda libidinis peccata, dicente Apostolo 1. *ad Corinth. 7. Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat; & unaquæque suum virum habeat.* Ut igitur fideles Christiani ritè matrimonium ineant, debent prius per pluries fusas preces Dei voluntatem disquirere; non victi libidine, sed stimulati pietate; adeo ut imitentur veteris testamenti Patres, quoad intentionis puritatem in ducendis uxoribus; *qui*, ut ait D. Augustinus *lib. de bono conjugali cap. ult. non propter hoc sæculum; sed propter Christum parentes fuerunt.* Fideles Christiani ita nuptias contrahant, & filios habeant, ut illos Christo lucrentur; instituantque in disciplina, & timore sancto DEI, ut illi sua jugiter præstent obsequia; nunquam offendant.

Partitionem quod attinet matrimonii, hoc dividitur in legitimum, ratum, & consummatum. Dicitur matrimonium legitimum, quia est secundùm leges gentium, sicut sunt matrimonia, quæ contrahunt Judæi, Pagani, Turcæ, aliique infideles, qui non sunt in tali statu capaces Sacramentorum; propterea talia matrimonia sunt puri contractus humani inducentes obligationem inter marem, & fœminam simul cohabitandi, simulque reddendi debitum quoad usum matrimonii, ut habetur *in cap. Quanto, & in cap. Gaudemus. de divortiis*, & hoc matrimonium pertinet tantùm ad officium naturæ, ut docet D. Thomas, non ad rationem Sacramenti, & quamvis in lege veteri Judæorum matrimonia fuerint præstantiora, majorique prædita sanctitate, quàm illa Paganorum, & aliorum infidelium eò quia Judæi promissionem acceperint, fore aliquando, ut omnes gentes in semine Abrahæ benedicerentur, ac propterea uberius pietatis officium esset apud Hebræos filios procreare, eò quia ex iisdem esset nasciturus Christus Salvator mundi, nihilominus adhuc matrimonia Judæorum caruerunt ratione Sacramenti, & tantùm fuerunt humani contractus, inducentes obli-

Digitized by Google

obligationem simul cohabitandi. Matrimonium ratum dicitur, quod ab Ecclesia est approbatum, & hoc propriè contrahitur inter Christi fideles legitimè contrahentes, & de isto S. Ambrosius *can Cave. causa 28. quæst. 1.* ait: *Cave, Christiane, gentili, aut Judæo filiam tuam tradere: cave gentilem, aut Judæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua accersas tibi*, prohibetur enim, ne fidelis Christianus nuptias contrahat cum infideli, sive sit Judæa, vel gentilis. Matrimonium consummatum est, quod interveniente carnali copula facit, ut *duo sint in carne una, & jam non sint duo, sed una caro. Genes. 2. Matth. 19.* & hoc dicitur perfectum matrimonium quantum ad significationem, quia quoad vinculum, matrimonium est perfectum ante copulam, per solum contractum, quo simul obligantur sponsus, & sponsa, seu quoad vinculum, quod remanet ex præstito consensu ab utroque sponso, hic enim contractus sanctus est, eò quia à Christo elevatus ad sanctitatem Sacramenti: imò tantò est sanctius, quantò magis distat à carnali conjunctione: non tamen quoad significationem est ita perfectum sicut matrimonium consummatum, quia non significat ea omnia, quæ ab ista per carnalem copulam significantur, siquidem matrimonium ante copulam significat quidem charitatem, quæ consistit in conjunctione Dei cum anima justi, juxta illud Apostoli: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Post copulam autem significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est ejus corpus mysticum, & suam sponsam, quam sibi desponsavit per incarnationis mysterium, ut docet Innocentius III. *cap. debitum. de bigamis non ordinandis*, ubi Pontifex ait: *Cum duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum, & commistio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum, & justam animam, ad quod pertinet illud, quod ait Apostolus: Qui adhæret Deo unus spiritus cum eo, reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, & Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Evangelista testatur: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Certè conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum, juxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplastus, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo Patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: statim subjungit, hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia.* Quamvis matrimonium consummatum quoad significationem sit perfectius rato: non propterea consummatio est de essentia matrimonii, quod in ratione vinculi perfectissimum est, tametsi nulla interveniat carnalis copula, qualem certum est non intercessisse inter Deiparam Virginem, & S. Josephum, quem Evangelista vocat virum Mariæ, & nihilominus fuit verum, & perfectissimum matrimonium, ut docent omnes Catholici, & nihilominus fidei dogma est, Beatam Virginem nunquam virum cognovisse, & illibatam virginitatem perpetuò servâsse, ut etiam præ cæteris Sanctis Patribus luculenter ostendit S. Augustinus *lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. Quibus verò placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur. imò firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ carius, concordiusque servanda sunt voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum, neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatur ex prima fide sponsationis quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa Virgo, ideo & sanctius, & mirabilius jucunda suo viro, quia etiam fœcunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa mater, verùm etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus. Utrumque mente, non carne.* Et infra: *Sed cum ille non seminante illa peperisset, profectò nec ipsius forma servi ambo parentes essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent.*

C A P U T XI.

De matrimonio, ut elevato à Christo ad rationem Sacramenti.

HÆretici plura finxerunt circa matrimonium & crassè erraverunt, cùm eorum plures asseruerunt matrimonium esse figmentum Sathanæ, proinde illicitum, & alii etiam communes faciebant uxores promiscuam cum ipsis habentes commixtionem. Lutherani verò, & Calvinistæ, quamvis matrimonium à DEO esse fateantur, negant tamen esse Ecclesiæ Sacramentum, contra quos asserendum est, matrimonium esse verum, ac proprium novæ Legis Sacramentum à Christo institutum, & id esse fidei dogma: Siquidem D. Paulus *ad Ephes. 5.* vocat matrimonium Sacramentum: inquiens: *Sacramentum hoc magnum est, ego dico, in Christo, & in Ecclesia*, seu ut habetur in textu Græco, *in Christum, & in Ecclesiam*: ac si dicat: matrimonium esse magnum Sacramentum, quatenus repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ verba Apostoli expendens S. Augustinus *lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 21.* ait: *Hoc Sacramentum in Christo, & Ecclesia magnum, in singulis quibusque viris, atque uxoribus minimum; sed tamen conjunctionis inseparabilis Sacramentum*, quibus verbis docet matrimonium esse Sacramentum, quatenus Christi cum Ecclesia significat conjunctionem: minimum verò in dignitate, si conferatur cum aliis Sacramentis, unde & ultimo loco enumeratur, & allusit Paulus ad id, quod jam notaverat, *quòd homo relinquat patrem, & matrem, & adhæreat uxori suæ.* Est magnum Sacramentum, quia est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut edisserunt Sancti Patres.

Hære-

Hæretici tamen putant, Catholicos decipi, ex verſione vulgata, quæ hoc loco reddidit, *Sacramentum*, cùm debuiſſet reddere *myſterium*, eò quia idem ſit græcè *myſterium*, ac latinè *Sacramentum*. Neque potuit Paulus, qui græcè ſcripſit Sacramentum aliter exprimere, quàm græco vocabulo *μυστήριον*, Græci enim Sacramenta vocant myſteria, ut etiam myſteria corporis Chriſti vocant Sacramentum Euchariſtiæ; verùm falſum eſt, Catholicos ex ſola voce Sacramentum hic poſita inferre matrimonium eſſe Sacramentum propriè dictum, quia in pleriſque aliis locis utriuſque teſtamenti habetur eadem vox, ut *Tobiæ* 12. *Daniel.* 2. *ad Coloſſ.* 1. 1. *ad Timoth.* 3. *Apocal.* 1. & in hac epiſt. *ad Epheſ.* & tamen ex nullo horum locorum novum aliquod colligunt Sacramentum, unde non ex hac voce tantum probant Catholici, matrimonium eſſe Sacramentum, ſeu integram ejus habere rationem, ſed probant, eſſe Sacramentum, eò quia ſit ſignum, ſeu ſymbolum aliquod ſacrum, & non contractum merè civilem, & naturalem. Præterea quia Apoſtolus accommodat verba hæc: *Sacramentum hoc magnum*, conjugio humano maris & fœminæ: Hæretici contendunt magnum arcanum vocari conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, ex quo inferunt, matrimonium hoc in loco non vocari ſignum, ſeu ſymbolum, proinde nolunt accipi pro ſigno rei ſacræ, ſed pro ipſa re ſacra, & arcana, idque ex eo deducunt, quia Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. *Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, & quia nullum eſt myſterium, ut ait Eraſmus, ſi viro uxor jungatur, cùm id quotidiè fieri conſpicimus. Sed falluntur, habent enim contra ſe omnes SS. Patres, & Doctores Interpretes D. Pauli *ad Epheſ.* 5. Præterea, quia pronomen *hoc*, demonſtrat, quod præceſſit ſcilicet matrimonium Adæ, & Evæ verbis illis explicatum; *Propter quod relinquet*, quaſi dicat Apoſtolus, quod vir adhæreat uxori ſuæ, hoc magnum eſt Sacramentum.

Alii etiam probant, matrimonium eſſe Sacramentum novæ Legis, ex *Matth.* 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, verùm ibi Chriſtus reducit matrimonium ad primævum ſtatum, & ſcindit polygamiam, ac rejicit libellum repudii, propterea ait: Ab initio non fuit ſic, ſed maſculum, & fœminam creavit eos, quaſi dicat unum, & unam Deus conjunxit inſeparabiliter ad excludendam diſſolubilitatem hujus vinculi, & libellum repudii, dixit Chriſtus, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, unde ſaltem textus petitus *ex Matth.* 19. non ita clarè probat matrimonium eſſe Sacramentum, ſicut Apoſtolus *ad Epheſ.* 5. Probatur etiam ex SS. Patribus, Tertull. *lib. de anima cap.* 21. *lib. de Monogamia cap.* 5. & *lib. de præſcript. cap.* 30. ubi expreſsè vocat matrimonium Sacramentum, D. Ambroſius *lib.* 1. *de Abraham cap.* 7. ait: *Deum eſſe veluti præſidem, cuſtodemque conjugii &c. cumque, qui conjugis thorum polluit, peccare in Deum, ejuſque gratiam ſolvere, ac Sacramenti cæleſtis amittere conſortium.* Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap.* 18. ait: *In noſtrorum nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri*, & *lib. de fide & operibus cap.* 7. ait: *In Eccleſia nuptiarum non ſolùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere.* Patres Græci idem agnoverunt matrimonium in lege Evangelica eſſe verum Sacramentum, ut S. Ignatius Martyr *epiſt. ad Philipp.* Juſtinus *in oratione ad Antoninum Pium*, Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *ſtromat.* Origenes *homil.* 11. *in Exod.* Athanaſius *ſerm. in Hæret.* Baſilius *lib. de virginitate cap.* 8. & D. Chryſoſtomus *homil.* 20. *in cap.* 5. *ad Epheſ.* ait: *Quid eſt magnum myſterium in Chriſto, quomodo & ipſe dimiſſo Patre deſcendit, & venit ad ſponſam, & factus eſt in ſpiritum unum*, pulchrè dixit, magnum eſt myſterium, perinde ac ſi diceret, eſt allegoria, hinc quamvis ante Chriſti adventum matrimonium non fuerit Sacramentum, poſt tamen Chriſti adventum, ſi initum ſit inter fideles, adeo eſſentialiter eſt Sacramentum, ut fideles non poſſint illud contrahere in ratione contractus, quin etiam illud celebrent in ratione Sacramenti. Ratio potiſſima eſt, quia Chriſtus inſtituit, ut matrimonium inter fideles initum ſit Sacramentum, ſicut definiunt Concilia, ſed Chriſti inſtitutionem nemo poteſt mutare, conſequenter nemo poteſt efficere, ut illud ſit verum matrimonium, & non ſit Sacramentum, alioquin etiam Epiſcopus poſſet conferre Ordines, & non conferre Sacramentum: pari pacto poſſet quilibet ſine peccato velle contrahere matrimonium in ratione ſimplicis contractus, non in ratione Sacramenti: ſi enim hæc duo poſſunt ſeparari, cùm non appareat præceptum illa non ſeparandi, poſſet quilibet pro ſuo libito ea ſeparare. Matrimonium verò inter duos infideles initum non eſt Sacramentum. Ratio eſt manifeſta, quia nemo eſt capax Sacramentorum Eccleſiæ, niſi ſit membrum Eccleſiæ, & non poteſt quis conſtitui membrum Eccleſiæ, niſi per baptiſmum, qui eſt ſola janua, per quam infideles ingrediuntur Eccleſiam.

Demum Concilium Florentinum hoc idem fidei dogma declaravit, ut etiam Tridentinum *Seſſ.* 24. ubi hæc veritas definitur de fide *cap.* 1. *Si quis dixerit, matrimonium non eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre, anathema ſit*, & deſumitur etiam ratio hujus dogmatis fidei, ex ipſa indiſſolubilitate matrimonii; germana enim ratio, cur vir infirmam, aut ſterilem uxorem nequeat dimittere, & aliam ducere, hæc aſſignatur, quia ſcilicet inter Chriſtianos matrimonium eſt ſymbolum unionis individuæ Chriſti cum Eccleſia, ſed hoc perinde eſt, ac eſſe Sacramentum, quia eſt ſignum rei ſacræ. Præterea, quia ante baptiſmum, qui eſt janua, per quam quis ingreditur Eccleſiam, fitque capax Sacramentorum, Apoſtolus permittit conjugatis ſeparationem, non verò fidelibus 1. *Corinth.* 7. *Quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro reconciliari*; & iterum alligata eſt legi, quamdiu vivit vir ejus; & id aſſerit ordinatum eſſe à Chriſto, cùm dicat: *Præcipio non ego, ſed Dominus*, eſſe autem ſignum rei ſacræ, dicit formalem rationem Sacramenti; propterea inficiari non poſſumus, quin matrimonium ſit propriè, & verè Sacramentum novæ Legis, ex eo autem, quod vinculum matrimonii ſit indiſſolubile, obligatur quodammodo Deus ad gratiam conferendam, quæ jugum matrimonii alleviet, ac libenti animo toleretur, alioquin deterioris conditionis eſſet fidelium matrimonium, quàm Ethnicorum, qui plures uxores ducebant, repudiantes etiam eam, quæ iiſdem minus placeret.

Poteſt etiam hæc veritas evinci ex eo, quod matrimonium inſtitutum eſt etiam in remedium ægrotis, ut aſſerit Auguſtinus *lib. de bono viduitatis*

cap. 8. atqui non poſſet eſſe in remedium, niſi aliquam haberet efficaciam: quòd ſi habet aliquid efficaciæ ad recipiendam concupiſcentiam, utique habet efficaciam conferendi gratiam, quâ concupiſcentia coerceatur: neque urget, quod reſpondent aliqui, hanc gratiam id præſtare, ut quis recedat à malo, in quantum conſtringit concupiſcentiam, ne extra bona matrimonii feratur, non autem quòd det auxilium aliquod ad benè ſupernaturaliter agendum. Sed contra eſt, quia eadem gratia, quæ impedit peccatum, quæque ad bonum honeſtum inclinat: utrumque præſtat: ſicut idem calor, qui frigus depellit, & ſubjectum, cui inhæret, calefacit. Quamobrem matrimonium, quatenus contrahitur à fidelibus Chriſtianis, confert gratiam adjuvantem ad ea agenda, quæ in matrimonio requiruntur, ſiquidem, ubi datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia, quibus poſſit homo convenienter uti tali facultate: & cùm in matrimonio detur homini ex divina inſtitutione facultas utendi ſua uxore ad prolis procreationem, datur etiam gratia, ſine qua id præſtare convenienter non poſſit.

Quòd ſi dicas, Sacramenta novæ legis id efficere, quod ſignificant, ac præfigurant, & matrimonium præfigurare, ſed non efficere conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, conſequenter non eſſe Sacramentum. Contra eſt, quia unio Chriſti ad Eccleſiam non eſt res contenta in hoc Sacramento, ſed res ſignificata, & non contenta, & talem rem nullum Sacramentum efficit, ſed habet aliam contentam rem, & ſignificatam, quam efficit, nimirùm ipſam gratiam; in matrimonio reperiuntur Sacramentum tantùm, res tantùm, & res & Sacramentum ſimul. Sacramentum tantùm eſt illa ſenſibilis obligatio, quæ reſultat in contrahentibus matrimonium ex ipſo libero conſenſu interno, & exterius expreſſo per verba, qui conſenſus, cùm ſit tantùm cauſa hujus obligationis, quæ ſe habet per modum permanentiæ in eodem contrahente, ſequitur matrimonium formaliter conſiſtere in ipſa obligatione. Rurſus res tantùm eſt ipſa gratia, quæ cauſatur à Sacramento, & res, & Sacramentum ſimul poſſunt dici tria bona matrimonii, fides, proles, & Sacramentum, quod eſt ſignum rememorativum unionis Chriſti cum Eccleſia, & illius Paſſionis præmonſtrativum gratiæ.

Si dicas, nullibi in Scripturis legi, matrimonium eſſe divinitus inſtitutum ut ſignum ſacrum, ſed tantùm ut officium naturæ, ideoque dixiſſe Chriſtum *Geneſ.* 2. *Creſcite, & multiplicamini*, & benedixiſſe, quem benedictionem tantùm fuiſſe in ordine ad fœcunditatem inditam poteſtati generandi, & nihil conſtare de promiſſione gratiæ, quæ comitatur Sacramenta novæ legis. Sed contra, quia ex antecedente negativo nil concluditur, ex eo enim quòd non ſit in Scriptura, non ſequitur, matrimonium non habere hanc efficaciam conferendi gratiam, plura enim tradita ſunt ab Apoſtolis, quæ tamen ſacris Scripturis non conſtant. Hinc Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. ait: *Cùm matrimonium in Lege Evangelica præſtet veteribus connubiis, gratia per Chriſtum meritò inter novæ Legis Sacramenta adnumerandum, Sancti Patres, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt*: & nihil innuit de eâ Scriptura, quam non omiſiſſet, ſi expreſſè hæc ſuffragaretur huic veritati.

Si dicas, Eccleſiam non poſſe mutare, nec variare Sacramenta; neque iiſdem apponere quidquam, quod ſit de illorum eſſentia, & neceſſitate, neque quòd intrare poſſit: Sed Eccleſia de facto matrimonium immutavit: ergo non eſt Sacramentum. Major, & conſequentia tenent: minor oſtenditur: quia matrimonium clandeſtinum ante Concilium Tridentinum ratum, ac legitimum ab Eccleſia habebatur: & Eccleſia in eodem Concilio declaravit, non eſſe ampliùs validum, conſequenter illud immutavit; & cùm non poſſit irritare Sacramenta, quæ ſunt de jure divino, utpote inſtituta à Chriſto, ſequitur matrimonium non eſſe Sacramentum. Sed contra, diſtinguitur minor, Immutavit matrimonium in ratione Sacramenti, negatur: in ratione contractus, ſubdiſtinguitur; intrinſecè quò ad eſſentiam, negatur; extrinſecè quatenus eidem adjecit conditionem, quâ non ſervatâ, non ſit contractus validus, conceditur; & negatur conſequentia. In matrimonio duo conſiderantur, ratio contractus humani; & ratio Sacramenti: contractus conſiſtit in mutuo contrahentium interno, ac libero conſenſu, expreſſo exterius per verba ſignificantia internum, ac liberum conſenſum: & ratio Sacramenti eſt ſignum ſenſibile cauſativum gratiæ. Matrimonium ſub ratione contractus dependet ab Eccleſia, quæ ob bonum commune fidelium poteſt illi apponere aliquam conditionem, quâ non ſervatâ, non ſit contractus legitimus, conſequenter neque Sacramentum: quia Chriſtus non elevavit ad rationem Sacramenti quemcunque contractum matrimonii, ſed tantùm illum, qui ab Eccleſia ratus, ac legitimus habetur. Præterea poteſt Eccleſia declarare illas perſonas eſſe tantùm capaces validè contrahendi, quæ ſervaverint conditionem appoſitam contractui: aliàs verò non eſſe capaces validè contrahendi; non enim omnes perſonæ ſunt capaces validè contrahendi; alioquin Pater & filia poſſent matrimonium validè contrahere; pertinet ad Eccleſiam determinare, ac declarare perſonas capaces contrahendi matrimonium, ut etiam qui contractus habeatur ratus, & legitimus: Chriſtus enim hoc non declaravit, ſed præſuppoſito contractu humano legitimo inito inter legitimas perſonas, illum elevavit ad rationem Sacramenti. Cùm igitur Synodus Tridentina ad removenda plura incommoda, & ut conſuleret utilitati communitatis, appoſuit contractui matrimonii hanc conditionem, ut ſi non celebretur in facie Eccleſiæ, ſeu coram Parocho, vel Sacerdote ex ejus commiſſione, & duobus teſtibus, vel tribus, non habeatur ratus, & legitimus; conſequenter non participet rationem Sacramenti, cùm Chriſtus tantùm elevaverit contractum legitimum, & quia ante Concilium Tridentinum contractus matrimonii etiam ſine tali conditione habebatur ab Eccleſia legitimus, ideo tunc erat Sacramentum; non poſt tale Concilium.

Dices, ſine baptiſmo nemo eſt capax Sacramenti propriè dicti: ſed homo non baptizatus eſt capax matrimonii, ut Pagani & alii infideles non baptizati: ex quo inferunt Hæretici, matrimonium non eſſe Sacramentum: Sed contra diſtinguitur, minor eſt capax matrimonii, ut eſt officium naturæ, conceditur, ut eſt Sacramentum, negatur. Matrimonium Infidelium, ut Judæorum, Paganorum, quamvis non ſit Sacramentum, eſt nihilominus verum matrimonium, quamvis non inſolubile, ut docet D. Thomas *in 4. ſent.* quia inſolubilitas eſt effectus Sacramenti. Matrimonium, ut eſt officium naturæ, non conſiſtit in ipſa copula, quæ tantùm eſt pars integralis, quia quod eſt poſterius alio, nequit eſſe de eſſentia illius, quia illud ſupponit jam conſtitutum in ſuo eſſe: & uſus matrimonii ſupponit

ipſum

Digitized by Google

ipſum matrimonium: quod conſiſtit in mutua traditione, ſeu in mutuo conſenſu, quo unus ex Sponſis acquirit jus petendi uſum matrimonii ab altero; hinc D. Ambroſius *in inſtit. virg. cap. 6.* ait: *Non defloratio Virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis*: uterque enim paciſcens de præſenti acquirit jus in corpus alterius: matrimonium enim exigit conſenſum in copulam, ad quam datur reciproca poteſtas, quamvis uterque poſſit renuntiare huic uſui, & exercere caſtitatem.

Conſtat igitur matrimonium ante Chriſtum, non fuiſſe Sacramentum propriè dictum; ſed tantum naturæ officium, & concupiſcentiæ remedium: conſequenter etiam matrimonium infidelium, non eſſe Sacramentum; quia ſolus baptiſmus eſt janua, qua baptizatus ingreditur eccleſiam, in qua ſola ſunt Sacramenta, ut declarat Innocentius *cap. Gaudemus. de divortiis.* Et *cap. Quanto. eod. tit.* ait apud infideles reperiri quidem matrimonium, non tamen ratum, quia careat ratione Sacramenti: & D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. ad 1.* ait: *Quamvis infidelibus non competat matrimonium, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpenſatione miniſtrorum eccleſiæ conſiſtens, competit tamen ei, in quantum eſt officium naturæ, & tamen matrimonium tale eſt aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eò quod actu non contrahunt in fide eccleſiæ.* Matrimonium autem inter fideles initum eſt verum Sacramentum cauſativum gratiæ, eſtque dogma fidei declaratum in Concilio Tridentino, ubi ait: *Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, meritò inter novæ legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis eccleſiæ traditio ſemper docuerunt.* Per hanc enim gratiam fit, ut vir, & uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia quieſcat, & alienos illicitos amores non quærat, ſed in omnibus ſit connubium honorabile, ac thorus immaculatus, & ut inordinati motus concupiſcentiæ coerceantur, ac uſus matrimonii ſit moderatior; hinc D. Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap. 5.* ait: *Ad hoc nuptiæ ſunt, ut illa concupiſcentia redacta ad legitimum vinculum, non deformis, & diſſoluta fluitaret, habens de ſe ipſa irrefrænabilem carnis infirmitatem; de nuptiis autem indiſſolubilem fidei Societatem, de ſe ipſa progreſſum immoderatè coeundi, de nuptiis modum caſtè procreandi.* Rurſus per hanc gratiam cauſatam à Sacramento matrimonii fit, ut conjuges Chriſtiani prolem non tantùm, quæ naſcatur mundo, ſed quæ renaſcatur Chriſto, cui omnia ſua exhibeat obſequia, ait enim Auguſtinus *lib. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 17.* *In nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum, ſed proles non ut naſcatur tantùm, verùm etiam ut renaſcatur* (ſcilicet Chriſto per baptiſmum) *Naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam.* Rurſus hac gratia ſuſtulti conjuges inviolatam ac individuam ſibi vitam ſervant viciſſim; parentes prolem enutriant, ac ritè inſtituant: *In diſciplina, & correptione Domini*, ut loquitur Apoſtolus *ad Epheſ. 6.* & etiam onera, ac incommoda matrimonii ferant, quæ incommoda ſignificantur ab Apoſtolo *ad Epheſ. 6.* ſcribens de conjugatis: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi.* Quæ verò ſit hæc tribulatio, explicat D. Auguſtinus *lib. de Sancta virginitate cap. 16.* inquiens, conſiſtere hæc incommoda matrimonii, *in ſuſpicionibus Zeli conjugalis in procreandis filiis, atque nutriendis, in timoribus, & mœroribus orbitatis: quotus enim quiſque, cùm ſe connubii vinculis alligaverit, non iſtis trahatur, atque agitetur affectibus*, & ad hæc incommoda etiam accommodari poſſunt verba Davidis *Pſal. 40.* *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus, univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus*; Lectus autem doloris infirmitas eſt carnis, ut explicat D. Auguſtinus *in Pſal. 40.* ſed ad ferenda hæc omnia incommoda conducit gratia, quæ per Sacramentum matrimonii conjugatis confertur.

An verò matrimonium per Procuratores inter fideles abſentes contractum, ſit verè Sacramentum, Theologi ſimul non conſentiunt, quapropter conſultius ſemper erit, ſi matrimonium ita contrahentes, cùm primùm ſint præſentes, poſſintque ad invicem loqui, eumdem contractum ratum habeant, ac permittant iterari benedictionem nuptialem, ne fortè conſenſus fuerint interrupti, vel Sacramenti ratio tali matrimonio deſit; ſiquidem poterat contigiſſe, ut revocata fuerit procuratio, ignorante Procuratore, & fœmina, cum qua alterius nomine contraxit, in quo caſu matrimonium non ſolum non eſſet Sacramentum, ſed nec etiam contractus validus, ſed irritus, ut conſtat ex *cap. Procurator. tit. de Procuratorib. in 6.* ubi habetur: *Procurator non aliter cenſetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm ſi ad hoc mandatum habuerit ſpeciale.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Non poteſt deputare alium, niſi hoc ſpecialiter ſit commiſſum. Sanè ſi Procurator, antequam contraxerit à Domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipſe, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent, nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequivit.*

Ex dictis ſequitur, Chriſtianum non poſſe matrimonium contrahere, niſi cum una tantùm fœmina, adeo ut non poſſit ſimul plures habere. & polygamia omnino rationi matrimonii adverſetur, quia, cùm ſit hoc Sacramentum rememorativum unionis Chriſti cum Eccleſia, quæ una tantùm eſt in terris militans, ita Chriſtianus una tantùm ſponſa tenetur contentus eſſe, ut probat Concilii Tridentini Catechiſmus ex verbis illis Chriſti *Matth. 19.* *Non legiſtis, quia, qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, & poſtea ſubjungit: *Itaque non ſunt duo, ſed una caro*; quibus verbis clarè infertur à Deo inſtitutum eſſe, ut duorum tantùm, non plurium conjunctione definiretur, quia Deus non dixit, maſculos, & fœminas in plurali, ſed *maſculum, & fœminam*, neque dixit, *adhærebit uxoribus ſuis, ſed uxori*, Rurſus non dixit erunt tres, vel plures in carne una, ſed *duo in carne una*, unde ex Chriſti inſtitutione fideles unam tantùm fœminam poſſunt in uxorem ducere: & quidem perpetuò ſibi conjungendam, ut etiam declarat Innocentius III. Pontifex Maximus *in cap. gaudemus. de divortiis.* Hoc idem etiam evincitur ex verbis Chriſti *Matth. 19.* *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*, etenim, ſi viro liceret plures ſimul uxores ducere, nulla omnino cauſa eſſe videretur, cur magis adulterii reus dicendus eſſet, quod præter eam uxorem, quam domi haberet, aliam duceret, quàm quod priore dimiſſa cum alia conjungeretur, ut infert Innocentius III. *in citato cap. gaudemus de divortiis*, ubi ait: *Si ergo uxore dimiſſa duci alia de jure non poteſt, potiùs & ipſa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu, cùm non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam.* Judicat Innocentius, pares eſſe in matrimonio

con-

contrahendo virum, & mulierem, & ſicut mulieri non licèt plures habere viros, alioquin ſterileſceret, perinde ac meretrices, quod vergeret in exitium Reipublicæ, & extinctionem humani generis, ita non licet uni viro plures habere uxores, quamvis omnes eſſent fœcundæ, prolique gignendæ peraptæ; quia in matrimonio paritas ſervanda eſt, adeo ut, ſicut una mulier non poteſt nubere niſi uni viro, ita neque unus vir niſi uni mulieri, alioquin non daretur paritas, & ratio etiam deſumitur ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 7. ubi ait: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Uxori vir debitum reddat.* Tametſi pluralitas uxorum non deſtituat virum fœcunditate; nec adverſetur primario fini matrimonii, ſcilicet procreationi liberorum, ſicut repugnat huic fini pluralitas virorum reſpectu unius uxoris; adhuc tamen repugnat honeſtati, & juri conjugali, quia uxori fieret injuria, ſi corpus viri, cujus dominium habet mulier ex vi ipſius matrimonii, alteri traderetur. Finis ſecundarius matrimonii, quamvis non omnino tollatur per polygamiam, multum tamen impeditur, ſiquidem, ubi ſunt plures uxores in una, eademque familia, vix poteſt pax, & tranquillitas ſervari, ſicut enim, ſi plures inſtituantur in uno eodemque officio, hæc communicatio eſt cauſa invidiæ, diſſidiorum, rixarum, & odii, ita, ſi unus vir plures poſſet uxores ducere, lites inter ipſas orirentur, ut etiam continuæ rixæ, quibus pax omnis exularet. Hinc pluralitas uxorum eſt quodammodo contra legem naturæ, ut ediſſerit D. Thomas.

Rurſus hæc pluralitas uxorum adverſatur divino juri, & inſtitutioni Sacramenti, quod ita inſtitutum à Chriſto fuit, ut eſſet unius tantum cum una indiſſolubilis conjunctio, & rememorativum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ conjunctio ſignificat conjunctionem unius viri cum unica Sponſa caſtiſſima. Hinc lex illa Valentiniani Imperatoris, qua pluralitatem uxorum licitam eſſe declaravit, ad eum finem, ut Juſtinam vivente adhuc Severa conjuge ſibi in matrimonium ducere poſſet communi omnium conſenſu improbata fuit, ait enim Auguſtinus *lib. de Bono conjugali cap.* 7. *Poſſit enim homo dimittere ſterilem uxorem, & ducere, de qua filios habeat: & tamen non licet, & noſtris quidem jam temporibus, & more Romano, neque ſuperducere, ut amplius habeat quam unam vivam.* Hoc idem repetit *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 47. & pleriſque aliis in locis. Hinc ſi quiſpiam infidelis, qui patria conſuetudine plures duxiſſet uxores, & ad Chriſti religionem, fidemque Catholicam converteretur, eccleſia ſtatim ei injungeret, ut dimiſſis pluribus illis uxoribus, unam tantùm, ſeu primam, cum qua nuptias contraxerat retineret, & ut propriam, ac veram uxorem haberet, ut declaratur *in cap. Gaudemus, de divortiis*, quia contrarium ſentientes anathemate percutiuntur à Tridentina Synodo, quæ *ſeſſ.* 24. de matrimonio ait: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum, anathema ſit.*

Quòd ſi dicas, Patres veteris legis plures duxiſſe uxores, & tamen non perperam egiſſe contra legem naturæ, tametſi plures ex illis Patriarchis pietate, & ſanctitate plurimum fuerint commendati, & *Matth.* 29. electi dicantur moraturi cum Abraham, Iſaac, & Jacob, in regno cælorum, ait enim Chriſtus, fore, ut *electi recumbant cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cælorum*, ex quibus clarè infertur polygamiam non eſſe ex ſe, & ex intrinſeco ſui malam, nec ullum redolere vitium, alioquin, cùm David plures habuerit uxores, & graviſſimè fuerit punitus ob unicum adulterium patratum cum Bethſabea uxore Uriæ, fuiſſet itidem punitus per uſum matrimonii cum pluribus uxoribus, & tamen ob talem uſum non fuit punitus, eò quia polygamia eſt ex ſe licita, ſeu plures ſimul habere uxores. Nam contra eſt, reſpondetur, Monogamiam, ſeu legem de unitate uxoris eſſe quidem divinam, & naturalem, ſed ex earum numero, in quibus poſſit Deus diſpenſare, cùm de facto diſpenſaverit: ſiquidem quædam ſunt, quæ ad legem naturæ primariò pertinent cujuſmodi ſunt hæc Decalogi præcepta, Deus amandus eſt, parentes honorandi, vitandum homicidium, mendacium, furtum, & adulterium, in quibus non poteſt diſpenſatio cadere, hinc homicidium privata authoritate patratum, ut etiam adulterium, furtum, & mendacium ſunt per ſe ab intrinſeco mala, adeoque indiſpenſabiliter ſemper illicita. Alia verò, nonniſi ſecundariò pertinent ad legem naturæ, quæ, cùm per ſe mala non ſint, ſed eatenus mala, quia prohibita, Dei authoritate, & diſpenſatione licita fieri poſſunt, ut polygamiæ prohibitio, in qua Deus diſpenſavit ſub mundi initiis, & cum Patriarchis veteris legis, quibus conceſſit, ut plures uxores ducerent, ad propagationem populi Dei, & ſignificationem plurium myſteriorum: etenim myſterium in duabus uxoribus Abrahæ adumbratum fuiſſe, explicat Apoſtolus *ad Galat.* 4. ſcribens: *Tunc ipſius pietatis erat operatio etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio nuntia futurorum erat, & ad diſpenſationem propheticam pertinebat*, ut loquitur Auguſtinus *de Bono conjugali cap.* 17. Rurſus Patriarchis veteris legis ideo Deus conceſſit uxorum pluralitatem, quia, ut notat idem Auguſtinus *de bono conjugali cap.* 19. de ſuis nuptiis filios propter Chriſtum quærebant ad genus ejus ſecundùm carnem diſtinguendum ab omnibus gentibus, ſicut Deo diſponere placuit, ut hoc præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod prænunciabatur, ex quo etiam genere, & ex qua gente eſſet in carne venturus. Deum autem diſpenſâſſe cum Patriarchis illis veteris legis, quamvis ſcriptura expreſsè non fateatur, ex illa tamen infertur: ſiquidem illorum ſanctitati teſtimonium perhibet; neque illorum polygamiam unquam reprehendit, idque argumento, fuiſſe immunem ab omni culpa, quod non contigiſſet, niſi Deus diſpenſâſſet, quapropter D. Auguſtinus *lib.* 2. *contra Fauſtum cap.* 69. ait: *Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam; alia contra mores; alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob? ſi naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur: ſi morem illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur: ſi præceptum, nulla lege prohibebatur: nunc verò cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia moribus, & legibus id non liceat.* Oſtendit D. Auguſtinus polygamiam non fuiſſe contra legem naturæ, eò quia primis illis temporibus cum patriarchis Deus diſpenſaverit, licèt enim præciſa diſpenſatione non fuiſſet conſentanea legi naturæ, quia tamen non repugnavit mulierum fœcunditati, neque virorum generationi, Deus diſpenſavit, ut ſuus populus citiùs multiplicaretur, hinc polygamia nulla lege poſitiva tunc prohibebatur, nunc verò prohibita eſt Chriſtianis in lege evangelica, quia Dei populus ſufficienter jam multiplicatus fuit, & Chriſtus in terris natus. Rurſus neque polygamia in lege veteri

fuit

Digitized by Google

fuit contra mores, quia eo tempore recepta erat, & à Deo permiſſa: unde Patriarchis non poterat vitio verti, cùm divina diſpenſatione fuerit iisdem conceſſum, ut plures poſſent uxores ducere. Cæterum ſublata divina diſpenſatione nunquam licitum fuit, plures uxores ducere. Quòd autem Patriarchæ antiquæ legis cognoverint hanc DEI diſpenſationem cum ipſis factam, ex interna inſpiratione fuit illis id exploratum, quapropter Innocentius III. *in cap. Gaudemus de divortiis* ait: *Nec ulli unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum; per quam, ſicut Jacob à mendacio, Iſraelita à furto, Samſon ab homicidio, ſic, & Patriarchæ, & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur.* Hoc idem etiam evincit D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2.* inquiens: *Lex de unitate uxoris non eſt humanitus, ſed divinitus inſtituta, nec unquam verbo aut literis tradita, ſed cordis impreſſa, ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent, & ideo in hac à ſolo DEO diſpenſatio fieri potuit per inſpirationem internam, quæ quidem principaliter Sanctis Patribus facta eſt, & per eorum exemplum ad alios derivata eo tempore, quo oportuit, prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ, ſemper enim principalior finis magis conſervandus eſt, quàm ſecundarius: unde, cùm bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quòd poſſet in ſecundariis finibus evenire, ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur,* & in reſponſione ad 3. ait: *Qualis eſt lex, talis debet eſſe diſpenſatio legis, & quia lex naturæ non eſt literis ſcripta, ſed cordibus impreſſa; propter hoc non oportuit diſpenſationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege ſcripta dari, ſed per internam inſpirationem fieri.*

Culpanda igitur non fuit Patriarcharum veteris legis polygamia, cùm plures polygami præſtantiores fuerint, ac commendatiores multis monogamis Legis Evangelicæ, tametſi continentia ſit matrimonio excellentior, ſi enim perſonam Abrahami polygami pluribus non ſolùm monogamis, ſed etiam qui continentiam profeſſi vitam cælibem egerunt, comparantes iſtis præponendus erit Abraham: quia non externum opus, ſed animi propoſitum conſiderandum eſt; ſeu ut ait D. Auguſtinus animi habitus ſpectandus eſt, in quo virtus potius conſiſtit, quàm in opere. Si igitur conſideremus habitum continentiæ in Abrahamo polygamo, in illo virtutem eximiam fuiſſe fatebimur: quòd ſi optio illi data fuiſſet, qualis revelato novo Teſtamento data eſt, dicente Chriſto: *Qui poteſt capere, capiat*, utique cœlibatum nuptiis prætuliſſet: ait D. Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap. 21.* ait: *Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui paſſus non eſt: ſic non eſt impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. Et illius enim cœlibatus, & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt; ſed continentiam Joannes, & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat.* Quòd ſi optio data fuiſſet Abrahæ, continentiam nuptiis prætuliſſet, ex eo evincit D. Auguſtinus, quia paratus fuit, ut Deo placeret, proprium filium immolare: ait Auguſtinus *lib. de Bono conjugali cap. 21. Qui unicum prolis pignus, propter quod nuptiæ caræ ſunt, potuit intrepidus immolare propter regnum cælorum.*

CAPUT XII.

De quidditate Metaphyſica, & Phyſica matrimonii: & quis ejus Miniſter.

SI ſpectemus matrimonium, ut eſt officium naturæ à Deo ordinatum ad propagationem humani generis, ejus quidditas metaphyſica conſiſtit in mutuo vinculo conjugali indiſſolubili orto ex mutuo jure & poteſtate, quam ex mutua traditione uterque conjux habet in corpus alterius, adeo ut hoc vinculum quoad conjuges vixerint, ſit indiſſolubile, ut infertur ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. 7. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit:* & eſt eadem ratio de viro, quanto tempore uxor ejus vivit. Oritur enim hoc vinculum indiſſolubilitatis ex fine, ad quem matrimonium ex ſuo jure dirigitur, eſtque ipſa prolis procreatio, & educatio, quæ ne incerta eſſet ex parte parentis, cui vel maximè incumbit cura prolis educandæ, reſpuit vagum concubitum, ut contrarium ſuo fini. Quòd autem quidditas metaphyſica matrimonii conſiſtat in hoc vinculo indiſſolubili ſuperius explicato: ex eo conſtat: quia, poſito hoc vinculo, ponitur matrimonium, perinde ac, poſito complexo ex animalitate, & rationalitate, ponitur homo; &, illo ſublato, tollitur: ergo in tali vinculo formaliter, & quidditativè conſiſtit matrimonium: quia id, ſine quo non poteſt intelligi rei eſſentia, eſt prædicatum conſtitutivum illius. Antecedens claret: quia nullo poſito ex parte conjugum conſenſu tranſlativo dominii ſui corporis in alterum, poteſt intelligi verum eſſe matrimonium, ut ſi Deus ſupremus corporum, & animarum Dominus utriusque conjugis dominium transferat in alterum; unde hoc vinculum ſe habet conſecutivè ad conſenſum, qui eſt potius cauſa efficiens matrimonii, conſequenter non poteſt eſſe cauſa formalis conſtitutiva matrimonii: ſiquidem cauſa formalis debet eſſe intrinſeca; cùm cauſa efficiens ſit extrinſeca. Præterea quia mutuus conſenſus ſe habet per modum fluxus, non permanentiæ, & eo ceſſante perſeverat matrimonium, ut effectus diſtinctus à cauſa.

Quòd ſi dicas, perſeverare ſaltem moraliter conſenſum habitualem. Contra eſt: quia etiam ſi conjuges primum ſuum conſenſum retractent, adhuc inter illos perſeverat matrimonium, quamvis non maneat habitualis conſenſus, qui per diſſenſum ſubſequentem revocatur: ex quibus conſtat, matrimonium formaliter, & quidditativè non conſiſtere in mutuo conſenſu, qui potius eſt cauſa efficiens matrimonii.

Rurſus

Rurſus neque formaliter conſiſtit in mutuo jure utriusque conjugis in corpus alterius; nec in obligatione mutua ad debitum conjugale; quia tale jus, & obligatio ceſſant per adulterium alterius conjugis, manente vinculo matrimonii conſummati. Rurſus quia inter Deiparam, & S. Joſephum fuit verum, ac propriè matrimonium; tametſi obligatio reddendi debitum conjugale fuerit ſemper impedita: unde ſupereſt, ut quidditas matrimonii formaliter conſiſtat in ſolo vinculo, quo conjuges ſunt formaliter vincti: quia poſito hoc vinculo ponitur matrimonium formaliter, & illo ſublato tollitur; qua ratione definitur matrimonium: *Viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens*: Dicitur *conjunctio viri, & mulieris* ratione finis, ad quem ordinatur matrimonium, ſeu in ordine ad prolem gignendam: ad id enim requiritur conjunctio maris cum fœmina; quapropter Deus ſtatim ſub mundi conditi initio creavit virum, & ex coſta Adæ Evam efformavit, ut *eſſent duo in carne una.* Adduntur aliæ particulæ *inter legitimas perſonas*, quia non omnes perſonæ habiles ſunt ad contrahendum matrimonium, ut ſunt illæ, quæ vel impotentes ſunt ad generandum, vel ſunt alio matrimonio ligatæ, vel alio naturali, aut poſitivo vinculo impeditæ. Poſtremæ particulæ, *individuam vitæ conſuetudinem retinens*, ſignificant diſtinctionem matrimonii ab omnibus aliis conventionibus, vel unionibus ortis ex aliis contractibus, quia hujusmodi conventiones, & uniones tolluntur per mutuum utriusque contrahentis conſenſum, matrimonium verò eſt vinculum omnino indiſſolubile.

Quòd ſi dicas, matrimonium debere conſiſtere in fieri, non in facto eſſe, perinde ac alia Sacramenta conſiſtunt in uſu ſeu fieri, conſequenter non poſſe formaliter conſiſtere in vinculo maritali reſultante ex mutuo utriusque conjugis conſenſu; quia hoc vinculum, cùm ſit indiſſolubile, eſt quid permanens, ergo debet formaliter conſiſtere in ipſo conſenſu mutuo, nòn in vinculo maritali. Contra eſt, quia, tametſi cauſa efficiens matrimonii debeat eſſe per modum tranſeuntis, & conſiſtere in fieri, ſeu in mutuo conſenſu utriusque conjugis; nihilominus quoad ſuam rationem formalem, & quidditatem conſiſtit in aliquo permanente, ſeu in vinculo reſultato ex mutuo conſenſu utriusque conjugis: quia ſicut ceſſantibus verbis, quibus exprimitur exteriùs internus conſenſus adhuc remanet matrimonium, conſequenter neceſſe eſt, remaneat etiam ipſa quidditas matrimonii.

Sed inſtabis, quia non poteſt explicari, quid propriè ſit hoc vinculum reſultatum ex mutuo conſenſu utriusque conjugis: conſequenter non videtur quidditas matrimonii conſiſtere in hoc vinculo. Contra eſt, quia, ut docet D. Thomas *quæſt.* 44. *art.* 3. Sicut matrimonium eſt in genere relationis, quæ explicatur per *conjunctionem* tanquam per genus, & per *maritalem* ut differentiam; ita vinculum, in quo formaliter conſiſtit quidditas matrimonii, eſt in genere relationis, eſtque relatio diſquiparantiæ, eo quia unus conjux ad hanc conjunctionem concurrit ut principium activum, & alter ut paſſivum; adeo ut ex parte ſubjecti ſit multiplex, quamvis ex parte termini, & finis ſit ſimplex, eo quia utriusque materialis conjunctionis finis ſit unus tantum.

Si dicas, matrimonium debere neceſſariò conſiſtere in aliquo ſigno ſenſibili; & hoc vinculum utpote in genere relationis non poſſe eſſe quid ſenſibile; conſequenter matrimonium non poſſe formaliter conſiſtere in hoc vinculo. Contra eſt, quia, ut docet D. Thomas *loc. cit. ad* 2. tametſi relatio non ſit quid ſenſibile, ejus tamen cauſæ ſunt ſenſibiles, quod ſufficit: non enim in Sacramento requiritur, ut ſit quid ſenſibile id, quod eſt res Sacramenti, ſed ſufficit ſi ejus cauſa efficiens, ſeu mutuus conſenſus ſit ſenſibilis.

Quod verò ad quidditatem phyſicam ſpectat, ſeu ad materiam, & formam matrimonii, docent plures materiam matrimonii eſſe mutuum utriusque conjugis conſenſum, & formam eſſe ſigna exteriora ſenſibilia exprimentia internum conſenſum, quæ ſigna regulariter ſunt verba: ita cenſent Covarruvias, Navarrus, Rebellius, Capreolus, & alii. E converſo cenſent alii internum contractum eſſe formam, & verba ſenſibilia exprimentia conſenſum internum eſſe materiam. Sed neutra ſententia videtur vera, quia materia ſaltem totalis hujus Sacramenti, & forma illius debent eſſe quid ſenſibile; ſed utriusque contrahentis internus conſenſus non eſt quid ſenſibile, ſed tantum fit ſenſibilis per verba ſenſibiliter illum exprimentia: conſequenter neutra ſententia videtur eſſe vera. Neque obſtat, quòd in Sacramento pœnitentiæ actus interni pœnitentis ſint materia illius Sacramenti, quamvis non ſint per ſe quid ſenſibile. Contra eſt, quia tales actus ſunt tantùm materia partialis, quæ fit per aliam materiam partialem ſenſibilis, ſcilicet per confeſſionem. Materia vero totalis debet eſſe, vel continere quid ſenſibile, & conſenſus pure internus non continet in ſe quid ſenſibile.

Alii cum Bellarmino duobus modis conſiderant matrimonium in fieri & facto eſſe, ſeu cùm fit, & poſtquam factum eſt: priori modo dicunt ſe habere per modum fluxus; & poſteriori modo per modum permanentiæ: & aſſerunt in priori conſideratione totam ejus eſſentiam conſiſtere in ſignis exprimentibus mutuum conſenſum: in poſteriori eſſe ipſos conjuges ſimul cohabitantes, ſeu externam conjugum ſocietatem, & conjunctionem eſſe materiale Symbolum externum Chriſti & eccleſiæ, repræſentans indiſſolubilem conjunctionem: ſicut in Sacramento Euchariſtiæ peractâ conſecratione remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſignum ſenſibile, atque externum interni alimenti ſpiritualis; & verba conjugum exprimentia mutuum conſenſum modo religioſo cum fide et pietate in Deum Nuptiarum Conciliatorem eſſe formam hujus Sacramenti. Sed contra, quia in fieri ſigna externa, ſeu verba non ſunt prædicata intrinſecè conſtitutiva matrimonii, ſed ſunt cauſa efficiens ejusdem, ut ſuperius evicimus. Quòd ſi per fieri intelligatur cauſa in actu ſecundo ponendi ſuum effectum in hoc ſenſu ſigna illa externa, ſeu verba exprimentia mutuum utriusque conjugis conſenſum, dicuntur matrimonium cauſativè. In facto eſſe licet corpora conjugum dici poſſint materia remota contractus matrimonii, ſeu materia circa quam verſatur matrimonium; non tamen ſunt materia proxima, quia hæc eſt, ex qua Sacramentum perficitur, & componitur, & matrimonium non perficitur, neque componitur ex ipſis contrahentibus: Matrimonium ſiquidem eſt contractus, quo contrahentes ſua corpora ſibi mutuo tradunt; & in contractibus id, quod traditur, non eſt materia proxima, alioquin contractus de agro, vel equo conſtaret intrinſecè ex agro vel equo; ergo corpora, quæ ſibi invicem contrahentes

tradunt,

Digitized by Google

tradunt, non poſſunt eſſe materia proxima hujus ſacramenti; quia materia proxima debet eſſe, quid intrinſecum rei conſtituat; & contrahentes non ſunt partes intrinſecæ contractus, ſed potiùs cauſæ extrinſecæ efficientes contractum. Hic enim à contrahentibus fit.

Alii aſſerunt, verba prolata à priori contrahente eſſe materiam hujus ſacramenti, & verba prolata à poſteriori contrahente eſſe formam; perinde ac in numeris, ultimus numerus eſt forma præcedentium, quia determinat, ut tota multitudo numerica ſit talis numerus, quinquagenarius, vel centenarius. ſed hæc ſententia non ſatisfacit, quia materia hujus ſacramenti non eſt in poteſtate contrahentium, ut poſſit fieri forma, ſed eſt certa, & invariabilis. Sin autem conſiſteret in verbis prolatis à priori contrahente, non eſſet materia certa, & invariabilis, ſed vaga, & in poteſtate contrahentium, ad quorum arbitrium, quod eſt materia, poſſet fieri forma, & vice verſa, quia poteſt mas vel fœmina priùs proferre verba; & verba fœminæ non ſunt illa maris. Præterea, ſi contingeret, quod ambo contrahentes ſimul tempore proferrent verba exprimentia mutuum conſenſum, nulla eſſent verba priora, & poſteriora, proinde non poſſet deſignari materia, & forma.

Alii volunt, materiam hujus ſacramenti eſſe corpora contrahentium; & formam eſſe verba ſacerdotis, *Ego vos conjungo*, & hæc tamen ſententia eſt cæteris improbabilior: quia præſentia Parochi eſt tantùm neceſſaria poſt Concilium Trident. tamen ante Tridentinum fuerunt vera matrimonia ſine verbis illis à Parocho prolatis: ergo forma hujus ſacramenti non poſſunt eſſe verba à Parocho prolata. Præterea verba Parochi ſunt tantùm ſacramentalia, non verò ipſum ſacramentum, ut docet D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 26. q. 2. art. 1.* ubi ait: *Verba, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus ſacramenti: non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale.* Et *in reſponſ. ad 2.* ait: *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui ſacramento utitur ſicut pœnitentia; & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam, niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita eſt de matrimonio.*

Ut oſtendatur, quid probabilius eſſe videtur circa materiam, & formam hujus ſacramenti matrimonii, de quibus ideo diſputant Theologi, & Controverſiſtæ ac in varias diſtrahuntur ſententias, quia eccleſia ſilet, & hactenus nihil declaravit circa materiam, & formã hujus ſacramenti; quod poteſt conſiderari actualiter, & tunc ſe habet per modum fluxûs, quia complectitur actus contrahentium, ſeu verba ab iiſdem prolata, & exprimentia internum conſenſum, quæ verba materialiter ſumpta, vix prolata, ampliùs non ſunt: & habitualiter, quatenus cenſentur perſeverare in effectu, quem producunt, ſeu in vinculo; quo conjuges ſimul ligantur ad ſimul convivendum, & habitandum, cum jure petendi, & exigendi ab altero debitum, ſeu uſum matrimonii. Si conſideretur matrimonium actualiter, quando contrahitur ejus materia & forma, ſunt ipſa verba exterius ſenſibilia, & expreſſiva interni conſenſus utriuſque contrahentis; vel nutus, aut alia ſigna ſenſibilia ſignificantia eundem internum conſenſum: interni enim mentis conceptus, non ſolum verbis, ſed etiam nutibus exteriùs indicantur, ut notat D. Auguſt. *in verba Joan. 13. Innuit Petrus Joanni*, ait enim, *Petrum innuendo dixiſſe.* Habitualiter verò ſeu in ſtatu permanentiæ in vinculo cauſato, & remanente per mutuum conſenſum expreſſum per verba exterius ſignificantia internum conſenſum; poſſunt enim hæc verba dupliciter conſiderari, primò ut exprimunt mutuam traditionem, qua quilibet tradit alteri corporis ſui poteſtatem; & ſub hac ratione verba vel nutus dicuntur materia matrimonii ſumpti actualiter, ſeu ut actu producit vinculum, quod ſe habet conſequutive: ſecundò, ut exprimunt mutuam acceptationem, quatenus uterque acceptat traditionem ſibi ab altero factam de ſuo corpore, ſeu poteſtate in ſuum corpus quoad uſum matrimonii petendi, & exigendi, & ſub hac poſtrema conſideratione verba prolata ab utroque conjuge exprimentia conſenſum internum ſunt forma hujus ſacramenti matrimonii. Quia traditio eſt imperfecta, & exigit perfici, & per acceptationem perficitur, & completur: materia enim eſt quid imperfectum, & perfectibile, quod perficitur à forma. Et matrimonium ſimile Euchariſtiæ, quæ non ſolùm cum fit, ſed etiam in facto eſſe, & dum permanet, eſt ſacramentum, quamdiu enim conjuges vivunt, ſemper eorum ſocietas eſt ſacramentum. Hinc ſi matrimonium conſideretur, dum fit, tota ejus eſſentia conſiſtit in ſignis exprimentibus mutuum conſenſum, nam congrua non concurrunt niſi ut materia circa quam, & idem videmus in aliis contractibus: nam cum venditur, aut emitur ager, vel equus, tota ratio contractus illa eſt in mutuo conſenſu vendentis, & ementis agrum: ager autem eſt materia, circa quam verſatur contractus, & non eſt pars ulla intrinſeca contractus: ſed quia verba unius conjugis determinant verba alterius, & ab illis pariter determinantur: ideo in iiſdem verbis diſtinguitur materia, & forma; verba enim quatenus determinant verba alterius, per acceptationem traditionis, dicuntur forma, quatenus verò determinant, dicuntur materia, quia exigunt perfici, ac determinari à verbis alterius: & ita docet D. Thomas *loc. cit.* Verùm ſacramentum matrimonii hoc pacto conſideratũ in fieri magis proprio dicitur matrimonium cauſativè, quatenus illud fieri, eſt, quo fit matrimonium formaliter, quod in facto eſſe importat vinculum, quo mas, & fœmina ſimul remanent conjuncti, ſimulq; obligati ad reddendũ debitum, ſeu uſum matrimonii alteri illud petenti, ut ſint duo in carne una, qua pacto repræſentant conjunctionem Chriſti cùm eccleſia: ſicut in Euchariſtia peracta conſecratione remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſymbolum ſenſibile externum interni alimenti ſpiritualis.

Ratio ibidem eſt, quia in contractibus civilibus traditio, ut facta per ſignum ſenſibile, habet rationem materiæ, & acceptatio verbis expreſſa habet rationem formæ, ſed matrimonium in ratione contractus non differt à reliquis contractibus civilibus; neq; ut ſacramentum diverſam habet materiam, aut formam à ſe ipſo, ut eſt contractus: ergo in matrimonio eadem verba, & ſigna conjugum exprimentia mutuum conſenſum, quatenus ſunt traditio corporum, ſunt materia, & quatenus ſignificant acceptationem eorundem ab utroque conjuge, ſunt forma: major liquet, quia id habet rationem materiæ, quod ſe habet per modum determinabilis; & rationem formæ, quod ſe habet per modum determinativi: in contractibus civilibus, traditio ſe habet per modum determinabilis, quia completur, & perficitur per acceptationem, quæ ſe habet per modum determinativi; ergo traditio facta per ſignum ſenſibile habet rationem materiæ, & acceptatio rationem formæ, quia determinat, ac complet traditionem ad rationem contractûs: & quamvis in aliquo caſu traditio videatur complere acceptationem, ut cùm quis vult prius habere dono equum ab amico, & hic poſtea ei donat, hoc tamen per accidens procedit; quia regulariter, & per ſe traditio præcedit, & inchoat contractum, & acceptatio perficit,

perficit, ac determinat traditionem. Tum quia cauſalitate traditio ſemper præcedit, quia in inſtanti, quo exprimitur conſenſus traditionis à donante, acceptatio à donatario prius tempore facta, ut perficiat contractum, debet per modum actûs moraliter perſeverantis ratificare traditionem ſibi à donatore factam, conſequenter debet illam ſupponere prius natura, ut determinabilem: conſequenter traditio ſemper ſe habet per modum materiæ, & acceptatio per modum formæ.

Objici tamen poteſt in oppoſitum: quia omnia Sacramenta novæ legis perficiuntur ex rebus tanquam materia; & verbis ut forma, & perſona miniſtri conficientis Sacramentum cum debita intentione: ergo verba, ſeu nutus, quibus conjuges mutuum conſenſum exprimunt, non poſſunt eſſe ſibi invicem materia, & forma, quamvis ſub diverſa conſideratione in Sacramento matrimonii. Præterea in quolibet Sacramento legis evangelicæ materia, forma, & miniſter debent realiter diſtingui: ſin autem verba exprimentia exterius conſenſum internum, eſſent ſibi mutuò materia, & forma; non diſtinguerentur realiter; quia conſenſus expreſſus per verba unius conjugis haberet ſimul rationem materiæ, quatenus eſt traditio ſui corporis alteri ſponſo quoad uſum matrimonii; & rationem formæ, quatenus in iiſdem includitur acceptatio alterius in ſponſum. Demum quia conjuges, cùm ſint miniſtri hujus Sacramenti, ſi ipſorum traditio expreſſa per verba haberet rationem materiæ non diſtinguerentur cauſa materialis, & efficiens, quia una, & eadem perſona eſſet materia, forma, & miniſter hujus Sacramenti, quod dici nequit. Contra eſt; quia quando Sacramenta novæ legis dicuntur conſtare ex rebus, & verbis, id non debet ita ſtrictè intelligi, ut ſecundûm diverſas rationes non poſſint eadem verba eſt materia, & forma; & verba non poſſint vices gerere rei, ſeu materiæ: ſed nomine rei intelligi debent ea omnia, quæ ſolent adhiberi ad aliquid ſignificandum loco materiæ, ſeque habet per modum determinabilis; ut etiam per verba debent intelligi ea omnia, quæ loco verborum ſolent adhiberi ad aliquid ſignificandum, ut ſunt nutus, litteræ, & alia id genus, quæ ſe habent per modum determinativi. Ratio itidem eſt, quia in Sacramentis materia, & forma aſſignantur per quandam analogiam, ad materiam, & formam in genere phyſico, perinde quod imitatur materiam phyſicam, debet ſe habere per modum determinabilis, & quod imitatur formam, ſe habet per modum determinativi: & quia in contractu matrimonii eadem verba ſe habent ſecundum diverſas rationes per modum determinabilis, & determinativi, ita vices gerunt ſub diverſis rationibus materiæ, & formæ, quatenus imitantur materiam, & formam in genere phyſico. Neque repugnat, verba poſſe imitari materiam, & formam: etenim in Sacramento Pœnitentiæ confeſſio peccatorum ſe habet per modum determinabilis, & abſolutio per modum & determinativi ad ſignificandã remiſſionem peccatorum? ideo confeſſio peccatorum, quia ſe habet per modum determinabilis, in quo imitatur materiam phyſicam, eſt materia Sacramenti pœnitentiæ; & abſolutio, quia eſt determinativa, quatenus eſt remiſſiva peccatorum, eſt forma. Ad aliud quod addebatur, inter materiam, & formam, ac miniſtrum dari debere realem diſtinctionem, reſpondetur ab eccleſia id non fuiſſe definitum; unde ſufficit ſi diſtinguntur virtualiter. Præterea verba unius conjugis exprimentia traditionem proprii corporis, ſub qua ratione habent imitari materiam, diſtinguuntur realiter à verbis alterius conjugis, quibus talem traditionem acceptat: & ita dicendum de verbis alterius conjugis. Ad aliud quod addebatur de cauſa materiali, & efficiente reſpondeam non eſſe inconveniens, quòd in Sacramento matrimonii cauſa materialis, & efficiens coincidant in eaſdem perſonas, quia hoc exigit natura contractus, in quo contrahentes ſe ipſos tradunt: etenim ſi quiſpiam ſe vendat in ſervum alterius, eadem perſona, quæ vendit, eſt etiam vendita; unde in contractibus non repugnat cauſam efficientem, & materialem coincidere in eandem perſonam.

Quod verò ad miniſtrum hujus Sacramenti attinet, plures Theologi antiqui, & clari nominis cenſent non eſſe contrahentes, ſed ſacerdotem benedicentem nuptias; ita docent Melchior Canus, Eſtius, Sylvius & alii plures, qui cenſent ſine ſacerdote verba proferente, contractum matrimonii, quamvis ratum ſit, ſi nihil eorum deſideretur, quæ ad ipſam contractus ſubſtantiam pertinent, vel eccleſiæ legibus præſcripta ſunt; non tamen tale matrimonium cenſendum eſſe Sacramentum; quia in matrimonio conſideratur ratio contractus civilis, & ſub hac ratione fit ab ipſis ſponſis, quia ipſi revera contrahunt: & ratio ſacramenti, & ſub hac ratione dicunt ſacerdotem benedicentem nuptias eſſe verum, ac proprium miniſtrum matrimonii, ut hoc eſt ſacramentum. Nituntur, quia cum vir, & fœmina contrahunt, quamvis ſint in ſtatu peccati lethalis, non tamen ut civilem contractum celebrant, ſunt rei ſacrilegii; quod verum non eſſet ſi hujuſmodi matrimonialis contractus eſſet ſacramentum: omnes enim habentur ſacrilegi, ſi lapſi in peccatum lethale, non præmiſſa pœnitentia, ſeu ſacramento exhomologeſis, ſacramenta ſuſcipiunt, adminiſtrant. Secundò quia ſacramenta ſunt ſacri religionis ritûs, quorum miniſtratio: ſeu diſpenſatio pertinet ad eccleſiæ miniſtros ſeu ſacerdotes, non verò ad laicos. Tertiò, quia D.Thom. 2.2. *q.22. art. 2.* ait: *quod ſacramenta, in quibus gratia confertur, diſpenſare ad ſolos ſacerdotes pertinet*: & *q.31. art.1.* ait: *Nullius ſacramenti diſpenſatio laicis ex officio competit*: ſed contrahentes matrimonium, ſunt laici, ergo non poſſunt eſſe miniſtri matrimonii, ut hoc eſt ſacramentum. Unde Tertullianus: *lib.1. ad uxorem c.9.* ait: *Unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod eccleſia conciliat & confirmat oblatio, obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratò habet.*

Communior tamen ſententia eſt miniſtrum eſſentialem matrimonii non eſſe ſacerdotem, ſed ipſosmet contrahentes ſibi mutuò materiam, & formam applicantes. Eſt præſertim contra Melchiorem Canum, qui cenſuit expreſſionem conſenſus mutui eſſe formam conjugii, ut eſt contractus, non ut eſt ſacramentum, cui ipſe requirit miniſtrum eccleſiaſticum proferentem ſacra, & ſolemnia illa verba: *Ego vos conjungo.* Quòd verò non ſit miniſter matrimonii etiam ut eſt ſacramentum, ex eo conſtat: quia ex doctrina Concilii Trident. antequam declararetur, ad validitatem matrimonii requiri, ut contrahatur in facie eccleſiæ, ſeu coram Parocho, & teſtibus ſaltem duobus: matrimonium initum ſine Parocho erat validum, ac verum ſacramentum: & Tridentina Synodus definit, eſſe ita credendum; & anathemate percutit contrarium ſentientes: ergo ſi abſente ſacerdote matrimonium initum erat validum ac verum ſacramentum, ſequitur evidenter, ſacerdotem non eſſe miniſtrum eſſentialem matrimonii in ratione ſacramenti. Rurſus, quia verba prolata à ſacerdote non pertinent ad formam, ſed tantum ſunt quædã ceremonia poſterior matrimonio, quatenus ſacerdos nomine Dei, & eccleſiæ ratificat, ſeu approbat matrimoniũ jam initum, ac celebratũ à contrahẽtibus ſponſis: unde ſacerdos nõ eſt miniſter matri-

monii,

monii, ſed tantùm principalis teſtis requiritur ab eccleſia ad validitatem matrimonii. Idque ex eo itidem evincitur, quia tametſi Sacerdos nullum proferat verbum, dummodo ſit præſens, & adſint teſtes, ſponſi validè contrahunt matrimonium; & interdum contingit Parochum detrectare ſponſos copulare, qui tamen unà cum teſtibus ſe ad illum conferunt, & coram illo etiam renuente matrimonium contrahunt, ſufficit enim, ſi Sacerdos audiat ipſos contrahentes, quia tunc eſt ſufficiens teſtis, & matrimonium dicatur celebratum in facie eccleſiæ, ut pluries deciſum fuit. Præterea quia ille eſt miniſter hujus Sacramenti, qui eſt miniſter contractus: ſed ii ſunt contrahentes, non Sacerdos. Hoc idem docet D. Thomas 4. *ſent. diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. ad 1.* inquiens: *Verba, quibus matrimonialis conſenſus exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti, Non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale.* Et *in reſponſione* ad 2. ait: *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur; ſicut pœnitentia; & ideo ſicut Pœnitentia non habet aliam materiam, niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi; ita eſt de matrimonio.*

Hinc ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ negatur aſſumptum, quia tametſi Sacerdos nullum proferat verbum, dummodo ſit præſens, & adſint teſtes, quando ſponſi contrahunt matrimoniũ; hoc non ſolum eſt contractus civilis, ſed etiam Sacramentum; quia Chriſtus hunc civilem contractum elevavit ad rationem Sacramenti, ſi celebretur inter Chriſtianos. Præterea ante Concil. Tridentin. tametſi matrimonium celebraretur ſine Sacerdote, adhuc erat verum Sacramentum, ut declaravit Tridentina Synodus; quod ſi hoc Sacramentum miniſtrari potuit ſine Sacerdote, ſequitur hunc non eſſe miniſtrum hujus Sacramenti, ſed tantum teſtem principalem, poſt Tridentin. neceſſariò requiſitum ad validitatem Sacramenti & contractus civilis: unde falſum eſt, ſponſos eſſe tantum miniſtros matrimonii, ut eſt contractus civilis, non verò ut eſt Sacramentum. Rurſus verba, quæ profert Sacerdos, non ſunt ipſum Sacramentum, quia hoc eſt adnexum contractui civili, qui celebratur à ſponſis, non à Sacerdote, cujus propterea benedictio eſt tantum quid Sacramentale, non verò ipſum Sacramentum ut docet D. Thomas *loc. cit.* Hinc Sponſi ſi matrimonium contrahere in ſtatu peccati lethalis, verè lethaliter peccant, quia indignè ſuſcipiunt Sacramentum adnexum contractui civili. Ad ſecundùm fateor Sacramenta eſſe ritus eccleſiaſticos, ſed negatur in matrimonio non poſſe miniſtrari à Laicis, ſponſi enim contrahentes illud ſibi miniſtrant ex Chriſti inſtitutione, qui contractui civili voluit adnectere rationem Sacramenti.

Ad tertium petitum ex D. Thoma reſpondetur in aliis Sacramentis conferentibus gratiam, quæque à laicis non poſſunt miniſtrari conceditur, quod illa adminiſtrare pertineat ad ſolos Sacerdotes, non verò ſi Sacramenta ſint adnexa ex Chriſti inſtitutione alicui rei, quæ à laicis tantùm ponitur, cujuſmodi eſt contractus matrimonialis, cui Chriſtus adnectere voluit Sacramentum productivum gratiæ. Rurſus in baptiſmo urgente neceſſitate collato à Laico, habetur verum Sacramentum collativum gratiæ; unde non repugnat, Sacramenta collativa gratiæ poſſe miniſtrari à Laicis. Neque Tertull. aſſerit Sacerdotem eſſe miniſtrum hujus Sacramenti; ſed ait, *quod eccleſia conciliat*, hoc eſt, approbat, & obſignat per benedictionem, quæ non eſt ipſum Sacramentum, ſed quid Sacramentale. Cæterùm præſentia parochi eſt neceſſaria ad validitatem matrimonii, ut hoc celebretur in facie eccleſiæ ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 1.* ubi dicitur: *Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius parochi vel Ordinarii licentia, duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe declarat;* & *can. 4.* *Si quis dixerit, eccleſiam non poſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.*

Quamvis igitur matrimonium non conſiſtat in re aliqua ſacra, quæ à miniſtro applicetur contrahentibus, niſi ipſa benedictio eccleſiæ, quâ nuptiæ benedicuntur, eſt nihilominus verum Sacramentum, quatenus Chriſtus contractum hunc civilem matrimonii elevavit ad dignitatem Sacramenti, voluitque ſervari morem conſuetum, in quibus nihil extrinſecus applicatur: ſed mutuo contrahentium conſenſu verbis, vel aliis ſignis ſenſibilibus expreſſo adhibitis ſolemnitatibus à jure requiſitis, perficiuntur: quia, ut docet D. Thomas 4. *ſent. diſt. 26. quæſt. 3. ad 2. Sacramentum matrimonii perficitur per actum eius, qui Sacramento illo utitur, ſicut pœnitentia; & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi ita eſt de matrimonio.*

Tria recenſentur à Theologis bona matrimonii cum D. Auguſtino *lib. 9. de Geneſ. ad litteram cap. 7. lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 10. & ſequent.* ut etiam *lib. de Bono conjugali c. 24.* & alibi, ſuntque proles, fides, & Sacramentum, quibus excuſari dicitur matrimonium, quia eorum compenſatione excuſantur, aut mitigantur ea mala, quæ illi adhærent; præſtant enim hæc bona, ut libido carnis ſit ſine culpa ſaltem gravi. Primum bonum eſt proles ſuſcipienda ex legitima conjuge, quod bonum commendat Apoſtolus *1. ad Timoth. 2.* ſcribens: *Salvabitur mulier per filiorum generationem.* Quod non ſolum de illorum procreatione, ſed magis de educatione, ac religioſa, & pia inſtitutione intelligendum eſt. In prole tria includuntur bona, primo, quia conjuges pariunt Deo ſervos fideles, qui enim reverentur, & colunt, quapropter S. Ambroſius *lib. 2. in Luc.* ait: *Conjugis præmium, & gratia nuptiarum partus eſt fœminarum.* Secundum, quia patriæ, & reipublicæ pariunt cives eam replentes, ut etiam cœleſtem Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra, ut Angelorum ruinæ reſtaurentur. Tertium bonum, quia ſibi pariunt hæredes ſecundum naturale deſiderium parentum nominis, & familiæ ſuæ conſervandæ. Hinc *Eccleſ. 20.* dicitur: *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe, in vita ſua vivit, & delectatus eſt illo, in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis, reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Bonum fidei conjugalis eſt etiam triplex, animæ, corporis, & honeſtatis. Animæ bonum eſt ob fornicationis fugam *can. Sicut*, qui deſumitur ex D. Hieronymo *c. 5. epiſt. ad Epheſ.* & *cauſa 32. quæſt. 2.* ubi dicitur: *Sicut non omnis congregatio Hæreticorum Chriſti Eccleſia dici poteſt, nec caput eorum Chriſtus; ſic non omne matrimonium, quo non viro ſuo ſecundum præcepta Chriſti uxor jungitur, ritè conjugium appellari poteſt, ſed magis adulterium.* Fidei bonum conjunctum corpori habetur ex mutuo officio, & adjumento, quod ſibi præſtant conjuges in vitæ ſocietate, & rei familiaris adminiſtratione; hinc *Eccleſiaſtici c. 26. Mulieris bonæ beatus vir.* Bonum denique honeſtatis reperitur in fide conjugali: ſiquidem per nuptias fit honeſtum, & immune à peccato, quod alias turpe eſſet, & peccaminoſum. Bonũ Sacramenti eſt etiam triplex, ſcilicet conjunctio animorum, quæ ſignificat conjunctionem animæ cum Deo, qui enim adhæret Domino unus Spiritus eſt. Secundum conjunctio corporũ,

Digitized by Google

& ſignificat conjunctionem carnis cum verbo divino. Tertium quòd unus adhæreat uni tantùm uxori, & ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia. Bonum tamen prolis in quolibet matrimonio non reperitur, ubi ſcilicet uterque, vel alter conjux ſterilis eſt, vel etiam ubi continentia ex mutuo utriuſque conjugis conſenſu ſervatur, & nihilominus eſt verum matrimonium, quia ſterilitas per accidens contingit. Bono fidei adverſatur adulterium, & denegatio debiti conjugalis, hinc Auguſtinus *lib. de Bono conjugali* 14. ait: *In eo ipſo, quod ſibi invicem conjuges debitum ſolvunt, etiamſi aliquando, ſi intemperantius, & incontinentius expetunt, fidem tamen ſibi pariter debent, cui fidei tantum juris tribuit Apoſtolus, ut eam poteſtatem appellaret dicens, Mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir 1. ad Corinth. 7. & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. Hujus autem fidei violatio, dicitur adulterium cùm vel propriæ libidinis inſtinctu, vel alieno conſenſu cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur; atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis, & objectis magnum animi bonum eſt; & ideo eam ſaluti quoque corporali, qua etiam vita iſta continetur, certum eſt debere præponi.*

CAPUT XIII.

De Matrimonio Clandeſtino.

Si petatur, an matrimonia Clandeſtina fuerint omni tempore prohibita in Eccleſia. Reſpondetur ſpectatâ ſolâ rei naturâ, & ſemotâ Eccleſiaſtica lege, vel civili, conſenſum Clandeſtinum ſufficere ad valorem matrimonii, ut docet D. Thomas *hic quæſt. 45. art. 5.* & ex eo probat, quia conſenſus de præſenti inter legitimas perſonas facit matrimonia, adeo ut alia ſint tantùm de ſolemnitate, & ad eum finem tantum adhiberi ſolent, ut matrimonium convenientius fiat, idque colligitur etiam ex Tridentino *ſeſſ. 24. in decret. de reform. matrimonii cap. 1.* ubi aſſerit: *Non eſſe dubium Clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit.* Unde matrimonium Clandeſtinum ante Tridentinum erat validum, ac verum Sacramentum, quamvis non approbatum, non quia non erat Sacramentum, ſed deteſtabatur, quatenus contractus humanus, ita clandeſtinè initus, erat illicitus ac plurium malorum origo. Etenim ſi matrimonium contrahatur ab eo, qui emiſit votum ſimplex caſtitatis, vel eſt ligatus aliis ſponſalibus de futuro, eſt deteſtabile, quia peccatum: & tamen, cùm talia impedimenta non ſint dirimentia matrimonium, eſt validum, ac verum Sacramentum: ſiquidem poſſunt vera Sacramenta miniſtrari etiam per actionem peccaminoſam; ut ſi Epiſcopus manifeſtè irregularem Ordinibus Sacris initiaret: *Si* Sacerdos publicum peccatorem non reſipiſcentem baptizaret; vel ſi Euchariſtiam conſecraret extra altare ſine ritibus Eccleſiæ, in iis enim peractiones deteſtabiles, & peccaminoſas fierent vera Sacramenta, quamvis Sacramentum per ſe non poſſit eſſe deteſtabile, poteſt tamen dici tale ob illicitas circumſtantias, quæ tamen non deſtruunt eſſentiam Sacramenti.

Quòd ſi dicas matrimonium eſſe indiſtinctum à Sacramento. Contra eſt, quia matrimonium conſideratur, ut contractus humanus civilis, & hoc pacto diſtinguitur à Sacramento, ſiquidem infideles contrahunt matrimonium, quod tamen non eſt Sacramentum, infideles enim non ſunt capaces illius Sacramenti, quia Baptiſmus eſt janua, per quam homines ingrediuntur Eccleſiam, ubi tantum ſuſcipiuntur Sacramenta. Hinc quando Innocentius III. *cap. Gaudemus Extra. de divortiis,* ait: *Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles exiſtere,* communi quadam, & in minus propria ſignificatione Sacramenti nomen uſurpat reſpectu infidelium. *Nam cap. Quanto, ſub. eod. tit.* ait: *Matrimonium quidem verum, non tamen ratum* inter infideles exiſtere reſpondet. Hinc D. Thomas *in 4. ſententiar. diſtinct. 39. quæſt. 1. art. 2. ad 1.* ait: *quamvis in fidelibus non competat matrimonium, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, competit tamen eis, in quantum eſt in officium naturæ, & tamen etiam matrimonium tale eſt, aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eo quòd actu non contrahunt in fide Eccleſiæ.* Unde contractus matrimonii, cum poſſit exiſtere ſine ratione Sacramenti, ut in infidelibus, ſequitur manifeſtè, contractum matrimonii diſtingui ab eſſentia Sacramenti, quamvis enim inter fideles ratio Sacramenti ex inſtitutione Chriſti ſit, inſeparabilis ab eſſentia contractus, adhuc diſtinguitur à contractu matrimonii: ſiquidem contractus de facto fuit in lege veteri, in qua nondum fuerunt Sacramenta inſtituta.

Hæc tamen inſeparabilitas non obſtat, quia eccleſia potuerit irritare contractum humanum, niſi ſerventur aliquæ conditiones, ſiquidem contractus, ut actus humanus, ſubjicitur poteſtati humanæ, quæ ob bonum communitatis poteſt eidem apponere aliquas conditiones, quibus non ſervatis contractus ſit irritus, & nullius valoris. Chriſtus autem elevavit ad dignitatem Sacramenti, non quemcunque contractum, matrimonialem, ſed contractum qui ſit validus, & approbatus ab Eccleſia, hinc contractus clandeſtinè celebratus invalidus eſt, quia ob plures circumſtantias, ac mala, quæ ex illo oriebantur, non approbatur ab Eccleſia, conſequenter non eſt contractus idoneus, ut elevetur ad dignitatem Sacramenti.

Neque obſtat, ſi dicas ante Tridentinum contractum hunc clandeſtinè initum fuiſſe validum, & in illo dignitatem Sacramenti inſeparabilem. Nam contra eſt, quia potuit Eccleſia annullare validitatem talis contractus & ſublato fundamento, ſeu validitate contractus, corruit res contracta, ſeu ceſſat in illo dignitas Sacramenti. Etiam ſpecies conſecratæ, quamvis inſeparabiles, adhuc diſtinguuntur à corpore Chriſti, & tamen quamvis poteſtas humana non poſſit alterare Corpus Chriſti, poteſt nihilominus corrumpere ſpecies, quibus corruptis, ceſſat ſub ipſis Corpus Chriſti. Pari pacto, quamvis Eccleſia non poſſit immutare Sacramentum matrimonii, quia tamen poteſt irritare contractum humanum, niſi fiat cum talibus circumſtantiis, & conditionibus, & Chriſtus tantùm elevaverit ad dignitatem Sacramenti illum contractum, qui ab Eccleſia eſt approbatus ut validus, ſequitur, quòd ex eo, quòd eccleſia irritet contractum Clandeſtinum ob plura mala, quæ inde oriebantur, non ſit talis contractus idoneus, ut elevetur ad dignitatem Sacramenti, ſiquidem matrimonia Clandeſtina ſemper fuerunt prohibita ab Eccleſia, ait enim Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 1. Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt* (ſcilicet matrimonia Clandeſtina) *atque prohibuit* conſtat etiam

ex

ex decreto Hormiſdæ Papæ *c. 6.* & Evariſti *epiſt. 1. ad Epiſcopos Africæ* & Innocentii III. *c. 3. de Clandeſtinis deſponſationibus*, ubi ait: *Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, clandeſtina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat.* Unde conſtat matrimonia clandeſtina ſemper fuiſſe in Eccleſia prohibita, ſed difficultas eſt, an fuerint etiam invalida: & an poſt decretum Concilii Tridentini ſint invalida. Putant nonnulli, aliquoties Eccleſiam ante Tridentinum non ſolùm prohibuiſſe, verùm etiam omnino irritaſſe matrimonia clandeſtina, idque colligunt ex decreto Evariſti, ubi Pontifex ait: Matrimonia clandeſtina non eſſe conjugia, ſed adulteria, & contubernia, aut ſtupra, aut fornicationes potiùs quàm legitima conjugia. Et Baſilius Pontius *lib. 5. c. 3.* hoc idem Concilio Colonienſi.

Communior tamen, & probabilior ſententia eſt, matrimonia clandeſtina ante Tridentinum fuiſſe ſemper graviter prohibita, non tamen invalida, & irrita: ratio eſt, quia ſi fuiſſent invalida, non fuiſſet dubitatum, & diſputatum ſuper hac quæſtione in Conc. Trident. Neque oppoſitum colligi poteſt ex decreto Evariſti, quia ibi cum quadam tantùm exaggeratione deterret fideles à matrimoniis clandeſtinis, eò quia revera eſſent illicita, proinde ab Eccleſia prohibita; quapropter fuit id occaſio Evariſto deterrendi fideles à talibus matrimoniis contrahendis. Præterea, ſi fuiſſet lex aliqua eccleſiaſtica, quæ ante Tridentinum matrimonia clandeſtina irritaſſet, procul dubio Tridentinum illius meminiſſet, ac declaraſſet, ſe illam renovare, ſicut paulò poſt loquendo de denuntiationibus promittendis matrimonio ait: ne quoad illas renovare decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. præſertim cùm non defuerint plures Patres, & Theologi, qui in Tridentino dubitaverint, an Eccleſia matrimonia clandeſtina irritare poſſit, ut conſtat ex actis Concilii, & apud Spondanum ad annum Chriſti 1563. Cæterum Concil. Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. matrim.* non ſolùm prohibet matrimonia clandeſtina, ſed etiam declarat fore prorſus nulla ubicunque conſtitutio illa recepta fuerit.

Urget tamen difficultas, quomodo potuit Eccleſia matrimonia conſenſu clandeſtino inita invalidare, ac omnino irrita declarare: ſiquidem matrimonium eſt Sacramentum, cujus materia, & forma ſunt conſenſus utriuſq; conjugis, qui exprimuntur verbis vel aliis ſignis exterioribus; & Eccleſia non habet poteſtatem mutandi materias, & formas Sacramentorum, quia hæc mutatio pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quæ ineſt ſoli Chriſto: unde non videtur, quomodo Concil. Tridentin. potuerit invalidare, ac irritare matrimonia clandeſtino conſenſu inita, cùm ante Tridentinum fuerint valida: etenim ſi materia, & forma matrimonii erat ſufficiens ante Tridentinum, non videtur, quomodo poſt Tridentinum non ſit amplius ſufficiens. Præterea matrimonium ex una parte eſt contractus naturalis, adeo ut ex jure naturæ mutuus conſenſus inter perſonas habiles conſtituat verum matrimonium, & ex alia parte Eccleſia non videtur poſſe irritare, quæ ſunt juris naturæ.

Verùm ad ſolvendam hanc difficultatem juvat obſervare cum D. Thoma *in 4. diſt. 34. quæſt. unic. art. 2. ad 4.* matrimonium hoc habere ſpeciale ſupra reliqua Sacramenta, quia non ſolum ordinatur ad ſanctificationem conjugum, ſed etiam in officium naturæ, ac in bonum commune totius reipublicæ, quapropter conſtat ex triplici contractu naturali, civili, & Sacramentali: prout eſt contractus naturalis ſtatuitur jure naturæ, quatenus eſt civilis lege civili, & prout eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino, quo fit, ut ex qualibet harum legum poſſit aliqua perſona inhabilis fieri ad contrahendum matrimonium, etenim ſi fuerit impotens ad carnalem copulam inhabilitatur ex lege naturæ ad matrimonium: ſi ſit conſanguineus, vel affinis ſit inhabilis ex lege poſitiva, civili, & eccleſiaſtica: ſi non fuerit baptizatus, ſit inhabilis ad Sacramentum matrimonii jure divino, quamvis habilis ſit ad matrimonium, quatenus hoc eſt contractus naturalis, & civilis. Præterea certum eſt, Chriſtum non elevaſſe omnem contractum matrimonialem etiam per ſigna ſenſibilia expreſſum ad dignitatem Sacramenti; ſed eum tantùm, qui eſſet legitimus contractus, ſeu conformis legibus, ac inter perſonas baptizatas ac legitimas ſeu non habentes impedimentum dirimens.

His præmiſſis, & prænotatis, reſpondetur, Eccleſiam potuiſſe irritare matrimonia clandeſtina primo indirectè, & mediatè, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum matrimonium. Secundò directè, & immediatè, caſſando, & irritando matrimoniales contractus clandeſtino conſenſu initus. Ratio eſt, quia cùm eccleſia ſit Reſpublica à Chriſto rectè ordinata, decuit, ut illi ineſſet poteſtas regulandi contractus ſuorum ſubditorum; conſequenter potuit ſtatuere quoſdam conditiones, ſine quibus tales contractus eſſent irriti, non immutando materiam & formam Sacramenti matrimonii formaliter ſumptas, ſed tantùm materialiter, inſtituendo, quòd contractus clandeſtinus, qui antea erat legitimus, non ſit amplius legitimus, neque elevabilis ad dignitatem Sacramenti, eò quia Chriſtus ſolum contractum legitimum elevaverit ad dignitatem Sacramenti. Hinc poteſt Eccleſia directè, & immediatè irritare contractus civiles, prout conſultius viſum fuerit pro majori bono fidelium, & reipublicæ Chriſtianæ, adeo ut contractus, qui antea erat legitimus, non ſit amplius legitimus, ex defectu alicujus conditionis poſitæ ab Eccleſia ob bonum commune reipublicæ, & quia ex alio capite Chriſtus tantùm elevavit contractum legitimum ad dignitatem Sacramenti, ideo rectè poteſt Eccleſia indirectè facere, ut quod antea erat Sacramentum, non ſit amplius tale, eò quia directè poſſit irritare, ac illegitimare contractum; eo enim ipſo, quod contractus eſt illegitimus, non eſt amplius elevabilis ad rationem Sacramenti. Et hoc poteſt explicari, ut, ſi quis haberet poteſtatē mutandi aquam in vinum, poſſet quidem mutare materiam Sacramenti baptiſmi, materialiter efficiendo, quòd illa res, quæ erat vera aqua naturalis, jam non ſit amplius aqua naturalis, conſequenter nec materia baptiſmi, in quo caſu non mutaret materiam Sacramenti baptiſmi formaliter, quia ſemper eſſet verum, quod aqua vera, & naturalis eſſet materia Sacramenti baptiſmi à Chriſto inſtituta: pari pacto proportionaliter dicendum de materia, & forma Sacramenti matrimonii, quia Eccleſia prohibendo, & irritando matrimonia clandeſtina non mutavit formaliter materiam, & formam Sacramenti matrimonii, ſed tantùm materialiter, quatenus fecit, ut contractus matrimonialis conſenſu clandeſtino initus non ſit amplius legitimus, & legibus eccleſiaſticis conformis, ac propterea declaravit inhabiles ad matrimonium, ut eſt Sacramentum, perſonas ita contrahentes.

Hoc eſt vel maximè notandum, Eccleſiam habere poteſtatem irritandi contractus, eò quia non ſint conformes legibus eccleſiaſticis, neque conducant ad bonum Reipublicæ Chriſtianæ: pertinet enim ad quamlibet rempublicam bene ordinatam poteſtas regulandi contractus ſuorum ſubditorum in ordine ad bonum commune: & quia Chriſtus ſolum elevavit contractum legitimum, & ut talem approbatum ab

Eccleſia ad dignitatem Sacramenti, relinquendo Eccleſiæ poteſtatem regulandi legitimos contractus ideò Eccleſia irritando directè, & immediatè contractum matrimonialem, eo quia in ipſo non ſervetur conditio aliqua ab Eccleſia injuncta propter bonum commune, indirectè facit, ut contractus, qui ante erat Sacramentum, non ſit ampliùs Sacramentum, eò quia contractus ille illegitimus fuerit ab Eccleſia declaratus, & Chriſtus nonniſi contractum legitimum elevavit ad rationem Sacramenti.

Ad aliud quod addebatur matrimonium eſſe contractum naturalem, ac de jure naturæ, reſpondetur de jure naturæ eſſe, quod contractus legitimus ſit matrimonium: ſed quòd contractus legitimus ſit, non ſolùm dependet à jure naturali, ſed etiam à jure poſitivo civili, & eccleſiaſtico; quia ut docet D. Thomas, cùm matrimonium non ſolùm ſit in officium naturæ, ſed etiam in bonum totius Reipublicæ Chriſtianæ, non ſolùm ſtatuitur jure naturæ, ſed etiam ſubditur legibus civilibus, & eccleſiaſticis, quapropter jure canonico, & civili poſſunt aliquæ conditiones ſtatui, ex quarum defectu contractus non ſit amplius legitimus, conſequenter, neque elevabilis ad dignitatem Sacramenti, quia Chriſtus tantùm contractum legitimum elevavit ad dignitatem Sacramenti.

Hinc ut matrimonium non ſit clandeſtinum, & habeat conditiones, quas ad ejus valorem exigit Concilium, debent contrahentes præbere conſenſum in præſentia Paſtoris, ſeu Parochi unius ex conjugibus; quòd ſi ambo ſint vagi, nullumque certum habeant Parochum conjungi non poſſunt ſine licentia Epiſcopi, ut præcipitur in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 7.* Non tamen eſt neceſſe, ut Paſtor ſit Sacerdos, quamvis non poſſit delegari, niſi Sacerdos, ut videntur ſignificare verba Tridentini: & ratio eſt, quia Paſtor non eſt Miniſter hujus Sacramenti, ſed tantùm teſtis authenticus & principalis, neque requiritur ejus conſenſus, ſed tantùm præſentia, quapropter non peccaret, qui coram Parocho invito, & nolente matrimonium contraheret, ſi adeſſent teſtes ſufficientes, qui ex Concilio debent eſſe duo vel tres ſimul præſentes cùm Parocho, qui advertant, & intelligant, quid agatur, & utantur ratione, cujuscunque ſint ætatis, aut conditionis, quia Concilium tantùm exigit teſtes. Hinc Concilia claudeſtina propriè dicuntur, quæ ita clanculum aut ſecretò fiunt, ut nulli omnino arbitri, ſeu teſtes interſint, per quos in foro Eccleſiæ probari poſſunt, vel quæ præſentibus quidem arbitris, ac teſtibus fiunt, ſed omiſſis ſolemnitatibus, quæ jure, ſeu conſuetudine Eccleſiæ adhibendæ ſunt, cujusmodi ſunt denuntiationes, quæ contractum celebrandum debent præcedere, & ſacerdotalis benedictio, quæ matrimonium comitatur, & Eccleſiam hæc clandeſtina matrimonia ſemper prohibuiſſe, tametſi ante Tridentinum non fuerint declarata irrita; liquet ex Tertulliano *lib. de pudicitia cap. 4.* ubi ait: *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juſtam mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur.* Et ex D. Ambroſio *epiſt. 19. ad Vigilium Epiſcopum*, ubi ait: *Conjugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oportere.*

Cæterum Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis prohibuit, ac nulla declaravit matrimonia clandeſtina, Primò, quia clanculum contracta matrimonia probari non poterant. Secundò, quia perſæpe conjuges leves, & inconſtantes, & libidinoſi prioris matrimonii pertæſi fide violata nova conjugia contrahebant, ac deinceps in perpetuo vivebant adulterio, filiosque illegitimos, ac adulterinos generabant; quibus incommodis Eccleſiaſtici Judices occurrere non poterant defectu probationum. Tertiò, quia nonnulli matrimoniis clandeſtinè contractis ad Sacros ordines promovebantur, & cum uxoribus eccleſiaſtica retinebant beneficia; quorum matrimonia ſuſcepta proles progreſſu temporis revelabat in magnum Eccleſiæ dedecus. Quartò, quia Sacramentum abſque Miniſtro Eccleſiæ, & præſcriptis ab ea cæremoniis irritum contemptu, & neglectu religio poſtea violabatur. Quintò, quia inceſtuoſæ conjunctiones, & ob alia impedimenta illegitimæ, difficulter impediri poterant: has enim ob cauſas Tridentina Synodus meritò matrimonia clandeſtina irritavit, ac nulla eſſe declaravit. Quòd verò ante Concilium Tridentinum Eccleſia irrita non declaravit matrimonia clandeſtina, conſtat ex Concilio Toletano I. *can. 17.* ut etiam ex *can. ſufficiat. can. matrimonium. can. Omnes. cauſ. 27. quæſt. 2.* Ubi legitimarum perſonarum libero conſenſu matrimonia perfici, ac rata eſſe aſſeritur. Rurſus ex Lateranenſi Concilio IV. *can. 51.* ubi prohibentur quidem, ſed irrita non pronuntiantur matrimonia clanculum contracta, imò conſtat etiam ex uſu, & praxi Eccleſiæ, quæ hujusmodi matrimonia tanquam invalida, & irrita dirimere nunquam tentaverit ante decretum Concilii Tridentini editum, & promulgatum.

Sed quæri poteſt, an invalidum ſit matrimonium contractum coram Parocho, cui Ordinarius interdixit, ne tali matrimonio aſſiſteret. Ratio dubitandi multiplex eſt. Primò quia tota jurisdictio, & poteſtas Parochorum dependet ab Epiſcopo, ut docet D. Thomas in *4. diſt. 20. art. 4. quæſt. 1. in corpore*, & *diſt. 24. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 1. ad 3.* ergo poteſt Epiſcopus hanc poteſtatem, & jurisdictionem à ſe dependentem limitare, & coarctare, ac ad certos actus Parochis interdicere, *cap. 4. de officio Archipresbyt.* atqui eo ipſo, quòd Epiſcopus determinatum actum Parocho interdicit, ille actus geſtus contra prohibitionem Epiſcopi à Parocho eſt nullus, ut habetur *citat. cap. 4.* & Panormitanus in *cap. ad hæc de officio Archidiac.* unde matrimonium, cui Parochus contra Epiſcopi prohibitionem aſſiſtit, nullum ſortitur valorem. Et firmari ex eo poteſt, quia actus geſtus à non habente jurisdictionem, nullius eſt valoris *lege 3. codic. de Juriſdict.* Aſſiſtentia autem Parochi, cui ab Epiſcopo prohibitum fuit aſſiſtere, eſt aliquis actus geſtus à non habente jurisdictionem, quia Parochus per prohibitionem Epiſcopi cenſetur privatus jurisdictione ſaltem quoad ipſum actum aſſiſtendi matrimonio, conſequenter illa aſſiſtentia irrita eſt, & nullius valoris, ut etiam ipſum matrimonium, quia tunc contrahitur contra formam Concilii Tridentini. Secundò, quia poteſt Epiſcopus prohibere Parochis, & aliis Sacerdotibus abſolutionem à caſibus ſibi reſervatis, adeo ut abſolutio à Sacerdote data contra prohibitionem Epiſcopi ſit nulla, ut declaratur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7. & can. 11. de Sacramento Pœnitentiæ.* Tertiò, quia matrimonium eſt nullum, cui ſimplex Sacerdos revocata à Parocho licentia aſſiſtit, ut notat Sanchez *de matrimonio lib. 3. diſput. 32. n. 1.* ergo multò magis erit nullum matrimonium, cui Parochus non obſtante prohibitione Epiſcopi aſſiſtit. Quia catenus eſt nullum matrimonium, cui ſimplex Sacerdos non obſtante revocatione licentiæ aſſiſtit, quia ſuppoſita revocatione non verificatur, quòd ſit contra-

ctum

Digitized by Google

ctum coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu ordinarii licentia juxta formam Concilii Tridentini, ergo etiam erit nullum matrimonium, cui Parochus non obſtante prohibitione Epiſcopi aſſiſtit, quia ſuppoſita hac prohibitione non verificatur matrimonium contrahi coram Parocho, probatur conſequentia, quia ſi matrimonium ſit contractum coram Parocho, non legitimo, non verificatur, quòd ſit contractum coram Parocho juxta formam Concilii, ſiquidem paria ſunt matrimonium non contrahere coram Parocho, vel contrahere coram Parocho non legitimo: ſed ſi matrimonium contrahatur coram Parocho non obſtante prohibitione Epiſcopi, reverà eſt contractum corā Parocho non legitimo, quia Parochus ſtante prohibitione Epiſcopi non cenſetur legitimus ad validè aſſiſtendum matrimonio contrahendo: ergo, ſi matrimonium ſit contractum coram Parocho, ſuppoſita prohibitione Epiſcopi, non verificatur, quòd ſit contractum coram Parocho juxta formam Concilii, conſequenter eſt nullum etiam cenſet Fagnanus *ad cap. littera quas de matrim. contract. contra interdictum Eccleſiæ n.* 20. Quartò, quia Parochus validè non aſſiſtit matrimonio eorum, qui ſibi non ſubjiciuntur, ſed ſunt Parochiani alterius, *argument. Clement.* 1. *de privileg. cap.* 12. *de pœnis, & remiſſ. cap.* 2. Sed in noſtro caſu, ſuppoſita prohibitione Epiſcopi, Sponſi non ſubjiciuntur Parocho, cui ab Epiſcopo prohibetur aſſiſtere matrimonio, ergo non poteſt eidem validè aſſiſtere, & firmatur, quia Epiſcopus prohibendo Parochis abſolutionem à caſibus reſervatis ſubtrahit pœnitentes, quoad illos caſus reſervatos, juriſdictioni Parochorum, qui propterea validè non poſſunt eos abſolvere, ergo à pari, ſi Epiſcopus prohibeat Parocho, ne aſſiſtat matrimonio talium perſonarum, ſubtrahit illas ſaltem quoad contractum matrimonialem juriſdictioni Parochi, qui propterea earum matrimonio validè aſſiſtere non poteſt; quapropter generaliter concluditur, invalidum eſſe matrimonium contractum coram Parocho, cui Epiſcopus interdixit, ne tali matrimonio aſſiſteret.

Verum tale matrimonium non eſſe clandeſtinum, ſed initum in facie Eccleſiæ, non obſtante prohibitione Epiſcopi facta Parocho, eſt communior, ac deſumitur ex evidenti textu *in cap.* 2. *de matrim. contracta contra interdictum Eccleſiæ*, ubi Pontifex reſpondit, *licèt contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debueris, non tamen eſt conveniens, ut ob id ſolum Sacramentum conjugii diſſolvatur*, ex quo textu infertur interdictum Eccleſiæ, aut prohibitionem Epiſcopi, non irritare matrimonium contra talem prohibitionem initum: Hoc idem etiam aſſerit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. matrimonii cap.* 7. ubi Sacra Synodus præcipit Parochis, ne Vagabundorum matrimoniis interſint, & nihilominus, ſi Parochus contra prohibitionem Concilii interſit matrimonio Vagabundorum, illud ſortitur ſuum valorem, ut feciſſe declaratum à Sacra Congregatione Concilii Tridentini, referunt plures apud Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 25. *n.* 16. ergo ſimiliter, ſi Parochus contra prohibitionem Epiſcopi, certarum perſonarum matrimonio aſſiſtat, illud erit validum, & firmatur, quia matrimonium contractum contra ſimplicem prohibitionem ſummi Pontificis, de jure eſt validum, ut notat Gloſſa *in cap. ad diſſolvendum de deſponſat. impuber.* ergo à fortiori validum erit matrimonium contra interdictum, & prohibitionem Epiſcopi initum, quia ſi ſimplex cohibitio Papæ vel Concilii Generalis, quæ non habet annexum decretum irritans relinquit validum de jure matrimonium, ut apparet ex omnibus impedimentis tantùm impedientibus *cap. unic. de voto in* 6. à fortiori prohibitio Epiſcopi relinquet matrimonium in ſuo valore, quia Epiſcopus, vel alius Eccleſiaſticus inferior Papa, non poteſt impedimenta dirimentia ſtatuere, vel matrimonium prohibere irritando, aut inhabilitando perſonas, ut notat Fagnanus in *cap. littera quas de matrim. contract. contra interdictum Eccleſiæ n.* 7. & 19. Hoc idem etiam evincitur authoritate Canoniſtarum præſertim Panormitani ad *cap. Ad diſſolvendum de matrim. contract. contra interdict. Eccleſ.* Gonzales in *cap. fin. de matrim. contra interdictum n.* 2. Pontii *lib.* 6. *de matrim. contra interdictum n.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 32. *n.* 2. & aliorum qui ex allegato ſupra textu *cap.* 2. *de matrim. contract. contra interdict. Eccleſ.* aſſerunt, aliud eſſe prohibere matrimonium, & aliud illud irritare, ex quo inferunt ex prohibitione matrimonii nullo pacto inferri illius nullitatem; quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem *cap.* 16. *de Regul.* ergo ex mente horum Doctorum non obſtante prohibitione Epiſcopi matrimonium, cui aſſiſtit Parochus prohibitus ab Epiſcopo, ſuum ſortitur valorem, quia ex ſimplici prohibitione, cui decretum irritans non eſt annexum non licèt inferre nullitatem actus, neque Epiſcopus ſuis prohibitionibus poteſt adnectere decretum irritans, neque competit Epiſcopo poteſtas interdicendi matrimonia *cap.* 1. *de conſanguin. & affin.* eſt enim ſolius ſummi Pontificis matrimonia irritare, ac de illis ſtatuere cum decreto irritante, ut notat Fagnanus *loc. cit. n.* 7. & 19.

Ratio etiam id ſuadet, quia, quamdiu verificatur forma Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* tamdiu matrimonium cenſetur validum, licèt ex alio capite fortaſſis ſit illicitum: ſed non obſtante prohibitione Epiſcopi exactè verificatur forma Concilii Tridentini, ſcilicet matrimonium initum eſſe præſente Parocho, conſequenter adhuc erit validum, quamvis fiat illicitum ob prohibitionem Epiſcopi, minor ſuadetur, quia per prohibitionem Epiſcopi non auferitur à Parocho qualitas Parochi, neque deſinit eſſe Parochus; ergo ſi illo præſente celebretur matrimonium, verificatur forma Concilii, ſcilicet matrimonium eſſe celebratum præſente Parocho, conſequenter matrimonium erit validum, & contractus legitimus, quamvis præſentia Parochi, ex prohibitione Epiſcopi illicita fuerit. Firmari ex eo poteſt, quia perſona ad certum actum legitimata non poteſt ab inferiore ad eundem actum inhabilitari, *l.* 5. *ff. de Juriſdict.* Sed perſona Parochi à Concilio Tridentino eſt legitimata ad exhibendam ſuam præſentiam in matrimoniis *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* ergo perſona Parochi non poteſt ab Epiſcopo per prohibitionem inhabilitari ad ſuam præſentiam exhibendam matrimoniis, quo minus matrimonium coram tali Parocho initum ſuam ſortiatur validitatem, ut cenſet Fagnanus *loc. cit. n.* 13. Præterea ad valorem actus ſatis eſt, ſi concurrant omnia requiſita de facto, quamvis de jure non adſint, *argum. l.* 20. §. 1. *ff. de condit. inſtit.* Sed ex Concilio Tridentino, ut matrimonium ſit validum, ſufficit conſenſus utriusque Sponſi, qui exprimatur per verba de præſenti, coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, unde quamvis ab Epiſcopo prohibeatur Parochus, ne tali matrimonio aſſiſtat, adhuc habentur de facto omnia requiſita ad valorem matrimonii, quamvis de jure, id eſt

Digitized by Google

eſt, licitè, ſtante Epiſcopi prohibitione, non potuerit aſſiſtere, quia contra prohibitionem Superioris non licet quidquam agere, ſi prohibitio ſit juſta, qua ratione non eſt licitum nuptias contrahere tempore adventûs, quia ab Eccleſia prohibetur, ſed ſi contrahantur, matrimonium eſt validum.

Ad primum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, totam poteſtatem, & jurisdictionem Parochi dependere ab Epiſcopo, quoad inſtitutionem, quatenus ab ipſo poteſt inſtitui, & ab eodem juſtis de cauſis etiam deſtitui Parochia, ſed ſemel, quòd eſt inſtitutus, & remanet, talis Epiſcopus non poteſt impedire, quin curam gerat animarum, quia hæc eſt eſſentialiter adnexa officio Parochi, neque poteſt impedire, quin matrimonium initum coram præſentia talis Parochi ſit validum, quia inferior non habet poteſtatem in ſuperiorem, & hæc validitas rata habetur à Concilio Trid. quod tantùm requirit ad valorem matrimonii, ut contrahatur in facie Eccleſiæ, ſeu coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, & Epiſcopus non poteſt reprobare, quod à Concilio Generali approbatur, neque poteſt ſuæ prohibitioni adnectere clauſulam irritatoriam; & ſimplex prohibitio non irritat actum prohibitum, de jure canonico *cap. 16. de Regularib.* Hinc Epiſcopus vel alius Papa inferior nequit matrimonium prohibere irritando aut inhabilitando perſonas, niſi aliunde impedimentũ de jure dirimens habeatur.

Ad aliud, quo ſupponitur aſſiſtentia Parochi, eſſe actus jurisdictionis in celebratione matrimonii, reſpondetur, Parochum aſſiſtendo matrimonio præciſè nullam jurisdictionem exercere; ſed exhibere nudam præſentiam, & ſolum miniſterium facti, adeo ut Parochus ſit tantum teſtis præcipuus, & neceſſarius ad valorem matrimonii, quapropter matrimonium celebratum coram Parocho etiam ſuſpenſo, imò & excommunicato denuntiato, adhuc eſt validum, ut docet Navarrus in *Manual. cap. 27. n. 2.* & Fagnanus *loc. cit. n. 26.* aſſerit ita fuiſſe reſponſum à ſacra congregatione Concilii. Ratio itidem ſuffragatur, quia Concilium Tridentinum, ſolum requirit qualitatem Parochi proprii: ſed non obſtante prohibitione, ſuſpenſione, & excommunicatione adhuc remanet Parochus proprius contrahentium matrimonium *cap. 37. §. his autoritatibus. cauſa 24. q. 1.* Ergo his non obſtantibus adhuc validè aſſiſtit matrimonio, cùm non ſit deſtitutus parochiâ, nec alius ſubſtitutus Parochus.

Ad id, quod addebatur à pari de caſibus reſervatis contra prohibitionem Epiſcopi, à quibus non poſſit inferior ſacerdos abſolvere, reſpondetur, eſſe diſcrimen, quia eatenus abſolutio, quam ſacerdos inferior contra prohibitionem Epiſcopi impendit, eſt invalida, & nulla circa caſus reſervatos Epiſcopo, quia abſolutio eſt actus jurisdictionis, quem Sacerdos, vel Parochus tanquam miniſter ſacramenti pœnitentiæ impendit, conſequenter præter qualitatem ſacerdotis aut Parochi requiritur etiam poteſtas, aut jurisdictio, quã cùm non habeat ab Epiſcopo ſacerdos inferior, ideo non poteſt, validè impendere abſolutionem à caſibus ſoli Epiſcopo reſervatis, abſolutio enim eſt actus jurisdictionis, qui ſupponit in abſolvente poteſtatem & jurisdictionem, quam inferior ſacerdos debet neceſſariò accipere ab Epiſcopo: ſecus aſſiſtentia Parochi in celebratione matrimonii non eſt actus jurisdictionis, & Parochus non præſtat præſentiam tanquam miniſter hujus ſacramenti, ſed tantùm ut principalis teſtis, ut matrimonium fiat coram facie Eccleſiæ, & quia Epiſcopus ipſum non privat qualitate Parochi, ideo quãvis prohibitus exhibeat ſuam præſentiam, matrimoniũ ſortitur ſuum valorem, quia de facto adſunt omnia à Concilio Trid. requiſita, ut tale matrimonium ſit validum, quamvis de jure non adſint ob prohibitionem Epiſcopi.

Ad aliud argumentum, in quo dicebatur, matrimonium eſſe nullum, cui ſimplex ſacerdos aſſiſtit, non obſtante revocatione facultatis, quam illi conceſſerat Parochus, reſpondetur eſſe itidem diſcrimen, quia ſemel quòd Parochus revocat facultatem datam ſimplici ſacerdoti aſſiſtendi matrimonio, ſimplex ſacerdos non eſt amplius ſubſtitutus Parochi, nec vices illius amplius gerit, ſed manet perſona tantùm privata, & ut talis non habet qualitatẽ legalem requiſitam à jure, ut matrimonio aſſiſtat, quod propterea nullius eſt valoris, quia Concil. Trid. exigit, ut matrimonium contrahatur in facie eccleſiæ, ſeu præſẽte Parocho, vel alio ſacerdote de licentia, & commiſſione Parochi, ut vices illius gerat, & duobus vel tribus teſtibus; & quando Parochus revocat licentiam datam ſimplici ſacerdoti aſſiſtendi matrimonio, nõ amplius gerit vices illius, ut ſubſtitutus, conſequenter, cùm tali matrimonio non aſſiſtat Parochus eſt nullius valoris. Aliud verò eſt in Parocho, qui ab ipſo jure ſpecialiter deputatur, ut ex officio, & tanquã perſona publica matrimonio aſſiſtat, conſequenter quamdiu manet Parochus, validè ſemper aſſiſtit non obſtante prohibitione Epiſcopi, qui hanc facultatem à concilio attributam Parocho auferre non poteſt.

Hinc ad aliud, quod addebatur, reſpondetur, matrimonium eſſe contrahendum coram Parocho proprio, alioquin ſi contrahatur coram Parocho non proprio non verificatur forma Concilii Trid. quia paria ſunt, non contrahere coram Parocho, & contrahere coram Parocho non proprio, ſed quamvis matrimoniũ contrahatur coram Parocho prohibito ab Epiſcopo, permanente tamen ipſo Parocho, adhuc contrahitur coram Parocho proprio, conſequenter matrimonium ſuum ſortitur valorem. Dupliciter poteſt dici Parochus non legitimus, vel quia prohibetur gerere aliquẽ actum, ſed ipſe maneat eſſe Parochus, & hæc illegitimitas Parochi non reddit actum prohibitum nullum, niſi aliunde occurrat aliquod impedimentum dirimens, vel poteſt dici Parochus non legitimus, quia non eſt proprius, vel quia deſtitutus officio Parochi, & hæc illegitimitas reddit actum nullum, ſi ejuſdem valor dependeat à jurisdictione vel qualitate proprii Parochi. Quamobrem ſi Parochus prohibitus matrimonio aſſiſtat, adhuc matrimonium eſt validum, quia, licet Parochus prohibitus in aliquo ſenſu dici poſſit non legitimus, quia tamen adhuc eſt proprius, cenſetur de jure legitimus, & matrimonium eſt validum, cùm ſit talis, qualem Concilium Trid. ad hunc actum gerendum requirit, quia ut notat Fagnanus *loc. cit. n. 21.* Parochus proprius, quamvis prohibitus, neque jure naturæ, ut conſtituat matrimonium, ut eſt officium naturæ, nec jure divino, quatenus matrimoniũ elevatur ad dignitatẽ ſacramenti, cenſeri debet illegitimus.

Ad aliud argumentum, quo dicebatur, quod ſubditi ſubtrahantur à jurisdictione Parochi prohibiti, reſpondetur, gratis id aſſeri, ſuppoſita prohibitione Epiſcopi volentes contrahere non eſſe amplius ſubditos Parochi alioquin proprii, id enim omnino falſum eſt, quia ſimplex prohibitio ſummi Pontificis, vel concilii generalis non operatur nullitatem matrimonii, conſequenter non inhabilitat contrahentes, neque ex ſubditis facit, ut non ſint ſubditi, conſequenter multo minus prohibitio Epiſcopi inhabilitat contrahentes, quos ex ſubditis facit non ſubditos, non enim prohibitio retrahit ſubditos, eoſque eximit à poteſtate proprii Parochi.

Neque urget, quod addebatur, quia interdictio fori pœnitentialis, cùm expreſſa facultate reſervandi caſus, & delicta atrociora de jure, & principaliter conve-

Digitized by Google

convenit Epiſcopo, qui proinde hanc fori pœnitentialis juriſdictionem inferioribus ſacerdotibus, ut conſultius ei viſum fuerit, cum reſervatione certorum caſuum communicare poteſt. Secus poteſtas aſſiſtendi matrimonio non primo, & principaliter, ac privativè competit Epiſcopo, poſtea de illius conceſſione etiam Parocho: ſed Concilium Tridentinum hanc poteſtatem conceſſit æquè principaliter ipſi Parocho, & cumulativè cum Epiſcopo, quapropter Epiſcopus facultatem benedicendi matrimonia competentem Parochis non poteſt ab iiſdem auferre, niſi etiam eos deſtituat officio Parochi; neque ex ſubditis poteſt facere non ſubditos, & inhabilitare contrahentes per ſuam prohibitionem.

CAPUT XIV.

De cauſa efficiente matrimonii.

CErtum eſt, mutuum contrahentium conſenſum per verba de præſenti expreſſum eſſe cauſam efficientem vinculi matrimonialis, quo conjuges ſimul vinciuntur, & obligantur ad ſimul habitandum cum jure petendi & exigendi debitum ſeu uſum matrimonii, diximus enim hoc vinculum, quo conjuges ſimul vinciuntur cum tali jure eſſe matrimonium in facto eſſe, id enim conſtat ex *can. ſufficit*, qui eſt Nicolai I. reſpondentis ad conſulta Wulgarorum, ubi ait: *Sufficit ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui conſenſus, ſi in ipſis ſolus poſtea forte defuerit; cætera omnia fruſtrantur.* Hoc idem etiam confirmat Eugenius IV. in decreto pro inſtructione Armenorum poſt Concilium Florentinum edito, ubi aſſerit: Mutuum conſenſum per verba de præſenti eſſe cauſam efficientem matrimonii *regulariter*, uſus enim eſt hoc adverbio propter ſponſalia exprimentia conſenſum per verba de futuro, quæ jure veteri uſque ad Concilii Tridentini promulgationem vigente, ſi accederet copula, in matrimonium tranſibant, quod tamen jus antiquum abrogatum fuit Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. cap. 1.* ubi ait: *Qui aliter quam præſente* Paracho, *vel alio ſacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat:* Præterea quia quod eſt unius non tranſit legitimè in poteſtatem alterius, niſi vel authoritate legis, vel conſenſu Domini, in matrimonio autem traditur conjugibus mutuo poteſtas ſuorum corporum, ut enim ait Apoſtolus. *1. ad Corinth. 7. Mulier non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vir: ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*, ergo fieri non poteſt niſi per mutuum conſenſum liberum, & legitimum, quo mas, & fœmina ſe ipſos vinciunt, & obligant.

Hinc conſenſus debet eſſe omnino liber, & verus externo aliquo ſigno expreſſus coram legitimis teſtibus, quodque nullam habet conditionem deſinentem præſenti in conſenſus. Quod requiratur conſenſus, ex eo conſtat, quia non poteſt quidquam eſſe ſine ſuis partibus eſſentialibus, & conſenſus quatenus eſt traditio, & acceptatio, eſt eſſentialis huic Sacramento. Rurſus debet eſſe liber ab omni neceſſitate, & coactione, à neceſſitate quidem, quia ille, qui conſentit, debet habere uſum rationis, & indifferentiam voluntatis, adeo ut ſit in poteſtate illius exhibere, vel non exhibere conſenſum: ſiquidem ſe obligat ad aliquid, quod ſine gravi peccato non poteſt omittere: quinimò hæc libertas requiritur ad omnem contractum: quapropter pueri, amentes, tempore amentiæ, & ebrioſi, quando non ſunt ſui compotes, non poſſunt matrimonium inire ob defectum libertatis, quinimò ſi aliquis ſe inebriaret prævidens, ſe tempore ebrietatis præſtiturum conſenſum in matrimonium, talis conſenſus non valeret ex defectu libertatis, quia ad hoc Sacramentum requiritur, ut conſenſus ſit omnino liber, hinc requiritur etiam plena libertas à coactione, quam tollit metus gravis mali injuſte incuſſus ad extorquendum matrimonium; qui tamen timor talis eſſe debet, ut cadet in virum conſtantem, quem deterreat à negando conſenſu, ut declaravit Alexander III. *in cap. cum locum de ſponſal. & matrim.* ubi ait: *Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut, ubi aſſenſus cujuſdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur, & ubi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat, ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire. Quocirca mandamus, quatenus puellam, de cujus matrimonio quæſtio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, faciat honeſtè teneri, donec prædicta cauſa terminata fuerit, & ſententia ſine contradictione cujuſquam valet executioni mandari.* Hoc idem confirmat Honorius III. *cap. Conſultationi eod. tit.* inquiens: *Mulieres, quæ venirent ad valvas Eccleſiæ benedicendæ cum ſuis ſponſis, & ibi reclamantes affirmant, ſe nunquam in eorum matrimonium conſenſiſſe: audire (ſponſis legitimè probantibus contrarium) non oportet cum legitimis, & idoneis teſtibus, non debeat illarum ſimplex aſſertio prævalere. Sanè illæ, quæ benedictione accepta mox à ſponſis aufugiunt ante carnis copulam ſubſecutam, aſſerentes ſe nunquam in illos veraciter conſenſiſſe: ſed metu illato compulſas, verba protuliſſe conſenſus, licet animo diſſentiren, non ſtatim eſt audientia deneganda: ſed de illato metu eſt cum diligentia inquirendum: & ſi talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in conſtantem virum, erunt non immeritò audiendæ.* Ratio itidem aſſignatur à D. Thoma in *4. ſententiar. diſt. 29. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1.* quia vinculum matrimonii perpetuum eſt: illud autem quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium: metus autem, qui cadit in conſtantem virum, tollit perpetuitatem contractus, quia peti poteſt reſtitutio in integrum, conſequenter tollit matrimonium. Verum ut metus dicatur cadere in virum conſtantem debet eſſe talis, ut ad evadendum majus malum, quod veriſimiliter imminet, adigitur quiſpiam amplecti minus

Digitized by Google

contrahendo virum, & mulierem, & ſicut mulieri non licet plures habere viros, alioquin ſterileſceret, perinde ac meretrices, quod vergeret in exitium Rei publicæ, & extinctionem humani generis, ita non liceat uni viro plures habere uxores, quamvis omnes eſſent fœcundæ, prolique gignendæ peraptæ; quia in matrimonio paritas ſervanda eſt, adeo ut, ſicut una mulier non poteſt nubere niſi uni viro, ita neque unus vir niſi uni mulieri, alioquin non daretur paritas, & ratio etiam deſumitur ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 7. ubi ait: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Uxori vir debitum reddat.* Tametſi pluralitas uxorum non deſtituat virum fœcunditate; nec adverſetur primario fini matrimonii, ſcilicet procreationi liberorum, ſicut repugnat huic fini pluralitas virorum reſpectu unius uxoris; adhuc tamen repugnat honeſtati, & juri conjugali, quia uxori fieret injuria, ſi corpus viri, cujus dominium habet mulier ex vi ipſius matrimonii, alteri traderetur. Finis ſecundarius matrimonii, quamvis non omnino tollatur per polygamiam, multum tamen impeditur, ſiquidem, ubi ſunt plures uxores in una, eademque familia, vix poteſt pax, & tranquillitas ſervari, ſicut enim, ſi plures inſtituantur in uno eodemque officio, hæc communicatio eſt cauſa invidiæ, diſſidiorum, rixarum, & odii, ita, ſi unus vir plures poſſet uxores ducere, lites inter ipſas orirentur, ut etiam continuæ rixæ, quibus pax omnis exularet. Hinc pluralitas uxorum eſt quodammodo contra legem naturæ, ut ediſſerit D. Thomas.

Rurſus hæc pluralitas uxorum adverſatur divino juri, & inſtitutioni Sacramenti, quod ita inſtitutum à Chriſto fuit, ut eſſet unius tantùm cum una indiſſolubilis conjunctio, & rememorativum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ conjunctio ſignificat conjunctionem unius viri cum unica Sponſa caſtiſſima. Hinc lex illa Valentiniani Imperatoris, qua pluralitatem uxorum licitam eſſe declaravit, ad eum finem, ut Juſtinam vivente adhuc Severa conjuge ſibi in matrimonium ducere poſſet communi omnium conſenſu improbata fuit, ait enim Auguſtinus *lib. de Bono conjugali cap.* 7. *Poſſet enim homo dimittere ſterilem uxorem, & ducere, de qua filios habeat: & tamen non licet, & noſtris quidem jam temporibus, & more Romano, neque ſuperducere, ut amplius habeat quam unam vivam.* Hoc idem repetit *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 47. & pleriſque aliis in locis. Hinc ſi quiſpiam infidelis, qui patria conſuetudine plures duxiſſet uxores, & ad Chriſti religionem, fidemque Catholicam converteretur, eccleſia ſtatim ei injungeret, ut dimiſſis pluribus illis uxoribus, unam tantùm, ſeu primam, cum qua nuptias contraxerat retineret, & ut propriam, ac veram uxorem haberet, ut declaratur *in cap. Gaudemus, de divortiis*, quia contrarium ſentientes anathemate percutiuntur à Tridentina Synodo, quæ *ſeſſ.* 24. de matrimonio ait: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores; & hoc nullâ lege divina prohibitum, anathema ſit.*

Quòd ſi dicas, Patres veteris legis plures duxiſſe uxores, & tamen non perperam egiſſe contra legem naturæ, tametſi plures ex illis Patriarchis pietate, & ſanctitate plurimum fuerint commendati, & *Matth.* 29. electi dicantur moraturi cum Abraham, Iſaac, & Jacob, in regno cœlorum, ait enim Chriſtus, fore, ut *electi recumbant cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cœlorum*, ex quibus clarè infertur polygamiam non eſſe ex ſe, & ex intrinſeco ſui malam, nec ullum redolere vitium, alioquin, cùm David plures habuerit uxores, & graviſſimè fuerit punitus ob unicum adulterium patratum cum Bethſabea uxore Uriæ, fuiſſet itidem punitus per uſum matrimonii cum pluribus uxoribus, & tamen ob talem uſum non fuit punitus, eò quia polygamia eſt ex ſe licita, ſeu plures ſimul habere uxores. Nam contra eſt, reſpondetur, Monogamiam, ſeu legem de unitate uxoris eſſe quidem divinam, & naturalem, ſed ex earum numero, in quibus poſſit Deus diſpenſare, cùm de facto diſpenſaverit: ſiquidem quædam ſunt, quæ ad legem naturæ primariò pertinent cujuſmodi ſunt hæc Decalogi præcepta, Deus amandus eſt, parentes honorandi, vitandum homicidium, mendacium, furtum, & adulterium, in quibus non poteſt diſpenſatio cadere, hinc homicidium privata authoritate patratum, ut etiam adulterium, furtum, & mendacium ſunt per ſe ab intrinſeco mala, adeoque indiſpenſabiliter ſemper illicita. Alia verò, nonniſi ſecundariò pertinent ad legem naturæ, quæ, cùm per ſe mala non ſint, ſed eatenus mala, quia prohibita, Dei authoritate, & diſpenſatione licita fieri poſſunt, ut polygamiæ prohibitio, in qua Deus diſpenſavit ſub mundi initiis, & cum Patriarchis veteris legis, quibus conceſſit, ut plures uxores ducerent, ad propagationem populi Dei, & ſignificationem plurium myſteriorum: etenim myſterium in duabus uxoribus Abrahæ adumbratum fuiſſe, explicat Apoſtolus *ad Galat.* 4. ſcribens: *Tunc officium pietatis erat operatio etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio nuntia futuri etiam erat, & ad diſpenſationem propheticam pertinebat*, ut loquitur Auguſtinus *de Bono conjugali cap.* 17. Rurſus Patriarchis veteris legis ideo Deus conceſſit uxorum pluralitatem, quia, ut notat idem Auguſtinus *de bono conjugali cap.* 19. de ſuis nuptiis filios propter Chriſtum quærebant ad genus ejus ſecundum carnem diſtinguendum ab omnibus gentibus, ſicut Deo diſponere placuit, ut hoc præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod prænuntiabatur, ex quo etiam genere, & ex qua gente eſſet in carne venturus. Deum autem diſpenſâſſe cum Patriarchis illis veteris legis, quamvis ſcriptura expreſsè non fateatur, ex illa tamen infertur: ſiquidem illorum ſanctitati teſtimonium perhibet; neque illorum polygamiam unquam reprehendit, idque argumento, fuiſſe immunem ab omni culpa, quod non contigiſſet, niſi Deus diſpenſâſſet, quapropter D. Auguſtinus *lib.* 2. *contra Fauſtum cap.* 67. ait: *Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia enim ſunt peccata contra naturam; alia contra mores; alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob? ſi naturam conſulas, non laſciviendi, ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore, atque in illis terris hoc paſſim fiebat: ſi præceptum, nulla lege prohibebatur: nunc verò cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia moribus, & legibus id non liceat.* Oſtendit D. Auguſtinus polygamiam non fuiſſe contra legem naturæ, eò quia primis illis temporibus cum patriarchis Deus diſpenſaverit, licèt enim præciſa diſpenſatione non fuiſſet conſentanea legi naturæ, quia tamen non repugnavit mulierum fœcunditati, neque virorum generationi, Deus diſpenſavit, ut ſuus populus citiùs multiplicaretur; hinc polygamia nulla lege poſitiva tunc prohibebatur, nunc verò prohibita eſt Chriſtianis in lege evangelica, quia Dei populus ſufficienter jam multiplicatus fuit, & Chriſtus in terris natus. Rurſus neque polygamia in lege veteri

fuit

fuit contra mores, quia eo tempore recepta erat, & à Deo permiſſa; unde Patriarchis non poterat vitio verti, cùm divina diſpenſatione fuerit iisdem conceſſum, ut plures poſſent uxores ducere. Cæterum ſublata divina diſpenſatione nunquam licitum fuit, plures uxores ducere. Quòd autem Patriarchæ antiquæ legis agnoverint hanc DEI diſpenſationem cum ipſis factam, ex interna inſpiratione fuit illis id exploratum; quapropter Innocentius III. *in cap. Gaudemus de divortiis* ait: *Nec ulli unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum; per quam, ſicut Jacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ, & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur.* Hoc idem etiam evincit D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2.* inquiens: *Lex de unitate uxoris non eſt humanitus, ſed divinitus inſtituta, nec unquam verbo aut literis tradita, ſed cordis impreſſa, ſicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent, & ideo in hoc à ſolo DEO diſpenſatio fieri potuit per inſpirationem internam, quæ quidem principaliter Sanctis Patribus facta eſt, & per eorum exemplum ad alios derivata eo tempore, quo oportuit, prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ; ſemper enim principalior finis magis conſervandus eſt, quàm ſecundarius: unde, cùm bonum prolis ſit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio neceſſaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod poſſet in ſecundariis finibus evenire, ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.* & in reſponſione ad 3. ait: *Qualis eſt lex, talis debet eſſe diſpenſatio legis, & quia lex naturæ non eſt literis ſcripta, ſed cordibus impreſſa; propter hoc non oportuit diſpenſationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege ſcripta dari, ſed per internam inſpirationem fieri.*

Culpanda igitur non fuit Patriarcharum veteris legis polygamia, cùm plures polygami præſtantiores fuerint, ac commendatiores multis monogamis Legis Evangelicæ, tametſi continentia ſit matrimonio excellentior, ſi enim perſonam Abrahami polygami pluribus non ſolùm monogamis, ſed etiam qui continentiam profeſſi vitam cœlibem egerunt, comparantes iſtis præponendus erit Abraham: quia non externum opus, ſed animi propoſitum conſiderandum eſt; ſeu ut ait D. Auguſtinus animi habitus ſpectandus eſt, in quo virtus potius conſiſtit, quàm in opere. Si igitur conſideremus habitum continentiæ in Abrahamo polygamo, in illo virtutem eximiam fuiſſe fatebimur: quòd ſi optio illi data fuiſſet, qualis revelato novo Teſtamento data eſt, dicente Chriſto: *Qui poteſt capere, capiat*, utique cœlibatum nuptiis prætuliſſet: ait D. Auguſtinus *lib. de bono conjugali cap. 21.* ait: *Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Joanne, qui paſſus non eſt: ſic non eſt impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. Et illius enim cœlibatus, & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt: ſed continentiam Joannes & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat.* Quòd ſi optio data fuiſſet Abrahæ, continentiam nuptiis prætuliſſet, ex eo evincit D. Auguſtinus, quia paratus fuit, ut Deo placeret, proprium filium immolare: ait Auguſtinus *lib. de Bono conjugali cap. 21.* *Qui unicum prolis pignus, propter quod nuptiæ caræ ſunt, potuit intrepidus immolare propter regnum cœlorum.*

CAPUT XII.

De quidditate Metaphyſica, & Phyſica matrimonii: & quis ejus Miniſter.

SI ſpectemus matrimonium, ut eſt officium naturæ à Deo ordinatum ad propagationem humani generis, ejus quidditas metaphyſica conſiſtit in mutuo vinculo conjugali indiſſolubili orto ex mutuo jure & poteſtate, quam ex mutua traditione uterque conjux habet in corpus alterius, adeo ut hoc vinculum quoad conjuges vixerint, ſit indiſſolubile, ut infertur ex Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 7. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit:* & eſt eadem ratio de viro, quanto tempore uxor ejus vivit. Oritur enim hoc vinculum indiſſolubilitatis ex fine, ad quem matrimonium ex ſuo jure dirigitur, eſtque ipſa prolis procreatio, & educatio, quæ ne incerta eſſet ex parte parentis, cui vel maximè incumbit cura prolis educandæ, reſpuit vagum concubitum, ut contrarium ſuo fini. Quòd autem quidditas metaphyſica matrimonii conſiſtat in hoc vinculo indiſſolubili ſuperius explicato: ex eo conſtat: quia, poſito hoc vinculo, ponitur matrimonium, perinde ac, poſito complexo ex animalitate, & rationalitate, ponitur homo; &, illo ſublato, tollitur: ergo in tali vinculo formaliter, & quidditativè conſiſtit matrimonium: quia id, ſine quo non poteſt intelligi rei eſſentia, eſt prædicatum conſtitutivum illius. Antecedens claret: quia nullo poſito ex parte conjugum conſenſu tranſlativo dominii ſui corporis in alterum, poteſt intelligi verum eſſe matrimonium, ut ſi Deus ſupremus corporum, & animarum Dominus utriusque conjugis dominium transferat in alterum; unde hoc vinculum ſe habet conſecutivè ad conſenſum, qui eſt potius cauſa efficiens matrimonii, conſequenter non poteſt eſſe cauſa formalis conſtitutiva matrimonii; ſiquidem cauſa formalis debet eſſe intrinſeca; cùm cauſa efficiens ſit extrinſeca. Præterea quia mutuus conſenſus ſe habet per modum fluxus, non permanentiæ, & eo ceſſante perſeverat matrimonium, ut effectus diſtinctus à cauſa.

Quòd ſi dicas, perſeverare ſaltem moraliter conſenſum habitualem. Contra eſt: quia etiam ſi conjuges primum ſuum conſenſum retractent, adhuc inter illos perſeverat matrimonium, quamvis non maneat habitualis conſenſus, qui per diſſenſum ſubſequentem revocatur: ex quibus conſtat, matrimonium formaliter, & quidditativè non conſiſtere in mutuo conſenſu, qui potius eſt cauſa efficiens matrimonii.

Rurſus

Digitized by Google

Ruſus neque formaliter conſiſtit in mutuo jure utriusque conjugis in corpus alterius; nec in obligatione mutua ad debitum conjugale; quia tale jus, & obligatio ceſſant per adulterium alterius conjugis, manente vinculo matrimonii conſummati. Rurſus quia inter Deiparam, & S. Joſephum fuit verum, ac propriè matrimonium; tametſi obligatio reddendi debitum conjugale fuerit ſemper impedita: unde ſupereſt, ut quidditas matrimonii formaliter conſiſtat in ſolo vinculo, quo conjuges ſunt formaliter vincti: quia poſito hoc vinculo ponitur matrimonium formaliter, & illo ſublato tollitur: qua ratione definitur matrimonium; *Viri, & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens*: Dicitur *conjunctio viri, & mulieris* ratione finis, ad quem ordinatur matrimonium, ſeu in ordine ad prolem gignendam: ad id enim requiritur conjunctio maris cum fœmina; quapropter Deus ſtatim ſub mundi conditi initio creavit virum, & ex coſta Adæ Evam efformavit, ut *eſſent duo in carne una*. Adduntur aliæ particulæ *inter legitimas perſonas*, quia non omnes perſonæ habiles ſunt ad contrahendum matrimonium, ut ſunt illæ, quæ vel impotentes ſunt ad generandum, vel ſunt alio matrimonio ligatæ, vel alio naturali, aut poſitivo vinculo impeditæ. Poſtremæ particulæ, *individuam vitæ conſuetudinem retinens*, ſignificant diſtinctionem matrimonii ab omnibus aliis conventionibus, vel unionibus ortis ex aliis contractibus, quia hujusmodi conventiones, & uniones tolluntur per mutuum utriusque contrahentis conſenſum, matrimonium verò eſt vinculum omnino indiſſolubile.

Quòd ſi dicas, matrimonium debere conſiſtere in fieri, non in facto eſſe, perinde ac alia Sacramenta conſiſtunt in uſu ſeu fieri, conſequenter non poſſe formaliter conſiſtere in vinculo maritali reſultante ex mutuo utriusque conjugis conſenſu; quia hoc vinculum, cùm ſit indiſſolubile, eſt quid permanens, ergo debet formaliter conſiſtere in ipſo conſenſu mutuo, non in vinculo maritali. Contra eſt, quia, tametſi cauſa efficiens matrimonii debeat eſſe per modum tranſeuntis, & conſiſtere in fieri, ſeu in mutuo conſenſu utriusque conjugis; nihilominus quoad ſuam rationem formalem, & quidditatem conſiſtit in aliquo permanente, ſeu in vinculo reſultante ex mutuo conſenſu utriusque conjugis: quia ſicut ceſſantibus verbis, quibus exprimitur exteriùs internus conſenſus adhuc remanet matrimonium, conſequenter neceſſe eſt, remaneat etiam ipſa quidditas matrimonii.

Sed inſtabis, quia non poteſt explicari, quid propriè ſit hoc vinculum reſultatum ex mutuo conſenſu utriusque conjugis: conſequenter non videtur quidditas matrimonii conſiſtere in hoc vinculo. Contra eſt, quia, ut docet D. Thomas *quæſt.* 44. *art.* 3. Sicut matrimonium eſt in genere relationis, quæ explicatur per *conjunctionem* tanquam per genus, & per *maritalem* ut differentiam; ita vinculum, in quo formaliter conſiſtit quidditas matrimonii, eſt in genere relationis, eſtque relatio diſquiparantiæ, eo quia unus conjux ad hanc conjunctionem concurrit ut principium activum, & alter ut paſſivum; adeo ut ex parte ſubjecti ſit multiplex, quamvis ex parte termini, & finis ſit ſimplex, eo quia utriusque materialis conjunctionis finis ſit unus tantum.

Si dicas, matrimonium debere neceſſariò conſiſtere in aliquo ſigno ſenſibili; & hoc vinculum utpote in genere relationis non poſſe eſſe quid ſenſibile; conſequenter matrimonium non poſſe formaliter conſiſtere in hoc vinculo. Contra eſt, quia, ut docet D. Thomas *loc. cit. ad* 2. tametſi relatio non ſit quid ſenſibile, ejus tamen cauſæ ſunt ſenſibiles, quod ſufficit: non enim in Sacramento requiritur, ut ſit quid ſenſibile id, quod eſt res Sacramenti, ſed ſufficit ſi ejus cauſa efficiens, ſeu mutuus conſenſus ſit ſenſibilis.

Quod verò ad quidditatem phyſicam ſpectat, ſeu ad materiam, & formam matrimonii, docent plures materiam matrimonii eſſe mutuum utriusque conjugis conſenſum, & formam eſſe ſigna exteriora ſenſibilia exprimentia internum conſenſum, quæ ſigna regulariter ſunt verba: ita cenſent Covarruvias, Navarrus, Rebellius, Capreolus, & alii. E converſo cenſent alii internum contractum eſſe formam, & verba ſenſibilia exprimentia conſenſum internum eſſe materiam. Sed neutra ſententia videtur vera, quia materia ſaltem totalis hujus Sacramenti, & forma illius debent eſſe quid ſenſibile; ſed utriusque contrahentis internus conſenſus non eſt quid ſenſibile, ſed tantum fit ſenſibilis per verba ſenſibiliter illum exprimentia: conſequenter neutra ſententia videtur eſſe vera. Neque obſtat, quòd in Sacramento pœnitentiæ actus interni pœnitentis ſint materia illius Sacramenti, quamvis non ſint per ſe quid ſenſibile. Contra eſt, quia tales actus ſunt tantùm materia partialis, quæ fit per aliam materiam partialem ſenſibilis, ſcilicet per confeſſionem. Materia vero totalis debet eſſe, vel continere quid ſenſibile, & conſenſus pure internus non continet in ſe quid ſenſibile.

Alii cum Bellarmino duobus modis conſiderant matrimonium in fieri & facto eſſe, ſeu cùm fit, & poſtquam factum eſt: priori modo dicunt ſe habere per modum fluxus; & poſteriori modo per modum permanentiæ: & aſſerunt in priori conſideratione totam ejus eſſentiam conſiſtere in ſignis exprimentibus mutuum conſenſum: in poſteriori eſſe ipſos conjuges ſimul cohabitantes, ſeu externam conjugum ſocietatem, & conjunctionem eſſe materiale Symbolum externum Chriſti & eccleſiæ, repræſentans indiſſolubilem conjunctionem: ſicut in Sacramento Euchariſtiæ peractâ conſecratione remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſignum ſenſibile, atque externum interni alimenti ſpiritualis; & verba conjugum exprimentia mutuum conſenſum modo religioſo cum fide et pietate in Deum Nuptiarum Conciliatorem eſſe formam hujus Sacramenti. Sed contra, quia in fieri ſigna externa, ſeu verba non ſunt prædicata intrinſecè conſtitutiva matrimonii, ſed ſunt cauſa efficiens ejuſdem, ut ſuperius evicimus. Quòd ſi per fieri intelligatur cauſa in actu ſecundo ponendi ſuum effectum in hoc ſenſu ſigna illa externa, ſeu verba exprimentia mutuum utriusque conjugis conſenſum, dicuntur matrimonium cauſativè. In facto eſſe licet corpora conjugum dici poſſint materia remota contractus matrimonii, ſeu materia circa quam verſatur matrimonium; non tamen ſunt materia proxima, quia hæc eſt, ex qua Sacramentum perficitur, & componitur, & matrimonium non perficitur, neque componitur ex ipſis contrahentibus: Matrimonium ſiquidem eſt contractus, quo contrahentes ſua corpora ſibi mutuo tradunt; & in contractibus id, quod traditur, non eſt materia proxima, alioquin contractus de agro, vel equo conſtaret intrinſecè ex agro vel equo; ergo corpora, quæ ſibi invicem contrahentes

tradunt,

Digitized by Google

tradunt, non poſſunt eſſe materia proxima hujus ſacramenti; quia materia proxima debet eſſe, quid intrinſecum rei conſtitutæ; & contrahentes non ſunt partes intrinſecæ contractus, ſed potiùs cauſæ extrinſecæ efficientes contractum. Hic enim à contrahentibus fit.

Alii aſſerunt, verba prolata à priori contrahente eſſe materiam hujus ſacramenti, & verba prolata à poſteriori contrahente eſſe formam; perinde ac in numeris, ultimus numerus eſt forma præcedentium, quia determinat, ut tota multitudo numerica ſit talis numerus, quinquagenarius, vel centenarius. ſed hæc ſententia non ſatisfacit, quia materia hujus ſacramenti non eſt in poteſtate contrahentium, ut poſſit fieri forma, ſed eſt certa, & invariabilis. Sin autem conſiſteret in verbis prolatis à priori contrahente, non eſſet materia certa, & invariabilis, ſed vaga, & in poteſtate contrahentium, ad quorum arbitrium, quod eſt materia, poſſet fieri forma, & vice verſa, quia poteſt mas vel fœmina priùs proferre verba; & verba fœminæ non ſunt illa maris. Præterea, ſi contingeret, quod ambo contrahentes ſimul tempore proferrent verba exprimentia mutuum conſenſum, nulla eſſent verba priora, & poſteriora, proinde non poſſet deſignari materia, & forma.

Alii volunt, materiam hujus ſacramenti eſſe corpora contrahentium; & formam eſſe verba ſacerdotis, *Ego vos conjungo*, & hæc tamen ſententia eſt cæteris improbabilior: quia præſentia Parochi eſt tantùm neceſſaria poſt Concilium Trident. tamen ante Tridentinum fuerunt vera matrimonia ſine verbis illis à Parocho prolatis: ergo forma hujus ſacramenti non poſſunt eſſe verba à Parocho prolata. Præterea verba Parochi ſunt tantùm ſacramentalia, non verò ipſum ſacramentum, ut docet D. Thomas *in 4. ſent. diſt. 26. q. 2. art. 1.* ubi ait: *Verba, quibus conſenſus matrimonialis exprimitur, ſunt forma hujus ſacramenti: non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale.* Et *in reſponſ. ad 2.* ait: *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui ſacramento utitur ſicut pœnitentia; & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam, niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita eſt de matrimonio.*

Ut oſtendatur, quid probabilius eſſe videtur circa materiam, & formam hujus ſacramenti matrimonii, de quibus ideo diſputant Theologi, & Controverſiſtæ ac in varias diſtrahuntur ſententias, quia eccleſia ſilet, & hactenus nihil declaravit circa materiam, & formã hujus ſacramenti; quod poteſt conſiderari actualiter, & tunc ſe habet per modum fluxûs, quia complectitur actus contrahentium, ſeu verba ab iiſdem prolata, & exprimentia internum conſenſum, quæ verba materialiter ſumpta, vix prolata, ampliùs non ſunt: & habitualiter, quatenus cenſentur perſeverare in effectu, quem producunt, ſeu in vinculo; quo conjuges ſimul ligantur ad ſimul convivendum, & habitandum, cum jure petendi, & exigendi ab altero debitum, ſeu uſum matrimonii. Si conſideretur matrimonium actualiter, quando contrahitur ejus materia & forma, ſunt ipſa verba exterius ſenſibilia, & expreſſiva interni conſenſus utriuſque contrahentis; vel nutus, aut alia ſigna ſenſibilia ſignificantia eundem internum conſenſum: interni enim mentis conceptus, non ſolum verbis, ſed etiam nutibus exteriùs indicantur, ut notat D. Auguſt. *in verba Joan. 13. Innuit Petrus Joanni*, ait enim, *Petrum innuendo dixiſſe.* Habitualiter verò ſeu in ſtatu permanentiæ in vinculo cauſato, & remanente per mutuum conſenſum expreſſum per verba exterius ſignificantia internum conſenſum; poſſunt enim hæc verba dupliciter conſiderari, primò ut exprimunt mutuam traditionem, qua quilibet tradit alteri corporis ſui poteſtatem; & ſub hac ratione verba vel nutus dicuntur materia matrimonii ſumpti actualiter, ſeu ut actu producit vinculum, quod ſe habet conſequutive: ſecundò, ut exprimunt mutuam acceptationem, quatenus uterque acceptat traditionem ſibi ab altero factam de ſuo corpore, ſeu poteſtate in ſuum corpus quoad uſum matrimonii petendi, & exigendi, & ſub hac poſtrema conſideratione verba prolata ab utroque conjuge exprimentia conſenſum internum ſunt forma hujus ſacramenti matrimonii. Quia traditio eſt imperfecta, & exigit perfici, & per acceptationem perficitur, & completur: materia enim eſt quid imperfectum, & perfectibile, quod perficitur à forma. Et matrimonium ſimile Euchariſtiæ, quæ non ſolùm cum fit, ſed etiam in facto eſſe, & dum permanet, eſt ſacramentum, quamdiu enim conjuges vivunt, ſemper eorum ſocietas eſt ſacramentum. Hinc ſi matrimonium conſideretur, dum fit, tota ejus eſſentia conſiſtit in ſignis exprimentibus mutuum conſenſum, nam congrua non concurrunt niſi ut materia circa quam, & idem videmus in aliis contractibus: nam cum venditur, aut emitur ager, vel equus, tota ratio contractus illa eſt in mutuo conſenſu vendentis, & ementis agrum: ager autem eſt materia, circa quam verſatur contractus, & non eſt pars ulla intrinſeca contractus: ſed quia verba unius conjugis determinant verba alterius, & ab illis pariter determinantur; ideo in iiſdem verbis diſtinguitur materia, & forma: verba enim quatenus determinant verba alterius, per acceptationem traditionis, dicuntur forma, quatenus verò determinant, dicuntur materia, quia exigunt perfici, ac determinari à verbis alterius: & ita docet D. Thomas *loc. cit.* Verùm ſacramentum matrimonii hoc pacto conſideratũ in fieri magis proprio dicitur matrimonium cauſativè, quatenus illud fieri, eſt, quo fit matrimonium formaliter, quod in facto eſſe importat vinculum, quo mas, & fœmina ſimul remanent conjuncti, ſimulq; obligati ad reddendũ debitum, ſeu uſum matrimonii alteri illud petenti, ut ſint duo in carne una, qua pacto repræſentant conjunctionem Chriſti cùm eccleſia: ſicut in Euchariſtia peracta conſecratione remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſymbolum ſenſibile externum interni alimenti ſpiritualis.

Ratio itidem eſt, quia in contractibus civilibus traditio, ut facta per ſignum ſenſibile, habet rationem materiæ, & acceptatio verbis expreſſa habet rationem formæ, ſed matrimonium in ratione contractus non differt à reliquis contractibus civilibus; neq; ut ſacramentum diverſam habet materiam, aut formam à ſe ipſo, ut eſt contractus: ergo in matrimonio eadem verba, & ſigna conjugum exprimentia mutuum conſenſum, quatenus ſunt traditio corporum, ſunt materia, & quatenus ſignificant acceptationem eorundem ab utroque conjuge, ſunt forma: major liquet, quia id habet rationem materiæ, quod ſe habet per modum determinabilis; & rationem formæ, quod ſe habet per modum determinativi: in contractibus civilibus, traditio ſe habet per modum determinabilis, quia completur, & perficitur per acceptationem, quæ ſe habet per modum determinativi; ergo traditio facta per ſignum ſenſibile habet rationem materiæ, & acceptatio rationem formæ, quia determinat, ac complet traditionem ad rationem contractûs: & quamvis in aliquo caſu traditio videatur complere acceptationem, ut cùm quis vult prius habere dono equum ab amico, & hic poſtea ei donat, hoc tamen per accidens procedit; quia regulariter, & per ſe traditio præcedit, & inchoat contractum, & acceptatio perficit,

perficit, ac determinat traditionem. Tum quia cauſalitate traditio ſemper præcedit, quia in inſtanti, quo exprimitur conſenſus traditionis à donante, acceptatio à donatario prius tempore facta, ut perficiat contractum, debet per modum actûs moraliter perſeverantis ratificare traditionem ſibi à donatore factam, conſequenter debet illam ſupponere prius natura, ut determinabilem: conſequenter traditio ſemper ſe habet per modum materiæ; & acceptatio per modum formæ.

Objici tamen poteſt in oppoſitum: quia omnia Sacramenta novæ legis perficiuntur ex rebus tanquam materia; & verbis ut forma, & perſona miniſtri conficientis Sacramentum cum debita intentione: ergo verba, ſeu nutus, quibus conjuges mutuum conſenſum exprimunt, non poſſunt eſſe ſibi invicem materia, & forma, quamvis ſub diverſa conſideratione in Sacramento matrimonii. Præterea in quolibet Sacramento legis evangelicæ materia, forma, & miniſter debent realiter diſtingui: ſin autem verba exprimentia exterius conſenſum internum, eſſent ſibi mutuò materia, & forma; non diſtinguerentur realiter; quia conſenſus expreſſus per verba unius conjugis haberet ſimul rationem materiæ, quatenus eſt traditio ſui corporis alteri ſponſo quoad uſum matrimonii; & rationem formæ, quatenus in iiſdem includitur acceptatio alterius in ſponſum. Demum quia conjuges, cùm ſint miniſtri hujus Sacramenti, ſi ipſorum traditio expreſſa per verba haberet rationem materiæ non diſtinguerentur cauſa materialis, & efficiens, quia una, & eadem perſona eſſet materia, forma, & miniſter hujus Sacramenti, quod dici nequit. Contra eſt; quia quando Sacramenta novæ legis dicuntur conſtare ex rebus, & verbis, id non debet ita ſtrictè intelligi; ut ſecundùm diverſas rationes non poſſint eadem verba eſt materia, & forma; & verba non poſſint vices gerere rei, ſeu materiæ: ſed nomine rei intelligi debent ea omnia, quæ ſolent adhiberi ad aliquid ſignificandum loco materiæ, ſeque habet per modum determinabilis; ut etiam per verba debent intelligi ea omnia, quæ loco verborum ſolent adhiberi ad aliquid ſignificandum, ut ſunt nutus, litteræ, & alia id genus, quæ ſe habent per modum determinativi. Ratio itidem eſt, quia in Sacramentis materia, & forma aſſignantur per quandam analogiam, ad materiam, & formam in genere phyſico, perinde quod imitatur materiam phyſicam, debet ſe habere per modum determinabilis, & quod imitatur formam, ſe habet per modum determinativi: & quia in contractu matrimonii eadem verba ſe habent ſecundum diverſas rationes per modum determinabilis, & determinativi, ita vices gerunt ſub diverſis rationibus materiæ, & formæ, quatenus imitantur materiam, & formam in genere phyſico. Neque repugnat, verba poſſe imitari materiam, & formam: etenim in Sacramento Pœnitentiæ confeſſio peccatorum ſe habet per modum determinabilis, & abſolutio per modum & determinativi ad ſignificandã remiſſionem peccatorum? ideo confeſſio peccatorum, quia ſe habet per modum determinabilis, in quo imitatur materiam phyſicam, eſt materia Sacramenti pœnitentiæ; & abſolutio, quia eſt determinativa, quatenus eſt remiſſiva peccatorum, eſt forma. Ad alind quod addebatur, inter materiam, & formam, ac miniſtrum dari debere realem diſtinctionem, reſpondetur ab eccleſia id non fuiſſe definitum; unde ſufficit ſi diſtinguntur virtualiter. Præterea verba unius conjugis exprimentia traditionem proprii corporis, ſub qua ratione habent imitari materiam, diſtinguuntur realiter à verbis alterius conjugis, quibus talem traditionem acceptat: & ita dicendum de verbis alterius conjugis. Ad aliud quod addebatur de cauſa materiali, & efficiente reſpondeam non eſſe inconveniens, quòd in Sacramento matrimonii cauſa materialis, & efficiens coincidant in eaſdem perſonas, quia hoc exigit natura contractus, in quo contrahentes ſe ipſos tradunt: etenim ſi quiſpiam ſe vendat in ſervum alterius, eadem perſona, quæ vendit, eſt etiam vendita; unde in contractibus non repugnat cauſam efficientem, & materialem coincidere in eandem perſonam.

Quod verò ad miniſtrum hujus Sacramenti attinet, plures Theologi antiqui, & clari nominis cenſent non eſſe contrahentes, ſed ſacerdotem benedicentem nuptias; ita docent Melchior Canus, Eſtius, Sylvius & alii plures, qui cenſent ſine ſacerdote verba proferente, contractum matrimonii, quamvis ratum ſit, ſi nihil eorum deſideretur, quæ ad ipſam contractus ſubſtantiam pertinent, vel eccleſiæ legibus præſcripta ſunt; non tamen tale matrimonium cenſendum eſſe Sacramentum; quia in matrimonio conſideratur ratio contractus civilis, & ſub hac ratione fit ab ipſis ſponſis, quia ipſi revera contrahunt: & ratio ſacramenti, & ſub hac ratione dicunt ſacerdotem benedicentem nuptias eſſe verum, ac proprium miniſtrum matrimonii, ut hoc eſt ſacramentum. Nituntur, quia cum vir, & fœmina contrahunt, quamvis ſint in ſtatu peccati lethalis, non tamen ut civilem contractum celebrant, ſunt rei ſacrilegii; quod verum non eſſet ſi hujuſmodi matrimonialis contractus eſſet ſacramentum: omnes enim habentur ſacrilegi, ſi lapſi in peccatum lethale, non præmiſſa pœnitentia, ſeu ſacramento exhomologeſis, ſacramenta ſuſcipiunt, adminiſtrant. Secundò quia ſacramenta ſunt ſacri religionis ritûs, quorum miniſtratio: ſeu diſpenſatio pertinet ad eccleſiæ miniſtros ſeu ſacerdotes, non verò ad laicos. Tertiò, quia D.Thom. 2.2. q.22. art. 2. ait: *quòd ſacramenta, in quibus gratia confertur, diſpenſare ad ſoles ſacerdotes pertinet*: & q.31. art.1. ait: *Nullius ſacramenti diſpenſatio laicis ex officio competit*: ſed contrahentes matrimonium, ſunt laici, ergo non poſſunt eſſe miniſtri matrimonii, ut hoc eſt ſacramentum. Unde Tertullianus: *lib. 1. ad uxorem c. 9.* ait: *Unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod eccleſia conciliat & confirmat oblatio, obſignat benedictio, Angeli renunciant, Pater rato habet.*

Communior tamen ſententia eſt miniſtrum eſſentialem matrimonii non eſſe ſacerdotem, ſed ipſoſmet contrahentes ſibi mutuò materiam, & formam applicantes. Eſt præſertim contra Melchiorem Canum, qui cenſuit expreſſionem conſenſus mutui eſſe formam conjugii, ut eſt contractus, non ut eſt ſacramentum, cui ipſe requirit miniſtrum eccleſiaſticum proferentem ſacra, & ſolemnia illa verba: *Ego vos conjungo.* Quòd verò non ſit miniſter matrimonii etiam ut eſt ſacramentum, ex eo conſtat: quia ex doctrina Concilii Trident. antequam declararetur, ad validitatem matrimonii requiri, ut contrahatur in facie eccleſiæ, ſeu coram Parocho, & teſtibus ſaltem duobus: matrimonium initum ſine Parocho erat validum, ac verum ſacramentum: & Tridentina Synodus definit, eſſe ita credendum; & anathemate percutit contrarium ſentientes: ergo ſi abſente ſacerdote matrimonium initum erat validum ac verum ſacramentum, ſequitur evidenter, ſacerdotem non eſſe miniſtrum eſſentialem matrimonii in ratione ſacramenti. Rurſus, quia verba prolata à ſacerdote non pertinent ad formam, ſed tantum ſunt quædã ceremonia poſterior matrimonio, quatenus ſacerdos nomine Dei, & eccleſiæ ratificat, ſeu approbat matrimoniũ jam initum, ac celebratũ à contrahẽtibus ſponſis: unde ſacerdos nõ eſt miniſter matrimonii,

Digitized by Google

monii, ſed tantùm principalis teſtis requiritur ab eccleſia ad validitatem matrimonii. Idque ex eo itidem evincitur, quia tametſi Sacerdos nullum proferat verbum, dummodo ſit præſens, & adſint teſtes, ſponſi validè contrahunt matrimonium: & interdum contingit Parochum detrectare ſponſos copulare, qui tamen unà cum teſtibus ſe ad illum conferunt, & coram illo etiam renuente matrimonium contrahunt, ſufficit enim, ſi Sacerdos audiat ipſos contrahentes, quia tunc eſt ſufficiens teſtis, & matrimonium dicatur celebratum in facie eccleſiæ, ut pluries deciſum fuit. Præterea quia ille eſt miniſter hujus Sacramenti, qui eſt miniſter contractus: ſed ii ſunt contrahentes, non Sacerdos. Hoc idem docet D. Thomas 4. *ſent. diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad* 1. inquiens: *Verba, quibus matrimonialis conſenſus exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti, Non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale.* Et *in reſponſione* ad 2. ait: *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur; ſicut pœnitentia; & ideo ſicut Pœnitentia non habet aliam materiam, niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi; ita eſt de matrimonio.*

Hinc ad primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ negatur aſſumptum, quia tametſi Sacerdos nullum proferat verbum, dummodo ſit præſens, & adſint teſtes, quando ſponſi contrahunt matrimoniũ; hoc non ſolum eſt contractus civilis, ſed etiam Sacramentum; quia Chriſtus hunc civilem contractum elevavit ad rationem Sacramenti, ſi celebretur inter Chriſtianos. Præterea ante Concil. Tridentin. tametſi matrimonium celebraretur ſine Sacerdote, adhuc erat verum Sacramentum, ut declaravit Tridentina Synodus; quod ſi hoc Sacramentum miniſtrari potuit ſine Sacerdote, ſequitur hunc non eſſe miniſtrum hujus Sacramenti, ſed tantum teſtem principalem, poſt Tridentin. neceſſariò requiſitum ad validitatem Sacramenti & contractus civilis: unde falſum eſt, ſponſos eſſe tantùm miniſtros matrimonii, ut eſt contractus civilis, non verò ut eſt Sacramentum. Rurſus verba, quæ profert Sacerdos, non ſunt ipſum Sacramentum, quia hoc eſt adnexum contractui civili, qui celebratur à ſponſis, non à Sacerdote, cujus propterea benedictio eſt tantum quid Sacramentale, non verò ipſum Sacramentum ut docet D. Thomas *loc. cit.* Hinc Sponſi ſi matrimonium contrahere in ſtatu peccati lethalis, verè lethaliter peccant, quia indignè ſuſcipiunt Sacramentum adnexum contractui civili. Ad ſecundùm fateor Sacramenta eſſe ritus eccleſiaſticos, ſed negatur in matrimonio non poſſe miniſtrari à Laicis, ſponſi enim contrahentes illud ſibi miniſtrant ex Chriſti inſtitutione, qui contractui civili voluit adnectere rationem Sacramenti.

Ad tertium petitum ex D. Thoma reſpondetur in aliis Sacramentis conferentibus gratiam, quæque à laicis non poſſunt miniſtrari conceditur, quod illa adminiſtrare pertineat ad ſolos Sacerdotes, non verò ſi Sacramenta ſint adnexa ex Chriſti inſtitutione alicui rei, quæ à laicis tantùm ponitur, cujuſmodi eſt contractus matrimonialis, cui Chriſtus adnectere voluit Sacramentum productivum gratiæ. Rurſus in baptiſmo urgente neceſſitate collato à Laico, habetur verum Sacramentum collativum gratiæ: unde non repugnat, Sacramenta collativa gratiæ poſſe miniſtrari à Laicis. Neque Tertull. aſſerit Sacerdotem eſſe miniſtrum hujus Sacramenti; ſed ait, *quod eccleſia conciliat*, hoc eſt, approbat, & obſignat per benedictionem, quæ non eſt ipſum Sacramentum, ſed quid Sacramentale. Cæterùm præſentia parochi eſt neceſſaria ad validitatem matrimonii, ut hoc celebretur in facie eccleſiæ ex Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 1. ubi dicitur: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius parochi vel Ordinarii licentia, duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe declarat;* & can. 4. *Si quis dixerit, eccleſiam non poſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.*

Quamvis igitur matrimonium non conſiſtat in re aliqua ſacra, quæ à miniſtro applicetur contrahentibus, niſi ipſa benedictio eccleſiæ, quâ nuptiæ benedicuntur, eſt nihilominus verum Sacramentum, quatenus Chriſtus contractum hunc civilem matrimonii elevavit ad dignitatem Sacramenti, voluitque ſervari morem contractuum, in quibus nihil extrinſecus applicatur: ſed mutuo contrahentium conſenſu verbis, vel aliis ſignis ſenſibilibus expreſſo adhibitis ſolemnitatibus à jure requiſitis, perficiuntur: quia, ut docet D. Thomas 4. *ſent. diſt.* 26. *quæſt.* 3. *ad* 2. *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur, ſicut pœnitentia; & ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubjectos, qui ſunt loco materialis elementi ita eſt de matrimonio.*

Tria recenſentur à Theologis bona matrimonii cum D. Auguſtino *lib.* 9. *de Geneſ. ad litteram cap.* 7. *lib.* 1. *de nuptiis & concupiſcentia cap.* 10. *& ſequent.* ut etiam *lib. de Bono conjugali c.* 24. & alibi, ſuntque proles, fides, & Sacramentum, quibus excuſari dicitur matrimonium, quia eorum compenſatione excuſantur, aut mitigantur ea mala, quæ illi adhærent; præſtant enim hæc bona, ut libido carnis ſit ſine culpa ſaltem gravi. Primum bonum eſt proles ſuſcipienda ex legitima conjuge, quod bonum commendat Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 2. ſcribens: *Salvabitur mulier per filiorum generationem.* Quod non ſolùm de illorum procreatione, ſed magis de educatione, ac religioſa, & pia inſtitutione intelligendum eſt. In prole tria includuntur bona, primo, quia conjuges pariunt Deo ſervos fideles, qui eum reverentur, & colunt, quapropter S. Ambroſius *lib.* 2. *in Luc.* ait: *Conjugii præmium, & gratia nuptiarum partus eſt fœminarum.* Secundum, quia patriæ, & reipublicæ pariunt cives eam replentes, ut etiam cœleſtem Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra, ut Angelorum ruinæ reſtaurentur. Tertium bonum, quia ſibi pariunt hæredes ſecundum naturale deſiderium parentum nominis, & familiæ ſuæ conſervandæ. Hinc *Ecclеſ.* 20. dicitur: *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe, in vita ſua vivit, & delectatus eſt illo, in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis, reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Bonum fidei conjugalis eſt etiam triplex, animæ, corporis, & honeſtatis. Animæ bonum eſt ob fornicationis fugam *cap. Sicut*, qui deſumitur ex D. Hieronymo *c.* 5. *epiſt. ad Epheſ.* & *cauſa* 32. *quæſt.* 2. ubi dicitur: *Sicut non omnis congregatio Hæreticorum Chriſti Eccleſia dici poteſt, nec caput eorum Chriſtus; ſic non omne matrimonium, quo non viro ſuo ſecundum præcepta Chriſti uxor jungitur, ritè conjugium appellari poteſt, ſed magis adulterium.* Fidei bonum conjunctum corpori habetur ex mutuo officio, & adjumento, quod ſibi præſtant conjuges in vitæ ſocietate, & rei familiaris adminiſtratione; hinc *Eccleſiaſtici c.* 26. *Mulieris bonæ beatus vir.* Bonum denique honeſtatis reperitur in fide conjugali: ſiquidem per nuptias fit honeſtum, & immune à peccato, quod alias turpe eſſet, & peccaminoſum. Bonũ Sacramenti eſt etiam triplex, ſcilicet conjunctio animorum, quæ ſignificat conjunctionem animæ cum Deo, qui enim adhæret Domino unus Spiritus eſt. Secundum conjunctio corporũ, &

Digitized by Google

& ſignificat conjunctionem carnis cum verbo divino. Tertium quòd unus adhæreat uni tantùm uxori, & ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia. Bonum tamen prolis in quolibet matrimonio non reperitur, ubi ſcilicet uterque, vel alter conjux ſterilis eſt, vel etiam ubi continentia ex mutuo utriuſque conjugis conſenſu ſervatur, & nihilominus eſt verum matrimonium, quia ſterilitas per accidens contingit. Bono fidei adverſatur adulterium, & denegatio debiti conjugalis, hinc Auguſtinus *lib. de Bono conjugali 14.* ait: *In eo ipſo, quòd ſibi invicem conjuges debitum ſolvunt, etiamſi aliquando, ſi intemperantius, & incontinentius expetunt, fidem tamen ſibi pariter debent, cui fidei tantum juris tribuit Apoſtolus, ut eam poteſtatem appellaret dicens, Mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir 1. ad Corinth. 7. & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier. Hujus autem fidei violatio, dicitur adulterium cùm vel propriæ libidinis inſtinctu, vel alieno conſenſu cum altero vel altera contra pactum conjugale concumbitur: atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiam corporeis, & abjectis magnum animi bonum eſt; & ideo eam ſaluti quoque corporali, qua etiam vita iſta continetur, certum eſt debere præponi.*

CAPUT XIII.

De Matrimonio Clandeſtino.

SI petatur, an matrimonia Clandeſtina fuerint omni tempore prohibita in Eccleſia. Reſpondetur ſpectatâ ſolâ rei naturâ, & ſemotâ Eccleſiaſtica lege, vel civili, conſenſum Clandeſtinum ſufficere ad valorem matrimonii, ut docet D. Thomas *hic quæſt. 45. art. 5.* & ex eo probat, quia conſenſus de præſenti inter legitimas perſonas facit matrimonia, adeo ut alia ſint tantum de ſolemnitate, & ad eum finem tantùm adhiberi ſolent, ut matrimonium convenientius fiat, idque colligitur etiam ex Tridentino *ſeſſ. 24. in decret. de reform. matrimonii cap. 1.* ubi aſſerit: *Non eſſe dubium Clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit.* Unde matrimonium Clandeſtinum ante Tridentinum erat validum, ac verum Sacramentum, quamvis non approbatum, non quia non erat Sacramentum, ſed deteſtabatur, quatenus contractus humanus, ita clandeſtinè initus, erat illicitus ac plurium malorum origo. Etenim ſi matrimonium contrahatur ab eo, qui emiſit votum ſimplex caſtitatis, vel eſt ligatus aliis ſponſalibus de futuro, eſt deteſtabile, quia peccatum: & tamen, cùm talia impedimenta non ſint dirimentia matrimonium, eſt validum, ac verum Sacramentum: ſiquidem poſſunt vera Sacramenta miniſtrari etiam per actionem peccaminoſam; ut ſi Epiſcopus manifeſtè irregularem Ordinibus Sacris initiaret: Si Sacerdos publicum peccatorem non reſipiſcentem baptizaret; vel ſi Euchariſtiam conſecraret extra altare ſine ritibus Eccleſiæ, in iis enim peractiones deteſtabiles, & peccaminoſæ fierent vera Sacramenta, quamvis Sacramentum per ſe non poſſit eſſe deteſtabile, poteſt tamen dici tale ob illicitas circumſtantias, quæ tamen non deſtruunt eſſentiam Sacramenti.

Quòd ſi dicas matrimonium eſſe indiſtinctum à Sacramento. Contra eſt, quia matrimonium conſideratur, ut contractus humanus civilis, & hoc pacto diſtinguitur à Sacramento, ſiquidem infideles contrahunt matrimonium; quod tamen non eſt Sacramentum, infideles enim non ſunt capaces illius Sacramenti, quia Baptiſmus eſt janua, per quam homines ingrediuntur Eccleſiam, ubi tantum ſuſcipiuntur Sacramenta. Hinc quando Innocentius III. *cap. Gaudemus Extra. de divortiis,* ait: *Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles exiſtere,* communi quadam, & in minus propria ſignificatione Sacramenti nomen uſurpat reſpectu infidelium. *Nam cap. Quantò, ſub eod. tit.* ait: *Matrimonium quidem verum, non tamen ratum* inter infideles exiſtere reſpondet. Hinc D. Thomas *in 4. ſententiar. diſtinct. 39. quæſt. 1. art. 2. ad 1.* ait: *quamvis in fidelibus non competat matrimonium, ſecundum quod eſt Sacramentum in diſpenſatione Miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, competit tamen eis, in quantum eſt in officium naturæ, & tamen etiam matrimonium tale eſt, aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eo quòd actu non contrahunt in fide Eccleſiæ.* Unde contractus matrimonii, cum poſſit exiſtere ſine ratione Sacramenti, ut in infidelibus, ſequitur manifeſtè, contractum matrimonii diſtingui ab eſſentia Sacramenti, quamvis enim inter fideles ratio Sacramenti ex inſtitutione Chriſti ſit, inſeparabilis ab eſſentia contractus, adhuc diſtinguitur à contractu matrimonii; ſiquidem contractus de facto fuit in lege veteri, in qua nondum fuerunt Sacramenta inſtituta.

Hæc tamen inſeparabilitas non obſtat, quia eccleſia potuerit irritare contractum humanum, niſi ſerventur aliquæ conditiones, ſiquidem contractus, ut actus humanus, ſubjicitur poteſtati humanæ, quæ ob bonum communitatis poteſt eidem apponere aliquas conditiones, quibus non ſervatis contractus ſit irritus, & nullius valoris. Chriſtus autem elevavit ad dignitatem Sacramenti, non quemcunque contractum, matrimonialem, ſed contractum qui ſit validus, & approbatus ab Eccleſia, hinc contractus clandeſtinè celebratus invalidus eſt, quia ob plures circumſtantias, ac mala, quæ ex illo oriebantur, non approbatur ab Eccleſia, conſequenter non eſt contractus idoneus, ut elevetur ad dignitatem Sacramenti.

Neque obſtat, ſi dicas ante Tridentinum contractum hunc clandeſtinè initum fuiſſe validum, & in illo dignitatem Sacramenti inſeparabilem. Nam contra eſt, quia potuit Eccleſia annullare validitatem talis contractus & ſublato fundamento, ſeu validitate contractus, corruit res contracta, ſeu ceſſat in illo dignitas Sacramenti. Etiam ſpecies conſecratæ, quamvis inſeparabiles, adhuc diſtinguuntur à corpore Chriſti, & tamen quamvis poteſtas humana non poſſit altrare Corpus Chriſti, poteſt nihilominus corrumpere ſpecies, quibus corruptis, ceſſat ſub ipſis Corpus Chriſti. Pari pacto, quamvis Eccleſia non poſſit immutare Sacramentum matrimonii, quia tamen poteſt irritare contractum humanum, niſi ſiat cum talibus circumſtantiis, & conditionibus, & Chriſtus tantùm elevaverit ad dignitatem Sacramenti illum contractum, qui ab Eccleſia eſt approbatus ut validus, ſequitur, quòd ex eo, quòd eccleſia irritet contractum Clandeſtinum ob plura mala, quæ inde oriebantur, non ſit talis contractus idoneus, ut elevetur ad dignitatem Sacramenti, ſiquidem matrimonia Clandeſtina ſemper fuerunt prohibita ab Eccleſia, ait enim Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 1. Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt* (ſcilicet matrimonia Clandeſtina) *atque prohibuit* conſtat etiam

ex

ex decreto Hormiſdæ Papæ *c. 6.* & Evariſti *epiſt. 1. ad Epiſcopos Africæ* & Innocentii III. *c. 3. de Clandeſtinis deſponſationibus*, ubi ait: *Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, clandeſtina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne qui Sacerdos talibus intereſſe præſumat.* Unde conſtat matrimonia clandeſtina ſemper fuiſſe in Eccleſia prohibita, ſed difficultas eſt, an fuerint etiam invalida: & an poſt decretum Concilii Tridentini ſint invalida. Putant nonnulli, aliquoties Eccleſiam ante Tridentinum non ſolùm prohibuiſſe, verùm etiam omnino irritaſſe matrimonia clandeſtina, idque colligunt ex decreto Evariſti, ubi Pontifex ait: Matrimonia clandeſtina non eſſe conjugia, ſed adulteria, & contubernia, aut ſtupra, aut fornicationes potiùs quàm legitima conjugia. Et Baſilius Pontius *lib. 5. c. 3.* hoc idem Concilio Colonienſi.

Communior tamen, & probabilior ſententia eſt, matrimonia clandeſtina ante Tridentinum fuiſſe ſemper graviter prohibita, non tamen invalida, & irrita: ratio eſt, quia ſi fuiſſent invalida, non fuiſſet dubitatum, & diſputatum ſuper hac quæſtione in Conc. Trident. Neque oppoſitum colligi poteſt ex decreto Evariſti, quia ibi cum quadam tantùm exaggeratione deterret fideles à matrimoniis clandeſtinis, eò quia revera eſſent illicita, proinde ab Eccleſia prohibita; quapropter fuit id occaſio Evariſto deterrendi fideles à talibus matrimoniis contrahendis. Præterea, ſi fuiſſet lex aliqua eccleſiaſtica, quæ ante Tridentinum matrimonia clandeſtina irritaſſet, procul dubio Tridentinum illius meminiſſet, ac declaraſſet, ſe illam renovare, ſicut paulò poſt loquendo de denuntiationibus promittendis matrimonio ait: ne quoad illas renovare decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. præſertim cùm non defuerint plures Patres, & Theologi, qui in Tridentino dubitaverint, an Eccleſia matrimonia clandeſtina irritare poſſit, ut conſtat ex actis Concilii, & apud Spondanum ad annum Chriſti 1563. Cæterum Concil. Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. matrim.* non ſolùm prohibet matrimonia clandeſtina, ſed etiam declarat fore prorſus nulla ubicunque conſtitutio illa recepta fuerit.

Urget tamen difficultas, quomodo potuit Eccleſia matrimonia conſenſu clandeſtino inita invalidare, ac omnino irrita declarare: ſiquidem matrimonium eſt Sacramentum, cujus materia, & forma ſunt conſenſus utriusq; conjugis, qui exprimuntur verbis vel aliis ſignis exterioribus; & Eccleſia non habet poteſtatem mutandi materias, & formas Sacramentorum, quia hæc mutatio pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quæ ineſt ſoli Chriſto: unde non videtur, quomodo Concil. Tridentin. potuerit invalidare, ac irritare matrimonia clandeſtino conſenſu inita, cùm ante Tridentinum fuerint valida: etenim ſi materia, & forma matrimonii erat ſufficiens ante Tridentinum, non videtur, quomodo poſt Tridentinum non ſit amplius ſufficiens. Præterea matrimonium ex una parte eſt contractus naturalis, adeo ut ex jure naturæ mutuus conſenſus inter perſonas habiles conſtituat verum matrimonium, & ex alia parte Eccleſia non videtur poſſe irritare, quæ ſunt juris naturæ.

Verùm ad ſolvendam hanc difficultatem juvat obſervare cum D. Thoma *in 4. diſt. 34. quæſt. unic. art. 1. ad 4.* matrimonium hoc habere ſpeciale ſupra reliqua Sacramenta, quia non ſolum ordinatur ad ſanctificationem conjugum, ſed etiam in officium naturæ, ac in bonum commune totius reipublicæ, quapropter conſtat ex triplici contractu naturali, civili, & Sacramentali: prout eſt contractus naturalis ſtatuitur jure naturæ, quatenus eſt civilis lege civili, & prout eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino, quo fit, ut ex qualibet harum legum poſſit aliqua perſona inhabilis fieri ad contrahendum matrimonium, etenim ſi fuerit impotens ad carnalem copulam inhabilitatur ex lege naturæ ad matrimonium: ſi ſit conſanguineus, vel affinis ſit inhabilis ex lege poſitiva, civili, & eccleſiaſtica: ſi non fuerit baptizatus, ſit inhabilis ad Sacramentum matrimonii jure divino, quamvis habilis ſit ad matrimonium, quatenus hoc eſt contractus naturalis, & civilis. Præterea certum eſt, Chriſtum non elevaſſe omnem contractum matrimonialem etiam per ſigna ſenſibilia expreſſum ad dignitatem Sacramenti; ſed eum tantùm, qui eſſet legitimus contractus, ſeu conformis legibus, ac inter perſonas baptizatas ac legitimas ſeu non habentes impedimentum dirimens.

His præmiſſis, & prænotatis, reſpondetur, Eccleſiam potuiſſe irritare matrimonia clandeſtina primo indirectè, & mediatè, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum matrimonium. Secundò directè, & immediatè, caſſando, & irritando matrimoniales contractus clandeſtino conſenſu initus. Ratio eſt, quia cùm eccleſia ſit Reſpublica à Chriſto rectè ordinata, decuit, ut illi ineſſet poteſtas regulandi contractus ſuorum ſubditorum; conſequenter potuit ſtatuere quoſdam conditiones, ſine quibus tales contractus eſſent irriti, non immutando materiam & formam Sacramenti matrimonii formaliter ſumptas, ſed tantùm materialiter, inſtituendo, quòd contractus clandeſtinus, qui antea erat legitimus, non ſit amplius legitimus, neque elevabilis ad dignitatem Sacramenti, eò quia Chriſtus ſolum contractum legitimum elevaverit ad dignitatem Sacramenti. Hinc poteſt Eccleſia directè, & immediatè irritare contractus civiles, prout conſultius viſum fuerit pro majori bono fidelium, & reipublicæ Chriſtianæ, adeo ut contractus, qui antea erat legitimus, non ſit amplius legitimus, ex defectu alicujus conditionis poſitæ ab Eccleſia ob bonum commune reipublicæ; & quia ex alio capite Chriſtus tantùm elevavit contractum legitimum ad dignitatem Sacramenti, ideo rectè poteſt Eccleſia indirectè facere, ut quod antea erat Sacramentum, non ſit amplius tale, eò quia directè poſſit irritare, ac illegitimare contractum; eo enim ipſo, quod contractus eſt illegitimus, non eſt amplius elevabilis ad rationem Sacramenti. Et hoc poteſt explicari, ut, ſi quis haberet poteſtatē mutandi aquam in vinum, poſſet quidem mutare materiam Sacramenti baptiſmi, materialiter efficiendo, quòd illa res, quæ erat vera aqua naturalis, jam non ſit amplius aqua naturalis, conſequenter nec materia baptiſmi, in quo caſu non mutaret materiam Sacramenti baptiſmi formaliter, quia ſemper eſſet verum, quod aqua vera, & naturalis eſſet materia Sacramenti baptiſmi à Chriſto inſtituta: paripacto proportionaliter dicendum de materia, & forma Sacramenti matrimonii, quia Eccleſia prohibendo, & irritando matrimonia clandeſtina non mutavit formaliter materiam, & formam Sacramenti matrimonii, ſed tantùm materialiter, quatenus fecit, ut contractus matrimonialis conſenſu clandeſtino initus non ſit amplius legitimus, & legibus eccleſiaſticis conformis, ac propterea declaravit inhabiles ad matrimonium, ut eſt Sacramentum, perſonas ita contrahentes.

Hoc eſt vel maximè notandum, Eccleſiam habere poteſtatem irritandi contractus, eò quia non ſint conformes legibus eccleſiaſticis, neque conducant ad bonum Reipublicæ Chriſtianæ: pertinet enim ad quamlibet rempublicam bene ordinatam poteſtas regulandi contractus ſuorum ſubditorum in ordine ad bonum commune; & quia Chriſtus ſolum elevavit contractum legitimum, & ut talem approbatum ab

Eccleſia ad dignitatem Sacramenti, relinquendo Eccleſiæ poteſtatem regulandi legitimos contractus ideò Eccleſia irritando directè, & immediatè contractum matrimonialem, eo quia in ipſo non ſervetur conditio aliqua ab Eccleſia injuncta propter bonum commune, indirectè facit, ut contractus, qui ante erat Sacramentum, non ſit ampliùs Sacramentum, eò quia contractus ille illegitimus fuerit ab Eccleſia declaratus, & Chriſtus nonniſi contractum legitimum elevavit ad rationem Sacramenti.

Ad aliud quod addebatur matrimonium eſſe contractum naturalem, ac de jure naturæ, reſpondetur de jure naturæ eſſe, quod contractus legitimus ſit matrimonium: ſed quòd contractus legitimus ſit, non ſolùm dependet à jure naturali, ſed etiam à jure poſitivo civili, & eccleſiaſtico; quia ut docet D. Thomas, cùm matrimonium non ſolùm ſit in officium naturæ, ſed etiam in bonum totius Reipublicæ Chriſtianæ, non ſolùm ſtatuitur jure naturæ, ſed etiam ſubditur legibus civilibus, & eccleſiaſticis, quapropter jure canonico, & civili poſſunt aliquæ conditiones ſtatui, ex quarum defectu contractus non ſit amplius legitimus, conſequenter, neque elevabilis ad dignitatem Sacramenti, quia Chriſtus tantùm contractum legitimum elevavit ad dignitatem Sacramenti.

Hinc ut matrimonium non ſit clandeſtinum, & habeat conditiones, quas ad ejus valorem exigit Concilium, debent contrahentes præbere conſenſum in præſentia Paſtoris, ſeu Parochi unius ex conjugibus; quòd ſi ambo ſint vagi, nullumque certum habeant Parochum conjungi non poſſunt ſine licentia Epiſcopi, ut præcipitur in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 7. Non tamen eſt neceſſe, ut Paſtor ſit Sacerdos, quamvis non poſſit delegari, niſi Sacerdos, ut videntur ſignificare verba Tridentini: & ratio eſt, quia Paſtor non eſt Miniſter hujus Sacramenti, ſed tantùm teſtis authenticus & principalis, neque requiritur ejus conſenſus, ſed tantùm præſentia, quapropter non peccaret, qui coram Parocho invito, & nolente matrimonium contraheret, ſi adeſſent teſtes ſufficientes, qui ex Concilio debent eſſe duo vel tres ſimul præſentes cum Parocho, qui advertant, & intelligant, quid agatur, & utantur ratione, cujuſcunque ſint ætatis, aut conditionis, quia Concilium tantùm exigit teſtes. Hinc Concilia clandeſtina propriè dicuntur, quæ ita clanculum aut ſecretò fiunt, ut nulli omnino arbitri, ſeu teſtes interſint, per quos in foro Eccleſiæ probari poſſunt, vel quæ præſentibus quidem arbitris, ac teſtibus fiunt, ſed omiſſis ſolemnitatibus, quæ jure, ſeu conſuetudine Eccleſiæ adhibendæ ſunt, cujuſmodi ſunt denuntiationes, quæ contractum celebrandum debent præcedere, & ſacerdotalis benedictio, quæ matrimonium comitatur, & Eccleſiam hæc clandeſtina matrimonia ſemper prohibuiſſe, tametſi ante Tridentinum non fuerint declarata irrita; liquet ex Tertulliano *lib. de pudicitia cap.* 4. ubi ait: *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juſtam mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur.* Et ex D. Ambroſio *epiſt.* 19. *ad Vigilium Epiſcopum*, ubi ait: *Conjugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oportere.*

Cæterum Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis prohibuit, ac nulla declaravit matrimonia clandeſtina, Primò, quia clanculum contracta matrimonia probari non poterant. Secundò, quia perſæpe conjuges leves, & inconſtantes, & libidinoſi prioris matrimonii pertæſi fide violata nova conjugia contrahebant, ac deinceps in perpetuo vivebant adulterio, filioſque illegitimos, ac adulterinos generabant: quibus incommodis Eccleſiaſtici Judices occurrere non poterant defectu probationum. Tertiò, quia nonnulli matrimoniis clandeſtinè contractis ad Sacros ordines promovebantur, & cum uxoribus eccleſiaſtica retinebant beneficia; quorum matrimonia ſuſcepta proles progreſſu temporis revelabat in magnum Eccleſiæ dedecus. Quartò, quia Sacramentum abſque Miniſtro Eccleſiæ, & præſcriptis ab ea cæremoniis irritum contemptu, & neglectu religio poſtea violabatur. Quintò, quia inceſtuoſæ conjunctiones, & ob alia impedimenta illegitimæ, difficulter impediri poterant: has enim ob cauſas Tridentina Synodus meritò matrimonia clandeſtina irritavit, ac nulla eſſe declaravit. Quòd verò ante Concilium Tridentinum Eccleſia irrita non declaravit matrimonia clandeſtina, conſtat ex Concilio Toletano I, *can.* 17. ut etiam ex *can. ſufficiat. can. matrimonium. can. Omnes. cauſ.* 27. *quæſt.* 2. Ubi legitimarum perſonarum libero conſenſu matrimonia perfici, ac rata eſſe aſſeritur. Rurſus ex Lateranenſi Concilio IV. *can.* 51. ubi prohibentur quidem, ſed irrita non pronuntiantur matrimonia clanculum contracta, imò conſtat etiam ex uſu, & praxi Eccleſiæ, quæ hujuſmodi matrimonia tanquam invalida, & irrita dirimere nunquam tentaverit ante decretum Concilii Tridentini editum, & promulgatum.

Sed quæri poteſt, an invalidum ſit matrimonium contractum coram Parocho, cui Ordinarius interdixit, ne tali matrimonio aſſiſteret. Ratio dubitandi multiplex eſt. Primò, quia tota juriſdictio, & poteſtas Parochorum dependet ab Epiſcopo, ut docet D. Thomas in 4. *diſt.* 20. *art.* 4. *quæſt.* 1. *in corpore*, & *diſt.* 24. *quæſt.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 3. ergo poteſt Epiſcopus hanc poteſtatem, & juriſdictionem à ſe dependentem limitare, & coarctare, ac ad certos actus Parochis interdicere, *cap.* 4. *de officio Archipresbyt.* atqui eo ipſo, quòd Epiſcopus determinatum actum Parocho interdicit, ille actus geſtus contra prohibitionem Epiſcopi à Parocho eſt nullus, ut habetur *citat. cap.* 4. & Panormitanus in *cap. ad hæc de officio Archidiac*, unde matrimonium, cui Parochus contra Epiſcopi prohibitionem aſſiſtit, nullum ſortitur valorem. Et firmari ex eo poteſt, quia actus geſtus à non habente juriſdictionem, nullius eſt valoris *lege* 3. *codic. de Juriſdict.* Aſſiſtentia autem Parochi, cui ab Epiſcopo prohibitum fuit aſſiſtere, eſt aliquis actus geſtus à non habente juriſdictionem, quia Parochus per prohibitionem Epiſcopi cenſetur privatus juriſdictione ſaltem quoad ipſum actum aſſiſtendi matrimonio, conſequenter illa aſſiſtentia irrita eſt, & nullius valoris, ut etiam ipſum matrimonium, quia tunc contrahitur contra formam Concilii Tridentini. Secundò, quia poteſt Epiſcopus prohibere Parochis, & aliis Sacerdotibus abſolutionem à caſibus ſibi reſervatis, adeo ut abſolutio à Sacerdote data contra prohibitionem Epiſcopi ſit nulla, ut declaratur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & *can.* 11. *de Sacramento Pœnitentiæ.* Tertiò, quia matrimonium eſt nullum, cui ſimplex Sacerdos revocata à Parocho licentia aſſiſtit, ut notat Sanchez *de matrimonio lib.* 3. *diſput.* 32. *n.* 1. ergo multò magis erit nullum matrimonium, cui Parochus non obſtante prohibitione Epiſcopi aſſiſtit. Quia eatenus eſt nullum matrimonium, cui ſimplex Sacerdos non obſtante revocatione licentiæ aſſiſtit, quia ſuppoſita revocatione non verificatur, quòd ſit contractum

Digitized by Google

ctum coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu ordinarii licentia juxta formam Concilii Tridentini, ergo etiam erit nullum matrimonium, cui Parochus non obſtante prohibitione Epiſcopi aſſiſtit, quia ſuppoſita hac prohibitione non verificatur matrimonium contrahi coram Parocho, probatur conſequentia, quia ſi matrimonium ſit contractum coram Parocho, non legitimo, non verificatur, quòd ſit contractum coram Parocho juxta formam Concilii, ſiquidem paria ſunt matrimonium non contrahere coram Parocho, vel contrahere coram Parocho non legitimo: ſed ſi matrimonium contrahatur coram Parocho non obſtante prohibitione Epiſcopi, revera eſt contractum corã Parocho non legitimo, quia Parochus ſtante prohibitione Epiſcopi non cenſetur legitimus ad validè aſſiſtendum matrimonio contrahendo: ergo, ſi matrimonium ſit contractum coram Parocho, ſuppoſita prohibitione Epiſcopi, non verificatur, quod ſit contractum coram Parocho juxta formam Concilii, conſequenter eſt nullum etiam cenſet Fagnanus *ad cap. litteræ quas de matrim. contract. contra interdictum Eccleſiæ n.* 20. Quartò, quia Parochus validè non aſſiſtit matrimonio eorum, qui ſibi non ſubjiciuntur, ſed ſunt Parochiani alterius, *argument. Clement.* 1. *de privileg. cap.* 12. *de pœnit. & remiſſ. cap.* 2. Sed in noſtro caſu, ſuppoſita prohibitione Epiſcopi, Sponſi non ſubjiciuntur Parocho, cui ab Epiſcopo prohibetur aſſiſtere matrimonio, ergo non poteſt eidem validè aſſiſtere, & firmatur, quia Epiſcopus prohibendo Parochis abſolutionem à caſibus reſervatis ſubtrahit pœnitentes, quoad illos caſus reſervatos, juriſdictioni Parochorum, qui propterea validè non poſſunt eos abſolvere, ergo à pari, ſi Epiſcopus prohibeat Parocho, ne aſſiſtat matrimonio talium perſonarum, ſubtrahit illas ſaltem quoad contractum matrimonialem juriſdictioni Parochi, qui propterea earum matrimonio validè aſſiſtere non poteſt; quapropter generaliter concluditur, invalidum eſſe matrimonium contractum coram Parocho, cui Epiſcopus interdixit, ne tali matrimonio aſſiſteret.

Verum tale matrimonium non eſſe clandeſtinum, ſed initum in facie Eccleſiæ, non obſtante prohibitione Epiſcopi facta Parocho, eſt communior, ac deſumitur ex evidenti textu *in cap.* 2. *de matrim. contracta contra interdictum Eccleſiæ*, ubi Pontifex reſpondit, *licet contra interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non tamen eſt conveniens, ut ob id ſolum Sacramentum conjugii diſſolvatur*, ex quo textu infertur interdictum Eccleſiæ, aut prohibitionem Epiſcopi, non irritare matrimonium contra talem prohibitionem initum: Hoc idem etiam aſſerit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. matrimonii cap.* 7. ubi Sacra Synodus præcipit Parochis, ne Vagabundorum matrimoniis interſint, & nihilominus, ſi Parochus contra prohibitionem Concilii interſit matrimonio Vagabundorum, illud ſortitur ſuum valorem, ut feciſſe declaratum à Sacra Congregatione Concilii Tridentini, referunt plures apud Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 25. *n.* 16. ergo ſimiliter, ſi Parochus contra prohibitionem Epiſcopi, certarum perſonarum matrimonio aſſiſtat, illud erit validum, & firmatur, quia matrimonium contractum contra ſimplicem prohibitionem ſummi Pontificis, de jure eſt validum, ut notat Gloſſa *in cap. ad diſſolvendum de deſponſat. impuber.* ergo à fortiori validum erit matrimonium contra interdictum, & prohibitionem Epiſcopi initum, quia ſi ſimplex cohibitio Papæ vel Concilii Generalis, quæ non habet annexum decretum irritans relinquit validum de jure matrimonium, ut apparet ex omnibus impedimentis tantùm impedientibus *cap. unic. de voto in* 6. à fortiori prohibitio Epiſcopi relinquet matrimonium in ſuo valore, quia Epiſcopus, vel alius Eccleſiaſticus inferior Papa, non poteſt impedimenta dirimentia ſtatuere, vel matrimonium prohibere irritando, aut inhabilitando perſonas, ut notat Fagnanus in *cap. litteræ quas de matrim. contract. contra interdictum Eccleſiæ n.* 7. & 19. Hoc idem etiam evincitur authoritate Canoniſtarum præſertim Panormitani ad *cap. Ad diſſolvendum de matrim. contract. contra interdict. Eccleſ.* Gonzales in *cap. fin. de matrim. contra interdictum n.* 2. Pontii *lib.* 6. *de matrim. contra interdictum n.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 32. *n.* 2. & aliorum qui ex allegato ſupra textu *cap.* 2. *de matrim. contract. contra interdict. Eccleſ.* aſſerunt, aliud eſſe prohibere matrimonium, & aliud illud irritare, ex quo inferunt ex prohibitione matrimonii nullo pacto inferri illius nullitatem; quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem *cap.* 16. *de Regul.* ergo ex mente horum Doctorum non obſtante prohibitione Epiſcopi matrimonium, cui aſſiſtit Parochus prohibitus ab Epiſcopo, ſuum ſortitur valorem, quia ex ſimplici prohibitione, cui decretum irritans non eſt annexum non licèt inferre nullitatem actus, neque Epiſcopus ſuis prohibitionibus poteſt adnectere decretum irritans, neque competit Epiſcopo poteſtas interdicendi matrimonia *cap.* 1. *de conſanguin. & affin.* eſt enim ſolius ſummi Pontificis matrimonia irritare, ac de illis ſtatuere cum decreto irritante; ut notat Fagnanus *loc. cit. n.* 7. & 19.

Ratio etiam id ſuadet, quia, quamdiu verificatur forma Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* tamdiu matrimonium cenſetur validum, licèt ex alio capite fortaſſis ſit illicitum: ſed non obſtante prohibitione Epiſcopi exactè verificatur forma Concilii Tridentini, ſcilicet matrimonium initum eſſe præſente Parocho, conſequenter adhuc erit validum, quamvis fiat illicitum ob prohibitionem Epiſcopi, minor ſuadetur, quia per prohibitionem Epiſcopi non aufertur à Parocho qualitas Parochi, neque deſinit eſſe Parochus: ergo ſi illo præſente celebretur matrimonium, verificatur forma Concilii, ſcilicet matrimonium eſſe celebratum præſente Parocho, conſequenter matrimonium erit validum, & contractus legitimus, quamvis præſentia Parochi, ex prohibitione Epiſcopi illicita fuerit. Firmari ex eo poteſt, quia perſona ad certum actum legitimata non poteſt ab inferiore ad eundem actum inhabilitari, *l.* 5. *ff. de Juriſdict.* Sed perſona Parochi à Concilio Tridentino eſt legitimata ad exhibendam ſuam præſentiam in matrimoniis *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* ergo perſona Parochi non poteſt ab Epiſcopo per prohibitionem inhabilitari ad ſuam præſentiam exhibendam matrimoniis, quo minus matrimonium coram tali Parocho initum ſuam ſortiatur validitatem, ut cenſet Fagnanus *loc. cit. n.* 15. Præterea ad valorem actus ſatis eſt, ſi concurrant omnia requiſita de facto, quamvis de jure non adſint, *argum. l.* 20. §. 1. *ff. de condit. inſtit.* Sed ex Concilio Tridentino, ut matrimonium ſit validum, ſufficit conſenſus utriusque Sponſi, qui exprimatur per verba de præſenti, coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, unde quamvis ab Epiſcopo prohibeatur Parochus, ne tali matrimonio aſſiſtat, adhuc habentur de facto omnia requiſita ad valorem matrimonii, quamvis de jure, id

eſt

Digitized by Google

convenit Epiſcopo, qui proinde hanc fori pœnitentialis juriſdictionem inferioribus ſacerdotibus, ut conſultius ei viſum fuerit, cum reſervatione certorum caſuum communicare poteſt. Secus poteſtas aſſiſtendi matrimonio non primo, & principaliter, ac privativè competit Epiſcopo, poſtea de illius conceſſione etiam Parocho: ſed Concilium Tridentinum hanc poteſtatem conceſſit æquè principaliter ipſe Parocho, & cumulativè cum Epiſcopo, quapropter Epiſcopus facultatem benedicendi matrimonia competentem Parochis non poteſt ab iisdem auferre, niſi etiam eos deſtituat officio Parochi; neque ex ſubditis poteſt facere non ſubditos, & inhabilitare contrahentes per ſuam prohibitionem.

CAPUT XIV.

De cauſa efficiente matrimonii.

CErtum eſt, mutuum contrahentium conſenſum per verba de præſenti expreſſum eſſe cauſam efficientem vinculi matrimonialis, quo conjuges ſimul vinciuntur, & obligantur ad ſimul habitandum cum jure petendi & exigendi debitum ſeu uſum matrimonii, diximus enim hoc vinculum, quo conjuges ſimul vinciuntur cum tali jure eſſe matrimonium in facto eſſe, id enim conſtat ex *can. ſufficit*, qui eſt Nicolai I. reſpondentis ad conſulta Wulgarorum, ubi ait: *Sufficit ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui conſenſus, ſi in ipſis ſolus poſtea forte defuerit, cætera omnia fruſtrantur.* Hoc idem etiam confirmat Eugenius IV. in decreto pro inſtructione Armenorum poſt Concilium Florentinum edito, ubi aſſerit: Mutuum conſenſum per verba de præſenti eſſe cauſam efficientem matrimonii *regulariter*; uſus enim eſt hoc adverbio propter ſponſalia exprimentia conſenſum per verba de futuro, quæ jure veteri usque ad Concilii Tridentini promulgationem vigente, ſi accederet copula, in matrimonium tranſibant, quod tamen jus antiquum abrogatum fuit Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. cap. 1.* ubi ait: *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta ſynodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat:* Præterea quia quod eſt unius non tranſit legitimè in poteſtatem alterius, niſi vel authoritate legis, vel conſenſu Domini, in matrimonio autem traditur conjugibus mutuo poteſtas ſuorum corporum, ut enim ait Apoſtolus. 1. *ad Corinth. 7. Mulier non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vir: ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*, ergo fieri non poteſt niſi per mutuum conſenſum liberum, & legitimum, quo mas, & fœmina ſe ipſos vinciunt, & obligant.

Hinc conſenſus debet eſſe omnino liber, & verus externo aliquo ſigno expreſſus coram legitimis teſtibus, quodque nullam habet conditionem deſtruentem præſentem conſenſum. Quod requiratur conſenſus, ex eo conſtat, quia non poteſt quidquam eſſe ſine ſuis partibus eſſentialibus, & conſenſus quatenus eſt traditio, & acceptatio, eſt eſſentialis huic Sacramento. Rurſus debet eſſe liber ab omni neceſſitate, & coactione, à neceſſitate quidem, quia ille, qui conſentit, debet habere uſum rationis, & indifferentiam voluntatis, adeo ut ſit in poteſtate illius exhibere, vel non exhibere conſenſum: ſiquidem ſe obligat ad aliquid, quod ſine gravi peccato non poteſt omittere: quinimo hæc libertas requiritur ad omnem contractum: quapropter pueri, amentes, tempore amentiæ, & ebrioſi, quando non ſunt ſui compotes, non poſſunt matrimonium inire ob defectum libertatis, quinimò ſi aliquis ſe inebriaret prævidens, ſe tempore ebrietatis præſtiturum conſenſum in matrimonium, talis conſenſus non valeret ex defectu libertatis, quia ad hoc Sacramentum requiritur, ut conſenſus ſit omnino liber, hinc requiritur etiam plena libertas à coactione, quam tollit metus gravis mali injuſte incuſſus ad extorquendum matrimonium; qui tamen timor talis eſſe debet, ut cadet in virum conſtantem, quem deterreat à negando conſenſu, ut declaravit Alexander III. *in cap. cum locum de ſponſal. & matrim.* ubi ait: *Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut, ubi aſſenſus cujuſdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur, & ubi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat, ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire. Quocirca mandamus, quatenus puellam, de cujus matrimonio quæſtio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, faciat honeſtè teneri, donec prædicta cauſa terminata fuerit, & ſententia ſine contradictione cujuſquam valet executioni mandari.* Hoc idem confirmat Honorius III. *cap. Conſultationi eod. tit.* inquiens: *Mulieres, quæ venirent ad valvas Eccleſiæ benedicendæ cum ſuis ſponſis, & ibi reclamantes affirmant, ſe nunquam in eorum matrimonium conſenſiſſe: audire (ſponſis legitimè probantibus contrarium) non oportet cum legitimis, & idoneis teſtibus, non debeat illarum ſimplex aſſertio prævalere. Sanè illæ, quæ benedictione accepta mox à ſponſis aufugiunt ante carnis copulam ſubſecutam, aſſerentes ſe nunquam in illos veraciter conſenſiſſe: ſed metu illato compulſas, verba protuliſſe conſenſus, licèt animo diſſentiens, non ſtatim eſt audientia deneganda: ſed de illato metu eſt cum diligentia inquirendum: & ſi talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in conſtantem virum, erunt non immeritò audiendæ.* Ratio itidem aſſignatur à D. Thoma in *4. ſententiar. diſt. 29. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 1.* quia vinculum matrimonii perpetuum eſt; illud autem quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium: metus autem, qui cadit in conſtantem virum, tollit perpetuitatem contractus, quia petitur poteſt reſtitutio in integrum, conſequenter tollit matrimonium. Verum ut metus dicatur cadere in virum conſtantem debet, eſſe talis, ut ad evadendum majus malum, quod veriſimiliter imminet, adigitur quiſpiam amplecti minus malum

imminentis injuſtè incuſſus ad extorquendum conſenſum, qui timor talis eſſe debet, ut cadat in virum conſtantem, quem deterreat à negatione conſenſus, & rurſus debet eſſe conſenſus verus, & non fictus, quia conſenſus externus ſine interno non eſt conſenſus, quamvis, qui fictè tantùm exterius daret conſenſum, teneretur poſtea ratione ipſius contractûs, & propter incommoda partis deceptæ, verum præbere conſenſum; alioquin inanes redderentur omnes contractus, quia eo ipſo, quod uterque exterius conſentit, utrique parti ineſt jus, ut alter exterius conſentiat, alioquin mala eſſet fides omnium contractuum. Ut autem conſenſus fictus, verus fiat, non eſt neceſſe, ut renovetur uterque conſenſus, & alteri parti hoc intimetur, ac denovo vocetur Parochus, quia, cùm conſenſus alterius partis fuerit verus, & moraliter perſeveret, ſufficit, ſi illi alius addatur conſenſus ſcilicet, ut, qui exterius tantùm conſenſerat, internum poſtea conſenſum præbeat, quia mediante hoc interno conſenſu ille externus vivificatur. Rurſus debet conſenſus exprimi ſigno aliquo externo, alioquin non eſſet contractus, nec ſacramentum, unde quando jura dicunt, ſufficere conſenſum, ſemper intelliguntur de conſenſu exterius expreſſo; non tamen eſt neceſſe, ut ſemper per certa verba exprimatur, alioquin mutus, qui non poteſt loqui, nec verba exprimere, non poſſet matrimonium inire, ſed ſufficit, ſi exprimatur per aliquod ſignum externum, quo innoteſcat conſenſus internus, ſive ſint verba, ſive nutus, ſive quid aliud, quo humano modo ſufficienter exprimatur conſenſus de præſenti. Requiritur etiam, ut hic conſenſus exprimatur exterius coram teſtibus legitimis, ut colligitur ex decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrimonii*: ubi habetur: *Qui aliter quam præſente Parocho vel alio ſacerdote de ipſius Parochi ſeu ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, ac nullos eſſe decernit.*

Hinc conſenſus fictus per verba de præſenti expreſſus non ſufficit, ſi deſit conſenſus interior, quia ſine illo nullum, & irritum eſt matrimonium, ut reſpondet Innocentius III. *cap. tua nos de ſponſal. & matrim.* & docet etiam D. Thomas in 4. *ſententiar. diſt.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 4. ubi ait: Sicut ſe habet ablutio exterior ad baptiſmum, ita ſe habet expreſſio verborum ad hoc Sacramentum. Unde ſicut ſi aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, ſed ludum, & dolum facere, non eſſet baptizatus: ita expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit: quod ſi dicas fraudem, & dolum nemini debere patrocinari, ut habetur *in cap. Si vir de cognatione Spirituali*, quod ſi verbis conſenſum quiſpiam exprimit ſine interiori conſenſu dolum committit, non ergo abſolvitur ab obligatione matrimonii, alioquin fraus faveret deceptori. Contra eſt, quia ut docet D. Thomas, duo ſunt diſtinguenda. Quorum primum eſt defectus conſenſus, qui ei patrocinatur in foro conſcientiæ, ut non adſtringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Eccleſiæ, in quo judicatur ſecundum allegata, & probata. Secundum eſt dolus verborum, & hic non patrocinatur nec in foro conſcientiæ, nec in foro Eccleſiæ, quia in utroque pro hoc punitur.

Cæterum qui fictè, & ſimulatè matrimonium cum aliqua contraxit, eam tenetur ducere, quamvis adſint aliquæ exceptiones, hinc, ſi quiſpiam in facie Eccleſiæ conſenſum ſimulans, & exprimens verbis, quod in mente revera non habet, mulieri illudet, & propterea eam ducere tenetur in uxorem, alioquin dolus ei patrocinaretur in foro conſcientiæ, & externo Eccleſiæ, dolus autem nemini patrocinatur. Rurſus quia fictionem alterius probare non poſſet pars decepta matrimonium alterum inire non permitteretur, & quamvis alterius matrimonii ineundi ei daretur facultas, nihilominus ob famam tali divortio graviter læſam difficulter parem conjugem inveniret. Adſunt tamen quatuor exceptiones, quarum prima eſt, quia ſi duxerit alteram legitimo conſenſu adhibito, in hoc caſu ad compenſandam injuriam priori illatam teneretur arbitrio prudentum. Verum Eccleſia in hoc caſu eum urgeret ad manendum cum prima uxore, ut colligitur *cap. ex parte de ſponſal. cap. licet de ſponſa duorum*, quia Eccleſia judicat ſecundum ea, quæ foris apparent, ſed ille debet potius excommunicationem ſuſtinere, quam ad primam uxorem accedere, vel debet in alias Regiones longinquas aufugere, ut reſpondet D. Thomas *loc. cit. ad* 3. Secundo non tenetur eam ducere ſimulator, ſi maxima ſit conditionis diſparitas vel evidentia ſigna ficti conſenſus præbuerit, quia tunc judicari poteſt, mulierem vere deceptam tunc non fuiſſe, aut verbis viri non credidiſſe, vel ſaltem non debuiſſe credere. Tertio ſi mulier, quæ videtur decepta, ſe virginem ſimulaverit, cùm talis non eſſet. Quarto ſi gravia mala capitalis inimicitiæ, ac diſſidiæ, & cædis ex tali matrimonio rationabiliter timeantur, quo caſu pecuniaria compenſatio ſufficiet. Cæterum qui poſt matrimonium fictè contractum cum una, ſincere ſecundum poſtea contraxit cum altera, non poteſt tuta conſcientia redire ad primam, tametſi Judicis Eccleſiaſtici ſententia, imò & cenſuris compellatur, ut ediſſerit Innocentius III. cap. *Inquiſitioni de ſent. excommun.* ubi ait: *Debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*, quia tunc lethaliter peccaret, ſi dimittendo illam, cum qua legitimè contraxit, rediret ad priorem, quæ conjux non eſt defectu conſenſus, nec eſſe poteſt ob conſenſum præſtitum per verba de præſenti in matrimonium cum altera. Proles tamen ex matrimonio fictè contracto ſuſcepta, priuſquam fictio alteri conjugi innoteſcat, vel probetur, legitima cenſenda eſt, & ut talis in foro externo judicatur, quia filii geniti ex matrimonio bona fide ſaltem alterius conjugis inito, in facie Eccleſiæ legitimi cenſentur, dummodo concepti ſint ante divortium Judicis Eccleſiaſtici ſententia declaratum. Idque colligitur ex *cap. Pervenit*, quod eſt Cœleſtini III. *tit. Qui filii ſint legitimi* & ex *cap. Tenore*, quod eſt Innocentii III. ubi habetur: *Intelligentes quod Pater prædictæ R. Matrem ipſius in facie Eccleſiæ ignoranter, quod ipſi aliam ſibi*

matrimonialiter copulaſſet, duxerit in uxorem, & dum ipſa conjux ipſius legitima putaretur, dictum R. ſuſceperit ex eadem, in favorem prolis potius declinamus memoratum R. legitimum reputantes. Ratio eſt, quam adfert D. Thomas *in 4. ſententiar. diſt. 41. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 2.* Ubi ait: *Ignorantia excuſat illicitum coitum à peccato, niſi ſit affectata: unde illi, qui conveniunt bona fide in facie Eccleſiæ, quamvis impedimentum habent, dum tamen ignorent, non peccant, nec filii ſunt illegitimi.*

Rata ſunt matrimonia filiorum familias ſine parentum conſenſu contracta, quia id exigit libertas matrimonii, hinc Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 7. ait: *Cui vult nubat, tantum in Domino,* & quamvis hoc dicitur de vidua, pari tamen ratione de omnibus aliis, utriuſque ſexus nubentibus eſt intelligendum, id etiam recta ratio ſuadet, in iis enim eligendis, & conſtituendis, quæ ad totius vitæ ſtatum pertinent, cujuſmodi ſunt matrimonium, vel continentia perpetua, vel vita monaſtica, liber quiſque eſt, nec alicui ſubditus niſi Deo, ſiquidem in diſciplina domeſtica alter alteri præeſſe poteſt, non autem in his, quæ ad naturam pertinent, aut eam conſequuntur, ut eſt generatio prolis, unde nuptiæ exigunt omnino liberè iniri, ut habetur *in cap. Cum locum de ſponſal. & matrim.* idque confirmat S. Ambroſius *lib. 1. de Virginib. cap.* 10. inquiens: *Si hominem vellent amare filiæ veſtræ, per leges poſſent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet?* Et D. Auguſtinus *epiſt.* 254. *ad Benenatum* ait: *Fortaſſis, quæ nunc non apparet, apparebit & mater, cujus voluntatem in tradenda filia omnibus, ut arbitror, natura præponit: niſi eadem puella in ea jam ætate fuerit, ut jure licentiore ſibi eligat ipſa, quod velit.* Et Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 1. eos *anathemate damnat, qui falſò affirmant, matrimonia à filiis familias ſine conſenſu contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.* Et Concilium præſertim impugnat errorem Lutheranorum, & Calviniſtarum pertinaciter aſſerentium, matrimonium filiorum familias ſolum parentum diſſenſu, aut conſenſu irrita, vel legitima eſſe jure naturali, ac divino nullo habito reſpectu ad leges Eccleſiæ.

Neque obſtat addeſſe in Gallia legem, qua matrimonia filiorum familias invitis parentibus inita invalida eſſe, declarantur, quia ſunt tantum invalida quoad quoſdam civiles effectus, non verò quoad rationem Sacramenti, nec quoad ſubſtantiam contractus, qui eſt materia proxima Sacramenti, ut conſtat ex conſtitutione Henrici II. edita Pariſiis anno 1556. & ex alia Henrici III. Plæſis edita anno 1579. & tandem ex conſtitutione Ludovici XIII. edita anno 1629. quibus ab omni hæreditate repelluntur filii familias, qui invitis parentibus matrimonium contraxerint, omnibuſque juribus, & commodis vi matrimonialium contractuum, & teſtamentorum, legumque, aut conſuetudinum municipalium beneficio illis alias quærendis, cum ipſi tum eorum filii, & Nepotes in perpetuum privantur. Sed matrimonii ita contracti ſubſtantiam, firmitatem, & rationem Sacramenti non attingunt.

Lethaliter tamen peccant filiifamilias, qui inconſultis parentibus vel juſta ex cauſa repugnantibus, & invitis nuptias contrahunt, quia id prohibet lex divina, injungens filiis honorare parentes, & debita obſequia iiſdem præſtare, quapropter, quos ſcriptura ſacra commendat, non leguntur inconſultis parentibus uxores duxiſſe: ſiquidem de Iſaac, & Jacob Patriarchis clare ſcriptura teſtatur, quod parentum Conciliis, ac voluntati in ſuis ducendis uxoribus obſecuti fuerint *Geneſ.* 24. & 28. nec ipſe Samſon ſine conſenſu parentum mulierem, quam reperiebat, voluit in uxorem ducere, & licet Tobias inconſulto Patre legatur uxorem duxiſſe, id tamen præſtitit, quia tunc longè remotus erat à patre, & ejus conſilio ſibi per Moderatorem, cui fuerat commendatus à Patre, indicatum præſtitit, certus, quod Pater habiturus eſſet ratum tale matrimonium. Præterea quia id egit ex divina inſpiratione, & ſuaſione Angeli Ductoris: Unde peccant filiifamilias, ſi inconſultis parentibus, vel ipſis invitis matrimonium contrahant, unde Tertullianus *lib. 1. ad uxorem* ſcribit: *Nam neque in terris filii ſine conſenſu parentum rectè, & jure nubunt* & S. Ambroſius *lib. 1. de Abraham cap. ult.* loquens de Rebecca ait: *Conſulitur puella non de ſponſalibus, nam illa judicium expectat parentum, non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum, unde illud Euripideon, quod mirantur pleríque, unde tranſlatum ſit manifeſtum eſt: Sponſalium quidem meorum Pater meus curam ſubibit, hoc enim non eſt meum. Ergo quod & ipſi Philoſophi mirati ſunt, ſervate virgines. Sed etiam mulieres, ſi quæ, amiſſo citò marito, adoleſcentula laqueum infirmitatis ſuæ timet incidere, ut ſi vult nubere, nubat; tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat.* Hoc idem etiam declarant Canones, etenim Canon *Aliter cauſa.* 30. *quæſt.* 5. & *lib.* 7. *Capitularium cap.* 463. habetur: *Aliter legitimum non fit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, uxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur. Taliter enim, & Domino placebunt, & filios non ſpurios, ſed legitimos, atque hæreditabiles generabunt.* Rurſus Hormiſda Pontifex *can. tua ſancta cauſa.* 31. *quæſt.* 2. ait: *Poteſt de filio nondum adulto, voluntas cujus nondum diſcerni poteſt, Pater eum, cui vult, & in matrimonium tradere; & poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino obſervare, & adimplere debet. Hoc ab omnibus Orthodoxæ fidei cultoribus ſancitum à nobis tenendum mandamus.* Et puella, cujus Pater ſervus erat non illius, ſed avi liberi, qui paternæ poteſtatis jura in ipſa conſervabat, conſenſum ad ineundum matrimonium obtinere debuit, ut reſpondit Pelagius Papa *can. Patrem cauſa* 32. *quæſt.* 5. ubi ait: *Et ideo avi magis electionem de conjunctione Neptis quam Patris ejus, cujus nullo modo liberum poteſt eſſe arbitrium, decrevimus attendi.*

Hinc poſſet Eccleſia canonem condere, quo irritarentur, & nulla eſſent matrimonia filiorum familias con-

contracta ſine Parentum conſenſu; quia eſt dogma fidei, poſſe Eccleſiam impedimenta apponere ob bonum Eccleſiæ, & ad evitanda futura incommoda, quæ impediant matrimonium contrahendum, & dirimant contractum: etenim matrimonia clandeſtina ante Concilium Tridentinum rata erant: poſtea ob aliquas conditiones appoſitas ab Eccleſia, ut matrimonia contrahantur in facie Eccleſiæ coram Parocho, vel Sacerdote de illius vel Epiſcopi commiſſione, & duobus, vel tribus teſtibus, ad hoc, ut habeantur rata, & hiſce conditionibus excluſis irrita ſint ac invalida; eodem pacto poſſet Eccleſia apponere matrimoniis filiorumfamilias quaſdam conditiones, quibus non ſervatis, matrimonia non habeantur rata, ſeu valida, ut repugnantibus parentibus non poſſint validè contrahi: hanc enim legem in matrimoniis filiorum familias in Eccleſia Græca olim fuiſſe ſervatam, fatetur S. Baſilius *Epiſt. ad Amphilochium cap.* 42. ubi ſcribit: *Quæ ſine iis, qui habent poteſtatem, fiunt matrimonia, ſunt fornicationes: Nec ergo vivente Patre, nec Domino, ii, qui conveniunt, ſunt ab accuſatione liberi, donec conjugio Domini annuerint. Tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Viguit lex iſta in Eccleſia Græca uſque ad Schiſma Photii, quo tempore cœperunt filiifamilias, etiam invitis parentibus matrimonia inire, quæ & rata haberentur, ut habetur *Tit.* 13. *cap.* 9. ex Balſamone. Eccleſia verò latina in Tridentina Synodo cenſuit, hujuſmodi matrimonia filiorum familias invitis parentibus contracta non eſſe irritanda; ne libertas in ordine ad matrimonium contrahendum coarctaretur: & quia perſæpe filii prudentiores ſint parentibus, quia detrectant ob humanas cauſas natu minores matrimonia contrahere, ut natu major uberioribus affluat divitiis, quamvis natu minores non ſe contineant: rurſus quia parentes plerumque ſunt ſuſpectæ Religionis, quos proinde veriſimile eſt quæſituros filiis uxores, vel filiabus maritos ejuſdem ſpuriæ Religionis, ut iidem à Religione Catholica retraherentur. Subinde etiam parentes avaritia ſordeſcunt, & ne adigantur dotem aſſignare filiabus, nuptias procraſtinant non ſine earum ſalutis detrimento, vel etiam filiis uxores quærunt, magis divitiis affluentes, quàm probis moribus ornatas, nec curant imparibus, ac indignis conjugiis, filios, & filias copulare, vel iisdem dare, quos non diligunt, ex quibus plura oriuntur incommoda, & diſſidia inter conjuges. Demum, quia plures ſunt, qui filios etiam invitos adigant ad onus alicujus Religionis ſubeundum, ut in monaſterium detruſis ſpes omnis nuptiarum decidatur. Et plures etiam ſunt filii jam conſtituti extra parentum poteſtatem, cujuſcujusmodi ſunt vidui & viduæ, & quocunque alio modo emancipati, qui morantes in Regionibus à parentibus longè diſſitis, quique ætate, rerumque peritia plurimum ſint provecti, ut non contigat iisdem, poſſe tam facilè parentes conſulere ob has aliaſque cauſas maturè perpenſas, Tridentina Synodus cenſuit, non eſſe irritandum matrimonium, à filio invitis parentibus initum. Eſt tamen in Galliis lex ſancita, qua Parochi filios familias, minores 30. annis, & puellas, minores annis 25. completis, prohibentur matrimonio conjungere invitis parentibus, quorum propterea conſenſus in ſcriptis requiritur, ut liquet in Conſtitutionibus Henrici II. & III. & Ludovici XIII. Idque magis conducit ad promovendam pietatem, & filiorum erga parentes obſervantiam lege divina præſcriptam. Qui verò orbati utroque parente nondum attigerunt ætatem, non ſunt matrimonio conjungendi, niſi acceſſerit Tutorum, & Curatorum conſenſus, quia tunc Tutores, & Curatores conſtituuntur loco parentum pupilli, iidem rei eſſent gravis noxæ, ſi abſque Tutorum conſenſu matrimonium inirent.

CAPUT XV.

De iis, qui ſub fictis nominibus ab Epiſcopo, vel Parocho licentiam impetrant, ut poſſint copulari ab aliquo Eccleſiaſtico.

CErtum eſt, matrimonium contractum coram Clerico non Sacerdote etiam de licentia Parochi, vel Ordinarii nullum ſortiri valorem, quia Concilium Tridentinum eos, qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentant, omninò inhabilitat, & incapaces declarat ad ita contrahendum. & ſi contraxerint, decernit hujuſmodi contractus irritos, ac nullius valoris. Hinc eſt etiam irritum, & clandeſtinum matrimonium, ſi contrahatur ſine duobus, vel tribus teſtibus, ut conſtat ex eodem Concilio, ſufficit tamen, ſi duo tantùm interſint teſtes, ut ratum habeatur matrimonium, quia lex divina plures non exigit ad aliquam veritatem comprobandam *Matth.* 18. *In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Neque ad examinandam teſtium qualitatem requiritur, ut rigoroſè omnia ſint omni exceptione majora, ſed ſufficiunt, ſi teſtes ſint rationis compotes, quamvis impuberes conſanguinei, domeſtici, imò fœminæ, & infantes, quia moraliter poſſunt præſentes eſſe, ac teſtificari de re geſta. Concilium Tridentinum non præſcribit alias qualitates, niſi ut ſint rationis compotes, & poſſint ſemper teſtimonium ferre de tali matrimonio inito. Cæterùm pertinet ad Parochum admittere teſtes, qui probi ſint, & noti.

Difficultas eſt, an validum ſit matrimonium contractum ſub fictis nominibus à ſponſis impetrata ab Epiſcopo facultate, ut coram ſimplici Sacerdote poſſint copulari. Refert Cardinalis de Luca *in theatro veritatis & juſtitiæ Tractat. de matrim. & ſponſal. diſcurſu* 3. *n.* 2. hunc caſum contigiſſe Bononiæ inter marem, & fœminam, qui ſub fictis nominibus matrimonii contrahendi coram ſimplici Sacerdote licentiam impetrarunt: & ait ex pluribus cauſis, quas Romæ tractaverat, ut advocatus illius Curiæ, hanc fuiſſe ſingulari nota digniſſimam, tum ob raritatem facti, tum ob difficultatem quæſtionis, & ob votorum ſciſſuram, & diſcrimen, & tandiu fuit hæc quæſtio Romæ agi-

agitata, donec Patres interpretes Concilii Tridentini pro nullitate matrimonii cenſuerint, & vota eorum pro nullitate prævaluerint. Cauſa, cur Patrum vota in diſputationibus diſcreparent, fuit, quia Theologi Morales pro validitate ſteterunt, & Canoniſtæ pro nullitate.

Theologi nitebantur primò ſcripturæ *Geneſ.* 27, ubi Jacob ſub ficto nomine Eſau impetravit paternam benedictionem ab Iſaac præ ſenio oculis caligante, quæ benedictio valida erat, & operata eſt feliciſſimos effectus, cùm ibi legatur, *benedixitque ei, & erit benedictus*, ex quo inferebant Theologi, licentiam contrahendi coram ſimplici Sacerdote ſub fictis nominibus impetratam validam eſſe, & validum itidem matrimonium inde contractum, & ex eo affirmabant, quia textus Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* huic ſententiæ ſuffragatur: ſiquidem ſacra Synodus, præſcribens formam eſſentialem contrahendi matrimonium, ait: *Præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus contrahatur*, neque Concilium quid aliud exigit ad validitatem matrimonii, ſed in noſtro caſu verificatur hæc ſubſtantialis forma Concilii Tridentini, quia adeſt præſentia Sacerdotis de licentia Ordinarii, ergo, cùm habeatur forma ſubſtantialis adimpleta juxta præſcriptum Concilii Tridentini, matrimonium validè contrahitur.

Secundò, quia hodie poſt declarationes ſacræ Congregationis ſupra Concilium Tridentinum validum, & ratum habetur matrimonium initum præſente Parocho, quamvis invito, imò & contradicente, vel etiam proteſtante in contrarium, dummodò naturaliter intelligat verba, quibus uterque ſponſus clarè exprimit conſenſum internum, & adſint teſtes, qui aſſerant, ſponſos coram Parocho clara, & alta voce expreſſiſſe conſenſum. Ratio, quia adhuc verificatur, tale matrimonium fuiſſe contractum in facie Eccleſiæ, ſeu coram Parocho præſente & duobus, vel tribus teſtibus, ut habetur *in L.* 209. *ff. de V. S. Coram Titio aliquid facere juſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi intelligat, velle tamen non debet: nam & invito eo, rectè fit, quod juſſum eſt*, & ita cenſens Fagnanus *de matrim. n.* 14. Cardinalis de Luca *loc. cit. diſcurſu* 2. *n.* 9. ubi etiam citat Rotam Romanam in Granatenſ. matrim. coram Verroſpio in deciſionib. noviſſimis. Sanchez *de matrim. Lib.* 3. *diſput.* 39. *n.* 9. ubi pro hac ſententia plures citat aſſerentes, validum eſſe matrimonium contractum coram ſimplici Sacerdote de licentia Ordinarii, etiam ſub fictis nominibus impetrata, quia verificatur, matrimonium eſſe contractum in facie Eccleſiæ juxta formam Concilii Tridentini, ſcilicet præſente alio Sacerdote de licentia Ordinarii. Neque obſtat fraudulenta impetratio licentiæ, quia hæc fraus non conſtituit Ordinarium matrimonii contrahendi ignarum, ſed tantùm invitum, vel etiam proteſtantem in contrarium, & *ex L.* 209. *ff. de V. S. Velle non debet is, coram quo aliquid facere juſſus eſt: nam, & invito eo, rectè fit, quod juſſum eſt.*

Ratio itidem Theologorum erat, quia, ſi matrimonium illud ratum non eſſet, maximè, quia ſponſi ſub fictis nominibus impetrarunt ab Ordinario, ut poſſent à ſimplici Sacerdote ordinari, ſiquidem, ſi Ordinarius noviſſet ſponſos, eiidem talem facultatem non fuiſſet impertitus, quam tantùm ob falſitatem nominum conceſſit: atqui ajebant Theologi error, aut falſitas non contingens in ſubſtantialibus, vel in cauſa finali, ſed tantùm in accidentalibus, vel in cauſa impulſiva, non vitiat diſpoſitionem aut conceſſionem *cap.* 14. *cap. conſiderantes quoque de præbend. in* 6. *cap. fin. de fil. Presbyt. in* 6. *L.* 72. *§. falſam cauſam ff. de condit. & demonſtrat.* ſed error aut falſitas contingens in nomine, vel pronomine, non cenſetur facta in ſubſtantialibus, nec in cauſa finali, ſed tantùm in accidentalibus, & cauſa impulſiva *§.* 29. *Inſtitut. de legat. L.* 4. *ff. eod.* 1. ergo fictio nominum non vitiat conceſſionem, ſeu licentiam contrahendi coram ſimplici Sacerdote. Firmatur, quia valida eſt licentia contrahendi coram non Parocho ab Ordinario impetrata, ſub affectata, & fraudulenta occultatione qualitatum perſonæ, quapropter valet licentia ab aliquo Principe, qui ſub ſolo titulo nobilis, vel à Duce exercitus ſub nomine militis, impetrata, & quidem ad eum finem, ne matrimonium à parentibus vel conſangvineis impediatur, ut decidit Rota Romana in Mechlinienſ. matrim. coram Cerro 5. Martii anno 1666. quam deciſionem citat Cardinalis de Luca *loc. cit. n.* 10. conſequenter erit etiam valida licentia in noſtro caſu impetrata ſub fraudulenta occultatione veri nominis, & cognominis, ne matrimonium impediretur. Firmatur ſecundò, quia reliqua Sacramenta non ſunt invalida, tametſi falſa ſubſtitutio alterius nominis & cognominis habeatur, quo pacto Cajus diceretur validè baptizatus, confirmatus, abſolutus, ſacriſque ordinibus initiatus, quamvis ſubſtituiſſet fraudulenter aliud nomen, ſeque Liberium vocâſſet, ergo etiam matrimonium non eſt invalidum ob falſam ſubſtitutionem ementiti nominis, aut cognominis, conſequenter præfatum matrimonium ratum haberi debet, utpote initum coram ſimplici Sacerdote de licentia Ordinarii, quamvis ſubſtitutis fraudulenter aliis nominibus, ac cognominibus, quia ſi fraudulenta ſubſtitutio alterius nominis aut cognominis non irritat alia Sacramenta, in quibus Epiſcopus, vel Sacerdos eſt Miniſter: multò minus debet invalidare matrimonium, ubi Ordinarius, vel alius Sacerdos de illius licentia aſſiſtens, non eſt Miniſter, ſed tantùm teſtis licet principalis.

Nihilominus deciſio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fuit pro nullitate, ac invaliditate matrimonii, quia ut obſervat Cardinalis de Luca *loc. cit. diſcurſ.* 3. *n.* 7. in materiis concernentibus forum externum doctrina Canoniſtarum præferenda eſt illi Theologorum: ut è converſo in iis, quæ forum internum concernunt, doctrina Theologorum præfertur. Ratio igitur, cur pro nullitate matrimonii adjudicatum fuit, quia ex *cap.* 34. *de reſcript. cap.* 32. & 40. *de offic. & poteſt. Jud. deleg.* habetur, quòd mandatum delegationis datum ad certam perſonam, vel determinatam cauſam, non poſſit prorogari ultra illam perſonam, vel cauſam in mandata delegationis, ſeu licentia expreſſas: & hujus regulæ rationem etiam aſſignant Canoniſtæ; quia prorogatio eſt præſuppoſitæ ſimilis poteſtatis extenſio *L.* 1. *ff. de judiciis.* ergo, ubi non præſupponitur ſimilis poteſtas, non fit prorogatio *L.* 7. *ff. de precario. L.* 3. *Cod. de Jurisdic.* Sed poteſtas delegata ad certam perſonam vel cauſam ſimiliter non præſupponitur delegata ad aliam perſonam vel cauſam *cap.* 32. & 40. *de offic. & poteſt. Judic. deleg.* Ergo poteſtas delegata ad certam perſonam vel cauſam non poteſt prorogari ad aliam perſonam, & cauſam: atqui licentia conceſſa ab Ordinario ſimplici Sacerdoti aſſiſtendi matrimonio talium perſo-

narum

natum cum tali nomine, & cognomine non intelligitur conceſſa pro diverſis perſonis cum alio nomine, & cognomine argumento poteſtatis, & juriſdictionis delegatæ, ſicut dicitur in *cit. cap. 34. de reſcript.* ergo in virtute commiſſionis conceſſæ ſimplici Sacerdoti aſſiſtendi matrimonio talium perſonarum cum tali nomine, & cognomine, ſi perſonæ revera non ſint cum tali nomine, & cognomine, non ſunt amplius eædem, pro quibus fuit facultas conceſſa aſſiſtendi ſimplici Sacerdoti, ſed erunt aliæ perſonæ, pro quibus non eſt data facultas ſimplici Sacerdoti, ut earum matrimonio aſſiſtat: ſiquidem ſolùm reſpectu perſonarum in mandato delegationis cum tali nomine & cognomine expreſſarum intelligitur conceſſa ab Ordinario licentia, & non intuitu aliarum perſonarum cum alio nomine & cognomine, quarum reſpectu manet perſona omninò privata deſumpta paritate à Judice delegato ad perſonas determinatas. Firmatur, illud matrimonium non eſt ratum, ſed infallibiliter nullum, quod juxta formam Concilii Tridentini non eſt initum præſente Parocho, vel alio Sacerdote de licentia Ordinarii, ſed in noſtro caſu non verificatur, matrimonium eſſe initum præſenti alio Sacerdote de licentia Ordinarii, ut patet ex dictis, quia Ordinarius non dedit licentiam aſſiſtendi, niſi perſonis cum tali nomine, & cognomine, & non aliis. Sed contrahentes non habent tale nomen, & cognomen, conſequenter ſunt aliæ perſonæ, quarum matrimonio aſſiſtendi non fuit licentia conceſſa ſimplici Sacerdoti, ergo hoc matrimonium eſt infallibiliter nullum, quapropter Patres Concilii Tridentini interpretes examinatis utrinque ac maturè perpenſis fundamentis utriuſque ſententiæ in cauſa Bononienſi concluſerunt pro nullitate matrimonii, ut teſtatur Cardinalis de Luca, & deducitur etiam ex *cap. 34. de reſcript.*

Præterea quia, ſi conſtaret de mente Ordinarii concedentis licentiam, quòd velit, eam eſſe nullam vero ſupplicantis nomine, & cognomine expreſſo, tunc interveniens error, & falſitas diceretur contigiſſe in aliquo ſubſtantiali, vel cauſa finali, qua ceſſante, ceſſat diſpoſitio, vel licentia, in præſenti autem facto occurrunt circumſtantiæ, ex quibus conſtat evidenter de mente Ordinarii concedentis licentiam, quòd voluerit eam fuiſſe nullam, ſi verum nomen, & cognomen ſupplicantis illi innotuiſſet: ergo interveniens error, aut falſitas contigit in aliquo ſubſtantiali, & cauſa finali, qua ceſſante ceſſat etiam licentia, conſequenter ob non impletam formam Concilii corruit matrimonium. Rurſus quia ex oppoſita ſententia ſequeretur, quòd ſi licentia contrahendi coram quovis Sacerdote, data Ordinario Liberio ſufficiens eſſet, ac ſuffragari valeret pro matrimonio Sempronii, quia non eſt ratio ſufficiens, cur non poſſit ſuffragari pro matrimonio alterius, imò & plurium: hoc autem eſt abſurdum, quia fieret manifeſta fraus Concilio Tridentino: ſiquidem ad tollenda incommoda, quæ conſueverant oriri ex matrimoniis clandeſtinis, præſcripta fuit forma valide contrahendi matrimonia, & hanc rationem fuiſſe maturè perpenſam à Patribus in Congregatione Concilii ſtantibus pro nullitate matrimonii, aſſerit Cardinalis de Luca.

Neque obſtant fundamenta, quibus innititur oppoſita Theologorum ſententia, ad textum deſumptum ex Geneſ. 27. reſpondetur cum D. Auguſtino de *civit. Dei lib. 9. cap. 37.* benedictionem à Jacob ſub ficto nomine Eſau impetratum ab initio quidem fuiſſe invalidam, ſed reconvaluiſſe, cùm Iſaac divinam voluntatem ex interna inſpiratione, & revelatione cognovit, ac propterea datam ſub nomine Eſau benedictionem ipſi Jacob denuò confirmavit. Abulenſis etiam reſpondet ad *cit. cap. 27. Geneſ. quæſt. 7.* Iſaac dilexiſſe benedictionem ad præſentem filium ſive Jacob ſive Eſau fuerit, ſed explicatio S. Auguſtini eſt ſacræ hiſtoriæ conformior.

Ad id, quod addebatur ex Concilio Tridentino, negatur minor, falſum enim eſt, in hoc caſu formam verificari Concilii, quia licentia tantum fuit data ſacerdoti aſſiſtendi matrimonio talium perſonarum deſignatarum per tale nomen, & cognomen, ſed perſonæ, quæ contraxerunt, de facto non deſignabantur per tale nomen, & cognomen: neque licentia de jure extendi potuit ad alias perſonas cum diverſo nomine, & cognomine, quia coarctata fuit pro tali vice ad tales perſonas, deſignatas per tale nomen, & cognomen; argumento, & paritate poteſtatis delegatæ *cap. 32. & 40. & cap. 34. de reſcript.* ex quibus conſtat, mandatum delegationis, datum ad certam perſonam vel determinatam cauſam, non poſſe prorogari ultra illam perſonam vel cauſam in mandato delegationis expreſſam. Rurſus, quia deficit licentia Ordinarii ob poſitivè ejus contrariam intentionem, quia talem licentiam non conceſſiſſet, ſi verum nomen, & cognomen contrahentium ei innotuiſſet.

Ad ſecundum negatur, in tali caſu verificari, quòd matrimonium contrahatur in facie Eccleſiæ, juxta formam Concilii, præſente alio Sacerdote de licentia Ordinarii, ſiquidem fraudulenta impetratio licentiæ non ſolùm reddit Ordinarium invitum, ac proteſtantem in contrarium, ſed etiam illum conſtituit ignarum negotii gerendi, quia ipſe intendit, ut Sacerdos aſſiſtat matrimonio perſonarum deſignatarum per tale nomen, & cognomen, & de facto perſonæ contrahentes non deſignantur tali nomine, & cognomine, conſequenter non innoteſcunt Ordinario, qui ignarus eſt negotii gerendi, quia, ut habetur *l. 209. ff. de V. S. præſente eo feciſſe non videris, niſi intelligat in, coram quo, quid facere juſſus eſt.*

Ad tertium negatur minor, quia ex concurrentibus circumſtantiis ſatis apertè deprehenditur, falſitatem in nomine, & cognomine contigiſſe in ſubſtantiali, & cauſa finali; qua ceſſante ceſſat diſpoſitio, & corruit licentia, cùm omninò defuerit voluntas, & intentio Ordinarii, qui nullo pacto dediſſet ſimplici Sacerdoti licentiam aſſiſtendi tali matrimonio, ſi eidem innotuiſſent vera nomina & cognomina utriuſque ſponſi. Præterea, quando error vel falſitas contingens in nomine, & cognomine dicitur, non cenſeri facta in ſubſtantialibus, vel cauſa finali, ſed tantùm in accidentibus, vel cauſa impulſiva, diſtinguitur minor, ſi diſponens, & concedens ſit certus de perſona determinata, quæ doloſè ſub diverſo nomine nuncupatur, conceditur minor: ſi non ſit certus de perſona determinata, negatur minor, & ſenſus diſtinctionis eſt, errorem vel falſitatem in nomine, & cognomine non variare diſpoſitionem, dummodò diſponens ſit certus de tali perſona in particulari, quamvis in nomine, & cognomine poſtea erreant: ut ſi teſtator demonſtrat Simonem Petrum, eumque hæredem inſtituat, valet inſtitutio, quamvis teſtator erroneè eum in teſtamento vocaſſet Jacobū Zebedæū, ut habetur textus in *§. 29. inſtit. de legat.* ubi expreſsè Imperator dicit: *Siquidem in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii teſtator erraverit; cùm de perſona conſtat, nihilominus valet legatum, idemque in Heredibus ſervatur, & rectè, nomina enim ſignificandorum hominum gratia reperta: qui ſi alio quolibet modo intelligantur, nihil intereſt.* Pari pacto ſi teſtator voluit Cajo pro legato relinquere fundum Cornelianum, legatum ſuum ſortitur valorem, quamvis teſtator fundum illum nuncupâſſet

An-

Digitized by Google

Antonianum *L. 4. ff. de legat. 1.* Quotieſcunque enim conſtat de corpore, ſeu de perſona error, vel fraus in nomine, vel cognomine contingens, non vitiat diſpoſitionem, è converſo tamen, ſi de certo corpore, vel determinata perſona non conſtet, error vel fraus in nomine, & cognomine contingens, vitiat diſpoſitionem, quia faciunt deficere intentionem, ac voluntatem diſponentis à ſenſu contrario, deſumpto *ex cit. §. 39. inſtit. de legat. & L. 4. ff. eod.* Hinc licèt contrahentes matrimonium fictis nominibus petierint ab Ordinario licentiam contrahendi matrimonium coram ſimplici ſacerdote, quia tamen Ordinarius in mandato delegationis expreſſit perſonas deſignatas per tale nomen, & cognomen, & perſonæ non fuerunt eædem, ſed aliæ, ideo error contigit circa corpora & perſonas contrahentes, proinde fraus in nomine, & cognomine vitiavit diſpoſitionem, quia fecerunt intentionem deficere, & voluntatem diſponentis. Quòd ſi Ordinario innotuiſſent perſonæ, quamvis ſub ficto nomine, & cognomine petiiſſent licentiam contrahendi matrimonium coram ſimplici ſacerdote, tunc fraus, & error non contigiſſet circa perſonas, ſed tantùm circa nomina, & cognomina, & error non vitiaſſet diſpoſitionem, quia ſuppoſita certitudine determinatæ perſonæ non deficit intentio concedentis licentiam huic determinatæ perſonæ quocunque nomine vocetur: ſed quia in præſenti caſu perſonæ non innotuerunt Ordinario, ideò fraus, & error in nomine, & cognomine vitiavit diſpoſitionem in aliquo ſubſtantiali, & in cauſa finali.

Ad confirmationem reſpondetur, eſſe diſparitatem, quia per affectatam aut fraudulentam qualitatum perſonalium occultationem, dummodo expreſſum ſit verum ac genuinum nomen, & cognomen, ipſa ſubſtantia, aut veritas in perſona non mutatur: hinc quando Princeps ſub titulo nobilis, vel Dux ſub nomine militis, aut vir dives vili & abjecto, pannoſoque habitu indutus, coram Ordinario comparet, ſi tamen proprium, ac genuinum exprimat nomen, & cognomen ad ſimilem contrahendi licentiam impetrandam, tunc non ſequitur una perſona pro alia, proinde non deeſt intentio concedentis, & fertur in determinatam perſonam pro gratia ſupplicantem, quocunque nomine, & cognomine illa vocetur, adeò ut in tali caſu licentia cenſeri debeat valida, aliter enim eſt, ſi tantùm alteretur nomen, & cognomen, ſed innoteſcat perſona, quia tunc error non fit in perſona, & in ſubſtantia contractus, quia non ſupponitur una pro alia, ſed tantùm in nomine, conſequenter non deeſt intentio concedentis ob incertitudinem, & diverſitatem perſonæ. Hinc liquet diſparitas de cauſa Meclinienſi, quam Rota Romana validam eſſe declaravit, quia tunc error non fuit circa perſonas, ſed tantùm circa affectatam occultationem qualitatum perſonalium, ut notat Cardinalis de Luca *loc. cit. diſcurſu 3. per tot.*

Circa alteram partem ſecundæ confirmationis facilè aſſignatur diſparitas, cur reliqua Sacramenta non ſint invalida ob falſam ſubſtitutionem nominis aut cognominis, quia ſacerdos, qui Sacramenta adminiſtrat, tenetur ſuam intentionem dirigere ad perſonam, hic & nunc ſibi præſentem, ne irritetur Sacramentum, conſequenter error, & fraus in nomine, & cognomine non poteſt contingere in aliquo ſubſtantiali ob certitudinem perſonæ, quæ præſens eſt, & eidem ſacerdos Sacramenta miniſtrat, cujus propterea intentio, quæ fertur in determinatam perſonam hic & nunc præſentem, quocunque nomine vocetur, non errat in ſubſtantia perſonæ. E converſò, qui licentiam alicui ſub ficto nomine unicè ſuam dirigit intentionem ad perſonam ſub tali nomine ſupplicantem, proinde, ſi perſona non ſit eadem, quæ deſignetur tali nomine, corruit intentio, & licentia concedentis, quia eam noluit concedere perſonæ diverſæ ab ipſo ſupplicante.

An verò matrimonium contractum coram Parocho intruſo validum ſit? Reſpondetur, tale matrimonium nullum ſortiri valorem, ratio eſt, quia Parochus intruſus non eſt verus Parochus, & Concilium Tridentinum declarat, irrita eſſe matrimonia, quæ aliter quàm præſente Parocho, aut alio Sacerdote de ipſius Parochi, & Ordinarii licentia contrahuntur, verùm ſi titulum habeat ſaltem coloratum, ſeu errore communi vulgi legitimus habeatur Parochus, tunc ratum eſt matrimonium coram ipſo initum. Tametſi ipſo jure privatus ſit quiſpiam beneficio ob aliquod crimen, vel quia excommunicatus erat, dum ad illud promotus eſt, vel quia jam beneficium habet, cum quo eſt incompoſſibilis cura parochialis, vel quia intra annum ſacrum Presbyteratus ordinem non ſuſcepit, nondum tamen poſſeſſione ſpoliatus eſt, & quamdiu non ſpoliatur, præſumitur habere juſtam cauſam beneficium retinendi *cap. licet Epiſcopus tit. de prabend. & dignitatib. in 6.* Si verò matrimonium contrahatur coram Parocho ſuſpenſo, vel etiam excommunicato, adhuc matrimonium ratum habetur, quia ſacerdos in miniſtratione hujus Sacramenti nullam exercet juriſdictionem, ſed meram exhibet præſentiam, & miniſterium facti, ut cenſuit ſacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Præterea, quia ſuſpenſio, & excommunicatio non irritant Sacramentum, niſi in his, in quibus exercetur juriſdictio, ut eſt abſolutio à peccatis. Quamobrem ratum eſt matrimonium contractum coram Parocho ſuſpenſo, & excommunicato, etiam denuntiato, ut reſpondit ſacra Congregatio Concilii, teſte Fagnano in *cap. litteræ quas de matrim. contract. contra interdict. Eccleſ.* Graviter tamen peccant, qui coram Parocho excommunicato ſcientes, & volentes contrahunt matrimonium, & ipſi etiam contrahentes excommunicationem incurrunt, ſi ſint denuntiati, quia tenebantur vitare communicationem Parochi excommunicati.

CAPUT XVI.

An omiſſio denuntiationum nullitatem inducat matrimonii.

DEnuntiationes dicuntur proclamationes, quæ banna vulgò dicuntur, & ab Eccleſia ſtatuuntur, ac fieri præcipiuntur, antequam contrahantur matrimonia, ut hæc ſint clandeſtina velut impedimenta, ſi quæ fortaſſis ſint, inter partes poſſint Eccleſiæ innoteſcere, quia Eccleſia eas perſonas non conjungeret matrimonio, ſi ad contrahendum non conſtaret legitimas eſſe. Uſus autem harum denuntiationum antiquus eſt in Eccleſia, & præcepit Concilium Lateranenſe IV. ut conſtat ex *cap. Cum in tua de ſponſal.* & hanc conſuetudinem, quæ propria ſub initiis tantùm fuit aliquarum Eccleſiarum Concilium Lateranenſe IV. *cap.* 3. generaliter ampliavit, & Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 1. confirmavit inquiens: *Sancta Synodus, Sacri Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit, ut in poſterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtis in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur.* Hinc conſtat, tres futuri matrimonii denuntiationes à proprio contrahentium Parocho, & quidem tribus continuis diebus dominicis aut feſtis celebrationi eſſe præmittendas. Dubitatur tamen, an earundem omiſſio irritet matrimonium, quod nullum conſtituat. Non defuerunt, qui ſibi perſuaſerunt à Concilio Tridentino fuiſſe denuntiationes deſcriptas pro ſubſtantiali forma matrimonii, ſed communis Theologorum, & Canoniſtarum ſententia firmiter aſſerit, denuntiationes non pertinere ad eſſentialem formam matrimonii.

Aſſerendum eſt, denuntiationes matrimonii futuri non eſſe neceſſarias neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum neceſſitate præcepti, adeoque non eſſe clandeſtinum, neque irritum matrimonium, quod ſine denuntiationibus contrahitur. Ratio petitur ex ipſo Concilio Tridentino, quod præſcribens formam matrimonii contrahendi ait: *Qui aliter quam præſente Parocho*, quæ verba ad denuntiationum ſolemnitatem non referuntur, ſed tantum ad Parochi, & teſtium præſentiam, ſine qua declarat irritum matrimonium, & ſponſos inhabiles conſtituit ad ſic contrahendum. Exceptio ſiquidem in hoc caſu legem firmat in cæteris. Præterea ſi denuntiationes ad matrimonii ſubſtantiam pertinerent, poſt matrimonium fieri non poſſent ſed deberent neceſſario in ipſo actu, quo matrimonium contrahitur adhiberi, ut colligitur *ex cap. auditis*, & *cap. quia propter de elect.* ſiquidem individuum eſt quidquid ad ſubſtantiam actus pertinet, ut ſeparari vel disjungi non poſſit ab alio: conſtat autem ex decreto Concilii Tridentini matrimonium abſque denuntiationibus celebrari poſſe, & dat facultatem Epiſcopis, juſta & legitima urgente cauſa illas diſpenſandi; ſin autem eſſent de eſſentia, & ſubſtantia matrimonii, non poſſet Epiſcopus eas remittere, quia ſine eſſentia, & ſubſtantia rei non poteſt res dari. Conſtat itidem, poſt matrimonii celebrationem poſſe denuntiationes differri, ſi probabilis oriatur ſuſpicio, quod matrimonium malitioſè poſſit impediri, ſi præmittantur, ex quibus evidenter conſtat, ad ſubſtantiam matrimonii non pertinere, neque omiſſionem denuntiationum irritum facere matrimonium, & ita reſpondet etiam ſacra congregatio Concilii Tridentini interpres, & communis eſt Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, quinimò ſæpius ſacram congregationem Concilii declaraſſe omiſſionem denuntiationum non inducere nullitatem matrimonii refert Bellarminus *in notis ad Concilium Tridentinum*, & eandem ſententiam ſemper tenuit Rota Romana apud Cardinalem de Luca *loc. cit. diſcurſu.* 2. *n.* 7. & eandem etiam docet communis Eccleſiæ praxis omniumque Doctorum conſenſus.

Ratio itidem hoc ſuadet, quia ante Concilium Tridentinum de jure antiquo denuntiationes non pertinebant ad formam matrimonii, nec earum omiſſio inducebat nullitatem matrimonii: ergo neque poſt Concilium Tridentinum de jure noviſſimo denuntiationes pertinebunt ad formam matrimonii, neque earum omiſſio nullitatem inducet matrimonii, conſequentia oſtenditur, quia Concilium Tridentinum circa denuntiationes novum non condidit decretum, ſed illud idem Cocilii Latheranenſis conſuetudine, uſuque paſſim confirmatum innovavit, & tantum utitur verbis præceptivis, non verò irritantibus, qualibus annullavit matrimonia ſine Parocho; & teſtibus contracta, ut poteſt ex textu Concilii *ſeſſ.* 24. *de refor. matrim. cap.* 1. Ergo ſi ante Concilium Tridentinum de jure antiquo denuntiationes non pertinebant ad formam matrimonii, nec earum omiſſio inducebat nullitatem matrimonii, ut habetur toto tit. de clandeſtina deſponſal. rectè ſequitur, quod neque poſt Concilium Tridentinum de jure noviſſimo ad formam pertineant matrimonii, neque earum omiſſio nullitatem inducat. Firmatur, quia quæ ex diſpenſatione Epiſcopi, vel omitti, vel prorogari, vel actum jam completum ſubſequi poſſunt, potius pertinent ad ſolemnitatem extrinſecam, quam ad formam intrinſecam, & eſſentialem, ut communiter docent Doctores ad *cap. quia propter* 42. *de elect.* ſed denuntiationes ex diſpenſatione Epiſcopi juſtis de cauſis omitti, vel prorogari ad matrimonium jam initum poſſunt, adeo ut denuntiationes non ſolùm præcedere, ſed etiam ſubſequi poſſunt matrimonium. Hinc conſtat, denuntiationes potius pertinere ad ſolemnitatem extrinſecam, quam ad formam intrinſecam, & eſſentialem, adeo ut earum omiſſio non inducat nullitatem matrimonii, ut notant Covarruvias *de ſponſal. part.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſput.* 5. *n.* 3.

Digitized by Google

Poteſt tamen in contrarium objici, quia Concilium Tridentinum non dedit abſolutam poteſtatem Parochis aſſiſtendi matrimoniis, ſed tantùm limitatam, præmiſſis ſcilicet denuntiationibus quibus factis, ſi nullum opponatur legitimum impedimentum ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, unde juvat argumentari Concilium præcipiens Parochis, ut factis denuntiationibus ad celebrationem matrimonii procedatur, utitur ablativo abſolute poſito, ſed ablativus ita poſitus abſolutè in jure importat conditionem *l. 109. ff. de condit. & demonſtrat.* ſed conditio importat formam *l. 44. l. 55. ff. eod.* ergo Concilium præcipiens Parochis, ut factis denuntiationibus, ad celebrationem matrimonii procedatur, dedit Parochis conditionem, & præſcripſit formam, quæ non obſervata, & illa non impleta, validè matrimonio non aſſiſtant, ex quo ſequitur, omiſſionem denuntiationum deſtituere Parochum poteſtate aſſiſtendi, conſequenter inducit nullitatem matrimonii. Sed contra, quia Concilium tantùm dedit Parochis limitatam poteſtatem, ut licitè, & ritè aſſiſtant matrimonio præmiſſis ſcilicet denuntianionibus, non verò dedit limitatam poteſtatem, ut validè aſſiſtant, hinc in jure ablativus poſitus abſolutè importat conditionem, & conditio formam ad licitè, & rectè agendum, non verò ad validè. Hinc Concilium præcipiens Parochis, ut factis denuntiationibus ad celebrationem matrimonii procedatur, Parochis conditionem præſcripſit, & formam ad licitè, & rectè celebrandum matrimonium, non verò ad validè, adeo ut omiſſis denuntiationibus adhuc poſſit validè matrimonium contrahi, Quia igitur Concilium præcipiens Parochis, ut præmittant denuntiationes, antequam matrimonio aſſiſtant, non addidit decretum irritans matrimonium, ſi fiat ſine denuntiationibus, voluit tantùm præſcribere formam, qua ritè & rectè celebrarentur matrimonia, præmiſſis ſcilicet denuntiationibus, & fundatur hæc diſtinctio in *cap. 1. de ſententia excommunic. in 6.* ubi per ablativum abſolutè poſitum præcipitur: ut excommunicatio fiat in ſcriptis præmiſſa trina monitione, & nihilominus valida eſt excommunicatio, quamvis non præcedat trina præmonitio, vel non fiat in ſcriptis. Hinc ablativus abſolutè poſitus non ſemper importat conditionem, & formam ad validè, ſed tantùm ad ritè, & licitè agendum.

Cæterum non excuſarentur à peccato lethali contrahentes, qui abſque diſpenſatione, aut cauſa legitima matrimonium contraherent, nullis præmiſſis denuntiationibus: quinimò ejuſdem peccati reus eſſet Parochus, ſi ſciens, & volens tali matrimonio intereſſet, quia præceptum Eccleſiæ tam contrahentes, quam Parochus transgrederentur in re gravi. Epiſcopus tamen juſtis de cauſis unam vel alteram imò, & omnes tres denuntiationes remittere poſſunt, ut declarat Concilium Tridentinum in ſuo decreto, ubi habetur. *quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem* Parocho, *& duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, faciliùs detegantur: niſi Ordinarius ipſe judicaverit expedire, ut prædictæ denuntiationes remittantur quod illius prudentiæ, & judicio ſancta Synodus relinquit.* Hinc remittere has denuntiationes pertinet ad ſolos Epiſcopos, vel eorum Vicarios generales, vel etiam ad Vicarios capituli ſede vacante, non verò ad Abbates, vel alios habentes jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, quia hoc jus Concilium tantùm conceſſit Epiſcopis, & ſacra congregatiò Concilii Interpres declaravit Alexandrum Cardinalem Farneſium commentatarium Abbatiæ Farnenſis, habentis jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, carere facultate remittendi duas denuntiationes, quam ei ex gratia ſpeciali Gregorius XIII. conceſſerat, quoad viveret. Et reſponſum congregationis approbavit. Ordinarii nomine ſolum Epiſcopus intelligitur, ut refert Fagnanus *in 4. lib. decret. de clandeſtin. deſponſat. cap. Cum inhibitio.* Epiſcopus tamen ſine cauſa gravi, & juſta concedere non debet diſpenſationes denuntiationum, & ſi eas diſpenſet: debet omnino gratis fieri diſpenſatio.

Præcipuæ diſpenſandi cauſæ ſunt. Prima, quam aſſignat Concilium Tridentinum, ſi probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium poſſe malitioſè impediri, ſi tot præceſſerint denuntiationes. Secunda, ſi ſine infamia contrahentium fieri non poſſint denuntiationes, ut ſi contrahentes in concubinatu vixerint, ac pro veris conjugibus habiti fuerint, & per legitimum matrimonium velint è peccato emergere, quia tunc per tales denuntiationes eorundem fama graviter læderetur: Tertia, ſi abſque gravi animæ vel rerum etiam temporalium diſcrimine differri nuptiæ non poſſint: ut ſi vir in mortis articulo ſit conſtitutus, vel debeat ſtatim longum iter ſuſcipere, & neceſſe ſit matrimonium contrahere, ut honori puellæ conſulat, & proles jam concepta legitima fiat. Quarta, ſi ad vitandum peccatum, ſcandalum, infamiam, vel periculoſas lites, & vexationes ex parte parentum, vel Tutorum, vel periculum ſit in mora, nec animus alterius ex levitate, infidelitate, aut invidorum ſuaſionibus immutetur. Quinta, ſi puella ſit ſub Tutela iniqui Tutoris, qui eam viro ignobili, & diſpari tradere velit, vel ſit ſub poteſtate Novercæ, quæ velit eam in monaſterium detrudere. Sexta, ſi inter contrahentes ſit diſparitas conditionis, ætatis divitiarum, ut ſi nobilis cum ignobili, pauper cum divite, vir honeſtus cum meretrice, vel infami vellet contrahere matrimonium, habetur enim inter opera charitatis, ſi vir, qui ſui juris eſt, meretricem è lupanari retrahat, ut eam à peccato revocet, ut ait Clemens III. *cap. inter opera de ſponſal. & matrim.* Septima, ſi Principes contrahant matrimonium, quia tunc ingenti cum deliberatione contrahunt. & ſi quæ intercedant, impedimenta ſtatim apparent. Octava, quando tempus urget, quo nuptiarum celebratio prohibetur, nec tamen differri poſſunt citra grave incommodum, aut animæ periculum ob incontinentiam eorum. qui contrahere volunt; quam cauſam etiam approbavit ſacra congregatio Concilii Tridentini Interpretum teſte Zerola *in praxi Epiſcopali. verbo matrimonium dub. 9.*

Ubi verò neceſſitas urget, neque temporis anguſtiæ permittunt accedere ad Epiſcopum, nec adire Parochum; eo quia elaberetur occaſio, ſine

Digitized by Google

ſine præviis denuntiationibus iniri poteſt matrimonium, ut ſi vir in mortis periculo imminente, velit uxorem ducere concubinam, ut propriæ conſulat ſaluti; præſertim ſi à vicinis fuit fœmina exiſtimata ejus uxor, quia tunc per denuntiationes læderetur ejus fama. Vel, ſi vir qui puellæ virgini vim intulit, & authoritate publica adigatur illam ſtatim ducere in uxorem poſt cognitionem cauſæ, in iis, & aliis id genus caſibus poteſt, non præmiſſis denunntiationibus, licitè iniri matrimonium, quia neceſſitas ſufficienter excuſat, & acceſſus ad ordinarium non cenſetur moraliter poſſibilis. Si poſſint tamen commode acciri teſtes, ſunt adhibendi, ut contractus, ſi non in omnibus ſit conformis formæ præſcriptæ à Concilio; ſit ſaltem in iis, quibus poteſt eſſe conformior.

An verò germani fratres ſponſæ poſſint eſſe teſtes, videtur adeſſe difficultas, quia *in cap. 1. de Conſang. & affinit.* Pontifex in cauſis matrimonialibus deſiderat teſtes omni exceptione majores, quales non ſunt fratres germani, quia de jure habentur potius ſuſpecti *arg. cap. 22. de teſtibus*, quia fratres naturaliter propendent ad augendum ſororis honorem, & commodum, præſertim ſi ſoror per tale matrimonium promoveatur ad pinguiorem fortunam, ut ſi vir ſit dignitate conſpicuus, vel divitiis affluens, ut habetur in *cit. cap. 22. Ubi vir eſt ſuperior divitiis, teſtimonium non eſt petendum à fratribus ſponſa.* Secundo, quia à jure deſiderantur teſtes non ſolum ad probationem, ſed etiam ad formam actus, qui ſint idonei, & legitimi, ut habetur *in tit. de teſtibus & tit. de teſtamentis arg. cap.* 10. & 11. *de teſtam.* ſed à Concilio Tridentino, non ſolum deſiderantur teſtes ad probationem, verum etiam ad formam actus *ſeſſ.* 24. *cap. de Refor.* ergo teſtes ſuſpecti, quales ſunt fratres germani ſponſæ, excluduntur: Accedit etiam ratio, quia de jure matrimonium clandeſtinum dicitur, quod legitimè probari non poteſt, *cap. 2. de clandeſt. deſponſal.* ſed per germanos fratres ſponſæ non poteſt matrimonium legitimè probari, quia ſunt teſtes ſuſpecti, cùm naturaliter diligant incrementum, & honorem ſororis: ergo non poſſunt eſſe teſtes idonei.

Verùm probabilius eſt, germanos fratres poſſe teſtes eſſe qualificatos, legitimos, ac idoneos quoad ſororis matrimonium contrahendum: quia in cauſis favorabilibus poſſunt adhiberi teſtes, qui non ſint omni exceptione majores, dummodo non patiuntur defectum de jure naturæ *c. 5. de hæret. in 6.* cauſæ autem matrimoniales ſunt favorabiles: proinde poſſunt teſtes adhiberi, qui non ſint omni exceptione majores *c. 3. qui matrim. accuſare poſſunt*: ubi determinatè dicitur *in matrim. conjungendo & disjungendo & ipſius conjugis prærogativa, & quia favorabilis res eſt, congruè admittuntur tanquam teſtes Pater, Filius, Mater c. 2. de Teſtibus*: ergo etiam fratres germani ſponſæ ſunt teſtes idonei, & congruè poſſunt adhiberi extra periculum, quod matrimonium ſit clandeſtinum. Secundò quia aſſertio fundatur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. c. 1.* Ubi ſacra Synodus præter Parochi præſentiam requirit duos teſtes vel tres, nullam in iiſdem requirens qualitatem; tametſi finis Concilii fuerit, pericula cavere matrimonii clandeſtini. Præterea quia plura matrimonia exponerentur periculo nullitatis, ſi in iiſdem deſiderarentur teſtes omnino qualificati, & abſque ulla exceptione: ut contingit in teſtamentis, quæ pluribus ſunt obnoxia periculis nullitatis, etiam præter opinionē teſtatoris, ob defectum aliquem, vel exceptionem in teſtibus, quæ pericula ne occurrerent in contrahendis matrimoniis, Concilium non deſideravit teſtes, qui eſſent omni exceptione majores. Præterea, quia jus noviſſimum Concilii Tridentini corrigit jus antiquum, in quo valida erant matrimonia clandeſtina ſine teſtibus: conſequenter jus novum Concilii Tridentini eſt ſtrictiſſimæ interpretationis, & non debent verba interpretari ultra Concilii mentem, neque extendi ultra verborum ſenſum: ſed mens Concilii fuit, cavere, ne matrimonia clandeſtinè celebrentur, & ſimul præcavere difficultatem, quæ ex diverſis teſtium qualitatibus, vel maximè orirentur: ergo ex mente Concilii ad removendam omnem difficultatem ſufficit, ſi adſint duo vel tres teſtes capaces teſtificandi ſolum, non verò quòd ſint omni exceptione majores, tum quia quando Jura ad aliquem actum ſupponunt, vel exigunt teſtes ſingulariter qualificatos id ſemper ſolent exprimere, ut *in cap. 10. de teſtam.* & *cap. 11. eod.* Ergo ex eo, quod Concilium Tridentinum præciſè ad formam matrimonii exigit duos, vel tres teſtes, nullâ factâ mentione de eorundem qualitate, non ſupponit, neque exigit, ut teſtes ſint omni exceptione majores, ſed tantum tales, qui poſſint teſtificari.

Ad primum fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, falſum eſſe in cauſis matrimonialibus ſemper deſiderari *teſtes circumſpectos omni exceptione majores*, ut oſtenſum eſt *ex cap. 3. Qui matrimonium accuſare poſſunt.* Unde quia ſacri canones ſibi non contradicunt: appoſitum *in cap. 1. de conſang. & affinit*, intelligi debet de eo caſu, quo vitium, & inſufficientia teſtium aliunde non ſuppletur, ſcilicet per præſentiam alterius perſonæ qualificatæ, qualis eſt Parochus, qui præter duos, vel tres teſtes matrimoniis debet neceſſario intervenire, præſentia Parochi ſufficienter ſupplet defectus aliorum teſtium *arg. l. 6. §. 1. ff. de edendo.*

Ad aliud deſumptum ex axiomate de teſtibus legitimis, & idoneis, debet intelligi de teſtibus, qui à jure, vel natura non prohibentur, teſtes agere, non vero de non ſuſpectis. Præterea in teſtamentis non privilegiatis requiruntur teſtes, non ſolum ad probationem, ſed etiam ad formam, adeoque deſiderantur teſtes idonei, & legitimi, & tamen teſtes ſuſpecti non rejiciuntur: etenim filius emancipatus eſt teſtis idoneus, & legitimus in teſtamento non privilegiato Patris. Frater etiam emancipatus, eſt idoneus, & legitimus teſtis in teſtamento fratris emancipati §. 9. & *ſeqq. Inſtit. de teſtamentis ordin.* quamvis filius, & fratres cenſeantur teſtes ſuſpecti: Unde non omnis teſtis ſuſpectꝰ eſt teſtis illegitimus, & inidoneus.

At ultimum negatur minor, quia ex diſpoſitione Concil. Tridentini ſufficienter probatur, matrimonium ſuam ſortiri validitatem, dummodo illi aſſiſtat Parochus cum duobus vel tribus teſtibus, qualeſcunque illi ſint, quia defectus teſtium ſuppletur à perſona Parochi, qui eſt principalis, & omnino neceſſarius teſtis.

Ad impediendum matrimonium ne contrahatur, ſufficit unus teſtis, dummodo juxta formam juris impedimentū teſtificetur, idque deſumitur *ex c. ſuper eo de teſtibus, & atteſtationibus* ubi Alexand. III. reſpondet Card. Machæo: *ſuper illa quæſt. an mulier conjungenda non ſit viro, pro eo quod ſola mater alterutrius aſſerat, eos eſſe conſanguineos. Reſp. Quod ſi non eſt firmatum matrimonium inter eos, matre aſſeverante, ipſos eſſe conſanguineos, non debet conjungi; quia præſumptio eſt non modica, quod ſe linea conſanguinitatis attingant & cap. Præterea eod. tit.* de ſponſalibus, & matrimonio

Digitized by Google

idem Pontifex ait: *De muliere, quæ à viro impetitur, cujus consangvineus cum ea se deliquisse proponit; sed hoc publicè confiteri recusat propter metum, & potentiam mulieris; taliter respondemus. Ut matrimonium ipsum fieri (nisi juramentum intervenisset) districtè prohibemus, ne deterius inde contingat.* Sed si juramentum intervenerit, matrimonium non debet prohiberi. Forma verò testificandi in his causis præscribitur *in cap. Tua nos.* de consangvinitate, & affinitate. Testes enim, qui consangvinitatem, & affinitatem testificantur, debent gradus assignare nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis designando personas: & à stipite, seu à parentibus, vel germanis incipere debent, ubi de consangvinitate agitur.

Fama publica alicujus impedimenti impedit etiam matrimonium, ne contrahatur, id enim declaravit Urbanus III, cap. *super eo de consangvinitate, & affinitate*, ubi dicitur: *Super eo, quod juvenem asseris, puellam quandam nondum nubilem fide interposita desponsasse: qua jam facta nubili eum repetit: & ille excipit, dicens, se non debere eam ducere, pro eo quod postquam puellam affidavit eandem, carnaliter propinquam ipsius cognovit, Inquisitioni Tuæ taliter respondemus. Quod si manifestum est, juvenem cognovisse propinquam prædictæ puellæ; vel si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet: Cùm esset sponsa tantummodo de futuro, idem ab ejus impedimento debet absolvi.* Testimonium de auditu ad matrimonium impediendum, multò minus ad dirimendum ratione consangvinitatis, vel affinitatis non sufficit, nisi secundùm formam juris feratur, ut declaratum fuit in Concilio generali Lateranensi 4. sub Innocentio III. *cap. 52.* Et habetur *cap. Licet ex quadam sit de Testibus.*

CAPUT XVII.

De Effectibus Sacramenti Matrimonii.

PRæter gratiam sanctificantem, quam matrimonium confert, estque effectus communis in omnibus aliis Sacramentis, quæ suscipiuntur post baptismum; habet Sacramentum Matrimonii conferre alias speciales gratias, seu auxilia actualia, quæ intuitu hujus Sacramenti opportuno tempore conferuntur, ad matrimonii officia debitè, ac ritè obeunda. Præter has gratias, tres alii assignantur effectus hujus Sacramenti, suntque indissolubilitas; proles legitima suscepta; & honestas carnalis copulæ in ordine ad prolem suscipiendam, & piè educandam.

Certum est, Matrimonium inter Christianos legitimè contractum, & ab ipsis consummatum esse indissolubile quoad vinculum; adeò ut matrimoniale vinculum nulla vi possit dissolvi, nisi sola morte, estque dogma Catholicum innitens verbis Christi *Matth. 19. Quòd Deus conjunxit, homo non separet.* & *Marci 10. Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Triplex tamen potest esse separatio inter virum, & uxorem, una quoad thorum; alia quoad habitationem; & tertia quoad realem dissolutionem vinculi Matrimonii. Prima & secunda separatio fieri potest ab Ecclesia ob plures causas, quæ recensentur à Concilio Tridentino *sess. 24. can. 8.* Est igitur Matrimonium quoad vinculum indissolubile inter Christianos; quia si dissolvi posset, liceret illis, facto ob justas causas divortio, transire ad secundas nuptias, & uti Matrimonio cum aliis conjugibus absque nota adulterii; sed ex Christi verbis sine adulterio non potest conjux separatus ab alio adhuc vivente transire ad alias nuptias, & uti Matrimonio cum alio conjuge, ait enim Christus: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & aliam ipsa superstite, seu adhuc vivente duxerit, reus est adulterii*; ut etiam adultera fieret alia uxor, quæ dimisso marito alteri viro nupserit. Hinc Apostolus *1. ad Corinth. cap. 7. Hi autem, qui matrimonio juncti sunt; præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Et infra subdit Apostolus: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit. Quòd si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat tantum in Domino.*

Probatur etiam indissolubilitas Matrimonii ex *Genes. 2.* ubi Deus pronuntiavit nexum esse perpetuum, & indissolubilem inter sponsum, & sponsam; ait enim scriptura *s. Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Hanc indissolubilitatem vinculi Matrimonii ab Adamo à primo mundi conditi exordio assertam confirmavit etiam Christus *Matth. 19. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* & *Marci 10. Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*: quæ verba generaliter docent, nunquam ita dissolvi Matrimonium inter fideles contractum, & consummatum, ut licitum sit ad alias nuptias transire. Hinc D. Augustinus *Libro de Bono Conjugali cap. 7.* ait: *Quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? quod neque puto tantùm videre potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atque id dissolvere cupientibus inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem, interveniente divortio, non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus fuerint etiam post suum repudium copulati, vel illa viro; vel ille mulieri. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, talis est causa cum uxore. Cæterum aliter se habere jura gentilium, quis ignoret, ubi interposito repudio sine reatu aliquo ultionis humanæ. & illa, cui voluerit, nubit; & ille, quam voluerit, ducit? Cui consvetudini simile aliquid propter Israelitarum duritiem, videtur permisisse Moyses de libello repudii, quæ in re exprobratio, quàm approbatio divortii magis apparet. Unde* merito Tridentina Synodus *sess. 24. de Matrimonio can. 5.* statuit: *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse Matrimonium, Anathema sit.*

Neque obstat *caput, quod propositum in causa 32. quæst. 7.* ubi Gregorius II. rescribit ad Bonifacium: *Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis. Non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præcedit, non detestabilis culpa excludit.* Contra est, quia Gregorius in illa decretali intelligitur de infirmitate præcedente Matrimonium, quæque perpetuam impotentiam habet adnexam; sed ta-

tamen ante initum matrimonium non iñotuerat. Non enim ignorabat Pontifex ſententiam Jeſu Chriſti, dicentis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; adeò ut hæc impotentia præcedens Matrimonium & ignorata, fuerit impedimentum dirimens matrimonium.

Sublato autem impedimento dirimente vinculum marimonii diſſolvi non poteſt, niſi per mortem alterius conjugis, idque firmatur ex verbis illis Chriſti *Luc. 16. 18. Omnis qui dimittit uxorem, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Matth. 3 1.* dictum eſt: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Quos textus expendens S. Auguſtinus *Lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 9.* ait: *Qui ergo nos ſumus, ut dicamus: Eſt qui mœchatur, uxore ſua dimiſſa, alteram ducens: Et eſt, qui, hoc faciens, non mœchatur? cùm Evangelium dicat, omnem mœchari, qui hoc facit. Proinde, ſi quicunque id fecerit, id eſt omnis, qui hoc fecerit, ut uxore ſua dimiſſa alteram ducat, mœchatur; ſine dubitatione ibi ſunt ambo; & qui propter cauſam fornicationis dimittit uxorem. Hoc eſt enim: Quicunque dimittit; hoc eſt: Omnis qui dimittit.* Hoc expreſsè docet Apoſtolus *ad Rom. 7. 2. Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*; in quæ verba ait Auguſtinus *Lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 5. Hæc verba Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt, nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licitè igitur dimittitur conjux ob cauſam fornicationis; nec carebit illo vinculo, etiamſi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, ſi mortuus fuerit vir ejus.* Cenſet D. Auguſtinus, vinculum Matrimonii inſolubile eſſe, quamdiu uterque conjux vixerit; adeò ut conjux non poſſit ad alias nuptias tranſire, niſi altero mortuo. Et quamvis adulterium dicatur eſſe quædam mors, non quidem corporis, ſed animæ, quod pejus eſt, non tamen Apoſtolus loquitur de hac morte animæ, cùm dixit: *Quòd ſi mortuus fuerit vir ejus, cui vult nubat*: ſed de illa ſola, qua anima ſeparatur à corpore. Unde ait Apoſtolus: *Mulier alligata eſt, quamdiu vir ejus vivit*, vita ſcilicet corporali, quæ explorata eſt omnibus: mors animæ perſæpe occulta eſt, & latet homines, cùm illa corporis omnibus pateat in cadavere: præterea per mortem communiter illa intelligitur, quæ ſit ſenſui obvia, & explorata eſt hominibus.

Objiciunt tamen Lutherani, & Calviniſtæ, aliique Sectarii, qui ob ſolum adulterium ſolvunt vinculum Matrimonii, & mulier, ſi probaverit, virum eſſe adulterum, alteri viro nubit; ut etiam vir, ſi evicerit, ſuam uxorem fuiſſe adulterium perpetratam, ducit aliam uxorem, dimiſſâ adulterâ, innitentes verbis Chriſti Domini *Matth. 19. v. 9. Dico autem vobis, quia, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & ſi aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*: ex eo, quòd Chriſtus in dimittendo conjuge excipiat fornicationem; concludnnt. quòd ſi conjux fuerit cum altero fornicatus, ſeu commiſerit adulterium; poſſit ab altero innocente dimitti, & alteram uxorem ducere. Sed contra, quia exceptio illa a Chriſto poſita, *niſi ob fornicationem*, nectitur cum prima parte ſententiæ *Matth.* 19. non verò cum ſecunda quaſi non mœchetur, qui dimiſſâ adulterâ ob fornicationem aliam ducit: ſed ſenſus eſt: qui ob fornicationem uxorem ſuam dimittit à communi thoro; ſi aliam non cognoverit, neque duxerit, non peccat, quia propter fornicationem ſeu adulterium poteſt unus conjux ſeparari ab alio adultero, quoad thorum, adeò ut innocens ob injuriam ſibi illatam habeat jus non reddendi debitum matrimoniale alteri nocenti. & adultero, à quo propterea poteſt ſeparari quoad thorum: non tamen ad alias nuptias tranſire; neque aliam cognoſcere, quia tunc mœchatur, ut ait Chriſtus in ſecunda parte ſententiæ: quòd ſi quæras, cur mœchetur; quia vinculum Matrimonii cum priori non eſt ſolutum, ſed adhuc ambos conjuges ligatos tenet, & neuter, quamdiu uterque vixerit, poteſt tranſire ad alias nuptias. Audiendus eſt D. Auguſtinus *Lib. 1. de conjugiis adulterinis cap. 9. & ſequentibus.* ubi ait: *Qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur, quomodo eſt verum, quomodo mœchatur? niſi quia illa, quam duxit, eo vivente, à quo dimiſſa eſt, adhuc uxor aliena eſt? ſi enim jam ſua, non aliena miſcetur uxori, utique non mœchatur: mœchatur autem: aliena eſt ergo, cui miſcetur. Porrò ſi aliena eſt, hoc eſt, ejus à quo dimiſſa eſt, etiam ſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt, nondum dimittentis uxor eſſe ceſſavit. Si autem illius eſſe ceſſavit, jam hujus eſt, cui alteri nupſit: & ſi hujus eſt, non mœchus judicandus eſt, ſed maritus: ſed quia non eum maritum dicit ſcriptura, ſed mœchum; adhuc illa illius eſt, à quo etiam cauſa fornicationis abjecta eſt. Et ideo quamcunque etiam ipſe, illâ dimiſſâ, duxit uxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera eſt. Unde autem fieri poteſt, ut adulter etiam ipſe non ſit, cùm conſtet adulterare quam duxit?*

Stat igitur, vinculum Matrimoniii non ſolvi proper fornicationem alterius conjugis: ſed tantùm conjugem adulterum poſſe dimitti ab altero innocente quoad thorum, & cohabitationem: & D. Auguſtinus acriter invehitur in eos, qui verba *Marci 20. Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam; & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur. & Lucæ cap. 16. Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ſuo ducit, mœchatur*, non accipiunt, neque intelligunt univerſaliter, ut ſonant, inquiens: *Qui ſumus nos, ut dicamus, & qui mœchatur uxore dimiſſa alteram ducens, & eſt qui, hoc faciens, non mœchatur? cùm Evangelium dicat, eum mœchari, qui hoc facit.* Pauli 1. Corinth. 7. *His, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam; aut viro ſuo reconciliari.* Ad Roman. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi.* Exceptio fornicationis, expreſſa *Matthæi* 19. debet itidem intelligi *Marci* 20. & *Lucæ* 16. alioquin Evangeliſtæ pugnarent inter ſe, ſibique contradicerent: ſiquidem hæc ſunt contradictoria: *Omnis, qui dimiſerit, mœchatur*: & Non omnis, ſed ille, qui fornicationis habet cauſam: quia Evangeliſtæ ſubinde aliqua omittunt, quæ ab aliis ſupplentur, quamvis ſemper veritatem dicant; & ita ſufficienter, ut poſſint intelligi etiam ab iis, qui non legerint alios

alios Evangelistas; Vel Matthæus intelligendus est à parte voluisse significare totum; & eandem retulisse sententiam cum reliquis Evangelistis; adeò ut mœchetur, qui dimissa propria uxore aliam duxerit, quæ propositio est universalis, seu totalis, nec limitatur per causam adulterii, quæ constituit proportionem partialem.

Quamvis plures sint causæ, ob quas vir potest uxorem dimittere præter causam fornicationis, non inde sequitur, causam fornicationis dissolvere vinculum matrimonii, cum aliæ tantùm solvant matrimonium quoad thorum, & cohabitationem; unde cùm Christus *Matth.* 19. excipiat causam fornicationis, & non alias causas, debet causa fornicationis dissolvere vinculum matrimonii; id tamen non rectè infertur. Quia, licèt plures sint causæ, ob quas licet marito dimittere ad tempus tantùm uxorem suam; nulla tamen alia est, quâ uxor adultera possit dimitti à thoro, & cohabitatione absolutè, & in perpetuum, nisi exceptio, facta à Christo *Matth.* 19. scilicet causa fornicationis, quia ob injuriam illatam alteri conjugi innocenti, hic habet jus dimittendi conjugem nocentem absolutè, & in perpetuum. Aliæ causæ non excludunt conjugem absolutè, & in perpetuum, sed tantùm ad tempus, donec alter conjux se correxerit, vel redierit ad sanam mentem. Præterea, quando dimittitur uxor propter fornicationem, non dimittitur, ne faciat injuriam marito, sed quia jam fecit, & quia præteritum non potest corrigi, sicut non potest fieri, quòd non sit præteritum; proinde conjux, qui injuriam alteri conjugi intulit, debet toto vitæ tempore pœnam luere patrati delicti. Rursùs aliæ causæ, ob quas fit separatio à thoro, non respiciunt immediatè matrimonium, neque ad illud directè pertinent, sed potiùs sunt causæ communes consortii; adulterium verò est causa propria matrimonii, cui immediatè injuriam infert, quatenus violat fidem conjugalem, quæ est basis matrimonii.

Quòd si dicas, Christum nihil legi addidisse, consequenter quoad hoc lex Evangelica nihil innovavit, Sed contra est, quia in lege veteri seu Mosaica uxor non dimittebatur, sed lapidabatur, ac lapidibus obruta mori adigebatur, quod Christus in lege Evangelica abstulit, cùm non jusserit, conjugem adulteram morti addici, sed tantùm dimitti permiserit, Rursùs addidit, quia noluit etiam adulterii causa dimissæ libellum repudii dari, ut minus audaces, ac prompti essent viri ad uxores dimittendas, ex eo quòd illis innotescat, sibi neque uxori non licere alias amplius inire nuptias, sed vinculum matrimonii indissolubile manere. Et Christum solam fornicationem excepisse non ad solutionem vinculi matrimonialis, sed ad solam separationem à thoro, & cohabitatione. Præterea addidit, quia in lege semel dimissam non poterat vir revocare: in lege Evangelica quamvis vir non adigatur dimissam revocare; id tamen ex charitate fraterna & Christiana optatur, ut ait Apostolus: *Maneat innupta, aut viro suo reconcilietur.* Demum quia in lege veteri licitum erat tantùm viro uxorem dimittere, non uxori virum: Christus verò in Evangelio viri, & uxoris causam parem esse voluit, ut explicat Apostolus *ad Rom.* 3.

Instant tamen aliqui, quia Phrrisæi Christum Dominum interrogabant, an ex quacunque causa invitam, & exosam uxorem liceret marito dimittere, & quidem dimissione apud Judæos usitata, quâ conjuges separati à thoro, & habitatione novum possent conjugium inire, ut moris tunc erat apud Judæos, facto divortio: & Christus respondit *Matth.* 19. *Quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: & respondit Christus intelligens de illa dimissione, de qua fuerat interrogatus à Pharisæis, alioquin responsio non cohæsisset interrogationi. Sed contra, quia tametsi Christus intellexerit de dimissione à thoro, & separatione habitationis, non de dissolutione vinculi conjugalis, de qua fuerat interrogatus, adhuc responsio fuit ad rem: quia docere voluit Pharisæos, quid in Judaicis divortiis licitè, & quid illicitè fieret: cùm duo in repudio Judæorum continerentur, scilicet dimissio perpetua conjugis à thoro, & potestas alteram ducendi, & transeundi ad alias nuptias, Christus hæc duo distinxit; & dimissionem perpetuam à thoro concessit, potestatem autem aliam ducendi, seu transeundi ad alias nuptias, negavit: unde appositè Christus respondit interrogationi Pharisæorum, cùm duas distinxit partes, quarum unam negavit, aliam concessit.

Cæterùm viguit aliquando prava consvetudo, quâ viro, repudiatâ uxore adulterâ, ducere alteram permittebatur: non ita Uxori à viro adultero separatæ, ut constat ex S. Basilio *epistola ad Amphilochium.c.9.* S.Ambrósio *in cap.7.epist.1.ad Corinth.* Origene *tract.7. in Matthæum.* Lactantio, & pluribus aliis. Sed Origenes asserit, priscos illos Episcopos id permisisse, ut dimissis conjugibus adulteris, contra scripturas sacras, ducerent alias ob graviora mala vitanda, quod tamen nunquam ab Ecclesia fuit approbatum; licèt in aliquibus tantum permissum, perinde ac ad evitanda graviora peccata principes permittunt in suis civitatibus meretrices. Moris etiam fuit, quò adulterii causa matrimonia etiam quoad vinculum conjugale solverentur *L. consensu C. de repudiis.* & *loc. Constante.* Imperatores enim hanc statuerunt solutionem, ut quieti, & commodo consulerent conjugium. Sed mos ille pravus omninò fuit, & contrarius legi Evangelicæ, propterea abrogatus meritò fuit, & leges permittentes solutionem vinculi conjugalis abrogavit Justinianus *Novella* 107. cùm tamen per se initæ essent, utpote repugnantes legi diuinæ, & Ecclesiasticæ: neque potestas Imperatorum ad hujusmodi leges sanciendas se extendebat, quia eorum potestas est merè temporalis, nec se extendit ad spiritualia; sed circumscribitur rebus temporariis, terrenis, & sæcularibus.

Matrimonium tamen ratum, non consummatum, Monastica Professione dissolvitur, ut declaravit Alexander III. *cap. Verum. de conversione conjugatorum.* ubi habetur: *Altero etiam repugnante eligere monasterium (sicut sancti quidam de Nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commistio non intervenerit inter eos, & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare voluerit) licitum esse ad secunda vota transire, seu novum in sæculo matrimonium inire.* Ratio est, quia, cùm nondum fuerint per carnalem commistionem una caro effecti, potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere exemplo S. Theclæ teste S. Epiphanio *heresi* 78. & S. Ambrosii *Lib. 3. de Virginibus cap.3.* S. Alexii *ex Metaphraste, ut breviario Romano.* S. Marcarii Eremitæ ex Sanctis Patribus, & Gratiano *causa 27. quæst. 2.* S. Gregoriæ, ex S. Gregorio *Lib. 2. Dialog. cap. 13.* S. Leonardi ex Gregorio Turonensi *Lib. de vitis Sanctorum cap. 20.* S. Edildritæ, Anglorum Reginæ, ex venerabili Beda. Ratio itidem est, quia ante conjugalem copulam conjugi relictæ nulla fit injuria: si quæ enim fieret, utique vel probi, vel conjugi, sed neutri fit injuria,

non prolis, quia nullus præceſſit congreſſus; nec ſponſæ, quia integra, & intacta relinquitur, ut erat antea, unde nihil decoris, nilque honoris amiſit.

Quòd ſi dicas, vinculum matrimonii non poſſe diſſolvi, niſi per mortem alterius conjugis. Sed contra, quia in Matrimonio duo conſiderantur vincula, unum ſpirituale, quod ſolo conſenſu perficitur: & alterum carnale, quod copula ſtringitur, & conſummatur. Carnale ſola mors diſſolvere poteſt, ut docet Apoſtolus ad *Rom.7. Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſin autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri.* Spirituale vinculum morte ſpirituali ſolvitur; qui autem monaſticam diſciplinam ſuſcipit, ut Deo ſoli inſerviat, ſpiritualiter emoritur mundo, quatenus ita removetur à converſatione civili, ut ad eandem redeundi poteſtatem ampliùs non habeat; Id autem non fit, niſi per ſolemnem profeſſionem, quâ quis ſe Deo devovet; ita enim mortuus eſt mundo, ut jam nec corporis ſui poteſtatem habeat, quod Deo per votum caſtitatis conſecravit, ac ſolemni ritu tradidit, nec voluntatem propriam habeat, nec jam ampliùs ſit ſui juris, quia per votum obedientiæ ſe imperio ſuperiorum mancipavit; neque ulterius ullius proprietatis eſt capax, cùm per votū paupertatis reb' omnib' ſe abdicaverit: quapropter leges civiles religioſam profeſſionem æquiparant morti, & voluntas, quæ, antequam emittat profeſſionem, diſponit de rebus ſuis habetur, ut voluntas in morte teſtatoris, adeò ut nec revocari poſſit, nec mutari *L. Si qua mulier. C. de Sacroſanctis Eccleſiis.*

Ex dictis infertur, Conjuges facto ob adulterium alterius divortio, ad ſervandam continentiam teneri, vel conjugibus adulteris reconciliari; quia per adulterium non ſolvitur vinculum conjugale, quod tamdiu remanet, quamdiu conjuges vivunt. Hinc ſi uxor ſit ſterilis, non licet marito alteram ducere cauſa filiorum gignendorum; ut nec etiam, ſi uxor ſterilis deprehenſa ſit in adulterio, ait D. Auguſtinus *Lib. 2. de conjugiis adulterinis cap. 11. Nam procreandorum filiorum iſta cauſatio etiam non adulteras, ſed caſtiſſimas fœminas, ſi fortè ſint ſteriles, cogit dimitti, & alteras duci, quod tibi æſtimo non placere. Quapropter, ſi cauſa incontinentiæ non ſunt excuſanda adulteria, quantò minus excuſantur procreandorum cauſa filiorum.* Imò nec voto ſimplici continentiæ, nec ordinis ſacri ſuſceptione, nec profeſſione Religionis à ſede Apoſtolica non approbatæ, nec vita Eremitica matrimonium etiam nondum conſummatum ſolvitur: quia omnia hæc prætecenſita non inferunt mortem civilem, ſiquidem ordini ſacro dominium, & proprietas bonorum temporalium non repugnat, nec etiam per ſe repugnat ipſum conjugium, ſed legibus tantùm, & decretis Eccleſiæ. Qui verò Religionem non approbatam profectus eſt, aut vitam Eremiticam, jure & voluntate propria non ſe abdicavit abſque ſpe regreſſûs. Unde mundo mortuus penitus non cenſetur. Novis tamen conjugibus ante matrimonii conſummationem duo menſes conceduntur ad deliberandum de ingreſſu in Religionem; & intra id temporis, qui vult deliberare, non tenetur debitum reddere alteri conjugi petenti, imò & urgenti, ut habetur *cap. ex publico de converſione conjugatorum.* Si tamen intra id tempus compreſſa fuerit uxor à marito, ille quidem peccati lethalis reus erit, quia ipſam jure ſuo uti non permittit, vimque illi infert, ut illud obtineret, quod nondum erat debitum: ſed, ita conſummato marimonio, non eſt ampliùs integrum, uxori monaſticam vitam ſeligere, ac vitam religioſam ſine conſenſu mariti profiteri. Rationem aſſignat D. Thomas 4. *ſent. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2 ad 2.* ubi ait: *Ante carnalem copulam non eſt omnino translatum corpus unius ſub poteſtatem alterius, ſed ſub conditione, ſi interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet: ſed per carnalem copulam completur dicta translatio; quia tunc intrat uterque in corporalem poſſeſſionem traditæ ſibi poteſtatis. Unde etiam ante carnalem copulam non ſtatim tenetur reddere debitum poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, ſed datur ei tempus duorum menſium, ut interim poſſit deliberare de tranſeundo ad Religionem.* Quòd ſi poſt contractum matrimonium & ante conſummationem contingat alterum ex conjugibus ingredi Religionem approbatam ab Eccleſia, alius non poteſt tranſire ad ſecundas nuptias, donec ingreſſus Religionem emiſerit ſolemnem profeſſionem, quia ſuperſtes in ſæculo manet obligatus ei, quæ monaſterium eſt ingreſſa, ſi mutato propoſito velit ad maritum redire, quia ante emiſſam profeſſionem eſt ſui juris quia ſola ſolemnis profeſſio omiſſa in Religione approbata ſolvit vinculum matrimonii. Unde S. Thomas *in 4 ſent. diſt. 27 quæſt. 1. artic. 3. quæſtiunc. 3. ad 2.* ait: *Non intelligitur mortuus ſæculo per Religionis ingreſſum, niſi profeſſionem emiſerit, & ideo uſque ad tempus profeſſionis tenetur eum uxor ſua expectare.*

Infertur ſecundò conſummato matrimonio, neutri conjugum licet abſque alterius conſenſu monaſterium ingredi, ſeu continentiam vovere! quod ſi voverit, irritum eſt votum ipſo jure, & poteſt conjux repetere conjugem, qui matrimonii jugum inconſultò excutere voluit. Sin verò ex conſenſu mutuo voverint continentiam, ſervare tenentur. Quia nemini licet vovere cum injuria alterius: neque eſt Deo accepta injuſta promiſſio, quâ quis offert Deo rem non ſuam; ſed quæ ſub alterius eſt poteſtate: & *quia vir poteſtatem non habet ſui corporis,* ut ſcribit Apoſtolus *1. ad Corinth. 7. Sed mulier: nec mulier poteſtatem habet proprii corporis, ſed vir,* ideò non licet uni continentiam vovere ſine conſenſu alterius. Hinc S. Paulinus *epiſt. ad Gelantiam matronam* ſcribit: *Tu verò quaſi oblita fœderis nuptialis, pactique hujus, ac juris immemor inconſulto viro voviſti Domino caſtitatem: ſed periculosè promittitur, quod adhuc in alterius poteſtate eſt: & neſcio quàm ſit grata donatio, ſi unus offerat rem duorum. Multa jam per hujuſmodi ignorantiam, & audivimus, & vidimus ſciſſa conjugia. Quodque recordari piget, occaſione caſtitatis adulterium perpetratum: nam dum una pars ſe etiam à licitis abſtinet; altera ad illicita prolapſa eſt.*

Quando unus ex conjugibus altero conſentiente vitam monaſticam profeſſus fuerit; vel continentiam voverit; poſt illius mortem alter, qui vovit, non poteſt ad ſecundas nuptias tranſire; & ſi contraxerit, votis in approbato ordine nuncupatis, dirimitur matrimonium. Quòd ſi matrimonium fuerit legitimè contractum, ratumque, præterquam in cauſa fidei, cùm infidelium conjugum alter convertitur ad Religionem Chriſtianam, alter verò ipſi cohabitare non vult ſine contumelia creatoris, quo caſu & conſummatum diſſolvitur, & in cauſa mortis civilis, ac ſpiritualis, ſeu profeſſionis ſolemnis monaſticæ, quia matrimonium ritè contractum, & ratum, verum eſt novæ legis Sacramentum, proinde incapax diſſolutionis, niſi divino pariter jure magis univerſali diſſolvatur. Nec ſummus Pontifex in iis, quæ divino jure ſunt conſtituta, diſpenſare poteſt, quamvis in iis, quæ ſunt de jure eccleſiaſtico juſtis de cauſis poſſit diſpenſare. Et quamvis aliqui Canoniſtæ, & Juris Conſulti, ut Joannes Andreas, Panormitanus Hortienſis, & alii

opi

Digitized by Google

opinentur, posse summum Pontificem matrimonia rata dirimere; adeò ut uterque conjux Apostolica fretus dispensatione ad alias nuptias transire possit: Theologi tamen huic opinioni adversantur? Asserunt tamen aliqui, Martinum V. & Eugenium IV. dispensationes concessisse, ut matrimonium ratum dissolveretur, conjuges ad alias nuptias licitè transirent. Verùm plures dubitant de hac dispensatione, ut refert S. Antoninus *3. part. tit. 1. cap. 21. §. 3.* inquiens: *Qui Pontifices non sunt quidem condemnandi; sed nec consulendum est alicui, ut procuret talem dissolutionem sive dispensationem, cùm Theologi videantur tenere, quòd non possit vinculum matrimonii dissolvi, nisi per ingressum Religionis.* Rursus Dominicus Soto *in 4. sent. dist. 27. quæst. 1. art. 4.* tractans hoc argumentum, perdoctè respondet: *Authoritas Martini & Eugenii, si ita verum est, quod similem talem dispensationem fecerunt: nullatenus tanquam Ecclesiæ determinatio movet: quia factum Pontificum non facit fidei articulum; sed opinionem Canonistarum sunt sequuti: & tamen alii Pontifices non leguntur, talem dispensationem concessisse. Cùm tamen credibile sit, creberrimè oblatos fuisse dispensandi casus. Imò Adrianus VI. Vir tam utriusque juris peritissimus, tùm rei Theologicæ non infimè doctus, cùm ab illo hujusmodi dispensatio fuisset postulata, & oblata Cajetani fautrix sententia; demiratus est, virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse, adeoque improbis precibus succumbens respondit; se dare quod posset; sed tamen credere nihil posset,* scilicet circa dispensationem matrimonii contracti, & rati.

F I N I S

Tertii Tomi Theologiæ Polemicæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google